Pag. 320. in notis error typographicus committitur, Schlichtingsheim collocando in Silesiam non procul Vratislavia, cum sit civitas Poloniae majoris.

Opus doctum et ad refutandum Socinismum maxime necessarium. Vid. Lilienth. Bibl. Theol. P. 1 pag. 910.

GVSTAVI GEORGII ZELTNERI

D. P.P. ET P.

HISTORIA CRYPTO-SOCINISMI

ALTORFINAE QVONDAM ACADEMIAE INFESTI

ARCANA

EX DOCUMENTIS MAXIMAM PARTEM

MSSTIS ITA ADORNATA

VT CVM HISTORIAE ILLORVM HOMINVM

ILLVSTRANDAE

TVM DOGMATIBUS IN VNIVERSVM REFELLENDIS

INSERVIRE POSSIT.

ACCESSERVNT PRAETER ALIA

VALENTINI SMALCII

DIARIVM VITAE

EX AVTOGRAPHO

ET

MARTINI RVARI

EPISTOLARVM CENTVRIAE DVAE

HACTENVS RARIVS APPARENTES

HIC VERO ETIAM NOTIS IDONEIS ILLVSTRATAE.

LIPSIAE

APVD JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

M. DCC. XXIX.

PIO ET ERVDITO
LECTORI.

NOn dubito, ſore pleroſque, qui, ubi forte fortuna fando audient, me hominem juris humani, vel ex impoſita publici muneris neceſſitate, maxime ſtudioſum Libro, ad penitiorem rerum divinarum cognitionem pertinenti, præfari auſum: immo ejusdem editionem, quam ipſe CELEBERRIMVS AVCTOR ſerio abnuerat, eo vivente videnteque procuraſſe; illud illaudabilem πολυπραγμοσύνην hoc impudentiam, aut ſaltim audentiam, inſignem interpretabuntur. Neque autem non confido, apud pleroſque facile a me obtentum iri, ut, ubi omnem conſilii atque facinoris mei rationem habebunt cognitam atque perſpectam, patrocinante æquitate, in partem mitiorem ſuam ſint temperaturi ſententiam. Ante vero, quam id flagitem, cauſa illa apud Te dicenda eſt, AMICE LECTOR, quam ita habe.

Annus agitur ſeptimus decimus, ex quo inſtituta e

Lipſienſi Academia in Altorfinam ſtudiorum gratia migratione, præter ICtos eximios, quos artis legitimæ iſta tempeſtate ſtudioſus potisſimum ſectabar, reliquarumque facultatum doctores clariſſimos, quorum multa & magna in me collata beneficia nondum animo meo excidiſſe, ita ferente occaſione, publice profiteor, offendi Theologos tres venerandos, CHRISTOPHORVM SONNTAGIVM, GVSTAVVM GEORGIVM ZELTNERVM & JOANNEM GVILIELMVM BAIERVM, quorum omnium in Eccleſiam puriorem merita ſunt notiora, quam ut mea prædicatione quicquam indigeant. Hoc inter eos nunc diſcriminis eſt, quod primo & ultimo loco memorati, Domino vocante, in cœleſtem patriam abierint; illorum medius Theologorum Altorfinorum venerabili Ordini hodienum præſit, & cum de ſua, tum de univerſa Eccleſia optime mereatur. Neque autem poſſum non fateri, me inde temporis hunc VIRVM VENERANDVM, auditis ejus ſermonibus ſacris, ſanam doctrinam pietatemque non fucatam ſpirantibus, inſpecta vita Theologo ſane dignisſima, cognitis commilitonum, qui eidem in rebus divinis Doctori operam dabant, elogiis, cœpiſſe diligere atque magni facere, & cum, horum cœtibus me jungere, prorſus diverſa ſtudiorum meorum ratio non ſineret, apud animum meum conſtituiſſe, ea, quæ THEOLOGVS ille EXIMIVS ad communem utilitatem evulgarit, ſitque evulgaturus in poſterum, asſidua lectione vertere in rem meam; quod quanto cum meo fructu hactenus a me factitatum ſit, hic multis enarrare præter rem foret. Poſt plures annos, hauſtamque non unam ex doctisſimis EXCELLENTISSIMI ZELTNERI

ſcriptis voluptatem, incerto auctore, rumor ad aures meas perferebatur, VIRUM MAXIME REVERENDUM, *Crypto-Socinianorum Altorfinæ Academiæ ante ſeculum fere infeſtorum Hiſtoriam* vel condidiſſe, vel in eo eſſe, ut conderet, de qua re ſane gaudere cœpi mirifice, partim, quod ex iis, quæ VIR EXCELLENTISSIMUS de *Leonhardo Culmanno*, *Mauritio Helingo*, *Paulo Lautenſack*, jam erat commentatus, ſatis intellexeram, neminem iſti operi conficiendo eſſe magis idoneum, partim, quod, mereri iſtos homines, ut res eorum deſcriberentur, plane ex iis dediceram, quæ Vir Illuſtris NICOLAUS HIERONYMUS GUNDLINGIUS *ſuis Gundlingianis* Volumine ſtatim primo inſeruerat. Sed dum ignoro, quo in loco ſit illa ſcriptio, valde etiam interea dubito, num ab Auctore vivo illius libri editio exſpectanda ſit, en! præter omnem meam ſpem atque opinionem a *Nobiliſſimo Bibliopola noſtrate* JO. GOTTLIEB GLEDITSCHIO mihi indicatur, *Hiſtoriæ* illius *Arcanæ* Exemplum, manibus Auctoris elapſum, & per varias ambages, quas hic expoſuiſſe, nihil omnino attinet, ſibi eſſe oblatum; quo indicio uti me incredibili perfuſum voluptate ſenſi, ita & ſtatim Bibliopolam plurimum rogare cœpi, ut illius inſpiciendi copiam mihi faceret, &, poſtquam voti compos eſſem factus, ut librum juſto titulo acquiſitum publicæ luci quamprimum traderet, rogare, flagitare, urgere, donec mihi morem gerebat, non deſtiti. Hoc ejus factum, meum conſilium, qui Tibi, PIE LECTOR, qui MAXIME REVERENDO AUCTORI, qui aliis, ad quos illud pertinere poteſt, excuſem, nunc a me eſt elaborandum.

Non opinor, inter Viros doctos eſſe quenquam, qui

 neſciat,

nesciat, quid illa Arianorum, Photinianorum, Socinianorum, in castris Antitrinitariis armis licet diversis doloque non uno adversus summum Deum militans cohors turbarum identidem dederit, quam illa secta sub infelicibus infausti illius FAVSTI auspiciis, seculo a Christo nato sexto decimo, caput extulerit, quot cœtus condiderit, quot illa celebres Magistros * nacta sit, Viros plerumque magno ingenio, acri judicio, qui, postquam sacrosancta fidei nostræ mysteria ad rationis humanæ decempedam exigere, apud se constituerant, vanissimos suos de Trinitate errores, eximia linguarum sacrarum notitia adhibita, multo in Patribus collocato studio, acuto disputandi disserendique artificio, moribus etiam ad pietatis speciem valde compositis ** orbi reliquo persuadere sunt conati. Et sane non

* Quorum fata, quod plerique Poloniam attigerunt, disces, si lubet, ex SAM. FRID. LAVTERBACHII *Ariano-Socinismo olim in Polonia Francof. & Lips.* 1725. 8. *ed.*

** De hac re etiam CONRADVS RITTERSHVSIVS testatur ad Salviani Libr. V. pag. edit. Brem. 46. *Hoc Arianorum*, inquit, *dogma fuit, probatum olim & Gothis & Vandalis, de quibus mox. Hodie plurimis in Polonia ac Transsylvania; neque nobis nulli ex illis in Germania visi & cum horrore auditi, qui tam sibi certi viderentur suæ persuasionis, ut parati essent pro sententia sua, quamvis pestifera, comburi vel omnibus cruciatibus lancinari: cetera probi & modesti homines.* Hæc ICtus ille eximius, dubio procul ignarus, inter Medicos, Collegas suos, esse pestifero illo dogmate infectum, cetera doctissimum Virum, ERNESTVM SONERVM, qui & ipse suas ad irretiendum RVARVM strophas a severæ & masculæ pietatis commendatione exorsus est. v. *Epist. Ruari ad Huswedelium Centur. II. Ep. XXVI. pag. edit. nostræ* 513.

non absque ſucceſſu, ſi ſucceſſus appellandus eſt graviſſimorum errorum repentina propagatio, quod eos cum novitatis gratia, tum illa mira ſuæ perſuaſionis de rebus ſacris & rationis, ut volunt, rectæ, utriusque ſcilicet luminis ad inquirendum Deum divinitus dati, conſenſio etiam apud Viros Principes & Prudentes multum commendabat. Sed & alium ad fallendum caſſem in C. Bergii ad M. Ruarum Epiſtola, quæ eſt Centuriæ I. prima & viceſima, obſervaſſe mihi videor, ſpem Turcicæ aut Judaicæ converſionis, improbisſimam pariter ac futilisſimam, ſed quæ, ut ſunt hominum ingenia ad quæcunque proclivia, multos, qui ſimul cum de doctrinæ ſuæ antiquitate, tum vaſtisſimarum gentium in cognitione Dei unius, ut loqui amant, conſenſu ſibi tacite ſunt gratulati, ſuaviter lactaſſe videtur. Quam peſtilens ſit illud virus, *M. Ruarus* triſti docuit exemplo, cujus ad iſta dogmata converſionem, immo perverſionem, uti eam ipſe in Epiſtola illa ad Huswedelium narrat, neminem facile lecturum exiſtimo, quin ad tanti ingenii caſum ingemiſcat. Hæc adeo dogmata tam blanda, tam exculta, ſimul tam pernicioſa, &, præter atrocisſimas in Dei Filium & Sanctum Spiritum injurias, omnem humanæ ſalutis œconomiam peſſumdantia noſſe, quibus defendantur armis, diſcere, quæ divinæ veritatis adverſus iſtos hoſtes ſint præſidia, tenere oportet eos, qui ultra vulgus ſapiunt, idque eo magis, quo certius nobis triſti experientia (partim ex libellis, qui ſubinde ſparguntur, partim ex iis, quæ peregrinantes referunt) conſtat, illius ſectæ cœtus, aut ſaltim ſequaces, aſſeclas, fautores pasſim ſupereſſe. Qui omne ſuum ſtudium in divinis litteris collocant, aliis mo-

nito-

nitoribus, quam viam in hoc negocio ingrediantur, affatim instructos nihil moneo, ne invitus audiam vetus illud: Sus Minervam: Quotquot sunt meæ forte sortis homines, qui humanis negociis mancipati suæ tamen salutis satagunt, his hanc *Crypto-Socinismi Historiam* commendatam volo, quod & VOGELIVS PEVSCHELIVSQVE non Velitum, sed Triariorum aliquando armis depugnent, iisdemque cum B. SCHROEDERVS, tum Venerandus ZELTNERVS, validissime occurrant, ut nullus dubitem, si qua est, si qua forte futura est, de causa illa dubitatio, eam funditus profligatum iri. Nihil dicam de incremento, quod Historia Ecclesiastica & Literaria ex hoc præclaro opere capiet, quæ adeo utilitas ad longe plurimos perveniet; nec de M. Ruari Epistolis, * illis magno aliquando studio sed incassum quæsitis, aut magno ære redemtis, illis sua elegantia rerumque variarum notitia commendabilibus, illis, si quid a veneno latente periculi, nunc antidoto instructis; quæ omnia, si æqui rerum æstimatores perpendent, probabunt iidem, reor, nostrum & consilium & facinus, aut excusabunt. Num idem a VENERABILI AVCTORE impetrari possit, nunc videbimus.

Opere illo MSto avide perlecto, nihil antiquius videbatur, quam VIRVM SVMME REVERENDVM adire litteris, rogare, obsecrare, velit sobolem fugitivam agnoscere, atque, ut parentem decet, sua commendatione exornatam

* Ne priorum editionum obliteretur memoria, hic annotamus, Centuriam primam Amstelodami apud Davidem Ruarum 1677. 8. Alteram & ultimam ibidem apud Eundem 1681. 8. prodiisse.

natam publicæ luci exponere. Re ad illum, qui librum obtulerat, perlata, hic equidem admodum adverſabatur, monebatque, nos non modo apud EXCELLENTISSIMVM AVCTOREM nihil effecturos, ſed hanc ipſam qualemcunque librum evulgandi poteſtatem facile amiſſuros. Magis hærebam, quam antea. Non potueram non inde certisſime colligere, eſſe VIRO VENERANDO cauſſas plures, easque graves, ob quas librum a ſe edi nolit: e contrario egregii publici ratio nunquam non vellicabat aurem, cui privatorum commoda merito concedunt: &, ut res litteraria, eccleſiaſtica, publica fruatur theſauro, in ejus ſine dubio utilitatem collecto ordinatoque, ut quam citisſime efficerem, commonebat. Quod omnem tandem dubitationem exemit, hoc erat: Qui in iſtis naſſis hærent, hi ſunt fere, qui rerum divinarum ſcientia imbuti vel exigua vel nulla, in ejusmodi hominum aut ſermones aut libros incauti inciderunt, quibus, poſtquam per nonnulla ratiocinia & ancipitia ſacrarum paginarum dicta inſanientis ſapientiæ conſulti effecti ſunt, hoc familiare eſt, ut id, quod clarisſime ſe pervidiſſe autumant, iterum ſibi eripi nolint, & ad omnia Theologorum puriorum ſcripta, quæ ad prudentiæ elegantiæque hodiernæ amusſim non eſſe confecta, ſimul conqueruntur, ætatem nauſeant. Præterea aliud hominum eruditorum genus eſt, qui, quod illa Theologorum non magis ad eorum palatum ſint, neſcio quam Religionis imaginem vel umbram animo ſuo ſibi effingunt, &, quicquid ſit illarum quæſtionum inter Theologos tantopere agi ſolitarum, tutius & rectius ſe ignorare, quam rimari, etiam

)( )(glorian-

glorientur: ad quæcunque adversariorum tela, ut non prævisa, omnium maxime expositi. Istos se jam dedisse præcipites, illos non procul a præcipitio abesse, quis negarit? Ad hæc ego mecum: Quid si illorum aut istorum hominum nonnulli aut unus, sola res gestas sciendi cupiditate ductus, ad libri lectionem accedat; idem mox ad eximia scripturæ dicta, quibus orthodoxa nititur de summa Trinitate sententia, rationumque allegata pondera velut ad scopulos hæreat, animum, divina adjuvante gratia, serio advertat, &, o fructum invidendum! ex illa abysso evadat, aut, si nondum se in illud barathrum dedit præcipitem, in cujus crepidine per summam ignorantiam versabatur, ruinam fugiat. Huic dulcissimæ spei traditus, &, quod nossem VIRI VENERANDI laudatissimam in perferendis malis ob veritatis studium imminentibus patientiam, alibi jam demonstratam, maturandam esse editionem censui; in quo, si quid præter EXCELLENTISSIMI AUCTORIS animi sententiam factum est, veniam humanissime flagitamus.

Nondum mihi ipsi satisfeceram, insidebatque animum scrupulus, istius Historiæ editionem, si maxime CELEBERRIMO AUCTORI, aliis tamen minus placituram. Quid si Perillustris Noribergensium Respublica, si Altorfina Academia, ista vulnera veluti refricari nollent? Quid si supersint singuli, qui vel suorum errores, vel de suis saltem suspiciones, celari, ignorari, oblivionique dari mallent? Talia dum animo meo volvo, iterum publica commoda istas cogitationes interpellant, &, quod non facile Historiæ rerum gestarum, quæ seculi ætatem ferunt, quisquam ob privatas caussas serio possit irasci. Quem

enim

enim tam ineptum credam, qui *Vogelios Peuſcheliosque* vel etiam *Dümleros* Noribergenſi vel Reipublicæ vel Academiæ crimini det. Idem ille Saxoniæ noſtræ de *Joanne Volkelio Grimmenſi*, & *Valentino Smalcio Gothano*, aliis nobilisſimis locis de aliis, diem dicat, & hominem ſuaviter ridebimus. Non eſt campus tam lætus, qui non aliquid noxiæ inertisve herbæ tulerit: non eſt regio aeris tam puri, quam nullum unquam contagium læſerit. Tantum vero abeſt, ut ullam Reipublicæ illius injuriam aut contumeliam omnis iſta narratio contineat, ut potius laudum cumulum augeant virtutes in hoc ancipiti negocio demonſtratæ, & hac luculenta ſcriptione poſteritati commendatæ; illa in iſtis cœtibus detegendis vigilantia, illa in conquirendis reis ſolertia, illa in convincendis Neo-Photinianis patientia, illa in coercendis errantibus ſumma moderatio, illa in Vogelio Peuſchelioque reſipiſcentibus publicorum munerum collatione oſtenſa animi æquitas prorſus ſingularis. Sed & alii, ſi qui ſunt, non ægre ferent, narrari res, quæ non facile quenquam propius attingunt, quam eos, qui narrant, celeberrimos, inquam, Viros GVNDLINGIVM & ZELTNERVM, qui genus ſuum ad JOANNEM VOGELIVM, quem in illa fabula primas egiſſe conſtat, ut ad Avum ſuum maternum ipſi referunt.

Habes præcipua excuſationis noſtræ momenta, BENEVOLE LECTOR, de quibus pro tuo lubitu ſententiam feres. In id interea omni ſtudio incubui, ut Exemplum noſtræ Hiſtoriæ a manu non una, atque caracteribus aliquando non optimis exaratum, quam fieri poſſet, accuratisſime typis deſcriberetur; eaque de cauſſa poſt

ordinarias Typographiæ, quæ nunquam errare desinit, operas ultima lima Viro cuipiam docto harumque rerum intelligenti commendata est, qui & Græca in altera Epistolarum Ruari Centuria, absque versione relicta, in latinum sermonem convertit, & Indices magno tuo, ut opinamur, commodo calci universi operis junctos debita diligentia confecit. Nihil reliquum est, quam ut Te, AMICE LECTOR, nunc majorem in modum rogem, si ad Te ex hoc libro quidpiam redit utilitatis, ut id ante omnia τῷ Πατρὶ τῶν Φώτων, παρ' ᾧ ὀκ ἔνι παραλλαγὴ ἤ τροπῆς ἀποσκίασμα, a quo πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δόρημα τέλειον, * deinde MAXIME REVERENDO AVCTORI, cujus Ille salutari opera ad Te instruendum uti voluit, adscribas: si quid admissum est, peccatumve, id nostræ imbecillitati tribuas. Culpam non defugio, si animi propositum probaveris, &, ut SALVIANI *Massiliensis*, viri & pii & docti & eloquentis, verbis, quibus ille *suam ad Libros de Gubernatione Dei præfationem* claudit, & hunc meum sermonem finiam: *Si hic liber sanaverit quorundam non bonam de Deo nostro opinionem, fructus non parvus erit, quod profuimus. Sin autem id non provenerit, & hoc ipsum infructuosum saltim non erit, quod prodesse tentavimus. Mens enim boni studii ac pii voti, etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.* Scribebam Lipsiæ cIɔ Iɔcc XXIX. XXVII. Septembris.

D. GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAVERVS.

* Jac. I, 17.

CAPVT I.

CAPUT I.

Initia vitæ, præsertim Academicæ, J. Vogelii *&* J. Peuschelii, *Factionis item Crypto-Socinianæ in Academia Altorphina, ortum & progressum, describens.*

§. 1.

Obscuri nominis viros, neque satis dignos, qui propositi argumenti ambitum exhaurire possint, Tibi, L. B. prædicare videbimur; a) Quotusquisque enim est, qui JOHANNIS VOGELI & JOACHIMI PEUSCHELI, quorum in ipso Titulo polliciti sumus, nos daturos vitæ descriptionem, b) nomina vel fando audivit, aut scripta oculis animoque lustravit? Alterius namque pene nulla; alterius vero perpauca, eademque non alia fere quam poetica, typis procusa, c) extant, & ne hæc quidem multum in orbe erudito cognita. Non abnuimus, ita rem esse, si, quæ vulgo de hac Historia à nobis describenda inter omnes circumferuntur, d) & de utroque horum, doctrina excellentium virorum, historiarum monumentis sigillatim forte prodita sunt, tecum animo repu-

 tes:

a) Hanc si inscriptionem *Capitis primi* levi obtutu inspicias, eorumque merita, à quibus initium dicendi facimus, animo expendas.

b) Et quidem hac potissimum de caussa, quod præcipuas in ea scena, quam nunc aperire animus est, eorum fuisse partes, uti totius etiam historiæ continua series addocebit, non ignoraremus.

c) De quibus Cap. IV. differemus.

d) Vera, ac falsa, pleraque certe, aut male saltem cohærentia, vel modum procedendi in reducendis ex aberratione ad rectam viam adhibitum cavillantia & suggillantia.

tes: aut ex FREHERI compilatione, ut plerique ſolent, ubi de celebrioribus etiam viris agitur, tantum ſapere velis. In quo quidem opere, ſumma diligentia, ſed rudi Minerva congeſto, quoniam alterius duntaxat a) memoria utcunque conſervata eſt, non vana hinc conjectura efficere licebit, aliquam fuiſſe neque contemnendam, ſive utriusque, ſive alterutrius, claritudinem in patria & meritorum quorundam gloriam. Quam etiam ob rem facturos nos eſſe operæ pretium exiſtimavimus, ſi amborum vitam ſubobſcuram adhuc permultis, commentatione uberiori ad poſteritatem transmitteremus. Acceſſit adhæc ſcopus, præter hunc jam indicatum, ſecundus, ut *Rectorum*, quos vocant, Scholarum *Civitatis inclytæ Norimbergenſis*, eadem opera, aliquo modo amplificetur hiſtoria. In quo argumento, cum vir quidam b) clariſſimus ſtudium haud ita pridem poneret, & laborem non pœnitendum, vitam, quaſi ſpeciminis loco, ex *Noribergenſium* numero deſcripſit, multo, quam VOGELI fuit, aut aliorum plurium, ſteriliorem, ſatisque evidenter oſtendit, vel *ſolius Gymnaſii rationem habere* c) placuiſſe, ejusdemque *inſtaurati*, d) vel ab amicis, neque apparatu ſufficiente inſtructis, neque delectu inſtituto aut conſultò luculentiora ſecum communicata eſſe. Ab his certe rationibus ſi diſcederes, *Leonh.* CULMANNI ad Sp. S. Ludi Moderatoris olim felicioris, quam Verbi divini deinde præconis; e) *Sebaldi* HEYDENI ad

a) *Vogelii* nimirum, quo amico etiam dum viveret, uſus fuerat, Part. IV, ubi inter Philoſophos & Philologos ejus mentio f. 1551. occurrit.

b) *D. Gottfr. Ludovicus* ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, Sleuſing. t. t. Gymnaſ. Rector atque illuſtris Caſimir. deinceps Prof. & Direct. P. II. Hiſt. Rect. & Gymnaſ. ubi f. 156. de Gymnaſ. Norib. Ægid. diſſerit & *Jo. Gravii* vitam exhibuit.

c) Sic enim, niſi fallimur, inſtituti ratio ferebat, ut ad ea potisſimum reſpiceretur.

d) Proxime certe, ut Cap. IV. exponemus, ante inſtaurationem, etiam Vogelius noſter *Scholæ Ægidianæ Noribergenſi* cum laude præfuit.

e) Ad cujus vitæ fatorumque ante hac delineatorum ſupplementum heic notamus, fuiſſe virum hunc, ſolius *Oſiandri* amore præpoſtero, infelicem, ac de reliquo eruditisſimum, ab honeſtis, ſed egenis parentibus, *Halæ Svevorum* prognatum, tum *Dunkelsbülæ*, atque hinc in *ſchola Sebald. Norib.* per annos omnino tres bonis artibus imbutum; inde *Salfeldiæ* ſcholaſticis rebus operam dediſſe, atque *Erffurdiam* denique adiiſſe; ubi poſt annos tres elapſos *Bacularius Philoſophiæ* creatus ſit. Inde *Lipſiæ* ſtudiis incubuiſſe *Frid. Myconii* famulum, & auditorem *Croci, Moſellani, Hegendorffii* & ſimilium cognovimus. Lipſia venit *Bambergam*, ubi in templo cathedrali tanquam Baccalaureus ad tempus, & integrum tamen fere annum exegit. *Onoldsbacum* Bamberga delatus ibidem cuſtos rerum ſacrarum & ſupellectilis (*Kirchner* ſeu *Meſsner*) factus eſt. Exinde cum Principe *Baruthum* venit peſte tunc ingruente illuc commigrante, ac deinceps *Noribergam*, ubi primum *Choraulen*, hinc *Coadjutorem Scholæ* ad Sp. S. poſt *Cantorem*, ac denique *Rectorem* ſe creatum eſſe, ipſe in Epiſtola quadam,

ad D. Sebaldi, ex ſcriptis a) canticisque tritisſimis celebratisſimi, *Joh.* item DENK I famoſi illius, ſed doctisſimi, at reſipiſcentis tandem Anabaptiſtæ, Heydeni ad tempus Anteceſſoris, aliorumque nomina obvia fuiſſent ſcriptis ſatisque variis longe notiora. Ut omittamus *Joh.* KEZMANNI, b) *Georg.* SELLÆ, c) *Andr.* BOHEMI d) multis rebus commemorabilem, ac *Simonis* denique BORNMEISTERI noſtra ætate demortui recentisſimam & ex Hiſtoricis ſcriptionibus haud incelebrem famam: Unde haud paullo largior diſſerendi ſeges ſubminiſtrata demeti poſſet. Quæ dum, aliud quaſi acturi & ὡς ἐν παρόδῳ annotamus, abſit, ut viri illius laudatisſimi nobisque, dum in vivis eſſet, amicisſimi ſtudiis & induſtriæ maxime laudabili obtrectare velimus, aut in eum culpam conjicere ejus rei inſtituamus, ut *Norimbergenſium* potius rerum Eccleſiaſticarum & Scholaſticarum, reapſe ab omnibus quidem prædicatam amplitudinem, ſed in ſcriptis incredibilem raritatem parcisſimamque in Rerum literariarum ſcriptoribus com-

cujus heic compendium dedimus, ad *Hieron. Baumgartnerum* ſcripta, quæ manu exarata ſupereſt, retulit. Reliqua enim ex *Paralipom. Oſiandrino*, h. e. *Vita Culmanni*, repetere nihil attinet.

a) Inter quæ *Catechiſticam ſummulam*, ut vocat, *Fidei Chriſtianæ* Norimb ap. Joh. Petrejum An. 1538. 8. impreſſam & b. *Vito Dieterico* dedicatam, itemque *Chriſtl. Beweiſung, das durch das leiden, ſterben und blutvergieſſen Chriſti Jeſu, des menſchen ſons, alle glaubige ſollen und müſſen gerechtfertigt werden, wider die neue und Antichriſtiſche ſecten der Oſiandriſten &c.* 8. Norib. ap. Jo. von Berc & Ulr. Neuber, nunc laudamus. Extat & alia ejusdem Diatribe prioribus hiſce allegatis vetuſtior, quæ *Apologia inverſæ Cantilenæ, quæ*, Salve Regina, *incipit*, inſcribitur, atque form. 8. impreſſa Norib. A. 1524. 3. plagulis conſtat. Ex cujus Dedicatione ſimul, *Heydenum* e *Schola Xenodochiana*, in qua ſub initium hujus anni adhuc pueros docuerat, eodem anno præcipitante in *Sebaldinam* fuiſſe provectum patet. Eademque Dedicatio ſub initium hujus quoque anni jam veræ de Chriſto doctrinæ illum fuiſſe addictum, commonſtrat; quippe in qua, ut canticum illud Chriſto vindicet, exploſa invocatione *Mariæ*, operoſe contendit. De reliquo A. 1498. illum vivere cœpiſſe *Noribergæ*, ac deſiiſſe A. 1561. d. 8. Julii, & perquam honorifice a diſcipulis ſuis elatum, in *Calvini* autem, dum viveret, placita valde fuiſſe propenſum, paucis monemus, ceteraque haud disſimilia alibi diligentius enarrabimus.

b) Nati Norib. A. 1487. inde ab A. 1517. munus Rectoris Scholæ Laurentianæ, dehinc ſcribæ ſeu Notarii in Colloquio celeberrimo inter addictos partibus Pontificiis Monachos, & *Oſiandrum*, *Stökelium*, ceterosque ſanioris ſententiæ Patronos A. 1525. perfuncti, & A. 1542. d. 23. Julii pie defuncti.

c) Qui *Seſſel* alias dictus, A. 1502. natus, & in ſcholis *Lutheri* atque *Philippi* enutritus, *Kezmanno* ſucceſſit, multaque in controverſia ſumme periculoſa & ancipiti, de *Libr. Interim* recipiendo, cui conſtanter contradixit, A. 1548. paſſus, immo & exauctoratus, tandem vero *Hieron. Baumgartnero* deprecatore, in officium reſtitutus eſt, & A. 1571. d. 13. Junii ſpiritum Deo reddidit.

d) Duodecim puerorum antehac Præceptoris, tum *Rect. Schol. Laurentianæ*, denique *Sebaldinæ*, ibidemque A. 1611. ex hac vita mortali evocati.

memorationem eamque diſtinctam accuſemus. Qua de cauſſa etiam factum eſſe arbitramur, ut cum alioqui quovis Stentore clamoſior in recenſendis pariter, atque exagitandis Eccleſiæ Evangelicæ Doctoribus factisque fuerit *Gottfr.* ARNOLDVS, in *Norimbergenſibus* a) fere magis mutus ſit, quam piſcis; ſi paucula quædam ex rumoribus, neque ea, ſatis feliciter, ut infra quoque demonſtrabimus, corraſa, excipias.

§. II.

Quomodocunque vero hæc comparata ſint, nobis VOGELI & PEVSCHELI, ut promisſis ſtemus, nunc ratio habenda b) eſt, atque eo calamus revocandus. Horum ergo initia vitæ & progresſiones, fortunam multiplicem, fataque, cum adverſa, tum etiam ſecunda, & quæ ſuggerentur nobis alia hujusmodi commemorabilia, percenſere, noſtrum erit. Ut a natalibus exordiamur: Uterque hanc vitæ lucem adſpexit, Dei beneficio, inclinante ad finem ſeculo XVI. ea tempeſtate, qua lites in Germania poſt publicatam *oblatamque*, ſed *non receptam* in patria ob cauſas alibi c) expoſitas *Formulam Concordiæ* jam fere in eorum patria quoque deferbuerant; d) nondum tamen, quæ coortæ erant, inter ordines ejusdem, partim ſuper *Philippo* & *Corpore Doctrinæ*, partim Saxonica illa confesſione, a plerisque ſubſcripta & approbata, penitus extinctæ fuerant. Tempore, inquam, variis motibus e) notabili, at nulla re alia memorabiliori, quam *Socinianæ* hæreſeos petulantia, quæ per id intervallum in *Polonia*, & *Tranſylvania* potisſimum, *Fauſti* SOCINI, Nobilis gente Senenſis, & aſſeclarum quorundam obſcuriorum opera, cum maximo animarum, &, quod nunquam putaſſes, Germaniæ quoque noſtræ ſummo periculo, vires ſuas atque virus

a) Tam ſcholaſticis, quam Eccleſiaſticis rebus: quas inter paucisſima quædam ἀποσπασμάτια, neque alia propemodum, quam quæ apud *Hutterum* & *Hoſpinianum* in *Conc. Conc. & Discord.* itemque in *Hiſt. Sacrament.* minus tamen accurate haud raro annotata ſunt, in vulgus emanarunt.

b) Hi namque in Hiſtoria, quam exponimus, pertriſti, inter *Noribergenſes* patria, qui ab ea participarunt, primas non ſolum tenuerunt, ſed & pertinacisſimi omnium errori, donec divina gratia ab eo liberarentur, inhæſerunt.

c) In Vita *Helingi* § XXXVI. ſqq.

d) Cum, ſopitis utcunque diuturnis litibus, tandem omnes *Libris Normalibu*, poſt primam A. 1573., in ſecunda & ſolenniori ſubſcriptione univerſali, d. 19. Maji A. 1585. fidem ſuam & V. D. Miniſtri & Ludorum Moderatores primarii, quibus id fuerat injunctum, addixiſſent & confirmaſſent.

e) Qui quales fuerint in *Vitis Theologorum Altorphinorum* nuper expoſitum eſt uberrime, multo vero plura monumenta MSta adhuc ſuperſunt, quæ luculentiora hæc reddere poſſent; quædam vero etiam paullo poſt attingenda occurrent.

rus explicabat. a) Annus, quo in lucem hanc ſuſceptus eſt *Joh.* VOGELIUS, a reparata ſalute, *poſt Milleſimum* & *Quingenteſimum*, *Octogeſimus Nonus* legitur annotatus: PEUSCHELIUM vero, Annus *Nonageſimus* & *ſecundus* excepit in hanc vitam editum. Illi *Nonæ VIIbr.* ortum dedere; Huic autem natalis dies XX. *Januarii* Menſis contigit: uti quidem ex Genethliaco quodam ſchemate, b) quo & VII. hora pomeridiana natum fuiſſe dicitur, nobis tandem innotuit. c) Patriam ambo communem habuere, atque, dum vixerunt, etiam coluerunt NORIMBERGAM, S. Rom. Imp. Rempubl. & Liberam Civitatem amplisſimam, Germaniæ, uti quidam vocarunt, Ocellum, Bonarum literarum Nutricem perilluſtrem, & Regiminis præcellentisſima forma, non minus, quam rerum ad mercaturam pertinentium copia aliaque omnigena laude per orbem univerſum celebratisſimam. d) Quam utinam ſicuti ſpectatisſimis poſtea, cum reſipuiſſent, meritis hi noſtri etiam Cives ornarunt, ita turpisſima infamiæ nota, at Divina tamen clementia iterum, ſuccedente tempore, abſterſa, ſua hac aliquandiu continuata, eaque putida, a veritate Evangelica defectione perquam imprudenter, ut molliſſime dicamus, commiſſa, non contaminaſſent!

§. III.

Antequam ad alia progrediamur, primo omnium, diſtingvendum eſſe utrumque, putamus neceſſarium, a cognominibus quibus-

 dam

a) Non eſt, cur h. l. ea deſcribamus, quæ in *Hiſtoria Reformationis*, ut vocatur, *Polonicæ* fuſe enarravit infelix multis modis, & vel ex triſti vitæ exitu notisſimus *Stanislaus Lubieniecius*: quæ *Bibliothecæ* Sandianæ *Unitar.* cum aliis hujusmodi ſubjuncta ut plurimum comparet, vitamque *Socini utriusque* plurimum illuſtrat. Ut Præfationes variorum *F. Socini* Libellorum, præcipue vero Diſpp. cum adverſario non uno, omittamus; itemque Epiſtolas ejusdem *Socini* & ſodalium, nec non Theod. *Bezæ*, *Calvini*, *Chytræi* & aliorum ſubinde aliquid huic hiſtoriæ lucis affundentes. Quæ brevi tamen compendio complexus eſt S. Rev. H A. *Engelke*, Roſtoch. Theol. & Collegio Anti-Socin. b *Schomeri* præmiſit.

b) Exhiberemus illud, ſub id tempus adhuc, ex *Philippi* ſchola, magni habitæ divinationis inanis ſpecimen, incertum quo vate adornatum; niſi typis ſigna aſterismorum, more ſolito diſpoſitorum, notisſima haud facile exprimi poſſent, & falſa etiam quædam inter deſcribendum irrepſiſſe, a nobis animadverſum eſſet. Hoc tamen tacere non poſſumus, ſiniſtra admodum eventa *Peuſchelio* ab Aſtrologo iſto, quisquis fuit, jam tunc prædicta fuiſſe.

c) Cui quidem ſchedæ parum fidei habuiſſemus, niſi in Diptychis etiam Eccl. Laurentianæ XXI. diem conſignatum eſſe, quo procul dubio, proxime ſequente, ſacro lavacro expiatus eſt, comperiſſemus.

d) Deſcriptam equidem a *Celeb. Wagenſeilio* noſtro, ſed ita, ut Commentationi limatisſimæ, quod ad dictionem, limam quoque, quantum ad ὄντα, fuiſſe inductam non obſcurum ſit.

dam popularibus. Et ad VOGELIVM quidem quod attinet, probe ut discernatur, svademus, a *Matthæo* VOGELIO, alteroque *Andrea*, eandem patriam veneratis: a) Illo vetustiore; hoc propemodum æquali: Ecclesiæ Norimbergensis Ministris, sed forte tamen diversa cognitis. Etenim prior b) ex funesta, atque *Norimbergensi* imprimis Reipublicæ infesta, perinde ut Saxoniæ, lite, de libro formulaque cultus divini, INTERIM, dum Concilio habito res omnis in Ecclesia plane convalesceret, observanda, & Caroli V. auctoritate corroborata, tandem *Norimberga*, cui obtrudi illa cœperat, excessit, & *Andr.* OSIANDRVM clam inde paullo ante c) cum infelicissimo posthæc *Funccio* suo, excedentem, Anno cIɔ Iɔ XLIX. subsequutus est. Quæ cum fierent, Diaconi ad D. *Jacobi* is fungebatur munere, in quem locum nuper admodum d) ex oppido Noribergensi municipali *Lauff*, cui cœtui ultra triennium, inde ab anno 1544. præfuerat, evectus erat. Quam postea fortunam subierit, vestigia OSIANDRI, cujus favore potissimum fruebatur, premens, & in *Borussiam* dilapsus, ipse satis dilucide in *Præfatione Thesauri Theologici* e) notissimi, eruditionisque & studii XL. annorum insignis monumenti, diligentissime enarravit. Nimirum in *Borussiam* cum veniret, mox Parochiam in oppido *Velau* suscepit, cui postquam toto quadriennio operam locaverat, in *Joach.* MÖRLINI, Cl. fortissimique Theologi, occasione litigii *Osiandrini*, f) a munere suo dejecti, locum A. 1553. (error est *Adami* A. 1550. nominantis) *Regiomontem* vocatus, ibidem in Schola & Ecclesia pro amicissimo *Osiandro* strenue propugnando, sub Principis indulgentissimi ALBERTI patrocinio ad Annum usque 1566. publice & cum applausu sacras litteras ex Ecclesiastica cathedra, nunquam tamen Professoris titulum, ut quidam male perhibent, adeptus, docuit. Quo pacto autem rebus illic commutatis, pedem inde moverit, & ærumna-

a) Recentiores *cognomines* dedita opera tacemus; quia ad præsens argumentum eorum meminisse parum refert.

b) *Noribergæ* A. 1519. natus & in schola patria *Sebald.* præcept. *Seb. Heyden* primis, tum severioribus litteris *Tubingæ* atque *Witteberga* sumtu Imhofiano innutritus officioque sacro A. 1544. primum admotus.

c) A. 1548. d. 22. Novemb. relicta uxore, cui tamen jura civitatis deinceps etiam ademta, & ipsa quoque abire jussa est.

d) 1548. quo anno ei in laudato oppido *Barthol. Camerarius* successit.

e) *Germanici* videlicet; latinum enim compendium priori vasto operi successit, & quod in altero copiosius dictum, illic breviori conspectu comprehensum est.

f) Noribergensi Ecclesiæ nondum, cum istic viveret, etsi subinde de Justitia Christi minus concinne loqui videretur ejus auctor, gravis; mature vero, postquam ille in *Borussiam* commigraverat, erumpentis, totumque cœtum Evangelicum conturbantis & a *Joh. Wigando* copiose descripti.

ærumnarum pertæſus in *Franconiam* reverſus ſit, atque poſt breve cum *Guolffg. Waldner*, a) & *Mich. Beslero* ad D. Mariæ Paſt. colloquium in vicino *Noribergæ* agro habitum, hinc in *Würtenbergenſem* Ducatum abierit, & *J. Brentii* opera ad Hornbergenſem primum, dein Göppingenſem Eccleſiam admotus, denique Abbas *Alberſpacenſis* & Sereniſſ. Princip. Conſiliarius conſtitutus, anno ætatis LXXII. diem ſuum obierit, carptim & accurate a præſtantiſſimo *Hiſtoriæ Boruſſicæ* ſcriptore *C. Hartknochio* b) memoriæ proditum eſt. De *Andrea* VOGELIO, in eadem æde, *D. Jacobo* ſacra, Presbytero, tum vero in *Noſodochio ad Sp. S.* Eccleſiaſte, & Paſtore denique ejusdem Eccleſiæ ſeu Antiſtite, qui A. 1603. pie Deo Spiritum reddidit, *M. Georgio Wernero* locum vacuefacturus, tanto minor nos ſolicitudo tenet: quo rarior in patria fama viri hujus, optime ceteroquin de ea meriti, fertur, honeſta quidem, ſed paucisſimis, ut, quod res eſt, fatear, atque non niſi ex Indicibus Paſtorum Eccleſiæ nobis ab amicis depromta & communicata. Ab his igitur JOHANNEM noſtrum & munere & ætate recentiorem disjungendum eſſe in præſens ſufficiat commonefeciſſe. Externos enim hoc loco commemorare, ad inſtituti noſtri rationes nihil attinet. Habuit equidem & PEVSCHELIVS cognomines in eadem patria nonnullos Eccleſiæ præcones; ſed quoniam ad ejus cognatos & conſangvineos, quod compertum nobis eſt, univerſi prope connumerabantur, neque etiam cuiquam alias forte cogniti ſunt, aliorſum rejicienda erit horum recenſio, & ad ipſam, quam ſtatim ſubtexere animus eſt, proſapiæ utriusque deſcriptionem procedendum.

§. IV.

Hæc igitur honeſta ambobus etiam contigit, utut aliquo modo, ſi ſortem externam ſpectes, diſcrepans. *Johannis* VOGELI ortus is fuit, qui utplurimum ingeniorum excellentiſſimorum eſſe ſolet,

a) De quo Dominicano olim Monacho, & quidem, ut videtur, Noribergenſi, deinde *Stierenſi* primum in *Auſtria* V. D. M., hinc Noribergam exule delato, & in *Mart. Schallingii* locum ſuffecto, at A. 1556. propter vehementiores in cauſſa Oſiandrina, tandem Noribergæ etiam agitata, itemque adiaphoriſticas concertationes, atque publicas, quoties in æde Prædicatorum Conciones habuit, & juſto acerbiores declamationes loco ſuo moto, hinc vero *Ratisbonam* evocato, atque iſtic demum An. 1583. d. 1. Januar. defuncto, b. *Serpilii* ſeries Ratisbon. Eccl. Miniſtrorum, quæ Cl. *Kindervatteri Nordhuſæ illuſtri* præfixa eſt, conſuli, & ex his obſervationibus illuſtrari poteſt.

b) Vid. *Hiſt. ejus Boruſſ. Eccleſ.* L. II. Cap. III. §. IV. ſqq. itemque §. XV. ſqq. Add. S. rev. *Fiſchlini*, Amici noſtri ſingulariter colendi, *Memor. Theol. Würtenb.* P. I. f. 64. ſeqq.

ſolet, de quo ſcite admodum a) *Joh. Valent.* ANDREÆ ſcripſit; *Neſcio, quo fato Theologorum aliorumque Eruditorum maxime eminentium hæc propria ſors eſt, ut ex pulvere ac cum Chriſto Bethlehemi naſcantur: ut ambitionis inſidias ortus ſui recordatione facilius excludant, natalesque ſuos ad cœlum potius, cui deſtinati ſunt, quam terras, exilii tantum mapalia referant.* Ad hunc certe modum VOGELII noſtri nativitas ſeſe habebat. Quanquam & civitatis *Noribergenſis* propriæ quodammodo conditioni non inconveniens fuerit: utpote quam rerum arte manuque factarum ſolertia & celebritate, caput, præter ceteras totius Germaniæ urbes, incredibile quantum, extuliſſe, totoque orbe concelebrari, nemo eſt, qui neſciat. Opificem nempe & noſter habuit parentem, virum integerrimum, *Joh. Vogelium*, eodemque proinde prænomine inter ſuos notum & laudatum. Opificii, quod exercuit, genus, ex eorum numero fuiſſe accepimus, quod præcipue in hac alma Artificum matre frequentatur, dum faber videlicet fingendorum fundendorumque ex aurichalco inſtrumentorum & utenſilium peritus extitit. Speciatim vero ad eam claſſem (nam in plurimas hæc opificum ſocietas heic diſpeſcitur) connumeratum eſſe memoriæ proditum legimus, quæ in Annulis æneis formandis adornandisque b) fere unice deſudat, atque hinc etiam nomen ſingulare ſortita eſt. Matrem puer amplexus eſt *Barbaram* natam *Welderiam*; Eam vero, cum nondum ex ephebis exceſſiſſet, morte præmatura infeliciter amiſit. Humilem ergo naſcendi locum cum plerisque Noribergenſis Eccleſiæ eruditis, qui meritis ſcriptisque ante ipſum inclaruerant, communem habuit. Neque id dedecori fuit VOGELIO, ſed cum poſtea aliquatenus emergeret, inter virtutis documenta & non poſtremas laudis partes id ipſum ponendum duxit. Similiter uti *Vito Theodoro*, Patre Sutore, *Hieronymo Beſoldo*, Pellione, c) *Cornelio Marci* & *Andr. Vnglenkio*, Sartoribus, *Joh. Sauberto*, ſeu, uti primis annis nomen ipſe ſuum expreſſerat, *Sauperto*, Fabro lignario, aliisque aliunde, ſorte tamen æquali, natis, deinceps vero altius evectis, non dehoneſtamento, ſed ſummo id honori fuit. Ne quid de recenti-

a) In *Vmbra* Jo. *Sauberti* f. 6. form. minori 24., procuſa & Memoriis quoque Theol. *Wittianis* inſerta.

b) Alii enim candelabris, alii menſuris, alii formis conficiendis, quibus ceteri metallum liquefactum infundant, ut figuram certam recipiat, alii tornandis & poliendis id genus operibus fabrefactis operam dare ſolent. Illi, de quibus h. l. agimus, *die Ringmacher*, vulgo dicuntur.

c) Utroque *Lutheri* convictore, quorum vitam fataque D. V. alias ex inſtituto deſcripta dabimus.

centibus, &, qui superstites sunt, in eadem patria, Viris gravissimis, atque antiquioribus, alio digressis, dicamus, haud absimilis fortunæ parentibus genitis: quos enumerare longum esset. Verum enim esse, omnes, opinor, suo calculo, sine operosa demonstratione, probabunt, quod de Principe Græcorum Oratorum *Demosthene*, cujus pater cultellos vendiderat, nonnemo censuit: *Cum multi sæpe ab avis & atavis laudentur, ut ramorum sterilitatem fœcunda radix compenset, &, quod in fructu non teneas, mireris in trunco:* ita ex adverso, inter literatos non minus, quam sangvine nobiles, *solam esse*, quæ ornet, atque *unicam virtutem.* a)

§. V.

PEVSCHELIO paullo quidem magis spectabilis hac in parte contigit fortuna, sed quam felicitatem, si qua est, parum abfuit, quin minus fausta animi cultura b) longe atrociori eique contrario vitio conspurcasset. Genitorem ille veneratus est Virum de Ecclesia Noribergensi optime meritum *Lazarum Peuschelium*, *Ægidianæ* in ipsa Urbe Ecclesiæ primum, & posthæc denique *Laurentianæ* parochiæ, Presbyterum, antehac vero *Eltersdorffensium* c) Pastorem. Qui, cum A.S. R. 1622. vivere desierit, (quo anno d. 26. VIIbr. pie defunctum esse accepimus,) tristissimi generis adversa, quæ filio obtigisse suo deinceps loco narrabimus, & ipse participans, ingentem exinde moerorem contraxit: utut, quod tacere non decet, in dehortando et commonefaciendo gnato nihil eum reliqui fecisse certum sit. Dignus autem non solum hic Parens videtur PEVSCHELII nostri, qui cum laude commemoretur; sed etiam Avus, ejusdem nominis, eodemque officio sacro clarus, *M. Lazarus Peuschelius*; quem jam A.1562 eadem, qua & Lutheri quondam Auditor & Osiandri gener, *Hieronymus Pesoldus* d), Ecclesiæ Laurentianæ Antistes, cujus ille PEV-

a) Permulta in his, quæ ad initia Vitæ *Vogelianæ* pertinent, nos generi posthæc grati, *Guolffg. Gundlingii*, orationi funebri debere, & ipsi grati profitemur: De qua Cap. IV. plura convenientiori loco commemorabimus, totamque, si res ita ferat, subjiciemus ad calcem forte typis recusam.

b) Cum novarum rerum cupido affectu, & haud vulgari obstinatione animi, uti seqq. nos edocebunt eventus, conjuncta: quippe quibus ille morbis magis, quam *Vogelius* longe profecto placidior, & docilior, (nihil damus τῇ ϛοργῇ), laboravit.

c) Qui pagus est non longe a civitate dissitus, alteroque lapide fere inde distans, & media propemodum via, qua itur *Erlangium*, occurrens.

d) *Lutheri* Commentariorum in *Genes.* celeberrimorum, qua *partem alteram*, post obitum b. *Viti Dieterici*, Editor, & ipse quondam, ut Præfatio testatur, atque Celeb. Lubecensium Antistes, *Georg. Heinric.*

SCHELIUS quoque Presbyter fuerat, periit, peste a) e vivis abreptum Annales referunt. Idemque vel hoc nomine in præsenti non videbatur prætermittendus, quia, nisi et ipse Lutheri discipulus fuit, certe a prima tempestate Ecclesiæ Christi, ejus ministerio a sordibus repurgatæ, locata opera commendandus venit. De Matre JOACHIMI nihil adhuc rescire potuimus, (neque etiam eam accuratius nosse multum interest) præterquam *Elisabethæ* nomen, & ultra nomen unum illud omni sane laude efferendum, quod, quam primum de filii aberratione a divinæ veritatis tramite, at sero tamen, et cum *Jenæ* jam commoraretur, certior esset facta, & ipsa, literis ad eum iterum iterumque datis, in viam revocare inde seductum, omni contentione, divinissimis argumentis, & obtestationibus ardentissimis laboraverit. Cujus studii permulta, cum a Patre, tum vero etiam a Matre plurima, transmissa αὐτόγραφα, b) inter reculas *Peuschelianas* non multo post reperta, testes maternæ hujus curæ pariter & paternæ solicitudinis fuerunt. Quanquam etiam, in custodia filii postea haud omnino cessasse, sed ad lætam usque catastrophen continuatam hanc fuisse ad frugem eum reducendi industriam, suo deinceps loco memorandi occasionem nos adepturos, speremus. Sed nec *Fratres* indictos abire fas est, quorum alias vix tam commodus dabitur commemorandorum locus. Namque & hos in erroris *Sociniani* funestum consortium pertrahere, quæ fuit depravati animi pervicacia, *Joachimus* conabatur. Et ea quidem ætate, qua alter eorum, minor nempe natu, vix integrum trimestre spatium *Altorphi* literis operam dederat; alter vero longius aliquanto ibidem, incertum cui studiorum generi deditus, vixerat. Quod cum utriusque post mortem, (quæ majorem, *Andream* PEUSCHELIUM, d. 29. IXbr. A. 1613. abripuit; Juniorem vero d. 17. ejusdem Anni e vita abstulit,) perscriberet noster ad *Joh. Crellium*, non sine summæ ægritudinis testificatione id executus est; ita quidem, ut hac addita ratione primaria se magnopere commotum hoc infortunio perhiberet, quod de minori potissimum *spem non vulgarem concepisset, fore, ut suo tempore ad Christum*, scilicet! adduceretur

Goezius, de *Domesticis Lutheri* L. pluribus addocuit, ejus ad tempus *Convictor*: De quo alibi ex instituto disserendi spes est.

a) Ex quo pestilenti morbo 9233. homines tunc Noribergæ periisse memoriæ proditum est.

b) Quæ vero, si superant, ubi jam delitescant, ignoramus, integra. Certe omnino ea periisse, est, cur dubitemus. Utut sit, argumenta tamen eorum excerpta legere nobis singulari fortuna licuit: quæ h. l. candide cum B. L. communicamus, & inposterum sæpius ad ea provocaturi sumus.

retur a). Atque ſic tandem, enumerata etiam *Peuſcheliana* progenie, ubi ſimul cognominum diſcernendorum a *Joachimo* noſtro opera defuncti ſumus, fidem noſtram ante datam liberavimus. Quæ quoniam poſteritate ejusdem, ſi quæ fuit, nonnulla alibi addere conſtitutum eſt, ſufficere hactenus poſſunt.

§. VI.

Educatio amborum origini non impar fuit, hoc eſt talis, quæ Cives honeſtos decet, neque lauta, neque etiam abjecta; ſed mediocris, & ad excolendos animos pueriles in neceſſariis ad hanc vitam elementis rudimentisque informandis attemperata. Quam felicitatem, ceu dictum eſt, cum augeret maxime Parentum PEVSCHELII lautior conditio, eorumque, donec adoleſceret, in vivis conſervatio, ex adverſo domeſticum malum *Vogelium* affligens, mors puta matris, paullo, ut poſtea animadverſum eſt, maturior, quam e re filii eſſet, inſigni ægritudine contaminavit. Quanquam enim, quod fuit jam tunc, & olim quoque Patriæ Reipublicæ Ornamentum, Scholarum copia maxime ſpectabilis erat, quarum illa partim originem, partim emendationem, *Luthero* atque *Philippo*, ſacri laboris ſociis, debet, noſterque adeo VOGELIVS in iisdem non ſpernendos profectus, ætati ſuæ congruentes, fecerat, tamen parum abfuit, quin in ipſa herba ſucceſcens ingenii vigor, rebus anguſtis domi exiſtentibus, opprimeretur. Etenim jam conſilium inierat animo fixum pater, de abſtrahendo filio a ſtudiis literarum etiam invito, & in tonſtrinam, ut ut in alia is omnia iret, detrudendo. Cui rei percommoda videbatur Patruelis *Martini Früh* experientiſſimi Viri, & Chirurgi Noribergenſis præſtantiſſimi, cognatio. Huic igitur ut operam daret puer juſſus, dici non poteſt, quantopere res ſuas converſas eſſe triſtis exiſtimaverit. Sed, quod ſolius genitoris reverentia ſuſceperat vitæ genus, ex improviſo non multo poſt commutatum vidit, cum arti perdiſcendæ intentus, qua ſalus hominum externa promoveretur, ipſe Liberatorem nactus eſt, divino plane beneficio καὶ ἀπὸ μηχανῆς quaſi apparentem, *Antonium Neudörfferum*, Civem Norimberg. & in Arithmetica arte exercitatiſſimum, Ludique Germanici, ut vocant, Moderatorem b). Hic enim cum forte quaſi fortuna in eum incideret,

a) Hæc quoque ex memoratis paullo ante Eclogis nobis cognita ſunt, bonaque fide narrantur, nemini alioquin haud dubie perſpecta aut memorata.

b) Cujus vel ideo mentionem h. l. facere nobis viſum, quod Patrem *Joh. Neudörfferum* veneratus eſt, ex MScto *De Artificibus claris Noribergenſibus*, quod *in not.* ad Epiſt. *Grynæi* a Cl. *Apino* ed. f. 204. laudatur, ſed juſto brevius, quam ut ar-

ret, officinam tonſoris ingreſſus, librosque ſumma induſtria verſantem deprehendiſſet, petiit confeſtim a patruele ante laudato, ut tradere ſibi, quem animadvertiſſet tam ſedulum, & libris impalleſcentem, juvenem non gravaretur. Quo facto, perſpectaque ex eo tempore optima indole VOGELII noſtri, non ſolum bonam hanc mentem, egeſtatis alumnam, lubentisſime ſuſcepit; ſed etiam liberaliter humaniterque ſoſumtu ſuoliius enutrivit, conatusque honeſtos ad altiora aſſurgendi laudabiliter adjuvit. Paria ergo noſter fata expertus cum Michaele *Walthero*, populari ſuo, a mercatura, Salomone *Gesnero* ab aurifabrica, Wolffg. *Muſculo* a textura, Joh. *Oecolampadio* a negotiationibus vagi mercatus, Joh. *Cluvero* a ſartoris opificio, Valer. *Herbergero* a ſutorum præexercitamentis, Petroque illo *Moſellano* ſimiliter ex matris tonſtrina a) vindicatis, & ad meliora perductis protractisque haud vulgaris eruditionis Theologis atque Philologis. Immo quod propius ad hanc ætatem accedit, cum Joh. *Sauberto* communi propemodum ſorte, ſicuti & amicitia noſter ejus ſingulari, uſus eſt, quippe quem puerum e Molendino *Hagenhuſano* prope *Altorphium* Muſis redditum eſſe, vitæ ejus annales itidem ſignificarunt b). Super hæc vero VOGELIO etiam noſtro ex vetuſtisſima nobiliſſimaque gente Pfinzingia, *Mart. Sigfr. Pfinzingl* pientisſima vidua, novas ſua ſponte attulit ſuppetias; utpote quæ, ſicut antehac poſt matris exceſſum, ita nunc quoque ad Juvenis hujus cultum ingenii, æque ac corporis, promovendum omni ſtudio elaboravit. Quo etiam factum eſt, ut ad plantæ inſtar, leni pluvia rigatæ, his beneficiis ſuſtentatus indies lætius progerminaret. Qua amplificatione cum non tantopere in familia paterna indigeret PEVSCHELIVS, nihil hujusmodi præſto eſt, quod de ejus annotemus pueritia, niſi quod plurimum Suſceptori e fonte Sacro, & Mercatori apud Norimbergenſes ſpectatisſimo, *Joachimo Kleewein*, ſe debere aliquando c) publice eſt profeſſus; quæ tamen benefacta, qualia fuerint, cum particulatim ille non enumeraverit, paucis indicaſſe ſufficiat.

§. VII.

gumenti ambitum exhauriat, exiſtimamus, celebrem.

a) Adderemus etiam ex poſteris nepotibusque *Vogelii* noſtri prorſus geminum, niſi Viri Summi J. P. G. P. R. B. C. J. Splendor atque Dignitas, qua nunc refulget, id prohiberet.

b) Conf. Vit. Theol. Altorph. A. 1722. publ. f. 166. & de *Eruditis opificia primum tractantibus* integras Diſſertationes Celeb. D. *Gözii*, atque C. W. *Löſcheri*, quæ proſtant, adde.

c) In Dedic. *Diſp.* quam Præſide *Georgio Königio* abituriens hinc publice propoſuit: de qua Cap. III. copioſius diſſeremus.

§. VII.

Eaque propter in ſcholam & ſubſellia tironum contendere, & in his Doctorum diſcipulorumque horum diligentiam luſtrare, majus operæ pretium erit. Heic VOGELIVM reperiemus, itemque PEVSCHELIVM, tirocinia tam felicia ponentes, ut commilitones permultos non æquaverint modo, ſed mirifice ſuperaverint. Clarebant adhuc ſub id tempus *Noribergæ* rudera Gymnaſii Aegidiani, quod a templo & monaſterio celebri, e cineribus nunc Dei gratia inſtaurato, Divoque Ægidio, medio jam ſeculo XII. a) ſacrato, & a Monachis *Benedictini* ordinis, *Scoticæ* gentis, infeſſo, id cognomen tulit, atque poſt translationem in oppidum Altorphinum factam, ſtabilitamque illic paullo poſt Academiam, Scholæ quodammodo vulgaris (trivialem vocant) formam ea tempeſtate induerat. Hujus olim quidem maxima fuit celebritas, poſtea quam ipſe *Philippus Melanchthon*, cum Doctoribus primis famigeratiſſimis, *Ioach. Camerario* b), *Eobano Heſſo* c), *Mich. Rotingo* d), *Joh. Schonero* e), & *Joh. Böſchenſteinio* f), A. 1526.

a) Auſpiciis potiſſimum *Conradi III.*, e Suevica gente Imperatoris primi ac fortiſſimi, A. 1140. conditum. De quo, Abbatumque ejus numero, *Gaſp. Bruſchius* in *Monaſter. Germ. præcip. Centuria* f. 48. ſqq. conferatur: cui de *Incendio Ægidiano* Oratio AltorphI A. 1696. recitata addatur.

b) His ipſis diebus cum annum ætat. ageret XXVI. e *Boruſſia* reverſo, & Græcarum litterarum atque latinæ lingvæ Doctore conſtituto, ductaque interim uxore A. 1534. hinc *Tubingam* avocato.

c) Nobiliſſimo illo *Poëta*, poëtarum equo, pegaſo, & vino æque feliciter vehi ſolito, *Erfordia* huc accito, & in eandem Univerſitatem A. 1533. redeunte.

d) *Sulzfelda Franco*, *Lutheri, Philippi* & *Hieron. Baumgartneri* commendatione XII. Alumnis præfecto, atque Gymnaſii Rectore primo in Epitaphio etiam dicto, nunquam tamen Theologicam Profeſſionem, quæ t. t. nulla fuerat, niſi, in quantum Alumnos ſuos ſacra quoque docebat, adepto, & ingratiis Illuſtris Senatus controverſiis Theologicis ſeſe immiſcente, ac tandem A. 1576. ob ſenium ingraveſcens rude donato, dieque XX. Maji. A. 1588. æt. 94 pie defuncto.

e) *Caroloſtad. Fr.* Mathematum Prof. Aſtrologo inſigni, & ſcriptis quoque claro, atque A. 1547. d. 16. Januar. Noriberg. ex hac vita evocato.

f) Qui male ab aliis, & in MSCtis præſertim Noriberg. Chronicis, *Bodenſtein* dici & ſcribi ſolet. Quis vero *Böſchenſteinius* iſte fuerit, homo vagus & ἑτερόκλιτον caput, patria *Eslingenſis* & Chriſtianis, non Judæis, parentibus natus, ſed Hebrææ linguæ ſingulariter gnarus, atque breviſſimo tempore etiam Witteberg. A. 1518. & 1519. Ebr. linguæ antehac Prof. Publ., de reliquo *Joh. Reuchlini* diſcipulus, & quæ ſunt reliqua, videri poſſunt in *S. Rev. Dn. Serpilii, Antiſtit. Eccleſ. Ratisb. Evang. celeberr.* Unterſuchung, quis autor ſit cant. notiſſimi: *Da Jeſus an dem Creuze ſtund &c.* ubi vita & fata ejusdem fuſe enarrantur. Quibus S. Rev. D. V. E. *Löſcheri* Docum. Reform. T. II. c. X. f. 388. itemque Venerandi J. M. *Kraffitii* Antiſtit. Huſumenſ. *Hiſt. Eccleſ. Huſumenſ. & primæ Ed. Verſ. Luth. Germ. N. T.* f. 54. ſqq. & Dn. J. C.

1526. d. XXIII. Maii, oratione luculenta, ejus auſpicium fecerat. a) At poſtea non nihil decrevit, ob cauſſam jam ante commemoratam, ejus frequentia. Poſt reſtitutionem vero priſtini decoris, quem A. 1633. Perilluſtris Senatus maxima munificentia recepit, læto ſucceſſu refloruit, & adhuc, poſt incendium A. 1696. fatale, non multo poſt A. 1699. reſtauratum, ſolenniterque denuo apertum b), inſigniter floret. Sed præter hoc bonarum literarum Muſeum ſunt in Ampliſſima Civitate *Triviales* aliæ, *Sebaldina* videlicet, *Laurentiana*, *Xenodochiana ad Sp. S.*, & his paullo inferior artium bonarum palæſtra, *Jacobæa*, a templis primariis ita dictæ, formandæ pubi in Humanitatis ſtudiis, juſto Claſſium ordine eleganter diſpoſitæ, atque jam ante Repurgationem Eccleſiæ maxima ex parte florentes. In harum prima, quæ a *Sebaldina* Æde, eaque parochiali præcipua, nomen gerit, tum feliciter efflореſcente, noſter rudimenta ſtudiorum didicit V oGELIVS; PEVSCHELIVS vero, quod conjecturis duntaxat, ſed non levibus, ſcimus, in altera Parochiali *Laurentiana* tyrocinia artium bonarum poſuit. Ille quidem in Claſſibus ſuperioribus diſciplina uſus M. *Bernhardi Oſterbauer*, Lippienſis Weſtphali, Conrectoris, ſeu, quæ forma eo tempore uſitata erat loquendi, Supremi, atque *M. Andreæ Bohemi*, diſcipuli quondam *Melanchth.* & Laurentiani c) primum, deinde Sebaldini, Rectoris, atque Poetæ feliciſſimi. Hic vero ejusdem *Bohemi*, tum *Viti Burgeri*, cui Epiſtolas Philippi, quas *Joh. Saubertus* publicavit, ſtudioſe conſervatas eruditus orbis d) debet, doctrina profecit. Reliqua conſulto prætermittimus.

§. VIII.

Olearii de Cantic. laud. Relat. coll. *Recenſ. Nov-Antiqv.* A. 1722. f. 1087. addantur. Norimberga, poſtquam hanc ſpartam, ab Andr. *Oſiandro* amiciſſimo commilitone commendatus, ornare cœpit, etſi de anno abitus non conſtet, mature tamen, uti ſolebat, denuo ſuperciliosſus homo exceſſit.

a) Vid. *Philippi* T. I. Declamationum, ubi f. oratio iſthæc memorabilis, inter alias, typis impreſſa hodieque legitur.

b) Conf. *Piet. & Juſtit. Reſtit. ex Scholis*, Oratione Inaug. a b. *Joh. Sauberto* demonſtrata; Quæ cum *Philippi* illa Oratione prima, & Hiſtorica enarratione de Gymnaſii hujus orig. Increm. &c. &c. a M. *Joh. Held*, Rect. & Prof. Ebr. Lingvæ A. 1673. typis ſubjecta eſt. Cui nuperrimum *Eruditionis Pretium inter utrumque extremorum medium*, a Celebr. t. t. Paſtore Ægid. Eccleſ., dein Nördling. Sacrorum Antiſtite, b. *J. C. Feuerlino*, orat. auſpiciali, poſtremæ inſtaurationis occaſione, recitatum, & 1708. publicæ luci expoſitum, addatur.

c) Antehac vero XII. puerorum, ſeu *Alumnorum* ad Sp. *S. Præceptoris*. Conf. §. ſq.

d) Compara Georg. *Richteri* Epiſt. ad *Saubertum*, quæ Epiſt. *Philippi Libro IVto* Noriberg. A. 1640. excuſo præfixa legitur. Adde & *Saubertinam* Epiſt. quæ inter *Richterianas* f. 173. comparet; ubi & proxime hanc ſequente pagina prior illa *Richteriana* recuſa extat.

§. VIII.

De Vogelio hæc ſigillatim notari merentur, quæ b. *Wolfgangus Gundlingius*, ejus poſtea gener, & ex *Oratione* hujus *parentali* a) *Freherus* retulere; fuiſſe illum in ætate teneriori & adoleſcente, ad publicas preces, in nuptiis recitandas honoratioribus, adhibitum. Quod ſingulare officium eſt, & vix cuiquam cognitum, niſi qui mores & conſvetudines Norimbergenſes apprime callet. Ad Muſicæ enim Ordinariæ ſelectioribus quibusdam hujus artis peritis demandata exercitia, inſtar appendicis cujusdam, id pertinet: quibus, cum ſint ex Illuſtris Senatus voluntate præſtantiſſimi illi Viri aut Adoleſcentes in nuptiis honoratioribus, vel aliis conventuum publicorum ſolennitatibus, deſtinati, acceſſit, ut quando alia aliis injuncta ſunt, is, qui graciliori voce, (*Diſcantum* vulgo vocant,) modulatur b), orationem ad menſam, antequam convivæ accumbant, recitet. Pro quo pietatis & devotionis miniſterio præmium quoque ſtatum fixumque is accipere ſolet. His itaque rebus factum eſt, ut vitæ honeſtius ſuſtentandæ, jam ab Anno ætatis duodecimo, ſubſidium aliquod nactus, non modo ſororem bonæ mentis, paupertatem, aliquo modo levarit, ſed etiam ſcite cantandi exercitatione non contemnendos progreſſus fecerit in Muſicis. Quibus vero adjumentis cum non tantopere opus haberet Peuschelius, nihil hinc ſuppetit, quod de juvenilibus annis, & ſcholaſticorum ſtudiorum decurſu peculiariter & particulatim annotemus.

§. IX.

Apertum fuiſſe jam præcedenti, quo nati erant ambo hi commilitones, ſeculo, inſigni admodum, quæ Inclytæ Norimb. Reipubl. propria laus eſt, munificentia, Ornatiſſimum *Athenæum* in vicino *Palatinatui* ſuperiori oppido, & Civitatis ipſius municipio, *Altdorff* c), paullo ante commemoratum eſt obiter. Anno vero cIↄIↄLXXV. a. d. II. Kalend. Qvintil. ipſo ſcil. SS. Apoſtolorum Feſto Petri Paullique memoriæ ſacro, inauguratum eſſe novum illud Lycæum, Orbi litterato ſatis cognitum, & publicis etiam ſcriptis teſtatiſſimum habemus. Ea vero, tametſi aliis æquiparanda haud videretur ſub initium, Schola

a) De qua ad Cap. IV. mentio erit facienda.

b) Qua in re pari fere fato, quo & *Smalcius*, *Photini* γνήσιος pullus, in adoleſcentia, uti ex vita ejus elucebit, uſus eſt.

c) Cujus urbis de reliquo origines & fata a D. Jo. Jac. *Bajero* noſtro, Medici ordinis non ſolum, ſed omnis litteraturæ melioris decore, deſcripta extare, eademque quarta, quam vocant, forma typis ſubjecta prodiiſſe A. 1714., conſtat.

la, poſt elapſum fere luſtrum ad dignitatem Academiæ evecta; quippe non omni Privilegiorum apparatu, ſed primo duntaxat, Ordinis *Philoſophici* honorum, & *Pöeticæ Laureæ* diſpenſandorum jure & Academiæ titulis a) nobilitata; attamen & reliqua A. 1623., & A. 1697. denique etiam *Theologica*, ſero quidem, ſed gravioribus de cauſſis, b) quam vulgo fert fama mendax, acceſſere. His tamen non obſtantibus, tanta in luce nihilominus jam a primis initiis verſari coepit, ut catervatim iſtuc nobilisſimi politiſſimique Juvenes, non ſolum e Germania, ſed & ex locis atque terris longe diſſitis, externisque regnis, ingenti copia certatim advolarent. Hanc proinde & VOGELIVS noſter PEVSCHELIVSque, divinis auſpiciis, ut patriæ, bonarum artium nutricis, & benignæ ſtudiorum matris, Filiam, adire ſecum conſtituerunt. Et VOGELIVS quidem Anno demum cIↃIↃCVIII. Rectore Acad. ſub id tempus *Georgio Queccio*, d. VI. *Martii*, adventans, inter Cives litteratos nomen eſt profeſſus; PEVSCHELIVM autem Anno integro, & quod excedit ante, videlicet, d. X. VIIIbr. A. cIↃIↃCVI. Rect. Acad. Per-Illuſtri, Domino *Chriſtoph. Gans, Bar. de Putliz*, & Pro-Rect. CL. per univerſum Orbem Jurisconſulto ac Polyhiſtore, *Conr. Rittershuſio*, in eundem civium numerum adſcriptum legimus. Neuter vero Icaro, (quæ *I. M. Dilherro* placuit imago,) ſimilis Academico fuit, ſed fundamentis recte poſitis, humaniorisque litteraturæ cultu prævio, &, quod ſpecimina jam ante edita oſtendunt, virtutum honeſtis ſtimulis ambo ad altiora contendentes, atque, ut Pötæ verbis utamur: *ante annos animum gerentes curasque viriles*, ſpem non vulgarem de ſe concitabant. Nova hoc loco providentiæ divinæ beneficia experti tandem alacrius in bonis artibus litterisque progreſſiones fecere, quanto latius apertæ tum erant *AltorphI* Muſarum januæ. Caput effert, inter alia laudatæ ſtudiorum Univerſitatis ornamen-

a) Una cum ſceptris Academ. Rectorisque elogio, quo Magnificus jam dictus eſt, omnium item Facultatum, ut vocant, juſto numero ac diſpoſitione, & ſimilibus: ad eum fere modum, quo paullo ante *Argentoratenſes*, quos *Noriberga* æmulabatur ſimilibus bene ficiis affecti erant, univerſitatis privilegiis paullo ante Altorphinam demum condecorandi.

b) Ex eorum videlicet, qui plurimum in aula Cæſarea tum valuerunt, ingenio et voto, quorum aliquis etiam *Vitam Ferd. II.* Cæſ. glorioſiſſimi deſcripſit, facile colligendis. De qua cauſſa genuina, & commentitia aliorum calumnia malevolorum rejecta, pluriumque Acad. exemplis, legatur Excell. *Rinkii*, noſtri Diſſ. de *Imperatt. primis ſolis & perpetuis Acad. in Germ. Auctoribus P. II. §. II. f. 36. ſqq.* Quibus Obſ. Hallenſ. Lat. & Tom. quidem VI. Obſ. XIV. f. 126. ſqq. addi poſſunt. De Academiarum certe *Viennenſis* & *Roſtochienſis* fatis haud diſſimilibus res notiſſima eſt.

namenta *Contubernium Studioſorum XII.*, qui ſingulari Munificentia *Illuſtris Senatus* hodieque ſuſtentantur, Alumni vulgo vocantur κατ' ἐξοχὴν, & vernaculo ſermone *Duodecim Puerorum* appellatione in omnium fere ore verſantur. Hi cum primum A. cIↃcccxxIII. eodem numero, eademque nomenclatura, cum cognomento *Choralium*, ad devotionem in templo Muſica arte alendam, lecti eſſent deſtinatique, ac κοινόβιοι in Noſodochio ædeque vicina *ad Sp. S. Noribergenſi*, *Conr. Grosſii* ſumtu præcipue jam tum Sec. XIV. conſtructis, vixiſſent; Ægidiani poſtea a) Gymnaſii primis Doctoribus, poſt ſacrorum emendationem, ut ſupra docuimus, conſtitutis, commendati, & tandem *Altorphium*, veluti primum Academicæ erigendæ Examen & quaſi *ver ſacrum*, perducti translatique ſunt. Præfuit iisdem omni tempore Vir aliquis doctus *Inſpectoris* titulo, olim *duodecim Puerorum Præceptoris* nomine cognominatus, idemque Artium & Philoſ. Magiſtri nunquam non honoribus condecoratus. Huic docendi & diſciplina liberali ſingulos continendi officium, una cum honeſto ſtipendio & convictu communi, injunctum eſt b). Eo Præſide, præter convictum liberalem, & habitaculum commune, (in quo juſto ordine cellulis diſtincti, eodemque dormitorio uſi, in ſuprema contignatione Collegii Academici deliteſcunt,) variis fruuntur ſubſidiis, v. gr. lignis, candelis, amictu etiam poſt annos ternos repetito, ſimilibusque aliis compendiis, & legibus denique ingenuis devincti una vitam degunt. In iſthoc ergo liberale conſortium utrumque horum Juvenum, de quibus ſermo nobis eſt, Procerum ſummorum liberalitate adſcitum accepimus. Neque infauſto tempore, aut ſidere infelici, quod ajunt, id accidiſſe, niſi ex accidenti ſecius quid eveniſſet, dixeris. Etenim poſt breviſſimam *M. Leonh. Lemmermanni*, Claſſici p. p. Profeſſ. & Noribergenſ. dehinc ad *D. Sebaldi* Rectoris, inſtitutionem,

mox

a) Cum quo Schola ad Sp. S., poſtquam Profeſſores in Auditorio peculiari adhuc docentes diſceſſere, tam arcte ob hanc ſocietatem priſtinam connexa manſit, ut, Gymnaſio Ægidiano deinceps ab A. 1575. usque ad A. 1633. d. XI. Febr. in ſcholam trivialem ad tempus converſo, communibus etiam beneficiis permultis fruerentur *Ludus* ille *Ægidianus* & *Xenodochianus*. In quibus illud ſigillatim numeramus, quod inſtituta per plateas hymnos canendi ſacros conſvetudine, omnibusque ſcholis Noribergenſibus indulta hac A. 1588. d. 4. Auguſti libertate, ex qua ſuſtentandis ſcholaſticis largam provenire & colligi ſtipem conſtat, utraque hæc ſchola conjunctim idem agere, & præmiola accepta partiri juberetur.

b) De quibus, poſt Academiam conditam, notioribus quia longum eſſet h. l. commentari, multoque priores hisce enumerare difficilius, *Acad. Altorph. Gloriam* b. *Omeiſii* aliqua ex parte conſulere jubemus.

mox ſucceſſit Eruditiſſimi Viri, *M. Jeremiæ Hölzlini*, ſeu *Liguelli*, a) dexteritas: cui Præceptori inde ab A. cIↄIↄcIx. operam ambo dedere, ejusdemque *Collegio Diſputt. Ethicarum*, quod typis proſtat, nomen ſuum poſteritatis memoriæ inſcriptum conſecravere. Et quanquam ejus quoque jacturam facerent, Ambergam inter hæc avocati, (unde Tremoniam Weſtphalorum, atque Lugdunum tandem Batavorum, ſed non ſine ſuſpicione *Calvino-Reformatæ* confesſionis, jam ante *AltorphI* clam approbatæ, migravit, publica illic Profeſſione aliquandiu defunctus,) tamen *M. Joſ. Weisſii*, ſeu *Albini* b), induſtria, quicquid ſibi deceſſiſſe putaſſent, abunde expletum eſt. Ex cujus auditorio, haud minus, quam Hölziinianum erat, celebri, atque ipſo ſimul contubernio, uterque, & VOGELIVS quidem cum teſtificatione *Veteris amici* in Philotheca ſuperſtite, tandem exceſſere. Quo de abitu commodiori loco plura, & notabiliora quædam, exponenda erunt. Quemadmodum vero ſtudia litterarum utriusque horum juvenum inciderant in ea tempora, quibus laudabiles ipſorum proficiendi conatus adjuvandi uberrima occaſio in *Athenæo Altorphino* extitit: ita contra nonnulla intervenere quæ felicitatem hanc contaminarunt maxima quadam & lugubri ægritudine, eaque prorſus inopinata. De qua re inpoſterum ordine enarranda occurrent, quæ cum perquam inauſpicata utrique horum, aliisque pluribus ſodalibus, acciderint, triſte hujus Hiſtorici laboris noſtri argumentum datura, nunc, quæ reliqua fuerint optimarum mentium, de quibus ſermonem inſtituimus, in ſtudiis præſtantioribus incrementa, ediſſerere oportet. Ad compendia diſcendi jure optimo referuntur eximia illa Humanitatis & Eloquentiæ excolendæ exercitia, quæ prorſa ligataque oratione, hucusque, & longius adhuc, continuata ſunt, *Emblematumque Altorphinorum* titulo ad annum usque cIↄIↄcXVI. producta procuſaque habentur. Et quamvis *Gymnaſio* ea progymnaſmata cum congiariis fuerint propria, adhuc quippe cum Academia c) conjuncto; qualia tamen inter ſeveriores Muſas a Profeſſoribus publicis actitata ſint, non obſcure ſignificant. Ab his vero ſi diſce-

a) Ita enim ex conſuetudine ſuperioris ævi non raro, & in ipſis quoque *Diptychis Academicis*, nomen ipſemet exſcripſit ſuum. Cujus de reliquo vitam & fata *Ambergenſia, Brielana* & *Lugdunenſia* in *Batavis*, ubi A. 1641. d. 25. Januarii *Apollonio Rhodio* ſuo immortuus eſt, P. *Bælius* per compendium enarravit, ex oratione Thyſiana decerpta.

b) Ita enim hic quoque ſæpius vocari maluit, nomenque ſuum ipſe ſubinde exſcripſit.

c) Quæ tamen præter iſtos *Profeſſores*, ut vocabantur, *claſſicos*, etiam omnium

diſcedas, ecquis ignorat lumina hujus Academiæ ea tempeſtate clariſſima a), *Michäelem Virdungum*, Oratorem, Pöetam & Litteratorem incomparabilem, atque in re quoque domeſtica pertenui b) ſtrenue philoſophatum? Cujus utinam Carmina & Msčta alia, quæ adhuc ſuperſunt, hinc inde diſperſa omnia, lucem adſpicerent, ingenti Reipubl. litterariæ uſui futura! c) Quis neſcit G. *Mauritii* Jun., Caſp. *Crucigeri* Sen., & *Luthero* amiciſſimi ex filia nepotis, atque G. *Mauritii*, Adj. quondam Philoſ. Ord. Witteb. Stirenſis hinc in Auſtria Gymnaſii, ac Scholæ denique ad Sp. S. Noriberg. Rectoris, filii, primæque Claſsis t. t. Prof., ut appellabantur, Claſsici, dulce melos? Cujus inprimis opera & manuductione VOGELIVS uſus eſt in Poëtica arte, ad quam natura propenſus, & Noribergæ jam ſatis feliciter adſvefactus erat. Quis *Georg. Queccium*, Græcam litteraturam cum Morali Philoſophia ea tempeſtate profeſſum d), ac dilucide ſolideque diſputantem, facundoque ore diſſerentem, vel ex orationum & Exercitationum, quæ diſputandi materiam præbebant, reliquiis non admiretur? Ut taceamus *Johannem Prætorium*, Joachimicum, Mathematicarum diſciplinarum Doctorem e) perſpicuum & pereximium; quo Brabeuta & Decano PEVSCHELIVS, demonſtrata, ut moris erat,

ordinum, ſeu *Facultatum*, ut vulgo loquimur, *Profeſſoribus tribus, aut quatuor* (niſi quod Medica binos utplurimum ea tempeſtate habuit) exornata, & *Rectoris* quoque annui, titulo Magnifici, dignitatibusque hodie conſvetis, atque ceteris ornamentis conſpicui, regimine gubernata fuit.

a) Etenim ſi ceteros etiam omittas, ea Piccartos, Siegelios, Hildericos & Volcartos, Sprembergeros item ac Jordanos, *Theologos*, Freigios, Buſereitios, Giphanios, Weſenbecios, Donellos, Scipiones Gentiles, Hübneros ac Rittershuſios, *JCtos*, Taurellos, Scherbiosque, *Medicos*, aliosque Viros per orbem celebratiſſimos oſtentabat. Nobis in Philoſophico ordine, poſt multos alios jam pie defunctos, tunc temporis Doctoribus claritate fulgidiſſimis ſpectatiſſimo heic conſiſtere aliquantisper lubet.

b) Vid. Epiſt. G. *Richteri* f. 310: Ubi *Virum præclariſſimum ſed meliori fortuna digniſſimum* vocat, *bonæque mentis ſororem* ei tribuit, queſtumque de ea forte conſolatur. Add. f. 330. &c.

c) Quibus addi poſſent Jani *Gruteri*, Joh. Frid. *Gronovii* Noribergæ tum degentis, Matth. *Berneggeri*, H. *Busſii* aliorumque ad eum, quæ præſto ſunt, Epiſtolæ MSctæ, non paucæ, dignæ ſane, ut in lucem publicam ederentur.

d) Diſcernendum proinde a Gregorio *Queccio*, filio, *Med. & Phyſ. Norib.* & *Libri* præclari bonæque frugis pleni, *de Præſtantia & Nobilitate hominis*, auctore: qui prodiit Norib. 1632. quo & ipſe auctor diem ſupremum obiit.

e) Quem a familiaritate & intima amicitia potiſſimum magni A. *Dudithii*, Quinque-Eccleſienſis olim Epiſcopi, nobilisque Concil. Trident. quondam membri, tum vero Reformatorum atque hinc Socinianorum quoque partibus, uxore interea ducta, accedentis, commendat Joach. *Paſtorius* in Vita Crelliana.

rat, ante, ſolemni oratione, ad eos recipiendos habilitate requiſita, *Philoſophiæ Baccalaurei* honores conſecutus eſt, quemadmodum Programma A. cIↃ IↃ cx. d. XIV. Kalend. Januar. publice propoſitum a) nos edocuit. Hi enim ſub id tempus tituli Candidatis tributi adhuc ſunt ſolemni ritu primi, qui deinceps in hac peræque, ut in aliis Academiis, incertum, qua de cauſſa, intermiſſi evileſcere coeperunt. Quanquam vero latisſimus heic dicendi campus patet, quia tamen pauciſſimis verbis res expediri poteſt, ſequemur, quantum licebit, in prædicanda horum Doctorum excellenti virtute compendium, eorumque auſpicacisſimo ductu noſtros lætiſſimis incrementis in variis eruditionis partibus præclare profeciſſe, ingentemque futuri in Rempublicam Eccleſiamque commodi exſpectationem oſtendiſſe affirmabimus.

§. X.

a) Quod, uti p. p. *Peuſchelii* memoria eſt conſecratum in præſenti ſimiliter typis ſubjectum legere haud pœnitebit:

M. JOHANNES PRÆTORIVS, Decanus Collegii Philoſophici, in Academia Altorfina, omnibus omnium ordinum Academicis, S.

„Quemadmodum Hippocraticum illud „ΜΗΔΕΝ ΕΙΚΗ ΜΗΔΕΝ ΥΠΕΡΟΡΑΝ, non ſo-„lum Medicis dictum eſſe volunt; ſed & Po-„litici hoc in ſuum territorium trahunt: ve-„lut non ita pridem, a Clariſſimis & Præ-„ſtantiſſimis Viris, eruditis & ſplendidis „orationibus declaratum eſſe audivimus „publice: Ita & in Repub. literaria nihil in-„tempeſtive contemnendum eſſe arbitra-„mur. Cumque Legibus Academicis cau-„tum ſit, ut crebra fiant examina; Privile-„gia quoque Cæſarea, huic Academiæ con-„ceſſa, præmia concedant iis, qui in primis „artium bonarum exercitiis, ad ſublimio-„rum tamen ſtudiorum tractationem ne-„ceſſariis, non pœnitendam operam poſue-„runt: officii noſtri eſſe putavimus, ut ſtu-„dioſos honeſtos & idoneos, ad primam „Lauream petendam, ſuperioribus diebus, „affixo programmate invitaremus. Quorum e numero, quatuor ſunt reperti, quo-" rum nomina ſubjunximus, qui morum in-" tegritatem, induſtriam, ſuosque in ſtudiis" progreſſ9, deſignatis examinatoribus pro-" barunt ita, ut digni viſi ſint, qui non mo-" do laudarentur publice, ſed ut illis Bac-" calaurei quoque gradus tribueretur. Quæ" renunciatio, cum futura ſit die craſtino," hora VIII. in Auditorio Philoſophico:" Rogamus Illuſtrem Magnificum Dn. Re-" ctorem, Magnificum Dn. Prorectorem," anteceſſorem Clariſſimum; Generoſum" Dn. Baronem: Reverendos quoque Cla-" riſſ. D. D. Doctores & Magiſtros, Acade-" miæ Profeſſores obſer. Generoſos quoque" Nobiles & Ornatiſſ. D. D. Studioſos, ut" candidatorum honori favere, & hunc" actum ſua præſentia condecorare non de-" dignentur. Quod officium nos cum ipſis" candidatis grata mente celebrabimus, &" quavis data occaſione referre ſtudebimus." P. P. XIV. Cal. Januarii. MDCX."

Nomina Candidatorum:

Bernhardus Planerus Noribergenſis.
Joachimus Peuſchelius Noribergenſis.
Johannes Fiſcherus Ratisbonenſis.
Georgius Göringerus Grefenbergenſis.

§. X.

De ſolo Michäele Piccarto a) non poſſumus quin ſingulariter prædicemus in utrumque & univerſam Civium coronam hoc ævo illuſtrisſima omnium merita. Quamvis enim illum Peripateticæ Philoſophiæ duntaxat exornandæ, pro genio ſeculi, cum cæteris acutisſime operam ſingulariter laudabilem navaſſe conſtet; tanta nihilominus, in ea ſervitute, vel ſolius *Organi Ariſtotelis* explicandi cura fuit, & dexteritas, ut cum ratiocinandi artificiis, dicendi perſpicuitatem & diſputandi ἀκρίβειαν auditores ſimul addiſcerent. Vt taceamus probatam in reliquis Philoſophiæ partibus, vel ſola *Introductione in Lectionem Ariſtotelis*, b) ſcientiam: unde Stagiritæ illius Philoſophi mentem a Scholaſticis ſcoriis repurgatam evolvere, atque ad ſuperiores diſciplinas recte accommodare poſſent diſcipuli. Qua tamen in re non deſudavit unice, ſed Politicis quoque & Hiſtoricis c) ſcholis exceptos bene inſtituit, neque Pöeticen denique & Criticam d) poſthabuit, quarum priori facultate, etiam primum publice tradita, ita excellebat, ut Collegas & æquales alios dignitate, atque ætate, ſi non ſuperaret, ſaltem cum applauſu omnium æquaret liberaliter. e) Idem vero, cum Pevschelivm maxime complexus

C 3 eſſet,

a) Joh. *Piccarti*, primi Theologiæ Prof. nec infeliciter, poſtquam Joh. *Juglerus*, præſtantiſſimus ſacrorum *Solsbacenſium* Antiſtes, invitatus huc venire detrectaverat, electi, ſed maturius vita & munere hoc ſuo p. p. defuncti, filio, Polyhiſtore ſub id tempus ſpectatiſſimo, cunctorumque pæne eruditorum applauſum promerito, etſi, cum alias in re lauta beneque aucta non poneretur, tam exiguo librorum apparatu inſtructo, ut, quod Catalogus librorum me docuit inſpectus, qui adhuc ſuperſtes eſt MSCtus, vix viginti florenorum Rhenanorum pretio dignus fuerit.

b) Novis deinceps auctibus A. 1660. & 1665. a terſiſſimo J. C. *Dürrio* locupletata: utpote qui fundamenta (textum vocant) a *Piccarto* poſita elegantiſſimis annotationibus illuſtravit.

c) Cujus induſtriæ teſtes ſunt *Obſervationes Hiſtorico-politicæ* Decadibus omnino duo de vinginti conſtantes: quarum XII. priores ipſe prælo ſubjecit; ſex autem poſtremas, A. 1621. Filii ſuperſtites in lucem dedere, poſthumas hinc dictas; omnes autem, communi eruditi orbis applauſu probatas, adhuc in pretio eſſe, nemo neſcit.

d) Cujus rei teſtes eſſe poſſunt *Pericula Critica* L. ſingulari comprehenſa, & in 8. atque 4. forma edita, aliaque plura hujusmodi ſpecimina: quæ quanti ſint facta ab eruditiſſimis viris, vel *Danielis Heinſii* judicio, ex Epiſt. ad noſtrum A. 1610. data, & in *Amœn. liter. Schelhornianis* T. IV. f. 522. impreſſa, elucet.

e) Videantur inter alia ejus *Promulſis*, *Miſſus ſecundi Oppiani* κυνηγετικῶν *LL. IV. Paraphraſis* metrica, & ſimilia. Utrum vero, quod nonnullis, ſed per meram ſuſpicionem, & haud dubie injuriam, viſum erat, & ipſe *Socinum* ejusque placita coluerit, alibi demonſtrabimus, & calumniam valde iniquam retundemus. Oe-

esset, ore calamoque promtum, & VOGELIO adjutor fuit svasorque, ut G. *Queccius* Baccalaurei primos honores, tanquam Decanus, præscripto d. XX. Xbr. A. R. S. cIↄ Iↄcxi. Programmate a), ei con-

casionem huic infamiæ sine dubio ex amicitia cum *Sonero*, & Carmine orationi ejus parentali subtexto, eoque tenerrimi affectus luculento indice, natam esse, colligimus. Sed falsam fuisse hanc de Viro insonte opinionem, animo quorundam præceptam, uti dictum est, commodiori loco ostendemus.

a) Quod, ne pereat, h. l. commode recusum damus:

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI in Academia Altdorphina
M. GEORGIVS QVECCIVS,
Lectori benevolo S.

„Naturæ congruere, cumque illa convenienter vivere, proprium virtutis munus & officium esse, constans & perpetua sanioris Philosophiæ sententia est. Quam si, ut par est, admittimus, illud quoque cur negemus nulla caussa est, ei qui virtutis parare ac tueri laudem velit, facta consiliaq; omnia ad Naturæ rationem atque imitationem diligenter conformanda & componenda esse. Hæc vero cum in rebus a se procreandis eum servet ordinem, ne in primo statim earum ortu, perfectionem illis tribuat: Sed per gratus certos, ab infimis ad ea, quæ intermedia, & ab his denique, ad ea, in quibus summa cujusque rei perfectio consistit, progrediatur: nobis quoque, si legibus illius parere volumus, ut aliis in rebus omnibus, ita etiam in honoribus persequendis & capessendis (quorum vocabulo etiam Academicor. Honorum Gradus, ut vocantur, intelligimus) hic idem optimæ parentis ductus & via sequenda erit, operaque danda, ut initio ab infimo potius illorum facto, ad superiores aspiremus, quam illo per contemptum præterito, ac fastidito, protinus ad hoc evolare contendamus Quod cum honesti & eruditi adolescentes, Candidati nostri," diligenter apud animum reputaverint, &" non modo animos suos, inferioribꝰ Optimarum Artium disciplinis, sine quibus" superiores minime constant, insigniter &" cum honorificæ laudis testimonio, excoluerint: Sed etiam in honoribus appetendis, eam, de qua diximus, & in quam" exemplo suo Natura ipsa nos deducit," viam institerint: a Collegio Philosophico" digni judicati sunt, quibus ex ipsorum voto ac petitione, prima philosophiæ Laurea, seu Baccalaureatus honor in publ." Solennitate tribuatur. Id quod ex decreto ordinis philosophici, cras juvante" Deo, in Auditorio Philosophico a me effectum dabitur. Quod cum ita sit, Magnificum D. Rectorem, Generosos D. D." Barones, Reverendos, Clarissimos, & Doctissimos D. D. Professores, Nobiles item" & ornatissimos D. D. studiosos, officiose" & amanter rogamus, ut favoris sui, quo" Artium Lib. studia prosequuntur, nobis" declarandi caussa, die crastino paullo post" horam VIII. matut. dicto loco, qui ad" hunc usum calore modico temperatꝰ erit," haud gravatim convenire, suaq; honoratissima præsentia, Candidatorum nostrorum honores ornare & auctiores reddere" dignentur. Quo beneficio nos vicissim," ad omnia grati animi, itemque honoris" & observantiæ debitæ, sicut etiam humanitatis & benevolentiæ officia, pro virili" nostra, omnibus & singulis præstanda, non" solum obstrictos, sed etiam quovis tempore promptos paratosque reddituri sunt." Valete p. p. Altdorphii a. d. XX. Decemb." Anno Christi Redemptoris cIↄIↄcxi."

Nomina Candidatorum:

Johannes Kob, Hilperhusanus Fr.
Johannes Vogel, Noribergensis.
Mathias Borneman, Zechlinens. March.

conferret. Nec ſine amoris teſtificatione valde luculenta abeuntem poſtea dimiſit. De qua re cap. III. diſſerendi occaſionem expectamus. At enim vero, quantacunque etiam fuerit horum, laude omni digniſſimorum, Præceptorum fides, tanta tamen & tam ſolers eſſe haudquaquam potuit, ut a diſcrimine corruptelarum, cujus illi inſcientes erant, præmunire bonas mentes ſtuderet. Siniſtri enim quid in religionis negotio præter opinionem mediis hisce ſtudiorum progreſſionibus interceſſit, quo maxima horum juvenum induſtria pesſime foedata eſt. Tantaque fuit afflati peſtiferi erroris vis, ut a nemine fere animadverteretur, donec occupatis aliquorum præcordiis detectum venenum jamjam exitium minitaretur. *Sociniſmi* virus id eſt, B. L. quod indigitamus, ſub id ipſum tempus, & inter lætisſima artium optimarum magiſteria, tanquam infelix lolium ab infernali Genio diſſeminatum, & *Scholæ Altorphinæ* propemodum lethale a). Ejus itaque rei occultas origines exponere jam noſtri erit muneris, ſic tamen, ut PEVSCHELII & VOGELI, commilitonum, & præcipuorum in iſtac labe admittenda ornandaque, immo & propugnanda ad tempus pertinaciter, ſodalium potisſimum habenda ſit ratio.

a) Quod infortunium tanto triſtius erat, quo felicius idem jam ante, A. nimirum 1580. Academia recentiſſimis Privilegiis a ſacratiſſimo Imperatore Rudolpho II. dotata, ſub finem iſtius anni, effugerat; ubi vel ignorans futurorum, ſi conſilium ſucceſſiſſet, malorum, ſingulari divina providentia, hominem aliquem ex hypotheſibus plusquam *Socinianis* p. p. famoſum redditum, ipſiusque adeo *Socini* Adverſarium, *Chriſtianum* nempe *Francken*, *Gardelebienſem Palæomarchicum*, e ſocietate ſua, poſtquam jam aliquot in Auditorio prælectiones publicitus recitaverat, excitatis adverſus eum contemnendum Auditoribus, excluſiſſet. Quamvis enim hunc audaciſſimum Thraſonem, & loquaciſſimum Impoſtorem, aut, ſi malis, *Erronem* ſub id tempus nihil adhuc *Arianiſmi* profeſſum eſſe conſtet: utpote qui tunc ex *Societate Jeſuitarum* ad Evangelico-Lutheranos candide reverſus videri volebat; Tamen ea haud dubie animo jam preſſit placita, (ſi quidem ſerio quicquam approbavit omnium partium *Planus*) quæ paullo poſt A. 1583. ubi ſe *Socinianorum* Scholæ adjunxit, ſed *Franc. Davidis* opiniones magis probans, quam *Socini*, & diu quoque illis inhærens, enunciavit atque foras protulit. Quæ licet tandem etiam, in *Polonia* atque *Tranſylvania* muneribus publicis perfunctus, deſeruerit denuo, & *Pragæ* inter *Pontificios* ſub exitum ſec. XVI. ad plures abierit; ejusmodi tamen ſunt, ut pro anxio labore Joh. Thomæ *Freigii*, in eo hinc & ex ædibus Georg. *Glaciani* expellendo, adhibito, (de quo ipſe in Præfatione *Moſaici* ſui egit) gratiæ permultæ debeantur, multoque plures illis perſolvendæ ſint, qui & *Noribergam* redeuntem, atque cum applauſu A. 1581. ineunte publice in Auditorio Ægidiano docentem, eaque de cauſa a Proceribus quoque Reipubl. identidem auditum, nihilominus honeſte dimittendum potius, quam retinendum blateronem ſuaſerunt.

ratio. Quod ut exequamur institutum, unius, qui superest in ordine Philosophorum, Professoris publici Medico-Physici mentionem paullo copiosius facere oportet. *Ernestus Sonerus* is fuit, cujus inauspicata, ἐμμέσως δὲ καὶ ἀμέσως, institutione tanta mala præcipue succreverunt. Quod antequam plane edisseramus, de ipsa *Philosophia Altorphina* nonnulla præfari opus esse videtur. Ea nimirum, sicuti paullo ante subinnuimus, Aristoteli quasi affixa & devota a), huic etiam soli unique inhærebat; quæ quidem fortuna Altorphensi Vniversitati cum plerisque aliis tunc fuerat communis. Tanto autem vehementius sectæ istius studium illic efflorescebat, quo maturius statim sub initium Stagiritam illum Philosophum Ducem sibi delegerant Athenæi hujus Professores, *Philippi* nimirum *Melanchthonis* & æqualium discipuli. Accessit ad eam consvetudinem, diuturnitate firmatam, Ramæorum litigiorum hinc inde ex Gallia in Germaniam transplantatio. Quas Logomachias, & inanes altercationes, oppugnandas sibi sumserant nonnulli hujus quoque Academiæ Doctores, & nominatim quidem *Phil. Scherbius*. Sed factum est hoc modo, ut, quo acerbius in *Ramum* inveherentur passim, hoc confidentius Aristoteli plerique se dederent; immo, quod mirandum, sectarium illud philosophandi genus serviliter profiteri non vererentur. Hac tamen una, sed præcipua laude, reliquis Altorphinos præferri hodieque legas non immerito, quod, quando ceteri nugas & quisquilias Scoto-Thomisticas cum Peripateticis placitis subinde insulseque permiscerent; hi defoecatiori methodo, seclusis istis næniis, ex uno Aristotele, collatis potissimum Græcis ejus interpretibus, philosopharentur. Simul autem illud accidit, ut, dum occupati, velut ex professo, in *Aristotele* enucleando essent *Philosophi Altorphini*, inter ceteros, in hunc usque diem, optime omnium Magistri mentem credantur assecuti, dignique habeantur, qui *Peripateticorum* b) nomine non vulgarium, sed præstantissimorum, communi omnium sensu concelebrentur. c) Id quod etiam aperte demonstrant,

a) Ejus certe tanta fuit hac tempestate auctoritas, ut Pastor quidam Eccl. in Ducatu Würtenbergico Adelbergensis filio *Aristotelis* nomen (cognomentum erat *Schroppii*) in S. Baptismi lavacro indiderit; quo, incertum, an temere ceteroquin inter Christianos audito, idem ille nomen suum *Indici cuidam* publico inscripsit A. 1612. de 26. Julii, & in ipsa Academia eodem exornatus, Aristoteli suo strenue litavit.

b) *Genuinorum* videlicet, *non* spuriorum seu *scholasticorum*, quadrata rotundis, & Theologiam Philosophiæ barbaræ, permiscentium, sed Aristotelis potissimum interpretes antiquos, cum perutili Græcæ linguæ cultura, sectantium.

c) Unde etiam si non primum, inter pri-

ſtrant, cum alia permulta, tum maxime Diſputationum celeberrimarum faſciculus, qui *Philoſophiæ Altorphinæ* titulum in fronte gerit, & a *Joh Paul. Felwingero*, ex variis, iisdemque ſparſim antehac & raro occurrentibus ſingulis lucubrationibus, A. 1644 collectus colligatusque lucem publicam vidit. Nam licet non univerſæ *Profeſſorum Altorphinorum*, neque etiam eæ omnes, quæ circa confinia Sec. XVI. & XVII. habitæ ſunt, diſſertationes, hoc volumnine comprehendantur, tum vero etiam pauciſſima SCHERBII atque SONERI opuſcula, uti promittit inſcriptio, iſtic reperiantur; nihilominus ex hisce ſelectioribus, (illius enim *duæ* omnino ſunt, hujus *quinque*, quæ illic habentur,) atque ceteris *Quinquaginta* & *una* Mich. *Piccarti*, ſupra laudati, & priorum diſcipuli, commode ſatis Philoſophiæ Ideam formare licet, quæ communiter ſub id tempus in Altorphenſi Lycæo propoſita fuit. Quod ad ſcopum editoris ſufficere putabatur, & nobis quoque de rationibus philoſophandi, ſæpe etiam plus, quam par erat, Rationi minus ſobriæ, atque Ariſtotelis principiis a *Sonero* accommodatis, dixiſſe ſatis eſt. a) Etenim quemadmodum ea fuerit occaſio a tanto Viro & tam perſpicaci arrepta, placita, quæ tenebat, minime ſana, in doctrina fidei, auditoribus quibusdam, & amicis nec ſentientibus, inſtillandi, jam noſtrum erit plenius enarrare. Quod antequam effectum demus, initia vitæ, ſtudiorumque progreſſus, & fatorum viciſſitudines *Soneri*, doctiſſimi acutiſſimique philoſophi, percenſere opus eſt. Hujus enim, uti in ſequenti palæſtra, ſi non ſolius, ſaltim *primæ* & *præcipue* fuerant partes: ita memoriam fatorum inde ab adoleſcentia repetitam candide exponere plurimum juvabit. Et quanquam *parentali oratione*, de qua paullo inferius diſſeremus, vita Viri hujus celeberrimi deſcripta habeatur, ea tamen, quæ ſunt potioris momenti, omiſſa eſſe, & qua de cauſſa, commodiori loco commemorabimus: ut, ipſam quoque orationem dignam eſſe, quæ excutiatur diligentius, nunc taceamus.

mos certe præcipuum Altorphinis dedit locum b. *Joh. Herm. ab Elswich*, cum procurato denuo ad prælum *Joh. Launoji de Varia Ariſtot. in Pariſienſi Acad. fortuna* libello peregregio, præfationem eruditam anteponeret, inque ea *de Ariſtotelis in ſcholis Proteſtantium fortuna* luculenter diſputando f. 22. ſq. noſtræ hujus Acad. Philoſophos, *Scherbium* præſertim, *Sonnerum*, (ut nomen ejus exſcripſit) atque *Piccartum*, majorem in modum, nec immerito, laudaret.

a) Pleniorem *Philoſophiæ* hujus *Altorph.* ut appellatur, conſpectum & recenſum dedit S. Rever. Abbas *Joh. Fabricius* in Bibl. Fabrit. P. V. f. 509. ſqq quem conſulat benevolus, & harum rerum pernoſcen-

§. XI.

Natus ergo fuit, quod pervulgatum eſt inter omnes, *Norimbergæ*, ERNESTVS SONERVS, a) A. R. S. MDLXXII. Patre *Marco Sonero*, Mercatore, non poſtremi Ordinis Cive, Viroque meritis haud vulgaribus inſigni, & a Maximil. II. Rom. Germ. Imperatore nobilium privilegiis hinc condecorato. Itemque illic, ubi lucem viderat, ſtudiorum tyrocinia in ſcholis florentiſſimis poſuit, donec anno ætatis XV. Altorphium b) miſſus, & in numerum Alumnorum, quorum ſupra meminimus, quoque cooptatus, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia, præclaro & laudabili cultu ingenii præſtantiſſimi, impetuque honeſto conſectatus eſt, *Phil. Scherbii* potiſſimum, & *Nicolai Taurelli* diſciplina in eo ſtudiorum genere uſus. Adeptus poſthæc, agens tunc annum XXIII., *Georgio Glaciano* diſpenſatore, Magiſterii titulos, c) altius ſemper magisque enitendo, bonæ indolis felicitatem moresque placidos, Patriæ Patribus tantopere probavit, ut inter complures Patronos Ephorum ſtudiorum & comitem peregrinationum præ ceteris, eum deligeret Illuſtris d) *Chriſtophorus*

darum cupidus Lector. Neque enim nos id nunc agimus.

a) Ita nomen ipſe conſtanter etiam in Epiſtolis αὐτογράφοις exſcripſit ſuum. Unde male a quibusdam in *Sonneri* duriorem, per geminum N, formam id converſum eſt. Quod, incertum, qua de cauſſa, etiam in b. *Elswichii* præliminari Diſſert. ad Lib. paullo ante laudatum *Joh. Launoji*, & Excerptis ex ea in A. E. L. A. Suppl. T. VII. f. 409. legitur, nec non in Epiſtola *Andr. Dinneri*, quæ in Richterianarum *Mantiſſa* III. extat f. 718. & alibi ſæpius comparet. Pro forma certe *Soneri* cum ſimplici N. nomen ſcribendi, ut alia multa, ita etiam cum primis innumera carmina, ab ipſo, Poëta etiam non infelici, & ſcripta & ſubſcripta, inſcriptaque viciſſim ipſi ab aliis, ea præſertim, quibus Magiſterii honores gratulabantur Amici, militant.

b) Menſe Auguſto A. 1588.

c) *Nicolao Taurello* Philoſ. & Med. Profeſſ. brabevta, paullo ante & ſuperiori quidem A. 1592. d. 22. Decembr. cum commilitonibus aliis quinque Baccalaurei primo decore ornatus.

d) *Chriſtophorus* hic hujus nominis uſu IIIus fuit, & *Chriſtophori* II. Sen Provincialis, A. 1561. pie defuncti, nec non Magdal *Tezeliæ*, filius erat, atque *Chriſtophori* I., inſtauratoris prædii Hammendorff, & A. 1537. mortui, ac in vicino Monaſterio Virginum *Gnadenberg* (de quo, & templo potiſſimum ejusdem ex imis fundamentis de novo conſtructo, ipſum cum fratre Sigismundo III. optime meritum eſſe, *Gaſp. Bruſchius in Monaſteriis German.* f. 67. docet) ſepulti Nepos. Ceterum de eo, totaque illuſtri vetuſtiſſimaque familia *Füreria*, generis & meritorum gloria jam multis antehac ſeculis ſplendente, elegantiſſimus Poëta *Bernh. Prætorius*, Reipubl. Norib. Syndicus & Bibliothec., copioſe, diſſeruit, in *Epithalamio genealogico* nuptiis auſpicatiſſimis *Chriſtophori Füreri IV.* ab Hammendorff, & Magdal. *Geuderiæ* ab Heroldsberg, A. 1602. conſecrato, & 10. omnino plagulis comprehenſo.

rus Fürerus ab *Hammendorff*, Reipubl. Noriberg. Duum-Vir graviſſimus a), tum & alii generoſæ proſapiæ Proceres Norici iisdem curis dignum adhibendumque exiſtimarent. Quorum ille Filio ſuo, generis & mentis nobilitate præcellentiſſimo, *Chriſtophoro Fürero*: hi vero tanquam Tutores, pupillo curæ ſuæ tradito, nobiliſſimo itidem Iuveni, *Chriſtophoro Schlaudersbachio* b), gubernatorem, peregre una abituris, præfecere communem. Cum his, fidei ſuæ mandatis, Adoleſcentibus diſceſſit *Norimberga Sonerus*, medio Vere & Aprili menſe extremo A. c. cIↄ Iↄ LXXXXVII. neque tunc temporis quidquam animi, a veritate coeleſti Evangelica alienati, a quoquam in eo obſervatum eſt. Cujus etiam ſuſpicio in *doctiſſimum probatiſſimumque moribus Virum Juvenem*, quo eum abiturientem c) elogio a *Georgio Volkarto*, Profeſſore Theologo, mactatum lego, cadere vix poterat. Ipſe quoque *Illuſtris Fürerus*, Senior, Philothecæ Ephori hujus filio præpoſiti, *Officium regentis non tantum in danda, ſed & in obſervanda diſciplina conſiſtere*, inſcribens d), aliasque favoris teſtificationes addens, quid ſperaret de Filii tam circumſpecte delecto comite, non obſcure ſignificabat. Qui profecto, ut erat Vir, ſi quis alius, prudentiſſimus, ubi vel levis ſuſpicio ſiniſtrum quid de *Sonero* cogitandi anſam dediſſet, filium perdilectum, & in patriæ commoda ſolicite formandum, tanto diſcrimini neutiquam, opinor, expoſuiſſet. Proinde optime, & ad vota Patronorum, eruditio abeuntis cum Sociis atque pietas habebant e). Enimvero, uti admodum infeliciter accidit, ut Saxoniam inferiorem & *Hamburgum* tranſeuntes, nave iſtic

con-

a) Anno 1610. ætat. 69. pie denatus multis antehac ſplendidiſſimis muneribus, in curia potiſſimum militari, perfunctus. De cujus meritis & obitu conferatur *Andr. Dinneri* Epiſt quæ in *Richterianarum* Mantiſſ. III. f. 644. typis impreſſa habetur. De itineribus vero, cum per Europæ haud exiguam partem, tum etiam Aſiam, & *Palæſtinam* præcipue, peractis, ipſum, quod extat, *Itinerarium Fürerianum* teſtificatur A. 1646. cum Præf. *Ge. Richteri* typis mandatum.

b) *Sebaſtiani Schlaudersbach*, Monaſterii quondam ad S. Auguſtin. Præfecti, filio.

c) die 14. April. A. 1597.

d) die 20. April. A. 1597.

e) Deprædicata inſuper carminibus propemticis, a *M. Michaële Piccarto*, Franco, *Caſp. Hofmanno* Gotha Thyrigetarum, *Joanne Schlavegio*, Norib. & aliis abeunti conditis. In quibus Norib. Anno 1597. ap. *Paulum Kaufmannum* form. 4ta excuſis illud maxime dignum eſt lectu, quo *Hofmannus*, *Soneri* tunc commilito, *nivei pectoris mores, vegeti acumen ingenii, & nitidi ſcrinia judicii, quo multum ſe jactet alumno Scherbius*, aliasque *Ejus* virtutes concelebrat, &, cum paullo ante diſceſſum Præſide *Scherbio* ad *Galenum* diſputaſſet, iſtum publice: *Præſide non opus eſt poſthac, at ipſe fungeris porro præſidis officio*, dixiſſe, ait.

conſcenſa, ſummum naufragii periculum adirent, atque hinc etiam e portu forte quæſito vix ſalvi evaderent: ita per Friſiam, feſtinato itinere, recta quidem via Amſtelodamum, atque inde *Lugdunum Batavorum* pervenere. Verum nova in poſtremo loco, eaque per omnem vitam ipſimet *Sonero*, tum & aliis, ab eo deinceps ſimilia edoctis, pernicioſa mala & ſiniſtra fata obtigerunt. Illic enim, *Lugduni* inquam, poſtquam vires animi explicandi occaſionem nactus erat, Philoſophicis artibus & diſciplinis ſolide, more tamen ea tempeſtate ſolito, imbutus, & publice ſubinde diſputando demonſtrans ſimul, ut fieri ſolet, fama vel inter diſputandum creſcente, in Amicos & Magiſtros peſtilentiſſimi erroris *Sociniani* incidit; a quibus, lacte ἀδόλῳ quod *Petrus* commendat, ſpreto, exitiabile illud virus, incertum, qua μεθοδείᾳ hauſit.

§. XII.

Vulgo quidem perhibent, & diu a multis creditum eſt, Virum bonum, atque ſinceræ pietatis in Deum huc usque ſtudioſum, familiarem conſvetudinem iſtic cum Conrado VORSTIO, homine ambiguæ aut certe ſuſpectæ jam tum, ut rationes plerique ineunt, religionis, contraxiſſe, ab eoque Præceptore inauſpicato hæreſeos principia accepiſſe. At enim vero, ſi temporum rationes initas cum itineris ipſius progreſſu contendamus, longe veriſimilius eſt, *Vorſtium* a SONERO fortasſis nunquam ne oculis quidem conſpectum eſſe. Tantum abeſt, ut ab eo Doctore pravi dogmatis Sociniani veneno coram imbutus ſit. Namque cum Gubernator itineris, ſociis ante dictis datus, initia non ita auſpicata profectionis habuiſſet, atque *Lugdunum* tandem, qui *annus* erat *Seculi ſexti & decimi nonageſimus* & *ſeptimus*, neque is adhuc finitus, ingreſſus eſſet, vix inclareſcere coeperat *Vorſtius*, nuper admodum *Steinfurti* a), in Comitatu *Tecklenburgico-Benthemenſi*, Anno CIƆIƆXCV. Gymnaſii Profeſſor conſtitutus. De familiaritate autem *Lugduni Batav.* cum eo contracta tanto minus cogitare fas eſt, quanto certius conſtat, poſt *Jac. Arminii* demum exceſſum ex hac vita, præcipitante Anno CIƆIƆCIX. eo, non ſine mora longiori, evocatum *Vorſtium* fuiſſe, & multo poſt, Anno videlicet CIƆIƆCXI., adventantem, ne tum quidem b), ad munus ſuſcipien-

a) Gymnaſio illo Weſtphalici circuli illuſtri, haud ita pridem ab Illuſtriſſimo Com. *Arnoldo* laudabili munificentia An. 1589. *Schultorſſi* aperto, ſed propter majorem loci commoditatem, (verba hæc ſunt *Buchholzeri*) *Steinfurtum* tranſlato.

b) Obnitente cumprimis *Jacobo I.* Angliæ Rege doctiſſimo: qua de re alibi.

piendum, admiſſum eſſe. Atqui hoc tempore dudum ad ſuos reverſus, vitaque & munere paullo poſt ampliſſimo defunctus, *Sonerus* noſter, mortalitatem ipſe exuit. *Steinfurtum* e Belgio clam excurriſſe, (quæ ſola conjectura ſupereſſe poterat) neque indicium ullum præſto eſt, unde colligi poſſit, neque ſatis prægnantem id vel ſuſpicandi cauſam habemus. *Amſtelodami* autem, quo primum appellere voluerant, ſuperiori diſcrimine naufragii ſuperato, de *curandis* potius *corporibus*, *Lugdunoque* quantocyus *inviſendo* omnes fuiſſe ſolicitos, quam novis digreſſionibus inſtituendis, res ipſa demonſtrat, & infra citandus Encomiaſtes *Soneri* a) clariſſime teſtatur. Quodſi vero e ſcriptis *Vorſtianis* ſua noſtrum hauſiſſe dubia exiſtimes, neque ea adhuc evulgata, & tantopere celebria tunc fuiſſe, perfacile demonſtrari poteſt, neque etiam de ſcriptis magis, quam converſatione noxia quæſtio volvitur. Immo vero tantum abeſt, ut ex *Vorſtio* aliquid erroris iſtic acceperit, ut, ipſum quoque *Vorſtium* privatis tantum litteris, ſub id tempus, de quibusdam novis opinionibus ſuis, cum *Piſcatore*, aliisque Theologis claris, rationes conferre cœpiſſe, vel literarum exempla typis quoque nunc exſcripta addoceant. b) Neque etiam, unquam cum *Jac. Arminio* c) interceſſiſſe *Sonero* commercium, vel ex levi quodam indicio explorare potuimus, quem alioquin A. R. S. CIↃIↃCIII. ad Profeſſionem Theologicam *Lugduni Batav.* evectum eſſe, notiſſimum eſt; ut proinde, niſi quibusdam *Calvino-Reformatorum* placitis clam tinctum pectus habuerit, quod in medio nunc relinquemus, nihil ex *Lugdunenſi Academia* pravi *Sonerus*

a) Georgius *Richterus*, vid §. XVII.

b) Conf. præter Epiſt. Remonſtrantium ex *Gothana Bibliotheca* haud ita pridem Celeb. *D. Ern. Sal. Cypriani* ſtudio editas. Quarum una de hujusmodi ſcrupulis ad *Piſcatorem*, *Vorſtii* Præceptorem, A. 1598. exarata primum locum tenet. In qua tamen ita mentem ſuam expoſuit, ut non tantum, de neceſſitate & ſufficientia ſatisfactionis Chriſti ſcrupulos quosdam ſe nuper admodum movere cœpiſſe, fateatur, ſed ſimul videri velit, ſe ſatisfactionem neceſſariam, & pœnis nobis debitis æquipollentem, imo præpollentem, agnoſcere. In alia vero ad *Toſſanum*, eodem anno ſcripta, n. XLIX. *nec S. Trinitatis*, *nec Incarnationis* τȣ̃ λόγȣ, *myſterium*, nec alia talia in dubium a ſe vocari, iterum iterumque aſſeverat, in ceteris vero diſſenſum conſcientiarum libertate excuſat.

c) Quæ aliorum fuit conjectura, ipſiusque etiam collegæ *Piccarti* ſic deinceps adhuc opinati. Unde mirum non eſt, in eandem quoque ſententiam Celeberrim. *Gundlingium*, in *Gundlingian.* Tom. I. n. 2. f. 31. not. ingreſſum, eumque, uti in ceteris, ita hac quoque ex parte, ſed paullo confidentius id aſſeverando, ſecutum eſſe Cl. *Walchium*, in der Einleitung zu den vornehmſten Religions-Streitigkeiten, ex J. Franc. *Buddei*, *Soceri*, MSCto edit. & annott. illuſtr. f. 565.

nerus per se traxisse videatur. Solus etiam *Petrus Bertius* a), se eum *Juvenem Lugduni Batavorum novisse*, ad *Richterum* b) scripsit; qui tamen, cum & ipse post hæc demum alia sentire, cum *Arminio Vorstioque*, cœperit, parum ei nocere adhuc poterat. Quanquam nec intimæ cum *Sonero* cultæ amicitiæ, sed *notitiæ* alicuius c) solummodo, meminerit. Sed quid opus est ambagibus, cum genuinam originem mentis perversæ deinceps ipsi *Sociniani* fratres prodiderint, peregrinamque, & e *Sarmatarum* asperrimo cœlo huc delatam, pestilentem auram, qua *Sonerus* infectus est, eum illic afflasse, uno omnes ore affirmarint? Namque Magistros ejusdem exploratum nunc habemus fuisse *Andream* VOIDOVIUM d), atque *Christophorum* OSTORODUM e), famosissimos *Socini t.t.* Sectatores, & ea quidem tempestate *Lugduni*, una cum Nobilibus quibusdam Polonis, quorum studia vitamque moderabantur, commoratos f). Atque hos quidem hac tempestate vixisse g) in Academia *Lugdunensi*, non modo certum

a) Quem ex eadem officina prodiisse satis compertum est. Conf. C. II. Lit. B.

b) Quæ habentur f. 158. Select. *Richteri* Epistolarum.

c) *Quem juvenem hic olim novi*: verba sunt l. c. *Bertii*. Qui tamen, *mirari se præposterum quorundam judicium, adserentium, Photiniani erroris fundamenta Metaphysicis* istius in Arist. *Comment. contineri*, quando addit, forte affectui perbenigno plus justo indulsit. De quo alias, & Cap. quidem II., ex instituto disputabimus.

d) *Polonum* gente, qui *juvenis* adhuc cum *F. Socino* amicitiam iniit A. 1583. quo Epistolam ille commemorabilem ad eum primam, quæ Tom. I. *Opp. Bibl. Unitar. Frr.* f. 470. legitur, perscripsit. Pastorem deinceps cœtus *Lublinensis*, *Lencizienfis*, *& Racoviensis* denique fuisse, ex *Sandii Biblioth.* satis superque constat. Ex qua etiam, uti in *Belgium*, *Ostorodum* comitatus, cum juvenibus quibusdam *Polonis* venerit, cognitum est atque exploratum. Sed non in *Belgio* solum, verum etiam alibi, & *Argentorati* nominatim, aliquando vixisse, ibidemque pari artificio, quo *Sonerum* sibi devinctum reddidit, etiam *Smalcium* in casses *Socini* pertraxisse, in *Vita Smalciana* cap. III. commemorabitur; quæ, integra tandem operi huic subtexta, copiosius hæc & alia L. B. edocebit. Ut parum absit, quin ex his aliisque documentis, quæ a præsenti instituto aliena sunt, *Emissarii* eum officium inter suos ordinarii credamus obiisse. Nam & *Wittebergæ*, A. 1590. vixisse, e cit. §. XIV. Epistola & vita Smalciana patet, nostrorumque consilia Sodalium, de quibus Cap. III. §. 1. dicere instituemus, idem confirmant. Quod reliquum est, A. 1619. adhuc superstitem fuisse, ex Cent. II. Ruari Ep. f. 163. cognovimus, ubi amicitiam cum *Dumlero* nostro coluisse legitur: quando autem defunctus sit, latet.

e) De quo Cap. II. §. 33. fusius.

f) Et quidem tanquam *homines*, *quos non lucrum, non ullum privatæ rei commodum, in tam longinquas terras egit* (ut *Jo. Schlichtingius* in *Apolog. pro veritate accusata* f. 34. scripsit) *a domo, a conjugibus & liberis; sed recte agendi, & de humano genere bene merendi, conscientia.* Quæ verba, quo animo istuc profecti sint, edocent.

g) Utrum novæ in *Belgio* coloniæ sta-

certum eſt atque expeditum, ſed etiam excedere a) ex ea, totoque *Belgio*,

biliendæ gratia, cum publici odii in *Acad. Cracovienſi* victima factus eſſet *Socinus*, &, factione ſtudio ſorum A. pœne eodem 1598. male habitus, vix elabi potuiſſet vivus, nec ne? uti quidem *Cloppenburgius* ſuſpicatus eſt, dicere non habeo Hoc tamen pro certo ac vero conſtat, in has terras cum adventaſſent, L. *de Servatore* A. 1594. typis procuſum, & ab *Elia Arciſſevio*, Editore, ipſoque *Socino*, hiſtoriam ejus *Baſileæ* A. 1574. contra *Jacob. Covetum* conſcripti recenſente, præfatione gemina inſtructum, variosque alios ejusdem farinæ tam MSCtos, quam impreſſos libellos, *Socinianiſmum* ut propagarent, eos de induſtria diſſeminaſſe, privataque etiam colloquia, & amicitiam cum præſtantiſſimis ingeniis, omni ſtudio affectaſſe.

a) Et quidem poſt denunciationem factam, librosque ad *Ordines generales* delatos, quos illi *Collegio Theologorum Lugdun. Batav.* exhiberi juſſerunt, eorumque judicium expetierunt. Ubi pretium operæ nos facturos exiſtimamus, ſi, ad *Crypto-Sociniſmi Belgici* initia penitus pernoſcenda, heic utrumque, *Epicriſin* nimirum *Lugdunenſium*, & *Præpotentium ordinum decretum* recudicuremus. Et quidem quod attinet ad Judicium Theologorum, ſequentem in modum illud adornatum fuit:

Amplisſimi Domini,

„Exemplaria, quæ noſtræ Facultati juſſiſtis exhiberi, modo deſtrinximus; ut, quorum partem aliquam jam ante vidimus, & alia ejusdem eſſe argumenti, comperimus. Ne longiores ſimus, cenſemus, ſcripta illa ad Turciſmum proxime accedere; & veram æternamque Deitatem Chriſti Filii Dei, & Spiritus S., officium Chriſti, Beneficia ejus ſalutaria, & Baptiſmi ſancti inſtitutionem, & noſtrum religioſum erga eum officium, evertere: quum eum coli atque invocari, ut Deum æternum & verum creatorem, oportere negant. Exempli cauſſa, in Libro de Servatore, hæc ipſa habentur verba: Nullam Dei juſtitiam omnino poſtulaſſe, ut peccata noſtra punirentur: Item, falſam eſſe ſententiam iſtam, quod Chriſtus morte ſua Deo, ſive ejus juſtitiæ, pro peccatis noſtris ſatisfecerit: Item, Chriſtum pœnarum, quas nos ex lege Dei ſubire tenebamur, ſolutione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe: Item, Chriſtum eorum, quæ nos ex lege Dei facere debebamus, præſtatione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe: & ſimilia multa adeo blaſphema, ut, ſine graviſſima impietate, nec credi, nec in vulgus ſpargi, nec inter Chriſtianos ferri poſſint. Quæ cum ita ſint, Ampliſſimi Viri, ſperamus A. V. pie ſapienterque deſpecturos; cum, ut homines illi, qui ſcripta iſta circumferunt, non diu apud vos hæreant; tum, ut ſcripta ipſa non veniant in cujusquam manus, cui deinceps fraudi, per imperitiam aut curioſitatem, eſſe poſſint. Ampliſſimi Viri, Deum oramus, ut nos ſpiritu veritatis ac prudentiæ donet magis magisque, & vobis, tum in rebus omnibus, tum in hac ipſa cauſa, quæ ad Dei veritatem & communem ſalutem pertinet, adſit e cœlo: ut quæ pia, ſancta, & juſta ſunt, per nos commode procurentur perficianturque in Domino. Actum Lugd. Batav., die Mercurii, XII. Auguſti, Anno MDXCVIII. V. A. ſtudioſiſſimi, Decanus & Facultas Theologica Lugdunenſis Academiæ.“

Decretum autem Præpotentium Ordinum Fœderatarum Provinciarum Belgii ita habebat:

Status Generales unitarum provinciarum Belgii, informati, quod penes certas duas perſonas hic in Haga Comitis præſentes, quæ non ita pridem ex Regno Poloniæ diſceſſerunt, & in has fœderatas Provincias venerunt, quarum prior

Belgio, protinus juſſos eſſe, ob ſparſum hæreſeos ſuæ venenum, omnibus conſtat, ipſaque id *Apologia*, quam communiter elaboratam ambo publicarunt, decretoque illi *Ordinum Provinc. fœderatarum* proterve Anno 1599. oppoſuerunt a), planiſſime eloquitur. Iſtorum ergo hominum conſuetudine, ſive eruditionis amore, ſive, quod plauſibilius, *Pietatis ſpecie* adamata deceptus, & in ſocietatem impii erroris *Sonerus* abreptus, mentem ſanam mutavit. Et ſane, quanquam alia etiam præſto ſint teſtimonia; tamen de intimiori potiſſimum *Voidovii*, Paſtoris Lublinenſis atque Racovienſis denique, interque Propagatores hæreſeos facile principis, *amicitia* cum *Sonero* in Academia laudata ſub id ipſum tempus contracta cultaque, ipſius etiam manus nobis conſpecta lectaque teſtatur, qua in *Philotheca Soneriana*, quæ

„nominetur Chriſtophorus Oſtorrodus, alter autem Andreas Voidovius, reperti ſunt „quidam Libri, qui, in univerſitate Leydenſi a Facultate Theologica viſitati, inventi ſunt concordare cum doctrina Turcica: negantes divinitatem Chriſti Filii „Dei, & Spir. Sancti: Et quod dictæ perſonæ eandem doctrinam haud obſcure „profitentes in has provincias venerint, „ut eam in illas introducant, atque ita „Statum Eccleſiæ hic eo magis perturbent: Volentes ergo hiſce in tempore, „pro conſervatione honoris Dei & commodi atque emolumenti Statuum unitarum harum Provinciarum occurrere; „Decrevimus, ut prædicti Libri, in præſentia duarum illarum perſonarum, cras, „ante meridiem, in Camera Generalitatis, „comburi debeant. Deinde, ut duæ iſtæ „prædictæ perſonæ onerari debeant, iisque præciſe mandari, quemadmodum „præſentibus onerantur, ipſisque mandatur, ut intra ſpatium decem dierum „proxime ſequentium ex Fœderatis Provinciis diſcedant, ſub pœna, ſi poſtea in „iis Provinciis deprehenſi fuerint, arbitraria; quæ aliis in exemplum, propter „quietem Eccleſiæ Chriſti, & ſupradictum „commodum & emolumentum Statuum „Fœderatarum Provinciarum, exiſtimata „fuerit irrogari debere: arbitrantes, bene eſſe, ut Provinciæ de hoc moneantur," ipſisque exemplum transmittatur atteſtationis, quæ hic prælecta fuit, facultatis Theologicæ Leydenſis ſupra ſcriptæ," de prædictis Libris: in eum finem, ne" prædictæ Perſonæ in his Provinciis diutius tolerentur, & doctrina iſta inde arceri poſſit."

Infra ſcriptum fuerat
& ſignatum erat,

Concordat cum Regeſto
A. Aerſens.

Deſcriptum exemplum ex autographo" concordat cum vero ſuo originali, die" hodierna, octava Martii, A. MDXCIX."

Quod atteſtor ego
Schulenburgius.

Utrum egreſſi ex Hollandia in Friſia deinde ſubſtiterint, quod in *Hiſtoria Eccleſ. Uytenbogaardus* teſtatur, ibidemque varia, & nominatim quidem *Apologiam* ſuam contra Decretum hocce, Belgice & Lat. typis excuſum, & A. 1599. conſcriptum, ſed A. 1600. publicatum, *Franequeræ* adornarint, noſtrum non eſt diſquirere Quibus, hæcce diſtinctius cognoviſſe, ad ſcopum præſentem ſatis eſt.

a) Conf. *Sandius* in Biblioth. Unitar. f 91. qui, *jactis doctrinæ Unitariorum ſeminariis*, eos e Belgio *diſceſſiſſe*, affirmat; quem, uti in ceteris, ita etiam in hac ob-

quæ superest, a) Ornatissimum Juvenem, *Studiosum Pietatis, Amicumque honorandum, A. unigenæ Dei* 1598 *L. B. d.* 10. *Septembr.* concepptis verbis eum appellavit b). Cum *Ostorodo* autem exinde familiare literarum commercium instituisse *Sonerum*, varia sunt, quæ produnt, argumenta, MSCtæque reliquiæ, paullo post etiam ex parte commemorandæ c), id cum primis condocent. Utrum vero deinceps, cum proh dolor! Sectæ *Socinianæ* scita & placita, in animum demissa, jam teneret, in *Gallico* itinere continuato, & *Italia* quoque perlustrata, (ubi tamen non admodum diu morabatur) inter Philosophiæ salebras ea expolita & firmata inde retulerit, uti nonnemo d), haud spernenda ratiocinatione, conjecit, non definimus, ne incomperta temere eloquamur.

§. XIII.

Quemadmodum reversus in patriam, post susceptos *Basileæ Rauracorum* e) in Medica arte f) honores supremos, *Noribergæ* primum Medicinam fecerit, dein vero in *Scherbii* Præceptoris locum *Altorphium* revocatus sit, Med. juxta & Physices docendæ istic spartam adeptus, nihil attinet copiosius exponere. Neque multum refert, si, *Leonhardo* præcipue *Doldio*, g) Medico Noribergensi, patrocinante & adjuvante, istic applausum sibi comparasse, annotemus; cum *Altorphina* potissimum fata nobis jam curæ sint, ad quæ animum statim advertemus. Ut fratres *Poloni* non desierint occupatam a suis mentem,

E tot

serv. Aut. Hist. Socinismi Gallicus sequitur.

a) a Celeberr. *D. Jo. Jac. Bajero*, Medico excellentissimo, ejusdem antehac possessore, publicæ jam tradita Academiæ hujus Bibliothecæ.

b) Integra *Voidovii* verba ita habent: Oseæ C. 14. ult. *Quis sapiens - corruent in eis: Ornatissimo Dno. Ernesto Sonero, Norimbergensi, artium & philosophiæ Magistro, studioso pietatis: amico honorando, Andreas Voidovius scripsi. Lugd. Batav. Septembris* 10. *Ao. unigenæ Dei* 1598.

c) In *Philotheca* enim ejus nomen, si recte meminimus, non comparet. Cæterum compara cum his §. XXXVI.

d) Certe, quæ Cl. *Walchius* haud ita pridem, in laudata paullo ante *Introductione*, tanquam certa repetiit, *Arminianismum Lugduni Batav.* hausisse, & in Italia *Senæ*, aut *Patavii*, *Socinismum* imbibisse, verisimilia non sunt.

e) Ubi plerique Doctores *Altorphini Juris utriusque & Medicinæ* honores, ante, quam Academia hæc Universitatis jura adipisceretur, capessere solebant, & plurimi etiam Noribergenses, uti ex Epistolis *J. J. Grynæi* ad Nobilissimum *Julium* scriptis, & a Cl. *Apino* editis, patet, literis melioribus operam dabant, eosdemque etiam titulos suscipiebant.

f) A. 1601. d. 10. Septembr. postquam habilitatem ex more suam disputatione auspicali de Quæst.: *Qui fiat, quod Melancholici futura aliquando præsagiant?* comprobaverat.

g) Quod Viri experientissimi, a Richte-

tot ceteroquin præclaris dotibus ornatam, ſibi magis magisque devincire, diſtinctè quidem ex monumentis, ad hoc ævum usque conſervatis, ſive clam habitis, ſive prorſus, ut videtur, abolitis a), oſtendi non poteſt. At inſtar omnium, dum illa quoque tandem compareant, eſſe poterit inſignis *Moſcorovii* ad *Ruarum* perſcripta editaque confeſſio. b) Quando enim, literis permultis, quas ad illum ſummum Virum (*Sonerum* innuens) ſatis frequentes dederit, idem periculum interceptionis (de quo l. c. querulatur) ſæpius eveniſſe, ait, maximeque id metuendum jam eſſe pergit, erepto morte, nec dum ſatis matura, illo viro pio & nobiliſſimo, Domino *Cetis*, c) qui, Cracoviæ vicinus, litteras ſuas & ſuorum ob viciniam in has (*veſtras* ſcilicet, de quibus locutus erat) regiones transferri curavit, non obſcure profecto innuit, diu frequenſque *commercium* inter *Sonerum* & *Polonos* fratres, idemque *clandeſtinum*, continuatum eſſe. Ibidem vero etiam, niſi moleſtum ſit, L. B., de *Smalcii* potiſſimum Epiſtolis per tabellarium, ſingulariter ad id delectum, miſſis, plura legere, cui volupe eſt, poterit. Neque ea addere poenitebit, quibus *Moscorovius* in illius *ſummi Viri*, *quem nobis* (ita enim ſubtriſtis) *nimis cito clementiſſimus Pater ademit, ad noſtra delicta caſtiganda*, *locum* judicavit Ruarum *ſubſtituendum*, &, *propter admirabilem divinæ veritatis proferendæ ardorem*, eum præter ceteros elegit. Tantoque minus, de *Sonero* ſermocinari *Moſcorovium*, d) eſt, cur dubitemus; cum totius orationis contextus oſtendat, *Argentoratum* ſcriptam eſſe Epiſtolam; quorſum, non multo poſt mortem *Soneri*, conceſſerat *Ruarus*; neque etiam in alium quemcunque tanta elogia hominis in iſtis terris *Sociniani*, & quidem *præmatura morte defuncti*, in cujus locum alius quaſi hæreſeos e) curator

ro jam obſervatum eſt, patrocinium multum *Sonero* profuiſſe.

a) Neque enim vel ſyllaba hucusque comparuit Epiſtolæ ad *Sonerum* ſcriptæ, aut ab eo acceptæ, ut non injuria, ab Amicis & Cognatis, *Leimero* & *Richtero*, omne litterarum, quod habuit, commercium deletum, ſuſpicemur: niſi, ipſum fortaſſis aboleviſſe, credibilius ſit.

b) Vid. Epiſt. *Ruari* Cent. II. n. 34.

c) *Joh. Baptiſtæ Cettiſii* nomine pleniori Virum Generoſum appellatum eſſe, & cum *J. G. Leuchsnero*, Conſil. & JCto Noribergenſi, commercium ei litterarum interceſſiſſe, *Vitæ Crellianæ* (operibus ejus præmiſſæ, cui *Wiſſowatius* notulas ſubdidit) Scriptor *J. Paſtorius* * 2. clarius edocet. Ceterum *Italum* fuiſſe gente, & A. 1613. d. 16. Martii diem ſupremum obiiſſe, ex *Smalcii Diario* didicimus. Add. Cent. II. Epiſt. *Ruari* f. 263.

d) *Socini* ſtudioſiſſimum aſſeclam, & *Catech. Racov.* in *latinam*, e German. lingua, qua primum conſcripta erat, *linguam translatæ* auctorem. Quo de ad Cap. II. plura diſſeremus.

e) In his ſcil. terris, & *Eccleſiola*, ut *Smalcius in vit. ſua* loquitur, *Altorphi* plantata, eo munere perfuncturus.

rator ſubrogandus ſit, convenire poſſunt. Ac proinde, in aprico hactenus poſitum eſſe, arbitramur, quæ fuerit *mali* hujus *prima origo*, quæ item nutrimenta & *fomenta*, quibusve *interpretibus*, clam omnibus, perque occultos *cuniculos*, res diu ante, quam erumperet, etiam *Noribergæ* a) actitata ſit, quæve tandem perniciosa conſilia *Altorphinæ Academiæ*, præclaris continuo incrementis exſplendeſcenti, tantam noxam intulerint, & majorem, niſi Deus clementer avertiſſet, cladem inferre facile potuiſſent. De ceteris circumſtantiis, quæ h. l. adduci poſſent, paullo poſt plura ediſſerere animo ſedet; quæ proinde in illum locum conſulto rejicimus. In præſens autem, ut redeamus in viam, unde ſumus digreſſi, explicatius dicendum eſt, quemadmodum per inſidias, variis dolis artibusque ſtructas, propagari coeperit lues Sociniana, qua infectus, ut vidimus, ſine dubitatione, *Sonerus* erat. Nimirum agitatæ fuerant jam diu *in Polonia* æque ac *Tranſylvania* Socinianæ ſeu Unitariæ b) controverſiæ, magna animorum contentione commendatæ ab aliis, ab aliis vero rejectæ, atque adeo non ſine multorum applauſu illic approbatæ; at Germaniam huc usque, poſtquam ex *Helvetis*, & *Baſilea* cumprimis, aufugerant c) *Itali* quidam hæreſeos anteſignani, parum & rariuſcule amplius turbarant. Unde nihil mali metuentibus facili negotio ſurrepere poterat dira peſtis, præſertim, poſtquam ſemina infelicis lolii animo unius alteriusve, nemine avertente, injecta fuerant apud exteros.

§. XIV.

Neque vero magis idonea videbatur, iſto tempore, huic ſcenæ aperiendæ ulla Muſarum in ea ſedes celebris, quam *Altorphium*. Etſi enim *Baſileam*, *Genevamque* olim ſibi delegerant novi illi priſtinarum hæreſium Interpolatores, quorum nonnulli *Vitebergam* etiam quondam inviſerant; d) non tamen reperiebant in præſenti, ad quem rece-

a) De qua circumſtantia inferius in vita *Leuchsneri* quædam, plura vero ex Epiſtola unica fere, quæ supereſt, *Soneri*, Noribergæ adhuc ſcripta, & in ſupplementis primo loco exhibenda, nec non *Oſtorodiana* expoſtulatione, in fine hujus capitis repetenda, edocebimur.

b) Uti quidem vocari malunt, a potiori dogmate, *de uno æterno ſummoque Deo*, ſolo *Patre*, ejus adſtipulatores.

c) Georg. *Blandrata*, Jo. Paulus *Alciatus*, Petrus *Statorius*, ipſeque etiam *Fauſtus Socinus*, qui *Baſileæ* adhuc commoratus, contra *Covetum*, Mercatoris habitu ſecum ante coram diſputantem Theologum Gallum, qui & ſcripto deinceps Theſes ſuas complexus erat, Librumque, ſummum fidei Caput, *de Chriſto Servatore*, involventem, conſcripſerat: & alii, quorum ipſe in Præf. huius Libri, tanquam *Amicorum* ſuorum, *Socinus* meminit.

d) Vid. Cap. II. §. 46. Adde Opp. So-

receptum habere, cuive se aperire possent, quum Doctores ad unum omnes alienissimi essent ab illo contagio, & inter eos nonnulli jam scriptis depugnare contra tam atrocem hæresin maturrime a) incepissent. Atenim de *Sonero* exoptatos sibi promittebat infausta cohors, post *Fausti Socini* A. 1604. obitum & sepulturam *Luclavitianam* b) mirifice hinc inde aucta, successus: utpote quem totum sibi suisque hypothesibus deditum probe noverant. Confluebant ergo ad illum, quam primum publicum docendi munus adierat, magno numero, cum *Ungaris*, *Transylvani*, & maxime omnium *Poloni*, ut ex eo tempore Altorphi audirentur *Sieninskyorum*, *Schlichtingiorum*, *Raciborskyorum* seu *Morstiniorum*, *Przypkoviorum*, *Thaszyzkyorum*, *Zelenskyorum*, *Narusewitziorum*, *Lipskyorum*, *Kielkowskyorum*, *Korymekyorum*, *Sczukyorum*, *Czekanowskyorum*, *Grzegorzewskyorum*, *Woynarowskyorum*, *Przytubskyorum*, *Cettisiorum* de Igolesmia, & similia, vel describenti molesta, audituque horrida, nomina. c) In quibus, quod non esse prætereundum videtur, inprimis commemorabile est, haud paucos eorum *Sonero*, *Præceptoris observandi*, *summi Præceptoris*, *Amici honorandi*, *Amicorum optatissimi dulcissimique*, *insigni pietate & virtute præditi Viri*, & hujusmodi alia *elogia*, in *Philotheca Soneriana*, sua manu exscripta, abeuntes reliquisse. Haud spernendas videlicet edituri erant in futurum tempus significationes, quam ob rem *Altorphium* e *longinquo*, tam sedulo & frequentes d), advolarint, & quæ *eximii* illi *Viri-Juvenes*, iidemque *nobilissimi* maxima ex parte generis, in *Medici* atque *Physices* Professoris hujus Scholis, a studiis suis ceteroquin alienioribus, addidicerint. Quorum commoda cum

cini, in quibus Epistola ad A. *Voidovium*, *Wittebergæ* A. 1590. commoratum, typis impressa legitur, & paullo ante aliorum, Professori Logices, *Elvonymo*, commendatorum, fit mentio; quos haud procul ab eadem in religione *Socini* mente abfuisse, res ipsa docet, Tom. I. f. 47. b. & f. 436. b.

a) Una cum *Rostochiensibus* & *Jenensibus* Theologis, & *Reformatis* quibusdam sensim lacertos moventibus. Ut *Polonos* taceamus, sed non perinde bene pugnantes, *Lojolitas*, & similes alios.

b) In quem pagum, novem milliaribus Cracovia dissitum, A. 1598. migraverat, ibidemque, intima vicini *Stoinii* medii societate adjutus, ad A. usque 1604. vitam productam, mense Martio, Anno ætatis quinto ultra sexagesimum, finivit, funeris laudatorem eundem *Petrum Stoinium* amicissimum adeptus: qui tamen & ipse, ut *Przypcovius* in Vita *Socini* observavit, paullo post ex vivis quoque excessit.

c) Ex publicis advenarum & Civium Academicorum h. t. indicibus collecta, nec raro, sed crebro occurrentia.

d) Terni, quaternive simul, cum Ephoris, non vulgaribus, sed nobilitate generis & doctrinæ præstantia illustribus, adventantes.

cum & *Leuchsnerus* a) Noribergæ promovere posset, supra dicti *Cettisii* Opera insuper interveniente, ad votum jam cuncta istis fluere credebantur. Sed neque hic substitit inauspicata corruptelarum propagandarum occasio; Verum & his adventantibus magna copia Sarmatis, eorumque ministerio, amplius factum est, ut non docti solum quorundam *Ephori* b) horum Nobilium Juvenum eodem veneno

a) De quo pluribus Cap. II. §. 26. dicemus.

b) Hisce certe, & Polonis ceteris, ex Sarmatia adventantibus, *Theodorus Simon*, Berchsteda Holsatus, qui & ipse A. 1615. d. XI. Augusti inter cives Academicos Altorphinos receptus legitur, hæreseos hujus propagationem clandestinam adscribit; quando Avunculum suum, ex aula *Schwarzenbergici Com. Altorphium* accitum, ut Philosoph. extra ordinem doceret, (qui sine dubio *Petrus Saxonius* fuit, *Jo. Prætorio* seni grandævo suffectus,) Pontificiorum insidias fugisse, sed in carbonariam ex calcaria incidisse conquestus, sibique inde occasionem, ad Pontificios deficiendi, uberiorem datam, professurus, scribit in *Dedic.* Lib. *De principiis falsis & idololatr. religionis Pontificiæ* A. 1631. Lugd. Batav. 8vo excusi: *Sed dum fumum vitat*, (Avunculus) *in ignem incidit. Eo enim tempore Academia* (Noribergensis Senatus) *illa angues in sinu fovens, hæresi execratissima, quæ Photino debetur, vehementer conflictari, cum Barones & Nobiles quidam Poloni clandestinis consultationibus nihil præter dictam hæresin, dissitissimas jam aliquot provincias insidentem, coquerent. Hisce tumultibus ego, cui excussus pectore nondum Papa erat, excitatus, scripturam esse instar Regulæ Lesbiæ, quæ æque ad Lutheri, Photini, Epicuri, Diaboli placita inflecti posset, non satis explicatam recordationem repetere &c.* Quamvis enim homini, Pontificiorum præjudicatis opinionibus jam diu imbuto, non omnino fides habenda foret, non tamen contemnendum illud testimonium videtur: partim, quod ad saniorem mentem reductus hæc scripsit *Simonius*, partim etiam, quia ipse coram *Altorphi* sub id tempus adfuit, ubi cognita isthæc vel ex fama, cui sine dubio hæc etiam accepta retulit, esse potuerunt. Idem vero, qui ceteros Coryphæos tacet, quanta calliditate & *per cuniculos* acta sint omnia, ex parte verbis clarissimis, *clandestinarum* videlicet *consultationum* mentione facta, ex parte etiam silentio, quando Germanorum, qui primipili fuerant, explanate haud meminit, satis superque prodit. Quæ quidem ad præsens negotium sufficere possunt. Eundem enim hunc *Theodorum Simonis*, Holsatum, hominem procul dubio sibi in religione minime constantem, sed modo huc, modo illuc, fluctuantem, deinceps, postquam inter *Reformatos* etiam aliquantisper numerari voluit, e *Belgio* excedentem, & in *Poloniam* commigrantem, ipsum quoque tandem *Socinismum* approbasse, *Rectoremque Scholæ Kisselinensis in Volhynia*, ex Racoviensis Gymnasii ruinis ad tempus collectæ, post *Petrum Stegmannum* constitutum, & propter Librum istum, quem supra citavimus, Pontificiis oppositum, ne quod eapropter periculum subiret, *Philippum Cosmum* vocari maluisse, ibidemque etiam *Januæ Comenianæ* versionem Græcam adornasse, (quorum nonnulla *ex Stanisl. Lubieniecii Hist. Reform.* L. III. Cap. XVI. didicimus,) parum ad hunc scopum nostrum momenti habent. Etsi vel propter fata Viri hujus Græce præsertim non indocti, & forte etiam *Altorphi* veneno isthoc jam afflati, alias perobscura, atque *Sandii* sterilem valde de eo conservatam nobis memoriam, haud viderentur prætermittenda

neno infecti, simul accederent, *sed Libri* quoque cum *Epistolis* eo advcherentur perquam noxii. Quod *Gittichii* potissimum exemplo deinceps dabimus demonstratum. Interim non alia Academiæ hac celebritate condecoratæ caussa putabatur esse, quam *Philosophiæ integritas & Doctorum gloria*, nemine pravi quid vel per somnium cogitante. Eamque opinionem diligentia Professorum omnino maxima, & *Soneri* quoque insignis *Pietas*, cum *doctrina in Philosophicis incomparabili*, oppido confirmabant: ita, ut, ne post fata quidem illius, multi sibi secius quiddam persvaderi paterentur. a) Tanto vero dum hæc omnium animos occupaverat securitas, circumspecte quidem, at confidentius in Collegiis Philosophicis, *Logicis* potissimum & *Metaphysicis* privatissimis, sua ille proponebat, discipulisque instillabat, *Sonerus*, exempla Theologica philosophicis argumentis immiscens, positaque fundamenta familiari consvetudine firmans. De quibus, etiamsi alia præsto sunt testimonia, tamen luculentissime *Comment. in Aristot. Metaphysicam* nos certiores reddere possunt, quos ad calamum dictatos, adeoque majori prudentia conscriptos, quam quæ sunt extemporali dissertationibus tunc pronunciata, ita reperit commaculatos *Joh. Paul. Felwingerus*, ut, sibi *haud pauca resecanda* fuisse, sine circuitione fassus b) sit. Ita enim: *Nullus dubito*, scribit, c) *quin multi improbaturi sint, quod Doctoris hujus* HAVD PARVM SVSPECTI *labores in publicum mittam, soliciti, ne sub hac Philosophia lateat anguis. Maxime cum multa in illis erronea contineantur, v. g. in L. II. III. docuit: in resurrectione nos habituros esse alia a nostris corpora: Intellectum agentem esse ipsum Deum, in L. XII. Angelos habere Corpora: Deum non esse infinitum, & alibi creberrime Theologica immiscuit. Fateor, L. B. hæc obstacula haud levia videri, & si a me hi Commentarii ederentur, ut deciperentur Studiosi Philosophiæ, merito reprehendendus, & inter viros bonos numerandus non essem. Verum hic finis meus, in edendo hoc autore,*

a) Uti ne nunc quidem desunt, qui, *Sonerum* innocentem fuisse, existiment. In quam sententiam propendent Viri quidam præstantissimi: Nominatim S. Rev. Abbas, *Fabricius*, in Biblioth. Fabricianæ P. V. f. 512. & celeberr. quoque *Crenius* (Thomas) *Animadv. Philolog.* Tom. V. f 246. Qua de opinione tamen, judicio forte charitatis potius, quam documentis historicis, innixa, atq; testimonio inprimis *Schopperiano* confirmata utcunque, deinceps dispiciemus.

b) Pro ea, quæ familiaris ipsi fuerat, animi, nullis fallendi artibus polita, sinceritate, & candore minime fucato.

c) Præfat. ad *Soneri* Comment. in Aristot. Metaphys. ed. 4to Jenæ 1657. cum jam diu ante manibus amicorum tererentur, & Georg. *Richterus* potissimum de opere hoc evulgando solicitus fuisset. Cu-

autore, nequaquam eſt; ſed ille potius, ut totus mundus videat, ubi dictus autor verum ſit ſecutus: ubi & quomodo ab eo receſſerit, ut non modo deprehenſo errore ſibi a ſimili caveat; ſed & de remedio ſolicitus ſit, quo retundi talis error queat. Et non multo poſt: Volui, inquit, *cum Orbe literato hunc Commentarium communicare, ut quilibet judicare poſſet, in quantum vel ſequendus vel negligendus eſſet: hoc ipſo Virgilii monitum: Ex ſtercore Ennii aurum legendum eſſe.* a). *Siquidem textum Ariſtotelis hic ipſe author perſpicue & genuine explicavit, ita ut fere omnibus reliquis interpretibus palmam præripuerit. Alia, quæ videntur aliquando extrinſecus aſſumta, & ex Theologia immixta, a me alibi notata ſunt, aut etiam in hac editione penitus omiſſa* b): *puta de Viſione Dei beatifica: de Corporum noſtrorum in reſurrectione alietate: (quamvis alietas accidentalis cum Apoſtolo Paulo recte ſtatuatur etc.) De corporibus ſive materia Angelorum, aut ſi quæ alia a communi opinione & veritate videntur abludere, ipſe B. L. ſi probe doctrina Metaphyſica & Theologica fueris imbutus, facile notabis. Quodſi vero ex his adductis me excuſatum nolis habere, ſed potius arguere ſcandali, reſpondebis tum illis, qui Alcoranum publici juris faciunt, qui Judæorum ſcripta, qui ipſorum Socinianorum Libros Theologicos &c. communicant cum orbe erudito &c.* Quemadmodum vero ex his *Felwingeri* verbis dilucide conſtat, neque ea, quæ prælo exierunt hujus Viri induſtria ex ſcriptis Anti-Socinianis quoque clariſſimi, integra eſſe *Soneri* meditata, ſed ſtudio *quædam omiſſa*: ita ex Epiſtola *Ruari* c), ad PEVSCHELIVM, noſtrum perſcripta, luculenter effici poteſt, *multo plura* in iſtius Metaphyſicis d) extitiſſe, quæ vel ipſe *Felwingerus* ſuis oculis non viderat, aut ſe vidiſſe diſſimulaverat. Quorum illud veriſimilius eſt, & a Scholis Ariſtotelicorum ἐσωτερικαῖς non alienum cenſemus. Etenim motibus ſuper illa hæreſi Norimbergæ coortis, idem *Ruarus*, Vir perſpicaciſſimus æque ac callidiſſimus, ne ignem gladio foderet, ejusdem Operis, ceu deliberatum fuerat, editione magnopere formidavit, eamque adeo pro virili repreſſit. Unde & I. VOGELIVS noſter in Epiſtola ad PEVSCHELIVM manuſcripta d) A. 1615. d. 3. Julii: *Typiſne ſit inſcripta Soneri Metaphyſica?* inquiſi-

jus *Epiſtolæ* hac de re ſæpius præſertim f. 146. 156. & 392. agunt.

a) Add. forte: *ſecutus.*

b) Ergo ex hac Editione caſtrata quodammodo de *Soneri* mente tuto judicium ferre non licebit.

c) Part. II. Epiſt. IX. Ruarianarum impreſſa.

d) Ut in amiciſſimorum auditorum manibus hærebant.

e) Inter ea, quæ *Indice inventorum Jenæ* deſcripta ſunt, de quo Cap. III., reperta.

quiſivit, ſpemque editionis non tenuem jam tunc oſtenſam fuiſſe, prodidit. Plura vero a *Ruaro* ad *Richterum* hoc de conſilio leguntur expoſita. a) Ubi, *de Commentario*, inquit *Soneri* τȣ͂ μακαρίτȣ *in Ariſtotelis Metaphyſica propediem edendo per mihi gratum, quod ſcribis, fuit: Veruntamen, cum Optimi Viri fama, propter* OPINIONES QVASDAM PHILOSOPHICAS b), *hoc tempore præter æquum laborare coeperit, cavendum erit, ne levi occaſione crabones irritentur. Nollem equidem alienæ*, ait porro, *manus injuriam ad caſtrandum tanti viri laborem, imo nec ad caſtigandum, accedere; ſed tamen, cum nonnulla, quantum memini, ſatis ibi periculoſe, & ſi mihi judicium hic ſumere debeam, paullo magis peripatetice, quam Chriſtiane, diſputentur, invidiæ declinandæ optimum mihi videretur, ſi præfatione modeſta ſcopus Authoris detegeretur, qui, ut nos ſcimus, minime fuit religionis Chriſtianæ dogmata convellere, quod perverſi quidam illius voluntatis interpretes autumant: Sed oſtendere, quid & quantum de ſummis rerum cauſſis, ipſoque primo Ente, Philoſophorum Coryphæo Ariſtoteli conſtiterit &c.* Ceterum, typis jam coepiſſe exprimi id opus, ex *P. Bertii* ad eundem *Richterum* Epiſtola elucet, quæ inter *Richterianas* c) legitur, in qua illud is ſe inſpexiſſe ait; de ipſo vero Commentario *Soneri* ita judicat, quemadmodum ab homine *Remonſtrantium hypotheſibus, Epiſcopianis* videlicet, *dedito* expectari poterat, longe vero ſagacius *Ruarus* l. c. exiſtimabat. In MSCto, eruditionis *Sonerianæ* lucupletiſſimo teſte, *ad Organon Ariſtotelis* Commentario amplo, quem poſſidemus, ex ore dictantis a *Seb. Hainlino* d) exceptum, ſimiliter non deſunt, quæ videantur olere ingenium a receptis ſententiis Theologorum diſcrepans; ſed quoniam ea nunc non agimus, ut quæ ſunt paſſim obvia excerpamus, ſignificationem de Opere iſthoc L. B. feciſſe ſufficiat. e) Neque enim exiſtimamus opus eſſe, ut, quem *ipſi ſibi vindicant Socini Aſſeclæ*, quod factum eſt ſine tergiverſatione in *Bibliotheca Anti Trinit. Sandiana*, eum operoſe defendamus, atque immunem ab illa ſocietate præſtare laboremus; utpote

a) Select. *Richt.* Epiſt. f. 391.

b) Extenuationes hæ ſunt hæreſeos, qua commaculatus fuit *Sonerus*, procul dubio nonnihil cognitæ *Felvvingero*, ſed ne qua labe etiam Academiam ad ſpergeret patriam, & ipſum quoque libellum, μαλθακῶς adhibitæ.

c) fol. 158 & ſupra citata eſt.

d) Cujus infra nomen occurret explicatius Cap. II. §. 23. excuſſum.

e) Ubi cetera MSCta deliteſcant, in manibus nimirum *illuſtris Medici ac Polyhiſtoris, Joh. Maurit. Hofmanni*, nominatim *Pathologia, Modus diſcendi Medicinam, Comment. in Libros Phyſic. Ariſtot. &c.* jam ante nos indicavit S. Rev. *Fabricius* l. c. & ante eum quoque b. *Omeiſius*, in *Glor. Acad. Altorph.*, idem f. 68. notaverat.

utpote quem vel solus *Catechismus*, de quo suo loco a), apertissime & ex instituto prodit, qualis & quantus fuerit. b)

§. IX.

Ad VOGELIUM nostrum, PEUSCHELIUMque, tandem reverti, postquam longius, sed ex necessitate imposita, evagati sumus, jam præcipit instituti ratio. Eos quamvis *Sonerum* audivisse, privatim quædam prælegentem, suosque adeo errores Socinianos ab eo ἀμέσως hausisse, si pauca quædam de PEUSCHELIO indicia c) excipias, reperire nondum potuerimus; ex aliis tamen, qui familiariter ejus disciplina fruebantur, adeoque via quasi obliqua, eo quoque præceptore, addidicisse, quibus a veritate divinitus patefacta abducerentur, liquido patebit; ubi, quemadmodum tristis fabula peracta sit, uberius exposuerimus. Non injuria huc pertinere dixeris, quod a Scriptorum Romanorum aliquo observatum meminimus, qui, *cupere eadem, eadem odisse, eadem metuere, homines in usum cogunt*, inquit; Sed, quando addit, sagacissima animadversione, *hæc inter bonos amicitiam, inter malos autem factionem esse*, quam sit perniciosa malorum sodalitas, non minori prudentia ostendit. Etenim, vere in hos, excellenti indole, adolescentes d) illa congruere, palam est. Quandoquidem dum aliorum nimis ab iisdem diligenter observata est cultaque amicitia, &, habito imprudentius delectu, plus æquo Commilitonum quorundam blandimentis & coloribus confisum, in teterrimæ factionis & pestilentissimæ hæreseos crimen se præcipitarunt miseri. Quo tristi Exemplo plane demonstratum dedere, quod Apostolus II. ad Timotheum cap.II. perscriptum reliquit: Falsam doctrinam proserpere

 instar

a) Vid. infra §. XVI.

b) Ut taceamus *Val. Smalcium*; qui, in *Diario vitæ* ad calcem hujus operis attexto, verbis significantissimis: *XII. Decembris venit Altorfio ad nos juvenis egregius, D. Johannes Crellius, allato nuntio tristissimo, de obitu incomparabilis Philosophi & Medici, Ern. Soneri*, FRATRIS NOSTRI IN DOMINO CHARISSIMI, *qui ultimo 7bris obierat*: rem omnem ita decidit, ut nihil dubii amplius superesse possit.

c) Alibi commodius memoranda, ne quid anticipemus.

d) Non sine gravi caussa hoc elogio mactamus deceptos illos, de quibus heic sermo est, juvenes. Habemus enim non solum dotes eorum vel ex Disputatione, proxime sequenti Cap. III. repetenda, refulgentes luculenter suffragantes prorsus eximias; sed *Mich.* quoque *Piccartus* hanc iisdem laudem tribuit, quando ad *Kirchmannum suum* (*Gudian. Epist.* n. 183. f. 255.) *Fuit hic Professor*, scribit, *Philosophus, Ernestus Sonerus, qui venenum in Belgio ab Arminio* (errorem hunc supra notavimus) *propinatum diffudit in discipulos, & non nisi optimo ingenio præditos, qui porro plantare possent. Hi jam numerum & sectam trahunt* &c.

inſtar gangrænæ: Et ubi a recta via deflectere cœptum ſit, nunquam conſiſtere, qui declinarunt, ſed Spiritu S. juſte id permittente, *gratiamque præſervantem*, ſeu *præmunientem* alioquin, ſub juſto judicio, trahente, in præceps magis magiſque agi a). Fuit autem, ut, qua ratione fabula nimis triſtis porro acta ſit, pertexamus, inter eos, qui, quæ a *Sonero* perceperant, in ſuccum & ſanguinem converterant, miro inprimis & ſpecioſo artificio in eandem ſententiam pertractus *Martinus* quoque RVARVS, Holſatus. A quo, præter diſputationes aliorum improvide inſtitutas, de quibus in *Syllabo Fratrum nequitiæ* ex profeſſo diſſeremus, ſi non omnino traductum Virus hæreticorum dogmatum plurimi acceperunt, confirmatum certe pertinacius ut tuerentur, omnes ingenii nervos intendere didicerunt. Id vero antequam copioſius explicemus, quibus fraudibus & technis ipſemet *Ruarus* in retia infeliciſſimæ Sectæ pellectus ſit, recitare proderit. Atque adeo, ne quid injuriæ cuiquam vel videamur intuliſſe, totam pene Epiſtolam, qua *Ruarus* amiciſſimo ſuo *Huſwedelio* rem omnem candide expoſuit, deſcriptam ex Epiſtolarum eiusdem Parte IIda b), quæ rarius in priori faſciculo comparet, L. B. dabimus. Ita vero ille: M. RUARUS HUSWEDELIO c) S. „*Videor mihi de* „*eadem fidelia duos dealbaſſe parietes: utrimque enim gratiæ mihi agun-* „*tur, & a Te, clariſſime Huſwedeli, & a Nærano* d) - - - - *Sed mitto* „*Næranum: ad ſtudia mea venio* - - - *Quia tamen ad alia me nunc ci-* „*tas, & quidem divina, de quibus haud paullo libentius ſermonem inſtituo,* „*ſequar non invitus, quo vis, & de quibus pectus meum interrogas, ami-* „*citiæ noſtræ fide nixus, audacter in ſinum tuum deponam. Non nego, mi* „HUSWEDELI, *cum ſtudiis & hominibus illis, quos rumor narrat, familia-*

a) Quæ porro verbis 2. Theſſ. II. 10. ſq. confirmantur, & quotidianis fere exemplis transfugarum in caſtra alienarum Eccleſiarum, præſertim Pontificiæ, comprobantur.

b) Num. XXVI. Unde haud ita pridem eandem περιχοπὴν *Cl. Th. Creenius* in P. XVI. *Animadv. Philolog.* transſcripſit, & quamvis olim a ſe dicta Præcl. Vir hic non retexuerit, aliter tamen jam de *Sonero* ſe ſentire cœpiſſe, vel tacite ſubinnuit.

c) De quo ad Cap. II. §. 51. quædam commentabimur.

d) *Samuelem Næranum* innuit, *Remonſtrantium* placitis addictum, interque ceteros ad Synodum *Dordracenam* comparentem, cauſſaque dicta paullo poſt cum reliquis, *Decreto Ordd.* A. 1619. d. V. Julii *Hagæ Comit.* ſcripto, nominatim e patria ejectum, atque hinc, poſtquam aliquandiu in *Friſia* vicina latuerat, incertis ſedibus, maxime tamen omnium ad *Balthici* maris littora, vagantem, donec revertendi in *Belgium*, rebus converſis, poteſtas daretur; ex quo tempore conſtans ipſi cum *Ruaro* interceſſit litterarum commercium.

miliaritatem mihi intercedere, nec dubium, quin major iſta ſit, quam illi-"
us auctoribus probatur, idque ὀ χθὲς καὶ πρώην *demum, ſed jam a decem*"
amplius annis, cum Altorphii in Erneſtum Sonerum τὸν μακαρίτην, *neſcio,*"
quo meo fato non minus, quam Varenholtii mei a), *cui tum in lenta febri*"
medicinam ille faciebat, incidiſſem. Habebat vir iſte (ut hoc obiter dem"
ſanctis illius manibus) præter peritiam illius artis, quæ præcipue cenſeba-"
tur, tantam Philoſophiæ veteris, ex Græcorum fontibus hauſtæ, notitiam,"
ut (quod ſine cujusquam injuria dictum velim) haud facile in eo genere"
parem illi viderim: quamvis falleret propemodum inter ſuos, inter exteros"
penitus ignotus, atque ita nunc quoque fallat, non audentibus diſcipulis,"
quæ ex illius ore exceperunt, ſummæ artis commentaria in lucem protru-"
dere b), *ne pietate in præceptorem invidiam, & pericula ſua reſuſcitent.*"
Is igitur Sonerus, cum primum in Philoſophia, cui tunc totus vacabam, in-"
genium meum tentaſſet, paullo poſt ad altiora progreſſus, de ſevera &"
maſcula pietate agere mecum coepit, eamque, & neceſſariam ſalutis æter-"
næ appetenti, &, quod ex illo ſequitur, inter ἀδύνατα *non eſſe, ut cum vul-*"
go hactenus credideram, invictis argumentis mihi probavit. Poſtea alia"
ex aliis ſerens, ut quæque in ſolum venerant, cum, pleraque ex illis eo blan-"
diri mihi, videret, quod aliquanto melius inter humanæ rationis lumen &"
demiſſos e cœlis divinæ veritatis radios convenire c) *teſtarentur, quam*"
perſvaſum eſt vulgo Theologis, quibus nemo ſatis eſt religioſus, qui non"
rationem prius omnem proculcaverit; tandem ad illa τὰ ἄῤῥητα περὶ τῆς"
ἁγίας τριάδος ἐν τῷ θεῷ, *de natura item IEſu Chriſti, ejusdemque ſatisfa-*"
ctione pro peccatis noſtris præſtita, delapſus eſt; ubi fateor, & cohorruiſ-"
ſe me vehementer, quod in dubium illa vocari animadverterem, in quibus"
religioſe adorandis proram & puppim ſalutis humanæ conſiſtere ſemper"
intellexeram, & ſeria pœnitentia ductum, quod notitiam cum homine nimis,"
ut tandem videbatur, Philoſopho unquam contraxiſſem, ab illius me con-"

 ſortio,

a) Cujus, ut ex ſeqq. patebit, Ephorus fuerat ſtudiorum *Ruarus.*

b) En clavem obſcuritatis rerum omnium clam agitatarum, multaque arte contectarum! Quam etiam ob rem, haud dubie reliqua *Soneriani* ingenii ſuſpecta monimenta, (ne quid de Epiſtolis dicamus,) paullatim diſparuere.

c) Ita ſcilicet, ut ad radios cœleſtis veritatis *revelatæ* non accommodaretur ratio, ſed ejus ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τῦ Θεῦ, quod debuerat αἰχμαλωτίζεσθαι εἰς ὑπακοὴν τῦ Χριςῦ, his radiis divinioribus leges præſcriberet, & fundamentis ita præpoſtere poſitis, *modum* aliquem explicandi Scripturam S. deinceps *comminiſci*, (quæ ingenua *Smalcii* eſt confeſſio,) ſuaderet; cum videlicet, qui ad Rationis, extra limites ſibi poſitos evagantis, placita congrueret. Quod utrum ſit ſpiritualia πνευματικῶς διακρίνεσθαι, an ψυχικῶς in pravum ſenſum detorquere, proclive eſt omnibus intelligere.

„*sortio, quantum honeste poteram, aliquantisper abrupisse. Sonerus con-*
„*tra, quanto me magis refugere videbat, tanto me ambitiosius prensare,*
„*vultumque meum non dubiis indiciis offensæ convictum alloquio benigno*
„*placare: credo, præter cætera, quod vereretur* a), *ne se, & si quos ali-*
„*os cum ipso facere deprehendissem, reipublicæ & sacrorum antistitibus pro-*
„*derem. Hac igitur illius humanitate nonnihil delinitus, cum eodem tem-*
„*pore Gregorii Nysseni λόγον quendam κατηχητικὸν sub manibus haberem,*
„*quem, suasu clarissimorum mihique amicissimorum virorum, Rittershusii*
„*& Höschelii* b), *cujus utriusque sancta apud me erit memoria, Roma-*
„*na veste tum primum induendum mihi sumseram: existimavi non abs re*
„*fore, si, cum Nyssenus meus tam graviter in Arrianam impietatem sæpi-*
„*us declamaret, ex Sonero, quibus ea* c) *argumentis caussam suam tuere-*
„*tur, perdiscerem, atque etiam, si par illis essem, ea postea diluta Nysseno*
„*meo attexerem qua ex re non parum ornamenti editioni, quam tum me-*
„*ditabar* d), *accedere posset. Sic ergo partim ex ore Soneri, partim ex*
„LIBRIS AB IPSO MIHI SUPPEDITATIS e), *paulatim omnia istuc per-*
„*tinentia accurate sublegi, alio tamen longe eventu, quam quem votis ab*
„*initio destinaveram: Intellexi enim ea, quæ tanquam impia totis viribus*
„*oppugnare cogitaveram, valido sacrarum litterarum præsidio ita munita*
„*atque firmata* f), *ut a me nulla ratione labefactari nec possent nec debe-*
„*rent. Quid te differam, mi Huswedeli? ego ille, qui aliena castra laces-*
se-

a) Novum subdolæ mentis & male sibi consciæ argumentum, clarissimumque, cur etiam Collegæ de ipso optima quæque sentirent, & vix comperta deinde sibi persuaderi paterentur, testimonium.

b) *Augustani* illius apud *Vindelicos* bonarum Græcarumque litterarum, quas majorem in modum adamabat *Ruarus*, ornamenti & vindicis: quem etiam *Noribergenses*, inclinato jam seculo superiore, in Academiam suam, sed sine successu, honorifice invitaverant. Cujus honorificæ vocationis ipsemet, gratam mentem testatus, in Dedicat meminit.

c) Omittendum est haud dubie hoc pronomen, quod tamen in *Epp. Ruari* impressis legitur.

d) Nihil horum in lucem opera *Ruari* elaboratum prodiit Inter opuscula ergo affecta aut promissa numerare licebit.

e) Altera methodus hæresin clam provehendi! Inde vero simul, a quo libros primos, qui hæresi postea contaminati sunt, acceperint, non obscure innotescit. Alios enim deinceps e *Polonia* submissos esse identidem, & ab ipso quoque *Ruaro* inde allatos, distributosque, ipsæ complicum confessiones deinceps ultro editæ non patiuntur, ut dubitemus.

f) Animo videlicet in Præceptorem nimis benignum jam occupato, & rerum novarum, ingenii luxuriantis, quo *Ruarum* polluisse, manifestum est, impulsu, perquam cupido, ita visa erant. Tantum enim argumentorum *Socinianorum* pondus non esse, nisi quis præ ratione tumida Scripturæ S. asserta contemnat, luculenter ea, legitimo ordine, & attenta in verba perspicua mente, expendenti patet.

ſere ſtatueram, in ea tandem ipſe tranſivi, non tamen ſine tumultu æſtu-" antis animi, quem præter ſpecioſas aliquot rationes, & quidem e ſacris" depromptas, quibus hactenus acquieveram, tot illinc populorum ſeculo-" rumque conſenſus, tot hinc incommoda atque pericula, ſubinde revocabant;" Ne quid de eo nunc dicam, quam ægre dimittatur, quicquid id ſit, quod" diu placuit; quid ſi ab ipſis incunabulis? Longum eſſet narrare atque exe-" qui plene, quibus tum tormentis conſtantia mea utrinque oppugnata fuerit:" hoc tibi affirmo, non unam me noctem, tunc temporis, inſomnem exegiſſe, par-" tim iſta omnia mecum reputando, partim etiam Deum O. M. precando," a) *ne capitalem errorem inſidere mihi pateretur. Habes, quibus ini-" tiis ad hæc ſtudia pervenerim, de quibus me rogaveras: nam quæ poſtea" in hoc genere tentaverim atque egerim, utque ſcientiam animi mei nonni-" hil, ut in re nova, adhuc titubantem plane firmarim, ea nec mihi nunc" percenſendi otium, nec tibi legendi fortaſſis adeſt deſiderium. Credo au-" tem, vel ex his, quæ ſcripſi hactenus, te facile intelligere, quam non teme-" re* b) *ad has partes applicuerim animum &c. &c.*

Hactenus Ruarus de ſuo *ad Socinifmum tranſitu*, & infelici inprimis ad eum *Ductore* ac Doctore primo, eoque vaferrimo, ut, quod res eſt, dicam, Impoſtore, *Sonero*, candide ediſſerens. Quibus penſitatis, eant nunc, qui de Medici tam celebris ſententia, & ad hæreſin atrocem approbandam proclivi mente, adhuc dubitant, atque vel ſic tandem propagandæ illius fraudulentum, & tamen, quoad fieri potuit, enixiſſimum Viri aſtuti ſtudium hinc addiſcant, ut quid diſtent veriſimilia a veris dijudicare queant.

§. XVI.

Sed, ne quid obſcuritatis in re maximi momenti, (quandoquidem de mortuis non niſi bene ſentire ceteroquin charitas c) præcipit,)

a) *Precando* nimirum tum demum, poſtquam altius jam in animum demiſſi errores, quibus Deum tentare non oportuerat, rationi abblandiri magis magisque cœperant. Quæ præpoſtera erat invocatio, juſta tandem deſertione animi κακοφίλȣ punita.

b) At tamen ſolitæ ſimplicitatis nauſea, &, ut inſolitum quid, prætextu qualicunque, ex vitæ corruptelis rixisque hinc inde graſſantibus, petito, potius arrideret, quam nuda, nullisque Philoſophiæ ornamentis & contemplationibus nitens, ſalutifera veritas.

c) Incolumi, quod ex inſtituto jam a pluribus demonſtratum eſt, veritate, præſertim hiſtorica: quo de officio præſtantiora quæque *M. Joh. Gotth. Roſa*, Diſſert. hoc de proverbio A. 1715. conſcripta, & *Jenæ* procuſa, collegit, & inter ceteros cumprimis acutiſſimus *Clericus* Art. Crit. Vol. III. Ep. II. f. 69. ſqq., cum omnibus pæne *Legum Hiſtoriæ ſcribendæ* Doctoribus, conferri poteſt.

cipit,) nobis relinquatur, non iſta tantum, verum & alia luculentiora præſto ſunt, & in medium quoque proferenda, *rerum teſtimonia*. *Manuſcripta* ſunt, ad quæ digitum intendimus, *Soneriana*, eademque Theologica valde notabilia, unde ſenſa animi intima a *Voidovio* pridem depravati, ac penitus in hæreſin demerſi, intelligi poſſint. Atque in his potiſſimum eminet *Catechiſmus*, maxima induſtria atque incomparabili perſpicuitate, & lingva quidem nobis vernacula, adornatus. a) De quo non fama tantum, ſæpe incerta & mendaci, nobis conſtat, ſed indubitatis diſcipulorum confeſſionibus, & totius compagis, qua comprehenditur, adſpectu. *Partibus duabus* omnino conſtat opuſculum, & *prior* quidem *ſegmentis XII*; *altera* vero *Capitibus XVIII.* abſolvitur, totaque harum Inſtitutionum Idea & Sciagraphia, brevioribus aliis, aliis vero longioribus digreſſionibus, interpoſitis, prout argumenti dignitas poſtulabat, *Erotematica methodo* eſt conſignata. Particulatim vero, ut typum habeas, L. B. infauſti conatus, *P. I. C. I. de Beatitate hominis poſt hanc vitam*, tractari paucis obſervamus. Cui accedunt *C. II. de Via ad ſalutem*, *Agnitione & Amore Dei*; *C. III. De Scriptura S.*, *ejuſque divinis Criteriis*; *C. IV. de Divina Natura*, *& præcipuis attributis*; *C. V. de Operibus Dei*, *Creatione potiſſimum*, *deſtructione rerum & providentia*, *C. VI. de Statu integritatis*, *& naturalibus hominis proprietatibus*, *atque imagine divina*, *liberoque arbitrio*, *& mortalitate*, *ac denique ſupernaturalibus dotibus*, *C. VII. de ſpeciali Dei providentia*, *quo referuntur Vocatio hominum*, *& patefactio eum in finem Voluntatis divinæ cum confirmatione*, *itemque Sanctificatio & Juſtificatio*, *ac denique Reſuſcitatio mortuorum*, *& Judicium univerſale*. *C. VIII. ſuccedit Expoſitio voluntatis divinæ generalis & ſpecialis*. *C. IX. de voluntate* Dei

a) De qua opella recte illuſtris *Gundlingius* P. I. *Gundlingianorum* Obſ. II. f. 31. Dieſer Sonerus hat nebſt Chriſtophoro Oſtorodo das erſte Project von einem Socinianiſchen Catechiſmo verfertiget: welchen einige mit dem Catechiſmo Racovienſi confundirt: Martinus Ruarus hätte ſie in ſeinen Brieffen lehren können. Quibus verbis procul dubio indigitat *Libellum memorialem*, *Smalcio* oblatum, Epiſt. Cent. II. n. XVI. f. 90. commemoratum. Ea vero, quæ *Ruarus* generatim & obſcuriuſcule l. c. commemoravit, dilucidiora ex hoc totius Catechiſmi conſpectu fore, non dubitamus, totumque Libelli iſtius, quem MSCtum poſſidemus, contextum amplius & luculentius hæc omnia demonſtrare, nemo, opinor, ambiget. Utrum vero *Sonerus*, cui l. c. f. 91. l. 10. ſq. ſoli is labor tribuitur a *Ruaro*, operam cum *Oſtorodo* ſociarit, uti quidem Celeb. *Gundlingius* exiſtimavit, nos in medio relinquimus, & quando *Oſtorodus* a *Ruaro* cum *Sonero* nominatur, quaſi in eodem labore συνεργός, non tam ad Catechiſmum, quam *Inſtitutiones Oſtorodi* Germanicas, easque notiſſimas, tanquam geminas illi, reſpici, credimus.

Dei ante lapsum: ubi fusius de mortalitate huic statui naturali, & morte, atque ipso lapsu cum consequentibus, disputatur. C. X. de Voluntate Dei ante Legem, & Regimine per legem solam naturæ, paucis singularibus exceptis. C. XI. De voluntate Dei sub Lege ad Judæos pertinente, relicta ceteris naturali: C. XII. de Voluntate Dei post Legem, eaque ultima per Christum demonstrata, exponitur. Hinc *Parte II.* continente *Capp. XVIII.* ut dictum est. *I. Cap. de Persona Christi* tractat. *II. De officio ejusque effectu inprimis Regio. III. De Officio Christi in respectu hominum*, ubi id *distinguit in Propheticum & Sacerdotale*, *IV.* vero de *Prophetico, itemque raptu Christi in Cœlum, ante ejus publicam administrationem*, fusius differit a) *C. V. De fide* subjungitur *doctrina*, & *de Operibus non meritoriis. C. VI. De Præceptis Christi IEsu perfectis. C. VII. De Decalogo, ejusque a Christo additamentis, itemque Precatione Dominica, C. VIII. amplius de Christi præceptis Novis* b), *Abnegatione, Amore seu Charitate inimicorum, Crucis gestatione &c. Quæ excipit C. IX. de Ceremonia unica ab eodem adjecta, videlicet S. Cœna. C. X. de baptismo aquæ* agitur, tanquam ritu libero. *C. XI. De Obedientia & auxilio qualicunque morali divino. C. XII. de Promissionibus per Christum nobis patefactis, nominatim Vitæ æterna, atque dono Sp. S. visibili & invisibili:* ubi *& de Prædestinatione* differitur atque similibus. *C. XIII. De Confirmatione divinæ voluntatis per Christum revelatæ, per Miracula, mortem, resurrectionem* & *Exaltationem, C. XIV. Sacerdotium Christi collatum cum Mosaico*, per omnia ex sententia & ad mentem scholæ Socini delineat & *C. XV. de Intercessione* Lectorem pari modo informat. *C. XVI.* separatim *de Purificatione Christi* instituit sermocinari, ubi etiam satisfactio Ejus vicaria ex instituto refellitur. Accedit *C. XVII. de Justificatione* dogma traditum, & *Regio tandem Munere* plenius exposito. *C. XVIII. finis* toti opusculo imponitur. Quæ copiosius, & articulatim quidem ac distincte, enarrare visum est, ut, non esse fictas de Catechetico labore *Soneri* c) narrationes, tanto luculentius pateret, tum vero etiam,

a) Ex quo, de *Raptu illo* præcedaneo, specimine ne quidem ultimum illud, detorquendi in alienum sensum Verba *Servatoris*, de Missione & Adventu suo e cœlis toties testantia, ex integra *subsidiariorum* dogmatum & subterfugiorum *Socinianorum* serie, etiam *Sonerum* omisisse, apparet. Ceterum, desperatum illud refugium figmentumque nostrates dudum discussisse, neminem latet.

b) Quæ gnaviter inculcat, & in cerimonialia atque moralia distinguit.

c) Qui cum raro conspiciatur, plagulisque, mediocri charactere scriptis, pæne viginti contineatur, propter maximam perspicuitatem, integer dignus esset publica luce, & a nobis quoque attextus fuisset huic Historiæ, nisi peculiari Refutatione, ne cuiquam fraudi sit, opus esset adjicienda. Ut tamen de mente *Soneri* cer-

etiam, ut, si cui lubitum esset, cum *Catechismo Racoviensi*, cujus illa nobis basis quasi & fundamentum videtur fuisse, conferri posset, atque veræ ejus *Catecheseos famosæ origines* a) palam fierent. De qua tamen re confidentius judicaremus, si de temporum rationibus utriusque, & *Soneriani* potissimum opusculi in literas relati, certius nobis constaret. Ceterum has partim ab *Ostorodo*, partim a *Sonero*, ductas Lineas b) principiorum *Socinianorum*, nomine *Libelli de Obedientia* hominis Christiani, postea frequentius appellatas fuisse, non obscure ex eodem libello memoriali, *Smalcio* a *Ruaro* reddito, c) efficere licet. Unde & lux haud exigua toties infra memorando *Libello de Obedientia* affulgebit; de quo alias a nemine quicquam commemoratum, &, ne a *Sandio* quidem ejus mentionem esse factam, admirabundi animadvertimus. Tantoque lubentius eundem esse credimus, quanto certius ex Indice Librorum, ad comburendum postea traditorum, id colligitur. Quippe in quo diserta *Libelli de Obedientia*, nulla vero omnino *Catechismi*, non minus profecto, quam ceteri erant, perniciosi, occurrit memoria d). Multo minus ea de re dubitius constet, partem aliquam, eamque potiorem, *de Officio Christi Sacerdotali*, ad calcem subjiciemus, eamque brevissimis quibusdam etiam annotationibus diluemus. In præsenti, ejus quoque Exemplum MSCtum in Biblioth. Illustris *Uffenbachii Francof. ad Mœnum* extare, monemus, & alibi forte etiam reperiri nonnulla, a pauca tamen, alia, non dubitamus. Specimen in Additam. L. B. reperiet.

a) Quæ vulgo, nec male, quod ad eam formam attinet, qua typis Polonice primum Ao. 1605. commissa est, *Valentino Smalcio* tribuitur auctori, ita tamen, ut *Socinus* quoque cum *Statorio*, medio, in ea adornanda operam dicatur posuisse. Nobis *Soneri* hæc elucubrata opella *proxima* (remotam enim seu longinquiorem præbuisse *Socini* scripta constat,) videtur fuisse basis, ex qua prolixiori brevius illud compendium contexuit *Smalcius*.

b) Ante quem horum amicorum labore elaboratum typum, etiam *Georg. Schomanni*, in usum domesticum liberorum suorum, & *Georg. Blandratæ*, famosi illius Medici, denique *Greg. Paulli*, *Catechismi* celebrantur: quorum tamen nihil, quod sciamus, nisi in *Racoviensi* inde tandem deducto, quod legitur, superest.

c) P. II. n. XVII. f. 90.

d) Qui tamen nos ea de re male habeant scrupuli, Cap. III. fortassis, data occasione indicabimus. Hoc loco asseveranter tueri possumus, omni licet opera & studio adhibito, nec volam, nec vestigium hujus, *de Obedientia*, tantopere inter Fratres jactitati commendatique Opusculi nos reperire potuisse, atque vel hinc in eadem sententia oppido confirmari. Nisi ea *Ostorodi* commonefactio intelligatur, cujus haud exiguam partem sub finem hujus Capit. I. dabimus excusam, plura enim ad Vitam Fratrum informandam præcessisse, contextus orationis haud obscure docet. Memini equidem, in Epistola quadam *Junii* ad *Piscatorem* data legi, *Conr. Vorstium*, seu discipulos potius ejusdem, Anno circiter 1611. *De Officio Hominis Christiani* Libellum, cujus ipse *Socinus* auctor fuerit, A. 1599. scripti, typis subje-

dubitamus, quoniam is, qui Catechismi interdum præfert titulum, plane easdem nobis exhibet dotes, quas idem *Ruarus* de *Libello de Obedientia* prædicat. Utut sit, mentem sane *Soneri*, in *Socinismum* penitus demersam, quæcunque illic continentur, uti subinde a nobis in recensu subindicatum est, manifesto declarant, ut de *Socinianis* alibi sparsis placitis nihil dicamus. Principi huic Manuscripto adjungere par est notissimum, sed paucis admodum a) conspectum, libellum, etsi a *Sandio* aliisque, lingva & *typis* etiam *Belgicis* b) evulgatum esse, affirmetur; quo, *æterna impiorum supplicia justitiæ divinæ adversari*, jam tunc conatus est demonstrare c). Cujus sub id tempus conscripti schediasmatis, non ita prolixi autorem, cum minime dubitaremus antea, *Sonerum* esse, hoc lubentius id nunc quidem credimus; quandoquidem ex Discipuli d) alicujus libraria supellectile *Manuscriptum*, quo utimur, exemplar, una cum sequente tertia Diatribe, nomen *Mectoris Dodici Sornesti Ebneri* præfert, unde *Ernestum Sohnerum, Medicinæ Doctorem,* ἀναγραμματικῶς nullo negotio elici posse, opinor, nemo non intelliget. Quibus rationibus istam suppliciorum æternorum vim labefactarit, longum esset repetere e). Da-

G bitur

cisse, unde forte versionem hanc fuisse suspiceris. Sed suspicio est & conjectura, de qua alii, quibus vacat, dispiciant. Nobis utrumque minus videtur probabile, quia de *conscribendo* tali libello diu post, ut ex Epist. *Ruari* patet, deliberatum est.

a) Nobis certe prælo expressum nunquam conspicari licuit opusculum, quod titulum hujusmodi præferat; tametsi *Sandius* & linguam, & formam, in *Biblioth. Unitariorum* explanate determinarit.

b) Præter has vero editiones, *Anglicæ* quoque, h. e. Anglicis typis excusæ, mentio fit in *Otio Hannoverano*, seu *Miscellaneis* ex ore & scriptis Illustris *Gottfr. Guilielm. Leibnizii* a Celebr. *Joh. Fr. Fellero* collectis, & quidem *Supplementorum Vitæ Leibnizianæ*.)(6. (b) Quando vero idem l. c. editor *Leibnizianorum* eruditissimus addit, *solam eorum* (argumentorum in forma propositorum) *lectionem subactis ingeniis ad refutandum sufficere*, falli nobis non videtur; qui pariter, perlecto hoc opusculo, nihil observavimus, quod Theologi exacti & styli Script. Sacr. gnari vires superet, &, vel mediocri industria adhibita, dilui nequeat. Quod nuper etiam de isthoc schediasmate, ex *Leibniziano* exemplo MSCto, cum ejusdem possessoris pristini *Præfatione*, spem faciens Celeb *Moshemius* judicium, in *Append. Concion.* P. I. A. 1725. editarum, tulit.

c) Novi *Evangelii, Origeni* olim probati, quod *æternum* nostris temporibus dictum est a quibusdam, præconem agens. Unde, si argumento ad invidiam movendam ducto uti quis vellet, haberet profecto, quod ejus doctrinæ homines, justo nimis misericordes, urere posset.

d) At divina gratia ad saniorem mentem revocati, b. inquam *Conr. Marci.* Quo de in *Vitis Theologorum* dictum est copiosius, & Cap. II. ac III. ejus quoque inter ceteros erroris sodales porro uberior fiet mentio.

e) Pleraque tamen ad *infinitam divinam misericordiam*, (quam in *L. de Christi* offi-

bitur fortaſſis occaſio, ubi & typis ſubjicere illam lucubratiunculam & breviter, diſcuſſis ratiunculis, convellere, quam in argumento præſenti hiſtorico, ſatius erit. Illud tamen hinc elucet, quam nihil hodiernorum, qui ſubinde Eccleſiam Chriſti infeſtant, id genus portentorum dicatur, etiamſi pari ingentique pietatis jactantia proferatur, quod non, eadem perverſitate humanæ mentis, divina judicia ad rationis corruptæ decempedam revocantis, Sociniana ſapiens *Sonerus* dudum animadvertiſſet. *Alterius MSCti*, cujus paullo ante mentio facta eſt eandem inſcriptionem nominis tranſpoſiti præmiſſam exhibentis, & ſine dubitatione a *Sonero* quoque confecti, forma Dialogum refert inter *Doxaſten* & *Philalethen*, ut, quæ ſit ſententia Autoris, prima ſtatim fronte a) vix intelligi poſſit; At tamen ſermonis totius cohærentia & major *Philalethis*, in adſtruenda ſua opinione, induſtria, cum ceteris dogmatibus *Socinianorum* comparata, ſatis clare patefaciunt, ipſum *Sonerum*, *ſub* hujus *Veritatis ſtudioſi* perſona latentem, præpoſteris quibusdam diſcipulos ſuos etiam in praxi Chriſtiana placitis conatum eſſe imbuere, &. *Regenitos eo perfectionis eniti poſſe, ut omnino non amplius peccent* b), demonſtrare allaboraſſe. Poſſemus alienam a veritate *Soneri* mentem ex eo fragmento pluribus confirmare, ſi opus eſſet, ſed, ut compendium dicendorum faciamus, ultimum pondus præcedentibus addet, quod paſſim *ſuam* doctrinam *a veſtra, h. e.* ut docet orationis ſeries, *ab Evangelico - Lutherana, tanquam ſibi oppoſita*, diſcernit, & ab ea ſe, non ſine vehementia diſſenſus teſtati, haud obſcure *ſejungit*. Quæ proinde omnia, cum, quo ſenſu dicta ſint, etiam aliunde conſtet, ſatis nobis erunt, verum etiam hujus fragmenti, cujus ſe ignorare auctorem ipſe *Sandius* c) profeſſus eſt, Scriptorem detectum ut non amplius ignoremus.

cio ſacerdotali cum Juſtitia vindice etiam conciliare neſciunt *Sociniani*,) redeunt; reliqua vero cum *Helmontii* potius argutiis in *Lib. von der Hölle*, Germ quidem, ſed typis latinis r mo procuſo, conſpirant, inque phraſi *æternos ignes pati*, adhibito inſuper in auxilium *Epiſt. Judæ* comm. VII., neglecta autem κολάσει αἰωνίῳ, vitæ & felicitati æternæ oppoſita, &, Matth. XXV, 46. commemorata, tricantur. De reliquo, paucis eum libellum pagellis conſtare, quod & de impreſſo exemplo ſuo teſtatus eſt *Leibnizius*, noſtro quoque calculo confirmamus. Quippe qui, vix tres aut quatuor plagulas implere MSCtum, quo uſi ſumus, meminimus.

a) Quæ ſolent eſſe artes Deceptorum, Academicum illud diſputandi genus candidæ pronunciationi ſententiæ certæ præferentium.

b) Quorſum etiam ſpectabant, quæ ſupra ab eo ſibi fuiſſe inſtillata dixit *Ruarus*, §. hoc eodem XVI.

c) In Appendice Anonymorum f. 176. *Biblioth. Unitar.*

mus. Additum eſt amplius in noſtro Exemplo non abſimilis argumenti aliud ſchediaſma Germanicum, quo XII *ſigna Doctorum falſorum* (Zwölff Kenn-oderMahl-Zeichen der falſchen Lehrer) traduntur, quod parum abeſt, quin eidem *Sonero* acceptum feramus; ſed quia jam ex præcedentibus, quod inſtituimus probare, dilucide rem omnem arbitramur eluceſcere, non opus erit hiſce excutiendis longiorem operam impendere. Id planum eſt, & in luce aperta poſitum, ſcriptum iſthoc poſtremum IX plagularum ſtudioſiſſime elucubratum, & cum priori exacte concordans, perfectamque regenitis ſanctitatem pollicitum, ac ſtrenue urgens, *Soneri* genium referre. Et quoniam ad marginem Annum MDCX. adſcriptum a) vidimus, cum verbis : *hoc anno hæc miſſa fuiſſe ponderanda*, vetuſta manu allitis; plane perſvaſum habemus. idem opuſculum *eodem* profus *modo*, quo ſupra per cuniculos animum *Ruari* occupatum eſſe obſervavimus, *aliis quoque diſcipulis* clam ſubmiſſum, atque cum ceteris commilitonibus deinceps communicatum fuiſſe. Unde porro, qua methodo diſſeminatum & propagatum fuerit *AltorphI* venenum *Socinismi*, haud difficulter intelligi poteſt. De reliquis a *Sandio* in Bibliotheca Unitar. tributis *Sonero* b) Operibus, ſicuti nominatim de MSCto *Commentariolo in Cap. VII. Epiſt. ad Rom.*, in quo, de ſe nondum converſo ad Deum ſermocinari *Paullum*, & de Promiſſionibus V. T., pluribus diſſerit, nihil eſt, quod addamus, nec in re manifeſta id neceſſarium eſſe videtur. Quare omiſſis hiſce ad alia progredimur.

§. XVII.

Ad hunc itaque modum res acta eſt, dum in mortali hac vita verſaretur *Sonerus*, ſuaque hinc inde quibusdam clam inſtillaret placita. Quid vero, poſtquam vitam cum morte c) A. 1612. d. 28.

a) In Exemplari, quo uti nobis licuit, *Marciano*.

b) Utrum *Rationes*, quas Anonymus quidam *Ruaro Fridericopoli* A. 1628. miſit, *contra S. Trinitatem, excerptas ex Reſp. Fauſti Socini* ad *Wujekum*, & *collectas a Cl. Viro D. E. S.* quas ille dubitat, an obſervaverint ceteri ſocii & habeant, ejusdem fuerint *Doctoris Erneſti Soneri*, nec ne, alii judicent. Mihi vix alius videtur ſub his vocabulis autor latere. Vid. *Epiſt. Ruari* Cent. II. n. XLIII. p. 308. ſq. Unde, ſi non alia, hoc certe colligere licet, multum operæ acutiſſimum ſuo damno *Sonerum* in ſententia ſemel approbata poſuiſſe, & vel hiſce ſubſidiariis laboribus, ad alios quoque illaqueandos, abunde inſtructum fuiſſe.

c) Nondum quadragenarius: Idque ſingulari divino beneficio, ne, poſtquam ova jam poſita erant, longius id malum, auctoritate tanti & tam verſuti Philoſophi, proſerperet.

VIlbris commutaverat, a) gestum sit, & quemadmodum permultis, non suspectæ tantum consvetudinis, sed etiam aliis, qui Eruditionem Philosophi acutissimi recte æstimabant, desiderium sui reliquerit, edisserendum. Nimirum, ne tum quidem deerant, qui postquam e vita excesserat, varios, & jam quidem palam sinistros, de eo rumores spargerent: aliis *pietatem* Viri illustrem prætexentibus, quam ab amicis & peregrinis in Philotheca quoque de Juvene prædicatam esse, raro exemplo, supra animadvertimus; aliis contra, qui sensa ejus penitius callebant, secus & acerbius de eodem judicantibus, eamque famam in alias quoque terras passim lateque disseminantibus b). Atque hinc etiam occasio data, seu potius captata est, a *Georgio Richtero*, studiis litterarum ea tempestate operam in Academia patria navante, dispellendi istas nebulas, *Præceptorisque laudibus*, qua fieri posset diligentia, *velificandi*. Inde sane nata tandem, & recitata A. 1613. d. XVIII. Maji, publica illa *Declamatio*, quæ typis prostat, & quæ *Frebero*, *Wittio*, *Creenio* aliisque, quicquid de *Sonero* consignatum monumentis litterarum dedere, subministravit. Ex qua tamen, quisquis existimaverit, præter indifferentes quasdam vitæ vicissitudines, studiose, fateor, congestas, de præsenti negotio ac potiori caussa certi quid accipi posse, næ is oppido falletur. Ne quid enim nunc dicamus de ipsomet *Richtero*, ab ore *Soneri* hucusque pendente, & perquam *familiari*, nec non hospiti, dum viveret, suo, &, uti in vita ejus habetur, *præceptori fidelissimo* plane devoto c), vel sola in lucem protracta, quæ diu latuerunt, ipsius Orationis fata fortassis aliter de isthoc monumento historiarum inposterum instruent prudentiores. Equidem *Vitæ Richterianæ* auctor d), *non sine speciali consensu*

a) Pestilentiane, an alius generis morbo acuto, incertum est; sub id tempus enim grassatam esse Epidemicam quandam luem, non est dubium. Ejus certe memoriam Cl. JCtus, *Andr. Dinnerus*, conservavit, scripta editaque, cum remisisset, *gratiarum actione* ad Deum O. M. eleganti *carmine* expressa: quod *Altorphi* apud *Cunradum Agricolam* A. 1613. 4ta forma procusum est. Deque eadem peste multa querulatur ad *Kirchmannum* Epist. *Raarus* Fasc. *Gudianarum* f. 263. comprehensa.

b) De quibus, quæ sequentur, acta & testimonia, operose conquisita, plura nos edocebunt

c) Adhæc *Joh. Crellio*, quo de alibi pluribus dicturi sumus, amicissimo, & de communis Magistri veneratione cum eo quodammodo certante.

d) Quæ, *Epistolis Richterianis*, A. 1662. publicatis præfixa, non a *Joh. Georg. Richtero*, filio, Epistolarum editore, sed a Celeb. Noriberg. Prof & Eccl siaste, *Christoph. Arnoldo*, uti nuper demum T. VI. Bibl. suæ nos edocuit vener b Abbas *Fabricius*, literis c nsignata est & nuper admodum Procancell. quoque hujus Univers. Magni-

ſenſu Ampliſſimorum Academiæ Curatorum eam publice recitatam eſſe, aſſerit, atque *tanto magis*, ait, *tum temporis hunc conſenſum requiſitum fuiſſe, quo acerbius lingvæ tribunitiæ, quibus non raro indigne innocentiſſimi* a) *flagellantur, in exiſtimationem prædefuncti ſævire cœpiſſent.* Sed vel ignorans Vir præclariſſimus, vel diſſimulans, quæ olim geſta erant, & quæ vix eum latere poterant, ipſaque hinc juvenilia *Richteri* ſtudia levi quaſi brachio percenſens, ea omiſit, quæ in præcipuis fuerant commemoranda. Videlicet non defuere grandia *obſtacula, ante, quam Declamatio* illa e cathedra *pronunciaretur*, removenda: quæ proinde ſatis luculenter produnt, quo loco res omnis fuerit poſita. Inſtar omnium eſto *Epiſtola*, quam ſingulari quodam fato adepti ſumus, hac de cauſſa, a Viro ingenuo æque ac provido, Michaële PICCARTO, perſcripta, & ad primarium Academiæ Curatorem, Generoſiſſimum DN. *Georgium* VOLKAMERUM, Eccleſ. *Ephorum* b) & Reip. *Septemvirum* graviſſimum, data, quam cum B. L. integram communicamus. Ita vero *Piccartus*, Academiæ per id tempus Rector, uti ſolebat, terſe & nitide:

M. N. & P. Vir.

Domine colendiſſime.

Retulit mihi ante paucos dies Ornatiſſimus juvenis, GEORGIUS RICHTERUS, *Norimbergenſis, habere ſe paratam orationem, quam de vita & obitu incomparabilis quondam Philoſophi & Medici excellentiſſimi, D.* ERNESTI SONERI, *præceptoris & hoſpitis ſui, publice in Academia hac recitaturus, &, niſi quid obſtet, editurus ſit. Veruntamen, cum ſecum ipſe perpendat, laudes ejuſmodi quam iniquis auribus accipi interdum a quibusdam ſoleant, non immerito ſe vereri, ne, dum gratus diſcipulus haberi ſtudeat, parum gratus Orator apud quoſdam futurus ſit. Quod enim quidam Naſonis, Pöetæ, auctoritatem ſecuti, exiſtiment, livorem in vivis tantum paſci, poſt fata quieſcere; id falſum probari poſſe, & multis egregiis viris ſecus accidiſſe, quorum poſt mortem exiſtimatio tribunitiis linguis flagellata fuerit* c) *ab iis, qui viventium ne conſpectum quidem* *tuliſ-*

ſicorum Fatis, ordine ſic exigente, a Cel. Dn. *G. S. Apino* enarratis, inſerta legitur.

a) Ita *Arnoldus* diu poſt adhuc *Soneri* cauſſam, quoad potuit, egit, Patroni & amici ſimul famæ conſulturus.

b) Nuper admodum ad hanc dignitatem, poſt illuſtrem *Dn. Mart. Hallerum*, Duumvirum factum, hoc ipſo A. 1613. evectum.

c) Non generatim, ſed ſingulari quodam modo, hæc de *Sonero* quando pronunciat noſter, haud obſcure, in vivis adhuc multo vero magis poſt fata, de *Socinianæ* aut *Arminianæ* doctrinæ contagio, quod imbiberit, rumorem ſparſum eſſe, ſignificat.

„*tulissent. Se quidem nullius vel odium, vel invidiam, temere provocaturum,* „*qui ea ætate sit, quæ omnium amore & honesta de se opinione, nullius vero* „*inimicitiis, opus habeat: existimare tamen, quod consilii huius idoneas ha-* „*beat rationes* a). *Finis sermonis is erat, ut diceret, se consilium sibi su-* „*per hac re meum expetere, quo facto, quod cogitaret, citra cujusquam* „*vel invidiam vel offensionem perficeret. Quid dissimulem, varie ea me* „*oratio affecit: illinc memoria amissi Collegæ conjunctissimi, hinc discipuli* „*pietate & gratitudine animum subeunte: quæ, quo rarior herba est, eo* „*commendatione omnium & favore mihi dignior visa est. Quare tum* „*quidem & studium ipsius collaudavi, & de successu bono animo esse jussi.* „*Ceterum, quia, non omnino nihil esse, quod ille metuebat, intelligebam,* „*& hac quoque in parte consultum juveni optimo volebam. Non quidem,* „*ut bacca frontem cingeret cum Pastore Virgiliano, sed ut auctoritate Ma-* „*gistratus adversus inferiorum præjudicia se muniret, auctor eidem &* „*consiliarius extiti. Judicium namque Magistratus, sicut laborum & in-* „*dustriæ uniuscujusque præmium amplissimum, ita etiam contra obtrectatio-* „*nem amuletum præstantissimum esse, quo qui dignus habitus esset, rumus-* „*culos & genus omne fabularum contemnere possit. Neque tam utile hoc* „*ipsi, quam necessarium omnibus esse, ut omnia & scripta & dicta & fa-* „*cta magistratui suo approbent. Quibus ille rationibus cum pro modestia* „*sua facile assensus fuisset, eadem opera non perfunctorie rogare me cœpit,* „*ut tribus verbis consilium hoc ipsius Amplissimæ Dominationi Tuæ aperi-* „*rem, & oblaturo censuræ orationem viam quasi sternerem. Id quod fa-* „*cturum me recepi, qui ad multo majora meritis defuncti me obligatum* „*sentio, & quicquid hoc est officii, auditori meo, ut maxime vellem, honeste* „*denegare non possum. Inprimis tamen Academiæ me honor monuit, cujus* „*plurimum, mea quidem sententia, interest, famam sinistram, a defuncti ini-* „*micis, dicam an invidis? post mortem excitatam* b), *quam citissime ex-* „*tingui; ne, quod fieri solet, per infinitas aurium traduces, ad indelebilem* „*tam ipsius defuncti, quam Academiæ totius, & aliorum quoque, ignomi-* „*niam ulterius propagetur & serpat. Quæ ratio si honesta Amplissimæ* „*Dignitati Tuæ videtur, non dubito, quin illud circa negotium istud sit de-* „*cretum, quod multi cupide admodum exspectant. Sin autem, vel omni-* „*no consilium istud abjiciendum, vel discipuli officium in tempus aliud com-* *modius*

a) Nec frivolas, utpote qui & mentis ejus, quem laudare aggrediebatur, bene conscius erat, & ipse non admodum ab ea se alienum noverat.

b) Videtur hinc effici posse, ipsum quoque *Piccartum* de injuria *Sonero* suo illata plane *adhuc* persuasum fuisse, & nihil forte sinistri de minus sano, in doctrina sacra, animi sensu, quem clam iste habuit mirum in modum, observasse.

modius differendum, A. D. T. censebit, tamen ne sic quidem committe-"
mus, ut affectum & desiderium nostrum A. D. T. judicio gravissimo ulla in"
parte præposuisse videamur. Interim A. D. T. juvenem hunc, & me ip-"
sum quoque, commendo. Dabam Altdorf I prid. Kal. April. A. C. 1613.

Michael Piccartus.

Hactenus bonus *Piccartus*, optima quæque de Collega conjunctissimo ad charitatis amussim sentiens, & hunc quoque in finem a) publicæ Orationis filum instruere pro virili contendens.

§. XVII.

Quid responsum sit ad interrogata, comperire nondum potuimus; At ipsius *orationis forma* satis superque ostendit, & argumentum dictorum amplius confirmat, *altum de Religione Viri*, ob doctrinam seu eruditionem Philosophico-Medicam ceteroquin excellentissimi, atque sua laude eapropter dignissimi, *silentium* in utramque partem imperatum, eoque limam potissimum inductam fuisse. Hujus enim, quando in ceteris verbosa fuit *Richteri* facundia, ut nihil quidquam, quod notabile esset, prætermissum sit, ingenti adhibita industria & multiplici encomio, οὐδὲ γρῦ b) in hoc specimine eloquentiæ non spernendæ legas. Neque etiam in *Carmine* a se condito attextoque ipse *Piccartus* mentionem, vel verbo, famæ istius aut infamiæ, in Epistola ad Illustrem *Volkamerum* tam graviter propositæ, injecit. Denique neque aliquis *Poetarum* ceterorum, *Rinderus* c), *Cellarius* d), *Höfflichius* e), & reliqui, hujusmodi quid attigere. Ipse *Richterus*, cum posset in Præfatione seu *Dedicatione* ad Inclytos Genere meritisque Fratres, *Christophorum* & *Ioannem Sigismundum Füreros*, amicitiam eorum cum *Sonero* vivo admodum deprædicans, pari modo pertinaciter siluit. Solus *Mart. Ruarus* sibi temperare non potuit, quin, tanquam magis positus extra teli jactum, carmini suo, & Phaleuco eleganti, *non esse decorum, barbam vellere mortuo leoni*, adjiceret f). Quantum

a) Tum publicæ etiam Academiæ saluti atque famæ h. m. consulturus.

b) Nisi huc referas *generalia* illa, sed *callide & ambigue* dicta; quando, *apicem religionis nostræ non rerum profundarum scientiam, non sublimem arcanorum cognitionem, sed piam & inculpatam vitam, sed impigram mandatorum Dei observantiam esse*, eum *statuisse* &c. ait, & alia quædam hujusmodi de vera in Salvatorem Christum fide, quæ ambidextre accipi possunt, addit.

c) Verbi Div. Minister Noriberg. de quo Cap. III. plura.

d) *Joh. Cellarius*, Norib. Illustr. Baronum *Ecciorum* t. t. Præfectus seu Ephorus Studiorum.

e) Juris utriusque *Cultor*, (de quo Cap. II. & III. forte nonnulla,) sub id tempus *Jenæ* studiis incumbens.

f) Cujus in obitum *Soneri* Epigramma aliud, ex MSCto productum, vide in Animadv. Philol. *Creenii* P. V. f. 247.

tum ergo in præcipuis præsentis negotii momentis fidei habendum sit huic orationi, & de pietate virtutibusque Soneri tot præconiis graviter peroranti *Richtero*, inde, opinor, plane liquet, & alias quoque, quæ sit virtus argumentorum a silentio petitorum in rebus historicis, est in confesso. Quæ omnia multo luculentius patebunt, quum ipsius quoque *Richteri* Oratoris sensa animi, quæ tum quidem gessit, & pectore adhuc continuit suo a), ad lancem paullo post revocata, dabimus, eumque, uti *Piccartus* in Programmate, d. XVII. Maji A. MDCXIII. Orationi præfixo, loquitur; *defuncti Soneri sanguine propinquum, institutione discipulum, consvetudine familiarem & domesticum, affectu filium, justa exequialia persolvisse*, atque Panegyricum adeo ex professo scripsisse, iterum animo reputabimus. Ceterum idem præcellens *Philosophus*, qua fuit animi integritate, arcanis ad extremum patefactis, veritati cedens, longe aliter, postquam magis compertum erat, quibus cuniculis Soneri discipuli cum Præceptore cuncta actitassent, ad *Kirchmannum*, & sine tergiversatione, scripsit A. 1616. VI. Kalend. Maj. *Ruarus a nobis discessit, aucta eruditione, sed non fama; nam & in castra Photinianorum cum aliis quibusdam adolescentibus concessit, quorum societas non leve vulnus Academiæ nostræ inflixit. Fuit hic Professor Philosophus, Ernestus Sonerus, qui venenum, in Belgio ab Arminio* b) *propinatum, transfudit in discipulos suos, & non nisi optimo ingenio præditos, qui porro plantare possent. Hi jam numerum & sectam trahunt, e quibus aliqui captivi a Senatu nostro asservantur, stipendiarii ipsorum. Quid de illis statuatur, forte post scribam. Ruarus Argentinam concessit, alii Wittebergam, alii Jenam, alii Helmæstadium*, (quorsum & ipse *Richterus* abierat) *insederunt, ut plures in partes suas pertraherent. Deus illis ignoscat, &, nisi in reprobum sensum dati sunt justo judicio, in viam regiam reducat.* Hæc idem *Piccartus* candide, de excusando Collega non ita pridem tantopere solicitus, jam vero meliora & certiora edoctus, qui obscuriuscule tantum fluctuantem, in Epistola superiori, & meliora sperantem animum prodiderat. Ut adeo valde mirer, de impostura tanta, tamque aperta, de qua plura adhuc justo tempore & loco edisseremus, nunc etiam addubitare quen-

a) Compara Cap. III. singulorum pœne adversus *Richterum*, tanquam in decipiendis, aut tentandis certe, aliis perquam, dum desiperet, sedulum, deposita testimonia, & Cap. II. simul *lit. R.* adde; Ex quo, hunc quoque in transversum abreptum Juvenem ad frugem Dei beneficio rediisse, addisces.

b) Meliora his rumusculis lege, supra §. XII suppeditata, originis horum malorum documenta, Cap. III. discipulo-

quenquam poſſe a). Equidem facile præcipimus, quid iniquiori huic de *Sonero* judicio objecturi ſint, imo jam tum obverterint, qui eum a Socinifmi macula immunem cupiant videri : quippe quem, Theologi ὀρθοδοξοτάτου, Jac. *Schopperi*, teſtimonio, ſcriptaque ad eundem *Richterum* Epiſtola, non aliam, quam Evangelio Chriſti conformem confeſſionem, in ipſo fatali lectulo, edidiſſe identidem perhibebunt. Et ſane negari haud poteſt, bonum *Schopperum* ea de *Sonero*, ſecum, dum viveret, ut fieri ſolet inter collegas, quondam ſæpius converſato, atque tandem etiam ſarcinas colligente, perſcripſiſſe, quæ oculatiſſimum quemque nullo negotio in eam ſententiam pertrahere poſſent, quaſi *innocens* omnino ſit Vir doctiſſimus, & cum Socinianis non ſine manifeſta injuria connumeretur. Sed præſtat ipſam Epiſtolam, quam in Memoriis Medicorum *Wittius* b) omiſit, expendendam apponere integram, quæ his verbis concepta fuit:

"*Jacobus* SCHOPPERVS, *SS. Theol. D. & Prof. in Acad. Altorfiana,* "*Ornatiſſimo & Doctiſſimo Juveni, Georgio* RICTERO, *Norimb.* "*Philoſ. & Legum Studioſo, Salutem in Chriſto, Dei & Mariæ filio,* "*Salvatore noſtro unico, precatur.*"

Lubens audivi orationem Tuam, in qua de Natalibus, educatione, ſtudiis, "*virtutibus, eruditione & beato exitu ex hac vita Clariſſimi Viri, Ern. So-* "*neri, Med. D. & in hac celebri Academia Altorf. Profeſſoris & Practici* "*præſtantiſſimi, Affinis noſtri piæ memoriæ, in frequentisſimo Auditorio* "*præclare diſſeruiſti. Eaque mihi non tantum propter elegantiam ſtili, ſed* "*multo magis propter defuncti memoriam, & quia quædam minime vulga-* "*ria continebat, perplacuit: Et occaſionem præſtitit, ut, loco carminis alicu-* "*jus in honorem ipſius & gratiam tuam, pauca quædam, quæ fortaſſis non* "*omnibus ſunt nota, conſignanda putarem: Ea nimirum, quæ ex Converſa-* "*tione ipſius, & colloquiis frequentibus cognovi. Ac initio, quia timor Do-*"

rum in lucem e tenebris protractorum confeſſionibus ſtabilita.

c) Nominatim huc pertinent Cel. Vir *Th. Creenius*, Polyhiſtor inſignis, neque in negotio religionis facile credulus, qui identidem T. V. f. 242. ſqq. atque T. XVI, f. 311. ſq. *Animadverſ. Philol.* id ſubindicat. Cui, quia ex teſtimonio B. Avi ſui jam ſatisfecit Celeberrim. D. *Gundlingius*, *Gundlingianorum* Obſ. II. §. IV. ſqq, noſtrum erit, alia via, ex ipſius *epiſtolæ Schopperianæ rationibus*, rem omnem in aprico ponere.

e) Quæ quidem *Orationis hujus*, de qua diſquiſitio inſtituenda, editio minus præſtans eſt priori. Utpote in qua non ſolum *carmina* illa ſupra citata, ſed etiam *Dedicatio* atque *Programma Piccarti*, ipſa denique hæc notabilis præter cetera *Epiſtola* non comparent. Quæ tamen cuncta, ſuo quæque loco, in *Edit. prima*, forma quadruplicatæ chartæ A. 1614. Norim-

„mini est initium sapientiæ: Defunctus noster verbum Dei ita amabat & „æstimabat, ut sæpius mihi dixerit: Hæc est authoritas & veritas verbi Di„vini, cui si omnes Patres & concilia reclamarent, standum tamen ea, & „acquiscendum est. Sæpe quoque conquerebatur, per certamina in Ecclesia „Dei eo deventum esse, ut multi sua dogmata a) *non ex S. Scriptura, sed ex „Patribus & Conciliis probare conarentur, cum e contrario ipse existimet, „verbum Dei non per opiniones hominum, sed contra hominum opiniones „per verbum Dei, probari debere. Conciones ministrorum Ecclesiæ, qui si„ne ambagibus verbum Dei bona methoda explicant, attentus audiebat, alie„na tractantes negligebat* b). *Creberrime dicere solebat, ex animo se crede„re, Christum esse verum Deum & hominem: Ac se totum Christum tan„quam Deum & hominem, secundum utramque naturam, in una persona „adorare: Eos vero ex animo detestari, qui Majestatem Flii Dei quoquo „modo imminuerent, cui colendo & adorando nulla satis devotio mortalium „esse possit. Ad extremum vitæ, quam in terris egit, actum cum declinasset, „visitavi illum, & quidem ea vespera, quæ ipsius mortem præcessit: nocte „quoque subsecuta circa horam secundam, ipso petente, vocatus adsui, & „Dei gratia ipsum consolatus spe salutis æternæ, in solum Christum, Dei & „Mariæ filium, collocanda: inter alia hæc loca consolationis plenissima pro„posui, Joh. III. sic Deus dilexit mundum &c. Item Joh. V. Amen dico vo„bis: qui sermonem meum audiverit, & crediderit patri, qui misit me, ha„bebit vitam æternam. &c. Addebam etiam exemplum Lazari, cujus ani„ma ab Angelis in sinum Abrahæ deportata fuit. Et Latronis in cruce, „cui Salvator dixit: Hodie mecum eris in Paradiso. Ubi me talia dicen„tem defixis oculis aspiciebat, dictis annuebat, ac precibus consvetis: Herr „JEsu Christ, wahr Mensch und GOtt, der du liedst Marter, Angst und „Spott &c. præeuntem sequebatur, donec Spiritum suum patri cœlesti in ma„nus traderet. De aliis vitæ actis, quia luculenter commentatus es, nihil „in præsentia addo, cum ea omnia non nobis modo Professoribus Academiæ „hujus, sed etiam Auditoribus ipsius, & multis etiam extraneis, notissima sint.*

bergæ apud *Abr. Wagenmann* excusa, leguntur.

a) Quorsum hæc valeant, ex sequentibus, & superiori cum *Ruaro* colloquio, explicare opus est.

b) Collegas pungit *Schopperus*, cum quibus, ut Vitæ eorum docent, alibi enarratæ, nunquam, ne quidem e suggestu, docendo concordare potuit; idem vicissim ab iisdem expertus fatum. Qualia plerumque inter rixosos aut suspicaces etiam Theologos observari solent, utut animarum inter incerta h. m. fluctuantium saluti ut plurimum plus noceant quam prosint, & haud raro sive publicos, sive clandestinos veritatis hostes, quando vel maxime orthodoxiam, in rebus quoque minime præcipuis, crepant, in errore ipso, aut odio certe doctrinæ Evangelicæ, confirmant.

sint. Deus Opt. Maximus propter Filium suum incarnatum defuncto feli-" cem resurrectionem, & nobis omnibus pium ex hac lacrymarum valle excessum largiatur: Nostram vero Academiam, tam excellenti privatam Doctore, in integrum restituat, clementer gubernet, custodiat & conservet, Amen."

Hæc illa est *Epistola*, quæ tot præclaros eruditione & pietate Viros suspensos tenuit, &, ne quid temere, aut inique, sentiretur atque pronunciaretur de tanto Viro, non sine caussa effecit. Cui si quis addat eximium Collegæ conjunctissimi, *Michaëlis Virdungi*, carmen, a), quo, inter alia, is de *Sonero* suo:

Heu probitas! heu prisca fides! heu criminis expers
Vita! venenati, heu, nescia corda doli, &c.

cecinit, eademque *Famæ peplo ipsam Palladem præclaro mox acu intexere non dubitaturam*, asseveravit, quis non crediderit, grandi injuria *Sonerum* afficere, quotquot ei dicam hæreseos clam habitæ, & fraudulenter tamen cum optimis quibusdam discipulis communicatæ, scripserint? Quid enim, ut omittamus candorem celebratum, dilucidius, hac *de Christo Servatore* professione, qua creberrime dicere solitum esse testatur *Schopperus*, ex animo se credere, *Christum esse verum Deum & hominem*: ac se totum Christum *tanquam Deum & hominem secundum utramque naturam* b) in una persona c) adorare: Eos vero

a) Quod, cum reliquis supra jam laudatis, *primæ Orationis Richterianæ Editioni* est adjectum.

b) *Certa* scil. *ratione*, ut *Ruarus* loquitur, scribitque ad *Barth. Nigrinum* Epist. P. I. n. 60. p. 275. ubi & de *satisfactione Christi* similes ambiguitates artificiose textas legere est. Quas pari industria cum ipso *Socino* contra *Wujekum* f. 539. in *Apologia pro veritate accusata*, ad Præpot. Ordd. Belg., *Schlichtingiana* cumulatas invenies, interque eas illam h. l. notabis, ubi f. 10. *Divinitatem Christo, Dei filio, tanquam Regi & Judici omnium a Deo constituto, propriam tribuit.* Sic nuper admodum *Unitarius* ille *Anonymus* in Apolog. contra Hebopffer T. X. & eorum Censf. Confess. Unitariorum A. 1720. 8vo p. 55. Wir negiren nicht die *wesentliche*, sondern die allerhöchste Gottheit Christi &c. qui & alibi sæpius haud dissimilia eodem sensu factitio fictitioque scripsit. Cujusmodi etiam *Przypcoviana* illa fuit hypothesis aut formula, qua *Christum filium Dei proprie & sine figura* visus est in *Apologia ad Sereniss. Elect. Brandenb.* statuisse, & in subsecuto *Hyperaspiste* defendisse. Recte enim de hac liberalitate *A. E. Lips. Collectores* celeberrimi, quando in recensione Opp. *Sam. Przipcovii* A. 1692. f. 422. occupati fuere, monuerunt: Quamvis ex essentia Patris etiam filium natum docuerit, atque suis etiam hinc invisus fuerit, *tantum tamen abesse, ut genuinam veritatis lucem illis propius multo conspexerit, ut subtilius potius errasse dicendus sit. Divinam enim quidem naturam, æque ac humanam in Christo agnoscit, sed illam succedere humanæ, quam expellat, sibi persuadet, adeoque nec æternam generationem, qua in divinam naturam Christus genitus est, sed in tempore factam,* (i. e. non naturam sed potestatem,) *intelligit.*

c) Parum abest, quin plane credam,

vero ex animo deteſtari, *qui Majeſtatem filii Dei quoquo modo imminuerent, cui colendo & adorando nulla ſatis devotio mortalium eſſe posſit?* Quid ſpectabilius, Virum moribundum Cantici verba præclariſſimi: *Herr JEſu Chriſt, wahr Menſch und GOtt &c.* præeunte eodem Theologo, donec Spiritum exhalaret, devote recitaſſe? Nihil profecto videtur ſolidi tam luculentis veritatis indiciis, niſi a ſuſpicaciſſimo homine, opponi poſſe. Sed omittam, haud diſſimilia *Hugonis Grotii*, in extrema linea vitæ conſtituti, fuiſſe fata, *eademque* eleganti plenaque ſolatii *Cantilena* recitata illum *Roſtochii* ſubiiſſe A. 1645. extremum hujus vitæ cataſtrophen a); de qua *Abr. Calovius* arbitratus eſt, ex *generali* ejuſmodi profeſſione, ſub qua Arminianum, Papiſtam, *Socinianum*, Arianum quemque latere poſſe, certum ſit, recte ſentire aliquem, non liquere b) Illud tamen potiſſimum ad animum revocari velim, interdum contingere, ut, qui in mortali hac vita minus ſana imbuti fuerant ſententia, ad extremum tandem, in ultimo probationis igne conſtituti, eam abjicant, divinoque beneficio virus mortiferum exſpuant. Unde profecto, a labe aliqua doctrinæ haud ſinceræ, per omnem vitæ decurſum, procul abfuiſſe ejusmodi hominem, non tam ſolide efficitur: Quodſi de *Sonero* idem dixeris, minime repugnantia hactenus affirmari, plane perſvaſum habemus. At enim vero ſunt etiam alia quædam majoris momenti indicia, ex quibus, parum eſſe hiſce colloquiis, & a Viro licet ſoſpite etiam quondam atque incolumi pronunciatis, nominatim vero confeſſioni ad *Schopperum* editæ fidendum, intelligas, ſi rerum *Statum*, h. e. concertationes & diſſidia *in Altorphina Academia* ſub id tempus, magno animorum motu agitata, æqua lance expendas: ea potiſſimum, quæ ipſi *Schoppero* cum Collega erudito, ſed dicaci magis, quam facundo, Ioh. *Kiliano Sprembergero*, præter alia, de *Adoratione* inprimis *Carnis Chriſti*, diu interceſſerant. Ubi pollicem priori preſſiſſe hominem *Socinianum*, poſterioris neglecta hypotheſi, quippe *Socinianis* etiam adverſa placitis, & ab ipſo *Socino* tam fortiter contra *Frid. Davidis* & aſſeclas de ſen-

hæc a *Schoppero*, ut ipſe priora intellexerat, aut certe interpretatus erat, quæ de Deo & homine dicebantur, ex ſua ipſius mente appoſita eſſe: niſi in ipſo mortis agone, ὡς διὰ πυρὸς, ad ſaniora rediiſſe *Sonerum*, quod ſoli Deo cognitum eſt, dixeris. De quo mox diſſeremus incerto eventu.

a) Conf. *Joh. Quiſtorpii* Epiſtola de *Hug. Grotii* obitu A. eodem ſcripta, quæ habetur in *Præſt. & Erud. Vir. Epiſt. Eccleſ.* f. 794. Edit. in 8vo, & in fol. A. 1704. num. 583. p. 825. ſq. Ubi, qua occaſione *Roſtochium* compulſus ſit, maris tempeſtate jactatus, ſimul narratum legitur.

b) Vid. ejus *Obſ. ad Grot. Præf. Bibl. in* Bibl. Illuſtr. §. IX. f. 19. fac. a.

fensis a), nullatenus miramur, eaque de caussa cumprimis de adoratione in istac confessione extrema loquutum esse, & *imprudenter* quoque *interrogatum* fuisse, animadverti volumus. Neque etiam verum Deum hominemque JEsum Christum agnovisse *Sonerum*, quod in Socinianorum scriptis passim reperias, insolitum est; *Summum* enim *&* *æternum Deum* dixisse, nunquam istic legas. A qua confessione quando & *Sonerus* abstinuit, non obscure subdolam eum mentem & heterodoxam prodidisse, aut potius etiamnum involvisse, verisimilius existimaverim b). Adhibitum ergo optimum *Schopperum* ad Epistolam conscribendam fuisse, plane credimus, ut *pia* ille *credulitate* sua, de qua infra pluribus disseremus c), *Richtero*, non minori vafritie eum ad id faciendum existimulanti, *dum meliora adhuc omnes crederent*, suppetias ferret. Atque hæc universa ex subsequentibus adhuc clarius patefactum iri confidimus. Hactenus enim ex ista suspensa, nescio qua arte, hedera parum certi confici posse, satis erit, ὡς ἐν παρόδῳ monuisse. Ex Schola autem *Soneri* sua plerosque *Crypto-Socinianorum* accepisse & placita infelicissima, & tela quoque, quibus pro iisdem propugnarunt, ipsorum Juvenum ab hoc Magistro deceptorum confessione ad extremum denique luculentissime compertum est. Neque etiam ipse *Ruarus*, ac ceteri errorum pestilentium sodales, *novos* hosce *Socinianos* sine circuitione dubitarunt appellare *eos*, *qui e Soneri disciplina profecti sint*, *Fratres* d). Ne quid de supellectile librorum *Soneri* dicamus. De his enim

 alibi

a) Vid. instar omnium *de Jesu Christi invocatione Disputatio*, *quam Faustus Socinus per scripta habuit cum Franc. Davidis A.* 1578. *&* 1579. *paullo ante ipsius Francisci obitum:* quæ Opp. (Tom. I. Bibl. Frr. Polon.) P. II. f. 708. sqq. excusa habetur. Cui Colloquium cum *Christiano Francken* habitum addatur.

b) Tacemus alia, quæ doctissimi Philosophi hujus & Medici alienum oppido a nostra Ecclesia animum, externorum licet sacrorum qualemcunque communionem præ se studiose ferentem, prodiderunt, & a b. *Casp. Hofmanno*, Collega sagaci atque attento, ad exemplar hujus orationis & Epistolæ annotata, in *Bibliotheca* instructissima Celeberrimi nostri *D. Joh. Jac. Bajeri*, Medici Ordinis nostræque Universitatis ornamenti illustris, supersunt.

c) Confer Cap. III. §. XIX. typis descriptam illius *Apologiam* incusationibus *Vogelii* oppositam: in qua ipse diffessus non est, se, cum & *Gittichius Arianam* hæresin nollet sibi imputari, *existimasse*, eum divinitatem Christi omnino credere, nihilque hactenus de *Photinismo* cogitasse: quem tamen non ignotum esse poterat, aut debebat certe, in *Transsylvania* & *Polonia* sub id tempus vires recipere, latissimeque diffundi.

d) Vid. P. II. Ep. *Ruari* n. XVI., totumque illum Libr. Memorialem, ut vocatur, *Val. Smalcio* a *Ruaro* oblatum, animo expende: quippe qui plurimum lucis huic sodalitio vinculis jam firmis obstricto affundit.

alibi commentandi aliqua dabitur occaſio; ubi forte, & *Crellium* ſubinde hujus *in errore præceptoris ſui* perhonorificam inieciſſe mentionem, obſervabimus. Vid. interim ejus ad *Gittichium Epiſtola* a), ubi ad complicem hunc ſcribens *Soneri noſtri, piæ memoriæ*, venerabilem mentionem facit. Et adde, quæ *Th. Creenius* b) ex vita ipſius *Crellii*, ut putat, manu conſignata refert, ubi, inveniſſe ſe inter ipſos Academicos, qui veritatis ipſi faculam adlucerent, eum ſcripſiſſe, & ad marginem Exemplaris ſui *Erneſtum Sonerum* nominari, eamque marginalem notam quoque vitæ *Editioni Belgicæ* 1663. 4*ta forma* emiſſæ c) contextui ipſi, ſine dubitatione, inſertam eſſe, monet.

§. XX.

At enim vero non *Sonerus* tantum in Academia *Altorphina*, læta frequentia de reliquo tunc exſplendeſcente, huic malo genuinam cauſſam d), præbuit, infelici lolio agrum, tam fertilem alias bonæ frugis, conſpergendo, ſed inter Theologos etiam nonnulli, qui ſub initium Sec. XVII. & præcedentis jam elapſi exitum illic publice juventutem docuere, *aliquo modo* ab eventu tam ſiniſtro licet aliud agendo, & quaſi *ex accidenti* e), participaſſe videntur. Horum enim quidam, vel in Schola ipſius *Philippi Melanchthonis* adhuc enutriti, vel partibus Philippi & aſſeclarum ſupra modum addicti, a recto tramite haud raro (diverſa ſive loquendo ſive ſentiendo,) ceteris deflectere credebantur. Certe, cum nonnulli a *Formula Concordiæ* propter dogma *Ubiquitatis* f), quod viſum eſt illic inculcari, alieniori eſſent

a) Quæ attexta eſt T. IV. *Opp. Exeget. Joh. Crellii* fol. 541.

b) P. V. Animadv. Philol. fol. 244. ſq. *Crellii* autem manu eam non eſſe ſcriptam, alibi commonſtrabimus: quippe quam rectius callemus, &, cum hoc MSCto comparatam toto ab eo cœlo diſtare, deprehendimus.

c) Eam nunquam nobis conſpicari licuit; a *Piſtoriana* vero non differre, quæ Operibus *Crellii* in *Biblioth. Frr. Polonorum* antepoſita eſt, vel ipſa collatio MSCti *Creeniani* animadvertentes edocebit. Quod reliquum eſt, interpretem hujus vitæ Belgicum *Franciſcum Cuperum* fuiſſe, idem Celeb. *Creenius Animadv.* P. V. f. 244. obſervavit.

d) Utut, principem fuiſſe, non ſit, cur dubitemus.

e) Incruſtando videlicet magis erori, & coloribus inducendo, larvaque hinc ſumta, etiam occultando, *occaſionem* litigiis ſuis præbentes; tametſi alia illi omnia ſpectarent.

f) Ita *per compendium*, non ſcomma, ex conſuetudine iſtius ævi, loquimur. Alii ſane commodius *Majeſtatem omnipræſentiæ* communicatam H. N. Chriſti appellare ſolent. Utut ſit, hæc certe inter Collegas litigandi materia fere unica fuit, paucis *Schoppero*, plerisque contra, *Philippi* ſcil. Scholam amantibus, quantum ad hoc, parti diſſentienti applaudentibus. Quam etiam ob rem *Matth. Bergius Bruns-*

eſſent animo, non potuit non fieri, quin in Diſputationibus quibusdam, ſeu rationi, ſeu Philippi, ut nominari malebant, Sectatorum aliquibus argumentis probabilioribus, & ambiguitate verborum incruſtatis, plus juſto faverent: in iis præſertim controverſiis, quæ *de Chriſto*, ejusdemque *Perſona & Communicatione*, ut Theologi vocant, *idiomatum*, magna animorum exulceratorum contentione tum temporis paſſim ventilabantur. Tametſi enim ea facta ſint, quod graviſſimæ objurgationes, a *Curatoribus Acad. illuſtribus* ſæpe numero perſcriptæ, & coram expoſitæ, teſtantur, *Inclyto Senatu Norimbergenſi* prorſus *invito* & refragante; quem miris pollicitationibus, & *flexiloquis* ambiguiſque *confesſionibus* ſemel iterumque editis, immo & *colloquiis*, concordiæ inſtaurandæ cauſa aliquoties inſtitutis, diu circumvenerunt a); tamen fieri aliter non potuit, quin ſubinde quædam minus accurate dicta in animis curioſorum, aut jam occupatorum, juvenum hærerent. Numerantur in his (ut nunc omittamus *Joh. Piccartum*, Michaëlis, Philoſophi, genitorem b), Georgium *Sigelium*, Biblioth. Acad. prima fundamenta ponentem, virum perquam eruditum, & *Edonem Hildericum*, Friſonem nobilem,) præcipui M. Georgius *Volkartus*, M. Jac. *Jordanus*, & M. Joh. Kilian *Sprembergerus*, (ut taceamus quosdam obſcuriores,) Jacobi *Schopperi* Collegæ. Omnium vero maxime frigidam affudit poſtremus ille, ſed in diſputando primus, *Sprembergerus*, quippe qui propius etiam eam ætatem attigit, in quam ſemina illa *Socinifmi* infeliciter ab aliis, nec opinantibus Theologis, ſparſa incidere. Is enim non ſolum laudato *Schoppero*, ſub finem Sec. XVI. huc evocato, quemadmodum paullo ante & *Volkartus* conſueverat, negotium faceſſere, quoad vixit in Academico munere, a quo deinceps amotus eſt c), nunquam deſiit:

vico dimiſſus, & nuper admodum defunctus, *Altorphium* conceſſerat, ibidemque cum publico munere *Prof.* videlicet *Phil. Moral.* etiam libertatem ita ſentiendi, uti ex *Rethmeiero* conſtat, impetraverat.

a) De quibus Vitæ deſcriptiones *Schopperi*, *Volkarti*, *Sprembergeri*, *Jordani* &c. conſuli poſſunt. Neque enim, hæc in præſentia deſcribere aut repetere, inſtituti ratio permittit & convenit.

b) Primum Theol Prof. & γνήσιον Philippi Melancht. diſcipulum.

c) *Adulterii* crimine commaculatus: qua de re quia poſt vitas Theol. editas dubitatum eſſe alicubi obſervavimus, en novum b. *Schröderi*, Laurentiani t. t. Antiſtitis Noriberg., Teſtimonium, qui ad *Joh. Gerhardum*, Theolog. famigeratiſſimum, d. XXVII. Auguſti A. 1613 ſequentia perſcripſit: *Quid apud nos acciderit, vobis innotuiſſe opinor. Sprembergerus noſter, qui antehac iniqua ſophiſtica oppugnabat eum, de quo dictum eſt: Gloria & honore coronaſti eum; nunc honoris ſui magnum facit naufragium. Quarta hodie cœpit ſeptimana, qua detinetur in cuſtodia, dejectus ab officio, & damnatus ad carcerem menſtruum, in quo vivendum eſt pane &*

desiit: Verum etiam, ut ad scopum propius accedamus, litem illam tam gratam Socinianis, frequentemque in scholis scriptisque materiam, de *Christi Hominis Adoratione*, præ ceteris movit, defenditque publice & privatim, inter varias dissimulationes, Negantium placita, *declamendo* non minus, quam *disputando* & *colloquendo*, ut vix interquiescere Collegæ optimo & vigilantissimo liceret. Quibus motibus tota, de Communicatione Majestatis Christo secundum humanam naturam facta, eademque maxime ardua, doctrina accessit, quæ, quoniam in his terris inde a *Formulæ Concord. promulgatione* in utramque partem liberius ventilata erat, priores illas turbas, plane connexas, præter omnem intentionem opinionemque, mirifice auxit.

§. XXI.

Quanquam vero aperte & candido pectore hæc fateamur, at tamen iniquius de nova hac sede Musarum, & fortassis ἐκ ἄνευ παθῶν, judicavit in *Annalibus Hist. Ecclesiast.* a), ea tempestate editis, & ad Sec. XVII. initium usque continuatis, *Lucas Osiander* b), *Calvinianam Scholam, & erroribus istis tantum non destinatam consecratamque* fuisse, perperam asserens, iterumque, quod semel videbatur excidisse, perperam repetens. Ita sane Cent. XVI. Epit. Hist. Eccl. ad A. 1575. scripsit satis aperta fronte: *Eodem hoc anno Schola Altorfina a Senatu Noriberg. aperta est, d.* 29. *Iunii, primo ejusdem Rectore Val. Erythræo, qui paulo post obiit. Habet autem hæc schola plerumque & plerosque Professores & Auditores Calvinistas, præter unum Prof. Theologum sincerum, D. Iac. Schopperum. Cui ipsius Collegæ in ministerio & schola, & studiosi, omnes fere Calvinistæ, sunt molesti. Neque id Senatus Noriberg. ignorat.* Et ad A. 1581. *Hoc anno*, inquit, *Noribergenses ab Imperatore Gymnasii Altorphini Privilegia Academiæ impetrarunt, eamque in die Petri & Pauli solemni pompa introduxerunt. Hæc schola bona quidem intentione a Senatu Noribergico aperta, sed in perniciem Ecclesiæ* nata

aqua, ob crimen adulterii cum ancilla commissi, & reliqua. Nam quæ sequuntur, de *Mart. Schallingio*, *Eilhardo Lubino*, & *Gerhardo* ipso tandem, in ejus locum arcessendo, agunt, & in Vita b. *Gerhardi* non ita pridem a Ven. E. R. *Fischero* elegantissime diligentissimeque conscripta f. 207. legi queunt, nec ad præsens institutum nostrum pertinent.

a) Ex Centuriis Magdeburg. qua priora secula usque ad XIIIum compendifactis, & subinde etiam locupletatis: De quibus Celeb. *Fischlinus* conferatur *Biograph. Würtenb.* Theol. P. I. f. 148.

b) *Senior* videlicet, *Andreæ*, nostri quondam, de quo supra, filius, Norib. natus A. 1533. præterque alia munia sacra, & fortuna quidem varia administrata, *Abbas Adel-*

vata videtur. Multo enim plures Calviniſtas, quam ſinceræ Theologiæ ſtudioſos producit; & reliqua. Iniquum profecto judicium, de re, vel non ſatis comperta, vel certe obſcurioribus documentis comprobata, pronunciatum: niſi ex eo prorſus fonte promanavit, unde fit, ut, ſi quis ſiniſtra jam imbutus eſt opinione, non liceat cernere verum. Quis enim ignorat, *Illuſtrem Rempublicam Noriberg.,Eccleſiamque* in ea divinitus collectam, *Formulæ Concordiæ* nomen haud ſubſcripſiſſe, neque adhuc eam publico & ſolenni applauſu recipere a)? Numquid vero, quisquis ab ea Confeſſionis formula quomodocunque, aut quibuscunque de cauſſis, abſtinet, neque imprudenter aut temerario auſu id facit, *Calviniſmi* idcirco vel deterioribus etiam elogiis mactandus erit? Ut ergo conſtet, quid tandem illud fuerit obſtaculum, quod tam infeſtos reddidit nonnullos Academiæ Noribergenſis, ceteroſque prope omnes ejus Reipublicæ, Theologos; Ecce! non abſolutum aliquod decretum; non veræ & ἀδιαςάτε præſentiæ C. & S. C., in Sacræ Coenæ Myſterio, negationem; non efficaciam Sacramentorum in univerſum, forte haud agnitam; ſed *in dubium vocatam* a quibusdam, *ad exemplum Eccleſiarum Lüneburgicarum* b), *Communicationem ſecundi*, aut (ſec. Form. Conc. ordinem) tertii, *generis, divinorum idiomatum*, certa quadam ratione pomum illud Eridos fuiſſe, *Lector Benevole*, ſcito; ex quo, non tam projecto, quam arrepto, h. e. a Saxonicis Eccleſiis preſſius definita parte illus doctrinæ, quam *Libri Normales* indefinitam c), ſuis reliquerunt, omnis illa invidia

I ſub-

bergenſis, atque Superint. General. *Eslingenſiumque* ad extremum Paſtor, a quibus miſſione impetrata *Stutgardiæ* tandem diem A. 1604., *privatam* aliquantiſper vitam agens, obdormivit, cum filio cognomine, Cancellario Tubing. non commiſcendus, & ex *Paraphraſi Libr. Scr. S. univerſ.*, ſcriptisque adverſus *Puccium, Stu mium, vaſſium, Piſtorium, Heydelbergenſes* &c. ſatis notus.

a) Rationes in Vita *Helingi* (Mauritii) Antiſtitis Noriberg. Eccl. A. 1714. in hac Univerſ. publ. 4to §. inprimis XXXVI. ſqq. expoſitæ leguntur. Orthodoxiæ tamen hujus Eccleſiæ, divino beneficio, nihil deceſſiſſe, in hunc usque diem conſervatæ, & ad ſeram poſteritatem, eadem adſpirante gratia cœleſti, eam propagatum iri, omnium conſenſione affirmari & ſperari, credimus.

b) Nec non *Holſaticarum* & *Danicarum*, ut alias taceamus, quod in præſenti non agimus, ſed invidiam tantum *Noribergenſibus* a Cive quondam ſuo, (Noribergæ enim natus eſt A. 1534. *Luc. Oſiander*,) & paternæ indolis hærede, motam declinamus.

c) Niſi quod in *Reſp. de Contr. Stancari* f. 1035. (ad quem locum vero b. *Schröderi Sceptrum Regium Chriſti* f. 486. & 503. immo tot. Cap. VI. conferri poteſt,) prædicationes *in abſtracto* rejici videntur. Quæ tamen ita etiam in *Liturg. publ.* f. 1057. lin. 1. ſqq. explanata ſunt, ut, quid deſiderare queant etiam rigidiores, vix perſpiciam. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

ſubnata eſt: Sed, quamvis fuerint qui cum *Helmſtadienſibus* heic loci eadem ſenſerint, tamen *duriuſcule*, ut molliſſime dicamus, exinde *Calvinianam Scholam*, in qua illa libertas viget, appellari, credo, omnes intelligent, imo vero aliqui etiam convitio, aut injuriæ ſaltim, id ſimile exiſtimabunt. Præſertim cum non abeſſent in eadem ſocietate ſacra, qui modeſte reliquis in his quoque partibus adverſarentur, & contraria omnia, cum ſentirent, tum etiam docerent. De *Piccarto*, primo omnium hujus Academiæ Theologo, compertum eſt, diſcipulum fuiſſe *Philippi*, ſed moderatum, & a controverſiis vehementioribus abhorrentem. *Sigelium* accuſatum ſæpenumero a *Joh.* potiſſimum *Schelhammero*, Laurentiano Antiſtite Noribergenſi, equidem meminimus; at vindiciæ quoque viri ſolertis & eruditi præſto ſunt complures, in quibus maſcule infamiam peregrini dogmatis a ſe, una cum Collegis, amolitus eſt a). *Edonem Hildericum*, nobilem *Friſonem*, loco ſuo *Heidelbergæ* equidem motum eſſe, non neſcimus, ſed ſolius quoque *Formulæ Concordiæ*, ob ſupra dictam unam particulam, repudiatæ cauſſa diſcedere maluiſſe, quam temere illud, de quo certus nondum erat, dogma ſtatuere aut affirmare, exploratum habemus. In Loco enim principe, *de S. Cœna*, tantum abeſt, ut cum *Calvinianis* idem cornu inflarit, ut teſtem omni exceptione majorem producere queamus, ipſum *Joh. Jac. Grynæum*, diſſenſus hac in parte a ſe ſociiſque ſuis, in Epiſtola ad *Chr. Andr. Julium* b), mentionem dilucide facientem. De *Volcarto* res obſcurior eſt, fateor, cujus & cum *Schoppero* altercationes, uti & *Jordani*, alterius Collegæ, ad *L. de Perſona Chriſti* potiſſimum attinebant, & primarii quoque motus, ſuper diſputatione de *Perſona Chriſti* A. 1598 exorti, ſatis ſuperque id edocent. De ceteris enim Fidei capitibus non auſim quidquam Viris

a) In quibus digniſſima eſt lectu *confeſſio* Perilluſtri Senatui *de S. Cœna* potiſſimum A. 1584. menſe Decembri oblata, & aliquoties ad A. usque 1598. aliis verbis, occaſione alia ſæpius poſtulante, repetita. In qua etiam, cum judicio Theologorum & Antiſtitum Noribergenſium ſubjiceretur, nihil illi deſiderarunt, quam quod ambiguitatibus, ſi ſecus forte exiſtimaret *Sigelius*, adhuc locus eſſe *queat*. Quod notabili ſpecimine ex *Kauffmanniana* Epicriſi excerpta in *Appendice Vitarum Theologg. Altorph.* ad G. *Sigelii* fata demonſtratum eſt.

b) Quæ, inter editas A. 1715. ab *Amico noſtro*, humanitatis & doctrinæ laude *Clariſſimo M. Sig. Jac. Apino*, Grynæanas, ad eundem Virum Nobiliſſimum, ordine duodecima eſt, ubi verba huc pertinentia f. 40. habent: *Gratulor Altorfianæ, immo Noribergenſi, Academiæ Edonis Hilderici operam. Et ſi in Euchariſtico negotio idem cum Lutheranis ſentit, tamen ab ubiquitate ſerio abhorret, & Vir bonus eſt* &c.

Viris præclare doctis temere imputare c). Solus igitur *Spremberge-*

I 2 *rus*

c) Nisi forte ille ipse sit, qui, assumta *Laosthenis Diorii* larva, *Examen der Schopperischen Thesium oder Schluss-Reden von dem H. Nachtmahl* A. 1605. 8vo publicavit. *Diorium* enim, ubi tum vivebat, *Amberga*, & *Laosthenis* nomen ipsa *Volckhardi* Germanica analysis produnt. Quanquam neque hisce satis confidamus amplius uti in *Vitis Theol. Altorph.* factum est, postquam tam fortunatis esse nobis licuit, ut Comment. ejus ad Examen *Philippi Melancht.*, qui tandem etiam post integri seculi decursum nuper comparuit amplissimus doctisfimusque, præter alia monumenta l. c. commemorata, perlustrandi copia data fuerit. Utpote in quo etiam de *S. Cœna* ita dilucide docuit, ut præsentiam C. & S. Christi veram & realem operose adstruat, & a *Zwinglii* placitis suam quoque sententiam solicite distinguat, &, nisi forte *Calvini* illam mediam, ut visum est nonnullis, approbet, de reliquo, prorsus orthodoxus videatur. De *Jordano* vero, tantum abest, ut sinistræ famæ locus sit concedendus, ut potius a tota Academia, ipsisque adeo Theologis non suspectis, tanto mactatus elogio sit, cum discederet *Pommelsbrunnam* dimissus, quantum vix præstantissimus alter desideraverit. Quæ quidem ut vel in supplementum *Vitæ* haud ita pridem descripta breviter addi, eaque hinc, cum innocentia Viri meritissimi, illustrari possit, en! ipsam illam προτρεματικὴν Epistolam κατὰ πόδα hunc in modum atque his verbis conceptam:

RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ
Norib. Altorfinæ
Lectori benevolo Salutem.

„Si quis forte adeo rerum humanarum „ignarus est, ut dubitet de fide veteris „verbi, quo dici solet: Mundum can„crino gressu uti; ille vel hinc argumen„tum sibi petat, quod, quo majori dignitate & honore tractari debebat illud ho-" minum genus, quod sacra tractat, & no-" bis ad salutem æternam viam præit, eo" contemtius esse vulgo videmus, omni-" umque pæne libidini & calumniis sub-" jacere, id quod non dolendum modo, sed" & detestandum est. Movit improbus" hic seculi mos Reverendum & Clar. ssi-" mum Virum, Dominum *M. Jacobum Jordanum*, Eccl. Diaconum & Academiæ Pro-" fessorem Catecheticum, Collegam &" Amicum nostrum honorandum, ut, cum" ex decreto Amplissimi Senatus præpo-" tentis Reip. Noribergensis hinc in vici-" niam commigraturus esset, ubi & recti-" us rebus suis consultum esset, & sene-" ctutem suam honestiori curare posset" otio, testimonium vitæ in oculis nostris" actæ a nobis amanter & officiose pete-" ret, munimentum adversus improbita-" tem hominum, pabulum suæ conscien-" tiæ, & speculum, in quo se filii quando-" que sui contemplarentur, & ut paternis" vestigiis insisterent, incitarentur. Cujus" honestissimæ petitioni, cur assentiremur," præter ipsam nudam & simplicem veri-" tatem, cui testimonium negare honestus" nemo debet, graves alias quoque habui-" mus causas & prægnantes. Et quanquam" prorsus non ambigimus, quin ille se sa-" tis omnibus bonis commendaturus dein-" ceps sit, tamen, ut Collegæ optime de" nobis merito, ut Amico honorando, &" a quo invitissimi divellimur, præstemus," quod petebat, hæc ipsa, Veritate exau-" diente & approbante, de hoc *M. Jordano* profitemur: Norimbergæ urbe Ger-" maniæ celeberrima honestis parentibus" natum, pie & liberaliter eductum, ubi" ingenium literarum capax in eo depre-" hensum, beneficio Amplissimi Senatus" sublevatum, & in numerum Alumnorum" cooptatum, inde Altorfium Jenamque" missum, ibidem in studiis Philosophicis"

rus a), relinquitur, cujus de recta in doctrina cœlesti ſententia plus, quam

„eo progreſſum, ut prima laurea, quæ eſt
„Magiſterii, publico conſilio & conſen-
„tientibus omnium ſuffragiis ornatus fue-
„rit. Studia deinde Theologica ea dex-
„teritate & induſtria tractaſſe, ut e pluri-
„bus unus dignus & idoneus Ampliſſimo
„Senatui videretur, qui hoc in loco Dia-
„coni honoratiſſimo munere fungeretur,
„&, vacuefacta in Academia Catechetica
„Profeſſione, eidem præficeretur. Utram-
„que provinciam & ſpartam ſuam ſic ex-
„ornaſſe, ut & fideliter cuſtodiret τὴν πα-
„ρακαταθήκην & ſanctum verbum Dei depo-
„ſitum, averſaretur autem de rebus ina-
„nibus clamores, & oppoſitiones τῆς ψευ-
„δωνύμου γνώσεως, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσιν
„μᾶλλον, ἢ οἰκοδομὴν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει καὶ ἐπὶ
„πλεῖον προκόπτουσιν ἀσεβείας; retineret quo-
„que in docendo ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λό-
„γων, quos a Præceptoribus ſuis didicerat,
„memor illius τοῦ μεγάλου Lutheri ſenten-
„tiæ, novas Phraſes nova in Eccleſiam dog-
„mata importare ſolere: ipſum & τῆς ἀλη-
„θείας λόγον recte ſecaret, ut a diſcipulis
„cum fructu perciperetur, & omnis obſcu-
„ritas tolleretur, adeoque τὸ κήρυγμα ipſi-
„us non verſaretur ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σο-
„φίας λόγοις, ἀλλ᾽ ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυ-
„νάμεως. Erga ſecus ſentientes lenem fuiſ-
„ſe novimus, καὶ παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατι-
„θεμένους ἐν πρᾳότητι, memoremque Pauli-
„ni præcepti: Servum Domini non debe-
„re pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes,
„paratum docere, & tolerantem etiam ma-
„lorum, quibus & Deus quandoque dare
„poſſit, ut reſipiſcentes agnoſcant verita-
„tem, & elapſi ex diaboli laqueo, quo ir-
„retiti tenentur, mentis ſanitatem reci-
„piant, & voluntati divinæ ſe ſubmittant.
„At vero eos qui diſſidia & ſcandala ſe-
„rebant inimica doctrinæ orthodoxæ, de-
„ſerebat & ab iis declinabat &, cum res
„ferret noverat eos ἐπιστομίζειν, & in os
„redarguere atque convincere τοὺς ἀνυπο-
τάκτους καὶ φρεναπάτας. Vitam privatam"
teſtamur etiam fuiſſe probam & prorſum"
exemplarem. Utque in doctrina reti-"
nuit ſemper ἀδιαφθορίαν καὶ σεμνότητα, in-"
tegritatem & gravitatem; ita ſeipſum præ-"
buit perpetuo τύπον καλῶν ἔργων, & ſtuduit"
περιπατεῖν εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω, ἵνα μὴ εἰς"
ὀνειδισμὸν & probrum incideret calumnia-"
toris; fuitque adeo domus ejus non tam"
familia aliqua bene conſtituta, quam Ec-"
cleſiola quædam pura & inculpata. At-"
que ita vivendo, *Optimus Vir*, & favo-"
rem omnium bonorum promeritus eſt,"
& ipſe contra bonis omnibus ex animo fa-"
vit. Unde nemini obſcurum eſſe poteſt, &"
ipſum a nobis omnibus & ſingulis non ſi-"
ne gravi ſenſu avelli, & nos viciſſim talem"
Collegam, tamque pium doctumque & bo-"
num virum, invitos amittere. Verum"
quia non ſunt hominum greſſus, ſed"
Deus eſt, qui dirigit omnia, adquieſcen-"
dum eſt in ſancta ejus voluntate, cui"
contravenire velle ulla ratione non tan-"
tum ſtultum eſt, quia irritum, ſed & im-"
pium & abominabile. Dimittimus igi-"
tur *Reverendum* hunc *Collegam noſtrum*"
cum hoc Elogio: Meliorem alterum vix"
a nobis recedere potuiſſe; & cum hoc"
voto, uti felix illi ac proſpera ſit hæc"
migratio totique ipſius familiæ: Quod au-"
tem omnibus bonis commendatiſſimus"
ſit futurus, ipſius Pietas, Doctrina & Vir-"
tus nos jubent eſſe certos, quam tamen"
ſententiam noſtram ut re ipſa boni omnes"
approbent, rogamus, & noſtra viciſſim,"
in re ſimili, ſtudia pollicemur. In cu-"
jus rei, & eorum, quæ diximus, fidem"
literas has publicas ſigillo Academico"
communire voluimus, quæ data A. D. ."
. . . .

a) Atque is etiam, quod miramur, A. 1605. demum, *Oſiandro* jam A 1604. d. 7. Septembr. defuncto, huc arceſſitus.

quam de aliis, dubitatum eſt, neque etiam, longius eum in quibuſdam receſſiſſe a cœleſti veritate, diffitemur. Atqui prius, quam iſte, (incertum, Vir eloquens an loquax dicendus, certe egregiis alias, pluribuſque dotibus, ad docendum alios valentibus, probe inſtructus,) ad Theologiæ Profeſſionem ſuſcipiendam eo translocaretur, e Parochia *Vorrenſi*, cujus ante Paſtorem egerat, jam ſua in lucem emiſerat Collectanea bonus *Oſiander*, & poſtea mox, quum plane compertum eſt, ſuſpicionem de ἑτεροδιδασκαλία hominis vanam haud eſſe, exutum munere ſuo *Inclytus Senatus*, ex Academia, quam & Vitæ male actæ infamia commaculaſſe diximus, excedere juſſit. Atque ita iidem *Proceres Illuſtres*, quam ſevere cenſuram in *Calvinianos* vere tales inſtituerent, ſed convictos revera, (ſi enim accuſaſſe, ea præſertim ætate ſuſpicioſiſſima, ſuffeciſſet quis fuiſſet innocens?) abunde demonſtrarunt. Neque vero Academiæ etiam *Altorphinæ* proprius fuit is morbus, ſicuti obtrectatoribus forte viſum eſt. Ejusmodi enim labe alias ſubinde Muſarum ſedes, ad tempus certe, exeunte ſec. XVI. laboraſſe, donec divino beneficio ſanarentur, quis neſcit? At proinde cur tam indignam *Altorphio* maculam, & quidem ita operoſe eam Lectoribus inculcatam, ſemel iterumque adſpergeret Theologus alias Hiſtoricusque haud imprudens, non ſatis cauſſæ habuit. *Sed felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas*, quas pluribus jam repetere, vel locupletare & illuſtrare, nihil attinet. Vtinam vero Vir optimus, Hiſtoriæ ſcribendæ legum bene memor, non ſolos, ſi qui fuere, morbos exaggeraſſet, ſed habita eum in finem, ut medicina ſalubris pararetur, *Colloquia*, *Dehortationes*, ſeriaque *Monita*, cum auctoritate, & ſpe emendationis a), iterum iterumque adhibita, *Judicia* denique ſuper ea re a diverſis requiſita, traditaque Illuſtri Magiſtratui, & ab eo viciſſim litigantibus propoſita, piamque *Prudentiſſimi Senatus* ſollicitudinem non ignoraſſet, ſeu dedita opera haud ſiluiſſet! Utinam, liberam B. *Schoppero* facultatem docendi nunquam fuiſſe ademtam, ſimul docuiſſet *Lectorem*, eumque victoriam reportaſſe tandem ab Adverſariis, quorum alter, *Volcartus*, ex indignatione valedixit Academiæ, *Ambergam* commigrans; alter inſanabilis, uti ſupradictum eſt, loco ſuo omnino motus eſt, aut ſciviſſet, aut, re comperta, temere

a) Quam concinere, quoad licet, omniaque hinc moderatiora conſilia experiri, quam præcipitanter munere quemquam, qui ſanabili ſit mente, exuere, non ſolum licet, ſed etiam decet, & perquam laudabile eſt: ne qua vel errantibus in viam reducendis fiat injuria, aut Miniſtris Eccl. Juris circa ſacra obtentu, legibus χειροκρατείας circumſcriptæ, pro lubitu abdicatis, etiam Eccleſiæ damno afficiantur.

quondam ſcripta deinceps, vel a Filio, diu poſthæc ſuperſtite, correcta fuiſſent! Quod enim Diſputationem illam *Schopperi*, ſeu theſes de *Perſona Chriſti*, (litis diuturnæ materiam,) A. 1599. Reſp. *Paulo Stülznero*, *Theodoſiano-Bohemo*, propoſitas, publice ventilare non licuerit, id partim ob *formulas* quaſdam, illic obſervatas, *minus commodas*, partim majoris *contentionis evitandæ cauſſa*, tranquillitatisque retinendæ ſtudio, provide & circumſpecte factum eſt. Neque vero illud tantopere miramur, quod de *Doctoribus pleriſque Calviniſmo addictis* perperam a) affirmaverat *Oſiander*, quam quæ *de Studioſis*, ex eadem Studiorum palæſtra prodeuntibus, *multo pluribus* eidem ſententiæ adſvefactis potius, quam ſinceræ Theologiæ cultoribus, addit; niſi forte *Formulæ Concordiæ* κατὰ πόδα haud innutritos intelligat. Namque uti audaciæ notam vix effugere poteſt, ſi quis ex Academia aliqua, peregrina quidem, magno numero diſperſos Studioſos, eorumque mentem, in numerato ſe habere arbitretur: ita minus circumſpecte factum dixeris, ſi ex una hirundine conſpecta, incertoque loco excluſa atque advolante, ver colligere ſuſtineas; quod jamdudum vulgari proverbio improbatum eſt. Enimvero quid opus eſt ambagibus? Ipſe etiam *Schopperus*, ut erat Vir candidus & apertæ frontis, ea de cavillatione, aut, ſi malis, calumnia, ad conſcientiam *compellatus a Collegis, totoque Senatu Academico*, non modo *falſa eſſe, quæ ſcripta ſint ab Oſiandro*, profeſſus eſt publice, ſed etiam, *ægerrime ſe ferre, lectamque injuriam ſtatim graviter tuliſſe*, teſtatum fecit. Quod, ut intelligat Lector, nos bene cognitum habere, & recte exploratum, id factum eſſe & pronunciatum, ipſis Kalendis Auguſti, A. R. S. 1603. alteroque proinde ab edita Epitome Oſiandrina anno, inque publicas tabulas relatum, conſcientiæ religione interpoſita, h. l. ſignificamus. Quæ omnia, ſi animo probe expendantur, haud injuria ad *Scipionem Gentilem*, ICt. celeberrimum, hac de injuria haud dubie

a) Quod ne quidem de *Hugone Donello* ſatis conſtat. Cui tamen, ſi quid antehac indultum fuiſſet, exemplo *Heidelbergenſis* Academiæ, in qua iisdem conditionibus vixerat, neque Sereniſſimo Electore *Ludovico* refragante, (vid. Epiſt ipſius *Donelli* in *Opuſc. Ciſnerianis* L. II. f. 915. ſqq.) non erat, quod *Oſiandrum* id male haberet. Extra ordinem enim quæ fiunt, prudentis eſt, non omnibus aut plurimis promiſcue tribuere, præſertim ſi & aliæ quædam peculiares cauſſæ ſingularis venerationis intercedant. De quibus *Scip. Gentilis* parentalis oratio, quæ proſtat, aut ſi deſit illa, excerpta inde pericope in *Biblioth. nova Hallenſi* de vita & ſcriptis H. *Donelli* P. XXIV. t. XII. not. (k) conferantur: Ubi etiam generalem pro *Academia Altorphina* Apologiam, eamque præſertim, qua in religionis negotio illam nonnulli criminabantur, infamiam, aut invidiam potius motam, repreſſam, legere eſt;

bie conqueſtum, *Spiritu veſano incitatum* hæc ſcripſiſſe *Oſiandrum*, quibus Academiam Altorphinam laceſſiverit, illuſtrem *Jac. Aug. Thuanum* affirmaſſe a), pæne dixeris. Quod vero ipſum *Gentilem*, neſcio cujus, in religione erroris, & forte ipſius Photinianæ impietatis, ſuſpectum reddere allaboravit Vir. Cl. *Th. Creenius* b), non ſine indignatione legimus. Multoque magis id viſum eſt Viro, in re literaria ceteroquin exercitatiſſimo, indignum, quod non obſcure putidiſſimæ calumniæ de hæreſi publice *Altorphi* propoſita, cui Profeſſores omnes addicti fuerint, fidem habens, eo tempore *Scipionem Gentilem* vixiſſe, cum antea de *Religione Gentilium* c) univerſe parum honorifice ſenſiſſet, ſcripſit. Cum tamen, neque vera eſſe, quæ l. c. in *Epiſt. Ruariana* narrantur, ibidemque etiam rejiciuntur, ex ſequentibus ſatis evidens futurum ſit, &, de *Scipione* quoque *Gentili* aliter exiſtimandi, multæ, ſi id nunc ageremus, cauſſæ reddi poſſent, ſolumque volentis deſiderium illud, *ad Donelli præceptoris latus oſſa ſua ſepeliri*, neminem contagio erroris inficiat d). Sed hæc pro juſtis *Academiæ innocentis*, & ipſius maxime *Senatus Inclyti*, quaſi ad talia conniventis, vindiciis ſufficiant. Cum de reliquo non abnuamus, uti jam ante ſumus faſſi, litigia illa, quæ aliquantiſper, in utramque partem ventilata, durabant, a quibusdam novis rebus ſtudentibus petulantibusque ingeniis, in occaſionem contegendi erroris *abrepta* eſſe e).

§. XXII.

a) In Epiſt. ad *Gentilem* A. 1606. data, quæ inter *Gudianas* a *Petr. Burmanno* in publicam lucem emiſſas n. LXXIV. comparet f. 162.

b) In *Animadv. Philolog.* P. XVI. f. 310.

c) *Alberici* puta & *Scipionis*, illius Oxonienſis JCti, hujus vero Altorphini, a *Matthæo Gentili*, communi parente, Italo, ex Marchia Anconitana oriundo, genitorum, quorum iſte A. 1608., hic A. 1616. diem ſupremum obiere, & *Calvini* placita tueri putabantur: Quod tamen de Scipione noſtro certum omnino non eſt. Etſi, in quibusdam, & forte in L. *de Chriſto*, atque de *idiomatum divinorum communicatione*, uti quidem magna erat ſub id tempus & multiplex diſſenſio, a *Schoppero* abiiſſe, veriſimile ſit.

d) Niſi & b. *Sonntagii* noſtri cujus A. 1717. in ipſo *Scip. Gentilis* ſepulchro exuviæ depoſitæ ſunt, manes famamque, quod nemo temere credet, aliquid contagii contraxiſſe opineris.

e) Ut reliqua diſſidia taceamus, quæ exiſta Theologorum inter ſe obtrectatione coorta ſunt, & eo usque interdum erupere velut in nervum, ut diſtractionem, & a publicis ſacris ſeceſſionem, qui *Philippeis* partibus inter ceteros Profeſſores favebant, quorum haud pauci numerabantur, moliri viderentur, & ſacra ſua in vicinis *Palatinatus ſuperioris* Eccleſiis, *Hagenbuſana* nominatim, atque in *monte Charitum* facere inciperent, in ordinem tamen confeſtim revocandi. Quæ, ut intelligi queat *Nicolai Rittershuſii* ex patris *Conradi* relatione narratiuncula perobſcura, in *Epiſt. Richterianis* f. 206. occurrens, videbantur non omittenda.

§. XXII.

Nempe cum, ex præſcripto Legum Academiæ primarum, *Philippi Examen*, *Locique Communes* a), tanquam Germaniæ totius Præceptoris, & de *Noribergenſi Eccleſia* inprimis bene meriti, prælegenda eſſent; hinc fieri non potuit, quin ex *Philippeæ Scholæ*, inde a *Form. Concordiæ* temporibus, male quibusdam audientis; ab aliis vero in abuſum revera ſententiarum *Calvini* ſcholam redolentium, hoc pigmento colorandarum, pertractæ; rurſum vero ab aliis moderatioribus excuſatæ b), reliquiis haud raro quædam proponerentur, quæ, ut verbis diſcrepabant, ita diverſo a diverſis animo, ut quiſque favore & affectu dextro ſiniſtroque tunc erat occupatus, acciperentur. Ne quid dicamus de occaſione, hac ratione ſubminiſtrata, *Commentarios in Philippi Syntagmata* & *Compendia*, a pluribus, neque unius ſententiæ, *Viris* ſcriptos publicatosque (ut erant forte commendati a Magiſtris, aut ſponte ſua a Studioſis electi,) diligentius conſulendi. Cujuſmodi tum quidem *Mart. Chemnitii* c), & Chriſtoph. *Pezelii* d) lucubrationes a quibusdam inprimis celebrabantur, atque ab aliis priores, ab aliis vero poſteriores præferebantur. Quibus acceſſere plerorumque e *Schola Calvini* & æqualium evulgatorum Operum, & ipſius *Calvini Inſtitutionum* potiſſimum, (quis enim id quoque neget?) ſtylus,

a) Qui libelli etiam *Librorum Normalium* Eccl. *Noriberg.* partem, *ſecundariam* quidem, at partem tamen aliquam, conſtituunt, atque hinc, ea tempeſtate valde adhuc *Philippea*, compendiorum Theologiæ, paſſim, atque in his præcipue terris, uſum præbebant, ſed ex communibus Libris Symbolicis, ut *primariis*, lucem fœnerantur.

b) In quibus & noſtrum, (quid enim diſſimulemus?) profitemur nomen, &, *Philippum*, amoris atque pacis ſtudioſiſſimum, conciliationibus magis, quam partibus *Calvini* aut *Zwinglii* tuendis, operam dediſſe, ipſumque, momentum controverſiæ de S. Cœna tanti non eſſe, putaſſe, oredimus. Qua in re eum ſibi, at minus periculoſe, erraſſe cenſemus. De prudentia vero minime nunc diſputamus, ſed triſtia Saxonicæ Eccleſ. fata expendenda commendamus, eumque *hactenus cum Auguſtino*, in doctrina *de Gratia* Dei exponenda ſibi quoque non ſemper conſtante, comparamus, ac de reliquo Tom. III. Ep. Philipp. ed. Pezel. f. 261. & 271. ſqq. ubi mentem ſuam dilucide expoſuit, inſpici & conſiderari volumus.

c) *Loci* nimirum *Theologici*, qui ſunt in *Communes Philippi* Præcept. *LL.* Comment. inſtar adornati, celeberrimi.

d) Cujus, præter *Annotationes* in *Exam. Theol. Philippi*, extabant etiam *Argumenta & Object. de Artic. Doctrinæ Chriſtianæ* IX. Tomis collecta; quorum primus hortatu *Helingi* noſtri, *Philippo* ſuo devotiſſimi, in lucem datus erat. Ambo autem ut ſcholis accommodatiſſimi labores fuere, ita *Pezelianus* cumprimis, (quis enim abnuat?) vel perſpicuitate ſua atque nitore latinitatis, ac terſiſſimi planiſſimique ſtyli, præter *Philippi*, ex quo pleraque excerpta ſunt venerationem, Lectori ſalivam movebat. Conf. §. ſq. *Confeſſionem Peuſchelii* candide editam.

ſtylus, ſuo quodam ingenuo nitore, cum exquiſita doctrina acrique judicio, *Lectoribus* mirifice blandiens, atque ipſa denique novarum Controverſiarum acris ea tempeſtate ventilatio. Unde *curioſi adoleſcentes* facile invitari poterant ad fundamenta utriusque diſceptantium cœtus e fontibus ſuis accuratius percipienda, & una ſimul opera altius animo imprimenda. Quæ tamen non ita accipi velim, quaſi illam quorundam ſuſpicionem de prona e *Calviniſmo ad Arianiſmum* via a) *ſine diſcrimine* ſtabilium eam. b) Multo vero minus exempla lugubris eventus, atque grandes & decumanos errores, auſusque atroces c) *Neuſeri* illius *Sylvani*, & ſociorum, *Suteri* atque *Vehii*, Palatinorum Apoſtatarum, etſi in proximæ abhinc ætatis memoriam, & ſeculi ſuperioris XVI. decurſum d) incidentium, cum hiſce *Altorphinis* machinationibus comparari, velimus. Sed eo duntaxat hæc valere exiſtimamus, ut intelligant *Lectores*, rebus in Eccleſia nonnihil conturbatis, & in Societate aliqua Academica, Doctoribus nonnullis in alia omnia, quam ceteri ſolent, euntibus, proclivem eſſe, a via recta ad obliquas & lubricas, tranſitum, animosque ingeniorum, præcipue novi quiddam prurientium, ſenſim ad alia, quam antea, veluti cum lacte materno, imbiberunt, & pejora ut plurimum, temporum ſic ferente

 labe,

a) Quo vulgare illud pertinet, quod *Neuſero* tribuunt, dicterium: *Qui timeat, ne in Arianiſmum incidat, ei vitandum eſſe cavendumque Calviniſmum.* Quod a *Wolfio* & aliis quidem conſtanter affirmatur, ab aliis contra, ut *Adamo* in vita *Zanchii*, inter calumnias numeratur. Tametſi non deſint, qui, quod invidiæ movendæ gratia non repetimus, plerosque *Socini* aſſeclas in *Polonia* Calvino-Reformatorum ſententiæ, priusquam ad iſtum cœtum accederent, addictos fuiſſe obſervarunt.

b) Quæ enim de *Adoratione Chriſti* heic Altorphi diſputata, occaſionem dedere *Sociniſmo* occultando, ea prorſus huic axiomati pervulgato contraria fuere: uti ex ſequentibus elucebit magis.

c) Vid. de his inter alia *Henr. Altingii Hiſt. Palatina Eccleſiaſtica*, quæ reperitur *in Monument. Pietat. & Literar.* An. 1701. publ., ubi ad præſentis argumenti notitiam faciunt, quæ f. 206. ſeqq. habentur. Adde Acta *Neuſerum* atque *Sylvanum* attinentia, ſeorſim typis ſubjecta, & *ibidem* Germanice f. 318. ſeq. inter documenta reliqua, impreſſa, & quæ nuper collegit de eo varia *Lauterbachius.* Falſas de triſtibus hiſce *Palatinæ Eccleſiæ* fatis narratiunculas *Lubieniecii*, quæ L. II. cap. V. *Hiſt. Reform. Polon.* leguntur, diſcusſit Cl. *Boyſen* in Diſſert. de *Apoſtaſ. falſo & merito ſuſpectis* §. 26. ſeq.: quam cum his comparare non pœnitebit. Utrum de reliquo verus ſit, an falſus, *Neuſeri* iſtius ad *Turcas* tranſitus, quem *Ruarus* L. I. Ep. f. 225. & ex eo Venerab. *Abb. Fabricius* Bibl. Fabric. Hiſt. L. IV. f. 354. in dubium vocare videntur, non aliunde rectius addiſcere L. B. poteris, quam ex rarisſimo *Wencesl. Budowezii Circulo Horologii Sol & Lun. Hanov.* An. 1616. 4to excuſo, in quo, quæ ipſe coram viderit, diſtincte f. 432. expoſuit, nullamque hæſitandi amplius vel levisſimam cauſſam cuiquam reliquit.

d) Anno 1570. ſeqq.

labe, infernalis genii artificio, ad hunc modum præparari posse. a) Quibus si fraudes dolique accedant, ut tegumenta sub his disputantium dissensionibus sibi quærant, & latibula impostores, jam actum est, & pene conclamatum. Non dixerim, ea in Statum Academiæ *Altorphinæ* sub initium Sec. XVII. plane convenire, sed vestigia solum quædam nos animadvertisse eorum, quæ dicta sunt, non abnuimus. Etenim res ipsa deinceps docuit in Mysterii S. Cœnæ impugnatione, cum ad Colloquium & Examen ventum esset, VOGELIUM æque ac PEUSCHELIUM, ad *Socinianorum* quidem mentem, sed argumentis ex Calvino - Reformatorum pharetra depromtis, vehementer decertasse. Et ipse quoque Crellius b) in vita, postquam de Socinianis erroribus *AltorphI* haustis egerat, addit: *Quam* (veritatem scilicet Socinianam,) *tanto facilius amplexus est, quod pridem eam, quam a Patre* c) *acceperat, doctrinam adspernatus, aliam imbiberat, quæ, Prædestinationis si excipias dogma, cujus crudelitatem noster nunquam concoquere potuit, propius a vero* d) *aberat.* De Persona vero Christi θεανθρώπε, & communicatione idiomatum, sublimem & nobilissimam solatiique Evangelici plenissimam doctrinam risui illis propemodum & ludibrio fuisse e), donec meliora edocti rectius sapere divino beneficio rursus addiscerent, aliunde constat. Ad PEUSCHELIUM quod attinet, ex Actitatis cum eo dehinc in colloquio & explorationibus, quæ antegressæ sunt, aliis variisque liquet, diligentem fuisse *Scriptorum Calvinianorum*, (recitamus verba *Schröderi* Sess. XII. Colloquii postremi hæc ei objectantis,) *lectorem*, antequam se in hanc abyssum

a) Ita ut, quod b. *Lutherum* sæpius repetiisse ferunt, *non docendo, sed disputando amittatur veritas. Hoc enim*, (uti enim addit T. VII. *Altenb.* f. 622. (a) Megalander,) *malum disputationes secum afferunt, quod animi quasi profanantur, & rixis occupati, quæ præcipua sunt, negligunt.* Quibus *Erasmi* ad *Hilarium* ed. *Froben.* Anno 1523. aurea Præfatio jungi meretur.

b) Seu *Pastorius* potius, ejus scriptor. vid. supra §. XIX. extremo in not.

c) *Helmezheimensis* Eccles. Pastore (vid. Cap. II. Lit. C.) Evangelico Lutherano: quæ doctrina etiamnum illic libere proponitur.

d) Præcipue vero in Capite doctrinæ Evangelii principe, certe non postremo, de *S. Cœna.*

e) Conf. instar omnium *M. Ruari* ad Joach. nostrum *Peuschelium* notabilis illa Epistola, quæ in Fascic. *Ruarianarum Cent. II.* num. XVII. procusa typis extat, ejusque pag. 134. præcipue inspiciatur, ubi, de *commentitia proprietatum illa communicatione Lutheranos Calvinianosque, in modum Cadmæorum fratrum, tam hostiliter inter se luctari, nec fortassis unquam eluctaturos esse*, scribit, *Lutheranorum caussæ* metuit, *Calvinianosque*, quoniam *subtilius rem agant, non male hactenus processisse*, affirmat, *utrosque tamen salse tandem ridet.*

abyssum errorum *Photinianorum* præcipitaverat. Neque inficiari ausus est objecta PEUSCHELIUS, ut potius sequentia ad interrogata *Schröderi* promte regesserit: *Quod legerim libros Calvinianorum, plus habet*, inquiens, *suspicionis & conjecturæ, quam veritatis. Hoc diffiteri non possum, interdum per varias occasiones mihi libros esse oblatos*, (tales videlicet, de quibus sermo erat,) *quos inspexi & legi. Inter alios habui libros Bened. Thalmanni*, a) *Hemmingii*, b) *Catechismum Wittebergensem a Calvinianis* c) *editum &c. uno volumine compactos. Ibi occasione Isagoges Hemmingii in Scripta Prophetarum & Apostolorum, quam perlegebam, fieri non potuit, quin etiam interdum librum Thalmanni percurrerem, quod non fecissem, si aliter libellus seorsim fuisset compactus. Habui etiam Commentarium Pezelii* d) *in Examen Domini Philippi, quod, quia publice prælegebatur, lectioni illi adhibui. Eadem ratio est de aliis. Quod autem diligenter & de industria illorum potius, quam nostrorum scriptis evolvendis incubuerim, puto, neminem hoc vere probare posse.* Quæ, utut nonnihil excusationis, a comparatis desumtæ, contineant, tamen ejusmodi sunt, ut in summa rei confitentem reum habeamus. Eaque amplius confirmat responsio a *Joh. Schrödero* subjecta: *Quicquid tandem sit*, inquiente, *tui certe commilitones & tribules dixerunt, te hujusmodi libros circumtulisse. Circumtulisti etiam librum Calvini adversus Westphalum, quem tractatum parens tuus in arcam recondidit, ne amplius legere posses.* Et quæ sunt alia, his similia, ex *Vorstianorum* Opusculorum apparatu, quo mirum in modum instructus erat noster, & aliorum in Peuscheliana Bibliothecula *Jenæ* e) repertorum mixta farragine, facile, si extra oleas vagari placeret, illustranda. Omittimus

K 2

a) Edidit *Thalmannus* iste *Assert. veræ & orthodoxæ Doctrinæ de Unitate Personæ & Distinct. duarum Nat. in Christo*: itemque Tr. *de vera participat. C. & S. Christi in S. Cœna*: utrumque Lib. *Tiguri*. An. 1578 & 1579. excusum. Quis h. l. intelligendus sit, incertum, posteriorem tamen innui, veri similius est.

b) *Nicolai* videlicet, Prof. Theol. Hafniensis & *Philippi* in scholis formati; cujus quum *Enchiridion* aut *Syntagma Instit. Theol.* præter alia suspecta haberentur, 8va forma excusa, h. l. tamen non videntur spectari, sed *Isagoge* sola hactenus innocua. *Opuscula* enim *Theologica* An. 1586. fol. Genevæ excusa h. l. intelligi non possunt.

c) Christoph. *Pezelio* scriptore, curatore autem ac disseminatore ad carceres usque, hinc vero tandem ex Archiatri dignitate dejecto, Casp. *Peucero*: qui semel iterumque, præfixis etiam Electoris Saxoniæ serenissimi insignibus & armis ornatus, forma 8vo An. 1570. & 1571. lucem adspexerat, turbasque in Saxonia plurimas, propter incrustatam vitiatamque de Persona Christi & S. Cœna doctrinam, dederat.

d) Conf. §. præced. extremum.

e) Deinceps, cum patefactis consiliis reculæ ejusdem istic excuterentur, & obsignatæ in patriam mitterentur, vid. Cap. III. §.

mus de industria ceteros ejusdem sententiæ socios, de quibus alias commodior erit dicendi occasio. Utcunque sit: Id certum est, *Sprembergeri* prælectiones & declamationes, quibus *Adorationem Humanæ Naturæ* in Christo, quoquo modo potuit, oppugnare vehementer annisus est, haud parum τῇ καθ' ευσέβειαν διδασκαλίᾳ concordi obstitisse, & compluribus εἰς τὸ ἐπὶ πλεῖον προκόπτειν ἀσεβείας, ut Apostoli utamur phrasi a), offendiculo fuisse. Præsertim ex eo tempore, quum de suggestu etiam cœptum est hac de re, non tamen sine incrustatione multiplici, & affectuum vehementia b), pii zeli prætextu vestita, declamari, & ex cathedra quoque disputari, sive data sive arrepta, ut fieri solet, occasione. Quibus accessit denique celebris illa *Oratio* ejusdem *Sprembergeri*, magna cum laude eloquentiæ ab eo An. 1612. circiter recitata, ad quam, quin publice obloqueretur *Schopperus* præsens, & ex sedilibus ordinariis Professorum inter ceteros auditor, vix sibi temperare potuit: præsertim cum *adorationem* illam *Dei invocationi* in *templo Hierosolymorum*, & *Christi cum veste*, quam αἱμοῤῥοῦσα tetigit, comparari audiret. c)

§. XXXIII.

Quamvis enim, ut ad institutum jam propius accedamus, clandestinis hæc cuncta *Socinianis* per se parum emolumenti afferrent, qui, ut supra observatum est, ad oppugnandum *Sprembergerum* & ipsi omnes lacertos movebant, videbanturque adeo a *Schopperi* d) partibus

a) 2. Tim. II, 16.

b) Quo morbo, (quamvis etiam *Schopperus* ex eo laboraret,) cum *Sprembergerus* inprimis vehementer afficeretur, jam An. 1611. de eo vel removendo, vel ad stationem aliam transferendo, deliberatum fuisse, & *Joh. Gerhardum* jam tunc, ut illi succederet, invitatum, atque a b. *Menzero*, ut annueret commonitum incitatumque esse, tanquam ad *rem*, *quæ toti Germaniæ prodesse posset*, ex vitæ *Gerhardi* a Cl. *Fischero* terse & eleganter descriptæ Cap. VI. §. 1. f. 96. didicimus. Qui etiam postquam eidem *Sprembergero* honores Acad. & Eccl. abrogati sunt An. 1613. quam solicite per *Schröderum*, hanc ut spartam susciperet, expetitus sit, Cap. XIII. §. XIII. f. 206. seq. copiose & accurate nos edocuit.

c) Quæ res tantos excitavit fluctus, ut, denunciatione *Noribergam* horum actorum illico perscripta a *Schoppero*, famaque omnia, ut solet, latius disseminante, duo paullo post ex Ordine Juridico & Medico Professores, qui præsentes cuncta audiverant, nullique parti singulariter addicti credebantur, nominatim *D. Andr. Dinnerus* & *D. Caspar Hoffmannus*, ad veritatem dictorum testimoniis suis confirmandam illuc evocarentur, eaque comperta *Sprembergero* gravis dica scriberetur: cujus quis fuerit, post multas variasque tergiversationes, exitus, alibi jam expositum est.

d) Mirifice sibi de hoc consensu virorum doctorum, quos imprudens per omnia recte de vera Eccl. doctrina sentientes existimabat, gratulantis.

bus ſtare ex animo; tamen *ex accidenti* id profuit peſtilenti hæreſi, ovina quadam pelle aſſumta, hoc pacto, involvendæ, inſidiisque tanto melius occultandis. Quandoquidem ὀρθοδοξότατοι illi, qui in communi cauſſa tam ſeduli eſſent, *credebantur*, quippe qui *pro adoratione Chriſti* ita enixe *propugnantes*, *ſimul Divinitatem ejusdem æternam inſiciari neutiquam poſſe*, omnibus fidem faciebant. Qua interim data ſumtaque anſa, latentem illi angvem in herba non modo ad alios transferre poterant, ſed etiam, ſi quid contra ſummam Chriſti Divinam naturam hac occaſione protuliſſent in medium a), ita acceptum eſt, ut exercitii gratia, quantacunque etiam id fieret vehementia & pertinacia, pronunciaſſe, aut objeciſſe, putarentur. Quorſum etiam, occupatis animis, ſpectare viſum eſt, ſi quid adverſus ſatisfactionem Optimi Soſpitatoris noſtri, Jeſu Chriſti, vicariam, & ſangvinis fuſi piaculare pro nobis ἀντάλλαγμα interdum excidiſſet. Quemadmodum fieri ſolet, ſi quando partium ſtudia incautis glaucoma offundunt, ut, quod *Boëthius*, inquit, *affectu regnante*, *nubila mens ſit*, *vinctaque frænis*, veritatique cognoſcendæ adeo parum emolumenti hinc proveniat. Atque hæc tam verſute, ita, uti narravimus, geſta ſunt, ut parum abſit, quin ex ingenio noſtro per meram *ſuſpicionem* conficta aliquis putet; *ni faſſi id poſtea fuiſſent* ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſi Novi Photiniani, ſine diſſimulatione, & *Scriptor vitæ Crellianæ* adhuc dilucidius, & ſine omni tergiverſatione, publice profeſſus id eſſet. De iſtis infra diſſerendi locus erit, ut ſperamus; De *Crellio* vero etiam digna ſunt, quæ excerpantur, verba *Joach. Paſtorii ab Hirtensberg*, rem omnem in aprico ponentia, & fraudes haſce, larvis procul remotis, in lucem apertam proferentia. Ita enim, poſtquam, Senatus Academici commendatione, *Crellio Inſpectionem Alumnorum Norib. & Oeconomiæ*, in *Hölzlini* decedentis locum, deſtinatam fuiſſe commemoraverat, *detrectandi* hujus *muneris*, *quod alii ambitioſe affectarint*, *cauſſas* enarraturus, ſcribit: b) *Inventi ſunt ex muneris iſtius Candidatis quidam, qui detrectationis illius, quanquam malo animo, invidia eum ſublevarent, & Crellii, novo more, hoc eſt accuſando, dicerent cauſſam.*

 Aſper-

c) Divinitatem præſertim Chriſti, (ſed factitiam,) identidem urgentes & propugnantes.

b) Opp. Crell. (Bibl. Frr. Polon.) T. I. * 2. Quæ vita illa eſt aliquoties jam citata; uti inſcriptio literis J. P. M. D. ſubindicat, (*Medic.* enim *Doctor* fuit *Paſtorius*, *Protonotarius Apoſtolicus*, *Canonicus Chelmenſis & Varmienſis*, *Decanus & Officialis Gedanenſis ac Pomeraniæ*, qui teſte *Hartknochio* Hiſt. Eccl. Boruſſ. L. III. c. XI. f. 860. *Frauenburgi* An. 1681. ex hac vita exceſſit) & *Sandius* quoque in Biblioth. ſemel iterumque affirmat.

Aſperſere quippe illum apud Senatores quosdam & Curatores Academiæ, Calvinianæ, quam vocant, Religionis ſuſpicione, ignari odioſioris tituli, cujus tamen, ſi Diis placet, crimen & verius a) *noſtro objectum fuiſſet, & plus nocuiſſet. Sed commodum accidit, ut inter Academiæ Theologos controverſia de adoratione Humanitatis in Chriſto agitaretur: hanc Crellius publice aſſeruit aliquot argumentis, ſed quæ aliunde ſumſerat, quam a Lutheranis, & meliori ſervire volebat cauſſæ, quam eſſet Lutheranorum. Cum tamen mens agnoſceretur, quibus eadem mens erat,* b) *abſolutus apud reliquos Crellius eſt ab objecti Calviniſmi invidia.* Addit porro *Paſtorius* jam dictis, *favorem Curatorum in Crellium, nihilominus hac quoque via, cum conſilio, regimini Alumnorum eum præficiendi, rediiſſe;* ſed *ſupplici libello eum, quicquid erat ſive honoris, ſive oneris, deprecatum eſſe,* & mox aliam cauſam ſubjungit; *ne ſcilicet Magiſtri titulos aſſumturo,* (id enim ad officium *Inſpectoris* capeſſendum requiritur,) *in formulam confesſionis Auguſtanæ jurandum eſſet: unde fugam denique poſt multas tergiverſationes arripere maluerit,* & reliqua. Quæ quia ad præſens inſtitutum parum faciunt, in alium locum rejicere ſatius erit. Nobis certe jam fidem feciſſe aſſertis de ſubdola illa *Socinismi* occultatione, & cuniculis adhibitis, vere impiis, ſufficiat. Eſt enim animo conſtitutum, *ab* his qualibuscunque *occaſionibus*, itemque *præparamentis* atque *latibulis*, ad *cauſas genuinas*, & novorum faces motuum, novique adeo dogmatis ferendi præcipuos *Choragos* progredi.

§. XXIV.

Atque hos quidem, poſt *Sonerum*, clanculum ſua diſcipulis intimis venena propinantem, non alios cognovimus, quam *Michaëlem* GITTICHIVM & *Martinum* RVARVM, perdoctos ſane & ingenioſos, ſed ad bonas mentes corrumpendas, neſcio qua ſiniſtra fortuna, huc adductos edoctosque homines. Alter horum *Michaël Gittichius*, vulgo *Venetianus* cognomento dictus c), a Patria genitoris ſui id nomen

a) Quam prope tamen etiam a Calvino-Reformatæ Scholæ ſcitis *quibusdam* abfuerit, ex ſupra citata ipſiusmet confeſſione §. XXII. repete.

b) Vides, *Lector Benevole*, quam egregie ſupra etiam *Soneri* mentem calluerit, & temere ſine dubio *Crellio*, tum diſputanti, quoque credulus applauſerit bonus *Schopperus*, immo etiam vix in alios, quam *Calvinianos*, confutandos hactenus intentus, atque de *Socini* aſſeclis, a quibus plus periculi erat, parum cogitans, vel oſcitantia, utcunque ſe ab accuſationibus gravioribus purgavit, aliquam his malis, non dico feneſtram, ſed rimam aperuerit. conf. c. III.

c) Ita quidem, ut omiſſo ſæpius *Gittichii* nomine, ſolo *Venetiani* gentilitio fuerit appellatus. vid. Ep. *Ruari* P. I. Epiſtola XCII. ſeq. & compara litteras *Dinneri*, quas §. XXV. integras reperies.

nomen acceperat. Cum enim *Parens*, *Venetiis* natus, ex *Italia* in *Poloniam*, incertum, quo fato, a) commigraſſet, filius iſtic in *Polonia*, ſeu *Lithuania* potius, natus eo modo *Venetianus* dici conſvevit, quo *Libertini* Latinis olim appellati ſunt, qui patre *Liberto*, h. e. ſervo antea, ſed manumiſſo, geniti priſtinæ ſortis monimentum in ipſo hoc nomine retinebant. Venit quidem aliquando in mentem, utrum Italiæ *Reſpublica* Civitasque *Veneta* intelligenda ſit, quoties *Venetianum* vidimus nominatum *Gittichium*, dubium adhuc moveri poſſe: quandoquidem etiam *Lithuaniæ* urbem haud ignobilem, certe *Lithuaniæ* conterminam, *Vendam*, haud procul ab eadem nomenclatura abeſſe obſervatum ſit. Poſtquam vero rem omnem animo expendimus, neque ab obſcuriori oppido noſtrum ſibi cognomen dari voluiſſe, non ſine affectatione ortus peregrini, credibile viſum; priorem, dum meliora edocti ſciamus, poſteriori conjecturæ anteferemus. b) Quemadmodum educatus ſit a teneris ungviculis in ædibus paternis, & primis quidem annis adoleſcentiæ ſatis liberaliter habitus, ipſemet *Gittichius* ad *Ruarum* perſcripſit c); non tamen *ab ipſo jam parente aliquid alieni a veritate* erroris *ſe traxiſſe* diſſimulans. Clarisſime vero omnium, ut in Schola *Kokliovienſi* litteris amplius ſit imbutus, illic commemoravit, & eo usque jam anno ætatis undevicesimo, rariori profecto exemplo, ſe profeciſſe teſtatus eſt, ut cum Sacerdote Pontificio haud inerudito auſus ſit in certamen de Purgatorio deſcendere; quod humanum eſſe commentum locis ex Auguſtino productis demonſtraverit, hominemque diu reluctantem domi ſuæ de errore convicerit. Hactenus certe, victas eum manus dediſſe, ait, ut inconſtantiam Auguſtini vacillantis, & interdum de hujusmodi poſt mortem ſtatu aliquid ſubmurmurantis d), adverſarius

a) Eadem paullo accuratius in Epiſt. *Dinneri* expreſſa leguntur: quam confer §. XXV. integram ex ἀυτογράφῳ expreſſam. Ex qua etiam luculentiſſime patebit, quid de aſſertis Auctoris recentiſſimi *Hiſtoriæ Socinianismi* Gallice ſub tit. *Hiſtoire du Socinianisme ſcr.*, & Venerandi *Lauterbachii* in *Arianismo-Socinismo olim in Polonia* &c. habendum. Quorum hic, patriam ejus Venetias fuiſſe, affirmat; ille vero, *Venetien de naiſſance* fuiſſe non tantum æque fidenter ait, ſed etiam, *quitta ſa patrie, apparemment ſous la pretexte de la Religion, & vint en Pologne*, addit. Quorum tamen etiam neutrum vera dixiſſe, ex accuratiori hac noſtra narratione patebit.

b) Immo vero & *Stanislao Lubieniecio Venetianum* ab urbe *Veneta*, patris patria, dictum, obſervaſſe in *Hiſt. Ref. Polon.* L. III. & XIII. f 258. ſatis fuit, atque adeo priorem tutioremque ſententiam hoc quoque teſtimonio ſtabiliri cenſemus: quam etiam *Dinnerus* comprobat.

c) L. paullo ante cit. & ſeqq.

d) Obiter heic notamus, recte ita judicaſſe, quantum ad hoc, *Gittichium*, idque ex profeſſo b. Joh. Guilh. *Bajerum* Sen. peculiari Diſſ. Acad. *De Purgator. Pontific.*

ſarius ſtuperet. Digna eſt, unde hæc decerpſimus, vel ob judicium acutum de *Hugone Grotio* in ea pronunciatum a), Epiſtola, quam L. B. in *Append. P. I. Epiſt. Ruari* totam perluſtret. Hoc enim loco plura ex eadem decerpta recitare, ne extra oleas vagemur, neutiquam lubet. Jam vero ſatius eſſe videtur, ut breviter annotemus, *Gittichium* hunc, (Gutichium l. c. dictum,) ipſo Fauſto *Socino* indice, in Epiſtola ad *Valent. Radecium*, Eccleſ. Claudiop. Paſt. & Eccl. Tranſylv. Antitrin. Superintendentem, ſcripta b) An. 1603., in Tranſylvania aliquandiu cum eodem *Radecio* vixiſſe, ejusque conſvetudine familiari atque convictu uſum eſſe, atque hinc demum, poſitis *Claudiopoli* fundamentis literarum & hæreſeos uberioribus, in *Poloniam* rediiſſe. Quibus præmisſis, nunc tandem ad conſilium Altorphium contendendi progrediemur. Id procul dubio *Gittichius* amicorum, *Oſtorodi* & *Voidovii*, commendatione animo concepit, famaque florentis Academiæ novæ, & *Soneri* porisſimum diſciplina, impulſus perfecit. Malo certe & infauſto ſidere e *Polonia* huc provolavit, ſub initium Sec. XVII. Anno 1607. d. X. Decembr. adventans, eo ipſo tempore, quo *Erneſtus Sonerus* Rectoris Acad. officio fungebatur, ut, dedita quaſi opera, & ex compacto, c) id factum eſſe plane nobis perſvadeamus. Neque vero ſolus in Athenæum celeberrimum pedem intulit *Gittichius*, ſed comitem ſecum afferens, cujus ſtudiorum morumque *Ephorus* fuit, *Filium* generoſi Viri, Domini *Joannis a Woinarowa, Woinarowsky, Equitis Poloni,* d) qui & ipſe Socinianis addictus erat opinionibus: cum quo una etiam A. 1609. d. VI. Februarii, nomine ſuo *Philothecæ Sonerianæ*, quam inſpeximus, inſcripto, e) ſimul

utrum claris teſtimoniis S. Auguſtini probari posſit? An. 1679. oſtendiſſe. Ubi, quicquid de tali poſt mortem expurgatione peccatorum ille ſcripſerit, partim a vacillante & ſuſpicato potius nonnihil, quam aſſeveranter pronunciante, partim ex male, aut prorſus non intellectis verbis Chriſti, quibus Pecc. in S. S. neque in hoc neque *altero mundo* remiſſum iri, dixit, ortum eſſe, oſtenſum eſt.

a) Quod infra cap. II. §. 20. cum pluribus aliis obſervationibus ex eadem Epiſtola producemus.

b) Tom. I. Opp. Socin. f. 492 (b).

c) Non leve profecto *Oſtorodiani* illius conſilii fragmentum, de quo Cap. hoc I. §. XXXVII. dicemus, propagandi h. m. errores, qui lente nimis videbantur procedere, argumentum præbet. Amicum enim fuisſe *Gittichio* indubitatum eſt.

d) *Stephani Woinarovii* venationis regiæ in Palatinatu *Kiovienſi* Præfecti, & *A. Wisſowatii* ſummi patroni, procul dubio patris: niſi ipſe fuerit *Stephanus* ille, qui cum *Gittichio* h. l. vixit, quemve ex vita Wiſſowatiana adhuc An. 1643. ſuperſtitem fuiſſe cognovimus.

e) Quanquam non iſtic duntaxat, verum etiam in ſubſcriptione Argumentorum ad *Lucium* miſſorum idem munus *Ephoriæ* diſertis verbis commemoratum legatur.

ſimul teſtatus eſt, *Præceptorem æternum colendum ſe Sonerum venerari & colere.* Diſceſſit iterum ex iſthoc Muſeo bonarum artium, ſub exordium Anni MDCX., uti quidem ex Epiſtolis virorum doctorum, eo tempore ſcriptis, conjicimus. Etenim, d. 12. Decembris Anni præcedentis 1609., abitionem in patriam illum maturare, *Joh. Putonem*, *Zaborowsky*, ad *Lucium* perſcripſiſſe, obſervavimus; *Georgium* vero *Remum*, in litteris ad eundem datis, ſequenti Anno VI. Eid. Mart., jam abiiſſe, vidimus, eidem ſignificaſſe. Quæ, ut tanto luculentius de his omnibus conſtet, his ipſis Epiſtolis, B. L. exhibitis a), confirmabimus. Quarum prima eſt Dn. *Johannis Zaborowsky*, generoſi Dn. Adami a *Sienno Sienniensky*, Palatinidæ Podoliæ &c., Magnifici tum temporis Academiæ Altdorfinæ Rectoris, Ephori, ad Lucium exarata:

„ *Intellexi*, Cl. Lvci, Te *provinciam refutandarum rationum, quæ cum ſatisfactione Servatoris noſtri e diametro pugnare videntur, ſuſcepiſſe. Eandem quam ſtrenue adminiſtres, ipſe oculatus teſtis, non dubito. Cæterum, quum Antagoniſta tuus defenſiones jam ſuas ſolutionibus illis, opinione mea citius, mature oppoſuerit: viſum eſt, Te etiam officioſe rogare, uti cœptum continues; tum propter gloriam Dei Opt. Max., tum deſiderium noſtrum veritatem penitius indagandi: quam cum neſcio quæ aporiæ* b) *ſeculi noſtri remorari longius ſtudeant, & caligantes animi quorundam; næ jam illi ſibi placent. Tu facies pro tua eruditione eximia, ut, ſi iterum reſpondeas, nullam moram interponas. Nolim enim te neſcire, quod is, quocum tibi in ea re negotium, propediem abitionem maturet in patriam: utinam etiam victus! Vale, & me crimine curioſitatis (ſi qua inde metuenda,) pro ea benevolentia tua, quam ego propius novi, & candore, liberabis.* Altorfi Noricorum d. 12. Decembris Anno 1609. curſim. “

Tui ſtudioſiſſimus “

Johannes Puto Zaborowski. “

Alterius Dn. *Adami Planci*, generoſi Dn. *Martini Rey de Naglowicze*, Domini in *Oxa* &c, in Academia eadem Altorfina Ephori, hæc erat Epiſtola:

a) Utut enim in Lib. de *Satisfactione Chriſti*, a *Lucio* deinceps typis ſubjecto, jam ſint excuſæ, quia tamen idem illud *Opuſculum*, de quo infra Cap. II. §. 28. pluribus, *variuſcule comparet*, hæc quoque excerpta, ad hiſtoriæ totius texturam pertinentia, noſtræ quoque Enarrationi inſerta legere, non omnino nullum operæ pretium erit.

b) Reſpicit haud dubie *Puto* ad motus periculoſos, quibus Eccleſia Chriſti ſub id tempus tam a *Socinianis*, quam *Remonſtrantibus* & *Vorſtio* eorum promacho, *Weigelianis* item, atque Jac. *Böhmio* & aſſeclis, nec non *Eſaia Stiefelio*, plurimisque horum ſimilibus, infeſtabatur: unde non poterant non varia in animis τῶν ἀστηρίκτων dubia ſuboriri.

„*Salutem & amorem, Doctissime Domine* LVCI, *amice honorande. Michaël „Gittichius, cujus contra satisfactionem argumenta confutasti, nondum sibi „satisfactum putans, eandem confutationem tuam sibi examinandam, & ex„cutiendam sumsit. Quam bene, Tu, ut Vir doctus, & in his abstrusis acutus, „videris. Ea enim, quæ contra scripsit, ut tibi mitterem, rogavit. Et quan„quam maluissem, alium istis transmittendis onerari: tamen propter neces„situdinem, quæ mihi alias (excepta ipsius impia religione) cum ipso interce„dit, honeste recusari non potuit. Ea itaque, qualia qualia sunt, tibi mitto: „tuumque ad eadem responsum fusum exspecto; ne homo iste cristas nimis „erigat, & se victorem apud suos jactitet. Mihi quidem videtur, nihil novi „afferre; sed stare eadem, calidiori quodam spiritu, idque arroganter. Sed „de his tuum, clarissime Luci, judicium exspecto. Facies Deo & Ecclesiæ rem „gratissimam, si hominem istum, docta & solida tua confutatione, confuderis „& pudefeceris. Me autem, tui observantissimum, ama, & bene vale. Al„torfio* 11. *Decembr. A.* 1609.

Tui observantissimus

Adamus Plancus.

Tertia a D. *Georgio Remo*, JCto & Consiliario Norico, a) ad eundem scripta hujusmodi fuit:

„*S. in Christo* τῷ θεανθρώπῳ μεσίτῃ καὶ ἱκέτῃ, *quem, Vir Reverende & Præ„stantissime, Domine* LVCI, *contra impurum Socinianum, os* βλάσφημον, *„Redemptorem defendis acerrime accuratissimeque. Ajo Tibi, me non so„lum magna cum voluptate, sed etiam utilitate, disputationem Tuam legisse. „Agonem ajo Te agonisasse bonum; Ecclesiæ Christi præclaram impendisse „operam: dum Gittichii hujus* φλυαρίας, ἀμφιβολογίας, ἀπατήματα, ψευ„δογραφήματα, καὶ σεσοφισμένους λόγους *tam dilucide tam solide refutasti.*

„*Diu*

a) Cujus, *Augustani* patria, Polyhistoris maximi, & deinceps Universit. Altorphinæ Procancellarii tandem ex merito creati, sed in religionis negotio *Calvini* partibus mirum in modum faventis, cum eruditione ampla, vitam inter *Procancellarios Acad. Altorph.* legere est. Qua mente vero & sententia in religionis negotio tum maxime agitato etiam Noribergæ vixerit, & quos amaverit quam maxime, illud, cum ex officio Consiliarii *Wiedensis*, quo ante hac functus est, scriptisque ea tempestate elaboratis evulgatisque etiam Theologicis, quibus jam inclaruerat, tum ex Epistola S. Rev. D. *Cypriani* cura ex Biblioth. *Gothana* inter alias An. 1714. ed. n. 88. f. 150. colligi potest; ubi, quos inprimis Doctores sequutus sit, magnique præ ceteris fecerit, ipse, perinde uti Antecessores, quidam alii Norib. Reip. Consiliarii, *Piscatorem* nempe præter alios Herbornensem, & *Consensus orthodoxi* Auctorem *Herdesianum*, palam edisseruit. Ut mirum proinde non sit, si a quibusdam v. g. *Crowæo* in *Elencho Script. & Comment. in Scr. Sacr.*, ubi Annot. ejusdem in *Proverb.* & *Koheleth* recenset, in *Calvianianorum* numerum relatum fuisse legamus. Talem enim ex opusculis Theologicis esse haud obscure apparuit.

Diu est, cum tantam tuam eruditionem in te merito admiror; gratiasque" ago Tibi nostrorum nomine; qui tam aperto Marte, tam exprompte, occur-" reris NEBVLONI, *quicquid se Viri boni larva obvelet; Redit ergo ad Te" Opus hoc tuum, mole parvum, reapse maximum, Tibique pro communica-" tione* μυριοχάριτας *agam, dum ero. In eo scripto nihil est, quod desiderem." In foro, cum criminales causæ aguntur, fateor, fidejussorem pro eo, qui ca-" pite luendum admiserit crimen, hodie non accipi. Verum istud in negotio re-" ligionis, & redemptionis nostræ per Christum, cum Deo Patri placuerit," Christum expromissorem & sponsorem accipere; cui fini hominem* a) *as-" sumsit, homo factus est, descendit de cœlis, cruci affixus mortemque subiit," & moriendo devicit: secus habet. Est autem voluntas Dei pro lege, pro" causa causarum, pro ratione rationum: cui se nemo opponat mortalium." Attamen etiam in pœnis capitalibus, seu corporis afflictivis, (uti amant lo-" qui JCti nostri) alium pro alio substitutum saniores pagani tulere. Hinc" est, quod Ælianus Var. Hist. L XIII.* (p. 227.) *de Zaleuco, æquissimo apud" Locros Legumlatore* b), *prodidit memoriæ. Zaleucus, Legislator Locren-" sium, jussit, ut adulteris deprehensis uterque oculus erueretur. Atqui paulo" post filius ejus, in adulterio deprehensus, pœnam ex præscripto legis a patre" suo rogatæ statutam luere debuerat. Ibi, ne, quod semel omnium sententiis" confirmatum erat, irritum fieret, ipse Zaleucus, pro altero filii oculo, sibi al-" terum eximi jussit: ut ne prorsus cæcus redderetur adolescens. Hæc ille." Isto exemplo hoc innuere volo: Fuisse apud Græcos, homines prudentiæ civi-" lis atque æquitatis laude florentissimos, in more; in punitionibus delicto-" rum, alium pro alio, si ita quis voluerit punitum; & hoc pacto legibus pu-" tasse satisfactum. Invitus argumenta Juridica Theologicis permisceo: ni," cum sese ultro dant, & quasi conjurant. Ipsum Antagonisten quod attinet," abiit: cujus in manus cur Apologeticus non venerit, miror, & doleo. Fors" enim,* συνεργȣ̃ντος τȣ̃ Θεȣ̃, *ad meliorem frugem rediisset homo. Hæc talia" typisne mandari debeant, subdubitare scio non paucos, frustra qui metuunt," ne arripiant curiosi, calumniis nos obruendi. At imo, inquam, obviam itur"*

 recta

a) *Humanam naturam*; commodius scripsisset. Hanc tamen loquendi formulam nec primorum seculorum Doctoribus inusitatam fuisse, multis vero etiam erroribus ansam dedisse, jam diu observatum; idque peculiari de ea Dissertatiuncula b. *Kortholtus*, KilonI superiori adhuc seculo procusa, copiosius ostendit. Nunc eandem a P. R. *Clem. XI.* in *orationibus*, quæ typis editæ sunt, usurpatam, sed a Gallo quodam nuper admodum in vitiis, immo hæresibus pæne, numeratam esse obiter notamus.

b) Pluribus hoc argumentum illustravit, & in *Triumpho crucis*, adversus *Job. Crellium* potissimum, *Andreas Essenius* excussit: quod ὡς ἐν παρόδῳ annotare visum est.

„*recta sycophantiis. Ita Joh. Calvinus, athleta fortissimus, Theod. Beza,*
„*Henr. Bullingerus, Hieron. Zanchius, Jos. Simlerus, Ant. Sadeël, Steph.*
„*Szegedinus, alii Pancratistæ,* a) *cum monstris in ultimas oras deportandis,*
„*Michaële Serveto, Georg. Blandrata, Antitrinitariis, Arianis, Samosate-*
„*nianis, & qui id genus erant, publice in Universi hujus amphitheatro scri-*
„*ptis congressi etiam cominus pugnarunt. Meum calculum si requiras, per-*
„*velim, (ita meum votum habet) & necessarium atque e re Ecclesiæ existimo,*
„*Tuum scriptum publicitus legi.* b) *Vale, mi Luci oculissime, & qua Gry-*
„*næus desinet, tu aciem instrue, ducito, pugna: & triumphum in cœlis exspe-*
„*cta, adorea cingendus immarcessibili.*

„*Nil majus meliusque nil Tibi optem,*
„*Mellitissime Luci, amice magne,*
„*Gentis Helveticæ decus perenne.*

„*Norimb.* 6. *Eid. Martias* cIɔ Iɔ cx.

„*Tuus fide fida, nexu mancupI.*

„*G. Remus.*

Ceterum adductæ hæ sunt Epistolæ, non solum ut pateat ex illis, quo tempore *Altorffio* discesserit *Gittichius*, sed etiam, ut, quam turbulento fuerit ingenio, & opinionibus suis tam defendendis obstinato, quam disseminandis mirum in modum dedito, vel hinc aliquo modo magis eluceret.

§. XXV.

Quoniam vero, quid rerum, interea dum Civis Academiæ hujus existeret *Gittichius* ille, de quo loquimur, egerit, dignum est accuratiori investigatione, eo nunc animum curamque convertemus. Obscuriuscule id, fatemur, hinc inde notatum, & in ipsis hisce litteris tantum subindicatum; sed ita tamen studia ejus descripta sunt, ut de commendatione, si qua fieri posset, *Socinianorum*, quæ tuebatur, dogmatum, omnino appareat, inprimis fuisse solicitum. Namque non publice solum cum bono *Schoppero* sæpe iterumque congressum esse, longaque imprimis concertatione, super dictum *Petrinum*, 1. Epist. c. II. comm. XXI., colluctando, cum eo aliquando solenniter & pervicacissime disputasse, compertum, c) aliosque hujusmodi conflictus haud paucos intercessisse, memoriæ proditum est; sed etiam,

a) Vel hinc colligas, quos inprimis veneratus sit Doctores *Remus.*

b) Quod & ad votum *Remi* in publicam lucem datum Cap. II. ad lit. L. recensebimus copiosius.

c) Sodalium deinceps patefactorum confessione. conf. Cap. III. Sect. I. §. 1.

etiam, privatim ſcriptisque litteris id operoſe, & præ ceteris quidem, egiſſe virum loquacitatis & pertinaciæ incredibilis, abunde conſtat. Omnium vero maxime in id incubuiſſe accepimus, ut *Satisfactionis Jeſu Chriſti*, pro nobis, *Vicariæ* a) *myſterium* omni argumentorum conquiſitorum robore, aut ſpecie ſaltim, everteret. Idemque tanto efficacius conabatur perſequi inſtitutum execrandum, quo majori artificio viri boni ſe obvelare nomine, judice *Remo*, in Epiſtola paullo ante exſcripta, didicerat. Cujusmodi judicium forte etiam de *Gittichio* accipiendum, cum toto orbe erudito non ſine querimonia a ſummo Polyhiſtore *Conr. Rittershuſio* communicatum, commodiori occaſione paullo inferius b) commemorabitur. Ad privatas autem quod attinet diſceptationes, & tentatas aliorum corruptiones, in rebus Fidei Chriſtianæ primariis, teſtantur argumenta, quæ *Gittichium* cum amico quodam, clam, ut videtur, communicaſſe, ab ipſo *Lucio* narratum eſt, quæve ab eodem ſe nactum eſſe, in *Præfatione* ad *Lib. de Satisfactione Chriſti* teſtatum perſcriptumque reliquit. Ex quibus amplius, quam cognita jam fuerint *Altorphi* iſta, quæ *Gittichius* contra orthodoxam de ſanctiſſimis Myſteriis doctrinam afferre ſoleret ratiocinia, variosque male habuerint, intelligi poteſt. Ut parum abſit, quin fundamenta ex eo tempore malorum deinceps ſequutorum multo pejorum cenſeamus. Neque vero hæc tantum innotuerunt nobis, ſed alia quoque protervitatis *Gittichianæ* ſuperſunt indicia. Quandoquidem publice in menſa *Mich. Piccarti*, Cl. Philoſophi, ad quam invitatus aliquando *Lucius* etiam acceſſerat, ea de re, palam, quotquot præſentes erant, tanquam pervulgata, diſſeruiſſe, ibidem refertur. Ordinarie vero eundem hunc emiſſarium cautius eſſe mercatum, & hinc inde dogmata ſua, quæ approbarat, diſſeminare conatum, ipſamque *Academiam* etiam *Ingolſtadienſem* aliquando ingreſſum, *Societati Jeſu*, ut vocant, adſcriptos ſolicitaſſe, ex b. *A. Dinneri* noſtri ad *Illuſtres Acad. Altorph. Curatores* Epiſtola, quæ diu delituit MSta, didicimus. Quam, poſtquam S. R. D. *Bajeri*, Collegæ Theologi honoratiſſimi, benevolentia adepti ſumus, c) tanto lubentius hic typis excuſam communicare

 cum

a) *Expletricis* nimirum, ut nonnulli vocant, & *exemtoriæ*, quemadmodum ab aliis appellatur, qua, quod nobis ferendum erat, omne pœnarum genus, ut juſtitiæ Dei vindici fieret ſatis, in ſe recepit toleravitque Chriſtus, & *maledictio*, *pro nobis factus eſt*. Aliam enim, utcunque ſic dictam, uti inferius demonſtrabimus, nec ipſe repudiabat.

b) Conf. §. hujus extremas obſervationes.

c) Ex *Ludwellianis* reliquiis, qui a ſocero ſuo J. *Prætorio* eas acceperat, nuper admodum in vicinia repertis, ſuperſtitem.

cum L. B. voluimus; quoniam & ſummos *Proceres noſtros*, quam primum aliquid de homine, monſtri aliquid alente, inaudiverant, de eodem quoque ſubmovendo, & Acad. contra ſalute, ne quid huic ille noceret, promovenda, perquam anxios ſolicitosque fuiſſe, luculenter addocet. En vero literarum *Dinnerianarum* ἐκ ἀυτογράφȣ ſummam! a)

„*Copia Schreibens mein D. Dinners an meine Herrn, die Herrn*
„*Scholarchen, abgangen, d. 30. Dec. 1609.*
„Præmiſſis præmittendis.

„Demnach von E.E. und Herrl. mir durch den Notarium Academ. „günſtig anbevohlen worden, mit ehiſten zu berichten, wer der Stu„dioſus ſeyn müſte, welcher eine überaus kezeriſche und Gottesle„ſterliche Meinung in ezlichen Religions-Articeln vertaidigen und „ſpargiren ſollte &c.

„Als hab ich dieſen Bevelch ohne lengern Verzug gehorſamb„lich nachgeſezt, und dieſer Perſon halber Bericht eingezogen, zu„vorderſt unterthänig pittend, E. E. vnd Herrl. wöllen mich oder „meine Hn. Collegas, daſs wir hiervon nicht zeit eher berichtet, gün„ſtig vor entſchuldigt halten, weilln weder das Miniſterium oder Aca„demie der ſachen biſsher ein gewiſſen Grund gehabt, und die ver„dechtige Perſon ihren ſamen nicht ſo ſehr hie zu Alltorff, als in der „Churfl. Pfalz zu Amberg und Hagenhauſen b) in guter ſtill auszuſe„hen ſich bevlieſſen. Ob man woll auch von der Zeit meines Prore„ctorats ahn, davon mummeln wöllen, Als ob ſich ezliche Arrianer „bey uns aufhalten ſollten, So iſt doch ſolches imperſonal, und nit „woll zu erweiſen, Auch ſonſt viell darunter zu bedencken geweſt &c.

„Befindte aber nunmehr uf gehabte Nachfrag ſo viel, daſs es Mi„chaël Gittichius ein Pollack und Præceptor Nob. Juvenis Poloni „Stephani Woynarowsky ſeyn mus, deſſen Vatter ein Teutſcher Mat-

a) Huic ἀυτογράφῳ *Dinneriano* extrinſecus ſequentia legebantur inſcripta: *Copia Relationis de Mich. Gittichio Pol. ad Ampliſſ. & Nobiliſſ. Dominos Scholarchas Acad. Altorf. reſtituta ex memoria, transmiſſo jam originali, nec retento exemplo, in gratiam Cl. & Conſultiſſ. Domini Adfinis mei &c. Cunradi Rittershuſii &c. quam peto per occaſionem ad Cl. Dominum D. Remum &c. transmitti, ut is non gravate copiam hanc cum originali conferat, quod haud dubie & ipſi exhibebitur. Spero autem, paucis exceptis verbis vel immutatis vel tranſpoſitis, omnia congruitura.*

Raptim

A. Dinner. D.

b) Notanda hæc ſunt, ut vel hinc appareat, non noſtram ſolum Academiam, ſed & vicinas Eccleſias a *Socinianorum* fraudibus pericula ſubiiſſe, & per cuniculos cuncta fere hinc inde acta eſſe.

Matthias Güttich a) genannt, und deſs Herzogen zu Venedig Aloy-"
ſii Mocœnici Medicus geweſen, Hernacher aber aus Urſach, daſs ihm"
der Pabſt nachgeſtellt, in Pollen geflohen, allda er ſich mit einer Pol-"
lackin (daſelbſt) verheirathet, und dieſen Sohn mit ihr erzeugt, daher"
ſich der Sohn noch uf den heutigen Tag Venetum b) zu ſchreiben"
pfleget."

Sein Lehr betreffend, beſtehet dieſelbe vornemblich in 2 Irr-"
thumen, Iſt aigentlich nicht Arrianiſch, ſondern noch erger und aus"
vielen unſern Vatterland Gott lob! unbekanten hæreſibus zuſam-"
men geflickt, weilln derſelbe *Erſtlich* den Sohn Gottes (quod hor-"
reſco referens) ſeine Gottheit tam in tempore, quam ab æterno ganz"
und gar abſchneidet, c) und verleugnet, und in dieſem Fall eben"
dasjenig, was Machomet, von unſerm Seeligmacher Chriſto, hälth"
und lehrt. Zum *Andern* ſo ſtreitet er auch contra Satisfactionem"
Chriſti pro peccatis noſtris, will nit zugeben, quod Chriſtus PRO"
NOBIS paſſus ſit! d) In welchen Punct er ſich, wie ich vermeine,"
groſſer Sophiſterey gebraucht, und deſswegen mit den Jeſuiten zu"
Ingolſtatt communiciren wollen, welche ſich aber mit ihm in khein"
Diſputat, et recte, quia contra negantem principia non eſt diſputan-"
dum, einlaſſen wollen. Als er auch mit dem Pfarrer zu Hagenhau-"
ſen e) deſs erſt pemerckten halben de Divinitate filii Dei zu confe-"
riren, und ſeine Meinung zu entdecken angefangen, iſt er von ihm,"
wie ich glaubwirdig berichtet worden, mit dieſen Wortten: Vade"
poſt me Satana, abgewieſen worden. Und ſo viel ſein Natales und"
Lehren betreffend. Sein Leben bey uns belangendt, f) Iſt daſſelbe,"
euſſerlich davon zu urtheilen, allerdings unſtrefflich, dann er bey"
uns nur dritthalb Jahr lang ſich aufgehalten. In welcher Zeit er ſich"
der-

a) *Hunc Matthiam pro ſummo viro laudat Gabriël Fallop. in obſerv. Anatomicis.* Verba hæc ſunt *Dinneri* ad marginem adſcripta Epiſtolæ.

b) Non *Venetum*, ſed, ut ſupra vidimus, *Venetianum*. Quod cognomentum cum Patris hiſce fatis rectius concordat.

c) De *priori* dubito; factitium enim Deum eſſe Chriſtum, ut ſolent *Sociniani*, non inficiabatur. Nec negare poſſunt, cum prora puppisque *Socinismi* ea in re poſita ſit.

d) *Quo tandem progreditur Spiritus erroris & vertiginis?* Hæc margini allevit *Dinnerus*: quæ tamen non poſſunt non ex priori hypotheſi conſequi.

e) Pagus in *Palatinatu* ſuperiori ſitus, & proximus *Altorphinæ*, cum Præfecturæ, tum Parochiæ ſpatioſisſimæ; cujus etiam pars quædam *Altorphinæ* Parochiæ in Sacris Miniſterio etiamnum utitur: cum altera, trans fluvium *Schwarzach*, Pontificiæ religioni jam addicta ſit; quæ tamen ea tempeſtate *Reformatæ Eccleſ.* & noſtræ placita ſequebatur.

f) *Il Diabolo è ſottile, mà fila groſſo.* Dinneriana manu & hæc in margine notata ſunt.

„dermaſſen embſig, vleisſig, nüchtern und beſcheiden erzeigt, daſs „ſich ſo woll ſeine Coſt-Herrn, als andere alle darüber höchlich ver- „wundert; Enthaltet ſich deſs Weins genzlich, wiewolln Er von „Natur kein abſtemius, daſs woll geſagt werden khan, quod homo hic „ſobrius ad oppugnandam Majeſtatem Filii Dei acceſſerit. Sonſt hat „ſich derſelbe ſonderlich uf das Studium Philoſophicum gelegt, in „welchen er wie auch in allen andern Scientiis und artibus dicendi „treflich beſchlagen, geübt und beredt iſt, daſs ſich zu beſorgen, wann „dieſer Mann bey ſeiner greulichen verſtockten hæreſi, und bei leben „pleiben, und kheines beſſern underrichtet werden ſollt, Er mit ſei- „nen geferbten Wandell und ſpizigen Argumentis viell einfeltige „Chriſten irr machen, und villeicht (wie dieſer Flatter-Geiſter Art „iſt) ſich eines Anhanges in dieſen Landen berühmen möchte, a) wel- „ches ich dieſer Academi, und den Ehrlichen Leuthen, welche ſich „ſein propter cauſas convictus et ſtudiorum nit woll enteuſſern khön- „nen, b) nit gönnen wollte Gott verhüte es, und ſtewer dem Er- „gernuſs. Endlich und zum letſten hab ich auch erfahren, daſs er mit „ehiſten und innerhalben 14. Tagen von hinnen zu ſcheiden geden- „cke, welches aber villeicht, wegen mangel Gelltes verpleiben „khonnt. Habe E. E. und Herrl. Ich zubegehrten Bericht underthe- „nig nicht verhalten ſöllen, dieſelben Gettlich Allmacht zu ewigen „und zeitl. Wollfahrt und denſelben mich zugleich zu dieſen neuen „Jahr beuehlendt. Datum Altdorff den 30. Dec. 1609.

„E. E. und Herrl.

„untertheniger
„A. Dinner, D. mpp.

„*Denen Edlen &c. Herrn &c. Scholarchis &c.*
„*Meinen günſtigen gepietenden Herrn,*

Hactenus *Dinnerus*, Vir præclarus, &, *ſi quis alius*, doctrinæ *Lutheri* addictisſimus. De quo ad Cap. II. forte plura commentandi occaſio dabitur. De ſcriptis vero hoc nomine a diſputaci homine epiſtolis,

a) Ex eventu lugubri, non fuiſſe hoc omen vanum, proh dolor! innotuit.

b) Quibus inſuper impudens homo pasſim βδελύγματα ſua venditabat & obtrudebat. Ut ſolent *Sociniani* fere omnes; quos hac methodo pæne dimidiam *Poloniæ* partem olim ſibi obnoxiam reddidiſſe, & *conjugii* inſuper *vinculis* magis magisque obſtrinxiſſe notum eſt. Id quod jam ante nos, (qui ſupplementa tantum in hoc *Opere ſingulari* damus) venerandus *Lauterbachius* aliquoties, inprimis in Vita *Joach. Rupnovii*, annotavit.

ſtolis, & incredibili pervicacia in defendenda peſtilentiſſima hæreſi, *altero* ſimiliter *Capite* deinceps exponendi locus erit: ubi pleniorem agitatæ cum *Lucio* controverſiæ enarrationem nos daturos a) pollicemur. Neque adeo dubium eſt, quin, eodem veneno alios afflare, omni ſtudio & opera elaborarit, immo etiam inquinaverit. *J. Crellium* certe cum *Gittichio* conjunctiſſimum vixiſſe, culta ejus infelici amicitia, res aperta eſt. Utpote qui non tantum *AltorphI* familiariter eodem erat uſus; ſed poſtea quoque cum eo, quum in *Poloniam* reverſus jam domi ſuæ hæreret, & deinceps *Lithuanorum* cœtui ſui ſimilium præeſſet, conſuetudinem litterarum perpetuam continuavit: ita, ut in quæſtionibus arduis, tanquam Oraculum, & *Vir eruditionis nominatiſſimæ*, ab illo conſuleretur. b) De ceteris vero teſtes eſſe poſſunt ſalutationes, deinceps ex aſpero illo Sarmatico angulo aliquoties ad eos huc perſcriptæ, c) quibus, in Epiſtolis præſertim ad PEVSCHELIVM noſtrum miſſis, d) *Dilectiſſimos Fratres*, - - - - *Doct. Leuſchnerum*, *Dn. Leumerum*, *Dn. Bani cum Uxoribus*, *Dn. Richterum*, *Paulum Groë*, *Andr. Peuſchelium*, (Joachimi Fratrem vid. §. 5.) *Dn. Georg. Pregelium*, *Dn. Joh. Cobium & Vogelium*, impertivit. Utut enim de omnibus hiſce, quos promiſcue heic appellat, non temere affirmaverim, in ſententiam hujus Impoſtoris, & *Academiæ Altorphinæ* Peſtis, conceſſiſſe; tamen, quorum animos tentaverit, aut ſibi certe conciliare optarit & laboraverit, hinc non obſcure fortaſſis colligi poteſt. Quod ſupereſt, luculentiſſime omnium, quodnam extiterit Acad. Altorphinæ, ex hujus Turbonis ſeu Nebulonis, (uti quidem paullo acerbius eum *Georg. Remus* in Epiſtola ſupra adducta ad *Lucium* vocat) præſentia & vafritie, infortunium, nemo rectius ediſſerere potuit, quam ipſimet infectorum hacce lue Anteſignani, PEVSCHELIVS & VOGELIVS: qui, *Gittichium*, de origine tanti mali poſtea in inquiſitione, ab Illuſtribus Proceribus Reipubl. patriæ ſuſcepta, interrogati, *Altorphium id primum attuliſſe* ſine ambagibus pronunciare non dubitarunt; palam videlicet, certe minus meticuloſe, quod non erat auſus *Sonerus*, quid ſentiret, & maximo

a) Quæ enim neceſſaria erunt cognitu, ut hoc loco hiſtoriæ initiis lucem affundant, ex præcedentibus aliorum litteris erui poſſunt.

b) Conf. Epiſt. *Ruari Cent. I.* n. 61. ſqq. & 59. ſqq. Item *Cent. II.* p. 131. ſq. &c. Adde *Hiſtor. Reform. Polonicæ Lubienicii* f. 258.

c) *Jenæ* inter reculas *Peuſchelii* carceri mandati repertæ poſtea, de quibus vide C. III. §. 20.

d) A. 1613. d. 16. Auguſt. & 1614. d. 1. Julii.

maximo cum plurimorum offendiculo, profeſſum. Neque vero etiam vicinis hæc ignota a) manſere, inter quos, ut Caſmanni *Anti-Socino* a Joach. *Urſino* præfixam Dedic. taceamus, b) obſcurius id ſubindicantem, *Joh.* etiam *Schönfeldii*, Typographi Ambergenſis, haud illitterati, verba recitabimus, quibus in *Nuncupat. Epiſt.* Trigæ Opuſc. *Grynæi*, *Lucii*, & Amand. *Polani* 1613. 8v. recuſ. ipſum *Lucium* allocutus eſt: *Hujus Fauſti Socini*, ſcribens, *juratus diſcipulus blaſphemus ille in Dn. Jeſum Michaël Gittichius fuit, qui cum in vicina Academia Ephorus Generoſi Palatinidæ Podoliæ conſtitutus eſſet, ſtudio hoc habuit, ut venenum iſtud peſtilentiſſimum non modo inter alios paſſim ſpargeret, ſed univerſa illa quadam velut Epitome complecteretur. Sed intricatiſſimas illas argutias Tu &c.* Quæ hactenus quidem, ad demonſtrationem aſſertorum, ſufficere poſſunt. De reliquo, uti *Novogrodecii Lithuanicæ*, in agro *Raphaëlis Koſſii*, Nobilis Poloni, *Eccleſiæ Socinianorum exiguo*, ut ipſe ait, *numero*, præfectus, A. 1614. ducta in matrimonium Vidua, ſex liberorum matre, c) vitam poſthæc egerit, continuato cum *Ruaro* aliisque litterarum perpetuo commercio, ex hujus Epiſtolis d) colligere licet; in quibus & nonnullæ acres inter utrumque, præſertim *de Jejuniis*, diſceptationes occurrunt. Quod vero quantumque vitæ periculum, Jeſuitici ordinis calumniis, qui, pro felici ſucceſſu *Guſtaphi Adolphi*, Sueciæ Regis, eum preces pro concione fudiſſe, perhibuerant, adierit, *Lubienicius*, loco ſupra cit. e), copioſe enarravit. Idemque, cum rara eruditione Virum, & gravitate conſpicuum vocaſſet, tanto applauſu eum concionari ſolitum, ſcripſit, ut in *maximo Auditorio pridie ipſa Pentecoſtes feria ſacram habens*

a) Per commercium cum *Lucio* litteris inſtitutum, ut veriſimile eſt.

b) Verba ſunt *Urſini*, (de quo alias plura) Ambergenſis Paſt. primarii, ſequentia: *Huic Socino & aſſeclis grave ſcriptum oppoſuit Otto Caſmannus p. m. fidelis Eccleſ. Stadenſis Miniſter*, (ex Aſceticis Libellis perelegantibus clariſſimus) *quod tecum B. L. communicamus, neque hoc ſine graviſſimis cauſſis, ſcil. quod in media proh dolor! Germania, ac in ipſo Eccleſiæ gremio, Socinianiſmi ſemina repullulare, & radices agere altas, obſcurum amplius non ſit.* Quorſum enim hæc reſpiciant *d. XVI. Auguſti A.* 1612. in vicinia noſtra ſcripta, haud obſcurum eſſe poteſt.

c) Conf. Epiſt. *Ruari* Cent. II. f. 132.

d) Vid. *Epiſt. Ruari* Cent. I. Epiſt. n. LXXXIX. ſqq. & *Bibl. Frr. Polonorum* T. IV. extremo, ubi inter excerpta ex Epiſtolis Gittichianis quoque commemorabile fragmentum occurrit f. 538. b. ad quæſt. autem, *de Chriſto in cælos ſublato, idemne ſit numero, qui in terris degens fuerat*, ita a *Crellio* eidem l. c. reſpondetur, ut *Soneri noſtri*, tanquam fratris, & communis præceptoris, etiam mentio f. 541. aperta fiat.

e) *Hiſt.* nimirum *Reform. Polon.* f. 258. ſq. coll. f. 242.

bens concionem, cum nec conclave ſpatioſum nec pergulæ ſufficerent, paries intergerinus remotus maximæ panegyris locum fecerit. Omitti hæc quidem potuiſſent; ſed quia non parum inſerviunt infauſtæ in regno *Poloniæ* ſectæ hujus amplificationi, & imprudenter indultæ declamandi *Socinianorum* licentiæ, demonſtrandæ, tum vero etiam facundiæ documenta, alibi jam paſſim data, nobis exhibent, ac præterea præter confluxum hominum maleferiatorum, in perniciosiſſimorum hæreticorum ſolennioribus feſtis, etiam Conciones eorum oppido illuſtrant; non inutile exiſtimavimus, ea inpræſens repetere: ut vel hinc pateat, quo pacto teterrima hæreſis, in *Sarmaticis terris* potiſſimum, largiter incrementa ceperit, viresque eundo acquiſiverit. De conjugiorum affinitatibus enim, hinc inde contractis cum nobiliſſimis familiis, & elegantiæ in litteris humanioribus ſtudio, (quo plerique, præter *Socinum*, aſſectatores etiam ejus excellebant,) omnisque doctrinæ præſtantia, aliisque adminiculis, nunc non eſt dicendi locus. De *Conrado Rittershuſio*, *Socinianorum* in Academia *Altorphina* dolos & conatus deplorante, animus fuerat, paullo inferius diſſerere, eumque teſtem innocentiæ aliorum, poſt hæc prava quorundam audaculorum molimina jam patefacta, in ſuſpicionem conſenſus adductorum, advocare: Quoniam vero manifeſtiſſima in verbis tanti Viri, cum dogmatis falſi ab Impoſtoribus commendati, ſed a ſe aliisque repudiati, tum fraudulentiæ ab iſtis adhibitæ, habentur veſtigia, hoc loco ea recitare volupe eſt. Ita vero Doctiſſimus JCtus, & immortalis memoriæ Philologus, immo revera Polyhiſtor in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus, in *Comment. ad Salvianum de Gubernatione Dei*, a) ad verba Salviani, quibus hæreticorum, *Filium Patre minorem docentium*, mentionem fecerat, commentaturus: *Hoc Arianorum dogma fuit*, inquit, *probatum olim & Gothis & Vandalis* (de quibus mox ad p. 144. & ſqq.) *Hodie plurimis in Polonia & Tranſſylvania placet hoc. Neque nobis nulli ex illis in Germania viſi, & cum horrore auditi, qui tam ſibi certi viderentur ſuæ perſuaſionis, ut parati eſſent pro ſententia ſua, quamvis peſtifera, comburi, & omnibus cruciatibus lancinari: Cetera probi & modeſti homines.* Hactenus *ille.* Quæ vel ideo adduci h. l. merebantur verbotim, ut videas L. B., qua præfidentia animi, quave temeritate & vehementia diſputarint novi illi advenæ e Sarmatis, & quam egregie ſub larva probitatis ingenuæ fumos fu-

 cosque

a) L. V. p. 153. etiam in Brem. ed. 1688. lucem adſpexerat, uſui eſſe poſſet, notata. 4. ad marg. ut primæ Edit. quæ A. 1611.

cosque lethiferos vendiderint. Cujus rei ipſemet, in publico, a) an privato, incertum eſt, loco, ſe auditorem fuiſſe, fatetur *Rittershuſius*, & teſtem quoque profitetur αὐτήκοον Vir ingenuus, omnique exceptione major. Inter hos autem *Gittichium* primarium eſſe intelligendum, & quaſi ducem ceterorum, neque ipſe *Ruarus* diffiteri potuit, quando ad Heinonem *Voglerum* b) ſcribens, c) *Gittichium illum ſibi a Rittershuſio notatum videri, cujus aliquot argumenta cum Livono* d) *communicaverit, qui nunc in famæ ſuæ proſcenio tam egregie paratragœdiet*, ait. Cujus non ſolum hæc verba, verum Tragœdiæ authorem prodentia, digniſſima cenſemus notatu, ſed ea quoque e), quibus p. p. Profeſſores Altorphinos ceteros, præter *Sonerum*, *Socinianarum ſententiarum partiarios haud fuiſſe*, uti nonnemo, *Polærus*, f) calumniatus erat, *palam aſſeruit*, *idque mendacium tam falſum eſſe*, *ſe*, inquit, *ſcire*, *quam quod falſiſſimum.* Teſtimonium autem hoc ſincerum fuisſe, eventus ipſe comprobavit; ut proinde non ſine indignatione nuper legerimus, eandem fabulam, ad *Scipionem Gentilem* non obſcure applicandam, recoxiſſe, & Lectoribus appoſuiſſe Celeberr. *Th. Creenium.* g) Quare vero iſtis φορτικοῖς ἀκούσμασι, quæ cum horrore a ſe aliisque Collegis audita pronunciat *Rittershuſius*, non fuerit in tempore obviam itum, tantumque libertati h) Academicæ, in abuſum raptæ, indultum, unde triſtiſſimæ poſtea ærumnæ ſunt natæ, maximaque infamia toti Societati eſt adſperſa, non intelligimus. Niſi forte, quod veriſimillimum eſt, aliquandiu ſolius exercitii gratia, & limitibus modeſtiæ præſcriptis obſervatisque, pro illuſtranda veritate depugnare viſus ſit. Idque ex eo colligimus indicio, quod, poſtquam tandem compertum eſt, hominem illum hæreſi ſuæ plane devo-

a) Probabilius eſt, diſputantes eos interdum in Auditoriis ab eruditisſimo hoc viro fuiſſe auditos.

b) *Hamburgenſem* patria. De quo conf. p. p. §. XXXII.

c) Cent. II. Epiſt. Ruari Ep. I.

d) *Paulus Demetrovitius* ne fuerit, (de quo infra,) an alius, non definimus.

e) Ad eundem *Voglerum* Cent. II. Ep. II.

f) Hunc eodem nomine expreſſo l. c. f. 7. notavit *Ruarus*, ſed cujas fuerit, nec ipſe addidit, neque nos indagare adhuc potuimus. Addit autem l. c., eundem *Polærum* in *menſa Principis cujusdam illuſtriſſimi* id de Profeſſoribus Altorphinis *omnibus palam aſſeruiſſe:* Unde denuo, quantam infamiam paſſum ſit *Altorphium* quorundam horum petulantia, liquet.

g) P. XVI. *Animadv. Philolog.* f. 310. conf. ſupra §. 21. fin. not. (a).

h) Ea certe a moderatiſſimo ceteroquin *Philippo Melancht.* non fuit conceſſa *Petro Conyzæ*, de Dogmatibus ſuis Antitrinitariis Witteb. diſputaturo. Vid. *Apolog. Form. Conc.* C. IX. p. 174. (b). Ubi tamen ſimul, quid privatorum & quorundam cum illo homine conſuetudo nocuerit, candide refertur. Add. Cap. II. §. 46.

devotum, improboque affectu agitatum, propagationem diræ pestis moliri, ex Academia, uti *Schopperus* in Apologia, contra *Vogelium* præcipue, & socios, adornata a) profitetur, *jussu Curatorum Academiæ Generosissimorum* Altorphio *abiisse* cognovimus, idque, quia *Apologia* illa ad ipsum hunc *Ordinem Illustrem* scripta est, tanto lubentius credimus. Quæ tamen ex *G.* etiam *Remi* supra recitata Epistola, ad *Lucium* data, similiter haud obscure videntur effici & confirmari posse. Ut taceamus publicas tabulas, quibus nomen *Gittichianum* inscriptum quidem, sed *ea nota* adhuc *signatum*, comparet, *qua, qui e societate civium exterminantur*, singulari quodam modo *insigniri solent.* Hinc ergo Inclytum *Magistratum Noribergensem*, quam primum imminentis qualiscunque periculi significatio facta est, officio suo haud defuisse, laudabilique vigilantia pro virili sua parte offendiculis quibuscunque obviam ivisse, elucet.

§. XXVI.

Sed satis de *Gittichio* dictum; unde *jejuna* & perbrevis illa *Sandii, in Bibliotheca Antitrinitariorum*, b) narratiuncula suppleri & locupletari poterit. Ad RVARVM jam nostra se convertit oratio, qui, quod prior plantaverat lolium *Gittichius* cum *Sonero* suo, mirifice rigavit, & ad incrementa ulteriora proh dolor! perduxit; maturitatem etiam procuraturus, insigni, qua pollebat, ingenii, male huc applicati, dexteritate, nisi supremi Numinis clementia, & providentia singularis, obstitisset: quo de eventu C. III. copiosius exponendi patienter nobis erit expectanda occasio. Neque enim, nisi quæ explorata habemus de hocce *signifero Socinianorum*, ad Altorphinas turbas concitandas, &, clam omnibus ceteris, spargendos errores, infelici auspicio huc delato, hoc loco, & quæ ad præsens Caput spectant, proferemus, necessariis autem hisce adductis, reliqua, quæ ad decursum vitæ consequentem pertinent, in alium locum rejecturi sumus. Accesserat in hoc Lycæum *Ruarus*, *Martinus* inquam, (nam de fratribus alibi quoque differemus) *Crempa-Holsatus*, A.R.S. supra *millesimum sexcentesimo & undecimo*, die XVI. Maji, annum tunc agens c) XXII., posteaquam, superatis in Schola, uti ipse alicubi loquitur, vigiliis

a) Quam vid. Cap. III. §. 18. integram. Ex quibus verbis etiam, quid ad *Dinneri* illam denunciationem supra exhibitam ab *Illustribus Proceribus* (nam deficit exemplum Responsionis redditæ,) repositum sit, colligere licet.

b) Quæ habetur f.104. ubi & scripta ejus, sed perpauca, recensentur.

c) Lucem namque hanc vitalem adspexisse A. 1589. ex fatali mortis die Cap. II. §. XLII. colligitur.

Hamburgensibus, a) sub disciplina *Huswedeliana*, breve jam quoque tempus b) exegerat in Academia *Rostochiensi*, neque sine eruditionis opinione absens etiam *AltorphI* inclaruerat. c) Ingressus in hanc Musarum sedem, & inprimis in amicitiam atque intimiorem *Ernesti Soneri* familiaritatem receptus, ut ab eo victus tandem captusque sit per insidias, supra jam exposuimus; cujus maxima pars Epistolæ, ad amicissimum *Huswedelium* d) perscriptæ, excerpta, ut sciamus, unde venenum pestiferum ipse hauserit, heic repetenda est. Quemadmodum vero plane inauspicato Præceptor *Ruaro* idem ille *Sonerus* obtigerat, e) ita similiter infelix inter istum VOGELIVMque nostrum ac PEVSCHELIVM ceterosque sodales amicitia mature coaluit: partim Collegiorum communiter ab utrisque frequentatorum, (dabat enim *AltorphI* adhuc Scholis studiisque Philosophicis & Philologicis *Ruarus* omnium maxime operam) partim etiam habitationis, minus fausta, ad tempus, vicinitate. Quandoquidem, ubi *Ruarus* in ambulacro Collegii superiore, (auf dem Obernsaal,) cui superinstructum est *Alumneum*, commodo aliquandiu f) frueretur habitaculo, cum adjunctis quibusdam beneficiis, etiam g) peregrinis interdum concesso; factum hinc est, ut præter alios VOGELIVS cum PEVSCHELIO jam in transversum abrepti eum subinde convenirent, & quod caput rei erat, argumenta, pro oppugnanda Evangelii veritate, sive exco-

a) Vid. Epist. Cent. I. num. 16. p. 93. ubi vertiginem sibi ex iis contractam narrat.

b) *Ruarus* ipse ad Calov. Cent I. n. 43. *tyrocinia studiorum* in Academia *Rostochiensi* se posuisse scribit.

c) Jam ante videlicet cognitus & in pretio habitus CL. Viro *Conr. Rittershusio*, qui in Epist. ad J. Kirchmannum, Prof. t. t. Rostoch. d. V. Septembr. A. MDCX. scripserat: *Martinus Ruarus Holsatus magnopere me sibi devinxit pulcherrimis & elegantissimis duabus elegiis suis, quibus secundas nuptias meas* (duxerat autem alteram juvenculam Vxorem A. 1609. d. 20. April.) *exornavit: quod fortasse nunquam facturus, absque tuo hortatu & incentivo, fuisset. Ita fit, ut non minus Tibi hortatori, quam ipsi debeam authori. Utrique certe vestrum, fateor, debere plurimum. Et ipse quidem Ruarus nuperrime e Saxonia ad me scripsit litteras, eruditione & amore mei singulari refertas: cui respondebo propediem, cum sciam, ubi locorum degat.* Epist. Gudian. n. 176. f. 245.

d) Alium a Præceptore laudato, de quo alibi.

e) Vid. superius §. XV.

f) Donec in *Rittershusianas* ædes commigraret.

g) Ex prima enim destinatione Musea illa, quæ in utroque percommode constructa, una cum cubiculis, unico aut geminis, existunt, uti sumtu nobilium quarundam familiarum quatuordecim (quot omnino etiam sunt) *Noribergensium* ædificata, fuere: ita quoque iisdem, si qui adsint ex istis orti, qui ea inhabitare ultro velint, studiis *AltorphI* operam dantes, aut si desint illi, vel nolint, Convictoribus Oeconomiæ vicinæ & beneficiariis ceteris inserviunt.

excogitanda, ſive aliunde excerpta & ſecum communicanda, avide arriperent. a) Quæ in diſputationibus ex lege, ſecundum ordinem, & publice ſæpius habendis, *Ruaro* identidem adjuvante, artificioſe conſtructa, Præceptoribus ſuis deinceps, tanquam tela affabre præparata, objiciebant. Eademque occaſione dubium non eſt, quin *Socinianorum* ſcripta cum elogio eruditionis eximiæ & reconditæ doctrinæ, præter alios, eodem *Ruaro*, vel parario, vel ſaltim interprete acceperint. b) Nam cum *Socinianis*, qui e *Polonia*, ut ante dictum eſt, aderant magno numero, conſuetudinem ſtudiorum hos habuiſſe, atque familiariter alias iisdem hactenus uſos eſſe, idoneo teſtimonio nondum comprobatum invenimus. Neque tamen, clam cum aliquibus amicitiam illis interceſſiſſe, temere negare audemus; quoniam haud obſcura cum *Matthia Rhawio*, c) ex eadem officina orto, *Daco homine*, & quibusdam obſcurioribus, familiaritatis cultæ veſtigia poſthæc obſervata ſunt. Id certe indubitatum eſt, & ex ipſius VOGELII relatione conſtat, *Jacobum Schopperum*, Theologum a Collegis, non admodum æquis, jam fatis exagitatum, (cujusmodi certaminum tyrocinia pridem in *Academia Heidelbergenſi* & alibi is depoſuerat), d) metam quaſi propoſitam ſibi fuiſſe, in quam tela homunciones illi νεώσοφοι ex profeſſo, utut diſputationum exercitii obtentu, dirigerent, & virum ὀρθοδοξίας ſtudioſiſſimum robore argumentorum ſuorum, quod invictum opinabantur, configendum quodammodo ſumerent, *imo*, tanquam protritum, *ludibrio haberent*.

§. XXVII.

Nec imparatos ad velitationes, etiam privatas, acceſſiſſe noſtros illos ſæpe nominatos, PEUSCHELIUM atque VOGELIUM, cum reliquis, præter alia jam adducta, inde colligere eſt, quod ingenti ſtudio inter hæc libellum ſibi conſcripſerant ex inſtituto, in quo Socinianorum *more*, vere *Scythico & Sarmatico*, laborabant omnium maxime, ut varios vocabulorum & particularum potiſſimum in Sacr. Scriptura ſignificatus, præſertim *improprios*, colligerent, atque

a) Qua occaſione etiam Libellus iſte, de quo paulopoſt, conſcriptus & auctus eſt.

b) Id certe ſine tergiverſatione poſtea faſſi leguntur, & *Vogelius* nominatim, in Colloquii fine, poſtremam ea de re confesſionem candide edidit. Cujus verba tempeſtive infra adducentur in medium Cap III. ſect. II.

c) De quo Cap. II. lit. R.

d) Quæ ſunt copioſe & accurate a Celeberr. *Struvio* in Hiſt. Eccleſ. Palatin. Cap. VII. §. 2. ſeqq. deſcripta.

que inter disputandum in numerato a) statim haberent. Eoque consilio Indicem hunc, elementorum ordine compositum, & manuali compendioso comprehensum, oblonga forma, in sacco reconditum circumferebant, ut illico depromere, quibus opus esset, exceptiones, & vel inspiciendo latebras quærere possent. Cujus instituti, non minus fraudulenti, quam curiosi, quia exemplar descriptum b) in manibus nostris adhuc superat, non pigrabimur specimen ter geminum cum L. B. communicare. Ita v. gr. ad vocabulum *Spiritus* sequentia habentur collecta:

Spiritus : πνεῦμα.

Pro animi elatione Matth. V. 3. Ps. XXXIV. 19.

Pro Evangelio, cui opponitur interdum Lex Rom. VII. 6. 2. Cor. III. 6. 1. Cor. II. 9. 10. Conf. 2. Tim. I. 10.

Pro dono spirituali 1. Cor. XIV. 12. Conf. v. 1. ejusdem Cap. Sic v. 14. 15. 16.

Isaac natus secundum Spiritum legitur Gal. IV. 29.

Pro vento Joh. III. 8.

Pro anima Num. XVI. 22. Ebr. XII. 9. Ps. XXXI. 6. Luc. XXIII. 46.

Spiritus Aegypti Es. XIX. 3. Spiritus procellæ Ps. CVII. 25.

Sumitur pro divina Christi potentia & efficacia Deitatis in humanitate, minime autem de tertia persona Trinitatis Matth. XII 28. Rom. I. 4. 1. Tim. III. 16. Hebr. IX. 14. 1. Petr. III. 18. 19.

Spiritus Dei pro ipso Deo 1. Cor. II. 11.

Vocatur donum, Ergo non est persona: Etiam filius vocatur donum, & tamen est persona Rom. VIII. 32.

Spiritus Dei 1. Sam. XVI. 15. 1. Cor. III. 16. Ergo non est Deus, quia Spiritus hominis non est homo.

Vocatur digitus Dei Luc. XI. 20. Matth. XII. 28. vocatur efficacia & virtus Dei.

Vocatur παράκλητος. παρακαλεῖν *pro orare & obsecrare Matth. VIII. 5. 31. & 34. XIV. 33. XVIII. 32. pro hortari Luc. III. 18. Act. XII. 40. etc.*

Pari modo de *particulis* congestas videas observationes plurimas, ut ex. gr. in

Ev-

a) Secundum vulgarem horum hæreticorum consvetudinem; quibus non tam adstruendus error, quem ipsi tuentur, quam destruenda, quantum posset, veritas probata adhuc atque cœlestis, præcipue sub initium disputationum curæ fuit cordique. Unde nihil inter eos, quam tritum illud: *Potest ita*, seu aliter *explicari* &c. frequentius auditum esse constat.

b) Ex Autographo *Vogeliano*, quod nunc, nisi fallor, Vir Illustris *Hier. Nicol. Gundling*, Nepos, possidet.

Ἐν' Εἰς' *In.*

In S. Scriptura ἐν *pro* εἰς *& vice versa usurpatur; apud Hebræos enim præfixum* ב *notat interdum idem, quod per, interdum, quod In: ut Marc. I. 15. Sic vice versa* εἰς *pro* ἐν 1. *Joh. IV.* 2. *Actor. VIII.* 23. *Act. XIX.* 22. *Luc. X* 31. 1. *Thess. IV.* 7. *Rom. I.* 23. *V.* 5. *&c.*

Ἐν' *In.*

Pro de Rom. XI. 2.

Pro per Hebr. I. 1. 2. *Rom. III.* 24. *V.* 10. 1. *Cor. I.* 5. 1. *Petr. V.* 10. 2. *Petr. I.* 12. 1. *Joh. V.* 6. *Apoc. I.* 5. *X.* 6. *Marc. IX.* 29. *Luc. XXI.* 19. *Actor. XVII.* 31.

Pro Inter Ioh. I. 14. *Rom. I.* 12. 1. *Cor. I* 10. *Actor. XXIV.* 21. *Rom. I.* 19. 1. *Cor. III.* 3. *Eph. II.* 3.

Pro propterea Hebr. VI. 17.

Pro διὰ *seu propter* 1. *Petr. IV.* 14. *Act. VII.* 29.

Pro Apud vel Juxta Joh. X. 23. *Ebr. IX.* 4.

Pro Ad Ebr. VIII. 1.

Pro Cum Hebr. IX. 22. *Apoc. XIV.* 15. *Col. II.* 8. *Act. VII.* 14. *Matth. III.* 11. *&c.*

Denique de *verbis* e. gr. Actione *Redimendi* hæc consignata habentur:

Redimere absque vero pretio.

Esa. XLVIII. 20. *LII.* 3. *Ex. XV.* 11. 14. 17. *Devt. VII.* 8. *IX.* 26. *XXI.* 8. *XIII.* 5. 2. *Sam. VII.* 23. *Neh. I.* 10. *Ps. LXXVII.* 16. *Act. VII.* 35. *Luc. II.* 38. *XXI.* 28. *XXIV.* 21. *Rom. VIII.* 23. *Eph. IV.* 30. *Hebr. XI.* 35.

Ἀπολύτρωσις.

Pro redemtione, quæ fit non per λύτρον *proprie sic dictum Luc. XXI.* 28.

כופר λύτρον *pro Munere ad corrumpendum judicem Am. V.* 12. *Pretium Metaphorice Es. XLIII.* 3. 4. *&c.*

Ita per singulas paginas, ordine elementorum, quem *alphabethicum* vocant, sigillatim de *Deo, Nominibus divinis: Filio Dei:* λόγῳ· *Christo: Servatore*: Phrasibus & verbis, *Nosse aliquem, Cognoscere Deum, Credere in aliquem &c. Creare: Baptizare, Eligere, Dei esse*, aliisque simplicibus & compositis, de nomine *Vnigenitus, Primogenitus: Novus: Principium*, & similibus, itemque de *Constructionibus rarioribus, Citationibus ex V. T. Vnius commatis vocabulis non una notione usurpatis, Articulo item posito, semel aut sæpius*, eodemque alibi *omisso*, & hujusmodi permulta reperiuntur; pleraque tamen pro Socinismi hypothesibus

incruſtandis, ut manifeſtisſime apparet, apparata. a) De quibus plura exſcribere aut commentari, nihil attinet. Hæc enim ſufficere posſunt, ut intelligamus, quam fuerint Diſputatores illi præſentibus armis inſtructi infelicibus, ad objecta Scripturæ loca, & noſtratium explicationes eorundem receptas, ipſarumque etiam Theſium confirmationes, quædam promte reponendi, & pro virili, ſophiſtarum in modum, adverſa ſibi argumenta eludendi, ſuaque contra adornandi & corroborandi. Quibus retundendis propulſandiſque inſultibus, & tanto ſtudio jam ante conquiſitis telis, ſi non par, aut æque expeditus ſemper fuit bonus *Schopperus*, b) extemporali reſponſione, ſolvendis, quod deinceps Viro optimo perperam exprobraverunt, c) & fama quoque fert, interdum d) contigiſſe, non eſt, cur miremur; quum & novæ lites, recentesque doli & machinationes, *partim* non ita adhuc fuiſſent cognitæ, & excuſſæ, quin aqua ſubinde viris etiam doctisſimis hæreret; *partim* etiam ſubitaneis aggresſionibus argumentiſque præmeditato allatis, e) & non ſine ingenio ſtudioque diu expolitis, vix exercitatisſimus quiſque ſæpe ſufficiat. Eamque ob rem haud improbanda eſt obſervatio eorum, qui, hæreſes in uſum Eccleſiæ multiplicem, præeunte jam *Paullo*, ab ipſo ſupremo Numine permitti hominum petulantiæ, talia ex ingenio corrupto effingenti, ſapientisſime docent. Inter alias enim cauſſas prægnantisſimas fructuſque, quos hinc utplurimum oriri arbitrantur, non male veritatis eximiam illuſtrationem numerant; quandoquidem hoc modo fieri ſolet, ut Scripturæ oracula, & diligentius evolvantur, & evidentius exponantur, expoſitaque fortius, & cum delectu argumentorum, quo maxime contra verſutos adverſarios opus eſt, confirmentur, atque diluantur, denique etiam accuratius, quæ ſunt ab adverſariis, vicisſim, & ſæpe non ſine aliqua ſpecie, oppoſita expendantur; quæ neglecta alioquin, aut negligentius minimum tractata fuiſſent. Idque non modo experientia e Seculis IV. & V. potisſimum depromtorum exemplorum, *Arianæ*, *Macedonianæ*, *Neſtorianæ*, *Eutychianæ* aliarumque factionum, probant, quibus

a) Talia enim, quibus nunc inſtructus eſt orbis litteratus, adminicula t. t. adhuc deerant, aut raro occurrebant, neque ita commode, ſi quæ eſſent, diſpoſita exhibebant. Unde, quanta fuerit, & quam improba, horum Juvenum induſtria, non obſcure intelligitur.

b) Ad diſputandum de reliquo pronus.

c) Vid. infra C. III. §. 15.

d) Præſertim in vindicando loco perdifficili 1. Cor. XV. 28.

e) Forte etiam ab Athletis ex ipſa *Sarmatia*, ut veriſimile eſt, ſubmisſis ſuggeſtisque: quod litterarum jam tunc, præſertim a *Ruaro*, cœpta cum illis conſuetudo, ut credamus, jubet.

quibus Optimum Sapientiſſimumque Numen inſtar cotis uſum eſſe haud dubie ſcimus, ad ſummorum *Theologiæ* & *Oeconomiæ* ſalutaris a) myſteriorum lucem magis explicandam; ſed res ipſa quoque & diſputationum natura in rebus, maxime divinis, idem comprobat. Vnde ſatis ingenioſe & acute, ſicuti alias, in hanc quoque rem ſcripſit *Auguſtinus*: "*Hæretici plurimum proſunt, non verum docendo, quod neſciunt,*" *ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales*" *Catholicos, excitando.* Et alibi præclare hæc dilucidaturus: b) *Mul-*" *ta ad fidem Catholicam*, inquit, *pertinentia, dum hæreticorum callida*" *inquietudine agitantur, ut adverſus eosdem defendi poſſint, & conſideran-*" *tur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab*" *adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.*" Eventus profecto in præſenti cauſſa improviſus aperte demonſtravit, Socinianas controverſias, hic atque alibi acrius ventilatas, cum libris eorum, & argumentis cujuscunque generis, protractis, poſt luctam aliquandiu continuatam, tandem occaſionem fuiſſe non poſtremam, qua, quæ *Bernhardi* verba ſunt, *veritas magis eluceret impugnata.* c) Idque tanto luculentius fieri quoque potuit, quo majori ſtudio & contentione, etiam longius abſentes, in *Sarmatis* atque *Dacia* remotiori, omnes vires & robur adhibuere, ut communicatis cum Neophytis ſuis tam ratiociniis, quam ſcriptis dubiisque, quam diligentiſſime inculcatis, ad ſtrenue pugnandum pro erroribus noxiis armarent atque cohortarentur. Vnde memini non ſolum exiguum illud *Enchiridion*, de quo paullo ante dictum eſt, ſed multo *majora*, *Locorum* quaſi *communium*, partim Exceptiones, noſtra ipſaque etiam Sp. S. effata deſtructuras, partim ordine juſto diſpoſitos διαλογισμοὺς contrarios complexa, eademque & numero & mole ſpectabilia *Volumina* a vacillantibus & a veritate deſciſcentibus, conſtructa tunc congeſtaque eſſe. Quæ partim adhuc ſuperant ex hæreditate iſtorum deceptorum hominum relicta, partim ſingulari divina providentia periere & abolita ſunt. Immo non piguit male curioſos, integros quoque Libros rarius proſtantes, ſua manu, improba diligentia, deſcribere: in quibus *G. Enjedini Explicationes LL. difficil. V. & N. T.* numeramus; cujus Libri

 perni-

a) Ita doctrinam de *Chriſto* ejusque beneficiis more, prioribus quoque ſeculis recepto, appellamus.

b) De *Civ. Dei* L. XVI. c. 2. coll. L. VII. Conf. c. XIX. & Ep. 105. ad *Sixtum*.

c) Pluribus hæc ſunt & erudite nuper admodum A. 1724. d. XX. Apr. in Diſſ. perelegantiLipſiæ a *Fr. Guilh. Schützio* explanata, & ex notisſimo 1. Cor. XI. com. XIX. deducta: quæ forte noſtro hoc exemplo amplius illuſtrari queunt.

pernicioſi,& ad præcipua Script. S. loca in alium ſenſum contorquenda deſtinati, poſtquam edit. in *Tranſylvania* prioris exemplaria plurima publice erant combuſta, a) κατὰ πόδα tunc a ſociis hujus erroris exſcripti, ἀπόγραφον his manibus noſtris inter ſcribendum terimus. Tam male igitur feriati erant, ut quoquo modo ad evertendum ſaniorem Scripturæ dictorum ſenſum operam oleumque impendere, quam veritatem, tot argumentis invictis jam a teneris cognitam firmatamque, tueri mallent. At enimvero tantum abfuit, ut molimina hæc, quemadmodum jam ante dictum eſt, Eccleſiæ adeo noxia fuerint, ut Theologiæ Polemicæ Hiſtoria, eam præcipue ætatem deſcribens, contraria omnia condoceat. Quemadmodum enim hi tam anxii teterrimi illius *Socinismi* Patroni in portentis hiſce ſuis conſtabiliendis quaquaverſum, hac ipſa, ineuntis Seculi Decimi & Septimi, tempeſtate erant maxime ſeduli: ita noſtri ex adverſo ſcripta contra eos, ex hoc maxime tempore, magna copia magis magisque enucleata evulgarunt, diſputationibusque examinata excuſſaque argumenta Eccleſiæ propoſuerunt longe præſtantiſſima: b) quæ pluribus exemplis Cap. II. procul dubio demonſtranda eſſe ſperamus.

§. XXVIII.

Sed ad *Ruarum* denuo, & quaſi e diverticulo, noſtra redit oratio, ut, quibus præcelluerit dotibus, ad alios in conſenſum ſuum pelliciendos valde idoneis, diſpiciamus. Fuerant in his primario conſpicua, ingenium & eloquentia, ſeu, ut divus *Paullus* c) eleganter vocat, inſignis χρηστολογία καὶ εὐλογία· qua nihil eſt ad decipiendos animos ſimpliciorum efficacius: ut *effaſcinati* d) ſæpenumero videantur, qui virus pravarum opinionum admiſſum in animum mentemque ſemel recepe-

a) *Christoph. Sandii* fide, qui horum, ubi de *Enjedino* breviter in *Bibl. Unitar.* egit, meminit, iſthæc referimus. De auctore autem eodem & ſcripto memorato pluribus *Cap. II. lit. E.* dicturi ſumus: ubi *Cornelium Marci* fuiſſe, qui ſua id opuſculum manu deſcripſerit, ſignificabimus.

b) Cujuſmodi fuere W. *Franzii Schola Sacrificiorum, & Diſpp. in Aug. Conf. Jac. Martini de Tribus Elohim, A. Graueri* contra *Smalcium*, præſertim pro *Divinit. Chriſti* & *Sp. S.* itemque *ſatisfact. Chriſti*, aliaque varia opuſcula. Quibus p. p. *Frid. Balduini Refutat. Catechiſm. Racov.* Collegii Theol. Witteb. nomine ſcripta & Germ. ac Lat. edita, *Balth. Meiſneri Theol. Photiniana*, aliique Libelli *G. Roſtii*, *Nic. Hunnii*, *Joh. Gerhardi*, *Juſti Feuerbornii* &c. acceſſere: ut Reformatos taceamus.

c) Ep. ad Roman. Cap. XVI. 18.

d) Quemadmodum *Galatæ* Cap. III. 1. ſq. Apoſtolorum ex Judæis falſorum dolis & objecto glaucomate.

receperunt. De ingenio *Ruari*, ut alia multa, a) ita cumprimis teſtari queunt, quæ hinc inde disjecta in ſcriptis, his annis *Altorphi* excuſis, leguntur Carmina, affabre non minus, quam argute concinnata. En geminum facultatis hujus ſpecimen! utrumque *Mich. Piccarto* dicatum; alterum *Obſerv. Hiſtoricis* ejusdem; alterum vero *Organo Ariſtotelis*, ab eo adornato, antepoſitum. Illud hunc in modum ſonat:

Vna fuit juveni prius ars Sapientia mundo,
Omnia rimandi dum novus arſit amor:
Nos quantum ſeclo, tantum fervore, minores,
Inventæ totas ſpernimus artis opes.
Quisque ſuo partem ſpolio decerpit, & inde
Grammaticus, Logicus, Ethicus, Aſtronomus,
Hiſtoricus, Phyſicus, Vates, Coſmographus audit;
Imbre Sophus pleno nemo madere cupit.
Tu vetus auſpicio ſignum, Piccarte, *recenti*
Tollis, & is ævo celſior ipſe tuo.
Grandibus ut varie ſe jam liberaverit auſis
Vis tua, cum pluteis charta loquetur anus.
Altivagis tandem Sophiam nunc deripis aſtris,
Æmulus & media Socratis urbe locas;
Exemploque tuo convivia vana refutas,
Docta quibus ſcholici vapulat umbra gregis.
Macte! tuis quantum curis Academia debet,
Debebunt ſtudiis oppida & aula tuis.

Martinus Ruarus, Holſatus, Philoſophiæ
& Philologiæ Candidatus.

Alterius b) non minus eleganti ſtructura, quam ingenio, & hoc quidem magis præſtantis, hic tenor eſt:

 Illa

a) Præter ſingularem enim præcocemque maturitatem, culturam mentis in humanitate, doctrinæ *varietatem*, *& philoſophiæ*, non leviter tantum deguſtatæ, ſed ſolidius excuſſæ, *notitiam haud vulgarem*, aliaque eruditionis illuſtria ornamenta jam huc attulerat, eaque h. l. multum aucta eſſe, ex omnibus vitæ porro actæ & ſcriptorum rationibus colligere licet.

b) Forte nec tertium, idque geminum, nunc tandem huc tranſcribere pœnitebit, cujus ſupra, tanquam *Soueri* memoriæ conſecrati, meminimus, hunc in modum ſcite compoſiti:
„Nec verba poſſunt exitum, nec lacrumæ,
„Sat expedire: exæſtuans imo dolor
„In corde luctatur, nec undæ vim capit,
„Nec impetum tamen poteſt effundere,
Angu-

Illa ego sum Logicæ, magno quæ cuncta Galeno
Vxor, Aristotelis maxima cura Patris.
Visa fui Græca pulcherrima veste, priusquam
Sævas barbaries intulit atra manus:
Hinc autem scissa tunica, tectisque lacernis
Obsita, jam longo sum miseranda situ.
Tentarunt multi pallam sarcire; sed ille
Sat curtam, longam fecerat ille nimis.
Iste rudes tantum centones consuit: omnes
Indoctas vel acus, vel habuere manus.
Vnus homo donec vestem gestare Latinam,
Piccartus, *secli gloria summa, dedit.*
Hanc ego nec Græca vellem mutare, sat olim
Pannus amatorum, jam dabit ille mihi.

F.

Martinus Ruarus, Holsatus.

Ex

„Angustiore strangulatum semita.
„*Sonere*, sic me linquis? ah linquis parens?
„Nam tu parens es re, quid? imo (pro dolor!)
„Parens fuisti, Tu fuisti mi parens,
„Libethridum medulla, flos Æsclepiæ
„Venuste gentis, & Lycæi fax, uti
„Inter minora vesperugo sydera
„Sol, qui sereno cuncta vestis lumine,
„Tueris istæc, nec sipario caput
„Obnuptus almam surripis mundo diem.
„An forte cœlo lychnus accedens novus
„Mens dia *Soneri*, jubar majus facit?
„At me tenebris luctus atris obruit,
„Hebent ocelli, mensque calligans negat
„Affectui voces, & his rythmo pares,
„Tantum quiritans illud, Ah dolor, dolor!

In ejusdem Tumulum.

„Quod claudi tumulo potest, *Viator*,
„Ad cœli patrios profectus orbes
„Vir exsangue cadaver hic reliquit,
„Qui vitæ fuit aureum probatæ
„Exemplar modo, lima veritatis,
„Humanæ scopus eruditionis,
„Æsculapius unus & Stagiræ
„Jam spes altera, gemma Gratiarum,
„Amor maximus omnium bonorum,
„*Nec idem scopulus minor malorum.*
„Sensistine, quis ille sit? Vel est et
„*Sonerum* tibi farier necesse?
„*Scire quem poteras notis ab illis,*
„*Ut scis nomine notas ab isto.*
„Nunc tu manibus optima precare;
„Si nulli male vivus ille fecit:
„Id jubet pietas, *nec est decorum,*
„*Barbam vellere mortuo Leoni.*

Merito quidem, sed non lubens

F.

Mart. Ruarus, Holf.

Ignosce tamen *Lector*, quod hisce te morari visum est. Et eruditio ac poëtica vena, qua pollebat *Ruarus*, hæc vel postliminio jubebant addere, & quid de *Sonero* existimaverit

Ex ungve leonem, & ex his, quid humeri valuerint, intelliges L.B., & mecum, ad meliora, hominem excellentis indolis, iſtam ſolertiam non appuliſſe, quam teterrimos *Socini* errores pingendos, ſcio, dolebis. Sed erit fortaſſis ex priori etiam verſu non arduum collectu, *quis animi character* ac prævalens affectus fuerit *Ruaro*, de Polyhiſtoris edito ſpecimine tantopere *Piccarto* gratulato. Namque, cum ipſa Ejus ſtudiorum methodo, & ſubſcriptione, hæc comparata penſitataque, ſi ad animum revoces, haud obſcurum cenſemus eſſe, ambitionis motu & vitio prædominante, eum fuiſſe cumprimis actum. Horum namque ingeniorum character præcipue is eſſe ſolet, ut altius, qua data via, emergere cupiant, & quo ſupra vulgus ſapere videantur, *ſingulares de rebus divinis ſententias* aut inveniant ipſi, aut, quod *Ruaro* proh dolor! contigit, ab aliis inventas facile amplectantur & propugnent. Cujus affectatæ in omni diſciplinarum genere eruditionis idem clarius adhuc dedit indicium, quando ſuas in Academia *Roſtochienſi*, & *Altorphina* maxime, occupationes aliquot annos eas fuiſſe faſſus eſt, *ut per florentiſſimos Græciæ Latiique campos inſtar apis vagaretur, non ut febriculoſas aliquot obſervatiunculas, ad grammaticam pertinentes, quod multi faciant, colligeret, ſed ut ſtylum ad ſcribendum proſa verſaque, nec minus linguam ad differendum, formaret, animum vero præclaris vitæ præceptis imbueret, & ad civile commercium ſubigeret ac præpararet.* Quid? quod eo progreſſum ſe ſcribit, ut tyrociniis ſub *Tarnovii in litteratura Hebraica* a) *vexillo poſitis*, nec in *Rabbinis* plane fuerit hoſpes; quin & *Syriacæ*, *Arabicæque linguæ* rudimenta deinceps *ſub Magiſtris optimis*, *Erpenio Lugdunenſi* & *Maronitis Pariſienſibus*, *delibarit.* b) Ne quid de *Gallica*, *Italica* aliiſque *exoticis linguis* dicamus. Attamen princeps ei fuiſſe Philoſophiæ ſecundum partes omnes, & *Naturalis ac civilis Juris*, *ſtudium*, cujus non imperitus & ipſe voluit haberi, aliunde liquet, c) idemque inſtitutum vitæ poſt ſecutum,

maverit præceptore, quidve alii de eo vix defuncto judicaverint, ut noſcitares pleniu, typis cur hæc repeteremus, ſvadebant. Tu boni conſules, quicquid hoc eſt reliquiarum, & ſuperius de *Sonero* jam obſervata ex hoc monimento devotiſſimi Præceptori ſuo *Ruari* rectius illuſtrabis.

a) De cujus linguæ *repetitione*, ſed ſibi moleſta admodum, lege, quæ ad *Richterum* ſuum perſcripſit, *Epiſt. Select.* Richteri f. 387. coll. *Ruarianarum* Cent. II. n. XIIII. f. 80.

b) Vid. *Ruari* Epiſt. Cent. I. n. XVII. f. 111. ſeqq.

c) Conf. 1. c. n. XV. p. 94. & n. XVII. p. 112. ſeq. Ubi etiam, ad *ſcholas ſe trahi conſvetudine & amore otii litterarii, ſed abſtrahi rurſus, quia cum Muſis ſtrenue illic algendum, &, dum famam foris quærimus, fame tantum non ſit pereundum*, ſcribit.

tum, & in Borussia continuatum comprobat. *Neque Theologiæ* denique *expertem* fuisse, utinam vero sanæ, puræ ac sobriæ! cum demonstrata, scriptis quibusdam evulgatis, anxia Socinismi propagandi cura, tum & disputandi cum doctissimis Theologis habilitas, ipsaque *Altorphina* fata, addocent. Quibus animi propensionibus, postquam accessit præjudicatarum opinionum vis longe maxima, quid mirum, si etiam aliis persuadere omni studio & contentione elaboraverit, quæ tantam in *Ruaro* & veritatis, & pietatis, atque concordiæ denique, ex tricis scholasticis, ut arbitrabatur, instaurandæ, speciem præ se ferrent? Nec sine successu, utut prorsus infelici, corrumpendarum mentium bonarum, id ei evenisse studium, est, quod mireris, quum *ore facundo* eadem, quæ ipse sentiret, aliis instillandi plurimum valeret, eaque via tot commilitones in partes suas potissimum pertraxerit, vel difficulter admodum, vel non amplius, omnino, ex istis laqueis, quibus capti erant, deinceps expediendos.

§. XXIX.

Testis ejus rei esse potest instar omnium, qui optime mentem & dotes *Ruari* callebat, *Piccartus*, cujus memoratu digna sunt verba, accuratum de *Ruaro* judicium, ad *J. Kirchmannum* a) A. 1616. prid. Kal. August. perscriptum, complexa. Nonnulla enim præfatus de *Ruari* discessu, fideique ejus concreditis Juvenibus, addit: *Hic* (Altorphi) *constat eum NB. Museum suum impietati isti* (Socinianæ) *commodasse, in quo & sacramento se obstrinxerint, & cœnam administrarint, sed minime Dominicam.* b) *Hic tamen in litteris ad me suis cum innocentia de puritate contendere videbatur. Retulit mihi Elsvigius, D. Busfium, cum hæc de ipso inaudivisset, in hæc verba erupisse: Vtinam Deus illum cito perdat! Nisi enim hoc futurum est, magnam stragem dabit, NB. ita in animos hominum influere novit, &, quæ cupit, persvadere: A cujus viri judicio* (addit Piccartus) *meum non abjungo.* Neque nos etiam dissentimus. Manifestissime enim hæc, & reapse, non solum comprobant, quæ scripta reliquit idem, noster *Ruarus*, præclare adornata, eaque numero & structura orationis ad aures mentesque legentium tam concinne composita, ut dulcissime in animos influant, sed omnes quoque actiones, quantum ex monumentis, quæ superant, constat, idem testificantur. Ne quid de verborum

a) Vid. Epist. *Gudianas*, curante cl. Viro P. *Burmanno* prælo subjectas Ep. CLXXXIV. f. 256.

b) Qua de re & ausu cumprimis impio vid. §. hujus Cap. Imi XXXIXmus.

rum ſvavitate, nitore & elegantia dicamus, quæ quantopere ad capiendos deliniendosque humanitatis ſtudioſos faciat, dici vix poteſt. Quanquam non *Ruaro* ſolum ea propria dos fuerit & facultas, ſed cum omnibus prope *Socinianis* communis, ex ipſius *Socini*, a) *Crellii*, *Volkelii*, *Wolzogeni*, (aut, ſi malis, interpretis ejus *Stegmanni*) *Schlichtingii* item *Wiſſowatii* denique *Biblioth. Frr. Polonorum* curatoris terſisſimi, & aliorum anteſignanorum, Operibus ad invidiam usque elucens. Vt non dubitem, haud ultimum fortasſis, alios quoque alibi tam peſtifera hæreſi illaqueandi, inſtrumentum artem dicendi extitiſſe. Sed quid opus eſt (ut ad *Ruarum* revertamur,) verbis? cum locupletisſima adſint rerum teſtimonia, ejusque in ſcribendo b) dexteritatis eſſe queant evidentiſſima documenta, vel ſolæ, quæ proſtant, præter *Notas in Catech. Racov.* Ed. 1680. inſertas, *Epiſtolarum Centuriæ duæ*; in quibus, qui dictionis præſtantiam ſummamque perſpicuitatem non probet, næ is vix a limine præcepta eloquentiæ ſpectaſſe aut delibaſſe dicendus ſit. Vim perſvadendi autem, ſi quo notabili ſpecimine demonſtratam intelligere *Lector Benevolus* exoptet, eam non aliunde rectius poſſe perſpici, credimus, quam ſi *Cent. II. n. XVII.* poſitam, eamque verboſam admodum, ad *Joach.* PEVSCHELIVM noſtrum Epiſtolam perluſtret, & vel poſtremas amicos ſalutantis χρηϛολογίας animo expendat. Vnde amplius, quanta ſvaviloquentia hujus viri præſentium quorumvis favorem & gratiam ei conciliare potuerit, quæve aſſenſum prope extorquere incautis valuerint demulcendi artes, facilius erit collectu. Præſertim ſi ea quoque compares auditorum in animos ſeſe inſinuandi artificia atque dolos, quibus ipſe, poſtea *Gedani* ſe uſum eſſe, palam profeſſus eſt: de quibus, ubi vitæ *Ruari* poſteriorem partem enarrare animus eſt, c) commentabimur. Sunt quidem & alia, quæ primis quaſi digitis *Piccartus*, verbis paullo ante exſcriptis, attigit, a *Ruaro* *AltorffI* geſta; neque aliena etiam a præſenti argumento, quo characterem animi ejusdem & morum deſcribere aggreſſi ſumus; ſed commodiori illa ſervamus loco, & qua ſorte, quibusve ſumtibus iſtic vixerit, tum etiam quo pacto tandem inde diſceſſerit, jam enarrabimus.

O §. XXX.

a) Qui cæteris omnibus, quantum ad dictionis etiam elegantiam, palmam præripuit, ut in ſuas quoque, hoc inſtrumento humanitatis, partes permultos videatur traxiſſe. Eſt enim, ut alibi jam demonſtratum dedimus, *hæreſium eloquentia obſtetrix*, perinde uti *matrem* jam dudum *Auguſtinus* appellavit *ambitionem*.

b) Quidni ergo etiam in ſermocinando?

c) Cap. II. lit. R.

§. XXX.

Quantum igitur ex ipſius Epiſtolis, aliorumque relationibus, conſtat, quam primum in *Academiam Altorphinam* advenerat, *Joachimi Varenholdii*, *Hamburgenſis* ſecum adducti, a) ſtudiorum morumque curam geſſit, eaque occaſione, cum ex febri is laboraret, in *Soneri*, ut ſupra audivimus, b) familiaritatem pervenit. Hujus autem gubernatione aliquandiu defunctus, non tamen, ea priori omnino, ut videtur, depoſita, Ephori ſtationem Adoleſcentis alteram, alteriusque Generoſæ e *Marchia Brandeburgica* gentis moderationem ſuſcepit, *Abrahami* nempe *Burgſtorphii*, a Tutoribus fidei ſuæ commiſſi. Cum quo etiam *Altorphio* deinceps *Argentoratum* abiit, *Varenholdio Tubingam* concedente. Mirum equidem videri poterat, qui factum, quod homini, a vera Evangelii doctrina & ſententia tantopere digreſſo, nobiliſſimorum ingeniorum ſemel iterumque concreditum fuerit regimen. At enim ſi cogites, non attuliſſe ſecum *Altorphium* virus teterrimæ hæreſeos, ſed iſtic demum, uti paullo ante narratum eſt, imbibiſſe, non eſt, cur *Varenholdius* ejus diſciplinæ, tanquam hominis litterarum, quæ ab humanitate nomen habent, peritiſſimi, & probatiſſimis de reliquo moribus conſpicui, traditus ſit. *Burgſtorphium* vero ab ignorantibus tanta corruptæ mentis pericula Curatoribus commiſſum illi fuiſſe, vel hinc evidenter patet, quod, ea re per rumorem duntaxat percrebeſcente, & adhuc obſcuriuſcule inaudita, de mutatione neceſſaria, magisque huic juveni ſive tuta ſive proficua, cum agnati & fratres nobiliſſimi, tum ipſe quoque *Abrahamus* diſpicerent. De *Tutore* Abrahami, *Erneſto Ludovico Burgſtorphio*, ne quid damni pateretur pupillus, ſolicito, teſtis eſt prima inter omnes *Cent. prioris Epiſtola*, in qua, quanta vafritie famam de ſe ſparſam, c) utut eventu dein plus ſatis comprobatam & veriſſimam, a *malevolorum ſuſurris*, quos vocat, purgarit *Ruarus*, & *generali*, de *veritatis ſtudio*, *paciſque amore*, excuſatione omnem invidiam pro virili amolitus ſit, videre eſt. d) Ipſius vero *Abra-*

a) Hæc ex Indice ſtudioſorum Acad. Altorph. & Epiſtolis *Ruari* edocti ſcimus.

b) §. XV.

c) Quo nomine eum compellaverat, ut Reſponſio docet, *Abrahami* curator.

d) Verba Veteratoris callidiſſimi hæc ſunt: *Ego non melius*, ait, *quam in veritatis ſpeculatione conquieſco: quam cum tot opinionum venti huc illuc jactent, ſic tamen in anchora divinarum litterarum ſtare conor, ut nullis præjudiciorum fluctibus, quibus humanæ vitæ oceanus utplurimum intumeſcit, abripi velim. In hoc Dei beneficio glorior, quod nondum in cujusquam ego doctoris præterquam Chriſti verba juraverim: atque ne ipſius quidem Lutheri, ſummi viri, cujus doctrinam cum*

Abrahami, rumore iſtoc jam a ſe factum alieniorem, animum quemadmodum denuo conciliare voluerit, omnemque criminis ſuſpicionem, qua gravetur, dimovere ſtuduerit, *alterius Centuriæ prima ad Heinonem Voglerum* a) *Epiſtola* oſtendit. b) Quamvis neutiquam hiſce diſſimulationibus impedire potuerit, quo minus is a *Ruaro* repente diſcederet, viamque tutiorem ambiguæ anteponeret maturo abitu. c) Quam fraudulenter autem in his omnibus ſe geſſerit, obtentu tamen pietatis nunquam depoſito, nunc certe in propatulo verſatur.

§. XXXI.

Neque vero id mirum eſt, adverſus iſtos hujusmodi effugiis ſe contegere conatum eſſe ſimulatorem egregium, ubi nimirum commodi alicujus retinendi ſpes invitabat, & detrimenti metus urgebat. At bono *Piccarto*, præceptori optime de ſe merito, jam ante circumvento impie, cum poſitus jam eſſet extra teli jactum, adhuc verba dediſſe, hac de re compellatum, conſcientia haud dubie reclamante; illud eſt, quod non ſine indignatione jam enarrabimus. Cum enim ille, (una cum *Virdungo*) ſolito & laudabili candore *Argentoratum*, quid *Altorphii* de *Sociniana* hæreſi non approbata tantum, ſed ab ipſo etiam propagata ſentiretur, perſcripſiſſet, ac ſerio objurgando eum, dolos d) *AltorphI* ſtructos graviter exprobraſſet; dici non poteſt, quam ægre is, talia ſibi tribui, quæ tamen veriſſima erant, tulerit, verum etiam aſperius ad ea quædam repoſuerit, quæ nunquam a *Ruaro* tam modeſto, tantaque olim æquanimitate ſpectato, itemque pietatis ac veritatis ſtudium tantopere jactante, exſpectaſſet. Extat Epiſtola, in

quam

cum lacte matris imbibi, auctoritatem mihi pro lege eſſe, ſcis, quam obſcure præ me tulerim, cum ſemel atque iterum dicerem ſententiam illam de bonis operibus & humani arbitrii ſervitute, videri mihi nimis rigidam &c.

a) In cujus ille diſciplinam traditus erat.

b) Cum primis verbis: *Quo magis doleo - - - - - exempla non deſint?* quæ f. 1. & 2. leguntur.

c) Unde ad *Richterum Ruarus : Mihi hic non male multa ſuccederent, niſi, neſcio quid, obſtaret, quod calculos ſcite poſitos non parum conturbat. Nuper diſcipulus meus a tutoribus domum quam primum redire juſſus eſt, ob cauſam, quæ litteris non exprimitur, ſed mihi tamen, niſi fortaſſis gravedine laboro, nonnihil ſubolet.* Quæ non alia, quam deteſtabilis hæc, qua infectus dicebatur haud injuria, hæreſis fuit: quam in ſinum *Richteri* ὁμοψήφȣ t. t. confidentius etiam effundere poterat querelam.

d) De quibus etiam *Ruarus ad Richterum* paucis querulatus eſt: *Ultimas ad me dederunt* (Altorphio) *Piccartus & Virdungus, quibus multa immerito mihi tribuuntur.* Epiſt. *Richter.* Select. f. 389. Item ad *Peuſchelium* Cent. II. n. IX. f. 60. *Ecce, quid ex eadem Academia duo magni Viri, Logicus & Hiſtoricus, litteris non minus gravibus, quam affectuum plenis ſcripſerint!*

quam digitum intendimus, in *Cent. altera*, numeroque XV. locata eſt; ſed quoniam ipſum *Ruari* ἀυτόγραφον nobis inſpicere licuit, in quo haud pauca, inter deſcribendum fortaſſis, addita ſunt, quibus emendari queant, plurima impreſſi Exempli menda, totam h. l. denuo dabimus atque integre recuſam. a)

CL. Viro Mich. Piccarto
Mart. Ruarus
S. P. D.

Nondum ſatis exputavi, majorine lætitia litteras tuas in manum acceperim, an legerim cum dolore: illud, quod erant a Te, iſtud, qua de me. Hoc igitur, o mi Piccarte, reſtabat, ut, tanquam publicæ famæ tympanum, tot iſtic probris abſens vapularem, ut ſacrorum deſertor, ut impietatis partiarius, ut Altorphinæ juventutis corruptor audirem? Scilicet non poteram vulgaribus peccare criminibus, cui tu quoque, ſummo Vir judicio, tantum ingenii non minus amice tribuis, quam immerito. Non poſſum autem, Vir clariſſime, ſatis admirari tuum iſtum amorem, qui inter ejusmodi voces adhuc ſibi conſtat, in litteris tuis calide ſpirans; laudo quoque candorem tui pectoris, quod his de rebus certiorem me facere volueris, quas per iſtos, ſi Diis placet, AUDITORES MEOS *hactenus ignorare coactus ſum, magiſtri ſui nimium oblitos. Appellas porro fidem meam, ut ingenue reſcribam ſuper hoc negotio, quo & tibi & aliis, qui me amatis, ſit, quod loqui pro me,* b) *queatis. Quid ergo poſſim aliud, quam quod ipſe judicii benignitate jam ante præſumſiſti?* Ψευδεα ῥινος ὑπερθεν ἀραιας ὀυκ ἀναφησω. *Etenim non nego, multa a me varie in utramque partem tam de ſacris, quam prophanis rebus Altorphii, præſertim inter deambulandum,* c) *diſputata, ſed nec cum omnibus, quos in litteris tuis indigitaſti, nec cum iis ſolis: Vt enim ingenium quis-*

a) Atque hæc eadem eſt Epiſtola, quam *Piccartus* cum *Kirchmanno* communicaverat; unde *Satanæ technas accipere, & ex uno omnes eum diſcere juſſit.* Vid. *Gudian.* Epp. ex ed. *Burmanni* n. 184. p. 257. Quemadmodum vero non *Piccarto* tantum, ſed amicis quoque aliis, nominatim J. *Kirchmanno*, hac de hæreſi ipſum accuſanti, ſtrenue negando obloquutus fuerit, ex Epiſtola *Kirchmanni* Cap. III. exhibenda pateſcet. Unde ſi non alia, quantus tamen fuerit diſſimulationum ſimulationumque artifex *Ruarus*, palam fiet.

b) Vel ex his verbis patet, ne nunc quidem fidem rumori habuiſſe Doctores *Altorphinos*; atque hinc adeo, clam acta eſſe mirum in modum cuncta, elucet.

c) Ita eſt: Hanc enim inſtillandi pejora methodum *peripateticam*, ex complicum confeſſione deinceps luculenter innotuit, valde frequentatam fuiſſe. Cæterum & *hæc verba tantum in* ἀυτογράφῳ *leguntur*, atque in excuſo exemplo, quod filii nacti erant, omiſſa ſunt, maxime tamen commemorabilia.

quisque calidiſſimum doctrinæ cujusdam ſcintillis aperiebat, ita hujus affectatus familiaritatem naturæ meæ teporem aliena flamma corrigere tentavi; quod cum diſcendi proficiendique ſtudio potiſſimum a me factum ſit, in Academia, cui libertas jam a Platonis ævo vernacula fuit, licitum mihi fuiſſe credo. Quod autem, ex inſcito me litteratore veſtrates tam ſubita metamorphoſi dictatorem fecerunt, & in Collegio ſcholam prælectionibus auſum frequentare a) *dictitant, a quocunque commentum hoc primum emanavit, vellem, ſi vir bonus eſſet, alienæ credulitati parcius exiſtimatione ſua illuſiſſet; ſin aliquis fortaſſe ex iſta temeraria juventute, miror nihilominus hiberno Sabini ſomnio fidem iſtic inveniri, cui quisquis eſt, ut noctes haberet, innocentiores ad Atlantes navigandum cenſeam. Viderint iſti juvenes,* Peuſchelius & Dumlerus, b) *quos ego juratos ſanctæ Triadis, in cujus nomen baptiſati ſunt, hoſtes vix crederem, niſi tu id affirmaſſes; viderint, inquam, cujus ſigna ſecuti ſint; mihi nimis durum foret, ſi de ſingulorum amicorum conſcientia tribunal adire, rationemque reddere cogerer. Id quidem operam ſemper dedi, ne mea converſatio quenquam deteriorem redderet, niſi id fortaſſis deterrimum videtur, quod a ſeculi moribus maxime diſſidet, a quorum impuritate fateor me, quotquot potui, a calvo usque ad calvum dehortatum eſſe. Si crimen hoc eſt meum, contraiviſſe ſeculo, lætor id mihi tecum ipſo commune eſſe, ac cum omnibus viris probis, cum ſanctis Apoſtolis, cum ipſo Domino ac Deo* c) *meo Jeſu Chriſto, non modo cum Sonero,* d) *quem ego, quicquid tandem ille ſenſerit, cujus nec omnia ſcio, & eorum, quæ ſcio, multa non probo,* e) *nunquam deſinam mente grata celebrare, quod me communi fluctu propemodum abreptum, injecta velut manu, reprehenderit, & quod plerique declamant, primus vere perſvaſerit, non per ſyllogiſmos ſpinoſos, aut eruditionis argutæ faſtum, ad cœlos iter eſſe, ſed per fidem δὶ ἀγάπης ἐνεργȣμένην τὴν ȣ̓ μόνον λέγȣσαν, κύριε, κύριε, ἀλλὰ καὶ ποιȣ̃σαν τὸ θέλημα τȣ̃ πατρὸς ἡμῶν ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς. Si rationi humanæ voluiſſem*

a) Collationes iſtas haud dubie indigitaverat *Piccartus*, quibus diſputaturi ab eo argumentis, ingenti ſtudio perpolitis, uti ſupra jam animadverſum eſt, inſtruebantur: quæ callide, culpam diſſimulans, noſter de *Prælectionibus*, ut effugeret aut declinaret ictum, eſt interpretatus.

b) Hoc de *ſodali* conſortii clandeſtini *pervicaciſſimo* Cap. II. & III. plura & ſingularia quædam L. B. expectet narranda. Hic nomen ejus primum legiſſe ſufficiat.

c) En! ſolitam ambiguitatem, qua & *Schoppero* fucum fecerat, jamjam moriturus, *Sonerus.*

d) Patet hinc non obſcure, a *Piccarto*, jam tunc aliter edocto, ſecus etiam exiſtimatum eſſe de *Sonero* Collega, haud ita pridem tam ſolicite excuſato. Vid. ſupra §. XVIII.

e) Pejor ergo & *Ruaro*, ex aſſe licet Sociniano, *Sonerus* fuerat; ſed forte in Philoſophicis quibusdam hypotheſibus aliter ſentiendo; cujusmodi quædam in *Comment.* ad *Ariſtot. Metaph.* jam ſupra notaverat *Felwingerus.*

luissem obsequi, cujus invidiam insons patior, tentassem fortassis & ipse (licet paulo stupidior, Verba hæc sunt in αὐτογράφῳ omissa) *nonnihil, quo tam insvavium dictorum fidem destruerem, qua in re nimis alias plerique sumus ingeniosi: sed obstupuit conatus meus, non Persei conspecto clypeo, sed alterius generis armis,* δυνατοῖς τῷ Θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, *quibus divinus Apostolus se* πᾶν νόημα αἰχμαλωτίζειν *profitetur* εἰς ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ. *Nempe frustra in Scholis de essentia consiliisque divinis disputationes serimus, quæ bonam partem* a) *absque salutis jactura nesciri possunt, si domi bacchanalia vivimus,* b) *si libidine æstuamus, si collidimur odiis, si ambitione, invidia, avaritia, ceterisque animi ulceribus scatemus; uno verbo, si sanctitatem negligimus,* ἧς χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον. *Quod, si illi, quos in Epistola tua merito notas, paullo religiosius ad suum & aliorum animum revocarent, melius, credo, cum orbe nostro ageretur, cujus egregia pars factionum studiis pietatem professa, vix quicquam in moribus habet, quo Christianos agnoscas, & propterea, si non apud me, cui gemma nec in luto penitus sordescit, certe apud eos, qui paullo morosius judicant, de ipsa doctrina sua jam pridem sit suspecta.* c) *Nota est magni Erasmi vox,*

a) Ita quoque in litteris ad E. L. *Burgstorphium* Cent. I. n. 1. f. 8. *Summa fidei capita multa non esse, in his nullum magis, quam pietatem seu innocentiam vitæ commendari a sacris scriptoribus, & posse quem in cæteris impune, modo ne cum pertinaci proposito id fiat, hallucinari,* ait. Ac paullo ante, *si qui diversa sentientes condemnent, intemperiem jam fere epidemicam eam* vocat *consvetudinem.* Unde vero hæc didicerit, ex *Jacobo* videlicet *Acontio* illo, de *strategemat. Satanæ* celebratissimo scriptore, ipse l. c. professus est. Immo vero ab ipso *Socino*, neq; enim aliam mentem ei fuisse, scripta docent, utpote qui consultus a *Matth. Radecio*, recens in castra sectæ AntiTrinit. transgresso, hunc in modum ad illum rescripsit: *Quamvis ad eam Ecclesiam, quatenus bona cum conscientia potui, me prorsus adjunxerim, quæ cæsteris purior mihi esse videtur, non tamen alias vel condemno, vel ulla ratione adspernor, sed omnes, in quibus vox præceptorum Christi Domini nostri resonat atque exauditur, licet in quibusdam dogmatis, quæ ad ipsa præcepta non pertinent, non recte sentire mihi videantur, pro veris Ecclesiis Christi agnosco, & quicunque eadem præcepta conservant, vera Christi membra esse, statuo. Interim tamen eos minime probo, qui dogmatum religionis nostræ, ad salutem non necessariorum, veritatem inquirere negligunt. Hæc ille, prorsus* ὁμόψηφος *Ruaro.* T. I. Opp. f. 373 a)

b) Hic obtentus erat. Non aliter, quam si absque doctrinæ corruptione, aut dogmatum, ad hominum arbitrium eo inflexorum, attemperatione, pie non liceret vivere: cum tamen sine *Evangelica* veritate, fidei sinceræ *substrata*, nec de sanctitate *genuina* cogitari possit. Sed pro *Socinismo*, non est, cur, hæc tantopere urgeri, miremur, cujus prora puppisque est vitæ sanctitas, & ipsa, si *meritum* demas, quod nonnemo in *Racovia Romana* demonstratum dedit, Papismi anima, ex fide nimirum incredibili metamorphosi inobedientiam præceptorum J. C. perfectiorum, ut putant, conversa, orta.

c) Mira profecto a *vitiis hominum ad doctrinam* in dubium vocandam ratiocinatio; quæ

vox, qui monstrari sibi petebat, nimis quidem, ut existimo, confidenter, sed petebat tamen, quem istud novum Evangelium meliorem reddiderit; ut verosimile sit, in ipsa doctrina quædam eum advertisse, unde tanta morum corruptela fere flueret; id autem si verum esset, non immerito fortassis ex morum habitu de tali dogmate pronuntiaretur, cum ipse quoque Servator noster arborem a) *e fructu æstimandam doceat. Veruntamen, quicquid hic Erasmus, cujus judicio nec omnia, nec nihil tribuo, lætor ipse, Deoque immortali gratias ago, quod ex Evangelicis mihi parentibus nasci, quod sacris inter Evangelicos initiari, quod adolescere, & erudiri concesserit, &, ut sint,* b) *quæ divinis literis & Ecclesiæ primitivæ ad ungvem non respondeant; nihil tamen hactenus in ipsa doctrina reperio, quo salutis humanæ fundamentum* c) *revera subruatur. Proinde, cum ita necdum a Vobis, nec Sanctorum consortio (quod abominor) abierim, te quoque, Virorum Summe, per quicquid usquam tibi carum fuit, rogo, ne affectu a me recedas, idque tibi persvasum habeas, me quicquid id est in me ingenii vel judicii (quod utinam vere deprehendisses!) non ad convellendam, sed ad discendam orthodoxam fidem conferre, nec in summa religionis,* d) *quam ex sacris litteris simplicissimam hausi, quicquam vel mutavisse, vel inposterum mutaturum esse, nisi Deus mihi prius hanc mentem. Quodsi nonnullas capitalium ingeniorum deductiones subtiles vel non capio, vel non agnosco; det veniam tarditati meæ Dominus Jesus,* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *& tu, Piccarte clarissime, illius exemplo, cui te ex animo cum omnibus tuis com-*

quæ & Apostolicam feriret, si solida esset, Ecclesiam ipsamque Evangelii doctrinam labefactaret in universum omnem, cui sane sive verbis sive factis, ita ut *pauci* fuerint *electi*, utut *multi*, immo *omnes vocati*, reclamatum atque repugnatum est omni tempore. Tacemus, ipsum Christum eadem jam pridem conquestum Es. XLIX. 4. & in ipsa potissimum vita, doctrinam ex asse non referente, talia expertum.

a) Ita est: *Per se* si inde is proveniat ut fructus. At si *ex accidenti*; *nunquam ita bene agetur cum rebus humanis, ut meliora pluribus placeant.* Quæ, a *Seneca* jam olim observata, perfacile ad Ecclesiam Christi accommodare licet. *Gregem enim suum eam ob caussam, ut pusillum*, ipse Servator semel iterumque descripsit. Sed erunt fortassis, qui locum etiam citatum ne de doctrina quidem accipi velint, sed de singulorum, præsertim Ministrorum Ecclesiæ, *animo sincero aut infucato*: quam litem, in historico jam campo occupati, nostram non facimus, *fructus* autem doctrinæ ab improbo *abusu* discerni volumus.

b) Omissa h. l. fuit in autographo vox *nonnulla*.

c) Sensu & more *Socinianorum* laxo, quibus, pauca illud constituere, (quemadmodum & ipsi in *angustias Philosophiæ* paullo *defæcatioris* totam cogunt *Theologiam*) nunquam non visum est. Conf Socin. Opp. Tom. I. f. 453. sq.

d) Quam scil. fides in Christum generalis, & charitas, seu præceptorum ejus obedientia, absolvit.

commendo. "Franckensteinius a) nullas a Puschio litteras accepit: "Monavius ipse tibi propediem scribet: Vterque salutem a te mis-"sam gratam habuit. Jeremiam Stellam ipse quidem non satis hacte-"nus novi; sed tamen per alium ipsius familiarem tuo nomine salvere "jussi. Tu quoque, Vir magne, Vir amice, salve ab eo, qui tuus "esse cupit, quamdiu vivit,

Argentinæ Tribocorum
Eid. Jul. c I ɔ I ɔ CXVI. *Mart. Ruaro.*

§. XXXII.

Hæc fuit Epistola illa, qua scripta primum solemniter, & non sine demonstratione veritatis, suique erga eam constantis & intemerati amoris, Optimus *Piccartus* b) expostulavit cum degenere discipulo, eumque accusavit, de rebus non bene *Altorphi* gestis; ad quam objurgationem, quæ regessit *Ruarus*, vel eo nomine heic repetere visum est integra, ut non modo in persvadendis falsis & simulationibus pro veritate eloquentiæ insignis promtæque luculentum testimonium præberent; verum etiam mutationis, tam portentosæ, in doctrina fidei, *fontem apertum* sisterent. c) Quem solius *pietatis prætextum*

a) Hæc in scriptis ad *Piccartum* manu ipsius *Ruari* litteris addita leguntur: quæ forte, cum describeret, quæ in chartam primum conjecta erant, ex tempore deinde adjecit.

b) Non obscuro certe hunc in modum indicio ac testimonio innocentiæ suæ, contra eos, qui & ipsum in consortium impii dogmatis vocabant, edito, posteritati & famæ suæ consuluit.

c) Ab his parum discrepant, quæ ad amicissimum, & ex Hamburgensi adhuc Schola familiarem, veteremque commilitonem, *Heinonem Voglerum*, in Acad. Rostochiensem perscripsit idem *Ruarus*, & in duabus Centur. II. num. I. ac II. prælo expressis leguntur Epistolis. Quibus, quoniam per Amicum ex *Cl. Edzardi Prof. Philos. Hamburg.* Bibliotheca, eæ, quæ posteriori inter has occasionem dedere, litteræ, quasve ἐν αὐτογράφῳ Vir Celeberr., ex *Vogleriana* gente, quantum ad maternam originem, natus, possidet, mihi procuratæ sunt, neque has addere & communicare cum B. L. dubitavimus. Ita vero *Voglerus* cordate & sine fuco:

M. Ruaro S. P. D. Heino Voglerus.

Candorem amas, mi Martine, & ista simulationum involucra procul habes; proinde posthabito mendacis excusationis velo nudum me tibi & nativum prodam. Ter jam a Te litteras accepi, cum nullas dedi, neque enim dare ausus fui, ita enim mihi & famæ meæ metui. Socinianus enim & Tubingæ & Gissæ & Rostochii audis, & hodie ita usu venire solet, ut, si quis ad hæreticum det litteras, ille ἀλλοτρίαις ἁμαρτίαις κοινωνεῖν *& hæreticus esse dicatur, adeo, ut rigidis istis, certe superciliosis Aristarchis dictaturam gerentibus, hæretico ne quidem* χαίρειν *dicere liceat, nisi ejusdem hæreseos suspicionem incurrere quis velit. Sed quid dicam, mi Martine, aut quo Te loco habeam?*

Certe

tum fuiſſe, cum omnes propemodum periodi iterum iterumque clament, tum aliæ quoque ſociorum querimoniæ, alias producendæ, magis confirmabunt. Priſcam vero & jam ante ipſi *Socino* probatam hanc fuiſſe methodum, ex ejusdem Epiſtolis ad *J. Volkelium* ſcriptis a) liquet: Quam longe autem a ſincera ingenuaque pietate animi, in Deum aliosque homines, adhuc abfuerit ipſe bonus *Ruarus*, inde Tibi experimentum, *L. B.*, capere licebit, quod, dum iſthæc tam facili calamo perſcriberet ad *Piccartum Argentorato*, alia omnia ſub initium ejusdem anni ad amiciſſimum ſibi fratrem PEVSCHELIVM noſtrum, *Jenæ* adhuc inter ſpem & metum hærentem, datis litteris edisſereret, & quem, ad exemplum Petri, Chriſtum olim negantis, *Piccarto*, quaſi vix ſibi cognitum deſcripſerat, ad propugnandum maſcule *Socinismum*, ab ipſomet hoc magiſtro inter alios inſtillatum, animaret. Digna eſt lectu, utut verboſior, tota illa Epiſtola, quæ locum *nonum* in *Cent. ſecunda* b) occupat, & fraudes ſubdolæ mentis *Ruari*, jam, poſtquam & priorem illam *Argentina* ſcriptam eſſe αὐτόγραφον

P

Certe litteræ tuæ, Tubingam ad me miſſæ, nimium ἀμφοτερίζειν videntur. Ita a Socinianiſmo alienum te ais, ut ſimul plena manu, licet aliud agas, illum laudes. Animus meus, ut nunquam a te alienus fuit, ita nunquam ſiniſtram ſuſpicionem concipere potuit. Sed quid jam mihi de Te polliceri debeam, neſcio. Vno ore omnes Te Photinianum dicunt, neque illi de plebe aut cavea tantum, ſed de orcheſtra nonnulli. D. Lubinus enim omnibus ἐλευθεροστομεῖ, te peſtilenti Socinianæ hæreſeos ſydere afflatum, hæreſin iſtam Altorphii παῤῥησιάζεσθ. Lubini verbis, ut non plenam, ita nec plane nullam fidem habeo; non enim credo tantum Virum nullis evidentibus rationibus inductum de auditu hoc ſolum referre. Proinde per Deum Te rogo, & amicitiam noſtram, ut animi tui mentem mihi ſignifices, & quid credas, aperias. Ego ut in omnia Theologorum noſtrorum verba nec juro nec jurare poſſum, ita Tibi nullus ſuccenſeo, quod in dubium quid vocas. Proinde communices mecum illa, in quibus tibi aqua hæret. Erunt illa ſcribendi poſthac materies. Quicquid mihi dixeris, lapidi & Sigalioni dixeris &c. Expoſuit quidem nonnulla *Voglero* dubia, ſed prima-ria tamen reticuit, *Ruarus*, ut neque diu poſt A. 1623. (ſicut ex *Epiſt. Cent.* I. n. XVI. & XVII. videre eſt,) candide ſatis, quid ſentiret, pronunciarit. Quibus fraudibus & tergiverſationibus quotusquisque eſt, qui, ſi vel recogitet olim ſcripta, non indignetur? Sed ſufficere hæc poſſunt, ut παράλληλως & cum Epiſtola ad *Piccartum* data, qua fuerit mente *Ruarus* ex ſimulationibus prorſus compoſita, pateat. *Voglerum* autem iſtum, cum quo amicitiam *Roſtochii* contraxerat *Ruarus*, patria Hamburgenſem fuiſſe, & Paſtoris, haud procul *Glükſtadio*, Colmarienſis, tandem vero *Billwärderiani* (qui pagus eſt amplisſimus Hamburgenſium) officio functum, atque in poſtremo hoc loco & munere vita defunctum eſſe, ex amicorum relatione cognitum habemus.

a) In quibus, Tom. I. Opp. *Bibl. Frr. Polon.* f. 451. ſqq. extantibus, eæ potisſimum perluſtrari poſſunt, quæ n. II. & IV. collocatæ ſunt.

b) A fol. 50. *usque ad pag.* 65. porrecta, cum qua tamen, propter vocabula & nomina κρυπτικά, *Clavis*, quæ Cap. II. explanata eſt, inprimis conferri debet.

γραφον docuit, in aperta luce ponit. Ex qua etiam illud patefiet, quemadmodum in litteris ad *Piccartum*, ſub vocabulo *Collegii* ambiguo, ædificium a ſe habitatum cum conventu ordinario permiſcendo, deliteſcere, dolumque fuco facto contegere allaborarit. Neque eam denique pœnitebit vel ideo pervolviſſe, quoniam, & *Val. Weigelii* a) ſcripta horum homuncionum animos cepiſſe, hinc intelliges, &, quod caput rei eſt, licet ſtrenue a *Ruaro* ad *Piccartum* id pernegatum ſit, non tantum occaſiones inter deambulandum arripuiſſe eum, hinc cognoſces, diſputandi de ſummis fidei capitibus, ſed veritatis divinæ, h. e. Sociniani erroris, propagandæ, qua data via anſam captaſſe, immo, ſi rarius obtingeret, eo quidem ipſo tempore tantum infortunium admodum doluiſſe. b) Quæ, quam ſint manifeſta Plani & Corruptoris bonarum mentium hominis ſigna, atque characteres peſſimorum ſimulatorum, qui, cum maxime laborant, ut alios decipiant, tamen boni viri videri volunt, nemo non agnoſcet. Atque hæc ſufficere poſſent, ut conſtaret, de notabili illa correptione *Ruari*, a *Piccarto* laudabiliter inſtituta, & egregia ex adverſo hæreſeos diſſimulatione, quæ a *Ruaro* optimo huic præceptori pro glaucomate oppoſita fuit. Sed ne quid deſit c) commercii iſtius litterarum inter utrumque inſtituti, priores quoque his jam adductis *Ruari* litteras, ad eundem *Piccartum* perſcriptas, & nondum impreſſas, (niſi quatenus

a) Cauſſam Cap. III. ſect. I. §. 2. editam invenies. Neque enim h. l. id agimus.

b) Adde verba *Ejusd.* in *Epiſtola* ad *Richterum* exarata; *quibus ſperaſſe ſe*, inquit, *cum primum Argentoratum veniſſet, multis ſe non inutilem fore, quod in tanta hominum frequentia vix defuturi viderentur, qui ſua* OPELLA IN IIS REBVS, QVIBVS ALTORPHI POTISSIMVM VACAVERIT, *juvari vellent, eamque ſpem fere decollaſſe, queritur.* Cent. II. n. XIV. p. 81. & *Select. Richteri* f 387. Cæterum, quoſpectarent, quæ obſcuriuſcule his verbis ſignificata ſunt, *Richterum* non neſcire, bene noverat. Quantacunque vero, uti querulatur *Ruarus*, in amplificanda propagandaque hæreſi occaſionis raritas Argentinæ fuerat, *Florianum* tamen *Cruſium*, Medicinæ tunc temporis & Philoſophiæ ſtudioſum, qui hoc anno *Argentoratum* ex Auſtria venit, in partes ſuas caſſesque pertraxiſſe videtur: utpote qui ex eo tempore in litteris ad amicos ſcriptis ſingularia quædam in doctrina quoque fidei & ſtudio ſanctitatis, quod ex Keplerianis aliisque Epiſtolis patet, præ ſe tulit, & *Ruarum* quoque ut præceptorem deinceps maxima veneratione proſecutus eſt.

c) Tum vero etiam, quod in ea quoque mentio fit, ſubobſcura quidem, aliqua tamen, defenſionis, qua optimus *Piccartus* abſentem præſentemque *Ruarum* contra aliorum ſive probra ſive ſuſpicionem diu *tueri* conſueverit. Recentiorem enim hanc eſſe priori Epiſtolam ſubſcriptio commonſtrat.

tenus ex parte ad *Richterum*, Helmſtadium, de *Everhardo* a) tempore eodem breviter quædam ſcripſerat,) ad quas iſte reſpondens accuſationem illam repoſuerat, ſubjicere operæ pretium videtur. Harum igitur ſequens tenor erat: b)

S. P.

Cum tu mihi, clariſſime Piccarte, pro ſingulari tua humanitate litterarum commercium, quod ipſe petere non audebam, ultro detuleris, in genium utique meum peccarem, niſi manibus ambabus fortunam hanc amplecterer, feciſſemque jam pridem, niſi morbo, &, quæ morbi ferias excipere ſolent, variis negotiis impeditus fuiſſem. Nec tamen, etiamſi calamo rem non geſſi, Piccartum ex animo, immo nec ex oculis, quantumvis tanto locorum intervallo, dimiſi. Narro tibi, mi Piccarte, cum maxime febris mea æſtuaret, præter Sacrum Codicem, non aliud propemodum in manu mihi fuiſſe, quam aureas illas Obſervationes tuas politicas & hiſtoricas, c) *quarum erudita varietate moleſtiſſimum tempus, inter omnes amicos ſolus mihi præſens, jucunde condiebas, ac tantum non id præſtabas, quod Alphonſo regi Livius, quod Curtius Ferdinando Catholico, cum itidem aliquando pejus haberent. Ignoſce, quod tantis exemplis nomen meum inſeram, & agnoſce beneficium tuum. Fuiſti quidem non ſemel etiam in ore mihi, præſertim apud ſummum Virum Havenreuterum,* d) *qui, cum medicinam mihi faceret, & interdum in libris tuis hærentem deprehenderet, ex occaſione multa mecum de te tuisque præſtantiſſimis virtutibus locutus eſt. Vtinam hac ſibi parte mea conſtaret felicitas, ut aliquo tibi loco vel inter minorum quaſi gentium amicos, poſtquam iſthinc abii, viciſſim hærerem: quod ut audeam ſperare, non ullo meo merito fit, (niſi fortaſſis amorem amore mereri videar,) ſed benignitate tua tot annis mihi perſpecta, qua non minus conſtanter abſentem tueberis, quam facile præſentem in fidem & amicitiam tuam recepiſti. De Academia noſtra vix habeo quicquam ſcribere, quod tu ignores. Videtur ſane illa non parum Scholaſticorum florere numero, adeo, ut*

a) Quis ille fuerit, ex ipſa hac *ad Piccartum* Epiſtola intelliges perlecta. Literæ autem ad *Richterum* datæ Cent. II. *Ruarianarum*, n. XIV. f. 80. ſqq. habentur.

b) *Inſcriptio* hæc fuit : *Clariſſimo Viro Domino Michaeli Piccarto, Philoſophiæ Doctori publico, Polyhiſtori Summo, Domino & Amico meo pl. honorando*

Altorf I.

c) Quarum non niſi *Decades ſex priores*, cum *Epiſodio*, hucusque prodierant in lucem; *ſex* enim *poſteriores* A. 1616. demum, & *poſthumæ* A. 1621. a filiis, publicis typis ſubjectæ ſunt.

d) *Joh. Ludovicum, Sebaldi Havenreuteri*, Noribergæ nati, & A. 1589. Argentorati defuncti, *filium*, Philoſophum atque Medicum, qui non multo poſt A. 1618. ex hac mortalitate deceſſit ſeptuagenarius.

in una panegyri, quae ad baccalaureatus solennitatem convenerat, quasi ad quingentos aut sexcentos aestimatione tralaticia computaverim; nec est dubium, quin bona pars absuerit, quorum hinc inde sparsorum exacte numerus iniri nequit. Sunt quidem inter hos non pauci, qui non aliam hic ob causam fere vivunt, quam ut equum in gyrum ducere, ut orbem versare saltatorium, ut umbratica palaestra manus ad pugnam erudire, ut annulum hasta transfigere, ut follem & pilam artificiose repercutere, ceterisque Gallicis institutis, paene dicam, ineptire discant: litteras vero tanquam morosas scholarum nugas non aliter aspiciunt, quam ut splenis liberalitatem in eas nonnunquam exerceant. Hoc tamen optimis legibus, & custode legum severissima disciplina, satis cautum est, ne licentia diversa studia sectantium in meliores musas impetum faciat: itaque secus, quam in aliis quibusdam Academiis, satis hic tuto vivitur. De Professoribus & eorum eruditione non audeo sententiam dicere, ne quid, si non extra meam crepidam, ut ille sutor Apellis, tamen ultra meam mihi modestiam arrogem: nec est fortassis apud te necesse, cui de primariis signiferis aliunde constat, reliquorum vero οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδης. Nomina tamen eorum, quotquot publicas cathedras tenent, non abs re fuerit recensere. Sacra docent Bechtoldus, Faber, Speccerus, Taufrerus: Jus Civile Beuchterus, Mejerus, Bitschius, Clutenius: Medicinam uterque Sebizius pater filiusque & Saltzmannus: historiam Berneggerus; eloquentiam Florus; mathematica Malleolus: physica Havenreutherus: Ethica Walliserus: Graecas Ferberus. Urbs ipsa pace nunc & altissimo fruitur otio, postquam milites, quos ex Paderbornensi tractu Sabaudici belli turbo huc egerat, illo, ut ajebant, residente, dimissi sunt. Fluctum tamen alterius generis, sed in simpulo, non ita pridem excitaverat Joachimus Everhardus, a) Philosophiae Magister, quem tibi quoque de facie non ignotum puto, cum Altorfii vixerit, & aliquando in cathedra publice apparuerit. Is divino, ut ait ipse, spiritu afflatus, ut quidam e vulgo, oestro caniculari percitus, a. d. X. Kal. Augusti in templum summum b) venit, cumque baculo, ter in pulpitum Cantoris excusso, audientiam sibi fecisset, clarissima voce populo testatus est, missum a Deo se legatum habere, quae pro salute illorum eloqueretur, eratque, ut audio, Magistratum, Sacerdotes & plebem libere perstricturus, vitiisque passim grassantibus cauterium adacturus,

a) *Everhardus* iste, quem Academiae *Al-torphinae* civem fuisse *Ruarus* ait, *Ribnizensis* fuit *Megapolitanus*, & jam A. 1612. huc accesserat. Quando vero *Argentoratum* hinc discesserit, quod tamen A. circiter 1614. factum esse, temporum rationes docent, definire non audemus.

b) S. *Kiliani* dicitur in Epist. ad *Richternm* supra citata, &, quod *cathedrale* vulgo nuncupari soleat, additur.

rus, atque adeo pœnam quoque præſentiſſimam, niſi pacem a Deo precibus & emendatione vitæ impetrarent, comminaturus. Sed quidam e circumfuſa turba, cum eodem tempore concionator jam pro ſuggeſtu verba facere tentaret, correptum e templo ad ædes Conſulis abduxerunt. Cum ille nihiloſecius per plateas inter confertam plebem civitatis morbos liberrima voce proſcinderet: cumque conſulem domi non reperiſſent, in turrim, cuſtodiæ nomine, quæ tamen a carcere non multum aberat, compegerunt. Ego captivum non ſemel viſitavi, ut turbatæ mentis notas, quas vulgo ferebant, deprehenderem, ſed nullum veſtigium inveni, quod alium mihi faceret hominem, quam pridem cognoveram. Ipſe vero nihil niſi divino ſe imperio feciſſe conſtanter aſſeverabat, quamvis interim, qua id ratione acceperit, ne cauſam in carcere deteriorem ſibi faceret, aperire nemini vellet: nec temere tantum ſe facinus auſum, ajebat, utpote quod aliquot ante ſeptimanas matura deliberatione penſaverit, & poſt multas ad Deum preces iterato tertiatoque juſſu demum aggreſſus ſit. Egerunt cum ipſo Senatores & Concionatores aliquoties, voluiſſentque libenter a ſuis mœnibus moleſtum Prophetam (ſic enim a quibusdam vocari jam audio) amovere; ſed cum ille tergiverſaretur, & tandem etiam Cæſarem, exemplo, ut ajebat, Pauli Apoſtoli appellaſſet, ne quid majus turbaretur, hac conditione libertatem & civitatem ei permiſerunt, ne linguæ ſuæ ſolus eſſet dominus, & ut vocem in publico intra ἕρνος ὀδόντων *in poſterum contineret.* a) *Sed illum ego jubeo valere: te quoque Piccarte clariſſime, ſed alio ſenſu, a. d. XVIII. Kal. VII. Juliani ao. æræ Dionyſianæ* cIↄ IↄCXV. *Argentinæ in ædibus M. Adami Folſii Profeſſoris Claſſici.* b)

Tibi ad omnia officia paratiſſimus

Mart. Ruarus, Holſ.

§. XXXIII.

Sed, poſtquam ſatis dictum eſt de modo, adminiculiſque, quibus uſus erat cum cæteris *Ruarus*, ſtudio in retia ſua (tametſi is videri nollet,) alios pertrahendi intentus, jam quoque de c) *abitu ex Academia Altorphina* alia quædam ſubjungere volupe eſt, cæteris, quæ maximi

a) Idem vero, quem *religioſum hominem Ruarus* in Epiſt. ad *Richterum* appellat, non multo poſt *currui impoſitus & extra fines territorii Argentoratenſis per irreligioſos lictores* (verba ſunt *Ruari*) *avectus eſt.* Vid. l. c. f. 83.

b) Vnde tandem, quo hoſpite Argentorati uſus ſit, ſtatusque Academiæ, *Altorphino* prorſus geminus, in qua itidem Profeſſores *Claſſici* ab *Academicis* adhuc diſtincti erant, elucet.

c) Retrogredi autem eo nos jubet rerum ordo

ximi etiam ſunt momenti, ſed communia cum ſociis reliquis, ad ſequentem narrationis ſeriem rejectis. Diſcesſit ergo *Altorphio*, ſumma, qualis inter Studioſos recepta eſt bene moratos, cum teſtificatione honoris, neque quidquam volæ & veſtigii occurrit, unde, cum ignominia ejectum eſſe e ſocietate civium, colligi, vel per conjecturam, posſit. Equidem hujusmodi aliquis rumor poſtea increbuit in oris *Sarmaticis*, ut perſpicitur e *Magiſtratus* inclyti amplisſimæ *Gedanenſis* civitatis Epiſtola ad *Palatinum Poſnanienſem* perſcripta, quæ *LXXma eſt Cent. II.* ubi ſoceri *Ruari* zelo obviam ituri inter alia genero palam objiciunt: *Non noſtrum ſolum hoc de Ruaro eſt judicium*, (propagandis erroribus puta eum mirum in modum incumbere,) *quin alibi, nimirum e Norico agro in Germania, publica Eccleſiarum cenſura, loco pulſus*; a) *veluti inevitabili contagione verendus, fugiendusque judicatus eſt.* Verum enim vero, niſi (quod tamen non videtur probabile,) cenſuram, ſcriptis forte deinceps litteris latam, aut fama ſiniſtra invaleſcente, intelligant, falſi ſunt aliorum narratiunculis, Senatores Optimi, & qui eos ſequuti ſunt, cuncti. Nihil enim horum in ditione Norica eveniſſe *Ruaro*, plane nobis cognitum eſt; & profecto, ſicuti jam aliquandiu *Argentinæ* commoranti, recens comperta, non ſine admiratione, immo etiam indignatione *Piccartus* ſignificaverat: ita quoque ad *Kirchmannum* ſubinde mentionem ejusdem injiciens, idem *Piccartus*, maxime notabilem hanc circumſtantiam haudquaquam, opinor, ſiluiſſet. Sed quid opus eſt rationibus, quibus *benevole* dimiſſum abiiſſe ex hac Academia *Ruarum* operoſe demonſtremus? En! præclarum & modum pæne, ut, quod res eſt, dicam, excedens, in juvene laudando, teſtimonium *Amplisſimi Ordinis Philoſophici*, quod, cum ex ea diſcederet, ei traditum omnem controverſiam facile dirimet, dignumque eam ob rem viſum eſt, quod integrum typis exſcriptum cum B.L. communicaremus: b)

DECA-

ordo. Epiſtolæ enim præcedentes, utut *Argentorati* ſcriptæ, de rebus *AltorphI* geſtis animoque *Ruari* maximam partem egerant: Atque hinc adeo, quid, antequam diſcederet inde, *Ruarus* iſtic factitarit, porro enarrare ex melioribus documentis, quam disſimulationibus hominis male ſibi conſcii, neceſſe eſt. Quæ, ut ova a *Sonero* & *Gittichio* poſita excluſerit, demonſtrabunt.

a) Hinc eadem repetita legas ab aliis; præcipue in *Act. Erud. Lipſ.* (data videlicet Epiſtol. recenſendarum occaſione,) A. 1683. f. 21. & porro in *Andr. Caroli Memorab. Eccleſ.* ſec. XVII. L. VIII. p. 159 nec non apud *Arnoldum Hiſt. Hær. & Eccl.* L. XVII. P. II. Cap. XIII. §. 16. f. 562. fin. Vt plures taceamus, eandem fabulam, tanquam certum & exploratum quid, ut fieri ſolet, propagantes.

b) Idque Celeberr. Acad. hujus Medici, Ordinisque Aſclepiadei Prof. Prim., Dn. D. *Jo. Jac. Bajeri* favori & benignitati acceptum nos ferre, grato animo, profitemur.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA ALTORPHINA
Lect. Benevolo S. P. D.

Eleganter Valerianus apud Vopiscum in Probo: frustra expectari in eo virtutem, qui jam & virtutibus fulgeat, & moribus polleat. Nos non minus vere hoc pronunciare possumus de MARTINO RVARO *nostro, patria & genere Holsato, juvene qua virtute, qua omni genere doctrinæ ornatissimo, qui, cum naturæ bonitate puer etiamnum omnes virtutum & doctrinæ fructus animo complexus esset, unum hoc constanter & irremisse egit, ut in ambiguo relinqueret, probiorne esset, an doctior? Per hoc certe triennium, & quod excurrit temporis, quo nobiscum vixit, testatissimum fecit illud Isocratis in Archidamo:* οὐ τῷ πλήθει τῶν ἐτῶν πρὸς τὸ φρονεῖν εὖ ἀνθρώπων διαφέρειν ἀλλήλων, ἀλλὰ τῇ φύσει καὶ ταῖς ἐπιμελείαις. *Ea enim passim & ubique virtutis ac doctrinæ specimina dedit, ut & nos illum omni affectu & studio prosequeremur; juventus autem nostra Ducem suum agnosceret NB. (leider GOtt erbarm es!) & veneraretur. Fregerat jam adolescens cupiditates, domuerat affectus, quibus interdum ne senes pares sunt: inde hoc beneficii consecutus, ut rectis omnia oculis intueretur & exsequeretur, quæ* RATIO *svaderet, omitteret, quæ repudiaret. Ignorantiæ autem nubem indefesso studio ita absterſit animo, ut purissimæ velut tabulæ inscriberet omneis humanæ sapientiæ opes, omneis reconditæ doctrinæ thesauros, intra eos annos, quorum spatio alii vix Pædagogorum ferulis se subducunt. Hunc talem summum, qui nihil cum juvenilitate commune habens, mente senex jam videri potest, quemque cum ægritudine quadam animi a nobis dimittimus, omnibus bonis, ut meretur, commendamus, sperantes fore, ut cum & vitam & mores & insignem in omni scientiarum genere peritiam Ruari nostri perspexerint, & nos omnia vero minora dixisse itidem animadvertant, & commodis ejus, qua poterit, vel maxime faituri sint. Pro quo officio nos vicissim mutua spondemus, declaraturique sumus omni tempore virtuti quoque & doctrinæ sua quoque apud nos præmia constare. B. V. AltorfI XIV. Aug.* 1614.

Vnde, quæ discipulo cuidam, aut si malis sodali, accidisse, inferius a) ordine referre necesse erit, fortassis in *Ruarum* famam mendacem transtulisse, conjicias. Alia fuere, quæ, si Nobilissimis Gedanensium Proceribus datum fuisset, accuratius nosse, majori, pro convincendo homine inquieto, robore objectari potuissent, ex iisdem in *Norico agro* factis petita. Nimirum, antequam Argentinam cum *Burgstorphio*

a) Cap. III. §. 35. sq.

storphio suo *Ruarus* discessum moliretur, clam omnibus & simulata, Parentibus etiam a) atque Præceptoribus ita persvasis, alia caussa, *Racoviam* primum excurrerat, atque illic intima cum signiferis *Socinianorum* contracta amicitia *Altorphium* redierat, tantaque astutia & callida taciturnitate in longissimo istoc itinere usus est homo vaferrimus, ut vix centesimus quisque aliquid hujusmodi suspicaretur. Reversum autem ex *Sarmatica* illa *Socinismi* sede primaria, & nido *Racoviensi*, interque fratres coram solemni ritu istic cooptatum & ægre ex amplexu amicissimo b) dimissum, atque hinc *Norimbergam* pariter ac *Altorphium*, sub initium veris Ao. MDCXV. vix inchoato, c) revisentem, quid aliud inde credendum est reportasse, quam, præter confirmatam magis animi corrupti sententiam, d) ipsummet Emissarii munus, demandatum? quod studiose etiam ab eo ex hoc tempore peractum fuisse, historiæ consequens series addocebit: utut mendacissime, prætenso veritatis sanctæ velo, *Piccarto Optimo*, hæc omnia dissimulando, haud veritus sit data opera imponere. Quod ne gratis me affirmasse existimes, en! hujus pestiferi officii desiderium ab ipsomet *Ruaro* peculiari Libello ad *Val. Smalcium* jam ante expositum. Ad hunc enim in *Lib.* illo *memoriali* e) scripsit: *Quoniam inaudiat, fratres Polonos cogitare, ut fratrem quendam in Westphaliam & Bataviam, veritatis, vel serendæ, vel satæ rigandæ causa, mittant; cumque sint, qui non inutilem ibi suam putent futuram operam, quam ipse quidem in se minime*

a) Vid. Epist. 67. Cent. II. ubi ad fratrem: *Litteras*, scribit, *quas vides, mitte ad parentes, sed post aliquot menses, tempore ex subscriptione capto: finxi enim illas, tanquam in Novembri datas, ne sentiscant parentes, me in Poloniam descendisse.*

b) Quam sibi non tantum amicitiam benevolentiamque exhibitam prædicat, sed etiam, fratres *Altorphinos* a *Smalcio* Oratione Polonica in ipsa Sacr. Cœnæ celebratione & se & illos (*& me & Vos* inquit) publice *omnibus* præsentibus commendatos esse, seque brevibus etiam ad illam orationem respondisse, Ep. XVII. P. II. f. 99. narrat.

c) Vid. *Cent. II. Epist. n. VII.* p. 31. & itineris ipsius descriptionem lege ibidem n. X. XI. & XVII. p. 65. sqq. atque 98. sqq. Add. Lib. memor. *Val. Smalcio* oblatum, ubi statim post initium, e *Germania* se *liberaliter* a Socinianis in Poloniam *evocatum, & anni dimidium in* eadem *Polonia benigne habitum, mensaque toto isto tempore Palatinidæ Jacobi Sieninii*, museo autem *Crellii* deinceps, in oppidum cum ingrederetur, usum esse scribit, & alibi quoque repetit. Quibus illustrandis valedictoria illa ad *Palatinidem*, hospitem, Epistola, quæ Cent. II. ordine XIIa est, jungi potest.

d) Nec mirum; Hoc enim tempore *horas duas quotidie apud Smalcium disputando, deque variis locis script. differendo*, ubi et alii præsentes fuerint primipili, se *fecisse*, l. c. f. 99. refert.

e) Qui Cent. II. Ep. XVI. f. 88. sqq. legitur.

nime agnoscat; tamen ne aliorum de se judicia videatur contemnere, vel suæ ipsius cupiditati deesse, qua supra vires aliquid pro divina gloria libenter ausurus sit, se studium & fidem suam ad istam provinciam ultro offerre: Quæ litteræ ad *Smalcium* a) cum datæ sint, eo tempore, quo pedem e *Polonia* efferre jam in procinctu erat, quantopere ad animum *Ruari* penitissime explorandum faciant, abunde demonstrare possunt. Porro etiam, quia *fratres* omnes *Germanos, qui ex disciplina Soneri profecti sint,* b) Dominis Polonis *fratribus* etiam atque etiam *commendat*, diligentia, quanta in istis obfirmandis præcipue fuerit occupatus, evidenter perspici potest. Sed de his plus satis dictum est. Nec enim dubitamus, hinc jam abunde intelligi posse, a quibus *origo mali* funestissimi cœperit, *quorum* item *labore* & studio incrementa habuerit tristissima, *quove animo* denique & quam *improba industria* elaboratum sit ab antesignanis hæreseos, ut posita fundamenta magis magisque corroborentur. De solis, qui ex *Polonia* & Belgio etiam allati sunt ingenti copia, *libris Socini* & asseclarum, vel fautorum certe, illud addendum putamus, ut tanto felicius eorum procederet dispersio inter Studiosos, novarum rerum cupidos, aut tanta labe adhuc aliorum opera inficiendos, tam promtos, & sedulos hac in parte fuisse *Ruarum*, &, qui cum eo male conspirabant, complices, ut nulli non solum labori in procurandis, e. gr. *Vorstii* & *Socini* Opusculis parcerent, sed etiam, c) si postularetur, sine sumtu curarent. Quæ vero volumina huc transmissa sint, id ex Indicibus c. III. exhibendis, & fatis quorundam sodalium, alias data occasione percensendis, patefiet. In præsenti duntaxat, deceptionis has progressiones atque fontes exitiosos, per compendium, commonstrandi gratia, reum confitentem VOGELIUM nostrum juvat audire. Ille enim, factione impia jam comperta, & sub examen vocata, publice deinceps Generosissimo D. *Volckamero*, Præsidi t. t. Collegii, Illustrium Acad. Curatorum splendidissimi, ad finem denique sciscitanti: *Wer hat euch aber anfangs zu dieser Secte gebracht?* respondit candide: *In Disputationibus sind mir erstlich etliche Scrupeln injicirt worden; Zum andern hab ich mit*

Q PEV-

a) Qui tum quidem in *Lithuania*, ut videtur, vixit, & a fratribus sibi td. cum *Volkelio* demandatam hanc legationem A. 1615. suscepit, sed infectis rebus domum redire, non sine periculis exantlatis, coactus est. Qua de re ipsemet in *Diario vitæ* suæ plura commemoravit: quod conferre non pœnitebit.

b) Ex quibus verbis jam supra *fontem* malorum tristem cognosci posse monuimus, ab ipsis sociis patefactum atque detectum.

c) Conf. Cent. II. Ep. II. f. 19.

PEVSCHELIO *conferirt, der mir alle Scripturæ loca, mit welchen Divinitas filii probirt wird, eludirt.* (Vnde ſimul colligimus, priorem fuiſſe PEVSCHELIVM in hæreſin pellectum, atque hunc demum, poſtquam aliquantiſper hæſitaverat, ſecutum eſſe, cum aliis, VOGELIVM) *Drittens hat mir der Ruarus Bücher der Photinianer gegeben, daraus ich der Sachen weiter nachgedacht, und in den Irrthum gerathen bin:* Vbi, quæ de libris jam dicta ſunt, ne faſtidium *Lectori* creemus, proclive eſſet, aliis novisque documentis illuſtrare.

§. XXXIV.

Sed, quoniam plura reſtant, quæ ſtudium noſtrum, & reliqua ordine enarrandi, efflagitant, id unum hoc loco prætermittere non poſſumus, quin tribus verbis moneamus, neque poſthac etiam deſtitiſſe *Ruarum* ab officio Pararii Librorum ſtudioſiſſime obeundo, quippe quos ex *Polonia Altorphium, Norimbergam,* & in alia loca transportari, cum omnia jam eſſent compoſita, & immutata, curavit. Eamque curam cumprimis præſtitit celeberrimo Theologo D. *Georgio Kònigio,* librorum hujusmodi haud exigua copia comparandorum, ob juſtas cauſſas, cupidiſſimo. Quamvis vero huic rectius eæ *Socinianorum* lucubrationes, quam ceteris amicis, uſu venirent, (quippe qui eas confutaturus erat,) uti & ipſe *Königius* id verbis conceptis teſtatum reliquit; mallemus tamen, *Virum* hunc *clariſſimum* a *mollitie* hac ut, quod res eſt, dicamus, inconſiderata abſtinuiſſe, qua minus laudabiliter judicium de *Sociniana doctrina* ultro profundens in privatis Epiſtolis ad ipſosmet aſſertores ejusdem hæreſeos, & obſtinatiſſima ejus Capita, uſus eſt. Non memini quidem ab eo unquam impietatem illam approbari, immo contra diſſenſum alicubi & candide in his ipſis a) Epiſtolis teſtatus eſt apertiſſime; quando ad eundem *Ruarum: Quæris,* ſcribit, *quomodo hi libri ad meum palatum? Dicam ingenue: Bene, indies enim ex illis proficio, & quæ cum ſacris litteris conſona reperio, cum laude autorum accipio; quæ diſſona, cum pace eorum reſpuo.* At enim vero neque heic deerunt, quibus ea nimis honorifica diſſenſionis in quibusdam profeſſio, valde ſomnolenta, & quidem *cum pace* teterrimorum hæreticorum, adhuc diſpliceat, utpote qui judicabunt jure merito, ſi non fortiſſima deteſtatione, at graviori improbatione b) opus fuiſſe; eo quod non tepide, ſed ardenter, utut ſine con-

a) Adde Cap. II. §. 25. ubi plura orthodoxiæ ejus documenta dabimus.

b) Ἀποτόμως enim Tit. b. I. 13 ματαιολόγους καὶ φρεναπάτας jubet ἐλέγχειν Apoſtolus.

convitiis, ἀντιλέγειν τοῖς θηρίοις ἀνθρωπομόρφοις (uti hæreticos ſuæ ætatis *Ignatius* a) appellat) Evangelii publicum Doctorem ἀνεπίληπτον deceat. Sed potuiſſent fortaſſis illa utcunque tolerari lenius, quam fas eſt, dicta; dummodo a *blandimentis*, iisdemque multo magis Theologo cordato indignis, abſtinuiſſet, inque honorum titulis *Crellio*, *Smalcio*, aliisque ſodalibus admetiendis, parcior fuiſſet, ac denique totius *Cœtus Racovienſis* tam officioſa *ſalutatione*, quæ parum a fraterna differt, ſuperſediſſet: b) Quemadmodum typis etiam excuſa, non ſine multorum lectorum nauſea & ſuſpicione, hinc profecto facile movenda, hodieque illa leguntur. c) Equidem, ut, quod alibi dictum eſt, repetamus, non eſt dubium, vehementiori, quam fas erat, *deſiderio Socinianæ cohortis libros* hac via *impetrandi*, & ex manibus eorum eum in modum quaſi extorquendi artificio potius, quam turpi ſimulationi humanitatis, iſtam exſuperantiam modeſtiæ adſcribendam eſſe: cujus cupidinis habendi & perlegendi eos, & ipſe *Königius* diſerte l. c. meminit. Nihilo tamen ſecius verendum eſt, ut non omnes perinde eo ſint animo: Præſertim ii, qui in eadem ad *Crellium* Epiſtola nimis amica *ægre ferant diſſenſiones* inter nos & Socinianos de *Doctrinæ circumſtantiis*, *inque fundamento arctum conſenſum eſſe*, animadvertant perperam dici. d) Aliis vero etiam haudquaquam probabitur, quando idem *Königius* verba *Conr. Vorſtii* recitans, quibus ex *Socinianorum Libris ſe didiciſſe* Θεολογεῖν *ſcripſerit*, *ea*, *quicquid etiam Pareo viſum ſit*, *ſuo judicio haud male dicta eſſe*, imprudenter ait; Addens: *ita Socinianos confirmare clara, ut ſint rata: obſcura ita declarare, ut ſint aperta: difficilia ita enodare, ut ſint rotunda & jucunda.* Et quæ ſunt alia haud diſſimilia, quibus *acumen Socini*, ἀκρίβεια *Smalcii*, *diligentia Moſcorovii* magnifice ſatis prædicantur. Quæ utinam omnia

a) In *Epiſt. ad Smyrnæos* §. IV. fol. 5. Edit. *Ittigianæ*.

b) Vid. Cent. II. Epiſt. Ruari Ep. XXVII. f. 183.

c) Quæ h. l. repetere nihil attinet.

d) Notavit haud obſcure *Königium*, ob verba hæcce ad *Crellium* ſcripta, non ita pridem Tom. XVI. Animadverſ. Philol. f. 315. Th. *Creenius*, Vir *Clariſſimus*. Et quamvis, quorſum ea allegando ſpectaret, haud quaquam diſerte explanaverit; tamen de *Königio* eum in modum ſenſiſſe, atque hinc id collegiſſe, arbitror, quæ a *Gentilium* (*Scipionis* videlicet & *Alberici*) religione ſuperius deſcripta parum diſcrepent. Quem vero, ſi noſtra hæc inſpexerit, mitius judicaturum, certisſime ſperamus; immo & de *totius Academiæ Altorphinæ facie*, uti habent verba *Indicis* ſuſpecta, plane confidimus, ita exiſtimaturum, ut non ex Epiſtolis *Ruarianis* male cohærentibus, ſed totius hiſtoriæ, quam deſcribimus, textura juſta plenaque eam delineandam ſtatuat, atque judicium æquius ferat. Eaque, cur & *Königii* ἀβλεψίαν paullo fuſius excutiendam arbitrati ſimus, cauſſa fuit.

tanto Viro non excidissent! Aliter profecto ejusdem *Ruari opera* in conquirendis Socinianorum libris usus *Abrah. Calovius* se gessit, quippe qui *Ruaro*, non nisi Clarissimi Viri elogio mactato, non solum sine tergiversatione & blanditiis, modestissime tamen, diversa a se sentienti saniorem mentem apprecatus est, sed etiam graviter errantem monitum, retrahere a periculo salutis amittendæ allaboravit, suoque proinde melius satisfecit officio Theologico. a) Sed hæc obiter, & cum de scopo *Königii* res expedita sit, non alia mente scripta sunto, quam ut discant hoc exemplo cautius alii mercari, ne producta in lucem, quæ familiariter scripta fuerant olim, calumniandi post fata etiam Virorum Optimorum famæ materiam subministrent, & ipsis quoque in errore periculoso perseverantibus hujusmodi χρηστολογία sit offendiculo. Quid denique de ipsius *Königii* integritate fidei, alienoque a Socinismi portentis animo, sentiendum sit, exponere proxime sequuturo Capite b) satius erit, quam heic anticipare. Cæterum, quoniam commercium litterarum cum *Socinianis*, etiam *Vorstio*, (*Conrado* illi tam famoso,) Viro sine controversia pereruditо, invidiam movit c) maximam & valde noxiam, non possumus quin & caussam ab eodem dictam ad *Königium* d) nostrum utcunque excusandum applicemus. Idque tanto lubentius facimus, quia & ipse *Königius* non dubitavit, ad eum, ceu paullo ante vidimus, provocare. Ita vero *Vorstius* in pleno consessu *Illustrium ac præpotentium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum* hanc in rem disseruit. e) *Objicitur mihi deinde, quod olim ad Socinianos quosdam semel atque iterum scripserim. Vnde non modo familiarem inter nos notitiam, sed & doctrinæ consensum fuisse, speciose a quibusdam concluditur.* f) *Sed non dubito, Vos ipsos pro vestra*

a) Vid. Epist. *Calovii* Cent. I. Ruarianarum num. XLV.

b) Præter ea, quæ in *Vitis Theologorum Altorphinorum* jam adducta in medium sunt luculenta testimonia, tot scriptis etiam orthodoxis firmata.

c) Inter alia plura, quæ ad dogmatum quorundam *de Deo* & *Satisfactione Christi* societatem attinent; de quibus alibi differemus.

d) *Vorstio* de reliquo minime comparandum, hac tamen in re & labe quodammodo similem.

e) In *Orat. Apologetica* habita *Hag. Comit.* d. 22. Martii & *Amstelod.* ap. Guilh. *Janssonium* A. 1612. *excusa* 4. f. 28. seq. Adde de hac Apologia notabiliora nonnulla annotantem S. Rev. *Abb. D. Joh. Fabricium* in Biblioth. Fabritiana T. V. f. 55. & porro Conf. Cap. nostri II. seq. §. 23.

f) En vel solius *Dav. Parei* ad J. *Piscatorem* verba, ex Epist. a S. Rev. D. *Cypriano* e Bibl. Goth. ed. n. LXI. f. 101. decerpta, quibus: *D. Vorstius de apostasia*, inquit, *se diligenter apud nos purgavit - . - Et ego quidem accipio purgationem. Tamen, quia satis constat, eum & fundamentum Socinianismi de justitia*

vestra prudentia satis intelligere, posterius hoc ex illo priore minime consequi: quum sæpe graves & necessariæ caussæ, vel honestæ saltem occasiones incidant, cur Orthodoxi etiam ad hæreticos scribere jure possint, imo interdum debeant. Exempla hujus rei ex Ecclesiastica antiquitate, imo etiam ex nostra memoria, non pauca proferri possent, si quidem hic opus esset. Ego quidem ad Jesuitas non minus, quam Socinianos, aliquando, puto, satis humaniter scripsi. Non idcirco tamen vel his, vel illis, saltem non his magis, quam illis, in negotio religionis addictus sum. Caussa vero, cur istis olim scripserim, hæc præcipua, imo unica fuit, (eaque justa, ut arbitror, & honesta,) ut libros & scripta ipsorum, quæ tunc admodum difficulter haberi poterant, commodius ab ipsis nanciscerer. Quum enim A. 1594. *primum in ipsorum quædam scripta Heydelbergæ incidissem, & nonnulla saltem in iis consideratione digna deprehendissem: non satis honeste titulum Theologici Doctoris (quem eodem anno ibidem, non sine certa magnorum Virorum approbatione, adeptus eram,) tueri me posse putavi, quin prius opiniones illorum peculiares, ante non satis mihi cognitas, ex ipsorum quasi ore intelligerem, & bene perceptas ad normam veritatis S. diligenter examinarem; tantoque solidius errores eorundem, occasione alibi forte postulante, aut publice aut privatim, ex Dei verbo refutarem. Qua in re tota nihil alienum ab officio meo fecisse me credo.* Hactenus *Vorstius.* a) Cujus vel hoc nomine videbantur digna, quæ integra h. l. extarent, quantum ad hanc dicam ipsi scriptam, verba; quoniam forte pluribus aliis, cur consvetudinem litterarum cum *Socinianis* coluerint, b) eadem caussa fuit. De *Königio* sane nostro idem non dubitamus asseveranter tueri; nisi forte, quod jam ad extremum succurrit, ut erat Vir ab honestis facetiis non alienus, quod testibus amicis, dum viveret, intimis cognitum habemus, hæc omnia, quæ tam magnifice de Socinianis eum statuisse videntur, verba sesamo consperса per ironiam intellecta voluerit: cujusmodi, si id nunc ageremus, forte alia quoque proferri possent monumenta. Sed satis esto, hæc brevibus,

stitia Dei arbitraria adhuc tenere, & cum Socinianis litteras commutare, ne Rhenus quidem a suspicione ἑτεροδοξίας satis perpurgabit. *larum Eccles. & Theolog. Virorum præstantium & eruditorum* procusa n. 623. legitur, Edit. IIIæ, quæ A. 1704. prælo exiit.

a) In eandem sententiam, quæ publice l. c. professus est, familiariter etiam scripsit ad celeberrimum illum Remonstrantium fautorem atque oratorem *Joh. Vytenbogardum*, quæ Epistola in *Appendice Episto-*

b) Ipsique etiam *Abr. Calovio*: cujus perhumana ad *Ruarum* Epistola, quam plures aliæ antecesserant, P. I. Epist. Ruari f. 208. legitur.

bus, ne qua fraudi ſint a) Viro optimo, quæ typis jam orbi erudito propoſita extant, attigiſſe: cum nemo ceteroquin ſit, qui de ingenuitate animi *Königiani*, etſi ad concordiam magis, quam lites ſerendas aut alendas, alioquin propenſioris dubium moverit unquam, aut movere etiam aliud, ſi ab hac verborum liberalitate diſcedas, poſſit.

§. XXXV.

Miſſis ergo libris, ortaque ex illis noxa multiplici, ulterius, quantum damni dederit commercium litterarum, quod ſupra attigimus, jam paullo enucleatius ediſſerere juvabit. Non deſiit videlicet idem *Ruarus*, Fratres, quos vocat, abſens, ex latebris illis *Racovienſibus* confirmare, tantiſper, dum etiam coram ad priſtina munia, partim ultro ſuſcepta, partim jam ſolennius commiſſa, rediret: cujusmodi reperiuntur in Cent. II. Epiſt. X. & XI. Et ſi ad ſequentia tempora progrediamur, uterque Faſciculus idem abunde teſtari poterit Epiſtolarum, quarum *priorem Centuriam frequentius* occurrere, *alteram* vero *rariuſcule comparere*, jam ab aliis obſervatum eſt. Quarum tamen poſterior præſenti inſtituto illuſtrando omnium maxime eſt idonea. b) In utraque vero deſiderandum *filii editoris* ſtudium & ſolertia major, qui, cum ipſe fortasſis non eſſet rerum, *AltorphI* (& alibi in Germania) & potisſimum quidem a parente ſuo geſtarum, ſatis gnarus, non ſolum accurate haud diſpoſuit iſtæc λείψανα, ſed, quod maxime dolendum, paucisſimis annum locumque ſcriptionis adjecit. Cujus tamen nævi, niſi fallimur, ea ſola cauſſa eſt, quod, ceu exemplo Epiſtolæ ſuperius recuſæ, & a nobis completæ, ad Piccartum ſcriptæ, oſtenſum, nihil fere præterquam primæ delineationes, (*Conceptus* vulgo appellant) ex ſeculis paternis hæc colligenti præſto fuere. Ex totius autem hiſtoriæ enarratione nunc tandem firmior ſpes concipi poterit, ſi non apertius omnia

a) Atque hæc etiam ſola cauſſa, neque, ut putamus, injuſta fuit, cur paullo fuſius cuncta exponenda cenſuerimus. Quotusquisque enim eſt, qui in has Epiſtolas incidens tam familiariter ſcriptas, de reliquiis *Sociniſmi* aut favoris ſaltim & extenuationis tam tetræ hæreſeos aliquid non ſuſpicetur? Quæ vero, poſtquam cauſſa ſcribendi jam ſatis, ut arbitramur, dicta & commonſtrata eſt, nullo negotio evaneſcet opinio. Add. Cap. III. Sect. I. §. X.

b) Permultas enim litteras continet, ſed mirum in modum disjectas, quas nemo, absque filo hoc, quod nunc damus, Ariadneo intelliget, & forte ne ipſe quidem filius accurate intellexit. Qui, ſi intellexiſſet, haud dubie quasdam, de patris fraudulentia luculenter teſtificantes aperte, omiſisſet. In priori vero *Centuria* rariores etiam, quæ præſentem hanc, a nobis deſcriptam, rerum geſtarum ſeriem illuſtrant, occurrere monendum eſt, quales majori copia altera ſeu ſecunda exhibet.

omnia, at per conjecturam ſaltim, non omni fundamento deſtitutam, plura & certiora ab attentis ſagacioribusque lectoribus inveſtigari poſſe. Præter *Ruarum* autem, compertum habemus, neque *Crellium*, neque etiam *Gittichium*, cives haud ita pridem Acad. Altorphinæ, gravatos eſſe, litteris ſæpenumero, deinceps ſcriptis, addictos ſibi ſuisque placitis, a) cum alios, tum præcipue VOGELIVM PEVSCHELIVMque exhortari, & ne ad ſanam mentem redirent, omni ſtudio cavere. Repertæ enim ſunt id genus Epiſtolæ, inter alia ſuppellectilis *Peuſchelianæ*, A. 1615. exeunte, miſcellanea haud paucæ, & *Altorphium* quidem perſcriptæ ad eundem notabiliores duæ, a *J. Crellio* Franco exaratæ. Quarum altera, d. 15. Junii CIↃIↃCXIII. data, conſilium a PEVSCHELIO rogatum ſubminiſtravit: quemadmodum intemerata conſcientiæ religione *Inclyto Senatui Noribergenſi* certa quadam ratione (ſed doloſe) fidem dare queat, de *Evangelico-Lutherana* Confesſione conſtanter retinenda & conſectanda. Hac enim ille opus habebat pro obtinendis ſtudiorum ſubſidiis ſeu ſtipendiis ſyngrapha ex more ſcribenda & fidejuſſoribus munienda. b) Inventæ porro ſunt ejusdem *Crellii* litteræ, d. XXV. Decembr. A. C. CIↃIↃCXIV. *Racovia Jenam* miſſæ, quibus operoſe cohortatus eſt eundem PEVSCHELIVM, ut in Sociniana doctrina bene percepta demiſſaque in animum immotus perſiſteret; ſed quoniam ad ſequentes eventus rectius eæ referuntur, tribus duntaxat verbis has, ut priorum quoque argumenta hinc magis eluceſcerent, velut in tranſcurſu attingere viſum, & ad ea, quæ *AltorphI* adhuc geſta ſunt, oratio noſtra revocanda eſt. Vbi alteræ litteræ ab eodem *Crellio* A. CIↃIↃCXIII. d. XXI. Decembr. conſcriptæ nobis occurrunt, continentes non modo rerum ſuarum, ipſius puta *Crellii*, ſtatus & conditionis Racovienſis enarrationem copioſam, una cum ceterorum fratrum laboribus, ſtudiis ſcriptisque, cum a ſe tum ab iſtis evulgatis edendisque in lucem publicam, & aliis hujusmodi; Verum etiam, & maxime quidem omnium, inſtructionem eædem exhibent in uſum *Fratrum in Domino, Altorphenſium*, ad quam ſtudiorum methodum, æque ac vitæ, rationes componere debeant. Et ne quid reliqui feciſſe videretur, de *proventu veritatis* alibi, ac *Jenæ* cumprimis, ſperando ſolicite inquirit, atque PEVSCHELIVM ad eum, quam primum fieri poſſit, promovendum extimulat. De *Gittichio*, rerum harum etiam poſt abitum in Poloniam

a) *Fratres* vulgo *Noribergenſes* dictos, ſeu, ut *Ruarus* etiam loqui ſolet, *qui ex Soneri diſciplina prodierant.*

b) Qua de re Cap. III. §. 2. pluribus exponemus.

niam satagente, testis esse potest Epistola *Novogrodekio Lithuaniæ* Ann. MDCXIII. d. XVI. Augusti *Altorphium* eidem PEUSCHELIO inscripta: in qua magna contentione & diligentia eum informat de scriptis *Socini Socinianorumque* studiose evolvendis, & in succum ac sanguinem convertendis, & iis quidem maxime, quæ de *Justificatione* agunt, de quibus ex professo differit; nec immemor tandem fratrum, quos vocat, reliquorum Epistolam claudit, quippe quos nominatim & blande, ceu supra jam perspeximus, salutari jubet, suaque illis officia humanissime offert. Omnium vero notatu dignissima est *Christophori Ostorodi* opella, in caussa prorsus singulari illustranda, animisque fratrum male confirmandis, jamdudum adhibita, cujus fragmentum præcipuum, exposita prius occasione ad eam data, typis excusum cum *Lectore Benevolo* communicabimus: cum priores Epistolæ, præter argumentorum quædam fragmenta, a) dudum disparuerint.

§. XXXVI.

Nimirum, quum, non sine ingenti sinceræ pietatis specie & obtentu, *Socini* hypotheses cœpissent selectioribus quibusdam ingeniis instillari, fieri haud potuit aliter, quin a corruptis seculi & jam ejus ætatis exulceratæ moribus, cujus posteritas adhuc vitiosiorem dedit progeniem, abhorrere iidem docerentur, b) censuramque passim in alios & stringerent ipsi, & stringentibus mirifice applauderent. Quæ tandem res eousque progressa est, ut commercia quoque impurorum hominum non tantum fugerent, & hactenus quidem, si a modo principiisque pravis discedas, laudabiliter secum habitare, vitæque & morum integritate Deum colere studerent; Verum etiam *sacra publica*, atque inprimis cum aliis celebrandam *sanctam Eucharistiam* desererent, ne qua impiorum consortio & communione arctiori c) commacularen-

a) Quæ satis certe nobis innotuisse, bona fide iterum iterumque testamur.

b) Et hactenus quidem non male. Longius autem, quam ad emendationem sui atque fraternam correptionem tanto solicitius instituendam processisse, illud est, quod dolemus.

c) Quemadmodum nostra etiam ætate, in ultima videlicet hujus mundi fæce, idem factum meminimus, contra Christi ipsius Matth XIII. 24. sq. doctrinam, quæ *regni cœlorum, in his terris mixti*, descriptionem & tolerantiam malorum, cum exemplo meliori atque precibus commendatam exhibet, Paullique 1. Cor. V. 11. si recte intelligantur, verba, & cum 1. Cor. XI. 28. atque Phil. II. 15. comparata monita, a S. *Cypriano*, Epist. præsertim L. I. i. (Edit. *Reinharti.*) insigniter illustrata, confirmat. Nos vos autem *Socinianos* nostros cœtus Evangelicorum

cularentur. Quin imo huc denique ſeparationis illius maxime, ut viſum eſt, religioſæ ſtudium evaſit, ut, qui non idem, quod cæteri, hac in parte actitarent, a) pro fratribus ſuſpectis haberentur, aut grandis propterea cenſura, &, ut ita loquar, dica illis ſcriberetur: quod notabili exemplo in vita *Hainlini* b) c. II. demonſtrabimus. Equidem non omnes illico in hoc conſilium altioris indaginis c) conſentiebant, at tamen ſenſim, conſultis primiceriis, in eandem ſententiam uſumque vitæ male ſanum multi tandem pertrahebantur. Quam ſedulam hac in re ancipiti operam *Ruarus* navarit, teſtatum denuo faciunt Epiſtolæ, cumprimis ea, quæ, neſcio qua oſcitantia editoris filii, Cent. II. n. V. & XXIV. bis procuſa extat, & quæ neutiquam optimo *Huswedelio*, certisſime autem J. G. ſeu rectius G. L. *Leuchſnero* d) debetur. Illum enim, non hunc, aliam a *Ruaro* ſententiam in religione ſecutum eſſe, evidenti ipſius *Ruari* teſtimonio, poſthac edito, conſtat; e) In quem proinde de rebus hujusmodi conſultare cum homine, hæreſin ſectato, ac ſi eadem, quæ ille ſentiret, minime convenit. *Leuchſnerum* vero tantum abeſt, ut excuſemus, ut primum hunc omnium & *γνήσιον Socinianorum* in Altorph. Academia f) fratrem fuiſſe, & in ipſa *officina Racovienſi* deinceps plenius formatum, non dubitemus. De quo alibi plura commemoranda erunt. Idque vero etiam amplius confirmamus e ſubſcriptione *Noribergæ*, unde litteræ ad *Ruarum* datæ ſunt, ubi *Leuchſnerum* vixiſſe, non *Huswedelium*, pluribus ibidem dabimus demonſtratum. Quemadmodum vero, de quibusdam fluctuans adhuc ipſe *Ruarus Leuchſnerum* conſuluerit, atque is ad ea reſcripſerit, *poſſe aliquem Socinianis addictum, ſi ſpes ſit, alios lucri faciendi, itemque cum aperta veritatis*, ut vocat, *profeſſione, & ſimili forte alia ratione, ad Lutheranorum ſynaxin data occaſione accedere*, ex ipſa Epiſtola citata addiſcere rectius licebit: neque enim hæc tranſcribere vacat. Ex qua ſimul mens

R Ruari

gelicorum publicos fugere cœpiſſe, non tam propter dogmata diverſa, quam mores corruptos, ut alia multa, ita quoque, de credendorum plurimorum *neceſſitate* non admodum *magna*, hypotheſis, de qua §. XXXI. quædam annotavimus, demonſtrat, ipſaque horum ſodalium confesſione aperta non multo poſt confirmatum eſt.

a) Ex ipſorum erroris alioqui ſociorum numero.

b) Itemque *Frauenburgeri* & quorundam forte aliorum.

c) Quippe quod prodendæ & *in lucem proferendæ* clandeſtinæ machinationi videbatur *anſam* dare poſſe.

d) Quo de obſcuro cæteroquin homine Cap. II. lit. L. conſulatur, & de *Huswedelio* §. LI. ejusdem cap. I.

e) Epiſt. Cent. IIdæ n. XXVI. f. 79.

f) Poſt *Sonerum* videlicet, ante quem hac de hæreſi nemo cognitus eſt, qui eidem h. l. addictus fuerit.

Ruari interrogantis aliquo modo cognosci poterit, & quo interprete, *Matthia* nempe *Rhawio*, hæc copiosius coram explicata sint, ulterius patebit.

§. XXXVII.

Quibus præmissis, & in luce aperta jam positis ipsismet corruptarum mentium consiliis, *Ostorodi* a) illa, cujus & *Leuchsnerus*, b) cum elogio, meminit, Epistola c) subjungenda est. Ita vero ille, post paucula quædam, aliena ab instituto præsenti, antepositа expositaque infit:

Was nun weiter betrifft, daſs ich die Brüder vermahnet, in dem Exercitio Religionis, und dessen zum Grund gelegten Spruch Hebr. X.30. bin ich noch derselben Meynung gäntzlich, und wo solches nit geschehen wird, ist wenig Hoffnung, daſs die Brüder mit ihrem Talent etwas dem Herrn, welcher dieses Wuchers sehr begierig ist, gewinnen werden. Nun ist es aber gewiſs, daſs uns GOtt durch Christum nicht darum erleuchtet hat, daſs wir das Licht unter einen Scheffel setzen sollen, sondern auf einen Leuchter, damit es andere auch erleuchte: Auch hat er uns nit darum zum Saltz der Erden gemacht, daſs wir sollen verborgen im Faſs gehalten werden. Dann wann das Saltz thum wird, das ist, wann es nit gebraucht, wozu dienet es? Nirgend zu. Oder sind wir nit der Sauertaig, wie der HErr spricht, welchen ein Weib unter 3. Maaſs Mehl vermischt, biſs der gantze Taig gesæuert werde. Darneben spricht auch der Apostel Petrus: Ihr seyd das auserwehlte Geschlecht, das königliche Priesterthum, das heilige Volck, ein eigenes Volck, auf daſs ihr verkündigen sollt die Tugenden dessen, der euch aus der Finsternus zu seinem wunderbahren Licht beruffen hat. So ist auch gar kein Zweiffel, daſs man Christum und sein Wort bekennen muſs, will man anders seelig

a) De quo Cap. II. lit. O. ubi & vehementioris præter cæteros fuisse indolis, ad hanc quoque Epistolam congruentis, addocebimus.

b) Ad quem forte & *Leimerum* scripta est. Vid. Cap. II. §. 27.

c) Quam, cum MSta adhuc latuerit, propter audacissima quædam de Ecclesia nostra asserta, prætereundam primum existimabamus; sed, emendationi forte aliquorum inservire illam posse, postquam animo reputavimus nostro, & nequid omitteretur, quod tanti esset in præsenti historia momenti, huic tandem operi inserendam judicavimus. Eamque bene etiam scimus boni & æqui consulturos esse bonos; improbos vero, qui ea abuti velint, neque silentio harum rerum, quæ taceri vix possunt, meliores redditum iri, non dubitamus.

lig werden. Nun können aber diese Ding, auf keine andere bessere Weiss geschehen, auch ins Werck gestellet werden, denn so die, welche die Wahrheit recht bekannt haben, zusammen kommen, GOtt und Christum zu loben und zu preisen, a) welches wir kurzum zu thun schuldig seind, und ohne Verlezung Göttl. Ehre und Mayestät nicht kan unterlassen werden. Auch mit einander zu beten, und einer den andern zu lehren, vermahnen, trösten, und endlich, dass einer von einem und seinem Zustand wisse, so wohl nach dem Fleisch, als nach dem Geist, damit, so es ihnen wolgehet, sie sich mit einander freuen: so es aber übel gehet, auch mit einander weinen mögen, das ist, Mitleiden habe, einer dem andern helffe, auch helffe seine Bürde tragen, und also das Gesez Christi mit einander erfüllen.

So muss man auch Geistliche Collegia halten, einer den andern damit zu trösten, und einer den andern damit zu erbauen, wie aus allegirten Orten in margine b) klärlich zu sehen ist; worzu ich noch diss hinzu thue, was der Apostel geschrieben 1. Thess. IV. v. 10. V. v. 11. Nachdem er von der Glaubigen Auferstehung, und Christi Zukunfft sie gründlich unterrichtet hatte. Da er spricht, tröste einer den andern, wie ihr auch thut, welches kan nit geschehen ohne Zusammenkunfft, und Vntersuchung Göttlichen Wortes, welches ob es wohl ein ieglicher vor sich selbsten lesen und studiren kan, so ist es doch nit so erbaulich, als wann man entweder das mit einander communicirt, so man selber versteht, oder, so man etwas nit verstehet, anderer Meynung und judicium davon hört. Dass ich iezunder geschweige, wie viva vox sonderliche Krafft habe den Menschen zu bewegen, und dass præsentia fratrum & piorum hominum viel thue, zu sonderlicher Andacht, im Gebet, und zu Geistl. Eifer in guten Wercken. Wo dann nun bisshero solches nit geschehen wäre, wie E. L. schreiben, ja Sie besorgen, es möchte noch nicht geändert werden (welches mir dann schmerzlich zu lesen) solches ist nicht zu loben. Dann aus diesen beeden eines folgen muss, wo

a) Ita est, si in nomine Christi id fiat, non ad destruendam Christi majestatem. De veritate itaque prius transigendum esset *Ostorodo*, atque hinc demum ad ejus confessionem intrepido animo properandum. *Rom.* X. 10. De ἀπιστίᾳ & errorum nefandorum propagatione, si istis congregationes hujusmodi destinatæ sint, aliter sentire nos jubet Sp. S., & cœtus hujusmodi *malignantium* cœtus vocat.

b) Hæc in MSto nostro allegata omissa erant. Sed cum nota sint ea loca Matth. XVIII. Col. III. Eph. V. &c. male tamen ad præsens institutum applicata, non est, cur defectus iste nos moretur.

nicht beedes zugleich diſs verurſacht hat, entweder, daſs ihr aus zu viel Sorg dieſes Lebens, das nit habt können ins Werck ſtellen, und alſo zweyen Herren dienen wollen, welches nit ſeyn kan: oder daſs man dieſe Sach nit recht ausgerichtet hat. Und ob wohl Herr D. Soner nit gegenwärtig iſt, ſo könt ihr zween, als welchen Chriſtus zu ſeyn verheiſſen, wo ihr in ſeinem Nahmen zuſammen kommen werdet, gleichwohl unter euch ſolche Converſationes halten. Ja ich ſehe nit, warum ihr ſolches nit ſoltet halten. Bin auch der Meynung, daſs ihr ſolt darzu thun, daſs ihr data opera euch zu Herr D. S. a) oder er zu euch verfügen, und alſo an einem Ort verſammlen möget: könt auch iemand anders, wo ihr zu trauen vermeynt, darzu fordern, daſs ihr das Häuflein alſo gemächlich mehren möget. Deſsgleichen halt ichs darvor, daſs ihr darzu thun müſſet, daſs man mehr das Nachtmahl unter euch begehe, ſintemahl es nit allein des HErrn Gebot iſt, ſondern auch zu ſeiner ſonderlichen Ehre, Preiſs und Ruhm gereichet. Die Rationes, um welcher willen nicht allein E. L. vermeynet, diſs ins Werck zu richten, unmöglich zu ſeyn, ſondern auch zweiffeln, (welches mir dann wunderlich vorkommt,) ob bey ſo geſtallten Sachen nach GOttes Bedacht, ſich dergleichen zu unterſtehen, oder nit vielmehr einzuſtellen ſey? halt ich, daſs ſie mit der Lehr Chriſti ſtreiten. Damit aber ſolches offenbar würde, (nach dem mahl E. L. ſelber hierin weitern und ausführlichern Bericht begehren,) iſt es nöthig, daſs man dieſelben etwas fleiſsiger unterſuche, damit man unter dem Schein der Wahrheit (denn ſich der Satan in einen Engel des Lichts verſtellen kan,) nicht betrogen, und von der Wahrheit abgeführet werde. Die erſte iſt, daſs uns nicht gebühre, ſo fern möglich iſt, Trennung anzurichten, ſondern Fried zu halten mit iedermann, ja auch der irrigen Schwachheit zu vertragen, und denenſelben kein Aergernuſs mit unſern Wiſſenſchafft zu verurſachen; b) Dieſe Ration hat E. L. ſchon ſelbſt refutirt,

a) Manifeſtiſſime hinc patet, conſilium iſtoc jam ſub initium harum molitionum e *Polonia Altorphium* eſſe miſſum. Quanquam vero antiquior hæc fuerit *Epiſtola*, (quæ diu negotium illud clam agitatum eſſe, & per cuniculos malum ſerpendo quaſi proceſſiſſe, aperte prodit,) tamen novis fratribus, invaleſcente auctoque numero, eam fuiſſe, ut commonefactionem piam & ſeriam, iterum iterumque propoſitam & inculcatam, ſimul inde colligitur. Certe & nos ex poſteriori & largiori meſſe a ſodali quodam deſcriptum id adeptos eſſe teſtamur.

b) Hæc ipſa ratio primos quoque in *Polonia* myſteriorum divinorum oppugnatores diu in conſortio publico cœtuum reliquorum *Calvino-Reformatorum* præcipue, retinuit,

tirt, doch die reſtriction, welche ich für wahrhafftig erkenne, da E. L. ſagen: *So fern möglich.* Dann daſs uns nicht iſt ſimpliciter Trennung anzurichten verbotten, ſiehet man aus dem, daſs uns in etlichen Dingen gebotten iſt, daſs wir uns trennen ſollen, i. e. von andern abſondern. Nun iſt es aber unmöglich, ſo wir anders Chriſti Geboten wollen gehorſam ſeyn, daſs wir dieſer Trennung können überhoben ſeyn, ſintemahl uns gebotten iſt, das Nachtmahl zu halten, und nur allein mit denen, ſo an Chriſtum glauben. Woher dann 1. Cor. X. 17. ausdrücklich geſagt wird, daſs die, ſo das Nachtmahl miteinander eſſen, ein Leib ſind, zu welchem Leib ohne Zweiffel nur die glaubigen Chriſten gehören. Man ſoll aber hierinn mercken, daſs, wann ich ſage, es ſey uns Chriſten mit Freuden, nur das Nachtmahl mit den Gläubigen zu begehen, ſolches nicht zu verſtehen ſey, insgemein von einem ieglichen, der ſich Chriſtl. Glaubens rühmet, ſondern von ſolchen, denen man mit Billigkeit nachſagen kan, daſs ſie an Chriſtum nit glauben. Als da ſind Hurer, Trincker, Geitzige, und alle die, welche nit nach dem Geiſt Chriſti, ſondern nach dem Fleiſch wandeln. Dann dieſe glauben nit an Chriſtum, ſintemahl ſie ihn nicht kennen, und wann man auch mit ſolchen nit eſſen muſs, ſo ſich vor Brüder halten laſſen. Wie vielweniger kan man mit ihnen das Nachtmahl halten? a) Das ſage ich darum, ſonſten wäre es nicht directe geſchloſſen (weil E. L. die Evangelicos vor Brüder hält) und demnach vermeint mit ihnen das Nachtmahl zu halten, oder, daſs mans ie mit ihnen halten könne. Wahr iſt es, daſs wir einen rechten Chriſten nicht kennen können, aber einen ſolchen, der keiner iſt, ob er ſchon das Maul von Chriſto voll hat, kan man gar wohl kennen, quia vitium ſimulari nequit, quemadmodum virtus ſimulari

retinuit, donec præfervidus & animoſior cæteris *Gregorius Paulli* primus *Cracoviæ*, ad exemplum *Paulli* Apoſtoli Act. XIX. 9. cœtus ſeparatos habere doceret, & conſentientes ſecum inſtigaret. Qua de re præter alios, & Vitæ potisſimum *Gregorii* iſtius ſcriptores, luculentisſime omnium Auctor Præfat. ad *Crellii* Opp. Exeget. *Tom. tertium* diſſeruit.

a) Ipſisſimum profecto Separatiſtarum noſtrorum ratiocinium; ſed aperte *totius Eccleſiæ officium* cum *ſingulorum auſu* temerario commiſcens, nec ſtatum Eccleſiæ triſtem, ſi *quando Eccleſia* fere *ex Eccleſia ejicienda* ſit, (uti nonnemo haud ita pridem recte obſervavit,) vel ſi contra *ſanandis vitiis* adhuc *parem* ſe videat, probe diſcernens, ac ea denique, quæ *in ſingulorum poteſtate* ſunt, vel iſtorum vires *excedunt*, non bene diſtinguens. De illorum enim, penes quos, culpa, eſt inſanabilis Eccleſiæ morbi, nunc non eſt dicendi locus. Alibi hac de re differendi erit occaſio. Heic, non ſemper *Aharoni* cum *Moſe* convenire, vel tribus verbis monuiſſe ſufficiat.

mulari nequit. a) Darum auch unser Paulus recht und wohl gesagt Gal. V. 19. 20. Dass die Wercke dess Fleisches offenbahr sind. Sollen wir denn nun das Nachtmahl mit solchen Leuten, die nach dem Fleisch leben, nit begehen, so muss auch kurtzum folgen dass man sich in Haltung dieses cultus ritusque divini, von allen denen, welche nach dem Fleisch leben, absondere, und also consequenter Trennung mache. Daher auch ausdrücklich und offt verbotten ist, dass man solche meiden soll. b) Ist denn nun diesem also, wie es denn wahrhafftig ist, so wird auch zugleich aus denselbigen offenbahr, dass sichs nicht gebühren will mit denen Evangelischen in genere loquendo das Nachtmahl zu halten: Posito etiam hoc, dass man sie möge vor Brüder erkennen; quod simpliciter sine omni restrictione sive exceptione sumis. Sintemahl sie insgemein (a potiori & majori fit denominatio) nicht nach dem Geist Christi, sondern nach dem Fleisch leben. Denn da gehen im Schwang Ehebruch, Hurerey, Fressen, Sauffen, Stehlen, geitziges, üppiges Leben, Hader, Zanck, Krieg, Blut vergiessen, und allerhand Vngerechtigkeit: Vnd ob welcher willen niemand Ecclesiastica Censura oder Disciplina, c) wie wirs heissen, gestrafft wird. Wird etwas gestrafft, so geschiehet es per Carnificem, der ihrer disciplinæ Executor, und also wie ihr Bischof ist. d) Ja man lässet alles promiscue hier mit hupffen, wers nur verdichten kan. Was! man will kurtz und um, und wenn sie noch so arg sind, dass sie müssen das Nachtmahl nehmen. O blinde! und blinde Leiter! und das sollen

a) Forte rectius, *potest* scribendum, Nisi diu id fieri haud posse existimet, ut hypocrisis occultetur. Sed utrumque certo sensu dici posse quis dubitet? In exemplari, quo sumus usi, *nequit*, nobis occurrebat describentibus, quod consulto retinuimus.

b) Imitationem, & familiaritatem evitando, non omnem consvetudinem: uti diserte 2. Thess. III. is idem docet Apostolus.

c) Hinc nostris etiam nullam partem *Objectorum* a *Socinianis* solutu difficiliorem esse observabis, quam eam, quæ de *disciplinæ neglectu* agit. Quod vel unius *Balthas. Meisneri*, Consid. Theol. Photinianæ ipsius *Socini Libello* cuidam oppositæ exemplo comprobatur; in quo optimo quoque huic Theologo Cap. VI. f. 889. sqq. post excusationes varias, a particularibus quibusdam Ecclesiis desumtas, intra umbras tandem & *pia vota* subsistendum fuit.

d) Aspere hæc dicta sunt. Sed haud paullo mitiora vide a b. *Dannhauero* pronunciata in *Lacte Catech.* P. X. Conc. VII. n. VI. f. 363. coll. J. *Sauberti Zuchtbüchlein*, libello aureo, sed ne nunc quidem nisi verbis & elogiis probato. At enim & hæc nobis mala abusiones Pontificiæ pepererunt! Quibus omnino factum, ut quæ pœnæ rationem habere visa est animæ medicina, a Politicis, Papocæsariæ metu, plane tolleretur. Sed, ut *Cypr.* Ep 26. inquit: *Vbi divinus metus relinquitur, si tam facile venia præstatur?*

len unſere Brüder ſeyn. Vnd wenn dann ſchon gefunden werden, die ein fein erbares Leben führen, ſo iſt einer doch nit bald ein Chriſt, ob qualemcunque pietatem, ſondern es iſt von nöthen, daſs man Chriſti Gebot wiſſe und halte. Es ſey aber ferne, daſs man diſs von ihnen halten könne, denn ſie wiſſen die nicht, ja ſie werden noch von ihnen ausgelacht, als da iſt, Continentia, Temperantia, omnium injuriarum tolerantia, ſumma & erga indignos, immo erga inimicos & hoſtes, liberalitas, hujus Mundi contemtus, perfecta ſui ipſius dimiſſio & abnegatio. Derhalben zum wenigſten, wo ihr ſie vor Brüder haltet, müſſet ihr ſie vermahnen und ſtraffen; Denn das will die Chriſtliche Liebe haben, und iſt ausdrücklich gebotten, wie auch unter andern zu erſehen iſt, aus Hebr. X. welchen Ort zum fundament ich meines vorigen Schreiben a) geleget habe. Werden ſie eure Vermahnung annehmen, ſo wollen wir uns ſamt euch freuen: werden ſie aber die verachten, (woran kein Zweiffel) ſo müſt ihr pergiren, b) und endlich nach etlichen Vermahnungen ſie averſiren und meiden, wie GOttes Wort an vielen Ort lehret und gebeut. Ich mache aber mir die Gedancken, daſs ihr es nit thun werdet, ich wollte es auch nicht rathen. Aber dennoch könt ihr deſſen nicht überhoben ſeyn propter conſcientiam, wo ihr ſie vor Brüder haltet, und ſub hoc prætextu das Nachtmahl mit ihnen haltet. Sehet! ihr lieben Brüder in Chriſto, wie der Teuffel ſich gebutzet und vermummet hat. Die Evangeliſchen will man vor Brüder halten, daſs man mit unterſchlief unter den groſſen Haufen, und nit vor den angeſehen werde, der man iſt, ſondern vor den, der man nicht iſt, und alſo ohne Verfolgung bleibe. Darneben aber will man nit ſehen, was man ſchuldig ſey, wieder zu thun, und da vielmehr angelegen iſt, nehmlichen, daſs man ſie ſtraffe, vermahne, unterrichte, ſo man ſie vor Brüder in Chriſto halten will. Derowegen, damit es überal richtig ſey, und ihr lieben Brüder ein gut Conſcientiam haben möget, ſo iſt es beſſer, daſs man ſie nit vor Brüder in Chriſto halte [wie man auch nit ſoll c)] denn alſo iſt man frey von den mole-

a) Jam diu ergo hæc agitata fuerat fabula: quanquam certum tempus initii propter obſcuriſſima occultæ molitionis veſtigia vix definiri posſit.

c) Fortfahren, ſcil. ſecundum Ep. ad Tit. III. 12. ubi poſt μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτεῖσθαι jubet eos, qui a nobis & veritate pervicaciter obſtinateque diſſentiunt.

c) Aliter *Ruarus*, & ipſe quoque, ut videtur *Smalcius*. Quem cum in conſiliis potisſimum ſequi cœpiſſent, neglecto *Oſtorodo*, per omnia rigidiori, atque hinc cum ſuis quoque de rebus hujusmodi diu multumque

molesten Bürden, und Gefahr, sie zu vermahnen und zu straffen, quod ratio ipsa nos docere potest, und der Apostel vielmahls disertis verbis bezeigt 1. Cor. V. 9. sqq. 13. So thut es auch nit zur Sachen, wie E. L. schreiben und allegiren, wie ich vermeine ex cap. VIII. Cor. daſs wir die Scwachen mit unserer Wissenschafft mit vertragen sollen, da E. L. fallaciam æquivocationis begangen, an dem Wörtlein ärgern, welches an dem Ort nichts anders bedeut, als das in errore confirmiren. E. L. aber nehmen das Wörtlein ärgern a) in ihren enunciato so viel heissen soll, als etwas thun, das einem verdriese, oder zum Zorn und Vnwillen beweget. Thut derohalben diese Apostolische Vermahnung vor mich, wieder E. L. Denn gleichwie die, so in Götzen-Häusern assen, ihnen kein Gewissen hierüber machten, weil sie wohl wusten, daſs der Götz in der Welt nichts ist, und also durch ihre Wissenschafft die Schwachen ärgerten; Das ist, ihnen Vrsach gaben, daſs sie etwas von Götzen-Opffer und Götzen hielten, und also verlohren würden. Also auch E.L. oder unsere andere Herren Brüder, wann sie in Götzen-Hauſs zu N. b) mit den Dienern der Götzen, das ist, mit den Geitzigen, wollüstigen, Hoffärtigen &c. an einen Tisch essen, und ihnen kein Gewissen hierüber machen, wegen ihrer Wissenschafft, stärcken sie die schwachen Brüder, das ist die Evangelischen (quia sic pro concesso sumitur, acsi fratres essent) nicht allein in ihren vitiis und fœdissimis erroribus, sondern auch in ihrer Gottlosigkeit, daſs sie also verlohren werden. Wollen also E. L. diesen Aergernuſs vorkommen, so müssen sie die Evangelischen Götzen-Häusser und ihres Nachtmahls müssig gehen. Götzen-Häusser verstehe ich nicht proprie von ihren templen, sondern von ihren communionen, damit ihr einem keine Vrsach gebet in errore & peccatis zu verharren. Wie aber, sagen E. L. wir halten dennoch darvor, daſs die Evangelici, unverhindert ihrer Irrthümer, von uns vor Brüder erkandt werden mœgen. Resp. E. L. wollen es mir zu gut halten. Es scheinen,

tumque disputante, non moderatius tantum sensere, sed etiam fraudulenter magis tristem fabulam egere nostri illi *Neo-Sociniani*. Vide tamen, quæ proxima pagina pronunciavit etiam *Ostorodus* æquiora.

a) Daſs es, addendum.

b) Vel hinc effici posse putem, commonefactionem hanc jam *Noribergam*, cum istic adhuc moraretur *Sonerus*, & nondum *Altorphium* invitatus esset, perscriptam fuisse. Vbi jam tunc erroris sui eos, quos alibi nominavimus, socios habuisse, & in eandem sententiam pertractos sibique obnoxios antehac reddidisse, eadem verba haud obscure significant, pluribus autem Epistola, quam in *supplementis* exhibebimus, comprobabit.

nen, was diesen Punct anbetrifft, Sie nicht wohl eingedenck dessen, was Sie hieran in unsern scriptis gelesen, und offt mit etlichen von den unsrigen conferirt. a) So soll aber E.L. wissen, dass wir nicht simpliciter die Evangelischen vor Brüder erkennen mœgen, sondern mit diesen Circumstantiis: So sie uns wegen unserer Meynung nicht verfolgen, nicht lästern, ja auch vicissim vor Brüder erkennen. Wiewol auch solches noch nit genug ist, wo sie nit auch Christi Gebot halten. Thun sie so, und werden diese Circumstantien befunden, alsdann nicht allein, ungehindert ihrer Irrthümer, mœgen wir Sie, sondern sind auch schuldig vor Brüder in Christo zu halten und zu complectiren. Ja nit allein die Evangelischen, sondern einen jeglichen, er sey, wer er wolle. b) Weil nun aber diese Circumstantiæ bey denen Evangelischen nit gefunden werden, so wird offenbahr, dass diese vor Brüder in Christo nit kœnnen gehalten werden, und consequenter es sich nicht gebühren will, mit ihnen Nachtmahl zu halten. Hier soll man auch diss hinzu thun, dass ihr bey solcher Conversation mit ihnen müsset innen und still halten, von der Wahrheit von einigen und Christo auch von vielen andern sehr nuzlichen puncten, als von der Justificatione; c) dann sonsten werden sie euch zu ihren Nachtmahl keinen Zutritt gestatten. Ja viel eher und lieber werden sie Nachtmahl halten mit Dieben, Räubern und Mœrdern, und andern bœsen Leuten, dann mit Euch. Das sey aber fern

S von

a) *Quando, ubi, quo pacto, per litteras, an coram?* Forte utroque modo. Sed quis de occultis judicare ausit? Tuum est, L. B. cuniculos, Germaniam nostram hoc suo contaminandi veneno, a *Socini* asseclis fossos, hinc pernoscere, Deoque pro disjectis hisce, vel per *Altorphinas* machinationes mature detectas, consiliis pias agere gratias.

b) En *Ostorodum*, post longas ambages in ipsam tandem Religionum, aut *Confessionum* potius eorum, quæ ad doctrinæ Christianæ compagem pertinent, *indifferentiam* delapsum! Qui adstipulatorem deinceps habuit, paullo apertius hæc eadem edisserentem, *Dan. Zwikerum.* Quippe cujus *Irenicum Irenicorum*, ad eundem scopum collineans, & a J. Am. *Comenio* ad incudem hoc nomine revocatum, non solum errorum nefandorum, si vita modo proba sit, contemtum commendat, sed etiam consilium *Socinianorum*, luculentius patefacit, idque eo spectare docet, ut, si vilipendium illud stabilitum sit, tanto facilius, & sine horrore, primarius error de *Christi persona & officio*, per χρηστολογίας solitas animis instillari possit.

c) Ergo, quæ inter summe necessaria connumerat *Paullus, de Justificatione, per sanctitatem*ne, legi divinæ utcunque conformem (perfectam enim nec ipse *Ostorodus* fassus est nos in hac vita mortali assequi posse) an *per solam fidem* χωρὶς ἔργων obtinenda, inter utilia duntaxat collocari videas. Aliter profecto Gal. V. 3. & 4. *Apostolus*, qui & Christo & gratia excidisse, οἵτινες ἐν νόμῳ volunt δικαιοῦσθαι, severe pronunciat.

von Euch, daſs ihr ſolch Heucheley begehen ſollt, ſintemahl man die Wahrheit nit verbergen muſs, vielmehr darzu thun, daſs man ſie auf alle Wege weiter ausbreite, und kans anders nit geſchehen, es ſey heimlich oder bey der Nacht, ſo geſchehe es mit Leibes-Gefahr, wie unſer Socinus an einem Ort ſehr graviter davon ſchreibet. Nec tamen ſequitur, ſagt er, hinc, ut is, cui Deus pateſecerit, non eſſe in divina eſſentia plures perſonas, nec filium Dei revera extitiſſe, antequam Jeſus Nazarenus in Mariæ virginis Vtero conciperetur, ex eaque naſceretur, hoc vel negare, vel etiam ubi ea de re agatur diſſimulare aut poſſit aut debeat. Nec porro ſequitur, quin is, qui hoc conſtanter affirmare audeat, erret non leviter, ſi eorum veritatem inveſtigare ſpernat, & multo magis, ſi eos, qui hoc profitentur, cauſa non recte cognita condemnet, multo vero maxime, ſi, ut non pauci faciunt, eos, quibus minis poteſt, vexet atque inſectetur. Sed neque etiam ſequitur, quin hæc, ſi vera ſunt, ut certe vera ſunt, omni prorſus conatu promulgari, & unicuique perſvaderi debeant, quid? ſi aliter fieri nequeat, cum ipſius vitæ etiam periculo atque jactura.

Hier mœchte E. L. mir abermahl einreden, und ſagen, warum ichs dann ſchon vor dieſen dem Bruder zu N. indulgirt, und bewilliget mit denen Evangeliſchen zu communiciren, ſo die alſo beſchaffen iſt. Darauf ich zur Antwort gebe, daſs ich ſolches niemand ſimpliciter bewilliget, ſondern wie ich geſpürt, und Sie ſolches ernſtlich gebetten, auch Hoffnung gemacht, daſs iemand hierdurch mœchte erbauet werden, habe es ihm ad tempus indulgirt, und darinnen connivirt, und das nur allein bey denen Calviniſten, a) auch ſonſten cautiſſime mit andern circumſtantiis mehr, genug zu verſtehen gebend, daſs ich lieber wollte, daſs es nit geſchehe. Man beſehe nur mein voriges Schreiben b) wohl, ſo wird es ſich ſelbſt befinden, verhoffe ich, denn ob ich mir wohl keine Copie vorbehalten, ſo laſs ich mich doch bedüncken, daſs ich den Innhalt desſelben Conſilii oder vielmehr indulgentiæ noch wohl gedencke, in welchen conſilio ich den Apoſtel Paulum imitire, als der den Schwachen

a) Gratos videlicet magis *quantum ad hoc*; cum propter qualemcunque diſciplinæ, (tunc temporis certe,) cultum diligentiorem, quam de S. Cœna & C. ac S. Chriſti præſentia opinionem, *Socinianæ* magis conformem. Alias namque Calvino-Reformatorum inprimis *Socini* aſſeclis diſplicuiſſe placita, Cap. II. §. IX. docebimus.

b) Novum iteratumque diuturnæ litterarum conſvetudinis & conſiliorum clandeſtinis fratribus *Altorphi* jam ante ſuggeſtorum indicium.

chen ſchwach, beſchniede den Timotheum, und that etliche Dinge, die mit der Vollkommenheit der Lehre Jeſu Chriſti nichts zu thun hatten. a) Gleichwie ich ihn aber hie imitire, ſo will und ſoll ich ihn auch imitiren in dem, nehmlich, daſs er endlich ſolche Dinge nit mehr hat thun wollen, noch geſtatten, ſonderlich da er mercket, daſs die Wahrheit des Evangelii hierüber würde verdunckelt werden, und daſs man unter ſolchen Dingen nihts anders ſuch, denn nur Ruhe und Friede deſs Fleiſches, damit man mit dem Creutz Chriſti nicht verfolget würde, Gal. VI. 12. 13. Allſo will ich nun auch, daſs die lieben Brüder nicht allezeit ſollen ſchwach und Kinder bleiben, ſondern ſtarck und alt werden an Verſtand, das iſt, Sie ſollen Chriſto und ſeiner Wahrheit gäntzlich anhangen, und nicht allein von bœſen, ſondern auch von dem, quod mali ſpeciem habet, ſich enthalten, und diſs alſo gnug von der erſten ration.

Die andere iſt wiſſentliche Gefahr, und wäre (ſpricht E. L.) pœna illiciti conventiculi zu erwarten. Obwohl leichtlich aus dem, was biſshero iſt geſagt worden, kan verſtanden werden, was von dieſer ration zu halten, So will ich ſie doch inſonderheit, damit E. L. überall genug geſchehe, nicht unverantwortet laſſen. Vnd erſtlich was die wiſſentliche Gefahr betrifft, hat ſolches duplicem rationem. Die erſte iſt, daſs die Gefahr nit gewiſs iſt, dann kœnt ihr eure Conventus nit œffentlich halten, thuts heimlich, oder bey der Nacht, wie es etwan in den erſten Gemeinen offt hat geſchehen müſſen, wie zu erſehen iſt ex Actis Apoſtolorum, und andern Hiſtorien mehr. Auch zu unſern Zeiten iſt es offt geſchehen, und geſchicht noch zuweilen, da ich mit dran, und darbey geweſen. a) So kan

 es

a) Vera fortasſis cauſſa fuit, quod veritas atque rigor odium, *obſequium* vero *amicos* & parere & *retinere videretur.*

b) Ecce remedium *Sociniſmo* propagando oppido proficuum, quo in *Batavis* quoque cum ſucceſſu uſus erat *Oſtorodus*, perinde ut in *Polonia* aut *Boruſſia* potius, quam hoc tempore inſidebat. A quo, quantopere cavendum ſit, ne temere, & extra manifeſtæ perſecutionis fata, hujusmodi quid permittant, hinc diſcant, quibus Eccleſiæ regimen externum internumque competit. Ἐν τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν ὁ ἐχθρὸς καὶ ἔσπειρε ζιζάνια, ait Chriſtus. Non male hinc *Philippus Melanchthon* jam olim a b. Mattheſio interrogatus: *Vtrum judicet ſatius eſſe clam uti cœna*, (in perſecutionibus,) *aut prorſus abſtinere? ne implicentur*, qui id factitant, *majoribus periculis, tutius eſſe abſtinere*, reſpondit, (in *Epiſt.* ad eum data, quæ *Tom. II. ed. a Peucero* f. 52. legitur,) addiditque, quamvis clam non utatur, qui in domeſtica Eccleſia utitur, hunc tamen morem ægrotantium imitari non ægrotantes periculo non carere, quod non ſolum, cum fama hæc ſpargitur, accendatur perſequentium ira, *ſed etiam exemplum depravare poſſet, qui domeſtica conventicula inſtituerent, propter alias cauſſas & opiniones.*

es auch wohl geſchehen, daſs GOtt der Obrigkeit Hertz regiere, daſs Sie euch keine moleſtias mache, wann ſie ſchon hinter eure Conventus komme. Die andere Reſponſion iſt, daſs in dieſer ration pro conceſſo genommen wird, daſs man in Chriſtlichen Religion nit allein etwas nachlaſſen mœge, ſondern auch nachlaſſen ſolle, wo gewiſſe Gefahr vorhanden iſt. Es ſeye aber ferne, daſs ſolches geſchehen kœnne, daſs vielmehr das Contrarium aus der H. Schrifft kan bewieſen werden. Sintemahl allen denen, ſo Chriſti ſeind, und ihme nachfolgen ſollen, ausdrücklich zuvor geſagt iſt, daſs ſie werden gehaſt und verfolgt werden von iedermann, auch von ihren nechſten und beſten Freunden, und daſs man ſich deſshalben ſoll gefaſt machen, und ſich ſelbſt verläugnen. Alſo daſs ſo bald einer ein wahrhafftiger Jünger Chriſti wird, und zu werden gedencket, diſs bey ihm überſchlagen muſs, daſs alles Vnglück kommen werde, als Armut, Hunger, Elend, incertis ſedibus vagari, gefangen, gebunden, in ein greulich Gefängnus geworffen werden, darzu mit noch mancherley Pein getorquiret: Muſs ihm identidem den Hencker, den Galgen, das Waſſer, das Feuer, & mille mortes easque horrendas für Augen ſtellen und einbilden. a) Denn diſs iſt der Weg zum Leben, darum heiſt er ſchmal und die Pfort eng; Wer in Chriſto gottſeelig leben will, der muſs Verfolgung leiden, ſpricht Paulus 2. Tim. III, 12. Vnd abermahl: Durch viel afflictiones müſſen wir ins Reich gehen; auch ſpricht der Apoſtel Petrus, daſs wir zum Leiden beruffen ſind 1. Pet. III. 20. 21. In Summa, das gantze N. Teſtament lehret diſs conſtantiſſime überall; daſs alſo kein Gefahr unwiſſentlich über einen Chriſten kommen. b) Ich halte aber darvor, daſs E. L. das Wort wiſſentlich vor muthwillig genommen habe. In welchen Verſtand gebe ich zu, daſs ein Chriſt ſich nicht ſoll in Gefahr geben, ſondern vielmehr Sie meiden, nemlich ceteris paribus, nemlich, daſs er nicht nachlaſſe, GOttes Willen zu thun, wie und

wo

a) Bene hæc monentur & Chriſti diſciplinæ hactenus omnino conſentanea ſunt. Cujus ſane inter prima exercitia illud eſt, quo crucem quisque ſuam portare, ſibi impoſitam, ut exploretur conſtantia & integritas animi confirmetur, jubemur. At at applicata ad *Socini* inſtituta ſcholamque, male illa & non ſine abuſione nominis divini commendari, certum eſt. Multum certe differt a *conſtantia in fide* vera ac ſincera ψιλὴ παράταξις h. e. *mera & inflexibilis obſtinatio*, qualem jam pridem in ſcholis Stoicorum enutritus M. Aurelius in L. πρὸς ἑαυτὸν XI. §. 3. in quibusdam notavit. Illa Sp. S. placet; hæc, quo magis martyrii ſpeciem conſectatur, tanto majori odio digna eſt.

b) Add. kan.

wo es feyn kan. Sollt ihr euren Gottesdienſt nicht kœnnen dort ſicherlich verrichten, und fürchtet ihr Euch etwas darüber zu leiden, ſo ziehet an die Oerter, da es euch frey iſt. So ihr aber vermeint mit Vnterlaſſung des Gottesdienſts, die Gefahr zu meiden, und euer Ruh und Gemach nit nach dem Fleiſch zu verliehren, ſo iſt es einmahl gewiſs, daſs ihr euch ſelbſt betrieget. Denn diſs iſt anders nichts, als Chriſti und ſeines Worts ſich ſcheuen. Breviter dicendo: Es iſt anders nichts (ich bitt E. L. wolle mirs zu gut halten) dann Hyprocriſis welche vor GOtt die greulichſte Sünde iſt.

Darnach was denn betrifft, daſs E L. ſagen; Es wäre pœna illiciti conventiculi zu erwarten, haben ſolche Worte zweyerley Verſtand. Erſtlich daſs E. L. ſolche Convent pro illicitis halte, darnach daſs E. L. ſolche Conventus pro illicitis nit halte, ſondern nur ex mente Magiſtratus alſo rede. Was diſs andere betrifft hat es keine difficultæten, wann nur E. L. über dem, was Sie thun oder noch thun mochte, kein Conſcientiam haben wird. Was aber das erſte betrifft, daſs E. L. ſelber ſolche Conventus pro illicitis halte, kan ich nicht ſehen, wie E. L. ſolches beweiſen könne nur mit dem, daſs es die Obrigkeit verbiete. Dieſelbe aber kan uns nicht verbieten, was den Gottesdienſt betrifft, wie ſolches klärlich an Tag iſt. Vnd wann Sie es thut, muſs man ſagen mit den Apoſtel, daſs man GOtt müſſe mehr gehorſam ſeyn, als dem Menſchen a) Wann dieſe ration was die Obrigkeit anbetrifft gelten ſollte, ſo würdet ihr nicht allein die Celebration des Nachtmahls, ſondern einen jeglichen conventum unterweg laſſen, ſintemthl ſie unter dem Wörtlein Conventicula vielleicht, nit einzig Bedacht auf das Nachtmahl ſondern ſchlecht einen jeglichen Conventum, welcher auſſer der Kirchen delubro, b) und ohne beyweſen eines Ordinari-Prieſters, oder Miniſtri geſchiehet, verſtanden haben. Ich glaube aber nit, deſs E. L. einen jeglichen Convent vor illicitum hält, denn ſonſt hätt E. L. nit ſchreiben kœnnen, dieſe Worte: Meines Theils vvünſche ich, und vvollte auch ſo viel an mir darbey zuſezen, vvas ich vermœcht. Ich halte es darvor meines Erachtens, daſs ich klärlich bevvieſen, daſs E. L. rationes nicht beſtehen kœnnen, vvas betrifft die Einſtellung des Abendmahls, und

a) Immo vero Apoſtoli non pro nocturnis conventiculis, ſed publica verbi (vere) divini prædicatione *in templo* propugnarunt. Male ergo hæc ad meros dolos, falſaque *Socini* placita propaganda, applicantur, nocturnaque item conventicula & errorum clam diſſeminandorum latibula.

b) Vox *Weigelii* ſtilum olens. Sed quid mirum, cum ſupra etiam templa *Götzenhæuſer* appellare non ſit verecundatus?

daſs derohalben nur übrig ſey zu bekennen, daſs meine Vermahnung zu dem Exercitio Religionis recht und GOttes Wort gemæſs ſey. Wiewohl, damit ich nichts diſſimulire, und candide mit E.L. handele, kœnte es vielleicht geſchehen, in certo caſu, daſs man die Haltung des Nachmahls unter vveg lieſe, als zum Exempel: Vnter Neuling, und da ihrer ſehr vvenig vværen, alſo daſs ſie heinen Ducem hætten, der ſie anzuführen vvüſte, damit nicht etvvas ſine ordine & indecenter geſchehe. a) Solche aber ſollen dennoch darzu thun, daſs ſie entvveder an die Ort ſich verfügen, da zu vvohnen, oder zu Zeiten dahin zu hommen, daſs ſie mit andern das H. Nachtmahl, begehen mœgen, oder ſich befleiſſigen, daſs Sie einen tüchtigen Mann haben mœgen, der vvie ihr Dux ſey im Gottesdienſt, und ihnen zugleich GOttes Wort erklære, und ſie aus demſelben lehre und vermahne. Wievvohl auch noch vielleicht (darinn doch nichts eigentlich definiren darf, es ſind GOttes Sachen, darinnen man ſehr caute b) handeln muſs, damit man nit auflœſe, vvas gebotten iſt Matth. V, 19.) ein Caſus kan gegeben vverden, nemlich ſo gevviſſe Hofnung vvære jemand zu erbauen und zu gevvinnen, und zu fürchten, daſs durch ſolches ritus c) obſervation ſolches mœchte gehindert vverden, als nemlich, ſo man darüber vertrieben vvürde, vvodurch es dann geſchehen kœnte, daſs diejenigen verſæumet vvürden, von vvelchen Hoffnung vvar, daſs man ſie hætte dem HErrn gevvinnen mœgen. Ad ſummam: ich halte darvor, daſs man in dieſer Sach nichts thun oder laſſen ſoll vvegen fleiſchlichen Nuzens, ſondern alles in Gottesfurcht und Erbauung, und zur Ehre GOttes und Chriſti. Diſs iſt mein Gutdünchen über Euer Lieb quæſtion und Dubium, E.L. ſamt denen andern lieben Brüdern, d) vvolte es ervvegen, und thun, vvas euch euer Conſcientia in Gottesfurcht lehren

a) Hinc patet, quare Euchariſtiæ celebratio tam diu dilata, & tandem etiam, aucto fratrum numero, eadem privatim adminiſtrata ſit.

b) Immo callide: ut ſolet, veterator ille ſerpens, ἐν πανουργίᾳ a veritate ſimpliciores abducturus. 2. Cor. XI. 3. ſq.

c) Vox, certe ſententia hujus vocis, minus honorifica. Vid. ſeq. §. XL. ubi, quæ ſit *Socinianorum* de S. Cœna mens, exponemus.

d) Plures ergo, jam *Sonero* adhuc ſuperſtite, fuerant. Sed quinam, incertum. Forte & peregrini quidam inter eos fuere, de quibus nunquam ſive *Noribergæ* ſive *Altorphi* a *Soneri* ore eos pependiſſe, compertum eſt quicquam. Ita plane cenſemus. Nobis interim in his tenebris, inter paucos alios *Leonhardum Doldium* Med. Doct. ex Epiſtola quadam nimis amice in cauſſa hujusmodi a *Sonero* ad eum perſcripta inprimis ſuſpectum eſſe redditum, haud diſſimulamus.

lehren vvird. Ich zvveifle nicht, vvann E. L. ſampt den andern Herrn, Freunden und lieben Brüdern fleiſſig beherzigen und ervvegen vverden, vvorum es zu thun, nemlich um das evvige Leben, und daſs man ſo reich und ſeelig vverde, vvie GOtt ſelber, auch darneben diſs vvohl conſideriren vverden, vvas Chriſtus der Herr unſerthalben gethan und gelitten hat, und deſſen zum Zeugnus ritum Cœnæ eingeſezet hat, daſs E. L. ſampt denen andern lieben Brüdern meiner Vnterrichtung oder Vermahnung, vvas diſs betrifft, nit mehr bedürffen vverden. Scriptum Buſchow a) I. Mart. A. 1607.

Non pœnitebit, integrum, etſi verboſum, conſilium perlegiſſe; ſiquidem præter hanc, ſuper communi, cum Evangelicis, participatione Cœnæ Chriſti ſanctisſima, definitionem certis limitationibus adſtrictam, etiam alia nonnulla hinc colligere licet, quæ alias in dubio verſarentur. Vt enim ſileamus, pluribus jam ante has ſcriptis Epiſtolis *Oſtorodum* aſſeclis ſuis, conſilia iſtic ſuppeditaſſe, quandoquidem ad priores ipſe provocat a ſe ſcriptas, & quædam in iſtis fratribus a ſe indulta eſſe, non ſine arrogantia & ſuperciliosa magiſterii affectatione aſſerit; ſunt etiam alia quædam, quæ hiſtoriam noſtram arcanam dilucidare aliquo modo poſſunt. Primo namque inde liquet, jam ante *Gittichium* fuiſſe in Academia *Altorfina*, ſed clandeſtinos,, at *Sonero* tamen bene cognitos, Socinianos, quibus hæcce potisſimum Epiſtola deſtinata fuit inſtruendis, atque inter illos duos in primis de rebus ſuis prudenter inſtituendis ſolicitos. Deinde vero illud etiam ex hac conſultatione elucet, *Sonerum*, veterem *Oſtorodi* amicum, minime omnium de ejus conſenſu dubitaſſe, ſed duntaxat: Sitne conſultius, ſi & ipſe conventibus privatis interſit, nec ne? deliberaſſe, atque ipſum denique *Sonerum*, dum viveret, a ſacris publicis ſe nunquam ſejunxiſſe; ſed

a) De quo *Agro Buſcoviano* civitati *Gedanenſi* vicino & h.t. familiæ *Arciſſevianæ* gentis ſubdito, cœtuque *Antitrinitariorum* iſtic collecto, lege Epiſtolam *Matthæi Radecii* ad *Corn. Daens* Bruxellenſem, J. V. D. & F. *Socini* intimum amicum atque in religione omnium, quos habebat, conjunctiſſimum, (Vid. *Ejus* ad *Radeckium* Ep. T. I. Opp. f. 378. a.) *Goudam Batavorum* ſcriptam; quod *Socini* & *Sociniſmi* hiſtoriæ illuſtrandæ plurimum lucis ac commodi afferens ævi ſuperioris monumentum Parti IVtæ Animadverſ. ſuarum Philolog. attexuit *CL. Th. Creenius*. Quem, ut pluribus hujusmodi, quas eum posſidere ſcimus, reliquiis, orbem eruditum porro beet, enixe & cum venerationis, quam Viro excellentisſimo debemus, teſtificatione *perhonorifica* publice rogamus. Quod ſupereſt denique, *Buſcovianum* illud Borusſicum, cujus illuſtrandi gratia *Diarium vitæ Smalcianæ* pasſim conferri poteſt, cum *Ruſſico* Busko ſeu *Buczaw* ad fontes fluvii *Bugæ* non eſſe confundendum, paucis monemus.

ſed ea intentione, quam *Leuchsnerus* prodidit, conſtanter adhæſiſſe; atque hinc tanto ſecurius latuiſſe. Quæ porro tam clara ſunt, & evidentisſima teſtimonia, ut de mente *Soneriana Socini$\!$ſmo* addicta ne minima quidem ambigendi adhuc cauſſa relinquatur. Denique, ſi inter hos, conſulentes *Oſtorodum*, non fuit ipſe princeps *Leuchsnerus* (id quod tamen valde eſt veri ſimile) illud ſaltem ex Epiſtola conficitur, hac reſponſione, velut ex tripode data, res *Socinianorum* pauciorum & clandeſtinorum exinde maximam partem ſtetiſſe adminiſtratasque fuiſſe; donec ad illud faſtigium conſcenderet, quod, *duce aliquo reperto*, futurum, *Oſtorodus* ominatus erat; cujus triſtisſimi etiam eventus uberiorem mentionem deinceps faciemus, poſteaquam *Conventiculorum rationes*, quæ fuerint, inveſtigaverimus inventasque luculentius deſcripſerimus.

§. XXXVIII.

Equidem quid ante id tempus geſtum ſit, hac in parte non ſatis exploratum habemus, atque, *Gittichio Altorphium* delato, frequentari cœpiſſe hujusmodi coitiones, obſcuriuſcule tantum conſtat, & levioribus indiciis probari poteſt. Nihil enim horum callidisſimi mortalium pasſi ſunt, quoad ejus fieri potuit, in vulgus emanare. a) Aſt cœtu *amicorum*, in eandem ſententiam conſpirantium, majori poſthæc collecto, & *Ruaro* potisſimum quam maxime in id incumbente, ut *Fratrum Polonorum* commonefactionibus obſecundaretur, ſæpius & ſumma induſtria conventus illi celebrati ſunt. Et tum quidem is etiam ordo obſervatus eſt, ut, quamdiu *Ruarus* præſens adeſſet, ejus potiores, in hujusmodi *Collegiis pietatis*, uti vocabantur, congregandis dirigendisque partes eſſent: quicquid etiam homo vaferrimus & flexiloquus disſimulaverit in Epiſtola ad *Piccartum* paullo ante exhibita. Eo autem in *Poloniam* A. 1614. b) excurrente, moderamen harum congregationum ſuſcepiſſe *Peuſchelium*, cum maxima ejus, qua pollebat, inter cæteros auctoritas ſvadet, tum ipſius *Ruari* verba confirmant, quibus, c) *Racovia* perſcriptis litteris, eum cohortatur, ut ipſe

a) Quæ etiam clam haberi potuere, quia, Collegiorum Academicorum prætextu, proclive fuerat *Sonero*, ad propagationem & cultum errorum, quas vellet, horas adhibere, easque ad hunc quoque uſum adhibitas eſſe, non dubitamus.

b) De quo itinere clam omnibus ſuſcepto & peracto vid. §. XXXIII.

c) Cent. II. Epiſt. XVII. p. 138. Ipſum vero *Peuſchelium* poſt hæc tempora & rerum harum ſtatum cum patefactione mutatum, id haud inficiatum eſſe Cap. III. edocebimus.

ipſe ſe poſthac præſtet, qualem hactenus, imo Chriſto potius, ſe probaverit, & alios fratres cum doctrina, tum adhortationibus, & inprimis exemplo vitæ, eruditiores melioresque reddat, *cogatque eorum cœtus ad conciones*, quas coram illis habere a) (PEVSCHELIVM) magna cum voluptate cognoverit, audiendas, ad *diſputationes* de rebus ſacris *inſtituendas*, ad *exactam morum diſciplinam capiendam*, &, ſi fieri, ſine quorundam offenſione, poſſit, b) ad *Cœnam Domini Jeſu Chriſti celebrandam* ſolemniter. Quo loco etiam *unius & alterius nævos ſe non ignorare*, & *leviter eos caſtigandi audaciam fere ſumſiſſe*, ait; ſed *quia meminerit*, *quod nonnullorum vulnera*, *nimia forſan aut ſaltem ingrata quadam acrimonia*, *præſens tetigiſſet*, *eundem dolorem ſe abſentem ſcindere noluiſſe*, *ne fortasſis in reditu paullo alienioribus animis inveniat*, addit. Atque ſic denuo, quam callide amorem omnium omnibus modis, diſſimulando etiam quædam, retinere ſtuduerit, ipſemet, novo documento blandimentorum edito, teſtatum fecit.

§. XXXIX.

Ita res omnis maleferiata diligentia per cuniculos proceſſit, tantiſper, dum & PEVSCHELIVS *Altorphio Jenam* commigraſſet: quo facto, aliis, incertum tamen cui præcipue, inter reſiduos fratres, ea cura & lampas quaſi tradita fuit. Hoc exploratum eſt, in Epiſtolis ultro citroque miſſis, eorumque fragmentis, querimonias, ab eo tempore legi iterum iterumque effuſas, quibus, negligentius in obeunda ornandaque iſtac ſparta perrexiſſe Gubernatores, abſentes illi profitentur, & ad induſtriam aſſiduitatemque majorem cunctos, cum acri objurgatione, exſtimulant. Et quanquam *Dümlerus* c) quoque coram nihil intermiſerit, quod ad excitandos tardiores, ſegnitiemque excutiendam facere poſſet, tamen parum illum admonitionibus ſuis, licet perquam crebris, profeciſſe a), cæteri poſtea faſſi ſunt, cum myſteria evulgata eſſent. Eaque adeo ratione non leve decrementum res ſuas antea probe ſtabilitas tunc etiam paſſas eſſe, iidem

 affir-

a) Vt erat cæteris, per temperamenti conditionem animoſior, & interdum προπετής.

b) Huc ſcil. tendebat ſummus harum machinationum apex: quem & impietas tandem attigit, uti paullo ante exoptaverat *Oſtorodus*.

c) Quo de factionis principe, inter anteſignanos certe præcipuo, vid. Cap. II. lit. D. & Cap. III. Sect. I. §. 35., ubi quis fuerit, & qua pervicacia in hac hæreſi perſtiterit, enarrabimus copioſius.

d) Quippe cui cum ætate auctoritas & eloquentia, qua *Peuſchelius* præcellebat, deerat,

affirmarunt. Ex qua tamen extrema querela, *Dümlerum* potiſſimum PEVSCHELIO ſubrogatum fuiſſe cœtus ſui moderatorem, a) non abs re conjecturam facimus. At enim vero omiſſa hac circumſtantia, tametſi admodum probabilis videatur, cum nemo fuerit in tuenda hæreſi eodem illo *Dümlero*, inter reliquos, pervicacior, neque quisquam ſpectatæ magis fratribus fidei; ſatius eſt, ad *modum* hujusmodi *conventuum*, & tractandorum in illis argumentorum rationes, animum appellere. De qua re, probatiſſimis teſtificationibus, nobis innotuit, fratres primum *interfuiſſe*, ſi non univerſos, ſaltem *plerosque*, & in hæreſi cumprimis jam longius progreſſos. Deinde *finem* ſeu ſcopum congreſſuum in *Muſeis* b) celebratorum primarium fuisſe, ut recens natam & ad incrementa nova conſurgentem ſectam *precibus* Deo commendarent, & mutuis *cohortationibus* ad pietatem (hac enim utebantur formula loquendi) ſe invicem communitos exſtimularent. Accedebat in *dogmate male ſano*, & præ ceteris propugnato, Vnitariorum *confirmando*, & *S. Trinitatis impugnandæ* improbum *ſtudium*; qua de cauſſa ſemper *Locus aliquis Theologicus*, omniumque diligentiſſime *princeps* doctrinæ Caput *de Deo*, excuſſum eſt. *Finis* denique impoſitus extrema, poſt alias plures, *ſupplicatione*, *pro fratribus Polonis*, *cæterisque fidei ſociis abſentibus*, *cum quibus in veritate* (agnita ſcilicet!) *magis magisque conſtabiliri exoptabant.* c) Ex qua deſcriptione jam ſatis ſuperque effici poteſt, quam ob rem, hujusmodi exercitia poſt præcipuorum Capitum diſceſſum fuiſſe neglectui habita, magnopere doluerint. Aegre nimirum non ſolum hoc ferebant, quod ceſſarent ab inſtituto eo tempore, quo, deprecatoribus ad propagandos errores quam maxime opus habere, ſibi viderentur fratres; verum etiam hac de cauſſa magnopere contriſtabantur, quoniam, qui relicti fuerant, fratres, hæſitantes quodammodo redderentur, & licet a S. Cœna abſtinerent, tamen conciones publicas iterum frequentius adire cœpiſſent. d)

§. XL.

a) Non tamen ea, qua *Ruarus* & *Peuſchelius* pollebant, auctoritate inter cæteros, & facundia minus, quam ille, valentem.

b) *Dümleri*, & reliquorum per orbem electorum manipularium, ut tanto minus patefieret conſilium.

c) Facile enim præviderant, ut initium fervere ſolet, ita eos, qui nondum confirmati erant, ſed titubabant, quod eventus tandem etiam comprobavit, frigidiores fore.

d) Id namque factum eſſe, & illico a Choragis ad ſummos Hæreſiarchas perſcriptum, his etiam innotuiſſe, atque hinc cauſſæ ſuæ non injuria iſtos metuiſſe, confesſione poſt id tempus retractorum ex Academiis edita, compertum eſt.

§. XL.

Sed nondum ad ſupremum faſtigium, ad quod tandem hominum audaciſſimorum protervitas conſcendit, hoc pacto perventum eſt. Hucusque enim, licet precibus & diſputationibus vacarent in conventiculis, non reperiri potuimus ullum Cœnæ Sacræ ſeparatim & intra privatas ædes a) adminiſtratæ indicium. Oſtorodum equidem paullo ante audiveramus, calcaribus ſubditis, ad hæc audenda fœderatos animaſſe; verum ita, ut & ipſe dubitaret, duce hactenus & moderatore prudenti, animique præſentis viro deficiente, id effectum dari poſſe. Nihilominus, quod diu dilatum, tandem, nefario auſu, *Matthia Rhauio* duce, *Ruaro* autem urgente, & conſultore potiſſimum *Leuchſnero,* b) ſuſceptum, Cœnaque Domini dudum apparata, ſolemni ritu privatim celebrata eſt. Id quod nefandum facinus factionis impiæ, cum *Piccartus* l. c. ſubobſcure, hac re diu poſt comperta, totaque ſcena Dei beneficio jam aperta, *Kirchmanno* c) ſignificarit, noſtri eſſe putamus muneris plane pleniusque, ut perpetratum ſit, enarrare. Annus erat *decimus* & *quartus*, poſt *milleſimum* & *ſexcenteſimum*, quo id accidiſſe bene cognitum habemus. Occaſio proxima temerariæ per myſteria conſociationis fuit, d) præcipuorum quorundam fraternitatis novæ membrorum ex *Altorphino Athenæo* demigratio fixa, & jamjam imminens, quibus valedicentibus id pignoris quaſi loco eſſe debebat. Locum, qui perficiendo inſtituto maxime opportunus credebatur, ſive commodior cæteris e), ſive præeunte gubernatore optabilior, ipſius *Martini Ruari* accepimus fuiſſe Muſeum, qui tum temporis in *Conradi Rittershuſii* domo

 habi-

a) Quicquid etiam *Oſtorodus* antehac ejusque adſtipulatores diu manibus pedibusque, ut id efficerent, elaborarint.

b) Conf. Epiſtola *Leuchſneri* Cent. II. Ruarianarum num. V. & XXIV. *bis* exſcripta, & notentur verba: *Paucis ſic habe, nullum apud me dubium vel ſcrupulum eſſe, cur Cœnam Dominicam inter fratres non poſſimus, vel potius non debeamus, celebrare* &c. Et circa finem harum litterarum d. X. Martii A. 1614. ſcriptarum: *Cætera*, inquit, *quæ ad hanc rem pertinent, vel ipſe hic noſter Dominus Matthias, vel multo magis Spiritus Domini noſtri Jeſu Chriſtio tibi, cæterisque, qui una ſentiunt, pro ratione temporis ac loci aliarumque circumſtantianum ſuggeret, & a tam ſancto pioque propoſito, ac cultu omnium maxime divino, omnem arcebit metum ac periculum.*

c) Epiſt. inter *Gudianas* n. CLXXXIV. a. f. 256. ubi *Cœnam* eos, *ſed minime Dominicam, adminiſtraſſe, dicitur.*

d) *Confœderatæ* antiquorum *Chriſtianorum diſciplinæ*, cujus *Tertullianus* meminit, & quæ a Celeb. *Böhmero* in *Diſſ. Juris Eccleſ. ad Tertull. & Plin.* explanata eſt fuſius, cacozelia haud dubie eo abrepti.

e) Paullo remotior a foro & Collegio, ut tanto certius latere poſſent in abdito a ſtrepitu domicilio.

habitaculum conduxerat, ipſasque adeo ædes *Rittershuſianas.* Cujus domus habitatores, viduam *Rittershuſianam*, cum filiis & filiabus, cæterosque domeſticos, nihil mali ſuſpicatos, quippe qui ſine dubio plures antea viderant exeuntes ac introeuntes, quid rerum ageretur, prorſus ignoraſſe, indubium eſt. Perſonæ, quæ intererant actui huic oppido ſolemni, numeratæ ſunt ſupra viginti; eousque enim infelix jam lolium excreverat. At non omnes, quotquot præſentes fuerant, tum quidem facti ſunt atque voluerunt eſſe, ſacræ Cœnæ iſtius peſſime conſecratæ, participes. Nec dubium eſt, ſiniſtri eventus, ſi forte emanaret factum, formidinem cæteros, nondum ita obfirmatos, abſterruiſſe. Principes autem ſodalitatis infelicis pauciſſimi erant, & non alii denique, quam qui venenum penitius imbiberant, convivæ; nominatim *Martinus Ruarus*, *Joachimus Ruarus*, Martini frater, *Matthias Rhaw*, a) *Joachimus* PEVSCHELIVS, *Nicolaus Dümlerus*, *Joannes* VOGELIVS, & Samuel quidam; quem conjicimus Przypcovium fuiſſe, celebratiſſimum illum deinceps Operum Theologico-Politicorum, & ipſius vitæ *Fauſti Socini*, ſcriptorem, Nobilem Polonum, omnibus humanitatis ſtudiis cultiſſimum, & nuper admodum eodem menſe b) in Academiam Altorphenſem advenam. Egregius profecto ſeptenarius, & vere ſacer, ſi eo ſenſu vocem intelligas, quo & *Plautus* in *Pænulo hominem ſacerrimum* dixit, quem ab impietate graviter deſcribere animus fuit. Formam & rationem agendi hanc fuiſſe, ex genuino certisque hiſtoriarum teſtimoniis didicimus: *Martinus* nempe *Ruarus*, deſideratus jam diu ab *Oſtorodo* dux & autor, quo opus erat, ac ſimul hoſpes Seniorque exercitatiſſimus, verborum Apoſtoli ad Epheſ. I. comm. IV. ſententiam auditoribus æque ac convivis ſacri epuli, qua erat facundia, primum & ſub initium explanavit copioſe, & univerſis, qui aderant, inculcavit. Hunc *Joachimus* PEVSCHELIVS, non minori devotione ardens, in hiſtoriam verbaque inſtitutionis, quemadmodum a *Paullo* 1. *Cor. XI*, 23. recitantur, commentatus, excepit oratione luculenta. Denique, his verbis inſtitutionis denuo præmiſſis, fractio panis

a) Quam ob rem & hunc inter convivas numeremus, alibi tempeſtive oſtendemus: nam inter ipſos hæc poſtea narrantes non levis diſſenſio fuit. Vid. Cap. III. §. 25.

b) Hanc enim ingreſſus eſt d. XXII. Martii una cum *Daniele Thaſzyckio* a *Luclavice* & *Job. Szepanovio* a Przemislawice. Vtrum vero e *Belgio*, an *Polonia*? iſtuc advolarint, (nam in *Belgio* ſub id tempus vixiſſe, ſcriptisque etiam quibusdam jam inclaruiſſe conſtat *Przypcovium*) id non ſatis liquet.

panis, cujus cerimoniæ a) initium idem *Mart. Ruarus* fecerat, peragebatur, atque ex ordine proxime ſequentibus, atque ab his porro cæteris aſſidentibus tradebatur. Hinc, ubi ad alteram partem myſteriorum procedendum eſſet, Calicem videlicet benedictum, cujus loco vitrum eos adhibuiſſe conſtat, ſimili modo alter alteri eum, ſacratum antea, porrigebat, eoque epoto finis fuit hujus ritus pro vinculo conſociationis, b) & piæ recordationis, c) ad mentem cohortis *Racovienſis*, celebrati, quantum ad primarios actus. Nondum autem precandi terminus ita conſtitutus, nec tota celebritas eo pacto finita eſt. Namque, his omnibus transactis, orationes & ſupplicationes ſubjectæ, primum pro fide propaganda, tum pro fratribus quibuscunque, atque pro *Magiſtratu* denique *Noribergenſi*; eo ſcilicet, adverſus quem non alia re ulla magis, quam tanto, tamque ſcelerato, ſanctiſſimi hujus epuli abuſu impoſtores perſonati, neſcientem, etiam præter Deum, graviter delinquebant; cujusque Academiam hoc ipſo auſu, ſupra quam dici poteſt, impie, & quantum in ſe erat, eventu ſane id comprobante, atrociſſime fœdabant atque infamabant d) Adderemus & diem, determinato indicandum, ſi

eum

a) Ita certe illi vocant, & minime quidem ſano ſenſu. Pro mero enim ritu Symbolico, ut ex ſequentibus pateſcet, habent.

b) Quæ cauſſa eſt, cur vix alio nomine Sacramentum hoc, quam S. *Synaxin*, ſecundario fine in primarium converſo, appellitent *Sociniani*; aut *ritum fractionis panis*, non ſine extenuatione tanti myſterii, nuncupent.

c) Is enim ejus repetendi ex *Socinianorum* mente nec alius finis, ſi a gratiarum actione diſcedas, cenſetur. Hinc *Oſtorodus* etiam in *Inſtitut. Germ. Cap.* 38. *f.* 330. poſt alia plura ordine præmiſſa. Deſſelben gleichen (inquit) ſoll auch für falſch gehalten werden, daſs man meinet, als wenn zum wenigſten durch dieſe Ceremonie, welche ſie ein Sacrament heiſſen (wiewol on allen Grund) unſer Glaub befeſtiget werde: ſintemal, wie ſolches unmüglich iſt, das es geſchehen könnt, (denn wie kan eſſen und trincken etwas ins Menſchen gemüt ſchaffen und zu wegen bringen?) alſo kan es auch mit dem geringſten Wörtlein aus der heiligen Schrifft nicht bewieſen werden. Quibus addantur, quæ ex profeſſo F. *Socinus* in *Select. notis* ad *Niemojevii* Diſcept. Epiſt. cum G. *Schomanno* T. I. Opp. f. 768 ſeqq. diſputavit, &, rejecta priori horum de confirmatione fidei per S. C. ſententia *ſolam prædicationem atque commemorationem mortis Chriſti aſſeruit.*

d) Eodem propemodum ritu & *Paullum Felgenbauerum*, notiſſimum illum circumforaneum & Fanaticum, Sec. ſuperiori, XVIII. cum affectatoribus ſuis ſacram Cœnam celebraſſe, ex ipſiusmet narratione & Libr. *Erinnerung vom Abendmahl des Herren in Frag und Antwort geſtellt*, 1654. 12. ed. referunt Vnſchuld. Nachrichten, A. 1709. p. 335. ſqq. Vbi tamen confeſſionem peccatorum accedentes ſibi invicem illos edidiſſe, & peccatorum quoque condonationem impertiviſſe mutuam, legitur; de quo altum heic in *Hiſt. Socinianorum* ſilentium eſt. Hujus inſuper aſſeclas panibus non fermen-

eum investigare licuisset. Cujus certis demonstrationibus cum simus destituti, *extremo* tamen *Martio* mense nefas hocce patratum esse, pro certo compertoque asseveramus, &, si conjecturis agere licet, atque rationibus, ex Philotheca VOGELII subductis, inniti, *diem XXVI. Martii* circiter huic instituto dicatum fuisse, credimus.

§. XLI.

De scopo fœderis societatisque fraternæ, arctius hac ratione constringendæ, eo minus dubitamus, quo sunt hypotheses signiferorum notiores, & circumstantiæ ejus solemnitatis eum apertissime omnium condocent. Neque mirum est, huc usque tandem temerarios istos juvenes fuisse progressos: cum vix alius separationis a cœtu diviniori, ejusque Synaxi exitus esse soleat, & exempla dehinc quoque simili fastu a communi Ecclesiæ vinculo consortioque abductorum idem confirment; a) quæ, ne qua extra oleas vagemur, heic repetere vel amplificare b) nihil attinet. Multo vero minus demiramur pertinax super eo molimine inter complices silentium; quippe quos longis

fermentatis usos esse, vinoque rubro, ibidem f 18. commemoratur: quod de *Socinianis* nostris, tam solicitos nimirum in hisce eos fuisse, memoriæ non est proditum; Immo vulgarem potius panem atque vinum obvium adhibitum ab his esse, varia sunt quæ innuant, idemque etiam semper ab illis factum esse, & hodieque fieri, aliunde constat.

a) Vbi inter omnia, quæ prostant hac de re scripta: *Die Christliche Prob der neuen Schwermerey, da etliche Manns und Weibs persohnen eigene kleine Zusammenkunfft halten, darin nicht allein unberuffene Männer, sondern auch Weiber das heilige Abendmahl austheilen*, legi meretur. Quippe in qua diatriba, opusculo (quod integrum istic recusum est) *Th. Tanto* Lubecensi S. Theol. studioso, ejusque hyperaspistæ *Jac. Taube*, idem asserentibus & defendentibus publice opposita, non solum a b. *Menone Hannekenio*, hujus Lib. scriptore, ita satisfactum est, ut, quod obverterent, non haberent Adversarii, sed Historiæ etiam hujusmodi conatuum lux accendi exinde clarissima potest. Cum quo tamen Schediasmate *Gottfr. Arnoldi Hist. Eccl. & Hæret.* P. III. Cap. XV. n. 8. si comparabis, eos adhuc plenius intelliges.

b) Non deessent enim caussæ, quibus redditis valde probabile fieri posset, *Hug. Grotii* perbrevem illum sed famosissimum Libellum *De Coenæ administratione, ubi Pastores non sunt* &c. Amstelod. A. 1638. 4. sine auctoris nomine præscripto, procusum hoc fine ex loco notissimo *L. De Exhortat. ad Castitat. Tertullianei* adornatum esse, ut, quanquam necessitatis solius caussa id fieri posse, obtendatur, lata tamen fenestra latitantibus quibusdam in *Belgio* ex *Sarmatia* nuperrimis advenis h. e. clam sacra sua administrandi potestas aperiretur. Idque tanto est verisimilius, quo certioribus relationibus constat, sub idem tempus *Petrum Moroscovium* (de quo *Sandius* consulatur) *Politiam Ecclesiasticam* seu *Agenda*, ut vocamus, *in usum Ecclesiarum Belgicarum*, præfixo nomine: *Veripromus custos*: conscripsisse.

gis gyaris & carcere digna, esse, quæ machinarentur, res ipsa edocebat, & conscientiæ religio dictitaverat. At omnium maxime stupendum & prodigio fere simile est, a spectatoribus a) nihil horum, nisi post anni, & quod excedit, totius decursum evulgatum fuisse. Quam quidem taciturnitatem non tam facinoris approbationi cunctorum pervicaci temere adscripserim; plurimos enim paullo post vacillare cœpisse, jam supra animadversum est; quam amicitiæ vinculo, quod violare aut rumpere, etiam in re improba b), si quid judicamus, miseri illi cœcique homines veriti sunt. Vtcunque sit: male consultam silentii injusti pervicaciam vicit tandem pro Ecclesiæ salute advigilans Dei providentia, &, quod aliis in rebus usu venit, ut, *Mantuano* teste, *cuncta aperiat secreta dies, ex tempore verum nascatur, & veniens ætas abscondita pandat:* ita hujus quoque temeritatis impietas ad extremum patefacta, divinoque beneficio deceptis veritas, atque Ecclesiæ sana sobriaque tranquillitas, reddita fuit. De qua insigni vicissitudine nunc quidem latius disserendi campus illico aperiretur, nisi satius nobis visum esset, utrique capiti collustrando, de *Sodalibus* sceleris, atque *Adversariis* simul etiam nonnullis, quædam interponere, istamque rerum felicissimam commutationem eo usque, dum hæc expedita sint, differre. Quod itaque faustum sit, & ad detegendos complices, æque ac innocentes purgandos, proficuum, succedat!

CAPVT II.

Commentarium in Indicem Nominum Crypticorum, quo Neo-Sociniani usi sunt, exhibens, fontesque ab insontibus discernens.

§. I.

QVibus fraudibus & dolorum laqueis persvasionumque illecebris *Altorphi* paullatim irretita sint, ut animum ad *Socinianismum* appelle-

a) Quorum plures quam convivas adfuisse jam docuimus, & Cap. III. pluribus condocebimus.

b) Vt fieri solet inter socios, cumprimis in Academiis, moribus pravis præsertim corruptelisque jam inolitis. Quibus etiam plus fidei, ad hominum, quam Dei amicitiam, stabiliendam conciliari proh dolor! nemo ignorat. Majori enim ligari & firmiori glutine vitiorum fœdera, quam, quæ virtutis promovendæ caussa fiunt, societates pias, quis nescit?

pellerent, ingenia quædam a) præstantissima, satis copiose Cap. I. præcedente expositum est. Jam, quinam inter deceptos aliorum svada, sed profecto male svada, numerati b) sint, una cum Adversariis, sive clam subrepentis hæreseos, nec dum cognitæ, sive jam detectæ, aut alias forte hac occasione inter eos memoratis, eadem fide eademque industria edisseremus. Cum eo, ut vel ex hoc intelligant exemplo inconsiderati juvenes, quantopere corrumpant bonas mentes moresque prava, præcipue in Academiis, utut diversi generis, commercia; tum vero etiam, ut pateat, quemadmodum in mediis hostium machinationibus Christus Victor dominetur, regnet & triumphet, consiliaque eorum, qui ratione potius cœca, quam verbi divini simplicitate regi cupiunt, potenter disturbet. Quibus caussis denique & hic potissimum accedet fructus; quod speramus, ita fore, ut fontes ab insontibus rectius discernantur, pravique ab aliquibus, qui levi brachio rem valde obscuram attigerunt, sparsi rumusculi, & motæ potius c) suspiciones, quam genuinæ narrationes, discutiantur. Eumque laborem hoc lubentius suscepimus, quo certiores sumus, eadem simul opera, quando rumores hinc inde disseminati, & vel e solius *Ruari* Epistolis male cohærentibus pejusque dispositis facile concitandi, ad lancem revocabuntur, occasionem nobis subministrandam esse, & veritatem Historiæ hujus arcanæ accuratius enarrandi, & totius *Socinismi*, cum *Arminianismo* d) connexi, fata subinde collustrandi. Illud proinde ut effectum demus ordine ingenuo & idoneo, percommode utemur Indicis alicujus nominum adminiculo, quem, ex ipsa illa notabili rerum mutatione, temporum nobis iniquitas integrum conservavit; cujus Exemplum fortuito & aliud quasi agendo repertum a CL. Viro, *Jo. Möllero*, Flensburg. Gymnasii Rectore, in *Homonymoscopia* e) typis jam sub finem præcedentis Seculi

a) Neque enim omnia, imo ne pleraque quidem, sed potiora & eximia tantum atque Capita factionis nominatim adhuc commemorata sunt.

b) Vel ad tempus aliquod, aut eousque, ut jam vacillare inciperent, ad saniorem mentem maturius & facilius quoque revocati.

c) Aliis forte affectionibus sinistris, ut solet, occasionem suppeditantibus.

d) Eidemque incrustando, si non nato ac destinato, ab *Episcopio* certe & discipulis eo ingeniose inflexo, ut, quæ tetrica illa hæresis horridius proposuerat, *lenirentur*, molliorique quodam *fraternitatis*, longius quam par est, exporrectæ, pallio contegerentur, involutaque propagarentur. Conf. quæ ad lit. A. annotabuntur haud dissimilia.

e) Videatur *Index* citatus laudatæ *Homonymoscopiæ*, A. 1697. *Hamburgi* excusæ, insertus, Sect. III. c. IV. f. 801. sqq.

culi ſubjectum nobis vero divina providentia ejusdem uberior explanatio quodammodo commendata & relicta eſt. Quamobrem totam ejus ſeriem, una cum additamentis, quæ pauca ſunt, recuſam, & nos ante omnia in præſens dabimus, deinde vero *Commentariolum* noſtrum ſubtexemus, &, ſicubi opus erit, neceſſaria *ſupplementa* adjicere non pigrabimur.

§. II.

Sic autem CL. *Molleri* habet præfatio, eidemque adjectus *Index* valde commemorabilis:

„Incidit forte fortuna, ante annos aliquot, in manus meas," nominum iſtiusmodi fictitiorum in litterarum permutatione ab iis" uſurpatorum Index explicationibus eorundem a) illuſtratus, quem" duo Academiæ Altorphinæ Studioſi eruditi JOACHIMUS PEUSCHELIUS & JOHANNES VOGELIUS (*Scholæ deinceps Sebaldinæ Noribergenſis Rector*) ab ERN. SONERO, aliisque Doctoribus Athenæi hujus" Norici Crypto-Socinianis, ut doctrinæ Lutheranæ nuncium mit-" terent perſvaſi, ſed a Senatu Noribergenſi ad palinodiam adacti, b)" ſibi invicem transmiſerunt. Quem, licet præter nomina, de qui-" bus agimus, μεταφρασμένα alias etiam κρύψεις anagrammaticas, pe-" riphraſticas, ſimilesque non unius generis exhibent, dignum tamen" ob uſum inſignem, quem MARTINI RUARI noſtratis c) aliorum-" que iſtius ævi Socinianorum Epiſtolas d) lecturis, ex eo percipere" licebit, putamus, qui in alphabeticum a nobis redactus ordinem," & monitis nonnunquam exegeticis, parentheſi incluſis, interpolatus, cum eruditis h. l. typorum beneficio communicetur."

A.

„Altorffium, Pancomium: Anabaptiſtæ, Badenſes: Jacobus Arminius, Talæus: Arminiani, Proteſtantes."

U B. Ba-

a) De *Socinianis autem, clam in Germania & Belgio ſub initium ſuperioris ſeculi degentibus*, paullo ante ſermocinatus erat.

b) De vocabulo hoc ambiguo vid. not. ad §. IV. hujus Cap. ultimam adjectam.

c) Quatenus videlicet popularis & *Holſatus* erat, ſic *Mollero* dicti.

d) Non multæ ſunt, in quibus horum nominum veſtigia occurrunt, & ſi ab ea, quæ *nona* eſt in Cent. II. diſcedas, alibi vix ſemel iterumque nomenclaturam hanc ei uſu veniſſe deprehendes. *Frequentiorem inter* ipſos *Noribergenſes*, male ſibi conſcios & pericula domi majora formidantes, illam fuiſſe, litteræ in *Peuſcheliana ſupellectile* repertæ docuerunt.

B.

„Batavi, Hesperii: Bentheimensis Comes: Frutestini [*i. e. Stein-*„*furti per ἀναγράμμα* a)] Comes vel Dominus: Belgium, Glebium: „Petrus Bertius, Pogonatus, aut Philosopho - Theologus.

C.

„Calvinistæ, Phalantii: Cobus (*Joh. scilicet Kobius Hilpershusa* „*Francus J. V. D. ac Logices initio ac Metaphysices, deinde autem Instit.* „*Imperial. Profess. Altorph. A.* 1661. *defunctus*) Onesimus, Hilpershu-„sanus seu Bocius: Communistæ, Pythagorici: Cornelius, Loni-„cerus: Cracovia, Fragosia: Crellius (*Joh. scil. Crellius Helmezheimen-*„*sis Francus, Pastor Socinianus Racov. d. XI. Januar.* 1633. *denatus*) Soli-„nus: Leniancer vel Helmezheimensis.

D.

„Dantiscum, Orchestra: Franc. Davidis (*Hungarus, Socinianorum* „*in Transylvania Superint. A.*1579. *mortuus,*) Liberius Erasmus: Dum-„lerus, Tyrbæus vel Mulderus.

E.

„Georg. Enjedinus, (*Hungarus, Socin. in Transylvania ad A. usque* „*fatalem* 1597. *Superintendens:*) Monavius: Engelbertus, Angelus „Berticus: Simon Episcopius, Horatius.

F.

„Joh. Georg. Fabricius, Schmidlinus vel Philiatrus: Franequera, „Eleutheria: Francius (*Wolffgangus haud dubie, Theol. Wittebergensis,*) „Gallus: Frauenburgus (*Joh. Gerh. scilicet V. J. D. & P. P. Altorff. A.* „1630. *exstinctus*) Magdeburgus vel Fœminarius noster: Frater cœ-„tus Vnitarii recens natus, Rivalis noster: Führerus, Pompejus.

G.

„Gallia, Liberia: Germania, Andria: Mich. Gittichius Venetia-„nus (*Pastor Neo-Grodecensis Socinianus in Lithuania a.* 1645. *denatus*) „Clementinus: Adamus Goslavius (*a Bebelno Eques Polonus Vnita-*

rius

a) Quæ parenthesi inclusa alioque charactere impressa sunt, ea Cl. *Möllerus* explicationis gratia interdum addidit: in quibusdam rem acu tangens, in aliis vero, quemadmodum suo quæque loco notabimus, nec mirum in tanta obscuritate, hallucinatus.

rius) Diocles: Alb. Grawerus *(Theol. P. P. Jenensis)* Canus: item," Theologus disputax."

H.

Haga, Locus in quo Sylvanus *(i. e. Conr. Vorstius)* auditur: Hain-" linus *(Joh. Jacobus forte Calvensis Würtembergicus*, a) *Abbas in Duca-" tu patrio Bebenhusanus & Chronologus insignis A.* 1660. *æt.* 72. b) *exstin-" ctus)* Dominicus, vel Galliculus.

I.

Jena, Oenome: Jesuitæ, Nigri: Erasmus Johannis, *(Neo-Arria-" nus, ex Rectore Antwerpiensi Pastor in Transylvania Claudiopolitanus,)*" Desiderius Vlricus: Isanadius *(Scholæ Claudiopolitanæ Rector,)* Odon-" tius: Königius *(Georgius scil. Theol. D. & P. P. Altorff.)* Regius."

L.

Leuxnerus, Lucejus vel Xenulejus: Leimerus, Collectus vel" Meilerus: Lithuania, Classivania: Sibrandus Lubbertus *(Profess. Sacr." Lit. Franeq.)* Theologus inquietus: Lucius *(Ludovicus forte Philos." P. P. Basileens.)* Lupus: Lugdunum Batavorum, Guldunum vel" Pathmus: Lutherani, Puritani."

M.

Corn. Marci *(Pastor Noriberg.)* Carmus: Jac. Martini, *(Profess." Witteb.)* Philosophus disputax: Mauritius, *(Nassoviæ Princeps,)*" Dominus bellicus peritissimus: Mauritius *(Hassiæ Landgravius)* Prin-" ceps cujus patrocinio Antiboccius commissus: Mennonitæ, Doci-" tæ: Hieron. Moscorovius, *(Eques Polonus Socinianus A.* 1625. *mor-" tuus)* Eusebius, item, Medicus Nobilis."

N.

Noriberga, Salmantica."

a) Heic cespitasse optimum eruditissimumque *Möllerum* suoque ipsius exemplo, in L., qui de *Homonymis* agit, quam utilis iste labor fuerit, addocuisse, infra ostendemus.

b) Hanc procul dubio ætatem Cl. *Mölle-rus* de industria notavit, ut tanto verissimilius ex æqualitate temporis & adolescentiæ ad virilem ætatem, cum hæc *Altorphl* acta essent, inclinantis Würtenbergensem illum h. l. intelligendum esse Abbatem seu Antistitem sacrorum evinceret. Cæterum annos 71. mens. 8. dies 12. natum obiisse distinctius pl. rev. *Fischlinus* demonstravit.

O.

„Christophorus Ostorodus *(Goslariensis, Pastor Vnitariorum Smi-„glensis & Gedanensis* a)*)* Paschasius vel Paschalodus.

P.

„Papa Romanus, Saturnus: Papistæ, Patricii: Joachim. Peusche-„lius, Strabo vel Schrilepius: Photiniana Religio, Felicitas: Photi-„nianæ religioni addicti, Felicitatis amatores, item Lucenses: Mich. „Piccartus *(Philos. P. P. Altorff.)* Niger Philosophus: Planerus, De-„lius vel Lapnerus: Pisecius *(Thomas haud dubie, Eques Silesius, So-„cinianus, circa A.* 1646. *etiamnum superstes,)* Martius Piso: Polonia, „Campania vel Nolopia: Polonus, Nolopus.

R.

„Racovia, Verona vel Cavaria: Val. Radecius *(Gedanensis, Pa-„stor & Superint. in Transylv. Claudiopol. circa A.* 1630. *mortuus)* Pan-„cratius Eubulus: Hermannus Ravenspergerus *(Sigena Nassovius „Theolog. P. P. Herborn. Steinfurt. & tandem Gröninganus A.* 1625. *de-„functus)* Sylvani: *(i. e. Conr. Vorstii)* successor: Matthias Rhaw, „Carcharias: Ambros. Reudenius *(Theol. D. & P. P. Jen. Prim.)* Fa-„cultatis Theologicæ Senior: Richterus *(Georg. haud dubie Reipubl. „Noriberg. Consiliar.)* Critius vel Prætorius: Rostochium, Rhodus „vel Storochium: Martinus Ruarus, *(Crempa Holsatus, Gymnasii „Racov. Rector* 1657. *exstinctus)* Aretius Crispicus, vel Martinus no-„ster: Joachimus Ruarus *(Martini frater, Med. D. & Archiater Bran-„denburgicus,)* Dominicus Anastasius Crispicus.

S.

„Joh. Sartorius, Hormius Histæus: Jacobus Schopperus *(Theol. „D. & P. P. Altorff)* Senex Vester: Seidelius, Heiminæus vel Pome-„ranus noster: Sibrandus Lubbertus *(Theol. P. P. Franeq.)* Titius: „Sigismundus III. Polon. Rex, Victorius: Valent. Smalcius *(Gotha-„nus, Past. Racoviens. A.* 1622. *mortuus)* Butyrius vel Andr. Reuchli-„nus: Smiglecius *(Martinus haud dubie, Roxolanus, Jesuita Polonus, „Calisfiæ* 1618. *mortuus, Photinianorum Antagonista,)* Gelasius: Faustus „Socinus, Turpilio, vel Beatus Turpilio: Johannes Sommerus, „*(Pirnensis Misnicus, Rector circa A.* 1569. *Claudiopolitanus)* Thering: Ernestus

a) Bene an male, inferius edocebimus: quanquam & Cap. I. jam nonnihil, quod huc spectet, observatum sit, §. 36. extremo.

Erneftus Sonerus, (*Noriberg. Med. D. & P. P. in Acad. Altorff.*, *Cry-*"
pto-Socinianus, *A.* 1612. *exftinctus*) Philetus: Steinfurtum, Petra, vel"
Fruftenium."

T.

Clem. Timplerus (*Phil. P. P. Steinf.*) Hiero vel Sylvani, (*i. e. Conr.*"
Vorftii) Collega: Tranfylvani, Hylæi."

V.

Joh. Vogelius (*Rector poftea Noriberg.*) Joh. Avitus: Joh. Vol-"
ckelius (*Grimma Mifnicus*, *Vnitariorum Smiglenfium Paftor*) Popilius"
vel Populæus: Conr. Vorftius, Sylvanus vel Trafybulus Sylvius:"
Witteberga, Arges."

- - - - Hactenus *Cl. Mollerus*: qui præter pauca quædam, quæ, nos etiam haud prætermifimus, nihil l. c. annotavit ulterius, fed, quæ obfcura erant, pleraque intacta reliquit, & ad alia illico progreffus eft.

§. III.

Noftrum nunc erit, hæc omnia denuo recognofcere, & fimul de additamentis, fi quæ minus bene habeant, L. B. commonefacere, plenamque tandem obftrufiffimorum vocabulorum clavem exhibendo, larvam omnibus, quotquot heic commemorati funt, detrahere. A *Præfatione* autem initium facturi non poffumus, quin de Auctore iftius Indicis primo annotemus, fide dignis relationibus nos cognoviffe, *Michaëlem Gittichium* primas ejus lineas duxiffe, a) & confilium hoc fcriptionis obfcuræ genere utendi fubminiftraffe, a *Gittichio* vero acceptum auctumque *Peufchelio* Jenam per *Vogelium* transmiffum effe, & hac quidem eadem forma, qua doctiffimus *Mollerus* eum *Homonymofcopiæ* fuæ inferuit, ipfimet pofthæc interrogati edifferuerunt. A *Peufchelio* acceptum defcriptumque *Cornelius Marci*, Epiftolis fuis, atque fic lapfu temporis etiam alii per traditionem fimilibus eum ufibus accommodarunt. Ejus certe communicationis ipfe *Vogelius* in litteris, *Witteberga Jenam* ad *Peufchelium* datis, A. 1615. d. 3 Januarii, meminit, fimul vero, ne femper & ubique, fed fumma urgente neceffitate, & in rebus graviffimis tantum hac κρύψει utatur amice admonuit. A *Peufchelio C. Marci* in Epiftola quadam, in qua *Typum*

 ænig-

a) *Altorphine* an poft reditum in *Poloniam*? pro certo non aufimus affirmare. Prius tamen verifimilius eft.

ænigmaticum vocat, petiit, & p. p. quoque haud dubie cum *Altorphinis* cæteris idem *Marcius* communicavit. Hæc explorata sunt a) hactenus, sed valde tamen credibile eſt, inventi hujus conſilii multo vetuſtiores eſſe natales, quoniam clandeſtina *Sociniſmi* propagandi molimina in *Belgio* & vicinia ejusdem, diutius antea jam agitari cœperant, atque alias inter eruditos hac ætate plures, nominatim vero *H. Grotium* atque *G. J. Voſſium*, ita conveniſſe, ipſe *Möllerus* nos certiores reddit, qui iſtum *Celſum*; hunc vero *Deſiderium Alopecium* dici interdum conſveviſſe obſervat. b) Ne quid dicamus de *Philippi Melanchthonis* perpetuo fere & innocentiſſimo more: ex cujus Epiſtolis haud diſſimilem Crypticorum verborum typum jam ſuperiori ſeculo *Jac. Thomaſius* congeſſit: quem pluribus hoc loco dilucidare nihil attinet, poſtquam formis & iſte jam deſcriptus proſtat. c) De ipſamet potius nominum immutatione ultro ſuſcepta, volupe eſt, laudati *Philippi* Epiſtolam quandam ſubjicere, prælo fortaſſis (ita certe opinamur) nunquam excuſam, & diſcipulo cuidam a parente ſuo, eapropter vehementer objurgato, dictatam ad calamum: d)

Humaniſſimo atque Optimo Viro, Nicolao Ohmlero, Civi Mansfeldenſi, Patri ſuo cariſſimo.

„*S. Redditæ ſunt mihi litteræ tuæ, pater amantiſſime, in quibus me pro* „*tua autoritate graviter objurgas, propterea quod aliquandiu gentilitio nomine*

a) Ex Epiſtolarum præſertim argumentis, inter *Peuſcheliana*, ut ſæpius jam dictum eſt, repertis.

b) Haud diſſimile inſtitutum *Janſeniſtis* placuit, cum e Gallia A. 1678. ejecti in vicinum *Belgium Hiſpanicum* primum, & tandem etiam in *fœderatum* ſecedere cogerentur. Hos enim iſtic latitantes fictitiorum quoque nominum uſu diu collocutos eſſe per litteras, ipſa, quæ ſuperſunt, exempla, *Bruxellis* A. 1704. in 4to in Libello *Cauſſæ Quenellianæ* titulum præſcriptum habente, typis expreſſa nos edocent: In quibus Papam Romanum *Olibro*, Regem Galliarum *Monſieur de Mareſts*, Ant. Arnaldum vero *Monſ. Davy*, Paſch. Queſnellium *Monſ. de Freſne*, *Gabrielem Gerberonium* autem & cæteros aliis nominibus appellatos fuiſſe, vel ex ſuperficiaria perluſtratione apparebit.

c) Vid. Cel. *Chr. Thomaſii Hiſt. Sapientiæ & Stultitiæ* P. I. c. I. cui adde *Clavem* Epiſtolarum *Scaligeri*, *Caſauboni*, *Salmaſii* & aliorum ad eundem modum a P. *Colomeſio* ſubminiſtratam, quæ in Opuſc. extat a Cl. J. A. *Fabricio* edit. f. 333. ſqq.

d) Addere huic Epiſtolæ, ut in utramque partem ventilatæ quæſtionis rationes ὡς ἐν τύπῳ contueri liceat, non pœnitebit, quæ diligentiſſimus *Joh. Frid. Krebſius* Heilsbrunn. nuper Athenæi Prof. & Eccleſ. *Antiſtes*, νῦν ἐν ἁγίοις, hac de nominum mutatione varia generatim quoque diſſeruit in Tr. *de nominum immutatione potiſſimum in Religioſorum Ordinum & Votorum profeſſione &c.* apud Pontificios uſitata f. 17. ſqq.

mine mutato, Æmilium me privatim & publice nominaverim. Scribis e-" nim, & a gravibus viris hanc mutationem nominis serio taxari, & dicaces" quosdam nactos esse materiam ludendi, & deridendi mei. Etsi autem faci-" le contemno eos, qui scurriliter & animi morbo in me debacchantur; tamen" quia & te moveri video aliorum gravium virorum sermonibus, & ego me ad-" judicia talium componere magnopere studeo: duxi me tibi purgandum esse," ne levitate aliqua animi, aut tu aut alii existiment, me novum mihi nomen" accersivisse. Ac primum, si qua est ea in re culpa, non est mea. Nam Æ-" milii appellationem Philippus mihi indidit, quod esset affinis vocabulo Ohm-" ler. Et cum inter latine loquendum esset utendum latina forma voce Ohm-" ler, *maluit Philippus uti* Æmilii *nomine, quod erat mollius, quam Ohmleri,*" *cum tanta sit affinitas harum vocum. Ipse quidem non putavit, se mihi no-" vum attribuere, sed mollire usitatum. Postea cum me sic vocarent etiam re-" liqui, consvetudo (quæ est domina sermonis) comprobavit hoc nomen. Ita" non meo consilio, sed casu potius hæsit in me appellatio. Non enim poteram" vel sodalibus vel consvetudini* a) *repugnare. Proinde peto ab iis, quorum" judicia sunt graviora, ne de meis moribus censuram agant ex alieno facto," nec me levitatis insimulent, eo quod alii latinam inflexionem cognomini meo" attribuerint. Spero autem de studiis & moribus meis multo rectius ex aliis" rebus judicium fieri posse. Extant mea scripta, quæ etsi rudia sunt, tamen" liberant me suspicione ignaviæ, & ostendunt, quo genere doctrinæ delecter." Tractavi honestissima argumenta partim ex S. Litteris, partim ex Philoso-" phia de moribus, partim ex doctrina de rebus cœlestibus sumta. Nulla" obscœnitas aut significatio petulantiæ est in meis versibus. Quare prudens" æstima-*

a) Quæ sane tunc temporis ita invaluerat, ut paucissimi nomen gentilitium retinerent, sed Germani prope omnes, ab Italis eo adducti, Græcum vel Latinum, ex antiquitate sæpe ultima repetitum, affectarent, aut certe ad eam formam, quod *Myconius* suo nos docuit exemplo, inflecterent, immo etiam illitterati, forte a præceptoribus in scholis inditum, non aversarentur. Quod vel Andr. *Osiandri* nomenclatura jam patri Aurifabro imposita (Seipsum enim hoc nomen suum ultro mutasse, id peculiari scripto, fictum sibique affictum esse, demonstravit) & a filio continuata, luculenter ostendit. Vt pluribus id condocefacere exemplis non opus sit: quæ nisi nos memoria fallit, magno numero etiam jam congesta in *Historia Sec. XVI. Bœcleriana* ex Ed. Cl. Viri *J. B. Maji* leguntur, & alibi passim quoque apud *Adamum*, *Pantaleonem* similesque Vitæ a celebrioribus Viris hac tempestate actæ Scriptores annotata passim sunt. Quanquam integer etiam libellus extet, in quo Germanica lingua obscurus quidam homo C. W P. G. sub tit. *Virorum eruditorum onomatomorphosis* longam hujusmodi mutationum seriem publicis usibus exposuit, ita tamen adornatus, ut Vir bonus, quisquis est, præter errores crassiores alios, in fingendis nominibus genuinis nimium quantum sibi indulserit.

„*æstimator inde facile conjecturam de moribus meis faciet. Vtor etiam hic a-*
„*micitia & familiaritate optimorum, ad quos aditus mihi non pateret, nisi*
„*mediocriter ingenium, & mores meos probarent. Adhæc habeo studia ado-*
„*lescentium honestissimorum, quorum mihi benevolentiam conciliavit hæc*
„*quantulacunque ingenii vena. Spero etiam tibi & Johanni Rheineck, viro*
„*optimo ac prudentissimo, avunculo meo, qui acutissime de ingeniis judicare*
„*potest, mores meos probari. Neque vero reliquæ turbæ judicia multum*
„*moror, si sciam, me bonis & prudentibus non displicere. Dum non sum Stoi-*
„*cus, sed in communibus moribus officia quadam mediocritate metior. Non*
„*puto, capitale delictum esse, accersere nomen vetus sine fraude, præsertim*
„*cum hoc sit usitatissimum in scholis. Apud nos Cancellarium principis vo-*
„*cant Pontanum,* a) *cum sit aliud gentilitium nomen. Ipse adeo non abhor-*
„*ret ab hac appellatione, ut etiam honorificam liberis esse ducat, vel propter u-*
„*nius Pontani, Neapolitani, cujus ingenium & doctrinam valde prædicari*
„*audit, & gloriam. Ne Cælio quidem & Johanni Agricolæ* b) *puto hæc no-*
„*mina gentilitia esse. Sed exempla hujus ætatis infinita sunt. Micyllus* c)
„*vir optimus nomen ex Luciani Dialogo eo sumsit, quod fortunæ suæ parvuli*
„*nomen conveniri judicaret. Nec audivi quenquam, qui reprehenderet,*
„*multis etiam eleganter fecisse videtur, quod hac appellatione significare vo-*
luit,

a) Seniorem puta, ex tradita A. C. clarissimum, cui Gregorii prænomen erat, germanico autem nomine alias Brük dictum, & anno 1557. d. XX. Febr. Jenæ demum pie defunctum, *Christiani* illius *Pontani*, infelicissimi in negotiis turbisque *Grumbachianis* Cancell. Saxo-Gothani, patrem, videtur innuere noster. Quem tamen cum *Heinze* alioqui cognomento vocari consvevisse diserte in Indice *Hist. Lutheranismi Sekendorff.* tradatur, quo pacto hæc conciliari queant, fatemur nos ignorare. - - - *Hæc difficilia nobis videbantur, cum primum in utriusque nominis mentionem, a diversis factam, incideremus. Postquam vero *Seb. Froschelii*, *de Sacerd. Off. Christi*, Libell. 4to 1565. excusum, & adhuc, sed raro, prostantem, ejusque Præfat. ob varias caussas, status præsertim Witteb. Eccles. circa A. 1520. sq. descripti, lectu dignissimam, perlustravimus, atque hinc porro *W. E. Tentzelii Hist. Reform.* Fragmentum, a S. R. Dn. D. *Cypriano* prælo subjectum consuluimus, itidemque f. 232. invenimus *Simonem* Heynss Pastorem Witteb. sub id tempus, quod p. a. nominavimus, eundemque *Gregorii Pontani* Sen. fratrem fuisse, utrumque vero, & *Heinzium* gentilitio nomine, a patria vero, oppido haud procul *Witteberga* dissito, *Bruk*, etiam *Bruker* atque latine *Pontanum* vocatum esse deprehendimus. Eademque si observentur, ut possint hæc nomina, tria licet, uni familiæ tribui, liquidum esse, jam intelligimus, aliosque docere possumus.

b) Ex Germanico enim *Bauer* id ortum esse liquet, & constat. A patria de reliquo Islebium vulgo etiam appellatum fuisse, nemo est, qui nesciat.

c) Jacobus haud dubie *Micyllus* hic est, Græcæ linguæ in Acad. Heidelbergensi Prof. ad quem noster digitum intendit. Is enim h. t. claruit, diemque supremum A. 1558. obiit.

luit, se suæ fortunæ tenuitatem boni consulere. Rudolphus Agricola Cancella-" rio Bavarico Pleningero a) *in publicis scriptis tribuit nomen Plinii. Mar-" silius Ficinus vocavit Jureconsultum quendam Vranium, quod nomen" ille etiam ad posteros propagavit. Cum exempla sint ubique obvia, non u-" tar longa commemoratione. Veteres historias videte & quidem sacras. Di-" vus Paullus Romanum nomen maluit, quam Sauli appellationem Judaicam."* b) *Nec quisquam propterea Paullum levitatis arguit: Christus ipse Simonis" mutavit nomen, & vocat Cepham seu Petrum. Vetustiores etiam sunt mu-" tationes nominum divinitus factæ, Abrahæ, Saræ & pleræque aliæ. Cum" igitur res sit usitatissima, & ego quidem nullam fraudem cuiquam hac mu-" tatione nominis struxerim, ne choragium quidem aliquod gloriæ aucupatus" sim: non intelligo, cur censoria acerbitate propter hoc factum notandus sim," Etiamsi quid habet res vitii, tamen erit humani animi, id vel ætati meæ," vel consvetudini condonare. Postremo, cur ego plectendus videor, cum non" sit a me orta mutatio? Sed objiciunt: Pudere eos generis & majorum su-" orum,* c) *qui cognomen aspernantur. Hoc crimen nequaquam dissimulan-" dum est. Nullum enim genus ambitionis perversius est, quam parentes fa-"*

X *stidire.*

a) Dubito, utrum nomen hoc recte exscriptum sit. *Theodorum* enim *a Pleiningen*, ex nobili Suevorum gente, eundem dictum & a litteratoribus *Plinium* cognominatum, virum de reliquo doctissimum & *Capnioni* inprimis amicum fuisse, rectius *Sekendorffius in Hist. Lutheran.* L. I. §. LXX. add. I. n. (g) edocuit. Cui addi potest CL. *Burckardi Germaniæ Eques*, humanitatis propugnator, Vall. human. *Buschii* præmissus f. 33.

b) Vtramque *Paullo* inter Romanos *Tarsis* nato cives inde a teneris propriam fuisse, more tum inter Judæos solito, nihil proinde ab eo mutatum esse, cum latinam, profanis populis Evangelicam veritatem prædicaturus, anteferret, alibi jam demonstravimus.

c) Non vana hæc erat objectio. Quæ forte in caussa fuit, cur non temere nobili sanguine natos, ea quoque tempestate, qua illa ὀνοματοστροφὴ cum primis usitata tritaque erat, pristina generis sui, horrida licet haud raro, nomina deseruisse animadvertas. Quod exemplis Nic. *Amsdorffii*, Bern. *Ziegleri*, Vlr. *ab Hutten*, Franc. *de Sikingen*, Bilibaldi *Birkeimeri*, Hier. *Baumgartneri*, ipsiusque adeo Casp. *Schwenkfeldii*, aliorumque litteratorum facile comprobari posset, si id in præsens ageremus. Vnus nunc nobis succurrit Paullus *Speratus*, nobilis Suevus, *a Spretten* ante dictus, qui tamen & ipse nomen in latinam potius terminationem convertit, quam prorsus immutavit. Hermanni quidem Com. *in Neuwenar* sæpius sub id tempus appellationes, *Nuenarii*, sed leviter inflexæ, & penitus commutatæ *Neætii, Comit. Novaquilaris*, & similes occurrunt, sed ab aliis potius, quam ipso Comite, ut arbitramur, fabricatæ & usurpatæ. Alias certe hujusmodi raro invenias: nisi quod *Eitelwolfus a Stain* quoque in memoriam venit, a *Lapide*, ab aliis tamen magis, quam cum ipse nomen suum exscriberet, sic dictus *Eques Suevus*. Sed hæc obiter. Plura enim dabit, qui *Equitem Germ. Humanitatis Propugnatorem* ex Historia Litteraria adumbravit p. a. laudatus elegantissimusque Burckhardus, quibus comparatis, quæ diximus, mirifice illustrari possunt.

„ſtidire. Hanc a me impietatem longiſſime abeſſe volo. Ac alia ſunt illuſtri-
„ora ſigna hujus vitii, quam nominis mutatio, videlicet arrogantia, vanitas
„ingenii, impudentia, contumacia; dii meliora, quam ut hæ peſtes teneant
„animum meum, quibus ſi obnoxius eſſem, boni viri in hac luce Academiæ, non
„ſolum non complecterentur me, ſed tanquam portentum aliquod vitarent. E-
„go vero cum cæteras virtutes bono viro dignas quanta (poſſum) diligentia
„accerſere mihi, & tueri ſtudeo, tum vero præcipue ſemper colendam eſſe mo-
„deſtiam & pietatem erga parentes duxi. Quare & nomine paterno ap-
„pellari me gaudeo, & eodem utor ipſe interdum in germanicis litteris, & in
„Syngraphis. Si quem pudet generis, is moleſte fert, ſe gentilitio nomine
„ſalutari. Cicero Titum Pomponium vocat Atticum, quo nomine in fami-
„liaribus ſermonibus atque Epiſtolis utebatur. Nec tamen vir graviſſimus
„aſpernatur majores ſuos, aut Romanam civitatem, ſed in foro uſurpabat
„familiæ nomen: in litteris, in Dialogis delectabatur Attici appellatione.
„Quid hæc exempla habent turpitudinis, aut, quæ moroſitas eſt, bonis viris
„objicere mutationem nominis, ſine fraude factam, probri loco. Auguſtus
„deridet Antonium, objicientem ſibi mutationem nominis, a) quod infans
„habuerat. Fuit aliud nomen Theophraſto, ſed ea maluit uti appellatio-
„ne, quam indiderat præceptor. b) Delectabatur enim vel benevolentia
„magiſtri, vel amiciſſimo indicio, atque omine de ipſius ingenio. Philip-
„pum Regis Polonici Sigismundi præceptorem c) vocavit Lætus Callima-
„chum, propter felicitatem in Elegia ſcribenda. Quanquam videbatur ar-
„rogantius: Tamen ille amans præceptoris nomen poſtea Callimachum ſe in
„publicis ſcriptis nominavit. Cum in Italia eſſet Reuchlinus & ſonus no-
„minis peregrinus offenderet eruditorum aures, Hermolaus Barbarus juſ-
„ſit eum ferre nomen Capnionis. d) Tanti viri auctoritatem libenter eſt ſe-
„cutus Capnio. e) Nec tamen majores ſuos aſpernatus eſt, ſed eos etiam
in

a) *Octavii* quippe a patre Senatore quod acceperat nomen priſcum in *Octaviani Auguſti* novum converterat.

b) Ab *Ariſtotele* enim ſic dictus eſt, *Tyrtami* antea nomine uſus.

c) *Florentinum* patria, qui, poſtquam a *Paullo* II. P. R. in carcerem conjectus & miſere excruciatus fuerat, in *Poloniam* abiit, atque Ao 1496. al. 1492. iſtic d 26. Oct. ex hac vita exceſſit, integro alias nomine *Philippus Callimachus Experiens de San-Geminiano* dictus.

d) Non tamen in Germania ſcriptisque impreſſis & Epiſtolis eo novo, ſed gentilitio uti conſuevit: quod monumenta, quæ ſuperant, oſtendunt.

e) Huc quodammodo referre etiam licet *Hermanni Buſchii*, litteratoris illius ſub initium ſec. XVI. clariſſimi, cujus vitæ luculentam deſcriptionem Celeb. *Burckbardo* debemus, cognomentum; quo *Paſiphilum* pro *Weſtphalo* eum fuiſſe inter *Italos* appellatum referunt, hæc certe ſententia fuit & ingenioſa conjectura viri doctiſſimi,

in ſcriptis cum illuſtri pietatis ſignificatione celebrat. Non opinor, tales" viros omnes ſceleris damnari propter novatas appellationes. Quare ex-" empla eorum mihi quoque patrocinari velim. Illud minus movet me," quod aliqui diſputant, mutatione nominis contumelia affici majores. As-" ſentior, ſi quis famoſum nomen uſurparet, ut ſi Valla ſe vocaret Zoilum." Sed uſitatum eſt in nominibus amare boni ominis appellationes, has nemo" judicat familiis contumelioſas eſſe. Nec Scipio Africanus, nec Auguſtus," ſenſerunt majoribus ſuis probroſas eſſe has novas appellationes. Arrogan-" tiæ autem ſuſpicionem facile purgaturum me vobis ſpero. Nam multi" Æmilii diſſimiles fuerunt, & ſunt in Italia hodie quoque hoc nomine litte-" rati: Ridiculum fuerit ſuſpicari, a) *me eo ſcripſiſſe Æmilii nomen, quia" me Paulli Æmilii ſimilem perhiberi velim. Qua in re? Ille enim bellator" fuit; ego aliud artificium ſequor. Nam ut ille ait: Muſas nos colimus" minus ſeveriores, cum bello nihil eſt nobis negotii. Si me Callimachum" vocarem, ut ille, cujus ſupra feci mentionem, homines moroſi citius arro-" gantiam interpretari poſſent. Sed quorſum opus eſt in re leviſſima, tam" longa apologia? Æquum eſt, de meo ingenio, de mea voluntate, de ſtu-" diis, de moribus conjecturam facere ex aliis ſignis magis perſpicuis, vide-" licet ex teſtimoniis doctorum & bonorum virorum, quibus ingenium meum" longa jam conſvetudine perſpectum eſt. Tum, ſi oratio eſt animi chara-" cter, etiam mea ſcripta ſignificationem habent modeſtiæ & candoris. Re-" ſcripſi tamen longius, partim ut Tibi morem gererem, partim ut iſtic mihi" rurſus aliquos placatiores redderem. Dicam enim vere, quod ſentio:" valde valde perculit animum meum illa de me fabula. Cum enim ſpera-" rem, me quadam & diligentia & dexteritate benevolentiam amicorum" iſthic confirmaturum eſſe: vehementer doleo, me hac ſpe fruſtratum eſſe." Et quanquam illorum moroſitas non prorſus me ab his ſtudiis deterret;" Tamen hæc mihi ſvaviora eſſent, ſi mihi non parerent odium. Interdum" etiam metuo, ne Te quoque aliorum judicia a me alienent. Quanto ho-" neſtius*

ſim, qui recenſionem *Comment.* iſtius *Burckhardiani* in A. E. L. A. 1720. adornavit f. 480. Quæ cum hactenus bene ſe habeat, ita nobis, perinde ut *Reuchlinus*, in externorum gratiam ipſummet hoc nomen patriæ accommodatum, ſibi confictum, adoptaſſe Librisque (cum alioqui *Monaſterienſis* dici conſveverit) præſcripſiſſe probabilius eſt. Eamque opinionem aliquo modo confirmat, quod in Carminibus quoque *Weſtiphalum* ſe vocare conſvevit.

a) Æquiores hæ fuerunt, ſi quæ revera ortæ ſunt, ſuſpiciones, quam quas animo concepit *Paullus II.* P. R. a quo *Callimachum* iſtum, in hac Epiſtola aliquoties commemoratum, *Pomponium* item *Lætum*, *Platinam* denique ipſum, & *Campanum*, litteratorem clariſſimum, in ſuſpicionem clandeſtinæ conjurationis per iſtam nominum immutationem vocatos eſſe, a P. *Jovio* & Octav. *Ferrario*, aliisque pluribus memoriæ proditum eſt.

„*nestius facerent illi Aristarchi, quicunque sunt, si suum judicium de stu-*
„*diis meis mihi ipsi amanter significarent, aut certe Tibi & monerent, quis*
„*cursus mihi tenendus esset. Tum, si quid de ingenio meo spei esset, Te hor-*
„*tarentur, ut ineptias meas ætati meæ condonares, meque in viam revo-*
„*cares, & studia mea liberalitate tua juvares. Nam polliceor Tibi, me in*
„*omni vita in tua potestate futurum esse, nec mihi quicquam magis in vo-*
„*tis est, quam ut hoc assequar, ut mea studia & mei mores Tibi, & cæteris*
„*propinquis, ac præcipue Viro prudentissimo D. Johanni Reineck, quam*
„*optime probentur. Hæc respondi iis, qui quodam gravitatis prætextu*
„*reprehendunt meum nomen. Nam eorum nomina non novi. Aliis au-*
„*tem, qui scurriliter & animi morbo me derident, respondere nihil opus*
„*est. Significant enim vel petulantiam ingenii sui, vel malevolentiam,*
„*talibus scommatis veneno tinctis Nunquam enim defuerunt bonis &*
„*studiosis obtrectatores, ac ne summis quidem ingeniis, ut Homero & Ver-*
„*gilio pepercerunt invidi: quanto minus nobis inferioribus. Quare hanc*
„*communem fortunam æquo animo mihi quoque ferendam esse putabo.*
„*Bene vale.* A. 36.

„*Philippus Melanchthon præscribebat*
„*Georgio Æmilio.* a)

§. IV.

Ignosces B.L. si verbosiori hac Epistola exscripta te morati sumus, atque fastidium, inter legendum forte conceptum, vel sola hac observatione deterges, quod ex ea addiscere jam poteris quamobrem, & quibus circumstantiis locum habentibus nominum mutationes b) honestæ sint, aut saltem tolerabiles. c) Quodsi vero *technis* & *dolis struendis* eæ

a) Hiccine G. *Æmilius* sive *Ohmlerus* an alius fuerit, quem Antistitis Sacrorum *Stolbergensis* officio deinceps perfunctum esse testatur Dn. *Kindervatter* in *Nordhusa illustri* f. 237. ejusque patrem *Nicolaum* ait fuisse, qui *Lutherum* puerum in scholam ulnis exceptum portarit, judicent alii.

b) Olim videlicet ex renascentis Latinitatis & Græcitatis studio, vel h. m. demonstrando, tum in exterorum gratiam, sæpe etiam ex solo more & usu, nimioque profanæ antiquitatis amore ortæ & creberrimæ, id genus mutationes in nominibus excusationem habebant; Sed postquam aliud tempus alios mores postulare cœperat, aliter etiam de illis sentiendum erat. Sane, quæ hodie suscipiuntur, & rariores sunt & in vitio magis, aut facilius certe poni solent, nisi obscœnitas forte aut aliæ caussæ hujusmodi quid imperent.

c) Quo referendæ etiam sunt eæ nominum mutationes, si quando, ut latitarent persecutionibus obnoxii, aliud sibi cognomentum quidam leguntur excogitasse, v. g. *Francisc. Lambertus* e Gallia profugus, *Joh. Serrani* tegumentum adsciscens ad tempus, itemque *Joh. Brentius*, sub *Huldrici Engsteri* larva in turbis interimisticis aliquandiu delitescens, & quæ sunt alia alibi annotata.

eæ ſint comparatæ, aut *aliis invitis* ſuſceptæ; non dixerim laudabiles, ſed ne quidem excuſabiles videri ipſimet *Philippo*, qui non obſcure itidem eas condemnat, & inter impoſtorum inſtrumenta nefaria connumerat. *Qualia* cum etiam fuerint *novorum Socinianorum* conſilia, & nominum iſtorum mirabilem ignotamque ſpeciem, ad fucum faciendum atque lectoribus imperitisque rerum a) imponendum, compoſitam eſſe ipſimet, inter ſe familiariter confabulati, haud ſint diffesſi, proclive eſt judicare, in quem cenſum referri hoc genus fraudis debeat. Sed de generali appellationis κρύψει, opere tenebrarum & lucifugarum latibulo, plus ſatis dictum eſt. Neque enim eſt, quod in Celebr. *Molleri* narratione, quantum ad hoc, deſideremus, niſi illud fortasſis annotandum videatur: utrumque horum, PEVSCHELIVM atque VOGELIVM, quorum meminit, Studioſorum, non tam in Academia *Altorphina*, quam *Jenenſi*, atque *Wittebergenſi* ea occulta ſcribendi ratione, ſi non primo omnium, certe frequentius, uti cœpiſſe; priora certe his temporibus veſtigia, etiam in *Ruari* ipſius litteris illuc misſis haud animadverti poſſe, fatendum eſt. Vnde etiam ad paucisſimas & fere nonniſi duas in iſtoc faſciculo litteras illuſtrandas, b) ſecus, quam exiſtimat *Mollerus*, nonnihil facere poterunt. Ex eo vero tempore, quo pervicacius jam propagandis erroribus in animum ſuum altius demisſis operam navare inceperant hi complices, non modo obſervatum eſt, vocabulis hiſce confictis ſæpenumero datum fuiſſe locum, verum etiam *numerorum ſignis ſeu ziffris*, ut vocant, exaratam Epiſtolam quandam repertam eſſe legimus. Cujusmodi *ſteganographia* inprimis *Lonicerum Carmum* c) interdum d) animadvertimus fuiſſe delectatum; nominatim vero in ea Epiſtola, quam latina lingua, intermixtis id genus ſignis, præter nomina cryptica, permultis, ad *Peuſchelium* A. 1615. d. 24. Sextilis *Jenam* dedit. e) Quo tempore nimirum, quid rerum in patria ageretur, plurimum referebat, clam aliis, *Peuſchelium* reſcire. Vtcunque vero hæc ſint quæ ſupplementi loco eſſe poterunt ad Præfationem *Molleri* adjicienda; Illud tamen concoquere non potuimus, quod

X 3 Cl. Vir,

a) Præſertim domi & aliis patronis quoque optimis: quos ſtudioſe & tam petulanter circumvenire, fuco hunc in modum facto, nefas erat.

b) Vid. not. (b) §. II.

c) Quis autem fuerit hac qui larva voluit obtectus latere, vid. hoc Cap. lit. M.

d) Sed rarisſime: Neque enim, præter memoratam, memini alius unquam mentionem occurriſſe ſpeciminis, ad eum modum conſcripti.

e) Et hæc Epiſtola inter *Peuſchelianas* reculas reperta, ubi lateat, me fugit. *Excerpta* Cap. III. exhibebimus; quæ, dum integrarum nobis copia fiat, ſufficere poterunt.

Cl. Vir, non solum a *Sonero*, sed *aliis quoque* ejusdem Academiæ *Docto-ribus*, male persvasos illos juvenes, *Socini* partes sectatos esse, nimis confidenter asserit. Magnopere enim in eo fallitur Vir doctissimus, & nunquam compertum est, a) quenquam Doctorum h. e. *Professorum* Academiæ *Altorphinæ*, (ita certe Doctoris alias notio accipitur) præter *Sonerum*, pestilente istac lue animarum fuisse affectum, & quibus suspicio jam olim eam infamiam affricare non verecundata est, hos ipsum quoque *Ruarum* supra b) percepimus, ab hac macula purgasse. Vnde neque in ipsius Catalogi excusfione uberiori, si qua dabitur occasio, depellendis ejusmodi injuriis nos defuturos spondemus. In præsens sufficere poterit, doctissimum *Möllerum* vulgari rumore fortassis deceptum, id affirmasse, plane nobis verisimile videri, aut, si qua caussa, ut revera ita sentiret, eum movere potuit, hinc certe errorem deduci posse, quod, cum *Professorum* quorundam *Altorphinorum*, v. gr. *Cobii* & *Frauenburgeri* nomina in istoc Elencho contineri animadverteret, hos inter *Doctores* nefarii dogmatis referendos existimarit; quos tamen ea tempestate, qua machinationes illæ *Crypto-Socinianorum* per clandestinos cuniculos actæ sunt, *Studiosorum* ordini adhuc adscriptos, atque inter male *edoctos* potius quam *Doctores* hæreseos, connumeratos fuisse, vel ex *Frehero*, unde reliqua, quæ addidit, maximam partem cognita habuit, intelligere poterat. Quamvis enim in horum aliorumque Vitæ compendiis de *Socinianis* istis corruptelis nihil omnino, & ne verbo quidem meminerit idem *Freherus*; c) attamen temporum rationes si recte subduxeris, perfacile, ea quæ istic habentur & quæ heic observanda esse monuimus, edocebunt. Quibus præmissis jam nihil d) restat, quam ut ad ipsum hunc Indicem κατὰ πόδα pervestigandum nos accingamus.

§. V.

In hoc autem instituto ita versabimur, ut nomina eorum, qui *complices* hæreseos promovendæ, aut ad tempus certe comprobandæ, fuerant

a) Quæ ex superiori Cap. I. ejusdemque §. 26. sqq. repetenda sunt, atque inde lucem etiam majorem fœnerabuntur.

b) Cap. I. §. 25.

c) Vel ignorans ea, quæ & in patria plerisque adhuc ignota fuere, qui post id tempus vixere, vel intempestiva, ne quem offenderet, formidine, ut parcior in hisce esset, adductus.

d) Quo sensu enim ad palinodiam sint nonnulli *adacti* (hæc vox namque ambigua est) extremo Cap. III. ostendemus; jam vero incommodum valde id verbum esse, nec mutationi sequutæ describendæ conveniens, tribus verbis monemus.

fuerant indubitati, litteris majoribus, quas *Unciales* vocant, ſimus notaturi. Suſpectos autem & injuſte accuſatos, itemque urbium quædam nomina, & ipſos denique adverſarios eo typorum genere, quod *Curſivum* vulgo appellant, ſubindicare animus eſt. Ut vel ex primo obtutu, quid de ſingulis habendum ſit, *Lector Benevolus* perſpicere queat.

Litera A.

Pancomium ſeu *Altorphium* primo ſtatim loco occurrit, quod ſæpisſime omnium in litteris ultro citroque misſis nominatum fuiſſe, tectumque adeo, ac certo involucro pronunciandum illis viſum eſſe, quis dubitet? Ejus enim mentionem frequentiorem, cum origo hæreſeos, illic, quantum licuit, quodammodo poſt *Polonicos* ſucceſſus & ſparſa in *Batavis* ſemina, plantatæ, &, ſi qua fieri poſſet, conſervandæ atque amplificandæ poſtulabat, tum fratrum quos hinc aliorſum digreſſa capita iſtic reliquerant, ſolers cura. Quos idcirco *Amicos* etiam *Fratresque Pancomienſes Ruarus* interdum conſveverat appellare. a) Neque vero dubium eſt, *Pancomii* Græcam itidem formationem præferre ſodales maluiſſe, quam receptam dudum *Palecomes* notionem uſurpare; quandoquidem ſub illa *minus trita* tutius videbantur latitare myſteria poſſe, quam ſub altera admodum jam pervulgata & omnibus familiari. Cui conſilio ulterius accedebat antiqua quorundam, b) & olim quoque tritior ſcriptio nominis hujus oppidi, quod *Altorphium* potius, quam *Altdorffium* videas a plerisque dictum; etſi poſthac prior illa, rectiorque ſine dubio forma, plane in desſvetudinem abierit. c) Plura non addimus. De *Badenſibus*, ſeu *Anabaptiſtis* hac appellatione nova inſignitis, quæ annotemus ſimiliter paucula ſuccurrunt. *Badenſes* enim hos ideo cognominatos eſſe, omnes, puto, intelligent, quia prima-

a) Vid. Cent. II. Epiſt. n. IX. ab initio. Eam vero nomenclaturam cur alteri magis tritæ, qua *Palecome* jam dici cœpit hæc Academia, præferendam cenſuerint, non aliam ob cauſſam factum ſuſpicamur, quam ut ſecurius ſub involucro minus uſitato deliteſcere poſſent.

b) Præſtantisſimorum hujus Academiæ litteratorum, v. g. *Rittershuſii*, *Scipionis Gentilis*, & reliquorum, qui ſub finem Sec. XVI. & XVII. exordium floruerunt, pæne omnium, hanc conſvetudinem fuiſſe lucubrationes eorum cunctæ & Epiſtolæ condocent.

c) De ipſius vero urbis hujus & Academiæ natalibus quædam addere ſuperſedemus: quoniam ex profeſſo poſt MStam ſed imperfectam oppido opellam, alias in his locis circumgeſtatam, B. *Wurffbainii*, plenius & accuratius cuncta expoſuit Celeberrimus Vir, & multis modis nobis ſuſpiciendus, Collega, Medicus, D. *Joh. Jac. Bajerus*, uti ſupra Cap. I. jam obſervatum eſſe meminimus.

primarium eorum errorem de *Pædobaptiſmo* rejiciendo, ſacroque initiationis in adulta ætate obeundo, cum *Paulli* verbis, cui Baptiſmus λυτρὸν τῆς παλιγγενεσίας audit, contendunt. a) De *Socinianorum* vero cum iisdem conſenſione hoc minus dubitandum eſt, quo clarius tum in ipſa Catecheſi b) ad infantes eum ritum *nullo pacto* pertinere, reſpondent, & quidem iisdem rationibus, ut perhibent, quibus & *Anabaptiſtæ* utuntur, adducti: tum vero etiam, quo ſtudioſius capita doctrinæ præter alia quoque nonnulla ab iſtis oppugnata, pleraque, quæ ad hunc locum pertinent & ipſi, utut diverſimode, vocant in dubium, ſanctisſimique illius lavacri virtutem & necesſitatem inprimis enervant; Denique ipſi etiam ordinarie adulti eundem demum ſuſcipiunt, aut profeſſionis doctrinæ gratia, repetunt. Quam etiam ob rem plerique celebratiſſimorum *Socini* aſſeclarum in *Polonia* atque *Tranſylvania* ſub exordium ſuperioris ſeculi viventium, de novo hoc Baptiſmi lavacro (quod quidem de *Oſtorodo* nominatim infra commemorabimus, ſeſe tingi, immo intingi c) & ablui paſſi ſunt: tametſi in tenera infantia apud noſtros eodem jam fuiſſent abluti. Id enim per ætatis tenerioris rationes nullius uſus, atque inanem proinde actionem exiſtimabant habendam eſſe. Lectu tamen in hanc rem digniſſima eſt *Fr. Socini* ipſius Epiſtola ad *H. Moſcorovium* perſcripta, quæ ſine die & conſule in *Biblioth. Frr. Polonorum* ſupereſt. d) In ea *Moſcorovium* tergiverſantem aliquatenus ad aquæ baptiſmum pro temporum rationibus ſuſcipiendum ſtudioſe cohortatur, & inter alia: *Certum eſt*, inquit, *te tuique ſimiles*, *qui* videlicet alioqui *Eccleſiæ noſtræ doctrinam approbatis*, *eamque in hoc regno omnibus anteponitis*, *nihilominus tamen* (utut indifferens alioquin ſit ritus; quo de ex mente ſua ante diſſeruerat,) *aquæ baptiſmum accipere debere; Immo, ſi id non fecerit, menſæ Domini, ubi mortis Chriſti commemoratio & concelebratio cum ſolenni gratiarum*

a) Quæ communis etiam eſt omnibus, cum magnopere alias differant ſententiis: A qua in Belgio quoque vulgo *das Tauffgeſind* audiunt.

b) Cap. IV. Quæſt. 2.

c) Dedita opera hac voce, *Tertulliano* ea ſententia cum primis frequentata, utimur, ut *immerſione* totius corporis, ſi quis *Baptiſmum* aquæ, *ſolennioris profeſſionis gratia*, ſuſcipere velit, *Socinianos*, perfungi quemque oportere, innueremus docere; quem in finem ſuas quoque eos in *Polonia* habuiſſe κολυμβήθρας, ut veteres appellabant, ſeu baptiſteria, aquis, quantum ſatis erat, rudi tamen opera, repleta, vel ex Cl. *Lauterbachii* narratione conſtat; qui haud procul *Smigla* foveam hujusmodi eum in finem excavatam repertam fuiſſe, ſibique ipſi, niſi fallor, viſam eſſe in *Vita Val. Herbergeri* memoriæ prodidit.

d) Tom. I. Opp. Socin. f. 458. ſq.

tiarum actione sit, participem non esse posse, addit. Quando tamen in his iisdem litteris, se baptismum illum repetitum inter suos nunquam admisisse, *Socinus* palam fatetur, multis cur mirarentur, occasionem dedit. Sed magis mirum est, quas rationes pro excusatione sua & propositi hujus constanter adhuc observati confirmatione subjiciat. a) A se enim illud factum esse & adhuc fieri, ait, *ut suo exemplo indifferentiam istius cerimoniæ tanto efficacius ostendat.* Deinde *futurum alias* metuit, *si secus ageret, facile alios, secum cæteroquin sentientes, in animum inducturos Anabaptismum necessarium esse, atque ita in summa pericula eosdem, hoc si exequantur alibi, sine caussa* b) *conjectum iri.* Quibus addit, ideo quoque abstinere sibi ab hoc ritu adhuc placuisse, *ne, qui discriminis evitandi gratia eum intermittunt, & tamen ex præcepta opinione de illius necessitate persvasi sint, contra conscientiam, erroneam licet, peccent, a quo errore suo istoc exemplo, atque sic etiam a periculo animæ liberari queant.* Tandem vero etiam, *eo se spectare*, inquit, quod notatu omnium dignissimum est, quia idem se etiam *optare* ait, *ut Ecclesiæ* (nostræ) *Antitrinitariorum hoc jugum fratribus, ad ipsos accedentibus*, (quod multos forte absterrere noverat) *imponere aliquando plane desvescant.* Atque hinc fortassis ratio reddi potest, quare nemo nostrorum novorum *Socinianorum*, in Germania sub initium Sec. XVII. in qualemcunque sodalitatem collectorum, & ne ipse quidem *Ruarus* legatur iterum baptismo inauguratus. Quorum tamen nemo quidquam eorum, quod ad arctiorem cum societate ista conjunctionem pertineret, alioquin detrectavit. Et quamvis cæteros formidinem periculorum inde revocasse dixeris, de *Ruaro* tamen id haud temere suspicari necesse est. Vtpote qui, postquam diu tergiversatus erat, tandem pleno animi proposito *Socinismum* etiam palam professus, nunquam legitur hoc solemni ritu initiatus. Etenim, ut pericula sileamus, itemque tyrocinia plerorumque vix posita, quod curavit optavitque *Socinus* fieri, jam tum videtur cœpisse effectum dari, h. e. repetitio baptismi & solennis, eo interveniente, professio hæreseos participatæ, plane ex hoc tempore cœpit omitti. Ita ut, quemadmodum caussæ videbantur esse prægnantes, olim, *Moscorovio* huic cœtui sese jungente, intimioris conjunctionis gratia, eo

a) Alia ratio, quare baptizatus non fuerit, adducitur in *Georgii Schomanni* testamento, *Bibl. Vnit. Sandii* subtexto f. 196. init.

b) Invidiæ ergo declinandæ caussa inter alia id factum esse, hinc apparet; quam, uti alias, ita præcipue in *Germania* metuebant, publica lege *Anabaptistas* exesse jubente &c.

eo iterato defungendi: ſic prægnantiores jam in locis, præſertim libertate publice hæreſin profitendi deſtitutis, potiſſimum, (qualis erat noſtræ Germaniæ inprimis conditio,) eum intermittendi, ad votum nutumque communis præceptoris, prævalere crederentur. Eademque, ut conjicimus, cauſſa eſt, quod, cum evileſceret Sacramenti uſus, deinceps inde a *Socini* morte magis magisque etiam de tota hac ſacroſancta initiatione vilius ac tenuius & ſenſerint & loquuti ſint diſcipuli. Quorum nonnulli adeo impudenti ore de myſterio ſacratiſſimo leguntur loquuti, ut pro re *nullius pretii* cerimonia *puerili*, &, qui modeſtiſſime omnium judicaſſe videri volunt, pro *inutili ritu*, venditarint. a) Ipſe vero *F. Socinus* in ſuo, quem conſcripſit, *de Baptiſmo aquæ externo Libro*, præfixaque eidem *Præfatione* demirari auſus eſt, quod propter hanc diſcrepantiam, *leviculam* ſeu *indifferentem*, ut alibi vocat, nonnullis *Anabaptiſtarum* nomen inditum fuerit: nec obſcure contumelioſe ita appellari eos cenſet, & totam denique controverſiam altercationibus, quibus Eccleſia fœdiſſime laceretur, connumerat. b) Neque vero in hac duntaxat parte pollicem illis premunt, ſed etiam, quæ de *magiſtratu* civili, *bello* aliisque in republica Chriſtiana haud gerendis perperam docentur, ab utraque parte fere communia ſunt plerisque, & *Socini* ejusdem *Libris* adverſus *Jac. Palæologum* ſcriptis copioſe c) diſcuſſa habentur. Vt non

a) Priores videlicet nondum defœcati ſeu rudiores; cujusmodi fuere *Petrus Goneſius, Georg. Schomannus, Joh. Caper, Wolffgang Slichting, Joh. Securinius, Mart. Czechovicius*, & horum ſimiles longe plurimi: In quibus tamen etiam nonnulli adultorum baptiſmum utcunque tolerarunt; alii vero, nominatim *Schomannus*, etiam adulti & ætate jam virili, eum denuo & ipſi recepere.

b) Vid. *Bibl. Frr. Polon.* T. I. f. 709. ſeq. Addatur *Epiſt. ad Radec.* II. f. 384. it. 429. ſqq. & ad *Moſcorov.* Epiſtola citata omnium compendioſiſſima. Conf. & modeſtiſſimus cæteroquin *Jonas Schlichtingius* contra *Meisnerum* Artic. de Baptiſmo. Vbi tamen parum abeſt, quin noſtros in doctrina de *Pædobaptiſmo* inſanire f. 832. affirmet. Non certe veritus eſt *J. L. VVolzogenius* in Comm. ad Matth. XXVIII, 19. eandem *rem nullius momenti* appellare. Vnde, quo in pretio apud illos ſit, ſatis manifeſtum eſt, licet adminiſtrari infantibus, ut ritum, de reliquo *inanem* ſcil. patiantur, &, quantumvis *gravem errorem* putent eſſe, hactenus tamen, quæ *Schlichtingii* l. c. verba ſunt, *communis concordiæ cauſſa ſe ferre paratos eſſe*, declarent. Adde pluribus hac de lite, eum fere in modum, uti *Schlichtingius* l. c. ſentit, compoſita, differentem *Lubienicium* Hiſt. Ref. Polon. L. III. c. III. f. 189. ſq. & *Schlichtingii* amplius *Apologiam pro veritate accuſata*, Ordd. Præpot. Holland. & Weſtfriſ. A. 1654. traditam, conſule: Vbi f. 28. ſq. *eo rite ſuſcepto initiari nos Chriſto, ablui peccata præterita, profeſſionem fieri moriendi cum Chriſto, & ad vitam novam reſurgendi* &c. neſcio an candide ſatis, inquit.

c) De *bello & magiſtratu* gerendo, ſuppliciis-

non immerito *Socinianum indoctum Anabaptistam; Anabaptistam vero eruditum* (cujusmodi viri & a cæteris erroribus *Socini* raro abhorrent) *Socinianum dici posse*, jamdudum observatum sit. a) Cæterum, quam solicite eorum consvetudinem etiam *Ruarus* quæsiverit, ex epistola ejus ad *Peuschelium* exarata videre est; b) Vbi & bis ficto hoc *Badensium* nomine leguntur appellati, & Libris quoque *Socinianorum* delectatos ex eorum numero, qui Baptismum infantum negarent, aliquos, *Argentorati* repertos, vixisse, a *Ruaro* autem pluribus adhuc instructos esse, fuse enarratur. Quam tenero vero affectu *Smalcius* eorum causam egerit, ex verbis W. *Franzio* nostro oppositis perspici potest; Huic enim, cum is inter *superstitiosos idololatricos* & *blasphemos* eos numerasset, respondit: c) *Audiamus, quas superstitiones ad cultum Dei verum pertinentes aut blasphemias (nam de idololatria quid opus est dicere?) teneant Anabaptistæ, qualescunque tandem sint, Franzius vero discat parcius ista viris probis objicere, & falsa adversus proximum dicere metuat, qui aliis ad pietatem ineundam autor & dux esse debet.* Satis hæc ad amorem declarandum esse queunt. Quæ reliqua sunt ad *Mennonitarum* mentionem sub elemento M. injiciendam differre consultius visum est. Nunc

§. VI.

Arminii, *Jacobi* illius Veteraquinatis d) & Remonstrantium primi in

pliciisque capitalibus a maleficis sumendis ac privata denique defensione notæ sunt ipsorum *Socinianorum* dissensiones, repudiantium videlicet hæcce omnia, inprimis *J. L. Wolzogenii* & D. *Zwikeri*, uti ante hos *Gregorii Paulli*, & ex adverso *Jonæ Slichtingii* atque *Sam. Przypcovii* approbantium; quorum scripta amœbæa prostant publice, & partim in *Bibl Fratr.* Polonorum, partim seorsim excusa habentur. Alios enim, qui non ex professo his de rebus disputarunt, jam recensere nihil attinet. Quam subdole vero & ambigue eas quæstiones tractet *Catechismus Racov.* ex Cap. *de Præceptis Christi* Quæst. X. atque aliunde constat. Cujusmodi fere & illa sunt, quæ in allegato contra *Jac. Palæologum Libro*, more Scepticorum, in negantem tamen sententiam magis propendens, disputavit copiose ipse *Socinus*.

a) Ita profecto non sine fundamento judicavit *Hoornbekius Summ. Controv.* L. V. *de Anabaptist.* f. m. 371. nec *Vujeckus* Socinianos *Sarmaticos Anabaptistas* appellare dubitavit. Quemadmodum neque deinceps in *Belgio* defuere, qui eos, præsertim quos *Vlamicos* (*de Vlaamsche Doopsgesinde*) appellant, eorumque primarium doctorem *Galenum Abrahamidem* publice collusionis cum *Socinianis* reos egere, & vel solius *Theodori van der Meer Het Gekray van een Sociniaansche Haan, onder Doopgesinde Vederen*, 1663. Amsterd. 12. editus libellus id demonstrat. Commixtos certe cum his *Socini* in *Batavis* asseclas vixisse, & adhuc istic delitescere, nemo ignorat.

b) Cent. II. Epist. IX. f. 63.

c) In Refutat. Thesium *Franzii* P. I. Disp. VIII. f. 273.

d) Viri, in quo eruditio & dicendi peritia cum modestia insigni certabant, omnique

mi in Lugd. Batav. Acad., ſi temporis & doctrinæ, non nominis, habeas rationem, Doctoris ſubjungemus nomen, ea tempeſtate cumprimis celebre; cujus novam *Talæi* nomenclaturam, niſi ob *ærumnas* a) aut *labores*, quos ſuſtinuerat vir doctiſſimus, vel ob auſus inſigniores, contra duriorem, ſed inter ſuos, de abſoluto præſertim decreto & gratia atque redemtione Chriſti particulari, receptisſimam ſententiam ita dictus ſit, obſcuriuſculam eſſe fatemur. At ſi ſectatorum *Arminianorum* cognomentum illico additum animo expendamus,quo *Proteſtantes* eos nuncupare conſveverunt, poſteriori, de novationis prægrandis & ſimul periculoſæ auſu magis aſſentimur conjecturæ. Quod enim ille inopinato a cæteris *Calvini* aſſeclis, de cauſſis Electionis, diſceſſu] apertoque diſſenſu ſingulari fato & in alia omnia, (*Bertio* hæc narrante,) iturus, exorſus erat, id magna animi præſentia & fortitudine, diſcipuli, *Epiſcopio* aliisque anteſignanis & *Remonſtrando*, & poſt collationes quasdam Synodumque *Dordracenam*, contra duritiem adverſariorum iniquam identidem proteſtando, tandem perfecerunt. Quæ cum in *Belgio* ſub id tempus, quo hæc *AltorphI* & alibi in Germania actitata ſunt, increbeſcerent lites, b) & multa cum invidia motæ controverſiæ; quid mirum, ſi in litteris frequens quoque inter *novos* hos *Socinianos* æque ac vetuſtos, earum occurreret, tectis nominibus nec rara memoria. Quandoquidem eo comparata credebantur iſthæc certamina, ut, ſi non ipſe *Sociniſmus* magis promoveretur, certe incruſtatus pingeretur, & extenuato diſſenſionis momento ex obliquo quaſi ſtrata via, in Eccleſia hinc inde ſe diffundendi, eidem parari poſſet. c) Atque hæc quidem etiam cauſſa erat, præter

que hinc laude, qua mactatus eſt a *P. Bertio* in Orat. Opp. præpoſita, & *Caſp. Brantio* in Vita, haud ita pridem prælo iterum ſubjecta notisque colluſtrata, dignisſimi; ita tamen laudati, ut non defuerint, qui niſi & ipſi affectui aliquid dederint, ſiniſtro plus juſto amori a diſcipulis indultum fuiſſe, atque quædam de ejus in aliis Academiis æſtimatione nimis magnifice aſſerta exiſtimarint: Cujusmodi ex *J. G. Grynæi* Disſert. MSta annotavit in Catalect. Philog. Theol. n. 78. f. 78. pronepos *Buxtorffius*.

a) Reſpiciendo ſimul ad nominis Germ. *Arm*, miſer, egenus, notionem; cui Græca vox *τάλας* & *ταλαὸς* reſpondet.

b) *AltorphI* autem multo accuratius cognitæ erant, quia ſub id tempus celeberrimi illius Remonſtrantium patroni *Olden Barneveldii* filii *Reginaldus* & *Guilielmus*, cum ſtudiorum ſuorum præfecto & gubernatore *Jo. Meurſio* in hac Academia litteris melioribus operam dabant; a quibus, quantumvis *non bonæ frugis* fuiſſe, teſtetur *Ruarus* in Epp. Cent. I. f. 61. nova tamen illa huc perferebantur, & avide a fautoribus hiſce novis excipiebantur.

c) Qua de cauſſa etiam *Ruarus*, quum de illis loquutus eſt, elogio *Optimorum Noſtrorum Remonſtrantium* eos mactavit, eoque amicisſimo encomio *Cent. II. Epiſt.* num.

præter Libros *Arminii* & fectatorum, e *Belgio* recens allatos commendatosque, cur nominis mutandi cura *Socinianos* hos νεοφύτȢς folicitarit. Commercia enim litterarum ante, quam *Ruarus* in *Belgium* proficifceretur, cum iisdem inftituta, vel omnino nulla fuiffe, vel certe admodum rara, exinde efficere poffumus: quod in grandi illo fafce litterarum, a *Remonftrantibus* ultro citroque miffarum & aliunde acceptarum, qui typis proftat, femel iterumque ac tertium evulgatus, atque præter *Hartfœkerum*, *Ph. Limborchii* maxime induftria locupletatus, ne unius quidem, ex illa focietate *Altorphina*, Epiftolam, immo neque nomen etiam commemorari videas. a) Quæ fane res luculentum indicium præbet, neque a *Sonero* ipfo, neque difcipulis etiam ipfius (quibus, cur editores parcerent, cauffæ nihil fuit) cum *Remonftrantibus* quidquam hucusque confvetudinis fuiffe: præterquam librorum ufum, in quorundam etiam fcriniis magna copia repertorum, & fatorum infuper æqualium opinionem. *Simonis* de reliquo *Epifcopii* b) & *Conr. Vorftii* famam atque lucubrationes primas in his tenuiffe, valde probabile eft: de quibus feparatim deinceps nonnulla commentabimur. Tantum erat, quod ad elementum A. vifum eft annotare. *Supplementi* in modum accedere ad hæc poteft novum *Argentorati* cognomentum, c) eadem occafione efformatum, cui *Ruarus*, iftic aliquandiu, in annum videlicet M DCXVI. commoratus, anfam dedit, & haud dubie ipfemet, tanquam novæ focietatis Coryphæus, excogitavit, ut tanto tutius fub eo delitefcere poffet. *Plateas* fcil. d) vocare placuit civitatem inclytam, vetufto nomine oppidi, ex *Paufaniæ* victoria, a *Perfis* reportata, nobilitati ad Germanicum *Straßburg* accommodato. De ufu ejusdem l. c. dubitare nos neutiquam patitur; utrum vero & reliqui præeuntem imitati fint, quia exempla defunt, nondum liquet. Cæterum, quod ad *Ruari* in

 laudata

num. XXIII. fol. 167. *fin. fqq.* infignivit: Vt alia amicitiæ & applaufus documenta, quorum haud pauca etiam typis proftant, Epiftolisque a *Socinianis* fcriptis continentur, taceamus. Scripta denique *Remonftrantium* prima noftris quoque *Altorphinis* trita manibus fuiffe & laudata Cap. III. fubinde commemorabitur.

a) Quæ autem Cap. IV. de uno *Peufchelio* iftic obiter reperiri notabimus, ea longe poft facta, & ne quidem in *Belgium* perfcripta, ac proinde alius generis funt, quam quorum in præfens nos cura teneat.

b) Cujus tamen, quod mirum eft, inter Libros, deinceps a *novis Socinianis* traditos, ne unicus quidem comparuit: quanquam etiam paucos adhuc prodiiffe conftet. Sed nec ipfius *Arminii* opufculorum vel unicum eos poffediffe, multo magis miramur.

c) Cujus in *Molleriano* Indice nulla fit mentio.

d) Vid. Cent. II. Ep. IX. p. 65.

laudata Academia moram attinet, itemque deliberata illic perficienda, eventuque propositis non bene respondente, ea omnia partim jam ante a) sunt adducta, partim etiam sequenti Capite III. ulterius exponentur. In præsenti silentio hoc unum præterire non possumus, sub id tempus, quo a *Racoviensibus* fratribus idem ille *Ruarus* consilia atque mandata propagandi *Socinismi* coram acceperat, eoque nomine in *Poloniam* erat profectus, *Valentinum* quoque *Smalcium*, Argentoratensi Senatui *Fausti Socini* posthumos *Commentarios in I. Johannis Epist.* dedicasse, Anno videlicet MDCXIV. d. 20. IXbr. typis *Racoviensibus* exscriptos & publicatos. Quod non alio fine, si quid conjicere licet, factum est, quam ut *Ruaro* eo mox, uti pollicitus fuerat, concessuro, animi quodammodo præpararentur, quibus sua, post sparsum illic *Socini* Librum, venena rectius instillare posset. b) Quanquam enim idem Smalcius etiam *Heidelbergensi* Academiæ *A.* 1609. Kal. VIIbr. ejusdem *Socini Prælectiones Theologicas* inscripserit, totaque *Socinianorum* cohors *Catechesin* suam ipsis *Wittebergensibus* Theologis nuncupare haud sit verecundata; c) circumstantiæ tamen heic tam notabiles non occurrunt, aut certe non tam apertæ animi destinationes obviæ sunt, quam præsentia *Ruari* tum temporis *Racoviensis*, ejusdemque non ita multo post subsequutus ex *Altorphina* in *Argentoratensem* Vniversitatem abitus produnt. Hæc de *Argentoratensis* civitatis novo nomine, quod in onomastico omissum esse non miramur, quia inde fortassis ad alios scribenti id usitatum potius fuerat, quam illuc scripturis. Magis vero nos cœpit admiratio, cur

a) Cap. I. §. XXX. sqq.

b) Quam etiam ob rem illi negotium a *Smalcio* datum erat, ut curaret, Senatui Librum exhiberi. Quo animo vero, & qua benevolentia exceptus sit, Theologique istius Academiæ ex professo Epistola publicata invidiam ab Ecclesia Argentoratensi amoliri laborarint, quibusque etiam fraudibus tota istius Libri in Argentoratensem Rempubl. translatio peracta fuerit, breviter indicavit *Ruarus* in litteris ad Peuschelium Cent. II. n. IX. f. 61. sq. Ipsam vero Epistolam Apologeticam Argentoratensium vid. infra ad *Schmalcii* conamina illustranda adducendam §. 45.

c) Adde *Hieron. Moscorovii* Dedicationem, qua *Mauritio Hassiæ Landgravio* (perinde uti *Vorstius* LL. *de Deo & Attributis divinis*) Disputationem *Socini* de *Statu primi hominis ante lapsum* non sine exquisitis blandimentis, haud dispari consilio, procul dubio, inscripsit Kalend. Martiis A. MDCX. Vid. infra lit. M. Quo etiam scopo h. e. viam hac ratione Socinianorum Libris & hypothesibus disseminandis utcunque recludendi idem *Moscorovius* jam superiori Anno 1609. etiam *Catech. Racoviensis* Latinam e *Polonico* versionem a se adornatam, *Jacobo Angl. R.*, Ecclesiarum suarum nomine consecravit, nec minori assentatione eam commendando, quid animo intenderet, satis dilucide patefecit.

cur *Arianorum* & ipſius *Arii* novam appellationem omiſerint; hos enim frequentiſſime *Martianorum* & *Martii* tecta, atque ex græco Αρης efformata, nomenclatura clanculum deſignatos a ſodalibus hiſce fuiſſe obſervavimus; eaque de cauſſa h. l. arbitrati haud ſumus id ſilendum eſſe, ne quam in ſcriptis hiſce evolvendis remoram peregrina notio injiceret. Plura enim, quæ de illis adjiceremus, quia jam ſatis cognitum eſt, quam ſolicite eam a ſe amoliti ſint hæreſin, a) nec præſto ſunt, neque etiam neceſſaria eſſe arbitramur.

§. VII.

Sed miſſis hiſce ad

Lit. B.

progrediamur. Hic ſimiliter, quod de *Batavis*, *Heſperiis* a climate dictis, vel novo Reipubl. ortu, quod annotemus, nihil ſuccurrit. Neque etiam propter litigia *Remonſtrantium*, nuper admodum illic coorta, factam eſſe ſæpenumero a ſociis mentionem, dubitari poteſt: quæ fata quantopere in oculis tulerint, aliunde cognitum & a nobis jam ante dictum eſt. At de *Comite Bentheimenſi*, per ἀναγράμμα *Fruteſtini* ſeu *Steinfurti Domini* nomen adepto, ſunt, quæ ſilentio involvere non decet. Is enim locus erat, in quo placita ſua, a ſociis confeſſionis longe diverſa, non ſolum primum cœpit eniti, ſed ipſa etiam *Socini* quædam opuſcula b) typis ſubjicere non dubitavit *Conr. Vorſtius*. Atque hinc etiam, quia jam dudum diſſenſiones iſtæ emanarant in vulgus, exiſtimatum eſt a quibusdam, plus æquo, vel diutius tamen, quam par erat, libertatem, conſanguinea quædam *Socinianis* dogmata proponendi & publice docendi, ei fuiſſe indultam. Nec negari poteſt, plurima a Comitibus Illuſtriſſimis, ſeniori præſertim *Arnoldo*, clementiæ in *Vorſtium*

a) Cum tamen pejorem illi reſuſcitatam tuerentur. Conf. inſtar omnium poteſt *Oſtorodi* Inſtit. Germ. antepoſita *Præfatio*. Quo ſenſu vero etiam *Ariani*, populari videlicet, dici poſſint, neque etiam *Tranſylvanos* ab ejus conſenſu abhorruiſſe conſtet, b. W. *Franzius* in Annot. ad Indicem Diſpp. in A. C. attextum lit. T t t t t 2. breviter & ſolide oſtendit, & nos quoque Cap. III. demonſtratum dabimus.

b) Illud certe eſt ſine controverſia, id quod ſub nomine *Dominici Lopez*, de *Auctorit. Script.* dudum extiterat opuſculum cum notis *Vorſtianis*, (ubi porro in Præfamine ad loca ſuſpecta, præſertim de *Moſaico fœdere*, compendioſe exhibita reſponſio *Vorſtii* legi meretur) A. 1611. denuo *Steinfurti* forma 8a prodiiſſe. Cujus tamen, præterquam quod negavit poſtea, *impiam aut hæreticam eſſe doctrinam*, neque tunc *autorem ſe noviſſe*, eundemque etiam a *Baſileenſibus* A. 1592. Gallice, tribus tantum notis leviter caſtigatum, ante ſe prælo eſſe commiſſum, in *Orat. Apologet.* A. 1612. hab. f. 34. & in ipſa *Præfatione* conſtanter *Vorſtius* profeſſus eſt.

ſtium edita documenta extare, a quo præcipuis in Schola & Eccleſia muneribus admotus, & in iſtis conſtanter conſervatus eſt. Non tamen deſunt etiam teſtimonia, unde propter ſingulares opiniones aliquando accuſatum, propemodum omni gratia aulæ excidiſſe elucet. Siquidem in *Epiſtola ad Amicum A.* 1598. *d.* 15. *Martii ſcripta*, poſtquam jam ſuperioribus annis diſputare cœperat, *de Satisfactionis Chriſti* pro nobis ſufficientia & neceſſitate, ipſe conqueritur, *Comitem* alieniorem a ſe factum, & paullo poſt, d. 7. VIIbr. ex aliis quibusdam litteris d. X. Auguſti eum ſcripſiſſe refertur: *Se pacis & concordiæ retinendæ cauſſa promiſiſſe Generoſo Comiti ſuo, ſe libenter illam diſputationem hactenus omiſſurum, quatenus non admodum curioſe inquiſiturus ſit in rationem neceſſitatis Satisfactionis Chriſti &c.* a) Nihilo tamen ſecius defuncto Comite *Arnoldo* ſub filiis eorumque regimine longius etiam progreſſas eſſe novitates iſtas & ſcripta docent publicæ luci porro expoſita, & plurimæ difficultates inprimis motæ, cum in *Lugdunenſem* Academiam idem *Vorſtius* evocaretur. Quid? quod etiam inter ipſos *Arnoldi* filios aliquis in Socinismi tandem ſuſpicionem vocatus eſt: quem *Eugenium* quoque vocari conſveviſſe a *Neo-Socinianis* ex p. p. dicendis apparebit; nobis autem fruſtra id nomen in prole Arnoldina requirentibus, forte *Gvilh. Henricus* aut fratrum aliquis, pro *Conr. Vorſtio Steinfurti* ſibi retinendo acriter pugnantium, ſubſtituendus videretur, niſi *Photiniſmum* forte tetricum cum *Vorſtianis* hypotheſibus, paullo magis dilutis, quod plane credimus, permixtum eſſe dicamus. Vtcunque ſit: præſtat ipſam, unde hæc nobis innotuerunt, ἐκλογὴν ex *J. Vogelii* litteris audire, judiciumque Lectori, Genealogiæ *Com. Tecklenburgicæ* peritiori, relinquere. Ita vero ille ad *amicum*, ut ſunt Germanice in compendio alicubi relata, quæ *Vogelius* Latine & pluribus oppoſuerat: b) Vnter andern melde auch, wie daſs die Profeſſores zu Steinfurth, ſo wohl auch der eine Graf ſelbſten der Photinianiſchen Lehr zugethan ſeyn. Wie denn auch deſswegen ein Photinianer aus Polen, ſo man einen Franzoſen zu ſeyn meynet,

a) Vid. *Sorex Vorſtianus* h. e. *D. Conr. Vorſtii* Theologi *Confeſſio ex autographis fideliter deſcripta, atque in hunc uſum, ut, num ille in ſinu foveat Socinismum, appareat*, edita 1614. *Steinfurti* in 4to. Addatur vita *Dav. Parei* f. 55. ſq. ex qua, *Heidelbergam*, orthodoxiæ ipſius explorandæ cauſa, miſſum eſſe ab eodem Illuſtriſſimo Comite, atque hinc demum in officio confirmatum *Vorſtium* patet. conf. Epiſt. Remonſtr. n. 149. f. 258. med.

b) Eſt vero & hæc Epiſtola inter *Peuſchel-iana collectanea*, quorum jam ſæpius meminimus, *Jenæ* inventa.

meynet, a) zu den Grafen gekommen, und von ihm sehr lieb und werth gehalten, als auch, da es die Burgerschafft neben den andern Herrn Grafen vermerckt, sie gesinnet gewesen, alle Liebhaber der Photinianischen Lehr auszurotten: Das doch GOtt durch Timplerum verhütet hat. Qua de caussa porro amicum illum, ad quem litteræ datæ sunt, obnixe rogat, ut cum reliquis etiam fratribus, ruptis tandem repagulis, in apricum, quid sentiat, proferat, veritatemque justo ardore animi, atque in aliorum confirmationem confiteatur &c. Quis ergo ille fuerit Comes, si modo vera fuit fabula, nondum hinc intelligi potest. Neque tamen & *Peuschelius*, in custodia deinceps identidem interrogatus, b) *Eugenii* illud nomen, ob generis & familiæ splendorem sine dubio impositum, aliter interpretatus est, quam de *Comite Bentheimensi*, sub eo integumento latitante, qui magnopere *Vorstio* faverit, mensaque sæpiuscule adhibitum, in rebus Ecclesiasticis perpetuo consuluerit; societati autem & fraternitati *Racoviensi* adscriptum esse sibi non certo constare, quandoquidem sint in sodalitate illustrissimi viri, qui tamen non omnibus temere innotescant, dixit. Vnde nec nobis plura de re obscurissima, sed valde tamen suspecta, pronunciare licet. c) Eamque ob rem, hisce, quoad licuit, expeditis, jam reliqua exequemur.

Z §.VIII.

a) Itaque non nomina duntaxat impostores illi *Sociniani* mutabant, sed gentem insuper, ut decipiendi miseros porta aliqua aperiretur, aliam fingebant, *Polonique* se *Gallos* esse mentiebantur.

b) Cum alium quendam, nobili prosapia genitum, & forte *Noribergensem*, sub eo occultari, suspicio quibusdam mota fuisset.

c) Multoque minus asseverare audemus: Hiccine, an alius sit *Eugenius*? cum quo *Ruaro* diu post consvetudo litterarum intercessit; unde fragmentum n. XXV. Part. I. *Epist. Ruari* superest. Immo contrarium videtur innuere *Floriani Crusii* Epistola P. II. n. 38. f. 284. sq. in qua *Eugenii* nostri itidem mentio est facta, sed qui in Sarmaticis finibus, *Pomerania* nimirum ac *Silesia*, cum ipso familiariter vixerit. Ad quem & *Ruari* Epistola potius, quam Comitem *Bentheimensem* s. *Tecklenburgensem* congruit. Quis vero & hic *Crusio* memoratus fuerit, a nobilitatene ita cognominatus, an proprio sic dictus nomine, dicere vix audemus. Hoc vero tacere non possumus, cum manifestum sit, a *Socini* partibus eum quoque stetisse, & verisimillime omnium, quæ ab utroque scripta sunt, in *J. L. Wolzogenium* congruant, hunc ipsum vel nominis Germanica notione haud obscure, (præter illustrem originem) videri designatum; ita tamen, ut vetus illud cognomentum, quod rationes annorum deposcunt, ad novum hunc asseclam sit translatum. Is enim diu post id tempus, cum antehac *Calvini* partes sequeretur, *Socini* placita, ejectus ex *Austria* & in *Poloniam* delatus, amplexus legitur. Add. ejusd. *Tomi Epp. Ruarianarum* IIdi Epist. XXXII. f. 256. ubi idem *Crusius* hunc affinem suum (sororem enim *Wolzogenii* in matrimonio habuisse notum est) eodem nomine appellat, & t. t. cum eo in *Pomerania* se habitasse, sed in procinctu stetisse, ut alio migraret, scribit.

§. VIII.

De *Glebio* pro *Belgio* per manifeftam litterarum transpofitionem fuppofito foliciti non fumus. Hujus enim & commemoratæ & commutatæ cum alia vocis atque terræ, rationes antea reddidimus, & campum fuiffe, in quo pro *Socinifmo* una ex parte extenuando palliandoque, ex altera vero eliminando, tum acriter depugnabatur, a) often-

a) Certe fi cum cæteris terris regionibusque cunctis VII. fœderatas illas Provincias compares, & a fola *Anglia* (hodie tamen ifthoc morbo magis, quam olim, laborante,) difcedas, non aliam facile reperias, in qua *Crypto-Socinifmus* tam feliciter radices egerit, terram. Neque enim inde a *Verftii* & *Remonftrantium*, Epifcopianæ partis, tempore tantum, proh dolor, id genus homines magno numero ex *Oftorodi* atque *Voidovii* ovis pofitis, & paullatim dehinc exclufis, orti & prognati ibidem clam conftanter vixere, novaque fubinde e *Sarmatia* fupplementa accepere; fed etiam inde tandem ejecti heic latebras omnium creberrime quæfiverunt, & *Curcellæo* potiffimum patrocinante, invenerunt: Sed etiam, qui deinceps inclaruere *Sociniani*, haud pauci certe, qui placitis his addicti fuere, e *Batavis*, ut vel *Sandiana Biblioth.* condocet, prodierunt. Vt fcripta taceam, partim in linguam *Belgicam* pleraque, (potiora certe, inter quæ ipfe quoque *Catechifmus Racovienfis* numeratur, A. 1666. *Vriburgi* & 1680. Amftelod. excufus,) translata, partim fplendide tam feparatim, quam conjunctim, uti vel celebratisfima illa *Biblioth. Fratrum Polonorum* demonftrat, recufa & locupletata. Quanquam enim funt, qui non admodum magnum operi huic, grandi labore fumptuque maximo *Amftelodami* itidem (*hæc enim Irenopolis eft* præfcripta) A. 1656. feq. impreffo, pretium ftatuant, paucaque ineffe, *quæ, præter Commentaria Crellii & Schlichtingii, magnopere juvare* Lectores *poffint*, nominatim exiftimet Celeberr. Th. *Creenius*, nec immerito αὐτόγραφα *Racoviana* præferat; non tamen pauca etiam iftic habentur, quæ vel nunquam vel certe *Racoviæ* non funt typis procufa, aut feorfim haud temere venalia reperiuntur, quam apud *Batavos*. Ita ut hæc ipfa etiam Libellorum iftorum, e *Polonia* eo advectorum, copia, in publicis *Belgarum Bibliothecis*, quando fub hafta veneunt, obvia, quot fuerint olim iftic *fectæ* hujus fautores & forte adhuc fint lateantque iftic, prodat. Immo vero eadem *Bibliotheca* illa, ut vulgo vocatur, *Vnitariorum fratrum*, curatores quosdam occultos nifi habuiffet, in lucem publicam magnifico hocce habitu prodire nunquam potuiffet. Quos, quum alii alios fuiffe fufpicentur, (*Wiffowatio* enim difpofitio duntaxat & emendatio fphalmatum typographicorum commiffa fuit,) plerique autem *Franciſcum Caperum*, miferabili anno 1696. morte *Roterodami* a molæ, quæ ventorum flatibus agitatur, ala percuffum & interemtum, atque a *Daniele Brenio*, avunculo pridem amore hujus fectæ imbutum effe putent perhibeantque; vel hinc, quam occulte inde ab initio Sec. XVII. illud proferpferit ibidem malum, elucet. Vt alia documenta a *Sandio* commemorata magnaque copia enumerata, fed cum Anabaptifticis interdum permixta, taceamus. Cum quo ea quoque, quæ *b. Benthemius*, penitiori & puriori harum rerum notitia in ipfo *Belgio* inftructus, Cap. XIX. annotavit, conjungi poffunt. Vbi non folum haud paucos *Socini* dogmatum amatores & approbatores, non obftante fevero illo *Præpotentium Ordinum* edicto, quod occafione *Volke-*

oſtendimus. *Petri* igitur *Bertii*, a) nobilis in eodem theatro, ſeu militiæ campo potius, viri nomen curas noſtras poſtulat, quem multoties allegatum eſſe in litteris novæ hujus molitionis ſtudioſorum neutiquam miramur. Is enim *Beveris* in *Flandria* cæteroquin natus A. 1565. annosque amplius XXV. *Profeſſ. Lugdunenſis*, inter primos locandus eſt, qui *Remonſtrantium* partes ſectatus tuitusque legitur. A quo tam operoſo conatu, *Arminii* & *Vorſtii* deinceps, ſententiam cum præcipuis adjutoribus propagandi, tam male audivit etiam *Jacobo Angl. R.* ut præ cæteris atro carbone fuerit notatus, in *Declar. Regia Londin.* 1612. *in* 4. evulgata, b) & niſi ipſe ſolus, cum præceptore tamen ſuo, primus noſtro ſeculo *Lugdunum* hæreſi imbuiſſe illic dicatur. Neque etiam ignotum eſt, vitam *Arminii* diligentiſſime ſcriptam, operibusque ejus ſingulari induſtria collectis, junctimque editis, præmiſſam c) eidem deberi. Quemadmodum etiam hac ipſa de cauſſa poſtea cum reliquis *Arminii* aſſeclis a patribus *Dordracenis*

Volkelianorum de *Vera Religione* LL. V. A. 1642. publice combuſtorum, ſed recuſorum deinceps, publicatum, & ab ipſo quoque *Benthemio* typis denuo ſubjectum, *Statuique Eccl. & Schol. Belgic.* inſertum eſt, plurimos fuiſſe, atque iſtic ſub *Prophetantium*, *Collegiatorum*, *Mennonitarum* atque *Remonſtrantium* nomine deliteſcere ait; ſed etiam, quemadmodum *Galli* nonnulli *exules* in errorum haud diſſimilium ſuſpicionem inciderint, a qua vix ac ne vix quidem liberati ſint, candide refert. Quæ quamvis ejusmodi putemus eſſe, ut injuria haud paucis videatur illata, & excogitatæ hujusmodi accuſationes a rigidioribus quibusdam *Voëtianis*, ut vocantur, atque *Mareſianis* diſcipulis, qui plerumque, quemadmodum apud nos fit, valde ſuſpicaces eſſe ſolent, credamus; hactenus tamen valebunt, niſi fallimur, ut fidem aliis faciant, quantacunque etiam cura & circumſpectio adhibeatur, a latitantibus ibidem *Socinianis*, tametſi vel *Rheno* toto perluatur, h. e. a *Crypto-Socinismo*, ut olim, ita nunc quoque, *Belgium* plus juſto libertati ſentiendi indulgendo expurgari haud poſſe, multoque minus immune a clandeſtino illo morbo eſſe ab exteris & creditum iri & ſcriptis eſſe declarandum. Ea vero omnia, quanquam invitis Proceribus & Eccl. miniſtris facta eſſe facile credamus, hactenus tamen ad hæc illuſtranda inſervient, ut Dei beneficio nos his malis liberatos intelligamus, alios adhuc infeſtari doleamus.

a) *Junioris*, inquam. Pater enim, *Roterod. Eccl. Miniſter*, diu jam ante vitam cum morte commutaverat. Cujus tamen conſilio *junior* iſte ſtudiorum in Acad. Lugdunenſi *Arminii* ſocius & commilito, atque hinc quoque ejus partibus addictisſimus erat: cui etiam, poſt obitum amicitiæ juſta parentando fecit.

b) Et quidem f. 12. ubi propter Librum *de Apoſtaſia Sanctorum*, Cantuarienſi Epiſcopo cum Epiſtola miſſum, in qua affirmaverat, ejus Libri argumentum cum Eccleſiæ Anglicanæ doctrina conſpirare, cumprimis peſſime Regi audit.

c) Vetuſtiorem nimirum & compendioſam, ab ea, quam *Caſpar Brantius* poſtea dedit & Celeb. *Moſcemius* haud ita pridem annotationibus doctis illuſtravit, diſtinctam.

cenis loco suo motum atque in exilium expulsum esse inter omnes constat. Vt hac occasione in *Galliam* dilapsus, a) istic *Regii Professoris* titulum dignitatemque nactus, sacra simul Pontificia A. circiter 1620. medio amplexus sit, enarrare pluribus, non est officii nostri, nec scopo convenit proposito. Digna tamen videtur lectu Epistola, & h. l. commendanda *Roberti Eustachii* ad *Gabrielem Thrasyllum* data, qua occasionem apostasiæ, & quam titubante conscientia ea a *Bertio* peracta sit, perscripsit, & inter Epp. Remonstrantium b) reperitur. Hujus namque *Pseudonymi* testis (qui qualis fuerit deinceps c) exponemus) indicio cognovimus, quo modo, quove animo & qua de caussa *Bertius* ad Pontificiorum castra transierit: Ita enim ille *Lutetiis* tunc degens: *Dicam aperte*, inquit, *rem, quæ fabulæ aut calumniæ similior videri possit, verissimam, sed dicam cum ingenti animi horrore summaque detestatione: Bertius heu quondam noster Pontificias partes hic amplexus est, neque missam tantum audivit, sed & Sacramentum corporis Domini, ut vocant, cum idololatris sumsit, & articulis, nescio quibus, subscripsit. Habui hoc primum ex viris fide dignissimis, habui & heri ex ipsius ore, ne tu conjecturis agere me putes: quem quomodo exceperim, ipse facile cogitare potes. Hæsitabat miser turbatus animi, jam pallebat, jam sudabat, jam titubabat in incessu, jam suspirabat, jam lacrymabatur, neque quicquam, quod opponeret, habebat, præter injurias istorum Gomaristarum, quibus tam acerbe immo scelerate exagitatus fuisset. Mihi tamen suspicio est, quibusdam sermonibus illius innixa, eum in sententiis aut nihil aut parum hactenus mutasse, nec alio fine in partes istas transivisse, quam ut stipendium suum ex ærario regio obtineret, quod scio, quam misere* d) *antea per tot dierum hebdomadas frustra mendicaverit. Potest, ut & aliorum illi spes facta sit; quæ habeat sane sibi, ut voluit, cui anima argento venalis fuit.* Hactenus personatus ille *Eustachius*. Consentit cum *Eustachio* Jo. *Clericus*, e) qui, quando f) *Bertii* de *Digues & des Ponts, qui ont eté fait sur la mer, & dont on trouve quelque chose dans l' Histoire*, recenset: *Il fit*, inquit, *cet Ouvrage à l' occasion de la digue, que le Cardinal de Richelieu avoit fait faire, pour fermer le port de la Rochelle. Cet homme avoit étoit d' abord*

a) Incertum, quo consilio; cum cæteri eadem fata valde lugubria experti socii in vicino *Belgio regio* maximam partem commorarentur.

b) N. 378. Ed. 1704. fol.

c) Cap. hujus II. §. 42.

d) Contra avaritiæ, non egestatis nimiæ eum insimulat Sam. *Næranus* in Epist. ad C. *Vorstium*, quæ num. CCCLXXX. posita, inter *Epistol. Remonstr.* f. 643. comparet.

e) In *Biblioth. Ancienne & Moderne*, Tom X. Art. I. §. VII. f. 13. seq.

f) Ex *Salengrii* Tom. II. Collect. *Antiquit. Roman.* Vbi num. VII. comparet.

d' abord dans le Parti de Remontrans, en faveur duquel il fit un Livre intitulé: Hymenæus desertor, sv. de Sanctorum Apostasia & quelque autre piéce. Ce parti ayant succombé, Bertius perdit un emploi qu'il avoit à Leyde & ne sâchant ensuite comme vivre, il se fit Catholique Romain à Paris en MDCXX. ou il fût fait Geographe & Professeur Royal, titre qui prend à la téte de son Livre de Digues. Ce livre n'est pas indigne d' être lû, quoique plein de flatterie pour le Cardinal & d' invectives contre les Protestans. Non descripsissemus locum hunc integrum, nisi quo patrono etiam usus sit, (& ipsam forte confessionem in ejus gratiam mutarit,) nempe *Card. Richelio*, hinc forte effici posset. Sed hæc nos non morantur. Illud vero adhuc exponendum nobis esse videtur, quæ hoc tempore caussa confabulationis de *Bertio*, inter novos *Socinianos*, extiterit. Vbi valde verisimile est, proximam illis ansam dedisse ei crebrius commemorando *Apologeticum*, recens *contra Piscatorem* editum: quippe quem A. 1614. publicatum accepimus, & vicissim *Piscatorem*, responsione reposita eum confutasse altero subsequente anno, notum est. a) Amicitiam enim cum *G. Richtero* initam medio demum A. 1616. cœpisse, hujus in Acad. *Lugd. Bat.* adventus, qui in idem tempus incidit, Epistolæque ad eum postea scriptæ insertæque *Richterianis Select.* b) ostendunt. Alium verum quenquam antehac cum eo litterarum commercium aluisse, nusquam reperitur. De *Sonero* equidem id suspicari posses, si, quæ supra jam sunt de *Lugdunensi* ejusdem secessu dicta, repetas. At de illo quoque idem *Bertius* nihil prorsus, quam *Juvenem se eum Lugduni novisse*, l. c. meminit, & eo quidem tempore, ut supra jam observatum est, quo ne *Arminianis* quidem partibus & ipse *Bertius*, sed anno demum 1600. adhærere cœperat. Nihil ergo hucusque, quam nominis fama cum scriptis hos inter novos factionis *Socinianæ* participes juvenes, viri hujus eruditi memoriam excitavit & conservavit. *Pogonatum* cur vocarint iidem hæreseos sodales, vel solius Germanici nominis significatus prodit; ut nulla prorsus investigatione studiosa opus sit. *Philosopho-Theologum* autem dictum fuisse, non majori obscuritate laborat. Siquidem

 Phi-

a) In utroque enim horum libellorum, cum de *absoluto Electionis decreto*, quod alter propugnaverat, alter vehementius oppugnandum sibi sumserat, ita disputatum esset, ut φορτικὰ ἀκούσματα, quæ vix alibi reperias, *Piscatori* exciderent, non mirum erat, disceptationem istam nostris peculiarem colloquendi materiam præbuisse; quoniam nihil erat, a quo *Sociniani, Pelagianismo* dediti, quam ab horrido illo decreto, magis abhorrerent. Conf. hoc Cap. II. lit. C. §. IX. seq.

b) Fol. 157. sqq.

Philosophiam Practicam in *Lugd. Bat.* Academia, pro muneris ordinarii ratione est professus; sed scriptis non minus Theologicis, *de Praedestinatione*, Discept. Epistolica *de Fide justificante* cum Sibr. *Lubberto* instituta, de *Apostasia* item *&* *Perseverantia*, ac similibus, totaque *Remonstrantium* caussa pro virili defensa inclarescebat. In quibus posteriorem illum Libellum A. 1612. divulgatum, qui titulum quoque *Hymenaei* a) *Desertoris* praescriptum gerit, *Socinianis* nostris longius, quam forte veritas, multis argumentis caeteroquin illic asserta, permittebat, progressis, maximo in pretio habitum fuisse, jam ante quaedam observata esse recordamur, nunc autem *Ruari* etiam Epistolas eam venerationem demonstrare, addendum putamus. Quod denique ad defectionem ipsius *Bertii* ad Romanensium coetum attinet, nihil in his motibus vestigii de ea reperiri a nobis potuit, quoniam, ut jam ante dictum est, multo post haec tempora, mutata mente, eam sortem infelicem viro doctissimo perperam eligere, *Desertorisque Hymenaei* exemplum suo ipsius malo praebere placuit. Quemadmodum vero *Oratione*, pro excusatione transitus istius in aliena castra publice descripta, b) turpius, quam antea unquam se dederit, eademque a variis & nuper admodum a *C. G. Blumbergio* CL. *Cygneensi* Antistite ad examen revocata sit, c) illud, tanquam ab instituto alienum, omittimus. d) §. IX.

a) De allusione ad hunc titulum (nescio an satis recte intellectum, cum *Bertius* sine dubio ad 1. Tim. I. 19. 20. respiciat) & occasione Apostasiae vid. quae ex *Richard. Holdsworth*, itemque *Riveto* atque *Calovio*, exhibet CL. *Creenius* Animadvers. Philol. P. V. f. 250. sq. Hoc loco nobis Libellum istum peregregium sane, charta majori A. 1612. impressum, forma quadruplicata, *Ff. ad Moenum* venalem in titulo dici prostare, sed alibi haud dubie typis excusum esse, & quaestiones duas: 1 *an fieri possit, ut justus deserat justitiam suam?* 2. *An quae deseritur, vera fuerit justitia?* solide affirmando pertractare, monendum est.

b) Postquam eam in *Collegio Becodiano*, VI. Non. Octobr. recitaverat, typis dehinc *Antwerp.* A. 1626. excusa.

c) *Dissert. Synodali* A. 1701. hab. & Anti-*Sincero Evangelico* Ed. A. 1714 8o. attexta, ubi defectionis illius ad Pontif. occasio & caussae copiosius recensentur, & hae cum objectionibus solide discutiuntur.

d) Quamobrem nusquam, & ne verbo quidem, *G. Blandratae* in hac *Crypto-Socin. Historia* atque confabulationibus sociorum mentio facta sit, utut inter primos haereseos statores jure meritoque numerandus sit, non solum hanc caussam reddi posse putamus, quod jam diu ante vitam cum morte commutasset, sed etiam propter mutatam forte sententiam, aut, ut *Socinus* Resp. ad IV. Cap. Vujeki T. II. Opp. f. 538. loquitur, quia *ante mortem* in gratiam *Stephani R. Polon.* plurimum remiserat de studio *in juvandis Eccl. Transylvanicis*, & *solis pecuniis intentus congerendis*, a *fratris sui filio* & bonorum relictorum haerede in lecto suffocatus, tanquam *desertor justissimo judicio* divinitus ab illis credebatur punitus.

§. IX.

Attamen optatam, percommodam certe, *Bertii* cum connexa Litera

C.

mentionem heic occuriſſe, nec ſine ſingulari omine, obſervamus. Namque huc tranſituri, cum primi nominentur *Calviniſtæ*, ſeu (ut vocari malunt, *Zwinglii*, & *Calvini* cumprimis, aliorumque in *Helvetiis* ſodalium miniſterio quaſi defæcatius, quam noſtri ſint,) *Reformati*, impoſito iſtis *Phalantiorum* novo nomini, ex ejusdem cum *Piſcatore* diſputatione, lucem poſſe affundi, ſperamus. Cum enim ille, ſimiles ſibi videri rigidiores *Calvinianos*, quos *Supralapſarios* vocabant, ſcripſiſſet a) *Tiberio*, qui immaturas puellas, quia more patrio nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatas prius a carnifice, deinde ſtrangulari b) jusſerat; idque horrendum in doctrina *de Prædeſtinatione* divina dogma c) *Joh. Piſcatori*, aſperrimo hac in parte placitorum hujusmodi inter ſuos defenſori, tribuiſſet; occaſionem hinc illi arripuere ſine omni dubio, quæ de *Partheniatis*, *Tarentum Lacædemone* commigrantibus, Græcorum antiquitas memoriæ prodidit. Nam quia *Partheniatæ* ex ejusmodi virginibus vitiatis nati in fabuloſa hiſtoria dicantur, ſuſceptamque migrationem ſeu coloniam eo deductam eſſe, *Phalanto* duce, *Tarenti* in *Italia* conditore, ſatis ſuperque cognitum erat; admodum probabile eſt, infenſiſſimos huic opinioni Socinianos d) occaſionem inde ſumſiſſe, ad invidiam majorem *Reformatorum* hypotheſibus creandam

a) Et primum quidem in Præfatione ſeu Epiſtola, nomine hæredum *Jac. Arminii* adornata, atque *Collationi* ejus *amicæ cum D. Junio* in vulgus editæ præmiſſa, cujus tamen auctorem ſe non erat profeſſus, ſed *novem orphanorum Arminii* nomen ſubſcribi curaverat. Quæ vero paucis in iſta dedicatione propoſuerat, ea, poſtquam in *Epiſt. ad Fratres Belgas* perſcripta præloque excuſa publice de calumnia queſtus fuit *Piſcator*, adverſus illum, quem tamen cæteris omnibus præfert, quod *nemo apertius* dicat, quæ ſentit, nemoque *minus incruſtate* (ea ediſſerat) fuſius explanavit in *Apologetico ad Fratres Belgas, in quo calumniæ crimen immerito impactum diluitur*, Lugd. Batav. A. 1614. 4. excuſo.

b) Vti *Svetonius* Tiber. c. LXI. narrat.

c) *Abſolutum* inquam *decretum*: I) De hominum quorundam pro lubitu Dei deſtinatione ad damnationem, ſeu, quod tamen, quantum ad rem, idem eſt, *præteritione*, cum damnatione *ſane*, quum medius ſtatus æternus locum non habeat, conjuncta: II. De ſalute ex adverſo ſeu beatitate aliorum æterna, ſimili modo fixa & determinata. Quam *Antelapſariorum* vulgo dictam ſententiam nemo fere inſulſius J. *Piſcatore* illo *Herbornenſi* propoſuerat.

d) Conf. cap. L. §. 22. & Cap. hoc II. §. VIII. not. med.

dam, ipſisque adeo Reformatis nomen iſtud applicandi, & cum priori illa *Tiberiana* comparatione novum hoc obſcurius, ſed tamen paullo modeſtius commutandi. Ad cœtum certe, (jure an injuria, nunc non diſputamus,) poſt diſceſſum ex *Eccleſia Romana*, a *Calvini* ſectatoribus conditum, horridisque a) opinionibus ejusmodi aliquando ſuffultum, alludi poſſe, neminem, credimus, inficiaturum. Ita nos conjectamus, confic̄ti cognominis obſcuri originem aliquo modo inveſtigari poſſe: cujus alioquin ſenſum plane ignoraremus. b) His vero porro addendum eſt, *Ruarum*, quos *Phalantios* vocitarunt alii, *Stoicos* etiam maluiſſe appellitare: cujus nomenclaturæ adhibitæ exemplum in Epiſtola ad *Voglerum* c) obſervavimus; Vbi & rationem ejus rei, cum a *fato Stoico*, quod illos quodammodo adſtruere, diſſentientes perhibebant, tum *ex abſoluto* illo, uti vocatur, *decreto determinante*, ductam reperies; quod & res ipſa quoque edocet. Præter hæc obſervatum eſt, in Epiſtolis, eosdem etiam *Gomarianos* nonnunquam appellari, *Arminianis* ſcil. cum quorum primipilo *Gomarus*, inprimis acriter decertavit, oppoſitos. Quod uno verbo monuiſſe ſatis eſt; Licet id ipſum frequentius, quam cætera uſurpatum fuiſſe, cognoverimus. Calvinianos primus in eodem hoc elemento inter ſodales Crypto-Socinianos ſequitur JOH. COPIUS, cui triplex nomen fictum legitur tributum, *Oneſimi* videlicet, *Hilpershuſani* & *Bocii*. Poſteriora nullo negotio a patria & per ἀναγράμμα efformata, qualia ſint, & quid ſibi velint, intelliguntur. De priori vero, poſteaquam viri præſtantiſſimi fata plenius expoſita erunt, rationem reddere animus eſt. *Hiltpershuſæ* in Franconiæ finibus A. 1590. in hanc lucem editum, inde domi, atque Noribergæ dehinc, diutiſſime litteris melioribus ſcholaſticis imbutum, atque *Altorphium* tandem A. 1609. ſtudiorum gratia adventaſſe, jam diſtincte ſatis *Freherus* ex Programm. ut arbitramur, funebri,

a) Quo nomine, *horribile* id vocans *decretum*, ipſe *Calvinus* in *Inſtit. Theol.* P. III. Cap. XXIII §. 7. uſus eſt; atque hinc nobis id vitio haud vertent idem h. l. repetentibus *Calvini* diſcipuli: quibus ſcapham ſcapham appellare etiam in hiſtorico libello viſum eſt, potius, quam palpum fucoſum obtrudere.

b) Sic noſtra ferebat ſententia, cum nondum de *Græca origine* vocis cogitaremus; ſed poſtquam Græcis non φάλακρον tantum, verum etiam φάλανθον *calvum* appellari obſervavimus, promte in eam ingreſſi ſumus opinionem, ut ſentiamus, præter iſtam realem alluſionem, *Calviniani* nominis Græco involucro obvolvendi ſtudium præcipuam hujus mutationis cauſſam fuiſſe.

c) Centur. II. Epiſt. 2. p. 13. Adde Epiſt. ad Anonym. (coll. § hujus Cap. IIdi. XIV.) Cent. I. f. 60: ubi eadem occurrit, & quidem per oppoſitionem ad *Remonſtrantes*.

bri, enarravit. Male tamen, cum *Sonerus esset Decanus*, primam Lauream, quam vocant, *Baccalaureatus* reportasse, idem affirmat; quandoquidem *Georgio Queccio* potius eo officio fungente, a) A. CIↃ IↃ CXI. d. XX. Decembr. cum J. *Vogelio* Noriberg. & Matth. *Bornemanno*, b) Zechlinensi Marchico, eam *Cobio* nostro collatam esse (nisi forte ob morbum, aut aliam caussam subito intervenientem, vicarias partes *Queccii* subierit *Sonerus*, c)) ipsum *Programma*, quod his nostris manibus inter scribendum tractamus, demonstrat. Sed, quemadmodum levis hæc est circumstantia, ita graviora sunt alia, quæ *Freherus* prorsus siluit aut ignoravit, ad *Crypto-Socinianam* hanc societatem pertinentia. Quippe cui noster inter primos nomen non modo dederat, sed etiam Libros eum *Socinianorum* omnium diligentissime legisse, acerrimeque cum aliis disputasse, ipsorum fratrum & amicorum confessione deinceps innotuit. Neque vero id mirum esse potest, cum *hospitio & bibliotheca* ipsius *Soneri* usum fuisse longo tempore, & a primis quidem annis Academicis, plane nobis constet; Vnde nec diffessi sunt iidem sodales, *Cobium* ἀμέσως errores *Socinianos* a *Sonero* accepisse, interque fratres *Polonos* primum quoque, certe inter primos, cooptatum esse, eaque de re per *Crellium*, *Racoviam* jam digressum, certiorem redditum: cujus ipsius verbis Epistolaque, ad *Cornelium Marci* data, illud circa finem hujus *Capitis* d) demonstratum dabimus. Imo etiam eousque in hæresi animo concepta progressus fecit, ut *Ruarus*, homo callidus & explorandorum mentis recessuum, quoad mortalibus licet, probe gnarus, propterea inprimis illum tenerrime amplexus sit, & fere in deliciis habuerit. e) Cujus quoque amicitiæ manifestum testimonium idem reliquit, quando in *Epistola* ad fratrem *Joachimum Ruarum* data, f) hoc ipso germanico licet fratre neglecto, se *Cobio* unice permisisse scribit, ut quæcunque litteræ

a) Conf. Programm. Cap. I. §. X. recusum.

b) Non *Borlemunno*, ut legitur apud *Freherum* & *Wittium* in *Memoria Cobiana*.

c) De qua subito interveniente mutatione tanto magis dubitamus, quanto certiora ex ipso *Amplissimi Ordinis Philosoph.* Decanorum & Candidatorum nomina continente Libro didicimus, *Queccium* honorum fuisse dicto ante tempore dispensatorem, deque vicibus a *Sonero* susceptis ne γρῦ quidem annotatum esse. Vnde Magistrum quoque Philosophiæ A. 1621. cum *Organicus* jam *Professor* creatus esset, eodem Queccio brabeuta inter undeviginti Candidatos ordine primum renunciatum esse accepimus.

d) §. LII.

e) Comperta hæc, eaque bona fide eloquimur; tametsi, unde illa nobis innotuerint, definite non indicemus: cujus rei graves oppido caussas habemus.

f) Centur. II. Epist. XI. p. 69.

ſibi inſcriptæ *Altorphium* venirent, eas ille reſignaret, & exemplum tantum ad ſe in *Poloniam* mitteret. Quæ quanta fuerit fiducia in amico, a ſe non diſſentiente poſita, ex conſiliis *Ruari*, tum, quando in *Polonia* degeret, omnium occultiſſimis graviſſimisque, & clam agitatis, ſatis ſuperque colligitur. Eademque, quæ Cap. I. §. 32. obſervata ſunt, luculentiſſime confirmant. Amplius vero etiam Epiſtola, ad eum ex eodem angulo Sarmatiæ, *Smigla* videlicet, perſcripta, quæ typis proſtat, a) teſtatur, quantum tribuerit ille *Cobio* ſuo, utpote cui & *Burgſtorphianorum* b) ſtudiorum moderamen, niſi rediret, lubens relicturus erat, ejusque ad fratres ad mutuam pietatem exhortandos opera cum *Peuſchelii* diligentia inprimis uti volebat. Quod vero poſt abitum, ex Academia *Altorphina*, *Ruari*, cæterorumque coryphæorum fratrum, veritati cœleſti, animum ſua luce iterum perfundenti, prior cæteris locum dederit, cum alia multa, tum præcipue illud condocere poteſt, quod *Peuſchelium* his verbis, jam in carcerem Academicum *Jenæ* compactum, aut certe ea fata metuentem, allocutus eſt, *Epiſtola d.* 15. *Febr. A.* cIↃ IↃ CXVI. ad eum perſcripta: c) *Vale mi Peuſcheli, & ſi erras, reſipiſce, docentique meliora lubens cede.* Vnde profecto clariſſime efficitur, neque *Cobium* pertinaciter amplius erroribus *Socinianis* inhæſiſſe, neque etiam *Peuſchelium*, ad confeſſionem edendam publica auctoritate compellatum, in hæreſi perſeverare, ſi per ipſum res ſtaret, voluiſſe, ſed ut inde potius eum retraheret, candide jam elaboraſſe. Quam ſinceritatem mentis ad frugem converſæ, traditis deinde *Libris*, quos poſſidebat. *Socinianis*, uti paullo inferius Cap. III. oſtendemus, promte itidem demonſtravit. Neque per omnem vitam deinceps meminimus a quoquam obſervatum eſſe, fermenti aliquid improbi ex infelici illa deceptione in animo viri optimi ſuperfuiſſe. Quam etiam ob rem non dubitavit Illuſtris *Senatus Noribergenſis* ipſi, tanquam ſatis probatæ fidei viro, vacuefactam, morte M. *Piccarti*, primum *Profeſſ. Logices & Metaphyſ.* concredere, atque hinc porro ad Juridici Ordinis d) munia

a) Cent. II. Ruarianarum Ep. X. p. 65. ſeqq.

b) Cui *Abrah. von Burgſtorff* Equit. March. itemque *Wolffg. Achatio von Giech* Eq. Franc. *tanquam diſcipulis ſuis ſuaviſſimis, Quæſtiones* ſuas *Miſcellas Metaphyſicas*, quas Præſide *Mich. Piccarto* ad diſputandum d. 29. Martii A. 1615. propoſuit, dedicavit *Cobius* noſter.

c) Et inter reculas *Peuſchelianas* αὐτογράφως reperta.

d) Poſt receptos A. 1635. Doctoris Juris utriusque, brabeuta *Nic. Rittershuſio, Conr. filio*, titulos. Quam circumſtantiam ſingulariter

nia a) A. 1636. promovere. Quibus etiam ſumma fide & induſtria adminiſtratis, A. 1660. *ſeptuagenarius* pie immortuus eſt. Quod ſupereſt, ſilere haud poſſumus, tantam fuiſſe inter *Cobium* & *Vogelium* cumprimis noſtrum, inde a ſcholaſtica conſvetudine, neceſſitatem & animorum conjunctionem, b) ut nunquam, in philoſophico ordine ille conſtitutus, vel ſcriptam vel typis ſubjectam habuerit diſputationem, quin eam *Vogelius* antea *Noribergæ* recognoſceret, & ad limam, haud invito, immo jubente *Cobio*, revocaret. Quasdam etiam integras *Vogelium* elaboraſſe fide non dubia accepimus; cujus rei tamen cauſſam nos ignorare fatemur. Quibus præmiſſis nihil reſtat, quam ut originem nominis *Oneſimi Cobio* dati exploremus. Idque, ut quam breviſſimi ſimus, ſive ex *Soneri* c) famulitio, & domeſtica conſvetudine intimiori, quem *Philetam* vocatum eſſe deinceps audiemus, collatum cum *Philemonis* nomine & œconomia, d) accerſimus; ſive ex officiis, *Ruaro* aliisque fratribus utiliter præſtitis, derivandum conjicimus: Niſi forte etiam *Vogelii* in eum amor ſingularis, isque ſolus hujus appellationis ab eo inditæ, cauſſa fuerit. Certiora his, omnia licet diligentiſſime excutientibus neutiquam adhuc ſuccurrerunt. *Communiſtas*, e) qui *Cobio* in *Indice* noſtro additi ſunt, tanto minus miramur in Epiſtolis interdum memoratos eſſe, quo liquidius conſtat, pleroſque *fratrum Noribergenſium* convictu illo commu-

 ni in-

gulariter commemorare non fuiſſet operæ pretium, niſi fato improviſo ex recitatione Orationis de *Conjungendis cum Jurisprud. Philoſophiæ* ſtudiis in ipſa illa panegyri operoſe doctisſimo huic honorum diſpenſatori de plagio commiſſo palam accuſato adverſus ἀρχιτυνάγωγον (forte G. K.) laborandum fuiſſet. Quæ pluribus deſcripta lis eſt in *Epp. Richter*. f. 204--210.

a) *Extra ordinem* primum una cum *Logices* Profesſione, diu obeunda, atque cum *Inſtitut. Imperial.* ordinario docendi officio tandem, poſt *Ægid. Agricolæ* exceſſum commutanda: cui functioni paullo ante obitum etiam dignitas *Conſiliarii Reipubl. Illuſtris Noribergenſis* accesſit.

b) Hujus *amicitiæ intimæ & ad mortem usque integerrimæ*, ſed generatim & univerſe mentionem fecit b. *Dürrius* in Program. funebri, inter *Memor. Ictorum* Decad. III. recuſo, in quo tamen, de *Socinisſmo* priſtino *Cobii* altum eſt ſilentium.

c) Etenim non hoſpitio tantum ejus uti conſveviſſe, ſed hanc quoque operam miniſterii noſtrum ei præſtitiſſe, exploratum eſt.

d) Alludendo ad *Philemonem*, cui Epiſtolam breviſſimam, & a *Scipione Gentili* noſtro ICto exquiſito commentario illuſtratam, *Paullus* inſcripſit: quem Apoſtolus, uti paullo ante mortem videbatur *Sonerus Cobium*, ad meliorem mentem in vinculis traduxerat.

e) H. e. beneficio publici convictus, *Illuſtrium Curatorum Academiæ* munificentia, fruentes Studioſos: qui una cum Inſpectore Oeconom. XXXVII. perſonas conficiunt, & liberaliter, ut nunquam cibantibus juſta etiam carnis portio cum cæteris alimentis neceſſariis deſit, ſuſtentantur.

ni in *œconomia Altorphina* ab *Inclyto Senatu Noribergensi* beneficiariis perquam benigne assignato, usos esse, quorum hoc generali nomine interdum facienda erat mentio. *Pythagoræorum* autem titulus haud dubie ex discipulorum hujus Philosophi vivendi & discendi rationibus ortum duxit, utpote quos apud *Crotonienses* maxime κοινοβιακῶς degisse, seu, ut *Justinus* auctor a) est, *sodalitii jure sacramento quodam nexos separatam a cæteris civibus vitam, eamque frugalem exercuisse*, cognitum habemus. Pro *supplemento* notamus, eosdem *beneficiarios* aliquando etiam a Neo-Socinianis *Peripateticos* esse dictos, eo quod, ut hodieque moris est, ante cibum capiendum, hora constituta, in porticu Collegii, amplissimis substructionibus muniti, utplurimum deambulare solerent. Quæ tamen, quia leviora sunt, haud nos morabuntur. Neque etiam nunc *Cornelius*, quem *Loniceri* nomine, per litterarum consvetam translocationem, insignitum CL. *Mollerus* ad elementum C. retulit, aliumque fortassis a *Carmo* credidit fuisse, nos detinebit. Idem quippe, qui *Cornelius Marci*, & ex vulgari civium suorum, posthac etiam continuata appellatione *M. Cornelii* nomine clarus fuit, atque ad litteram M. proinde rectius commemorandus erit; ubi copiosam de ejus fatis & participatione hæreseos mentionem facturi sumus. Pari modo neque *Cracovia*, *Poloniæ minoris* civitas primaria, negotium nobis in præsens facesset. Hujus enim, uti nomen, litteris similiter aliter locatis *Vracociam*, reddit, fraudisque eo magis occultandæ gratia, uti putamus, in *Fragosiam*, mutatum est: ita vix alius b) ejusdem in litteris usus fuit, quam ad describenda itinera a fratribus illuc peracta, & Epistolas inde apportandas, eoque rursus mittendas, ut *Racoviam* & in alia *Poloniæ* & *Transylvaniæ* loca perferrentur. Quæ cum earum curatores, post *Cettisium* c) suo jam fato functum, lateant, parum indagantibus utilitas afferent. Dignior autem est consideratu, omnium consensione, qui sequitur

§. X.

CRELLIUS, *Johannnes* ille, fuga in tempore quidem, at suo ipsius malo elapsus, & maximum inter *Socinianos* nomen consequutus; quod a dc-

a) *Justinus* inquam, Epitomes Troji *Pompeji* Historiarum auctor, L. XX. C. 4. cui *Italicæ Philosophiæ* scriptores, præter *Schæfferum*, plures, adjungi queunt, eadem uno ore tradentes.

b) Præter significata subinde politica negotia istic tractata, a quibus & *Socinianorum* præsertim in Comitiis, salus veluti tenui e filo pendebat, hanc ipsam ob caussam in litteris commemoranda. Publicum enim h. t. cœtum, in illa urbe collectum, ut alibi, non habebant.

c) Vid. Cap. I. §. 13.

a doctrina, facundia, ſcriptisque plurimis, iisdemque eruditionis etiam non vulgaris laude, ſi ab hæreſi diſcedas, haud defraudandis, non injuria eſt adeptus. Equidem, ſi vitæ viciſſitudines jam ante diligenter deſcriptas a *J. Paſtorio* ab *Hirtensberg*, Medico & Hiſtoriographo *Polon. R.* a) animo expendas, b) vix relictum aliquid videbitur, quod a nobis heic adjici poſſit. Sed reſtare nihilominus ſpicilegium, res ipſa mox condocefaciet, ut arbitramur, luculentiſſime. *Helmetſchemii* A. 1590. c) hanc eum lucem primum vidiſſe, (qui pagus eſt *Com. Limburgicorum* d) ditionis, in ea parte, quæ in *Franconia* ſita, & *Schwarzenbergici* Principatus *Seinsbemenſi* Dynaſtiæ, atque *Caſtellenſi* Comitatui adjacens) in vulgus notum, atque hinc alterum illud nomen, quo *Helmezheimenſem* vocare ſolebant fratres, enatum eſſe patet. Patrem cognominem filio Evangelicæ doctrinæ illic paſtorem e) fuiſſe, & diem p. p. ſuum mature, cum *Wintershuſam* juxta Mœnum f) translatus eſſet, obiiſſe idem retulit *Paſtorius*. Cui & narrationem accuratam ſcholaſticorum tyrociniorum *Crellii*, *Noribergæ*, *Stolbergæ* & *Mariæbergæ* poſitorum, acceptam ferimus. In Alumnorum XII. Noribergenſium numerum cooptatum fuiſſe mirabamur ab initio, animo videlicet reputantes, nemini, niſi civi nato, id beneficium contingere ſolere; Sed poſtquam matrem *Crellii*, *Grünewaldiam*, Noribergenſem, patrocinio & favore *Jo. Klingii*, qui a Secretis Curiæ Tutelaris g) & rerum Academicarum ea tempeſtate erat, atque conſanguinitate proxima *Crellium* attingebat, fuiſſe uſam, obſervatum eſt, neque etiam dubium videtur, eandem genitricem, *Noribergam*, poſt mariti exceſſum, redeuntem, jus civitatis quod ſibi retinuerat, recuperaſſe, ejus rei inſolitæ alioquin cauſſa haud difficulter apparuit, eorumque omnium & noſtra quoque ad tempus ſuſpicio, qua nun-

a) Conf. Cap. I. §. 23. &c.

b) Addito Venerandi *Lauterbachii* compendio in *Ariano-Sociniſmo Polonico*, nuper typis exhibito, n. XXXVII. f. 351. ſq.

c) D. 26. Julii, qui tunc in Dom. VI. poſt Feſt. Trinit. incidebat: ſic enim nos diptycha ejus Eccl. docuerunt, quæ amicus ad preces noſtras inſpexit.

d) *Speckfeldenſem* lineam vulgo vocabant, a *Gaildorffenſi*, qui *Würtenbergico* agro vicinior erat, Sueviamque attingebat, ramo, diſtinctam. Cujus utriusque maſculinum genus extinctum eſt, nec niſi feminæ quædam ſuperſunt.

e) Inde ab A. 1586. usque ad A. 1608. annosque proinde XXII. eodem hoc munere perfunctum.

f) Qui vicus cum altero *Sommerhauſen* oppoſito fertilitate vini clarus, iisdem *Comitibus Limburgicis*, quorum maſcula progenies non ita pridem expiravit, parebat, & poſteris adhuc ſequioris ſexus paret.

g) *Vormundamt* & qui a commentariis eſt der *Vormundſchreiber* vulgo, dicuntur. Conf. *Wagenſeil.* de Civit. Noriberg. Cap. XXIV. f. 198.

nunquam a) in ſodalitium hoc receptum fuiſſe, exiſtimatum eſt. evanuit. Vt fuerit a veritatis tramite abductus, neque ipſe deinceps diſſimulavit, cum *Racovienſi* cœtui plane & coram conjunctus, *Sonerum* præceptorem ſuum non tantum agnovit, ſed etiam, ubicunque potuit, prædicavit; cujus elogii exemplum ſupra b) ex Epiſtola ad *Gittichium* dedimus. Ipſius vero *Gittichii* conſvetudine intima multum quoque profeciſſe, cum amicitia poſthac, c) non ſine venerationis teſtificatione demonſtrata, tum etiam ætas in *Academia Altorphina*, (ad quam A. 1606. d XXVII. Sextilis acceſſerat Crellius) prope æqualis, ejusdemque diſciplinæ *Sonerianæ* quotidianus atque communis uſus, aliaque plura, patefaciunt. Cæterum *Socinismi*, quæ probare tum cœperat, arcana dogmata *Crellium* ſubdole & incredibili taciturnitate prælibaſſe ad *Soneri* ductum, hinc efficimus, quod nemo de tanta & tam immani defectione, ante, quam ipſe clam omnibus ex illa muſarum ſede exceſſerat, aliquid vel ſuſpicatus erat: utpote quem, ſi qua diſſentiret a cæteris, ad *Calvini* tantum partes propenſiorem eſſe, etiam malevoli autumabant. d) Quam etiam ob rem ſæpe in mentem nobis venit, a ſociis forte ejusdem hæreſeos, cum reſpectu ad ſolitudinem magis, quam ſodalitatem *Altorphi* cultam, *Solini* appellationem ei attributam eſſe: quanquam & propter eminentiam inter cæteros, tanquam *Solis* inter aſtra reliqua eandem excogitatam fuiſſe, non eſſe abſonum credamus. e) Cæterum, licet ſolus ſibi viveret utplurimum, venenumque, quod clam imbiberat a *Sonero* atque *Gittichio*, clam etiam haberet, non tamen ita ſolitarius, ſibique, ut ita loquar, ſoli ſapiens fuit, quin alios, data forte occaſione, iisdem placitis, quibus pectus ſuum infeliciter imbui paſſus erat, occultis modis corrumperet. Ejus namque, certe primario *Crellii*

a) Eo quod non alios niſi cives hoc beneficio potiri cognitum habebamus.

b) Cap. I. §. 19.

c) Antehac enim, quia clandeſtinis machinationibus acta ſunt *Altorphi* omnia, ita ut ne ſocii quidem detecti poſtea, ejus commercii alia niſi perobſcura indicia dederint, parum hac de familiaritate vel compertum vel obſervatum eſt.

d) Vid. Cap. I. §. 32. & 33.

e) Ita, cum hæc primum ſcriberemus, viſum, at poſtea aliunde cognitum eſt, nec obſcuris indiciis, propter diſciplinam, in qua præ cæteris profecit, intimamque cum *Sonero* præceptore familiaritatem ita fuiſſe cognominatum; utpote quem ex aſſe & veluti γνήσιος diſcipulus, referre credebant complices reliqui. *Sonerum* vero a *Socini* aſſeclis ordinarie *Sonnerum* fuiſſe dictum, ejusque nomen ſcriptum, vel ex *Socini Operibus* alias oſtendemus, & ſupra jam ea de re, niſi fallimur, aliquid a nobis annotatum eſt.

Crellii ductu, virus Socinifmi peftiferum accepiffe, cum *Joach. Peufchelium* noftrum, tum *Paullum Groë*, ipfumque *Martinum Ruarum* haud pauca *Crellio* debuiffe, poftquam jam vacillare *Soneri* perfvafionibus inceperat, confeffione fratrum deinceps compertum eft, & nos quoque, de fingulis acturi, obfervabimus. Quo pacto autem latuerit mens ejus occupata, pravisque hypothefibus jam penitus perfufa, tantifper, dum profeffio publice edenda effet fidei in *Auguftana Confesfione* comprehenfæ, fupra a) expofitum fuit. Quemadmodum tandem ipfis *Kalend. Novembribus*, atque adeo paullo poft *Soneri* præceptoris obitum, vix menfe uno interjecto, difcefferit in *Poloniam*, five male fibi confcius, five capitum *Socinifmi Racovienfium* amore flagrans, & quidem fine comite, totum longiffimæ viæ iter emenfus, aliunde fatis cognitum eft. Ipfius vero *Soneri* nutu atque confenfu *Altorphio* valedixiffe verifimilius videtur, quia litteras fibi, ab eo adhuc vivente traditas, acceperat, quibus & *Peufchelium* Racovienfibus fectæ choragis commendaret, fraternitatisque fua auctoritate dextram conciliaret; qua de circumftantia paullo inferius §. 35. dicturi fumus. Cæterum litteris inde transmiffis etiam abfentem poft hæc non defiiffe cauffam provehendi firmandique erroris agere, non folum e fuperioribus narrationibus Cap. I. repetere opus eft, verum alia quoque hujusmodi impofterum, ad *Cornelii Marci* quædam commentaturi fata, b) commemorabimus. In præfenti e re noftra cumprimis effe videtur, uti, poft firmiter radicatam in animo fuo hærefin, optimam quoque *matrem*, *Noribergæ*, c) inter preces & lacrymas vitam trahentem, in confortium erroris, pertrahere, aut diffenfionem hanc fuam quam ftudiofiffime extenuando, vilipendium ad minimum hærefeos fuæ perfvadere, enixe allaborarit, condocere. Didicimus hos infelicis filii adverfus matrem piam aufus minime pios, e *Programmate* Celeb. D. *J. Fr. Mayeri*, quod A. CIↃIↃCCVI. actui folemni Promotionis III. Th. Candidatorum d. 30. Augufti Gryphiswaldiæ d) præmifit, ipfamque *Crellii* Epiftolam formis typothetarum exfcriptam illic vulgavit; quam, quia vix centefimus quisque in fchedam illam incidet, ipfaque *Crellii* manus, in ea, qua fortuna ufus fit in Polonia, enarrat, ne pereat, totam huc transferemus.

§. XI.

a) Cap. I. §. 23.

b) Hoc ipfo Cap. II. §. 29.

c) In *patria*, ubi jure adhuc civitatis fruebatur, uti fupra jam animadverfum eft.

d) Vbi & alia quædam ad Lit. R. commode referenda annotata habentur.

§. XI.

Ita vero; postquam afflictissimæ matri, Evangelicæ veritati ex animo adhuc constanter addictæ, fata & religionem exponere constituerat, scribit; Was mich anlangt, bin ich noch Gott lob, zimlich gesund. Wiewohl ich der stærckßten keiner bin: auch durch tægliche Arbeit und studieren hab ich am Leib mehr abgenommen, als mein Alter mit sich bringt. Ich bin nun fünffthalb Jahr allhier zu Rackow in klein Pohlen, 15. Meilen hinter der Kœniglichen Hauptstadt Crakaw, der Schul oder Gymnasii, wie wirs heissen, Rector. Meine Besoldung ist des Jahrs ordentlich 200. Fl. Außer dem bringt es sonst noch etwas ein. Wiewohl jezund, weil diese Jahre her Unruh im Land gewesen, solches zufælliges Einkommen sehr geschmæhlert worden. Zu arbeiten ist genug. Denn (welches die verstehen werden, welche studirt) ich muſs meinen Discipuln proponirn, Logica, Ethica, Physica, Græca, Orationes Ciceronis cum analysibus Logicis, auch die Woche zweymahl disputiren, einmahl in Philosophicis, das andermahl in Philologicis, auch ihnen wochentlich Materias Orationum proponiren, und solche Exercitationes, so viel die Zeit trægt, corrigiren. Es kommt zu Zeiten auch andere Arbeit unter die Hand, also, daſs ich wenig Ruhe habe. Aber solches thue ich alles gerne, weil ich sehe, daſs solche Arbeit zu GOttes Ehren und der Menschen Nuzen gereicht. Man muſs sich zu Zeiten selbst nicht ansehen: sondern vielmehr andern dienen, und ihren Nuzen betrachten; wissend, daſs GOtt solches reichlich belohnen kan. Jezt ists auch fünffthalb Jahr, daſs ich mich verheurathet habe, mit Rosina, Herrn Simonis Pistorii (welcher vor diesem in der Stadt Tarnowiz im Fürstenthum Jægerndorff, dem Fürsten von Brandenburg zugehœrig, nun aber hier in Pohlen nicht weit von Crakow Pfarrherr ist) Tochter. Vor einem Jahr den 10. Februarii hat mir unser HErr GOtt erst einen Erben beschert, welchen ich Theophilum a) genannt. Welcher zugleich mit meiner Hauſsfrau, noch frisch und gesund ist. Ich zweiffle nicht, daſs man euch herzliebe Mutter, wird biſsher geschreckt haben, wegen meiner Religion und Glaubens-Bekændtnuſs. Aber ich bitte, ihr wollet euch nicht bekümmern, und kein schwer Herz machen.

a) Alterum *Christophorum* dictum esse constat. De *tertio*, (nam tres omnino genuisse notum est,) nihil adhuc innotuit. Nisi quod plerosque, postquam *Sociniani* e *Polonia* omnes ejecti sunt, in *Belgio* vixisse, ibidemque fatis etiam concessisse, non unius generis documentis proditum est.

chen. Denn ich halte mich durch die Gnade GOttes fest an unſern HErrn JEſum Chriſtum, und an ſein heiliges ſeeligmachendes Wort, welches klar zeigt: So du mit deinem Mund bekenneſt JEſum, daſs er der HErr ſey, und glaubeſt in deinem Hertzen, daſs ihn GOtt von den Todten auferwecket hat, ſo wirſt du ſeelig, wie Paulus ſchreibt Rom. X. Cap. Und an denſelben Ort: Wer den Nahmen des HErrn wird anruffen, ſoll ſeelig werden. Und wiederum 1. Cor. XII. Cap. daſs niemand kan JEſum einen HErrn heiſſen, ohne durch den Heil. Geiſt. Als auch Johannes in der erſten Epiſtel am 5. Cap. Wer da glaubt, daſs JEſus ſey der Chriſt (das iſt der Geſalbte, oder unſer himmliſcher Kœnig) der iſt von GOtt gebohren. Solches alles glaube ich in dem Hertzen, und bekenne mit dem Mund. Ich glaube mit Thoma, daſs Chriſtus mein HErr und mein GOtt a) ſeye. Ich glaub dem, was der Apoſtel Petrus ſagt in der Apoſtel Geſchicht II. Cap. daſs JEſum GOtt auferwecket; daſs GOtt den JEſum, welchen die Juden gecreutziget haben, zu einem HErrn und Chriſt gemacht habe. Ich ruffe auch den Nahmen des HErrn an. Und weil niemand ihn anruffen kan, er glaube denn an ihn, Rom. X. So folgt unwiederſprechlich, daſs ich an ihn glaube, und alſo, wie an gedachten Ort geſchrieben, und an unzæhlichen andern Orten, nicht werde zu ſchanden, ſondern ſeelig werden, ſo fern ich in dieſen meinen Glauben werde feſtiglich beharren. Welches ich dann durch die Gnade Chriſti thun will, biſs an mein Ende. Weil mir dann die Heilige Schrifft, welche warhafftig, und niemand betriegen kan, ſolche trœſtliche Hofnung gibt, meiner Seelen Seeligkeit, ſo ſollet ihr an derſelben nicht zweifflen: und euch in dem Fall nicht betrüben oder bekümmern: ſondern euch deſſen gantz vergewiſſern, daſs ich von dem Glauben an den HErrn JEſum Chriſtum, durch welchen wir ſollen, nach der Verheiſſung GOttes ſeelig werden, nicht gewichen, auch biſs an den Tod durch ſeines Geiſtes Krafft nicht weichen will, und daſs ich mich ſchlecht halte an das Apoſtoliſche Symbolum b) oder Glaubens-Bekæntnuſs, welches man mich von Jugend

a) Ergo & matri credulæ, abuſu hujus vocabuli, uti ſupra de *Sonero* obſervatum, fucum facere molitus eſt *Crellius*. Levi cavillo elabi, ubi de confeſſione veritatis agitur, turpe eſt, ſed fucum faciendo in re tanti momenti, alios ipſamque matrem decipere velle, prorſus execrabile. Hæccine ergo a Spiritu JEſu Chriſti profecta eſſe, quis putet?

b) En antiquam cantilenam! Quaſi vero de verbis ageretur, non ſententia, & in hoc quoque negotio locum non haberet: *Duo*

gend auf gelehrt. Glaube ſchlecht: daſs der HErr der allmæchtige GOtt und Schœpffer Himmels und der Erden; welches iſt der Vatter unſers HErrn und Heylandes JEſu Chriſti. Vnd daſs derjenige ſey der eingebohrne Sohn GOttes, und mein HErr; welcher durch den Heil. Geiſt empfangen, aus der Jungfrauen Maria gebohren, gelitten, geſtorben, begraben, zur Hœlle gefahren, von Todten auferweckt, gen Himmel gefahren, zur Rechten GOttes ſitzt, und von dannen kommen wird zu richten die Lebendigen und die Todten. Alſo auch von dem Heil. Geiſt habe ich ein ſolches Bekæntnuſs, welches mit der Heil. Schrifft übereinſtimmt. a) Vnterdeſſen forſche ich der Gœttl. Warheit, welche in der Heil. Schrifft offenbahret iſt, in der Furcht GOttes fleiſſig nach: Bitte GOtt um ſeinen Heil. Geiſt und Verſtand ſeiner Geheimnuſs: prüfe nach des Apoſtels Pauli Vermahnung 1. Theſſ. V. alles, und das Gute behalte ich: Befleiſſige mich durch die Gnade und Hülffe GOttes, daſs ich mœg ein gutes Gewiſſen behalten, biſs auf den Tag Chriſti, welcher einen jeden geben wird nach ſeinen Wercken: wie die Schrifft an unterſchiedlichen Orten bezeuget. &c.

§. XII.

Hactenus matri fidei ſuæ confeſſionem ambiguis verbis, ſenſu recondito, & a veritate Evangelii alieno, quod cætera ejus ſcripta abunde condocent, ediſſerentem audivimus *Crellium*. In qua nihil eſt, quod magis admiremur, immo deteſtemur, quam impudentiam hominis inter hæc, dum pietatem præ ſe ferret in matrem b) ſtudiumque integritatis animi, nihilominus tam doloſe & deſtinato animi propoſito errores ſuos immanes diſſimulantis & involventis, totamque Chriſtianam religionem laxo illo Symboli Apoſtolici ambitu, ſententia licet infinitis modis diſcrepante, comprehendentis, & de Spiritu

Duo cum confitentur idem, non eſt idem. Conf. b. *Rechenbergii* Symb. Apoſt. ad ſenſum mentemque variorum coetuum Expoſitionem, quæ *Form. Conc.* tritiſſimæ, forma 8va Lipſ. ab ipſo procuratæ, ſubjungi ſolet. *Latet* ergo *anguis non ſolum in herba*, *ſed etiam in verbis*. Nec omnem λογομαχίαν meram eſſe & umbratilem σκιαμαχίαν, inde liquet.

a) Mira brevitas & verbis generalibus comprehenſum de Sp. S. confeſſionis compendium, quod videlicet incruſtari alio modo tam commode, ut fraudem mater non perſentiſceret, ſicut divinitas Chriſti, haud poterat.

b) Hujus fraudis ignaram, & ſimplicem; quam vix aliter utpote a ſagacioribus rectius haud edoctam, niſi in meliorem partem, ut verborum nativa expoſcit ſignificatio, hæc accepturam præſcire poterat. Egregium vero pietatis ſpecimen! multo ſane laudabilius futurum, ſi ſcapham ſcapham appellaſſet.

Spiritu Sancto tandem tam jejunam confeſſionem edentis. Vnde quid de illa *præceptoris* confeſſione, *Schoppero* quondam edita, a) judicandum ſit, iterum opinor liquido patebit. Adhæc, qua pertinacia & ἀςοργία elapſus latitaverit inter complices impietatis, ex his litteris evidentiſſime cognoſcitur. Quippe quibus poſt multos a fuga annos, (videtur enim Epiſtola hæc ſcripta A. 1620. vel 1621.) nunc primum, ubi locorum eſſet, & quid rerum ageret, ſolicitam matrem, viduamque omni ex parte orbam, certiorem feciſſe filium huncce perditum, non obſcure ex initialibus verbis efficitur. Quæ omnia, quales ſint fructus doctrinæ corruptæ, & a vero Chriſti Evangelico alienæ, b) animique vel infenſi, vel faſcinati, ſi mitiſſime interpretemur, clariſſime patefaciunt. Quibus adjiciemus ſub id ipſum tempus, clam adhibitam, ad promovendum *Socinifmum*, induſtriam, non ſolum impenſo in N. T. translationem ſtudio, c) aliisque laboribus in ſingulos dies continuatis; ſed etiam, poſt matrem fuco quodam deluſam deceptamque, ingentem ſolicitudinem de fratre in eandem perniciem præcipitando, enixe demonſtratam. Hunc enim, cum mercatus cauſſa *Gedanum* ingreſſurum noſſet, *Mart. Ruaro* illic commoranti plurimum commendaſſe ex Epiſtola a CL. *Creenio* A. 1706. d) demum in publicam lucem producta addidicimus. Vbi, *fratrem meum germanum*, inquit, *ſi Dantiſci ad nundinas futurus eſt*, e) *tibi quæſo commendatum habe, & ſi quid illi poteris de religione inſtillare, vel ſaltem ad veritatem penitius cognoſcendam eum animare, id, ut facias, oro: quanquam te orare nil eſt opus, qui hanc operam omnibus ſponte tua præſtas, ac lubens eamque ipſam ob cauſſam iſtic locorum es futurus.* Vnde ſane, quam cupidus fuerit hæreſeos latius ſpargendæ, liquidiſſime conſtat. Neque vero patriæ eodem veneno inficiendæ deſiiſſe curam gerere, ex iisdem litteris colligere eſt, in quibus paullo ante: *De rebus Belgicis Gallicisque ad religionem ſpectantibus, itemque Germanicis, atque inſignite de Noribergenſibus, aliquid læti* f) *audire pervelim,*

a) Vid. ſupra C. I. §. 19.

b) Ficus ſcil. ἀπὸ τριβόλων Matth. VII, 16. ſeq.

c) Ex hoc enim jam tempore diu in ea concinnanda cœpit cum *Stegmanno* deſudare *Crellius*: quamis lucem A. 1630. demum adſpexerit publicam.

d) *Animadverſ. Philolog.* Tom. V. f. 261.

e) Mercaturæ haud dubie deditus; de quo nobis nihil innotuit, & alibi quoque lares eum, quam *Noribergæ*, fixiſſe probabile eſt.

f) Quæ Epiſtola cum ſit A. 1624. d. 19. Julii *Racoviæ* exarata, ne quid ſuſpicionis reliquiarum *Socinifmi* in patria clandeſtini cuiquam moveat, Cap. IV. §. 1. conferatur.

ſcripſerat, triſtitiamque animi ex rebus iſtic mutatis ſibi commotam, quam clarius in Epiſt. ad *Marcium* Cap. IV. a) exhibenda expreſſit, non obſcure etiam in *Ruari* ſinum effudit. Quæ quidem ad inſtitutum noſtrum ſufficere poſſunt. Nam de reliquis vitæ geſtis, promotione item a gubernatione ſcholæ ad *Paſtorale* officium in cœtu *Racovienſi* obeundum, & ſcriptis denique aliisque laboribus b) compluribus, ne actum ab aliis agamus, nihil eſt, quod addere allubeſcat. De ſola, qua valuit, virium habilitate, alacritateque animi & doctrinæ (ſi ab hæreſi diſcedas) præſtantia, placet ex *Joh. Stoinii*, (vulgo *Stoinski* ſeu *Statorii*, nepotis *Petri Senioris*,) collegæ & cœtus quoque Racov. Miniſtri, *Præfat. ad Opera Crelliana Exegetica* c) excerpere teſtimonium luculentiſſimum & perhonorificum: *Quæ in Matthæum*, ita ille ſcribit, *edita vides, ea ab ipſo quidem Crellio Theologiæ ſtudioſis privatim dictata ſunt; ſed ſola meditatione prævia, non vero ſcripto aliquo ante concepta, non relecta, aut recognita.* d) *Quanquam is nunquam aliter (quod ſciam) aliquid dictare ſolebat, adeo, ut Ethica etiam Chriſtiana, non exiguo volumine contenta, quæ brevi Domino annuente lucem adſpicient,* e) *& Tr. de Spiritu Sancto aureum & Comment. in XV. Caput prioris ad Corinthios Epiſtolæ (nec non alia hujus voluminis commentaria & paraphraſes)* f) *abſque omni chartæ ſubſidio dictaret. Vnde quam rara dos ipſi contigerit, conjectare non eſt difficile.* g) Cujus adeo præfaminis,

a) §. III. & IV.

b) Quos ipſe commemorat in Epiſt. ad *Ruarum* P. V. *Animadverſ. Creenianarum* extante; ubi cumprimis in *Ethicam Chriſtianam* multum ſtudii ſe impendiſſe narrat, & in Verſ. Nov. Teſt. paullatim procedendo, deſudare A. 1624. ſcribit. Cum quibus & ipſo impreſſionis Anno 1630. qui *Ruari* l. c. ſubſequentem Epiſtolam, ad Franc. *Limburgium* perſcriptam, comparabunt & jam A. 1620. ſcripta verba: *Prælum noſtrum jam, ut ſpero, fervet editione Novi Teſtam. Germanici &c.* legent, habebunt, quæ concilient. Niſi eum forte nimium ſperaſſe, & plus juſto *promiſſis* confiſum eſſe, dixeris.

c) Quæ etiam *Comment. in Evang. Matthæi & Ep. ad Romanos* inchoatis, & A. 1636. *Racoviæ* in 8vo typis *Pauli Sternacii* editis, præmiſſa eſt. Quemadmodum vero *Stoinio* huic præſtantiorum quorundam *Crellii* operum editionem debemus, ita multa quoque a *Petro Morſcovio* prælo eſſe parata, ex *Bibl. Frr. Polon.* elucet.

d) Idem teſtatur *Smalcius* in præf. ad Lector. (*Tom. I. Opp. Socini* f. 156.) de *Socini* Comment. *in Epiſtolam* priorem *Johannis*; incertum, utrum ex jactantia mera, an conciliandæ tanto & tam expedito viro, hac hedera ſuſpenſa, auctoritatis gratia.

e) *Selenoburgi* ap. *Aſterios* 4to, qui tamen typus Amſtelodamenſi ſimilior eſt. Plenior ea in Opp. & Amſtelod. 1681. excuſa, reperitur.

f) Verba hæc, parentheſi incluſa, in *Præfat.* cit. *Ed. in* 8vo *Racovienſis* non habentur.

g) Cujusmodi expedita docendi dexteritas etiam notiſſimo Gallorum ICto, *Cujacio*

nis, cum & alia intelligi possint, præsertim, quæ de *Volckelii* LL. de *vera religione*, ab eodem *Crellio* recognitis, & sub incudem revocatis, a *Stoinio* notantur, lectionem accuratam omnibus commendamus, & omissis variis Epistolis, quarum ibi quoque facta est mentio, inque alium locum partim rejectis, partim jam commemoratis, de ejus vitæ exitu pauca, quæ ad *H. Grotium* perscripsit *Gedano Ruarus* Anno MDCXXXIII subjiciemus: Ita vero ille: a) *Ad Crellium, quo tuas mittam, non invenio: is enim rebus humanis jam valedixit: quia tamen existimo, argumentum earum nihil habere secreti, permittis, ceu opinor, mihi, ut eas resignem mihique habeam. Ægrotare cœperat vir optimus, me præsente, qui illuc veneram, IV. Eid. Maji, cum paullo ante eruditissime pro concione de sensu duorum extremorum versiculorum cap. III. posterioris ad Corinthios disseruisset, ex febri maligna, quæ passim tum per oppidum grassata, domum quoque illius infecerat: Ex illa cum XXI. dies mente integra (quod in illo morbo rarum) laborasset, tandem IV. Non. Junii paullo ante octavam horam, ætatis circiter quadragesimum tertium annum, placide exspiravit, præsente fere tota loci illius Ecclesia, quæ paullo ante ad illum valedictura convenerat, illiusque spiritum Domino Jesu voce Ecclesiastæ Slichtingii multis cum lacrymis commendaverat.* Hactenus de morte *Crellii, Ruarus.* Posterorum ex filiis tribus nemo, quod sciamus, patriam parentis revisere unquam in animum induxit. Neque, utrum superfit aliquis ex illius prosapia, constat, præterquam *Samuel Crellius* ex *Theophilo*, ut ferunt, natus, qui in *Belgio* hodieque b) vivit, & scriptis quibusdam de *primo & secundo Adamo:* itemque Libello perbrevi de *communi Sacræ Cœnæ cum plerisque sectis participatione* c) ac similibus d) innotuit. Eundemque sub *Lucæ Mellieri* integumento *ἀναγραμματικῷ* delitescere voluisse, in *fide primorum Christianorum, Defensioni fidei Nicænæ* celeberrimi Angli *Georgii Bulli*

cio tribuitur in Menagianis f. 8. Vbi quando publice prælegerat, tam distincta dicitur usus oratione, ut auditores, quorum plures quam octingentos sæpe habebat, ac Germani præsertim, verba singula exciperent calamis, ac deinceps traderent typographis edenda.

a) Cent. I. Epist. 33. p. 169. sq.

b) Nuperrime certe istic vixisse exploratum habemus

c) Quem dissert. Academica peculiari b. *Gottfried Olearius*, Lips. Theol. confutavit, & in fine recusum adjecit. Priores vero cogitationes ineptissime ingeniosas ibidem D. *Joannem Schmidium* ad examen revocasse jam notum est.

d) Nam ad novam *Lexici* celeberrimi *Bæliani*, quod nuper iterum auctius prodiit, illum quoque symbolam suam contulisse, superioribus annis inter nova litteraria nunciatum e Belgio legimus. Quanquam pauca in ea editione illa nos reperisse dolemus, quæ præsens argumentum illustrare possent.

oppoſita, annoque 1697. Lond. publicata, additamentorum ad *Bælianas Epiſtolas* auctores obſervarunt. a) Vnde cum ſanguine quaſi paterno ad nepotes hæreſin improbam tranſiiſſe manifeſtum eſt. Sed ſatis dictum de *Crellio*. Quem & *Leniancrum* fuiſſe κρυπτικῶς nominatum, Syllabus noſter quidem meminit, ſed ratio ejus denominationis latet; niſi forte ex imperfecta metatheſi deducendum ſit, aut, alludendo potius, quam plane id repræſentando, confictum putes; eodem prorſus modo, quo & *Ethicæ* iſtius, *Cinelli* nomen in editione apud *Aſterios*, ſeu *Sternios*, *Luneburgicos* typographos, primum fuerat præfixum. b) Cum nihil ex elemento C. reſtet, c) niſi quod *Cœtus domus* pro *membris cœtus domeſtici*, cujusmodi variis in locis diverſi, & deinceps *Gedani* congregabat frequentiſſime *Ruarus*, interdum legatur, litteram

§. XIII.

D.

Ordine ſic ferente jam quoque perluſtrabimus; ubi idem illud emporium *Dantiſcum*. *Orcheſtram* eſſe dictum, primo loco reperimus: Deno-

a) Vtrum idem ille adverſus b. *Speneri* de *Divinitate Jeſu Chriſti* Libr. exaſciatiſſimum quædam, *Animadverſionum* titulo, repoſuerit, quod venerandus *Lauterbachius* in vita avi annotavit nuperrime, neſcimus. Neque enim horum quicquam adhuc conſpicere nobis licuit. Non dubitamus autem, ita eſſe, quoniam *Obſervationum adverſus Conc. Speneri* titulo ea prodiiſſe teſtatus eſt, & ſuis haud dubie oculis ſpectavit. Parique modo de *Explicatione* loci vexati 1. *Joh. V.* 8. quæ in *Bibl. Anglicana* Tom. VII. P. 1. p. 271. ſeq. extat, & nuper a Cl. *Mosbemio* in Diſſ. ad h. l. examinata eſt §. XVIII., judicamus, eamque, quando *Sam.* huic *Crellio* tribuitur, non aliis, quam probabilibus rationibus niti, & conjecturis arbitramur.

b) Hæc jam ſcripſeramus, cum in mentem venit, utriusque nominis (*Solinus Leniancer*) conjunctionem exactiorem fortaſſis originem nobis daturam. Idque quum tentaremus, deprehendimus etiam, accurate omnino *Joannis Crellii* nomen, unica tantum littera ſuperante, ex illo priori confici poſſe, atque hinc pro *Leniancro*, ut nihil prorſus abundet, *Leniacri* ſubſtituendum eſſe cognomentum, conjecturam facimus. Cujusmodi errores in deſcriptione *Indicis hujus* jam plures obſervavimus

c) Nam ut ſit *Joh. Crellii*, Sociniani hujus famigeratiſſimi, familia ab ea, quæ ex *Miſnia* orta, & a *Wolffgango Crellio*, Siegenenſium Paſtore, ad alios in *Academ. Ff. ad Viadrum* ejusdem nominis viros percelebres propagata eſt, diſtincta nec minus diverſa a *Paulli Crellii*. Witteb. Theol. atque *Fortunati Crellii*, Philoſ. notiſſimi *Heidelbergenſis* progenie & cognatione, ex profeſſo & ſolicite addocuit *J. C. Becmannus* in *Notitia Vniverſ. Ff. ad Viadr.* C. VII. f. 167. Vbi etiam *Crellianam* gentem *Franconicam* tribus roſis, loco inſignium, uti conſveviſſe, *Wolffgangi* vero progeniem pedibus aquilinis, annotatum ac memoriæ proditum eſt.

Denominatione procul dubio ſumta, præter Germanici nominis permutationem cum Græco *ὀρχέομαι ſalto*, ex loco editiore, quo in theatris ad ludos ſpectandos Senatores conſidebant, actaque intuebantur. Ad quam ſimilitudinem eadem urbs eminentiſſima, Senatorioque ordine & mercimoniis in primis conſpicua, *Poloniæ* motus, ab ipſis quoque *Socinianis* excitatos, contemplari ſolebat. Neque vero adſpiciendis ſolum hiſce turbis vacabat, ſed & ipſa clam palamque iisdem agitabatur, cum tranquillior tamen cæteris, *Paullus* a) *Alciatus*, nobilis Mediolanenſis, e vetuſtioribus *Anti-Trinitariis* inter primos illic ſedem figeret, vitamque ibidem ſuam ad mortem b) usque tranſigeret, ac deinde ex ipſo ordine ſacro *Joachimus Stegmannus* negotium aliis faceſſeret, locoque hinc ſuo, quem inter Calvino-Reformatos c) tenebat, moveretur. Quibus acceſſerat jam diu ante *Stegmannum*, *Matthæi Radecii*, dum *Senatui a Secretis* adhuc eſſet, in provehendo *Sociniſmo*, convocatis etiam conventibus d) privatis, improba cura, nonniſi exauctoratione,

a) Quem *Joh. Paulum* vocat *Sandius*; quod utrumque prænomen etiam *Calvinus* in Opuſc. & *Beza* in Epiſt. LXXXI. atque alibi, quibus tamen optime fuit cognitus, eidem tribuunt.

b) Teſte Ruaro, (non *Bucero*, corrigendus enim typographi error eſt in *Biblioth. Sandiana*) qui ad *Abr. Calovium* hæc Cent. I. Epiſt n. 47. f. 226. diſtincte perſcripſit, teſtibusque fide dignis confirmavit, eumque aliquandiu *Cracoviæ*, antequam *Gedanum* domicilium transferret, egiſſe, ridiculoque fuco, quo pro *Ariano Marianum* ſe eſſe infeſtantibus Scholaſticis dixerit, eos deluſiſſe, ex *Andr. Voidovii* ore narrat. Cæterum a *Beza*, Mediolanenſem militem in vita *Calvini*, Epiſtolis ejus præmiſſa, C. 2. vocari, ſed male ad *Mohammedanos* tranſiiſſe affirmari, non eſt cur h. l. copioſe exponamus. Quanquam nec opus ſit uberiori hujus fabulæ refutatione, utpote quam adverſus *Morerium* aliosque plures jam ſolide diſcuſſit P. *Bælius* in *Lex. Hiſt. Crit.* T. I. lit A. f. 139. ſq. Ed. 1720. Cui tamen hactenus adſtipulari non poſſumus, quando ſuſpicionem *ex itinere forte in Turciam, ſecuritatis cauſſa, ab Alciato ſuſcepto*, ortam eſſe cenſet; quum longe ſit veriſimilius, rem omnem ex ambigua loquendi formula repetendam eſſe, qua, qui S. Trinitatis myſterium impugnabant, quod ab *Alciato* furioſi in modum factum eſſe, & *Calvinus* & *Beza* perhibent, *Mohammedanos* eſſe redditos vulgo tunc dici ſolebat. Quamvis etiam ex *Valentini Gentilis*, ſocii ad tempus amiciſſimi, aſſerto, ut *Beza* l. c. narrat, originem ea narratiuncula habere potuerit, quem interrogatum de *Alciato*, *Muhammedanum eſſe factum*, reſpondiſſe, iſte f. 364. ed. 8v. refert.

c) Conf. de eo totaque Calv. Reform. in hac civitate Hiſtor. & fatis, quæ *Hartknochius* in *Hiſt. Eccl. Boruſſ.* L. III. Cap. IX. litteris conſignata reliquit.

d) Jam enim diu ante hæc *Radecii* tempora (quippe qui demum A. 1592. Vnitariorum ſacra eſt amplexus, vitaque A. 1612. d. 29. Martii *Racoviæ* defunctus) cœtum aliquem *Gedani* fuiſſe placitis *Photinianorum* addictum, vel ex *Mart. Czechovicii Explicat. C. VII. ad Rom.* elucet, quam *fratribus* primo *Gedanenſibus*, poſtea vero A. 1584 Synodo *Wengrovienſi* propoſuit. Cæterum de conventiculis ab ipſo *Radecio*, antequam Sociniſmum

ratione, viri cæteroquin induſtrii & eruditi, coërcenda. Vt taceamus, *Floriani Cruſii*, *Dan. Zwickeri* & ipſius potiſſimum *Ruari* recentiores noſtris & ſuperiori ſeculo jam adulto machinationes difficulter ſuperatas, atque inprimis *Gedanenſibus* moleſtas: de quibus deinceps plura diſſeremus. Quam ſedulam porro ea civitas ampliſſima in veneno *Sociniano* excludendo e mœnibus ſuis operam navarit, cum alia præter jam commemorata hæc a nobis exempla demonſtrant, tum *Theologorum Gedanenſium* adverſus eam hæreſin ſcripta; ſed luculentiſſime etiam condocet *Adami Goslavii a Bebelno* a) *Dedicatio* Refutationi, *Kekermanni Syſtematis* a ſe editæ, præfixa, in qua dici non poteſt, quanta animi impotentia & inſultatione, in ampliſſimum *Senatum* ejus urbis ille invehatur, & vim ſociis ſuis (uti quidem coërcendi eorum machinationes ſtudium interpretatus eſt) illatam exaggeret, ut non tam deprecari eam videatur, quam *Illuſtri Magiſtratui* proterve imperare. De quibus tamen alios conſulere jubemus, quando nobis compendii modum excedere non licet, & plura ſuperſunt, quæ illuſtrationem aliquam flagitent. Hoc enim loco rationem aliquam nominis, civitati ampliſſimæ dati, reddidiſſe ſufficiat. Diligentius excutiendæ ſunt, quæ *Franciſcum Davidis* b) ſæpius in litteris commemorare, novoque hinc & recondito nomine eum inſignire ſvaſerunt, cauſſæ. Ad prius quod attinet, dubium non eſt, quin diſſidium illud de *Invocatione Jeſu Chriſti*, jam olim ortum, & famoſiſſimum inter *Franciſcum* hunc, amiciſſimumque antehac *Blandratam* atque *Fauſtum* tandem *Socinum* hujus hyperaſpiſten, quem in auxilium ex inſtituto iladvocaverat, cumprimis actitatum, occaſionem ſubminiſtraverit etiam *Neo-Socinianis*, ſuper eadem controverſia, inter ſe & cum aliis, rationes ſuas conferendi. Quod ſane ſine provocatione ad alterutrum horum, voce quondam & ſcriptis, de tanti ponderis argumento controverſatorum, c) fieri non poterat. Et quamvis nemo eorum, qui *Altorphi* in *Socini* placita conſpiraverant, a partibus iſtius *Franciſci Davidis* ſtetiſſe videatur, niſi forte *Matthias Rhaw* [dequo alias d)] hujusmodi quid apud ſuos imbiberit, qui certe unus nobis de diſſenſu a cæteris ſuſpectus eſſe e) poſſet; Tamen & res ipſa & dubia a noſtris mota,

cinismum publice profiteretur, coactis *Dantiſci* A. 1584. ſeq. legantur *Socini* Epp. Tom. I. f. 378.

a) De quo annotata ad lit. G. conferantur.

b) Hic enim ordine jam in Indice noſtro ſequitur.

c) Et multo quidem magis, quod neque ea tempeſtate reliquiæ idem ſentientium deeſſent, præſertim in Tranſylvania.

d) Vid. hoc ipſum Cap II. lit. R.

e) Quanquam ejus, niſi fallimur, ſententia, ſi non contraria *Davidianæ*, diverſa tamen ab ea videatur fuiſſe.

mota, de rationibus non contemnendis *Francifci* & affectatorum, fi quidem divinitatem Chrifti æternam aliquis negaret, difpicere jubebant. Vt omittamus ejusdem litigii, a *Sprembergero Altorphi* vehementius, ex aliis tamen principiis, moti deductique rationes, & ἀναλογίαν· quo de certamine jam Cap. primo a) plus fatis dictum eft. Eoque magis in iftac quæftione defudatum videtur, quo major & infolitus plane rigor a *Socini* affeclis adhibitus fuit adverfus *Franc. Davidis* adftipulatores; ita ut contumeliofo *Semi-Judaizantium* titulo non tantum hi paffim traducerentur; fed de fummo quoque falutis difcrimine, quod adituri fint, præter confvetudinem feverius ftatueretur. Quod ut pateat luculentius, *Joh. Stoinii*, cœtus Racovienfis jam ante memorati Miniftri, verba velim ad animum revocari, quibus in *Præfat. ad Crellii Lib. de Cauffis mortis Chrifti*; b) *Ab Ecclefia*, fcribit, *adeoque falute æterna, excludi non tantum Atheos & Paganos, fed etiam Judæos & Turcas, aliosque eorum fimiles; immo vero & eos, qui Chriftianifmum profeffi vel blafphemiæ in ipfum funt rei; vel adorationis aut invocationis ipfius hoftes, quæ fingula crimen læfæ Majeftatis regiæ Domini Jefu arguunt:* c) *vel denique vitio alicui obnoxios fe præbent, quod operibus carnis, (ut facra loquitur pagina) in quibus idololatria principem locum tenet, accenferi poteft.* d) Vnde cum liquido conftet, quos per hoftes invocationis Chrifti indigitet, momentum illius quæftionis in controverfiam vocatæ, cauffæque infuper de ea difquirendi graviores, ex *Socinianorum* ipforummet mente, nullo negotio intelligi poffunt. De reliquo, quoniam ipfe *Socinus* copiofe admodum, difputationis fuæ, ad quam a Principe Tranfylvanorum per *Blandratam Bafilea* accerfitus erat, enarravit hiftoriam, e) noftrum non erit, ut, quæ neceffa-

a) §. XXI. feqq.

b) Qui libellus in *Bibl. Frr. Polonor.* Comment ad 2. *Ep. Theffal.* fubjectus comparet *Tom. Exeget. Crellii Script.* I. f. 609. fq.

c) Eaque haud dubie de cauffa loco p. p. citando contra *Wujekum*, hunc *Franc. Davidis* a Miniftris Eccl. fuæ (*noftris*) recte *damnatum & hæreticum, immo plusquam hæreticum judicatum effe*, præter morem concitatior *Socinus* ait.

d) Cum quo *Smalcius*, affumta *Theophili Nicolaidis* larva in Refutatione Tr. *de miffione miniftrorum Eccl. neceffaria* prorfus confentit, quando Cap. VIII. f. 81. *Quod Budnæum & Francifcum Davidis noftræ fectæ*, ait, *homines appellat* (Borcovius, cui Lib. ifte oppofitus eft,) *in eo affectui potius indulgere, quam veritati patrocinari videtur. Illi enim cum noftris perpetua fuit pugna, & tandem etiam excommunicatus diem fuum obiit; Hic vero a noftris plane pro impio habitus fuit, & hodie nos pro fratre noftro neminem eorum agnofcimus, qui Francifci Davidis fententiam fectetur vel defendat.*

e) In *Dedic. Difp. de J. C. Invocatione* præfixa, fcriptaque d. 14. Julii 1595. *T. II. Opp. Socini* f. 708. fqq. ubi & fcripta amœbæa

ria non ſunt, repetamus, ſed in cauſſis diſputandi, atque in litteris quoque porro confabulandi, ea de re indicatis acquieſcamus. Quis enim neſcit, quo fato tandem *Franciſcus* ille famoſus, juſſu *Chriſtophori Bathorii* Tranſylvan. Princip. in carcerem conjectus, atque in eo quoque A. 1579. jam admodum ſenex vita a) defunctus ſit? Cujus eventus cum nemo ignoret, cauſſam fuiſſe *impugnationem invocationis Jeſu Chriſti*, ita proximam huic infortunio occaſionem dediſſe, duriorem quandam, quæ exciderat *Franciſco*, in ea diſputatione, asſertionem, *Smalcius* teſtatur. Qui in *Refut. Theſ. Franzii*: b) *Vere fraterne tractarunt*, inquit, *noſtri Fr. Davidis usque ad ipſum agonem*, c) *quanquam eum ut fratrem tractare non tenebantur, qui in Jeſu Chriſti veram divinitatem tam impie involabat, ut dicere non dubitaret, tantum peccatum eſſe, eum invocare, quantum eſt, ſi virgo Maria invocetur. Quæ tanta impietas* d) *Magiſtratui occaſionem dedit, eum in carcerem, in quo etiam mortuus eſt, conjiciendi. Quanquam tunc etiam noſtri pro illo excommunicato apud Principem interceſſere, ut hominis infelicis miſereretur, cum alii inſtarent, ut vita privaretur.* Quæ cum ita ſint, nihil amplius reſtat, quam ut de novo nomine conficto, quo *Liberium Eraſmum* vocitare inter congerrones convenit, rationem reddamus. Neque vero difficulter id fieri poterit. Prioris enim ex Germanica lingua & voce *Franc* origo manifeſta eſt; alterius vero ſenſum cum Hebraica notione, qua *David dilectum* denotat, comparatum nomen Græcorum ἔρως, aut verbum ἐρᾷν, ſimiliter haud obſcure prodit: cujus in

bæa reperies. Adde Ejusd. *Refut. Lib. Jac. Wujecki* S. I. *de Diviu. Chriſti* Cap. II. f. 538. Opp. T. II. ubi ſimul A. 1579. ex *colico morbo, non phreneſi*, in carcere obiiſſe, ſecus atque vulgo tradunt, veriſimillimis argumentis adductis teſtatur.

a) De quo tamen exitu vitæ varii generis narrationes circumferuntur; in quibus non tantum illa tritiſſima eſt & inter triſtia *Socinianorum* fata paſſim numeratur, qua mania quadam aut furore correptum obiiſſe traditur; ſed nuper etiam in *Hiſt. Sociniſmi*, Gallice ſcripta, P. *Lamyus*, ut fertur, P. II. Cap. XVII. f. 331. poſtquam alia quoque de eo ſingularia retulerat permulta, carcerique etiam incluſum a Principe in phreneſin (*rage*) incidiſſe addiderat, denique *ruina ædium*, & forte carceris ipſius, *miſerrime conquaſſatum* ait, (*par la chûte ſubite d' un bâtiment, qui l' ecraſa*) idque d. 15. Novembr. A. dicti contigiſſe fidenter affirmat. Quæ, cum *Socinus* ſilentio alto prætermiſerit, commemorare viſum eſt: cæterum verane ſint, an falſa, alii diſceptent.

b) Diſput. IX. f. 298.

c) Immo pro eo, cum duriora in illum ſtatuere vellet Princeps, *Calviniani* cujusdam miniſtri ſvaſu, deprecatos eſſe, & *ut miſeri hominis miſereri vellet, & clementem atque benignum ſe erga illum præbere, ſupplicaſſe Socinianos*, ipſe *Fauſtus* l. c. ait.

d) Gracchorum de ſeditione querela!

in notiorem formam *Erasmi* inflexionem occultandorum, quantum fieri posset, arcanorum scopus requirebat. Quare neque hæc nos morabuntur diutius.

§. XIV.

DüMLERI enim in tristi istac rerum conversione, & sodalitio recens inito *Sociniano*, præcipuum nomen nos postulat, dignum quod majori studio illustretur, postquam suo etiam silentio CL. *Möllerus* nihil sibi de eo innotuisse subinnuit, neque etiam ea, quæ nobis cognita sunt, singularia pervicacissimi in tuenda hæresi hominis, juvenisque alias non indocti, fata innotescere potuere. *Nicolai* prænomen ei fuisse satis nobis compertum est, honestisque at mediocri sorte parentibus opificibus sub finem seculi decimi & sexti *Noribergæ* natum, in Academiam patriam A.R.S. MDCVIII. pridie Quinctilis adventasse similiter constat. Nec utriusque nominis adscititii *Mulderi* puta & *Tyrbæi*, origo difficilis est investigatu; quandoquidem illud ex elementorum duntaxat trajectione; hoc vero ex Græcorum τυρβάζομαι & τύρβη, quorum notiones etiam Latinorum *turba* seu *strepitus* exprimit, manifesto deducta esse, vel tyronibus linguæ Græcæ apparet. Cui posteriori e Græcismo derivationi vulgare illud & in vernacula nostra usitatum *Dumlen*, h. e. sursum deorsum cursitando *strepitum edere*, seu tumultuari, respondet. Quæ cuncta quidem levia sunt. Ad fata autem juvenis infeliciter decepti quod attinet, equidem, uti prima ad *Socinismum* amplectendum ei janua fuerit aperta, explorare nondum plane & distincte a) potuimus. Illud tamen cognitum habemus, *inter primos*, qui eum tentaverit, fuisse *Joach. Peuschelium*, quem tamen adhuc satis constantem, & primum sine successu adortum esse, eadem documenta referunt fide dignissima. At *Georgium* tandem *Richterum* accepimus b) sophismate quodam, contra Mysterium SS. Trinitatis objecto, inter deambulandum effecisse, ut vacillare inciperet. Quo facto dehinc idem, qui antea, *Peuschelius* eum de argumento istoc amplius cogitantem confirmavit, & studiosius virus, teneræ menti injectum, novis additamentis auxit. Quibus omnibus amicissimi facundissimique *Ruari* infelix opera colophonem adjecit, & ultimum corrumpendæ bonæ indolis pon-

a) Quantum ad circumstantias cæteras, præter ea, quæ mox subjiciemus.

b) Documentis omni exceptione majoribus; quæ, ne cuiquam vocabulum hoc *traditionis sublestæ* alicujus suspicionem moveat, addimus.

dus addidit. Vtcunque vero hæc ſint, quæ comperta habemus, certiſſimum tamen eſt, errore tam immani, profundius in animum demiſſo, ita miſerum fuiſſe illaqueatum, ut, dum viveret, expedire ſe haud potuerit, aut potius, cum divino beneficio poſſet, noluerit. Idemque adeo inter eos numerandus eſt, qui pravo dogmate jam penitus comprobato, ſtrenue dehinc cum aliis *Socinianorum* libros communicans, eosdemque, & quidem ſanioribus etiam nonnullis, a) ut *Frauenburgero*, *Fabritio*, *Cobio* atque reliquis tradens, promovendæ hæreſi enixius inter complices operam dedit. Cujus pervicaciæ teſtimonium locupletiſſimum eſſe poteſt adminiſtratio illa Sacræ Cœnæ ſolemnis ſupra enarrata, a qua & ipſe, inter capita factionis, participaſſe cum cæteris, ſuperiori ſectione extrema, ſine cujusquam contradictione, b) obſervatum eſt. Vbi etiam, confeſſos impietatis ſodales fuiſſe poſtea, annotabimus, unum *Dümlerum*, poſt aliorum primipilarium ex Acad. *Altorphina* abitum, in conventibus privatis cogendis agendisque, & admonitionibus *Altorphi* continuandis, induſtriam ſuam inprimis probaſſe, ſed plerumque etiam in labore ſuſcepto ſpe ſua fruſtratum, nihil aut parum amplius apud cæteros, jam remiſſiores redditos, c) profeciſſe. Quomodo vero in diſputando acerrime meliora docentibus reſtiterit, quum ſcelerata deinceps conſilia jam detecta eſſent, atque ex *Academia patriaque* optima, contra fidem datam, aufugerit, Capite III. d) rectius accuratiusque exponendi anſa nobis dabitur. Hoc loco nunc ſatis eſſe arbitramur, quanto eum amore complexus ſit *Ruarus*, breviſſimis condocere, & quorſum dilapſus poſt fugam latuerit, inſuper ſignificare. De priori, affectu nimirum antiquo teneroque, carmen loquitur in honorem illius concinnatum, & Diſputationi ejus de *Vtilitate ſapientiæ & prudentiæ &c.* præſide *G. Queccio* A. 1614. d. IV. Junii habitæ e) attextum: quod certas ob cauſſas totum dabimus exſcriptum:

Ad

a) Vtpote qui vel vacillabant adhuc, vel ad mittendos errores dociliorem animum deinceps attulere. Conf. Cap. III. §. 9. ſqq.

b) Nemo enim inter eos, qui ad confeſſionem vocati erant poſthac, de *Dümlero* dubitavit, ſed, certo illum inter participantes ab iſthoc epulo fuiſſe, omnes uno ore affirmarunt.

c) Repetatur e Cap. I. §. 39.

d) Sect. I. §. IX. coll. §. XXXV.

e) Qua ex Diſputatione etiam, quam Illuſtri *Leonbardo Grundherro* ab Altenthann & Weyerhaus, Academiæ Altorph. Curatori ſplendidisſimo (cujus P. III. ſæpius incidet memoria) dedicavit, gentis *Grundherrianæ* generoſisſimæ beneficiis *Dümlerum* potisſimum affectum, & forte etiam ſtudiorum ſtipendiis ſubſidiisque, dum ſana eſſet mente, ſuſtentatum eſſe, patet. Animum vero gratum, quem tantopere in ea prædi-

Ad ornatiſſimum doctiſſimumque Dominum Reſpond. Dümlerum.

Natura mater bina, ſicut corporis,
Sic mentis, arce collocavit lumina:
Quorum alterum venatur æthera, & Deum,
Et quicquid æterno revinctum fœdere eſt:
Sed alterum ſcrutatur humanæ vices
Sortis, vagamque circuit rerum pilam.
Vtrumque ſæpe lumen ignorantiæ
Glaucoma & imprudentiæ nox integit.
Acutus ille eſt, quisquis altero utitur:
Sed lynceo quovis acutior cluet,
Vtroque qui vel in ſenecta, corpori
Quæ vim negatam mentibus transdat, videt.
Ardore ſed Tu prævio annos increpans,
Dümlere, cui lanugo vix pingit genas,
Curas ſeniles in juventute occupas
Sapientiæ prudentiæque lumine.
Et nunc, ut armiger Tonantis igneo
Splendore pullos ſolis æſtivi probat,
Sic armiger Muſæ ſeveræ Queccius
Te publicæ nunc lucis adverſum jubar
Vtroque mandat obtueri lumine.
Quid ergo? fallor: an ſtatim fulvæ doces
Quod alitis non degener ſis filius?

amica manu ſcr.

Martinus Ruarus, Holſ.

Hinc enim non obſcure patet, quam tenera ætate, minus certe, quam heic laudari videas, prudentem idem ipſe *Ruarus* in errores ſuos abripuerit; tum etiam, quæ fuerit inter utrumque neceſſitudo, ſimul colligitur. De qua amplius Epiſtolæ *Ruari* teſtantur, ubi *ſedatisſimi ingenii juvenem* ab eo Dümlerum, *cujus indoli minime nomen reſpondeat*, appellari legas, talemque celebrari audias, *qui ſe præſtiterit* (Pindari verbis) *ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαντ' ἀκόνην, eo quod confesſionis ingenuitate fortunæ luculentæ renunciare, periculumque præſentisſimum adire non ſit veri-*

prædicat Epiſtola, turpi defectione ad *Socinifmum*, minime demonſtraſſe, ſummique hujus patroni, quem celebrat, indignationem, eapropter conſecutam deinceps, plus ſatis promeruiſſe, res ipſa docet.

veritus. a) Quæ tamen, quomodo intelligenda sint, encomia ex sequenti Capite demum patefiet. b) Alterum, seu qua, post discessum e patria minus laudabilem, fortuna usus sit, ex ipsiusmet *Dümleri* ad *Ruarum* Epistola cognovimus, c) ubi in *Poloniam* quoque, perinde, ut *Crellius*, seu in fines potius ejusdem, se recepisse animadvertere licet. Ex ea namque elucet, Ministerium verbi inter *Socinianos*, *Bobelvici*, d) non procul *Meseritio*, adhuc Anno CIↃIↃCXIX. obiisse, & *tempore* atque *loco certo* istic *viam veritatis*, h. e. hæreseos *Socinianæ*, pro virili sua *alios docuisse*, suamque illam in *Ruarum* voluntatem pristinam, cum erroribus olim, ejus opera quoque haustis, constanter retinuisse. Neque tamen hæc solum, quæ de certo tempore & loco docendi istic habentur, ostendunt, pastoris cœtus alicujus *Sociniani* officium eum gessisse; sed appellatio etiam *Reverendi viri*, quam per modestiam a se *Dümlerus* ipse conatur amoliri, & muneris mentio aperta, similiaque plura confirmant. *Id* vero prædium *Casparis Sacci*, nobilis ejus loci toparchæ, & patroni utriusque, seu, ut *Ruarus* loquitur, *heri*, fuisse, clarius ex aliis observationibus paullo post adducendis constabit. Cæterum ex Epistola citata quam maxime liquet, cum fratribus quoque *Racoviensibus* adhuc fortiter conspirasse, eorumque amicitia ita fuisse corroboratum, ut vicissim *Ruarum* ad constantiam in eodem errore perseverandi exhortatus fuerit. Quod superest, de eruditione *Dümleri*, & cum eruditis pluribus commercio, videtur indicium facere posse Epistola ad *Anonymum* quendam a *Ruaro* scripta; quæ sine dubio ad eum ipsum data est, e) & in Cent. Imæ fasce num. VIIIo, quam ipse L. B. consulat, f) habetur. Ad exitum vitæ, quod attinet, & scripta, quæ reliquerit, præter *confessionem*, de qua proximo Capite IIIo disseremus,

a) Vid. Cent. II. Epist. Ruari n. IX. ad *Peuschelium* scripta coll. n. XXII., & alias mox citandas.

b) Cap. III. §. IX. & XXXV. sq.

c) Quæ in Cent. II ordine XXIIda est: Cum hac vero Cent. Iæ, quæ decima numeratur, conferenda videtur.

d) Conf. hujus Cap. II. §. 52.

e) Tempus profecto, quo *Conr. Vorstius* diem supremum obiit, quod fatum ipsi A. 1622. contigisse notum est, bene ad superiorem annum quadrat, & Altorphinum de reliquo Socinismi quondam consortem hunc hominem fuisse, e f. 61. elucet.

f) Non possumus tamen, quin paucissimis (neque enim omnia excerpere jam licet) in eadem Epistola, *Tauleri* atque *Arndii* itemque *Crameri* scripta præter cætera eum amasse, notemus, &, quod singulare, inque homine *Sociniano* rarissimum videtur, *efficaciam Script. S. supernaturalem* probasse, atque occasione *Rathmannianæ Disputationis*, sub id tempus acriter ventilatæ, defendisse observemus. Quæ quidem hactenus sufficiunt. Totam enim Epistolam perlegere, & relegere semel iterumque, non pœnitebit.

mus, nihil nobis innotuit; in eodem vero prædio *Sacciano* animam efflaſſe, non multo poſt, quam *Ruarus* e peregrinatione rediit, exinde conjicimus, effici poſſe, quod altum deinceps de eo in litteris quibuscunque obſervatur ſilentium. Hæreſi vero *Socini* immortuum eſſe, vel ſola illa pertinacia, quæ ex Epiſtolis paſſim elucet, multisque modis deinceps aucta fuit, nobis perſvadet; ſolumque adeo cum *Crellio Dümlerum* hunc ex illa *Crypto - Socinianorum* infelici *Noribergenſium beneficiariorum* cohorte periiſſe, hinc tandem lugubri confeſſione affirmamus, miſeroque indolemus. Nam cæteros ad unum omnes, ſi a peregrinis diſcedas, a) ad rectam veritatis viam revocatos eſſe, quæ Dei clementia fuit, demonſtratum poſthæc dabimus. Quo jure de reliquo *Turbonis* ſeu *Tyrbæi* illud, de quo paullo ante dictum eſt, nomen fictitium, non ſine omine certe impoſitum, inter ſodales geſſerit, cum hactenus enarrata, tum alia quoque notatu digniora, Cap. ſequenti e tenebris eruenda, palam facient. Tantum de *Dümlero* : A quo ad elementum E. progreſſionem illico inſtitueremus, niſi quoque effictum transpoſitumque nomen ex *Beudelii Deubeliano* nos moraretur, quod cum legantur noſtri ſimiliter uſurpaſſe, uti reliqua, ſupplementi in modum noſtro Indiculo adjiciendum eſt. Is vero, quem deſignat ſine dubio inter *adverſarios* numerari debet. Neque enim alius videtur indigitari, quam, qui *Profeſſor Theologiæ* & *Eccleſiæ Miniſter* ea tempeſtate fuerat *Altorphinus*, *Ioh. Deubelius*, natus *Culmbaci* A. 1576., & in *Volcarti* locum vacuefactum Anno CIϽIϽCV. evocatus erat; ſed Altorphio A. CIϽIϽCXVII. *Neagoram*, ſuperioris vicini Palatinatus oppidum notiſſimum, abierat: b) Vnde A. 1626. in *Noribergenſem* agrum iterum ſe recepiſſe, c) atque A. 1632. animam Deo reddidiſſe, cognovimus. d) Sed quia vix alia de cauſſa, quam quod Socinianorum molitionibus publice & privatim adverſaretur, e) ejus meminere hujus

a) Quos ſuo quemque loco notabimus, & ſigillatim etiam, quid de *Groëo* nobis videatur, ediſſeremus.

b) Et quidem eo tempore, quo jam *Altorphi* Reformatorum hypotheſibus placitisque favere nonnullis crederetur. Inter eos enim memini in ſcripto quodam notisſimo *Chriſtoph. Leibnüzii, quod illuſtri Senatui Noriberg.* tradidit, connumeratum, qui a *Lutheranis* ad *Calvinianos* defecerint.

c) Ejectum videlicet, cum ſacra Pontificia iſtic invaleſcerent.

d) Conferendæ de reliquo ſunt *Vitæ Theolog. Altorphinorum* : inter quas etiam *Deubelii* hujus fata f. 108. ſqq. enarrata leguntur.

e) Aut forte hoſpitium quibusdam domus ejus præberet, vel colloquii etiam poteſtatem, quippe cujus inprimis celebratur humanitas, faceret.

jus factionis insanæ complices, plura de eo addere supersedemus, atque nunc tandem ad litteram

§. XV.

E.

Accedimus. In qua primo loco positus legitur *Georg. Enjedinus*, Ecclesiarum, quæ unum Deum Patrem profitentur, *Transylvaniæ* (uti titulus habet L. mox citando præscriptus) *Superintendens*, & quod recte alii addunt *Claudiopolitani Gymnasii Moderator* perquam famosus. Quem Epitaphii auctor *Matth. Thor.* annos decem omnino muneri Antistitis præfuisse, & A. 1597. d. 24. Novembris vitam cum morte commutasse inquit. Ex quo, ut & præfatione L. cit., etiam *Sandius* conjecturas suas, & quæ de ætate addit, qua mortem obierit, florida, desumsit. *Valentinum Radecium*, *Matthæi* filium, ut patet ex Epistolis *Socini*, in officio utroque successorem habuit. Cætera obscura sunt. Neque etiam ipse *Enjedinus* aliunde in Republ. Sacra & litteraria inclaruit, quam *Explicationibus locorum Scripturæ V. & N. T.*, ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet. Cujus scripti posthumi, atque hinc imperfecti, qua V. T. partes potiores, cum sint prioris editionis, in *Transylvania* impressæ, exempla multo plurima igne absumta, a) hodie plerumque utimur altera, neque tamen ea quoque ubivis obvia, in *Belgio*, id enim typorum docet nitor, b) sine die & consule mendosissime excusa. Examen vero ejus *Just. Feuerbornius* nostras & alii carptim suscepere. Quanto in pretio *Crypto-Socinianis* nostris fuerit, cum disputarent *Altorphl*, supra exinde demonstratum est, quod non pigrati sint ingentem ejus, sua manu describendi, ob raritatem operis, duo licet alphabeta cum dimidio complexi, laborem subire plane improbum. Cujus etiam usus valde frequens in caussa procul dubio fuit, cur in litteris tecto nomine, ne quid invidiæ citatio moveret, auctoris facta sit mentio. Namque instar oraculorum Scripturæ dictorum calumniosas ejus interpretationes inter *Socinianos* plerosque veteres haberi consveviffe, in vulgus notum est. Quanquam diffiteri nequeamus, haud æquale omnes pretium ei statuisse, & *Ruarum* præcipue in eo *quædam* c) *parum firma esse*, notasse, quæ, (ut addit

a) Conf. Cap. I. §. 27.

b) *Gröningæ* autem recusum id esse opusculum, & quidem A. 1670., S. Reverend. Jo. *Fabricius* Abbas Reg. Luteræ celeberr., qui *madidas e typographeo se plagulas* illic coram *accepisse* scribit, postquam huc usque locus latuerat, testatur in Bibl. Fabrit. P. V. f. 51.

c) Interque hæc illa potissimum, ubi lo-

ca

addit,) quia nihilominus *Achillea Socinianorum arma putentur*, *caussam ipsam imperitos suspectam reddant.* a) Qui *Antiwujekum Socini* potius, b) in quo plus ingenii reperiatur, ejus loco novis hisce Socinianis commendavit. Cujus utique Epistola ad *Peuschelium* c) conferri meretur, ubi etiam descriptorum tum temporis *Argis*, h. e. (vid. §. 48.) Wittebergæ, a nonnullis ingenti labore hujus *Enjediniani operis* exemplarium mentionem injecit. Cætera, quæ de patria *Hungaria* seu *Transylvania* potius, oppidoque ad *Marusium* sito, *Enyed*, unde & nuncupatus est, annoque MDXCVII. quo defunctus perhibetur, annotari possent, nolumus ex *Sandio*, & Cl. *Czwittingero* d) repetere. Novum vero *Monavii* nomen, cui interdum patronymicum *Hylæi* additum est, ex allusione ad notissimum *Ein jeden* Germanicæ lingvæ accommodatum, profluxisse, vel nobis haud monentibus, omnes intelligent. Quare, relicto eo, ad *Engelbertum* pergemus, ab iisdem nominum novorum auctoribus *Angeli Bertici* forma enunciatum: de quo, cum nihil prorsus in monumentis hujus Historiæ arcanæ usquam videremus annotatum, jam desperavimus; utrum de eo quidquam adduci posset, quod illustrationi vel aliquo modo in-

 servi-

ca *de Baptismo* agentia v. g. Matth. XXVIII. contra Socinianorum consvetudinem, & hactenus bene, de *Baptismo aquæ* explicat. Propter quæ nominatim eum non obscure carpit *Smalcius* in Refut. Thesium *Franzii* Disp. X. f. 318. Vt alia taceamus, quæ facile ex Epistola *F. Socini*, ad eundem A. 1596. d. 16. Septembr. scripta, colligi possunt: unde de *Adiaphoris* etiam quibusdam eum dissensisse apparet.

a) Recentiores *Vnitarios* (uti nunc quidem vocari malunt, quam *Sociniani*) idem sentire, haud ita pridem litteris proditum est. Anonymus enim quidam *Confessionem Vnitariorum* adversus *Censuram*, qua in den *Hebopffern* P. X. f. 825. ad examen vocata erat, Apologia opposita tueri laborans, (quæ Germ. ed. *in denen Berlinischen angefochtenen Hebopffern* est A. 1720. 8vo,) post celebratum *J. Crellii* opus, *de uno Deo Patre* p. 7. scribit: *Der Herr D. Spener lies den Crellium hübsch liegen, und hält sich am meisten mit dem Enjedino auf, welcher bey den NB. heutigen Vnitariis in keiner grossen Estime ist.* Non aliam sine dubio ob caussam, quam quia ad nauseam usque παρεξηγήσεις ejusdem jam sunt discussæ, novisque excogitatis negotium nostris facessere, commentaque sua, ad tempus certe, novis coloribus felicius exornare infelicissimi homines consultius esse arbitrantur. Aliter vero medio adhuc seculo superiori superstes *Florianus Crusius*, acutissimus Philosophus, judicavit; quem *Enjedinum* præ cæteris jactasse, *Marinus Mersennus* in Epistola, ad ipsum A. 1645. Idibus IXbris scripta, testatum reliquit: nisi forte ad alium de *Providentia Dei* Librum, cujus tamen *Sandius* haud meminit, digitum intendat.

b) *Polonice* primum, & *Latine* tandem in amicorum exterorum gratiam 1595. 8v, impressum, & 1614. *Racoviæ* recusum: in quo itidem loca pro divinitate Christi adducta ordine enervantur.

c) Cent. II. num. IX. f. 53. sq.

d) Quem confer in *Specim. Hungar. Litterat.* littera E. f. 135.

ſerviret, eumque adeo ex illorum numero fuiſſe, qui clam cum cæteris erronei dogmatis adſtipulatoribus ſenſerint, diu ſuſpicati ſumus. Sed tandem in ea opinione nos confirmavit *Olai Engelberti* cujusdam, cognomento *Burei*, *Angermanni Sveci*, & Medicinæ Doct. memoria, monumentis ejusdem temporis conſervata a): qui, cum A. 1611. d. 3. Xbr. *Altorphium* venerit, vivente adhuc & venena ſua ſuggerente ſelectis auditoribus *Sonero*, eidemque ſtudio *Medico* deditus fuerit, facile aliquid ex iisdem clam propinatis haurire potuit. Attamen conjecturæ vim hæc non ſuperant, & alias quoque, præter conſortium erroris, nominandi illius in litteris cauſſas extitiſſe non repugnat; quod pluribus exemplis in ſequentibus obſervationibus proferendis demonſtrabitur. Cæterum quædam de iſtoc *Olao Engelb. Bureo*, *Helmſt.* & *Baſileenſis* Acad. antea cive, ejusque ſcriptis Mathematicis & Medicis, *Joh. Schefferum* in *Svec. Litterat.* notaſſe obſervavimus, quam L. B. conferre poteſt. Atque ita viſum erat quondam, & diu quidem, antequam *Smalcianam* vitam inſpexiſſemus. Ex quo vero illam Celeberrimi *Creenii* beneficio, quod grati prædicamus, perluſtrare nobis licuit, animadvertimus, neque etiam *Svecum* hunc intelligendum eſſe, ſed dubio procul Gymnaſii celebratiſſimi ſub id tempus, quod in Comitatu *Benthemenſi*, *Steinfurti*, florebat, *Rectorem*, idem nomen habentem: Ejus certe Lycei, quod & *Vorſtius* ad tempus gubernaverat, plures fuiſſe Doctores, qui cum eo ſentirent, dubium non eſt. b) Celebrius & per orbem univerſum illuſtre nomen id eſt, quod proxime huic obſcuriori ſubjungitur, Belgæ, *Simonis Epiſcopii*, cujus nova *Horatii* nomenclatura e commutatis Græcæ linguæ vocabulis, Ἐπισκοπεῖν & Ὁρᾶν, ortum ducit ſine dubio. Neque etiam cauſſa, propter quam frequens ejus facta ſit in litteris horum *Neo-Socinianorum* mentio, latet. Cum enim jam in Academia *Lugdunenſi*, ubi Magiſterii honoribus condecoratus erat A. C. MDCVI. *Arminii* partes ſequeretur, ejusque ſcita, ab aliis diſcrepantia, tueri vehementius cœpiſſet; deinde vero *Franequeram* delatus, ex publicis cum *Sibrando Lubberto* diſputationibus, eaque nominatim, qua ſuper

Cap.

a) Tabulæ videlicet & Indices civium *Altorphenſis Academiæ*, quibus hoc tempore & anno nomen ille dedit ſuum.

b) Plura vero de eo, collato *Smalcii vitæ diario*, ſi placet, L. B. addiſcet: quo brevitatis cauſſa, ne eadem bis ſint repetenda, ablegamus, qui certiora de illo ſcire deſiderant. Ex quo, ut neceſſaria tantum h. l. adducamus, *Engelberti* a *Meugden* ei nomen integrum fuiſſe, tantumque in fratres Polonos amorem, ut, viſendi eos gratia, in ipſam quoque *Poloniam* excurrere non dubitaret, patebit.

Cap. VII. ad Rom. a) cum eo disceptatum est, magno cum motu animorum, immo etiam corporum, b) & totius pæne Academiæ, magis inclaruisset, fieri profecto non potuit, quin tantæ eruditionis & facundiæ adolescentis fama percrebesceret. Quæ multis modis aucta est, cum in *Collatione* celeberrima *Hagiensi*, inter *senos* utrinque *Theologos* instituta A. MDCXI., & ipse iis annumeratus, primas fere tenens, res suas suorumque fortiter defendisset: Vnde non multo post in *Franc. Gomari* c) locum subsequuta ejusdem invitatio, & scriptorum ex hoc tempore, anno videlicet MDCXII., publicatorum gloria atque æstimatio haud vulgaris extitit. Vt alia taceamus notatu dignissima ac singularia prorsus fata, quæ sunt ex professo a *Curcellæo, Opp. Editore,* d) primum breviter & succincte, atque a *Limborchio* deinceps separatim & copiosius enarrata, e) inque Epistolis etiam *Remonstrantium* passim sparsimque exposita. Nam quæ sequenti ætate, & in ipsa *Synodo Dordracena*, tum etiam annis, post illam, elapsis proximis gesta sunt, a præsenti instituto aliena jubet esse Indicis hujus confecti chronologia in annum *decimum* & *quartum* incidens. Quam etiam ob rem consvetudo *Ruari* cum Remonstrantibus, jam pulsis e *Belgio* fœderato, abdicatisque muneribus suis, & *Antwerpiæ* tum quidem bonam partem degentibus, de qua in Epistola ad *Dümlerum* f) permulta narravit, heic prætermittitur; quippe post eandem Synodum A. MDCXIX. cum istis intercedens: tametsi non obscure suum in eosdem exules favorem illic prodiderit. Quod enim ad nostros, in lit-

a) De quo, utrum *Paullus* in eo de se an alio, regenito vel irregenito, aut *sub initiis* conversionis, quæ *Arminii* erat sententia, fluctuante & hæsitante, loqueretur, lis erat maxima.

b) Non sine caussa hæc addimus, quoniam in Disp. illa non pluteos tantum ferire, sed pedes quoque, quasi insultaturus adversariis, attollere non verecundatus est. Conf. §. 44.

c) A quo doctissimo, sed vehementissimis affectibus agitato, viro *Gomaristarum, Arminii* discipulis obnitentium, cognomentum esse ortum, nemo ignorat. Quemadmodum copiose hæc aliaque plura exposita sunt nuperrime in vita *Arminii*, a Casp. *Brantio* descripta, & cum observ. S. R. Dn. D. Laur. *Moshemii* Brunswig. A. 1725. recusa.

d) Eum tamen operum *Episcopii*, A. 1650. fol. Amstel. typis procusorum, quantum ad *primum volumen* tantum Curatorem fuisse, monendum est; Alterum enim & majorem Tomum A. 1665. prælo liberatum *Arnold. Pœlenburgio & Phil. Limborchio* cumprimis acceptum esse ferendum, novæ Præfationes præfixæ edocent.

e) In *Historia vitæ Sim. Episcopii*, e Belgico in Lat. sermonem versa, & ab auctore (*Limborchio*) aliquot in lociis aucta, *Amstelod.* A. MDCCI. ed. cujus maxima pars ex MSctis, ab ipso *Episcopio* post mortem relictis, repertisque, contexta & confirmata est.

f) Cent. I. num. X. p. 72.

litterarum clandestino commercio, cryptica nomina, etiam Remonstrantium, subinde admiscentes attinet, manifestum est, eorum adhuc neminem sub id tempus, quo utebantur his dolis, *Belgium* adiisse; vel incertissimum saltem id esse, qui rationes recte subducant, agnoscent: si Polonos quosdam excipias, *Socinianorum* signiferos, & *Sonerum* ipsum, a quibus hi juvenes fuerant misere decepti. Quæ cum ita comparata sint, sola fama, &, sicuti ante a) dictum est, fatorum, ut arbitrabantur, similitudo memoriam etiam *Episcopii* b) haud raro refricari jussit. Omnium vero maxime congruit, ideo toties commemoratos esse in confabulationibus tectis, quod, post *quinque Articulorum* assertores, alii nonnulli, cumprimis *Episcopius*, quædam, si non *Socinismi* suspecta, saltim iisdem haud ingrata nec absimilia, imo in explicatione locorum Scripturæ controversorum, & incrustatione ipsorum dogmatum, ex obliquo quasi, istis inservientia, proferre viderentur, c) eorumque proinde consensus, scriptorum usus, & placitorum ingens celebritas nostris quoque novaturientibus *Socini* asseclis ad palatum essent. In quibus tamen, si quid judicamus, primas tenuit illa *Arminianismi*, ut vocatur, anima, quam *Episcopius* novæ sectæ, novo quasi habitu indutæ, & ab horridioribus dogmatibus expurgatæ, indidit, quando ad *libertatem prophetandi*, d) sine discrimine, & ad cujusque conscientiam ubique indulgendam, cuncta revocavit. Necessitatem autem credendorum in brevissimum compendium e) redigendam esse constanter asseruit, & quidem ejusmodi, a quo nemo, etiam *Socinianorum* pestiferorum f), excludi possit. Hæc

a) De *Remonstrantibus* in universum omnibus: vid. Cap. hujus §. I. it. VI. &c.

b) Omnium, post *Arminium* timidiorem, in hac caussa animosissimi καὶ ἀκριβεστάτου Oratoris: quem *Bleiswicensem* Eccl. jam ab A. 1610., quo *Remonstrantia* fuerat exhibita, gubernasse, atque dein *Trajectanæ* præfuisse, omnium vero maxime rem fortiter in *Collatione Hagiensi* pro sua parte egisse, constitutumque A. 1612. *Profess. Theol. Lugdunensem* magis magisque inclarescere, nostri hi non ignorabant clandestini fautores.

c) Non male ea propter cum b. *Dürrio* nostro, cui familiare id fuit nomen, *Remonstrantes Socinianorum comprivignos* dixeris. Antiqui enim, si non ipsam sanguinis habeant ejusdem originem, affinitatem tamen oppido propinquam dissimulare haud possunt.

d) Hoc est, *sentiendi & docendi* de rebus Theologicis æquam potestatem; desumta ex Rom. XII. & 1. Cor. XIV. nomenclatura. Prophetæ enim olim docendi ordinario & extraordinario cum Sacerdotibus munere fungebantur.

e) *Promissorum* videlicet a Christo, *fidem*, *Præceptorum obsequium*, & *Script. S. debitam* (contra quam peccare ipsis censentur *Pontificii*) *reverentiam*.

f) In quorum forte gratiam *compendiosa* illa *licentia*, vel ex sola Epistola ad Galatas

&

Hæc ſine omni dubio in cauſſa fuit, quare in ore paſſim & oculis calamoque haberetur *Epiſcopius*, a) vir ingenioſiſſime in hiſce exornandis verſatus, & qui propterea acutius, quam alii, (ὁρᾷν,) cernere crederetur. Idemque *fratris* proinde etiam nomine, cum ſodalibus ſuis, eadem ſentientibus, uti & alii, paucula ſerio credentes & pie viventes, mactandus, atque *Horatii* denique, ob egregias animi dotes non minus quam nominis congruentiam, appellatione digniſſimus eſt viſus. Sed ſatis de hoc. Ordiamur nunc elementum

F.

§. XVI.

Vbi primus ſe oculis noſtris ingerit JOHANNES GEORGIVS FABRICIVS, inter amiciſſimos *Ruari* in *Epiſtola* ſæpius allegata *decima* & *ſeptima*, b) verbis: *ſalve mi Fabrici*, & tanquam *dulciſſimum caput*, benevole ſalutatus. Hic patrem habuit natum ex antiqua & Eccleſiæ propemodum ab repurgatione Noribergæ hucusque celebri familia *Schmidiorum* ſeu *Fabriciorum*; quæ mutatio nominis haud dubie ex ſchola quoque *Philippi* orta eſt, atque exinde conſtanter ſervata legitur. Pronepos enim noſter fuit *Johannis*, illius amiciſſimi *Philippo* diſcipuli, c) viri facundiſſimi, qui & ipſe *Comitiis Auguſtanis* A. 1530. cum A. C. *Carolo V.* exhiberetur, interfuit, dein vero *Oſian-*

& 2. Johannis (ubi integra doctrinæ veritas requiritur) refellenda, videbatur, aut revera, erat excogitata.

a) Diſputationibus tamen adhuc magis, quam ſcriptis clarus. Eamque ob rem nihil quoque ſcriptorum *Epiſcopianorum* inter libros ſociorum omnium repertum eſſe, jam ante obſervavimus. Neque etiam ex ejusdem *Epiſcopii*, aut cæterorum *Arminianorum* ſcriptis, quicquam huc usque innotuit, unde cum illis litterarum commercium noſtris interceſſiſſe colligi queat. Vnum duntaxat obſervavimus in *Epiſt. Remonſtr.* locum, ubi n. CCLXXIII. ab initio *Epiſcopius Richteri*, (Georgii noſtri) qui ſe convenerit, mentionem facit. Quanquam enim, præter digna adoleſcente encomia, nihil iſtic commemoretur amplius, aſteriſci tamen bini, inter hæc de *Richtero* ad *Vorſtium* anno 1616. perſcripta, & ipſa oratio valde abrupta, ſuſpicionem movent, de rebus majoris momenti, & *Noribergenſibus* præſertim, inter eos aliquid actum, eamque colloquii partem omiſſam eſſe.

b) Cent. II. f. 139.

c) Vid. *Epiſt. Philippi* T. II. ad Caſp. *Peucerum* ſcripta p. 412. Huic etiam inſcripta fuit haud dubie Epiſtola illa, quæ Tom. V. a *Sauberto* procurato p. 245. *Anonymo* miſſa legitur. Is enim Oſiandri partibus & hypotheſibus faviſſe multis videbatur, atque hinc cum *Culmanno* aliquandiu oppugnationibus aliorum, donec mentem rectius declararet ſuam, obnoxius fuit: qua de re pluribus in altera edit. fatorum *Culmanni*, ἐὰν ὁ θεὸς θελήσῃ, diſſeremus, & fortasſis integrum colloquium, in quo innocentia ejus, ſeu palinodia potius, patefacta eſt, publica luce donabimus.

Oſiandri Anteceſſoris ſui partibus nimis adhæſiſſe videbatur, a qua tamen ſuſpicione, edita confeſſione ſubſcriptaque illa, quæ A. 1554. in *Synodo Noribergenſi* propoſita eſt, ſe immunem profeſſus eſt. Parens fuit *Joh. Baptiſta Fabricius*, Joh. Baptiſtæ, Fürthenſis Paſtoris, illuc ex æde *Norib. Ægidiana* tranſlati, & *Philippo nimium quantum dediti*, filius, Arithmeticam artem profeſſus; Patruus vero *Joh. Fabricius*, a) Antiſtes Sebaldinus Noribergenſis, idem ille, quem paullo inferius cum *Socinianis*, e fuga retractis, congreſſum, & arma una cum *Schrödero* conſeruiſſe audiemus. Cæterum ut ad noſtrum, a Socinianis aliquandiu in retia ſua pertractum, reſpiciamus, idem quoque, uti & reliqui plerique, *alumnorum Noribergenſium* beneficio *Illuſtrium Acad. Curatorum* patrocinio affectus, ſtudiis Philoſophicis ad annum usque *quartum & decimum* operam *Altorphi* dederat non pœnitendam: profectusque ſuos, Præſide *W. Waldungo* Phyſ. P. P., Diſputatione A. MDCXII. habita, de *communibus rerum affectionibus*, *Motu*, *Infinito*, *Loco*, *Vacuo*, *Tempore*, demonſtraverat. Quod exercitium non adduceremus, niſi ex eo addidiciſſemus, ſingulari eum fuiſſe *Joh. Crellii* amicitia gaviſum, ſequenti Carmine oſtenſa.

Ad Ornatiſſimum Juvenem *D. Johannem Georg. Fabricium*, amicum & contubernalem chariſſimum.

Hoccine agis, dum rerum almam inſeviſſe Parentem
Fœtibus omnigenis, quos ipſa enititur, ortu
Motus in primo varios, ſubtilibus uſus
Arguis indiciis, ut ſtringas fortius, ipſi
Qui ſibi, qui fidis renuit male ſanus ocellis
Credere, Zenonem, *qui Socratis* b) eſſe vel uno
Debuerat greſſu contentus? ſedulus iſtuc
Fabrici agis? ſane non hoc agis; Auguror, iſtuc:
Vt Te naturæ poſſis oſtendere veram
Progeniem, & non perpetuæ natum eſſe quieti,
Sed ſtudio atque operæ, conatibus arguis iſtis.
Macte animi, Juvenis, prius & ne deſere curſum,

Quam

a) Conf. ad hanc Genealogiam dilucidandam poteſt Tabula, quæ in *Vitis Theol. Altorph.* Vitæ Celeb. *Joh. Fabricii* Abb. f. 412. adjecta legitur.

b) *Correxit hæc verba Crellius, ſuaque ipſius in noſtro exemplari manu repoſuit ad marginem*: CYNICI QVIQVE.

Quam metam attigeris, nam ſic tetigiſſe labores,
Vera quies animi, teque otia grata ſequentur.

Joannes Crellius, Fr.

Maluimus autem integrum dare carmen, quam leve indicium ejus tantum facere, aut quædam inde decerpta duntaxat repetere; quoniam non ſolum in Poëſi facultatem *Crellii* id prodit haud contemnendam, ſed poſtremum etiam, ut arbitramur, omnium fuit, quod *Altorphi* ſcripſit. Etenim diſputatio citata die XVI. Septembr. habita, ipſe vero *Crellius Noriberga* ſequenti menſe Octobri ad finem decurrente, circaque Kalendas Novembres, clam omnibus egreſſus eſt, variaque tempeſtate & pedeſtri quidem itinere, a) ſicuti ante dictum, in *Poloniam* aufugit. Et fortaſſis huic etiam ipſi nimis amico contubernali *Fabricius* haud pauca in hæreſeos fundamentis poſitis debuit, quem inter præcipuos fautores ſe habuiſſe ille tam aperte confeſſus eſt. Quanquam, ſi fratrum ea de re audiamus effata, deinceps manifeſtata, *Hainlini*, b) eidem ſtudio medico dediti commilitonis, opera potiſſimum Libros *Socinianorum* acceperit: quibus tamen forte non tam inſtructus, quam in præcepta hæreſi confirmatus eſt. Et ad Libros quidem quod attinet, haud ſpernendum apparatum fuiſſe penes eum, hinc colligi poteſt, quod re comperta idem ille *Fabricius* cum *Cobio* & *Frauenburgero* juſſus, ut redderet Magiſtratui, haud paucos, interque illos *Socini Prælectiones*, aliaque ejusdem ſcripta, aliquot voluminibus comprehenſa, *Oſtorodi* item *Inſtitutiones*, & ſimiles, habuiſſe diligenterque legiſſe deprehenſus eſt: qua de re alibi c) pluribus exponendi occaſio dabitur. Vtrum aperte profeſſus ſit *Socinismi* dogma inter complices, d) non æque luculenter conſtat. Id ſane inficiati non ſunt *Peuſchelius* & *Vogelius*, ad aperienda ſectæ recondita poſt id tempus in jus vocati, *pro fratre* ab omnibus *Fabricium agnitum* fuiſſe. Quod quidem ſi non detrectavit arctioris conjunctionis & conſortii indicium, & teſſeram uſitatam, ſatis manifeſto, quid

a) Cujus circumſtantiæ obſcuriuſcule meminit *Paſtorius*; nobis vero, quia aliunde ea cognita eſt, diſtinctius h. l. meminiſſe viſum.

b) Vid. lit. H. Cap. hujus II. & add. Cap. III. §.

c) Cap. III. §. 32.

d) Viſus certe eſt reliquis idem ſentire, atque hinc etiam, quando litteris cum aliis locutus eſt, *Jena Altorphium* perſcriptis, *Peuſchelius*, non tantum conſueta *Felicis Strabonis* appellatione occulta uſus legitur, ſed *Commenſalis* quoque ſui *Juterbocenſis* aliud novum interdum adoptavit. Ex quibus circumſtantiis, quantopere machinationibus horum homuncionum clandeſtinis & ipſe fuerit deditus, perſpici poteſt.

quid ſentiret, ad tempus ſaltim, ſignificaſſe, inde poteſt intelligi. Neque tamen etiam cauſſa deeſt, cur tam enixe, ſicut reliqui, errori approbato non dederit promovendo operam, ex ſtudiorum rationibus elicienda. Cum enim Medicinæ incumberet, a) unde etiam *Philiatri* cognomen accepit, Theologica, niſi ut conſcientiæ ipſe ſuæ conſuleret, haud videtur multum curaſſe, aut ex inſtituto tractaſſe. Eamque ob rem facilius quoque deinceps fuit, ab erroneis hiſce opinionibus, imprudenter quidem admiſſis, ſed non ita profunde in animum demiſſis, eum abſtrahere, revocatumque ad ſaniorem mentem ſtudiaque medica, deſerta prorſus impietate *Sociniana*, in veritate cœleſti ſtabilire. In quo labore perficiendo patruus inprimis, ſupra laudatus Miniſterii Norib. primarius Antiſtes, & interdum quoque poſt *Hellingium* adhuc *Superintendens* Eccleſiæ Noricæ, ſed a privatis tantum, vocatus, b) nihil reliqui fecit. Quam conſtanter in Republ. patria ab eo, de quo heic a nobis dictum eſt, hæreſeo contagio immunis pie vixerit, neque unquam vel in ſuſpicionems priſtinæ opinionis venerit, hominum adhuc memoria cognitum eſt. In *Frebero* autem, neque hæc, neque alia, quæ de Sociniani erroris commercio a nobis, pro ſupplemento vitæ juvenilis & Academicæ, adducta ſunt, niſi fruſtra requiras.

§. XVII.

Proximus a *Fabricio* ſeu *Schmidlino*, (quod alterum cognomentum unde ortum ſit, facile eſt, ex vulgari, per id tempus, *Jacobi Andreæ* c) appellatione, colligere,) commemoratur FRAVENBVRGERVS, & ipſe

a) Quam etiam *Noribergæ* poſt id tempus perquam feliciter fecit, poſteaquam *Wittebergæ*, *Jenæ*, (ubi Ord. Philoſoph. Adjuncti dignitate eſt condecoratus) atque *Baſileæ*, plurimum in ea profecerat, & A. 1620. heic *Auguſtæ Rauracorum* Doctoris titulos adeptus erat. Cæterum multis honoribus annisque auctum ær. 75. A. 1688. animam Deo reddidiſſe, vel ex *Freberi* narratione, qui & alia multa de eo diligentiſſime congeſſit, conſtat.

b) Verbi gratia in *Alloquiis* ſeu compellationibus, itemque *Dedicationibus Diſputationum*, & ſimilibus aliis: cujusmodi multa hinc inde adhuc occurrunt exempla. De reliquo *ſeniorem* intelligimus, ſeu medium potius, *Johannis*, Prof. Altorph. & ad D. Mariæ poſthæc Antiſtitis, patrem, ac ſumme reverend. *Abbatis avum*; quod, niſi confuſi eſſent ambo in *vitarum Theologorum* excerptis, præſertim nuperrimis, ubi *Tabula* præmiſſa Antiſtiti Mariano male adſcribitur, quæ huic *Sebaldino debetur*, haud ita ſolicite moneremus. Add. infra §. 47.

c) *Theologi Tubing.* dudum defuncti, & Form. Concord. præcipui ſcriptoris. Quem ex deſtinatione in pueritia ad officinam fabrilem, carente tamen ſucceſſu conſilio, atque *aliis etiam de cauſſis*, vulgo, præſertim

ipſe Noribergenſis patria, alumnorumque ſocietati adſcriptus. De quo ex *Academiæ Altorphinæ Gloria Omeiſiana* non repetemus nota jam cunctis & pervulgata, ſed pro inſtituti ratione ea heic duntaxat adjiciemus, quæ ſunt itidem ab aliis omiſſa, & ad *Sociniani* erroris contagium attinent. Namque & eum huic veneno aliquandiu locum in mente dediſſe ſua, certis hiſtoriarum monumentis innotuit. Neque etiam dubitamus, quin ſententiæ pravæ approbationem contubernalibus præcipue acceptam tulerit. Immo etiam compertum eſt a) poſtea diſtinctius, nominatim *Peuſchelium*, eumque, ſi non primum, inter primos certe fuiſſe, qui ſcrupulos de *Baptiſmo*, aliisque partibus doctrinæ ipſi moverit; quæ dubia exinde librorum, (uti ſolebant) traditorum lectione corroborata ſint. Eodem certe die, quo & *Fabricius*, eos tradere juſſus, non exiguum illorum numerum, & particulatim *Oſtorodi Inſtitutiones*, *Socini L. de Servatore*, *Catechiſmum Racovienſem* ſimilesque, a *Peuſchelio* non tantum, ſed etiam *Dümlero Vogelioque*, ut ajebat, acceptos antea, non invitus exhibuit. In fratrum numerum ſolenniter adoptatum eſſe, ſodales deinde profeſſi ſunt ſine tergiverſatione. b) Sed iidem quoque, Theologica ſtudia eum poſthabuiſſe Juridicis, affirmarunt; quin etiam nimio vanarum hujus mundi rerum amore arreptum, non, perinde ut alios, ſibi ſociisque cæteris probatum fuiſſe, haud diſſimularunt. Vtrum & ludicra illa, quæ in *Depoſitionis*, ut vocant, *ritu* peragi ſolebant, (hoc enim ea tempeſtate fungebatur munere) fratribus, piam gravitatem conſectantibus, diſplicuerint, non definimus. Illud vero certis teſtimoniis edocti ſcimus, mature eum & primo ſtatim tempore virus doctrinæ pravæ acceptum exſpuiſſe ex animo, ut parum de convincendo retrahendoque dehinc in viam planam rectamque fuerit laborandum. Neque etiam propterea dubita-

Ee runt

tim ab illis, qui *Form. Concord.* non approbabant, ita per ſcomma vocari conſvevisſe, quis neſcit? Quanquam & avum noſtri olim *Schmidium* quoque eſſe dictum, & *Henr. Fabricium*, *Helingii* vicarium, *Schmidlini* cognomine *Noribergæ*, jam ſub finem Sec. XVI, inſignitum fuiſſe, ſciamus. Quicquid horum ſit, *Schmidlini* tamen cognomentum uſitatum ſub id tempus fuiſſe, neque *Jac. Andreæ* in contumeliam ceſſiſſe patet. Vtrum vero cætera, quando modo *Alaſtor*, modo *Vulcanus*, (uti a *Rud. Gualtero* factum eſt,) modo etiam *Jac. Volateranus*, (quo titulo ipſe *Selneccerus* noſter eum ornavit) appellari conſvevit, æque a nota ignominiæ liberari posſint, alii diſpiciant.

a) Ipſorum nempe ſodalium, in rerum accuratiori indagatione, confesſionibus concordibus.

b) Quo ſenſu procul dubio a plerisque, *Ruaro*, *Groëo*, *Richtero*, *Planero &c.* in Philotheca frater, & μετὰ προσθήκης, *frater in Chriſto dilectiſſimus*, ſenſu religioſo, ſalutatur.

runt *Illuſtres Academiæ Curatores*, poſtquam honores in Jure utroque ſupremos *Baſileæ* A. 1617. ſuſceperat, ſuamque eruditionem pariter atque in fide Evangelica tuenda ingenuitatem, documentis ſemel iterumque editis, abunde probaverat, eidem extra ordinem primum, tum etiam ordinariam *Profeſſionem Juris* demandare. Qua functione a) & vita ſimul brevi defunctus, annoque M DCXXX. mortuus eſt, atque incomparabilem *Ludwellum*, gente *Boruſſum*, habuit ſucceſſorem. De facultate Poëtices, qua inprimis excellebat, cum alia carmina, quæ proſtant, multa plurima, tum illa potiſſimum poëmata teſtantur, quibus *Virginii*, filiam ſuam interficientis, ex *Livio*, perpulchre, & Germaniæ Tempeſtatem A. 1611. atque 1612. heroico verſu deſcripſit, quartaque, ut vocant, philyrarum forma, ſub id tempus ſeorſim, dum hæc agebantur, in quibus enarrandis deplorandisque nunc occupamur, evulgavit. b) Ad quorum alterum idem, qui ſupra *Fabricio* applaudebat, *Joh. Crellius* hanc non indoctam ſubjecit eodem metri genere gratulationem:

Qui tempeſtates patriæ, qui funera verſu,
Funera Virginii ſcribis triſtiſſima prolis,
Virginei decoris cœtus: feraliaque orbis
Funera qui renovas, capitis næ funera Romæ,
Appii & horrendas imitantes ſceptra ſecures,
Sceptra ſuperba viris inviſa Quiritibus olim
Tarquinii; quid me, Frauburgi, *carmina poſcis*
Læta, nihil nobis referens in carmine læti?
Non certe ſtupefacta Deum mens concipit, iſtis
Mens concuſſa malis, nec ſpiritus entheat actum
Ad numeros pectus. Sed quid Te ego carmina læta
Poſco? nihil poſcunt, niſi triſtia, triſtia noſtra hæc
Tempora, nil facies aliud triſtiſſima rerum.
Carmina tuque adeo rebus non abſona noſtris,
Funera tu Regum, Frauburgi, *triſtia ſcribis.*

Johannes Crellius, Fr.

Quæ vel eo adducenda videbantur, ut, ſi de querimoniis *Crellianis* non ſatis clare teſtari putes, ſaltem de familiaritate inter *Frauenburgerum*

a) Cui & *Conſiliarii* Reipubl. & Senatus illuſtr. *Noribergenſis* tandem A. 1625. acceſſit dignitas.

b) Cætera enim, quæ deinceps publicavit, quæ pauca ſunt, ad jurisprudentiam pertinentia, aliunde & in vitis ICtorum noſtratis Academ. commemoratum iri ſpes eſt.

gerum etiam atque *Crellium*, ortuque hæreſeos paullatim inſtillatæ longius forte repetendo quadantenus conſtaret; tum etiam, ne *Crellianæ*, quæ diſperſa ſunt, poëticæ venæ ſpecimina non ſpernenda perirent. Quod ſupereſt, miramur, optimum *Kœnigium* noſtrum in *Bibliotheca Frauenburgerum* noſtrum *Joh. Georgium* (incertum, errore calami, an typographi,) pro *Joh. Gerhardo*, quod verum & genuinum nomen fuit, vocaſſe. Adventitium de reliquo nomen *Fœminei*, itemque *Magdeburgi*, ex alluſione ad Germanicam veram appellationem natum excogitatumque eſſe a *Crypto-Socinianis*, in aprico poſitum eſt. Quod igitur cum nos non moretur, ad alia procedimus.

§. XVIII.

Trajecimus nimirum in h. l. meritiſſimum divinioris cœtus Theologum GVOLFFG. FRANZIVM, dedita opera, ut fratres conjuncti, & erroris pœnitentia pariter ducti, non dirimerentur. Quare, quæ de utroque commemoranda erant, hactenus enarratis, hujus Eccleſiæ Evangelicæ tanti luminis rationem, nunc etiam paucis habebimus. Heic vero ante omnia cauſſa reddenda eſt, *cur* Theologi hujus, præſtantiſſimi præter cæteros, in Indice noſtro occurrat memoria. Eſt nimirum mentio ejus facta in Epiſtolis mutuis *Socinianorum* frequentiſſima, quoniam cum eo haud raro *Wittebergæ Vogelius* in diſputando fuerat congreſſus. Adhæc ſcripta quoque jam tunc proſtabant maximæ famæ, nec pauca, doctiſſimi hujus viri, ad quæ multoties provocabatur ab utraque parte. Quid? quod eo ipſo, quo adventaverat in Academiam *Leucoream Vogelius*, anno, examini publico proponi cœpere *Diſputationes* celeberrimæ *de Sacrificiis Chriſti:* a) quarum prima de iisdem, tanquam ſatisfactionis a Chriſto præſtitæ typis certiſſimis, propoſita eſt b) A. MDCXIV. d. 24. Augusti;

a) In quarum *Præfatione*, A. 1616 perſcripta, etiam *Crypto-Socinismi Altorphini* nuperrime detecti his verbis fol. 3. (b) meminit auctor: *Quam ſoleant homines*, inquiens, *præſertim alioquin prurientibus auribus ad novitates amplectendas avidiſſimos facile in maſſam ſuam trahere, teſtabitur nuperrimum triſte exemplum apud Noribergenſium Altorfſenſem Academiam; teſtabitur paſſim Belgium; ut de aliis ſileam locis. Catervatim nimirum ſeducuntur nunc a Photinianis quam plurimi, & multi vulnera ſua non aperiunt, ſed, quaſi theſaurum eruditionis Theologicæ nacti, ſibimet privatim quam plurimum gratulantur, reliquasque religiones omnes præ illa ex alto deſpiciunt.* Vbi parum abeſt, quin ad *Vogelii*, & forte etiam *Peuſchelii*, Jena ſibi perſcriptam methodum diſputandi, ſibique mirum in modum, intra ſindonem, placendi & applaudendi ſtudium, aliorumque ſimilium mores reſpici, credamus.

b) Reſp. M. *Mich. Siricio*, Lubecenſi; *patre,*

gusti; Altera vero p. p. sequente IV. Nonar. Novembrium, quam tertia d. 1. Febr. A. MDCXV. excepit, ad quas porro cæteræ accesserunt, donec postrema, quæ vicesima est, A. MDCXVI. d. VI. Martii finis operi illustri imponeretur. Quæ quos motus excitarint inter novos veteresque hæreseos Socinianæ adstipulatores, dici non potest. Eoque majores illi fuere, quo impeditius non tantum argumentum illud erat, a *Franzio* felicissime expeditum; sed jam ante præclarum specimen idem vir perspicacissimus, sacræque Exegeseos, si quis alius, a) peritissimus, quid adversus *Socinismi* nervos incidendos valeret, ostenderat, in *Disputationibus* in *Aug. Conf.* A. 1609. 1610. & 1611. primum evulgatis, & adversus *Catechismum Racoviensem* potissimum instructa acie prodeuntibus. In quibus utcunque examinandis sine mora etiam desudavit *Valentinus Smalcius*: Cujus *Refutatio Thesium Franzianarum* cum ederetur in lucem *Racoviæ* b) A. 1614. c), in exagitando potius antagonista (quem *ridiculum* Theologum appellare solet, omnium licet confessione accuratissimum) quam refutando occupata, mirum non est, nostros hosce magistro suo haud meliores discipulos passim eo ablegatos esse. d) Et est sane, si quod aliud, *Smalcianum* illud *opus* totius Socinianæ hæreseos, dilucidius expositæ, secundum capitum, a *Frantzio* sic distributorum, ordinem, compendium valde perspicuum, sed hoc simul nomine magis detestandum, quod in eo potissimum contra summa tremendaque mysteria fidei convitiando e) omnem fere petulantiam effudit autor: utpote quæ in omnibus

patre, inquam, *non filio*, quorum hic *Theologus Rostoch.* inclaruit post medium seculum XVII.; ille vero, *Minister Eccl. Lubecensis* optime meritus, ibidem etiam diem suum obiit. Quæ, ut error in *vita Crinesiana* f. 232. not. (o) commissus corrigatur, h. l. data occasione monemus & rogamus.

a) Neque auctoritate præcedentium abreptus, sed explicationis & interpretationis genuinæ fundamentis hermeneuticis innixus: Quam etiam ob rem aureus ille *de Interpretatione Script.* Liber diuturnam, rigidamque, antequam typis vulgaretur, *decem*, & quod excedit, *annorum* censuram est passus.

b) Et quidem ea protervia, ut *Academiæ Wittebergensi*, quemadmodum nuper admodum *Catechismus*, dedicaretur.

c) Quam tamen A. 1615. demum *Wittebergam* missam ab eodem fuisse, *Franzius* in *Vindiciis* Disp. I §. VII. scribit: qui præced. §. VI. suas in A. C. Dispp. ad *Joh. Timæum*, Frauenst. Eccl. Ministr., curatas Andr. *Voidovium* accepisse, & cum *Smalcio* communicasse narrat.

d) Conf. quæ inferius ad *Smiglecium* annotabuntur §. 46.

e) *Acerba scommata ubique ferme paginarum ipse Franzius* in Præf. Dispp. de Sacrific. d. 3. (b) notat. Quibus par pari referre se nolle, nec, ut fiat, etiam decere l. c. ait, ipsum vero *de Sacrificiis* Tr. qua potiora, *de merito Christi & gratuita justificatione*, oppositum esse petulantiæ *Smalcianæ*, pluribus ibidem condocet.

bus fere paginis non alio, quam *fabularum* & *nugarum* elogio, illic mactantur. Atque hæ cauſſæ fuerunt *Franzii* ſæpius commemorandi, ſolitaque κρύψα involvendi. Accedebant ſuper hæc frequentes ipſorum *Polonorum* litteræ, quibus illi ſciſcitabantur, quid in lucem publicam emiſiſſet, aut in cathedra proloquutus eſſet optimus *Franzius*, ut de Reſponſionibus contra adornandis conſilia opportune, & quaſi in arena conſtituti, capere, &, ſi quando opus eſſet, publice etiam, quæ excogitaſſent, reponere poſſent. a) Quemadmodum vero coram cum eo aliisque collegis diſputaverit *Vogelius* acerrime, (ſicuti paucis jam ante dictum eſt) Photinianorum ſcita defendens, ubi commodum erit, in Capite ſequenti copioſius exponemus. b) Eo namque illa differre jam ſatius putamus, quam h. l. anticipare. De *Galli* autem nova cognominatione hoc minus laboramus, quo apertior eſt ejus, alluſione ad nationem Gallorum inſtituta, cum Germanico idiomate *(Franzoß)* congruentia; quem jocularem in Theologorum nominibus mutandis morem *Balthaſaris Meiſneri* ſuo p. p. loco occurrens nomenclatura clarius edocebit. Nunc enim, ut ad reliqua procedamus, ordo requirit. Et quamvis ſupplementum heic quoque occurrat annectendum, tamen non ſatis cauſſæ habemus, cur in *Rivalium*, c) ceu appellabant, h. e. *fratrum cœtus Vnitariorum recens natorum* explicatione diu hæreamus. Nemo enim eſt, qui non intelligat, incredibili furore, quo hæreſin deperire cœperant, eo abreptos fuiſſe *novos* hoſce *Photinianos*, ut, improba quaſi æmulatione, cum aliis recens in conſortium adoptatis ſe certare velle profiterentur. Quæ quam conformia ſint Sp. S. loquendi modo in propheticis ſermonibus, ubi falſæ doctrinæ confectatio *meretriciis amoribus*, effreni impetu exercitis, comparatur, aliorum eſto judicium.

§. XIX.

Ad novum ergo, & poſtremum quidem in hoc elemento, nomen fictitium mentem convertimus, obviam heic habentes obſcuriſſimam d) Pompeji larvam, in qua detrahenda plurimum laboris

 ponen-

a) *Vindicias* enim ipſas *Diſpp. Theologicarum pro Aug. Conf. habitarum*, adverſus *Smalcium* ab eodem adornatas, & junctim A. 1622. *Witteb.* 4o impreſſas, vix cœperat, præſente *Vogelio*, conſcribere.

b) Cap III. §. 5.

c) Hujus autem nominis uſum inter *Peuſchelium & Vogelium* amicosque Altorphinos fere tantum receptum fuiſſe, Epiſtolæ MSctæ, de quibus jam ſæpenumero dictum eſt, edocuerunt.

d) Atque hinc Cl. *Möllero* quoque prorſus intactam.

ponendum fuit, donec e latebris, quem ſubeſſe voluerint congerrones illi, protraheretur. Quo tandem facto, FÜRERVM hoc integumento deſignari, repertum eſt, CHRISTOPHORVM videlicet, de quo ſupra dictum, a) non patrem Duumvirum, filio cognominem, ſed *filium*, eumque ipſum, cum quo peregre *Sonerus* quondam abierat, & qui non multo poſt in republica Noribergenſi, quam inprimis ornat Illuſtris patricia *Gens Füreriana*, maximas dignitates ex merito eſt conſecutus. Ea vero tempeſtate, qua motus illi *Socinianorum* funeſti ad faſtigium jam fere perducti, remoto velo, palam fiebant, *Senatoris* in patria *Conſularis* dignitate exſplendeſcebat. Hunc quare in Epiſtolis quoque commemorarint, non alia nobis cauſſa explorari potuit, quam priſtina illa cum *Sonero* familiaritas, & propter beneficia olim exhibita, in fidiſſimum peregrinationis comitem ac moderatorem conſtans, dum viveret, gratia & affectus. Quam perbenignam ejus fratrisque voluntatem jam Cap. Imo b) vidimus a *Richtero* in Dedicatione Orationis parentalis, *Sonero*, poſt obitum, conſecratæ, abunde prædicatam. Vbi eosdem quoque, ut actus declamationis ſplendidior redderetur, *pluribus ſimul cum hoſpitibus adductis, ad orationem iſtam audiendam ſua ſponte comparere haud dedignatos eſſe*, ſcribit, amicitiamque cum eodem *Sonero* contractam ſingularem inviolatamque ſemper conſervatam, aliaque patrocinii, in defunctum æque ac vivum, teſtimonia mirum quantum extollit. Quibus rebus, & quod cum *Oſtorodo* ac *Voidovio* in itinere quondam Belgico crederetur idem *Chriſtophorus Fürerus* aliquid habuiſſe, ut comites alioqui ſolent, commercii, ſuſpicio c) orta eſt, iisdem, quibus erat deditus *Sonerus*, etiam in religione partibus *Fürerum* illuſtrem addictum, atque eo quoque a *Sonero* abductum eſſe. His certe rebus factum eſt, ut, cum etiam in Indice, de quo agimus, crypticarum appellationum, ab homuncionibus iſtis confecto, *Pompeji* nomen legeretur, hinc jam olim ſuſpicione reconditorum ſub eo arcanorum mota, dica tandem quoque optimo *Fürero* ſcriberetur. Cujus tamen fuit eventus, ut, innocentiam ſuam præclare demonſtrandi ille nactus, occa-

a) Cap. I. §. XI.

b) §. XVII.

c) Ita certe nuper admodum Vir Celeberrimus *D. N. H. Gundlingius Gundlingianor.* P. I. n. 2. f. 31. in nota conjecit: Der obbenannte Chriſtoph Führer mag ebenfalls von Sonero ſeyn verleitet worden Zum wenigſten haben ihn die Crypto-Sociniani unter ſich Pompejus genannt. Alia vero & certiora ex hac noſtra rerum iſtarum narratione candida, (in qua nihil auribus damus, ſed comperta ſcribimus,) jam cognitum iri, minime dubitamus.

occaſionem excitatam ſuſpicionis injuriam ſolidiſſime dilueret, & graviter refelleret. Non enim tantum, cum comparuiſſet ad ſe purgandum vocatus, per omnem vitam de *Socinismo* ſe nunquam cogitaſſe, ſancte profeſſus eſt; ſed etiam ſigillatim amicitiæ cum *Sonero* cultæ invidiam efficaciter amolitum, atque teſtatum eſſe, accepimus: a) *Severatum quidem eſſe Sonerum, in humaniori litteratura præceptorem; at nunquam aliquid doctrinæ depravatæ ſibi eum inſtillaſſe.* Porro, *cum id genus hominibus conſvetudinem* b) *litterarumque commercium nullo tempore ſibi interceſſiſſe, neque etiam ſcientem, gnarumque, qui & quales eſſent, cum iisdem ſe converſatum unquam eſſe*, conſtanter aſſeverabat. Immo *tantum*, ajebat, *abeſſe, ut in fratrum ſocietatis peſſimæ numerum unquam receptus ſit, ut in hunc usque diem ſacris publicis pie uti, utpote puriori Evangelicæ religioni addictus, ſine intermiſſione, & cum deteſtatione Socinianæ hæreſeos, perſeverarit. In qua confeſſione veritatis & S. Trinitatis ſincera etiam ad extrema usque fata permanſurus ſit.* Atque ita conſimiliter de *Pompeji* illo novo nomine interrogatus, id ipſum, *quod primum nunc audiat*, ſibi minime cognitum, *neque de eo quicquam antea auditum per omne tempus vitæ*, religioſe teſtatus eſt; multoque adeo minus, *a quo ſibi cognomentum illud inditum ſit*, ſe noſſe, iterum iterumque affirmavit. Contra, toto pectore denuo teterrimam hæreſin Socinianam deteſtatus, *ut famam nominis ſui & innocentiam tueretur Inclytus Magiſtratus Noribergenſis, & omni ſtudio vindicaret a calumniis*, maxima, qua potuit, animi contentione rogavit. Quare, cum etiam poſt hæc tempora vir de Republ. pariter & Eccleſia patria immortaliter meritus, non alia, quam integritatis haud fucatæ & ſinceræ devotionis in veræ Evangelicæque religionis cultu, documenta dederit, ipſamque Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem *Ephorus Eccleſiarum & Scholarum, atque Curator Academiæ primarius* tandem creatus, exquiſita ingenuitate, dexteritate & fide, aliaque ſumma munera præclare geſſerit, donec *Duumvir* Reipublicæ A. S. R. MDCLIII. d. 4. Maji ſpiritum Soſpitatori ſuo redderet; in aperta luce poſitum exiſtimamus, inſontem eum in iſtas turbas & clandeſtinas conſpirantium *confabulationes* c) pertractum eſſe. Quam vero ob rem *Pompeji* nomen affictum ſit Generoſiſſimo

a) Idque certo ſcimus, non rumuſculis, ſed genuinis rerum actarum documentis edocti, bonaque hæc fide ſcribimus.

b) Quam nimis amicæ ſalutationes, quæ dicebantur interdum obſervatæ, arguere viſæ ſunt.

c) Non ſine gravi cauſſa hoc vocabulo utimur: quoniam, ut infra Cap. III. docebimus, non alia quæſiti, *Vogelius* æque ac *Peuſchelius*, indicia, quam *fando id ſe ab aliis accepiſſe*, dare potuerunt. Vid. §. 23. & 24.

ſimo *Fürero*, non habemus dicere. Etſi enim, nobilitatem generis eam nomenclaturam reſpicere, bene intelligimus, qua, ut olim in Romana Republica *Pompejus* præpollebat, ita quoque Illuſtris *Fürerus* inprimis conſpicuus erat; tamen, cur Pompejanam gentem, cum Julia, nominatim vero *Cajo Julio Cæſare*, de gloria magnopere contendentem, præ aliis omnibus elegerint, neque, cum aliquo Senatorii Ordinis præcipuo viro æmulationem ei interceſſiſſe, conſtet, nondum potuimus hariolari. Luculentius autem patet, quæ ratio ſit, quare etiam, ſed rariuſcule, a) *Chriſtianus a Fortheim*, quod aliunde nobis cognitum eſt, ab iisdem inter ſe per litteras collocutis congerronibus, ignorante *Fürero*, dictus ſit. Quandoquidem initiales litteræ, *Chriſtophori Füreri*, ejusdemque illuſtri gente nati viri, nomen & indolem exprimentes, haud obſcurum hujus conſilii indicium faciunt. Hactenus de inclyto *Fürero*, præter fas atque meritum in conſortium peſſimorum hominum conſiliorumque, per meras obtrectationes, a *Gittichio* & *Ruaro* b) ingeſto. Cujus integrum vitæ curriculum, c) concioni funebri a *Joh. Mich. Dilherro* attextum, illi, quibus volupe eſt, conſulere poſſunt. Elogia vero, multis modis promerita, oratione parentali celebrem Acad. Altorph. Mathematicum, & t. t. Rectorem,

a) Quæ tamen in *Mölleriano* Indice omiſſa eſt nomenclatura.

b) Ab his enim totius fabulæ origo videtur repetenda: qui ab *Oſtorodo* atque *Voidovio* (quorum uterque eum forte, cum *Lugduni Batavorum*, *Sonero* comite, vixiſſet, noverat,) notitiam ejusdem, *AltorphI* dum viverent, per famam meritorum auctam, acceperunt. Cæterum neque mirum eſt, Generoſiſſimum *Fürerum* homunciones illos ſocietatis ſuæ h. m. conſortio commaculare auſos eſſe, cum etiam *illuſtribus* t. t. *Acad. Curatoribus* nova fictitiaque inter ſe confabulati dicantur nomina impoſuiſſe. Vnde facile ſuſpicacibus ſiniſtre de illis quoque cogitandi occaſio ſuboriri potuiſſet, niſi eorum ingenuitas audacisſimos hosce conatus, & ſolis inſtar meridiani eas nebulas vel ipſe *rigor* deinceps magis demonſtratus diſpuliſſet, ſed etiam hanc forte ob cauſſam exaſperatus eſſet.

c) Nati videlicet A. 1578. & poſt ſtudia Academica, AltorphI laudabiliter acta, itineraque *Belgicum*, *Britannicum*, *Gallicum*, ad Hiſpaniæ usque fines, feliciſſime peracta, ductamque in matrimonium A. 1602. VIII. Kal. Februar. *Magdalenam*, Illuſtris Dn. *Antonii Geuderl ab Heroldsberg*, Perilluſtr. Reipubl. Noriberg. Septemuiri, & Scholarum Eccleſiarumque Curatoris, filiam, Senatoris A. 1603. creati, hinc vero præter alia ſplendidisſima munera A. 1620. Curatoris Eccleſ. & Scholar. Academiæque electi, ac poſt ſublimiorem ex hoc officio proceſſum Illuſtr. *Leonh. Grundherri*, *Eccl. & Acad.*, quæ ad Vniverſitatis dignitatem tunc adſpirabat, *Curatoris* A. 1622. *Supremi* facti, poſthæc vero Duumviri conſtituti gravisſimi, & A. 1653., quo maximum *Principis Senatus* decus cum laude gerebat, pie defuncti.

rem, *Abdiam Trew*, perſecutum, ſatis conſtat. a) Quæ inde deſcribere, inſtituti noſtri ratio prohibet. Nunc ergo litteram

§. XX.

G.

Vt ordiamur opus eſt. In qua *Galliam*, non a libertate conſcientiis aut religioni indulta, ſed a liberiori vivendi genere moribusque a levitate parum ſæpe (quod ad vulgus attinet) diſcrepantibus, omniumque veriſimillime a notione priſca German. vocis *Franck*, appellatam putamus *Liberiam*; commemoratam vero in Epiſtolis arbitramur eſſe, propter itinera frequentia, cum ab ipſo *Ruaro*, poſt hos motus continuata, tum ab aliis ſociis, & maxime quidem e *Polonia*, illuc jam ante ſuſcepta, & ſcripta denique inde emiſſa, qualia paſſim videas ab iſtis allegari & laudari. Quanquam etiam illic ſparſa fuiſſe impietatis ſemina dubium non ſit, & vel frequentiſſima itinera eo inita *Socinianorum* complurium, doctorumque in his nobilitatis Polonicæ ephororum, probabile reddant. b) Idemque ſolicitudo *Crellii*, *Gallicarum rerum in religione* non multo poſt curam ſuam *Ruaro* ſignificantis, de qua ex epiſtola a *Creenio* ante c) producta nonnihil dictum eſt, confirmat. Certe ſegnes, in disſeminanda hæreſi ſua, haud fuiſſe etiam in *Gallia Socinianos*, ſcriptor pereruditus vitæ *Andr. Wiſſowatii* d) teſtatur, dum viri hujus varia

a) Per compendium autem eadem lege deſcripta a b *Joh. Sauberto* in *Hiſt. Bibl. Noriberg.* f. 33. ſeqq. ubi ejus in Biblioth. publ. merita potiſſimum recenſentur.

b) Noſtrum enim non eſt, longius progredi, nec decet etiam, quæ occulta ſunt, ſtudioſius rimari: Hoc tamen inficiari non poſſumus, ea, quæ pro vindicanda *Gallia* ſua in medium attulit *Hiſtor. Socinifmi* ſcriptor *Gallus*, (*Lamius*ne an alius ſit, non definimus,) nodum non omnino diſſolvere. Et quanquam Dn. *d'Huiſſeau* Prof. Salmurienſ., itemque *Abbates* illi & *Portus Regii Monachi*, quos clandeſtini Socinifmi *Juriæus* inſimulavit, tales forte non fuerint, multoque minus *Maldonatus* & *Petavius* e S. J.; non tamen, ab eo contagio immune manſiſſe totum regnum, auſim aſſeveranter tueri; cum non deſierint, qui longius nunc etiam multos illic a veritatis linea in L. de Deo aberrare ſolere, & *Naudæi* voce, foris ut moris, intus ut *lubet*, ſentire teſtentur. Certe, quod ad *Petavium* attinet, *Ruaro* amicisſimum, non dubium eſt, quin etiam ſuſpicione is oneratus fuerit injuſta, & quod miramur, a *Bælio* quoque in *Epiſt.* 167. approbata, eo quod in *Dogmatibus Theologicis* teſtimonia quædam collegerit, quibus *Sociniani* in rem ſuam verſis abuſi ſint. Quis enim ideo, quod alter in deteriorem partem ea rapere queat, vera quæ ſunt, ſupprimat? cum præſertim norit, non de verbis, ſed ſenſu judicium ferendum, eaque ratione etiam PP. Antenicænorum formulas, non ſemper commodas, vindicandas eſſe.

c) Hoc ipſo Cap. II. §. XII.

d) Fol. 233. *Biblioth. Vnitar. Sandianæ*, cui eſt attexta.

itinera & inter alia *Gallicanum* commemorans: *In omnibus*, inquit, *occasionibus, religionis, quam ut veram amplectebatur, propagandæ aliisque instillandæ, haud immemor fuit; quam & publice in Academiis, Athenæisque non dubitavit proponere atque propugnare.* *Germaniam* ex adverso a fortitudine *Andriæ* nomen accepisse, suffragante ipsa origine, aut terminatione potius Germanica, qua virum sonat bellicosum, dubio prorsus caret. Eaque de caussa in his non moramur; sed ad alia gradum promovere satius putamus. Vbi quoniam MICHAEL GITTICHIVS, ordine elementorum ita ferente, occurrit, ad eum convertenda esset oratio. Quoniam vero, quæ porro notemus, non alia quidem jam præsto sunt, quam quæ alibi passim reperiuntur in *Stanisl.* præfertim *Lubienicii Histor. Reform. Polon.*, & *Sandii Biblioth. Anti-Trinitariorum* obvia, ad hos, & Caput nostræ hujus Historiæ Imum, *Lectorem Benevol.* remittimus. Hoc unum tamen in præsens non possumus silentio præterire, exactum quidem *Novogrodeco*, ubi publice is docuerat hæresin Photinianam, A. 1618. fuisse; sed ex agro tamen & vicinia urbis istius non discessisse. Hinc enim, ex *Kosiano* prædio, ubi dubio procul munus suum adhuc in *Ecclesiola*, uti loquitur, obiit, ad *Ruarum* perscripsit A. C. CIƆIƆCXLII. Epistolam eam, in qua de *Hug. Grotio* (quem Theologorum etiam nostratium a) nonnemo *Nugonem magnum* vocare consvevit) ita judicat, ut, licet, *eruditum esse* virum, *Ruaro* concedat, *candorem tamen in eo desideret, optetque, ut singularem & raram eruditionem ad utilitatem potius Ecclesiæ, quam ad ostentationem suæ eruditionis, & popularem auram captandam, ut antiquitatis peritissimus & in libris veterum Ecclesiæ Doctorum versatissimus videatur, dirigat.* Eademque istic, tum quibusdam ad *Socinismum* non admodum congruentibus placitis, tum vero potissimum audacissima illa interpretatione confirmat, qua quæ sunt in *Epistola ad Thess. posteriori* de *Anti-Christo* prædicta, partim ad *Cajum Cæsarem*, partim

a) De *Johanne Schmidio*, in Argentinensi Vniversitate Theologiæ D. & Profess. clarissimo, id meminimus alicubi legisse & annotatum esse: Cum alius contra eum *bis Magnum*, & uterque non injuria, dixerit. Quorum sine dubio alter desultoriam variamque ejus religionem, alter vero doctrinæ vastæ variæque copiam, ob oculos habuisse videtur. Vterque vero justa reprehensione ita dignus, ut nonnemini etiam e suggestu *Grotium*, quotiescunque nominabat, (quod creberrime factum ipse his auribus meis audivisse testor) *eruditorum omnium eruditissimum & miraculum eruditionis* proclamanti; ex adverso autem in eundem *Seysserto* cuidam *Vlmensi classicum belli sacri Lutheranis omnibus suscipiendi*, typis quoque publicis semel iterumque, libellum tamen hodie rarissimum, A. 1643. 8. evulgare non verecundato, præferendus sit.

partim ad *Simonem Magum* trahat *obtorto* collo; quæ noſtris quoque dudum improbata ſunt. Quæ omnes quidem tam exoſæ fuere *Gittichio*, præſertim vero poſtrema, de Anti-Chriſto, *Grotii* hypotheſes, ut auctorem ipſum *per hujusmodi paradoxa rimam quærere* ſuſpicaretur, per *quam honeſte ad Pontificios elabatur*, & hinc digniſſimum judicaret, qui ab aliis a) *bene depectatur & vapulet*. *Indignum* denique, (quæ inprimis mihi placet epicriſis,) *homine Chriſtiano*, ait, *ita paci & quieti publicæ ſtudere, ut per eum Chriſtiana veritas aliqua, nedum tam inſigni, injuria afficiatur*. b) Ex quibus Epiſtolis etiam cognoſcitur, quam exiguo in pretio apud *Gittichium* ſancti Eccleſiæ primæ patres fuerint, quippe quos tanquam homines, *in quorum ſententia de Deo, Chriſto, Spiritu Sancto, morte Chriſti & cæteris hujusmodi nihil prorſus ſit ſani*, &, quod adhuc petulantius eſt, *veluti cæcos de coloribus judicantes*, infrunito ſectæ ſuæ amore abreptus, odioque in pias animas accenſus, traducit: immo ſcripta priſcorum Doctorum, tanquam *infinita, teterrimis erroribus ſcatentia & inquinatiſſima volumina*, c) ſcelerate criminatur. Sed patet quoque ex iisdem litteris, non conceſſiſſe omnino, quod vulgo fertur, *Grotium* in *Crellii* ſententiam, de Chriſti ſatisfactione, tametſi Epiſtola ad eum data, quæ inter *Crelliana Opera*, d) acto veluti triumpho imaginario, utrique ſcripto præfixa, & hodieque ſuſpenſa comparet, plurimum ſe illius debere informationi profeſſus erat. Immo ipſe etiam *Grotius*, optimus mentis ſuæ interpres, in Epiſtola ad *Gerh. Joh. Voſſium* e) *Crellio* ſcribit, *quod non operoſe reſpondi, in eo me feciſſe prudenter exiſtimo. Quid enim opus, bene & ſatis liberaliter dicta repeti? Si non poſſit ipſe probare, injuſtum eſſe, ut volens aliquis pro altero pœnas ferat, quod nunquam probabit, & contrarium omnium gentium ſapientibus placuiſſe, tum in ipſo libro de Satisfactione oſtendi, tum poſt Crellii L. editum in meis de Jure belli & pacis, titulo de pœnarum communione* §. *XI. amplius docebo, &c.* Quod vero alia ſubinde admiſſa ſunt a *Grotio*, minus ſa-

a) Quod factum eſt non multo poſt a *Sam. Mareſio* in *Antichriſto revelato*: quanquam etiam ingenioſiſſimus, *Grotioque* inprimis comparandus, *Sam. Bochartus*, in eadem ſententia ſolide discutienda, peculiari ad *Sarravium* elaborarit epiſtola.

b) Epiſt. *Ruar.* Cent. I. n. 93. fin. ex cujus ſubſcriptione, *Gittichium* t. t. in ædibus generoſi viri D. R. *Koſi* vixiſſe patet.

c) Non tamen alia de cauſſa, quam quod ſuæ ſuorumque ſententiæ non ſolum non faveant, ſed eam etiam damnent. Ita nimirum fit, ut dum vitia fugiunt inepti homines, in contraria Pontificiis, qui modum excedunt, currant.

d) Tom. IV. *Didact. & Polemica* complexo f. 1. ſqq.

e) *Epp. Remonſtr.* num. DXLVIII. f. 797 ed. 1704.

na, & momentum præcipue diſputationis haud unius non eſt ab eo magis exaggeratum, ratio in promtu eſt; *Arminianus* fuit: Cui ſectæ addictis *fraternitas* propemodum *univerſalis*, & diſſenſionum graviſſimarum a) extenuatio princeps inter cætera cura & ſtudium eſſe ſolet. Idque etiam mirum in modum ægre tuliſſe eundem *Gittichium*, ex iisdem litteris manifeſto colligitur. Præter hæc vero, digna lectu nobis videntur, quæ idem *Gittichius* alibi diſputavit cum *Crellio*, pro hominum in cœleſti vita, Chriſti, puta, & reſuſcitatorum aliorum, unitate, aut diverſitate *numerica*, uti barbare loquuntur Scholaſtici: Vbi eosdem eſſe, tuetur *Gittichius*, inficiatur *Crellius*; uterque vero philoſophicæ haud ſpernenda eruditionis ſpecimina, admixtis tamen *Socini* ſcitis, edidit. b) Litterarum conſvetudinem eum, poſtquam Altorphio exceſſerat, continuaſſe cum *Peuſchelio*, *Vogelio*, cæterisque ſociis, ſuperiori capite jam obſervavimus; At cum valedixiſſent illi hæreſeos *Photinianæ* placitis, ne γρὺ quidem ad eosdem amplius ſcripſiſſe, c) compertum habemus. Vnde quam fuerit ipſi recantatio illa, & plus quidem quam aliis ſodalibus, exoſa, quantaque affectuum intemperie, in negotio religionis agitatus ſit, eoque impetu res quoque ſuas quondam *AltorphI* egerit, luculentiſſime patet. Quem animi characterem præfervidum etiam aliæ epiſtolæ, concitatiori animo ſcriptæ fere omnes, produnt. Quod reliquum eſt, exceſſiſſe ex hac vita A. CIↃIↃCXLV. *Sandius* refert; qui de cæteris, a nobis hoc loco & ſupra jam copioſe enarratis, prorſus ſilet. *Clementini* nova appellatio cryptica ex Germanorum *Gütig* cum proprio illo *Gittichiano* quadantenus, vel ſono, concordante, absque dubio nata eſt: cum qua & plenior illa periphraſis, cujus *Adr. Bailletius* d) meminit, & a *Jeſu jugi Clementia cinctum*, ut lateret, eundem dici teſtatur voluiſſe, non male convenit. Vbi etiam, quod obiter notamus, pari modo ſymbolico, cum trajectione ſimul litterarum, alios uti conſveviſſe ſodales *Socinianos* obſervat, & *Moſcorovium* ſub his verbis: *Verus promus cuſtos*; *at*

a) Quales præter cæteras Pontificiæ ſunt, turpiter a *Grotio* in Annotatt. ad *Caſſandrum*, earumque poſt *Riveti Examen Vindiciis*, extenuatæ: quas nec ipſa tolerantia alioquin, niſi in alienum ſenſum detorta, & putidisſimis pigmentis infucata, tolerare posſit.

b) Vid. Opp. *Crellii* T. IV. P. III. f. 538. ſqq. & his adde, quæ cum *Ruaro* pari methodo nec inerudite, at ſolita pertinacia, de *Jejuniis* præſertim ſtatis fixisque Cent. I. n. LXXXIX. ſqq. diſceptavit.

c) Diſcipulos videlicet, contra votum opinionemque conceptam, ſibi eſſe ereptos, indignatum.

d) P. III. *Scriptorum ſub alienis nominibus latentium* c. 18. f. 447.

at Przypcovium in Symbolo : *Sapis purius cum zelo*, delituiſſe; *Piſecium* autem illud: *Pacis es oſtium*; ac *Stegmannum* denique periphraſin iſtam: *Magnus amicus honeſti*, aſſumſiſſe, commemorat. Idemque hoc ipſo libro doctiſſimo, etſi noſtrum hunc Catalogum ignoravit, alia tamen infinita exempla mutatorum, ad fucum ſimili prorſus modo faciendum, nominum congeſſit. a) Sed ad *Goslavium* pergendum eſt, nominatiſſimum acerrimumque *Socinismi* defenſorem, qui ordine in Indice noſtro ἀμέσως ſubſequitur. Duo celebrantur a *Lubienicio* fratres, erroribus iſtis addicti, e nobilitate Polonica eminentiores: Quorum decora & merita gentilitia, haud vulgaria profecto, cum ille ſtudioſius recenſeat, b) noſtrum eſt, quare νεοφύτοις in familiari litterarum commercio mentionem injicere alterius inter hos placuerit, brevibus indicare. Nihil, quod ſciamus, ſcriptorum evulgavit *Andreas Goslavius*; hujus ergo non amplius habebimus rationem, niſi forte, *Samuelem Przypcovium* ſororium illius fuiſſe, ex eodem *Lubienicio* c) videatur obſervatione dignum. *Adamum* vero *Goslavium a Bebelno* documenta doctrinæ ſuæ, & pro hæreſi *Socini* luci commiſſa nonnulla, magis illuſtrarunt. Atque is etiam eſt, quem *Dioclem* appellitare noſtri illi congerrones conſveverunt. Publico officio, quod ſciamus, haud perfunctus eſt, ſed in prædio paterno *Kraſſów*, non procul *Luclavicіano* pago gemino, ſede illa hæreſeos inter alias maxime famoſa, in qua F. *Socinus* diem ſuum, ut inferius docebimus, obiit, atque ſepultus eſt, vitam, poſt initium ſuperioris ſeculi, traduxit: unde etiam juſſu amicorum & pietatis ejusdem ſcilicet! ſociorum libellum clariſſimum, de quo mox dicemus, in lucem publicam emiſit. In cujus *Præfatione* fatetur, totum octennium d) ſe ſtudia litterarum intermiſiſſe, *eumque eſſe morem gentis ſuæ plerorumque nobilium, tamdiu ſtudiis ut incumbant, quamdiu in ſcholis perſeverent*, addit. Quem utut non laudet, *ita* tamen *rem eſſe*, *de ſe aliisque* affirmat, *ut ad viceſimum annum rarisſime litteris navent operam, ultra vix unus aut alter; bonaque pars ætatis otio abſumatur, neque militari, civili, aulica omnes ad u-*

 num

a) Quæ, ſi opuſculum ipſum *Bailletii* non facile occurrat, κατ' ἐπιτομὴν legi poſſunt in A.E. Lipſ. Supplem. T. II. Sect. V. p. 234. ſeqq.

b) *Hiſtor. Reform. Polon.* L. III. Cap. XV. f. 273. fin. ſqq.

c) Qui l. c. f. 275. *Przypcovium magnum*, ob eruditionem & acumen ingenii, aliaque inter ſuos merita, vocat, eodemque cognationis gradu *Georgium Czaplicium & Sigismundum Zabavium* illi conjunctum fuiſſe docet.

d) Videbantur hæc excerpenda, quia rei litterariæ & ſtudiorum rationibus, inter nobiles *Polonos* uſitatis, aliquid lucis affundunt.

num occupentur. Qua ratione reddita, & ad ſe quoque applicata, nondum eo tempore, quo libellum illum evulgavit, trigeſimum ætatis annum ſe attigiſſe haud obſcure prodit. Eſt autem is libellus, *Refutatio eorum, quæ Bartholomæus Kekermannus in* L. *I. Syſt. Theol. adverſus Antitrinitarios diſputat*, tribus partibus diſtincta. *Racoviæ Sternakianis typis 8v. A. 1607.* primum editus; qui etiam præcipuam auctori nominis celebritatem peperit. Diſputat in hoc opuſculo plus juſto, quod ipſe *Goslavius* lubenter fatetur, philoſophice & ſubtiliter, de ſummis & ſola Dei revelatione nobis cognitis myſteriis, ſed extra oleas vagatus, ita nimirum, ut perpetuo res *finitas* cum *infinito* ente, qua chorda & reliqui oberrant, comparet & confundat. De reliquo ſtylus quo utitur mediocris eſt, attamen pro ſtudiorum atque vitæ ratione non ſpernendus; cætera ſunt cum *Socino* communia. Cur denique *Neo-Sociniani* noſtri eum præ reliquis, in epiſtolarum familiari ſermone, commemorarint, in cauſſa fuit procul dubio nova hujus opuſculi editio, quæ A. 1613. denuo prælo exiit, unde citatio frequens, laudatio primipilorum non vulgaris, & commentatio etiam fratrum mutua originem habuit. Enimvero non dubitandum eſt, quin multa quoque de *Confutatione Jac. Martini Librorum de Tribus Elohim* ab eodem adornata, quod elaboratum tamen opus incuria amici periiſſe, *Lubienicius* a) refert, inter eos ſint ultro citroque ſcripta, & anxie deſiderata: utpote quem *Vogelius* potisſimum docentem audiverat, cuique Philoſophum, qualis eſſe videbatur *Goslavius*, acutum b) opponi exoptabat. c) De mortis definito tempore certe nihil innotuit, cujus etiam non *Sandius*, uti nec cæterorum fatorum, meminit. Attamen poſt annum MDCXL. adhuc in vivis fuiſſe ſuperſtitem, ex *Ruari* epiſtolis colligimus. *Dioclis* autem cognomentum ex Græca litteratura, ubi Medici & Philoſophi hoc nomine claruere

a) L. c. Hiſt. Ref. Polon. f. 274. *Sandio* contra anno 1620. hujusmodi quid (forte partem aliquam aut tabulam e naufragio) de *Perſona* Racoviæ prodiiſſe 8v. affirmante.

b) In Epiſtola ad *Peuſchelium* perſcripta.

c) Quibus accedebat maxima ejusdem, uti ex *Smalcii* vita elucet, in *Diario* deſcripta, in regendis Eccleſiis, una cum *Moſcorovio* & *Jacobo Siennio* auctoritas, quæ tanta erat, ut inſtar *Seniorum Regentium* univerſalium (a docentibus apud *Socinianos*, uti *Reformatos*, diſtinctorum,) plerisque viſitationibus, Synodis, aliisque hujusmodi congresſibus non tantum intereſſent, ſed quodammodo præeſſent, aut præcipuorum certe Conſiliariorum partes ſuſtinerent. Quo factum eſt, ut *Crellius* quoque absque ejus conſilio nihil peragere auderet: quemadmodum ex epiſt. illa, quæ a *Celeb. Creenio* P. V. Animadv. *Hiſt. Philol.* excuſa eſt f. 259. ſq. confici poteſt.

ruere, desumtum, omnes quidem intelligent; originem vero ejusdem non ex alicujus eorum, quos Historia vetus litteraria Græcorum prædicat, virtute, v. g. acumine ingenii, aut facundia ac disputandi arte derivandam esse, sed post diuturnas ea de re cogitationes, ex *Germanica* quadam forma ac notione deduci debere, probabile nobis visum est. Ita ut Διὸς κλέος, *Dei gloria*, seu laus, *Gottslow*, atque sic ipsius *Goslawii* nomen gentilitium exprimat. Quæ, dum meliora aliis succurrant, sufficere potest conjectura.

§. XXI.

A *Socinianorum* promacho φιλοσοφικωτάτῳ hinc ad antimachum haud dissimilem ALBERTUM GRAWERUM, Mesecoviæ in Marchia Brandenburg. natum, *Ægidii Hunnii* discipulum γνήσιον, virumque in Ecclesia puriori ex polemicis potissimum scriptis a) famigeratissimum, nostra se convertit oratio. De quo tamen, postquam jam alii ejus vitæ initia progressus & exitum percensuere, non est animus, præterquam ea, quæ ad *Socinismum* impugnatum pertinent, illustrationis gratia h. l. enarrare. *Jenensem* fuisse *Theologum*, aliis tamen antehac muneribus jam alibi in *Hungaria* b) & *Germania* defunctum, neminem fugit. Quemadmodum autem jam ante adventum in Academiam *Salanam* nostrorum recens corruptorum *Socinianorum* adversus hæresin pestiferam istic disputarit, scripta & Academica schediasmata ostendunt. Inter quæ facile primas tenent *Diss. de Deo & Attrib. Dei* contra *Conr. Vorstium* A. 1613. *Dissertt. de Satisfactione Christi* contra *Ostorodum* & *Socinum* A. 1613. *Harmonia Calvinianorum & Socinian.*

a) Alia enim vix extant, si a concionibus quibusdam & accuratissimo ad Proph. *Micham* Commentario discedas: in quo tamen, quid in Exegeticis humeri ejus valuerint, abunde demonstratum dedit. Quanquam neque in hoc opere A. 1616. primum excuso, & A. 1664. Jenæ recuso, disputationum cum adversariis immemor fuerit, sed bonam quoque ejus partem iisdem confutandis insumserit.

b) Et Scepusiensis quidem Comitatus Gymnasio Neerensi, quod suo tum sustentabat sumtu *Gregorius Horwath, L. Baro de Gradetz* &c. præfectus; ubi, quia Theologica & Philosophica docebat, prima ei cum Calvino-Reformato homine *Sebastiano Lamio* publice disputandi occasio data est. Quæ σύῤῥαξις continuata fuit, cum *Cassoviensis* scholæ regimini admoto, mutata scena, denuo cum Reformatis ab eo diu multumque disceptandum esset: Donec ex *Hungaria* a *Turcis* oppressa A. 1599. in *Germaniam* reversus, a Christophoro Schulenburgio, ædis cathedralis *Havelbergensis* Præposito, ad congressum cum *W. Amlingio Schochwizianum* in agro *Mansfeldico* invitaretur, rebusque A. 1604. bene actis p. p. *scholæ Mansfeldensi* atque tandem *Islebiensi* Ecclesiæ præficeretur. Quæ ipsemet fusius in *Præfat. Apologet. Absurd. Calvinian.* enarravit, quantusque fuerit, & quam expeditus disputator, condocefecit.

Socinian. A. 1612. *Vindicatio incarnationis filii Dei ab impugnationibus recent. Photin.* A. 1613. & alia haud dissimilia, sub id tempus in publicam lucem data. Quid vero, cum illi eo advolarent, aut certe transirent, actitatum sit, ad *Caput sequens*, ne quid præpostere anticipemus, referre magis congruit. Nunc illud duntaxat observamus, hosce labores, aliosque multo plures, adversus *Calvino-Reformatos* potissimum, vehementioribus interdum titulis, a) quam stylo, editos, si consideremus, mirum non esse, quod, *disputacem Theologum* b) præ cæteris eum nominare, nostris hisce petulantibus ingeniis visum sit. Is enim ab indole viri, disputationibus & colloquiis, inde ab adolescentia fere publice & privatim habitis, & in Academia frequentissime continuatis, c) non fuit alienus. Et quanquam hæc sola exercitia sufficere potuerint, ut caussam, cur subinde ejus meminerint in consvetudine scribendi, redderemus; Accedebant tamen & alia: Nimirum *Smalcii* Refutationes variæ contra *Grauerum* ea tempestate, qua nostri illi congerrones in *Saxonicis Academiis* vivebant, ac paullo ante, nominatim evulgatæ. In quibus eminet *Refutatio Disp. de Sp. S.* a Grauero scriptæ A. 1613. Racoviæ 4ta forma impressa; quam ipsemet a *viro primario* sibi *Smalcius* ait e *Germania missam*, in Præfatiuncula huic schedæ præposita, *seque rogatum esse*, addit, *ut, quæ inexpugnabilia putet Grauerus, refutarentur.* Qui vir primarius, utrum e nostris aliquis, an alius clandestinorum *Socini* fautorum fuerit, *Lectori Benevolo* divinandum relinquimus. d) Accessere A. C. 1615. Ejusdem *Refutatio Thes. Graueri de incarnatione filii Dei*, Racov. quadruplicata, quam vocant, chartæ forma itidem emissa; itemque *Confutatio Disp. de Persona Christi* contra eundem, ex eadem typo-

a) Cujusmodi erant *Absurda absurdorum absurdissima Calvinistica absurda* &c. quæ paullo ante hæc tempora A. 1612. Jenæ impressa sunt, & in *Polemicis Sacris* A. 1656. cum plerisque paullo ante laudatis *Anti-Socinianis* opusculis, sed mitigato nonnihil titulo, ibidem recusa, comparent.

b) A quo titulo parum abfuit alter, quo publica voce, uti *Joh. Kromayerus*, encomiastes post fata, testatum reliquit, *Clypeus & Gladius Academiæ Jenensis* dici consvevit.

c) Et in ipsos collegas, aut alios certe nostræ Ecclesiæ Doctores, non sine vehementia quadam animi instructis. De eo sane, in *LL. Theol.* a se jam ante, quam *Jenam* advocaretur, ex parte evulgatos invecto, & non multo etiam post, *Vinariam* hoc ipso anno, quo Socinismus *Altorphio* solemniter ejectus est, translato, in epistolis conquestus est *Gerhardus*. Quæ, pluraque alia hujusmodi, ex MStis ad *b. Meisnerum* litteris a *Gottfr. Arnoldo* in Hist. E. & H. P. II. L. XVII. c. 6. §. 34. fusius narrantur.

d) Et *Ruarum* fuisse, propter graves caussas suspicamur.

Typographia eodemque anno, publicata, maximoque cum diſcipulorum applauſu excepta. Quæ ſigillatim non alia de cauſſa adducimus ſchediaſmata haud admodum vaſta, quam ut vel hinc pateat, unde novis hiſce ſectæ & ſcholæ *Socini* alumnis uberrima de *Grauero* confabulandi materia extiterit, quotidianis prælectionibus & recitationibus, immo & colloquiis familiaribus, a *Grauero* ipſo valde aucta. Quippe cujus non ſolum ſcripta *Anti-Sociniana* & argumenta oretenus prolata ſolebat *Peuſchelius* ſolicite annotare, & ad fratres diligenter, uti inter eos dudum convenerat, perſcribere, ſed verba etiam privatim ex ore viri docti, liberius ſæpe pronunciata, a) captare. Quo factum, ut, cum aliquando ad amicum quendam, Philoſophiæ magiſtrum, ille dixiſſet: *Libros Photinianorum eſſe adeo accurate conſcriptos, ut in admirationem lectores rapiant:* hæc ipſa verba *Peuſchelius* cum tripudio quaſi, mirifice ſibi ſuisque ſodalibus hinc gratulatus, ad *Cobium* b) ſcripſerit, & quæ ille de ordine, perſpicuitate ac de ſtyli forte nitore, aut argumentorum ſeu ſophiſmatum ſubtiliore c) textura, minime vero omnium de inſolubili virtute probandi, intellecta volebat, in pejorem partem interpretaretur. Inde vero ſimul etiam elucet, quanti fecerint hi complices ejus, præter cæteros ipſumque etiam *Schopperum*, d) eruditionem, acumen diſcernendi a veris falſa, & dexteritatem ſolvendi adverſariorum ratiocinia: quoniam ad nullius pæne inter omnes Theologos actiones & exceptiones attendere ſtudioſius, quam ad unius *Graueri* diſputationes, ſolebant. Ita quidem, ut & *Vogelius* ſtatim ab initio *Peuſchelium* in epiſtola Wittebergæ ſcripta e) monuerit hoc verſu:

Grauerus niger eſt, hunc ſedulus usque cavebis.

Quibus verbis tamen non ſolam diſputandi vehementiam *Grauerianam* videtur notare voluiſſe; (eam enim hi juvenes ſuperciliosi nihiloſecius non admodum ſibi formidandam putabant,) quam curam

 ortho-

a) Erat namque, ut corpore adhuc vegeto, (nondum quippe hoc tempore annos XL. natus,) ita ore quoque aperto & ſermone expeditus, ſæpe etiam in dicendo ſentiendoque atque judicando de aliis plus juſto προπετὴς, & ſi dicere licet, quod res eſt, aliqua linguæ procacitate laborans.

b) Vti in ſupellectile *Peuſchelii* inventa epiſtola deinceps addocuit, ex cujus αὐτογράφῳ hæc excerpta damus.

c) Namque & virtus in hoſte laudanda, neque aranearum telæ affabre contextæ laude ſua ſunt defraudandæ.

d) Quem ſusque deque habebant, minus etiam, quam illi, in his controverſiis exercitatum, ut ex ſeqq. eluceſcet.

e) Inter reculas quoque *Peuſchelianas Jenæ* reperta.

orthodoxiæ conſervandæ, & in prohibendo ab Eccleſia *Sociniſmo* ſolicitudinem, atque ingens illam hæreſin proſerpentem detegendi ſtudium. Quanquam idem deinceps interrogatus a) de illo *nigri Theologi*, quo *Grauerum* inſigniverit, titulo, id eo factum eſſe callide reſponderit, *quia Grauerus parum candide ſecum egerit.* Id quod effugium A. 1616. ex litteris *Schröderi* ad *Gerhardum* ſcriptis excerptum nobiſcum Amicus quidam ſingulariter colendus communicavit; ubi & *Gerhardum*, ut *hanc reſponſionem Vogelianam cum collega Grauero communicet*, rogat, &, *qua in re hoc factum ſeu commiſſum aliquid ſit*, ut *candor in Grauero deſideraretur*, *ſe nondum audire potuiſſe*, b) ibidem addit. Frequentior erat *Cani*, a Germanica *Graweri* notione, appellatio, qua etiam tritiſſime omnium uſi ſunt, cum illud *nigri* epitheton fortaſſis una aut altera duntaxat vice exciderit *Vogelio.* Quæ reſtant de celebri hocce Theologo dicenda, & ad præſens negotium attinentia, ad Cap. III. rejiciemus, c) ne actum illic agendum ſit. In præſenti nonniſi judicium, de eodem a *Peuſchelio* ad amicum quendam perſcriptum, ad extremum attexere placet. *Qui*, *reliquis Theologis*, inquit, *omnibus facem præferre videtur*, *eſt D. Albertus Grauerus*, *Acad. Jenenſis Theologus loquacisſimus*, *& inter ſuos deus quidam*, *qui pluribus ſcriptis & diſputationibus nos acriter impugnat*, *quique plurimos veſtros & habet & legit.* d) Hæc *Peuſchelius*; qui & ipſe *Grauero* horum librorum haud exiguum apparatum e) procuraverat. Tantum de *Grauero.*

§. XXII.

Pro ſupplendo nunc defectu huic quoque litteræ adjiciendus eſt ſodalis aliquis non poſtremus, quantumvis inter ſeductos potius a veritatis tramite, quam ſeductores ſeu planos primi ordinis, numerandus, PAVLLVS inquam GROE, cui *Coronæi* nomen inditum eſſe legimus: utut etiam *Paulli noſtri* nomenclatura in eo deſignando haud raro tantum contenti fuerint. Erat is perinde, ut cæteri plerique, *Noribergenſis* patria & juris utriusque Studioſus, qui in Acad. *Altor-*

a) *Noribergæ*, in Colloquio, & ante illud habitum, in vadimonii actis, inferius copioſius deſcribendis.

b) De cujus indole potius alia omnia teſtantur, qui vitam deſcripſere. Vt, effugium proinde id fuiſſe *Vogelii*, hinc liquido appareat.

c) Cujus conf. §. 2. ſq.

d) Quæ epiſtola ſimiliter inter cætera ejus MSSta, quorum excerpta potiora poſſidemus, *Jenæ* inventa eſt.

e) Vti ex iisdem epiſtolis innotuit.

Altorphinam pervenenerat d. XXII. Aug. A. ſalutis reparatæ MDCV., atque Gymnaſii gradibus paullatim ſuperatis, Academicis ſtudiis illic quoque diutius operam dedit; inde vero *Jenam*, A. MDCXIV. inclinante, a) primum diſceſſerat. Hinc *Roſtochium* paullo poſt abiiſſe conſtat; ubi etiam, eodem illo tempore, quo infauſta illa hæreſeos ſocietas patefacta eſt, A. 1615. & 1616. adhuc litteris gnaviter incumbebat. A *Crellio* fuiſſe ad errorum præcipitia abductum, poſtea compertum eſt fratrum teſtificatione: quorum etiam narratione, in fraternitatem ſuſceptum fuiſſe ſolito more, innotuit: qua de re ad calcem hujus capitis b) quædam ſubjungemus. Vtrum vero reſipuerit cum reliquis, hactenus ignoramus, qui ne quidem de reditu in patriam certa & indubia teſtimonia indagare adhuc potuimus. Si quid vero conjecturis ex litteris *Crellianis* infra Cap. IV. exhibendis aſſequi licet, ipſi *Noribergenſes* anno circiter 1623. adhuc in illo luto eum hæſiſſe crediderunt; quippe qui, interprete *Corn. Marci*, jam Profeſſore Theologo, *Racoviæ* potius quam in patria eum quærendum exiſtimarunt; c) ipſe vero *Crellius* in *Gallia* illum tunc temporis commorari ſignificavit, & haud obſcuras ſimul, quod in hæreſi adhuc perſeverarit, ſignificationes dedit. Qua de cauſſa etiam de reliquis ejus fatis aqua nobis hæret. d) In epiſtolis *Ruari*, tanquam fratris, quando *de Coronæo noſtro* ſcribit, fit mentio. e) Cætera, uti jam dictum eſt, incognita ſunt. Rationem autem nominis mutati ipſe ſonus, ad *coronæ (Kron)* vocabulum prope accedens, ſubminiſtrat. Addere poſſemus etiam *Grotium*, *Hugonem* inquam, illum tanti nominis, in Politicis & Theologicis, virum & eruditionis monſtrum, quem incertum, qua de cauſſa, *Suffranium* nominaverant; ſed quia raro id fa-

a) Quo tempore, menſe circiter Novembri, ab *Andr. Dinnero* JCto tanquam *juvenis* ſibi *amicus* *Joh. Gryphiandro* Prof. Jenenſ. & *Ortholfo Fohmanno* JCto eum commendatum, ſed intimius multoque minus a *Socinismo*, quem imbiberat, haud cognitum fuiſſe in Epiſt. *Richteri* f. 648. legas. Hoc enim anno 1614. non 1612. eam ſcriptam eſſe, ex *Philotheca Vogeliana*, cui *Altorphii* adhuc nomen ille ſuum inſcripſit, intelleximus.

b) §. LII.

c) Conf. Cap. IV. §. 15.

d) Niſi quod forte fortuna ex fragmentis Philothecæ *Joh. Rötenbeccii*, a Collega omni honoris cultu proſequendo D. D. *Jo. Jac. Bajero*, Medico celebratiſſimo, nuperrime nobis exhibitis, A. 1629. in Italia eum vixiſſe, atque *Patavii* ab illo cognato ſuo divulſum, inſcriptis d. 19. Martii verbis:

- - - *Delet, quod mox laudaverat in ſe,*
Qui cupit æternæ donari frondis honore,

diſceſſiſſe, ac proinde poſt tot a detecto *Socinismo* annos adhuc hinc inde vagatum eſſe, intelleximus. Vnde, nunquam forte patriam eum vidiſſe amplius, immo nec reſipuiſſe, conjici poteſt.

e) Cent. II. n. XI. f. 68.

ctum erat, (nondum enim ille, a) ut *Arminii* patronus vel aſſecla tantopere inclaruerat) neque alios ejus fata eruditos latent, b) adhæc ratio nominis novi nondum explorata eſt, in hoc brevi indicio acquieſcemus. Eo autem tempore, quo clandeſtina illa molimina Socinianorum urgebantur, *Advocatum fiſci* ſeu criminalium actionum Curatorem fuiſſe, ac paullo poſt *Roterodamenſem Syndicum* creatum, ſatis inter omnes conſtat. Si conjecturis indulgere fas eſt, probabile videtur, *pietatem Ordinum Hollandiæ*, ab eo hac tempeſtate publicæ luci commiſſam, pro adſtruenda *Remonſtrantibus* tolerantia, adverſus *Sibr. Lubbertum* & *Leovardienſes*, in cauſſa fuiſſe, quare ab occultis *Socinianis* cum elogio his annis aliquoties ſit allegatus. Id c) enim,

a) Minime omnium vero *Sociniſmi* tunc ſuſpectum fuiſſe certum eſt. Quorum βδελύγματα ne ſenem quidem approbaſſe probabile eſt, neque etiam *Martini Ruari* perſvaſionibus eo pellectum, aliis verbis *Morhofius in Polyhiſt.* T. III. L. V. f. 553., quam *hoc veneno infectum eſſe credi* (a credulis fortaſſe), auſus eſt affirmare. Nos in religione *Eclecticum* h. e. *Remonſtrantium* partibus addictum manſiſſe, iisdemque immortuum eſſe, ac de reliquo, ut *Menagius* loquitur, *copia potius quam inopia* religionum, nimioque pacificandi ſtudio laboraſſe, tutius aſſerendum opinamur.

b) Nuper admodum denuo a Cl. viro *Joh. Jac. Schudtio* peculiari libello, Ff. ad Mœn. A. 1722. evulgato, ſuccincte delineata. Cui epiſtolam *Ruari* ad Fr. *Limburgium*, quæ in Cent. I. numero *ſexageſima ſexta* eſt, addi jubemus. Quippe in qua ille, quod omiſerunt pæne omnes, cauſſam, tum exauctorationis tandem in aula Suecica ſubito ortæ, tum mortis etiam inde conſequutæ, *extenuationi placitorum Pontificiorum*, factaque hinc abdicatione, *ſeminibus morbi inde poſitis*, iisdemque tempeſtate maris iniquiori forte magis *excitatis* adſcripſit, &, ſe *biennium ante* de infelici hoc eventu eum *ſubmonuiſſe*, ait. Initia vero hujus teporis Grotiani, ex *Annotatis in Caſſandri conſultationem*, quæ eo tempore, quo jam Legati Suecici in *Gallia* fungebatur munere, ſcripſit, quæve *A. Rivetus* clam circumgeſtata e MSto cum Refut. ſeu *Animadverſionibus* publici juris fecit, ſive ſumſiſſe ſive innotuiſſe, ex hujus *Præf. in Annot. Confut.* addiſcere licet, quæ conferri poteſt.

c) Titulus clarisſimi operis & publica Ordd. Holl. auctoritate ac juſſu ſcripti (vid. *P. Colomeſii Bibliotheque choiſie ed. Fabrit.* 122. marg.) hic eſt: *Ordinum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ pietas ab improbiſſimis multorum calumniis, præſertim vero a nupera Sibrandi Lubberti epiſtola, quam ad Rever. Archiep. Cantuarienſem ſcripſit, vindicata, per Hugonem Grotium, eorund. Ordd. Fiſci Advocat. auctoritate publica Senatus delegatorum ab Ordd. Hollandiæ & Weſtfriſiæ excudit Lugd. Bat. Johannes Patius juratus & ord. Acad. Typographus A.* 1613. Judicium vero de labore iſtoc Grotiano legatur in Epiſt. *Gerb. Joh. Voſſii*, quæ XIV. eſt ad *Grotium* conſignatum: ubi & in vernaculam linguam ſcriptum illud transductum fuiſſe narratur. Cæterum paullo poſt contra *Lubbertum* id opuſculum defendiſſe *Grotium* in *Bona Fide Sibr. Lubberti* A. 1614. excuſa, idemque etiam *Joh. Arn. Corvinum* contra *Bogermannum* ſaxum volviſſe, *Lubberti* deniq; *Reſponſionem* illam *ad Pietat. Hugonis Grotii* (ſic enim titulus habebat ejus opuſculi, cui *Bona Fides* oppoſita fuit) a *Præpotentibus Ordd. Holl. & Weſtfriſ.* publico decreto,

A.

enim, quod inter Theologica primum erat, a) ejus ſcriptum, A. 1613. 4to. publicatum, horum homuncionum conſiliis impenſe favebat; quibus alias etiam mirum in modum, quicquid pro *Remonſtrantibus* ſeu *Arminianis* ſcriberetur, magnopere arridebat. In ipſo enim cæteroquin libello iſtoc *Socinianos* præ omnibus execrandos pronunciavit *Grotius*: *Cum hæreſis ſit*, inquiens, *venenum Eccleſiæ, & quidem præſentisſimum, ſed tamen hæreſeos aliqui ſint gradus, ut ſit hæc illa nocentior; pejorem aliam non reperiri hæreſi Socini, ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant.* Vtcunque ſit: nondum tamen ex his ratio nominis inditi patet, & quoniam ex antiquitate nemo nobis ſuccurrerit, ad quem reſpexiſſe hariolemur, de ejus origine inveſtiganda deſperamus, niſi *ſuffraganeum*, ut qui Ordinibus Hollandiæ, edicto eandem

A. 1614. d. XVII. Octobr. vulgato, pro libello famoſo declaratum eſſe, & tanquam quieti publicæ noxium prohibitum, aliunde conſtat. At Lubbertum nihilominus non multo poſt *Gothofr. Sopingum* hyperaſpiſten habuiſſe, *Apolog. Reſponſ.* A. 1616. excuſæ auctorem, nemo ignorat.

a) Etſi vero alter quoque *de Satisfact. Chriſti* libellus (qui typis primum a *Gerb. Joh. Voſſio* ſubjectus eſt cum præfat. A. 1617.) jam ante totum biennium & amplius elaboratus erat; tamen, cum vel domi delituerit, vel *inter manus*, ut *Vosſius* loquitur, *clarisſimorum aliquot Profeſſorum & Paſtorum Eccleſiæ, aliorumque dignitate præſtantium virorum verſatus* ſit, incertum eſt, noſtros tyrones eum MStum hucusque vidiſſe; *Refutationem* autem *Crellianam* multo poſt A. 1623. demum ſubſequutam eſſe, nemo ignorat. Quod reliquum eſt, de *Grotii* hoc illuſtri opere, quod pro Satisfactione Chriſti ſcripſit, oppoſuitque *Socino*, eo potiſſimum fine, ut *Ictorum* quoque principia, quibus adverſarius abuſus erat, a calumniis vindicaret, legatur adverſus *Hermann. Ravenſpergeri Cenſuram* iniquiorem *Gerh. Joh. Vosſii Reſponſio ad Judicium H. Ravenſpergeri de Libro ab Hugone Grotio pro Catholica Fide de Satisfact. Jeſu Chriſt. adverſus Fauſtum Socinum ſcripto*, ſeorſim primum A. 1615. Lugd. Batav. 4to. ed. & Tom. VI. Opp. A. 1701. ad calcem ſubtexta. Vbi in *Præfat.* opuſculi *Grotiani* encomia ex variorum Theol. epiſtolis collecta, aliæque pro *Grotio* præſtantiſſimæ notatuque digniſſimæ obſervationes habentur: quibus & calumniæ in eum confictæ facilius abſtergi poſſunt. Nobis hic nec ſeritur nec metitur. Hoc autem fatemur, utut utilisſimus ſit iſte *Grotii* labor, vix tamen comparari eum poſſe, qua *doctrinæ integritatem*, cum noſtrorum hoc de argumento ſcriptis. Quoniam, quando noſtri recte ἰσόῤῥοπον pretium urgent, ille *Remonſtrantium* placitis addictus *acceptilationem* non obſcure ſubſtituit. Cæterum quod neglexiſſe viſus eſt *Grotius* officium, nihil ad *Crellii* reſponſionem, tametſi duos circiter & viginti annos ſuperviveret, reponens, ambiguæ hinc fidei ſuſpicione adſperſus, *Andream Eſſenium*, Theol. Vltraj recepiſſe, & haud inſulſe quoque perfeciſſe in *Triumpho Crucis* A. 1649. publ., non eſt, quod moneamus. Cauſſam de reliquo, cur ipſe nihil reſponderit, ipſemet *in epiſtola ad G. J. Voſſium Calend. Januarii A.* 1638. perſcripta, quæ inter *Epiſt. Remonſtr.* n. 548. ed. 1684. legitur, reddidit, ubi non infeliciter ſuſpicionem hæreſeos *Socini* approbatæ a ſe amolitus eſt.

dem tolerantiam tunc temporis decernentibus, percelebri hoc scripto *suffragatus* sit, vocem hanc scribendam putes. Quem calami errorem horridiora hæc nomina nunquam audita describentibus, vel male audientibus, ex recitatione committere admodum proclive fuit.

§. XXIII.

Littera H.

quæ proximo loco sese offert, *Hagam Comitum* in primo obtutu sistit, per periphrasin *Locum, in quo Sylvanus auditur*, vocatam. De qua Præpotentium Ordinum Hollandiæ conventibus ordinariis destinata urbe nihil heic annotandum arbitramur, præterquam, obscurum nobis videri, quomodo *Sylvanus*, h. e. *Vorstius*, illic auditus sit, quem *Lugduno*, cum vix adventasset, excedere singulari fato, de quo paullo inferius, a) jussum, eo concessisse, nondum satis liquidum est. Quare in mentem venit, suspicari, annon verbum *audiri* de *doctrina*, in sua *excusatione* apud Præpotentes *Ordines Hollandiæ* proposita, & benignius, quam in *Anglia* atque alibi, audita, admissaque, intelligi debeat? Quod tantisper credemus, dum melior suppetet explicatio. Auditum enim istic esse *Vorstium*, in pleno Consessu Fœderatorum Ordinum, præsentibus etiam *Collocutoribus* celeberrimæ illius *collationis Hagiensis*, bene constat. Neque etiam ignotum est, verbosam orationem *Teutonice* istic habitam, qua se ab objectis erroribus (*Socinianis*) purgare conatus est, & typis quoque impressam, *Latine* A. 1612. *Amstelod.* prodiisse. In quam & censuræ aliorum evulgatæ sunt haud paucæ, interque eas *G. Eglissemii*, Scoti, rigidiorem confutationem celebriorem esse, nihil caussæ est, cur h. l. copiose ostendamus. Qualem & nos paullo post ad memoriam *Lucii* commemorabimus. At enim, quia hæc jam *A. 1611.* vere ineunte *d. 22. Martii* gesta sunt, suspicionem nobis moverunt, annon pro *auditur*, locus, in quo Sylvanus *auditus*, legendum, & inter describendum forte error commissus sit. Sed satius est, hæc omnia in commodiorem exponendi locum remittere, & ad alia pergere. Succedat ergo HAINLINUS, is, in quo uno illustrando, & ex agro *Würtenbergico* protrahendo, hallucinatus est CL. *Möllerus:* prout jam ante nos recte observavit, erroremque istum celeberrimus *Vogelii* nepos, D. *H. N. Gundlingius* in *Gundlingianorum* prima correxit Parte. b) Neque enim *Joh. Jacobi*

a) Cap. II. §. XLVIII.

b) Num. II. §. VIII. f. 49. sq.

cobi a) huic prænomen fuit, ſed *Sebaſtiani:* quem neque *Freherus* indictum, tanquam collegam, prætermiſit, ſtudiisque in patria *Academ. Altorphenſi* primum, usque ad annum 1614. exeuntem, tum *Gieſſæ, Argentorati* & *Baſileæ*, Medicis incubuiſſe, atque in poſtremo horum Athenæorum Laurea quoque Doctoris Medici condecoratum tandem eſſe, retulit. Quemadmodum vero cætera alto ſilentio ſepulta eſſe maluit, quam vel ſyllaba attingere, quæ de *Socinismi*, ad tempus, erroribus ab aliis quibusdam commilitonibus probatis, non ſemper videntur bono *Frehero*, (utcunque licet,) incognita fuiſſe: ita quoque in *Hainlini* brevi illa vitæ enarratione de ea labe, qua fuit ad tempus coinquinatus, prorſus tacuit. At cognitum nobis eſt, certisque documentis, ſed ut pleraque alia, MSctis, memoriæ proditum, perſpectumque, & *Hainlinum* his partibus, tantiſper dum *AltorphI* vixit, ac diutiſſime fuiſſe addictum, quin etiam pro ſodali a cæteris agnitum, & in *fratrum* b) ordinem numerumque conſveta ratione cooptatum. Neque tamen ſilendum, inter eos hunc quoque recenſeri oportere, qui *ſecundi ordinis fratres* a nobis vocari ſolent, h. e. ſeductos & gregarios magis milites, quam aliorum in devia ſeductores ſeu ſigniferos. Idque partim propter Medica ſtudia, juxta Philoſophiam, diligentius & ex profeſſo exculta: partim etiam, prout ipſi de eo poſtea teſtati ſunt fratres & ſodales pervicaciores, quia mente *ſubdola* c) fuiſſe credebatur: cujus ſpecimen ipſis viſum eſt id præcipue editum, quod rigidioris in vita agenda diſciplinæ, a cæteris inculcatæ, pertæſus, d) clam reliquis S. Cœnæ myſteria Norибergæ acce-

a) Quo inſignitum fuiſſe percelebrem illum *Mathematicum* & *Abbatem* tandem *Bebenhuſanum*, cujus A. 1660. defuncti vitam ea, qua ſolet, diligentia deſcriptam in *Memor. Würtenberg.* P. II. f. 158. ſqq. exhibere S. R. *Fiſchlinum*, nemo ignorat.

b) Tametſi circumſtantiæ, quando & quo interprete id factum ſit, etiam heic lateant. Nec mirum, quandoquidem verecundia delictorum commiſſorum, & ut juventutis vitiorum triſtem recordationem omnem tollerent, dedita opera, quicquid monumentorum hujusmodi ſupererat, aboleverunt ipſi, alia aliis modis perierunt monimenta ſtultitiæ.

c) Quo factum etiam eſt, ut cum liberius aliquando, ex iisdem forte principiis, quibus jam fuerat imbutus, *Deum finitum* eſſe diſputaſſet ac defendiſſet, ſcriptis eapropter ad *Senatum Acad.* ab *Illuſtri* Dn. *Curatorum* Collegio litteris, rationem ejus rei reddere juſſus, reſponderet, philoſophice ſe hanc quæſtionem tractaſſe & ardore magis diſputandi, quam tuendi hanc opinionem, id a ſe factum eſſe, affirmando elaberetur.

d) Ita illi; ſed fortasſis hac de cauſſa potius, quoniam de errore nondum ita ſe convictum putabat, ut eapropter ſacra a Chriſto inſtituta, & Eccleſiæ Evangelicæ ſocietatem, ſibi deſerenda cenſeret.

accepiſſe ferebatur. Qua inter complices comperta fraude, (nam abſtinendum ab uſu Euchariſtiæ in cœtu Evangelicorum corrupto ſupra a) plerosque ſtatuiſſe audivimus) parum ipſi fidei tanquam homini ambidextro habitum eſt. Quam etiam ob rem de reducendo eodem ad veritatem gregemque diviniorem non magnopere laborandum fuit. Errores de reliquo *Socinifmi* a *Georgio Richtero* fertur primum hauſiſſe, quos *Ruarus* lapſu temporis magis firmaverat; Et quamvis ad ſaniorem mentem, ut ante dictum, mox rediiſſe viſus ſit, meminimus tamen a viro quodam b) primario, nunc autem ἐν ἁγίοις exiſtente, qui eo adhuc & amico & *Medico* uſus erat, aliquoties narratum nobis eſſe, ſubinde a ſe, cum viro decrepitæ ſenectutis his de rebus collocuto, obſervatum, ſcrupulos quosdam, quos tamen in animum haud demiſerit amplius, male illum habuiſſe. Quod reliquum eſt, patrum noſtrorum memoria A. R. S. MDCLXIII. c) e vita mortali exceſſiſſe *Noribergæ* optimum hunc virum, *Vogelio* noſtro amiciſſimum, eidemque ad cineres usque dilectiſſimum, notum eſt: Et quidem tunc, cum Senioris Medici ordinis in ea civitate dignitate præfulgeret, magnaque dexteritate Medicinam diutiſſime feciſſet. De *Crelliana* amicitia teſtimonium ferre poterit carmen *Diſput.* ejus *Phyſicæ*, ſub *Guolffg. Waldungi* Phyſ. Prof. præſidio A. 1613. d. XXX. Septembr. *de Mundo*, *Cælo* & *Stellis* propoſitæ, annexum, quod, quoniam breve eſt, hic apponere lubet:

Hæc illa eſt animi, divinæ particulæ auræ,
Enthea vis, quæ Te ſupremi ad limina templi,
Ad ſuperûm rapit ſedes, cognataque cœli
Sidera, quæ jusſit patriamque reviſere certam. d)
Hinc Te mente animi, pernicibus ingenii alis,
Ædes ad Divûm, purum, ſuper æthera libras;

Quas

a) Cap. I. §. 38.

b) Et Antiſtite quondam Eccl. Norибergenſi atque ad D. Seb. Paſt. *Andr. Mühldorffio.*

c) *Septuagenarium*, ita, ut ſupra laudatum D. *Joh. Georg. Fabritium* in Senioris Collegii Medicorum Norib. dignitate ſucceſſorem habuerit: de quo paullo ante §. XVII. diſſeruimus.

d) *Platonicam* hæc videntur olere Philoſophiam, cum *Pythagoreorum* ἀνόδῳ, quæ, niſi poëtica quadam licentia hic uſus ſit *Crellius*, vix probari poſſent. Sed cum aliunde cognitum habeamus, Peripatetica potius eum ſectatum eſſe placita, quæ a *Sonero* quoque ſuo didicerat, aliisque Præceptoribus Altorphinis, inque ſcriptis etiam philoſophicis expreſſiſſe conſtet, non dubitamus, quin hæc ad originem animæ a Deo ſingularem Kohel. XII. 7. & Hebr. XII. 9. reſpiciant.

Quas olim tenuit, quasque olim dia tenebit,
Mens recolit noſcitque domos : non amplius optat
Has tetras. HAINLINE, *cave, ut ne terrea moles*
Corporis, aut animi fluctus, mentem obruat, atque
Diſtineat cœlo : æternum has, fac, ut incolat ædes.

Johannes Crellius. Fr.

Vtrum monitis hoc verſu poſtremis ad illud quoque reſpiciat, quod paullo ante dictum eſt, a fratribus cæteris in eo fuiſſe notatum & reprehenſum ingenii atque indolis liberioris vitium, L. B. judicet. Nobis id quidem valde eſt veriſimile : utut nihil definiamus. Alterum potius ſubjungemus, de *Ruari* in eum propenſione ſingulari, teſtificans carmen, a) haud paullo magis elegans, & ad nominis nove excogitati derivationem clavem quaſi porrigens; quod attextum eſt alteri illius, præſide eodem *Waldungo*, diſputandi exercitio, *Decadem quæſt. philoſophicarum* complexo, & anno eodem 1613. menſe *Junio* ventilato, his verbis:

Dum ſcandis cathedram, ingenium creture ſub armis :
Alitis, HAINLINI, *nunc memor eſto tuæ.*
Hæc velut accendit pugnam mavortia cantu :
Ordia de caſta ſic prece prima cape.
Mox procul inſidiis ut in hoſtem animoſa volucris
Ingruit, & roſtro bella calente gerit :
Adverſam tu rumpe aciem, fracture ſagittas,
Quæ clypeum torto verbere cunque prement.
Denique ſicut avis parto ſedata triumpho,
Nec victi inſultans ultima fata petit :
Sic palma major victrice modeſtia pugnam
Claudat, & in gyrum te rationis agat.
Hæc mihi ſi facies, (facies, ſi te bene novi)
Germanus qui nunc dicere, Gallus eris.

Scr. *Mart. Ruarus.*

Nimirum hinc evidenter elucet, *Galliculum* ab ipſo cognomine, quod perfacile eſt mutatu ex *Hainlein* in *Häinlein*, dictum eſſe. b) Obſcurior autem

Hh

a) His enim, inter alios plures, modis, ſicuti pluribus jam demonſtratum eſt exemplis, demulcere amicos, & ſibi, *deliniendo*, conjunctos jam ante arctius devincire ſolebat.

b) Neque id fuiſſe hac tempeſtate inſolitum

autem eſt origo *Dominici*, qua altera appellatione inſignitus legitur. Et multo quidem ea impeditior redditur, ſi, uti obſervavimus alicubi notatum, etiam *Curionis* nomen adjungatur. Veriſimillimum tamen videtur, quod *Dominicus* ex Græca notione *Sebaſtiani*, (σεβαςὸς enim *Auguſtum, dominumque* ſignat) & *Curio* ex eadem lingva, ubi κόρος & κοῦρος *juvenculum* denotant. repetenda ſint. Idque multo eſſet credibilius, ſi κοῦρος non pro *juvenculo* tantum homine, ſed *pullo* quoque *gallinaceo* uſurparetur; ſic enim Germanico *Hänlein* ex aſſe reſponderet. Sed nihil opus eſt maleferiatorum juvenum intricatæ nominum mutationi, haud ad amuſſim criticis ſemper legibus convenienti, ſolicitius immorari. Eamque etiam ob rem *Hamilinii*, quam eidem *Hainlino* interdum affinxerunt a), nomenclaturam parum curamus. Additamenti vero, antequam ab hoc elemento diſcedamus, haud erimus immemores brevibus ſubjiciendi. Non raro quippe etiam occurrunt in iſtorum litteris *Autumni* & *Aulæandri* nomina: de quibus innotuit nobis; priori *Herbſtium*, Studioſum Theologiæ in Acad. Altorphina t. t. viventem, ſed nihil cum *Sociniſmo* commercii habentem, innui; quem ſalutari ſuis verbis quandoque, occaſione ſic ferente, duntaxat juſſerint, ut amicum, & ex Academica conſvetudine notum. b) Alterum vero *Aulæandri* fratribus duobus commune erat. Quorum primus *Chriſtophorus Höfflichius*, Jurisprudentiæ deditus, & inſignis poeta, *Altorphio* jam anno 1614. abierat, *Jenamque* conceſſerat; unde non multo poſt in patriam, *Noribergam*, reverſus, a Secretis primum fuit Illuſtri Senatui, tum vero *Syndicus Reipubl.* conſtitutus, perutilem eidem in rebus civilibus operam navavit. Secundus

tum in eadem familia, ex *Oratione* ſeu *Concione funebri* in obitum Illuſtris viri *Anton. Geuderi* A. 1604. habita cognovimus; cui a ſe recitatæ & typis dehinc impreſſæ, multumque ad Illuſtris *Geuderorum* gentis hiſtoriam evolvendam lucis affundenti, Paſtorem t. t. Heroldsbergenſem, *Andream Hainlein*, noſtro haud dubie cognatum, & h. t. adhuc ſuperſtitem (obiit enim A. 1628.) *Galliculi* etiam nomen ſubſcripſiſſe obſervavimus.

a) Sed raro, & vix ſemel iterumque a pauciſſimis uſurpatam, ut error calami primum nobis videretur, ipſum *Hainlini* nomen forte corruptum exſcribentis.

b) Etenim ne γρῦ quidem de eo, in ipſa hiſtoriæ hujus actorumque ſerie, aut alibi, occurrit; immo interrogati etiam deinceps complices inſontem declararunt. Conferatur Carmen *Famæ Altorphinæ* a *Dinnero* publicatæ (de qua Cap. III. Sect. I. §. - - -) attextum: ex quo non ſolum, alienum ab hac eum hæreſi fuiſſe, ſed publice quoque eandem deteſtatum eſſe, liquet. Vtut, numerum hac peſte correptorum ad homines *vix tres* & ipſum contra veritatem, poetica forte quadam licentia, adſtrinxiſſe, nollemus.

dus autem Theologiæ conſecraneus, cui *Leonhardi* prænomen fuerat, *Altorphio* excedens, eodem A. 1614. medio *Jenæ* ſtudia litterarum itidem continuabat. Atque hunc poſteriorem, natu inter fratres minorem, intelligi, hac nova appellatione Græca, ipſimet confeſſi ſunt ejus autores. Hæreſeos ejusdem approbatæ ſuſpectum quidem *fratris* compellatio, qua erga *Vogelium* in Philotheca uſus eſt, nobis fecerat, ſed communi amicitiæ jure ita dictum ab eo fuiſſe, non erroris conſortio, fratrum ipſorummet verorum confeſſione ſucceſſu temporis cognitum fuit: Vtpote qui, hæreſeos participem haud fuiſſe, candide affirmarunt, atque ita ſuſpicione innocentem prorſus liberarunt. Quemadmodum vero idem ille *Leonhardus Höfflichius* maturo obitu vacuum fecerit locum *Peuſchelio*, cui is poſthæc ſuccederet in pago *Kalchreuth*, rectius Cap. IV. enarrabimus; jam vero ad lit. I. progrediemur.

§. XXIV.

Quæ in principio heic comparet, *Jena*, non multum nobis negotii faceſſet, omnibus quippe nota, Studiorum Vniverſitas, atque hinc etiam, quod aliquandiu eam inſederant noſtri, ſuarumque diſputationum theatrum elegerant, ſæpius in epiſtolis nominata. *Oenomen* dictam eſſe ex Hebraica ſeu Chaldaica potius origine, unde vulgo derivari ſolet, ſerio an per jocum, non definimus. Vtrumque horum vocabulorum *Jain* & יֵינָא, immo etiam Gr. οἶνος ſatis bene reſpondere *Jenenſi* nomini, quod ad ſonum attinet, nemo non, credo, largietur. Vtrum vero ſolum, in quo ſita eſt urbs celeberrima, tantæ ſit fertilitatis, ut vel propter copiam vini notabiliorem, vel præſtantiam etiam γεννήματος τῆς ἀμπέλȣ, hac etymologia dignum ſit, alii, quibus id ad palatum eſt, (mihi enim tanti non fuit viſum,) dijudicent. Muſarum certe nectar, quod æquo laborum pretio ſtudiis iſtic litterarum operam navantibus venditur, ſvavius eſſe ſcio, & bene recordor. Ita quoque, *Jeſuitas* ab amictu *Nigros* præcipue appellatos eſſe, haudquaquam dubitamus: utrum vero ſimul ad eorum mores, ſecundum vulgare Latinorum proverbium, reſpici juſſerint, nec ne? in medio relinquimus. Illud certo magis ſcimus, occaſionem a ſcriptis Polonorum inprimis Jeſuitarum, *Smiglecii*, *Wujeki*, *Scargæ*, *Campiani*, *Eutropii* a) & ſimilium, cur in litteris nomi-

 nandi

a) *Nic. Cichovium*, cum quo *Schlichtingius* potiſſimum, *Confesſionem* ipſius ambiguam & A. 1651. publicatam aggreſſo, concertavit, dedita opera ſilemus, aliosque plures;

nandi essent, suppeditatam fuisse, a) atque horum & sociorum caussa eos quoque *Nigros* dictos plane persvasi sumus. Eademque ratio forte etiam reddi potest, cur in *Germania* mentionem illorum alioquin præ aliis ordinibus monachorum seu Religiosorum, ut vocari malunt, facere oportuerit. b) Quamobrem brevioribus quoque nobis heic esse licebit. Dignior est consideratu, tanquam *Belgici Crypto-Photinismi* primipilus, *Erasmus Johannis*, qui hos proxime consequitur in Onomastico nostro; utpote cujus frequentiorem haud dubie & pæne necessariam memoriam historia *Socinismi*, sæpenumero inter fratres confabulatos, vel propter disputationes varias, dum expoliretur, ortas, illustranda postulavit. Quanquam enim dudum ex hac vita obscurus iste *erro* excesserat, attamen ejus quoque vita, doctrina & scripta tanto fuere notabiliora; atque hinc etiam nostris novis *Photinianis* notiora, quanto vehementius ipse cum *Socino* quondam decertaverat. *Claudiopoli* in *Transylvania* Pastorem tandem egisse, diemque illic obiisse supremum, passim observatum est, idque ex *Sandio*, c) qui etiam *Antwerpia* d) illuc venisse notavit, & CL. etiam

res; quoniam hæc nostrorum congertonum ætatem excessere, nostræque propiora fuere.

a) Præsertim, ubi e *Polonia* ad *Germanos* nostros, vel ab his in *Poloniam* litteræ, quod frequentissime factum est, mittendæ essent. Cum Germanis de reliquo, ex ea societate doctioribus, nostris, præsertim hisce νεοφύτοις, vel commercium litterarium vel disputationem Iesuitis intercessisse, nisi forte data in itinere occasione, nihil unquam annotatum legimus. In *Polonia* vero cum illis plus satis tum temporis decertandum fuisse, & scripta primipilorum docent, & status Poloniæ Eccles. confirmat.

b) Qua prudentia vero *Eques ille Polonus*, qui vitam *Socini* conscripsit, hunc magistrum suum (quem & ipse in plerisque sectatus est) non tantum hoc præcipue nomine laudandum putaverit, eo quod in animo semper habuerit *nobilioris* (novæ fortassis voluit dicere) *Fidei doctrinam tradere*, sed etiam in fine Historiolæ cum *Ignatio* Loyola eum comparare ausus sit, alii judicent. In pejorem certe partem collationem istam, nec sine ingenii acumine, accepit vertitque *Georg. Aschwell*, doctissimus Angl. Eccl. Presbyter, cujus e libello, de *Socino & Socinismo* Oxoniæ A. 1680. procuso hæc si lubet, repeti possunt.

c) Et ipso *Socino* in Præf. p. p. citanda.

d) Vbi Rectorem scholæ egerat, & a *Guilielmo*, Duce Auriaco, Burggrafio t. t. Antwerpiensi, ejectus est. Qui cum A. 1566. Evangelii sec. August. Confess. prædicandi potestatem *Antwerpiensibus* fecisset, hujus improba mente hominis & lites, inter *Lutheranos* atque *Calvino-Reformatos* ortas, in rem suam vertentis abusum libertatis concessæ ægerrime tulerat. Aliter paullo *Gerh. Brand*, qui, uti ex *Mich. la Roche Memoires litteraires de la grande Bretagne* T. III. f. 100. sq. didicimus, propter librum, quem: *Discursum, in quo demonstratur Regnum Antichristi statim post Apostolorum tempora cœpisse, & Concilia omnia, ipsumque adeo Nicænum, hac peste infectum fuisse*

iam *Möllerus* diligenter monuit; ſed, quæ fuerit patria hominis errabundi, neuter explicate docuit. Nos autem *Germanum* fuiſſe, ex *Marchia Veteri*, *Soldwedelienſem*, & *Lipſienſis Academiæ* ad tempus alumnum, atque hinc forte, incertum tamen, quo fato, *Antwerpiam* demum a) deductum, *Joachimi Vrſini* indicio debemus, qui tanquam rem indubiam & ſibi compertam idem tradidit in *Præf. ad Caſmanni Anti-Socinum Ambergæ* 1612. excuſum. b) De placitis ejus, a *Socinianis* hypotheſibus magna ex parte diſcrepantibus, & revera *Arianis*, quibus cumprimis acriter & conſtantiſſime tuebatur Filii Dei ante mundum conditum, ſed creati, exiſtentiam, ipſe *Socinus* ex inſtituto cum eo diſputans, conferri poteſt: cujus habita inter utrumque Diſceptatio ſeparatim A. 1595. *Racoviæ* typis expreſſa, & operibus *F. Socini* quoque reliquis nunc interpoſita, c) extat. In cujus præfatione ad *Hier. Moſcorovium* perſcripta accurate narratur, *Eraſmum* hunc *Johannis*, ut arbitramur, filium (ita enim moris eſt a patre cognominare in Saxonia inferiori filios d)) A. 1584. *Cracoviam* perveniſſe, & ut ſua ſibi liceret argumenta exponere, ea ſcil. quibus probatum daturus eſſet, Filium Dei unigenitum ante nativitatem ex Maria virgine jam extitiſſe, fidenter poſtulaſſe. Qua ſimul opera, ut ad *Photinianorum*, cum quibus alias plane conſentiret, fundamenta excutienda animum accingeret, ſibi datum iri occaſionem, dixerat ſe cenſere. Annuiſſe fratres petitis, *Socinus* l. c. ait, &, uti convenerat, ſe unum delectum eſſe, qui cum illo e) congrederetur, refert. Idem-

fuiſſe &c. inſcripſit (ab eodem etiam *Brandtio in Hiſt. Reform. Belg.* copioſe recenſitum,) male audiviſſe, & carceri deſtinatum fuiſſe, at re comperta clam aufugiſſe, (*il ſe retira ſecretement*) narravit.

a) Poſtquam & *Genevæ* aliquantiſper cum *Beza* converſatus fuerat. Quamvis enim, quo tempore id factum ſit, definire non audeamus; illud tamen ſilentio præterire non poſſumus, ad Joh. V. 39. commentatum *Bezam*, ab eo ſe admonitum, fateri, ne in Imperativo, ſed indicandi modo notiſſimum illud ἐρευνᾶτε redderet. Ad quem locum ab eodem viciſſim *hominis pii & eruditi* elogio inſignitum videas. Sed vel hinc etiam, ubi virus illud, quo infectus fuit, in animum receperit, non in *Bezæ* quidem *ſchola*, ſed apud *Helvetios*, & ab ipſo forte *Lælio Socino*, aut *ſociis Italis*, iſtic circumvagantibus, efficere licet.

b) Vbi tamen *Johannem Eraſmi* vocat.

c) Tom. II. f. 487. ſqq. ſeparatim autem A. 1595. forma 8va proſtat excuſa, & *Hieronymo Moſcorovio*, non diu ante ad partes *Socini*, cum aliquantiſper hæſitaſſet, tandem transgreſſo, dedicata fuit.

d) Quod vel cognominis, ex his terris orti *Eraſmi Franciſci*, hoc paternum prænomen, cum *Fix* ante diceretur, ſibi adſciſcentis, & apud nos latitantis, ac denique pie defuncti, exemplum confirmat.

e) Tanquam *viro erudito & in ſacris litteris haud mediocriter exercitato*, (uti ab ipſo *Socino* in dedic. ad *Hieronym. Moſcorovium* cit. laudatur,) cui fortisſimus hic athleta opponendus videbatur.

que, poſtquam biduo amanter & placide diſputatum erat, hærente adhuc *Cracoviæ* ad tempus *Eraſmo*, narrat, ſcriptam ab eo diſputationis hujus σύνοψιν, ſibique ruri tum degenti miſſam, ad quam bene multa protinus repoſuerit, & per *Andr. Dudithium* illi transmittenda curarit. Addit vero etiam ingenue *Socinus*, *Eraſinum*, interea *Cracovia* abeuntem & ſine dubio in *Tranſylvaniam* a) digreſſum, nihil quidem ad ſuam illam confutationem & uberiorem explicationem reſpondiſſe, attamen profeſſum eſſe, ſe, ea lecta, multo magis in ſententia ſua confirmatum fuiſſe. Quod ipſum litteris etiam A. circiter 1595. ſcriptis luculentius pronunciaverit, totiusque rei uberiorem expoſitionem vindiciasque ſe moliri teſtatus ſit. Quæ ſive prodierint in lucem, ſive MSctæ a nonnullis Transſylvanis circumgeſtatæ ſint, amplam profecto *Germanis* noſtris *Socini* cultoribus differendi materiam exhibuerunt: quamvis vel ſolius diſſenſus mentio, & argumentorum e ſuperiori opere epiſtolisque excerptorum commemoratio, cum citandi hujus *Ariani* hominis, tum refellendi, atque ficto eum nomine involvendi, ſufficiens cauſa eſſe potuerit. Ad quas generales cauſſas accedebat ſingulare quoddam amoliendi a ſe ſuaque doctrina, ſtudium exoſæ omnium maxime *Arianæ* hæreſeos crimen; de qua ſolicitudine b) fortaſſis ad Cap. III. ſpecimen notabile, quod a *Peuſchelio* editum eſt, valde luculentum teſtimonium ſuppeditabit. Jam ſolius nominis c) nove conficti ex more ratio reddenda erit, (ipſe enim *Arianorum* iſte patronus, molitionibus his patefactis, uti dictum eſt, mortalitatem jam exuerat) quæ nullo negotio conſtabit, dummodo Græcam prioris, *Eraſmi*, ex ἐρᾶν, & ἔρασμος, quæ *Luciani* vox eſt, ac *deſiderabile* quid ſeu amabile notat, originem, poſterioris vero ex Hebraico ſignificatu, cum Germanico æquivalente, commutatio-

a) Vbi revera inter Præcones verbi divini, *Claudiopoli* videlicet, cooptatus, ea conditione tamen, ut ab exiſtentia filii Dei Jeſu Chriſti ante Mariam virginem e ſuggeſtu publico abſtineret, diem tandem ſuum, inclinato ſeculo XVI. obiit. Quandoquidem epiſtola A. 1590. ad *Socinum* ab eo data, hoc anno adhuc in vivis ſuperfuiſſe, teſtatur.

b) Ab *Oſtorodo* potiſſimum in Præf. *Inſtitut. Germ.* demonſtrata; ut cæteros taceamus.

c) *Everhardum* enim *Spangenbergium*, ab eo jam *Antwerpiæ* ad eandem ſententiam perductum, ſed hunc deinceps A. circiter 1568. *Socini* partibus aggregatum eſſe, videtur a præſenti inſtituto alienum. Quemadmodum etiam aliorum judicio, fueritne hic *Spangenbergius Cyriaci* illius, qui A. 1566. ſq. Evangelium *Antwerpiæ* docuit, cognatus, (filium enim non fuiſſe ex Genealogia in *vita Spangenb. Leukfeldiana* f. 74. patet) nec ne? aliis dijudicandum relinquimus.

tationem animo expendas. Quæ quidem hactenus sufficiunt. Pluribus enim de hisce *Arianorum* cum *Socinianis* disceptationibus, eorumque, satis nota, sed æque, si non magis, a) pestifera doctrina sermocinari, a nostro instituto alienum putamus, & plura supersunt, quæ nostram opellam majori jure deposcunt. *Isanadii*, qui in hoc eodem elemento agmen claudit, in *Odontium* conversionem aliorum studio relinquere volueramus investigandam; dum nobis interim videretur ex mera transpositione litterarum pro *Adansii* anagrammate enatum; cum fortuito, & nos, & ex parte quoque CL. *Möllerum*, mala nominis scriptione deceptos esse, animadverteremus. Revolventes enim *Ruari* epistolas deprehendimus, eundem illum fuisse, quem habuit idem *Ruarus* obvium, cum prima vice *Racoviam* inauspicato ingressus esset, eo quoque ex *Dacia*, nominatim *Claudiopoli*, cum *Thoma Langio*, b) ablegatum, & in procinctu reditus existentem. Quo tamen loco c) non *Isanadius*, sed *Paullus Czenadius* appellatur; idque genuinum ei nomen fuisse, respondens ex asse Græcum illud *Odontii* adscititium confirmat. Ibidemque *Medicinæ Doctor* & *Rector Claudiopol. Socinian. Gymnasii* fuisse dicitur. Vnde quoque amicitiæ origo, hactenus nobis obscurior visa, rectius derivatur, quam si solius *Rhawii*, d) discipuli fortassis, cum eo consvetudinem domesticam caussam eum nominandi dedisse, prouti ab initio opinabamur, diceremus. Atque hæc etiam sunt, quæ de eo nobis constant. Scriptorum enim nihil, quod in lucem emiserit, cognitum est, aut a quoquam commemoratum. Quapropter etiam misso homine cætera obscuro, in littera K.

§. XXV.

Vnius *Königii* facta mentio nos occupatos habebit. Hujus per universam Ecclesiam Evangelicam celebratissimi Theologi e) superiori capite jam aliqua mentio incidit, ubi nævum haud spernendum in eo notavimus, nimia in *Socinianos*, *Crelliumque* potissimum, facilitate commissum, & haud immerito a nobis vituperatum. f) Jam vero,

a) Veritatis certe specie mirifice, propter loca Vet. Testam. de *Filio Dei apparente*, sive seorsim spectata, sive in Nov. Foed. Libris tabulisque inde excitata, blandiente, atque hinc tot adstipulatores olim, ut totus mundus miraretur, tam cito se factum Sec. IV. Arianum, adepta, eandemque ob caussam in Anglia, ubi nuper admodum recruduit, reprimenda.

b) Senatore *Claudiopolitano*.

c) Cent. II. Ep. XVII. f. 98 med.

d) Lit. R. p. p. memorandi.

e) Cujus alioquin vita copiose est, cum scriptis ordine enumeratis, inter cæteras *Theolog. Altorphin.* f. 113. sq. descripta.

f) Immo etiam utcunque excusatum. Vid. Cap. I. §. 33.

vero, ut prorſus immunem illum præſtemus ab erroris nefarii conſortio, elaborandum erit: cum facile in ejus ſuſpicionem, ſi *Ruari* illas epiſtolas obiter perluſtret *Lector*, vocari poſſet. Tantum ſcil. abeſt, ut infanda hæc dogmata unquam approbarit *Königius*, ut inter primos ex ſuggeſtu correptores, quam primum aliquid clandeſtinarum illarum machinationum ſuboluit, animadvertamus fuiſſe. Cum enim A. MDCXV. *Paſtoris* & *Profeſſoris* officium, vicarium primum, deinde & ordinarium, adeptus eſſet, & rumor ille de occulto favore & in *Socinifmum* quorundam valde propenſa voluntate jam increbeſceret, publice dixiſſe ferunt: Es ſind etliche Schüzen a) allhie (juvenes innuens hæreſi faventes) die haben unſere Kirche turbirt; Man ſollte ſie nehmen, und mit Ruthen ihnen einen product abſtreichen. Aber meine Obrigkeit wird ſchon an den Schüzen ein Exempel ſtatuiren &c. Quæ verba inter alia nova ex ipſius *Regii*, ſeu *Königii*, ore a ſe audita, *Corn. Marci* d. VII. Decembris ad *Peuſchelium* Jenam perſcripſit. b) Idemque etiam *Cornelius* jam ante, quam ad munus iſtoc ſacrum admoveretur *Königius*, Altenthannenſis hucusque Eccleſiæ ad breve tempus Paſtor Vicarius, die ult. *Sextil.* eodem A. 1615. *Peuſchelio* ſuo ſignificaverat, *rediiſſe illum Noribergam, & famam eſſe pervulgatam inter omnes, Eccleſiæ Altorphinæ Ductorem, vel potius* (ita verba habebant protervi adoleſcentis) *Seductorem creandum.* c) Tanto vero minus credibile eſt, quicquam ei commercii unquam cum *Socinianorum* peſſimis conatibus interceſſiſſe, quanto citius *Altorphio* abierat, annoque MDCIX. *Wittebergam*, atque inde *Jenam* commigraverat, præceptoribusque iſtic uſus præclariſſimis; Altorphium autem anno demum 1614. reverſus legitur, quo turbones illi plerique aliorſum commigraſſent, aut abitum certe jamjam molirentur. Eamque ob cauſſam, quo publicitus diſſenſionem ſuam conteſtaretur, factum eſſe conjicimus, cur tota illa ſcena occulte adhuc actarum machinationum vix anno ſequente 1616. aperta, ipſe etiam *Königius*, omnium, quod ſciamus, primus *Diſputatione* propoſita, *de Satisfactione Jeſu Chriſti*, Reſpondente *Matthæo Kregelio*, *Palatino*,

a) Vt vocabulum hoc intelligant etiam exteri, monendum eſt paucis, *Noribergenſe* id eſſe, & ubi de re ſcholaſtica ſermo, quemadmodum hoc loco inſtituitur *puſiones*, vulgo *abecedarios* denotare: quo per contemtum, qui prima elementa diſcunt, appellari apud nos ſolere, vel illi norunt, qui nondum ære lavantur. Vltimum hinc in ſcholis ſedile vulgo Noribergenſibus *das Schüzenbænklein* dicitur.

b) Cujus hæc *epiſtola* inter *Peuſcheliana* illa, quæ multoties jam memoravimus, miſcellanea *Jenæ* fuit deprehenſa.

c) In epiſtola alia ibidem reperta.

tino, huic peſtifero malo obviam iret, & ab infamia Academiam hanc noſtram pro virili defendere laboraret. In hujus enim exercitationis, *menſe Novembr. A. R. S. MDCXVI.* prælo excuſæ, dedicatione, notabilia hæc verba leguntur: *Hanc tamen utramque* (*Photini* puta & *Abailardi* Sec. IV. & XII.) *hæreſin pernicioſisſimam*, *ut & alias plures*, *ab orco revocarunt hodierni Photiniani*, *ab hoc Photino nomen ſortiti*, *qui doctrinam ſuam eandem eſſe, cum hujus Photini, ipſimet fatentur. Quoniam vero Satan etiam in hac Academia, non ſine magno ſcholæ dehoneſtamento, hanc zizaniam ſparſit, & NB.* MIRIS ARTIBVS ALIQVANDIV CLAM FOVIT, a) *orthodoxam vere Chriſtianorum de Merito & Satisfactione Chriſti doctrinam, (in qua omnis ſalutis noſtræ cardo vertitur) qua potui brevitate & perſpicuitate in Theſes redegi, & publico examini ſiſtere non dubitavi.* Quicquid etiam poſthæc ab eo profectum ſcriptumve legimus, non obſcure teſtatur, in eo ſedulo elaboraſſe virum eruditiſſimum, ut pergeret identidem, & maxime quidem omnium in *Vindiciis ſacræ Scripturæ Locorum*, particulatim propoſitis, ſed uno faſciculo denique comprehenſis, atque inde ab iſtac triſti ætate jam inchoatis, immo etiam alibi, b) *Socini* portenta maſcule oppugnare. Quando vero alia his mitiora & molliora occurrunt, cujusmodi ſunt, quæ in epiſtolis privatis ad *Crellium* atque *Ruarum* pronunciata ſcriptitataque habentur, ea denuo cupidini librorum obtinendorum vehementiori, ortæque hinc immoderatæ imprudentique blandiloquentiæ adſcribenda eſſe arbitramur, nec a ſuperiori noſtra opinione c) recedimus. Quo ſenſu procul dubio duriora quoque illa verba capienda ſunt, quibus, in *epiſtola ad Ruarum* A. 1623. data, d) *Crellium* ad pertexendos *Locos Theologicos*, Ruaro interprete, adhortatur, *eorumque* tanto *ſe deſiderio accenſum*, ait, *ut nihil magis eis videndis etiamnum deſideret; quia non dubitet, quin in illis ſententiam Racovienſium Theologorum late propoſiturus, & nervoſe probaturus: contrariam autem ex fundamentis diruturus ſit.* Immo *fauſtum diem* prædicat, *quo videre hoc opus ſibi contigerit.* Etſi enim non alii *Loci*, quam *Volke-*

a) En! ipſum pæne *titulum* operi huic noſtro hiſtorico *præſcriptum*, quem, utut ipſa res eadem ſatis ſuperque doceat, non injuria machinationibus hisce nos dediſſe, vel hoc unius *Königii* teſtimonio conſtat.

b) In Diſputationibus & Concionibus, publicis privatisque ἀσκήμασι, una cum *Chriſtiano Matthiæ*, Prof. p. p. huc advocato primario, id ſaxum cumprimis, uti imperatum erat, nec infeliciter, volvente, eumque laborem, temporum etiam rationibus requirentibus, ſtrenue urgente.

c) De qua conſulatur Cap. I. § XXXIII.

d) Quæ P. II. Epiſt. *Ruari* n. XXV. f. 171. reperitur.

liani, a *Crellio*, uti constat, perpoliti, ad colophonem perducti, & typis subjecti editique A. 1630., intelligendi sunt, qui *Librorum de Vera Religione* titulo prostant, haud tamen congruebat, de *Sociniano* homine non dubitanter sperare, contrariam Racoviensibus doctrinam promiscue ab eo ex fundamentis subrutum iri. Quæ proinde lubentius a tanto Theologo etiam per jocum & ironiam pronunciata esse denuo crederemus, (neque enim ignoramus, ut supra monitum est, fuisse festivi ingenii virum,) nisi alia haud paullo asperiora a) nos ab istoc effugio revocarent. Excusandus igitur magis hac in parte, quam laudandus erit *Königius* noster; & quod fertur *Vrbano Regio*, in Conventu celeberrimo *Smalcaldico* b) A. 1537. dixisse *Lutherus*, cum prolixa admodum concione auditores suos longius detinuisset: *Neque Vrbanum id fuisse, neque Regium*; idem quoque in nostrum hunc convenire statuendum. c) Quod denique ad *Regii* appellationem spectat, ea cum generali, *Pastoris nostri*, sæpenumero permutata a Socini sectatoribus legitur, & quia utriusque impositi ratio in propatulo est, cæteraque viri hujus merita inter omnes cognita sunt, d) ab eo ad elementum L.

§. XXVI.

Primumque in Onomastici ordine LEVCHSNERVM nos conferemus. Hunc præ cæteris dignum existimamus, in cujus fata sedulo inquiratur, tanquam *primogenitum*, si ita loqui fas est, & γνήσιον *Soneri*, quantum ad mentis depravationem, filium. Patria eum dedit *Biberacum* in Franconia situm oppidulum, *Marck Bibrach* vulgo dictum, nomenque gentilitium fuit non *Leuschneri*, qua forma aliquoties male scriptum in epistolis *Ruari* e) & *Richteri* f) comparet, sed *Leuchsneri*: unde & *Luceji* & *Chsenuleri*, *aut Chsenuleji* cognomenta ei afficta, & in typo nostro extantia ortum habent. Prænomen erat *Georgii Ludovici*, quo *Soneri* Philothecæ inscripto memoriam sui discessurus reliquit, atque alibi etiam sua ipsius manu ita scriptum expressit. g) In Academiam *Altorphinam* cum fratre *Joanne Leuchsnero*

a) Supra jam adducta ex iisdem epistolis.

b) In quo *Articuli Smalcaldici* a *Luthero*, qua priorem partem, quantum ad alteram vero a *Philippo*, conscripti sunt: ubi ejusdem *Regii* nomen bis subscriptum legitur.

c) De reliquis vid. supra cit. Cap. I. §. 33.

d) Et in Vitis Theol. Altorphinorum fusius f. 113 -- 134. descripta.

e) V. g. P. II. f. 168.

f) Vbi tamen f. 654. sq. in *Dinneri* ep. rectius etiam exscriptum legitur.

g) Cumprimis vero in *Epitaphio*, quod fratri cum sororibus & affinibus posuit; de quo p. p. dicendum erit.

nero A. 1595. d. I. Decembris ingressus est, atque illic Jurisprudentiæ studia ad annum usque MDC. continuavit, quo anno, incertum tamen quo die, peregre hinc abiit. Familiaritati funestæ cum *Sonero* ineundæ a) occasionem subministravit cognatio. Ita enim ipse *Sonerum* affinem suum compellans, in citata *Philotheca*, d. 24. Aprilis jamjam abituriens memoriæ prodidit. Et quia *Noribergæ* ea inscripsit, (constat enim *Sonerum* A. 1605. post *Scherbii* demum obitum *Altorphium* demigrasse,) hinc non obscure effici potest, mature & in ipsa jam civitate *Noribergensi* adhuc habitantem illum amicos imbuere cœpisse, hunc autem *Leuchsnerum* istic venenum *Socinismi* a *Sonero* præceptum hausisse. Certe quod jam peregrinas terras aditurus ista lue fuerit affectus, *Index* condocet *Colloquii* (aut *Synodi*) *Racoviensis* alterius A. 1602. d. VII. Octobris inchoati, & die XIX. ejusdem mensis XXII. sessionibus finiti; ubi inter alios præsentes cum ipso *Fausto Socino*, duce & antesignano, idem *Georgius* (sed male omisso *Ludovici* nomine, b) & injuria *Norimbergensis* dictus) *Leuschnerus* seu *Leuchsnerus* connumeratus reperitur. c) Atque hinc sine mora longiori, vel sua sponte in Poloniam ingressum esse, rariori peregrinantium exemplo, vel ab ipso *Sonero*, hæreseos amore suæque fidei testandæ gratia, eo ablegatum fuisse, colligitur. Nec proinde mirum est, si, data tam solemniter dextra, in fraternitatis jura susceptus, peragrato deinceps orbe, & A. 1604. ex *Italia Noribergam* redux factus, virus receptum aut difficulter & sero, aut nunquam, exspuit. d) Ex quibus porro elucet, quo pacto cum *Gittichio* aliisque *Socinianis* amicitiam tam intimam coluerit; quam item ob caussam ita pervicaciter a S. Cœna abstinuerit, & hunc morem *plurimis annis*, e) *nullo extraneo vel periculo vel scandalo attento*, firmiter tenuerit observaverit-

 que.

a) Cum quo admodum amice inde ab A. 1600. jam *Noribergæ* vixit.

b) Uti contra, mentionem hujus itineris faciens, in Vita sua, Val. *Smalcius* nomen *Georgii* omisit, & *nobilem* eum *Francum* appellavit: de qua nobilitate generis nihil nobis adhuc cognitum est.

c) Vid. *Sandii* Biblioth. Anti-Trinit. p. 175.

d) Ejus certe simulatio, postquam tam operose antea hoc saxum volverat, nimis proterva, mihi, ex quo Historiæ hujus monumenta animo reputavi meo, semper suspecta visa est; &, si quidem diutius superstes erat, is forte fuit, a quo sibi (*amico Noribergensi*) *Smalcii* scripta deinceps maxime commendata esse, *Florianus Crusius* A. 1625. scripsit.

e) Vid. ejus Epistola inter *Ruarianas* Cent. II. n. XXIV. p. 169. Conf. Cap. I. §. 37. ubi male eam *Huswedelio* tributam indicavimus; jam vero, neque A. 1604. sed 1614. scriptam esse, ex *Rhawii* & ipsius *Ruari* in Acad. Altorphina præsentia demonstramus, & typorum errorem corrigi jubemus.

que. Quam ſedulus idem quoque fuerit in procuranda S. Cœnæ præpoſtera, inter fratres, & privata adminiſtratione, ex Cap. I. §. 38. (a) repetatur. Quo etiam auſu, ſive dante *Leuchsnero* anſam, ſive ei corroborando inſerviente, epiſtola illa *Chriſtoph. Oſtorodi*, quæ ſuperiori Capite propoſita invenitur, ſcripta, &, prout ex eadem epiſtola colligimus, ad hunc ipſum *Leuchſnerum*, potisſimum, cum uno alteroque erroris ſocio, perſcripta eſt. Videtur etiam idem in rebus fidei maleſanus homo diu admodum poſt reditum in *Altorphina Academia* vixiſſe, donec *Altorphio Noribergam* res ſuas transferret, ibidemque Advocati a) munere functus, tandem & ipſe vadimonium ſubire cum cæteris complicibus juberetur. Vbi, qualem ſe geſſerit, & quis eventus fuerit cauſſæ dictæ, *Capite* ſequenti *tertio* ediſſeremus. Etenim, quo anno, & ubi locorum, diem ſupremum obierit, ne nunc quidem ſatis exploratum habemus. Inter Advocatos vero *Reipublicæ Noribergenſ.* quando ab anno 1607. usque ad A. 1616., qui fatalis *Crypto-Sociniſmo* fuerat, nomen ejus comparet, ſed deinceps nulla illius mentio amplius occurrit, parum abeſt, quin, ex urbe ultro diſceſſiſſe, aut diſcedere juſſum, vel fato etiam maturius ex animi ægritudine functum eſſe, ſuſpicemur. Neque enim dubitamus, quin priſtinæ illæ cum *Sonero* machinationes a ſociis olim, ſed meliora jam edoctis, deinde accuratius, quam ab initio, patefactæ fuerint. Tantum in præſenti noſſe ſatis eſt. Nam quod ad nomina attinet nova, ex *metatheſi* illa facta eſſe cum alluſione ad *Leuchſneri* peregrinationes feliciter peractas, plane liquet. Pari modo, qui *Leuchſnerum* excipit, LEIMERVS *Meileri* nomen recens confictum, itemque alterum uſitatius *Colleti* [non *Collecti* b)] accepit. Quis enim non intelligat, illud ex trajectione elementorum, hoc vero ex Græco *κολλᾶν conglutinare*, derivatum eſſe? At de perſona hujus *Colleti* quædam inveſtigatu digniora præſto ſunt, quæ

a) Seu, ut *vitæ Crellianæ* ſcriptor affirmat, *Conſiliarii Reipublicæ*. Syndicum Reipubl. Noricæ *Joh. Leuchsnerum Andr. Dinnerus* nominat l. c. f. 670. 671. Quem fratrem fuiſſe noſtri *G. Ludovici*, ſupra vidimus. Incertum igitur eſt, utrum uterque munere illo functus ſit, an alter cum altero ſit permixtus. Ipſe quidem *Georgius Ludovicus*, fratri ante laudato Epitaphium cum poneret A. 1613. d. XXX. Decembr. *Clavenæ in Rhetia* defuncto, *Juris utriusque Doctorem & Senatus Noriberg. Conſiliarium* ſe nominavit; Sed in Conſiliariorum Reipubl. Indice eum annotatum hucusque reperire non potuimus. Atque hinc laxiori paullo ſenſu *Conſiliarii* titulum, pro *Advocato*, ut fieri interdum tunc temporis ſolebat, accipi debere colligimus.

b) Ita enim male exſcriptum eſt novum vocabulum in Indice a CL. *Möllero* typis ſubjecto: quod obiter notamus.

quæ adhuc ignorata brevibus cum L. B. communicabimus. *Nicolai* huic viro prænomen erat, vitæ autem genus, quod Noribergæ exercebat, *mercatura* fuit. Origo participationis a perniciosissima hæresi prima itidem non aliunde derivanda nobis videtur, quam *ex affinitate*, qua proxime etiam illi innexus erat *Sonerus*, a) quanquam verisimilius sit, immanes *Photinianorum* errores non plane approbasse, sed hæsitando magis & timidiuscule iisdem, aut asseclis certe, ob vitæ integritatem laudabilem, quam præ se ferebant, multum favisse, atque hinc adolescentibus illis, qui ad hæresin tam immanem propendebant, omni studio suppetias tulisse: *Fautor* inde *Socinismi* potius, quam assertor aut adstipulator dicendus. Documenta præcipua, quæ nobis de suo illo amore in sectam hanc exitialem dedisse constat, hæc sunt: Quod, extincto A. 1612. *Sonero*, ipse fere solus rerum ab eo relictarum curator, b) &, nisi unus etiam, atque ex asse, ex parte tamen maxima ac primarius, hæres, distrahendis inter juvenes familiares jam infectos libris operam dedit, aut rapientibus c) non obstitit. Hac certe occasione libri pestiferi plurimi, præcipue manuscripti, in manus eorum magno omnium & totius Academiæ malo pervenere; quorum & *Martinus Ruarus* ad *Joachimum Peuschelium* d) scribens aliquando meminit, eumque *in sensu Cap.* 53. *Esaiæ evolvendo, ad hujusmodi spolium, quod se nescire*, ait, *utrum ex bibliotheca Soneri, Dümlero, Fabricio, an Hainlino obvenerit*, ablegat. Porro *Colletum* seu *Leimerum* scientem & haud ignarum mysteriorum *Soneri* jam ante fuisse, cum ex familiaritate intima, quam cum eo semper coluit, evidentissimum est, tum ex clandestinis, in reculis *Soneri* removendis, machinationibus: ubi observatum esse aliquando accepimus, e) *nocturno tempore, non multo post excessum ejus ex hac vita mortali, quædam, haud dubie recondita, ex ædibus demortui asportata, januamque interea custodia quorundam adstantium, ne quis interveniret clam auferentibus, fuisse munitam.* Ea vero in re sigillatim prima & præcipua fuisse hujus *Leimeri* & consilia & auxilia, multa sunt, quæ nobis persvadeant, omnique dubio f) liberent. Sed neque

 posthac

a) Hinc profecto consvetudinem cum eo sibi natam, ipse dehinc, in jus vocatus, professus est.

b) Hæc ex ipsomet *Leimero*, cum interrogaretur, edisserente comperta sunt.

c) Hoc vocabulo, quare utamur, ex seqq. *Ruari* verbis patebit.

d) Epist. Ruarian. Cent. II. Ep. 17. f. 114.

e) Ipsorum sodalium confessione deinceps edita: quam certis documentis cognitam nobis esse, bona fide testamur.

f) Quæ sigillatim recensere nihil attinet, quoniam etiam hoc loco vulgare illud haud incommode, de mortuo nimirum, & constan-

posthac etiam cessavit idem *Leimerus* a familiari, cum *Socinianis* recens perversis, consvetudine arctiori; ut potius rebus eorum promovendis juvandisque, præ cæteris, maximopere intentus fuerit: idque studium scribendis ad eos, *Ruarum* inprimis, *Peuschheliumque* litteris, atque nummis librisque ultra citraque mittendis, tum acceptis ab hisce vicissim, & aliis pluribus curandis, ut recte, quo destinata essent, cuncta perferrentur, identidem demonstravit. Tantaque fuit inter ipsum & hos amicissimos juvenes animorum conspiratio, ut, si quid arcani contineret argumentum aliquod epistolarum, *Leimerum* tamen id non latuisse, multa sint, quæ arguant. Vt taceamus, sæpius quoque ad eum, si quando *Norimbergam* excurrerent *Altorphio* amici, & fere ordinarie divertisse, atque in epistolis denique a *fratris dilecti* compellatione haud abstinuisse, *fratres*. Quæ omnia, oppido sane suspecta, ipse quidem *Leimerus* in alium sensum postea interpretari omni contentione laboravit; attamen prohibere non potuit, quin gravi, si non consensionis, tamen improbæ collusionis suspicione, dum viveret, premeretur. In qua opinione multo insuper magis dubitantes confirmabant litteræ, inter *Peuschelii* & *Vogelii* MScta repertæ, quibus v. g. *Planerus* a) *Halberstadio* Noribergam perscriptis eum inter alia consuluerat: *Virum a S. Cœnæ usu illic se subtrahere, necessarium existimaret?* Vnde saltem consiliorum præcipuorum gnarum fuisse & compertem, atque in religione, aliquo certe modo, minus sanum, luce meridiana clarius patebat; Id quod adhuc luculentius litteris ad *Peuschelium* datis b) d. X. Aug. A. 1615. prodidit: utpote quibus, si non assensum plenum, at nimium favorem in *Socini* placita, apertissime declaraverat. c) Quæ quidem plenius excutere, quoniam ad exitum clanculariorum conatuum pertinent, nunc non placet, sed ad Cap. sequens differre, ordini historiæ magis congruit. De *Lithuania* in *Classivaniam* mutata non magnopere sumus soliciti, quia & ratio novæ nomenclaturæ ab allusione ad litus, ad quod naves classesque appelluntur, manifesta est, & caussa Ducatus istius amplissimi nominandi in litteris neminem fugit; utpote quæ non alia, quam cœtuum illic congregatorum & a *Socini* affectatoribus gubernatorum status & conditio fuit; quibus partim celeberrimi inter cætera

constanter præsertim ea omnia inficiato, bene sentiendum esse, aliis indiciis præferre oportet.

a) De quo vid. Cap hujus III. §. 37. lit. P.

b) In eadem supellectile inventis, in qua & priores repertæ sunt.

c) Quamobrem etiam hunc fuisse, ad quem *Ostorodi* illud consilium, satis imperiose scriptum, quod Cap. I. §. 37. extat, pertinuerit, uti ad *Leuchsnerum*, ne nunc quidem dubitamus.

cætera capita hæreſeos *Gittichius*, *Volkelius* & alii præerant, partim nobiliſſimi Equites patrocinabantur & *typographia* a) quoque ad tempus olim inſervierat.

§. XXVII.

Dignior eſt, qui ſequitur, SIBRANDVS LVBBERTVS, ut, de ipſius perſona & officio quædam copioſius commentemur; quem laborem titulus etiam ſingularis, &, cur *Theologi inquieti* nomine, non ſine odii vehementis ſignificatione, nuncupatus ſit, ut ad incudem revocetur expoſcit. Ad ipſum ergo *Lubbertum* quod attinet, *Theol. D. & Prof. Publ. is fuit*, b) jam ſeculo XVI. celebris, *Franequeranus*; cui A. 1594. jam in ea dignitate conſtituto Lib. præclarum *de Papa Romano* adverſus *Bellarm.* ſcriptum debemus, itemque opuſculum haud abſimile de *Conciliis*, eruditionis *Sibrandi* locupletes teſtes: quibus aliisque pluribus lucubrationibus c) dudum inclaruerat. Attamen nulla ex re majorem nominis famam conſecutus eſt, quam ex diſputationibus cum *Arminianis* ſeu *Remonſtrantibus*, quos ubicunque potuit, ſcriptis dictisque, & in ipſa quoque *Synodo Dordracena* tandem præſens cum *J. Bogermanno* præſide, non tantum laceſſivit, ſed etiam, uti hiſtoria illorum temporum docet, acerbe præter cæteros inſectatus eſt. Primus quoque idem legitur fuiſſe, cum quo *Epiſcopius*, paullatim inclareſcens, & ex *Arminii* ſchola nuper egreſſus, adhuc adoleſcens publice in eadem

a) Conf. *Sandii* Biblioth. Vnitar. f. 201.

b) *Langoworda* Friſo, A. 1556 n. qui, primis ſtudiorum Academicorum poſitis in Vniverſit. *Witteb.* & *Genevenſi* fundamentis, diſciplina *Zachariæ Vrſini*, *Neoſtadii* Palatinatus, uſus, Paſtor Eccl. *Embdanæ*, ac deinceps *Franeker.* V. D. Præco, & Prof. P. inclaruit, *Jacobi I. Angl. R.* patrocinio inprimis fultus, ibidem conſtanter vixit, & A. 1625. d. 21. *Januarii* diem ſupremum obiit. Vti vero in doctrina ſummum rigorem ſectatum eſſe conſtat, ita diſciplinæ quoque Academicæ tam ſeverum fuiſſe cuſtodem, *Sixtinus Amama*, & ex eo *Bælius*, referunt, ut Rectoratum Vniverſit. propter mores Acad. corruptiſſimos nunquam gerere & ne conſeſſui quidem Acad. Senat. intereſſe voluerit, ſed ejus rei in locum extraordinarias potius prælectiones habuerit.

c) Huccine referre etiam liceat, de *Chriſto Servatore* Libr. ab eodem auct. conſcriptum, ſeu potius *Socini* de hoc argumento recuſum, prolixaque a *Lubberto* reſponſione addita confutatum, alii pronuncient. *Arnoldus* certe *Pœlenburgius* in Epiſt. ad C. H. h. e. *Chriſt. Hartſœkerum*, quam Celeberr. *Creenius* Animadv. Philolog. P. XI. f. 122. dedit excuſam, editione iſtius L. nova & *parum accurata confutatione plures ad Socinianiſmum brevi temporis ſpatio adductos eſſe, quam omnibus Socinianorum Libris, qui multis retro annis extitiſſent*, perhibuit. Nos in medio rem omnem relinquimus, & judiciis hoſtium, quo animo in *Lubbertum* tam *Pœlenburgius* erat, quam *Druſius*, ad quem iſte provocat, fidei parum habemus: Vtut nævos L. iſtius plures agnoviſſe non diffiteamur.

eadem *Academia Franequerana*, quam adierat A. 1609. audiendi in Philologicis *Joh. Drusii* causa, congressus est: eo quidem eventu, ut victoriam sibi uterque adscriberet, *Episcopio* vero, propter adversarii immoderatam animi impotentiam, tandem satius videretur, inde discedere. Cujus hic consilii caussas & concertationis momenta in epistolis ad amicos, plenissime vero omnium *Arminio* suo & *Corvino*, exposuit. a) At non solum cum *Episcopio* discipulo, sed etiam cum præceptore ejusdem *Arminio* & *Vytenbogardo*, aut contra eos potius, summa contentione animi antea depugnavit. Quæ tanta fuit, ut non solummodo intra *Belgicæ Ecclesiæ* limites se contineret, sed exteras quoque Ecclesias adversus *Arminii* & sociorum placita, in *Catechismo* potissimum *Goudensi*, ut vocari solebat, expressa, concitaret: de quibus motibus, & calumniis præsertim, ut ajebant adversarii, intermixtis, legi possunt querelæ utriusque horum ad *W. Melvinum*, S. *Andræanum Theol. Prof.*, A. 1608. d. 13. April. effusæ, & in *Epist. Remonstrantium* b) cum pluribus aliis obviæ. Quam in tuendis Ecclesiæ Reformatæ scitis ad fata usque constanter prosecutus vehementiam, & disputationibus contra eam motis immortuus est A. 1625. *Theologi inquieti Elogium* a Socinianis nostris tyronibus reportavit, partim ob *Socini* dictum ante librum *de Christo Servatore* ex instituto, sed minus feliciter, oppugnatum, partim ob inimicitias cum Johanne *Drusio*, c) aliisque susceptas, & in vulgus jam cognitas, partim ob *Vorstii*

a) Quæ inter Epistolas Remonstr. edit. 1704. recent. ordine CXXXVI. & CXXXI. comparent.

b) Num. CIII. & CIV., in quarum posteriori *Arminius* æque, ac *Vytenbogarus*, ejusmodi quoque litteras a *Sibrando* calumniarum plenas in *Germaniam* missas, famamque suam, maximo discrimini ab eo expositam, laborare, sigillatim querulantur, & in fine, tandem, in eundem sensum ad *Pareum* quoque scripsisse, additur.

c) Cum eo namque itidem, licet Collega, Philologo, & *Riveto* teste, pariter contentioso, ut Critici fere solent, semel iterumque lites aluit, eique prior movit. Conf. *Epist. Remonstr.* num. CCLIII. ed. rec. Ao. 1704. p. 415. sqq. & adde *Episcopium* in *Antidoro* T. II. opp. P. II. f. 19. ubi *plus quam fœmininam animi impotentiam*, *assiduas cum collegis moderatioribus simultates*, *&* *tantum non vatiniana odia*, *quotidianas*, *triviales*, *&* *umbraticas invectivas*, *litteras etiam in Remonstrantes plus quam proletarias*, ei tribuit. De controversiis cum altero Collegarum, Theologo, *Joh. Maccovio*, vel formulis verborum discrepante, reciprocatis, quibus totam Sacerdotum *Frisiacorum* catervam adversus eum concitavit, in Epistolis *Balcanqualli*, & nuper admodum editis Halesii de *Concil. Dordraceno* relationibus, quædam habentur. Quæ, quia in ipsa Synodo demum composita sunt, h. l. videbantur commemoranda certamina: ut tanto luculentius *Lubberti* ingenium dispalesceret.

Vorſtii perſecutionem, quam quoquo modo promovit, eidemque hinc quoque incaleſcenti Catalogum errorum *Sibrandi Prodromum*, & *Reſponſum plenius*, itemque *Parænesin*, *Scholia ἀλεξίκακα* & ſimilia extorſit. Quibus ille *Declaratione Reſponſionis*, *Commentariis ad errores objectos*, variisque *Diſpp.* vel occaſionem dedit, vel reſpondit. Omnium vero maxime hoc titulo inſignitus eſt propter percelebre illud *Ordinum Holland. Edictum* A. 1614. promulgatum, quo tolerantia utrique parti diſſidentium, dummodo modeſte diſputarent, decreta indultaque fuerat. Illud enim cum *Bogermanno* idem *Lubbertus*, impotentis plane animi affectu, aggreſſus erat, occaſionem hoc ipſo conatu ſuppeditans *H. Grotio*, pro eodem in *Pietate Ord. Holl.* ſuperius citata a) propugnandi. Nec indignum omnino hoc titulo fuiſſe, ſi *Epiſcopio* aliisque adverſariis fides habenda non videatur, vel ſolius *J. Druſii* Collegæ teſtimonio conſtat, qui, propter unius vocabuli uſum, neglecta omni privata commonefactione, ſuum apud alios nomen inique ab eo delatum eſſe conqueſtus, atque hoc nomine *Theologum non Theologum*, immo ne Chriſtianum quidem, publice vocare haud veritus eſt. Quæ omnia, toties in ſcriptis intermixtæ veris certisque narrationibus & aſſertis, *ſuſpiciones*, ac fere perpetuæ, a *Paullo* jamdudum inter ſigna hominum morbis animi laborantium repoſitæ, confirmant, &, quemadmodum turbarum, in Eccleſia movendarum atque alendarum, utplurimum ſunt occaſiones & fomenta periculoſiſſima, ita noſtrum hunc *Lubbertum* adverſariis quibusque eapropter cumprimis male audiviſſe, non eſt, cur miremur. *Epiſcopius*, præter ſuperiora elogia, *ruſticam* illi *ſimplicitatem*, ipſamque *ruſticitatem*, *ſcholaſticam in Syllogiſmis cenſendis immodeſtiam*, *ſupercilium intolerabile*, *malignitatem in diſputando*, *convitiandi & calumniandi libidinem*, *violentiam*, & neſcio quid non, imputat. De quibus noſtrum judicium nos haud interponimus, ſed ad hiſtoriam rerum in Belgio, ſub initium ſuperioris ſeculi geſtarum, *Lectorem* remittimus, ipſamque *Epiſcopii vitam* b) conferri inprimis ſvademus. Namque, ex his jam per compendium adductis ſatis ſuperque, credimus, omnes intellecturos, quamobrem etiam *Titii* cognomentum illi inditum ſit. Etenim, ſi præcipuum illum arietem, quo uſus eſt, cum ſociis, ad-

a) Vid. hujus Cap. II. § 22.

b) Quæ *Hiſtor. Vit. Epiſcop. a Phil. Limborchio* adornata, & Amſtelod. A. 1701. 8vo excuſa, uti plena eſt obſervationum Remonſtrantium fata illuſtrantium, ita hujus quoque *Lubberti* indolem valde luculenter paſſim, præſertim vero ab initio, deſcriptam dedit: etſi ſubinde etiam aliquid affectus non æqui autor admiſcuiſſe videatur.

versus *Arminianorum* caussam, animo reputes: *Socinianas* nempe hypotheses eos clausas sub pectore vapido gestare, commodo tempore tandem proferendas; manifestum hinc esse, putamus, eapropter sic dictum fuisse, quoniam, cum aliis accusationibus, tum hac præcipue, maxime invidiosa, non tam in sedandis, quam accendendis animis operam suam poneret, atque hinc veri *Titionis* a) seu *Sibrandi* nomen & omen haberet. Quam de se opinionem conceptam apud nostros ille *Photinianos* tanto magis roborabat, cum in tolerantiam concessam, & in *Pietate Ord. Holl.* a *Grotio* amplius assertam, ipsique *Sibrando* maxime oppositam, *altera* etiam *Responsione* pergeret insurgere, omnibusque modis dissentientium oppressionem, hoc ipso tempore, quo nostri res novas molirentur, urgeret. Vt mirum proinde non sit, si fervorem ejus, & disputandi, atque simul adversarios prosequendi ardorem *inquietudinis* nomine, illi, quibus portam in *Belgium* subrependi h. m. omni studio claudi permolestum erat, traducerent. Hactenus de *Lubberto.* b)

§. XXVIII.

Remonstrantium huic hosti jurato, aliquanto modestior, sed in *Altorphensibus* Socinianorum machinationibus reprimendis haud paullo diligentior disputator subjungendus venit, (LVDOVICVS) LVCIVS, quem, subdubitans tamen, Professorem celebrem Basileensem fuisse *CL. Möllerus* recte existimavit. Namque ita omnino res est, neque alius hoc loco intelligi debet. Verum enim vero non tum demum, quod scrupulum forte *Möllero* movit, cum in *Basileensi Academia*, quam etiam patriam venerabatur, publice docendi munus subiisset, c) disputationes cum *Socini* sectatoribus habere cœpit, sed diu ante

a) Obiter h. l. notamus, idem *Titionis* nomen sponte sua sibi diu ante sumsisse *D. Sebast. Brandium,* auctorem Lib. celeberrimi, qui Navicula stultorum (*Narrenschiff*) inscribitur, & carmine latino atque rhythmis Germanicis concinnatus extat. Eum vero *Brandium*, poetam præclarum & sua tempestate perquam celebrem, ac de reliquo Juris utriusque *Prof. Argentoratensem* fuisse, ibidemque, uti natum, ita quoque A. 1529. defunctum esse, ex *Boissardo* & aliis constat.

b) De quo plura inferius ad lit. S. §. 44. dabimus.

c) Id enim, postquam ad *Sangallense* Gymnasium gubernandum superiori anno invitatus fuerat, p. p. A. 1611. sibi in patria demandatum, & sigillatim quidem *Logicen* profiteri ac docere jussus est; Eodemque hoc anno id munus jam administrare cœpit, quo *Altorphi* per cuniculos adhuc *Socinianorum* machinationes promovebantur. Quemadmodum etiam jam eo tempore, quo sodalitas illa clam coivit, anno videlicet 1613., *Basileæ Virgilianam* illam in fol. *editionem,* quæ veterum quorundam & recentiorum adnotationes exhibet, atque rarius hodie comparet, procuravit.

ante id ſaxum volvit, eoque tempore id agere exorſus eſt, quum in vicino *Palatinatu ſuperiore* vitam degeret, laboresque in erudienda juventute adhuc ſcholaſtica in illuſtri Septemvirali *Pædagogio Ambergenſi*, *Pro-Rectoris* officio fungens, ſtrenue obiret, atque hinc demum in patriam avocaretur. Qua occaſione, & adverſus quem *Socini* pullum, de quo item argumento, diſceptatum ſit, litteris primum manu ſcriptis, ſed prælo deinde ab ipſo *Lucio* ſubjectis, Cap. I. jam enarratum eſt: ut, actum hic agere, non conveniat. Proſtat etiam, ſed hodie rariuſcule comparens, præclarus ille *de Satisfactione Chriſti* a) libellus *Lucii*, A. 1613. Baſileæ excuſus, forma 12., cum epiſtolis quibusdam *Joh. Zaborovii*, *Ad. Planci*, & *Georgii Remi* D. & Conſiliarii Noribergenſis, unde hiſtoria certaminis cum *Gittichio*, ipſaque diſceptantium argumenta, quodammodo cognoſci poſſunt, quas epiſtolas eapropter ſupra recuſas dedimus. b) Jam vero de *Lucii* & *Gittichii* ſcriptionibus mutuis quædam differenda eſſent. Eas vero, quia dignæ ſunt perluſtratione, rectius, ut integræ legantur, commendamus. Nobis, ut eorum, quæ hiſtorica ſunt, compendium exhibeamus B. L., collata præfatione & ſubſcriptionibus, hoc loco ex illis fontibus ſequentia repetere placet: *Ludovicum* nempe *Lucium*, non ſponte ſua, ſed ab aliis exſtimulatum, adverſus hunc thraſonem in campum quaſi decretorium prodiiſſe, atque primum ab eodem *Gittichio*, poſtquam, quæ acta eſſent ad menſam *Piccarti*, perceperat, una cum aliis quibuscunque ad ſua objecta reſponſuris, provocatum eſſe, & quidem formatis ex inſtituto quinque ratiociniis, ſanctiſſimæ, de Chriſti pro nobis ſatisfactione vicaria, doctrinæ oppoſitis: quæ verbotim recenſere nihil attinet. Ad ea vero cum repoſuiſſet *Lucius*, *Ambergam* reverſus, reſponſionem, ita, uti poſtulaverat adverſarius, h. e. directo, quæ deſideranda eſſent in ratiociniis antagoniſtæ, notans, eaque accurate excutiens, quæ ab impoſſibili, abſurdis ſequelis & locis quibusdam Scripturæ Luc. I, 77. atque 1. Petr. II, 21. itemque Matth. XVIII, 1. ſqq. ille deſumſerat; tantum aberat, ut acquieſceret *Gittichius*, ut, accepta potius reſponſione prima d. 22. Novembr. A. 1609., illico plura & nova quædam regereret, inque epiſtolæ exordio & clauſula, adverſus *Pareum* ſe *Socinum* defendiſſe c), commone-

 ret,

a) *Titulus* Libelli integer hic eſt: *De graviſſima quæſtione: Num Chriſtus pro peccatis noſtris juſtitiæ divinæ ſatisfecerit, nec ne? inter Mich. Gittichium Socinianum & Ludovicum Lucium orthodoxum, ſcholaſtica & epiſtolica Diſceptatio.*

b) Cap. I. §. 24.

c) Vnde fortaſſis, quia nihil prorſus alioquin

ret, *Lucio* vero, quod & ipſe, perinde uti *Pareus*, ad objecta non diſtincte reſpondiſſet, haud obſcure exprobraret. Inprimis vero de promiſſa a J. B. eorundem argumentorum a ſe objectorum communicatorumque diſcuſſione, ſed hucusque nondum præſtita, idem querulabatur. Quem J. B. quum non alium fuiſſe conjiciamus, quam *Joachimum Vrſinum* a) ſeu *Beerium*, ejusdem *Gymnaſii* tum quidem *Moderatorem*, atque dehinc *Eccleſiæ Ambergenſis Præſulem*; ex hoc recenti exemplo, uti e diſputatione cum *Pareo* eodem tempore ſuſcepta, quam inquietus fuerit, & ad res novas movendas animo concitatiſſimo, *Gittichius*, denuo apparere arbitramur. Ad *Lucium* vero quod attinet, ejusque provocationem, ne in prioribus quidem ſubſtitit *Gittichius*, ſed præter ea, quæ *Pareo* oppoſuerat, novas quasdam adverſus *Grawerum* exceptiones adjecerat, juſſeratque illas quoque *Lucium* ſub incudem vocare. At *Lucius* non ita multo poſt prid. Idus Januar. A. 1610. prolixius, quam antea, *Gittichii* ſubterfugia juſto examine diſcutiens, *Parei*, qui adhuc ipſe ſuperſit, ſe patrocinium ſuſcipere nolle, clariſſime & rectiſſime eſt profeſſus. Et licet nihil prætermiſerit eorum, de quibus ipſi invicem concertaverant, quæ non ad vivum, ut ita loquar, reſecarit, facile tamen prævidens, ex eorum numero eſſe adverſarium, qui veritatem a Deo patefactam præ-

quin monumentorum, hac de diſputatione exſcriptorum, reperitur, Heidelbergæ *Gittichium*, antequam *Altorphium* venerat, vixiſſe, & coram cum *Pareo* diſquiſitionem hanc inſtituiſſe, colligas: niſi per litteras id quoque certamen initum ſit, *Altorphio Heidelbergam* miſſas, putes. In *Præfatione* certe *Comment. in Epiſt. ad Rom.* A. 1608., atque adeo hac ipſa tempeſtate, ſcripta, *Socinum* aggreſſus eſt *Pareus* vehementer, errorumque accuſavit, nec injuria, atrociſſimorum, ita ut *paganos errores* vocarit, atque *ſceleratis gloſſis* teſtimonia Scr. S. ab eo *eludi* ajat. Adverſus quæ *Gittichium*, præceptori ſuo devotisſimum, arma corripuiſſe, non eſt, quod miremur; etſi, cominus an eminus id factum ſit, ſeu, voce an litteris? aſſeveranter dicere non valeamus. Hoc tamen, per Epiſtolas nimirum diſputatum eſſe, vel ex hac ratione probabiliter colligitur, quod in eadem *Præfat.*, ubi omnes de *Socino* ejusque cohorte querelas profudit *Pareus*, idem, e *Polonica & Hungarica gente Theologiæ Studioſos frequentiori numero tunc ad Academ. Heidelb. confluxiſſe*, meminit, de colloquio autem hujusmodi, vel epiſtolis etiam ad ſe publice ſcriptis, prorſus ſilet. Ac proinde, cum *Altorphium* menſe *Decembr.* A. 1607. ingreſſus fuerit *Gittichius*, Præfat. autem *Parei* menſe Martio anni ſequentis exaratam eſſe ſubſcriptio doceat, arrepta hinc occaſione calamum adverſus *Pareum* privatim iſtum ſtrinxiſſe, firmius efficitur.

a) *Stupendorum Templi Jeſuitici & Speculi Jeſuitici* ſub idem tempus 1609. & 1610. *Ambergæ* in typograph. *Schönfeldiana* excuſorum auctorem. Cujus alioqui & *Hiſtorica relatio & Nullitas Concilii Trident.* A. 1615. ibidem typis exſcripta, ac ſimilia, e. g. *Caſmanni Opuſculum adverſus Socinianos*, ipſius ſtudio procuratum & alibi commemorandum, non ignota ſunt.

præjudicatis opinionibus jam plane devotus, gloriæque inani deditus captandæ, injuste supprimere aut obscurare potius, quam eruere laboraret, atque hinc parum se in eo emendando profecturum esse fastidio tandem se corripi, inanesque ad certamen *provocationes, quasi gladiatorias*, a) *quas antagonista novis inspersit blasphemiis*, haud obscure sibi displicere, ad calcem significavit. Vnde, subito abruptum iri disputationem istam, videbatur. Atque is quoque hujus per epistolas, post colloquium, continuati aliquantisper certaminis fuit exitus. Quandoquidem non solum *Lucius* porro operam & oleum perdere dubitavit; Verum ipse etiam *Gittichius*, acceptis hisce ultimis argumentorum suorum solutionibus, sive quod non haberet solidiora, quæ regereret, sive propter abitus cum *Woinaravio* suo maturationem & festinationem, b) prorsus tacuit. Ita res illa acta, eumque finem est sortita disquisitio, quæ jactantiam *Gittichianam* aperte prodebat, veritatemque triumphantem tandem Ecclesiæ sistebat. Et quoniam nec post id tempus, ubi sat otii nactus erat in *Lithuania* ostentator ille, ad ea etiam, quæ jam typis prostabant publicata, c) vel verbum regessit, haud difficulter, quæ fuerit pertinacis silentii caussa, & quod aqua hæserit *Gittichio*, colligitur. Hæc de *Lucii* cum *Gittichio* controversia; d) cui successere paullo post reditum in patriam *Synopsis Anti-Sociniana bipartita* I. *de Christo Servatore*, II. *de Justificatione*, F. *Socini* quadripartito libro de Christo Servatore opposita, *A.* 1614. 8*vo. Basil.* evulgata: item *Theses de Justificationis gratuitæ partibus*, a *Schönfeldio*, erudito *typographo*, Trigæ Basileensium Theol. insertæ, & jam A. 1613. *Ambergæ* prælo subjectæ; denique *Notæ ad Vorstii Orat. Apologeticam*, quas *Andr. Fricii* de *Providentia & Prædestinatione* tract. ab eodem *Lucio* Basil. A. 1613. iterum procuso attexuit, & similia plura: quæ cuncta congerronibus hisce uberrimam confabulandi, & de re bene, an male, acta judicium ferendi, subministrarunt. Eaque etiam scripta cum orationibus ex suggestu quoque habitis, cui domi, una cum Professione Philosophiæ sibi demandata, præerat, nomen illi, cum respectu ad *Lucii* proprium & gentilitium, pepererunt *Lupi*: quasi inimice cœtum *Altorphi* nove colligendum *Socinianum* aggressi, & in dissi-

 patione

a) Vid. inprimis lib. citati f. 179.

b) *Imperatam* forte, uti supra Cap. I. jam animadvertimus.

c) Ab amicis enim *Altorphinis* illa fuisse transmissa, nihil est, quod dubitemus, nec moles libelli perexigui, quo minus id fieret, prohibuit.

d) Quam, sine die & consule, indicata generatim, sub *Gittichio*, *Disputatione*, nominavit quidem *Sandius*, sed de reliquis ne γρῦ quidem *Lectorem* edocuit amplius.

patione ejus præcipue laborantis, inque innocentissimis, si DIs placet, oviculis ejus sectæ ex novo illo pastu exturbandis occupatissimi hostis. Quemadmodum idem *Lucius*, antequam *Ambergam* invitaretur, inter *administros Ernesti Friderici*, March. Durlacensis qui Calvino-Reformatorum partes secutus est, & *Staffortensem* L., ut vocant, cum *Confess.* edidit, nomen & locum habuerit, cum ipse in Præf. seu Dedicat. *Confessionis* Serenissimi Principis latine conversa, & *Ambergæ* A. 1605. prælo subjecta, professus est, tum etiam b. *Majus* in *vita Reuchlini* f. 132. annotavit. Vt vero *Basilea Cothenas* evocatus, & hac occasione in varia loca digressus, *Synodum* quoque *Dordracenam* adierit, reversusque tandem *A.* 1642. mortalitatem expleverit *Basileæ*, alibi memoriæ proditum legitur. Neque enim ad nostrum institutum ea faciunt. Qua de caussa etiam judicia eruditorum de *Ærario Latinitatis* ab eo adornato, seu potius ex *Foro Romano* a) compilato, atque de *Centuriis Magdeb.*, voluminibus tribus, non satis fideliter, sed pessime, adhibita castratione plurimorum b) suæ potissimum parti Calvino-Reformatæ adversorum, A. 1624. recusis, omittimus, animumque convertimus ad *Academiam Lugdunensem.* Heic nihil est, quod substitutum per μετάθεσιν litterarum novum nomen *Guldunum* nos moretur, atque hinc tribus verbis id indicasse sufficiat. Quam vero ob caussam *Pathmum* eam urbem appellare consveverint hi nostri nominum fictores, id altioris est indaginis. Ad *Vorstium* respici primum nobis in mentem venerat; sed rectius rem omnem nobiscum expendentes, in *Goudam* potius, quo *Lugduno* secedendum illi fuit ejecto, quadrare animadvertimus, atque tandem ad *Soneri* fata eam cognominationem referri perspeximus: quem scilicet miseri hi corruptaque mente infelices discipuli istic divinæ veritatis revelationem, non aliter quam *Johan-*

a) Non sine gravi caussa hoc vocabulo utimur, cujus vim, si L. B. intelligere cupiat, vel *Præfat. Lucianam* cum ea, quam *Cæl. Sec. Curio* præmisit, ipsumque *Forum Romanum* cum *Ærario*, comparare ne gravetur.

b) Quæ accurate collegit & notavit Cap. III. *Observationum Miscellan.* Rostochii editarum 4to *Joh Gottlieb Möller*, Prof. Rostoch. & non multo post in patrio Lyceo Gedanensi præmaturo fato defunctus. Quæ quoties animo mecum reputo, non possum satis mirari, qui factum, ut *Casp. Sagittarius* librorum optimorum, si quis alius, cognitor eximius, *Lucium* has *Centurias fideliter recensuisse, ac tribus voluminibus excudi fecisse*, affirmet, in *Introduct. in Hist. Eccl. C. XIII* §. XVIII. cum tamen cætera, quæ istic commemorat, compendia, seu ornamenta hujus editionis, tantæ, in castratione commissa, audaciæ vix minima ex parte æquiparari possint. Sed, quia hunc boni Homeri dormitantis errorem, nisi fallor, etiam S. Rev. D. J. A. *Schmidius* in *Additamentis* ad Introd. istam notavit, hæc in transitu monuisse sufficiat.

Johannes quondam in *Pathmo Apocalypsin*, adeptum esse, hoc nomine subinnuebant. Idque cum, qua ratione & quorum opera factum sit, ex præcedenti Capite I. a) repeti queat, longiori demonstratione opus non habet. Quanta vero impudentia & protervitate, *Johanni* quæ contigit, vere divina patefactio sanctæ *Apocalypseos* b) cum *Soneri* in illo secessu infelicissima approbatione impiæ hæreseos componatur, & utriusque comparatio instituatur, haud necesse est, multis ostendere. Quapropter etiam, relicta ista tam petulanti rerum dissimillimarum similitudine, ad *Lutheranorum* novam denominationem ab *Anglorum* consvetudine sumtam, qua *Puritani* audiunt, quibus sordet, quicquid in ea Ecclesia c) reliquiarum Papatus videtur superesse, nunc accedemus, non minus, quam prior fuit, ambiguam. Neque enim satis certo constat, aut dici potest, serione an per Ironiam id nomen nostris impositum sit? Si serio existimes Ecclesiæ nostræ attributum, haud dubie ad doctrinam puriorem in ea vigentem respexere, quam etiam plerique horum in *Socinismi* professione tyronum a teneris solide addidicerant, aliisque omnibus præferebant, & cæteroquin satis cognitum est, quantopere, cum a *Reformatorum* cœtu, propter decretum Electionis & Reprobationis absolutum, d) tum etiam: multoque magis, a *Pontificiorum* communione, propter cultum commentitium sanctorum, reliquiarum, imaginum & similium, ipsiusque & Pontif. Rom. regimen auctoritatemque affectatam, abhorreant. Sed parum abest, quin Ironiam simul involvi opinemur, si querelas, de corruptissimis moribus & disciplinæ neglectu, ab *Ostorodo* potissimum nigro carbone e) notatis, & ab ipso *Socino* in libelli: *Quare se debeant nostri cœtui Anti-Trinitariorum adjungere?* appendice, fuse propositis, &

a) §. inprimis XII.

b) Quæ, cum cæteris *Johannis* scriptis, æternam θειότητα Jesu Christi ex instituto condocet; uti nuper demum a Ven. *Ph. Chr. Zeysio in special. Isagog. in Evang. Epp. & Apocal. Joh.* A. 1720. ostensum est ex instituto.

c) Quantum ad eam partem, quæ Episcoporum regimine & ceremoniis nonnullis inde a *Cranmeri* temporibus introductis, & forte *Noriberga* cum *Osiandri* affinitate istuc transductis, utitur.

d) *Pelagianismo*, quem *Sociniani* suum fecere, tantopere, (præsertim si connexa cætera dogmata & præcipue de operatione gratiæ insuperabili, spectes) omnium consensu adversum, ut nec *Augustinus*, cum in ista hæresi Naturæ tam amica oppugnanda occuparetur, temperare sibi potuerit, quin ἀμετρίαν ἀνθολκῆς passus sit, aut ea certe scripserit, ex quibus, illum sibi haud semper constitisse, colligi possit: quod vel hodiernæ in Galliis *de Bulla P. R. Clem. XI.* lites edocent, *& a Rintelensibus* quoque Theologis in *Apologia* pridem ostensum est.

e) In Epistola Cap. I. §. 37. ex MScto producta, & alibi passim.

& mirum in modum exaggeratis, animo reputemus. Nisi forte comparate æque ac ironice titulum accipere malis, a petulantibus ingeniis usurpatum, & ad *Lutheri* simul nomen a Germanico *lauter* deductum, censeas, alludi. Sed non opus est in his tricis diutius immorari, cum aliunde, quo fuerint in diviniorem cœtum animo, satis superque constet.

§. XXIX.

Consultius censemus esse, sine mora, quia nihil supplementi loco heic addendum succurrit, ad litteram

M.

perlustrandam, nos accingere, quæ prima statim fronte inter deceptos primarium quendam νεόφυτον, CORNELIVM MARCI, objicit, atque adeo de eo pluribus disserendi occasionem subministrat. Primarium non sine caussa vocavimus sodalem, quoniam e custodia errorem confessurum hunc quoque cum aliis, non multo post, audiemus; νεόφυτον a) vero dicendum putavimus, non tantum propter recentem in societatem cooptationem, sed ipsam quoque ætatem, quæ, cum in eam reciperetur, tenerrima erat, & vix XVII. annorum numerum supergressa. Ad vitæ decursum *Marcianæ* b) quod attinet, patriam & ipse veneratus est *Noribergam*, ut plerique alii, *Noribergenses* hinc *Ruaro fratres* communi quodam nomine sæpenumero in epistolis appellati. c) Præclara cum esset indole & ingenio alacri, in *Academiam Altorphinam* A. 1610. translatus, & sodalitati quoque *alumnorum* sequenti anno adscriptus est, hoc uno infelix, quod, ubi veritatis profectum consequuturum spes esset, corruptelarum exitiabilium & ipse particeps redderetur. Duces in suscipiendis his erroribus pestiferis fassus est, dum vixit postea, haud sine lugubri infelicis depravationis memoria; d) *Martinum Ruarum* & *Joach.* nostrum *Peisschelium*, a quibus accepto *Catechismo Racoviensi*, eoque perlecto, ita commotus sit, ut in capite supremo fidei sanctissimæ, *de S. Trinitate*

a) Quo sensu vocabulum illud a variis interpretibus 1. Tim. III. 6. accipi constat, non male vero utrumque conjungendum esse dixeris.

b) Hæc enim, quæ necessaria sunt ex *vitis Theol. Altorph.* f. 200. repetere liceat, novis hinc inde additamentis locupletanda, & circumstantiis dedita opera nuper omissis.

c) Vid. instar omnium Epist. Cent. II. num. XVI. fol. 91. med.

d) Quam, ut alibi jam observatum est, perpetuo *symboli* usu: *Memor esto uxoris Loth*; conservare, atque a reditu ad pristinos errores animum, pio lapsus sui emblemate ob oculos posito, præmunire consvevit.

tate mature vacillare inciperet. Acceſſiſſe deinceps *Diſputationem Smalcii de Spir. S. Grauero* oppoſitam, aliasque ejusdem ſchedas *de Divinitate Chriſti*, & ſimilia ſimilis argumenti opuſcula; quibus, opera jam ante dictorum perquam infelicium manuductorum, *Ruari* & *Peuſchelii*, accedente, magis magisque confirmatus ſit in errore mente concepto, ut conventiculis quoque eorum intereſſe haud formidarit. Quæ, uti celebrata ſunt, jam ſupra explicatum eſt. Idem vero *Cornel. Marci*, quod omittendum non videbatur, primus legitur commemoraſſe *Libellum de Obedientia*, eumque ſibi a *Joh. Georgio Fabritio* traditum perhibuit, qui, qualis fuerit jam Capite primo, ubi *Soneri* lucubrationes percenſuimus, obſervatum eſt, & porro ad calcem hujus Capitis inquiremus. Eumque laborem tanto utilius collocabimus, quanto plures hoc uno libello videntur in caſſes *Socinianiſmi* pertracti. a) Ex hoc tempore infelix adoleſcens, cuſtode interea remoto, *Jo. Mauritio Helingio*, b) arctiſſime novis illis doctoribus adhæſit, & quantumvis publicis concionibus noſtræ Eccleſiæ intereſſe non dedignaretur; tamen & ipſe celebrationi & uſui S. Cœnæ, in publicis cœtibus celebrandæ, longo tempore ſe ſubduxit, falſa quadam perſvaſione imbutus, ac ſi contagio aliquo cum *Lutheranis* commaculandus ſit, ſi cum aliis, a ſe vita & fide diſſidentibus, accederet, atque ab impietate ſaltim morum participaret. Atque hinc etiam, cum tam fervidum in novo nefandoque inſtituto ſe probaret aſſeclam, factum eſt, ut ſolemniter quoque a *cœtu Racovienſi* in fraternitatis jura aſſumeretur: cujus epiſtolæ, hoc nomine ad ipſum ſcriptæ, inferius c) exemplum cum B. L. communicabimus. His itaque vinculis conſtrictus, dubium non eſt, quin animum quoque ad curandas conſervandasque res haſce novas appulerit, interea dum cæteri primipili aliorſum dilapſi eſſent. Id quod epiſtolæ etiam ab eo ſcriptæ d) luculenter oſtendunt; quibus, partim propter *felicitatem*, h. e. *Socinianorum* res promovendas, ſe *Noribergam*, tanquam internuntium, miſſum eſſe, aliquando aperte ſignificavit, & quæ *AltorphI* agerentur in eadem cauſſa, ſolicite e) fratribus abſentibus nunciavit:

 partim

a) Eum enim primo omnium perlegendum tradere conſveverunt illis, de quibus ſibi conciliandis ſpem aliquam conceperant.

b) Quo de in vita *Mauritii Helingii* Antiſt. primarii Norib. A. 1714. publicata & deſcripta pluribus actum eſt §. LXIV. f. 131. ſeq. Hunc enim noſter hic *Joh. Mauritius* patrem venerabatur.

c) Cap. hoc IIdo §. 52.

d) Et inter *Peuſchelianas* reculas repertæ.

e) Tanquam ordinarius *Epiſtoliographus*, & qui curator harum rerum (der *Agent*, ut vocamus,) conſtitutus erat.

partim etiam, ut tanto tectius cuncta gererentur, *typum ænigmaticum* a) a *Peuſchelio* enixe petiit, & non ſolum nominibus crypticis ex eo tempore, ſed, uti ſupra jam annotatum eſt, b) *ziffris* quoque interdum in ſcribendo uſus eſt. Quarum litterarum argumenta qualia fuerint, cum alia jam ante adducta doceant, tum illud potiſſimum demonſtrat, quod de *Schoppero*, *Königio* & *Eccleſiæ Miniſtris* Altorphinis iniquiſſime judicavit, de libris Socinianorum, a *Peuſchelio* impetratis, ipſi magnopere gratulatus, atque de ſimilibus *Smalcii* ſcriptis, per *Ruarum* ſibi quoque miſſis & recte acceptis, ingenti voluptate ſe perfuſum eſſe, teſtatus eſt. Ad quæ denique, rebus patefactis, acceſſit ipſius juvenis miſere decepti c) confeſſio, ubi, haud difficulter tamen erroris convictum, & ad ſaniorem mentem reductum fuiſſe, itidem innoteſcet. De qua *cataſtrophe* plura ad Cap. III. ſequens commentabimur. In præſentia ſatis eſt, eum jam plane his partibus deditum fuiſſe, & diligentiſſimum inter omnes, qui frequentibus litteris, quid fieret indies, *Jenam*, *Wittebergam*, atque in *Poloniam* quoque perſcripſerit, cognoviſſe: ne qua injuria affectum eum fuiſſe, d) exiſtimari queat. *Loniceri* de reliquo nomen, ex *Cornelii* litteris transpoſitis factum, nihil difficultatis continet, æque ac *Carmi* ex *Marci* trajectione elementorum ortum. Præter hæc autem obſervatum eſt, *interdum utroque horum*, *ſæpe* vero & *alterutro* tantum, additaque patria *Solimontanum*, dici conſveviſſe. Haud raro etiam duntaxat initiales litteras, in epiſtolis paullo ante memoratis, *T. A.* h. e. *Tuus Amicus* ſubſcriptas apparuiſſe exploratum habemus: non alia de cauſſa, quam ut tanto ſecurius, inſtar polypi, in varias formas ſemel iterumque mutatus, latere poſſet. Cæterum *Loniceri* cognomentum, etiam poſtea, quam ad officium *Profeſſoris Altorphini & Noriberg.* denique *Antiſtitis* evectus eſt, ſubinde adhuc uſurpaſſe, ex ſcriptis haud paucis impreſſisque monumentis e) conſtat: qualia & ipſi
his

a) Hoc enim nomine ipſe Indicem hunc, ad quem commentamur, inſignivit.

b) Cap. hujus IIdi §. II.

c) Nulla enim petulantia ingenii, aut novaturientis animi vel δοκησισοφίας morbo, cujusmodi in cæteris pleriſque deprehendebantur vitia, laboraſſe, multa fuere, quæ poſtea demonſtratum dedere.

d) Cum h. l., tum etiam in *Vitis Theol. Altorph.*, ubi horum quædam jam commemorata ſunt: quæ comparare cum his novis obſervationibus non pœnitebit.

e) In quibus, ut fides nobis hæc teſtantibus tanto lubentius habeatur, nunc ſolum Carmen memoramus perelegans, quod A. 1626. in nuptiis *Paulli Stamleri*, Paſtoris Viſchbacenſis, typis procuſum eſt forma 4ta, Latinum; utpote in quo integrum adhuc *Loniceri Carmi* ſubſcriptum a *Marcio* nomen comparet.

his oculis noſtris uſurpavimus: cauſſam vero ejus conſvetudinis continuatæ interdum neque novimus, neque curamus.

§. XXX.

Ad ſubjunctum potius huic ſodali cohortis infauſtæ in Indice noſtro antagoniſtam JACOBVM MARTINI, Profeſſ. Wittebergenſem, noſtra commentatio ſe convertit. Succeſſerat hic vir celeberrimus in *M. Antonii Evonymi* a) locum, ejusque ſuſcepta *Log. & Metaphyſ.* Profeſſione, hac tempeſtate, b) qua motus hi funeſti agitabantur, fungebatur, & ſcriptis etiam Theologicis jam tum inclareſcere incipiebat. Verane ſit, quæ de viri eruditi, ſed plus æquo ſibi placentis, φιλαυτία circumfertur narratiuncula, qua dicere ſolitum perhibent: *Tres eſſe Philoſophos, Henningum Arniſæum, Cornel. Martini, tertium autem ſe non nominare;* aliis inquirendum relinquimus. Id vero in confeſſo eſt apud omnes, acrem fuiſſe & exercitatiſſimum diſputatorem, Philoſophumque, pro ætatis iſtius modulo & rationibus, præclarum, denique rationis etiam ſobriæ contra ineptientes quosdam fanaticos c) accerrimum vindicem. Vnde & *Philoſophi diſputacis*, ut a *Grauero*, Theologo, diſcerni poſſet, & *Logici Wittebergenſis*, cognomentum retulit. Reperta tamen etiam ſunt epiſtolarum exempla, (quod addendum eſt,) in quibus *Anſerini* nomine facete appellatus eſt ab iisdem *Socinianis*, ſive a *verborum ſtrepitu* ſeu loquacitate inter diſputandum, ſive, quod plane ridiculum, at veriſimillimum tamen eſt, a *Martini die*, quo ab antiquis temporibus Germani noſtri (incertum, an & alii populi) ſolemni epulo in plurimis locis & Academiis præſertim anſeribus, eo quod optime ſaginati ſunt, hoc circi-

a) *Carinthii Teuchenii*: cum quo & *Fauſto Socino* litterarum commercium amicum interceſſiſſe, ex *Epiſtolis Socinianis* T.I. Opp. f. 436. (b) elucet.

b) Etenim An. 1623. demum in Cathedram Theologicam provectus, & *Nic. Hunnio*, Lubecam abeunti, ſuffectus eſt.

c) Quam induſtriam cumprimis in dem *Vernunfftſpiegel* probavit, variis ea tempeſtate philoſophiæ hoſtibus, *Werdenhagenio* (J. A.) *Schillingio* (Wenc.) & *Garguthenio*, (Sigw.) aliisque non diſſimilibus, oppoſito. De quo quid ſentiendum ſit, Cl. *Reimannus* Introd. in Hiſt. lit. Germ. Cont. L. II. Sect. III. f. 21. non male expoſuit. Nobis, præter doctiſſimi hujus viri monita, totum id opus, vaſtum licet & perdoctum, a ſcopo abludere videtur, utpote in quo philoſophiam puriorem *Martinius* defendit, cum tamen ſcholaſticas & Metaphyſicas, quæ ſub id tempus calebant, & occaſione colloquiorum cum Pontif., uti viſum eſt nonnullis, in Theologiam per poſticam reduci cœperant, quisquilias, illi, & *Schillingius* quidem maxime omnium, traducerent atque oppugnarent. Quod ſupereſt, nec *Socini* partes tuentibus librum iſtum exaſciatum diſplicuiſſe, ex *Floriani Cruſii* ad *Ruarum* epiſtola, quæ P.II. Ruarianarum legitur, elucet.

circiter tempore vefci folent. Vtut fit: celebrari fane ejus nomen fub id tempus inter *Socinianos* maxime cœpit, unde & *Vogelius Wittebergam* profectus illius difciplinæ intimius adhæfit, qua de familiaritate quædam, ad Cap. III. rejicienda, heic ex induftria omittimus. Hoc loco unius *libri Martiniani* non incelebris, *de Tribus Elohim*, facienda eft ob graviores cauffas mentio. Id opus præftantiffimum *Enjedino* potiffimum, tum & *Socinianis* cæteris, *Goslavio* præfertim, Philofopho, ut fupra diximus, infigni, atque *Oftorodo* denique, oppofitum, qua *partem primam* jam publicatum erat, cum in Academiam Leucoream ingrederetur *Vogelius* nofter. *Altera* A. 1615, cum is adeffet civis illius Academiæ, evulgabatur, & abfoluta proftabat. *Tertiam* vero, quantum ad *Sectionem pofteriorem*, ipfe quodammodo procuravit, & rariffimo teterrimoque dogmati difcutiendo materiam præbuit. Vixerat nimirum fub id tempus, &, fuperioribus potiffimum annis, circa confinia feculi XVI. & XVII. in finibus Poloniæ circumvagatus erat portentofæ opinionis homo, & plus quam hæreticus, a) *Martinus Seidelius*, *Olaviæ Silefiorum* natus, & vix centefimo cuique notus, atque hinc in Hift. Eccleſ. verfatiffimis etiam viris plerisque indictus. b) Cujus, ut patet ex *Epiftolis ad Socinianorum cœtum Cracovienfem* fcriptis, c) (quorum nomine *Socinus* ei tertium refpondit)

a) Non male *Vogelius* ipfe: Der Author ift ein Schlefier gewefen, welcher weder ein Chrift, noch Jud, noch Türck feyn wollen, fondern blofs Theologiam naturalem gehabt, und dafür gehalten, es wäre gnug, wann er nach den X. Geboten lebte, nicht darum, dafs fie von GOtt (uns) wären gegeben worden, als welche difsfalls nur die Juden angiengen, deren Policey längft vergangen, fondern dieweil fie mit dem Licht der Natur übereinkommen &c.

b) Neque enim quenquam ejus meminiffe, præter *Arnoldum*, &, quem hic citat, *Micrælium*, atque ex utroque CL. Theologum, D. G. *Wernsdorffium*, *de Fanaticis Silefiis* Differtatione, recordamur. Inter noftros quidem *Seb. Niemannus* de *S. Trinit. Perfon. diftinctione* difp. Acad. A. 1665. hab. Sect. I. c. I. §. 16. & *A. Caroli* in Memorabil. Sect. XVII. T. I. f. 435. portenti hujus faciunt mentionem, fed non alia funt ab illis annotata, quam quæ ex *Jac. Martinio* defumfere, ejusque unius teftimonio obfcuro quoque dicta a fe confirmarunt. Inter Reformatos *Joh. Hornbeckius* etiam quædam de eodem in *Difpp. Theolog. Heydani, Cocceji & ipfius Hornbeckii Syntagmate*, XXI. differt. recitat; Sed neque ea diverfa funt ab epiftolarum illarum amœbæarum, de quibus paullo poft dicemus, argumento. Neque vero id mirum eft, cum ne in patria quidem, ubi familia *Seideliorum* adhuc claret, viri hujus, quos orbis vidit, in Chriftum & Religionem Chriftianam, fupra fidem humanam, injurii, confervata fit memoria, & inquirentium labor omnis, a nobis quoque adhibitus, fruftraneus fuerit.

c) Quæ una cum Refponf. leguntur in calce Operum *Socini & in Bibl. Vnitar.* T. II. f. 806. fq., &, hominem non ineruditum fuiffe auctorem, (eft enim in hofte quoque virtus laudanda,) arguunt.

dit) hæc fuit ſententia: Meſſiam Judæis promiſſum eſſe, ſed talem, qui regnum in his terris, quale Davidis erat, mundanum, adminiſtrare debuerit; promiſſionem autem, per Prophetas de eo factam, conditionem hanc ſimul complexam eſſe, ſi populus Judaicus Deo conſtanter eſſet obſecundaturus: Eam vero quoniam non impleverint Judæi, illuſtre quoque illud promiſſum nunquam reapſe præſtitum, ſed ipſam ſpem Judæorum irritam redditam eſſe, atque, ut olim, ita inpoſterum quoque, nunquam impletum iri. Quibus poſitis, quia non ſibi, ſed Judæis tantum, ille Rex promiſſus fuerit, eum *Seidelius* ille ad ſe & alios quoscunque homines nihil pertinere judicavit, ſed totam Religionem ſuam *Decalogo vocali*, ut vocat, quo lex naturalis, obſcurata per corruptionem naturæ humanæ, denuo illuſtrata ſit, abſolvi palam profeſſus eſt, totumque adeo, quod etiam in epiſtolis identidem repetiit, *novum Teſtamentum*, ut falſum & inutile, rejecit. a) Hanc nefandam ſententiam, qua Chriſtianos omnes idololatriæ aperta fronte accuſavit, fundamentaque Religionis nonniſi naturalia conſervare anniſus eſt, cum ſcriptis aliis, hinc inde in patria ſparſis, ſed nunquam, quod ſciamus, typis excuſis, tum præcipue eo, quo N. T. divinam auctoritatem Chriſtique ſupremam Meſſiæ dignitatem adortus eſt, conabatur adſtruere. Hujus, niſi fallimur, in tranſitu b) adeptus erat *Vogelius* noſter exemplum, & quoniam *Seidelius* præcipue operoſus multusque fuerat in impugnanda Genealogia Chriſti, ex ea pharetra depromta haud raro argumenta inter diſputandum *Jacobo Martini*, exercitii cauſſa c) opponens, objiciebat. Re igitur comperta, ut ſibi traderet *Vogelius* MStum, petiit *Martinius*, &, quia ipſemet a teterrima hy-

 potheſi

a) Eaque de cauſſa, fere ut Judæi ſolent, alium licet finem præfixum habentes, in repugnantibus locis, & quibuscunque difficultatibus, tanquam erroribus, conquirendis improbe ſedulus fuit: ut, ſi obtineret, ſtylo in contrariam partem verſo, ſuam, de Mesſiæ adventu & olim & nunc prorſus decollante, hypotheſin tanto felicius tueri poſſet.

b) Et *Smiglæ* fortasſis in Polonia Majori, quousque eum procesſiſſe, ad fratres contendentem, alibi demonſtrabimus. In hoc ſane itinere copiam ei demum hujus ſcripti execrabilis factam eſſe, exploratum habemus.

c) Ita potius nos credere jubent ipſius *Vogelii* profesſio, & *Socinismi*, cujus tunc temporis afflatus erat veneno, rationes; quam, quod, uti quidem *Martinius* perhibet l. c., *Semi-Judæorum* hisce argumentis haud leviter perturbatus & dubius factus eſſet. Veriſimilius autem eſt, bonum hunc virum *Photinianas hypotheſes* æque ac *Seidelianas* promiſcue acriter defendentem *Vogelium*, & ſub larva non una aſſumta latere conatum, haud ſatis accurate dignoſcere potuiſſe: quæ tamen poſt exitum harum rerum rectius non fuiſſe edoctum, miramur.

pothesi abhorrebat, haud difficulter obtinuit. Quo facto is ad confutanda hominis impii effugia se accinxit, & libro IIIo. de *Tribus Elohim* alteram partem a Cap. LXIII. inchoatam adjecit, ubi contenta feralis illius schedæ, cum examine necessario, reperies. Nec siluit *Martinius* occasionem, quo in libellum hunc inciderit, eodem cap. LXIII. scribens: a) *Annus est & ultra, quando quidam latine, græce & Hebraice doctissimus, & in lectione biblica non mediocriter exercitatus, Semi-Judæorum vero argumentis haud leviter perturbatus*, b) *& dubius factus, mihi manuscriptum, in quo autor Semi-Judæus blasphemus demonstrare conatur, Messiam non venisse, & nunquam venturum esse, obtulit, simulque illud, ut tum propter seipsum, tum etiam propter alios, quorum fides maxime periclitaretur refutarem, & cum Disputationibus contra Judæos conjungerem, majorem in modum petiit. Hanc vocem & adhortationem quoniam divinam judicavi vocationem, nihil in me desiderari volui &c.* Hactenus *Martinius*; quem tamen memoria fefellit, quando *A.* 1619. *Kalendis Januar.*, quibus conscripta est libri *Præfatio*, ab illa communicatione secum facta, *annum*, & quod excedit, elapsum esse, scripsit; nisi forte disputando, statim a *Vogelii* in patriam revocatione, monstrosam hæresin ad examen vocare cœpit. A *Vogelio* enim nostro, quem juvenem illum fuisse, & aliunde nobis constitit, & ex ipsius manuscripto, brevi tamen, curriculo vitæ Vir Celeb. *Nicol. Hieronymus Gundlingius*, nepos, etiam publice nuper indicavit, jam A. 1615. præcipitante *Seidelianam* schedam acceperat, atque ad confutandam illam sese ultro accinxerat. c) Quoquo modo vero circumstantiæ hæ comparatæ sint, tam detestabilis certe visa est ipsismet *Socinianis*, & horribilis, ea portentosi hominis, *Seidelii*, opinio, ut, quanquam nonnisi *in schola locum* inter illos *sibi dari* expeteret, aut *pædagogiam aliquam*, utrumque constanter negarent, atque res suas sibi habere juberent. Quo pacto domum reversus, incertum tamen, an unquam ad meliora conversus, inter pueros, quos primis elementis imbuit, consenuit, atque miser tandem animam d) efflavit. Quid *Ruarus* de eo senserit, in epistola ad Peu-

a) f. 337.

b) Male hæc suspicatus est *Martinius*, ut paullo ante dictum est. Neque enim ea ex MSto depromta argumenta in *Dispp. de Messia* ipse, Socini partes tunc sectatus, approbaverat, sed exercitii tantum gratia Præsidi objecerat.

c) Conferantur ipsius *Vogelii* verba e Cap. III. §. 5. anticipanda: Huc enim horum quædam rejicere oportet.

d) Incertum, quo anno. Neque enim Rerum Silesiacarum scriptores præstantissimi temere istius monstri, multoque minus hujus circumstantiæ, meminerunt. I-pse

Peuſchelium, quæ Cent. II. *ſeptima & decima* eſt, expoſitum legas: ubi *hominem appellat Regis noſtri Jeſu Chriſti hoſtem manifeſtum, & ob id deteſtabilem, ſed qui tamen in litterali, quem vocant, antiqui fœderis ſenſu enodando, non infeliciter ſæpe verſatus ſit.* a) De cæteris nihil opus eſt, judicia congerere: quia hoc unius *Ruari* inſtar omnium eſt, neque ab eo reliqua multum abſcedunt. Redeundum eſt potius ad *Martinium*, &, quemadmodum poſt hæc tempora perrexerit in oppugnandis *Socinianorum* erroribus, paucis adhuc ediſſerendum. Quo pertinent *Diſputationes* permultæ *Antiphotinianæ*, uno tandem faſce comprehenſæ, & A. 1647. paullo ante obitum beatum, (qui in A. 1649. incidit) conjunctim evulgatæ: item *Synopſis totius Theologiæ Photinianæ*, (quæ A. 1633. Witteb. 8va forma lucem adſpexit, præcipuisque id genus compendiis ob perſpicuitatem æquiparanda eſt, & ordinem *Catechiſmi Racovienſis* ſequitur,) & ſimilia Philoſophico-Theologica, digna utique, quæ fuſius etiam h. l. evolverentur. Sed quia, poſt primum illum novorum *Socini* admiratorum impetum, ea ſunt in lucem publicam data, in prioribus conquieſcimus, quæ *Hiſt. Crypto-Socinifmi* colluſtrare poſſunt, atque nonniſi illud addimus, quod in Hiſtoria *Sociniana* etiam *Lubieniecius Martinium* noſtrum *celeberrimi Philoſophi* elogio mactarit; *Adamus* vero *Goslavius*, ut ipſe erat Philoſophicis ſpeculationibus mirifice deditus, eum ſolum exiſtimaverit dignum, cujus ſcripta ad limam revocaret Philoſophicam; b) Quanquam, uti ſupra annotatum eſt, c) opus illud jam adornatum incuria amici perierit. Cætera *Martinii* in Vniverſ. Vitembergenſi fata, & de re Eccleſiaſtica merita, jam alibi conſignata, nolumus cum nauſea L. B., huc, tanquam extra oleas noſtras poſita, transſcribere, atque hic proinde ſubſiſtimus.

§. XXXI.

Poſt *Martinium*, in typo noſtro Cryptico, bini leguntur *Mauritii* illuſtriſſimi, *Naſſoviæ Princeps* alter, alter *Haſſiæ Landgravius*. Inter quos non alius videtur intelligendus, qui primo loco ponitur, quam

pſe quoque, in *Fanaticis Sileſiis* deſcribendis occupatus, de alto rerum hujus *Seidelii* ſilentio inter patriæ ſcriptores §. XIV. conqueritur S. Rev. *Wernsdorffius* paullo ante laudatus.

a) Ex quo loco, utrum colligi posſit, alia forte cum, quam quod *Martinio* tradidit *Vogelius*, MSta etiam diſperſiſſe, non definimus.

b) Quia & ipſe præ cæteris ſuæ ſectæ hominibus uti ſolebat ſubtiliore, Philoſophumque a Philoſopho examinandum exiſtimabat.

c) Cap. II. §. 20.

quam *Belgii fœderati Gubernator* fortisſimus, & per orbem univerſum celebratisſimus *Princeps Auriacus*: cujus, poſt *Wilhelmum* patrem, fortitudine rebusque ſtrenue geſtis res Belgii fœderati potisſimum convaluerunt. Vnde etiam *Dominus Bellicus peritisſimus* a noſtris appellatus eſt. Etſi de reliquo non fuerit in litteris eorum, ſi quid conjicimus, cum laude, præterquam militari, ſemper commemoratus, quia deſertis *Arminianorum* partibus, a quibus primum ſteterat, poſtea a) ad *Gomariſtarum* atque *Contra Remonſtrantium* cauſſam magis propendebat, ſuaque auctoritate poſt hæc tempora ipſam quoque *Synodum Dordracenam*, atque hinc conſequens exilium & captivitatem, immo & necem, quorundam alterius factionis aſſeclarum promovit, aut certe ſuſtinuit; ita, ut non citius pars altera adhuc preſſa, quam poſt mortem ejus, A. 1625. per *Henricum Fridericum* fratrem, b) ei ſuffectum, reſpirare potuerit. Alter *Mauritius*, *Haſſus*, ex lite, cum patruelibus ſuperioris ſec. initio agitata, notisſimus, & *Calvino-Reformatæ* religionis acerrimus propugnator, non alia de cauſſa citatus videtur, quam quia, præter eruditionem ejus magnopere præconiis laudum evectam, & magni habitam, c) ſpem forte conceperant, cum *Remonſtrantes* tum *Sociniani*, fore, ut partium ſuarum quoque doctoribus aliquam libertatem indulgeret. Quam etiam ob rem famoſum illum *de Deo & attributis Divinis* Tr. A. 1606. *Conr. Vorſtius* ei dedicavit, &, uti ſuperius jam obſervatum eſt, *Hier. Moſcorovius* etiam *Socini* quædam poſthuma, videlicet *de Statu primi hominis diſputationem*, eidem

a) Cauſſis politicis ad eas ut tranſiret, alterique factioni ægre faceret, adductus. De quibus *Limborchius* in *Hiſt. Relat. de origin. & progreſſ. Controv. in Belg.* f. 18. b. conſeratur.

b) *Arminianis* benigniorem, & pæne libertatem docendi, certe redeundi & ultro citroque impune commigrandi, poteſtatem connivendo indulgentem; donec pleniorem rerum ſuarum ſtabiliendarum, tametſi limitibus etiamnum circumſcriptam, facultatem adipiſcerentur: qua hodieque fruuntur liberaliter.

c) Cujus etiam teſtes monumenta extant litteraria, cumprimis vero docta & affabre concinnata Poemata, qualia ſunt *Pſalm. Davidis Translatio Metrica Latina A.* 16-- Smalcaldiæ excuſa 4to. *Carmina* item & *epiſtolæ Tychonis Brahe* epiſtolis inſerta, inprimis vero (quod & *Gaſſendus* laudat,) *Carmen* elegans, ejusdem *Tychonis Brahe Operibus Aſtronomicis*, aliaque aliorum ſcriptis præfixa, nec aliena induſtria, ſed ſuo ipſius ſtudio elaborata. Cæterum *Apollinem Germaniæ* ſalutatum eſſe, aliunde cognitum habemus. Certe linguarum *Hebraicæ*, *Græcæ*, *Latinæ* fuiſſe eximie peritum, tum & *Aſtronomiæ* oppido ſtudioſum, atque hinc eruditorum, qui & in Aulam ejus hinc inde advolabant, familiaritate perpetuo cinctum, inque eos vicisſim munificum, omnium in ſe animos laudesque convertiſſe, nemo ignorat.

dem inſcribere non verecundatus eſt: Popularium ſuorum ex ipſius terris redeuntium de tanto Principe judicium, ingenium, item & doctrinam, atque rerum abſtruſiſſimarum a) cognoſcendarum indefeſſum ſtudium, cum prudentia ſumma & pietate inſigni prætexens; revera autem in id animum intendens, ut, quia tantopere dedicatum commendavit librum expendendum, & rationum pondera libranda, in patrocinium quoque *Socinismi* Principem hunc valde *curioſum* nec opinantem adduceret. Quæ, quia recentiſſime geſta erant, noſtris etiam ὀνοματοποιηταῖς occaſionem dedere, ut *Principem, cujus patrocinio Anti-Puccius commiſſus*, vocarent. Qua occaſione non poſſumus, quin ὡς ἐν παρόδῳ *L. B.* moneamus, male apud Cl. *Möllerum* denuo *Antiboccius* exſcriptum legi, quippe quæ vox nihil prorſus ſignificat; Diſputatio autem citata, & A. 1610. Sereniſſimo Landgravio *Mauritio* dicata, utique *Franciſco Puccio*, Filidino-Florentino, notiſſimo illi per Europam erroni, b) qui *Baſileæ* cum *Socino* A. 1578. congreſſus erat, oppoſita, & ex epiſtolis utriusque amœbæis conſarcinata eſt. Sed commode admodum *Hieronymi Moſcorovii*, dedicationis paullo ante commemoratæ ſcriptoris, libellique citati editoris, mentio hic incidit; nam in Catalogi noſtri ordine is etiam proxime ſequitur, nonniſi *Mennonitis* interjectis, de quibus paullo poſt nonnulla ſubjiciemus. *Equitem Polonum* fuiſſe *Moſcorovium*, eumque multa eruditione ac prudentiæ laude inter ſuos conſpicuum, c) nemo

a) *Philoſophiæ* univerſæ enim idem Princeps inſignis fuerat amator & cultor: cujus proinde ſtudio ſciendi abuti conabantur homines illi vaferrimi, & in omnes occaſiones errorum ſuorum provehendorum mirifice intenti.

b) Cujus hinc vitam & fata nemo accuratius deſcripſit, quam ipſe *Socinus*, diu multumque cum eo verſatus, in epiſt. ad *Matth. Radecium* tertia, quæ T. I. *Opp. F. Socini* legitur f. 378. ſqq. & compendioſius quantum ad priores annos in epiſt. ad *Andr. Dudithium* A. 1580. ſcripta. ibid. f. 497. (a) ubi anno illo ſeculi XVI. *octogeſimo* ætatem annorum XXXIX. circiter aut XL. attigiſſe ait, & primum *Lugduni* a negotiatione ad ſtudia animum appuliſſe narrat. Maxime vero omnium notabile eſt, quod *Angli cujusdam, Angelorum colloquia jactantis, inſtinctu Pragæ ad Pontif. Eccleſiam rediiſſe* iſtic narratur, eoque facto, ipſum quoque *Socinum* ad id faciendum litteris exſtimulaſſe, additur. Quo pacto autem idem *Puccius* A. 1592. *Altorphinam Academiam* ingredi, & aliquandiu illic commorari voluerit, ſed ſerio monitus, cum jurejurando obſtringi nollet, ſolito in Academiis fidei ac pacis vinculo, eodem adhuc menſe diſcedere juſſus ſit, expoſuit Cl. *M. D. Omeiſius* noſter in *Gloria Acad. Altorph.* f. 107. Vt perierit denique in *Ep. Remonſtr.* n. CCIX. legere eſt.

c) Præcipuis certe t. t. inter *Socinianos* cognatione & affinitate junctum; quippe qui *Andr. Dudithii* gener, & *Zbygnei Sieninii* ſocer erat, ad hæc vero per opulentiam prædi-

mo ignorat. Ejus certe humanitatem, & erga fratres benignitatem, præcipue vero in prædio insigniori ditissimo amœnissimoque *Czarkovia* dicto, quod inter alia possidebat, a) & in quo sæpissime capita hæreseos conveniebant, præstantiam, omnes *Socinianarum* epistolarum paginæ, apud *Ruarum* etiam, loquuntur. Pietatem illius, ex mente sociorum, *Eusebii* cognomentum evidenter demonstrat, atque in ea fuisse inter omnes existimatione, satis superque tota *Socinismi* universa historia b) declarat. Sed quod *Medicus* insuper *nobilis* nuncupari consveviisset, obscuriusculum ab initio videbatur, donec ejusmodi studiis, *Chymicis* puta ac *Medicis*, multum delectatum esse, c) ex *Lubieniecio* consulto addisceremus: ubi & *Simonem Polanum*, *præstantem Chymicum & Medicum*, *magnique Hier. Moscorovii in his studiis administrum*, laudavit, ipsum vero *Moscorovium Pilaucicum* d) appellavit. e) Quo etiam loco, sed paullo ante, tantopere hunc in religione irreligiosa sodalem suum extulit, ut *splendorem natalium & vetustatem generis ejusdem multis aliis* non solum *præferret*, sed *etiam cognationem cum Dudithiis*, *Zaboroviis aliisque præcipuis Regni familiis* summopere *prædicaret*, *comitate* vero, *modestia*, *vitæque sanctimonia*, *&* *meritis*

prædiorumque præstantiam plurimorum, & ætatem denique provectam ac senilem canitiem maxima pollebat inter suos auctoritate.

a) Conf. Epist. *Ruari* Cent. II. num. XIII. p. 73. & *Crellii* epist. commemorabilem in *Animadvers. Creenianarum* P. V. f. 252. sqq. excusam.

b) Vid. instar omnium epist. p. a. laudatam *Crellianam* f. 253. sq. Vbi, cum ex morbo periculoso, quando eum invisebat *Crellius*, decumberet, *sermones ipsius, cum morbi vis aliquid proloqui pateretur, eosdem fuisse, qui fuerint semper, hoc est, de pietate &c.* ait. Ipse quoque *Socinus* in dedic. Disp. cum *Erasmo Johannis eruditam & solidam pietatem* ei tribuit.

c) Ita quoque ad *Ostorodum* scribens *F. Socinus* eum vocat f. 450. T. I. Opp. *virum & medica scientia atque artis peritia, & amore erga ipsum, non minus quam virtute ac pietate, præstantem*, ipsumque ab *Ostorodo* valetudinario consuli jubet.

d) Rectius: *Philacicum*, ab ἄκος, quod Græcis *medicamentum* denotat.

e) Cujus comparetur L. III. c. XII. *Hist. Vnitar.* seu *Reform. Polon.* f. 241. & 246. sed mendis typographicis, de quibus jam ante nos *Petr. Bælius* in *Lex. Histor. Crit.* aliquoties conquestus est, mirum in modum scatens: quod vel hoc *Moscorovii* nomine demonstrari potest. Cujus labis, qua inquinata est, caussam in auctoris forte characteres minus eleganter pictos rejicere licet. Posthumum enim fuisse opus, nec ultimam manum scriptoris sui expertum, nisi me fallit memoria, *Bælius* idem in *Lexico* observavit. Quanquam & *Continuator* ejus *Opusculi*, a Cap. XVII. orsus, quando *Lubieniecium*, veneno ab ancilla subornata a nefariis hominibus e medio sublatum *Hamburgi* A. 1675. (d. 18. Maji æt. 51.) ait, *historiam* illum *suam ad finem perducere non potuisse*, testetur. Vnde immortuum esse labori, nec absoluto, evidenter patet.

meritis in Rempublicam tanquam prorſus incomparabilem deſcriberet. Quæ ad præſens inſtitutum ſufficere poſſunt. Quanti fuerit a *Socino* ipſo habitus, Dedicatio *Diſputationis de Filii Dei unigeniti exiſtentia*, cum *Eraſmo Johannis* habitæ atque ei ſacratæ a) commonſtrat, in qua, præter alias jam recitatas, vel iisdem haud diſſimiles laudes, *felicem illum diem* prædicat, *quo cœtus* Socinianus (*noſter* inquit) *ſuum eſſe illum plane viderit*, & *alios partim cura ipſius*, *partim exemplo*, *aggregandos*, *certo ſe ſperare*, affirmat. Quæ cum ſcripta ſit præfatio A. 1595. d. XVI. menſ. Junii, paullo ante *Socini* ſectæ nomen dediſſe virum aliis antea curis, b) & forte militaribus, immo etiam œconomicis aut medicis, diſtrictum arguunt. *Ruarus*, qui *Czarkoviæ* Eccleſiam fundaſſe diu celebrem refert, *non proſapia nec eruditione magis*, *quam pietate clariſſimum ſenem vocat*, *quem nunquam*, *cum Statorio & Crellio*, *Racoviæ conveniat*, *quin aut pietate aut eruditione ſanctiore tinctus etiam nunc redeat*. c) Ipſe vero etiam *Königius* l. c. Cap. I. ejus præter cætera diligentiam laude ſingulari proſecutus eſt. Cæterum *Noribergenſibus* noſtris cum eodem interceſſiſſe litterarum conſvetudinem, exemplum impreſſæ epiſtolæ, quæ Cent. II. *Ruarianarum* num. XXXIV. legitur, patefacit: ubi, *ad fratres Noribergenſes ſe ſcripſiſſe*, teſtatur, *eosque ad diligentiam majorem cohortatum eſſe*, inquit. Ex quibus omnibus proinde, qua veneratione, a *Germanis* noſtris, ac nominatim *Altorphinis*, eodem veneno imbutis, cultus ſit, & quæ ratio fuerit, tecte ad eum, præter libros, quos emiſit, præterque *Latinam Catechiſmi Racovienſis* ab eo profectam *verſionem*. d) provocandi, colligere proclive eſt. Tantum de *Moſcorovio*. Quem A. 1625. diem obiiſſe extremum, e) cum aſſeveranter ajat *Sandius*, vel filius intelligendus erit, in cujus menſa colloquuti ſunt *Gittichius* & *Ruarus* de *Jejuniis*, f) vel in ſubſcriptione epiſtolæ, ubi annus 1642. legitur additus, (quod tamen prohibent rationes matrimonii a *Ruaro* A. 1636. demum initi,) vel ab ipſo denique *Sandio*, error commiſſus eſt. Sed de eo eruditi judicent.

§. XXXII.

Jam enim de *Mennonitis* potius paucula addere allubeſcit: quandoqui-

a) Vid. Opp. *Socini* Tom. II. f. 491.

b) *Vanas* vocat l. c. *Socinus*, & *hujus mundi illecebras*.

c) Epiſt. XVII. P. IIdæ.

d) Et ſumma impudentia *Jacobo I. Angl. Regi* dedicatam.

e) Cum jam ſuperiori anno, uti ex citata *Crelliana I. Epiſt.* elucet, fato proximus fuiſſet.

f) Centur. I. Ruari Epiſt. num. 89. f. 411.

doquidem de *Anabaptiſtis*, eorumque cum Socinianis conſanguinitate, jam in præcedentibus dictum eſt; quorum hos defœcatiorem duntaxat turbidæ & olim quoque turbulentæ iſtius ſectæ partem eſſe, neminem fugit. Quemadmodum magna ex parte in doctrina cum Socinianis conſentiant, de Baptiſmo præſertim ubi diſputatur, nolumus repetere, quæ ſunt alibi commemorata, neque etiam vitæ integritatem aut ſpeciem certe maximam, in pretio *Socinianis* habitam, in præſenti denuo excutiemus. De concordia tantum & Syncretiſmo, a) ut vocant, inter utramque factionem ineundo, paucis notandum eſt, jam ſeculo XVI. & poſt celebratam A. 1565. *Synodum* illam celeberrimam *Cracovienſem*, in id ſtudium incubuiſſe *Anti-Trinitarios*, eoque conſilio in *Moraviam* etiam profectos eſſe *Philippovium* atque *Schomannum*, ſed irritum fuiſſe iter eapropter ſuſceptum; quoniam *Moravi* illi *fratres*, ſanctiſſimum de S. Trinitate dogma conſtanter retinentes, a contradicentibus maximopere abhorruerant, & *Polonos*, id impugnantes, cultores ethnicos appellaverant, atque hinc quæſitam conciliationem, niſi hæreſin hanc primum miſſam facerent, maximopere averſabantur. Non deſtiterunt quidem poſt id tempus ab iisdem conatibus urgendis ſucceſſores, relictisque *Moravis* illis rigidioribus, ad mitiores *Mennonitas* converſi, eosdem plus ſimplici vice ad unionem cum *fratribus Polonis* invitarunt, eoque nomine *Smalcius*, una cum *Moſcorovio*, conjuncta opera, ſcriptum aliquod Polonica lingua elaboravit, atque *Mennonitis Gedanenſibus* tradi juſſit; in quo non tantum ad conjunctionem cœtuum hi blande admodum ſolicitati ſunt, ſed & modus, quo id fieri poſſit, oſtenſus. b) Cujusmodi

a) Ad quem, quia *Fides* ipſorum & *Natura* (Pelagiana) pæne dixerim *paucis contenta* eſt, mirum in modum, cum quibuscunque fere res ſit, inclinant; erga *hos* vero maxime ſemper propendere viſi ſunt, & hodieque, vel ut tolerentur, atque latitare queant, propendent.

b) De ſtudio concordiæ cum *Mennonitis*, *Waterlandis* potiſſimum, utpote moderatioribus ineundæ, quo ducti etiam, ex principiis haud diſparibus, fuere *Remonſtrantes*, legatur *Arn. Pœlenburgii* ad *Gerardum Brantium* epiſtola, quæ totum hocce argumentum mirifice illuſtrat, & reperitur in Epiſt., ut vulgo vocantur, *Remonſtrantium*, ed. quæ ad manus eſt, in 8vo. f. 875. ſq. & recentiſſ. 1704. fol. num. 611. p. 894. Vtrum vero hodieque *in Belgio*, quod *Religiorum varietas inprimis delectat*, *Sociniani* ſub *Mennoniſtarum* vel Anabaptiſtarum nomine lateant, aut *Collegiatorum* libertate dicendi abutantur, nec ne? diſpiciant, quibus hæc propius intueri & explorare licet. Auctori certe Gallo, qui *Hiſtoire du Socinianiſme* hinc inde *compilavit*, & A. 1723. Pariſ. in lucem publicam dedit L. I. Cap. XIX. XX. & XXX. ſqq. ita viſum eſt: cui tamen hæc, ut probet, relinquimus.

jusmodi ad eos aditum *Ruaro Crellius*, parare voluerit per *Jacob. Klein*, ex iſtius epiſt. a CL. *Th. Creenio* typis primum ſubjecta *P. V. Animadv. Philolog.* colligere eſt. a) Veruntamen unionis methodum *Mennoniſtæ* etiam tunc conſtanter repudiarunt, donec paullatim, & fraudulentiæ non uno genere adhibito, pulſi e *Polonia Socini* ſectatores, & in *Tranſylvaniam Belgiumque* digreſſi, illic quidem aperta fronte liberius aliquanto viverent, hic vero, denegata libertate hæreſin profitendi ſuam, *Collegiatorum*, ut vocant, & *Mennonitarum* ſocietati ultro adhærere inciperent. Quibus tamen rebus factum, ut, quoniam ſuo eam quoque veneno paullatim infecerant, qui *Galenum Abrahami* haud ita pridem ſequerentur Doctorem, virum oppido eruditum, non ſolum CL. *Benthemio* b) viſi ſint *Socinianarum* hypotheſium haud paucas ſuas feciſſe, ſed *Batavis* etiam de *Sociniſmo* ſuſpecti etiam nunc habeantur. Cur *Docetarum* nomen adſcititium illis datum ſit, in Onomaſtico noſtro expreſſum, non difficile eſt inveſtigatu; ſiquidem, quæ *Valentinianis* olim & *Cerdoni* atque *Marcioni* cum *Manichæis* propria fuit ſententia, de *Chriſti Humana natura* ex cœlo allata, veramque humanam noſtram ſubſtantiam nonniſi externa forma referente, (unde *Docetæ* dicti ſunt) *Anabaptiſtas* primos, & ex *Mennonitis* etiam craſſiores, adoptaſſe, in vulgus notum eſt. A qua theſi cum *Sociniani* abhorreant maxime, c) utpote qui etiam cauſſam, cur *Filius Dei ſit dictus Jeſus Chriſtus*, ex formatione illa H. N. in utero Mariæ ſupernaturali potiſſimum repetere ſtudent; mirum non eſt, quod ab eo dogmate, veluti præ cæteris notabiliori, *Mennonitæ* ſunt inter noſtros congerrones denominati. d) Quorum etiam fraternitatem, poſtquam hodie de eo dogmate aliisque ſimilibus aliquid remiſerunt, certe cautius, quam olim, loquuntur, nunc tanto quoque lubentius ambire, eorumque communione ſecurius frui, minime dubitamus. Atque hic ſubſiſtendum eſſet, in litteræ M. recenſione, quoad *typis impreſſus Index* involucra nobis artificioſe excogitata ſuggerit; niſi alia quædam præter hæc occurrerent, ab iisdem fictoribus inter confabulationes amicas uſurpata, quæ brevibus attingere & addere juvabit. Nempe inter Theologos noſtrates tres clariſſimi viri adhuc

 ſuper-

a) Fol. 262.

b) Legatur ejus *Holl. Schul-und Kirchen-ſtaat* Cap. XIX. f. 832. ſqq.

c) Quam præter alios ipſe *Socinus* in brevi *Diſputatione de Chriſti carne adverſus Mennonitas* refutavit Miſcell. Theol. A. 1611. Racov. 8. edit. f. 74. & Opp. T. II. f. 461. ſqq. inſert.

d) A Germ. enim *Meinen*, quodammodo cum *Mennonitarum* nomine conveniente, ſic appellatos eſſe, quod aliquando in mentem venerat, vix credibile eſt.

ſuperſunt, quorum illi quoque juvenes frequentius meminere in epiſtolis familiaribus, MEISNERVS puta, MAJOR, & MENZERVS; Ille *Balthaſar*, Wittebergenſis; iſte *Johannes* Jenenſis Prof. & Superintend. ſenio venerabili tandem defunctus; hic vero *Balthaſar* itidem dictus, & Gieſſenſis Acad. ſplendidum lumen, ea tempeſtate celebritate prioribus duobus, ſi non anteferendus, multis tamen de cauſſis æquiparandus. Qui omnes ſcriptis, cum aliis pluribus, tum vero maxime adverſus *Reformatos* & *Socinianos* inclaruere: ita, ut paullo poſt hæc tempora a) quidem, præter alia multa, evulgata *Meiſneri Conſideratio Theologiæ Photinianæ*, & F. *Socino* ex adverſo A. 1619. oppoſita, b) ſola viſa ſit *Joh. Crellio*, (hæc enim ſolita erat horum thraſonum jactantia,) digna, ut examini diligentiſſime inſtituto ſubjiceretur; c) uti meminimus eſſe a viris fide dignis relatum, atque b. avo quoque noſtro *Joh. Vogelio*, hunc libellum magni aſtimante, amicis haud ſemel commemoratum. Idem vero *Meiſnerus* jam ante diſputationibus, contra eosdem errores impios conſcriptis publicatisque, maſcule depugnaverat, atque hinc meta cum cæteris erat, in quam arcum hoſtes Divinitatis Chriſti dirigebant omnium vigilantiſſime. Sed de his alias. Nunc quoties in litteris mentio illius fiebat, *Miſnici hominis* a congerronibus, incertum, ſolamne propter nominis formam, ac patriam, (Dresdenſis enim

a) *Meiſnerus* autem tanti etiam habitus eſt a Socinianis propter modeſtiam, ut Jon. *Slichtingius* deinceps poſt mortem ejus non ſolum *virum doctum vitaque dignum longiore* appellarit, ſed tanto etiam elogio illum in Præfat. ad Quæſt. I. p. p. cit. tract. mactarit, ut, *nec ingenium ei defuiſſe & acumen, nec doctrinam atque eruditionem, immo nec modeſtiam, non illam quidem, quæ per ſe ipſam omni ex parte commendari mereatur, ſed quam aliorum immodeſtia ac maledicentia commendet*, candide ſcribat.

b) Hujus enim Diatriben, cui titulus: *Quod Evangelici omnino deberent ſe illorum cœtui adjungere, qui falſo Ariani atque Ebionitæ vocentur*, (qui A. 1611. Racov. prod. & Opp. T. I. f. 691. ſeqq. comparet,) ſibi examinandum ſumſit, nervumque præcipuorum argumentorum, quæ ſuccincte hoc opuſculo complexus eſt *Socinus*, feliciter & perſpicue incidit.

c) Quæ namque *Jonas Schlichtingius* adverſus *Meiſnerum* de Quæſt: *Num ad Regnum Dei poſſidendum neceſſe ſit, in nullo peccato Evangelicæ doctrinæ manere*? nec non de altera: *Num in eadem Evangelicorum religione quædam concedantur Chriſti legibus inconceſſa*? ubi ex profeſſo etiam de capitalibus hæreticorum ſuppliciis diſſeritur, A. 1636. & A. 1635. (quo prior illa quæſtio ſeorſim jam prodierat) ſcripſit, & quæ paullo etiam poſt de *S. S. Trinitate*, *Præcept. V. & N. T.* itemque *S. Euchariſt.* & *Baptiſmo* 1637. diſputavit, ea omnia particularia ſunt, aliisque *Meiſneri* Diſſertationibus contra *Socinianos* editis, ut Præfationes docent, ad incudem revocandis, deſtinata fuere, cunctaque poſt *Crellii* mortem (Lib. enim A. 35. ed. ipſe *Jonas primitias ſuas* vocat) lucem adſpexere.

nim erat,) an contemtionis insuper aliquam notam daturis, appellatione insignitum esse observamus. Johannes *Major Majoragii* agnomen accepit, quod clari inter Italos oratoris, & dicendi elegantia inprimis commendati, cognomen a) est, ex sec. XVI. huc translatum, eoque commemorabilius hoc loco videtur; quod idem quoque pro eo adsumto, peculiari oratione contra obtrectatores, *Fab. Lupum* & *Maximum Nigrum*, (al. *Macrinum* dictum) in *Senatu Mediolanensi* recitata, *Apologia gravi*, & hunc morem, olim valde receptum, in utramque partem expendente b) disseruit. Cum enim *Antonius Maria* de *Conti* antea dictus esset, idque nomen in *Marci Antonini Majoragii* novum mutaret, grandem dicam ab adversariis scriptam est passus, multumque hinc pro eo consilio vindicando laboravit. c) Vtcunque vero hæc sint, quæ non nisi ad dilucidandam cognominis originem faciunt, novo tamen & ipse *Major* non alia de caussa quasi involucro contectus fuit, quam, ut de eo quoque, Dispp. etiam contra *Socinianos* propositis cognito, & *Jenæ* inprimis clarente, tanto tutius liberiusque judicare possent confabulatores nostri. Quod *ad Menzerum* denique attinet, hunc *famosissimum Scholæ Hassiacæ Theologum* appellasse accepimus; eaque periphrastica etiam descriptione, quia, ob merita in propugnanda Evangelii veritate d) ingentia, claritatemque nominis, præter cæteros, nisi sub ambigua *famosi* voce dolus lateat, dignum fuisse, omnes agnoscunt, nihil est, quod ad illustrationem ejus addere opus sit. A scriptis vero & disputationibus, potissimum *Socinianis* erroribus directo adversantibus, quæ in *Opp. collectis* & *Dissertationibus Giessensibus* aliquot fasciculis e) cum Indice evulgatis reperiuntur, tanto lubentius abstinemus, quo notiora sunt pleraque, & copia insuper adhuc dicendorum hæc f) verbosius recensere prohibet. Quam etiam ob rem in subsequente littera N.

§.XXXIII.

a) A vico *Majoragio*, in quo etiam pater ejus *Julianus* habitaverat, ultro ascitum.

b) Quæ inter Orationes *decima* est.

c) Qua de re *Joh. Imperialis Museum Histor.* f. 126. consuli potest. Quanquam nec *Thuanus* hæc fata Philosophi præstantissimi L. XVI. Historiarum indicta prætermiserit.

d) Præsertim in *Exegesi A. C.* celeberrima, in qua etiam contra *Socinianos*, & alibi veritatem t. t. asseruit. Quamvis enim in prima ἐκδόσει A. 1613. eæ cum *Socinianis* controversiæ omissæ essent, in secunda tamen tertiaque, quæ A. 1615. lucem vidit, postquam eorum scripta a *Mich. Blankio, Dantiscano*, acceperat, hisce quoque erroribus breviter refellendis operam dedit.

e) *Novem* omnino, si *Indicem* separatim numeres.

f) Quæ, si caussam citationis exploratam habeamus, parum etiam ad nostrum institutum facerent.

§. XXXIII.

Vbi *Salmantica* prima & sola pro *Noriberga* usurpata legitur, brevitati studebimus, & ante omnia hallucinationem a) describentis, quisquis fuit, notabimus, qui *Salmanticam* (quæ illustris est civitas & *Academia Hispaniæ*,) pro *Solmontica* exscriptum dedit. Neque enim ad istius urbis, nullatenus cum *Noribergensi*, qua rem, quave vocabulum comparandæ, similitudinem id confictum nomen est, formatumque, sed ab etymologia, quasi *Nurnberga Nur ein berga* diceretur, derivandum esse liquet. b) Quapropter etiam iidem *Solmonticenses*, ut *Ruarus* interdum vocat, fratres, frequentissime hanc patriam suam nominibus recens assumtis additurі, *Vnimontanos*, eodem prorsus sensu, se nuncupare consveverant. c) Ad ipsam vero civitatem hoc involucro tectam, *Noribergam*, quod attinet, eo minus de illa soliciti erimus h. l. illustranda, quo luculentiora totius historiæ series indicia suppeditat, ex quibus, quanto discrimini horum homuncionum petulantia illam exposuerit, omnibus apparet, quantoque beneficio a Deo affecta sit, cum ex his malis, ejus adspirante gratia, emergeret, res ipsa condocet. Quantum vero spei de illustri hoc emporio, sua hæresi magis magisque inficiendo, d) sibique conciliando, *impostores Poloni*, & ab his instructi deceptique itidem *emissarii*, cum temerariis asseclis, conceperint, conatus id perficiendi consilium diuturni, & ab initio sec. XVII. in annum usque XVI. fere continuati, demonstrant. Quousque vero destinata processerint, vel sola epistola *Ruari*, quæ in *Cent. II.* ordine *decima* atque *sexta* est, evincit: in qua, uti præcipuas consultationes cum *Valent. Smalcio* potissimum inierint *fratres* illi *Norimbergenses*, qua ratione in dulcissimo patriæ solo veritas spargi, & in segetem divinæ gloriæ progerminare possit, explanate legitur memoriæ proditum. Ibidemque de sumtibus ad libellos quoque *Socinianos*, hinc inde disseminandos, eumque in finem adornandos, deliberatum esse, non sine maximo dolore animi observavimus; tantoque magis dolemus, quod ibidem *Solmonticenses* etiam *fratres*, id se facturos ultro,

a) In *Molleriano* exemplari commissam.

b) Quam etiam ob rem, quia hinc inde, *Pegneso* vallem perluente, montibus continetur, vetustioribus seu mediorum seculorum Historicis *Mons Noricus*, uti & *castrum Noricum*, appellabatur.

c) Inter quos tamen hoc additamento frequentissime usi leguntur in epistolis MStis J. *Vogelius* & *Corn. Marci*: quibus & Græcum *Monoreta* interdum iisdem allubuit præferre.

d) Postquam *Leuchsnerum* cumprimis atque *Leimerum* valde jam sibi obnoxios reddiderat *Sonerus*.

ultro, & in typos liberaliter ſubſidia polliceri, dicuntur. a) Quæ improba molimina, divino beneficio tandem tempeſtive retecta disturbataque, æternas laudes æternasque grates a nobis repoſcunt. Sed ad reliqua pedem promovere ſatius eſt, quoniam *Noribergenſia* ex ipſa inſtituti noſtri ſumma ſatis clare elucent. Proferamus ergo litteram O.

§. XXXIV.

Et quia ſolus in ea deprehenditur novo involucro contectus cognominatus OSTORODVS, quis ille fuerit, quamobrem commemoratus ſit, & quare denique *Paſchaſii* ſeu *Paſchalodi* nomen acceperit, accuratius expendamus. Patre, *Henningo Oſtorodo*, Einbecceníi primum, tum *Goslarienſi* in templo *S. Coſmæ & Damiani*, ac denique ad *S. Stephani* ibidem Paſtore, genitum fuiſſe, atque in ipſa civitate laudata *Goslarienſi* natum, jam diſtinctius, quam olim, conſtat, poſtquam *CL. Heineccius* b) diligentiſſime in prima adoleſcentiæ & virilis quoque ætatis fata inquieti hujus hominis inquiſivit. Quo auctore etiam accepimus, patrem de puero jam male ominatum, & divinaſſe quodammodo, fore, ut, ſe mortuo, matrem in extremum adduceret periculum. c) Ad ſcholas traductum, idem narrat, egregium ſe præſtitiſſe, & mature omnes æquales antevertiſſe, ut ad frugem rediturus videretur. Ex Academiis redux fertur *Cantoris*, quod vocabat, munus ambiviſſe in patria, a qua ſpe cum fuiſſet dejectus, domo abiiſſe, atque in *Pomeraniam* dilapſus, Rectoris *Sluchovienſis* d) munere aliquandiu perfunctus dicitur. Vnde prima haud dubie ex vicina *Polonia* occaſio, *Photiniana* adamandi placita, illi extitit, eademque, cum in cultum *Lutheranorum* virus ſuum mature effunderet, atque

a) Vnde, ſi non alia, hæc tamen colligi poſſunt; niſi Deus clementer conſilia hæc disjeciſſet, ſummo diſcrimini clandeſtinis hiſce molitionibus totam Germaniam expoſitam fuiſſe. Hinc inde enim cum ſcriptis doctrinam viva quoque voce, adminiſtris potiſſimum *Altorphinis* & *Soneri* atque *Ruari* pullis, diſſeminare firmiter conſtitutum erat. Conf. quæ ad Cap. III. Sect. I. § 1. annotata leges.

b) *Joh. Michaël*, inquam, t. t. *Paſt. Goslar.*, dehinc vero *Conſil. Conſiſt. & Inſpect. Magd. ac Paſt. Prim. ad b. Virg. Halenſis*, nuper demortuus; cujus *libri* ſex, *Antiquit. Goslar. Tomo Script. Rerum German.* uno, quem ſociata cum b. *Leuckfeldtio* opera A. 1707. fol. Frf. ad Mœn. evulgavit, comprehenſi, hanc nobis vitæ *Oſtorodianæ* partem f. 520. ſqq. exhibent.

c) *Chriſtoph, mein Sohn*, ajebat, *iſt ein Schalck, und will nicht folgen, wie die andern, und wird dich, liebe Catharina* (quæ Paſtoris ad S. Stephani erat filia) *wann ich nun einmahl das Haupt lege, in groſſe Noth und Fahr bringen.* Vid. l. c. *Heineccius.*

d) Nomen hujus oppidi *Sandio* debemus, ignotum alias, & indictum cæteris plerisque, ſi non omnibus.

functione demandata hinc excideret, porro aucta eſt præceptorum dogmatum vis, poſtquam pertæſus religionis patriæ in *Poloniam* inde prorſus conceſſit, ipſiusque *Socini* inprimis familiaritatem conſectatus eſt. In hac diſciplina enim, duce eodem facundiſſimo *Socino*, tam ſubito a) profecit, fundamentis jam ante poſitis, ut *Smiglenſi* cœtui *Anti-Trinitariorum* Paſtor maturrime præficeretur. Vnde *Racoviam*, in ſedem illam hæreſeos primariam, ſive ante, ſive poſt reditum, ut videtur, e *Belgio*, translatus, cœtum quoque iſtic infeliciter collectum gubernavit inter primos; a *Lubieniecio* certe primus omnium ejus Eccleſiæ Antiſtitum, & proximus ante *Petrum Statorium*, b) commemoratur. Hoc certe tempore, ſive pertæſus diuturnioris in *Polonia*-moræ, ut conjicit *Heineccius*, ſive intempeſtiva proſelytos faciendi cupidine, aut, quod veriſimillimum, totius ſocietatis conſilio ad propagandam hæreſin, data occaſione ex moderamine vitæ & ſtudiorum juvenum quorundam e nobilitate *Polonica*, peregre abeuntium, receſſit A. 1589. in *Belgium*, *Voidovii* c) comes & conſiliorum conſors, interque Reformatos latitans, ſemina impii dogmatis *Sociniani*, ceu Cap. I. dictum eſt, ſparſit, atque plures mox affectatores invenit. In quibus cum certum ſit *Sonerum* noſtrum inprimis commemorandum eſſe: d) ita dubium eſt, utrum, quod alii perhibent, etiam *Jacobum Arminium*, Amſtelodami tunc adhuc degentem, in has partes aliquo modo inclinarit. Minus certe nobis id videtur probabile. Prorſus enim aliam cauſſam *Petr. Bertius*, & quotquot originum *Arminianiſmi* meminere, eamque veroſimiliorem, e) allegarunt;

a) Multis tamen de rebus ſæpe dubitans, & epiſtolis ſcriptis *Socino* præceptori negotium faceſſens, ipſiusque etiam ſcripta in quibusdam emendans. Quod vel ex prima hujus ad *Oſtorodum* epiſt. A. 1595. *Smiglam* perſcripta, quæ *T. I. Opp. Socini* inter alias f. 444. ſqq. habetur, elucet.

b) *Hiſt. Reform. Polon.* L. III. cap. XII. f. 240. ſq ubi *virum eximie doctum & pium* vocat, male tamen *Goslavienſem* pro Goslarienſi, niſi error ſit typothetæ, appellat.

c) De quo conſule Cap. I. §. XII.

d) Conf. denuo Cap. I. §. XII. ſqq. fuſus hac de triſti origine malorum adductas & confirmatas obſervationes.

e) Lectionem videlicet accuratiorem *libelli* adverſus *Theod. Bezam*, cujus tit. erat: *Reſponſ. ad argumenta quædam Bezæ & Calvini ex Tr. de Prædeſtinatione in Cap. IX. ad Roman.* ſcripti, & ad refutandum *Arminio* a *Mart. Lydio* traditi: cujus *dum* ille *moliretur confutationem, argumentaque utrinque expenderet*, atque in eo labore *ſe torqueret ac fatigaret, victum* ait *Bertius*, *Orat. in obit. Jac. Arminii* recitata, & Opp. ejus præfixa, & *primum ſequutum eſſe ſententiam illam ipſam, quam oppugnabat*, ſeu oppugnare potius juſſus erat. Ex eo ſane tempore decretum illud, *Calvinis* ſcholæ asſeclis probatum, quod abſolutum vocant, in dubium vocare cœpit, & fundamenta *Remonſtrantium* ſententiæ *purioris* jecit.

runt; de qua re nunc non diſputabimus copioſius. Antequam iter hoc inierat *Oſtorodus*, edita inter prima deſertæ veritatis ſpecimina, jam pridem, Cl. *Heineccius*, baptiſmum ad *Sociniani* dogmatis ſolemnem profeſſionem eum Ao. 1585. ſuſcepiſſe, atque paullo poſt *Goslariam* rediiſſe, matrem inviſurum, narrat; quam ita occupaſſe, & decepiſſe blanditiis ſuis hunc impoſtorem, addit, ut filii dogmata avidiſſime & ipſa hauriret. Et quanquam anno eodem in *Poloniam* reverſus ſit, mox tamen ſubſequenti A. 1586. eo rediiſſe, matremque in errore admiſſo confirmaſſe, atque in alios quoque cives venena ſua diffudiſſe, idem *teſtis eſt;* quos vero, cum fuga ſibi conſuluiſſet, periculi metu, *Oſtorodus*, ad ſaniorem mentem reverſos *exiſtimat Heineccius*. Idemque plura de colloquio cum eo A. 1585. d. III. Junii in ædibus *Paſtoris S. Stephani* habito recitat, inque illo conſeſſu matrem quoque comparuiſſe, filium vero, ad materiam colloquendi proponendam invitatum, id detrectaſſe, & vix ac ne vix quidem, ad *L. de Deo* ut quædam a) diſſereret, pertrahi potuiſſe, *exponit*, matremque ſine fructu emendationis tum diſceſſiſſe e conventu, *obſervat*. Immo tantam fuiſſe fœmellæ hujus pertinaciam, ut, licet iterum iterumque cum ea ſtudioſe & placide actum ſit, erroris convincenda, fruſtra tamen omnes fuiſſe conatus, eamque parum a blasphemiis interdum abfuisſe, *narretur*. Hinc conſilium, de matre filioque in cuſtodiam liberaliorem dandis, captum eſſe, ne lues peſtifera ad plures traheretur, idem *refert*, ſed filium, indicio ejus rei per ſorores facto, in fugam ſe conjeciſſe, ſolamque matrem, vix ſeptem dies in cuſtodia habitam, ad frugem viſam eſſe redire, quæ palinodiam etiam coram conſeſſu ſacro ediderit, & publica quoque deprecatione pœnitentiam profeſſa ſit, *addit*. At minime ſeriam illam fuiſſe confeſſionem, mutatæ denuo mentis lugubrem poſthæc eventum, *ait*, edocuiſſe, productisque filii litteris b) de conſtantia matris impenſe lætantis *oſtendit*. Vbi porro, quemadmodum & ipſa, & tota familia, in qua potiſſimum ſorores numerabantur *Oſtorodi*, retractæ fuerint in eandem

hære-

a) Præter alia nonnulla, de ſtatu *Socinianorum*, præſertim in minoribus oppidis Poloniæ, feliciſſimo, & miniſtrorum Eccleſiæ, in obeundo munere, nullo vel parco ſalario ſuſtentatorum conditione, non ſine jactantia pronunciata.

b) Quam etiam, præter alia confirmationis argumenta, de domini ſui gratia certam eſſe in illis jubet, cujus interventu quoque liberationem eidem promittit indubitatam, & tandem, *Domaredeinæ* epiſtolam ſcriptam finiens, ſubſcribit: *Euer Sohn nach dem Fleiſch, Chriſtoph Oſtorodus, aber nach dem Geiſt euer Bruder in Chriſto.*

hæreſin, nec obſcure, a) fratrem quoque, *Johannem Oſtorodum*, in eadem retia pellectum e patria tandem abiiſſe, *indicatur*. Quæ deinceps actitata ſint, miſſis in hunc finem e *Polonia Goslariam Andr. Lubieniecio* b) & Joh. *Balcerovicio*, c) ejusdem erroris patronis, qui & epiſtolam, a tota *Synodo Chmielnicenſi* ad Senatum ſanctiorem *Goslarienſem* d) attulerint, pro dimittendis *Oſtorodi* conſanguineis, ſcriptam, pluribus illic expoſitum eſt: quæ nihil attinet in præſens repetere. Quæ vero decerpere hactenus inde placuit, eum arbitramur uſum præſtitura, ut intelligamus, quam ſubito pernicioſiſſima animæ lues dimanet in alios, quibusve artibus idem *Oſtorodus* in ſuas deinceps caſſes etiam *Sonerum*, conjuncta cum *Voidovio* opera, tam facile potuerit pertrahere, quave, h. e. haud diſſimili *Oſtorodianæ*, fraudulentia laborioſa *Crypto-Sociniani* noſtri cum pluribus ſodalibus ſemel in animum receptum erroris exitialis contagium communicarint. Quantum valuerit apud *Fauſtum Socinum* præceptorem auctoritate & amore, teſtes ſuperſunt epiſtolæ aliquot invicem ſcriptæ: quæ valde ſcrupuloſam arguunt *Oſtorodi* fuiſſe mentem, & liberiorem in ſentiendo, atque ab ipſo *Socino* magiſtro diſſentiendo, linguam & calamum, multamque eruditionem, cum facundia e) non ſpernenda, ac valetudinem f) denique imbecilliorem, qua affligebatur, produnt. Eandem quoque in cenſuris ferendis libertatem, ac δεινότητα, quæ

a) Sub initium ſane epiſtolæ *Socini* p. p. citandæ illud ſatis aperte affirmatur: in qua & *juvenis egregius atque eruditus* vocatur. De obitu ejusdem conferatur vita *Smalcii* ad A. 1595.

b) De quo *Sandius Biblioth. Anti-Trinit.* f. 89.

c) Qui civis erat & Senior cœtus Vnitar. *Lublinenſis*; ad quem ſcriptas reperies aliquot a F. *Socino* epiſtolas T. I. Opp f. 424. ſqq. Opulentum de reliquo fuiſſe & erga egenos beneficum, eædem epiſtolæ condocent.

d) Has litteras l. c. *Heineccius* integras typis excuſas exhibuit. In quibus A. 1586. d. 13. Septembr. exaratis, poſt capita doctrinæ ſuæ breviter repetita, vim omnem adhibitam, cum Chriſti manſvetudine ipſiusque *Lutheri* & *Brentii* aliorumque noſtratium Theologorum ſententia, pugnare illi docent, dimiſſionem deinde datorum in cuſtodiam rogant, idque & Deo gratum fore, & ſe nunquam oblivioni mandaturos, pollicentur, omniaque tandem officia viciſſim offerunt. Subſcripſere autem totius Eccleſiæ nomine, *Georgius Rebnicius* Miniſt. cœt. Cracov., *Martin. Czechovicius*, Miniſt. cœtus Lublinenſis, *Paullus ab Orgente*, Pocillator Regius in terra Ottelonenſi, *Joh. Laurentius* & *Katzenuerslin a Biberſtein*. Idem vero *Heineccius* illico huic epiſtolæ Refutat. ejusd. Germanicam, a Miniſtro quodam Goslarienſi adornatam, ſubjecit.

e) Itemque vehementiori, ad imprimendum, ex cholerici temperamenti & phantaſiæ viribus, quæ dicere & docere ſolebat, robore: de quo etiam reliqua ſcripta factaque luculenter teſtantur.

f) Vid. T. I. *Opp. Socini* f. 450. (b)

quæ in temeritatem fere proclivis erat, ſuperior epiſtola ad *Leuchsnerum*, aliumque *anonymum* fratrem, a) ſcripta, Germanica, & ſatis *imperioſa*, ſpirat. Ex qua etiam cum, *Altorphina Socinianiſmi* initia ab eo inprimis ſtabilita eſſe, dilucide conſtet, vel hoc nomine procul dubio in *Crypto-Socinianorum* noſtrorum epiſtolis toties laudatus citatusque occurrit, tanquam vir de factione illa totaque ſecta unus omnium meritiſſimus, proptereaque *Sonero* non minus, quam, qui e ſchola *Soneri* prodierant, fratribus, longe chariſſimus. Non aliæ profecto cauſſæ fuerunt, cur celeberrimæ, & in uſum Germanorum b) ſcriptæ, atque ingenti copia eapropter in Germania diſſeminatæ, *Inſtitutiones* (Vnterricht von den vornehmſten Hauptpuncten der Chriſtl. Religion,) cæteris c) lucubrationibus ab ipſo ſubjunctæ, & a juvenibus noſtris tanti habitæ fuerint. Has enim plerique, uti poſtea compertum eſt, perlegerunt, ab aliis ſibi traditas, complices, vel ipſosmet poſſediſſe, ac deinceps reddidiſſe, obſervavimus: quarum etiam aliquot exemplaria tandem Vulcano conſecrata ſunt. d)

 Cur

a) Forte *Leimerum*, uti ſupra conjecturam fecimus. Non enim diſſimulamus, poſtquam tantam documentorum privati litterarum commercii jacturam fecimus, ut diſparuerint, quæ lucem forte affundere poſſent, epiſtolæ, & plerasque male ſibi conſcii ipſi poſſeſſores aboleverint, multa adhuc in hac *Crypto-Socinismi* Hiſtoria κρυπτικὰ ſupereſſe.

b) Verba ſunt ipſius *Oſtorodi: So hab ich meinen lieben Lands-Leuten zur Warnung für ihrem ewigen Vnfall, und zur Vnterrichtung zu ihrer ewigen Wolfarth, dieſe Arbeit auf mich genommen &c.* Præf. †. 2. (b) edit. Racov. 8v. A. 1604.

c) Præſertim contra *Tradelium* lib. adverſus *Divinitatem Jeſu Chriſti* ex officina *Racovienſi* publicato, & Germanica lingua ſimiliter ut Inſtitutiones conſcripto. Qua de cum *Tradelio* concertatione, & cur *Georgii* patris libellum confutandum ſibi ſumſerit *Oſtorodus*, plura dicenda haberemus, ſi ipſum ſchediaſma illud *Tradelianum* præſto eſſet. Nunc ubi obſcura ſunt omnia, liceat nobis breviſſimis conjicere, opuſculum illud *D. Georgii* (non *Johannis*) *Tradelii*, JCti & Conſiliarii Auguſtani, Senioris, titulo præfixo: *Judicium und Ableinung über eine erſchröckliche Arianiſche in Polen ausgegangene Schrifft*, Frankofurti A. 1596. 4to excuſum, *Oſtorodo* vel eo ipſo tempore, quo filius *Tradelii Belgium* peragravit, quod ſequenti anno, finitis *Altorphi* ſtudiis Juridicis, fieri cœpit, traditum, illumque militem glorioſum haud dubie ad refutationem provocatum eſſe, vel MSSta alia opuſcula a *Sonero* aut filio eum accepiſſe, quum is *Altorffii* & *Aureliis*, *Caſparis Tradelii*, filii *Georgii*, intima amicitia uſus eſſet; reliqua vero inpoſterum diligentius exquirenda tantiſper ſeponere. Hoc certum eſt, eodem prope tempore & *Sonerum* & *Tradelium* Jun. in *Belgio* & *Gallia*, quemadmodum *Altorphi* familiares erant, in Philothecis quoque amicitiam mutuam teſtati, oberraſſe, *Oſtorodumque* ſcriptum illud contra *Tradelianum* recens Germanicum in Batavis adornaſſe, cui etiam MSStum hujus Refutationis ablatum fuiſſe conſtat, in Poloniam autem reverſum demum prælo ſubjeciſſe.

d) Quæ alia ſuperſunt de *Oſtorodo* commemo-

Cur *Paſchaſii* nomen impoſitum inter Neo-Socinianos geſſerit, planum eſt ex linguæ *Germanicæ* uſu, in qua feſti *Paſchatis* Germanicum nomen originem permutationis aperit. Cæterum vitam cum morte eum commutaſſe, antequam conſortium illud infeliciſſimæ ſocietatis *AltorphI* coaleſceret penitus, nemini ignotum eſt; licet, quo anno ad plures abierit, (ſuperſtitem autem A. 1607. adhuc fuiſſe ſupra deſcripta epiſtola docet) certo definiri non poſſit. Anno quidem 1612. defunctum eſſe, probabili collectione inde effecimus; quod, cum in carcere horum deinceps quidam hærerent, ante annos quatuor illi eum diem obiiſſe affirmarent, atque hinc de non nemine, utrum commercium cum eo litterarum habuerit, nec ne? veriſimile id ſibi non videri, argumentarentur. Sed poſtquam in *vita Smalciana* d. 1. Januarii A. 1612. *nuper* admodum diem obiiſſe, obſervavimus ſcribi, certius jam A. 1611. ad plures abiiſſe, hoc teſtimonio confirmati, aſſeveramus. Quæ vero ſunt reliqua, alii excutiant. Nobis enim ordine ſic poſtulante tranſire animus eſt ad litteram

P.

§. XXXV.

Vbi, qui in fronte poſitus occurrit *Papa Romanus*, idemque *Saturni* inſignitus titulo, ingenium horum adoleſcentium arguit: Ejus enim erga filios, in gremium Eccleſiæ congregandos, mores truculentos, moroſitatemque aſperam, a) violentiæ non uno genere demonſtratam, nihil eſt, quod argute magis exprimat, quam *Saturni*, ut in fabulis eſt, filios ſuos devorantis immanitas. A quo vitio *Pontificem Romanum* denominare, hoc magis placuit *Socinianis*, quo acerbiori odio vim in cauſſa religionis quamcunque adhibitam pariter atque alia rigoris genera illi proſequuti ſunt, & vel hoc ſolo nomine *Arminianos*, eam ſimiliter ſummo ſtudio improbantes, ſummis in cœlum laudibus, inde a prima origine, extollere conſveverunt. Quam vero ob rem *addictos Eccleſiæ Pontificiæ* etiam *Patricios* appellarint, nondum aliam veriſimilem rationem reperire potuimus, quam *immodera-*

memoratu digna, litibusque, quas propter rigidam diſciplinæ Eccleſiaſticæ cuſtodiam, aliasque etiam cauſſas, cum fratribus ejusdem ſectæ aluit, ſchiſmati jam pæne *Buſcoviæ* juxta *Gedanum* inchoato, ſed poſt mortem *Oſtorodi* conſopito; præludentes, L. B. conferenti vitam *Smalcianam* rectius innoteſcent. Eaque cum ſit in calce addita, plenius commodiusque hæc addocebit, quam ſi per compendium inde huc transſcribere quædam animus eſſet.

a) Vt taceamus exactiones, quibus qui ſubſunt huic, ſi Diis placet, benigno patri, i. e. eorum bona & fortunæ, inſatiabili quadam habendi cupidine, devorantur & exhauriuntur.

moderatum cœcumque *in Patres* ſeu Doctores veteris ævi & medii, quos magis, quam ipſa fere S. Oracula, urgere illi aut potius crepare ſolent, amorem, tributamque iſtis, a *Socinianis* contra omni ſtudio impenſo imminutam, floccique habitam, auctoritatem. a) Niſi forte ad ipſius vocabuli *Papæ* notionem priſcam & communem Eccleſiæ Antiſtitibus, a *J. Diecmanno*, Stadenſi, Eccleſiæque patriæ dehinc præſule, laudabili induſtria diligentiſſime b) evolutam, atque ex *patris* communi ſignificatu illuſtratam, reſpexiſſe exiſtimes. Quæ, quia leviora ſunt, mittimus, & ad PEVSCHELII ipſius cognomentum venimus. *Strabonis*, & interdum, mutato etiam prænomine, *Felicis Strabonis* atque *Scheulepii* tegumento hunc fuiſſe obvolutum, & typus noſter prodit, & aliunde conſtat. De poſteriori non eſt, quod laboremus, cum apertum μεταγραμματισμὸν oſtendat initus diſpoſitusque recte elementorum numerus: unde etiam, non *Schrilepium*, ſed *Scheulepium*, confuſis a *ſcriptore Mölleriani exemplaris* litteris *ri* cum *eu*, vocatum arbitramur. Eamque confirmant conjecturam exemplaria alia, in quibus *Schrulepius* paullo magis accurate exſcriptum vidimus. Vtcunque hæc ſint, (raro c) enim anagramma iſthoc poſterius uſurpatum eſt) obſcurius certe eſt, utut uſu tritius, alterum *Strabonis* involucrum, quod diu animo revolventes, ex poſtrema tandem nominis *Peuſchelii* ſyllaba deducendum putavimus: *Schel* enim Germanis *Strabum*, ſeu diſtortis oculis hominem, ſignat, & quia nunquam cognitum eſt, aut a quoquam, quod meminerimus, obſervatum, d) corporis vel oculorum tali nævo laboraſſe doctiſſimum virum, facile hinc colligimus, ex ſolius nominis aliqua parte id recens agnomen effictum eſſe. *Felicis* autem alterum Hebrææ *Joachimi* notioni reſpondere, multo luculentius patet. Tantum de nomine. Ad

a) Qui contemtus antiquitatis tantus eſt, ut *Smalcius*, cum b. *Franzio* diſputans, inter vitia, quibus antagoniſta laboraret, hoc etiam ei objecerit, *quod ſæpe ad auctoritatem Patrum* (teſtimonia eorum interdum allegans) *confugeret.*

b) In Diſſertt. de *vocis Papæ ætate* duabus, eruditiſſime conſcriptis, & Witteb. 1671. ventilatis, dignis profecto, quæ præla denuo exercerent.

c) Vix enim unum alterumque exemplum occurrit, cum *Strabonis* cognomentum tritiſſimum eſſet, & fere perpetuum.

d) Effigiem autem ejus, ſive pictam ſive æri inciſam, omni induſtria inquirentes, nunquam adipiſci potuimus: quod brevitati vitæ, aut modeſtiæ ejus, eadem forte, quæ *Bellarminus*, *veterem hominem nimis eſſe deformem*, *novumque admodum imperfectum*, ajens, ſentientis, acceptum referimus. Certe plures fuiſſe, & inter eos nominatim, præter *Bellarminum*, *Eraſmum*, *Marc. Velſerum*, *Pinellum*, *Scioppium &c.* qui ſe pingi noluerint, ex Hiſtoriæ litterariæ monumentis ſatis notum eſt.

Ad *Socinifmum* a *Crellio* primum fuiffe addictum, & a *Ruaro* in errore corroboratum, ipfe fæpenumero profeffus eft; Ex qua etiam candida ipfiusmet confeffione deinceps cognitum habemus, quod fuperftes tunc adhuc *Sonerus*, re comperta, litteris eum commendaverit *Racovienfi* cœtui, ut in fraternitatis jura fufciperetur; *Crellium* autem profugum idem porro coram negotium actitaffe, litterasque hujus vinculi arctioris confirmati nuncias procuraffe, aliunde nobis innotuit. Fata autem eruditi hujus juvenis a) reliqua, inque cauffa præfenti peffima & infeliciffima, qua non tam *Straboni*, quam *cæco Tirefiæ* potius, comparandus erat, partim, quantum ad initia, jam funt enarrata in præcedenti *capite primo*, partim in *altero*, feu tertio potius proxime fubfequuturo, plenius defcribentur. Vt nihil adeo opus fit h.l. faftidiofe jam ante dicta repetere, dicendaque alia inconvenienter anticipare. Ipfius PHOTINIANÆ RELIGIONIS elogium itaque fatius eft, ordine elementorum fic jubente, in medium proferre, quam hifce diutius immorari. *Felicitatem* b) hanc dici a male fanis hominibus confveviffe, Onomafticum noftrum perhibet; neque defunt exempla, quibus, five folius erroris infrunito amore, five aliorum inftinctu & confuetudine, ita appellata fuit in familiaribus epiftolis. Hoc enim fenfu *Corn. Marci* A.1615. d.20. Septembris paullo ante memorato *Peufchelio*, fe *propter felicitatem* communi nomine amicorum miffum effe *Noribergam*, nunciavit, cum jam in eo effet, ut uterque de infelici illa felicitate rationem reddere juberetur, & fraus, diu in occultis latens, detecta propemodum effet. c) Sed pervulgata magis erat *veritatis* appellatio, quam miferi illi in teterrima hærefi fe inveniffe arbitrabantur: cujus vel ex *Ruari* epiftolis exempla, fi opus effet, conquiri poffent. Quæ tamen, quia obvia funt, nos non morabuntur. Eaque de cauffa nec opus eft, ut, quando amatores veritatis ipfi *Photiniani*, feu *Lucenfes* ab etymologia

a) Sed ex cholera quadam ad ambitionem resque novas valde proni, atque hinc etiam in errorem facilius pelliciendi. Hunc enim animi & temperamenti characterem omnes ejus actiones produnt.

b) Et quidem alio prorfus atque fingulari fenfu, quam ipfi cæteroquin *Socini* adftipulatores folent; quibus æterna illa, ad quam omnes adfpiramus, beatitas in cœlis, ἁπλῶς fic dicta, *Felicitas* audit: quo titulo præfixo fragmentum aliquod libelli affecti, fed non perfecti, operum *Crellii* agmen claudit.

c) Vtrum de reliquo hoc quoque cognomentum ex mero in deterrimam hærefin amore hominum, quorum ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος καρδία, ortum, an ex *Faufti Socini*, qui & *Felicem* fe aliquando *Turpionem* appellavit, formatum, eidemque accommodatum fit, non definimus.

gia nominis *Photini*, a) ἐκ φωτὸς derivati, dicti ſunt, id nobis negotium faceſſat.

§. XXXVI.

Dignior autem eſt, qui nos paullo magis occupatos habeat, atque proxime etiam in Indice noſtro ſuccedit, *Mich. Piccartus*, Philoſophus ille incomparabilis Peripateticus, obeſi corporis, ſed non obeſæ naris, homo, & mediocris fortunæ, ſi œconomiam reſpicias, ſi vero famam, maximæ *Profeſſ. Altorphinus.* Hujus enim, ut alia omittamus, partim ſupra jam commemorata, partim in vulgus nota, quia in Philoſophicis, Hiſtoricis atque Poëſi, plerorumque degenerum horum juvenum fuerat præceptor, pæne fama inter has turbas itidem periclitata eſt. Certe parentatori poſt fata argumentum præbuit peroranti, ut, ne crederetur, clam illum eadem, quæ homunciones illi, ſenſiſſe, ſtudioſe admodum demonſtratum daret. Quibus vindiciis ſane opus erat quam maxime, eo quod ad faciendam ſparſæ a malevolis calumniæ fidem *Soneri amicitia*, itemque amica ejus poſt mortem *excuſatio*, quomodocunque fieri poterat, & dum in dubio res eſſent, operoſe inſtituta, (cujus favoris ſuperius etiam protracta e tenebris *epiſtola* documentum præbuit) objiciebatur. Ad hæc accedebat *convictus Socinianorum* advenarum cum hoc percelebri Philoſopho noſtro perfrequens, atque cæterorum denique *Socini aſſeclarum* in ipſa *Polonia* maxima de præſtantiſſimo viro ob eruditionem *exiſtimatio*, quæ omnia, veluti indicia quædam (ut fit ſuſpicioſo tempore) haud contemnenda arrepta fuerunt, & exaggerata magnopere. Quam inique autem, aut certe perperam, ita judicarint obtrectatores, non ſolum *epiſtolæ* boni *Piccarti*, ad *Kirchmannum* familiariter ſcriptæ, indignationis in *Ruarum* impoſtorem, & cæteros ejusdem factionis ſodales, plenæ oſtendunt; ſed etiam ipſius *Ruari*, ab eo mature, poſtquam reſciverat, ob hæreſin accuſati & graviter objurgati, excuſatio condocefacit, quam non ſine cauſſa pergravi ſupra b) de novo & emendatius curavimus exſcribendam. Atque hinc de ipſo etiam collega *Sonero*, re ſatis comperta, aliter, quam olim de incompertis pius amor juſſerat, ſenſiſſe *Piccartum*, ſimiliter jam ante

 demon-

a) Cujus de vita & fatis, ipſaque etiam hæreſi, legatur inſtar omnium b. *Ittigii* Diſſertatio, quæ in *Heptade Diſſertt. ſelecta quædam Hiſt. Eccl. capita illuſtrantium* comparet, & Appendici Diſſert. *de Hæreſiarchis* ſubjecta n. VI. reperitur. Vbi & iſtum pro *Photino*, ſi non ab ipſo *Athanaſio*, a *Lucifero* tamen *Calaritano*, non filium *Lucis*, ſed *Scotinum*, tenebrarum, eum appellatum olim fuiſſe, obſervat.

b) Cap. I. §. XXXI.

demonſtratum a) eſt; pluraque hujusmodi *tertio capite*, de convictoribus, poſthac etiam circumſpectius ab ipſo recipiendis, commemorabuntur. Ad ſummam tandem rei quod attinet, nihil invidiæ potuit, certe non debuit, bonæ diſcipulorum ſalubriter inſtitutorum deſertio diſciplinæ, aut Philoſophiæ nefaria abuſio, conflare magiſtro; quandoquidem & ſceleratiſſimi hæreticorum optimos præceptores nulla non hominum ætate ea contumelia affecerunt, b) ut, cum ipſi degeneraſſent a præclara doctrina, adverſariis obtrectandi materiam, quaſi ex præceptorum ſcholis venena hujusmodi hauſisſent, objectum fuerit. Quæ & *Apoſtoli* Jeſu Chriſti probra jam olim a ſe amoliri ſategerunt. Nec denique ſalutatio, ſæpius in litteris ei adſcripta, aliquid momenti ad præſens negotium affert; ut potius gratam auditorum erga doctorem voluntatem oſtendat: quibus officiis *J. Tarnovium* quoque, *G. Queccium*, *G. Königium*, *C. Busſium* & alios cohoneſtarunt. Immo univerſe *Ruarus*, *cum multis amicitiam ſe religioſe ſervare*, ad *C. Bergium* perſcripſit, c) *quos capitales eſſe hoſtes ſciat illius ſenſus, quem in religione ſequatur.* Quanto minus itaque ea humanitas præceptori præſtita invidiam ei concitare debebat? Recte ergo & laudabiliter in *Piccarti mnemate*, ſeu *memoria Piccarti* ab oblivione vindicata, d) *Frid. Rochſius*, Pratenus: *Pium*, inquit, *Piccartum noſtrum, quantum humanæ ac miſerrimæ hujus naturæ fert imbecillitas, fuiſſe, extra omnem dubitationem, quicquid malevoli etiam homines dictitent, puto poſitum. Domi enim non tantum ipſe, ſummo cum ardore,* quo-

a) Eod. cap I. §. XXXII. ſqq.

b) Nec ipſorum *Apoſtolorum*, immo nec *Chriſti* etiam ſcholas immunes fuiſſe ab hoc ſiniſtro eventu, ſacra oracula docent: qui tamen ut ipſi doctrinæ non noceat, niſi per calumniam accuſatæ, Joh. vel ep. II, 19. oſtenditur. Eccleſiaſtica contra antiquitas multo plura exempla ſubminiſtrat, & poſt *Simonis* defectionem, *Tatianum*, Juſtini M. auditorem, *Origenem*, Clem. Alex. diſcipulum, *Aëtium*, poſt Paulinum Antioch. etiam Athanaſio operam dantem, *Neſtorium* item, Diodori Tarſenſis diſciplinæ alumnum, aliosque optimæ notæ magiſtrorum degeneres diſcipulos, ut Lutheri *Wicelium*, *Storchium* & ſimiles, Philippi *Lælium Socinum*, *V. Strigelium*, *Pezelium* &c. P. Eberi & collegarum *Val. Weigelium*, ipſius denique Jac. Andreæ *Jo. Jac. Grynæum*, exhibet.

c) Part. I. epiſt. XX. f. 137: Vbi amplius non ſine joco *Catholiciſmum ſuum*, *latius quam Bergii patentem*, *qui homouſianos tantum in amicum fœdus recipiat*, jactat, & alios etiam *omnes*, *qui capita Chriſtianæ fidei*, *quæ pauciora* ipſe *longe*, quam Bergius *cenſeat, teneant*, & *vitam ſecundum regulam Evangelii componant*, *fratres ſe ſalutare*, addit.

d) Recitata & typis impreſſa *Altorphi* A. 1620. 4to. Quo anno, jam ante amiſſo pæne oculorum uſu, (uti ex epiſt. *Jan. Gruteri* in *Amœn. litter.* Cl. *Schelhornii* excuſa didicimus,) d. 3. Julii vir optimus, ſed corpore obeſiore turgens, apoplexia correptus ætat. A. 47. deceſſerat.

quotidie ſacris incumbebat litteris, ita, ut ſacra Biblia quinquies ab illo perlecta & relecta ſint, ſed ſuos eo adigendos bene ſciebat. Conciones publicas, quantum ob membrorum imbecillitatem potuit, frequenter cum ſuis viſitabat. Sacra Domini cœna more verorum Chriſtianorum utebatur, ut NB. SVMMA ILLVM INJVRIA AFFICIANT HI, QVI, ALTERIVS CVJVSDAM RELIGIONIS FVISSE SECTATOREM, PERHIBENT. *His publica*, addit l. c. Orator, *Reverendi admodum & CL. DN. Georgii Kœnigii, Eccl. hujus Paſtoris ac in Acad. noſtra Prof. digniſſimi, concione* a) *abunde eſſe ſatisfactum exiſtimo. Quæ enim quæſo hæc levitas, palam ad hanc ſe profiteri religionem, ceremoniis non tantum iisdem, ſed, quod maximum, eodem modo uti Cœna S., & in mente tamen aliam fovere opinionem. Non res hæ ludicræ, ſed, quæ ſalutem concernunt, maximæ, quibuscum jocari nemo, niſi cum animæ interitu, poteſt. Germanica fides illud in hoc usque tempus obtinuit, ut, quod loquatur, ſentiat. Virum jam hunc noſtrum Piccartum Germanicæ fidei omnium conſenſu fuiſſe, certo certius conſtat; abſtinere ergo a cogitationibus, ne dicam ſermonibus, talibus, ne ipſi in illam ipſam ſuſpicionem incurrere velint, longe fuiſſet melius.* b) *Sed hæc tranſeant &c.* Repetenda ea nobis videbantur plenius, vel ea de cauſſa, quod, tantopere calumniandi *Piccartum* multorum libidinem tunc invaluiſſe, hinc palam eſt, ut ex ſuggeſtu quoque in funebri oratione fuerit inſontis viri boni integritas vindicanda, &, cum ne ſic quidem, qui paſcebatur in vivis, livor poſt fata quieſceret, parentali etiam oratori negotium daretur, eadem iterum iterumque inculcandi, quæ pro *Piccarti* facere poſſent ſincera in pietate mente, & intemerato in doctrina vera ſenſu aſſerendo. Non equidem cum quoquam de pondere rationum ab oratore hoc adductarum diſceptabimus, in quibus pleræque & *Sonero* accommodatæ fuerant, eumque ab omni labe purgare olim videbantur poſſe. At, ſi cum prioribus, quæ a nobis adducta jam ante ſunt, argumentis ea conjungamus, &, quod præcipuum eſt, ipſosmet erroris complices conſtanter unoque ore *Piccartum* a ſocietate impii dogmatis immunem declaraſſe, cogitemus, c)

 non

a) Quæ tamen, cum aliæ multæ prælum expertæ ſint, excuſa, quod dolemus, in publicam lucem haud prodiit.

b) Quæ ex *Rochſio* deſumta in *Caroli Arndii* quoque P. P. Roſtoch. *Biblioth. Politico-Heraldica* f. 255. ubi, ut amoliatur a *Piccarto crimen diſſimulatæ religionis*, auctor occupatus eſt, κατὰ πόδα leguntur excerpta: ita tamen, ut nec ipſi diligentiſſimo *Arndio*, qualis iſta religio fuerit, cujus inſontem inſimulatum eſſe *Piccartum*, ait, videatur fuiſſe perſpectum.

c) Quorſum etiam pertinet notabilis illa *epiſtola*, ad quam *Ruarus Argentorato* tam

non reperio, quomodo ſine atroci injuria in meritiſſimum hunc acutiſſimumque Philoſophum ſuſpicio ejus rei amplius vel leviſſima cadere poſſit. Quibus vero ne hæc quidem ſufficient, illis commemorabile in Evang. Joannis Cap. I. comm. XIV. *Verbum caro factum eſt*, occaſione iſtius *Crypto-Socinifmi* affabre concinnatum carmen, & pium & elegans, a) commendamus, idque, cum confeſſionis inſtar ſit a præſtantiſſimo viro editum, ſi qui nihilominus contemnant, per nos licet, Anticyras navigent. Quod ſupereſt, *nigri Philoſophi*, differentiæ cauſſa, ne cum *nigro Theologo*, *Grauero*, confunderetur, nomen ei impoſitum cenſemus, non propter corporis aliquem nigrorem, de quo nihil exploratum habemus, b) ſed per alluſionem ad nomen *Piccarti*, cum nigra pice congruentis; cujus originis veritatem tanto magis probamus, ſi *Ruaro*, Saxoniæ inferioris idiomate vernaculo utenti, vocabulum nove efformatum acceptum ſit referendum. In his enim terris baccas etiam nigras ſylveſtres *pickbeere*, c) eadem de cauſſa, vulgo nominari, & venales proclamari, ſæpe audivimus.

§. XXXVII.

Quam alienum autem a *Piccarto* fuit commentum illud impudentiſſimum, quo, aliquid illi commercii interceſſiſſe cum immanibus *Socinianorum* erroribus, nonnulli perperam perhibebant: tam certum eſt, eum, qui proxime in Syllabo nominum ſubjunctus comparet, *Bernhardum* PLANERVM, in eorum numero ipſaque fraternitate, tanquam rite in eam aſſumtum, diu extitiſſe: de quo, quia alioquin minime cognitus ſed obſcuriſſimus eſt, explicatius quædam annotare lubet & decet. Fuerat nempe & hic *Norimbergenſis*, ex ſcholis civitatis ampliſſimæ in Academiam patriam translatus anno MDCVI d. IV. Octobr., atque Alumnei toties laudato ſodalitio, Procerum & Curatorum Vniverſitatis ſplendidiſſimorum munificentia

tam audacter & impudenter reſpondit, verbiſque graviſſimis *Piccartum* antea ſecum expoſtulaſſe fatetur. Quibus excuſationibus ſane effugiiſque & tergiverſationibus profecto opus non fuiſſet, ſi vel eadem ipſe *Piccartus*, quæ *Ruarus* cum ſodalibus, ſenſiſſet, vel clandeſtinæ molitiones ipſaque hæreſis haud diſplicuiſſent.

a) Quoniam partem aliquam inde decerpere commode non licuit, totum dedimus, *ad calcem* integri hujus operis inter ſupplementa typis excuſum: ubi L.B. ante Orationes *Vogelio-Peuſchelianas* requirat.

b) Obeſum enim corpore & pingui aqualiculo propenſo ſeſqui pede extante præditum fuiſſe accepimus, non nigrum aut fuſcum.

c) Quæ in noſtris his terris *die Schwarzbeere* nuncupari ſolent.

centia, adſcriptus. *Studia*, quæ ſectatus eſt, *Juridica* erant, cum *Philoſophicis* exercitationibus haud ſegniter continuata: ita, ut primum etiam *Baccalaurei* gradum, Decano *Joh. Prætorio*, Joachimico, ſibi collatum, a) non adſpernaretur: quem ſub finem anni MDCIX. a. d. XIV. Kalend. Januar. impetraverat. Eodemque anno, *Præſide* ſupra laudato *Jerem. Hölzlino*, de *variis amicitiæ generibus* diſputaſſe legimus: cui exercitio *J. Crellius*, tanquam amicus & contubernalis longe chariſſimus, attexuit non inelegans carmen, dignum utique, niſi prolixius eſſet, quod typis quoque repeteretur. Ex quo etiam teſtimonio benevolentiæ ſingularis maxima cum eo familiaritas, & prima inſuper hæreſeos ſuſceptæ, ex eadem nimirum amicitia haud dubie profluentis, origo genuina non difficulter colligi poteſt. Ex Academia patria b) A. 1614. in vere diſcedenti c) *Vogelio* his verbis ſua manu ſcriptis, & pietatem non fucatam ſpirantibus:

Wann ich hab GOttes Hulden
Was ſoll mir Menſchen Gnad:
Ein Chriſt muſs viel erdulden
Vnd iſt ihm doch kein Schad.

affectum ſincerum ſuumque in Deum amorem teſtatus eſt, & huic amico abſenti pulchre obſignavit. Ipſe vero media æſtate hujus anni inde demigravit, atque *Helmſtadium* conceſſit, d) comes & commilito, ſi recte conjicimus, e) *Georgii Richteri*, de quo paullo poſt pluribus diſſerendum erit, in ea Academia factus; poſtquam *AltorphI* adhuc ſolemni more f) in *fratrum* numerum cooptatus erat. In *Julia* vero *Vniverſitate* non multo poſt, & ſtatim anno ſequenti 1615., præclaram ſpartam ephori apud *Henricum Carolum*, Ducem *Brunſw. & Luneburgenſem*, *Henrici Julii* filium, adminiſtraſſe cognovimus; quæ res, niſi divina providentia obſtitiſſet, per infectam peſtifera hæreſi hujus tanti principis ephori mentem male admodum cedere

 potuiſ-

a) Competitore inter alios *Peuſchelio*, ſicuti ſupra cap. I. §. IX. recuſum nos docuit Programma.

b) Vbi inter *auditores* eum *ſuos* non ſine laudis ſignificatione numeravit A. *Dinnerus* Richter. Epiſt. f. 659.

c) Etenim h a. d. 23. Aprilis amici cujusdam *Andr. Aimoldi* Philothecæ nomen cum inſcriberet, *abiturientem* id ſe officium præſtitiſſe addidit.

d) Vbi d. 12. Julii, Pro-Rectore *Henr. Boëthio* Theol. D. & P. P., in civium Academicorum numerum receptus eſt.

e) Qui tamen ad alia quædam loca divertens d. 23. demum Octobris iſtic appulit.

f) Sic enim teſtati ſunt fratres cæteri, ea de re interrogati.

potuiſſet. Præcipue, cum, tanta iſtic vixiſſe pertinacia in errore animo ante concepto, exploratum nobis ſit, ut, cum adiret officium illud ſibi demandatum, cum *Leimero*, ejusque opera interveniente, cum cæteris etiam ſodalibus: *Vtrum ad S. Synaxin accedere posſit*, a) deliberationem denuo inſtitueret, litterisque ſcriptis, ſe hucusque æque ac cæteros, abſtinuiſſe, non obſcure proderet. Quid reſponſi tulerit, equidem, cum epiſtolæ illæ interciderint, ignoramus: Id vero conſtat, laudatum Principem, fidei ipſius concreditum, in eadem Academia A. 1616. matura morte b) deceſſiſſe, fortunarumque *Planeri* mutationem haud levem hinc conſequutam eſſe. Qua vero porro fortuna illic locorum uſus ſit, colligere accurate non licuit; præterquam, quod in epithalamio, nuptiis ejus cum *Mar. Magd. Nösmannia* A. 1622. in patria celebratis, conſecrato, *Georgium Remum*, JCtum & Conſiliarium Reipubl. Noriberg. toties jam laudatum, ſerto aureo tempora ipſius *Lyceum Julium* cinxiſſe, h. e. honores Doctoris in utroque Jure c) ex eadem Academia *Planerum* ſponſum retuliſſe, obiter commemorare obſervavimus. Ex quo carminum faſciculo, eodem hoc anno *Advocatum Norib. Reipubl.*, & ex Philotheca quadam, *Conſiliarium* quoque *Würtenbergici Principis* creatum, atque A. 1643. adhuc in vivis ſuperſtitem in patria fuiſſe, intelleximus. d) De opinionibus *Socinianis*, poſt primam illam deceptionem tandem etiam derelictis, e) nihil eſt, quod dubitemus. *Lapneri* autem adſcititium cognomen, ex trajectione litterarum leviori, & *Delii* alterum

a) Haud dubie ſuſpicionis evitandæ, invidiæque, ut facile præſagiebat animus, declinandæ cauſſa.

b) Quæ divina haud dubie fuit, ne contaminaretur eodem errore, & provida pro ejus aliorumque ſalute, cura.

c) Atque hinc etiam: Vtrum Diſp. ejus fuerit inauguralis ea, cujus idem *Remus* copiam fecit *Andr. Dinnero*, non definimus. Vid. interim *Dinneri* Epp. *Mantiſſ.* III. *Richterianis* adjunctæ f. 659. Non tamen videtur fuiſſe auſpicalis, ſi circumſtantias temporis conſideres: quia epiſtola hæc p. p. Jubilæum Evang. Eccl. primum ſcripta, honores autem iſtos poſt id tempus ſerius *Planerus* videtur adeptus. Sed parum refert hæc operoſe diſquirere.

d) Immo vero adhuc A. 1649. rebus maximis adhibitum eſſe, & forte e patria (ſic ſuſpicamur) antea in *Würtenbergicum Ducatum* omnino commigraſſe, exinde colligimus, quod nomen ejus præcipuis poſt pacem *Monaſterio-Oſnabrugenſem* transactionibus, quas *Dux Würtenbergicus* cum *Conſtant. Epiſc.* procuraverat, inter *Würtenbergicos miniſtros* aulicos, nominatim in compoſitione cauſſæ *Ravensburgenſium* cum Carmelitis, controverſiæ notiſſimæ, A. 1649. d. 25. Maji ſeu 4. Junii ſubſcriptum legitur.

e) Quo referenda videtur conſultatio illa cum *Peuſchelio* quæſita; de qua vide C. IV. §. XI. &c. Vnde *Jenæ* etiam, aut *Wittebergæ* potius, ad tempus vixiſſe colligimus.

rum, ex Græco δῆλος, quod *planum* apertumque notat, ortum habere, cum nemo ambigat, nihil nos morabuntur. Quamobrem eo quoque miſſo ad *Martium Piſonem* h. e. *Thomam Piſecium a Martowice* accedemus, hominem *Polonum*, a) ſeu potius gente *Sileſium*, & genere pariter ac meritis de eadem hæreſi nobilitatum, noſtrorumque *Neo-Socinianorum* patronum maximum. Nomen ejus gentilitium in formam Romanam, ad patriciam, celebremque inter *Quirites*, *Piſonum* familiam alludendo, inflexum eſſe, apertiſſimum eſt. Alterum enim ipſe ſonus *Piſecii* indicat, alterum vero prædium *Martowitz*, quod incoluit, ei peperit. At cauſſa eum quoque inter cæteros in collocutionibus commemorandi latet. Si quid conjecturis tribuendum, cur mentionem hujus viri nobilis in litteris fecerint noſtri *Neo-Photiniani*, non tam ſcripta in cauſſa fuere, quæ perpauca celebrantur, quam vicinia loci jam ante nominati, ubi habitabat, & affinitas *Crellii*; niſi hæc, ut arbitramur, aliquanto poſt, & A. 1616. demum, per matrimonium cum ſororis *Piſecii* filia b) initum, coaluerit: quod tamen familiaritas diu antegreſſa promovit. Litteris ergo ultro citroque mittendis, c) præter libellos quosdam d) in lucem editos, ejus noſtris inſerviebat tyronibus opera, atque hinc tam frequens grataque memoria fuit. Si quæ ſunt alia notatu digna, quæ pauca ſunt, *Sandius* de illis conferri poterit, eamque ob rem nihil eſt, cur longi ſimus. Nec *Nolopiæ* nova appellatio ex *Polonia*, per μετάθεσιν elementorum conſvetam, formata, *Polonique*, *Nolopi* hinc dicti, nos morantur. Vtrum vero a *planitie* locorum (eſt enim minus hæc terra, quam aliæ, montoſa) an campi uſu, quem *Socinianis* præſtitit, in quo eorum improba diligentia ſe exerceret, idem *Regnum* nuncupatum ſit *Campania*, vel a bellicis denique in aperto campo ſtudiis, e) in medio f) relinquimus. Supplementi enim loco *Pelargus*

a) Quo idiomate etiam nomen ſuum *Thomas Piſecki* ſubſcripſit libris a ſe editis.

b) Ex conjugio cum *Sim. Piſtorio* genita.

c) Vid. hoc cap. II. §. 51. ea de re obſervata.

d) Inprimis *Reſponſ. ad decem rationes Edm. Campiani Jeſuitæ*, quæ A. 1610. e typographeo Racovienſi *Sternaciano*, forma 12. prodierat, & *Jacobo Sieninsky*, patrono communi, dedicata fuerat.

e) Ita *Polonos* quoque, *Campanos amicos* vocavit *Ruarus* Cent. II. Ep. IX. f. 63. Quæ vox in *Peuſchelianis* epiſtolis frequentiſſime reperta fuit.

f) Cur enim *Poloniam* cum *Campania*, ſive Italorum ſive Gallorum, comparare, eaque de cauſſa hoc illi nomen imponere voluerint, niſi ob fertilitatem haud diſſimilem, nondum aſſequimur. A *Campano* autem illo, de quo infra §. XLVI. diſſeremus, veluti doctrinæ ejus alumnam, ita cogno-

largus a) potius commemorandus eſt, quem *Ciconiam* dicere placuit: & *Dav. Pareus* b) huic addendus, *Palatinorum Theologorum fulcri* titulo interdum inſignitus. Quorum hic, quia *Vorſtio* inprimis gravis erat, ſive corripiendo, ſive ad ſaniorem mentem revocando, c) & a *Gittichio* quoque fuit oppugnatus, d) tum ob alia ſcripta celebria, citatus haud raro fuit. e) Prioris vero cur meminerint ſæpius, non una hac tempeſtate cauſſa reddi poteſt. Etenim non ſolum notum eſt omnibus, a profeſſione doctrinæ *Evangelico-Lutheranæ* ad Reformatam tandem f) eum deſciviſſe; quam etiam ob rem plurimum illi litis tunc interceſſit cum *Conr. Schlüſſelburgio*, *Fr. Balduino* & *Dan. Cramero* noſtratibus, *Compendio* præter alia *Theologico*, in editione altera ad novas opiniones accommodato, occaſionem huic συῤῥάξει dante. Sed etiam cum *Socinianis*, in vicinia virus ſuum diſſeminantibus, ſæpe quoque concertandum eidem fuit, uti viva voce, ita ſcriptis quoque, quibus tam immani errori oppoſitis, *Admonitione* præſertim *ſeria*, g) quid ſentiret, expoſuit. Ad hæc quemadmodum vicinus admodum erat, addictis huic ſectæ permultis haud procul ab ipſo *Bobovici* habitantibus, ita coram etiam *Francofurti*, atque in agro circumjacente, cujus in ſacris Antiſtes, cum illis colloquendi, frequens

cognominatam eſſe, vel ideo dubitamus, quod alias nullam a noſtris hujus hominis mentionem temere injectam fuiſſe obſervavimus.

a) *Chriſtophorus*, inquam, Svidnicenſis Sileſius, S. Theol. D. & Acad. Francof. ad Oderam Prof. primarius, Eccl. item *Paſtor*, atque generalis totius Marchiæ *Superintendens*.

b) Is, de quo ſupra jam dictum eſt, *Theologus Heidelbergenſis*.

c) Conf. *Epiſt. Gothanas*, a S. Rev. Dn. *D. Cypriano* in lucem publicam datas: interque eas illam cumprimis, quæ n. LXIII. f. 103. comparet.

d) Vid. ſupra cap. II. §. 28.

e) Inprimis vero bilem moverunt *Socini* affectatoribus, quod, cum moderatior ante videretur *Pareus*, duriorem & concitatiorem animo ſe factum eſſe, publicitus demonſtraverat in *Dedic.* ſupra jam laudata *Comment. in Epiſt. S. Paulli ad Romanos* A. 1613. Heidelb. forma quadruplic. chartæ editi utpote quem *Illuſtri Senatui Gedanenſi* non tantum inſcripſit, ſed ejusdem quoque curam in reprimenda hæreſi *Sociniana* magnopere prædicavit, atque *Oſtorodum* tanto nocentiorem, quanto propius civitati laudatæ adhabitet, & popularius ſermones miſcere poſſit, atro carbone, præter cæteros, notavit.

f) Cum jam hoc tempore A. 1614. ſq. vacillare cœpiſſet. vid. *Caroli Memorab* ſec. XVII. L. II. c. XV. f. 338. ſq. Vnde & infra cap. III. *Vogelium* ab eo in primo acceſſu difficulter admiſſum eſſe, quod exploratorem eum crederet, *Hutterus* memoriæ prodidit.

g) Quæ lucem hanc adſpexit A. 1605. Lipſ. 8v., antequam jam ſuperiori ſeculo A. 1593. *Inſigniora teſtimonia* de Trinit. e V. Teſt., & A. 1592. *Reſp. ad lib. Arianorum*, cujus titulus erat: *Argumentorum pro trino & uno Deo omnium examinatio*, evulgaverat.

frequens occaſio oblata eſt; quam ambabus iſti manibus amplecte-bantur: quum non ſolum haud vulgariter eruditum in humaniori etiam litteratura crederent, ſed (quod inprimis magni faciebant) procliviorem quoque cæteris, ad mitius de diſſidentibus judicium ferendum, invenirent. a) Tanti certe inter eos propter inſignem hanc cum eruditione conjunctam moderationem habebatur, ut vix *Ruarus* (quemadmodum & *Vogelium* tandem eum inviſiſſe, ex *Philotheca* apparuit) illac tranſiret in *Poloniam*, quin identidem *Pelargum* reviſeret: qui & prudentiam iſtius Theologis aliis imitandam, qua *minori cum ſtrepitu terrarum orbis ad Evangelium converti potuiſſet*, determinato alicubi commendat, eoque ipſo ob conſilia unionis præpoſtera ſibi charum fuiſſe, b) non obſcure teſtatur. c)

§. XXXVIII.

Sed ſatis de his dictum putamus, & velut in transcurſu. Adeundum eſt, quod ſubſequitur elementum fœcundiſſimum

R.

In qua primum ſerie & principem dignitate locum haud injuria tenet ipſa RACOVIA, d) *Cavaria* (de qua tamen voce, utrum recte

a) Huc ſane conſilia *Pelargi* potiſſimum tendebant: uti ex ſcripto perquam luculento *Joh. Bergii* hyperaſpiſta ejus, *Becmannus*, libro mox cit. f. 129. ſqq. oſtendit, & multa quoque alia, cur male cæteris audiret, eo tandem rediiſſe, (ſi quis mutuas concertationes legat & appendat,) quod *Philippi* nimirum ſcholam hac quoq;in parte redoleret, demonſtrant. Quanquam etiam ſint, qui in gratiam *Calvino-Reformatorum* quædam eum, ut beneficia nonnulla conſequeretur, quibus opus habebat, conceſſiſſe, ipſumque Comp. Theol. A. 1616. eo inflexiſſe, non minori veriſimilitudine affirmarint, idque ex epiſt. *Dan. Crameri*, in *Caroli Memorab.* ad *A.* 1614. f. 339. ſqq. recuſa, probare conentur. Vbi quæ de *RegeSveciæ* cum eo collocuto narrantur,inprimis legi merentur.

b) Ita ſcil. factum, ut, qui *ſe Lutheranis ſordere*, & *non placere ſuis*, alicubi ſcripſerat, tandem *Socinianis* in pretio eſſet. Mira profecto ſors, ſed haud inſolita inter eos, qui ambidextri magis, quam veritatis rigidi ſatellites audire volunt, ut, quando omnibus gratificari ſtudent, cunctis ingrati reddantur.

c) Ad *Ciconiæ*, pro Græco *Pelargi*, ſubſtitutum nomen quod attinet, tanto minus nobis id curæ eſt, quo clarius ejus permutationis origo patet. Quemadmodum vero *Græcum* ex *Germanico* cognomento, cum majores illius adhuc in agro *Glogavienſi* habitarent, ortum ſit, & avito *Biedermanni* ſucceſſerit, ejusque imponendi occaſio ex proceritate ſtaturæ *Chriſtophori* cujusdam, atque *Ciconia* in ædibus ejus nidificante, antehac ſumta ſit, fuſius *J. C. Becmannus* in vita *D. Pelargi*, *Notit. Vniverſ. Ff. ad Oderam* C. VII. f. 123. inſerta expoſuit; ubi vitam plenam fataque univerſa pluribus deſcripta, ſi placet, legere licet.

d) Mediocre oppidum in *Polonia minori*, & Pala-

fcripta fit, dubitamus, & mallemus *Covaria* reponere) itemque *Verona* in clandeftino fcribendi genere nominata. Coloniam a) *Socinianorum* id oppidum fuiffe ad annum usque 1638., nemo ignorat, tantaque interdum celebritate floruiffe ferunt, ut ftudioforum, ex univerfa *Polonia* iftuc confluentium, b) atque ibi commorantium, frequentia millenarium numerum fæpiffime æquaret. Vt omittamus *Synodos* quotannis illic ordinarie c) (alibi enim & extra ordinem & non ita frequenter congregabantur) a *Socinianis* habitas, fcriptaque ex *typographia Rodekiana*, deinde vero *Sternaciana* d) fumtibus totius focietatis aut nobilium liberalitate, excufa evulgataque, & ipfas prælectiones denique felectas; de quibus fuperior *Crellii* ad matrem epiftola teftari poteft. e) Neque tamen etiam incognitum eft, qua ratione

& Palatinatu *Sendomirienfi* ad finiftram hujus urbis in arenofo admodum folo, uno a *Sidlovia* lapide, fitum, & a nomine gentilitio, uti *Lubieniecius* refert, L. III. c. XII. Ref. Pol. Hift. uxoris cujusdam e *Gnojeniorum* ftirpe ortæ, ac ftemmate *Rak*, quod nomen Polonice *cancrum* denotat, nuncupatum. Cujus fundamenta A. 1569. idem pofita effe ait, *agrumque*, perinde uti fupra *Crellius*, tanquam *minus lætum*, fed *pratis* tamen, *fylvis*, *ftagnis* & *fontibus luxuriantem*, atque *temperato & falubri aëre*, *amœnoque fitu* confpicuum defcribit.

a) Seu *Armamentarium* potius, aut militiæ contra Ecclefiam Jefu Chrifti inftruendæ officinam, vulgo *der Waffenplaz*, dictam. Ipfi *Sociniani Athenas Sarmaticas* appellare non funt verecundati.

b) Nam & *Pontificios* non paucos liberos fuos inftitutionis cauffa in hoc *Gymnafium* mififfe, teftem habemus autorem *Præf. ad Opp. Exeget. Crellii* T. III. qui fine dubio *Wiffowatius* eft, *. 2. Quod etiam *Neophotiniani* noftri, hoc de nido interrogati, deinceps profeffi funt.

c) Cujusmodi in vita *Oftorodi* fupra jam commemorata eft, pluraque in Diario *Smalcii* infra occurrent exempla: ut eos conventus taceamus, quorum ad calcem Biblioth. Vnitar. *Sandianæ* facta eft mentio, celebriores & propemodum univerfales, quorum uni etiam noftratium aliquis tanquam legatus interfuit.

d) Qua de, ejusque inprimis origine, fcriptisque inde emiffis, plura commentabimur, in libro *de typographiis illuftribus & privatis*, propediem, D. V., publicæ luci exponendo.

e) Cum qua conferenda eft ea, quam ex MScto exhibuit in *Animadverf. Philolog.* Cl. *Creenius* P. V. f. 258. Vbi etiam de *Salariis* docentium, & nobilium quorundam fingularibus erga præceptores iftic docentes beneficiis, ipfisque adeo receptorum in hunc numerum munufculis datis, nonnulla lectu digna reperiuntur. Ex qua epiftola amplius, infimam, quæ alias dici folet, *claffem*, *primam* ibidem, ut alibi quoque fit, dici confveviffe, patet, & quæ fuerint etiam in inferioribus fubfelliis pertractata, *Logica* videlicet, *Rhetorica*, *Orationes Ciceronis*, atque *Exercitationes ftyli* & fimilia, elucet. Qua occafione denique, nobiles etiam quosdam v. g. *Lubieniecios*, *Schlichtingium*, *Rupnovium*, *Stoinios* & alios hujusmodi fuo fumtu Ecclefiam Polonicam, quæ a Germanorum cœtu diftincta erat, hunc vero, falario accepto, Germanos *Smalcium*, *Crellium*, *Stegmannos* &c. (coll. Cent. II. epp. *Ruari* num. XLV.) ordinarie docuiffe, monemus.

tione in Comitiis eodem illo anno, quem diximus, convocatis, occasione petulantiæ juvenum quorundam scholasticorum, h. e. studiis in Gymnasio incumbentium, adversus crucifixi imaginem lapidibus petitam confractamque exercitæ, decretum sit, scholam hanc diruendam, Ecclesiam *Socinianis* adimendam, typographiam tollendam, pastoresque ac Professores esse proscribendos. Eaque omnia brevi quoque tempore executioni fuisse data, hinc inde ab historicis memoriæ proditum est. Quæ quidem facta sunt, superstite adhuc *Jacobo Siennio* Sienninsky, a) *Racoviensi Toparcha* & *Podoliæ Palatinide*, qui ab A. 1600., deserta Reformata religione paterna, huic hæresi pestilentissimæ & ipse b) nomen dederat, nidumque illum, in quo tot mali corvi excluderentur, ultro illius asseclis concesserat. Quæ ut sint tanto clariora, compendium ex vita *Andr. Wissowatii* c) decerptum ipsiusque verbis dabimus: *Sequens annus*, inquit ejus scriptor, *trigesimus nimirum & octavus supra millesimum & sexcentesimum, Vnitariis, immo & cæteris recti æquique tenacibus viris, perquam funestus extitit. Eruitur tunc vero ocellus Poloniæ, asylum atque profugium exulum, religionis musarumque sacrarium: Ecclesia, Gymnasio, typographiaque* d) *Racoviensi sublatis. Damni irreparabilis occasionem dedit studiosorum quorundam protervitas, qui ligneam crucifixi imaginem extra oppidum sitam, lapidibus fregere. Hinc adversarii, adolescentibus (a parentibus ob petulantiam castigatis) libere missis, quam dudum quærebant, ansam calumniandi nocendique nacti, totam eorum, quos Arianos nuncupabant, adoriuntur societatem. Obruitur calumnia Siennius, Racoviæ Toparcha*, e) *cui læsæ divinæ & regiæ Majestatis crimen intentatur: simi-*

 liter

a) Seu a Sienno, *Johannis Siennii*, quem *Debnium* gente vocat *Lubieniecius*, Palatini Podoliæ, filio. De quo pluribus *Sandius* agit; de patre vero *Lubieniecius* ante dictus in *Hist. Reform. Polon.* f. 191. L. III. c. III. disserit. De utroque, quam sententiam in religione, & filius quoque, antequam *Socinismo* nomen daret, professi sint, nos quoque inferius agemus.

b) Matris præsertim ductu & instinctu, quæ, quamvis maritus alia sacra constanter sequeretur, *Socinianis* tamen nomen suum maturius dederat, & *Gregorium* quoque *Pauli*, primum *Racoviæ* Pastorem, *Cracovia* huc accitum, dudum receperat. Quo factum, ut & filio eum materno lacte in hunc gregem favor instillaretur.

c) In *Bibl. Sandianæ* Append., ubi f. 233. extat. Non quod hæc cognita haud sint, sed ne magni momenti historica hæc pericope, & fata singularia, quæ singularibus etiam somniis, ac veluti vaticiniis, prædicta esse *Sociniani* pertendunt, ex hac *Historia Crypto-Socinismi* a *Racoviensibus* inprimis sustentati, qui lampada deinde aliis tradebant, exularet.

d) Quam *Sebastianus* ille *Sternacius* adhuc gubernabat, Alexii *Rodekii* gener.

e) *Johannis* nimirum illius, de quo paullo ante, filius, *Palatinides* hinc vulgo cognomi-

liter scholæ professores & Ecclesiæ pastores, tanquam perpetrati facinoris auctores, juventutisque ad id exequendum stimulatores. Nihil contra valuit accusatorum innocentiæ suæ validis rationibus evicta demonstratio: nihil ipsius Siennii, senis septuagenarii, patricii, deque patria cum jactura patrimonii præclarissime meriti, cui tanquam patriæ patri in Comitiis regni sæpius acclamatum est, juramento *(ipsi, ut testaretur, se inscio hæc perpetrata esse,* a) *extorto) sancita purgatio: Nihil complurium ordinis equestris delegatorum, non tantum Arianæ (ut vocatur) sed Græcæ, & Evangelicæ, immo & Romano-Catholicæ religioni addictorum, contra extraordinarium & summarium, novo & inaudito in libera Republica exemplo, judicii hujus processum, sese opponentium, protestatio. Decernitur Warsoviæ in regni Comitiis (tertio, equestri nimirum, ordine, summo cum præjudicio, a caussæ hujus judicio excluso) scholam Racovianam esse diruendam, Ecclesiam Arianis adimendam atque occludendam, typographiam tollendam, Ecclesiæ pastores scholæque professores ac præceptores infamia notatos proscribendos. Quæ cuncta excutioni impigre mandata, brevi tristem habuere eventum.* Digna profecto, quæ hic repeteretur, περικοπὴ, quippe notabilis diuturnæ protervitatis periodum, ex quo tempore res eorum nunquam convaluere amplius, b) comprehensam strictim exhibens, eaque de caussa

gnominatus, vir pecuniosissimus, idemque Ecclesiæ atque Gymnasii in hoc oppido suo conditorum patronus & nutritor munificus: cujus filius olim nostræ etiam Academiæ Altorphinæ cum *Schlichtingio* suo civis fuerat. De eo, cum improvisa illa rerum vicissitudo fratres premeret, jurejurando interposito, nihil sibi cum hæresi illa commercii fuisse, religiose, ne infamia notaretur, confirmasse, narrant. Eadem certe venerandus *Lauterbachius* in *Ariano-Socinismo Polonico* cap. III. §. 7. f. 462. de sene hoc septuagenario A. 1638. in *Comitiis Varsoviensibus* ita gesta esse, explanate testificatur. Nos hisce in medio relictis, non multo post mortalitatem exuisse, anno nimirum 1639., brevissimis h. l. addimus. Vtrum vero, ut *Regenvolscius* in *Hist. Eccl. Slavon.* asseveranter ait, f. 258. *curis & mœrore fractus* diem suum obierit, non definimus, quia & ipsum quoque *Regenvolscium* non alio, quam conjecturæ ex calamitatibus sumtæ, fundamento niti, certum esse videmus.

a) Rem ipsam ergo non inficiati sunt, sed suo jussu & approbantibus Præsulibus id factum esse, negabant, libellum vero, cui titulus præscriptus fuerit: *Tormentum throno Trinitatem deturbans*; sub prælo tunc fuisse, eamque etiam disturbationis istius caussam extitisse, uti cæteri omnes, ita *Schlichtingius* cumprimis, in *Apolog. pro veritate accusata, ad Illustr. & Potentiss. Holland. & Westfrisiæ Ordd. Equitis Poloni* nomine *conscripta* & A. 1654. evulgata f. 42. sq. pertinaciter negavit, commentique auctorem *Jo. Lætum, Moravum, Compend. Histor. Leidæ* 1643. publ. scriptorem esse, asseveravit constanter.

b) Quas enim receperunt deinceps vires, illis nunquam ita, uti antea, tranquillis uti licuit, exiguaque, qua fruebantur, indulgentia, nova & solenniori (ut omittamus alia decreta) proscriptione A. 1658.

cauſſa κατὰ πόδα deſcripta. Quamvis enim nonnulla ex affectu in religionis hujus eorundemque ſacrorum ſocios profluxerint; pleraque tamen cum rerum *Polonicarum* cæteris ſcriptoribus eorumque narrationibus conveniunt, atque adeo fidem omnino pleraque merentur. Quod nunc *Racoviam* ornat templum, hanc inſcriptionem Lectoribus exhibet:

DEI VNIVS ET TRINI
Gloriæ
Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli
majoris & minoris Jacobi
Honori
ſacram hanc ædem
æternum
Proſcripta hinc Ariana impietate
Reſtitutoque Romani Catholici ritus cultu
Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. JACOBVS ZADZICK a)
Epiſcopus Cracov. Dux Seberiæ
Studio & opera poſthuma executorum
Amicorum
Erexit
Anno Salutis MDCXLV.
Precare bene Præſuli tuo tibique gaude
RACOVIA b)
Quod ubi Filium & Spiritum S. patre minorem
impie credebas
Ibi jam æqualitatem Trinitatis adores. c)

1658. finita eſt. De qua *Sam. Przipcovius* in epiſt. ad *Jo. Næranum*, Præf. Opp. ipſius antepoſita, conſuli poteſt.

a) *Regi* quondam & Reipubl. Polon. *a Secretis*, dehinc *Epiſc. Culmenſis*, ac denique inde ab anno 1634. *Cracovienſis*.

b) Obiter h. l. annotamus, ejectis *Racovia* Socinianis, *Andr. Wiſſowatio* potiſſimum duce & miniſtro, reliquias *Sociniani* cœtus priſtini in ipſo illo oppido ſuperantis, ipſamque adeo e conjugio ſecundo *Jacobi a Sienno* viduam cum ſuis, in *Radoſtow*, uno a *Racovia* lapide disſito pago, ſub patrocinio viduæ *Wilamiæ* e *Cikoviorum* proſapia, ad ſacra celebranda conveniſſe, donec A. 1652. *Radoſtovium* in *Seniutæ*, Pontificii hominis, poteſtatem jure hæreditatis perveniret, & ſacris hiſce illic quoque ſilentium imponeretur. Cæterum eruditis, qui *Racoviam* inhabitaverant, inde dilapſis expulſisque in *Volbinia* deinceps *Kiſſelinum* ad tempus receptum præbuiſſe, alios autem alio diffluxiſſe, commodiori loco exponemus.

c) Conf. *Staravolſcius* in *Monum. Sarmat.* f. 679. inprimis in vita *Zadzikii*, atque ex eo *Lauter-*

De reliquo non mirum, quid novos hosce Photinianos, tyronesque etiam nostros, moverit, ut ejus toties in litteris familiaribus recolerent memoriam, quoniam, quæcunque agerentur, eo a) perscribenda, atque rursus, si quid agendum suscipiendumque foret, exinde b) jussa quasi capessenda essent: utpote qui a capitum ejus sectæ, magna istic auctoritate & multitudine inprimis florentium, arbitratu plane penderent. Vt *fraternitatis*, si quis ejus particeps fieri vellet, hinc quoque porrigendam dextram sileamus, de qua alibi c) disserere constitutum est. Nomen *Veronæ* (alterum enim litterarum ordinem duntaxat commiscet) ex *veritatis persvasione* falsa & imaginaria de *uno Deo patre* ejusque *in Christo voluntate* a se recte agnitæ repeti oportere, in propatulo est positum. Quam etiam ob rem in his *Athenis*, quo nomine idem vitæ *Wissowatii* d) appellavit scriptor, *Sarmaticis* non moras trahemus diutius, sed *Valentinum Radecium* paucis spectabimus, & quum inter omnes constet, *Matthæi Radecii* e) Gedan. olim a secretis Reipubl. fuisse filium, eaque ætate, qua sunt clandestina illa novorum Socinianorum molimina actitata, in *Transylvania*, nominatim *Claudiopoli*, altera hæreseos sede celebriori, claruisse, alia de illo non annotabimus, præterquam, quod propter libellum de *modo & forma S. Eucharistiam administrandi*, qui ab eo jam tum in lucem editus erat, videatur commemoratus. Hoc enim ritu celebrare S. Cœnam ausos esse etiam *Altorphi*, atque alibi quoque eodem fuisse & ad eundem modum defunctos, ex superiori capite I. recordamur, alteroque subsequenti III. denuo hujus temeritatis mentionem faciemus. De nomine autem Græco *Pancratii* ex Latino *Valen-*

Lauterbach. in Fraustad. Zione P. I. Sect. I. cap. VII. p. 53. sqq. Cujus etiam *Poloniæ Ariano-Socinismum* consulere non pœnitebit.

a) Cum maxime floreret, caputque efferret insolentius.

b) Velut a matre & magistra cæterorum sodalium, ipsorumque cœtuum hinc inde existentium metropoli: a cujus nutu cum penderent fere reliqui, hic quoque aliquid *Racoviæ Romanæ* deprehendere licet.

c) Et quidem ad calcem capit. hujus IIdi, ubi epistolæ quoque huc spectantis exemplum sistemus.

d) Ad quam etiam *Wissowatianam* familiam, viduam certe *Wissowatii*, post *Jac. Siennii* mortem, quæ anno proximo post mutationem illam rerum supra commemoratam, uti dictum est, sequuta fuit, jure hæreditatis *Racovia* pervenit. Vnde & filium *Siennii*, de quo alibi exponemus, *Zbigneum*, ante patris obitum fatis, & mature quidem, concessisse colligitur. De quo etiam, post iter *Altorphium* susceptum, altum ubique est silentium. Quanquam de his forte plura ad *Diarium Smalcianum* annotanda occurrent.

e) A. 1612. nuper admodum *Racoviæ* d. 29. Martii æt. annorum 73. vita defuncti.

Valentini efformato, & ex Germanico *Radecii*, Græco *Eubuli* constructo, quod addamus, posita utriusque in aprico derivatione solita, nihil habemus. a) Plura vero de *Hermanno Ravenspergero* dicenda succurrunt, quippe inter *adversarios* præcipuum nomen adepto, atque hinc scriptis in utramque partem publicatis per id tempus inclarescente. *Siegena Nassovium* fuisse, jam ante nos Cl. *Möllerus* observavit. *Piscatoris* discipulum, ac proinde rigidiorem Calvinianum, in *Schönfeldii* schola Marpurgensi amplius formatum, Doctoremque Theolog. A. ætatis XXIII. rariori exemplo creatum, alii prædicant. Nostrum est, de scriptis adversus *Socinianos* vulgatis dispicere, quorum caussa congerrones nostros haud dubie ejus mentionem subinde in epistolis fecisse, ex indiciis haud vanis colligimus. In his duo inprimis celebrata sunt: Alterum *pro Divinitate Christi æterna* elaboratum, cum in schola *Benthemensi* jam docendi spartam nactus esset, quod: *Par unum sophismatum ad amussim veritatis examinatorum*, inscribitur, vindiciasque locorum a Socinianis vexatissimorum, Joh. VIII, 58. *Antequam Abraham existeret, ego eram*, & Joh. X, 30. *Ego & Pater unum sumus*, continet. Alterum vero *Vindiciarum S. S. Trinitatis mysterii* titulum gerit, & pariter atque prius *Steinfurti* excusum est. Quorum etiam prius ex instituto *Valentinus Smalcius* sibi examinandum sumsit A. 1614., ea simul discussurus, quæ de locis citatis *Jac. ad Portum* b) & *Georgius Rostius*, Rostoch., nostras, ille in *Confutat. Instit. Ostorodi*; hic in *Exam. Catecheseos German. Socin.* c) ex adverso monuerant. Posterius autem *Ravenspergeri* opusculum ad breve examen idem *Smalcius* revocavit, in *Appendice Refutationis Thesium Schopperi* nostri, eodem anno publicam in lucem datæ. d) In utraque vero harum confutationum ita versatus est, ut modestiam, si unquam alias, e) hic maxime

a) De patre enim jam ante dictum est, & plura in *Diario Smalcio* inferius commentari licebit, ubi & filii hujus semel iterumque fiet mentio; in Transylvania enim & Claudiopoli, ubi pastor erat Sociniani cœtus primarius, diem supremum A. 1630. ex *Sandii* conjectura, sec. *Lauterbachium* autem A. 1638 circiter, obiisse, satis constat.

b) *Lausoniens.* in *Bernensium* agro *Profess.* qui A. 1613. 4. librum mox citandum *Genevæ* emiserat in lucem non indoctum. Quid vero idem de moderatis in Theologia sententiis senserit, ipse *Conrado Vorstio* exposuit in epistola, quæ inter *Epp. Remonstr.* centesima & quinquagesima est.

c) Ed. vernacula lingua Tit. *Bericht von den neuen Photinianern* &c. Magdeb. 1614. 12mo.

d) De qua alibi jam dictum est, & porro differendi forte dabitur occasio. Hæ enim *Theses* prima hæreseos patefaciendæ occasio fuere.

e) Idem jam supra dicacitatis vitium notavimus, cum de *Wolffg. Franzio* lit. F. commentaremur: quippe in quem pari protervitate invectus est.

maxime desideres, quippe in quibus, nonnisi *puerilium*, *anilium*, *ineptientium* & similium disputandi *rationum* identidem fieri mentionem videas. Quanquam nec *Ravenspergeri* a) vehementia omnibus placuerit, atque hinc alter, jure talionis sibi uti licere, tanto probabilius existimaverit. *Sylvani successorem* appellatum esse, Index noster ostendit. Ratio autem novæ denominationis hæc fuit, quia ex *Nassoviensium Comitum* celebri Gymnasio *Herbornensi*, ubi Theologiam aliquandiu jam ante professus erat, evocatus *Steinfurtum*, paullo ante, in *Conr. Vorstii* locum subrogatus, abierat; posteaquam diu id munus, ob caussam *Vorstii* in *Batavis* adhuc ancipitem, vacaverat. Cujus vero tantum aberat ut partes tueretur, ut *Steinfurtum* ingressus deinceps non tantum successor, sed & antagonista, *Ravenspergerus* extiterit, caussamque Dei adversus decessorem peculiari scripto egerit & propugnarit. *Gröningensem* cathedram post hæc tempora ornasse, ibidemque vitam etiam A. 1625. cum morte commutasse, tanquam ab instituto nostro alienum, non est otium exponere fusius. Hoc vero prætermittendum non est, in litteris *Socinianorum* non solum *Vorstii successorem*, sed sæpius etiam a libello paullo ante commemorato: *Vnius paris sophismatum autorem*, nominari. b) Quam etiam ob rem de industria ejus hoc titulo insignitum opusculum distincte supra c) ut commemoraremus, adducti sumus. Cætera magni non sunt momenti; quæ proinde, quo minus ad alia progrediamur, nos nec prohibent, nec morantur.

§. XXXIX.

Proximus a *Ravenspergero* inter disputandum, cui impenso etiam deditus erat studio, *Grœningæ* fatis, uti p. a. dictum, defuncto, in onomastico nostro collocatur, primarius quidam, sed externus *Socinismi* adstipulator, at in confirmandis reliquis, immo etiam imbuendis errore *Altorphinis* nostris, strenuus adjutor *Matthias* RHAW, ignotus Cl. *Möllero* & forte pluribus aliis: de quo proinde, cujas fuerit, nobis incumbet, qua pote, diligentius edisserere. Gente *Transylvanum* fuisse d) accepimus, & patria, seu civitate, *Claudiopolitanum*, a prima item

a) Cujus etiam *obscuritas* quibusdam censuræ materiam præbuit. Adversarios certe non ea ex parte aggressus est, qua cum δεινότητι convinci possent, sed velitationibus suis ipsis quoque digrediendi campum aperuit.

b) In epistolis amœbæis, quas inter *Peuschelii* libros inventas esse, semel iterumque dictum meminimus.

c) Hoc ipso §. p. præced.

d) Ex sodalium confessione deinde edita, librisque amicorum nomina inscripta exhi-

item pueritia *Socini* placitis domi imbutum, immo etiam excitum procul dubio e patria, aliorum ſodalium, nominatim vero *Racovienſium*, ſuaſu, ut *Altorphinam Academiam* hæreſeos firmandæ & propagandæ gratia adiret. Vix enim adventaverat in hac Vniverſitate A. MDCXIV. d. VII. Februarii, a) quum ad amicitiam colendam, & cum iſtis homuncionibus familiaritatem ineundam paratus eſſet, interque primos etiam mox *præclaro illi ſeptenario S. Cœnam celebrantium* b) aſſideret. Idemque unus omnium maxime idoneus c) viſus eſt, qui deliberantibus *de Cœna Domini* frequentanda, nec ne? a *Leuchsnero*, quaſi conſiliarius, *Ruaro* deſignaretur, & modum ritumque in cœtu *Vnitariorum* receptum νεοφύτȣς hoſce ſacrorum myſteriorum convivas doceret: utpote quibus ipſe in patria d) ſæpius jam interfuerat. Ex quibus ſolis ſignificationibus parum abeſt, quin adventum ejus ex compacto procuratum, aliaque poſthæc fortaſſis ab illo, haud diſſimili conſilio, acta fuiſſe, non temere concludamus. Immo vero ſtudiorum gratia *Altorphium* non acceſſiſſe, vel inde colligere eſt, quod paullo poſt, ejusdemque anni æſtate, *Ruarum* in *Poloniam* comitatus, illuc, ubi conſilia omnia ſolicite hucusque ſtructa & concocta fuerant, illico reverſus legitur; e) Vnde ipſam *Racoviam* cum eo ingresſum, nunquam in Germaniam rediiſſe, obſervavimus. f) Quorſum e *Polonia* ἀμέσως commeaverit, nondum certis teſtimoniis exploratum habemus. Veroſimillimum autem eſt inter omnia alia, patrios eum deinde lares, & parentes, qui adhuc in vivis, quod ſcimus, ſupererant, g) reviſiſſe. Multis certe annis poſt, in eadem patria, *Claudiopoli*, miniſterio Eccleſiæ *Photinianæ* perfunctum vixiſſe, epiſtolæ *Ruarianæ* h) condocefaciunt: Quo loco cum aliis Tranſylvaniæ Vnitariis controverſiam illi deinceps fuiſſe, quæ ad majorem diſtractionem cœtuum ſpectabat, narratur, & *Rhawianæ confeſſionis* atque

exhibentibus, quos *Philothecas* vocant, & aliis documentis ingenuis, hæc cognita repetimus.

a) Quo die nomen ſuum albo civium dedit.

b) Conf. cap. I. §. 39.

c) Tanquam *nativus* frater, qui adſcititiis novitiisque viam præire poſſet atque deberet.

d) Et forte etiam in *Polonia* atque ipſa *Racovia.*

e) Sic namque ipſe *Ruarus* ad *Peuſchelium* P. II. epp. n. XVII. fol. 94. luculento congiario prius, *una cum Rhawio, perpetuo itineris mei comite*, honoratus ſum &c. ſcripſit.

f) Neque enim poſthac, vel volam ejus in *Altorphina Academia*, vel veſtigium alibi, niſi domi, deprehendere potuimus.

g) Sic enim ex epiſtola *Ruari* Cent. II. n. XVII. f. 98. med. colligimus.

h) Cent. II. num. XLVI. ſqq. f. 320. ſq.

alterius communi nomine conſcriptæ, a) nec non *Rhawii aſſeclarum*, b) atque ab his contra diſſidentium centum & quinquaginta Eccleſiarum, eidem tamen hæreſi addictarum aliarum, mentio facta eſt. Ad quam litem dirimendam, c) *de officio atque dignitate Chriſti* agentem, ſemel iterumque in ipſa hyeme & ſubſequuta æſtate anno MDCXXXVIII. *Jonas Slichtingius* e *Racovienſi* Eccleſia, ſi dignitatem & auctoritatem, non tempus, d) ſpectes, cæterarum quaſi matre, ejusque Præſulibus ablegatus in *Daciam* dicitur: Qui ſine dubio illam compoſuit, ut in nervum haud eruperit. Vtrum vero pars adverſa *Rhawio* Semi-Judaizantium ſectata ſit hypotheſin, e) ex *Franciſci Davidis* ſchola natam & adhuc conſervatam, non auſim definire. Vtut non diffiteamur, mitiſſimum de illis judicium *fratrum Polonorum* f) in cauſſa eſſe, cur in negantem ſententiam magis, quam ajentem, propendeamus. Vtcunque vero hæc comparata fuerint Cadmæorum fratrum litigia; ſatis nobis eſt, ea, quæ hactenus indagari potuere, ad fata *Rhawiana* aliquo modo illuſtranda facere poſſe. Quod reliquum eſt, dignior vel hoc nomine fuit in hiſtoria præſenti hujus hominis memoria, quoniam perbrevi iſthoc tempore, quo inauſpicatus *Academiæ Altorphinæ* civis erat, *contubernalis* etiam g) *Vogelii*, incertum quo fato, redditus, in eo magis magisque, donec & ille diſcederet, confirmando elaboravit, & in Philotheca ejusdem Pſalmum CXVII. Hebraice inſtar rhythmi exſcriptum, tanquam *memoriæ æviternæ pignus & amicitiæ arctius glutinatæ mnemoſynon indubitatum relinquens*, h) quanta fuerit inter utrumque, tam exiguo temporis intervallo inita conſvetudo & familiaritas, teſtificatus eſt. *Carchariæ* cognomen adſciti-

a) A *Rhawiana* diſtinctæ, eidemque adverſæ.

b) Epiſt. l. c. XLVII. f. 322. ſq.

c) Cui & *ſuppliciorum intentatio* atque *minæ* intermixtæ fuerunt, præſertim ex *Rhawiana* parte, *quam eapropter mitiora conſilia ſequi* jubet l. c. *Ruarus*.

d) Hoc enim reſpectu *Tranſylvanica Racovienſem* peperiſſe potius, quam ex illa orta videtur. Præcipuos certe Doctores & Rectores illam ab hac deinceps, dum *Racovia* floruit, petiiſſe, Hiſtoriæ rerum *Socinianarum* proditum eſt.

e) Quod ad dogmatica attinet: nam de *Calvini ſequacibus in fraternum fœdus* recipiendis etiam actum eſſe, ex l. c. apparet.

f) Quos ſupra vidimus, quæſtionem illam *de Invocatione Chriſti* inter capitales referendam credidiſſe, C. II. §. 13.

g) Id ipſe *Vogelius* teſtatus eſt in *curriculi vitæ Fragm.* a Celeb. *Gundlingio* edito: ubi ejus, cum *Ruaro Jenam* tranſeuntis, mentionem hujus contubernii facit, &, quod addimus, *Rhawius* ipſe quoque ſua id manu in *Philotheca Vogeliana* perſcriptum teſtatumque reliquit.

h) Quæ verba ſunt *Rhawii*, quibus ſuam amico fidem obſignavit.

fcititium quare ei inditum fit, latet. Neque enim temere ex genuini & gentilitii nominis forma id exfculpere audemus: nifi forte Germanicum *Rachen* huc tractum fit: a qua oris & hiatus amplitudine canes marini a) celebrantur, & ipfum quoque *Jonam* id genus belluæ vivum deglutiviffe nonnulli perhibent. b) Tantoque difficilius hujus cognomenti origo redditur, quanto minus de facie hominis & oris forma, fortaffis haud venufta, aliquid cognitum eft, ut eo refpexiffe ingeniofos hofce nugatores putes. Neque vero multum refert, commenta ifthæc otioforum hominum tam folicite expifcari. Atque hinc ad reliqua progredi fatius erit. Vbi, quæ proxima occurrit, *Ambrofii Reudenii*, Jenenf. Theolog. & *Petri Pifcatoris foceri* memoria hoc minus negotii nobis faceffit, quanto parcius, & forte nonnifi propter filentium c) viri, a pia fimplicitate magis, quam eruditione vafta aut fingulariter accurata, paucisque etiam fcriptis d) clari, vel etiam ob mortem ejus in hos motus, univerfæ Ecclefiæ maxime periculofos, incidentem, *Socini affectatores novi* aliquando meminere. Nam *Facultatis Jenenfis Theologicæ Seniorem* fub id tempus fuiffe, eundemque, hoc ipfo tempore, quo *Jenæ* commorabatur *Peufchelius*, A. videlicet 1615. feptuagenarium fupremum diem obiiffe, & fpiritu Deo reddito, *Joh. Gerhardo* locum vacuum feciffe, nemini ignotum eft. Quantum vero fcriptis ejus pretium ftatuatur, aliunde quoque fatis bene conftat, nec noftri eft officii aut confilii, ea in præfentia five recenfere figillatim, five examinare folicite. Sufficit enim, ab eo novos hofce hærefeos fodales nihil metuiffe. e)

Qq 2 §. XL.

a) In nuperrimo Celeberr. Bremenf. Eccl. Doct. *Theod. ab Haafe* de *Leviathan Jobi & Ceto Jonæ* libello præftantiffimo delineati, & ab aliis jam antehac defcripti.

b) A quibus tamen juftis de cauffis Cl. *Hafæus* diffentit, faucesque *Carchariæ* arctiores effe, quam ut tranfire per eas homo integer poffit, luculenter demonftravit, atque *Orcam* denique, balænæ genus, in Mari Ægæo & vicinis partibus obvium, dentatum, capaciffimumque fagaciffime fubftituit. Quæ, ne vulgi erroribus nos abreptos exiftimet, annotare vifum eft, alibi uberius difquirenda.

c) Si cum *Grauero* difputaciori, multoque etiam doctiori & expeditiori, conferretur.

d) Inter quæ, præter *Ifagogen in Script. S.*, præcipue *Catechefis* valde perfpicua eminet; in cujus dedicatione fata ipfe fua, quæ a factione *Strigeliana* olim paffus erat, enarrat.

e) Cujus etiam fiduciæ cauffam habuiffe, vel fola hiftoriola, quæ vulgo de Difputatione ejusdem & Refpondentis ad objecta refponfione quadam circumfertur, condocefacit. Quam probatam primum, fed deinceps, cum ex *Jo. Pifcatore* Herbornenfi illam fe didiciffe idem Refpondens interrogatus affirmaffet, *eo quod hæreticus fit*, improbatam & rejectam fuiffe narrant.

§. XL.

At RICHTERI potior habenda ratio, inter complices quippe olim non postremi, & γνησίς, uti jam supra dictum, a) ipsius *Soneri* discipuli. Intelligendus autem est hoc nomine, ut recte conjecit Cl. *Möllerus*, *Georgius Richter*, percelebris deinceps Reipubl. Noriberg. Consiliarius. De quo proinde, quantum ad hoc, meliori successu conjecturam vir doctissimus fecit, quam *Lexici Eruditorum* nuperrimi *Lipsiensis* b) scriptor, qui, ex male intellecto *Consiliarii* nomine, *Richterum* hunc *Senatorem Noribergensem* fuisse finxit, & perperam asseruit. c) Quemadmodum *Soneri* hospitio & singulari consvetudine ac necessitudine usus sit, jam cap. præcedenti d) ostendimus, assertisque fidem fecimus idoneis testimoniis. Quemadmodum vero *Socinismo* & ipse infectus fuerit, perinde ut reliqui commilitones, non est, quod addiscas ex vitæ curriculo epistolis ejus præscripto, cui odiosa hujusmodi & singularia fata inserere prohibebat filii & amici editorum pietas. Frustra igitur & reliqua hujusmodi in ea narratione e) & cæterorum, alias præclare gestorum, prædicatione requiras, quæ fratres ipsi seu erroris socii deinceps, ad rationes factorum reddendas vocati, sine circuitione pronunciarunt. Hi namque libros *Socinianorum* eum diligenter legisse, doctrinæque huic addictum esse, & pro fratre ab omnibus agnitum fuisse, non tantum ultro prodidere interrogati, sed *Dümlerum* quoque & *Hainlinum* ab illo in eandem societatem hæreseos perductos imbutosque tam portentosis opinionibus esse, aperte professi sunt. Porro etiam *Peuschelius* non pauca illi debuit, &, cum diem obiisset suum *Sonerus*, eundem libris consignandis, inque indicem referendis, operam suam commendasse hæredibus, compertum est. Quorum cum haud pauci, et-

a) Cap. I. §. XVII. sqq.

b) Editionis *prioris*. In altera enim A. 1725. iterum curata & locupletiori hæc quoque, cum aliis pluribus, hallucinatio emendata est. Notanda tamen hic fuit hallucinatio, quia alii ad eundem scopulum impegere plures.

c) Neque enim in Senatu cum cæteris consident Consiliarii Illustris hujus Reipubl. cum suffragii jure, quo Senatores pollent, sed consulti in caussis gravioribus domi suæ & extra Senatum, quid sentiant, vel in dicasteriis quibusdam assidentes interrogati edisserunt. Quorum, Syndicorum etiam nomine olim interdum appellatorum, nunc *Consulentium* (*Consulenten*) vulgo dictorum, iconismos, ingenti copia & laudabili industria, *Cl. Frid. Rothscholzius* ære curavit exprimi, & in publicam lucem hoc anno proferre cœpit.

d) §. XVII. sqq.

e) In *vitis* quoque *Procancell. Acad. Altorph.* recusa f. 20. sqq.

ci, etiam MSđi, in poteſtatem veniſſent *Dümleri*, *Fabricii* & *Hainlini*, quid mirum, ſi & *Richterus* ſibi aliquam partem, nec ſpernendam, ſervaverit, *Leimeri* hæredis amicioris & præcipui, horumque ſodalium patroni, a) liberalitate & conſenſu & cognationis quoque vinculo invitatus. Quod *Altorffio* A. 1614., autumno appropinquante, relicto, aliorſum cogitans, & *Juliam* Vniverſitatem d. 23. Octobris ingresſus, non deſierit intimam amicitiam cum *Crellio Gittichioque*, & quidem inter hos longe abſentes commercio litterarum continuato, diutius alere, ex eo efficimus, quod & litteras ab his ſimul *Peuſchelio* ſcriptas ſedulo adhuc *Jenam* curavit mittendas. b) Et quod ad *Ruarum* attinet, is, ut antea in *Polonia Richteri ſui* haud immemor fuit: c) ita poſthac *Helmſtadii* d) degentem, quem vocat, *amicisſimum juvenem*, & in Belgio amplius peregrinantem *fraterna* quoque *benevolentia* non intermiſit complecti. e) Quæ vero ſint documenta illa, & quo tempore ſcripta, qualia, ſive *Richteriana* manu exarata, ſive de ejus in *Sociniſmum* amore ab aliis profecta, ſe poſſidere, *D. J. Fr. Mayerus* in *Progr.* ſupra citato f) affirmavit, non habeo dicere. Non tamen contemnenda fuiſſe, veriſimile eſt. In epiſtolarum ſane faſciculo a filio collectarum nihil prorſus de *Sociniano* iſthoc contagio reperitur; quam ob rem etiam non immerito *ſelectiores* dictæ ſunt, ut, prudenter omiſſas eſſe, quæ invidiam *juveni erranti* conflare, aut alias publici juris fieri haud poterant, ſubindicaretur. Amicitiæ tamen

 ab

a) Vid. ſupra cap. II. §. 26.

b) Quæ ex *Peuſchelii* reculis cognita ſunt, toties in conſilium vocatis. Ipſæ enim hæ litteræ, ut multæ aliæ, dedita opera abolitæ ſunt.

c) Cent. II. n. XVII. f. 139.

d) *Ruari* Epp. Faſcic. P. II. n. VII. f. 36. ſq. & XIV. f. 83. ſq. ubi *Caſparum* quoque *Willichium Richteri* in ea Acad. contubernalem fuiſſe memoratur.

e) Extant illa monumenta tam in *Ruariana Cent. II.* quam *Richterian. Epiſt. Select.* typis expreſſa: quæ iſtic legantur integra.

f) Lit. C. ubi *Crellianæ* ad matrem litteræ exhibitæ ſunt, §. XII. Quæ tanto minus cœca credulitate approbanda cenſemus, quo facilius quorundam ad hæreſin utcunque diſſentientibus impingendam proruere ſolet judicium; eorum præſertim, qui rigidioribus ſunt partibus addictiores. Cujus rei & mihi exemplum in memoriam venit viri cæteroquin venerandi, ſed nonneminem haud infimi ſubſellii, quod *ſapientiam* Prov. VIII. commemoratam pro ὑποστατικῇ, ſeu Chriſto, agnoſcere abnueret, pro *Sociniano* nimis præcipitanter declarantis, idque, quicquid etiam contra monerem, conſtanter tuentis. Quamdiu ergo *Richteri* epiſtolas aliaque documenta, ad quæ provocavit *Mayerus*, juſta & ad *rationes temporum* congruente trutina examinare non licet, tam diu malumus ἐπέχειν, virique *adoleſcentiam male ſanam* a virili & ſenili ætate defœcatiori, quod aliis quoque, & ipſi *Luthero*, concedimus beneficium, diſcernendam arbitramur.

ab eo cum *Sonero* cultæ *Casp. Hoffmannus* illic meminit, eumque, incertum quo ſenſu, Philoſophico an Theologico, ὑπερασπιστὴν veritatis appellavit; quod Indicis in has epiſtolas autor, a) quaſi a *Photinianiſmo* ita vindicaretur, liberalius, quam verba ſonant, interpretatus eſt. At ipſe *Richterus* de illo præceptore ſuo, præter orationem ſuperioti capite ad cenſuram revocatam, οὐδὲ γρῦ. De *Soneri* autem religione paucula illic, ſed obſcure, commendaturus, quando, *apicem religionis noſtræ non rerum profundarum ſcientiam, non NB. ſublimem* b) *arcanorum cognitionem, ſed piam & inculpatam vitam, ſed impigram mandatorum Dei obſervantiam eſſe, eum ſtatuiſſe*, inquit, *eamque ſolam omnibus inculcaſſe, urſiſſe, ſolamque ad cœleſtem patriam ducentem viam exiſtimaſſe* ait, dilucide profeſſus eſt, quæ ab hoſpite tam charo didicerit. Et quanquam *veræ ejus in Chriſtum Salvatorem fidei* quoque meminerit, qua ſententia id, pro conditione temporis iſtius & oratoris, dictum ſit, credo, cunctos ſagaciores divinaturos. Vtcunque res ſit: Illud certum eſt, quum AltorphI ſtudiis operam daret, a labe errorum *Socini* non fuiſſe *Richterum* immunem. At poſt hæc tempora, quum inter ipſos hos motus domeſticos *Helmſtadio Lugdunum Batavorum* digreſſus, c) itineribusque confectis, ejurata, dubio procul, ad aliorum exemplum d) hæreſi, rediiſſet in patriam, d. XVI. Decembr. A. MDCXVIII., admovendus deinceps A. 1623. *Illuſtris Reipubl. Conſiliariorum* ordini, ipſaque tandem *Procancellarii Vniverſitatis* ſplendida dignitate condecorandus; haud memini a quoquam ejusdem veneni inſimulatum, tametſi haud rara & diuturna inter eum atque b. *Joannem Saubertum*, Seniorem, cui juſto mollior in quibusdam videbatur, intercederent diſſidia. e) In his vero, quum ille majorem in

a) *Chriſtoph.* forte *Arnoldus:* hunc enim in his epiſtolis & vita quoque *circumſpecte*, ut ſolebat, contexendis primas partes habuiſſe, jam alibi animadvertimus.

b) *Myſteria* videlicet *fidei de Deo & Oeconomia ſalutis in Chriſto;* quæ nec noſtra Eccleſia *ſola*, ut creduntur, proponit, ſed, uti hæc quoque, ita reliqua omnia *ad vitam* pie & ſancte vivendam adhibet, & adhiberi jubet. *Solam* vero vitæ & animi piam integritatem quando *inculcaſſe* ait, tantum abeſt, ut excuſare *Sonerum* præceptorem poſſet, ut ipſum quoque cum Magiſtro diſcipulum prodat, &, qua mente uterque fuerit in doctrina ſalutifera, palam faciat. Generalis profecto *in Salvatorem fides* rem non conficit; quippe ſub qua larva etiam *obedientia præceptis Chriſti ſub ſpe ſalutis, hoc modo viventibus ab eo promiſſæ, præſtita*, quæ *Socini* eſt fidei definitio, latitare poteſt.

c) Vbi & in notitiam *Epiſcopii* veniſſe, jam ſupra obſervatum eſt, & §. XV. extremo in not. monitum.

d) Conf. cap. III. § extremo, & cap. IV. §. I.

e) Subindicata in *vitis Theologorum Altorphin.* f. 179. not. bbb.) Quorum dilucidior

in *Philippum Melancht.* ejusque ſtudia propenſionem, hic vero in *Aug. Conf.* haud *variatæ* tuenda integritate maximam induſtriam demonſtraret; ac præterea ille *Helmſtadienſibus* æquior, hic iniquior viſus eſt: quam fuerint a *Socinifmo* illæ hypotheſes longe alienæ, obſcurum eſt. Quo ſenſu ergo a) *J. Fr. Mayerus*, ſuarum quoque partium ſtudio ductus, *Socinifmi Patronum* ἁπλῶς appellaverit, ipſe viderit; nobis ab adoleſcentia, imprudenter grandi hoc nævo utique contaminata, adultiore ætas & maturius judicium iterum iterumque diſcernenda videntur: cæteraque Deo καρδιογνώςῃ relinquenda. Multoque adeo magis mirari ſubit, cur vir Cl. *Th. Creenius* in eruditiſſimum hunc virum, meritiſſimumque per vicennium *Acad. Altorph. Procancellarium*, quo eum ipſe, ſed interdum non ſine ſcommate appoſito, mactat elogio, ſub initium hujus ſeculi demum & A. 1701. tantopere invectus ſit, eumque neſcio cujus *Syncretiſmi, malignæque de religionis noſtræ Theologis opinionis* inſimularit: immo inter homines *indoctos*, b) *qui, cum Theologiæ Polemicæ de controverſiis Theologicis imperiti ſint*, de his tamen judicare audeant, perperam numeret. c) Redduntur equidem l. c. rationes dictorum ex *Richterianis*

dior explicatio ad aliud penſum Hiſtoriæ Eccl. patriæ ſpectat, ubi Antiſtitum Noribergenſium vitæ, D. V., enarrandæ erunt, perficiendum.

a) In *Programmate* ſupra §. XI. & XII. allegato. Ex quo parum abeſt, quin colligas, credidiſſe celeberrimum hunc Theologum, Doctorem t. t. Gryphiswaldenſem, *Richterum* noſtrum jam tunc, cum *Socinifmi peſte* (verba ſunt *Mayeri*) *Altorffium infectis Doctoribus & Patronis affligeretur*, hos inter numeratum fuiſſe: quem tamen inter Studioſos locum h. t. adhuc habuiſſe, & diu poſt Conſiliarii dignitatem conſecutum eſſe, cum peſtis illa dudum jam inde abiiſſet, conſtat. Sed non hic ſolum error notandus eſt a bono *Mayero* commiſſus, verum etiam, Altorphi *Doctores & Patronos Richteri* quando hac peſte infectos fuiſſe inquit, paullo liberalius videtur loquutus: cum nemo ſit ex *Doctoribus* infectis nobis cognitus aut *Patronis*, ſi a *Sonero* diſcedas. Qui vero, ex infectis *olim*, in hac poſtea Vniverſitate Doctores & Profeſſores ſunt creati, diu ante venenum illud contagioſum exſpuerant.

b) Aliter ergo heic de *Richtero* judicatum videas, quam a *Baſileenſi* Acad. & Ord. in ea JCtorum, qui *propter inuſitatam eruditionem* pro quarto loco, quem ſors ei obtulerat, ultro primum honores *Doctoris* illic capeſſenti conceſſerunt. Aliter etiam *Morhofius*, a quo T. I. Polyhiſt. f. 329. *vir undiquaque doctiſſimus* vocatur. Aliter denique, &, ut ſolet, terſe ac rotunde, Venerab. Abb. *Jo. Fabricius*, qui dubio procul minus æqua, de quibus hoc loco agimus, judicia reſpiciens, *Bibl. Fabric.* P. V. f. 444. ſq. quando vitam *Richteri* brevibus deſcripſit, prioribus & aliis quibusdam adductis, *aliorum, qui præjudiciis occupati ſint, & contentionibus delectentur, ſiniſtra judicia plane non eſſe attendenda*, ait.

c) In *Animadverſ. Philolog.* L. X. p. 114. ſqq. P. V. p. 251. ſqq. Ex quo ſua haud dubie

nis epiſtolis, in quibus ad *J. Fr. Gronovium* a) ea de *Hugone Grotio* prædicentur, quæ ſupra hujus celebratiſſimi viri meritum ſint poſita. Ad hæc commendationes etiam ſcriptorum quorundam allegantur, *Richteroque* vitio vertuntur, quibus horum publice proſtantia ingenii opera magnopere collaudata ſunt; cum tamen ſint a noſtra confeſſione oppido alieni. Sed quotusquisque eſt, qui ignoret, ſi qui ex diſſidentibus ab Eccleſia noſtra cœtibus laudibus evehuntur viri docti, id non alia ſententia intelligi oportere, quam in quantum virtus & doctrina etiam in hoſtę juſto pretio digna æſtimanda, prædicanda, laudanda eſt? Id vero tanto largius utplurimum fieri ſolet, ſi quando affectui amoris amicitiæque teneritudini, quam teſtatur *Richterus*, ſe cum *Grotio* in *Batavis* iniiſſe, atque *ſuum* hinc vocat, aliquid detur. Omitto communem omnium, de tanto viro, etiam propter *Tr. de ſatisfactione* contra *Socinianos* demonſtrata, exiſtimationem, quam aliis quibusdam erroribus contaminaſſe famam, ingeniique præſtantiam, iidem non diſſimulant. De cæteris vero *Grotianis* etiam judicium ferre, *Richtero* non fuiſſe conſtitutum, ll. cc. liquet, quoniam, ſi non omnino, maxime tamen omnium, ad philoſophica hujus viri ſcripta reſpexit, itemque politica ac hiſtorica, nominatim vero ad *LL. de Jure Belli & Pacis*, de quibus cum glorioſiſſimo R. *Guſtavo Adolpho* ſe colloquutum, illic narrat. Multoque minus *Eraſmi*, *Seldeni*, *Voſſii* aliorumque elogia invidiam movere *Richtero* poterant: quippe quorum omnium eximias dotes, in certis eruditionis partibus, immo plerisque, nemo eſt, qui neſciat, aut non approbet. Quod autem *Joh. Hülſemannum* inter alia *Vitilitigatorem ſine nucleo* duriori, fateor, & minus æquo titulo inſignivit, id ſingularem affectum, ut prodit integræ orationis contextus, in *G. Calixtum*, b) quem

bie *Car. Arndius* in Bibl. Polit. Herald. f. 272. ſqq. repetiit, niſi quod, *culpabile Syncretiſtarum & Neutraliſtarum patrocinium* ei imputando, modeſtiæ limites prorſus tranſiliit, & in fine tandem fervorem illum turpi *Gregorii Richteri*, Görlicenſis, *Axiom. Oeconom. & Politic.* &c. auctoris, cum *Georgio* noſtro commixtione contaminavit. Quem errorem in Cl. *Creenii* quoque *Meth. Stud. Collect.* commiſſum, ſcil. P. III. f. 522. ſqq. Ven. *Fabricius* notavit. Nos autem, hæc dum ſcribimus, lapidem in eundem impegiſſe plures, inprimis vero *M. Gladovium* in Adnott. ad G. *Naudæi Bibliograph. Politicam* f. 270., obſervamus.

a) De cujus cum *Richtero* amicitia familiari, in *Vniverſ. Lugdunenſi* apud *Batavos* inita & conſtanter culta, digna eſt, quæ legatur, vita *J. Fr. Gronovii*, haud ita pridem A. 1722. Hamb. edita, nitidiſſimeque deſcripta.

b) Tanquam in Doctorem, jam eo tempore, quo *Richterus* ſtudiis litterarum *Helmſtadii* operam navabat, ſcriptis atque officio

quem nunquam *Richterus* dissimulavit, significat. Eaque tanto viro condonari debuerat linguæ acerbitas, pari jure, quo & *Calixti* discipuli ejusdem B. *Hülsemanni* dicterium, quando *Calixtum* quoque *periculosum Grammaticum* nuncupavit, a) oblivioni dudum mandarunt. Cæterum *Richterum*, una cum *J. Sauberto*, non neglexisse, pacem licet & concordiam Ecclesiasticam consectaretur, veritatem etiam solicite tueri, ex ipsius epistolis addisci potest. b) Denique, quia non sunt istius temporis tempestates incognitæ, satius esset, lites infelices divino beneficio sopitas, sepultasque suo loco relinquere, quam intempestive c) instaurare. Nec quisquam est haud dubie, qui do-

 ctissi-

officio Professoris clarum: quem forte & ipse, rerum quoque Theologicarum cognoscendarum percupidus, A. 1614. exeunte, hoc munere ordinario exornatum docentem audivit, atque hinc etiam tanto constantius, ut præceptorem, dilexit. Litterarum enim commercium oppido amicum inter utrumque intercessisse post id tempus, ex epistolis *Richterianis* clarissime patet.

a) In *Dialysi Apologet.* fol. 13. fin.

b) Conf. instar omnium f. 171. ep. ad *Duræum* scripta. Vt proinde, si quod ejus fuit in *Aug. Conf.* variata a *Philippo*, & in *Conv.* quoque *Numburg.* A. 1561., uti videbatur, haud improbata, non mutato priori exemplari æquiparanda studium, (quo nomine male audiebat *Sauberto*) id ad *momentum* controversiarum de S. Cœna rediret.

c) Qua de caussa alia quoque permulta, (nam b. etiam *Saubertus Grotianam* & *Erasmianam* Theologiam ei aliquando objecerat,) silentio præterimus: utut digna cæteroquin essent, quæ hac occasione commemorarentur. Sed angustia spatii prohibemur. Hoc tamen facere non possumus, quin sequentia, quæ ipse *Richterus* ad *Illustrem Senatum Noriberg.* adversus obtrectatorum insimulationes perscripsit, quia & *Creenianæ* suspicioni satisfacere possunt, producamus in medium. Sechstens, inquit inter alia, beschuldiget er mich, ich wolle eine neue Erasmianam und Grotianam religionem einführen. Was nun das für eine neue Secte seye, oder worinn sie bestehe, meldet er nicht. Ich habe auch sonst noch nie gehört, dass jemand einer solchen Secte gedacht, oder sich darnach genennet. Was Erasmus Roterodamus und Hugo Grotius für berühmte Männer in ganz Europa gewesen, und noch seyn, auch wie sie sich wider alle Widersacher defendirt haben, das geben ihre Schrifften öffentlich zu erkennen. So viel ich in ihren Büchern gelesen, hat mir sonderlich wohlgefallen, dass sie, so viel möglich, moderata consilia führen, und fürnehmlich zum Fried und Einigkeit rathen, auch dafür halten, wann etliche Theologi, welche, wie Paulus redet, eifern mit Vnverstand, nicht Oel ins Feuer giessen thæten, dass mancher blutiger Krieg würde verblieben seyn, und noch verbleiben; Ja zu wünschen wære, dass Herr Saubertus des Erasmi Vnterricht de studio Theologiæ, item de officio Concionatoris fleissiger gelesen hætte, würde er auf die Arrogantiam, die Obrigkeitl. Rathsverlæss also durch die Hechel zu ziehen, nicht gerathen seyn. Was Herr Bilibald Pirckheimer seel. von dem Erasmo, als von seinem vertrautesten Freund, gehalten, und wie Erasmus hiesige Rempublicam A. 1531. stattlich vindiciret, ist öffentlich bekandt. Hugonem Grotium

ctissimum *Creenium*, de re litteraria universa sane meritissimum virum, non pateretur, tanquam in istis controversiis alteri parti addictiorem, suo sensu abundare: dummodo ipse ultro, & a nemine lacessitus, in bonum *Richterum*, in caussa multo pluribus communi, non sibi constituisset, *vocabulis* etiam ad *criticam* lancem revocatis, a) acuere calamum, & quasi ex professo eum, Procancellarii etiam dignitate objecta, exagitare. Visum autem nobis est, hæc pluscula pro *Richtero* vindicando paullo uberius explanata addere, ne, si forte priscum in *Socinismum* ejus studium heic a nobis candide descriptum, sed laudabiliter ab ipso *Richtero* deinceps desertum, b) cujusquam animum subeat

Grotium betreffend, kan ich nicht unterlassen, disfalls des Herrn - - - - eigene Hand lit. H. hiebey zu legen, was er A. 1636. von ihm an mich geschrieben, ob ich schon sonst litteras amicorum familiares nicht gern gemein mache; Aber disfalls muss ich es wider meinen Willen thun, weil daraus zu sehen, dass er, Saubertus, neben dem, was er wegen des berühmten Englischen Theologi, Johannis Duræi, viri ad pacem & concordiam nati, mich bittet, ihme, Hugoni Grotio, dabey selbst das Zeugnus gibt, wie er allerdings unserer Religion seye, und sich ad sensa Lutheri, wie seine formalia lauten, gewendet habe. Wenn ich nun darauf solchen fürtrefflichen Mann, als einen Glaubensgenossen, in Discursu gelobet, wie kan er mich denn jezo desswegen tadeln, oder denselben für einen Papisten ausschreyen. Heist das nicht abermahl vergessen: Theologus debet habere unam linguam & unum calamum. Wie aber ermeldter H. Grotius, der Cron Schweden Legatus ordinarius, pacis studiosissimus, inmassen ex scriptis publicis bekandt, dergleichen latratus nicht achtet; also hat er meines patrocinii nicht vonnöthen: Hab auch E. Herrl. in so klaren Sachen nicht aufzuhalten, sondern will ich mein Verantworten auf solche Accusationes - - - beschliessen, mit den Worten Ciceronis contra Sexti Æbusii impudentiam: Cave in ista tam frigida & tam supina calumnia delitescas.

a) l. c. enim ex professo vocabulum *maleferiatus*, quo ille usus est, ad incudem vocat.

b) Quamvis enim, quo tempore, in itinere an post reditum in patriam, & quo ritu etiam, (cognitum enim erat plus satis, factionis *Socinianæ* quondam participem fuisse,) hæresin illam abdicaverit, definite & asseveranter dicere non audeamus: deseruisse tamen, quicquid alienum a recta in Theologicis sententia fuerat, *Perillustris Senatus Noriberg.* publico testimonio, cum a b. *Joh. Sauberto* aliarum opinionum, quam *Socinismi*, in quo tamen luto illum olim hæsisse *idem* bene noverat, accusaretur, comprobatum est. Quod, quoniam amici cujusdam ex posteritate aut affinitate potius *Richteriana* benevolentia nobiscum communicatum possidemus, non ingratum fore, si typis imprimatur, existimavimus:

Wir Burgermeister und Rath der Stadt Nürnberg bekennen und thun kundt. Demnach eine Zeithero zwischen dem Ehrnvesten und Hochgelehrten unsern Advocaten und Consulenten Herrn Georg Richtern, der Rechten Doctorn, und dem Ehrwürdigen und Wohlgelehrten, Herrn M. Joh. Sauberto, Prediger bey St. Sebald, allerhand Missverstændnus erwachsen, so gar dass auch Herr D. Richter, von

ſubeat & oculos, *Creenianum* illud judicium vel approbetur penitus, vel etiam in majus extollatur, atque ipſi adeo *Richtero* poſt pia fata fraudi quoquo modo eſſe poſſit. Quod ſupereſt, *Critii* nomen ex Germanica *Richteri* notione efformatum, atq; inde quoque *Prætorii* alteram, quam itidem uſurparunt, appellationem crypticam declarandam eſſe, jam expeditum putamus, & perfacile cognitu: qua de cauſſa etiam non multum de hiſce laborabimus. Nec aliud certe quam ſinceram pietatem, cum ſanctiſſimæ Trinitatis non fucata confeſſione, varia ſcripta, quæ proſtant, interque ea *Digeſta pietatis*, & *Idea novi ac veteris hominis*, quam in 8v. forma German. ἀνωνύμως a) evulgavit, ſatis ſuperque teſtantur,

prout

von ihm Herrn D. Sauberto ſchædlicher Eingriff und Conſiliorum wider das Predigamt zu Verdæchtigmachung hieſiger Normæ Doctrinæ, (h. e. *Librorum Normalium Noribergenſium*) ſodann auch Sectirerey und Einführung derſelben in hieſige Kirchen beſchuldiget worden; Daſs hierauf gedachter Herr D. Richter, als dem dergleichen Auflagen tief zu Gemüth gegangen, uns gebührlich erſucht, ihm zu Bezeugung ſeiner Vnſchuld behörigen Schein zu ertheilen. Wann uns denn wohl wiſſend, daſs mehrgedachter Herr D. Richter mit jezterwehnten ſchwerenBezüchtigungen ganz ungütlich beſchieht, geſtalt er uns dann geraume Jahr, ſo wohl ſeiner Religion und Actionum wegen, eines weit beſſern bekandt iſt, auch ſo fern, daſs er hieſige Normam Doctrinæ in einige Wege verdæchtig zu machen, ſolte gemeynet ſeyn, daſs er vielmehr dieſelbe, wider ein und anderes unzeitig movirtes dubium mit ſattſamen Grund vertheidiget, dergeſtalt, daſs wir uns ſeines aufrechten vernünfftigen Beyrathens, ſo wohl in Religion-, als profan-Sachen, zu gemeinen Stadt-Beſten jederzeit nüzlich bedienen können, daſs alſo oberzehlten Auflagen ihme von mehrerwehntenHerrn Sauberto ohne Grund beygemeſſen worden; Als haben wir ihm in ſeinen Begehren nicht aus Handen gehen kœnnen, ſondern zu ſeiner Ehren Rettung dieſes Documentum Innocentiæ ertheilen, und mit gemeinen Stadt Innſiegel zu mehrern Vrkund bekræfftigen laſſen wollen. So geſchehen Dienſtags den 3ten Decembr. Im Jahr Chriſti ein Tauſend ſechs Hundert und vier und vierzig.

(L.S.)

Si quid ergo fuit, quod incomparabili Polyhiſtori *Richtero* invidiam movere potuit, non aliud nobis videtur fuiſſe, quam mollius de errantibus & forte etiam *erroribus* diſſentientium quorundam judicium, eaque hypotheſis, quæ hodieque JCtorum præſertim quorundam animos occupavit, qua *credenda* non ſpernenda quidem, at non tantopere eſſe urgenda & exaggeranda, ſed juſto pretio ac pondere æſtimanda; Τὰ πρακτικὰ vero, ſeu agenda morum ſanctorum præcepta, multo diligentius inculcanda, vitæque Chriſtianæ ſanctitatem inprimis acriter commendandam, tepide & ipſi quoque Corpori Juris minus congruenter, cenſent. Hanc certe ejus quoque mentem fuiſſe, & impreſſa typis ſcripta, & MScta quoque, quæ inſpicere nobis licuit, reſponſaque reddita, paſſim demonſtrant.

a) De *digeſtis pietatis* nemo dubitat. Alterius vero libelli elegantiſſimi, qui in Theologicis inſignem cum eruditionem, tum pietatem ſolidam auctoris ſpirat, cujus rariſſimi opuſculi tit. eſt: *Geiſtliche Anatomie*

prout etiam perpetua publici cultus cum Ecclesia patria concelebratio, pro *Aug. Conf.* certamina, publicæque panegyres *Altorphinæ* non aliter sentire patiuntur; quibus & nos, ut de viri cæteroquin *moderatissimi*, qui a) A. 1651. placide in sinu Ecclesiæ obdormivit, fidei ingenuitate nullatenus dubitaremus, adductos esse profitemur.

§. XLI.

Quod sequitur proxime ROSTOCHIUM, transpositis litteris *Storochium*, frequentius autem *Rhodum* ἀπὸ τῆς ῥόδης *Rosarum* frutice dictum, unde *Rosarum Academiam* alias & vulgo quoque vocari scimus, ideo heic commemoratum esse liquet; quoniam J. *Tarnovii* interdum & G. *Rostii*, scriptis contra *Socinianos* clarorum, facienda erat mentio, & nonnulli quoque sodalium eo discesserant: de quibus jam actum est, & p. p. plura annotabuntur. Præter quæ, jam brevibus memorata, caussæ nihil videmus, quare diutius heic subsistendum sit. *Martinus* autem RUARUS, dux & autor hujus tragici eventus, ac princeps factionis totius, dignior est, cui aliquantisper immoremur, ut, quæ cap. I. de industria sunt omissa, hoc loco copiosius & plenius recitemus, atque continuatione quadam vitæ ab eo actæ, nec promiscue omnibus cognitæ, expleamus. Cum quo tamen illico fratrem conjungemus *Joachimum* RUARUM, eadem quippe hæresi a germano suo *Martino*, præceptore, suscepta pollutum & imbutum. Cui tertius etiam utrique uterinus addendus esset, *Petrus Ruarus*, nisi hunc a consortio noxiarum corruptelarum immunem purumque divina providentia conservasset. Quam etiam ob rem nullum in Indice nostro invenit locum. Tergemini hi fratres uno parente & matre quoque

natomie, d. i. Beschreibung eines wahren Christen in seinen ganzen Wandel nach allen seinen Leibes-Gliedmassen &c. Norib. 1630. 8v. apud *Wolffg. Endter* impressi, eum scriptorem esse certissime scimus: etsi, in toto opusculo hoc nunquam S. Trinitatem nominatam esse, sæpe mirati sumus, at ex practico argumento, ubi rara fuit occasio, facile etiam auctorem, plurimis vel ob illud silentium suspectum, excusavimus. Quibus vero nimis suspicacibus neque hæc sufficere videbuntur, eos optimi *Richteri* nostri *Orationum Decad. IIdam*, inque ea *Orationem num. XII. A.* 1639. publice *recitatam*, atque de *cognomine filii Dei*, quo *admirabilis* dicitur, agentem, conferre jubebimus; ubi non solum æternam filii Dei Jesu Christi divinitatem & ex patris substantia generationem firmiter & ex instituto adstrui, sed *sanctissimæ etiam Trinitatis mysterium* cum veneratione f. 58. med. prædicari invenient. Si qui vero neque his fidem habebunt, per nos licet, Anticyras navigent.

a) Post exquisitos perpetuosque fere podagræ & calculi dolores diu multumque, inter labores catenatos, & hos quidem jam inde ab adolescentia toleratos.

quoque, quod ſciamus, eadem, illoque Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ Paſtore geniti, *Crempam*, Holſatiæ, ejusque partis, quæ *Stormaria* dicitur, patriam habuere. Vnde etiam *Criſpici* nomen adſcititium ſenioribus duobus datum & enatum eſt; *Crempeln* enim Germanicis idem eſt quod *criſpare*, & quod criſpum eſt, Saxones *gecrempelt* vocant. a) Alterum vero *Aretii*, ex Ἄρης, *Mars*, derivatum *Martini* prænomini reſpondet, ad eum modum, quo geminum illud *Dominici Anaſtaſii* Hebraicam notionem *Jojakin* aut *Jojachin* exprimit. Vterque horum fratrum *Altorphium* diverſo tempore venerunt: *Martinus*, uti ſupra dictum, A. 1611. d. 6. Maji; *Joachimus* autem anno ſequenti 1612. d. 9. Julii: Ille e diſciplina Hamburgenſi *Huswedeliana* primum *Roſtochium* ingreſſus, atque inde *Altorphium* progreſſus; Hic, ſi recte conjicimus, e domeſtica inſtitutione ſtatim in almam *Palæcomen* miſſus. b) Cui tertius acceſſit A. 1614., qui ſolus Theologica ſtudia ex inſtituto ſectatus eſt; cum medius *Medicinæ* operam daret, & natu maximus nulli diſcendorum certo generi conſtanter addictus, undiquaque delibaret, quæ placerent, at Jurisprudentiam tamen pro ſcopo principe ſibi præfixam haberet, aut certe videri vellet. Quo etiam factum, ut, qui ſunt deſultoriorum ingeniorum mores, cum ubique eſſet, nuſquam eſſet, & tandem etiam, in Eccleſia puriori porro eſſe, tædio ei fuiſſe, eventus lugubris edoceret. Quid ab eo *AltorphI* geſtum ſit: partim (quod nunc addimus) ante primum in *Poloniam* & clandeſtinum excurſum, eumque ſumtu *fratrum Polonorum* c) peractum: partim poſt reditum, & diſceſſum ex hac muſarum ſede in *Argentoratenſem Academiam*, jam alibi enarratum eſt. Quæ *Argentorati* accidere, ſimiliter eruta ſunt ex epiſtolis potiſſimum ad *Peuſchelium* & *Richterum* datis, & Cent. II. epiſt. d) excuſis; quædam vero, & quemadmodum retecta fraude etiam iſtic ad rationem reddendam vocatus ſit, in tertio hujus Hiſtoriæ capite di-

a) Idemque *Criſpici* cognomentum tantopere placuit utrique fratrum, ut nec filii *Martini*, diu poſt, ab eo abſtinuerint. Sic enim *David Ruarus*, typographus, maluit vocari, quam paterno & gentilitio nomine in P. I. epiſtolar. patris, cum fratris ſui *Joachimi* præf. editarum: ubi tamen cur ſchedula ſuperinducta in omnibus, quæ vidimus, exemplis, *Criſpici* illud fictitium, mutato conſilio, deinceps occultare voluerit, quod remoto digitis integumento adhuc apparet, non liquet.

b) Nec volam enim nec veſtigium ejus, in alia Academia vel breve tempus ante morati, adhuc obſervavimus.

c) Et *Sarmaticorum* & novorum adſcititiorum *Altorphinorum*: ſi quidem hos Polonos, ſententia videlicet, non gente, dicere liceat.

d) Num. XIV. f. 80. ſqq. & n. IX. f. 50. ſq.

distincte accurateque descripta indicabimus. a) Nunc qualia fata fuerint *Argentorato* ad *Polonicos* agros remeantis, brevibus explicare non ab re videtur esse. Nempe redux in has oras, & *Burgstorphii* gubernatione studiorum jam antea abdicatus, generosi viri, *Casp. Sacci*, filiorum ephorus primum est constitutus, anno circiter MDCXVIII., primamque etiam in exteras respublicas & regna peregrinationem cum illis aliisque sociis suscepit. In quo itinere *Belgium*, *Angliamque*, *Galliam*, *Italiam*, b) & alias terras peragravit, c) eamque inter Anglos erudita facundia potissimum consecutus est auctoritatem & existimationem, ut splendidam ipsi in *Academia Cantabrigiensi* professionem ultro obtulerint. Quam conditionem honestissimam cum difficulter acceptaturum vidissent, ultra centum librarum stipendium sibi promissum esse, ipse ad *Dümlerum* suum amicissimum & commilitonem quondam *Altorphinum*, inque eodem adhuc luto hærentem, perscripsit; d) idque veritatis amore, h. e. *Socinismi* studio, a se factum, sine tergiversatione professus est. Reversus cum *Saccis* juvenibus in *Poloniæ* fines, non multo post patriam revisere constituit; Vnde tamen mox regressum ad sodales, & *Joh. Crellio* ad munus Ecclesiasticum e *Schola Racoviensi* promoto successorem in eodem oppido datum constat. e) Qua occasione non possumus, quin scriptas hac de re ad *Joh. Kirchmannum* Cl. viri *Justi Zinzerlingii* f) litteras inseramus, quarum tenor sequens fuit: g) *S. P.*

a) Cap. III. §. 37.

b) Vid. epist. Remonstr. ed. 1704. fol. 630.

c) Conf. *vitam Episcopii*, a *Limborchio* scriptam f. 329. sq. ubi & *Episcopii* de satisfactione Christi per acceptilationem, liberalem sententiam, una cum *Slichtingio*, Lugd. Bat. cum ipso t. t. commorato, adoptasse, eamque, quam ex *Socini* placitis didicerat, crudiorem deseruisse, narratur. Ad quam vero jam antea etiam *Peuschelium* nostrum proclivem fuisse, ex disputatione cap. III. recensenda apparebit.

d) Itemque ad *Voglerum* Cent. I. n. 17. f. 114. ubi eadem, sed strictim, commemorat & repetit.

e) Idque munus honorificum, cum jam ante clandestino excursu *Racoviam* adiisset, se potuisse impetrare, ipse ad *G. Richterum*, tecto tamen nomine, in epist. *Argentor.* deinceps exarata scripsit: quæ in *epist. Richt. select.* f. 388. sq. reperitur.

f) Profess. t. t. Rostochiensis, sed patria Thuringi, & *Tungenthalii* quidem (ubi pater Eccl. Pastor erat) nati, qui primum *Jenensis*, tum ab A. 1605. Academiæ *Altorphinæ* etiam civis fuit, &, postquam privatim Jurisprudentiam heic docuerat, inde *Argentoratum* cum nobili quodam juvene concessit, in Gallia vero correctorem in typographia quadam Lugdunensi egit, reversusque in German. *Rostochii* tandem Prof. publicam consecutus est, ubi etiam, filium D. Johan. Bernh. relinquens, A. circiter 1630. obiit.

g) *Dem Ehrvesten Achtbahrn und Wolgelehrten Herrn* M. Johanni Kirchmanno, *Rectori des Gymnasii zu Lübeck*
Meinem Grosgünstigen Freund
Lübeck.

Ita

S. P.

Ecce iterum fascem papyraceum, Vir Clarissime, Domine & amice honorande, Luneburgum destinatum! Rogo, & mecum Brelerus rogat, ut festino pede eat, quo debet. Intra non multos dies hinc discedet & remeabit Luneburgum iste amicus meus, Brelerus. Qui me jussit significare Tibi, Martinum Ruarum jam tandem latitantem suum Photinianismum in apricum propulisse. Quippe quod nuper Stetini, (quo ab Illustrissimo Principe suo Augusto hinc evocatus concesserat) ex nobili Polono, Photiniano & ipso, ad tabulam Illustrissimi Pomeraniæ Ducis & illud intellexerat, & hoc alterum, Racoviæ ipsum esse Rectorem scholæ, & Valentini Schmalzii, mei conterranei, a) *filiam* b) *sponsam brevi in uxorem ducturum. In reversione sua Brelerus te salutabit, jam salutis dicundæ vicarium me sibi fecit. B. V. Vir Clariss. Dab. 27. Octob. 1622.*

T. T.

J. Zinzerling. c)

Cui officio postquam præfuisset, inde ab A. 1622., cum laude, inter suos, incredibili, de qua *autor vitæ Andr. Wissowatii* inprimis testatur, fastidium pulveris scholastici illum cepit, ad quod tamen consvetudine vagorum studiorum & otii litterarii se antehac ductum fuisse, fassus erat. d) Atque hoc pacto accidit, ut nova simul occasio ipsi peregre abeundi daretur, vel potius oblata arriperetur; in qua ad priores terras, quas jam ante peragraverat, denuo contendere jubebatur, comes videlicet additus modo dicto nobili *Wissowatio*. Ejus certe

Ita inscriptio habebat. Cæterum epistolam a S. Rever. & de Histor. Vers. Bibl. b. Lutheri cumprimis meritissimo Husumens. Past. prim., Dn *J. M. Krafftio*, nobiscum communicatam esse, grati profitemur.

a) Quantum ad communem *Thuringiam*. *Tungenthalium* enim illud, quod *Zinzerlingum* dedit, a *Gothana* urbe non longe dissitum est.

b) Ita forte fama ferebat, & consilium etiam erat *Ruari*; sed, obitu *Smalcii* interveniente, nuptias has secutas haud esse constat.

c) *Jodoci* alias *Sinceri* nomine, quo assumto *Itinerarium Galliæ* præstantissimum, quod dum Lugduni in Gallis emendandis typographorum operis (nominatim *Nicolai Jullieron*, typographi regii) incumbebat, edidit, tunc temporis etiam cognitus, & *Richtero* quoque nostro, uti in vita ejus haud procul a fine habetur, amicus. *Altorphi* equidem rerum harum, de quibus hic tractamus, notitiam eum habuisse, nisi clam hujusmodi quid agitare *Sonerum* observavit, dubitamus; si quidem jam A. 1610. *Lugduni* vixit, eoque etiam anno *Criticorum juvenilium promulsidem* istic publicavit: At litteris *Altdorffio* ab amicis ad se scriptis eorum, quæ dehinc illic gesta erant, certiorem factum, famaque *Ruari*, *Rostochiensis* quoque Acad. antehac alumni, excitatum hæc illum scripsisse, probabile est.

d) Vid. cap. I. §. 28.

certe parentes, præter cæteros, curam videntur *Ruaro* potissimum commisisse; quamvis & alii iisdem sacris addicti, docti nobilesque viri, nominatim *Joach. ab Hirtensberg Pastorius, Georgius Niemericius, Nicolaus Lubieniecius*, & *Petrus Suchodolius* sese abeuntibus *Gedani* & alibi adjunxissent. Quam viam per *Batavos*, *Anglos*, *Gallosque*, iterum emensus (sparsis haud dubie, ubicunque poterat a) errorum seminibus) *tertium*, nisi fallimur, (neque enim singularia explorare b) licuit) postea iniit, eaque peracta peregrinandi consvetudine, & cupidine jam expleta, stabilem aliquandiu c) sedem nactus est in ejusdem *Casp. Sacci*, quem diu jam cum cæteris sodalibus veneratus erat patronum maximum, prædio *Bobovico*, donec inde *Gedanum* A. 1632. circiter ineunte commigraret. Hic privatim primum provehendæ ac dilatandæ *Socini* hæresi intentus, quemadmodum intra ædes suas singulis dierum hebdomadibus studiose scopo huic obtinendo incubuerit, ipse edocuit in *epist. ad Eugenium* d) quendam exarata. Tantaque in isthoc instituto calliditate usus legitur & circumspectione, ut, si quis ex insperato interveniret, familiarem alius generis simulando, quam sacri, conventum, neque poculum defuerit aliquando amicis propinandum, ipse fateatur. Digna res est, & fraudulenti hæreticorum, disseminandis erroribus præceptis pervicaciter intentorum, animi tam illustre exemplum, ut satius nobis videatur, ipsius *Ruari* verbis integre adductis, quam qualicunque compendio inde confecto, mutilatam aut obscuratam enarrare. Ita vero ille in epistola

a) Seu, uti in epist. ad *Richterum* (*Selectarum Epp.* f. 387.) loquitur, adhibita *sua opella in iis rebus, quibus Altorphi potissimum vacaverat, quosdam juvando.*

b) Eo namque denuo rediisse, tam ex ipsius *Ruari*, quam *Remonstrantium* epistolis haud obscure effici potest; ita tamen ut, quem comitatus sit, & qua occasione huc illuc commigraverit, non liqueat. Longius autem in hac *tertia* excursione & ultra *Batavos* eum non esse progressum, verisimile est.

c) Quo tempore, & dum istic commoratus esset, colloquium illud videtur habitum, A. nimirum 1629., quo rationes cum *Ruaro* se Berolini contulisse ipse scripsit *Paul. Felgenhauer* in *Refut. Paralog. Socin.* f. 84. 93. sqq. ubi etiam, cum *Floriano Crusio* A. 1638. *Gedani* se collocutum esse, idem narrat.

d) Quem *Jo. Lud. a Wolzogen L. Baron. in Farenfeldt & S. Vlrich* Austriacum, commentariis præsertim in LL. Script. S. plurimis latine a *J. Stegmanno* jun. (abolitis avtographis, quæ Germanica erant,) redditis clarum, & in *Pomerania* ac *Silesia* denique apud affinem suum *Flor. Crusium* commoratum, tandem vero in pago *Schlichtingsheim*, non procul *Vratislavia*, A. circiter 1658. æt. 62. demortuum esse, jam supra §. VII. extremo conjecimus, deque ea conjectura, ut vera, tanto minus dubitamus, quo luculentiora alia indicia illam confirmant. Cæterum hæc epistola Cent. I. num. XXVta est.

ſtola ad *Eugenium* citata cum teſtificatione voluptatis maximæ. *Paucis*, inquit, *narrabo, quam agendi rationem tenuerim: fortasſis non diſplicebit exemplum, quod non quidem imiteris, ſed æmuleris tamen. Contraxi Gedani ſtudioſe notitiam cum viris aliquot eruditis, quos moderatiore intelligebam eſſe ingenio, ſed cum longe pluribus ex plebe: illos enim obſtinatiores fere reddit eruditionis perſvaſio, & ſcholaſticarum aliquot diſtinctionum ſubtile effugium. Fuit tamen & inter illos non plane mihi fruſtra inſumtus labor, præſertim, ſi ſolus ſine teſte cum aliquo agerem, ubi de ingenii gloria minus erat periculi, idque non tam cominus & adactis in frontem ictibus, quam ex obliquo, ut ſedatis affectibus vincerentur prius, quam vinci ſe ſentirent, aut irritati aciem contra inſtruerent.* a) *Id certe eo usque mihi profuit, ut non defuerint, ne ex ſacro quidem ordine, qui dextram mihi fraternitatis junxerint, & ut noſtram ſententiam non perinde approbent, ſe tamen ob eam nolle nos triſti anathemate ferire, clare faſſi ſunt. In plebe, ut fructuoſior, ita majori mihi cum moleſtia conſtitit labor. Sapienti enim, ut inquit ille, dictum ſatis eſt: his vero ſingulis toti ſæpenumero impendendi fuerunt dies, atque eadem ter quater inculcanda. Ut vero pluribus ſufficerem, contraxi ſingulis dierum hebdomadibus bis, denos aut ſummum duodenos amicos ex variis eorum cohortibus, qui Chriſti militiam ſequuntur; ne Pontificiis quidem excluſis, idque nunc in hoc, nunc in illo loco, & eo quidem tempore, quod ab aliis fere non ſacris, ſed deambulationi aut poculis tribui ſolet: quanquam ne nobis quidem poculum aliquando deerat, ut non modo aliunde ſupervenientibus, ſed & nonnullis, qui aderant, minus rerum gnaris, familiaris potius, quam ſacri conventus ſpecies iſta videretur. Ubi coivimus alius poſt alium, permiſſum cuilibet in medium proferre, ſive locum aliquem Scripturæ S., ſive caput aliquod religionis difficile,* b) *deque eo ſententiam*

 aliorum

a) Conf. Gal. III, 1. βασκαίνειν, & his artibus commemoratam Eph. IV, 14. ἀνθρώπων in rebus fidei κυβείαν, a qua cavere jubet Apoſtolus, illuſtra.

b) Tutumne ſit, *conventus pietatis cauſſa inſtitutos*, (uti nuper etiam quibusdam viſum eſt, uſuque ipſo demonſtratum) promiſcuos præſertim, & quibus miniſter aliquis Eccleſiæ, probatæ compertæque cum orthodoxiæ, tum prudentiæ, dirigendis non præſit, *permittere*, hinc ſagaciores diſcant. Nobis hi, quos adhibuit *Ruarus*, ſubdoli plurimum huic controverſiæ lucis affundere videntur, præcipue cum ſtatu præſenti Eccleſiæ, eosdem inſultus hinc inde ſuſtinentis, comparati. Tantoque etiam plus cauſſæ eſſe, cur clandeſtina hujusmodi conventicula prohibeantur, non ex his tantum machinationibus *Ruari*, ſed etiam inde patet, quod, primum quoque *Socini* & ſociorum Italorum a veritate puriori, deſerto Papatu, ad alterum extremum tranſitum, ejus generis *collegiis & colloquiis privatis*, in agro *Veneto*, præſertim *Vincentiæ* & alibi A. 1546. inſtitutis, deberi, *Przipcovius*, ſub *Equitis Poloni* nomine latens, in *vita* utriusque *Socini* non diſſimulavit, & *Lubieniecius* etiam in *Hiſt.*

aliorum explorare. Eæ vero dicebantur ordine a ſingulis: hoc enim & attentionem eorum, ubi aderant, & diligentiam, cum domum redierant, mirifice in illis alebat, cum quilibet ſe dignum haberi, qui & alios inſtrueret, videret. Cum ad me ordo ſententiam efferendi perveniebat, laudabam, ſi quid ab aliis probe dictum animadverteram; ſi ſecus, commoda id interpretatione leniebam, aut blande refutabam: dabam autem cumprimis operam, cum meam proferebam ſententiam, ut ea, licet, quod ſacris teſtimoniis ac rationibus munitior foret, plerorumque ac interdum omnium ferret punctum, non emineret tamen inter cæteras, ſed iis ut una e multis intermixta videretur. Si videbam nonnullos procacioribus ingeniis in ocioſas aut ſubtiles magis, quam fructuoſas diſceptationes abire, revocabam eas molliter: atque ipſemet aliam pietati magis utilem, ſed vicinam tamen, & tanquam ex ſermonibus natam inferebam, qua illas ſenſim ac pæne ſine ſenſu a) *obtererem.* Hæc *Ruarus*, in amici ſinum ſatis candide effundens, minus tamen candide acta, ipſe narravit. Quæ omnia quam egregie porro illuſtrent locum Paulli Rom. XVI, 17. 18. & commemoratas iſtic τῶν ἐξαπατεύντων καρδίας τῶν ἀκάκων χρηστολογίας καὶ εὐλογίας, aliis dijudicandum relinquimus. Quæ porro,

Hiſt. Reform. Polon. ſuo conſenſu, ac pæne applaudens, approbavit. Quæ origines *Crypto-Photiniſmi Italici* dignæ eſſent, quæ ab Italo docto, documentisque genuinis inſtructo, ex profeſſo deſcriberentur, magisque dilucidarentur. Quæ enim de ſocietate iſta, numerum quadragenarium excedente, tam *Lubieniecius*, quam *Sandius* memoriæ prodiderunt, *Leonhardum, Abb. Buſalis*, (vitam deinceps Damaſci arte ſarcinatoria traducentem,) *Lælium Socinum, Bernh. Ochinum, Nicolaum Parutam, Valentinum Gentilem, Julium Treviſanum, Franciſcum de Ruego, Jacobum de Chiari, Franc. Nigrum, Darium Socinum, Paullum Alciatum*, aliosque nominatim recenſentes, fataque etiam quorundam valde ſiniſtra enarrantes, ea nondum rem omnem conficiunt, multaque adhuc luce indigent. Inter quæ illud potiſſimum numeramus, ut, qua larva ſibi ſumta, aut quo obtentu *collegia* illa & *colloquia*, diſſipata tandem, habuerint; *Academici*ne *conventus* nomine, ut fieri dudum conſvevit apud *Italos*, an alio inducto colore? accuratius explanari deſideremus, ipſosque adeo doctrina & rerum in patria geſtarum peritos *Vincentinos* publice de ea opella Reipubl. Eccl. & litterariæ præſtanda ſigillatim compellemus. Qua tamen occaſione percommode nobis data, non poſſumus, quin vel tribus verbis animadverti velimus; quando *fratrum Italicorum* in aliis quoque ſcriptis ſub id tempus, & ſec. XVI. anno circiter XXXIX. ſqq., fit mentio, v. g. in epiſtolis *Philippi*, ad *Vitum Dietericum* præcipue datis, non hos intelligendos eſſe clandeſtinos Antitrinitarios, ſed *Petrum Martyrem, Immanuelem Tremellium, Celſum Martinengum, Hieronymum Zanchium* & reliquos, qui deſerta *Auguſtiniani* ritus ſuperſtitione tandem & fere XVIII omnino diſceſſerunt, & Reformatæ Eccleſiæ ſeſe adjunxerunt.

a) Ita ſcil. *vaferrimum* hominem, in ſe quadrare, quod de poſtremis temporibus χαλεποῖς *Paullus* præſignificavit fore, αἰχμαλωτεύοντας nimirum quosdam extituros τὰ γυναικάρια, aliosque ſimpliciores h. m. decipientes, profiteri non puduit.

porro, quid *Altorphi* in privatis conventiculis a) olim actitatum ſit, ſi integra expendantur & comparentur invicem, non obſcure demonſtrant: certe, qua methodo conſortium impietatis tamdiu iſtic etiam latitare potuerit inter Studioſos, fucusque ſimul oculatisſimis etiam inter Doctores factus ſit, quantum denique larva pietatis ab impoſtoribus ſibi aliisque obducta aſſumtaque valeat, clarisſime oſtendunt. Eaque etiam cauſſa fuit, cur fuſius hæc repetenda & enarranda eſſe exiſtimavimus.

§. XLII.

Poſtquam vero hæc ita *Gedani* geſta ſunt oppido petulanter, ita, ut fraus tandem etiam pelluceret; haud injuſto dolore Senatus Populique hinc commotorum auctoritate, ſemel iterumque excedendi ex urbe necesſitas *Ruaro* injuncta eſt: idque tum demum factum, ut ipſe fatetur, quum *ſeptennium integrum* in ea urbe *pacate* b) vixiſſet, & præcipuorum *Regni Polonici Senatorum* negotia c) ſibi commiſſa curaſſet. Atque intra hoc etiam tempus, anno nimirum 1636., matrimonium primum iniit, atque *Martini Vosſii*, Senatoris & Præſidis, mercatura item & ampla familia civitati innexi, filiam connubii fœdere ſibi junxit, eamque, ut fieri ſolet, Iſraëlitarum legibus jamdudum id præſagientibus, in conjugiis hujusmodi, cum parentibus ad partes tandem ſuas transduxit. Quibus rebus autem factum eſt, ut, poſtquam ſocero cum genero ſuo urbe excedere tandem diſtricte imperatum eſſet, atque dos *Ruaro* in *patrimonio hæreret*, d) ædesque non unas ſocer in urbe posſideret, ambo emigrare jusſi, manibus pedibusque diu reluctarentur, ſed tamen parum proficerent. Intercedentibus enim deprecatoribus haud paucis, cum Provinciarum præſidibus, tum exercitus Polonici Ducibus, gravisſimis e) ad extremum quidem procuratum eſt, ut certis conditionibus ad tempus aliquod indulgentia perſeverandi utrique in urbe concederetur. At enim vero cum promisſis neque poſt hæc ſtaret *Ruarus*, ſed aliorum ſubinde f) animos depravare

a) Add. Cap. I. §. XXXIX.

b) A *publicis* videlicet motibus concitandis abſtinendo. Quam ſolicite enim ab animis aliorum *clam* conturbandis ſibi temperaverit, jam ante dictum eſt.

c) Vulgo apud nos *Agentes* appellari ſolent, quibus id munus demandari ſolet.

d) Verba ſunt ipſius *Ruari* l. c. adhibita.

e) Quos vide nominatim commemoratos ab *Hartknochio* H. *Eccl. Boruſſ.* L. III. c. IX. f. 825. ex qua etiam præcipuum huic interpellationi momentum pondusque addidiſſe Archiſtrategum *Koniecpolskium* intelliges.

f) Obvios quosque, in Bibliopoliis præcipue, aggreſſus. Quod ſibi quoque accidiſſe, *Jac. Ogerius*, Gallici ad *Polonos* Legati, *Com. de Avaux* eo profecti, ſocius, in

re nihilominus pergeret, atque sic omnis spes ab inveterata consuetudine recedendi decollaret, mandatum denique est serio, ut ex civitate egressus, alibi res suas sibi haberet, & extra agrum *Gedanensem*, si lubitum esset, habitaret, neque, nisi quando propter publica quædam negotia opus esset, urbem jure peregrinantium ingrederetur. Ita *Straszynium*, qui pagus unum milliare *Dantisco* distat, & *Paulli Ivanicii* a) fuisse prædium in vita *Wissowatii* b) dicitur, ac de reliquo *Cujaviensi* Episcopo, quantum ad Ecclesiastica jura, subjectus est, concessit. Vbi dehinc, non tamen sine omni metu, inter sacra, quibus præfuit, *Socinianorum* obeunda, quippe quæ istic etiam abrogari Episcopus præceperat, diu vixit. Hoc modo sustentatus *Polonorum* quorundam Magnatum patrocinio, reliquum vitæ tempus omne duriter ibidem c) exegit, &, ut est in *Wissowatii* vita, aliquoties citata, d) inter alia Germanice conciones Polonicas interpretatus est, sacramque Synaxin eadem lingua accessuris administravit, usque dum A. CIↃIↃCLVII. exeunte (nam *Kal. Martii* h. a. adhuc superstes fuit) provecta jam ætate e) ex hac vita mortali excederet, liberis e *Vossia*, uxore prima, f) compluribus, sed exiguo patrimonio, relictis. Quorum quæ fuerit post patris excessum fortuna, equidem accurate explorare nobis haud licuit, in *Belgium* tamen e *Borussia* filios commigrasse, valde probabile est. Etenim horum alter, *David Ruarus*, Amstelodami epistolas patris typis subjecit suis; g) alter, *Joachimus*, præfationibus præmissis eas

in *itinere suo Polonico* f. 418 sq. testatur, qui etiam, ad privatam consvetudinem ab eo invitatum se fuisse, l. c. addit.

a) Idem *Paullus* alibi in *Vindiciis Vnitar.* f. 286. *Paullus in Swanitze Swanitky* vocatur, & *Tobiæ in Swanitze*, Propincernæ Palatin. Czernichoviensis, frater fuisse dicitur. Vnde in proxime citando loco errorem a describente, atque S in I mutante, commissum conjicimus.

b) Apud *Sandium* in *Append. Biblioth. Vnitar.* f. 241. ubi *Dantiscanam Ecclesiam illic* tunc *collectam fuisse*, *cujus curam Ruarus gesserit*, affirmatur.

c) Conf. *Epist. Remonstr.* ed. 1704. f. 890. (b) & adde *Hartknochii Hist. Eccles. Boruss.* L. III. c. IX. §. VI. f. 825. sq. coll. 849. sq. ubi & cæteros, e vulgo ad has partes a *Ruaro* præcipue abductos, enumeratos legas.

d) Quæ, uti dictum, P. II. *Biblioth. Vnitar. Sandianæ* continetur f. eodem 241.

e) *Septuagenarius*, uti definite *Hartknochius Hist. Eccl. Boruss.* C. IX. f. 826. affirmat.

f) Post hanc enim demortuam alteram *Catharinam Weimeram* duxisse, ex Cent. I. Ep. 47. f. 226. patet. Ex qua utrum liberos susceperit, non sine caussa dubitamus.

g) *Typographeum* enim *suum*, e quo prodierit Centuria Ima, idem in Præf. IIdæ præmissa explanate vocat, atque adeo hanc *secundam* iisdem, quibus & prior, typis procusam esse, uti titulus quoque præfixus condocet, profitetur. Publica vero, an privata ea fuerit officina, alibi demonstratum dabimus.

eas exornavit; neuter tamen in edendo iſtoc volumine gemino eam, quam poterant ac debebant, diligentiam adhibuere. Vnde fieri aliter non potuit, cum, quæ præſto eſſent ex paternis MSctis, promiſcue corraderentur, quin grandibus hinc inde nævis ſcateant, &, vel propter ſolum ordinem neglectum Chronologicum, *Lectores* de hiſtoria variarum rerum geſtarum plerumque ſuſpenſos relinquant, & paſſim etiam confundant. Qua denique induſtria *Georgius Calixtus*, elegantisſimi politisſimique ingenii Theologus, idemque concordiæ ſanioris ſeu tolerantiæ Eccleſiaſticæ ſtudioſisſimus, in *Colloquio Thorunienſi* A. 1645. cum *Marchicis* tunc præſens elaborarit, ut popularem illum ſuum (quandoquidem & *Calixtum* fuiſſe *Holſatum* conſtat) in viam rectam veritatis reduceret, ſed pertinaciam ejus ſuperare haud potuerit, Cl. *Möllerus* ex *Frid. Ulr. Calixti*, filii, litteris in *Introd. ad Cherſoneſ. Cimbr.* retulit: a) Quem conſulere juvabit. Tantum de *Mart. Ruaro*, præcipuo triſtis hujus fabulæ actore. b) A quo ad fratrem tranſitum faceremus illico, niſi *aliud* quoddam *crypticum nomen*, c) a priori ſibimet ipſi affictum, nos paullulum moraretur: quod quia ad Epiſtolas *Remonſtrantium* illuſtrandas quodammodo facere poterit, neque ab aliis hucusque, quod ſciamus, obſervatum eſt, remoto velo detegemus. In his enim, cum, ſtudioſe & attente epiſtola, quæ num. CCCLXXVIII. locata eſt, cum *Ruarianis* comparata, nomen *Roberti Euſtachii* ad *Gabrielem Thraſyllum*, quod illa præ ſe fert, excuteremus diligentius, *Ruari* eas eſſe deprehendimus litteras, atque *Euſtachii* illud nove fabricatum cognomentum ab eo ultro aſſumtum animadvertimus. Quod utrum ipſe editor præcipuus d) *Ph. Limborchius* animadverterit, fere dubitamus. Ita vero ſeſe rem

 habere

a) P. II. c. V. §. 5. Præſentem autem, una cum *Jona Slichtingio*, in famoſo iſtoc Conventu Thorunienſi *Ruarum*, & quidem *Eccleſiæ ſuæ nomine*, adfuiſſe, etiam in *vita Stanisl. Lubieniecii* * 2. (b) legitur annotatum. Neque P. *Lamyus* in *Hiſtor. Socinisſmi Gall.* P. II. f. 426. ſilentio id prætermiſit; qui tamen & ipſe non alium, quam *Möllerum* teſtem produxit.

b) Quem præter ea, quæ in *Germania*, & *Altorphi* cumprimis, acta ſunt, *Socinisſmo* promovendo præcipuam operam contuliſſe, nemo dubitabit, quisquis vel ſcribendi litteras alacritatem ejus maximam, dum viveret, continuatam, & librorum e *Polonia* conquirendorum, atque huc illuc mittendorum, cum aliorum tum vero maxime *Socinianorum*, promtitudinem, miſſorumque copiam, cogitaverit. Ego certe hoc, quo *pararium librorum* hujusmodi egit, quaquaverſum curatorum, plus eum promoviſſe ſociorum cauſſam, quam cæteri ſcribendo eosdem, plane mihi perſvadeo.

c) Et ab illis, quæ in noſtro Indice leguntur, plane diſtinctum.

d) Nam & *Chriſtianum Hartſœkerum*, *Limborchii*, A. 1660. (quo anno prima editio

habere, credibilius nobis eſt, quod aliunde quoque jam oſtenſum fuit, filium non ipſas litteras, uti ſunt ad amicos miſſæ, ſeu ultima avtographa præ manibus habuiſſe, ſed primas conſignatæ rudi Minerva cujusque *epiſtolæ* lineas, unde iſta deſcripta, hæc vero poſtmodum domi asſervata a *Ruaro* fuere. Quo pacto facile fieri potuit, ut inter deſcribendum demum nomen utrumque immutaretur, uſibus autem ſuis ipſe *Ruarus*, cum charactere primo, verum nomen & ſuum & amici præſertim, ad quem ſcripſerat, ſchedæ priori inſcriptum retineret. Nec abhorret origo Græcorum vocabulorum, quandoquidem *Euſtachii* alterum a ϛάχυς *ariſta*, cum adverbio εὖ conjuncta, *Ruh Aehren* (Ruarum) exprimit, alterum *Roberti*, prænomen, *Martium* robur non obſcure indicat, *Martini* procul dubio latina origine aliquo modo deſignatum, Græcumque Αρειος ex aſſe referens. Nec alterum *Thraſylli* genuinum *Gabrielis Cœnerdingii* nomen obſcurius refert: cum prius heic κατὰ πόδα repetitum ſententiam noſtram magis confirmet, poſterius autem audaculum hominem, & Germanicum *Kühn* Græce expreſſum, dilucide ſatis repræſentet. Quibus omnibus tandem fidem facit præcipuam ipſa orationis ejus epiſtolæ, ad *Cœnerdingium* (Remonſtrantium addictum partibus, & t. t. *Amſtelodami* viventem) exaratæ, ſeries; quippe quæ ad verbum cum exemplo, quod in Epiſtolis *Ruarianis* a) exhibetur, convenit, niſi quod inepte *ſpiritum* pro *Spiritum*, contextu quoque id prohibente, qui nomen proprium flagitat, b) filius exſcribi curavit. Cæterum non in hac tantum epiſtola, ſed poſt hac quoque, eodem *Euſtachii* integumento obvolutum litteras interdum ſcripſiſſe *Ruarum*, aliud exemplum, c) eodem *Remonſtrantium* Epiſt. Faſciculo comprehenſum, edocet, quod num. DCIX. fol. 890. ſq. occurrit; Ex quo tandem etiam didicimus, *Ruari* generum J. S., forte d) *Joachimum Stegmannum*, juniorem, fuiſſe, & non omnino ſeptuagenarium, ut *Sandius* aſſerit, ſed LXVIII. annos natum, hoc anno, quo

tio lucem adſpexit, quam A. 1684. altera, tertia vero anno 1704., locupletiores ſequutæ ſunt) in *Goudenſi* cœtu *Remonſtrantium Collegam*, ſocias cum hoc manus junxiſſe ex *Præfatione* notum eſt.

a) Cent. II. num. XXIII. f. 163. ſq.

b) Vtrum vero *Geyſteranorum* aliquis (*Joh.* aut *Arnoldus*) ſub eo lateat, ſuſpicamur quidem, ſed non definimus.

c) Cujus alteram partem, in Cent. I. *Ruarianarum* num. 88. impreſſam, ſi compares, forte etiam anonymum illum, ad quem eæ litteræ datæ ſunt, *Steph. Curcellæum* fuiſſe, intelliges.

d) Immo non dubitamus amplius, hunc intelligi, quoniam frater ejus in eadem epiſtola *Chriſtophorus* nominatur, quo nomine appellatum *Joach. Stegmannum* ſen. filium reliquiſſe, eundemque etiam ſcriptis inclaruiſſe, compertum eſt.

quo Epiſtolam ſcripſit, a) uti idem *Sandius* ait, obiiſſe, multosque cum uxore liberos atque rem anguſtam domi reliquiſſe, denuo cognovimus. Sed hæc hactenus. b) Etenim nobis ad JOACHIMVM RVARVM, *Martini* fratrem, nunc redire animus eſt. Is, poſtquam a fratre, natu majore, ad eandem impiæ religionis ſocietatem *AltorphI* pellectus erat, ita, ut *ſacram* etiam *Euchariſtiam* cum cæteris privatim celebrarit, c) pridie, quam diſcederet *Vogelius Altorphio*, in eadem ſententia, quod ſciamus, deinceps quoque perſtitit, conſiliaque de propaganda hæreſi cum fratre, ut ex epiſtolis apparet, diligenter contulit. *AltorphI* vero non diu commoratus, cum *Vogelio* inde, An. 1614. menſe *Martio*, teſtimonio *Ord. Philoſoph. Amplisſimi* d) perhonorifico inſtructus, quod integrum ſtatim exhibere non pigramur, abiit, ejusque in itinere (de quo Cap. III.) comes in *Saxoniam* usque fuit, unde longius & *Roſtochium* usque progreſſus eſt, atque cum *Paullo Gröe*, eo, uti diximus, itidem profecto, amicitiam ſtudiaque in illa Academia continuavit. Ne quid vero deſit, antequam ad alia progrediamur, en! Teſtimonii modo dicti ἀπόγραφον:

Mich. Piccartus, Fr.
Decanus CollegI Philoſophici in Academia
Noric. Altorphina, L. B. S.

Qui debeant eſſe ſcopi bene nati honeſteque educati adoleſcentis, quos in omni vita reſpicere, inque iis mentem defixam habere debet, eleganti diſticho complexus eſt poëta quidam non invenuſtus:

Νῦν

a) Quis vero *Sacer* ille *Fons* ſit, unde poſtremus ſub *Euſtachii* nomine litteras ſcripſit ad anonymum, h. e. *Curcellæum*, aliis diſquirendum commendamus. *Straszynium* fuiſſe, valde dubitamus.

b) De libris enim ab eo editis *Sandius* conſuli poteſt. Quibus nihil addimus, niſi quod, *Verſionem Nov. Teſt. Socinianorum* eum quoque promoviſſe, multi perhibent, immo, *obſtetricante Mart. Ruaro*, ex ipſius *Socini*, *Oſtorodi* & *Smalcii* Diſpp eam expreſſam eſſe, *Hackſpanius* noſter in *Errab. Interpr.* §. 72. diſerte affirmavit. Quæ quamvis famoſæ iſtius verſionis origines non omnino patefaciant, hactenus tamen *Hackſpaniana* (cui viro doctiſſimo *Socinianorum* res & ſcripta cæteroquin apprime cognita fuere) obſervatio uſui nobis eſſe poterit, ut b. *Pippingo* in *Proleg. ad LL. Symbol.* lubentius aſſurgamus, quando l. c. f. 13. ex junioris *Ruari* relatione, prorſus conſtare, *Oſtorodum* eſſe verſionis ipſius, *Crellium* autem Præfationis auctores, tradit. *Ruarum* certe publicandæ ſvaſorem & adjutorem fuiſſe, alia quoque ſunt, quæ condocent. Nobis, ſi inter *elaborationem primam*, & *recognitionem Ruari* atque *Crellii* conjuncta opera ſuſceptam diſtingvas, res omnis expedita videtur.

c) Quo de auſu ſupra actum eſt Cap. I. §. 39.

d) Quem, perinde ut *Martinus* artificioſe, doctrinæ ſanioris approbationem ſimulans circumvenit.

Νȣ̃ν ἀσκεῖν, ὑμνεῖν δὲ Θεὸν, καὶ πᾶσι βοηθεῖν,
Τȣ̀ς ἀγαθȣ̀ς ἀγαπᾶν, ἤθεα φαῦλα φέρειν.

Hos ſcopos, ſi quisquam alias, unice hactenus curæ habuit Joachimus Ruarus, Hamburg. a) *juvenis virtute & omnibus liberalibus doctrinis ornatisſimus: qui cum rectum de Deo ſenſum verumque ejus cultum cum lacte materno imbibiſſet, parentum deinde & præceptorum monitis in dies magis magisque confirmaſſet, pietate duce ad literarum ſtudia contendit, & exemplo fraterno incitatus, eos in illis progreſſus fecit, qui a multo grandioribus ætate & admirationem & gloriam mereri ſolent. Nam & Philoſophicis lectionibus auſcultandis indefeſſam operam adhibuit: & Medicinæ præterea cognitionem non pœnitendam ſecum a nobis in patriam refert. Quamdiu porro nobiscum fuit, & favere & prodeſſe bonis ſtuduit, tolerare autem & mores & homines ſequiores, qui, ſi ad ingenium ejus vitam inſtituere, quam libidinibus ſuis obſequi maluiſſent, ad frugem tam nobili exemplo redire potuiſſent. Nam & præceptoribus reverentiam, ſuperioribus honorem, paribus amorem, inferioribus benevolentiam & officium maxima animi alacritate, quaſi beneficium ipſe acciperet, detulit: in vita ſobrius & caſtus, in alloquiis comis & humanus, in actionibus denique omnibus compoſitus & gravis. Unde pleniſſimam de eo ſpem concipimus, fore illum brevi & patriæ ornamento, familiæ ſuæ decori, publice autem bonis omnibus uſui. Unde cui meritisſimum hoc ex vero, non ex affectu, teſtimonium negare petenti non potuimus, eum aliis porro commendatisſimum eſſe optamus, cumque bonis boni ſemper placeant, non dubitamus, hunc quoque Joachimum noſtrum, quocunque locorum devenerit, Patronos & fautores reportaturum; quod ipſum tamen moris potius cauſa, quam quod ita neceſſe ſit, literis noſtris hiſce, quos fidei cauſa, ſigillo Collegii noſtri communivimus, rogamus & obteſtamur. Altorffl. In Provincia Norica. Cal. April. A. MDCXIV.* Hactenus illi, alia omnia non multo poſt experti, poſtquam in alias hinc *Academias* diſceſſerant complices, & arcanum illud ſodalitium detectum hujus quoque hominis ſimulatam, externaque probitate morum utcunque communitam, infucatamque in veritate Evangelii integritatem prodiderat. Tanto interim amore fratris *Martini* alter hic *Joachimus* eſt uſus, ut non ſolum de conditione commoda ei paranda ſollicitus ille fuerit, quo aliena

a) Quo ſenſu *Hamburgenſis* ſit appellatus, non intelligimus. Ita vero ipſius *Piccarti* manu, qua uſi ſumus, Celeb. D. *Jo. Jacob. Bajeri*, collegæ honoratiſſimi, benigna indulgentia nobiſcum communicata, exſcriptum fuiſſe teſtamur. *Crempæ* enim Holſatorum, perinde uti fratres reliqui, & hunc natum eſſe, conſtat. Forte, quod ſtudiis ſcholaſticis iſtic diu operam dederat, ſic eſſe vocatum, ſuſpiceris.

na quadra vivere posset, sed etiam, si consilium non succederet, totum patrimonium ei rescribere, aliquando animo secum constituerit; quod per aliquot annos ad victum sufficere posse credebat. *Rostochiine*, (huc enim *Altorphio* abiisse paullo ante dictum est) an alibi, honores Doctoris Medicinæ consequutus sit, incertum est; *Archiatri* vero *Brandenburgici*, & quidem in ipsa *Electorali* t. t. sede *Berolinensi*, (quod addimus) dignitatem hanc gessisse, cum ipse *Möllerus* affirmet, nostrum non erit pluribus explanare. Tantoque minus de eo dubitandum, quo certius est, & ipsum *Sam. Przipcovium Consiliarii Electoralis* a) munus aliquantisper obiisse, donec, comperta ejus, a Catholica veritate, dissensione, & munere honorabili, & solo decedere juberetur: quam tamen ille migrationem molestam A. 1670. morte sua anticipavit. *Joach. Ruari* de reliquo dies emortualis exploratus nondum est, neque etiam multum, eum nosse aut ignorare, refert. A. 1635. tamen in vivis adhuc fuisse superstitem, ex epistola *Anonymi J. A. B. Noribergensis*, b) quæ in Cent. c) IIda ordine nonagesima secunda, & ad *Martinum* perscripta est, edocemur, quam A. 1634. datæ ipsius fratris ad eum litteræ n. 98. sequuntur. Ex quibus, in hæresi illum constanter perseverasse, atque haud dubie etiam eidem immortuum esse, non obscure liquet.

§. XLIII.

Venimus nunc ad literam S. in qua statim ab initio novum errorem notare oportet apud Cl. *Möllerum* scriptoris istius, quem typis subjecit, Catalogi, JOH. SARTORIUM,

Tt pro

a) Conf. Præf. *operibus Przipcovii*, *Eleutherop.* A. 1692. emissis, præfixa.

b) *Norribergæ* certe scriptæ sunt litteræ, produntque hominem *Acontii* placitis imbutum, qui tamen, cum *Jo. Duræum*, pacificatorem illum θάλασσαν καὶ ξηράν, ut Syncretistas faceret, περιάγοντα, *nostrum* vocarit, dubium mihi movit: utrum *Noribergensis* fuerit, an Reformatæ alioquin Ecclesiæ addictus illic ad tempus vixerit? Plura nec suspicando nec conjiciendo ex his litteris exsculpere adhuc potui, atque hinc de explicatione etiam in Indice occurrente, qua *Pœmerus* nuncupatur, hæsito. Ita fluctuabam, cum primum in hujus epistolæ scriptorem inquirerem. Postquam vero, *Joh. Abraham. Pœmerum*, Patricium Noribergensem, sub id tempus in patria vixisse, & curam Tabularii A. 1552 eum gessisse, hinc A. 1554. redituum publicorum Consiliarium constitutum esse, sed tandem, ex urbe discedentem, Consiliarium Solisbac. atque porro etiam Moguntinum, cum ad Pontificios descivisset, creatum, A. 1586. Solisbaci vivere desiisse, comperi; tanto lubentius, eum h. l. intelligi, nunc credo, quo clariora iste animi, in religionis negotio permultis scrupulis vexati, & defectione sua & disceptationibus cum b. *Joh. Fabricio*, Past. Mariano, indicia dedit.

c) *Ruarianarum* Tom. II. f. 424.

pro *Statorio* seu *Stoinio*, substituentis. Nam, quis unquam in hac sodalitate fuerit *Sartorius*, vel fando accipere, aut a quoquam addiscere, huc dum haud potuimus. Præter hæc vero hallucinationem quoque calami Græcum nomen prodit ad Latini notionem accommodatum *Histæi*, ab ἵστημι, *sto*, *sisto*, formatum. Non alium enim intelligendum putamus, quam *Petri Statorii* seu *Stoinii*, junioris, *Racoviensis* a) Pastoris filium, & alterius *senioris*, *Lotharingi* gente, & *Thionvillæi* civitate, *Blandratæ* quondam familiaritate, ut *Beza* b) subindicavit, in Academia *Genevensi*, corrupti, ac *Pinczoviensis* deinceps Rectoris, nepotem: qui jam tunc, cum hæc inter clandestinos nostros *Socinianos* agitarentur consilia, Pastoris c) munere *Racoviæ* adolescens adhuc, cum ætatis annum XXII. ageret, fungebatur, interque eos etiam post hæc tempora numeratur, qui A. 1638. solum vertere, schola eversa, adigebantur. d) De eruditione insigni & facundia excellenti *Sandius* testis est, e) qui etiam, ab aliis jam ante nomen ejus *Statorii* in *Sartorii* formam male inflexam esse, annotavit, multaque in epistolis variis ejus exempla nobis observata sunt similia. Cætera, & quare complices illi nostri ejus crebro meminerint, præsertim, si locum, ubi docebat, ad animum revoces, nemini obscura esse opinamur. *Hormii* vero, alterius cognominis fictitii, originem nisi ab eloquentiæ motu vehementiori, quam δεινότητα *Rhetores* vocant, derives, cum altero conciliare vix audemus. Quodsi vero ab ὁρμέω, *stationem habeo in portu*, (quæ navium proprie est affectio) deducas, & utroque nomine *Hormii* atque *Histæi* dictum fuisse existimes *Statorium*, verisimiliori derivatione forte inquirentibus satisfacies, erroremque alterum hic commissum, quando videlicet duo hæc nomina in Onomastico, typis a Cl. *Mollero* subjecto, con-

a) Tandem vero *Luclaviciani*, quo intimo amico & consiliorum omnium conscio usus est *F. Socinus*, qui etiam, ut supra jam observavimus, mortuo parentavit, sed proximo statim anno quoque ad plures abiit, cum quadragenario vix major esset.

b) Epist. XVI. p. 120. sq. collata *Valent. Gentilis impietatum & perjurii explicatione*, in cujus Præf. f. 16. *juvenem alioqui bono ingenio, nec contemnenda doctrina præditum, at operam omnem suam fucandis Blandratæ commentis navantem* vocat.

c) A singulari eloquentia celebrati, atque eapropter tam mature ad hoc officium evecti. Cujus etiam studio *Epitomen Hist. Orig. Vnitar.* quæ *Sandianæ Biblioth.* subtexta est, debemus.

d) Vnde *Amstelodamum* concessisse, &, postquam istic aliquantisper latitaverat, tandem in patriam remeasse, cœtusque Pastorem in oppido *Szersznie* in *Vkrainia* cum collega *Andrea Wissowatio* factum, ibidem etiam diem suum A. 1654 obiisse, constat.

e) *Biblioth. Anti-Trinitar.* f. 121. med. coll. *vitæ Wissowatianæ* scriptore f. 235. med.

conjunguntur, ſimul emendabis. Sed de *Statorio* plus ſatis. a) SCHOPPERI jam venerabile nomen ſequitur, quod tanto dignius eſt illuſtratione aliqua, quanto acrius in eum arcum quaſi, atque tela recentes illi *Sociniſmi*, huc invecti, tyrones, intenderunt, cujusque diligenti vigilantia aliquo ſaltim modo factum, Dei gratia, ut *Athenæum Noricum* a periculoſisſimis corruptelis conſervaretur intemeratum: tametſi & nævis ſuis, quos alibi indicavimus, b) laboraverit. Vt diligentiam ſuam in hoc præſenti, cum *Socinianis*, certamine probaverit, eo majori cum præconio laudis commemorandum eſt, quo luculentius ex rerum, hac tempeſtate, ſtatu Altorphino, ſoli propemodum adverſus aggresſiones hoſtium depugnandum illi fuiſſe, conſtat. Præterquam enim, quod ſingulari amore diſputandi, quemadmodum ſcriptorum Indices in *Vitis Theol. Altorphinorum* exhibiti docent, ille pæne ſolus typis exſcripta argumenta publice & frequenter propoſuit; tantum etiam abfuit, ut Collegas habuerit, *Sprembergerum* videlicet, *Jordanum* & *Deubelium* in ea re, prout par fuerat, adjutores æque ſtrenuos, ut potius cum iisdem, in cauſſis quibusdam aliis, *Formulam Concordiæ*, cui *Schopperus* addictiſſimus erat, attinentibus, non minori ſolicitudine, uti jam ante dictum, conflictandum eſſet. Quæ disſidia, quo pacto in rem ſuam converterint *Sociniſmi* fautores, Cap. I. ſatis ſuperque explanavimus. Equidem non tanta fuit *Schopperi* optimi auctoritas penes novaturientes *Photinianos*, cui propter exiſtimationem eruditionisque venerationem cedendum crederent, cum potius deſpicatui eum videantur habuiſſe, ita, ut *Corn. Marci* aliquando proterve admodum ad *Peuſchelium* ſcriberet c): *Schopperi Reſponſiones ad argumenta Photinianorum ictui pulicis eſſe æquiparanda:* attamen, quanta potuit induſtria, animique contentione ſincera, nec ſpernendis profecto etiam argumentis, effecit, ut longius execrandum illud ſectæ impiæ inſtitutum progredi non poſſet, ſed publice, etſi, ſerio rem ab adverſa parte agi, ipſe non niſi ſero, immo prorſus non niſi molitionibus penitus patefactis, animadverterat, contradiceretur, juvenumque deceptorum pariter atque Doctorum e *Sarmatis* reſonans jactantia pro virili ejus opera, myſterium iniquitatis etiam neſcientis, reprimeretur. Quod autem imbecillitate ſua, & virium in diſputando tenuitate, immo confeſſione ſponte etiam edita, ac ſi ad quædam objecta reſponderi plane non poſſet, cauſſam optimam perdiderit, id luculentis teſtimoniis

 ipſius

a) De quo plura ad *Diarium* forte *Smalcianum* annotata, & anno quidem potisſimum 1617. d. 30. April. reperies.

b) Add. Cap. III. Sect. I. §. 18. 19.

c) Quæ verba ex litteris, *Jenam* datis, & inter *Peuſcheliana* repertis, excerpta ſunt.

ipſiusque viri præſtantisſimi verbis Cap. III a) tanquam injuriam, præter meritum ei illatam, diſpellemus. In præſenti enim animus eſt, nihil præterquam hiſtoriam *Diſputationis* celeberrimæ omnium de *S. S. Trinitate*, ut memoriæ proditum habemus, copioſius enarrare: utpote in qua omnes b) adverſus eum vires, cohors illa maleſana & ad oppugnandam veritatem conſpirans, experta, vehementisſimoque asſultu, ſanctisſimum myſterium ex inſtituto profitentem tuentemque, aggreſſa eſt. *Theſes* innuimus *de SS. Vnitate divinæ Eſſentiæ, & in eadem SS. Perſonarum Trinitate*, A. MDCXIII. Idibus m. Octobris, Reſpondente *M. Joh. Sauberto*, celeberrimo poſt hæc *Noriberg. Theologo*, propoſitas, quæ magnorum motuum hinc ortorum cauſſa fuere. Has enim non ſolum *Valent. Smalcius* Refutatione ex profeſſo ſuſcepta c) confeſtim anno ſequenti 1614 more ſolito, hoc eſt, Thraſonis in modum, excepit, *craſſaque Minerva*, quod ajunt, *ſcriptas eſſe*, ſtatim in limine perperam aſſeruit, & in calce *pueriles defenſiones* iterum inverecundo ore appellavit: ut blaſphemias in ipſummet S. Myſterium profuſas taceamus; Sed etiam in ipſo Diſputationis publicæ actu contra eas omnes lacertos moverunt complices illi adhuc occulti, atque hæreſeos a *Schoppero* oppugnatæ fautores: nominatim vero *Peuſchelius* noſter & *Vogelius*, qui una cum tertio Opponente ad conflictum pariter invitato, *Paullo Demetrovitio*, Lithuano, ſpecimen illuſtre profectuum in hæreſi edituri, omnes ingenii vires paullo confidentius, quam antea, explicarunt. De *Paullo* illo inferius ex ipſius *Schopperi* Apologia, quisnam fuerit, plura cognoſcemus; d) Nunc illud ſaltim monere opus eſt, hunc unum exercitii gratia cum *Schoppero* & *Sauberto* diſceptaſſe, ſed *Smalcii* & *Ruari* quibusdam argumentis, a *Gittichio* acceptis, & cum ipſo communicatis, nihilominus inſtructum; Priores vero

a) Sect. I. §. 18.

b) Poſt velitationes namque antegresſas animoſiores redditi erant, ut pæne frontem poſuiſſe viderentur.

c) Tit. integer hic eſt: *Refutatio Theſium de S. S. Vnitate divinæ eſſentiæ & in ead. S. S. perſonarum Trinitate, a Jac. Schoppero S. S. Theol. Doct. & Prof. primar. Altorffii An.* 1613. *propoſitarum, cui add. eſt Reſp. ad ea, quæ Herm. Ravenſpergerus &c. ſcripta a Valent. Smalcio, cœtus Racov. miniſtro, Racoviæ, litteris Sternacianis* 1614. 4. Plura de hoc libro non addimus, quoniam, uti jam de ea Diatriba actum eſt alibi, ita quod ad *Smalcium* attinet, non opus eſſe hoc loco putamus, ſigillatim multa hoc de auctoris ſui genium pariter, uti cætera, referente ſchediaſmate, quippe ſatis jam cognita, repetere. Niſi quod, in locis pro Divinitate Chriſti & S. Trinitate ex N. T. a *Schoppero* adductis imbecillioribus exagitandis, & 1. Cor. XV, 28. exaggerando, operoſiſſime deſudaſſe adverſarium, monere placeat.

d) Cap. III. Sect. I. §. 18.

ro ex animo magnaque contentione Theſes oppugnaſſe, docente id ipſum eventu, & ipſorum diſputantium confeſſione deinceps edita hæc confirmante, plane conſtat. Iidemque ex compacto munere ſuo ita ambo defuncti leguntur, ut *Peuſchelius* Soſpitatoris noſtri O. M. *Divinitatem* æternam evertere, *Vogelius* vero loca pro *SS. Trinitate* adducta enervare ſtuderet, a) multumque temporis, ante & poſt meridiem, huic colloquio, præter ordinem conſvetum, impenderetur. Neque etiam ſibi defuit pars utraque, in victoria reportata ſibi tribuenda, ut clam illi, hi palam de ea gloriarentur. Tantaque fuit concertantium vehementia, ut *Noribergæ* quoque mox fama increbeſceret, quam acriter de ſummo capite fidei diſputatum eſſet, diverſimode, ut fieri ſolet, diverſis, ea de re, iſtic etiam jam tunc judicantibus. Nemo tamen erat, qui ſiniſtri aliquid de diſputantium ſeria tanti erroris propugnatione exiſtimaret, b) & pauci ſuſpicarentur. Tanto vero minus in hos juvenes tam enormis hæreſeos inde derivabatur invidia, quoniam etiam tertius ille opponentium ſua obnixe perſecutus objecta, utut e ſuſpecto infectoque Lithuanorum agro oriundus, ſubtexta ad Theſes toties memoratas amica gratulatione, Præſidi atque Reſpondenti applauderet honorifice, atque hac ratione quidem ægre faceret *Socini* ſectatoribus, (unde nec *Smalcius* l. c. eam in Appendice Refutationis citatæ intactam relinquere potuit,) at cæteros tamen commilitones, tanquam in Evangelicæ Eccleſiæ gremio educatos, Eccleſiæque ſuæ & Inclyto Magiſtratui variis nominibus obſtrictos, omni prorſus ſuſpicione adverſa exemtos redderet. Quid? quod ipſe etiam *Saubertus* in *Anti-Smalcio* (ſeu Vindiciis pro his Theſibus) A. 1615. *Gieſſenſibus typis* in 4to evulgato c) idem adhuc credidiſſe videtur; quan-

a) Vtrumque vero non ſua quemque vitula, ſed *Ruari* quoque adhibita opera, araſſe, ex ſuperioribus reminiſcimur, idque ipſi deinceps confeſſi ſunt, ad meliorem frugem reverſi.

b) Equidem *Mich. Virdungus* Prof. Publ. ſupra laudatus, qui Diſputationi haud dubie interfuit, *Vogelio* non multo poſt aurem vellicavit, verba ſequentia *Philothecæ* diſcedentis inſcribendo:

Ah! pereat, quisquis ſtudio huic & ſe dedit arti,
Verba dare ut caute poſſit, pugnare doloſe,
Inſidias ſtruere, ut ſi hoſtis ſiet omnibus unus:
Heu ubi ſimplicitas tartareis artibus exul!

Sed dubium eſt, utrum huc definite reſpexerit, & ſatis habuiſſe videtur, nimiam contradicendi libidinem in eo notaſſe, quam ſine dubio in ipſo aliisque animadverterat; De ſcopo certe diſputantium ulteriori, & hæreſin tuendi conatu, nihil hinc certi exſculpi poteſt.

c) Quo de libello conf. *Vit. Theol. Altorph.* f. 171. & not. ddd), ubi juvenilem adhuc & *dictionis* affectationem ſingularis, & *rerum*

quandoquidem & eventum felicem habuiſſe diſputationem profeſſus eſt in prooemio, neque quenquam præter *Racovienſes* offenſos eſſe, pronunciavit, & quod probe notandum, in ipſa adhuc dedicatione, Kalend. Septembr. anno 1615. ſcripta, *Sonerum*, cum aliis Doctoribus, bono publico feliciter Academiæ patriæ natum, affirmavit. Nihilo tamen minus, alia omnia ſubfuiſſe conſilia, proh dolor! experientia triſtis non multo poſt addocuit, ipſamque hanc diſputationem maxime omnium fuiſſe, quam pro confirmatione erroris ſui *Peuſche'ius* & *Vogelius* perperam urgerent, animadverſum eſt. Quæ ne anticipemus, commodius alibi explicanda, hactenus ad particularis illius congreſſus hiſtoriam dilucidandam, quæ dicta ſunt, ſufficiant. Ad *Schopperum* nos recipientes, qui haud diſſimilia, cum *J. Jac. Grynæo* quondam ſolemni diſquiſitione inter alios commiſſus, jam expertus erat fata, typis quoque *Jenenſibus* A. 1587. deſcripta, a) unicum illud adhuc notamus, quamvis revelatam *Socinianiſmi*, clam *AltorphI* propagati, ſcenam vivendo attigerit, non tamen ea felicitate mactatum eſſe, ut ſuperſtiti, ex eadem cathedra recantantes errorum portenta, hos Opponentes olim ſuos audire liceret. Diem namque ſupremum paullo ante, quam id fieret, & ſub initium anni 1617. obiit. Attamen ipſe, quod Deo acceptum eſt ferendum, clementisſime viri boni integritati providenti, famam innocentiamque ſuam adhuc viribus valens & ſoſpes a quibusdam inſimulationibus vindicare potuit. De qua re itidem commodiori loco exponemus. Vtrum, quod reſtat, *Senem Altorphinorum* (*Veſtrum*) ſola canitiei veneratione, eaque ſincera, (erat enim tunc ſeptuagenarius, anno videlicet 1545. *Biberaci* natus) appellarint, an per contemtum, haud definimus, neque de cæteris ejus fatis in præſentia ſoliciti ſumus. b)

§. XLIV.

rerum atque objectionum diſcusſionem paullo jejuniorem in eo notavimus. Quæ quando candide monemus, nihil tanti viri meritisque ſcriptisque adultæ magis ætatis & eruditionis detrahimus. Et ſane tolerabilius eſt, hujus in verbis modoque diſputandi labis ſenem Theologum recordari, quam juvenilem ſentiendi licentiam, ſcriptis ſæpe præcipitantius propalatam, auctis cum prudentia annis, tandem deflere.

a) Quibus hic titulus præſcriptus eſt: *Acta Diſputationis de S. Cœna publice in Academ. Heidelbergenſi habitæ* & reliqua. Sub finem ſubjecta eſt *Hiſtorica relatio*, quid illam diſputationem anteceſſerit, quomodo cœpta, quis fuerit proceſſus, & quomodo tandem finita. Cui epiſtola ad extremum accesſit *Selnecceri*, qua ipſius *Schopperi* verbis, uti res omnis geſta ſit, ad *Polycarpum Lyſerum* jam An. 1585. perſcripſit. Reliqua enim de iſthac Diſputatione ex vita *Schopperi*, & Celeberr. inprimis *Struvii Hiſt. Eccleſ. Palatin.* ejusque Cap. VII. §. XII. ſeq. repetenda ſunt.

b) In vita namque ejus enarranda, quam ab omnibus prætermiſſam videramus, fuſius

§. XLIV.

Sed ad novum impietatis sodalem, SEIDELIUM, ordine ita exposcente, animum appellimus, alias *Heiminæum*, alias vero *Pomeranum* in scribendi genere κρυπτικῷ dici solitum. Hic ante omnia distingvendus est a *Martino Seidelio*, *Olaviensi* illo *Silesio*, quo de superius, ubi de *Jac. Martinio* disseruimus, nonnulla inspersimus: a) Eumque in præsens ordinarie *Semi-Judaizantem* b) *scurram* a nostris etiam νεοφύτοις appellari consveviſſe notamus. Nostro enim, de quo nunc exponendum est, *Georgii* prænomen erat, & patria *Gryphiswaldia Pomeranorum*, unde in *Academ. Altorph.* A. 1610. d. 27. Octobr. advolaverat; idemque ille est, quem inter alios tam amice jussit salute impertiri sua *Ruarus* Cent. II. epist. XVII. postremum in calce epistolæ nominatum. Quo fere solo etiam loco intelligendus est, quandoquidem alibi, & in eadem epistola de cap. Es. LIII. cum *Peuschelio* disputasse memoratur, Seidelius Martinus, de quo plenius occupati fuimus; quando *Vitis Theologorum Altorphinorum* describendis operam dedimus. Nunc utrum *par* fuerit hostium sophistarumque insidiis, an *impar*, *Lectori* hujus integræ historiæ, cujus ille non postrema pars fuit, pronunciandum permittimus.

a) Jam vero hoc unicum addimus, Venerando Dn. *Lauterbachio*, inquirenti in ejus prosapiam, per conjecturam visum esse, hunc *Martinum*, *Jacobi Seidelii*, Medici Gryphiswaldensis, fratrem, qui *Olavia* quoque oriundus fuerit, & An. 1615. diem supremum obierit, fuisse.

b) De Semi-Judaizantibus quando agunt *Sociniani*, quos intelligant, ex *Steph. Curcellæi Instit. Religionis Christianæ* L. V. cap. XXIV. luculenter disces. Vbi, postquam de *quorundam*, omisso tamen *Martini* illius *Seidelii* nomine, sententia, (promissiones de Messia fuisse conditionatas, si vitam emendarent Judæi, quæ cum non impletæ sint conditiones, ideo eum non venisse, neque unquam venturum esse, ad populum e potestate hostium in libertatem externam vindicandum,) disseruerat, locisque Script. Genes. III. & XXII. Deuter. 2 Sam. VII. Es. LIII. Jer. XXIII. & XXXIII. XVIII. Ezech. XXXIV. atque XXXVII. item Dan. IX. atque e tempore definito jam præterlapso probaverat, *absolutam* fuisse promissionem *spiritualis* Regis, addit tandem f. 328. *Vnde Semi-Judaizantium nomen sortiti sunt, quia neque omnino sunt Judæi, neque etiam omnino ab eorum opinionibus alieni. Sed, ut apparet, Christianismum penitus ejurarunt, ex lege vero Mosis sola moralia præcepta retinent, quæ dicunt esse natura nota, & omnes gentes obligare; ceremonialia vero & judicialia solis Israëlitis fuisse data, nullosque alios præter eos ad ea observanda teneri.* Hæc ille. Vtrum vero hac notione id vocabulum semper usurparint *Sociniani*, magnopere nos dubitamus, & ex epistolis *Ruari* potius colligimus, interdum hoc cognomento etiam *Franc. Davidis* asseclas fuisse insignitos. De qua re alibi forte plura dicendi occasio dabitur. Nunc, habuisse quoque scelestissimum illum *Martinum* adstipulatores, ex hoc *Curcellæi* loco aliisque similibus confici posse, monemus. Cæterum etiam Judæos quosdam: Vtrum sit caput fidei, quod de *Messia* agit *ejusque adventu*, dubitare, eaque de re disputare, non ita pridem, cum L. *Ikkarim* R. *Jos. Albo* inspicerem, ex ejusdem Cap I. didici.

difputans in *Martinum* digitum fuum fere femper intendit. De reliquo *Georgius* ille ftudiis Medicis cumprimis *AltorphI* operam dedit, & præfide *Cafp. Hoffmanno* publice quoque *de naturæ officio in fanitatis negotio* A. 1613. d. 23. Januarii difputavit. *Altorphii* fub initium A. 1614. adhuc is commorabatur, fed eodem (ut conjicimus) labente inde videtur difceffiffe, & quidem trifti admodum confilio in *Poloniam* quoque profectus, ubi jam anno 1616. *Racovienfis Gymnafii collegam*, pofthabitis Medicinæ ftudiis, conftitutum effe certo cognovimus. Ibidemque a) etiam haud dubie hærefi Photinianæ immortuus eft. Quod fupereft, *Heiminæi* fictitium nomen unde exfculptum fit, prorfus fatemur nos ignorare; ἀπὸ τȣ̃ εἵματος enim, feu vefte forte fericea, dictum afferere, longius videtur petitum, aliaque originis veftigia adhuc obfcuriora funt. Quo factum eft, ut mendum in hoc quoque nomine exfcribendo (uti permultis jam ante exemplis *Indicis Mölleriani* demonftratum eft) commiffum fufpicaremur, collataque etiam voce ἡμίνη, quæ *dimidium fextarii* denotat, & Latinis quoque fequioris ævi non inufitata eft, *Heminæum* potius, quam *Heiminæum*, appellatum deprehendimus. Cum qua cognomenti novi origine Germanicum in his terris nomen prorfus concordat, ubi dimidia pars modii *(einer Maas)* liquidorum, v. g. vini aut cerevifiæ, *ein Seidlein* dici folet, alibi vero *ein Nöffel* vocatur. In qua derivatione etiam acquiefcimus. *Pomeranum* enim, a gente, ubi natus erat, tanto minus dubitamus appellari confveviffe, quo luculentius ex patre etiam *Medico* iftic, five *Anclami* five *Gryphiswaldiæ*, uti quidem nomini fuo ipfe hanc quoque patriam adfcripfit fuam, in dias has luminis auras editum effe conftat. Ex fuperiori vero obfervatione de confanguinitate cum *Mart. Seidelio*, cujus commendatione *Vogelius* in hominis hujus peffimi amicitiam, *Silefiam* tranfiens, receptus fit, nunc tandem facilius colligi poteft. De *Sibrando* appofite fatis *Titionis* cognomento infignito, ob fervorem difputandi, b) quo *Belgici* motus ejus opera crevere magis & accenfi funt,

a) Non confundendus ergo nofter hic eft *Georg. Seidelius*, Socinifmo imbutus, cum *Jacobo* illo, *Olavienfi* patria, & *Anclamenfi* atque *Gryphiswaldenfi* denique Medico, utpote qui diu ante jam in his, quas nominavimus, urbibus Medicinam fecit, & fere feptuagenarius A. æt. 68. *Gryphiswaldiæ* ex hac vita excesfit, cum nofter litteris *AltorphI* operam daret. Etfi de reliquo non dubitandum fit, hunc juniorem *fenioris filium* fuiffe, atque prima forte jam a patruele *Martino* principia hærefeos imbibiffe.

b) Specimen hujus vehementiæ, ardorisque nimii in difputando, illud præcipuum eft, quod *Limborchius* in *Vita Epifcopii*

ſunt, quam reſtincti, quia ad litteram L. abunde actum eſt, nihil addimus. a) Neque etiam SIGISMVNDVS *III. Polon. R.* nos morabitur, a fortuna in belligerando *Victorius* appellatus. Cauſſam vero, eum ſæpius commemorandi, non aliam fuiſſe credimus, quam partim mutationes, quas ad clavum eo ſedente, cum Republ. multifariam concuſſa, etiam res *Photinianorum* ſubiere, partim vero, & omnium quidem maxime, ejus, uti in alios, ita in *Socinianos*, a cæteris diſſidentes, æquanimitatem, favoremque b) in quosdam ex ea ſecta pereximium. Hoc certe affectu inprimis fretus *Jacobus Sieninsky a Siennio*, Palatinides Podoliæ, dominusque *Racoviæ*, *Socinianorum* patronus primarius, non veritus eſt, inter alia ipſius *Smalcii*, de *Divinitate Chriſti*, librum, quaſi re bene geſta, ſubſcripto palam nomine ſuo, ei nuncupare. Quæ

pii ad An. 1609. f. 15. retulit. Qui, præter contumelioſas voces & exprobrationem inſaniæ, tanta, ait, eum incitatum ira cum adverſario juvene (*Epiſcopio* videlicet,) pugnaſſe, ut a corpore quoque indecenter flectendo ſibi non temperare potuerit, & *alterum pedem præ rabie* (verba ſunt *Limborchii*) *ſupra Cathedram interdum extulerit.* Digna eſt, quæ legatur l. c. narratio integra, quoniam feſtiva etiam hiſtoriola alia opificis cujusdam illitterati ad hanc diſp. accedentis, & ex impotentia animi, tanquam ſigno, quisnam victus ſit, ſe cogniturum eſſe, ajentis, illuſtratur. Nec pœnitebit, quæ alibi de controverſiis ab eodem *Lubberto* collegæ etiam *Maccovio*, ſcholaſtico docendi generi plus juſto addicto, motis, & Gentiliſmi, Judaiſmi, Pelagianiſmi, Socinianiſmi ac ſimilibus in eum evibratis accuſationibus annotata ſunt, legere; quæ per compendium in *Balcanqualli* epiſtola ad *Dudl. Carletonium* (in Epiſt. Remonſtr.) habentur enarrata.

a) Niſi quod de eo: *Qui eſt docte & a bien ecrit, eſt un perſonnage tres laid & ruſtique*, ex epiſt. *Caſauboniana*, quam *Joh. van der Wayen* exhibuit, etiam *Bælius* in *Lexico* annotavit: quæ ſilentio prætereunda non putavimus.

b) Qui ſine dubio non parum confirmatus eſt indies ab *Andr.* illo *Frycz Modrzewsky*, ſeu *Fricio*, ut vulgo nomen ejus exſcribi ſolet, *Modrevio*, equite Polono, qui a ſecretis erat Sigism. II. ſeu *Sigismundo Auguſto* (id enim integrum Regis nomen fuit) plurimumque gratia apud eum valebat. A quo deinceps, mirum non eſt, in filium quoque *Sigismundum III.* hanc erga Antitrinitarios facilitatem & indulgentiam fuiſſe propagatam; cum *Fricius* in ejus quoque aula ad tempus ſuperſtes vixerit, eademque principia, procul dubio, ſuggeſſerit Principi benigno, per quæ ad moderatam quorumvis diſſentientium, ipſorumque adeo *Photinianorum*, tolerantiam induceretur: uti vel ex *Sylvis* ejusdem perſpicere licet. De reliquo ad Edictum illud ſolenne & perquam celebre, quod An. 1606. in Comitiis, *de Pace inter Diſſidentes conſervanda*, promulgavit, iſthac laudis prædicatione reſpexiſſe *Socini* adſtipulatores, non eſt cur dubitemus. Ad *Fricium* autem quod attinet, eum integrum triennium *Wittebergæ* in diſciplina *Philippi Melanchtonis* inde ab An. 1534. contriviſſe, atque hinc *Vito Dieterico* commendatum, *Noribergæ* An. 1537. linguæ Germ. addiſcendæ cauſſa commoratum eſſe, ac deinde demum poſt itinera alia peracta in patriam rediiſſe, ex *epiſt. ad Vit. Dietericum* laudati *Philippi* didicimus.

dedicatio ſcripta typisque excuſa eſt A. 1608. d. XX. Novembr., atque ita adornata, ut, præter alia, ipſiusque adeo *Smalcii*, quem *Paſtorem ſuum* vocare haud veretur, elogia, cum *Socini* placitis ſuum ipſiusmet conſenſum aperte profiteatur, & conſilium, conſecrandi hunc libellum *S. Reg. Majeſtati*, ſe cepiſſe affirmet, *ut Rex agnoſceret perſpiceretque, quantum a blasphemando Chriſto Domino & Deo noſtro, quod identidem adverſarii calumnientur, abſint Vnitarii, & de ſe cæterisque fideliter ſubditis aliter ſentire vellet, quam S. R. M. iidem adverſarii animum ad ſentiendum de ipſis inducant.* Cæterum inde ab anno 1588. inter bella Svecica, Turcica & Moſcovitica, itemque inteſtina, usque ad ſeculi ſequentis annum 1632., ſummæ in Sarmaticis rei hunc ipſum præfuiſſe Regem conſtat: nec dubium eſt, variam *Polonici* regni fortunam hæreſeos *Socinianæ* lolio, ſub id tempus rebus videlicet turbidis, a) ad incrementa majora exſurgendi plurimum occaſionis b) dediſſe, &, ne qua ſufflaminarentur, ſectæ huic addictos omni ſtudio & induſtria Regem ſibi vel ſola conniventia & æquanimitate patrocinantem devinxiſſe. Mortuo certe *Sigismundo*, quantis blandimentis *Vladislai*, *Sigismundi* filii, favorem ambierit *Przipcovius*, eumque, ut Regis recentis clementiam in diſſentientes conciliaret, maximis præconiis extulerit, ipſe, qui in *operibus* proſtat, *Panegyricus*, ingenti facundia & exquiſita aſſentatione c) ſcriptus, ediſſerit. Quantum equidem profecerit, aliunde conſtat; hactenus tamen ea valent, ut, quibus artibus adhuc diutiſſime res *Socinianorum* illic ſubſtiterint, hinc effici poſſit. Ita certe ſtetiſſe, ut ſub eo quoque rege *Sociniani* ſpectatiſſima munia adhuc geſſerint, l. c. oſtenditur. Sed de his alias.

§. XLV.

Valentinus enim SMALCIUS, qui regi Poloniæ proxime in Indice noſtro ſubjunctus eſt, nos poſtulat, idemque poſt *Socinum*, & ſcriptis & factis pro tuenda ſectæ impietate, ſub initium ſeculi ſuperioris,

a) Quas ille, plurima etiam *Socinianis*, præter alios, quos *diſſidentes* in eo regno vocant, indulgendo, non obſcure ideo fovebat, ut in turbido piſcari, h. e. ad liberiorem imperii formam conniti poſſet.

b) Quo inprimis pertinebat, quod *Stanislaus* quoque *Cicovius*, Sociniſmum palam profeſſus, inter Senatores regni cooptatus eſt, alii vero aliis ſplendidiſſimis muneribus præfecti ſunt. Quos longa ſerie enumeratos in *Vindiciis Vnitar.* ab *equite* quodam *Polono* ſcriptis, & *Sandianæ Bibl.* ſubtextis f. 283. ſqq. reperies, &, quantopere invaluerit tunc temporis tetrica hæreſis, obſtupeſces.

c) A. MDCXXXIII. regi exhibitus, qui f. 405. ſeqq. opp. jam comparet excuſus, & exemplum ſeſamo conſperſæ orationis præbet luculentiſſimum.

rioris, omnium clarissimus *athleta* præ cæteris accuratam considerationem meretur. Hunc *Gothæ* in *Thuringia* A. 1572. natum, & patre *Nicolao Smalcio* genitum, nemo est, qui nesciat; sed qua via, quave occasione e patria & Academiis Germanicis in Poloniam pervenerit, ac teterrimæ hæresi nomen animumque addixerit, cuncti fere adhuc ignorant, aut certe silent. Vtinam ergo Cl. vir, *Thom. Creenius*, qui vitam ipsius αὐτόγραφον a) inter cimelia sua MSćta fertur numerare, ejus sinistri consilii itinerisque arcana nobis patefaceret. Neque enim dubitamus, multa illic annotata reperiri, quæ non minus, quam *Ostorodi* domi gesta, quæ jam reddita sunt Cl. *Heineccii* studio explanatiora, plurimum lucis Historiæ *Socinismi* affundere possent. b) Interim sufficiant, quæ ex epistolis *Socini* cognovimus, anno circiter MDLXXXIII. Poloniam oppidumque *Smiglam* eum ingressum, ejusdemque *Socini* scriptis magnopere delectatum, atque his lectis in hæresin procul dubio pellectum, c) vel ab eodem confirmatum, sub id tempus juvenem adhuc XXI. annorum *Smiglensis scholæ Rectorem* constitutum, atque hinc ad alia munera promotum esse. d) In nostra hac *Crypto-Socinismi* Historia *Smalcii*, eo tempore *Pastoris Racoviensis* officio fungentis, atque ex Catechismi, studio ipsius bonam partem concinnati, tristissimo tritissimoque usu, inter alia, celebratissimi, nomen tanto erat illustrius, quanto plura ejusdem, præsertim post *Ostorodi* mortem, unius, tanquam popularis, consilio agebantur. Vt omittamus scripta bene multa, eadem tempestate a *glorioso illo milite* e) evulgata contra nostrates Theologos: quorum & lucubrationes recens editas & argumenta, inter disputandum prolata, illi

a) Quam & *Sandius* extare ait in *Bibl. Antitrinit.* f. 102. & 105.

b) Hæc cum primum scriberemus, nondum ejus MSćti desideratissimi copia nobis facta erat. Postquam vero maxime venerandus *Creenius* ex instructissima, quam possidet, Bibliotheca ipsum αὐτόγραφον illud nobiscum benevole communicavit, quædam h. l. ex ea interponemus ad initia vitæ & hæreseos approbatæ pertinentia; cætera vero, totumque adeo *Diarium* animadversionibus necessariis illustratum, ad calcem supplementorum rejiciemus.

c) Fefellit nos, quod ad prius hoc attinet, conjectura. Jam ante enim *Argentorati*, ab eodem, a quo etiam *Sonerus* noster, *Voidovio* in has partes transductum esse, ipse sua nos manu condocefecit.

d) Vid. Tom. I. *Opp. Socini* f. 459 sqq., ubi etiam f. 460. (b) ex epist. III. ad *Smalcium* scripta annotatu dignum est, prima *Smalcii* scripta *Socino* fuisse ab hoc fidissimo discipulo missa, ut limam illis induceret; cujus etiam in stilo exprimendo simiam fuisse eundem *Smalcium*, ex altera subsequente, quæ quanta est, colligitur.

e) Ita haud injuria *Smalcium* appellamus, utpote cujus, Thrasonis ad modum, jactantiam & insolentiam contra adversarios quosvis jam sæpius atro carbone notavimus.

noſtri tyrones e Germania miſſa perſcriptaque cum eo communicaverant. Vndè *Refutationes* a *Smalcio* adverſus *Franzium*, *Schopperum*, *Grauerum* aliosque in lucem editæ originem habuere, effectumque ita ſimul eſt apud deceptos noſtros juvenes, ut, præter *Socini* oracula, novæ *Smalcii* exceptiones, adverſus tela in iſtum emiſſa, inſtar Evangeliorum haberentur. Certe, quanta veneratione & reverentia, ad res maximas, cum ſuſpiciendas, tum gerendas, conſilia ejusdem exceperint, a) ὡς ἐν συνόψει vel *libellus* iſte *memorialis*, (uti inſcribitur a *Ruaro*) idemque poſt reditum e *Polonia* in *Altorphinam Academiam* communi ſociorum nomine ſcriptus, luculentiſſime omnium condocere poteſt: b) Omnium vero maxime eam immodicam exiſtimationem comprobat *Peuſchelii* de eodem hoc coryphæo ſectæ fœdiſſimæ judicium, quod ad *Joh. Crellium* A. 1614. ex *Academia Jenenſi*, ſub initium hyemis, perſcripſiſſe, ex reliquiis MSctarum epiſtolarum c) cognovimus. In ea enim, qua inter alia ſuam ſuorumque amicorum erga illum voluntatem verbis teſtatam reliquit: *De lucubrationibus*, inquit, *reverendi & eruditisſimi Domini Smalcii*, *Domini præceptoris*, *fautoris & fratris in Domino honorandisſimi*, *quod ſcribis*, *quis eſt*, *qui non inter nos gaudeat? Quem virum ut Deus optimus maximus Eccleſiæ longe lateque per Belgium & Germaniam renaſcenti & refloreſcenti ſalvum & ad Neſtoreos annos incolumem conſervet*, *devoto pectore a nobis eſt exorandus*. Et p. p. addit: *Quia etiam refutationis Smiglecii & quidem geminæ mentionem facis*, *per viſcera miſerationum Jeſu Chriſti vos rogamus*, *ut eam primo tempore*, *una cum ea*, *quæ contra D. Francium parata eſt*, *ad nos mittatis.* Adjecta leguntur in eadem epiſtola MScta quædam alia, quibus Academiæ Jenenſis ordinisque Theologici ſtatus accurate delineatus eſt; ſed, opinor, hæc ſatis eſſe poſſunt ſcire cupientibus, quo in pretio novis Photini admiratoribus fuerit *Smalcius*, & ex quo didicerint magis magisque pro veritate decumanos errores complecti. Ac proinde mirum non eſt, quod primus ac ſolus

a) Præter *Diarium vitæ* h. l. omnino conſulendum.

b) Qui Cent. II. num. XVI. *Ruari* epiſt. invenitur.

c) Repertarum in *apparatu librorum Peuſcheliano* toties memorato. Quas vel ob eam cauſſam abolitas eſſe, aut certe æternis tenebris damnatas inaudivi; quoniam præcipua quoque, ut ſupra in nota extrema ad §. XIX. ſubobſcure indicavimus, ex ipſis *Proceribus Noribergenſis Reipubl. Perilluſtris columina* in illis nominibus commentitiis, iisdemque e *Socini* grege celebratiſſimorum virorum petitis, cognominata fuere. Ita ut, ne quid ſuſpicionis vel poſteritati hinc oriri poſſet, eas abolendas eſſe, conſultum magis vel tutius ſaltem viſum ſit, quam aſſervandas.

ſolus idem quoque *Retractationes* hujus hæreſeos, *Peuſchelii* atque *Vogelii* publice recitatas, (de quibus alibi a) copioſius exponemus) vehementiſſimo animi concitati impetu aggreſſus convellendas ſibi ſumſerit: Cui ſcil. maxime dolebat, diſcipulos hoſce præceptorem tanta obſervantia adhuc veneratos, abs ſe nunc tantopere abalienatos, & Evangelicæ veritati divino beneficio redditos eſſe. De libris a *Smalcio* editis ſingulatim non opus eſt, vel verbum addere, quos ſuo hinc inde loco jam ſupra non prætermiſimus annotandos. Neque etiam ſilentio præterivimus ſpecimen illud eximium impudentiæ, quo non verecundatus eſt b) A.1614. Inclyto *Senatui Argentoratenſi F. Socini* librum, (Comment. ſcil. in Ep. Joh. I.) typis *Racovienſibus* forma 8v. impreſſum, publice dedicare. Quam *nuncupationem* cum in *Bibl. Frr. Polonorum* etiam recuſam c) legamus, heic nolumus repetere. At *Apologiam Argentinenſium*, quæ addita eſt rariuſculis hodie, (quantum ad priores faſciculos,) *Relationibus Francof. ad Mœnum*, & A. 1615. in contin. *Jac. Franci* a Nund. vernalibus ad autumnales usque deduct. *Appendice* exſcripta legitur, huc transferre, ne pereat illuſtre hoc hiſtoriæ documentum, haud pigrabimur. Ea ſequentem in modum ſcripta eſt:

Epiſtola Apologetica
oppoſita
Epiſtolæ Dedicatoriæ ad ampliſſimum Senatum Argentoratenſem
Cujusdam Valentini Smalcii, Gothani, Racoviæ Polonorum d. 20. *Novembr. A.*1614. *editæ, qua Commentarium Fauſti Socini, Senenſis, Arriani & Photiniani, in epiſtolam Johannis Apoſtoli primam commendare conatur: Per miniſtros Eccleſiæ Argentoratenſis.*

Lectori Chriſtiano ſalutem in Chriſto Jeſu.

Qua fraude, dolo atque verſutia ſpiritus tenebrarum orthodoxis olim Eccleſiis in oriente blaſphemum & impium dogma hæreſeos Arianæ, divinam Chriſti Servatoris noſtri naturam d) *negantis & impugnantis, non tantum*

a) Cap. IV. Quas etiam ad calcem hujus operis totas prælo denuo excuſas reperies.

b) Quicquid ſit de *ſententia Eccleſiarum ſuarum*, ex qua id factum eſſe, inquit.

c) Tom. I. Opp. *Socini* f. 155. ſq. In quo tamen miramur, nihil prorſus de ſtudiis a ſe in iſthac urbe atque Academia tractatis eum commemoraſſe. Verba enim, quibus *inter Reformatas ad Chriſti Evangelium Reſpublicas & Eccl. non poſtremam* Argentoratenſem *ſibi* viſam *eſſe* iſtic ſcripſit, ambigua ſunt. Vtut eapropter uſurpata utique videantur, ut, ſibi aliquando conſpectam eam eſſe, ſubindicaret.

d) ὁμοούσιον inquam Patri; non naturam ſimpli-

tantum obtrudere conatus fuerit : Sed hoc ipſo impio dogmate univerſam fere orientalem Eccleſiam compleverit & occuparit : illud ex hiſtoria Eccleſiaſtica, Euſebii, Socratis, Theodoreti & aliorum tam notum eſt, quam quod notiſſimum.

Refert inprimis Theodoretus L. 2. Hiſt. c. 18. *ſeqq. in Synodo Ariminenſi, ex occidentalibus ſimul atque orientalibus Epiſcopis collecta & convocata, tandem ab Arianæ factionis propugnatoribus ſub Conſtantio Imperatore nihil aliud quæſitum fuiſſe, quam pacem & concordiam cum orthodoxis, ſi modo vocabula* οὐσίας *&* ὁμοούσια *de formula fidei eximerentur.*

Negabant enim ferendum, ut Eccleſiæ corpus diſtraheretur, propter duas voculas, quæ in ſcriptura nusquam reperiuntur. Qua fraude a) *factum ſane eſt, ut alii quidem per impoſturam, alii vero per terrores adacti confeſſioni Arianorum ſubſcripſerint.*

Longe major hoc noſtro ſeculo videtur ſpiritus tenebrarum ſive aſtutia, ſive malitia : qua blaſphemum & impium dogma Arianum b) *non ex profeſſo interdum & aperte, ſed occulte quaſi aliud agens in Eccleſiam paulatim introducere conatur.*

Ea ratione anno ſuperiore proximo MDCXIV. Racoviæ Polonorum, opera & ſtudio cujusdam Valentini Smalcii Gothani, editus eſt libellus Fauſti Socini Senenſis, qui inſcribitur Commentarius in epiſtolam Johannis Apoſtoli primam, quo in titulo niſi ipſius autoris confeſſio nota eſſet, nulla omnino Arianiſmi c) *ſuſpicio apud ſimpliciores locum invenire poſſet; idque eo magis, quo puriorem & ſinceriorem in religione patronum* Valentinus *ille* Smalcius *in epiſtola Dedicatoria huic libello quærere non erubuit: Ampliſſimos videlicet (ut ipſe appellat,) illuſtris Reipublicæ Argentoratenſis Senatores, Dominos (ſi DIs placet) ſuos gratioſiſſimos : Quos hujus hæreſeos hoſtes eſſe acerrimos, ex publicis Eccleſiæ Argentoratenſis Confeſſionibus ſufficientiſſime demonſtrari poteſt. Tanta tamen hujus hæretici eſt impudentia, temeritas & audacia, ut eosdem in patrocinium totius illius Commentarii invocare* d) *minime dubitaverit. Adeo, ut ex præfatione illa in ſuſpici-*

ſimpliciter, quam divinam & ipſi appellabant, ſed creatam & ἐξ οὐκ ὄντων factam eſſe pervicaciter tuebantur.

a) Præſertim cum ὁμοιούσιον ſubſtitueretur.

b) Qua genus, non ſpeciem. conf. c. III. Sect. I. §. 7. &c.

c) Rectius *Photiniſmi*, quam hæreſin ex aſſe *Socini* doctrina, quantum quidem, ex perpaucis fragmentis, conſtat, & ex inſtituto b. *Ittigius* noſter oſtendit, refert.

d) Immo vero aliud per cuniculos agebat *Smalcius*, librosque hac via *Socinianorum* liberius ſpargere, & vel curioſitatis gratia ut legerentur, callide ſtudebat efficere. Myſterium ipſum, quod bonos hoſce Theologos adhuc fugiebat, nos paullo poſt detegemus.

ſuſpicionem fere quis adduci poſſet: aliquam noſtræ Eccleſiæ cum hoc homine ejusque aſſeclis colluſionem in confeſſione exiſtere. Quo pertinet illa in fine præfationis inſignis commendatio; quod ex ſententia ſuarum Eccleſiarum inter Reformatas, ad Chriſti Evangelium, Respublicas & Eccleſias, noſtra non poſtrema ſibi viſa fuerit; Præcipue precatiuncula, qua præfationem concludit: Deum potius ex animo oro, ut propitius vobis ſemper adeſſe velit, & efficiat, ut in iſtis rebus, quæ Religionem ſpectant, & quibus nunc claretis, indies magis magisque proficiatis. In ipſo vero Commentario diſtinctis in locis blaſphemo ore & calamo vera a) *divinitas Jeſu Chriſti negatur & impugnatur. Ex multis unicum ſaltem ac præcipuum hujus impii dogmatis exemplum allegabimus. Plures enim ejusmodi blaſphemias de Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo & homine in una perſona proferre, & ex maledicto ore hæreticorum repetere, ipſa pietas & religio non admittit. Pag.* 516. *& ſqq. ad illuſtre illud teſtimonium pro vera Chriſti divinitate aſſerenda: Hic eſt verus Deus & vita æterna; prolixe, ſed fruſtra, conatur refutare eos, qui hæc verba afferunt ad probandum, quod Jeſus Chriſtus ſit verus Deus. Inter alia ſic ſcribit*: Et ſane talem eſſe Jeſum Chriſtum (*videlicet verum Deum*) ii contendunt, qui hunc locum ad Chriſti divinitatem probandam adducunt. Cum igitur iſtud, quod contendunt, ex hoc loco colligi illis nullo pacto ſit concedendum; non eſt etiam illis ullo modo concedendum, verba iſta: Hic eſt verus Deus: ad ipſum Chriſtum referenda eſſe. *Sufficiant blaſphemiæ in Chriſtum Servatorem noſtrum, quem unum verum Deum eſſe cum Patre & Spiritu Sancto negat, nos Dei gratia credimus, docemus & confitemur. Abſit igitur & abſit longiſſime, Lector Chriſtiane atque benevole, ut occaſione epiſtolæ dedicatoriæ Valentini Smalcii ad inclytum noſtrum Magiſtratum Argentoratenſem eam in ſuſpicionem adduci te patiaris, quaſi vel ab Ampliſſimo noſtro Senatu, vel a Miniſterio Eccleſiaſtico,* b) *obſcuro huic & impio homini Fauſti illius infauſtum Commentarium publica præfatione inſcribendi & dedicandi, ulla etiam vel minima occaſio data fuerit: Tantum abeſt, ut aliqua ſaltem cum gratia, favore atque benevolentia epiſtola illa dedicatoria recepta fuerit. Diligenti inquiſitione inſtituta, certo tamen ſciri hactenus non potuit, a quo & per quem Commentarius iſte Socini*

a) Vel potius *ſumma & æterna*, eoque ſenſu *vera*. Novum hoc ſpecimen eſſe poteſt, unde, mentem *Socinianorum*, fraudulenter expoſitam, ſeu potius involutam, nondum Theologis omnibus tunc ſatis accurate cognitam fuiſſe, eluceat.

b) At ſubminiſtrata fuerat a *Ruaro*, qui in hanc Vniverſitatem conceſſurus plurimum ſibi hoc ſcriptum commodi allaturum vel opinabatur, vel *Racoviæ* ſtipulatus erat profuturum eſſe.

ni ad nos pervenerit. a) *Habeat igitur sibi cum suis suum Commentarium Valentinus ille Smalcius: Nos per Dei gratiam cum eodem nihil unquam in hac impia, hæretica, blasphema, Photiniana & Ariana opinione commercii aut collusionis habituros, publica hac epistola coram universa Ecclesia protestamur. Deus in semel agnita veritate nos constantes usque ad vitæ finem conservare dignetur. P. P. Argentorati* 4. *Septembr. Anno*

JesV ChrIstI noMen VerI DeI.

Hæc illi. Quibus proclive esset alia hujusmodi addere, præcipue epistolam illam, qua *C. Vorstium* quoque in epistolis *Remonstrantium* palam alloqui haud veritus *est ut fratrem* impudentissime simul ac blandissime; b) nisi hoc unum, quod superest monumentum, satis esse duceremus, ad studia *Socinianorum* in Germaniam potissimum, præcipue vero *Academias* & *Liberas Imperii Romano-Germanici Civitates* veneno suo inficiendas, intenta, & historiam, præsertim hoc ævo, quo in *Agro Norico* quædam hujusmodi gesta sunt, illustrandam. Quare his omissis ad alia pergere jam constitutum est, & ad *Smalcium* sigillatim regredi placet. Verane sint, quæ a viris fide dignis narrata audivimus *Smalcianam familiam* Gothæ post ejus abitum ad *Socini* castra maxime fuisse infortunatam, & singulari divinæ providentiæ documento plerosque adversis fatis periisse, iis disquirendum relinquimus, quibus ea tanquam domestica propius cognita sunt. Nos *facundiam Valentini*, stilo & ore plurimum valentis, sed pessime tanta dote abusi, inprimis vero *perspicuitatem* eximiam, tanquam virtutes in hoste, laudamus; sed detestamur cum rebus ipsis *dicacitatem* atque *impudentiam*, aliquoties jam notatam, a quibus vitiis *Socinus* ipse cum reliquis asseclis diligenter, ut plurimum, & laudabiliter abstinuit. Cætera

a) Contradicit hisce *Ruarus* epist. Cent. II. n. IX. f. 62. *Id tantum moneo*, inquiens, *Theologos more suo lectoribus fucum facere, cum sibi constare negant, quomodo Liber hic ad Senatum pervenerit: cum Tassicius eum Consuli de manu in manum tradiderit, Pragaque ad se a quodam amico, cui id negotii Reuchlinius*, h. e. Smalcius, *ipse dederit, transmissum dictitarit, idemque me præsente coram uno Theologorum istorum repetierit. Rectius, ut opinor, fecissent boni viri, si eorum, quæ sibi adeo improbari dicunt, refutationem suscepissent. Sed fortasse difficilius est, adversarium refellere, quam criminari, iis præsertim, qui non nimium in disputatione sunt exercitati, aut certe parum sibi fidunt.*

b) Ad quam tamen ille vicissim non imprudenter, has sibi litteras nimium fraternas minime placere, ipsumque a *Socinismo*, cujusmodi fuerit a Paullo Senecæ, dissensum manifesto testatus, solam moderationem in controversiis fidei & tolerantiam sibi probari, respondit, edit. in 4to 1704. num. 120. & 121. Conf. *Vorstii epist. ad Vytenbogardum* scriptam, quæ l. c. num. 623. comparet; ubi, qua mente & alias epistolas ad *Ostorodum* dederit, exponit.

tera, quæ ex *Sandii* Bibliotheca repetenda essent, ipsumque annum emortualem atque fatalem 1622. ac diem VIII. Decembris, de industria silentio præterimus. a) Hoc tamen facere non possumus, quin tribus verbis adhuc moneamus, scripta illa, quæ b. *Scherzerus* ei tribuit, in Recensu *operum Smalcianorum*, b) incertus, ut videtur, affirmavit, non esse alia, quam *Refutationis nodi Gordii Smiglециani partem*, alterum vero *Dispp. Franzii in Aug. Conf. Confutationem*, & tertium denique *Responsionem ad Vnum par Sophismatum Ravensbergeri*: quæ opuscula etiam *Scherzerus* indigitare voluit. Ad nomen affictum quod attinet, prius *Andreæ Reuchlini* ipsemet sibi *Smalcius* adoptavit, *Andream* pro *Valentino* latino substituens, & *Reuchlini* alterum ex Polonica lingua, nisi fallor, pro *Smalciano* componens. c) Idemque illud notissimæ epistolæ seu Parænesi subscriptum est, in qua propter approbatam, quæ a *Jacobo Angl. R.* imperata erat, librorum *Vorstii* publicam combustionem, in *Js. Casaubonum* acriter invectus est, *Vorstiumque* suum ingenti studio & improba industria defendit. *Butyrii* quod superest novum cognomentum, id sine dubio a *Noribergensibus* efformatum, quibus nihil usitatius est, quam vox Germanico-Franconica *Smalz*, qua butyrum liquefactum ad ignem & a fæcibus secretum insignire solent. Tantum de *Smalcio*, acerrimo *Socini* hyperaspiste, & *Socinismi* amplificatore præcipuo.

a) Quæ & multo accuratius ex ipsius *Vitæ Diario* huic operi attexto addisci queunt.

b) Qui etiam *Andreæ Reuchlini* opuscula male a *Smalcianis* discernit, quæ, nomine tantum ficto signata, eundem scriptorem agnoscunt: uti paullo post demonstratum dabimus.

c) Male conjecimus. Nam *a matre*, *ex familia Reuchlinorum nata*, id sibi nomen adscivit: Quem deinceps *Quirinus Kuhlmannus*, famosissimus Fanaticus, imitatus est, *Ludovicum Ludovici* se, quamdiu fere in *Belgio* vixit, nominans, & sub eo integumento latibulum quærens. Quod nomen adscitum unde arripuerit, cum inquirerem, matris quoque (quæ An. 1619. d. 3. Januarii demum *Vratislaviæ* ab opinionibus filii prorsus immunis, secus quam b. *Feustkingius* in *Gynæceo fanatico*, & *Arnoldus H. E. & H.* affirmaverunt, defuncta est, nataque *Ludovicia* fuit, *Rosina* prænomine de reliquo dicta) illud gentilitium fuisse comperi. Idque haud incommode hoc loco, cum ad *Smalcianum* illud cognomentum illustrandum non nihil facere possit, adducendum esse in medium existimavi. Quæ porro, si id nunc ageremus, aliis quoque exemplis e *Socini* grege, v. g. *Jacob. Rynievicii*, fratrum consilio, *Joh. Trembecii* maternum nomen, cum proscriptus e regno cum infamia circumvagaretur, adoptantis, illustrari possent. Hoc tamen silentio præterire nequimus, *Smalcium* novam illam sibi larvam haud dubie ideo adscivisse, ne qua, si forte iisdem Apologia sua pro *Vorstio* fatis, quibus Vorstiana opuscula, obnoxia esset, macula genuino & venerabili nomini suo, aut non tanta, ex carnificis igne, inureretur.

§. XLVI.

Ad MARTINVM SMIGLECIVM nos hinc deducit ordo Onomastici, cum quo *Smalcio* inprimis a) decertandum fuisse, paullo ante subinnuimus. Recte conjecit CL. *Möllerus*, *Jesuitam Polonum* [ac definite quidem *Leopoli* natum b)] designari, scriptis adversus *Socinianos* celeberrimum, &, ut verum fatear, *antagonistam* inter *Pontificios* haud proletarium: quippe stili elegantia, ordine disputandi, perspicuitate & modestia quoque, nemini sociorum facile secundum. *Cracoviæ* ut plurimum (paucis, quæ *Vilnæ* & *Nissæ* prodiere, exceptis) impressa esse, quæ contra Trinitatis almæ divinitatisque & propitiationis Christi hostes publicavit scripta, c) sed pleraque etiam a *Volkelio*, *Moscorovio* & maxime d) *Smalcio* sub incudem missa, *Bibliothecæ Jesuitarum* æque ac *Vnitariorum* hæc investigantes docebunt, ut longo recensu opus non sit. Ea tempestate, qua omnium maxime inclaruit, nostrisque hinc sæpe numero nominatus est e) *Neo-Socinianis*, *Calisfiensis Carncoviani collegii Jesuitarum*, *quo nullum* (*Ruari* verba sunt spectatoris) *in Polonia vel structura magnificentius, vel Doctorum discipulorumque grege numerosius fuit*, *membrum erat Smiglecius iste*: *Vir*, ut pergit *Ruarus*, *ætate jam senili*, *procerus*, *macilentus & adspectu satis religiosus*, *in sermone patrio*, *quemadmodum alii referebant*, *non*

a) Nam superiori jam seculo ceperat *Socinum* ipsum lacessere, & in disputatione præcipue *Novogrodiensi* cum *J. Licinio*, Silesio, coram habita, quantum valeret disceptando, innotuerat.

b) Quem An. 1581. *Romæ* in *Societatem Jesu* ingressum, studiis quoque istic operam dedisse & mirum in modum profecisse, atque hinc in patriam reversum Philosophiam atque Theologiam in diversorum Collegiorum Scholis, *Vilnæ*, *Cracoviæ* & alibi, ut Gubernatorem non sine miraculis, docuisse &c. ex *Alegambii* & *Sotwelli Bibl. scriptorum Soc. Jesu* satis superque constat, & brevissimis quoque ex eo fonte pleraque repetiit P. *Bælius* in Lex. *Crit. Histor.* lit. S f. 2604. ed. 1720. Vbi & tituli librorum, præsertim *Socinianis* objectorum, ordine recensentur.

c) In quibus *Commentariolus ad verba* Joh. I. *Verbum Caro factum est &c.* Cracov. 1613. excus. 4to, & de *Christo vero & naturali Dei filio* adv. *Smalcium* Cracov. 1615. impress. 4to maxime celebrantur.

d) Paucula enim sunt, quæ *Socinus* ipse opusculo ejus Polonico, *de Divinitate Christi*, reposuit, in Appendice Libri, *Vujeko* hoc de argumento oppositi. Et quanquam, id opus *Smiglecii* aliquando diligenter refellere animum sibi esse, istic *Socinus* affirmet; non tamen memini quicquam in lucem prodiisse Refutationis istius plenioris; ac] proinde *Bibliothecam promissam* hæc quoque observatio locupletare poterit.

e) Sunt enim scripta ab eo & contra illum a *Smalcio* atque *Moscorovio* maxima ex parte An. 1613. 1614. 1615. & 1616. publicata, &, quam grata fuerint *Peuschelio*, inde cognosci potest, quod etiam in supellectile ejus libraria, *Jenæ* in Museo reperta, præcipuum locum invenerint, magnumque numerum fecerint.

non perinde comptus. a) Ex quo loco etiam, *Smigleciuma* patria *Smiglia*, quod oppidum tunc *Caſpari Jaruzeli*, *Brzezinio* parebat, ſic cognominatum eſſe, intelleximus. *Smiglecii* vero translationem in *Gelaſii* novam fictitiamque nomenclaturam, ſine omni dubitatione, ridendi & blandiendi notio Germanica, Græce reddita, peperit. Hactenus de *Smiglecio*, quæ, quantum ad præſens inſtitutum, ſufficere videntur. Plura enim, & rem litterarum potisſimum illuſtrantia quædam alia, quæ hujus loci non erant, dedita opera omiſimus: utpote quæ ex Biblioth.S.I. ab *Alegambio* & *Sotwello*, uti dictum, congeſta rectius hauriri queunt. Hunc itaque *Fauſtus* SOCINVS nunc ſequitur, cui totius catervæ infelici ductori cur aliquid impendamus operæ, nihil cauſſæ videmus, poſtquam vitam ejusdem *Sam. Przipcovii* induſtria eleganti ſtylo contextam nobis reliquit, & *Bælius* quoque cæterique plurima in Lexicis congeſſere ſuis, ipſaque etiam *Opera Exegetico-Dogmatica* b) cum epiſtolis quibusdam, iisdem quoque inſertis, eam ſi qui velint recognoſcere, plurimum juvare poſſe animadvertimus. Ex quibus poſterioribus & familiariter ſcriptis monumentis, extrema quoque vitæ, quæ breviter tantum *Przipcovius* attigit, c) addiſci queunt. Nam *diarrhœa* vehementiori d. 20. Novembr. 1603. correptum, ſummam virium imbecillitatem exinde ſe ſenſiſſe, ipſe *Valentino Radecio*, *Matthæi* filio, d) ſcripſit, atque hinc procul dubio mortem ſequenti anno 1604. ſubſequutam eſſe, menſe *Martio*, jam alibi obſervatum eſt. Adſcitum vero nomen *Turpilionis* ſeu *Turpionis*, (nam utroque utebantur ejus amici,) haud paullo facilius evolvi poterit, dummodo ad patriam ejus linguam reſpicere lubeat, in qua *Sozzo* turpitudinis notionem ſuſtinet. Quo factum, ut ipſe *Socinus* idem cognomentum, dum vixit, haud quaquam averſaretur, ſed *Felicem*

 (Fau-

a) Vid. Cent. II. epiſt. XVII. ad *Peuſchelium* pag. 96. Senium vero non ita provectum aut grande fuiſſe, hinc patet, quod An. 1618. annos nonniſi 56. natus Calisſiæ diem ſuum obiit.

b) In quibus non memini ullum frequentius allegatum, majorique in pretio habitum, noſtris tyronibus, quam *Diſpp. adverſus Jeſuitam Wujeckum*, Polonice primum, ac deinceps latine quoque, excuſas; eo quod πρῶτον totius Socíniſmi ψεῦδος, h.e. æternæ divinitatis Chriſti & Sp. S. impugnatio, iſtic, omnibus lacertis motis, omnique armorum apparatu firmata, cum locis Scripturæ pro ea pugnantibus ordine excusſis, reperitur.

c) Qui & initia copioſius enarravit, ac *Lælii* quoque patruelis fata prolixe expoſuit. Ad cujus ſcepticum ingenium, vel, ſi malis, fraudulentum penitius cognoſcendum, *Calvini* illa notabilis epiſtola, quæ in *Colomeſianis* Clarr. Virr. epiſt. f. 504. ed. *Hamburg.* habetur, conferri poteſt.

d) Vid. Opp. *Socini* in *Bibl. Fratr. Polon.* P.I. f. 492.

(Faustum) *Turpionem* (Sozinum) *Vrbevetanum* (Senensem) se ipsemet aliquando, & forte sæpius, appellaret. Qua de ψευδωνυμίᾳ *Abr. Calovium* nostrum in epistola quadam, ex instituto ad eum data, *Ruarus* edocuit. a) Idem vero ille *Ruarus* in epistolis alias *Turpionis* nomen, atque hoc ordinarie quidem, alias vero etiam *Vrbevetani* gentilitium duntaxat usurpavit. Quod autem ad *Socinum* ipsummet attinet, non eo solo illum usum esse, sed aliis pluribus studio confictis, ut latere posset commodius, nominatim vero *Dominici Lopezii* S. J. itemque *Prosperi Dysidæi*, & similibus, b) ex præfationibus Opusculorum variis, & vita *Przipcovii* industria, uti diximus, conscripta intelligi potest. Vtrum *Turpionis* nomen, habita significationis ratione cum doctrina, bene conveniat, singulari quasi divino nutu inditum, atque hinc gentilitium *Socini* c) a novis sectatoribus in *Turpilionis* formam, honestius quid sonantem, consulto declinandæ invidiæ gratia inflexum sit, non definimus. Plura sunt, quæ his adjici possent, si *Sandii* Bibliothecam & *Operum* recensum compilare collubitum esset. Ea proinde, cum B. L. ipse adire possit, consuli jubemus, &, quoniam scripta atque fata, itemque venerationis caussæ d) & allegationis frequentis, occultandique veri nominis rationes, neminem fugiunt ad SOMMERUM nos conferimus, hominem plane singularem, & ne ipsis quidem *Socini* asseclis, nec *Socino* etiam, unquam per omnia probatum, eamque ob rem potissimum citatum a novis illis hæreseos discipulis. Neque enim ulla alioqui solida ratio, cur Catalogo huic insertus sit, reddi potest; quippe qui dudum vivere desierat. Neque nobis etiam

a) Quæ Cent. I. n. 47. comparet; ubi hæc de nomine *Socini* f. 227. seq. leguntur explanata uberius.

b) Huc enim pertinet *Gratiani* etiam *Prosperi* larva, quam A. 1586. induit, cum *Joh. Licinii*, Namyslaviensis Silesii, Scholæ Photinianæ *Ixiviensis* in *Lithuania* Rectoris, *Dialecticam* edi curaret. Cujus rei nominisque & libri quoque nullam h. l. fecissemus mentionem, nisi hæc a b. *Franzio* in Dispp. ad A. C. & quidem num. I. §. LXV. commemorata, sed a *Sandio* omissa fuissent, ejusque observationibus locupletandis inservire possent.

c) Seu *Sozzini*; sic enim hoc nomen Italicum rectius scribitur, & a *Smalcio* quoque in *Vita sua* ad A. 1604. exscriptum est. conf. *Diarium Smalcianum*, ad A. 1604.

d) Quas omnium copiosissime, animi non minus, quam corporis rationem habens, descripsit *G. Aschwell*, doctissimus Anglus, Tr. *de Socino & Socinismo*, Oxon. A. 1680. typis impresso. Vbi, qui virtutes *Socini* legerit animoque expenderit, cur in admirationem sui discipulos occulta quasi quadam vi abripuerit, neminem fore, ait, qui dubitare possit: Vera autem scripsisse *Aschwellum*, scripta ipsa cuncta testantur. Non injuria ergo, quod de *Fausto Manichæo Augustinus* judicavit, *magnum Diaboli laqueum* alterum hunc *Faustum*, vel stili nitore blandientem, dixeris.

iam alia multa, quam quæ ex *Possevino Sandius* adduxit, *Pirna* videlicet in *Transylvaniam* evocatum esse, & *Claudiopolitanæ scholæ* præfuisse, atque eadem de *Christi* invocatione sensisse, quæ & *Franciscus Davidis* docuerat, explorata sunt. Cæterum, quod a *Lælio* forte *Socino*, quum is aliquandiu *Wittebergæ* degeret, a) maxima *Melanchthonis*, sed inscii errorum hominis hujus subdoli, usus amicitia, in hæresin clam pellectus sit, quæ nostra olim fuit conjectura, incertis fundamentis innititur. Quamvis enim illum, *Lælium* inquam, veneno pravi dogmatis jam in patria infectum, A. 1550. sqq. cum *Philippo* amplius triennio vixisse certum sit, & consvetudinem sibi cum homine, pietatem, prudentiam & integritatem (præter eruditionem eximiam) præ se ferente intercessisse, ipse *Melanchthon* Maximiliano II. Augusto Cæs. eum commendaturus scripserit: Qui & *virum, Deum recte colentem, & divinitus ad veri Dei invocationem tractum*, ibidem appellat; immo in epist. ad *Sigismund. August. Polon. R.*, *a furiosis & fanaticis opinionibus alienum esse*, diserte testatur; Non tamen cognitum satis est, hiccine an alibi *Sommerus* litteris operam dederit: tametsi illud verisimillimum sit. b) Si

 vero

a) Qua de re *Philippi* epistol. testatur Fasciculus rarior, *Lugd. Bat.* A. 1647. 8v. in publicam lucem datus, f. 2. sqq. Ex quo & hæc notabilis observatio (Ep. 113. f. 169.) excerpenda est, qua, eundem *Lælium Socinum* ab Illustri viro D. *Hieronymo Baumgärtnero* Sen., splendidissimo inclytæ Reipubl. Norimberg. lumine, *Melanchthoni* commendatum, & ab eo, optima mente, nihilque mali suspicato, mirum in modum laudatum esse, traditur. Quem & ipse Philippus alibi in Ep. *ad Stathmionem*, Tom. II. Peucer. f. 417. *ut virum gravem & doctum, & amantem doctrinæ veræ de Deo*, prædicavit. Ex quibus epistolis, Lugdunens. præsertim, porro memorabiles has quoque circumstantias, videlicet in *Forsterianis* ædibus, Ebrææ linguæ potissimum addiscendæ studio, eum habitasse, ejusque etiam convictu esse usum, intelliges. Cujus rei & *Camerario* suo *Philippus* aliquam licet obscuriusculam significationem dedit, quando die Jacobi memoriæ destinato A. 1549. f. 619.: *Socini filius sæpe nobiscum est, sed convictor est Forsteri, & optarim eum in Helvetiis esse*, ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλην πόλιν τετάγμένος, (quæ sane verba, nisi sanitatem spectent, jam aliquid suboluisse *Melanchtoni*, innuunt,) scripsit. Vtut vero hæc sint, quam egregie ab isto veræ confessionis simulatore sit deceptus, videtur ipse *Philippus* in epistola ad *Brentium*, quæ istic legitur ordine XXIIa. p. 402., cum dolore tandem agnovisse. Cujusmodi etiam aliæ aliorum id genus hominum commendationes, nominatim vero *Franc. Lismanini* Helvetiam transeuntis, & a L. *Socino* sine dubio contagione quadam jam tunc in *Polonia* affecti, habuere. Sero enim doli illi, quos multi sub id tempus alebant, emendationumque Ecclesiæ necessariarum fuco contegebant, detecti sunt.

b) Ita olim animum induximus nostrum, sed postquam eodem tempore atque die quoque, d. XV. videlicet *Aprilis* A. 1572, eundem *Sommerum* Cracoviam cum *Neusero* profugo venisse, atque cum eodem quoque e *Polonia* porro in *Transylvaniam* abiisse, ex *Lubieniecii* Hist. Socinism. didicimus, parum jam abest, quin ab iisdem *Palati-*

vero satis caussæ videatur, cur, *Lælium Socinum* fuisse, qui *Sommerum* aut alios in tranversum abripuit, dubites; non tamen *Joh. Campani*, Juliacensis, aut *P. Conyzæ* illius familiaritas, quorum alter cum *G. Wicelio* quoque conjuncte vixit, a) alter Profess. Witteb. multum negotii

Palatinatus ad Rhenum monstris in devia abreptum credamus: quod ex Indice Studiosorum Heidelbergensium, si cui eum consulere vacabit, certius explorare licebit.

a) De quo *Seckendorff. Histor. Luth.* L. III. §. 24. n. 10. f. 65. consuli potest. Vbi tamen quædam leguntur, quæ uberiori consideratione digna sunt. Nimirum recte ab illustri Historico, Wittebergæ *Joannem Campanum* ante omnia studio Theologiæ operam tunc temporis, & quidem, quod alibi addidit *Wicelius*, nobilium quorundam juvenum ephorus cum esset, dedisse, monendum est, affirmari; contra vero fallere Lectorem, qui istic docuisse fidenter ait, *Sandium*, observandum. *Magistrum* equidem vocat in Apolog. sua *Wider seine Affterreder die Luteristen* 12mo A. 1535. Lipsiæ ap. *Melch. Lotther* excusa *Wicelius* D. iij (b.) sed neque ex eo titulo exsculpere aliquid licet, cum, qui dignitate hac clarent, non omnes, tametsi potestatem habeant, reapse alios, præsertim publice, in Vniversitatibus doceant. At, quando ibidem, A. 1532. *Wicelium* in periculum & suspicionem collusionis cum impio illo homine venisse, & in custodiam *Wittebergæ* propterea datum esse, scribit longe meritissimus *Heros*, non erit a præsenti instituto alienum, si circumstantias quasdam, hoc de antiquiori *Crypto-Socinismo* Wittebergensi accuratiores, ut videtur, adducamus in medium. Harum enim nonnullas non solum S. Reverendus D. S. E. *Cyprianus in Annotatt. ad MSSta Gothanæ Biblioth.* f. 109. suppeditavit, quem de anno paullo ante dicto 1532. jam dubium reddidit *Philippi epistola* A. 1530. ad *Vitum* nostrum *Theodorum Augusta Vindel.* d. 26. Julii (*extat autem in Fascic. Lugd. Bat. f.* 434. *exc.*) *Coburgum* data, ubi scripsit: *Hodie rescivi, Campanum illum nostrum* (*Lutheri* videlicet & *Philippi* quondam auditorem ac civem Witteberg. Academ.) *qui nova dogmata, Torgam ante nostrum discessum attulerat, captum esse a Leodiensi Fiscali: putant & ultimo supplicio affectum esse. Sed hoc postremum nondum certo scitur. Hoc dicas Doctori*; Sed alia quoque nobis suppetunt documenta, unde error iste sive calami sive memoriæ emendari potest. Quandoquidem annum 1530. ejusque initium, antequam *Augustam Vindel.* iter ad comitia susciperetur, pro A. 1532. omnino substituendum esse, partim *Wicelii* ad *Romanensium* castra transitus, ex *Niemeccensi* Ecclesia, cui uxoratus haud procul *Wittebergæ* præerat, qui jam A. 1531. contigit, cum scriptorum Chronologia ostendit; partim etiam litteræ ad manus sunt ipsius *Lutheri*, *Torgæ* exaratæ, eodemque A. 1530. scriptæ, in quibus de captivitate *Wicelii*, & consortis alterius infortunii hujus, plura alia commemorabilia habentur. Eam certe nobiscum a doctissimo viro nobisque amicissimo *Frid. Jac. Beyschlagio, Halensi Svevo*, ex avtographo Megalandri communicatam, si typis h. l. percommode expressam dabimus, vel hoc nomine legisse B. L. non pœnitebit. Ita vero *Lutherus*:

Gratiam & Pacem in Christo.

Scripsi statim Principi, Charissimi fratres, pro vestra redemptione, misso cum nuntio proprio, mea impensa, nam in carcerem vos conjectos esse plane ignorabam, præsertim tam gravem & crudelem. Quid culpæ sit etiam ignoro, nisi forte Campani hospitium. Sed spero hoc forte impetrari, nam is Torgaviæ

tii p. p. facesſivit, ætas prorſus refragatur, quo minus horum aliquo Præ-

gaviæ jam fere dies XV. fuit, miſeraque monſtra dogmatum indicavit; quæ mihi tamen nondum viſa, ſed tantum relata ſunt, ut divinare non ſatis poſſim, (obſcura hæc erant, quæ ſequuntur) *quid utar, vel, quid agam. Igitur ferte interim patienter, ego fideliter laborabo pro vobis, ut mox dimittamini. Valete in Chriſto fer. 6. p. Lætare* 1530.

Martinus Luther.

Inſcriptio Epiſt. exterior.

Nobilibus viris M. Georgio Wicelio & Antonio Hermanno, afflictis in Bilniz, fratribus ſuis. Bilniz.

Tametſi enim ex his Lutheri etiam litteris manifeſto colligi poſſit, non *Witteberge*, ſed *Bilnizii* captivum fuiſſe *Wicelium* cum *Hermanno* aliquantiſper detentum; illud tamen maxime luculenter inde patet, quicquid harum rerum actum eſt, (ubi jam non inquiremus, utrum fraudis aliquid commiſerit homo cæteroquin valde ſubdolus, *Wicelius*, de qua ſe præſertim contra *Juſtum Jonam*, quem *Jodocum Koch* etiam vocat, Præpoſitum h. t. Witteberg. purgavit operoſe,) id omne A. 1530. jam peractum fuiſſe, & excedentem hinc e terris *Saxonicis* p. p. *Campanum* omnino domi in diſcrimen incidere potuiſſe. Omnium vero certiſſimum eſt, *Philippum*, accurate cum *Luthero* concordantem, recte nos docuiſſe, turbas has ante *Comitia Auguſtana* in *Saxonia* jam datas eſſe, & male ad A. 1532. rejici. Neque quicquam adhuc occurrit, quod nos ab hac ſententia dimovere, aut ſcrupulum etiam injicere queat, præter ipſius *Wicelii* in citata p. a. *Apologia* quædam verba. Vbi quando de rebus iſtis potiora, & ſigillatim, quid ſibi cum *Campano*, ſe inviſente, atque Bibliothecam *Werneri von Stehau* per menſem integrum perluſtrante, in alienis vero ædibus, non ſuis, interim habitante, negotii fuerit, narrat; ea omnia ante *triennium* contigiſſe ſcribit: cum tamen libellus iſte, uti dictum eſt, A. 1535. demum Lipſ. ap. *Melch. Lotther* fuerit impreſſus. Sed facilem eſſe putamus hujus quoque ſcrupuli remotionem, dummodo calculum hunc non a libri impreſſione, ſed ſcriptione ducas; qua ſola obſervatione, adhibita porro communi omnibus ſententia, qua A. 1531. ad *Papatum* rediiſſe traditur, conciliari optime diſſenſus poteſt. Nihil enim frequentius uſu venit, quam quod libri citius conſcripti ob varias cauſſas ſero excudantur, & per oblivionem, quæ ad temporis rationes in illis pertinent, deinde haud corrigantur. De reliquo, quæ ſententia *Campano* huic in capitibus fidei præcipuis, de Deo, atque Chriſto potiſſimum, erranti, ſederit animo, haud dubie non alia quam *Serveti*, niſi eo ipſo quoque συγχρόνῳ præceptore forte in itineribus Gallicis uſus ſit, & quæ fata alia, tam ejusdem, quam *Wicelii*, præſtito jurejurando abire juſſi, & A. ſeculi ſuperioris LXXIII. ætat. 72. poſt varios conatus, irenicos potiſſimum, *Coloniæ*, *Fuldæque* morati, & *Moguntiæ* tandem vita defuncti, fuerint; ac denique, idemne ſit *Hermannus* iſte *Georgii*, Conſiliarii Ferd. I., filius, cujus in epiſtolis *Olymp. Fulv. Moratæ* fit mentio, an alius? non opus eſt h. l. exponere uberius. Hæc enim & ſimilia, quæ de *Campano*, neſcio quæ futura etiam vaticinato, & *Wicelio* quoque, ne uxorem dimittere cogeretur, Græco ritu conſecrato Presbytero agunt, aliaque plura ex *Jameſio* excerpta, tam *Bælius* in *Lexico* modeſtior, quam *autor Socinianæ Hiſt. Gallicæ*, hic tamen non ſine ſuſpicione falſorum admixtorum, enarrarunt. Tantum de his, ut παράλληλον quodammodo noſtræ Hiſtoriam in ipſa Saxonia haberemus, paullo diligentius recitare, non eſt nobis viſum inconſultum. Quibus forte addi poteſt optimus *Philippus Melanchthon*,

Præceptore usus fuerit. At enim sufficit in præsens, inter eos numerandum esse *Sommerum*, quemcunque habuerit Præceptorem, a) qui crudam adhuc multisque inconcinnis hypothesibus pessime cohærentem confusamque *Anti-Trinitariorum* hæresin profiterentur: cujusmodi confusæ & impeditæ obscurissimis ideis assertiones etiam in

thon, quippe qui in epist. ad *Conr. Heresbachium* Consil. Juliacensem A. 1531. d. 15. Julii data, & fascic. II. Peuceriano f. 394. comprehensa, non solum ad suos e Saxonia jam rediisse *Campanum* meminit, sed etiam *hostem Lutheranæ factionis* eum se *professum* esse, atque *librum*, cui titulum fecerit, *contra totum post Apostolos mundum*, scripsisse θρασονικῶς, inquit, ac de reliquo *juvenem & imperitum horum certaminum* ἐυνομιανοφρονοῦντα h. e. Eunomii (Ariani) sensa tenentem vocat. Cujus libri a *Campano* evulgati etiam in *colloquiis Lutheri familiaribus*, quæ sunt ab *Henr. Petr. Rebstokio* collecta atque edita, fit mentio, & *nimium non solum ab eo una voce assumtum esse* (ut Germanica formula l. c. P. I. f. 83. reddita legitur,) narratur b. *Lutherum* judicasse, sed eundem quoque, *nunc divinitus capite plectendum ibidem*, additur dixisse. Præter hæc vero, (quod etiam, cur ista adjicienda putaremus, in caussa fuit,) loco citato, *Lutherum*, postquam *Lipsiam* receptum esse *Wicelium* audiverat, librisque editis veritatem jam aperte impugnare Evangelicam cognoverat, *plenum esse* illum, (*Wicelium* puta,) *pessimarum opinionum*, *easque traxisse ex Campano*, ipsummet ad extremum credidisse, idque palam tandem professum esse, commemoratur. Vnde sententiam suam *Megalandrum* de *Wicelio*, quem operose excusaverat antea, pejora scil. jam de homine fraudulento certius edoctum, deinceps mutasse, & quod revera cum *Campano* clam antehac conspiraverit, existimasse, non obscure patet. Quæ, quemadmodum a prioribus cogitationibus posteriores optimi viri de ambiguæ fidei homine diversæ fuerint, ut constet, & ut superior illa epistola, bona mente scripta, aliquo modo illustretur, h. l. adducere in medium, visum nobis est. Quis enim *Wicelius* fuerit, & quantopere mutatus sit a pristina, quam præ se ferebat, integritate, quamve nefarie deceperit optima quæque, ut charitas solet, credentem *Lutherum* vertumnus ille, hinc manifestissime apparet. Sed hæc sufficiant de *Wicelio*, apostata & *J. Campano*; neque enim pluribus, quid clandestinæ machinationes in hæresibus disseminandis valeant, ut demonstretur, opus est. De *Conyza* confer, quæ sunt a nobis paullo inferius §. XLVIII. in not. aa) ex *Hist. A. Conf. Ambr. Wolffio*, civitate quidem, sed non religione *nostro*, opposita citata. Longius namque heic digredi, & quasi extra oleas vagari, non licet. Huc tamen facere hæc, quæ diximus, possunt, ut non *Altorphium* solum *Crypto-Socinismo* infestatum esse, sed, iisdem Dæmonis infernalis insultibus, alias quoque Academias obnoxias fuisse, pateat. Eundem enim *Conyzam*, *Polonum*, aut Lithuanum potius Antitrinitarium, grandem librum, *de communicatione nec dialectica nec physica*, Wittebergam attulisse, atque easdem, quas *Campanus* ante probaverat, hypotheses, Christi divinitatem impugnantes, istic sparsisse, *Philippus* l. c. conqueritur, idemque, quamvis mature abscedere jussus sit, semen tamen aliquod reliquisse, (*er habe seinen Samen hinter sich gelassen*,) addit. Sed filum tandem abrumpendum est.

a) Antiquiorem certe *Fausto Socino*, cujus non accurate b. *Scherzerus* in *Dispp. Anti-Socin.* & *Proœmial.* quidem f. m. 13. *discipulum Sommerum* vocavit. Vix enim cum chronologia hæc conciliari possunt.

in *Serveti* Operibus & Meditatis a) ex omnium confeſſione conſpiciuntur: cum, *Socinum* demum male adhuc compactam errorum catenam magno ingenii acumine, & ſtyli nitore haud minori, quam impietate & audacia, in ſyſtema quoddam, ſibi utcunq; reſpondens, redegiſſe, iidem pariter agnoſcant. Sed hæc nunc non agimus, quibus, quo loco inter hoſtes divinitatis Chriſti numeratus tunc fuerit *Sommerus*, cum iſthæc clandeſtinis litteris agerentur, *Smalcii* verbis potius quam noſtris enunciare placet, qui in *Refutat. Theſ. Franzianarum*, quum mentio ejus incidiſſet, & teſtimonium ex ejus ſcriptis objectum fuiſſet: *Tractatus,* inquit, *quos a Glirio,* b) *Neuſero, Sommero editos eſſe, ais, hactenus non vidi, nec valde iſtorum hominum opinionibus inſiſto. Nam tales omnes iſti fuere, quos noſtra Eccleſia indignos ſua fraternitate cenſuit, ob blaſphemas ipſorum de J. C. ſententias.* c) Et alibi: *Sommerum nunc defendere non eſt animus, tum, quia librum ipſum ad manus non habeo,*

Yy *tum,*

a) Itemque *Alciati*, *Gribaldi*, *Blandratæ* & ſimilium Italorum opinionibus, inter prima ὑψώματος ἐπαιρομένου κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ molimina mirum in modum diſcrepantibus, eoque *Valentinum* etiam *Gentilem*, miſerum illum erronem, abripientibus, ut in Tritheiſmi aliquod genus tandem, luculenta quadam quaſi vertigine correptus, præceps prorueret. De quibus digna eſt, quæ legatur, *Valent. Gentilis, teterrimi hæretici, impietatum ac triplicis perfidiæ & perjurii explicatio* &c. quæ *Genevæ* A. 1567. 4ta forma olim prodiit. In cujus libelli, qui faſciculus eſt plurium Diſſertt. contra id genus homines, Præf. *Theod. Beza* egregie horum ſodalium genium atque indolem delineavit.

b) Germano ſine dubie, & *Neuſeri* perquam familiari, quem parum abeſt quin, cum natales obſcuriſſimi ſint, & tempus concordet, adhæc prænomen ſuffragetur, & alia plura ſuadeant, non alium, quam *Matthiam Vebe*, Diaconum in Palatinatu antehac *Lutrenſem*, fuiſſe, & ejectum in exilium, A. 1572. inclinato, nomen hoc, ut lateret tutius, aſſumſiſſe conjiciam. Cur enim in *Tranſylvaniam*, cum fugitivo *Neuſero*, (quem tamen longius progreſſum eſſe, jam ſupra annotavimus,) abiret, & publica ignominia notatus in patria, nomen mutaret, plus ſatis certe cauſſæ habuit. Neque etiam *Glirii* adſcititium cognomentum refragatur; utpote quod, ceu pluribus *Salmaſius* ad *Solinum* & *Conr. Geſnerus* demonſtravere, animal δενδρόβατες, in his terris *Vebe* dictum, ſciuro ſimile, denotare ſolet. Adderem etiam de *Jac. Palæologo* quædam, Græcum forte ſe mentiente *Chium*, & hoc involucro *Jacobi Suteri*, infelicis *Vebii* comitis, perſonam involvente, niſi audacis opinatoris notam timerem, & dilucida nimis cum circumſtantiarum omnium enumeratione Græculi iſtius ex *Porphyrogenneto* in monachum *Dominicanæ* ſectæ, & ex monacho porro in *Arianum* mutatio, atque hinc per inſidias in Moravia capti, atque inquiſitioni Romanæ traditi, in cineres triſtis converſio, alia nobis perſvaderent. De *Matthia* contra *Glirio*, cujas fuerit, cuncti ſe neſcire fatentur, & *Neuſeri atque Sylvani ſocium, ac perſecutionis eorum in Palatinatu participem*, explanate *Sandius Lamyusque* nominant.

c) Diſp. IX. f. 290.

tum, quia nostris Ecclesiis cum isto homine & aliis ejus similibus non in omnibus convenit. Nimis enim spiritus ille, qui & Sommerum & alios agitavit, ad Enthusiasmum propendebat, & odio Domini Jesu flagrans, elevabat ea, quæ in Christi Evangelio nova a) *nobis commendantur & præcipiuntur. Omnium vero atrocissimum illud est, quod ipse Faustus Socinus tribuit Sommero, dogma, negatæ puta resurrectionis mortuorum; idque eum docuisse studiose & operose Matthæo Radecio confirmat: De Sommero, inquiens, vehementer sum miratus, quæ mihi rescribis; quasi ego suspicione aliqua ductus, dixerim illum mortuorum resurrectionem negasse, & non aperte professus fuerim, me ex ipso Franc. Davidis, cui Sommerus, dum vixit, carissimus & familiarissimus erat, quem Franciscus ejusque memoriam & suspiciebat & maxime colebat, id accepisse. Addebat autem Franciscus, se Sommerum acerrime ejus rei nomine sæpius objurgasse, utque aliquando resipisceret, monuisse. Hæcque, dum Claudiopoli apud ipsum habitavi, non semel, sed frequenter mihi commemoravit &c.* Quæ si ita sint, non miramur, sodales Sociniani erroris ab homine perversissimæ mentis vel hac una de caussa magnopere abhorruisse. Nec proinde dubium est, quin etiam nostri illi complices, eodem de homine, præceptoribus suis displicente, sentientes, occasionem quoque de *Sommero* in deteriorem partem potissimum confabulandi habuerint, idque quam maxime operam dederint, ne cui hypotheses putridi illius membri *Antitrinitariorum* cohortis arriderent, aut ab adversariis temere, quæ iste de *Invocatione Christi, Verbo Dei, Baptismo, Chiliasmo & mortuorum Resurrectione*, aliaque plura *Ariana* magis, quam *Photiniana*, vel utrique factioni improbata, docuerat, imputarentur. Quo accedebant etiam locorum Scripturæ interpretationes ejusdem paradoxæ, ad quas, uti in ipsis quoque *Socini* scriptis vestigia extant, occasione data subinde provocatum videtur. *Librorum* enim *Sommerianorum* nihil, quod sciamus, in cujusquam eorum supellectile repertum, aut deposcentibus traditum est; Cujus etiamnum schedæ a *Sandio* enumeratæ cum rarissime compareant, & *Therini* Græcum nomen fictitium idioma suum & originem simul, vel me non monente, solo etiam sono prodat, ut explicatione opus haud sit operosa, neque hic diutius moramur. Neque vero *Ernesti* etiam SONERI hoc in loco nos diu detinebit b) consideratio: utpote cujus jam Capite I. magna

a) *Præcepta* haud dubie nova, & Mosaicis a Christo addita, innuit *Smalcius*: quod & sequens verbum condocefacit.

b) Nisi quod data denuo occasione monendum videatur, nomen ejus *Ernesti Sonneri*, uti nonnullos alios, sic ipsum etiam *Dinne-*

magna pars fatorum ex inſtituto enarrata, & in hac altera Sectione ſubinde etiam quædam inſperſa ſunt, quæ ſocietatem ab eo initam impiæ religionis, cum clandeſtina propagatione, apertiſſime demonſtrent. Ad *Phileti* ſeu *Philetæ* a) autem cognomentum quod attinet, nemo non intelliget, opinor, ex *amore* in præceptorem *ſingulari*, & memoria inſignis humanitatis, a qua paſſim alias celebratur, ipſaque facies picta & æri inciſa eam loquitur, promanaſſe. Quod autem, transmutato integro nomine cum dignitate Doctorali, interdum etiam in MStis, *Dodicus Sorneſtus Ebnerus* appellatus fuerit, ex ſuperioribus ſimiliter conſtat.

§. XLVII.

His itaque breviter monitis, *Steinfurtum* latina *petræ* notione, vel *Fruteſtini* anagrammate notatum fuiſſe, attingentes, *Clem. Timpleri*, Metaphyſici illius Steinfurtenſis, memoriam refricaremus, niſi liticulæ domeſticæ & ſcripta, quæ cauſſam citationi dederant, ipſiusque nove conficti ex *Templo* nominis *Hieronis* rationes, tum *Vorſtii* etiam collegam fuiſſe, & ſimilia, ſatis jam cognita eſſent. Hoc tamen facere non poſſumus, quin tribus verbis addamus, *Steinfurti* prope ad ſeditionem aliquando ſpectaſſe motus *Vorſtio-Socinianos*, cum *Comitum alter*, de quo ante dictum eſt, faventior *Vorſtio* & *ſociis*, hominem quendam *Socini* placita ſectatum, & ex *Polonia* adventantem, humaniſſime excepiſſet, easque ſeditioſas turbas *Timplerum* præcipue compresſiſſe. Quæ tanquam ſingularia inter iſtas clandeſtinas confabulationes aliquando *Witteberga Vogelius* ad *Peuſchelium Jenam* perſcripſerat. b) Sed hæc ἐν παρόδῳ. Quo pacto vero *Sociniani* fermenti reliquiæ c) ex eodem *Comitatu* deinceps expurgatæ ſint, in vita *Henr. Altingii* legere eſt. Quæ cum ſint a noſtro inſtituto remota, jam non eſt lubitum pluribus enarrare. Supplementa igitur potius

Dinnerum, exſcripſiſſe. Vid. *Mantiſſa III. Epp. Richterianarum*, f. 718. Conf. Cap. I. §. XI. Vnde male id factum, & vel a typographo, vel alia de cauſſa errorem commiſſum eſſe, patebit. Quam familiaris enim eidem fuerit *Dinnerus*, alibi narrabimus; eamque ob rem, ne cui hic locus fraudi ſit, hæc obſervanda duximus.

a) Ita enim *Ruarus* in epiſt. ad *Peuſchelium* ſcripta, & multoties citata, flectit vocem ad leges primæ Declinationis.

b) Vid. ſupra §. VII.

c) Quæ, quales, & quantæ fuerint, non aliunde rectius, quam ex *vita Smalciana*, ad calcem hujus Hiſtoriæ adjecta, patebit. Quippe ex qua non tantum, *Vorſtianarum* hypotheſium aſſectatores illic fuiſſe, apparet, ſed, ipſos quoque *Socinianorum* fratres conjunctiſſimos Gymnaſium hoc in ſinu ſuo foviſſe, hinc inde elucet.

quædam ad litteram S. ſubjiciemus, non inutilia ſcitu, & ad ſummam rei haud parum momenti afferentia. In quibus venerabile ipſiſmet *novis-Socinianis* JOH. SCHROEDERI nomen reperitur, quod cum ſæpius commemorandum eſſet, partim ob ſtudium ab eo adhibitum inquirendi in hæc arcana laudabile & plenius ea revelandi, partim ob diſputationes, ſæpe ex ſuggeſtu etiam, adverſus diffidentes a) inſtitutas, itidem viſum eſt commentitia *Scarabæi* nomenclatura involvere: idemque uſus vocabuli Germ. *Schröter* in his terris, & inſigne ejus animalculi, quod gerebat ſignatorio annulo inſculptum, ſuppeditabant. Ex vilipendio ſane id factum eſſe, credibile non eſt; quippe quem hi novi aſſeclæ *Socini* tanti æſtimarunt inter cæteros *Noribergenſes* verbi divini præcones, per id tempus iſtic florentes, ut, quod de *Vogelio* certiſſime nobis conſtat, ipſo *Trinitatis feſto* A. 1613. factum eſſe, ante ſolis ortum haud raro ſurgentes, pedibus *Noribergam* excurrerent, eumque concionantem dominicis diebus, ſextaque, quæ a Venere nomen habet, luce avide audirent. Idque eo factum eſt, quemadmodum ipſimet ultro poſtea faſſi ſunt, ut ſcrupulis conceptis, ſi qua fieri poſſet, liberarentur, tum vero etiam de argumentis, maxime vero imbecillioribus, prolatis, confeſtim diſcutiendis inter ſe rationes conferrent. Quanta deinceps ejusdem viri accuratiſſimi, in revocandis ab erronea ſententia in rectam viam his juvenibus, fuerit induſtria & prompta dexteritas, ſequenti capite abunde expoſitum iri pollicemur. b) Jam vero præter *Schröderum* etiam *Sci-*

pionis

a) *Socinianos* pariter & *Calvino-Reformatos*. De domeſticis enim certaminibus, cum A. 1611. *Swinfurto Noribergam* in templum *Laurentianum* Antiſtes advocatus, *libris Noribergenſium normalibus* ſubſcribens, ſed Concordiæ ſimul Formulæ addictus, fidem dediſſet, & nemini ſe publice moturum litem pollicitus eſſet, nihil commemoramus; ſed occaſioni magis tempeſtivæ commemorabilia hæc & ſingularia fata ſervamus. Quantum vero in Polemicis valuerit, ſcripta in lucem edita paſſim nemine refragante condocent. Quas tamen inter Diſputationes, quæ ipſi cum *Jac. Martini*, de *imaginis divinæ reliquiis*, interceſſerit, nobis non ſatis conſtat, neque etiam, quæ fuerint ſcripta amœbæa in hoc argumento edita (*Wechſelſchrifften, daſs ſie endlich des Streits müde worden*) adhuc innotuit. Vnde quo jure & qua fide iſthæc narraverit *Gottfr. Arnoldus* Hiſt. H. & Eccl. P. II. L. XVII. c. VI. §. 28. ne litteras quidem manuſcriptas, (uti cæteroquin ſolet) teſtes allegans, ipſe viderit.

b) De auctoritate & veneratione autem *Schröderi* in civitate Eccleſiaque Noribergenſi, ut alia plurima, ita cumprimis *nummus argenteus, imaginem ejus exhibens*, qui rariuſcule comparet, *moduli mediocris*, & altera facie effigiei exſculptæ verba circumſcripta: M. Jo. SCHRO. EC. S. L. NO. ANTIST. altera vero ſeu averſa verba Pſalmi CXXVI. QVI SEMINANT IN LACHRYMIS IN EXVLTATIONE METENT

pionis Gentilis in litteris iftis myfticis memoriam haud raro incidiffe, addendum, eumque *Schürftabium Populæum* nuncupatum effe, obfervandum. Cujus figmenti quidem, non erroris cum illis, a) prout jam fupra dictum eft, minus recte fufpicatum effe CL. *Creenium*, cauffa fuit commercium; fed alia fubinde incidentia negotia, quorum & ipfe fuit, ut *Profeffor Academiæ Altorphinæ* fpectatiffimus, particeps. Ipfius autem novæ appellationis origo ex Germ. latinæque linguæ vocabulorum permutatione perfpicue elucet. Adderemus & *Tribandri* adoptatum a *Laurentio Stegmanno* appellationem, ut noftris hifce congerronibus, ita poft hæc etiam tempora ab eo ufurpatam; b) Quoniam vero extra orbitas egredi, & a præfenti inftituto fecedere non convenit, omiffis hisce, aliisque id genus mutationibus ac latebris, in fcriptis Vnitariorum ubique obviis, *Tranfylvanos*, quos noftris *Hylæos*, a *Sylva*, fic dictos effe, Onomafticon refert, paucis attingemus. Neque vero horum crebro meminiffe, mirum eft, cum nulla in hunc usque diem regio ac provincia reperta fit, in qua atrox illa hærefis firmiores fedes radicesque pofuerit, quam in Ducatu illo *Daciæ* populofiffimo; c) neque etiam alia commemoretur, in qua diftractiones eidem errori addictorum domefticæ crebrius ortæ, &, varia tamen fortuna, continuatæ funt pervicacius. Vt taceamus antiquitatem Ecclefiarum Anti-Trinitariarum illic e fec. XVI. repetendam, ipforumque Principum quorundam, fi non omnino adftipulando, quod de *Joh. Sigismundo* conftat, at patrocinando tamen, præftitum haud infrequenter lugubre præfidium. d) Nullibi profe-

 cto

TENT cum fubfcriptis litteris H. V. P. repræfentans, teftatur. Quod & *titulus Superintendentis*, cum tamen ordine fecundus inter Antiftites Ecclef. effet, *vulgo* ei tributus, inque ipfa quoque typis expresfa *Memoria Schröderiana D. Chrift. Matthiæ* (Ed. in 4to primæ, in recufo enim exemplo, quod inter *Memor. Theol. Wittii* legitur hæc mutata funt,) proftans, comprobat.

a) A *temperato* quodam *Calvinifmi*, ut vocabant, genere non pronunciaverim immunem; quam ex paterna forte confvetudine fententiam haufit, fed a *Socinifmo* quam alienus fuerit, ipfe profecto multis modis demonftravit, de quo Cap. III. Sect. 4 videri poteft.

b) Conf. Vitam *Wiffowatii*, & *Lubienienicii* Reform. Polon. Hift. ubi femel iterumque ejus cognomenti facta eft mentio.

c) Cumprimis tamen *Claudiopoli* & *Thordæ*, ita ut in *Tranfylvania* ipfa & *Siculia* plures quam 200. Ecclefias numeratas t. t. fuiffe, *Socini* affeclæ teftentur. Quo numero tamen procul dubio etiam privatæ & domefticæ Ecclefiolæ comprehenfæ funt.

d) Conf. ad hæc illuftranda poffunt *Hanerus* in *Hift. Eccl. Tranf.* & Cl. Jen. Prof. *Schmeizelius* loco p. p. citando: quorum hic cum primos *Francif. Davidis* & *Georg. Blandratam*, Archiatrum aulicum *Johannis*, dein *Steph.* & *Chriftophori Bathoreorum*, patronos principum-

cto nulloque tempore major his hoſtibus Divinitatis J. C. indulta eſt libertas, quam in fertili illo & peramœno agro, & quidem ſub initium ſec. XVII. atque præcedenti ſeculo XVI. inclinante maxima: ita, ut & publice illis ſua illic ſacra celebrandi poteſtas facta ſit. Quam indulgentiam *Claudiopoli* usque eo extenderunt homines nauci, ut *civitatis* atque *Athenæi* gubernacula etiam diu tenuerint, eamque, quantum ad *ſcholam*, auctoritatem, patrum quoque noſtrorum memoria, adhuc ſervarint. Id quod vel ex ſolius *Paulli Michaelis Rhegenii*, *Claudiopolitani*, ad noſtros a *Socini* illa cohorte transgreſſi, & *Lipſiæ* ſub exordium A. 1688. rite demum baptizati, præfatione ad *Lib. de Oeconom. Redemt. Chriſti* a) apparet: in qua præſtantes eruditione viros ejusdem *Gymnaſii* doctores, eo tempore recentes & clarentes adhuc, *Socinique* ſectatores, atque præceptores quondam ſuos, cum elogio nominatim recenſet. Quanta olim fuerit Eccleſiarum *Socinianarum* copia illic numerata, tanta nimirum, ut numerum interdum 200. excederet, ex hiſtoricis *Anti-Trinit.* monimentis, & *Daciæ* ipſius deſcriptionibus abunde conſtat; cujus etiam ſupra, in fatis *Rhawianis* colluſtrandis, fœcundiſſimæ multitudinis injecta eſt mentio. Vt in vicinam *Hungariam* & Comitatum ejus *Barovienſem* ſeſe diffuderit infelix lolium, in vita *Wiſſowatii* b) annotatum legimus. Taceo legationes c) creberrimas, exinde ad *Racovienſes*, & ab his viciſſim ad *Claudiopolitanos* (quæ utrinque habebantur cœtuum horum metropoles) miſſas; partim inſtaurandæ pacis gratia, ſi quando colliderentur vehementius diſcordantes; partim conſultationum inſtituendarum cauſſa, ut latius diſſeminari hæreſis poſſet, & in adverſis rebus confirmarentur vacillantium animi. Ad quas ſæpenumero *Racovienſium* præcipui doctores adhibebantur, interque omnes potiſſimum, poſt hæc tempora medioque ſec. XVIImo, *Jonas Slichtingius* illuc creberrime abiit, alii vero rarius leguntur uſurpati. Omitto colonias e *Polonia* frequenter admodum eo commigrantes, easque omnium maximas & celeberrimas, quum exturbati inde ſedes ſibi novas quærere neceſſitate quadam d) compellerentur. Quorum cum non-

cipumque horum auctoritate abutentes nominaſſet, hujus libertatis cauſſam potiſſimum in ſtabilitum A. 1563. decretum, ut quisque quam velit religionem amplectatur &c. rejicit. vid. l. c. Cap. II. f. 54. ſq.

a) Quem vulgavit A. 1688. forma 12. eique poſtea plura, ſed philoſophica Opuſcula ſubjunxit non indocta.

b) f. 256. ſq. *Append. Sand. Biblioth.*

c) Conf. quæ ſuperius ad *Iſanadium* notavimus Lit. I. § 24.

d) Quo ſucceſſu & quibus fatis, præter auctorem

nonnulla jam ſub initium ſec. XVII. & proximo ſec. XVI. contigiſſent, & deliberationes plurimæ his de rebus jam tunc haberentur, cum novus in *Germania* & *Belgio* proventus erroris exitioſi ſperaretur; quid mirum, ſi & noſtris, in conſvetudine litterarum clandeſtina, frequens Eccleſiarum tam numeroſarum, omniumque ſimul famoſiſſimorum inter eas diſſidiorum a) memoria occurreret, &, ut latere peſſima conſilia poſſent, cum ipſis quoque *Tranſylvanis* communicata, (ex hac enim officina *Rhawius* erat domum interea reverſus) *Hylæorum*, b) ἀπὸ τῆς ὕλης *materia* & *ſylva*, nomen κρυπτικὸν fabricaretur?

§. XLVIII.

Ad VOGELIVM quæ hoc loco ſingulariter annotemus, nova & ſingularia non ſuccurrunt, præterquam unum hoc, quod maxime dignum videtur obſervatu, neminem inter ſocios hos omnes fuiſſe, qui & ipſe nomen ſuum, uti polypus quidam, frequentius immutarit, & in mutandis aliorum cognominibus diligentius elaborarit. Quo factum eſt, ut non tantum tritiſſima *Aviti*, (qua & *Ruarus* c) uſus

auctorem Vitæ *Wiſſowatii*, ſcriptor quoque Præf. Opp *Przipcovii*, aut ipſe potius *Przipcovius* in epiſtola huic præfamini inſerta *. 4. (b) te, ſi vacat inquirere, edocebit.

a) Hæc enim confabulandi materiam inprimis ſubminiſtrarunt, inferius in *Annott.* ad *Refutat. Smalcianam*, Oratt. Vogelii & Peuſchelii oppoſitam, ejusque Præf. carptim enumeranda.

b) Quis hodie ſit Socinianorum in Tranſylvania ſtatus, ex *Dan. Kœrneri* epiſt. ad V. C. B. G. *Struvium* A. 1715. ipſis *Nonis Novembr.* perſcripta, & *Hiſt. ejus Lit. ex MStis erutæ* inſerta, liquet, ubi *Tom. II. Faſcic. II. f.* 177. *Arriani*, inquit, *qui ſe malunt dicere Vnitarios, in urbe Claudiopolitana templum cathedrale & Gymnaſium illuſtre cum aliquibus parochiis ſubditorum ruſticorum in terris Nobilium eidem cultui addictorum in ſua poteſtate tenent.* Plenius autem, & ad ſequentium proxime annorum fata progreſſus CL. *Mart. Schmeizelius*, Corona-Tranſylv. Saxo, Fac. Philoſ. Jenenſ. Adj. in epiſtolica *Diſſert. de Statu Eccleſ. Lutheranorum in Tranſylv.* ad S. R. D. S. E. *Cyprianum* Cap. II. f. 57. not. 117. *Atque hoc in loco* (Claudiopoli videlicet) *inprimis ſedem fixam*, ſcribit, *poſuerunt Ario-Vnitarii, erectis ſcholis, eccleſiis, typographia ſatis inſtructa, ſede Epiſcopali, cujus dignitatis munia geſſerunt Franciſcus Davidis, Demetrius Hunyadi, Valentinus Radecius Gedanenſis, circa A.* 1630. *Hos, Paſtorum ſaltim nomine inſigniti, exceperunt, Eraſmus Johannis Antwerpienſis, Joach. Stegmannus Marchia Brandenburgicus, circa A.* 1632. *Adamus Francus, Sileſius A.* 1656. *M. Valentinus Baumgarten, Memela-Boruſſus. A.* 1670. *Stephanus Pauli, Hungarus A.* 1672. *&c. Vid. Maimburgius in Hiſtor. Arian. c. XII. Anonym. in Biblioth. Antitrinit. Pinxnerus l. c. p.* 52. *ſq. Interim tamen*, ſic demum addit Schmeizelius, *cathedrale templum ſex abhinc annis* (ed. eſt Diſſ. hæc A. 1722.) *Claudiopoli ademtum eſſe illis, ex litteris amicorum didicimus: reſervato tamen illis libero religionis exercitio in privatis ædibus.* Qui, cum de ſchola aut Gymnaſio, quod *Kœrnerus* adhuc A. 1715. eos retinuiſſe teſtatur, nihil commemoret, hujus quoque etiamnum eos compotes eſſe, non dubitamus.

c) V. g. Cent. II. f. 52.

uſus eſt,) voce creberrime omnium deſignaretur e Germanico idiomate petita; verum etiam, Hebraico atque Græco adſcito, ſub *Huldrici* (Johannis) *Ornini* (Vogelii) *Vnimontani* (Noribergenſis) involucro aliquando deliteſceret: interdum *Johannem* aut *Jovianum* etiam *Avinum* ſe ipſum vocaret: His denique etiam acceſſit rariſſimum integumentum, quo ab amicis, inter maxime ſerias ſcriptiones feſtive jocantibus, obſcura periphraſi *Cavicampii gener* nuncupatus legitur. Quæ poſtrema appellatio nonniſi ipſorummet petulantiſſimorum hominum confeſſione patefacta eſt, cum interrogati de ænigmate, ideo factum, eſſe indicarent, quod, *Vogelium M. Georgii Hohlfelderi* a) *Diaconi ad D. Laurentii Norib.* filiam in matrimonium ducturum, aliquando ab amicis perhiberetur: utut eventu id comprobatum non ſit, uti Cap. IV. oſtendemus. Quemadmodum vero in variandis identidem nominibus hujusmodi, ſtudio confictis, operam diligentem navarit, id *epiſtolæ ipſius ad Peuſchelium Witteberga* datæ quam plurimæ, interque reculas *Peuſchelianas* repertæ, demonſtratum dedere: quarum eclogas carptim jam dedimus, & alibi daturi ſumus. Ex quibus, eandem illum ad cæteros ſcribendo ſervaſſe methodum, facillime effici potuit. Plura in præſenti addere non opus eſt. *Jo.* VOLKELIVM, b) *Philippovienſem* c) primum ſub patrocinio *Chriſtophori Morſtinii*, tum *Smiglenſium* d) Vnitariorum Paſtorem, & ex *LL.* de

a) Viri non indocti, & ex ſcriptis quoque, nominatim poëticis, atque *Tr. de Sole* A. 1612. 8vo evulgato clari, ac præterea ad obeundum vicarii Paſtoris munus, poſt *Joh. Schelhammeri* mortem usque ad *Schröderi* adventum, annos ſex cum collega *Mich. Rittero* adhibiti.

b) De cujus dotibus & in propagando *Socinifmi* incredibili induſtria lege epiſtolas *F. Socini* ad eum ſcriptas T. I. opp. Socini f. 451. ſqq. Qui uti germanam ejus in matrimonio habuit, ita, *Morſtinium* ſuum & epiſtolis frequentibus benigne ſalutaſſe, non eſt, quod mireris. Cæterum *Smigliam* non procul *Frauenſtadio* in finibus *Sileſiæ* & *Poloniæ* ſitam eſſe, ſatis ſuperque conſtat.

c) *Philippovia* magni Ducatus *Lithuaniæ* in *Boruſſiæ* confiniis oppidum eſt, quod *Chriſtophoro Morſtinio* t. t. parebat, qui & a Rege Præfectura ejus loci decoratus erat, denatus vero filium *Serinum Morſtinium*, cœtus *Robcovienſis* & deinde *Raciborſcienſis* miniſtrum, hæredem & prædiorum & pro religione ardoris maximi reliquit.

d) Fuiſſe hunc quoque *Volkelium* ad tempus aliquod *Wegrovianæ* ſcholæ, quam *Vengrovienſem* alii vocant, & quidem A. 1585. auctoritate *Chmielnicienſis* Synodi, præfectum, cum ex Teſtamento *Schomanni* f. 196. patet, tum etiam Cl. *Jänichen in Strict. ad Libell. Catechet. Vnitar.* haud ita pridem f. 10. annotavit. Vtrum vero ſcholæ regendæ prius admotus fuerit, uti ex *Schomanno* colligimus; an poſtea demum hoc officium ſubierit, cum *Philippoviæ* jam Eccl. gubernaſſet, (quæ videtur *Jænichenii* eſſe ſententia,) in medio relinquimus. Cæterum a *Schomanno Magiſtrum noſtrum* vocari l. c., memorabile eſt.

de vera Religione, potiſſimum longe celeberrimum, & a Germanica proprii nominis & gentilitii (erat enim *Grimmenſis* Miſnicus) notione *Popilium* ſeu *Populæum* dictum: non aliam ob cauſſam peculiarem toties videntur nominaſſe, quam propter *Nodum Gordium* a *Martino Smiglecio* nexum, & ab eodem *Volkelio* diſſolutum. Hunc enim libellum nuperrime A. 1613. typis ſubjecerat auctor, noſtrique ſedula manu verſabant. Syſtema autem Theologicum, paullo ante allegatum, anno demum 1630. lucem publicam *Racoviæ* adſpexiſſe, idemque a *Joh. Crellio* e MScto editum atque locupletatum eſſe, nemo ignorat. Et quanquam, exempla hujus operis, multa eruditione terſaque dictione hæreſin a) incruſtantis, diutius ante mortem auctoris in manibus ſociorum hærentia jam extitiſſe, probabile eſt, non tamen meminimus, vel in Hiſtoria *Crypto-Socinianorum* noſtrorum novitiorum id unquam commemoratum, vel inter libros etiam cæteros, magno numero conquiſitos, inventum eſſe. Multoque minus ad hæc tempora pertinent, quæ opus iſthoc dehinc ſubiit, adverſa fata, quum *Amſtelodami Cæſii* ſeu *Blauii* typographi id recudere cœpiſſent, annoque 1642. conſilio detecto exempla circiter 450. flammis traderentur, & mulcta ſimul typographo 1200. florenorum imponeretur: Quam tamen poſteriorem ſententiam poſtea mitigatam, & e tabulis expunctam fuiſſe, in epiſtola ad *Ruarum* ſcripta *Curcellæus*, inter omnes Remonſtrantes clariores *Socinum* maxime olens, non ſine affectus intimi ſignificatione refert. Hæc de *Volkelio*, homine acris judicii, elegantiarumque & ordinis in ſcriptis ſuis ſtudioſo, b) &, quod alibi

Zz nota-

a) Ex ſcriptis *Socini* in compendium redactam, quem κατὰ πόδα ubique auctor ſequitur: Cujus & amanuenſem aliquando fuiſſe, qui MSta ejus calamo dictata exceperit, ac proinde etiam domeſtica conſvetudine familiarem mentem præceptoris bene calluiſſe, ex *Socini* epiſtola, quæ in Opp. Bibl. Frr. Polon. f. 450. habetur, colligimus.

b) Quam ob rem procul dubio a plerisque, cum in *Belgio* ſparſum eſſet Syſtema ante dictum, pro libro valde periculoſo (*fort dangereux*) habitum, atque id circo rigori juſtitiæ expoſitum ſubjiciendumque viſum eſſe, *Bælius* in *Lexico Hiſt. Crit.* f. 2984. (T. III.) annotavit. Eumque forte ob hanc cauſſam ſibi quoque refutandum præ cæteris ſumſit *Mareſius*, qui tamen in Præfat. *Hydræ* ſuæ *Expugn. Socinianiſmi* etiam hanc rationem conſilii iſtius reddidit, quod *ex ſuis renaſcens cineribus Amſterodamenſibus* idem illud opus, *cum vernaculis voces Latinas commutaverit*, h. e. in Belgicam linguam A. 1649. translatum, majus, niſi ex inſtituto diſcuteretur, diſcrimen minatum fuerit. At vero etiam dignum eſt, quod de hoc labore conferatur *Pœlenburgii* judicium, qui, in epiſt. ad C. *Hartſœkerum*, Remonſtr. Eccl. Miniſtr. Amſtelod., nimis *infirmam & frigidam* eſſe eam *refutationem*, haud obſcure docet: Qua de re nos in præſenti nihil pronunciamus.

notatum reperimus, etiam ore facundo, breviter repetere visum est. Commercium ei cum νεοφύτοις nostris intercessisse litterarum, nondum observare licuit. Neque vero alia conquirere opus est, sive ἀλλότρια, sive tenebris adhuc obvoluta; in quibus historia transitus ejus ad *Socini* castra multo obscurissimi, digna sane esset, quæ a *Grimmensibus*, rerumque Misnicarum gnaris, diligentius erueretur. Nobis, utut studiose inquirentibus, alia expiscari nondum licuit, quam quod, inter stipendiarios seu beneficiarios Sereniss. *Electoris Saxoniæ Wittebergæ* Theologicis studiis operam A. 1578. eum navasse, a) a nonnemine memoriæ proditum est. Quo pacto vero, & qua occasione *Socinismo* nomen dederit, ad unum omnes silent. Sed de *Volkelio*, A. 1618. circiter *Smigliæ* demortuo, plus satis dictum est. Nunc *Conradum* VORSTIVM, proxime *Volkelio* subjunctum, ordinem Indicis nostri sequuti, paucis adhuc b) illustrabimus, & quoniam, a *Sylva*, *Forst* Germanis dicta, *Sylvanum* c) conficta consvetaque κρύψει appellatum esse, liquet; *Thrasybuli* ex Græca litteratura originem itidem cognitu perfacilem arbitramur esse, dummodo ad linguæ fontem illum cum prænomine, sed forma antiqua *Khunrad* exscripto, collatum attendere Lectorem jubeamus. Illud vero prætermittere non possumus, quia de rebus *Altorphinis* heic commentamur, eandem permutationem nominis *Conradi* in *Thrasybuli* formam jam A. 15-- *Conradum* d) *Dinnerum* JCtum, *Andreæ Dinneri* in Academia Altorphina t. t. Doctoris celeberrimi patrem, usurpasse, cum vitam Generosi & p. p. ipsa emendationis Eccl. tempora clarissimi Herois, *Georgii Ludovici Seinshemii*, præfixo *Thrasybuli Leptæ* nomine, in lucem publicam daret, multaque in eo opusculo liberius de rebus in Franconia

a) Vid. S. Rev. *Sam. Fr. Lauterbach.* in *Fraustad. Zione* P. I. Sect. I. c. VI. f. 52. sqq. & ipsum *Wolffg. Franzium* adde, qui, eod. anno d. 21. Septembr. in Colleg. Witteb. Augustinianum receptum esse, Dispp. in Aug. Conf. I. §. LXV. affirmat, stipendiariumque Electoralem fuisse, ex publ. tabulis explanate docet.

b) Præter ea, quæ jam ante cap. I. dicta de illo sunt varia.

c) Seu *Sylvium*: uti vocabulum a *Ruaro* exscriptum est, & in epistolis interdum legitur usurpatum.

d) Commiscuit hosce, *patrem* & *filium*, ipse *Joh. Mollerus* in *Homonymoscopia* Sect. III. c. IV. p. 800. de quo errore vel solius nominis *Thrasybuli* origo Græca eum monere potuisset. Cæterum uterque ICtus, sed pater *Conradus* patria *Acronianus* & *Consiliarius Herbipolitanus*, filius autem *Herbipoli natus, at Profess. Juris Altorphinus* extitit, & prior ex *Epithetis Græcis*, posterior autem ex scriptis Juridicis variis, famam consecuti sunt: ut ipsam filii, quæ huc potissimum spectat, *Famam Altorphinam* & *epistolas*, *Richterianis subjunctas*, h. l. sileamus.

conia sec. XVI. gestis in caussa cum religionis, tum *Grumpachiana*, (in qua plurimum negotii fuit *Seinshemio*,) enarraret, quam factum forte fuisset, si absque illa larva assumta in lucem prodiisset. *Vorstii* de reliquo fata quæ fuerint, in vulgus notum est. *Socinianismi* vero quorundam hypothesium participem fuisse, cum alia multa minus sincera, vel ex istis ipsis fontibus transsumta, vel in gratiam illorum statuta & defensa a) arguerent, tum etiam ipsius *Vorstii confessio* privata, sed tandem divulgata, apertius prodidit, in qua, *ex Socini libris serio se didicisse* θεολογεῖν, aliquando b) temere asseruerat, eumque favorem clam recusis quoque ejusdem *F. Socini* schediasmatibus, nominatim de *auctoritate scripturæ* libello, c) demonstraverat. Vt e *Lugdunensi Academia*, intercedente potissimum *Jacobi I. Regis Angliæ* auctoritate, anno 1612. ejectus, *Goudæ* postea utplurimum, & post Synodum *Dordracenam* in obscuro aliquo pago, inde non longe distante, & vix amicissimis noto, donec in *Chersonesum Cimbricam* transiret, summo cum discrimine delituerit, epistolæ *Remonstrantium*, inprimis *Sam. Nærani*, quæ ordine CCCLXXXa est, testantur, & vitæ scriptor *Gvaltherus* confirmat: ut alios Historiæ Remonstrant. Controversiarum scriptores sileamus. Compendium fatorum *Lugdunensium*

a) Vnde, præter accusationes *Reformatorum* & *Sibr.* potissimum *Lubberti* vehementissimas, nostris etiam adversus illum data est occasio insurgendi, omniumque dignissima lectu t. t. prodiit *Alb. Grawerì* dissertatio, qua in *Harmonia præcipuorum errorum Calvinianorum & Photinianorum*, evidenti demonstratione conatus est adstruere, salvis multis tum *Conr. Vorstii*, Prof. Leidensis, tum aliorum quorundam *Calvini* sectatorum hypothesibus & S. Sacræ interpretationibus, solide & sufficienter refutari *Socinianos* non posse. Quæ prod. A. 1612., & in *Polem.* quoque *Sacr.* habetur recusa.

b) In *epistola* nimirum ad *Keckermannum* A. 1599. scripta: Ad quam tamen accusationem in *Responso ad Exam. Resp. secund.* f. 40. & Ep. *ad Heidelberg. Theol.* inter Ep. Remonstrant. n. XXVIII. reponit: Id de diatribis tantum theologicis, deque occasionali caussa se intellexisse, quæ sæpe nobis ab adversariis etiam hæreticis præberi soleat. At mox, ad verbum Dei penitius scrutandum occasionem a *Socino* sibi datam, denuo, & ultro confitetur: Cæterum primas ejus cum Theologis aliis lites ex Epist. *Gothanis* a CL. D. *Cypriano* editis f. 76. sqq h. l repetere juvabit. Ex Additamentis vero ad *Bælii Lex. Crit. Hist.* f. 131. (ed. Genev.) hoc unum videtur h. l. annotatione dignum; *Christophorum* nempe *Pezelium* ei quoque conventui interfuisse, quo A. 1599. coram Heidelbergensibus fidei suæ rationem reddidit. Qua de re alioquin pluribus idem *Bælius* ad *Parei* vitam disseruit.

c) De quo præter ea, quæ sunt supra annotata, nemo copiosius disseruit, quam *Rich. Simon* in *Biblioth. selecta* P XVII. ubi & Pontificiis non ingratum fuisse hunc libellum, ex solis quippe characteribus probabilibus αὐθεντίαν Scr. S. adstruentem, omissa supernaturali virtute & Spir. Sancti diviniori convictione, ostendit.

ſum de reliquo ſiſtit *Declaratio Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis, qua, quid cum Generalibus fœderatarum Belgii provinciarum ordinibus ſuper re Vorſtii actum tractatumve ſit, ſingillatim explicatur, A.* 1612. *Londini* 4to impreſſa. Eamque ſi conſulet B. L., præcipuam etiam hujus rigoris cauſſam fuiſſe *Vorſtii LL. de Deo & Attributis divinis*, jam A. 1610. publicatos, itemque *Apologeticam Exegeſin* iſtius operis, eamque, ad modum vindiciarum, primario ſcripto priori A. 1611. 4to ſubjunctam, atque *Ordd. Holland.* & *Weſtfrieſiæ* dedicatam, intelliget. Quæ volumina etiam ambo in *cœmiterio Londinenſi Paulino*, & in utraque *Academia*, flammis antea committi, Rex idem doctiſſimus, atque in perſequendis adverſus *Vorſtium* conſiliis (Epiſcoporum quorundam a *Sibr. Lubberto* accenſorum inſtinctu, ut arbitramur) vehementiſſimus, imperaverat. Num vero *Socini* ſententiis prorſus addictus fuerit, nec ne, qua ſuſpicione paſſim olim onerabatur, a) & nunc quoque paſſim gravatur, non definimus. *Sandio* certe, *ultimam ejus confeſſionem*, MSctam & languida manu conſignatam, ſuis ſe oculis uſurpaſſe teſtanti, ſi fides habenda, in eam tandem hæreſin diu diſſimulatam omnino conceſſit. Neque etiam, ſi *Crypto-Socinianorum* noſtrorum in *Vorſtium* affectionem & elogia ponderes, hac de re dubitandum videtur. Dummodo illud præterea teneas, diſſenſum in quibusdam, gravioribus licet, hypotheſibus tolerandum utrique parti viſum eſſe, &, quo minus fraternitati obſtaret, inſuper habendum. Ita ſane, ſi pervulgatam ſententiam probes, de *Vorſtio* ſentiendum eſt haud dubie. Aliter vero & æquius de eodem exiſtimare jubet *epiſtola* & ſupplex libellus, quem *Dordracenæ Synodi Theologis* A. 1619. d. 27. April. ex profeſſo *Goudæ* ſcriptum exhibuit. b) In quo, præter alias de præcipuis fidei capitibus, ac ſpeciatim de *SS. Trinitate*, deque *Perſona & officio Domini noſtri Jeſu Chriſti*, perquam dilucidas declarationes, ſemper mihi notatu digniora c) viſa ſunt verba, quando:

Inpri-

a) *Pareus* certe, modeſtisſime alias de amico ſentiens, non tantum, ne *Rhenum quidem eum a ſuſpicione ἑτεροδοξίας ſatis perpurgaturum*, A. 1601. ſcripſit; Sed ad eundem etiam *Piſcatorem* A. 1611. *paulatim Vorſtium deinceps prodidiſſe, quæ olim non fuerit ſuſpicatus*, ait, *eumque hæreſi Sociniana intus penitus imbutum, foris colores adhibuiſſe, omnibusque turpiter illuſiſſe*, addit. *&c.*

b) *Inter epiſt. Erud. ac Præſtant. Virorum* Eccleſ. ſeu, ut vulgo vocantur, *Remonſtrantium*, ea legitur ed. 8vo (quæ ad manus nunc eſt) f. 542. ſeqq. typis excuſa. In altera enim (ut audio) numero CCCLI. comparet.

c) Hoc præſertim tempore, quo de confeſſione edenda publice & ex inſtituto agebatur; ubi viro, impiæ contra conſcientiam ſimulationis nequaquam ſuſpecto, tantam protervitatem imputare, religioni omnes, qui æquitatem amant, ſibi ducent.

Inprimis suspicione Socinianismi, inquit, *gravor, quanquam per summam injuriam, uti declarationes illæ meæ, ut alia jam taceam, clarissime docent. Demandetur mihi provincia Socinianos refutandi, faxo, Deo dante, omnes æqui rerum æstimatores, & a præjudiciis liberi intelligant, Socinianum me, & quidem nominatim in gravissimis istis de S. Trinitate, Deitate Christi, ejusdemque satisfactione &c. capitibus, non esse, sed serio a Socinianis dissentire. Quam quidem provinciam suscipere jam pridem sponte mea non neglexissem, nisi tot undique in me vibrata tela magis defendendi mei, quam aliorum oppugnandorum, curam aliquot jam annis mihi imposuissent.* Et p.p. *oblaturum sese Synodo aut Theologis Academicis istam refutationem* testatus, addit: *Hac ratione luculenta occasio dabitur tollendi scandali, quod infirmos quosdam ex iis, quæ alicubi vel paullo liberius, vel incautius disputasse videor, accepisse serio doleo.* Hæc omnia qui ad animum revocabunt, valde dubito, utrum *Sandii* a) assertis, aut manui *Vorstianæ* ostensæ temere fidem habituri sint. Sed de his alii judicent: quæ tamen rectissime omnium τῷ Θεῷ καρδιογνώστῃ relinquuntur, qui occulta quoque animi cujusque cogitata in lucem olim proferet. Quemadmodum post celebratam *Synodum Dordracenam*, & latibulum, quod incoluerat b) ex hoc tempore, desertum, in *Holsatiam* abiturus, *Tönningæ* morbo correptus, atque in arce decumbens, non multo post anno nimirum MDCXXII. e vivis excesserit, Professor Theologiæ antea *Fridericopoli* c) a Principe *Holsatiæ* designatus, solennique ritu ibidem tumulatus, pluribus in *epistola* ad *Anonymum* (qui *Dümlerus* nobis esse videtur) exposuit præter alios *Ruarus*, quæ octava est in Cent. I., legique integra meretur. Caussa tandem, cur frequentissime, sed objecta larva, ad evitandam allegationis invidiam, nostri *Neo-Sociniani* in confabulationibus suis ad eum provocarunt, non alia fuit, præter fata singularia, illa, quæ jam ante commemoravimus, aliaque plura, tum vero etiam scripta celebratissima, quorum tunc temporis permulta *Dogmatica* & *Apologetica* d) ab ipso A. 1610. sqq. publi-

a) In augendo *Unitariorum* numero, quod vel primæ paginæ edocent, valde seduli: ne nimis *pauper* videretur *Christus* divina sua φύσει privatus. Quam etiam ob caussam, cum sequentes haud posset, Patres Eccl. ante Conc. Nicænum celebres sibi suisque *in Nucleo H. E.* conciliare studuit.

b) Ipse vero & amici *Pathmum* ejus, *Johannis* & *Lutheri* exempla huc male applicantes, dicere solebant.

c) De qua nova novorum advenarum colonia Cap. IV. conferatur §. ult.

d) Ea præsertim, quæ jam tunc typis excusa prostabant, deque *Deo & attributis divinis* agebant, adversus varios oppugnatores, *Piscatorem, Sladum Becanum, Sibr. Lubbertum*, ipsosque etiam *Articulos* quosdam *ex*

publicatâ, quædam vero, uti ſupra dictum, ex ipſa *Socini* officina ſumta & recuſa erant: quorum & ingens numerus in ſupellectile *Peuſchelii* & aliorum ſociorum repertus eſt. Quæ vero, qualia fuerint, & qua occaſione exarata, ex *Sandio* B. L. addiſcat, aut ipſa inſpiciat, quandoquidem pleraque eruditorum manibus adhuc teruntur. Nobis enim a) ad finem properandum eſt, atque inter fictitia nomina WITTEBERGÆ denique paucis adhuc mentio injicienda. Hæc ſedula ſtudiorum provehendorum & ſanioris doctrinæ tuendæ mater, cur *Arges* b) appellata ſit, primum obſcuriſſimum videbatur. Suſpicio enim ab initio ſubnata eſt, qua vel principem *Argivorum* urbem, eamque antiquiſſimam, ob cœptam heic Eccleſiæ a ſordibus ſuperſtitionum quondam inolitarum repurgationem, huc accommodatam crederemus: vel ad navem illam celeberrimam alludi putaremus, qua *Argonautæ*, ut eſt in fabula, *vellus aureum* impetraturi, vecti dicuntur, idque propter fortiſſimos in eadem ſtudiorum Vniverſitate Doctores, Theologosque in *Socino* oppugnando laborioſiſſime deſudantes. Sed cum pro *Argos*, *Arges* exſcriptum eſſe obſervaremus, & *Ruarum* numero plurium *Argis* aliquid fieri, ſeu factum eſſe, l. c. animadverteremus dixiſſe; veriſimilius eſt viſum, id nomen pro vulgari *Leucorea*, quæ nimis trita appellatio, nimisque adeo aperta videbatur, per compendium adhibitum eſſe. Nam & Ἀργὴς atque Ἀργὸς Græcorum, apud Poëtas maxime, c) quod album candidumque eſt, deſignat: Quo vocabuli ſenſu Helena κατασχομενη ἑανῳ ἀργῆτι, φαεινῳ σιγῃ, h. e. *cooperta veſte candida, ſplendida ſilentio, per Venerem ad Paridem ducta, inceſſiſſe*, in *Iliade Homeri* Γ v. 419. Et in *Odyſſea* O. v. 156. in deſcribendo augurii omine, ἀετὸς ἀργὴν χῆνα φέρον ὀνύχεσσι, i. e. *Aquila grandis album anſerem ungvibus ferens*, apparuiſſe legitur. Vtrum vero huc tantum reſpexerint petulantes illi juvenes, neque, inanem ſimul eſſe, quem ſumant *Wittebergenſes Theologi* contra præceptores ſuos, laborem, per modum ironiæ ſubindicare voluerint, haud pronunciamus,

ex Anglia miſſos propugnata, atque *Exegeſi Apologetica*, *Ejus pleniori declaratione*, *Epitome Exegeſeos Apolog. Chriſtiana & modeſta Reſp.*, & ſimilibus comprehenſa.

a) De *Vorſtio* namque nihil definimus aut pronunciamus, eumque Domino ſuo, cui ſtetit ceciditque, judicandum relinquimus.

b) Exemplum uſurpati hujus nominis etiam in epiſtolis *Ruari* legitur Cent. II. num. IX. ad *Peuſchelium* f. 53. ubi *Argis Monavium* h. e. *Enjedinum deſcribi* (conf. §. XV. hujus Cap. IIdi) dolet.

c) Immo etiam apud *Ariſtotelem*, qui L. de mundo Cap. V. inter fulmina diverſi generis diſtinctionem eſſe docens, alia αἰθαλώδεις, *fulginoſa*, *nigra*que, alia ἀργῆτες (*alba*) κεραυνοὺς appellari obſervat.

mus, at valde tamen ſuſpicamur. Cæterum quam ſolicite in alma illa Evangelicæ veritatis conſervandæ bonarumque litterarum nutrice Academia firmas ſedes dudum ponere *Sociniani* allaborarint, jam ante commemoravimus, & exemplis variis eorum, qui illic ſtudiis Theologicis ex ea cohorte operam dedere, a) adductis comprobavimus. Jam ex vana *Dedicatione Racovienſis Catecheſeos Germanicæ* ad eandem Academiam A. 1608. impudenter ſcripta, idem conſilium venerandum Theologicum ordinem in *Reſponſione*, communi nomine, miniſterio autem b. *Frid. Balduini*, repoſita, & *Latine* pariter ac *Germanice* A. 1619. & 1620. 8v. typis ſubjecta, pridem obſervaſſe, ſatis erit. Verba certe Præfationis: b) „Daſs nun dieſe Leute gegen unſere" Vniverſitæt ſo ehrerbietig ſind, ſtellen wir an ſeinen Ort; ſie ſol-" lens aber verſichert ſeyn, daſs ſie derſelben keine grœſſere Schmach" hætten anthun kœnnen, als daſs ſie ihr dergeſtalt ihren Gifft bey-" zubringen ſich unterſtanden, welcher ihr einig intent mit ſolcher" Dedication geweſen:" clariſſime, idem illud *Wittebergenſes* ſubolfeciſſe, demonſtrant. Hoc autem loco, cur ejus rei memoria non fuerit prætermittenda, ex *Reſponſione Smalciana*, qui & ipſe Dedicationis iſtius cum *Catechiſmo* autor eſt, protinus elucebit. Is enim, cum ea propter proterviæ a b. *Franzio*, inter alia objecta, juſtiſſime inſimularetur: *Ex nulla*, inquit, *protervia*, *ſed bene præmeditato conſilio tum noſtrorum in Polonia cœtuum*, *tum etiam virorum quorundam prudentum in Germania degentium*, *qui idem nobiscum ſentiunt*, *dedicatio illa Catecheſeos profecta eſt. Quod*, *ſi fortaſſis apud Franzium parum valet*, *ſperamus apud alios*, *quorum cauſſa hæc ſcribimus*, *aliquid valiturum.* c) His enim lectis parum abfuit, quin *Sonerum* noſtrum, & qui cum ipſo clam conſpirabant, de hoc incitamento ſuſpectos inprimis haberemus; Immo ſolus cum ſuis ſuſpectus eſſet *Sonerus*, niſi & in *Weſtphalia* hujusmodi fautores *Sociniſmi* jam ab initio ſeculi ſuperioris delituiſſe etiam extra *Steinfurtum*, ex *C. Vorſtii* quadam epiſtola d) cogno-

a) *Voidovii*, *Smalcii*, *Volkelii*, aliorumque plurium, ut *Socinum*, *Lælium* inquam, *Jo. Campanum*, *Petr. Conyzam*, (de quo *Philippi* ætate ex docta illa ſocietate ejecto, vid. *Apol. Form. Concord.* C. IX. f. 174. b. coll. epiſt. Philippi ad Camerar. f. 701.) & ſimiles taceamus. *Antonium* enim *Evonymum P.P.*, in quo ad ſuas partes pertrahendo valde elaboravit *Socinus*, uti ex epiſt. ad eum perſcripta, T. I. Opp. *Socini* f. 436. b. patet, ad hanc ſodalitatem connumerare nondum audemus. De *Rodenborgio* vero alibi forte quædam annotabimus.

b) f. 113.

c) In *Refutat. Theſium Franzii*, & Diſp. IV. præmiſſa præfatione f. 92.

d) *Epiſt. Remonſtr.* Ed. 1704. Append. num. 623. f. 928. (a).

cognoviſſemus, atque hinc, alibi quoque clandeſtinos adſtipulatores haudquaquam defuiſſe, ut colligeremus, occaſio nobis data eſſet. Sed hæc quoque ad *Wittebergam* involucro quodam inter confabulantes contectam annotaſſe ſufficiat. Nam quæ *Grawerus* ad *Balth. Meiſnerum* A. 1614. ſcripſerat: a) *Studioſos quosdam Wittebergenſes, Cracoviam Racoviamque litteris datis, libros Photinianos inde ſibi emittendos petiiſſe*, ea vel non ſatis liquida ſunt, & ex inſpectione litterarum (quæ præſto non ſunt) accuratius dijudicanda eſſent, vel de noſtris fortaſſis *Noribergenſibus*, in quos temporis rationes non male congruunt, intelligenda. Certiora eloquentur, qui ἀυτόγραφα illa ipſa, quæ in Celeberrimi Gieſſenſium Theologi, D. *Jo. Henr. Maji* Sen. νῦν ἐν ἁγίοις, olim, & nunc in hæredum Bibliothecis feruntur deliteſcere, totamque orationis ſeriem cum *Arnoldi* excerptis contendere poterunt. Quo facto & ad finem perducta recenſione *Onomaſtici*, ut eſt a CL. *Möllero* nobiscum communicatum, ejusdemque ſimul haud raro locupletati, nihil ſupereſſe videtur, quod ad præſens negotium & complicum detegendorum numerum atque fata pertineat.

§. L.

Sed monendus tamen eſt *B. L.*, non hos duntaxat, quos litteris majoribus exſcriptos dedimus, *Socinismo* ex animo, ad tempus certe, fuiſſe addictos; Verum alios etiam quosdam admodum ſuſpectos habitos creditosque legi, eosque partim *Noribergenſes*, partim etiam *exteros*: etſi ob cauſſas varias rara eorum occurrat, vel nulla etiam, in litteris memoria. De quibus cum deinceps inquiſitum eſſet, & tergiverſationes ſtrenuæque negationes a quibusdam obverterentur, *Peuſchelius* perverſus adhuc, cum, quid de illis ſentiret, interrogaretur, reſpondit candide: b) Timidos eſſe & meticuloſos &c. „Sie „ſeyen zaghafft, wollten ſich nicht auf GOtt verlaſſen, und dem „Sohn GOttes die Ehre nicht geben, daſs ſie ihn vor dieſer Welt „bekenneten. Es müſſe alles der Gottſeeligkeit zum Beſten dienen, „wann es gleich noch ſo übel ausſehe.“ Neque tamen dubium eſt, quin ex iis, quos formidoloſos in confeſſione dogmatum novorum exiſtimaverat *Peuſchelius*, aliqui nunquam toto pectore, ſicuti ipſemet perperam fecerat, hæreſin approbarint, ſed ut amici, conſilio-rum

a) Vt ex Gottfr. *Arnoldi* excerpta epiſtolæ alicujus manuſcriptæ parte cognovimus, in *Hiſt. Hæret. Eccleſ.* P. II. L. XVII. cap. XIII. §. 2. f. 557. a. & b.

b) Nec ignarus intimarum animi cogitationum, utpote amicus plerorumque conſiliorum intimus, quo & ipſi præceptore uſi erant.

rum tantum participes, vel conſcii duntaxat, extiterint: aut ſi quid hæſitationis in mente aliquando ſubortum eſſet, a) mox divino beneficio id malum ſuperarint, ipſumque adeo virus ex animo exſpuerint in tempore. Atque in his numerabantur *Paullus Lautenſack*, b) *Hieronymus Ammon*, c) *Conr. Vſſinger*, d) *Nicolaus Colerus*, e) *Georg. Thomas Hazolt*, f) *Barthol. Laurentius Agricola*, g) *Chriſtophorus* h) *& Leonhardus* i) *Höfflichii*, & forte alii, omnes Noribergenſes. Quos tandem ipſorummet de novis his machinationibus prorſus convictorum confeſſio inſontes partim declaravit, partim nonniſi *fratrum* appellatio, cum familiaritate intimiori eorum, qui revera abalienati a veritate erant, in ſuſpicionem vocavit; denique eventus ipſe, immunes aut omnino, aut aliquo modo, a conſortio impietatis hujus fuiſſe, demonſtratum dedit. k) Soli inter hos tres priores difficulter ab infamia favoris in *Socinifmum* ſeſe expedire potuerunt. Quod ad *Vſſingerum* quidem attinet, capite III. plura de eo edocebimur, quo &, carceri mancipatum eam ob rem fuiſſe, certiores reddemur. *Paullus* vero *Lautenſackius* hoc magis ſiniſtrum quid de ſe cogitandi anſam dedit, quod in *Sauberti Anti-Smalcium*, litteris d. IV. Decembr. A.

a) Tentatos enim fuiſſe, partim argumentis & ratiociniis, partim blanditiis, eorum animos, non dubitamus, & multa præſto ſunt indicia, ex quibus id demonſtrari poteſt. Quæ cauſſa etiam fuit, cur *Peuſchelio*, pro ſuis nimis præpropere eos venditare, viſum erat.

b) De quo paullo poſt plura annotabimus.

c) Qui juris civilis ſtudiis cum operam daret, officiis admotus, de quibus deinceps aliquid commemorabimus, politicis Reipubl. diutiſſime inſervivit.

d) Præmatura morte, antequam munere aliquo publico fungeretur, defunctus.

e) Paſtor deinceps *Rötenbacenſis ad S. Guolffgangum* conſtitutus, cui etiam functioni ſacræ bene adminiſtratæ A. 1656. immortuus eſt.

f) Cujus ad Pontificios *Herbipoli* deinceps tranſeuntis, & honoribus iſtic non vulgaribus decorati, tum etiam ſororis ad Papatum primum abductæ, deinde vero inde reverſæ *Bamberga*, & neſcio cujus Judæi perſvaſionibus ad Judaiſmum propendentis, multumque negotii usque ad A. 1621. d. 19. Maji, quo tempore in monaſterium *Herbipoli* a fratre abdita eſt, faceſſentis, alibi leguntur, quæ oppido fuere memorabilia.

g) Qui, niſi fallimur, in dicaſterio *Noriberg.* patriæ deinceps laudabilia officia præſtitit.

h) *Reipubl.* patriæ a *ſecretis*: qui carmine *Famæ Altorphinæ* ſubtexto, ut a ſuſpicione omni ſe redderet liberum, videtur ſpectaſſe.

i) *Chriſtophori* frater & *Paſtor* ad breve tempus *Kalchreutenſis* creatus; de quo Cap. IV. paucis.

k) Et quod ad *Colerum* attinet, ipſius quoque *Ruari* cum confeſſio a participatione hæreſeos non obſcure tandem abſolvit, in epiſt. ad *Peuſchelium* data, eoque ipſo tempore, quo in ſodales inquiſitum eſt, ſcripta; quæ Cent. II. n. XVII. comparet f. 60. atque ex his demum lucem, ut intelligi queat, adipiſcetur.

1615. ad *Peuſchelium* ſcriptis, vehementiſſime & petulantius invectus erat, atque ipſe quoque *Peuſchelius* intimarum animi cogitationum in præſenti negotio ſæpiuſcule illum reddiderat participem, eumque ſententiæ ſuæ addictum eſſe, inter alios palam profeſſus erat. Is vero non tantum, ſe immunem eſſe ab hæreſi, conſtanter teſtatus eſt, ſed etiam poſt hæc tempora, cum *Rector* primum *oppidanæ ſcholæ Altorphinæ* conſtitutus eſſet, tum vero ut *Diaconus Norib. Ægid.*, *& Sebaldinus* a) denique, Eccleſiæ Noribergenſi inſerviret, tantopere fuit atque haberi voluit orthodoxiæ ſtudioſus, ut *libris* quoque *Normalibus* cum laudato *Sauberto*, ægre ſubſcriberet; b) hoc ſolo obtentu, quod Reformatorum ſententiis quædam in *Decreto Inclyti Senatus* verba, & alia nonnulla, quæ in ipſis LL. Symbolicis reperiantur, erroribus variis patrocinari ſibi perperam perſvaderet. *Hieronymus Ammon*, in litteris horum congerronum ſolis ſæpe elementis H. A. N deſignatus, inter hos motus *Joh. Pezii* ſtudia gubernavit, atque *Altorphl* adhuc diu ſubſtitiſſe, tandemque inter medias haſce turbas *Jenam* conceſſiſſe legitur; ſed dubio procul, idem quoque, ſi quid imbiberat ex conſvetudine amicorum inauſpicata, vel in animum non dimiſit altius, vel protinus abjecit, triſtem exitum temeritatis male ſanæ expertus. Siquidem poſt reditum ex *Academia Salana* in patriam, & *Alb. Graweri* teſtimonio orthodoxiæ cumprimis munitus, c) nihil poſthac diſcriminis ſubiit. Vnde nunquam etiam animadvertimus, a quoquam ejus erroris poſtea fuiſſe vel per ſuſpicionem inſimulatum, cum diutiſſime, & in ſeram usque ſenectutem, a *Secretis Curiæ Noribergenſ.* (*Cancelliſt*) eſſet, atque muneri demandato, & in re litteraria verſibus inprimis pangendis, (ut erat artis poëticæ ſtudioſiſſimus,) inter fautorum applauſus, incumberet, ac pæne octogenarius mortalitatem expleret.

§. LI.

Quantum ad exteros, tres præcipue nobis, præter ſuperius jam commemoratos, porro innotuere, *Stephanus* RASORIUS, Hun-

a) Cui etiam muneri, cum brevi admodum tempore præfuiſſet, A. 1632. peſtilentiali morbo immortuus eſt.

b) Hoc ipſo vero priſtinæ ſuſpicioni ſeſe exponens: quam tamen feliciter *Sauberti* inprimis amicitia atque aliis teſtificationibus excusſit.

c) Quod primarius nuper Norib. Eccl. Antiſtes b. *Joh. Wülferus*, haud ita pridem pie defunctus, ἐν αὐτογράφῳ ſe poſſidere, ſemel iterumque mihi ſignificavit, inquirens autem inter reculas ſuas invenire, dum vixit, non potuit: certo autem illud ſe legiſſe ſemel iterumque & habuiſſe, ſæpe numero teſtatus eſt.

Hungarus, qui tamen sero, & dilapsis, in alias Academias, gregalibus factionis impiæ plerisque, *Altorphium* A. 1614. d. 14. Octobris advolaverat, annoque statim sequenti *Ingolstadium*, atque inde in patriam redierat, postquam *Peuschelium*, in epistola *Jenam Altorphio* scripta, d. 19. Junii 1615., *fratrem in Christo dulcissimum* salutaverat, spemque animo conceperat, amiceque fecerat, fore ut *Jenensem* quoque Academiam, ejus solius invisendi gratia, tandem adiret. Idem vero hoc consilium, ob alias caussas, nobis incognitas, mutasse, & *Ingolstadium*, prouti dictum est, concessisse, cum constet, nihil caussæ est, cur in eo diutius moremur. Alter *Joh.* SZILAGIUS fuit, qui, non nisi ex scheda ad eundem *Peuschelium* missa nobis cognitus, similiter ut prior *Hungaricam* originem prodit, vel nominis sono & forma subindicatam: a) Cætera omnia perobscura sunt, nisi quod scheda illa, ad modum epistolæ latina lingua exarata, nomenque ejus subscriptum exhibens, Jenam itidem missa fuerit. Inventa est & alia schedula, inter *Peuschelianas* reculas a *fratre quodam in Domino*, ut vocatur, *Johanne Ripphoroscho*, manu perscripta, sed, cujas ille fuerit, indagare nondum potuimus, *Altorphinæ* tamen *Universitatis* civem haud fuisse b) exploratum habemus. Neque etiam de *Caspare Willichio*, *Georgii Richteri* contubernali, certiora præsto sunt, præterquam quod salutatus nimis amice a *Ruaro*, tanquam sui cum *Richtero* studiosissimus, & contubernii societate huic diu devinctus, nobis visus est ab eadem mente non admodum alienus. De quo alias nihil novimus, quam *Grocensem Megapolitanum* fuisse patria, excedentemque *Altorphio Jenam*, atque hinc demum cum eodem *Richtero Helmstadium* adiisse. Ex litteris vero A. 1616. ad *Richterum* a. d. III. Non. Maji ab eodem *Ruaro* clam *Lugdunum* datis c) liquet, deserto eum *Richtero* iterum ad *Ruarum Argentinam*, atque hinc *Basileam*, ad Juris lauream obtinendam, sed tandem mutata mente *Marpurgum* concessisse, ubi *Ruari*

 ductu

a) Nec nos fefellit conjectura. Inquirentes enim, cum *Rasorio* ex *Vngaria* & comite etiam tertio populari, cui *Stephani Conradi* nomen fuit, eodem A. 1614. advenisse *Altorphium*, comperimus. Eadem vero hunc cum priore sensisse in religione, vel *Peuschelii* tam anxie quæsita ejus amicitia ostendit.

b) Neque enim in Indicem studiosorum atque civium Academicorum nomen sui retulisse observavimus, atque hinc *Jenæ* fortasis cum eo amicitiam contraxisse, quod similis simili gauderet, conjecturam facimus, quantusve jam numerus hominum pestifera Socinismi lue infectorum hinc inde per Germaniam sub id tempus vagatus sit, non sine ingenti animorum corrumpendorum inficiendorumque amplius discrimine, perspicimus.

c) Vid. epist. select. *Richterianas* f. 388. sq.

ductu & verbis præſcriptis pleraque in capeſſendis honoribus Doctoribus Juris ſpecimina edidiſſe, *deque hæreticis capitali ſupplicio non afficiendis*, ejusdem *Ruari* induſtria conſcriptam orationem poſt renunciationem ſolennem a) recitaſſe legitur. Juſſit equidem idem *Ruarus* in epiſtolis *Tranſylvanos* quosdam, inter alios complices, amice ſalutari, ſcriptis e *Poloniæ* litteris, b) & quidem tanquam *ſibi de facie nondum notos fratres*, atque recens proinde in *Acad. Altorphinam* ingreſſos cives, interea dum inclinante anno 1614. aberat; ſed, qui & quales illi quoque fuerint, (*Rhauium* enim comitem itineris ſecum habebat) hucusque expiſcari nondum valuimus, atque hinc non alios, quam *Vngaros* iſtos *Raſorium* & *Szilagium* innui hariolamur. Ita quoque, quis *Joh. a Melnow* fuerit, a quo ſe libros accepiſſe *Socinianorum Peuſchelius* aliquando c) affirmavit, explorare nondum ſatis licuit; cujus tamen, quia mentio alicubi incidit, non omnino memoriam prætermittere viſum eſt, ut vel hinc pateat, quanta hæreſi addictorum, *Altorphiumque* infeſtantium, jam tunc fuerit copia, ab aliis nimium quantum exaggerata, ab aliis vero plus juſto diſſimulata atque imminuta. Reperi equidem poſt hæc inter carmina epithalamia A. 1614. *Noribergæ* & *Altorphl* in nuptias *Lucæ Franconidæ* ab *Augezeze* ſcripta, *Joh. Malonovii* ab *Hlaraczova*, Raconenſis *Bohemi*, *Altorphl Noricorum* t. t. viventis, nomen, eumque huc jam A. 1611. d. 14. Octobr. veniſſe, ſcimus. Nec dubitamus, quin is h. l. intelligendus ſit. Quia vero de religione ejusdem d) plura, atque aliæ id genus circumſtantiæ hucusque dilucidius non innotuerunt, in hac jam conjectura ſubſiſtendum erit generali, multoque minus, quibus deinceps fatis uſus ſit apud ſuos, exponere licebit. Verum his miſſis, minime tandem committendum, ut *Huswedelius* prætereatur ſilentio, quem putide infamavit editorum epiſtolici utriusque faſcis *Ruariani* oſcitantia, quando epiſtolam illam ordine *quintam* in *Cent. ſecunda*, in qua de S. Synaxi non frequentanda deliberatur, & in pejorem partem quæſtio definitur, *Huſwedelio* perperam illi attribuerunt. Supra enim jam obſervatum eſt, *Leuchsneri* eum indubitatum fœtum

a) Vnde fortasſis eadem, quæ *Ruarus*, & tunc quidem etiam *Richterus*, ſenſerant, veriſimilius reddi posſit, credidiſſe; Sed alia in iisdem epiſtolis occurrunt, quæ quo minus illud aſſeveranter tueri velimus, prohibent.

b) Cent. II. n. XVII. f. 139.

c) Cauſſam dicere & vadimonium ſubire juſſus: de quo rerum harum ſucceſſu Cap. III. commentabimur.

d) Haud dubie a *Socini* placitis non admodum aliena: inter eos quippe, a quibus venenum ipſe acceperit, a *Peuſchelio* explanate nominatus legitur l. c. §. 23.

fœtum esse, cujus etiam præscripto nomine totidem syllabis repetita alibi a) denuo legitur repetita, b) neque alias, cur in virum bonum suspicio illa cadat, quicquam caussæ est. Non abnuimus equidem, vixisse t. t. in Acad. Altorphina *M. Conradum Hufwedelium*, c) *Hamburgensem*, eumque huc accessisse d. XI. Augusti A. 1615. exploravimus, sed de aliena ejus ab Evangelii veritate sententia nihil omnino a quoquam ullibi annotatum est. Id quoque sciscitantibus nobis innotuit, in convictu eum suo, (quem paravit instructa d) quotidie amicis mensa,) *Polonos* habuisse infectos hac labe *Socinismi*; at mox ab ista societate A. 1616. plures eorum decessisse, paullo inferius e) narrabitur. Quod sane, si tam gratum fuisset sodalitium, fieri haud facile potuisse, non male conjicimus: neque etiam, patefactis jam horum hominum consiliis & complicibus, temere convictus studiosis præbendi f) libertas, si ipsum hospitem impietate tanta pollutum, & vel de hæresi suspectum, esse innotuisset, porro concessa fuisset. *Ruari* vero amicitia g) invidiæ, ut arbitramur, ei tantopere esse non potuit, quandoquidem in scholis fraternis (erat enim *M. Joh. Hufwedelii* h) germanus) illa dudum contracta, & a præsenti negotio i) alienissima fuit.

a) Num. XXIV. f. 168. sq.

b) Observata est hæc incuria jam A. 1687. a Collect. A. Erud. Lips. f. 23. sq. neque tamen, quo pacto & quare sit error commissus indicari potuit: Quam tamen his nostris jam observationibus esse in aprico positam hallucinationem arbitramur.

c) De quo alias nihil prorsus invenire potuimus, quantacunque etiam solicitudine inquireremus. In patriam equidem rediisse, eidemque operam locasse suam, non dubium est; at quale fuerit ejus munus, & quamdiu administratum, latet. Neque etiam, hujusne, an *Joh. Hufwedelii* filius, fuerit *Joh. Alb. Hufwedel* Phil. & Med. D. & Canon. Hamb. ac tandem Suecicus Archiater, tacente *Fabricio celeb.*, liquet.

d) Quod vulgo dicimus: *Er habe einen Tisch gehalten*: unde & uxoratum fuisse putamus, pro certo tamen id non asseveramus.

e) Cap. III. Sect. I. §. 34.

f) Quod tamen officium eo adhuc tempore, ut sequenti capite mentio ejus rei fiet, continuavit, quo totum iniquitatis mysterium detectum erat.

g) Cujus commendationi sine dubio illam *Socinianorum e Sarmatis* ad mensam accessionem debebat.

h) Hamburgensis patria, & inde ab A. 1605. Conrectoris primum Scholæ Johanneæ, A. 1529. conditæ & A. 1612. Gymnasii in modum adornatæ, tum Prof. A. 1615. Rostoch. L. Gr. & Philos. Pract. sed A. 1627. Rectoris iterum Hamb. Gymnasii, & A. seq. 1628. Rost. ad Prof. publ. reversi, atque A. 1652. d. 22. Octobr. æt. 75. pie defuncti. Cujus fratrem quando *Conradum* hunc appellamus, ex æqualitate ætatis aliisque indiciis id colligimus, præceptorem autem *Ruari* eum fuisse, jam supra annotavimus: quibus eodem tempore *Paullum Sperlingium* Rectoris Johanneæ Scholæ officium administrasse, obiter addimus.

i) De quo etiam *Ruarus*, a *Sonero* in transversum abreptus, ea tempestate nondum cogitaverat.

fuit. Quibus omnibus tandem ipſius *Ruari* teſtimonium accedit, diſertis verbis & explanate aliam ei a ſe mentem & in religione ſententiam tribuentis, a) & non obſtante hoc diſſidio diverſi animi ſenſus, propter ingenii imbecillitatem, tolerantiam & affectum nihilominus conſtantem ſibi expetentis. Vnde profecto, quid habendum ſit de viro innocenti, luculentiſſime patet. Alia de eodem, utut ſumma induſtria inveſtigantibus, non occurrebant; neque etiam plures, vel levi indicio, de ſocietate hæreſeos ſuſpecti, nobis innotuere. Haud equidem dubitandum eſt, ex *Polonis*, quos ingenti numero huc advolaſſe, jam Cap. I. obſervavimus, multos, ſi non pleroſque, fuiſſe, qui peſtifera hæreſeos lue affecti fuerint, & cum cæteris νεοφύτοις Germanis harum rerum provehendarum ſategerint. Quoniam vero eorum diſtincte non facta eſt in monumentis, quæ ſuperſunt, manuſcriptis impreſſisque mentio, ſi ab iis diſcedas, quibus ſequenti Capite b) inde *Altorphio* demigrare imperatum eſſe narrabimus, heic unius *Tasſicii* meminiſſe juvabit; eo, quod hunc unum quoque *Ruarus* definite nominavit, & in epiſtola ad *Joh. Cobium*, ex illa digreſſione ſua clandeſtina in Poloniam ſcripta, inque autumno anni MDCXIV. *Smiglæ* exarata, c) tanquam ſingularem ſui & aliorum complicum amicum (*Veſtro, Taſſicio meo*) prædicat. De quo, ut accuratiorem Lector habeat notitiam, ei *Danielis Thaſzyky* a *Luclavice* illi nomen fuiſſe, obſervamus, atque *Altorphium*, d. 22. Martii 1614, una cum *Sam. Przypkovio* veniſſe, ex Cap. I. d) repeti volumus. *Nobilem* vero *Polonum* fuiſſe, cum ipſe *Ruarus*, generoſum juvenem eum appellando, indicaverit, tum vero etiam ex prædio gentilitio haud incelebri patet. Eſt enim *Luclavice* notiſſimum illud *Luclavianum*, quod in ſubmontanis partibus, non ita procul *Cracovia*, ad *Donajecum* fluvium amœniſſimo loco ſitum, inde ab Anno 1598. ipſi *Fauſto Socino* ſedem, & tandem quoque tumulum præbuit. *Inter primos nidos Photinianiſmo ſtructos* (quæ ipſa verba ſunt Hiſtorici,) refert *Lubieniecius*, e) qui & in duas partes diviſum pagum f) eſſe

a) Cent. II. Ep. XXVI. f. 179. ubi: *Quod ſupereſt*, ſcribit, *mi Huſwedeli, revoco tibi in memoriam pollicitationem tuam, qua mihi recepiſti nuper, te, licet* intellexeris, (compellaverat ergo in præcedente epiſtola ea de re *Huſwedelius Ruarum*,) *aliam a te ſententiam in religione me ſecutum, nolle tamen ob id ab amore mei diſcedere: qua in re utinam eadem tibi duraret animi libertas, quæ mihi, qui opinionibus a me diverſos, non modo ut amicos, ſed etiam ut fratres ſincero affectu diligere poſſum & ſoleo.*

b) Cap. III. Sect. I. §. 34. ſeqq.

c) Quæ Cent. II. *Ruarianarum* Epp. num. X. f. 65. ſq. legitur. Conf. Cap. I. hujus Hiſtor. §. 33.

d) Et quidem §. XL. not.

e) *Hiſt. Reform. Polon.* L. III. c. XV. f. 272.

f) Amplum & oppido haud diſſimilem.

eſſe narrat; cujus altera pars *Blonſciis Bieberſteniis*, [in qua & *F. Socinus* habitavit, *Abrah. Blonſcii* benevolentia inprimis ſuſtentatus, a)] altera vero *Tasſiciæ* genti paruerit; ex qua ille *Daniel* noſter, *Altorphinæ Academiæ* civis, ortus propagine, atque *Stanislai* illius celeberrimi, primique *Photinianorum* aſſeclæ, nepos, vel pronepos fuit. Id ſaltem certum eſt indubitatumque, eadem hæreſi correptum hunc *Danielem*, ſtrenue communem illam fratrum impietatis cauſſam promotum iviſſe. Neque vero *AltorphI* tantum, ſed etiam *Argentorati*, quorſum inde digreſſus conceſſit, idem cum *Ruaro* ſaxum volvit; ita quidem, ut, quod non potuerat non ingratiſſimum eſſe donum, ſuperius productam & ad Examen revocatam Dedicationem *Val. Smalcii*, qua Comment. *Socini* Senatui *Argentoratenſi* ſacravit, cum libello, præfixa illa nuncupatione ornato, ipſemet coram Conſuli Civitatis de manu in manum tradere, b) non ſit verecundatus. Vnde, quam belle eandem cauſſam etiam *AltorphI* quondam egerit, & deinceps quoque in patria tueri haud ceſſaverit, proclive eſt colligere. Sed noluмus diutius huic externo homini immorari: cum de Germanis & civibus noſtris, in devia abductis, potius diſſerere, inſtituti ratio poſcat.

§. LII.

Qui cum non ita multi fuerint, mirari ſubiit non injuria, quum *Gottfr. Arnoldum* in *Hiſt. Eccleſ. & Hær.*, c) in qua *Crypto-Socinismum* hunc levi brachio attigit, obſervaremus, tam audacter, XXX. *Studioſos* æque *ac Cives Noribergenſes*, non aliter, quam ſi eos ſigillatim omnes in numerato habuiſſet, deteſtabili illo veneno afflatos fuiſſe, aſſeveraſſe. d) Cum tamen, ſi rationes recte ſubducamus, vix XX., poſtremis licet

a) Vid. epiſtolæ in *Opp. Socin.* Tom. I f. 461. (a) ſq. *ex agro Luclaviciano Abrah. Blonſcii* ſcriptæ: quorſum *Cracovia*, per plateas antea a plebe raptatus, ſecedere neceſſe habuerat. De ipſo vero Luclaviciano oppidulo, *Sarlicinio* admodum propinquo, & Eccleſia atque Collegio ſplendide in uſum *Socinianorum* a *Stanislao Tasſicio* ibidem extructis, confluxuque, præſertim *Tranſylvanorum* & *Hungarorum*, ad ſtudia iſtic excolenda, ingenti, comparentur, quæ auctor *Hiſtor. Socinianiſmi*, Gallus, P. I. f. 105. ſq. annotavit, & a nobis quoque infra ad *Diarium Smalcianum* ſubinde quædam commemorabuntur. Haud raro vero errorem, ut *Luclavicianum* illud prædium *Ludovicianum* appelletur, committi, quod in *Lex.* quoque *Hiſt.* Germ. Baſil. nuperrime recuſo factum eſt, ubi in *Baumgartii* (Valent.) vita, recenſita brevibus, ea hallucinatio occurrit, obiter monemus.

b) Vid. ſupra Cap. II. §. 45.

c) P. II. L. XVII. Cap. XIII. §. 12. f. 560. ſeqq.

d) Omiſſis, quibus in confirmandis aſſertis hiſce opus erat, genuinis teſtibus.

cet a) & ſuſpectis tantum connumeratis, atque bonam partem inſontibus, integer computus referat. Quæ autem de *civibus Noribergenſibus* indefinite addita ſunt, tanquam conſortibus impietatis, ea, quorſum ſpectent, nondum perſpicere potuimus, præterquam ad invidiam *Inclytæ Reipubl. & Eccleſiæ Noricæ* perperam conflandam. b) Exceptis enim *Leuchſnero* & *Leimero*, (de quibus tamen quid ſentiendum ſit, Cap. III. percipiemus,) nemo erat, cui tanta dica, cum ſpecie quadam veriſimilitudinis, ſcribi potuerat. Vnde ex rumuſculis vagis c) conquiſitam hanc narratiunculam fuiſſe, ex qua *Arnoldus* ſua deſumſerit, plane credimus. Qua etiam de cauſſa neque nos hæc diu morabuntur. Digniora viderentur, quæ de *Crypticis* quibusdam præter Perſonas *Rerum* etiam ſanctiſſimarum *involucris* & appellationibus præſto ſunt commemoranda; ſed quoniam Capite ſequenti in *Peuſchelii* fatis, cauſſæque ipſius dijudicatione, ingens ex ea protervitate momentum pependiſſe ſcimus, ſatius erit, hanc arcanæ hiſtoriæ partem eo differre, & de *fraternitatis*, toties in complicum horum nefandi conſortii deſcriptione commemoratæ, rationibus nonnulla ſubjicere. Ea vero ita comparata fuit, ut fatendum ſit ante omnia, ſi diſtinctius evolvamus iſtam nomenclaturæ amicioris conſvetudinem, non perinde omnes, quos *fratrum* nomine compellarunt *Sociniani*, hæreſi teterrimæ deditos fuiſſe; ſed quosdam hoc titulo etiam inſignitos, qui, uti candide deinceps perhibuerunt, ipſimet novitii, vitæ integritate ſola conſpicui, cæterisque adeo nefarii dogmatis aſſeclis idcirco duntaxat probati eſſent. Neque id mirum, quippe quos conſtat, pauciſſima ad æternam obtinendam ſalutem, ſpiritualemque fraternitatem conſtituendam, neceſſaria fidei dogmata hodieque requirere, eoque jam olim, ad alliciendos conciliandosque ſibi labantium animos, comparato artificio uſos eſſe. Atque hos non opus erat, ſingulari opera & teſſera quodammodo ſacra in fratrum arctiorem ſocietatem recipere, ſed generali quadam & laxiori notione ita nuncupare,

a) De quibus §. XLIX. extremo dictum.

b) De qua, ejusdemque Theologis, (id enim ex inſtituto alias egit,) cum nihil fere per integrum illud Opus *Hiſt. Hæret.*, nævis Eccleſiæ Evangelicæ detegendis, & Miniſterii Eccleſ. potiſſimum vitiis exaggerandis unice fere deſtinatum, monumentorum defectu ſuppeteret, quod in medium afferret ſolidi, in hoc triſti uno eventu objectando induſtriam ſuam probavit *Arnoldus*, mirumque in modum eo infortunio, ut ſolet, recitato oblectatus eſſe videtur.

c) *Gudianæ* certe epiſtolæ de numero ſilent, & MSctæ, ad quas ſe refert, quarumque fide etiam alias non ſemper bene uſus eſt, ubi nunc lateant, indagare non potuimus.

pare, in more positum erat. Qui vero & vitæ ingenuitate secundum præcepta Christi, ut putant, perfectiora Mosaicis, & fidei quoque sinceritate, cum ratione cordis, tum etiam placitorum, *Socinianæ* scholæ propriorum, cœtui horum sanctissimæ Trinitatis hostium se approbasset, huic præter cæteros, eximia quadam fraternæ conjunctionis testificatione, novæ *felicitatis* a) & consortii vinculum injiciebant, animisque ad devia jam abreptis, hac quasi tessera, quodammodo data, acceptaque invicem, sacra, calcaria currentibus subdebant. Cujus loco adhibebantur, vel mysteriorum *S. Cœnæ* communis cum præsentibus *celebratio*: (qua ratione *Vogelium* susceptum esse in fraternitatis communionem, proximo deinceps b) capite ostendemus) vel *epistolæ* in hunc finem scriptæ; quibus mens in religione eadem ut *Polonorum*, velut indigenarum, ita novi apud externos accedentis ad cœtum istum membri, mutua cum declaratione, & amoris intimi certissima promissione significabatur. Eumque in finem porro curatum est, ut, ne nimis esset molestum, litteras, per vias impeditissimas, *Racoviam*, veluti in *metropolin* impiæ cohortis, cum periculo interceptionis arcanorumque detegendorum, mittere; ordinarie *tria loca* fixa, & ex pacto in *finibus Sarmaticis*, *Marchionatusque Brandenburgici & Silesiæ* sita, ne qua, undecunque litteræ advolarent, remora esset, earum recte perferendarum constituerentur. Alterum horum receptaculorum *Mæstichianum* Latine dicitur, c) & in *Poloniæ majoris* aditu hodieque claret. Alterum *Bobevicum* d) in epistolis Latino nomine audit, ejusque in *Ruari* epistolarum Tomis duobus frequentissime occurrit mentio, & pagus est amplus, *Marchiam Brandenb.* ex eadem Poloniæ majoris parte propius tangens. Tertium denique obscurissimum est, de quo vix aliunde, nisi ex conjecturis, aliquid effici potest: quas, si cum variis in hac Historia circumstantiis contendamus, &, in *Silesia* id quærere jussisse nostros male fœderatos, meminerimus, non aliud exsculpere potuimus, & adhuc possumus, quam prædium *Martowitz.* Caussa vero, quare his potissimum locis ad litteras suas recte curandas usi fuerint, non alia fuit, quam præter commoditatem situs, quo de compendio jam dictum est, patronorum in eandem hæresin favor; quibus illa vel omnino,

a) Vid. supra Lit. F.

b) Cap. III. Sect. I. §. 23.

c) Tritissima nomenclatura, nisi fallor, *Meseritz*, vulgari autem Polonico sermone *Mostki* appellatur. De quo epist. Opp. *Schlichtingianis* præfixa **2. conferri potest, a Stanislao *Lubiniecio* scripta.

d) Alias *Bobelwitz* dici consvevit, Polonice autem *Bobowicko* appellatur.

vel ex parte ſaltem, ſubdita fuerunt. Priora enim *Caſpari Sacco*, viro generoſo, ſplendido & opulento, ſed eidem cum ſuis errori dedito, & receptum omnibus fere *Socinianis*, Germanis præſertim, præbenti, ita paruere, ut *Bobelvicum* propemodum totum inter bona, quæ poſſidebat ampliſſima, numeraretur; in *Mæſtichiano* vero aliquam partem, nec contemnendam, teneret. *Martowizium* autem ad *Thomæ Piſecii* prædia pertinuiſſe, jam ſupra obſervatum eſt; a) ubi &, quis ille fuerit *Piſecius*, pluribus edocuimus. Huc ergo, ſi quid alias ſcribendum eſſet, maxime vero omnium, quando in *fratrum numerum* aliquis recens cooptandus veniret, litteras *Racoviam* deſtinatas primum miſſas fuiſſe, atque inde *Racoviam* porro transvectas, accurate cognitum perſpectumque habemus. Eademque viciſſim via reſponſiones in *Germaniam* redditas remiſſasque conſtat. Formulam equidem litterarum, quibus in ſocietatem arctiorem recipi cupientes *fraternitatem* ambire ſolebant, deſideramus adhuc, & copiam ejus exemplumque nullum, omni licet ſtudio adhibito, adipiſci potuimus. Neque vero id miramur, cum illi, quos puduit deinceps facti nefarii, exempla pravi iſtius ambitus haud dubie dedita opera ſuppreſſerint; perſeverantes autem in impietate ſua ſecum aſportarint omnia. At reſponſionis rarum ſupereſt monimentum: Epiſtola videlicet ad *Corn. Marci*, collegarum nomine, *Racovia* a *Joh. Crellio* hunc in finem data, quam b) cum B. L. communicare non pigrabimur. Idque tanto lubentius facimus, quanto certius eſt, eodem interprete, etiam cæteros pleroſque in ſodalitium iſtoc pernicioſum, ipſumque adeo *Peuſchelium*, conceſſiſſe.

§. LIII.

Ita vero habent verba ſeſamo & papavere conſperſa:

„*Gratiam & pacem a Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto*
„*Servatore noſtro.*

„*Quantam Tu, CornelI, quem primum quam lubenter ſvavisſimo Fratris nomine compello, cum a me eſſes AltorphI relictus, triſtitiam, tantam ego, cum a Te, non mea voluntate, ſed temporum iniquitate* c) *coactus diſcederem, animi*

a) Hoc ipſo Cap. II. §. 37.

b) Inter laceras præter opinionem chartas & *Marcianarum* Concionum conſcriptarum exempla ſub tecto cujusdam nepotum repertam.

c) Ex quibus verbis, male ſibi conſcium, & ne hæreſis, quam tuebatur, non ſine periculo, detegeretur, *Altorphio* aufugiſſe *Crellium*, patet; neque adeo quicquam in præſenti hac cauſſa per negligentiam peccatum eſſe, apparet.

animi concepi dolorem. Vt enim taceam, quanta mihi hactenus carendum" fuerit voluptate, quam præsens ex insigni Tua modestia ac probitate, quæ ex" ipsis Tuis oculis vultuque elucebat, quæ in Tuis svavissimis moribus conspi-" ciendam sese præbebat, capiebam, quamque ex Tuo ingenio atque indole, ad" pulcherrima & honestissima quæque capessenda exhortante, quam ex Tuis" optimis litterarum studiis & diligentia hauriebam, quæ vel una mihi ere-" pta ingens Tui desiderium excitare, & acres doloris stimulos pectori meo in-" figere poterat; illud animum meum subinde excruciavit, quod Tuo quoque" non parum doluisse affirmas. Nam cum Tu in tanta horum temporum" caligine tantisque viarum, quibus hodie ad summam felicitatem vulgus" Christianorum contendit, anfractibus, homine indigeres fido, qui facem" aliquam ad pietatis & cœlestis doctrinæ studium Tibi præferret, & ex illis" errorum labyrinthis in planam salutis semitam Te deduceret, summoque" caveret studio, ne alicubi vel impingeres, ac labereris, vel a recto cursu de-" flecteres; nec indigeres solum, sed etiam summopere requireres ac deside-" rares; quanto arbitraris cum dolore me a Te avulsum? Nam etiamsi ego" is non fuerim, ut sane neque nunc sum, quem Tu me esse arbitraris, qui" in hoc tam difficili itinere ducis obire possem partes, comitis tamen fidi" operam præstare, atque adjumenti aliquid ad hoc Tuum studium Dei O. M." munere afferre poteram. Etenim cum mihi singularem Tui juvandi & fi-" delem Tibi operam atque auxilium præstandi cupiditatem amor in Te meus," isque summus & constantissimus tribuisset, facultatem etiam adjumenti" alicujus afferendi Dei concesserat benignitas, quæ me jam tum & veri-" tatis cognitione instruxerat solidiori, a) *& ad meliora vitæ instituta ejus-" dem doctrinæ vi revocarat. Vnde æstimare facile potes, quam acerbum" atque adeo luctuosum illud mihi acciderit, quod discessu meo omnes fere" occasiones, tum desiderio tuo, ut maximo, ita honestissimo, tum ingenti" meæ cupiditati obsequendi, atque in Te longe mihi charissimum id benefi-" cium, quod a me proficisci poterat, maximum conferendi, ereptas vide-" rem. Verum abunde hunc animi dolorem compensavit gaudium ex" Tuis ad me litteris natum, quibus denuncias, Deum O. M. tandem" pro divite sua atque ubere in omnes bonitate, vota tua explevisse," Teque ex labyrinthis eductum in rectam illam justitiæ & felicitatis* b)" *viam traduxisse. Ego sane, licet in magna felicitatis meæ parte id fuis-"*

a) Non dissimulat ergo *Crellius, Socinismo* jam penitus immersum se *Altorphio* abiisse. A quo vero præceptore ea didicerit, jam ante & loco convenientiori addocuimus. Vt miremur, esse adhuc, qui eo de contagio dubitent.

b) Formula perfrequens, & trita, qua *Socinismus* appellari consvevit: De qua supra lit. F. actum est.

*„ſem poſiturus, ſi mea opera, meaque veluti manu Deus hoc ſuum tam in-
„ſigne beneficium Tibi exhibere & porrigere voluiſſet; tamen non minorem
„nunc capio voluptatem, poſtquam Deo per alios idem munus Tibi offerre
„placuit: cum non tam mea ipſius, quam Tua cauſa, cui donum hoc obtigit,
„gaudere debeam, nec illis invideo, quorum opera ad veritatem pertractus
„es. Potius pro labore quidem, quem tuæ ſaluti impenderunt, magnas
„ago gratias de fructu vero laboris, & quodam veluti præmio ſummopere
„gratulor. Quod ſi vero illis de Te gratulari debeo, quantopere debeo Tibi
„gratulari de Te ipſo? Nam ſi is ſibi eripitur, cui veritatis ignoratio ſum-
„mam ac plane divinam invidet beatitatem, quam Deus promtiſſime ipſi of-
„fert, & ut ea potiatur, deſiderat, quemque errores varii longius abducunt;
„profecto Tu Tibi ipſi redditus es, cum Tibi felicitas,* a) *Tu vero Chriſti red-
„dereris, & cognita vera ſalutis via alacri animo & ſtudio eam ingredi inci-
„peres. Ego ſane, ut tecum efferor gaudio, ita uni illi Deo, ejusque filio Domi-
„no Jeſu Chriſto immortales tecum ago gratias pro immortali hoc ipſius bene-
„ficio, quod in me quoque collatum eſſe agnoſco, qui tuam felicitatem meam
„eſſe arbitror. Eundem rogo, ut Tibi eam propriam & perpetuam efficiat,
„ut pleniorem indies doctrinæ cœleſtis cognitionem, firmiorem immortalitatis
„ſpem, ardentius pietatis ſtudium in Te excitet, excitatum vero Sp. S. aura
„ita foveat, itaque augeat, ut ex Tuo igne alii innumeri veritatis & pietatis
„flammam concipiant. Quod ut eo certius ſperare liceat, hortor Te, cha-
„riſſime Cornell, atque adeo oro, ut ſtudia Tua eo convertas, quo Te ipſius
„naturæ impetus ſingularisque animi Tui probitas ducit, atque ingenium
„optimum, omnium optima & diviniſſima imbuas diſciplina h. e. Theolo-
„gia. Qua in re, ut mihi aſſentiaris, non multum mihi laborandum eſſe
„exiſtimo. Cum Tua me partim hoc onere ſublevet pietas, partim ea, quæ
„ad chariſſimum fratrem Cobium* b) *ea de re ſcripſi, Tibi facile id perſva-
„ſura eſſe videantur. Quanquam non ita ad Theologiam Te voco, ut a
„Philoſophia cæterisque humanioribus litteris, quibus Theologia mirifice
„juvatur, & ſine quibus nunquam ſatis recte tractari poteſt, Te avocem;
„Sed ab iis, quæ cum Theologia parum habent commune, eamque non tam
„juvant, quam impediunt. Quin ne in philoſophicis quidem Te habitare
„velim, ſed ita in iis verſari, ut tandem animus Tuus in ſacra Philoſophia
„conquieſcat. Quod Tuum ſtudium fratres noſtri, immo vero & Tui,
ſum-*

a) Quid per *Felicitatem* denotatum ſit in confabulationibus, *Socinianorum* infelicisſimorum, ſupra jam obſervatum eſt littera F., quæ conſulatur.

b) Hunc itaque pari modo in ſocietatem fraternam receptum eſſe, inde aperte conficitur, quam tamen amicitiæ intimam conjunctionem diu diſſimulavit.

summa etiam ope juvare non negligent, qui Tuis incensi litteris in tantum" tui amorem exarserunt, ut jam quasi certent in Te diligendo; quibus tamen affectu atque animo concedam nunquam, licet consilio & opera imparem me fatear. Nec erat, Charissime Cornell, quod illos rogares, ut" Te pro fratre agnoscerent suo, a) *qui sibi de fratre gratulantur ipsi, &" Dei benignitati apponunt, quod tam pium pectus, cujus contractam effigiem in litteris Tuis expresseras, vinculo sanctissimæ veritatis sibi devinctum" videant. Non exorandus Tibi erat, mi Cornell, amor, quem exprimebas," nec gratiæ apponendum, quod merito debebatur. Neque incerta scribo," quæ de Tua epistola scribo. Nam, ut prætereandam Generosum DN. Moscorovium,* b) *Reverendum DN. Smalcium* c) *(qui & litteras se daturum" ad Te, cum perlegisset Tuas, ultro pollicitus est.) Doctissimum Dn. Statorium,* d) *exoptatum mihi fratrem, aliosque præstantes viros, qui magnam ex ea re perceperunt voluptatem, nobilissimus Stanislaus Lubieniecius,* e) *vir pietate atque ardore in gloriam divinam cæterisque ornamentis insignis, minister cœtus Luclaviciensis, neque animum suum legendo" explere, neque amore in Te suo Tuique desiderio lacrymis sufficere potuit." Quapropter Te rogo, ut hunc affectum nostrum crebra litterarum scriptione alas, sæpiusque ex hoc tempore ad nos mittas epistolas, in quibus" Tu Te ipsum exprimas, & nobis veluti repræsentes; Nos vero inibi spirantem videamus, atque ita in litteris complectamur &c.* f)

T.

Joh. Crellius.

§. LIV.

Quo die epistola hæc commemorabilis scripta sit, in descripto apographo, g) & mendosissimo exemplari, e tenebris forte protracto, quo

a) En breve de compellatione solita pro fraternitate obtinenda indicium! Totum ergo petitionis hujusmodi exemplum nanscisci cum nondum potuerimus, hac qualicunque significatione κατ' ἐπιτομὴν contenti simus.

b) *Hieronymum* puta, cœtus Racoviensis Seniorem, cum *Jac. Siennio* Toparcha, & *Goslavio*, regentem, de quo § XXXI.

c) *Valentinum* t. t. Racoviæ Pastoris munere functum, seu Senioris docentis. Sic enim *Sociniani* Gubernatores Ecclesiarum ad primæ Ecclesiæ imitationem, 1. Tim. V. 17. delineatam, solebant distinctos habere.

d) *Juniorem*, & nepotem *Thionvillani* illius Senioris.

e) *Stanislai filius*, qui & ipse Ecclesiasten paullo ante *Racoviæ* egit, *Luclavicias* tandem transductus.

f) Deerant enim reliqua, quæ tamen non alia, quam formulam concludendi fuisse solitam, atque hinc describendi ea, labore illum, qui litteras hasce conservavit, supersedere consulto voluisse, conjicimus.

g) Manus enim *Crellii* ipsius non erat, quam bene callemus.

quo usi sumus, per oscitantiam omissum erat. Quare nihil certi hac de circumstantia determinare audemus.; At A. 1614. aut 1615. potius exaratam acceptamque fuisse, multa sunt, quæ condocefaciant. Cæterum non obscure, quomodo fraternitatis petitio etiam comparata fuerit, hinc elucet; sicuti etiam, quæ capita sectæ tum floruerint *Racoviæ*, exinde consimiliter perspicitur. Vt taceamus blandimenta, ad irretiendos animos artificiose composita. & alimenta conjunctionis novæ, per litteras frequentissimas, enixe commendata; ne, qui mente jam quasi capti essent, ex his laqueis expediti facile elaberentur. Quam etiam ob rem dignum præcipue nobis videbatur istoc arcanæ historiæ specimen, quo Indici nostro ejusque illustrationi attexto, finem imponeremus, unaque opera, quantis vinculis constricti fuerint nostri quoque clandestini transfugæ, veluti summatim ostenderemus. Ipsa vero explanatio quorundam breviter in eo & obscuriuscule dictorum in aperta magis luce ponet, quinam illi fuerint, quorum consilio & machinatione pleraque acta sint. Tanto denique ductorum & seductorum numero, eorumque laboribus conspectis, Vitæ *Wissowatianæ* auctori fidem eo lubentius habendam opinamur, qui initia a) sec. XVII. cæteris temporibus tot intervallis antecellere affirmavit, ut *tempore istoc, viris ac armis spiritualibus exercitatissimo, Ecclesiam* (Socinianum gregem) *ad robustam quandam maturitatem pervenisse,* eamque tempestatem *auream plane Socinismi ætatem,* b) appellandam existimaverit. Nos contra lolium infelix succrescens, Ecclesiæque afflictum inprimis statum, ea tempestate, donec victos prosterneret hos Titanes divina providentia, deploramus. &, ut hostium has molitiones tandem, in Germania nostra, disturbatas læti etiam pervideamus, ad Cap. III. procedimus.

a) *Bibl. Sandian.* Append. f. 227. sq.

b) Propter libertatem nimirum & accessiones multiplices, quas accepit inter turbas Polonicas hæc secta, & uberiorem adhuc messem, quam expectavit, præsertim in *Germania* nostra atque *Belgio* faciendam.

CAPUT III.

SECT. I.

Qua Conatus Crypto-Socinismum longius in Germania propagandi, detectaque digressorum ac dissipata consilia, & pervicaciorum convictiones, tum quorundam fuga, aliorum in carcere custodia, ejusque vindiciæ, ut & emendationis initia exponuntur.

§. I.

POstquam superiori *Capite*, quantum licuit, in historia obscurissima, complices & adversarios *Crypto-Socinismi*, AltorphI plantati, sed in herba, Dei immortalis beneficio, oppressi, cum innocentibus quibusdam ab ista labe viris, inter eos invicem confabulatos memoratis, plenius enumeravimus; consequens est, ut, quæ, positis fundamentis, capita tetricæ hujus factionis animo agitaverint consilia, dilucidius explanemus. In his ergo, ubi jacta esset alea, primum cogitatum est, de digressione in alias Germaniæ Academias: Cum eo, ut, quid valerent humeri, audaciores nonnulli, in Disputationibus cum celebrioribus Theologis, alibi quoque experirentur, eorumque simul robur in oppugnanda teterrima hæresi explorarent; tum vero etiam, si qua fieri posset, ut idem venenum latius dispergerent, præceptumque errorem ad alios quaquaversus propagarent. Ita certe nos docent verba *M. Piccarti* in *epist. ad Kirchmannum*, in *Gudianarum epp. Fascic.*, a) ubi, *Ruarum concessisse Argentinam, alios Wittebergam, alios Jenam, alios Helmstadium insedisse, ut plures* b) *in partes suas pertraherent*, clarissime testa-

a) n. 183. f. 256.

b) Non solis autem heic conjecturis nitimur, aut suspicionibus *Piccarti* forte incertis. Quamvis enim primum ex circumstantiis variis, hanc fuisse veram abeuntium mentis intentionem, collegerimus, & ipse quoque *Piccartus*, re primum comperta, ita arbitratus sit: Eum tamen revera fuisse animo propositum deliberatumque discedentium in varia Athenæa scopum, ex *Diario Vitæ Smalcianæ* certius addidicimus; ubi ipse *Smalcius*, consiliorum omnium, si non moderator, certe bene conscius & particeps: *Hoc anno*, inquit, *persecutionem passa est Ecclesia Norib. vel Altdorfiana. Cum enim fratres veriti, ne, si omnes in uno loco commorarentur, ab aliquo proderentur, id consilium cepissent, ut in diversas profecti Academias tutius vivere, & propagationi veritatis operam simul dare possent, derehensus est unus Wittebergæ &c.* Quibus, quæ supra ex *Ruari* epistola, in qua, parum se proficere posse propagatione Socinismi *Argentorati*, conquestum audivimus, adducta sunt, addere non pœnitebit.

teſtatus eſt. Quæ, ut ex ſequentibus luculenter mox patebit, recte ſeſe habent. Quod vero A. 1616. demum in exilium ejecti & relegati in alias Academias demigrarint Studioſi illi, quemadmodum *G. Arnoldus*, quadrata rotundis miſcens, affirmavit, a) id tam falſum, quam craſſum eſt alterum commentum, quod ibidem inter captivos eam ob rem *Ruarus* & *Sonerus*, quorum hic jam anno 1612. vita functus erat, numerantur. De quibus tamen omnibus a nobis deinceps diſtinctius & accuratius exponetur, detectisque erroribus rerum geſtarum veritas patefiet. Nunc in viam redeundum eſt. Hunc in finem non in unam Vniverſitatem conjunctim omnes conceſſerunt, ſed diverſas diverſi, fortioresque cæteris eas, in quibus noſtratium contra *Socinianos* primarii antagoniſtæ clarebant, adire conſtituerunt. Neque enim alia de cauſſa factum eſſe arbitramur, ut *Peuſchelius* Jenam, atque illic *Grawerum*; *Vogelius* idemque ſolus b) *Wittebergam*, ibidemque *Franzium*, Balth. *Meiſnerum*, & Jac. *Martinium* cum *Balduino*, aggreſſuri commigrarent; quam vires ut heic periclitarentur ſuas, & porro ſicubi novæ quædam obſervarentur exceptiones, novaque argumenta, ea cum promachis apud *Polonos*, in hæc conquirenda maxime intentis, communicarent. In his certe Athenæis vehementiſſime omnium hucusque diſputatum erat adverſus hoſtes SS. Trinitatis, nec infeliciter pugna adhuc ſucceſſerat. Ne tamen etiam in cæteris Academiis deeſſent, qui cauſſam impietatis tuerentur, *Richterus* atque *Planerus* Helmſtadium, *Joach.* vero *Ruarus* & *Paullus Groë* Roſtochium ablegabantur, & *Martinus* denique *Ruarus Argentoratum* ſibi cum *Taſſizio* ſuo deligebat. *Lipſia* propter ſumtus ſine dubio majores, quam pares eſſent ferendis, impendendos poſthabita fuit; *Gieſſam* vero, ubi inſignes quoque athletæ voce & ſcriptis celebrabantur Theologi, ideo neglexerunt, quoniam *M. Joh. Saubertus* illam haud ita pridem ingreſſus erat, cujus jam *Altorphi* vigilantiam formidarant, &, ne clandeſtina molimina ab eo in Diſputatione ultima exagitato revelarentur, non ſine cauſſa metuebant. *Altorphio* autem cur feſtinarent excedere, non una fuerat ratio. Primo enim ſtatim poſt *diſputationem* illam *Schopperianam*, de qua dictum eſt in præcedenti capite fuſius, ſuſpicio de quibusdam, quod ſerio prava illa

a) In *Hiſt. Eccl. & hæret.* P. II. L. XVII. cap. XIII. §. 12. f. 560. b.

b) Hallucinatus ergo eſt b. *Omeiſius* noſter, qui, *par ſtudioſorum veneno infectorum*, cum de fatis hiſce *Acad. Altorph.* paucula quædam & obiter memoriæ proderet, *elapſum eſſe & appuliſſe Wittebergam*, in *Glor. Acad. Altorph.* Orat. I. f. 16. ſcripſit; De cæteris vero, & multo pluribus, impietatis ſodalibus omnino ſiluit.

illa dogmata tam animoſe defendiſſent, percrebeſcere a) inter Studioſos cœpit; ita tamen, ut palam nemo eos inſimulare hæreſeos auderet, cunctique meliora de juvenibus, inſignem pietatem præ ſe ferentibus, tamque ſpectabilem cum eruditione ingenuitatem, ſibi perſvaderent. Deinde cum diutius plerique in Academia patria jam vixiſſent, & in his Theologiæ conſecranei, beneficiarii præſertim, ſtipendiis ſufficientibus nunc demum inſtructi eſſent, non videbatur tam commoda occaſio, alibi proficiendi, aut, ſi res ita ferret, prorſus e Germania in Poloniam excedendi, b) atque ad *Crellii* exemplum evadendi, negligenda. Denique, quoniam ſecuritati quoque ſtudebant ſuæ callidi homines, procul a Jove, procul etiam a fulmine ita ſeſe extituros, ſi liberius diſputarent, putabant, ac proinde, quam ocyſſime ſibi diſcedendum, autumabant. Quæ omnia, veluti ultimus & efficaciſſimus cuneus, fortiſſime urgebat audaciſſimum illud facinus, quo, *Sacra Euchariſtia* nuperrime una & ritu quidem *Photiniano* celebrata, ne quid ejus rei emanaret, verebantur. Quantacunque vero animo agitarent, & quam periculoſa Eccleſiæ diviniori conſilia; tanta tamen erat omnium & mentis obfirmatio & integritatis, inter tot cuniculos jam diu ſtructos, ſpecies, ut ante hunc diſceſſum ſuum plerique etiam ſtudiorum recte actorum, & vitæ laudabiliter geſtæ, teſtimonia ſigillo munita ab *Ampliſſ. Ord. Philoſoph. Acad. Altorph.* non ſolum peterent, ſed etiam, haud difficulter, cum nil niſi virtutis ſigna præ ſe ferrent, impetrarent. *Joachimo Ruaro* laudes hujusmodi profecto eximias hoc modo tributas ſupra jam audivimus, cum extrema *lit. R.* fatorum ejus meminiſſemus. Nunc, quoniam reliquis datorum exempla conſequi nondum potuimus, *Vogelii* illud teſtimonium honorificum inſtar omnium ſubjungimus, quod a Celeberr. *Dn. D. Bajero*, Medici Ord. Prof. prim., nobiſcum benevole communicatum eſt, & ita habet:

Michaël Piccartus, Fr.
Decanus Collegii Philoſophici, in Academia Norimbergenſium
ALTORFINA,
Lectori Benevolo S. P. D.

Vt nihil pulchrius, nihil eſt jucundius, quam vitam ex virtute agere, & frui voluptate bonæ conſcientiæ: Ita nihil optabilius viro bono accidere poteſt,

Ccc

a) Qua de ratione diſcedendi paullo ante etiam *Smalcium* quædam prodidiſſe audivimus.

b) Hoc enim animo ſuo agitaſſe quosdam conſilium, poſtea compertum eſt.

poteſt, quam tribuere illis, qui merentur, vitæ probæ & ad legum honeſtarum præſcriptum inſtitutæ peractæque teſtimonium. Quod ideo dico, cordate Lector, ut intelligas, voluptati quoque nobis eſſe, quod petenti huic juveni ad Te & omnes bonos tribuimus teſtimonium. Eſt is JOHANNES VOGELIUS, *Norimbergenſis, Academiæ noſtræ civis per annos ſex. Hic cum in patria a Parentibus honeſtiſſimis ad pietatem inſtitutus, atque exinde ad litterarum ſtudia deductus eſſet, eo ardore egit, quod agendum erat, ut paucis concederet, multos poſt ſe longo relinqueret intervallo; quæ res & profectibus non caruit. Quicquid enim ſerio agitur, id cum effectu plerumque agi videmus. Hoc animadvertentes Præceptores, Ampliſſimo Senatui Norimbergenſi eum commendarunt, idque facile apud benigniſſimos litterarum Patronos obtinuerunt, ut ſtipendio honeſto donatus, in Academiam ex urbe mitteretur, ut, quod bene cœperat, continuaret feliciter. Fecit ille officium, ut debuit, & Philoſophicis ſtudiis ita inſtitit, ut in auſcultandis lectionibus diligentiam, examinandis induſtriam & ingenium, retinendis & ad uſum revocandis ſollertiam omnes laudaremus, & ex ea cauſſa Philoſophiæ prima laurea ipſum* a) *cum æqualibus quibusdam lubentes volentes ornaremus; idque vel ideo lubentius, quod veterem & genuinam Philoſophiam præ nova illa & muſtea* b) *amaret, &* τοῖς νεκροῖς συγχωρεῖσθαι *vellet, & Socratem æmulandum ſibi, quem* τὸ μηδενὶ ἄλλῳ ἢ τῷ λόγῳ προσέχειν *perfectum & abſolutum reddidiſſe ex Præceptoribus cognoverat. Hic talis Vogelius noſter, cum evolare a nobis, indulgentibus Patronis, vellet, & aliorum quoque virorum magnorum doctrina frui, ſine teſtimonio noſtro facere id piaculum credidit, & ſuæ confiſus conſcientiæ, & noſtro in ipſum ſtudio. Nec fefellit eum ſpes: Damus enim illi & perhibemus teſtimonium probi & docti juvenis, ſine fuco aut adfectu, & jubemus audacter Te utriusque ſpecimen petere, & verum nos dicere atteſtaberis. Quotquot autem tales quoque erunt, probi inquam & docti, ii hunc juvenem amabunt, fovebunt; quod ut noſtra cauſſa amplius quoque faciant, rogamus, paria facturi, ubi hujus notæ homines ad nos miſerint. In cujus & teſtimonii & promiſſi noſtri fidem litteras has CollegI noſtri ſigillo communivimus; quæ datæ ſunt Cal. April. anni MDCXIV.*

§. II.

Demigrarunt itaque *Altorphio* plerique anno MDCXIV., citius

a) Quo de honoris titulo, ſuperioribus annis collato, vid. Cap. I. §. 10.

b) *Ramea* eſt, in quam digitum heic intendunt, philoſophandi methodus; quæ, ut alibi, ita cumprimis Altorphi non multos fautores, plurimos autem adverſarios, interque hos præcipue *Philipp. Scherbium*, ipſumque adeo *Sonerum*, *Queccium*, *Piccartum* & reliquos pæne omnes infenſiſſimos habuit.

tius alii, alii media æſtate, quos ineunte autumno pauci quidam ſequuti ſunt. Primus inter omnes legitur fuiſſe *Johannes Vogelius*, qui ſtipendium ab Illuſtri Curatorum Academ. ordine munifice adeptus, a) una cum *Joach. Ruaro* inde profectus eſt *Noribergam* ejusd. anni, ſi recte rationes ex Philotheca ſubduximus, die XXVIII. Martii. Brevi vero mora interjecta, paucorum nempe dierum, e civitate patria Noribergenſi *Bambergam*, hinc *Swinfurtum*, ubi *Joh. Kauffmannum* b) civem ſuum, & Brunſwicenſem quondam Adjunctum, nunc *J. Schröderi* ſucceſſorem inviſebat, atque illinc *Herbipolin* ſecundo Mœno adiit. Quam urbem nobiliſſimam Franconiæ jam ſuperiori anno MDCXIII. ſpectaverat, atque in Collegium Jeſuitarum tum ingreſſus eo ipſo tempore fuerat, quo Theſes typis procuſæ diſputabantur, exemploque accepto invitatus erat ad arma cum ordinariis Diſputatoribus conſerenda: quam tamen ſpartam ſibi datam ob graviſſimas cauſſas t t. modeſte detrectaverat. Hinc *Heidelbergam* acceſſit, e via quodammodo decedens, celebremque Reformatorum Theologum Dav. *Pareum*, ſenio jam longius provectum, cum *Reinero Bachovio ab Echt* Rect. tunc Acad. itemque *Dionyſio Gothofredo*, *Jano Grutero* atque aliis, JCtis & Litteratoribus maximis, d. 14. & 15. Aprilis convenit. Relicta *Heidelberga*, *Spiraque Nemetum* cum vicinis urbibus Rhenanis ἐν παρόδῳ ſpectata, p. p. *Francofurtum* tranſiens *Gieſſam* ingreſſus eſt pridie Paſchatis, ibidemque ſalutatis Theologis *Winckelmanno*, Acad. per id tempus Rectore, *Menzero* item & *Finkio*, collegis, *Marpurgum* mox perrexit, unde, nonniſi *Rudolpho Goclenio*, c) Philoſopho annis gravi, viſitato, reverſus *Gieſſam*, ſi recte memini, recta via & ſine mora hinc per *Thuringiam Jenam* contendit, & die circiter XII. Maji menſis iſtic adventans, dimiſſo comite & fido Achate *Joachimo Ruaro*, *Martinum*, *Joachimi* fratrem, infelicem illum præceptorem ſuum, itemque condiſcipulum *Peuſchelium* iſtic expectaturus, aliquandiu ſubſtitit, ac Theologos ſacra interim prælegen-

a) Et hoc ipſo munificentiæ ſingularis vinculo obſtrictus fuit, ut ad rationem ſtudiorum reddendam, deinceps vel manu injecta jure optimo perfectoque retraheretur.

b) Antiſtitem t. t. Eccleſ. Suinfurt. quo de plura in *Joh. Kauffmanni* Sen. Vita & Fatis ad calcem commentati ſumus, eumque hinc in Comitatum *Wolffſteyn* evocatum eſſe, non multo poſt oſtendimus. Quo de pluribus, & fatis cum primis ſiniſtris, quæ ſubiit *Brunſwigæ*, Max. Rever. *Rethmeierus Hiſt. Eccl. Brunſw.* P. IV. Cap. IV. conſuli poteſt.

c) Forte quod is etiam *Conr. Vorſtio* amicior eſſe crederetur: Nimis certe eſt amica ad eum epiſtola A. 1611. *Lugdunum* ſcripta, quam e tenebris protraxit *Th. Creenius*, *Animad. Philolog.* T. X. p. 293.

tes maxima induſtria audivit. Atque heic loci prima quoque ſuorum in *Socinismo* profectuum documenta *Vogelius* dedit. Namque cum *Alb. Grawero* aliquoties in diſputationibus publicis congreſſus, eaque vehementia aliquando conflictatus eſt, ut poſt id tempus, cum remoto velo, quid intendiſſent factionis hujus ſodales, pateſceret, idem ille *Grawerus* reminiſcens colloquiorum ad *Generoſiſſimos Curatores Acad. Altorph.* ſcribens, *Peuſchelium multo meliorem eſſe Vogelio*, eapropter teſtaretur: id quod etiam ex epiſtola *Schröderi* ad *Meiſnerum*, paullo inferius §. XIII. exhibenda, luculentiſſime patebit. Non tamen diutius, quam quatuor circiter menſium ſpatium iſtic, accepimus, commoratum eſſe. a) Nam cum *Martinus* interea *Ruarus*, itemque *Peuſchelius*, atque hic quidem prior illo, appuliſſent, hoc relicto, uti convenerat, *Vogelius* noſter cum *Martino Ruaro*, *medio* fere, & quod excedebat, *menſe Auguſto*, die circiter XIII., *Jenam* egreſſus eſt. Et quanquam *Wittebergam* pro ſcopo ſibi præfixerat, ubi diutius perſeverandum eſſet; eam tamen hac vice, cum Profeſſoribus tantum quibusdam collocutus, d. XXVII. tranſiens, longius progredi ſtatuit, &, quoniam *Poloniam* ingreſſurus erat *Ruarus*, deſtinato conſilio, hunc amiciſſimum ſodalem comitari in animum induxit, ſive ultro, ſive, quod veriſimilius, *Ruari* perſvaſionibus eo adductus. Atque ita tandem *Francofurto* in tranſitu luſtrato, ſalutatisque iſtic Profeſſoribus, inprimis *Pelargo* atque *Ravio*, itemque *Joh. Schöſſero*, Iſennacenſi, Rhetoric. Prof. & t. t. Rectore, in alterum nidorum ſupra b) memoratorum, pervenit, *Mœſtichianum* puta, ſeu *Meſeritium*, ubi *Caſp. Sacci* prædium erat, & *Socinianorum* haud ſpernendus numerus hoſpitabatur, ibidemque ab ipſo *Sacco* humaniſſime ambo excepti ſunt. Neque tamen intra hæc humanitatis officia conſtitit illa in loco fatali præſentia, ſed ſolemni ritu quoque mox *Vogelius*, alloquente convocatum cœtum *Ruaro*, & verba eodem præeunte, in *fratrum* numerum ſectæque ſocium coram ſolenniſſime receptus eſt: quod fatum nemo eorum, qui ad ſaniorem mentem rediere, c) expertus legitur. Ipſe *Vogelius*

a) Ipſe *Vogelius* in Curriculi vitæ a Celeb. *Gundling.* ed. fragm. „In Jena verblieb ich „in die 20. Wochen, hatte meinen Tiſch als „ein Subſtitutus 18. Wochen in der Com„munitæt, ward von den Studioſis daſelbſt „werth gehalten, opponirt einsmals Herr D. „Grawer ſehr hefftig, daſs ich darüber ver„dæchtig wurde, weil D. Grawer ſich nicht „kunte aushalfftern.

b) Cap. II. §. 52. Quibus novi *Socini* pulli, in Germania excluſi, in ſocietatem cæterorum & totius gregis recipiebantur.

c) Per litteras quippe in fraternitatem arctiorem cooptati, *Crellio* potiſſimum proxeneta & internuncio, atque *Ruaro* commendationis officio defungente utplurimum.

gelius hæc ad *Peuſchelium* perſcripſit, & ſimul cum *Valent. Smalcio* in itinere iſtoc ſe collocutum eſſe ſignificavit: quod, utrum *Meſeritii*, ubi datæ ſunt litteræ, d. 27. Septembris A. 1614. acciderit, an alibi, pro certo primum non audebam affirmare. Nam, exceptis pauculis quibusdam excerptis harum litterarum, nihil ſuppetebat, præterquam clauſula, in qua: *Vellem*, inquit, *ut, quæ hiſce tibi litteris ſignificanda duxi, ad Leimerum noſtrum etiam bona parte perſcribas, & fratribus noſtris omnia communia facias.* Neque etiam in *Fragm. Curriculi Vitæ*, ex parte a Celeberr. Nepote, in *Gundlingianis*, evulgato alia paullo diſtinctius enarrata occurrunt. Sed ſingulari fato accidit, ut celebratiſſimi Wittebergenſis Acad. quondam Doctoris Theologi, b. *Leonh. Hutteri*, litteræ ad poſteritatem conſervatæ, eædemque MStæ, plura & explanatiora nos edocerent, quas cum forte repertas magni nominis in ead. Acad. Theologus, S. Rev. D. D. *Wernsdorffius*, (quod grati prædicamus,) nobiscum benevole communicaret, noſtrarum eſſe partium duximus, publico uſui earum partem, quæ huc ſpectaret, non invidere. Scripta eſt epiſtola ad Illuſtrem *Aulæ Electoris Saxon.* Sacrorum *Antiſtitem* Primarium, *D. Matth. Hoë*, &, quantum ad *Vogelii* noſtri conſilia iterque clam peractum, his verbis ea, quæ ſunt in eo geſta, deſcribunt:

Salutem & officia &c.

Tertius jam menſis agitur, Reverende, Nobiliſſime, & Magnifice Vir, Domine, Fautor & in Chriſto frater ſingulariter honorande; ex quo Refutationem Irenici Pareani ad umbilicum perduxi, eidemque manum ſupremam impoſui &c. &c. Jam de Vogelio, Photiniano, Noribergam nuper abducto, quæ ad me perſcripta ſunt, a) *non poſſum non Reverendam Tuam Excell. de iisdem certiorem facere. Cum Jena ipſe anno* 1614. *ideo diſcederet, quia animadvertebat, ſe a Studioſis omnibus Photinianum publice proclamari, tutioremque ibi commorandi ſedem non concedi, primum Deſſaviam ſe contulit, ubi fratrem quendam quæſivit, quem tamen ibidem non offendit. Inde Francofurtum, cum quibusdam ſociis, conceſſit, ubi Pelargus ipſum & ſocios in conſpectum & colloquium admittere noluit, eo quod putarat eſſe Lutheranos ad ſe clam miſſos: ut Vogelius ipſe in litteris ad Peuſchelium, itidem Photinianum, ſcribit. Francofurto ergo Meſeritium abiit, ubi fratrem quendam offendit, nomine Hoffmannum,* b) *quod factum die* 24. *Septembr.* 1614.

a) Admodum probabile eſt, hæc ex *Academia Jenenſi* comperiſſe *Hutterum*, eaque a b. *Grawero* ad ipſum ſcripta, atque ex litteris *Vogelianis* inter *Peuſcheliana* MSta deinceps repertis, cognita fuiſſe.

b) *Nicolai* hujus *Hoffmanni* mentionem quoque

„1614. *Postero die nempe 25. Sept. Smalzius magno cum comitatu Meseriti-
„um venit, & Vogelium (cum duobus aliis novellis fratribus Photinianis,
„qui fuerint Martinus Ruarus, Holsatus, & Matthias Ravius, Transylva-
„nus) humanissime & quidem multis cum lachrymis excepit. Eodem die
„omnes tum congregati Photiniani abierunt Bebelwisium (est pagus Poloniæ,
„nobili cuidam Marchico, Simoni Sacken, alias prædiviti sed ipsi quoque
„Photiniano, subjectus) ubi sequente die Smalzius publicam habuit concionem,
„& pro nova accessione fratrum gratias egit Deo solennes. Tertio die post
„ibidem Vogelius* a) *cum sociis, inter quos etiam quidam fuit Pastor, antea
„Calvinianus, publice ac solenniter receptus in fraternitatem, ac sacra Cœna
„more Photinianorum* b) *usus est. His peractis, Vogelius Meseritium re-
„diit: cæteri ipsius socii cum Smalzio Dantiscum perrexerunt. Visitavit
„namque Smalzius tum temporis Ecclesias Photinianas hinc inde per Borus-
„siam & Poloniam recens plantatas. Tandem Meseritio Wittebergam ad
„nos reversus, non ut rectius informaretur, sed (sunt ipsius Vogelii verba)
„ut suam felicitatem* c) *i.e. Photinianismum, qua posset ratione propaga-
„ret & disseminaret; & ad fraternitatem omnis generis omniumque faculta-
„tum studiosos alliceret. Sibi enim a fratribus serio injunctum esse scribit,
„ut omnes quærat occasiones, sive privatim sive publice, si non propagandi,
„saltem patefaciendi Photinianismum. Et quidem se optimam Wittebergæ
„occasionem fuisse nactum per disputationes D. Franzii & Jac. Martini.
„Hæc bona fide ex litteris manu Vogelii ipsius exaratis &c. Alia quadam
„epistola gloriatur, quam egregie deceperit D. Franzium & Jacobum Mar-
„tini, ita, ut non animadvertant, ipsum esse Photinianum: gloriatur de felici
„successu: se jam modo unum in suam sententiam pertraxisse: plures alios
„vero dubios reddidisse: sperare se indies numerum fratrum fore auctiorem,
„& quod magno studio doctrinam Photinianorum publice proponat, ad quam
„plerique alii studiosi novitate rei attoniti quasi obstupescant, & sic avidius
tum*

quoque *Smalcius* fecit in Diario Vit. ad A. 1610. Quod comparare cum hisce juvabit.

a) Et itineris hujus, ex fratrum decreto peracti, & *Vogelianæ* in societatem sectæ solennis receptionis, ipse quoque *Smalcius* in *Vita* sua ad A. 1614. mensemque *Decembr.* brevibus meminit, ut adeo narrationi huic *Hutterianæ* tanto major fides habenda sit.

b) Est namque id usu receptum, hac certe tempestate tritissimum inter eos fuit, ut modo hic, modo alibi, Sacram Synaxin celebrarent fratres solenniorem, & ad mutuam confœderationem alios quoque absentes invitarent, advenas autem reciperent. Quod, uti ex variis eorum scriptis & epistolis, præsertim *Crelliana* illa memorabili, a Celeb. *Creenio*, Part. V. *Animadvers.* f. 253. publ. apparet, perpetuum fuit & ordinarium; Quare mirum non est, *Ruarum* quoque cum *Vogelio*, ut *Smalcius* inquit, invitatos huc concessisse, dextramque fratribus junxisse.

c) Vid. Cap. II. sub lit. F.

tum in doctrinam, tum in libros Photinianorum inquirant &c. &c. Witteb. d. XI. Maji 1616."

Reverendiss. Magnif. Tuæ"

ex officio totus

L. Hutterus D.

Sunt equidem in his litteris nonnulla, quæ ab Jenensi *Hutteri* amico videntur ex conjecturis addita, ut cum *Rhawius* novellus frater æque ac *Ruarus* nominatur, qui tamen ex *Transylvania Altorphium* eam jam attulerat hæresi imbutam mentem, & forte a pueritia his ipsis placitis innutritus erat: a) quando item primum *Jena Dessaviam*, atque hinc *Francofurtum* abiisse dicitur; cum tamen, *Wittebergam* quoque transiisse, ex Philotheca *Vogeliana* luculentissime pateat. Cætera vero, ex ipsius *Vogelii* epistola desumta, optime sese habent, & ad sequentia etiam illustranda haud parum commodi lucisque nobis afferent. Equidem *Simonis Sakii* heic fit mentio, cum tamen *Caspar* alioquin is patronus & hospes *Photinianorum* ordinarius appelletur; sed verisimile est, *Casparis patrem* forte adhuc in vivis superfuisse, atque huic *Bobevici* b) dominium ea de caussa heic tributum esse. De reliquis alias differendi occasio, ut speramus, dabitur. Qua spe etiam suffulti ad sequentes machinationum harum eventus sine mora progrediemur, posteaquam, non statim *Wittebergam Meseritio Vogelium* esse reversum, vel tribus verbis Lectorem monuerimus, sed, longius aliquanto in *Poloniam* excurrisse, observaverimus. Inde enim *Smigliam* usque, *Poloniæ majoris* urbem percelebrem, processit, sed ulterius progredi, sive quod patronorum indignationem, si quid horum, post diutinam moram, rescifcerent, veritus esset, (clam c) enim his omnia hæc acta erant) sive Dei a pernicie errantem præservaturi nutu singulari, pedem hinc revocavit, & *Wittebergam* sic tandem reversus est, medio *Octobri* mense; *Ruarus* autem interea, sicuti in epistolis ipsemet amicis iter descripsit suum, una cum *Rhawio*, altero illo itineris comite, *Racoviam* usque perrexit. Quam in rem consuli, si volupe est, possunt epist. X. & XIma, itemque XVIII. Cent. II. *Ruari epistolarum:* ubi aliquatenus ejus itineris mentio descriptioque luculenta inserta reperitur. Sed vero ex his etiam demum, quo tempore scriptæ

a) Vid. Cap. II. §. 38.

b) Conf. Cap. II. §. 52.

c) Quem in finem etiam *Smigliæ* nomen, quod Philothecæ ipsius a *Joh. Prætorio a Schulz*, Glogoviensi Silesio, illic inscriptum erat, ex eodem Albo scalpello dedita opera erasum esse observavimus, ut vix pristina jam litterarum vestigia supersint.

ſcriptæ ſint litteræ illæ, intelligitur, aliaque, quæ vix primis digitis & obſcuriuſcule iſtic attinguntur, ipſiusque adeo arcani conſilii rationes affatim illuſtrantur. Hactenus de *Vogelii* abitu, ſedeque tandem *Wittebergæ* ex compacto conſtanter fixa.

§. III.

Ad *Peuſchelium* quod attinet, paullo diutius ille ſubſtitit *Altorphi*, & in mediam usque æſtatem A. MDCXIV. abitum inde ſuum, quem animo jam conceperat, diſtulit, cauſſamque cum cæteris communem, more ſolito, in conventibus egit, occultis cuniculis indies magis confirmatam. Quo animo vero in religionis negotio fuerit, nulla re alia luculentius idem *Peuſchelius* declaravit, quam verbis & verſiculis Germanicis, quibus ad iter faciendum parato *Vogelio* ſuam in Philotheca amicitiam obſignaverat, ſequentibus:

Der Pabſt, der Luther und Calvin
Die haben ihr Kuchen, und Gewinn
Vom Glauben an Chriſtum alle drey:
Wo bleibt aber Fried, Lieb, Einigkeit und Treu.
Sie ſizen auf der Vberthür;
Dann heiſst es: ſchürſtu mir, ſo zwag ich dir.
Doch iſts an dem, wers beſſer mag,
Der ſchieb den andern in den Sack.
Das würcket alles das Evangelion
Das thut aber nicht der Talmud noch Alcoran.

Addidit adhæc ſequentia verba ſubſcripta: *Hos rhythmos germanicos vere (heu dolor!) in ſeculum exulceratiſſimum* (omiſſum erat per feſtinationem participium *convenientes) ubi profligata charitate, & timore ac tremore altiſſimi expulſo, plus ſatis odiorum & ſimultatum viget, ceu indubitatam amicitiæ minime fucatæ teſſeram amico ſuo oculitus dilecto, Dno Johanni Vogelio reliquit Joach. Peuſchelius. Altorphi d.* 23. *Martii, anno Chriſtianæ epochæ* 1614. Quotusquisque enim eſt, qui non animadvertat, ſolius vitæ pietatis ſtudium, reliquis omnibus inter rixas connumeratis, quas lucri ſcilicet gratia cæteri cuncti alant, heic commendari, & ſolis *Socinianis*, tanta licet animi impotentia ſumma fidei myſteria oppugnantibus, haud obſcure religionis puræ ac ſinceræ curam, quæ in uſu ſanctitatis vitæ conſiſtat, adſcribi. In qua hypotheſi adſtruenda & *Ruarus* elaborabat ſtrenue, a) eumque in finem *Libel-*

a) Vid. Cap. I. §. 31. Quibus in præſenti judicium *Wolffg. Franzii* addi volumus, qui

Libellus de Obedientia, deſtinato conſilio adornatus, hos inter complices paſſim circumferebatur, ut, qui ſec. eum vitæ rationes inſtitueret, pro *fratre in Chriſto* haberetur, interque eos haud difficulter reciperetur; tametſi maximopere in dogmatibus fidei adhuc ab aliis ipſisque *Socinianis* diſſentiret. Spes namque erat, favore qualicunque, hoc obtentu, paullatim conciliato, fore, ut tandem in *Socinianorum* quoque caſtra occupati hujusmodi animi pedetentim tranſirent. Vtpote quorum ſyſtema doctrinæ ad id magnifice jactabatur comparatum eſſe, ut ad vitæ Chriſtianæ ſanctam integritatem ſine diſcrimine ſecuritatis, (quæ mala ex doctrina de *Satisfactione Chriſti* promanare calumniabantur, a)) omnium mentes, dummodo ſint ſanabiles, docilesque, adduceret. Ad poſtremum denique hinc etiam colligi haud temere poteſt, quæ cauſſa, ſeu, quis prætextus potius, ad ſopiendam utcunque conſcientiam tantorum auſuum, a *Neo-Photinianis* hiſce ſuſceptorum, fuerit adhibitus. Etenim diſſenſiones inter quascunque partes b) Chriſtianæ per univerſum orbem Eccleſiæ, & quidem cum diſputantium odiis mutuisque condemnationibus contumelioſis haud raro conjunctæ, haud exiguum, ad hos juvenes, jam antea novarum rerum cupidos, & ingenio ſuo luxurianti nimium indulgentes, in transverſum abripiendos, momentum attuliſſe, hinc apertiſſime conſtat. Atque hinc novum etiam robur, ra-

 tioni

qui in *Vindiciis Diſpp. pro Aug. Conf.* adornatis, & quidem *Dedicatione ad Miniſtr. Eccl. Amſtelod.*, ſanctitatis illam affectatam ſpeciem pulchre deſcripſit, atque *fucatam* duntaxat eſſe *hypocriſin*, non minus accurate, quam modeſte demonſtravit.

a) Certe in ipſa *Catecheſi Racovienſi* C. VIII de *Morte Chriſti*, quæſt. 17., *hanc opinionem*, non verentur, ita *pernicioſam* eſſe, affirmare, ut, *hominibus feneſtram* (turpi ſophiſmate ex accidenti petito, & abuſu a Paullo jam dudum caſtigato,) *ad peccandi licentiam aperire, aut certe ad ſocordiam in pietate colenda invitare*, ajant. *Socinus* autem, P. III. *de Servat.* contra *Covetum*, tam procax eſt calamo, ut, *omne pietatis ſtudium* per noſtræ Eccl. placita *frigeſcere & extingui*, idque *experientiam ipſam ſatis declarare*, non verecundatus ſit ſcribere.

b) Quibus turbis vetuſtioribus ex *Philippi* potisſimum ſchola novæ in *Germania* tunc accedebant, hac ipſa tempeſtate ortæ, annoque propemodum eodem mutationes in *cauſſa Juliacenſi* ſuſceptæ, quæ patrocinii comparandi gratia pasſim ferebantur eveniſſe, aut proxime eventuræ. Nec ignota erant *Vnionis* & *Ligæ* feralia illa Germaniæ fœdera, jam ſuperioribus annis inita, ſed indies magis ſtabilita, donec in nervum bellumque illud *Bohemicum* ac *tricennale* erumperent. Vt domeſtica quædam diſſidia inter varios utriusque ordinis primarii *Proceres* atque *Doctores* adhuc gliſcentia, & *Noribergam* quoque ſub id tempus adhuc valde affligentia, ſileam. Quæ mala, quantum momenti, ad animos jam vacillantes, & cauſſam veriſimilem defectionis quærentes, in transverſum abripiendos, afferre potuerint, in aprico poſitum eſt, nobis etiam tacentibus.

tioni hujus mutationis, jam Cap. Imo, ex altercationibus tum temporis inter Theologos *AltorphI* diu vigentibus redditæ, accedit. Quod supereſt, antequam ex Academia patria pedem efferret idem *Peuſchelius*, publicum exercitium Diſputationis Theologicæ A. 1614. d. 8. Maji propoſitæ inſtituit, & Præſide *Georgio Königio*, Eccleſiæ Altorphinæ, uti titulus habet, adhuc Vicario a) propoſuit. Quæ prima fuit, niſi fallimur, inter Theologicas, a Theologo hoc præclare docto, & accuratæ perſpicuitatis dote prædito, ex ſuperiori cathedra defenſas. Sine dubio autem argumentum de *bonis operibus* præ cæteris delegerat *Peuſchelius*, ut tanto minus ſibi daretur occaſio de ſummis fidei myſteriis aliquid diſſerendi & errores profitendi. Vnde nec in tota diſſertatione Trinitatis vocabulum, aut ſimile quiddam legere eſt. Redemtionis ſanguinis, itemque meriti Chriſti aliquoties facta quidem eſt mentio; ſed quo ſenſu intelligant hujusmodi Sp. S. loquendi formulas *Socini* aſſeclæ, abunde jam cognitum habemus. Id unum miramur §. XXIIX., ubi *de perfectione bonorum operum* agitur, alienam urgeri quam maxime, & eam quidem, quæ ſanctitate & juſtitia Chriſti, nimirum tota ejus obedientia, contineatur, quæ videlicet per fidem credentibus vere imputetur ad juſtitiam, ſtudioſe inculcari; atque hinc, cum mentem aliam fuiſſe *Peuſchelio* conſtet, per Præſidem factum eſſe, quo minus hæc immutarentur, colligimus. Quanquam neque hic ſubterfugia defuerint, ad quæ maleſana mens decepti hominis & mirum in modum callidi ſe recipere poterat. Non diu amplius ſubſtitiſſe *AltorphI* ex hoc tempore *Peuſchelium*, veriſimile eſt. At tamen, quo die determinato inde exceſſerit, inveſtigare definite & accuratius haud potuimus.

§. IV.

Id vero compertum habemus, quod, quoniam ad eventum denique plurimum affert momenti, h. l. commemorare neceſſe eſt, jam antehac, anno puta MDCXII., ſtipendio quodam ad proſequenda ſtudia eum inſtructum a munificentiſſimis Curatoribus Academiæ, idque, uti ſubſidium diſceſſuro præbuit, ita ſudem fuiſſe in oculis cæterorum *Socinianorum*; de quo nunc diſſerendum eſt pluribus. Nam ægre partim tuliſſe *Racovienſes*, quod fidem ſuam obſtrinxerit,

eo

a) Ipſum enim *Profeſſ. Theologi* munus, eidem demandatum, d. 24. Maji demum *Senatui Academico* ſignificatum eſſe, *Paſtoris* vero nomen A. 1615. tandem ab eo uſurpari cœptum, atque interea *Vicarii* titulo appellari conſveviſſe, jam in *vit. Theol. Altorph.* annotatum f 118. ſq. legitur.

eo impetrato, *Peuſchelius*, jam conſtat; partim etiam de perfidiæ crimine hoc poſtea nomine in patria haud injuria accuſatum eſſe, inferius commode magis exponemus. Ad indignationem *Racovienſium* quod attinet, bilem illis movit *ſyngrapha* cumprimis, ea de cauſſa *Generoſiſſimis Univerſitatis Curatoribus* pro more exhibita. Scripſerat autem hanc *ſyngrapham* Kalend. Novembr. A. 1612., inque ea ſancte promiſerat & bona fide, non tantum *Senatui Illuſtri Noriberg. Reipub.* ſe nunquam non morigerum fore & obſecundantem, ſtudiisque Theologicis operam diligentem daturum; ſed etiam nominatim pollicitus erat, ex more recepto, *Theologiam non aliam, quam quæ in Confeſſion. Auguſtan. & Corpore Doctrinæ Noribergenſ.* a) *ejusque Eccleſiæ ordinatione Eccleſiaſtica* contineretur, *in uſum Eccleſiæ patriæ* ſedulo exculturum. Hac profecto re comperta dici non poteſt, quantopere in eum invectus ſit *Crellius*, ingratisſimus homo. Neque enim ſolum improbat, quod ad *Normam* b) *Eccleſiæ Noribergenſ.*, quam *enormem* nefarie vocavit in *epiſtola d. XI. Maji A.* 1614. c) ſcripta, ſe adſtrinxerit; verum etiam *vim inferri conſcientiæ*, querulatur, *quandoquidem obligatio hujusmodi*, (id ergo ipſe fatetur) *juramenti virtutem obtineat.* Immo parum aberat, quin idem ille *reliquos* etiam fratres objurgaret, *quorum vel conſilio uſus ſit, vel ſaltim uti debuerit Peuſchelius, quod id conceſſerint.* Unde, quibus vinculis tenebrarum ab iſtis impoſtoribus, in *Racoviæ* licet angulo hærentibus, jam tum illaqueati fuerint hi juvenes, miſere decepti, & quam fraudulenter altera pars dolis etiam deludere Magiſtratum legitimum allaborarit, clarisſime elucet.

a) Vulgo *Libros Normales* vocamus, *Corporis doctrinæ* nomine, ex priſca conſvetudine, quam *Corporis doctrinæ Philippi* A. 1560. collecti ex ejus opuſculis & impresſi peperit titulus, olim celebres, & præter Libellos, quos *Philippeum* illud *Corpus* continet, b. *Lutheri* quoque *Catechiſmos, Auguſtanam* item *Confeſſionem non variatam cum Apologia, Smalcaldicos* denique *Articulos*, (ut *Lutherus* ſcil. cum *Philippo* conjungeretur,) exhibentes, & nuper admodum, poſt ed. A. 1646. b. *Joh. Sauberti* ſenioris opera potisſimum procuratam, A. 1723. recuſos; quibus ad calcem antiquisſima Politia ſ. Liturgia Eccleſ. Brentio-Oſiandrina, auctoritate Marchico-Noriberg. A. 1633. primum publicata, accesſit.

b) Nam & hæc nomenclatura olim trita fuit, *Normæ* videlicet non primariæ ſed ſecundariæ, & Confesſionis, in *profeſſione compendioſa* doctrinæ, uſum præſtantis ſenſu.

c) De eodem argumento jam A. 1613. d. 15. Junii idem cum *Peuſchelio Crellius* expoſtulavit, &, num ſalva conſcientia obſtringere ſe *Peuſchelius* ad perſeverantiam *in Lutherana religione* potuerit, copioſe in eandem ſententiam diſſeruit. Quæ litteræ cum cæteris, ut jam ſæpius dictum eſt, inter reculas *Peuſchelianas* repertæ ſunt; ita tamen, ut non niſi excerptis potiri adhuc licuerit præcipuis, quibus ea, quæ retulimus inde, continebantur.

elucet. Vtut ſit; data profecto fide & firmata juſtis obligationibus, adminiculum ſtudiorum Theologicorum non vulgare a) adeptus eſt *Peuſchelius*, eoque locupletatus tandem etiam *Jenam* b) diſceſſit; ubi media propemodum æſtate, ceu ſupra dictum c) eſt, adventavit, patris ſimul voluntati atque conſiliis ſocietatis infauſtæ ſatisfacturus. Atque ita cæteris, *Planero* nempe & *Richtero*, *Joachimo* item *Ruaro* & *Groëo*, aliorſum dilapſis, ſupererant AltorphI *Cobius*, *Fabritius*, *Frauenburgerus*, *Marcius*, *Hainlinus*, *Dümlerus*, *Seidelius* item, & quidam peregrini obſcuriores alii; quibus cura novarum rerum, in religionis hiſce negotiis, confirmandarum commiſſa erat. Immo vero, cum & *Fabritii*, *Frauenburgeri* & *Hainlini* ſtudium partium *Socinianarum* jam aliquo modo refrigeſceret, & *Seidelius* tandem alio itidem concederet, ſolis *Cobio* & *Marcio*, d) maxime vero omnium *Dümlero*, ſuſtentandæ

a) Florenorum annuatim litteris melioribus impendendorum quinquaginta, quæ ſumma in quintum usque annum continuanda erat.

b) Hallucinatus ergo eſt *Joh. Mauritius Laubinger*, in *Memorabilibus Academ. Altorphinæ*, A. 1676. Orat. publ. habita, enarratis, eodemque anno prælo ſubjectis *AltorphI* in 4o., quando, *par impoſtorum, hæretico veneno* (cum triſtem hanc hiſtoriam vix tangeret) *infectorum*, *elapſum Altorphio Wittebergam appuliſſe*, inquit. Neque enim, quod etiam ex ſequentibus elucebit clarius, alter etiam *Wittebergam*, ſed *Jenam*, & conſulto quidem abiit, ſolo *Vogelio* in *Leucoream* ex pacto commigrante, *Peuſchelius*. Et hæc quidem ſeparatim annotare, non viſum eſſet operæ pretium, niſi, quæ in ipſa hac *Academia* noſtra publicitus & pronunciata & typis quoque impreſſa proſtant, fidem obtinere apud alios, quæ tamen, quantum ad definitas quasdam circumſtantias, falſa ſunt, perfacile poſſe, metuendum eſſet.

c) Hoc Cap. III. Sect. I. §. 3.

d) Qui cum interea primam in Philoſophia lauream conſecutus fuerit A. 1614. extremo, ne quid deeſſet rerum hoc temporis intervallo etiam publice actarum, viſum nobis haud eſt inconveniens, Programma, eum in finem publice propoſitum, heic interponere:

M. DANIEL SCHWENTERVS Noribergenſis Decanus Collegii Philoſophici in Academia Altorphina, omnibus omnium ordinum Academicis S.

„Ea olim populi Judaici ſapientia fuit," ut non ſolumS litterarum oraculis, verum" etiam Ethnicorum hiſtoriis celebrata, &" ſempiternæ gloriæ & immortalitati mul-" tis monumentis commendata fuerit. Hac" de re Moſes, fidelis ſervus JEHOVÆ," Devt. IV, 6. & ſapiens Syracides in Pro-" logo ſuo luculentiſſime ſcribunt; Sic Ju-" ſtinus Martyr & Philoſophus Chriſtianus," ex Græcarum hiſtoriarum teſtimoniis," Græciæ oraculum aliquando interroga-" tum; quinam unquam extitiſſent vere" pii & religioſi homines? Tale reſponſum" edidiſſe, refert, in I. παραινεῖ. ad Græcos."

Μῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ Εβραῖοι;"
Αυτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν αὐτόν."

Sed hujus ſapientiæ Iſraëliticæ vigor" non fuit, proh dolor, diuturnus, verum" ad Herodis magni usque duntaxat tempo-" ra duravit! Sub quo Judæi inter ſe diſ-" ſentire cœperunt, ducibus Pollione &" Samæo

dæ pravæ conſociationis ſolicitudo incubuit. Iidemque præ cæteris omni-

„Samæo Phariſæis. Quantum vero poſt
„illa tempora, a priſca ſapientia indi-
„es defecerint, deliramenta, fabulæ,
„mendacia, blaſphemiæ, quibus libri eo-
„rum, & præſertim Talmud, paſſim referti
„ſunt, luce meridiana clarius oſtendunt.
„Fingunt enim ſibi Deum, quales Eth-
„nici ſibi finxerunt plurimos; qui cum
„eorum auxilio hominibus opus fuit, aut
„domo abfuerunt, aut dormiverunt, aut
„mortui ſunt. Poſſem hoc tempore blas-
„phemias eorum non paucas in medium
„proferre, niſi piis & Chriſtianis auribus
„& oculis parcere, magis conſultum puta-
„rem. Stultitiæ porro horum, multa ex-
„tant veſtigia non obſcura, dum de re-
„bus nihili, minimique momenti lites in-
„ter ſe movent. Pudet me, exempli loco,
„obſcœnam illam de aſino diſputationem,
„ex Babha Koma, libro Talmudico ab Ave-
„nario allegatam proferre; quam tamen
„tanti illi æſtimant, ut in Meſſiæ ſui ad-
„ventum usque rejiciant! Quis quæſo
„cum Salomone hic non exclamet? אולת
„כסילים אולת ſtultitia ſtultorum
„ſtultitia! Quis Apoſtolo non credat,
„Rom. XI, 25. dicenti? πώρωσις ἀπὸ μέρους
„τῷ ἰσραὴλ γέγονε? Quis denique haſce næ-
„nias audiens, & in pectore volutans, in
„ſummam non rapiatur admirationem;
„quod Prophetæ multis ſeculis ante, idem
„Judæis prædixerint? Sed a talpis iſtis in
„meridie cœcutientibus & palpantibus,
„mephitinque exhalantibus, ad homines
„redeo, ad priſcos videlicet illos Hebræo-
„rum Rabbinos ſeu Doctores, qui ante
„Christi in carnem adventum, clarue-
„runt, & de Messia rectius & verius,
„magisque pie locuti ſunt, quam horum
„πατροῤῥῶξ progenies, quam ἀπόγονοι ipſo-
„rum ſurdi, cœci, blaſphemi, temerarii,
„mente capti. Illorum Priſcorum Rabbi-
„norum, inquam, præclara monumenta, ſa-
„pientiæ & prudentiæ plena, partim in

Talmud, partim in commentariis & con-“
cionibus eorum, partim alibi, ſed plera-“
que gloſſis ſceleſtisſimis, a progenie eo-“
rum degenere polluta, conſpurcata &“
depravata, plurima pasſim ſeſe offerunt;“
iis præſertim in locis, ubi genti ſuæ do-“
gmata & præcepta recte beateque vivendi“
præſcripſerunt. Animadverterunt enim,“
naturæ congruere, cumque illa conve-“
nienter vivere, proprium pietatis cætera-“
rumque virtutum munus & officium eſſe.“
Quod ſi Socrates præ cæteris Philoſophis“
commendatur, quod Ethices præcepta“
primus tradiderit, cur Hebræorum Phi-“
loſophos, qui pie innocenterque vivendi“
regulam normamque tradiderunt, ſua“
laude fruſtrari vellemus? Nam depre-“
hendimus, etſi multæ egregiæ ſententiæ“
apud Germanos, plures apud Latinos, plu-“
rimæ apud Græcos reperiuntur, vix tamen“
ex illis aliquam inveniri poſſe, cui non“
aliqua reſpondeat Judaica; quin imo“
multi apud ipſos & elegantes tropi, mul-“
tæ egregiæ ſententiæ & allegoriæ, multa“
denique pulchra adagia, ſimilia, ænigma-“
ta, apophtegmata & ſchemata reperire“
licet: Hæc ſi legas, animoque perpen-“
das tuo, Salomonicas te audire Parœmias,“
totus tibi perſuadebis; non ſolum enim“
ad Politicam, ſed ad Theologicam etiam“
vitam, intellige ad fidem, dilectionem,“
timorem, cultum Dei, & id genus alia,“
ſpectare videbis. Tale non ita pridem“
Midras Coheleth evolventi mihi occurrit;“
in quo dicitur: מאן דלאי מתהני בה“
ſenſus eſt: In qvo qvis laborat;“
in eo frvctvm capiet. Hæc ver-“
ba penitius introſpiciens, Salomonis ſen-“
tentias, primo ſcil. capite. Et come-“
dent de frvctv viæ svæ. & cap.“
ult. Da illi de frvctv manvvm“
svarvm, legere mihi viſus ſum. Qua-“
rum illam in malam, hanc in bonam par-“
tem accipi vult; quantum enim mali ab“

 ignavia

omnibus maxime ſeduli interea fuere in perſcribendis, quæcunque agerentur, aut metuerentur etiam, ſumma induſtria obſervatis. In quo

„ignavia reportatur, tantum commodi & „prœmii a labore capitur; Namque ſecundum Verinum.

„Nonniſi per magnos ad prœmia magna labores
„Itur; at ignavis nulla corona datur.

„Atque illud adagium, non tam de mercede, quæ propter laborem corporis, „quam propter laborem animi reportatur accipiunt: Hinc ut quilibet induſtriæ „ſuæ & laboris fructum & prœmium aliquod conſequi poſſet, certos honorum „& dignitatum gradus & claſſes, varia etiam & diſtincta officia, in ſua politia eſſe „voluerunt. In veteri Teſtamento, quatuor erant in qualibet urbe gradus dignitatum. I. זקנים Senes ſeu Senatus. „II. ראשי אבות Capita patrum, ſingularum tribuum primates. III. שופטים „Judices, qui jus noverant & ſecundum „illud pronunciabant: IV. שוטרים Apparitores; qui res judicatas exequebantur. Joſuæ XXIII. Hujusmodi graduum „ordo etiam in Chriſtiana politia hodie „reperitur, qui non ſolum in urbibus, civitatibus, oppidisque; verum etiam in „Scholis, Gymnaſiis, & Academiis obſervatur; æquum namque eſt, ut diligentes „Mercenarii mercedem labore dignam accipiant: & ſicuti umbra corpus, ſic utilitas laborem animi aut corporis, comitetur; ignavi vero, quando judicio Doctorum honorem ceu prœmium ad ſedulos ac induſtrios, deferri videant, omnia „laboribus vendi credant, ſapereque diſcant. φεύγων πόνους, φεύγει καὶ τιμάς. Hæc „laudabilis conſuetudo, in hac etiam noſtra Academia obſervata, propagata, & „ipſo commendata fructu & neceſſitate, „hucusque ſemper viguit, ut certo tempore, in certos & dignos Academiæ cives, „certi gradus honorum conferrentur. Admonet ergo nos denuo tempus, muneris noſtri, ut primum honoris, in Philoſophia gradum, in ejusdem cultores conferamus; obtulerunt autem ſeſe octo decuriæ noſtræ milites, quorum nomina“ ſubſcripſimus, hi examini & cenſuræ Ampliſſimi Collegii Philoſophici ſeſe ſubjecerunt, morumque & ſtudiorum ſuorum“ progreſſus Dn. examinatoribus comprobarunt, & propterea digni exiſtimati ſunt,“ qui prima Philoſophiæ Laurea ornentur“ atque coronentur.“

Quare cum iſtorum renunciatio citra“ publicam ſolemnitatem fieri nequeat; “ Magnificum Dn. Rectorem, Reverentia,“ Nobilitate & virtute præſtantiſſimos Dn.“ Profeſſores, Nobiliſſimos itidem & ornatiſſimos Dn. Studioſos, reverenter, amanter, officioſeque rogamus: ut cras hora“ ſeptima, aut præterpropter, ad campanæ ſcilicet ſignum, in auditorio Philoſophico comparere, ſua honorifica præſentia, actum hunc Philoſophicum exornare,“ ſtudium & amorem ſuum in facultatem“ Philoſophicam declarare, aliis denique“ ad idem præſtandum calcar addere, non“ dedignentur. Quod officium grata mente celebrabimus, & quavis data occaſione, referre ſtudebimus. B. V. P. P. Altorf I.“ XIX. Dec. anno MDCXIV.“

Nomina Candidatorum.

GEORGIVS QVECCIVS Altorphinus.
DANIEL HATZKIVS Thuringus Griſænas.
CORNELIVS MARCI Noribergenſis.
PAVLVS LAVTENSACCIVS Noriberg.
CVNRADVS HATZKIVS Thuringus Griſænas.
JACOBVS RENNERVS Schmalfeldenſis Marchionicus.
BARTHOLOMÆVS LAVRENTIVS AGRICOLA Noriberrgen.
JOHANNES GEORGIVS PACHMAIERVS Styrus Græcenſis.

quo tamen labore facile primas tulit *Marcius*, cujus unius omnium plurimæ ad *Peuſchelium* poſtea repertæ ſunt, de rebus domeſticis & Socinianis in patria, epiſtolæ. Secundas tribuimus *Lautenſackio* a) haud paullo minus diligenti in ſcribendo, tertias *Cobio*: cæteri enim in eo ſtudio ſegniores erant. Quem etiam in finem Cap. II. jam obſervatum eſt, communicatum cum illis fuiſſe *Nominum*, uti nonnunquam vocabant, *myſticorum Indicem illum*, ſuperiori capite illuſtratum, ut tutius, & ſine periculo, ſi quando ſecreta perſcribere vellent, officio hoc amicitiæ perſungi poſſent. Inter eos autem, qui *Altorphio* abſceſſerant, nemo magis, communicatis invicem conſiliis litteriſque ſcriptis, ſuam probavit ſedulitatem, quam *Vogelius* noſter, & hunc vicisſim exacte de rebus omnibus certiorem fecit *Peuſchelius*. Neque vero etiam *Richterus* ſuis defuit interea, dum *Helmſtadii* commoraretur, partibus, b) atque his tandem acceſſerant quoque cætera majora *Socinianæ ſectæ* lumina, nominatim *Crellius* & *Gittichius*, cum *Ruaro*, proxeneta infelicisſimo, rerum ſuarum ſatagentes, argumentaque & conſilia defendendæ & conſtabiliendæ hæreſeos identidem ſubminiſtrantes. Hactenus de *litterarum* continuato inter abſentes *commercio*.

§. V.

Non minora præter hæc fuere ſolertiæ & ardoris *in diſputando* documenta ab utroque illorum, de quibus heic agimus præcipue, *Vogelio* nimirum & *Peuſchelio*, Theologiæ ſtudioſis emiſſariis, edita. Reſpondendo equidem ſolum *Vogelium* ſe Wittebergæ exercuiſſe, *Jac. Martini* Præſide, ſcimus, cujus in *Diſp. VII. de Meſſia* nomen tanquam Reſpondentis ſubſcriptum comparet. Et quamvis in ipſa diſſertatione non temere occurrant, quæ defendenda Reſpondens in ſe illubenter forte videri posſit ſuſcepiſſe; Tamen prohibere in eodem ſchediaſmate non potuit clandeſtinus *Socini* aſſecla, quo minus *tria* hæc *Corollaria* ſubjungeret ex more Præſes:

1 Peccatum originis revera dari, contra Pelagianos & Photinianos affirmamus.
2 Primum hominem, quamvis non peccaſſet, ipſo actu moriturum fuiſſe, contra eosdem pernegamus.
3 Chriſtum Salvatorem noſtrum pasſione & morte ſua pro peccatis humani generis Deo plene ſatisfeciſſe, atque ſic eidem gratiam Dei vitamque æternam promeruiſſe, credimus.

Ea

a) Sed nutanti duntaxat, ut ſupra Cap. II. extremo oſtendimus, & mature, ſi qua labe fuit contaminatus, reſipiſcenti.

b) Cujus vero litterarum quicquid reſiduum fuit, prorſus diſparuit.

Ea vero, quam bene, quam lubens, quove animo denique, non dico approbaverit, a) sed defenderit *Vogelius*, nunc quidem non definimus. In sequentibus enim, id spes est, evidentissime demonstratum iri. Jam, quo pacto potuerit, inter tot vehementes veritatis oppugnationes, ad tempus non exiguum latere, vel ex horum Corollariorum defensione, exercitii gratia haud dubie suscepta, (ipse enim horum nihil usquam meminit,) nullo negotio intelligi potest. Opponendo autem, & quidem etiam vicaria pro aliis opera, uterque tanta industria tantaque assiduitate exercuit Theologorum celeberrimorum studia & eruditionem, ut non semel in suspicionem ambo, quasi serio caussam hæretici erroris agerent, ipsismet præceptoribus suis, non obstantibus aliis prorsus contrariis testificationibus, venerint. Eaque occasione supra quoque meminimus, *Libellum* istum *Mart. Seidelii*, hostis Jesu Christi, si quis alius, sceleratissimi, productum adhibitumque, ac tandem *Jac. Martinio* requirenti traditum b) esse. Hoc vero in loco, ne quid deficiat, in totius historiæ serie contexenda, breviter repetimus præcipua; ita tamen, ut malimus ea paullo dilucidius ipsius *Vogelii*, quam nostris verbis eloqui plenius: „Vnter Herrn Jacobo Martini, „scribit, c) hab ich im Collegio privato eine Disputation contra Ju- „dæos gehalten, und den Herrn Scholarchis dedicirt. Ist in selbigem „Collegio die achte: d) Dieser mein Herr Præses hielte mich hoch, und „begehrte einsmal, als ich ihm in den Genealogiis etliche difficultæten „wiese, welchen er nicht gewachsen war, ich solte ihm doch sagen, wo- „her ich allezeit pro Judæis so gute Argumenta næhme; Darauf gab ich ihm

a) Etsi enim non deesse poterant, quibus, ut sunt verbis comprehensa, & non satis provide limitibus necessariis cunctis circumscripta, in suam quoque sententiam ea *Vogelius*, ad *Socinianorum* mentem, raperet, interpretationes, v. g. de *Peccato* (seu morbo potius) geniali, *minus proprie* sic dicto, de primo homine *natura* mortali, sed divina *singulari* gratia ab (*actuali*) morte præservando, de *Satisfactione* item *voluntati* Patris plene propter homines præstita, & orto hinc qualicunque merito in commoda eorum redundante; non tamen certum est, lubensne illa defenderit *Vogelius*. Exercitii vero gratia, &, ut tanto *tutior* esset, cum has Theses tueri non abnuisse, quam sincere & ex animo, potius credimus.

b) Quis titulus fuerit, vid. infr. §. 26.

c) In perbrevi Curricul. Vit. a CL. D. *Gundlingio in Gundling*. P. I n. II. f 40. sqq. quantum ad ea, quæ ad hanc historiæ partem attinent, typis subjecto.

d) Error calami aut memoriæ notandus. Septima enim est disputatio; octavam vero d. 2. Decembris habuit *Christophorus Leo*, Stargardiensis. Has vero Disputationes omnes omnino decem numerari, earumque Imam A. 1615. d. 22. Julii, postremam autem A. 1616. d. 13. Januarii publice ventilatas esse, nobis ex primis exemplaribus, a *Vogelio* ipso collectis, bene constat.

ihm ein geschriebenes Buch, dessen Titel war: *Fundamenta Religionis Christianæ.* Es waren darinnen alle Oerter der heiligen Schrifft, so aus dem Alten Testament in dem Neuen angezogen waren, examinirt und auf sensum litteralem a) gezogen, dass sie nicht bewiesen, wozu sie die Evangelisten anziehen, waren auch andere Sachen, die der Christl. Religion zuwider lauffen, darinnen begriffen. Er verhiesse zwar, er wolle mir das Buch wieder geben, behielt es aber bey sich, und unterstunde sich in seinem dritten Buch de tribus Elohim dasselbige zu refutiren, da er meiner suppresso tamen nomine b) gedencket." Hactenus *Vogelius.* Nam quæ reliqua sunt, ex Cap. præcedente addiscantur. Jam porro, quid *Altorphi* interea actum sit, explorare animus est. Parum heic, post *Vogelii* & *Peuschelii* discessum, in Theologicis disputatum, vel quod, qui relicti essent fratres, non tam animosi aut ore promti fuerant, ut aperto, sicuti priores, Marte cum *Schoppero* cæterisque Theologis congrederentur: vel quod mallent delitescere, quam intempestivo strepitu recondita adhuc arcana in apricum proferre. Idque tanto est verisimilius, quanto plus jam ante disputatio illa cum *Schoppero* A. 1613. suspicionis moverat, quæ consopienda magis, quam augenda videbatur; Ruaro præsertim absente, cujus nutu pleraque, quæ erant altioris indaginis, agitabantur. Non tamen *Dümlerus* & *Marcius* pigrati sunt, maxima industria in confirmandis complicibus elaborare; ut ex frequentibus epistolis, quarum hinc inde excerpta dedimus, liquet. Horum quoque plurimi adhuc pertinaciter a S. Cœna abstinuerunt, conventiculisque & mutuis adhortationibus c) sibi invicem opitulabantur. In eaque conditione rerum plane ancipiti permansere omnia, donec medio circiter anno sequenti CIϽIϽCXV. magis magisque in lucem protrahi atque emanare impietatis hæc mysteria, huc usque tam solicite abscondita, Dei beneficio cœperunt. Quod quum formidarent commilitones hi, in caussa pessima, præcipui, *Lipsiæ* aliquando deliberandi caussa convenisse videntur. Invitatio certe *Vogelii* d. III. Julii 1615. ad *Peuschelium* scripta, in qua etiam de *Soneri Metaphysica*, utrum typis excusa

a) Forte *sensum litteræ* dicere aut scribere volebat *Vogelius.* Notum enim est ex epistolis istius *Seidelii* ad *Cœtum Racoviensem*, hoc cum præcipue argumento contra Christianos omnes pugnasse: Si Prophetæ regnum Messiæ *mundanum* promiserunt, sequitur, scriptores N. T. illos falso esse interpretatos &c. Unde profecto, dicta V. T. *Seidelium* hunc eo modo, ut Judæi solent, intellexisse, elucet h. e. terreno & carnali.

b) Conf. supra Cap. II. lit. M.

c) Atque has etiam *Communiones* olim dictas identidem sec. magistri, *F. Socini*, men-

excusa sit, nec ne, solicite inquirit, quondam præsto fuit, inter reculas *Peuschelii* inventa, & *Vogelium* quoque eo ad tempus excurrisse, *Philotheca* ejus nos edocuit. a) Plura vero de eo congressu comperta non sunt. Vtrum alios quoque in suas partes pellexerint, interea, dum hæc clam plerisque agerentur, non satis liquet. De *Vogelio* quidem certum est & exploratum, eum contubernali suo, *Christophoro Vffingero*, Noribergensi & Juris utriusque Studioso, *Wittebergæ* quædam suggesfisse, quæ & mentem juvenis, non male cæteroquin animati, valde turbaverant, & in discrimen ingens una cum ipso *Vogelio* deinde subeundum adduxerunt; b) Sed de *Peuschelio* hujusmodi quid distincte nondum innotuit. Ex ipsius tamen supellectile convasata colligi potuit, libros *Socinianorum* eum libenter commodasse aliis. Nominatim vero *Socini Explicationem Cap. I. Evangelii Johannis*, cum *Ostorodi Institutionibus*, *Valentino* cuidam traditam esse, in scheda quadam annotaverat. Similiter *Andream* quendam *Rabium Prælectiones Theol. Socini* cum *Anti-Puccio* a se accepisse, litteris consignaverat, *Caspari* vero *Flachio Impedimenta pietatis Germanica* subministrasse, ex iisdem schedis cognitum est. Quo fine etiam id factum sit, hominis de proferenda sententia, animo firmiter semel concepta, admodum soliciti studia abunde demonstrant. Sed horum tamen quemquam in suas pertraxisse partes, nondum accuratius innotuit. Quanquam vero & præcipuis Professoribus hac eadem opera inservire non dubitabat; nam & cum *Joh. Majore*, Superintend. Jenensium, *Acta Synodi Racoviensis MSta* se communicasse aliquando scripsit *Cobio*, & *Grawero* quoque Socinianorum libros eundem *Peuschelium* comparasse aliunde intelleximus; parum tamen ἐν τῷ μαθητεύειν profecit, divina providentia advigilante prohibitus, & satis habuit, quod interea sodalibus, de quibus rebus & qualibus argumentis disputatum esset, significare licuerit. Quam cumprimis operam & dabant sibi invicem & vicissim recipiebant, magnumque cœtui suo hoc modo se attulisse emo-

mentem, (cujus vid. ad *Matth. Radecium* epistola T. I. Opp. f. 373. sq.) inculcabant absentes segnioribus & meticulosis fratribus, quos *AltorphI* reliquerant: uti jam alibi observatum est.

a) Eamque ob caussam, quin revera coram illic de rebus suis consultaverint, non dubitamus: utut, præter hæc a nobis conquisita, sed subobscura indicia, nihil, per omnem hanc historiam, alias a quoquam observatum dictumque aut scriptum ea de re meminerimus.

b) Atque is intelligendus est, in epistola ad *Peuschelium* nominatus, cujus supra *L. Hutterus* quoque in ecloga ex eadem meminerat, cæteros vero plures attonitos & suspensos esse redditos, inde cognoverat.

emolumentum, miſeris perſvaſum erat. Ingens quoque *Vogelius* ſub initium anni 1615. periculum incurrit, cum a *Samuele Zenckero*, Dresdenſi, ablegatus aliquis obſcurus homo eum conveniret *Wittebergæ*, litterasque *Polonicas*, in quibus *myſtica* illa *nomina* a) itidem adhibita erant, veluti teſſeram amicitiæ exhiberet. Argumentum equidem litterarum quodnam fuerit, explorare non potuit *Vogelius*. At ipſe lator earum, de rebus Theologicis cum eo conferendi gratia huc ſe accesſiſſe, perhibebat, & a *Polonis Socinianis*, ut *Graueri* ſophiſmata dilueret, miſſum eſſe pertendebat. Qua de cauſſa etiam *Peuſchelii* amicitiam ſibi gratam fore teſtabatur, & ut ei commendaretur, rogabat enixisſime. Cum vero nonnulla cum hoc homine diſſeruiſſet *Vogelius*, a D. *Franzio* poſtea ſe comperiſſe, inquit, ipſummet *Zenckerum* eum, qui litteras attuliſſet, coram præſentem fuiſſe: cui, cum neſciret, quantum fidei habendum eſſet, pæne doluit *Vogelio*, quædam ei ſecreta quod patefeciſſet, atque hinc diu, male ſibi id colloquium doloſum eventurum putans, animi angebatur. b)

§. VI.

Vtcunque vero hæc ſint, illud tamen certum plane & exploratum eſt, hoc eodem anno CIↃIↃCXV. paullatim, hæreſin execrabilem intra præcordia ſerio iſtos homunciones alere, magis percrebuiſſe, atque ex eo quoque tempore inquiri in arcana iſthæc ab *Inclyto Senatu Noribergenſi* operoſius cœpiſſe. Quo indice primum hæc res patefacta ſit, tantis ſimulationibus huc usque mirum in modum occultata, pro certo non affirmamus. In calumniatorem quendam acerbis querelis invectum eſſe *Peuſchelium*, paullo poſt ex ejus *confeſſione* & epiſtola, ad *Illuſtrem Senatum* perſcripta, c) elucebit. At quis ille fuerit, in quem digitum intendat, itidem latet. *Herrenſchmidium* aliquem d) detexiſſe conſenſionis pravæ myſterium, ab *amico* quodam venerando accepimus; ſed fundamenta ſolidiora, quibus id adſtruatur aut explicetur accuratius, adhuc deeſſe fatemur. Nonnulli, *Joh. Saubertum*, Sen., hac de re certiorem feciſſe Reipubl. patriæ Proceres, minori veriſimilitudine perhibent. Alii alios per conjecturam, perutili hoc labore defunctos, exiſtimarunt, quos enumerare nihil attinet. Omnium

a) Sigillatim vero ipſius *Vogelii* adſcititium.

b) Neque etiam deinceps, qua via homuncio ille nominum fictorum notitiam adeptus ſit, & quo conſilio iſtæc acta fuerint, quod ſciamus, perſpectum compertumque fuit.

c) §. VII. proxime ſubſequente ex parte excuſa.

d) Idemne fuerit *Georgius Herrenſchmid*, Oetin-

um autem verisimillimum est, *Albertum Grawerum*, ea de re, postea quam *Peuschelius* fere sine dissimulatione caussam pessimam *Jenæ* tueri cœperat, *Noribergenses Theologos*, aut *Proceres Reipubl.* ipsos *splendidissimos*, certiores fecisse. Ita certe, *eundem Grawerum ad Nobiles Curatores Noribergenses scripsisse*, & *Lonicerum* seu *Corn. Marci*, tanquam singulare quid *Peuschelio* d. 7. Septembris A. 1615. id significasse, in epist. quadam MSćta a) legimus. *Onesimus* vero, h. e. *Joh. Cobius*, eodem mense d. 28. eidem *Peuschelio* renunciavit, *tantam esse contra ipsum in patria civitate animorum commotionem concitatam, ut, si præsens esset, ne lapidibus obrueretur, metuendum foret.* Idemque *Cobius* eam ob rem iterum iterumque amice eundem adhortatus est, ut, *si rescriberet, manum*, quoad ejus fieri posset, *mutaret suam*, aut *alterius amici opera*; manuque & charactere *uteretur*, ne tanto discrimini reliquos etiam sibi familiariter conjunctos redderet obnoxios. Qua ipsa epistola denique, ut, *si alia non liceret ratione, in scribendo, uti permutati alphabeti scriptionem adhiberet*, *Cobius* eum obtestatus, atque, se vicissim simili methodo in rescribendo usurum, pollicitus est. Hæc gesta sunt non multo post, quam *Inclytus Magistratus Noribergensis* de beneficiario suo, tanta fide sibi obstricto, certius jam talia edoctus, superiori mense, die videlicet 2. Augusti A. 1615. litteras publica auctoritate ad *Peuschelium* dederat: in quibus, ut fidei rationem redderet, & ad capita quædam religionis proposita candide responderet, injunctum ei fuit. Cujus epistolæ, haud dubie ab ista non discrepantis, exemplum deinceps in *Vogeliana* ad similem confessionem exhortatione, quam solam inter schedulas nostras asservamus, producemus. b) Porro dum hæc agebantur, neque parentes *Peuschelii* cessabant, quoquo modo possent, in revocando ad saniorem mentem filio, anxie allaborare. Quorum litteræ obtestationum non minus, quam demonstrationum ex adverso erroris pestilentis, plenæ inter ejus impedimenta postea in museo sunt repertæ. Quid vero inter hæc *Ruarus*?

Oetingensis, qui præside *Schoppero* A. 1610. de *Libero Arbitrio* disputavit *Altorphi*; an alius, & *Eberhardus* forte *Herrenschmid*, qui A. 1613. Altorphium studiorum gratia die 16. Augusti ingressus est, non pronunciamus.

a) Seu potius excerptis, ex *supellectile Peuscheliana*, in qua & epistolæ permultæ numerabantur, adornatis: quibus & sequentia continebantur, ipsissima scribentium verba, quæ ut discernantur, typis, ut vocant, *cursivis* exscripta sunt, & inposterum quoque exscribeantur, exhibentia.

b) Ac proinde, ut quæ fuerint propositæ, ad confessionem eliciendam, quæstiones, sequentem §. XIVum conferre heic opus erit.

rus? Nihil ille reliquum faciebat, quo in ſententia impia, ſua quoque opera dudum confirmatus, bonus *Peuſchelius* magis magisque e longinquo obfirmaretur. Et quod ad parentes ejus attinet, contra illos dudum aliquid pravi eum ſuſpicatum eſſe, dubio caret. Id quod ex litteris *Ruari* colligimus, quibus *Jenam* perſcriptis, jam d. XI. Auguſti A. 1614., *bono animo eſſe* corruptor iſte bonarum mentium *juſſit* filium: *Neque enim duriora a patre ſe metuere*, ait; *Quodſi vero præter ſpem & opinionem is perſtiterit in animi ſui pertinacia*, a) *ferendum eſſe, quod mutari non posſit. Quis ſcit*, addens, *cui bono noſtram Deus patientiam exercere, an tentare fortitudinem voluerit? Tu modo vide, ut nihil temere, nihil præcipitanter agas; ſed omnia conſulto ita fiant, ut etiamſi ad naufragium res ſpectet, tanto fidentius auxilium eorum appellare posſis, quorum conſilio ad ſcopulum illum delatus adhæſeris.* Hæc *Ruarus* in epiſtola MSᶜta, poſtquam vix *Jenam* adventarat *Peuſchelius*, ex ipſa Sarmatia, ſubminiſtrabat plus quam deſperata conſilia. In *alia* vero *epiſtola*, typis nunc impreſſa, b) cum jam longius proceſſiſſent illæ difficultates, eidem amico motæ, ſub finem A. 1615. *Argentorati* c) exarata, *vere, quod ſcripſiſti*, inquit, *inter ſacrum & ſaxum ſtamus, & bene quidem ageretur, ſi nos in victimam ſoli peteremur: ſed valde vereor, ut ſine ſuccedaneis hoſtiis litari posſit. Tibi ſvadeo, ſi plauſtrum* d) *omnino percellendum eſt, ut hoc agas manibus pedibusque, quo posſis ad cauſſam coram Senatu dicendam admitti, priusquam in exilium exigaris: ſed quoniam hoc difficulter fortasſis obtineri poterit, dum animi recentia ulcera omnem manus tactum reformidant, procraſtinandum exiſtimo negotium, diemque de die ducendam, donec exoſi nominis aſſvetudine æquiores judicum aures invenias.* Ex quibus poſtremis pluribusque hæc ſequentibus verbis, (quæ conferre non pœnitebit,) pertinaciæ quoque fraudulentiam adjungendam ſvadentis animum peſſimi hujus conſiliarii L. B. luculentius, puto, agnoſcet, & quo ſpiritu ductus ſit

 Ruarus,

a) Exhæredationem & ſimilia mala procul dubio filio comminatus, & nervi rerum gerendarum, unde vitam in Academia continuare poſſet, ſubtrahendi, niſi ad ſaniorem mentem rediret, formidine incuſſa: ac paterno proinde officio pro virili ſua parte bene defunctus. Quod idem deinceps quoque identidem teſtatus eſt, cum myſterium jam impietatis detectum eſſet.

b) Quæ Cent. II. num. IX. f. 61. exhibetur, atque his demum, luce quaſi accenſa, accuratius jam cognitis, intelligi poterit.

c) Huc enim *Ruarus* ex *Polonia* reverſus, poſt brevem in *Altorphino Athenæo* moram commigraverat, uti ſupra Cap. I. & II. jam copioſius commonſtratum eſt.

d) Quale *plauſtrum* innuat, & cur hoc vocabulo utatur *Ruarus*, Cap. III. hujus Sect. I. adhuc condocebimus.

Ruarus, aperte intelliget. a) Sed præſtat ad ipſum *Peuſchelium* reverti: a quo quid reſponſum ſit *Illuſtribus Acad. Altorphinæ Curatoribus*, ad litteras ſuperiores ac propoſitas in illis quæſtiones XII., nunc amplius enarrare par eſt.

§. VII.

Longior eſt *Reſponſio* ad articulos ſingulos reddita, qua membratim quidem, at ſenſu prorſus *Sociniano*, mentem ſuam is explicavit. Cujus quia incruſtandæ adſtruendæque b) omnibus viribus hæreſi potius, quam abdicandæ, ab auctore fuere, quicquid etiam ſubterfugii hinc inde quæſiverit, adornata pleraque, cum propter ſumtus minuendos, tum etiam offendiculi vitandi gratia, cætera conſulto omittimus. *Epiſtolam* vero præmiſſam generalem, plenam callidarum diſſimulationum & ambiguitatum, totam cum B L. communicare non dubitamus. Ita vero habet ejus integer contextus: c)

„*Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis & Prudentiſſimis Viris, Dominis*
„*Scholarchis, Dominis Mecœnatibus ſuis, multis nominibus æternum co-*
„*lendis, Gratiam & pacem a Deo Patre per Jeſum Chriſtum*
„*precatur*

„JOACHIMUS PEUSCHELIUS.

„*Non dubito, Viri, admodum Magnifici, Viri Nob. Ampliſſ. & Prudent.* „*quin Rumores illi, delationes item & accuſationes variæ, de Sociniani-* „*ſmo a me tum publice in diſputationibus, tum privatim in colloquiis vel* „*approbato, vel adamato, vehementer animos veſtros perculerint, atque* „*etiamnum percellant. Et quis accuſationibus tam multis, tamque terri-* „*ficis non animo toto commoveatur? Sed cum vos pro æquitate ac pruden-* „*tia veſtra cogitetis, nullam neque in dictis, neque in factis innocentiam* „*ullius hominis futuram, ſi accuſaſſe ſufficiat, defenſionem legitimam,* d) „*benignam item patientemque audientiam nulli unquam reo, & proinde nec*

a) Quo multo melior, ſi candorem ſpectes, fuit *Crellius*, qui A. 1614. d. XXV. *Decembr.* ad eundem exarata epiſtola haud diſſimili modo, ſed aperta fronte, ut in *veritate agnita perſeveraret* immotus, *Peuſchelium* ſolicite cohortatus eſt.

b) Non ſine ſale interdum interſperſo & petulantia ac pæne dixerim inſolentia, *Socinianis* haud inſolita.

c) Cum quo, ne perirent, annotationes quasdam a b. *Schrödero* in noſtro exemplo ad marginem inter perlegendum allitas, ἐκ αὐτογράφȣ viſum eſt conjungere: quibus & litteras *Schr.*, ut a noſtris dignoſci poſſent, præfigendas putavimus.

d) Egregia defenſio, quæ *innocentiam*, ſi diis placet, *profeſſione* aperta hæreſeos, cum animi in eam prorſus demerſi obſtinatione contumaciſſima, belle demonſtravit.

nec jam mihi in caussa præsertim tam gravi, tamque sancta, qualis hæc" mea est, quæ affectibus & præjudiciis humanis facillime præter meritum" suum gravari potest, denegandam esse non minus sapienter, quam pie ju-" dicastis. Sic enim omnis justitia, æquitas & leges tam divinæ, quam hu-" manæ, tam Judæorum quam Christianorum & gentilium postulant. Hinc" illud Nicodemi Joh. VII, 51. pronunciatum θεόπνευστον: *Nunquid lex no-" stra judicat hominem, si non audierit ab ipso prius & cognoverit, quid" faciat? Non sine caussa a Sp. S. sacro codici insertum, & ad omnem poste-" ritatem ac futuri temporis memoriam æternam & immortalem transmis-" sum est. Hinc etiam illud, gentilis alioqui & extra politiam Israëlis con-" stituti Judicis* παντὸς χρυσοῦ χρυσότερον *effatum a Sp. S. albo calculo nota-" tum: Act. XXV, 16. Non est consvetudo Romanis, damnare aliquem" hominem ad perditionem, priusquam accusatus ad conspectum habeat ac-" cusatores, locumque defensionis accipiat de criminatione vel ad abluenda" crimina. Vnde veteres Romani sapientissimi, adversario, ut actori, duas;" accusato, ut reo, tres ad dicendum horas indulgebant. Et nemo sane hoc" jus Christianis eripiet, nisi qui omnem justitiam, æquitatem & leges tum" divinitus tum humanitus traditas, adeoque Deum ipsum oppressum &" perditum it Antichristus, aut aliquis Spiritu illius afflatus. Hisce præ-" missis ad litteras Vestrarum M. M. N. N. & A. A., quas per tabellarium" Lipsiensem ordinarium accepi, accedo, ad quas* εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς *eas-" dem percurrendo pro necessitate respondebo. Quod dum facio,* Vos Nobilissimi et Amplissimi Proceres, *vacuas & patientes aures" mihi, ut præbeatis, etiam atque etiam rogo. Ac primum quidem ajunt"* Viri N. N. et A. A. *renunciatum sibi esse, quomodo unus & alter ex" Stipendiariis suis ad hæreses Ebionis, Samosateni & Photini inclinent" iisque faveant. Quæ verba cum legerem, frontem nimis sane mollem &" perfrictam adversarii * & mei apud* Vestram Amplitudinem *ac-" cusatoris permirari subiit. Quin immo vanitatem, falsitatem, stultitiam, stu-" porem & inscitiam ** illius non potui non ridere. Ebionis hæresi me favere" dicit, cujus ignorantia ille plusquam supina laborat.* a) *Et tam vera est hic il-" lius*

* Schr. *Fingit Adversarium, quem non habet.*

** Schr. *En specimen sanctimoniæ, quam infra jactat.*

a) Quo jure hæc exaggerentur tantopere, p. p. dicemus. Nunc, quam periculosum sit, *parallelismum*, ut vocant, *hæreticorum*, quemadmodum multi solent, instituere, vel hoc, quod præ manibus est, exemplo, demonstramus. Quamvis enim non omnino inutilis ea sit comparatio, si de utriusque partis sententia recte constet, ut ab errore tanto magis alii caveant, & errantes gravius redarguantur; perfacile tamen non solum ignorantia, præjudicatæ opiniones, ostentatio, odia, vindictæ cupiditas, invidia, (a qua & hoc argumentum inter

„*lius accusatio, quam verum est cœci de coloribus judicium. Quod ut verum* „*esse appareat, & quantus error & lapsus* a) *cum calumnia nimis gravi in ipso* „*accusationis limine commissus sit, paucissimis illud ὀφθαλμοφανερῶς demon-* „*strabo. Vos quoque,* PATRES CONSCRIPTI, *moram breviculam ne ægre* „*feratis. Sic igitur Irenæus L. III. c.* 23. *de Ebionæis scribit: Non ergo vera est* „*quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: Ecce* „*adolescentula in ventre habebit & pariet filium; quemadmodum & Theo-* „*dotion est interpretatus Ephesius, & Aquila Ponticus, utrique Judæi pros-* „*elyti, quos secłati Ebionæi ex Joseph generatum eum dicunt. &c. Cui con-* „*sentiens, quod ad Ebionem attinet, Eusebius L. VI. c.* 16. *Hist. Eccl. Wolff.* „*Musculo Interprete, sic ait: Sciendum vero est, ex Interpretibus illis Sym-* „*machum fuisse Ebionæum. Est autem hæresis illa, Ebionitarum sic dicta,* „*eorum, qui Christum de Joseph & Maria natum dicunt, & nudum esse* „*hominem putant. Idem Eusebius L. III. c.* 24. b) *dixerat, Ebionæos ju-* „*dicasse, Christum simplicem & communem hominem fuisse, ex viri & Ma-* „*riæ consvetudine natum. Subjungit quidem eodem loco Eusebius alios ejus-* „*dem appellationis non negasse ex Virgine & Spiritu S. natum fuisse Domi-* „*num, tametsi ante carnis nativitatem verbum sapientiamque fuisse non con-* „*fiterentur. Verum & primos & potiores Ebionitas, Josephum Christi pa-* „*trem revera esse dixisse, ibidem satis apparet, & simplici Ebionitarum* „*appellatione ejusmodi homines, qui id sentirent, intelligi sec. Eusebium de-* „*bere, ex altero a me recitato loco manifestum est. Nec vero ii, qui, ut idem* „*Eusebius vult, licet in hoc ab istis dissentirent, ejusdem tamen appellationis* „*erant, ideo Ebionitæ vocabantur, quod interim una cum illis Christum ab* *æterno*

inter ea, quæ ad invidiam movendam faciunt, locum est adeptum,) ac similia vitia subrepunt, sed etiam adversariis, quod nostro inprimis exemplo doceri potest, optabilis sive digrediendi via, sive elabendi rima, aperitur.

a) Magistrum, in hac tam operosa invidiosæ hæreseos amolitione, sequitur *Peuschelius*, F. *Socinum*; qui pari modo in nomen hoc *Ebionitarum* acerbe invehitur, partim in *Explic. P. I. Joh I. Cap.* partim *in Solut. scrupul. n.* 3. itemque in *Resp. ad Volanum* altera, & alibi sæpius. Vbi interdum, *Ebionem* aliquem etiam unquam extitisse, non obscure negat. Adde *Stephan. Curcell.* Diss. de *Voc. Trinit. contra Maresium* §. extremo, atque reliquos; quorum nonnulli, ut P. *Jurieu, Rich. Simon, J. Clericus, Joh. Rhenferdus* & *G. Arnoldus* ex professo inter fictas hæreses totam fere historiam *Ebionitarum* retulerunt, idque nomen veris Christianis nonnulli per contemtum impositum esse, uti forte hoc sensu in *Belgio* quondam Evangelici die *Geussen* dicti leguntur, suspicati sunt. Conf. de hæresi Ebionitarum *Mich. Siricius, Sam. Schelguigius*, & qui alias de ea commentati prostant.

b) Cap. 27. forte innuere voluit, ubi ex instituto de hæresi *Ebionæorum* agitur, sed simul in eo quoque hos homines hæreseos insimulatos docet, quod μόνον ἄνθρωπον Christum fuisse docerent; idque *Peuschelius* dissimulare non debuisset.

æterno fuisse negarent, sed, ut ibidem Eusebius docet, quod illos imitantes," *omnino legis Mosaicæ observationem retinendam esse statuerent, quodque*" *omnes Pauli epistolas rejicerent. & Evangelio tantum, quod est secundum*" *Ebræos uterentur. Nam & Ireneus prædicto loco de Ebionæis sic scri-*" *ptum reliquit: Solo autem eo, quod est secundum Matthæum Evangelio*" *utuntur, & Apostolum Paulum recusant, Apostatam eum legis docentes.*" *Quæ autem sunt prophetica, curiosius exponere nituntur, & circumcidun-*" *tur, ac perseverant in iis consvetudinibus, quæ sunt secundum legem, &*" *Judaico charactere vitæ utuntur, & Hierosolymam adorant, quasi domus*" *Dei sit. Accedat & huc Hieronymi testimonium, qui in epistola ad Au*" *gustin. cujus initium est: Tres simul epistolas &c. sic scribit: Si hoc ve-*" *rum est, in Cerinthi & Ebionis hæresin delabitur qui credentes in Christo,*" *propter hoc solum a patribus anathematizati sunt, quod legis ceremonias*" *Christi Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non*" *amitterent. Miror vero, cur Cerinthum * non adjunxerit, ut ita vani-*" *tas vanitate adaucta fuisset; de quo Ireneus L. II. c. 25. ut quidem in la-*" *tinis codicibus legitur, sic scribit: Jesum autem subjecit non ex virgine*" *natum, impossibile enim hoc ei visum est, fuisse autem eum Joseph & Ma-*" *riæ filium, ut reliqui omnes homines & plus potuisse justitia & pruden-*" *tia & sapientia præ omnibus, & post baptismum descendisse in eum Chri-*" *stum, ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ & tum*" *annunciasse incognitum patrem & virtutes perfecisse: in fine autem ite-*" *rum revolasse Christum de Jesu & Jesum passum esse, resurrexisse, Christum*" *autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem. Hactenus Irenæ-*" *us. Quæ quia cum prius dictis conveniunt, & alias ab aliis Cerinthi &*" *Ebionis dogmata, in unum compingi solent, adscribere simul non piguit.*" *Quanquam in eo etiam vanus & futilis est Antagonista meus, quod Ebionis*" *tanquam singularis alicujus hominis, sicut Samosatenus & Photinus fuit,*" *meminit, cum tamen talis nunquam fuerit, quicquid etiam ab Hieronymo* a)"

Fff *& aliis*

* Schr. *Quia satis erat, Ebionem nominasse, qui diserte eam negabat.*

a) Recte b. *Ittigius* de *Hæresiarchis* Sect. I. Cap. VI. *Non obstat,* inquit, *quod Irenæus cæteros hæresiarchas nominatim perstringens, Ebionitarum quidem pluribus in locis, nusquam vero Ebionis, meminerit. Quoties enim Irenæus Ebionitas, nominat, eos non minus, ac plerosque cæteros hæreticos, ab autore suo ita cognominatos, insinuat.* Qui & in sequentibus, *Eusebii* ad paupertatem mentis allusionem, a fundamento primario denominationis, distingvendam esse, non male docet. Quod reliquum est, miramur, ad *Hieronymum* h. l. provocantem *Peuschelium*, in eo (modo ipsummet inspexerit) loco, ad quem respicit, non observasse, quod idem Cap. CVII. L. *de Script. Eccl*, ubi de *Photino*, Sirmiensi Episcopo, agit, de eodem, *Hebionis eum hæresin instaurare conatum*

„*& aliis multo antiquioribus contra ſcriptum legatur. Certe Irenæus iſtis „omnibus antiquior, qui alias hæreſiarchas omnes nominatim perſtringit, „Ebionæorum ſive Ebionitarum pluribus in locis mentionem facit, ſed Ebio-„nis nusquam. Et Euſebius non quidem ab Ebione quopiam dictos fuiſſe Ebi-„onitas, ſed a mentis & intelligentiæ paupertate, quod Ebion Hebræis pau-„perem ſignificet, aperte teſtatur, prædicto cap. XXIV. L. III. Atque idem „clare intelligi poteſt ex epiſtola ad Philadelphienſes, quæ Ignatii nomine cir-„cumfertur, ut quidem in Græco exemplari ſcriptum invenimus : Nam in „latina editione is locus aliter legitur, & vulgatam potius de Ebione opinio-„nem confirmat. Et hæc de hæreſi Ebionis, ubi fortasſis longius, quam de-„bueram progreſſus ſum, quod tamen non tam mihi, quam adverſario, qui me „injecta quaſi manu eo pertraxit, imputandum. Quid autem hæc deliria ad „me? An ego unquam illorum, ſive publice ſive privatim defenſionem, & qui-„dem ſerio ac ex animo ſuſcepi? Aut oſtendat hoc ἀντίπαλος meus, aut va-„nitatem ſuam agnoſcat. Et tantum abeſt, ut hos errores approbem, aut illis „faveam, ut potius tanquam ſomnia & σκύβαλα Judaica, ad nominis Jeſu „Chriſti contumeliam facientia rejecerim & ſemper damnarim. Excipiet „adverſarius, aut quisquis alius illius nomine, quia Ebion cum Photino & Sa-„moſateno in neganda natura filii Dei æterna & divina conveniat, licet in ali-„is ab iisdem disſideat, merito tamen iis accenſeri, & ſic, qui Samoſateni aut „Photini hæreſes approbet vel eis faveat, etiam Ebionis hæreſibus favere, dici „poſſe. Sed præterquam, quod ſupra oſtendi, Ebionitas non propter hoc, ſed „propter aliud * ſic appellatos fuiſſe, manifeſtus eſt etiam Elenchus a ſecun-„dum quid ad ſimpliciter. Non enim, quia in quadam re, ** una ſecta cum „altera convenit, ideo quis ab ea denominandus eſt. Sic Pontificii eſſent Lu-„therani & Calviniani, & hi illi viciſſim, quia in dogmate Trinitatis & dua-„rum in Chriſto naturarum aſſerendo conveniunt. *** Sic omnes Arriani, „quia in unitate Eſſentiæ divinæ aſſerenda cum illis conſpirant. Sic Ar-„miniani **** in Hollandia Lutherani, quia in Articulo de Prædeſtinatione „cum illis concinunt. De Samoſateno & Photino infra in Confesſione ſeque-„tur. Hæc fuſius propter adverſarium meum. Nullum enim hic effugium commi-*

tum eſſe, afferat. Quem ſi ſecutus eſt is, quem *Peuſchelius* hic ſibi fingit delatorem, non profecto ſatis cauſſæ fuit, cur in eum, tanquam ineptum calumniatorem, eapropter tantopere inveheretur.

* Schr. *Et propter hoc, & propter aliud.*

** Schr. addidit : ἑτεροδιδασκαλία. & ad marginem adſcripſit : *Quidni? Exemplum habes Act.* 23. *etiam in orthodoxia.*

*** Schr. *Ita ſane Photiniano liceret loqui;* additque p. p. *Denominatio talis non ſpectat ad communem orthodoxiam, ſed ad hæreticam* ἑτεροδιδασκαλίαν.

**** Schr. *Bene; etſi non ſimpliciter & in toto, attamen* κατά τι.

comminiſci poteſt, quin vel luculentum ac malitioſum mendacium, (quod cum"
præfatione veniæ & ſalvo honore veſtro dictum ſit) vel incredibilem ſaltem"
audaciam ac temeritatem ſuam, cum injuria mei nominis conjunctam"
agnoſcere cogatur. * *Sed ad alia propero, ubi, ne patientia veſtra abuti vi-*"
dear, ſuccinctior & brevior ero. Atque hic quidem recta ad confeſſionem"
meam a vobis requiſitam accedam, ſi prius dixero, me in nullius hominis, cu-"
juscunque etiam auctoritatis & eruditionis, ſed in ſolius Chriſti ** *verba*"
juraſſe, ceteris *** *autem usque ad aras, neque ipſis* (niſi) *propter ſcri-*"
pturas ſacras aut rationes ex eis deductas credere. Valet hic apud me il-"
lud nobile Philoſophi dictum: Amicus Plato, amicus Socrates, magis ami-"
ca veritas. Quia igitur juxta Petri dictum, ut rectiſſime M. M. N. N."
ET A. A. V. V. *monent, quilibet ad reddendam rationem ſpei, quæ eſt in*"
ſe, paratus eſſe debet, ego tanquam ſubditus & Cliens veſter humillimus,"
qui ingenuum ac rotundum pectus ſemper probavi, ne lucem refugere, ****"
& ita male agere videar, ad Chriſti gloriam & conſcientiæ meæ exonera-"
tionem, absque verborum involucris, tricis, eluſionibus & ambagibus,"
aperta fronte, aperto ore, aperto pectore, fateor, me poſt diligentem &"
altiorem hujus maximæ & tot ſeculorum diſputationibus celebris & per-"
vulgatæ controverſiæ, præmiſſa ardenti divini auxilii, invocatione, disqui-"
ſitionem, quæ in Theſi & Antitheſi, pro & contra, tum in ſcriptis dida-"
cticis, tum polemicis, tum etiam commentariis in Libros utriusque fœde-"
ris ſacros Theologorum noſtrorum movetur, pertractatur, diſcutitur, &"
excutitur: fateor, inquam, me poſthæc omnia factitata, primum, ſecun-"
dum, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum & duodecimum, a) *quæſita*"
propter varios eosque non leves ſcrupulos & dubitationes relictas, aut ex"
nullis ad quædam ipſorum adverſariorum argumenta datis ſolutionibus,"
aut datis iis inſufficientibus, neque plane affirmare, neque plane nega-"
re, ***** *(de reliquis quæſitis in generali reſponſione ad omnia proble-*"
mata ſequetur, quid ſentiam) ſed in medio conſiſtentem, noſtram & ad-"
verſariorum ſententiam juxta ſe ponendo (nam contraria juxta ſe poſita,"
magis eluceſcunt) tum privata tum publica diſcuſſione, vel cum clariſſi-"
mis Viris ****** *in hiſce materiis exercitatiſſimis & Theologis Vetera-*"

 nis

* Schr. *Miſere & impudenter hic homo nugatur.*

** Schr. *Forſan Socini aut Sonneri.*

*** Schr. *Cur igitur toties nobis auctoritates hominum opponis?*

**** Schr. *Quam ferme integrum ſexennium refugerat; nunc vero refugere non vult, quia non poteſt.*

a) Comparandus ergo p. p. §. XIV. & ipſæ quæſtiones propoſitæ inſpiciendæ.

***** Schr. *Quomodo ergo interim aliis tanto conatu tantas blasphemias obtrudere enixus eſt? Quorum & nonnullos ſeduxit.*

****** Schr. *Quinam illi?*

„nis, ex numero docentium: vel cum aliis doctioribus ex numero discen-
„tium, libere & ingenue veritatem, utpote illius studiosum & filium, in-
„quirere, certo persvasus, patrem cœlestem Spiritum sanctum, qui nos in
„omnem ducturus est veritatem, petentibus daturum & quicquid petieri-
„mus, in nomine filii sui nobis affatim largiturum; cum credentibus omnia
„sint possibilia: licet illud non simul & semel, in uno anno, mense, septi-
„mana, die vel hora, sed tum imbecillitate nostræ mentis, (quæ se ad veri-
„tatem recipiendam, veluti oculi vespertilionum ad solem, juxta Philoso-
„phum, habet,) tum diaboli & mundi insidiis ac præstigiis, tum denique
„peccatis nostris obstantibus, successive & temporis aliquo tractu interve-
„niente fiat. Interim omne Dei verbum scriptum toto corde amplector,
„ita ut nihil de Deo vel Christo tam magnificum & sublime,** itemque de
„aliis rebus tam certo scriptum sit,*** quod non ex toto corde credam;
„licet non omnem sive universalem, sive particularem, hujus vel illius loci
„sensum & explicationem ab his vel illis Doctoribus, sive primæ, sive me-
„diæ, sive ultimæ ætatis Ecclesiæ, statim probem, eique subscribam, sed vel
„prorsus repudiem interdum, vel de eo subdubitem, aut eum in medio re-
„linquam. Credo firmissime Deum patrem, filium & Spiritum Sanctum
„in baptismo Christi se manifestasse,**** baptizatum me esse in nomen
„Patris, Filii & Sp. S. &c. Christum esse Deum benedictum* a) *in secula, iti-
„dem firmiter credo; Spiritum Sanctum esse virtutem altissimi***** Luc. I.
„& XXIV. Capp. & a patre procedere Joh. XVI. pariter obviis ulnis ac-
„cepto, sed explicationem horum locorum, sive consequentiam ex illis dedu-
„ctam, qua Tres Personas una Deitatis essentia gaudere, Christum natura
„& eundem cum patre Deum esse, Sp. S. personam esse, probant, neque
„plane affirmo, neque plane nego,****** ob caussas supra dictas, & alibi
„latius, si quis requirere volet, exponendas. Quædam tamen in generali
„responso infra dicentur. Suspendite igitur,* V. V. A. A. *paulisper judi-
cium*

* Schr. *Quinam illi?*

** Schr. *Nugæ!*

*** Schr. *Immo, quod non pervertere, corrumpere, depravare, torquere, toto corde allaboret.*

**** Schr. *Credunt idem Sociniani.*

a) Fraudulenter omissum est, ut fucum faciat Lectoribus, additamentum Apostoli Rom. IX. 1. c ἐπὶ πάντων *super omnia Deus,* benedictus in secula. Factum enim & subordinatum Deo Patri evectumque ad divinitatem, *Socinianos* admittere, sed glaucoma Lectoribus objicere, quis nescit? *Schröderus* ad hæc in marg. *Verba sunt,* adscripsit.

***** Schr. *At neutrubi habetur istud.* Quibus nec Luc. XXIV. Sp. S. innui, sed divinas vires supernaturales concedendas desuper videtur existimasse. De Luc. I. enim nec ipsi dubitamus, Christum seu Filium Dei hominem futurum, tanquam unigenitum Patris, coll. Devt. XXV., denotari.

****** Schr. h. l. repetit: *Cur igitur alios, ut negarent, perverse instituit?*

cium usque dum eo pervenero. Ex his autem apparet, me nulli hæresi & "
errori in fide capitali, * *qui quidem vere est talis,* a) *assentiri, vel patro-* "
cinari, cum nullum scripturæ textum negem. Is autem negat, qui hære- "
ticum & blasphemum illis sensum affingit, ** *quod ego non facio, vel si* "
alicubi facerem, (quod tamen ignoro) ex simplici errore & ignorantia, "
non obstinata animi malitia *** *hoc a me fieret & e vestigio meliora ab* "
aliis edoctus, corrigere id ipsum paratus essem. Cui addo, me vere, sin- "
cere, & ex animo in Dominum nostrum Jesum Christum, sive, ut Petrus "
1. Ep. Cap. I. loquitur, per Christum in Deum credere, & cum timore ac "
tremore salutem meam operantem, ei in vera sanctitate & justitia omni, "
quod adhuc reliquum est, vitæ meæ tempore inservire studiosissimum esse, "
& in eo reverenter colendo & diligendo nulli haud facile cedere velle. **** "
Interim non sequitur, me fluctuare & in fide plane incertum & Pyrrho- "
nium esse, & juxta Apostoli dictum semper discere & nunquam ad verita- "
tem pervenire. Satis enim est, quod Scripturam Sacram nullo apice ex- "
cepto, recipio, illique firmiter credo: satis est etiam, quod in vera & "
salvifica divinæ voluntatis cognitione, in qua potissimum salus no- "
stra consistit, nullus hæreo, fluctuo aut ambigo. Illi enim Deum & "
Christum nosse dicuntur, qui præcepta ejus servant, 1. Joh. II. & in "
hac cognitione vita æterna consistit Joh. XVII. 3. Hinc non illi, qui essen- "
tiam Patris noverunt, sed qui faciunt voluntatem ejus in regnum cœ- "
lorum intrabunt, Matth. VII, 21. In Summa: Tota Evangelii doctrina in "
fide per charitatem operante consistit, nec tam ****** *reconditarerum ab-* "
strusarum scientia, quam continua vitæ praxi & ἀσκήσει continetur. Qua- "

* Schr. *Nondum igitur est hæresis aut error capitalis, negare tanta? Quid est capitale, si non istud?*

a) Ad eum modum de hæresi sentire & sermocinatum esse *Peuschelium*, non miramur, cum bene constet, si ab illis, quæ natura omnibus nota sunt, discedas, de *Deo* videlicet, ejusque *existentia* & *proprietatibus* divinis essentialibus nihil fere præter *promissorum fidem* & *obedientiam præceptis Christi* præstitam, capitale esse existiment, & de reliquo, si quis Jesum esse Christum nostrumque Dominum affirmet, cætera unicuique libera, plerique certe, esse putent atque sinant. Quæ nusquam sunt dilucidius, quam ab ipso *Socino* in *Christ. Relig. Institutione* compendiosa, eaque Tom I. f. 651. seqq inserta, per *Quæst. & Resp.* exposita, fusius autem in *Irenico Irenicorum Dan. Zwickeri* explanata; Sed a pientissimo etiam *Comenio* solide in *Gravi* de eo *admonitione* & *Vindiciis* A. 1660. sqq. discussa.

** Schr. *Negat se facere, quod passim faciunt, quos sequitur ipse.*

*** *Dies docebit.* Et docuit quoque, victas etiam *Peuschelium* tandem manus veritati dedisse.

**** Schr. *Qui gloriatur, glorietur in Domino;* & p. p. *Non vult esse sicut ceteri homines, hypocrita.*

***** Schr. *Multo minus vero in earundem blasphema abnegatione.*

„*re & theoricam illam Essentiæ divinæ cognitionem parcissime attingit, &*
„*practicam hanc voluntatis Dei notitiam seu fiduciam erga promissa & obe-*
„*dientiam erga præcepta divina ubique nobis commendat, ubique serio incul-*
„*cat. Unde & ipsa mysterium pietatis* 1. *Tim. III. item doctrina sec. pie-*
„*tatem* 1. *Tim. VI. emphatice appellatur. Libros adversariorum, quos no-*
„*stri Theologi communes fecere, libere* * *legi, fretus tum mandato divino,*
„*quo Spiritum non extinguere, prophetias non contemnere, sed omnia proba-*
„*re, ac bonum quod est, retinere, itemque a pseudoprophetis nobis singulis*
„*cavere jubemur. Si autem cavere nobis ab illis, tum eos etiam cognoscere*
„*vel nosse debemus, id quod tum doctrinæ, tum vitæ respectu commode fieri*
„*potest. Doctrina autem non melius, quam ex scriptis illorum cognosci potest,*
„*(relatio enim aliorum sæpe fallit & fallitur, addo, vel detrahit) tum etiam*
„*auxilio divino fretus & suffultus: Deus enim, qui potens est, facere, ultra*
„*& supra id, quod petimus vel intelligimus, quique nos in media peste, cor-*
„*porali sartos tectos servare potest,* ** *ita ut etiamsi mille ab uno latere,*
„*ab altero vero decem millia cadant, tamen ad nos non pertingat, sive nobis*
„*noceat: idem ipse Deus præpotens & pater misericordiæ nos in spirituali*
„*aliqua lue (quæ vero est talis,) si modo in vera Dei invocatione ejusque ti-*
„*more in simplicitate cordis* *** *nostri, solius veritatis & veræ fidei in-*
„*quirendæ vel confirmandæ gratia, ambitione & superbia* **** *sive exter-*
„*na explosa & amandata, libros quorumvis, etiam eorum, qui perditissi-*
„*mi hæretici sunt vel habentur, perlegerimus, servabit; & eo magis qui-*
„*dem hic nobis aderit, quo majus & nocentius est periculum, quoque pestis*
„*spiritualis & animæ corporali pesti præponderat & prævalet. Occasio-*
„*nem & incitamenta ad hoc faciendum non levia dedere, tum vita* *****
„*plurimorum Doctorum & Pastorum, sicut & auditorum, satis deplorata &*
„*improba, qua Sp. S. salutis nostræ arrhabo fugatur, expellitur.* ******
„*Illo autem expulso fieri non potest, quin errores in doctrina plurimi orian-*
„*tur, eaque vel tota auferatur, juxta comminationem divinam ap. Prophe-*
„*tam Amos c. VIII,* 11. 12. *vel ex parte, Deo in media ira misericordiæ suæ*
memore,

* Schr. *At non tam prudenter & mature, quam libere.*

** Schr. *Potest quidem, sed an velit, etiam servare eos, qui temere ulcera & bubones aliorum contrectant, non legis. Immo, qui periculum amat, peribit in eo.*

*** Schr. *Hem simplicem hominem!*

**** Schr. *Qua hic homo inflatus quantopere sit, plurima docent.* Neque nos, characterem animi haud dissimilem ex variis signis apparere, negaverimus. Antiquum est *Augustini* dicterium: *Ambitio mater hæresium.* Cætera Deo cognita sunt.

***** Schr. *Quasi vero vita Doctorum sit mensura doctrinæ!*

****** Schr. *Ita loquitur, acsi omnes Pastores & Doctores, qui non sunt Sociniani, Sp. S. destituantur.* Eadem hodie fabula mutatis personis luditur.

memore, luxetur: tum etiam virulentæ & tragicæ Theologorum a) *con-" certationes & digladiationes,* * *qua veritas vel non admittitur, vel antea" admissa, nimium altercando, aut amittitur, aut certe non leviter perver-" titur & tenebris involvitur: tum denique quod viderem plurimos* ** *no-" stros Theologos Reformatos & Evangelicos magna animorum contentio-" ne & vehementia Libros Photinianos (sive sint refutati, sive non) tum le-" gendos tum aliis vendendos prohibere & ignem ac fulmina spirare adver-" sus eos, qui eosdem vel vendunt, vel emunt, vel legunt;* b) *cum tamen ipsi" Theologiæ Doctores Alcoranum Turcicum (qui tam blasphemus ipsis vi-" detur, quam hi libri Photiniani) typis excudi curent,* c) *ut ab omnibus" legi possit,* *** *& alios interim libellos impios & scurriles, veræ pietatis &" bonorum morum præsentissimum venenum, imprimi haud vetent, imo ipsi" inter-*

a) Comparanda sunt cum effugiis hisce, quæ Cap. I. §. XXI. sqq. & hoc ipso Cap. III. aliquoties dicta sunt.

* Schr. *Hæc si satis sunt, cur non ejurato universo Christianismo ad Mahumetismum aut Judaismum prorsus abitur? Annon & Photiniani sunt πολυκέφαλοι;* Recte: Non enim fugiunt nostros *Franc. Davidis, Chr. Franken, Sommeri* & *Glirii, Ostorodi, Schlichtingii* & *Przipcovii*, aliorumque a cæteris dissensiones, etiam vehementius nonnunquam agitatæ.

** Schr. *Quinam illi plurimi? Et ubi id factitant?*

b) Ad Pontificios hæc spectant; inter quos non ita pridem tunc in vicinia Ingolstadii *Jac. Gretseri* S. I. *de jure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros hæreticos & noxios*, liber sat magnus, A. 1603. 4to procusus, & auctoris de reliquo amplam eruditionem spirans, circumferebatur. Qui *Gretserus* extrema Præfat. libri hujus, ob varias digressiones historicas lectu dignissimi, circa idem argumentum ex professo occupatum *Gabrielem Putherbeum*, Turonicum, & Metaphrasten ejus *Jo. Bapt. Fiklerum* Consil Bavaricum prioris Interpretem laudat.

c) Parum abest, quin his verbis *Peuschelium* ad *Sal. Schweiggeri*, Sulzæ in Hercynia Würtenb. nati, & h. t. Noribergæ ad D. Mariæ Antistitis munere fungentis, olim vero Legati ad aulam Turcicam Cæsarei *Bar. de Sinzendorff.* Concion. aulici, *Alcoranum Turcicum*, in German. linguam ex Italica translatum, digitum intendisse suspicemur. Is enim hoc ipso anno præla exercere cœpit, & sequenti A. 1616. eo *Noribergæ* liberatus in publicam lucem prodiit. Quamobrem in præsenti tempore, illum *curari*, ut excudatur, de industria videtur scripsisse: cum, quæ antea publicam lucem viderant, partim specimina, partim integræ versiones, *Petri* cumprimis *Cluniacensis* & sodalium a *Th. Bibliandro* ed. A. 1543. & 1550. *Latina*, nec non *Italica* A. 1547. ab *Andr. Arrivabene* Venetiis procurata, jamdudum in lucem datæ *fuerint*. Vt de ipso Arabico textu jam ante excuso, sed suppresso & e medio remoto antiquiori nihil dicamus: quippe de qua, *Paganini Brixiensis* studio & typis, adornata editione alibi differendi occasio nobis dabitur; ita tamen, ut peculiarem interim hoc de conatu in herba suffocato Diss. *S. R. D. Langii nostri*, cum cæteris idem argumentum illustrantibus, consulere liceat.

*** Schr. *Quod fieri potest, quando abest seductionis periculum.*

„interdum legant & emant. * Hac autem ratione caussæ suæ diffidere, „eamque apud omnes suspectam reddere videntur, quæ scil. consistere ne„queat, nisi omnes libri, quibus contraria sententia defenditur, extermi„nentur. Quæ certe nova papalis tyrannis ** est, qua eos qui se a Papa „liberos esse gloriantur, delectari dolendum inprimis est, præsertim cum ii„dem pro hac larva pontificiis (quibus & nos & nostri libri tam blasphemi „videntur) detrahenda, tam multum desudarint. Tandem quod restat, „Vos NN. et AA. Domini Scholarchæ, Mecœnates æternum „colendissimi, demisse, eaque, qua par est, observantia rogo, ut prolixiorem „hanc epistolam in mitiorem accipere velitis partem, ex qua prælecta, quod „ab initio obnixe petii, quid vobis in hac caussa sancta & gravi tum facien„dum, tum imposterum de me sperandum & expectandum sit abunde cogno„scetis. Cogitabitis Viri A. A. me nulli hactenus hæresi veræ in vita & „doctrina adhæsisse, vel favisse, sed hic simpliciter *** sacras literas secta„tum esse, illic vero viva fide in Jesum Christum unice pietati solidæ stu„duisse, omnemque vitæ impietatem aversatum esse: & nihil mihi hic in doctri„na accidere, quod non cuivis etiam alii hoc præsertim seculo liberius in fidei „dogmata Doctorum præsertim & scriptorum humanorum placita inquirenti, „immo etiam summis temporis nostri Theologis accidat. Vnde voces illæ: „Ego **** per XX. annos contra Photinianos scripsi, & nihil tamen solidi adhuc „reperi, in quo ipse mihi abunde satisfaciam: ita ut alii a) de illis refutan„dis desperent, & nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς succurrat, Socinismum velut di„luvium totam Ecclesiam inundaturum metuant, alii de statione sua dese„renda sæpius cogitent. Nec quicquam mihi de singulari vestro in me fa„vore & benevolentia (quicquid etiam nigri b) aliqui homines clam & per „cuniculos adversum me moliantur) decessurum spero, si modo cogitantes me „vere in Dominum nostrum Jesum Christum credere & nullo capitali fidei „errore involvi, aut non tam graviter errare, quin semper meliora docen„tibus cedere sim paratissimus, in hoc sancto negotio pro vestra excellenti „eruditione & multiplici rerum experientia, non alienis sed propriis oculis „videbitis, neque alienæ libidinis mancipia vos præstabitis. Dominus no-
ster

* Schr. *Quasi vero nulla alia possit esse ratio; verum contagii periculum.*

** Schr. *Non tyrannis hæc est, sed paterna quædam provisio.*

*** Schr. *Omnia exoticis glossis & strophis pervertere, estne simpliciter litteras sectari sacras?*

**** Schr. *Quærendum, quis ille?*

a) Ad marginem legebantur in exemplari nostro: *Schopperus & alii. Ludov. Lucius. Sibrandus Lubbertus.* Quibus manu *Schröderi* supra adscripta vox: *Somnia.*

b) Haud obscure *Grauerum* pungit, quem *nigrum Theologum* dici inter sodales *Socinismi* consvevisse, supra Cap. II. §. 21. observavimus.

ster Jesus Christus, innocentium assertor & vere fidelium caput, eam Vo-" bis sapientiam & consilia inspiret, ut in omnibus actionibus, judiciis &" consiliis vestris nil quicquam contra justitiam, charitatem & misericor-" diam, (sine qua universus Zelus noster, cum universa fide ac scientia no-" stra nihil est, Apostolo teste, Misericordiam volo & non sacrificium, inquit" ipse Deus: Imo Deus charitas est, & qui manet in charitate, manet in" Deo) committatis, sed regia semper via incedentes, digni tandem fiatis;" qui ceu servi boni & fideles in gaudium Domini vestri, cujus in his terris" vasalli fuistis, intretis. Is Vobis & toti Reipublicæ Vestræ jugiter e Cœlo" benedicat. Valete & diu vivite, VIRI AMPLISSIMI. *Dabam Jenæ" e Museo.* *

§. VIII.

Longas, fateor, ambages difficilesque circuitiones hæc epistola continet, & quæ animum sibi male metuentem non obscure prodant. Quid enim opus erat tam prolixa de *Ebionitis* declamatione? Quorum non alia de caussa nomen *Photinianis* dari ea tempestate consvevit, quam eatenus, quatenus æternam divinitatem Jesu Christi iidem peræque, ac *Photinus*, inficiati sunt; quantumvis de humanæ Christi naturæ ortu diversa quædam a *Photino* illo Sirm. Episc. alioquin sentirent. a) Vnde rectius fecisset bonus *Peuschelius*, si ad scopum impositi nominis, usumque loquendi, atque idcirco cum aliis conjunctos attendisset potius, quam in fictum quendam, nescio quem, antagonistam, calamum ita vehementer strinxisset. Neque etiam candide egisse existimamus, quando, post sexennii fere integri moram, impensumque in *Socini* opiniones imbibendas studium, neque plane se affirmare, neque plane negare, summa fidei Christianæ capita, professus est; cum tamen, ut ad nostrum exemplar in margine sua ipsius manu adnotavit B. *Joh. Schröderus, interim aliis tanto*

* Ad finem hæc manu *Schröderi* lego subtexta: *Contradict.* 1. *Concedit, Ebionæos docuisse, Christum purum esse hominem; Et tamen negat, Photinianos, idem docentes, posse dici Ebionæos.* 2. *Scribit, se, quod Eccl. de Trinitate credit, neque affirmare, neque negare plane; & tamen negat, se esse Pyrrhonium.* 3. *Se, dicit, vere in Christum credere; quem tamen verum Deum per essentiam esse negat.*

a) Ac proinde etiam *Ostorodus* eodem labore supersedere potuisset, in *præfat. Instit.* suarum eam in rem impenso: Cujus tamen impudentia magis detestanda est, quando istic f. 10. se demonstrasse affirmat, "dass sie (*Sociniani*) mit solchen Leuten (*Ebionitis*" puta & *Arianis*) und ihren Meinungen" NB. im geringsten keine Gemeinschafft" haben;" Quibus profecto verbis adversus solem loqui non erubescit.

conatu tantas blasphemias obtrudere, &, ut negarent inprimis S.S. Trinitatis mysterium, perverse instituere, allaborasset. Omnium vero turpissimum est, quod & fidei illa dogmata primaria inter theoreticas speculationes, quasi ad praxin Christianam nihil facerent, rejicit, & hæresin angusto nimis pede, textus videlicet Scripturæ diserte negati, metitur. Cæterum quæ de origine aut prætextu saltem defectionis a veritate brevibus attigit *Peuschelius*, ad Cap. I. illustrationem haud parum momenti lucisque afferunt; in qua tamen re *Vogelium*, multo luculentiora edisserentem, deinceps a) audiemus. Ad ea vero, quæ de digladiationibus Theologorum nostratium aliorumque monuit, non male idem, qui supra, ad marginem notavit *Schröderus*. *Hæc si satis sint, cur non ejurato universo Christianismo ad Mahometanismum aut Judaismum prorsus abitur? Annon & Photiniani sunt* πολυκέφαλοι; De libris prohibendis, quæ commentatus noster est paullo asperius, nemo non improbabit, si cœca id fiat violentaque tantum, sine institutione meliori, auctoritate, vel cœca etiam requiratur obedientia. b) At si paterna providentia, sicubi manifestum est corruptionis periculum, e medio noxiæ schedæ removeantur, idemque etiam de scurrilibus impiisque alius generis libris statuatur, quæ illa, quæso, in conscientias tyrannis est? Non alia profecto, quam si a pestilenti infectione portæ civitatum ædesque provide præmuniantur. De quibus insulse admodum *Peuschelius*, posse aliquem conservari divina clementia, inquit; sed utrum servare eos etiam, qui temere ulcera venenata contrectant, quod probandum fuerat, velit, silentio male præterit. Etenim, qui periculum amet, in eo quoque hunc esse periturum, ignotum haud fuit, certe ignorasse non oportuit. Verum præstat, missa hac epistola, ipsam *Confessionem, ad Articulos XII.* redditam, brevibus perlustrare. In ea c) proinde, præmissis *Hieronymi* verbis: *Quæso, Lector, ut memor tribunalis Domini & de*

a) In Apologia suo nomine, cum ad eam reddendam pariter vocatus esset, perscripta; quæ §. XV. typis exhibebitur procusa.

b) Id enim juri omnia probandi, & quæ bona sunt, retinendi, Paullo 1. Thess. V. testante, refragatur, caussamque prodit, male sibi metuentium, minime præstabilem. Absque hoc si fuerit, cum, judice sagacissimo *Erasmo*, *nullum sit præsentius, malo libro, venenum*, nemo, credo, erit, qui, ne *imperitis sine discrimine* divendantur scripta erronea, ut curet Magistratus, & optet & suadeat, & allaboret denique omni studio.

c) Quam cum in compendium redactam h. l. exhibeamus, quia nimis prolixa est, b. *Schröderi* quoque adspersarum animadversionum B. L. non nisi epitomen cum delectu expectabit; quamvis multo eæ largiores sint, quam in epistola margini inscriptæ erant. Pleniora hæc omnia in *Supplementis* excusa & discussa dabimus.

de judicio tuo te intelligens judicandum, non perſonas loquentium, ſed cauſſam conſideres, I. vehementer invectus eſt in *Symbolum Athanaſianum* æque ac *Nicænum*, multaque ex antiquitate Eccleſiæ, itemque *Calvino* atque *Eraſmo* * congerens, abſurdorum ingentium, contradictionum manifeſtarum, aliorumque vitiorum ea accuſat. Ac prius quidem, cum *Joach. Camerario*, ad quem provocat, *non ab Athanaſio, ſed otioſo potius Monacho conſcriptum eſſe* a) aſſerens, ſcripturæque verbis id contexi oportuiſſe obſervans, conatur non tantum cum patribus Eccleſiæ ** aliis idem committere, ſed etiam aperte, divinitatem Filii, Patris eminentia minorem, tuetur, eamque filio ſecundum humanam naturam donatam, & ſimilia, operoſe adſtruit. Vbi, quod memorabile eſt, inter alia ad *Dn. Königii* in c. I. Ep. ad Ebr. Prælect., invidiam ut illi moveret, provocavit, qui, *æqualitatem Dei Phil. II. talem eſſe*, ſcripſerit, *quam Chriſtus deponere, & qua ſeipſum ad tempus privare potuerit.* Quibus tamen verbis ille non de eo, quid deponere ſimpliciter potuerit, b) locutus erat, ſed de certa quadam ratione communicatæ majeſtatis, qua Chriſtus ſecundum humanam naturam dicitur l. c. ſe evacuaſſe, videlicet non ratione κτήσεως, ſed χρήσεως. Ad poſtremum, poſtquam phraſin, qua, Filium Dei Deum eſſe, ex ſubſtantia Patris genitum, dicimus, carpſerat, repetito, de otioſo Monacho, auctore ſymboli hujus, *Camerarii* dicterio, ſi cui illud diſpliceat, ſecundum vulgare illud: Quandoque bonus dormitat Homerus; *bonum Athanaſium, tum temporis, quum illud conſcriberet, dormitaſſe*, petulanter affirmat, ſibique, quando id haud recipiat, prudentiam ſerpentinam cum columbina ſimplicitate tribuit, *neque ullam majorem eſſe in Eccleſia & doctrina ſacra peſtem, quum quid pro quo inter fidei articulos recipere*, hactenus bene, niſi applicatio peſſime habuiſſet, aſſeveravit. *Ad Quæſt. II.* de *S. S. Trinitate*, conqueritur

* Ad quæ Schr. *Aliorum recitat ſententias, cum rogatus eſſet ſuam.*

a) Quod noſtra ætate protervus aliquis Democritus, *ad cantandum magis, quam credendum* idoneum eſſe, in *Clypeo veritatis* dixiſſe meminimus.

** Ita, ut *Auguſtinum* a Patribus Nicæa-Conſtantinopolitanis Symbolum illud, propter verba: Credo in unam ſanctam Eccleſiam, quæ ille impugnet, (*a talibus auctoribus* inquit dubitet) manaſſe: Ad quæ *Schröderus* notat: *An putarit Auguſtinus, Symbolum Nicænum a Patribus Nicænis non prodiiſſe?*

b) Hoc eſt: Non de natura divina, & vinculo *unionis* perſonalis, quam neceſſario conſequitur communicatio naturarum & idiomatum, ſermocinatus erat, ſed de *plenario* Majeſtatis *uſu & ordinario* in ſtatu κενώσεως abdicato. Sic etiam ad marg. *Schröderus: Si Dn. König ita loquitur, dextre eſt explicandum; Scil. deponere eam potuit, non ſimpliciter, ſed κατά τι, non ratione κτήσεως, ſed ratione χρήσεως.*

ante omnia de argumentorum delectu, e. gr. ex Gen. I, 1. Creavit Dii, & similibus, non sobrie a) a nonnullis instituto. Tum locum clarissimum 1. Joh. V. aggressus est, itemque *Schopperum* accusat, qui Gen XVIII, 3. pro manifestissima Trinitatis patefactione b) acceperit: Ad quæ aliaque loca exceptiones adversariorum consvetas * repetit, eaque contra afferenda jubet dicta, unde probetur, P. F. & Sp. S. tres esse personas unius essentiæ: Quibus: *Hoc est κρινόμενον, ubi & mihi aqua hæret*, addit, verbisque tandem *Thomæ Aquinat.*** finit. Ad. Quæst. III. respondet, *non* sibi hoc *argumentum: Vbi tres personæ, ibi tres sunt essentiæ &c. sophisticum, sed veritati proximum* videri; idque latius & operosius explicat, ac communire conatur, variisque allatis formulis loquendi nostratium pariter & Pontif. ac Reformat. illustrat; c) illud denique, stantibus iisdem, *irrefutabile sibi videri*, denuo

a) Hactenus non male, nisi pessimæ caussæ optimam prudentiæ Polemicæ sacræ regulam accommodasset: Ipse *Lutherus* Tr. „*von Schulen aufzurichten: Wann man mit un-* „*gewissen Gründen*, inquit, *und Fehl-Sprü-* „*chen den Glauben schützet, ists nicht Smach* „*und Spott der Christen bey denen Wiedersa-* „*chern, die der Sprachen kundig sind? denn da* „*werden dieselben nur halsstarriger im Irr-* „*thum, und halten alsdenn, unsern Glauben* „*mit guten Schein für einen Menschen-Tand.* *Est & nobis in animo*, *b.* ait *Wagenseilius* noster, de hoc ipso loco Gen. I. agens, in *Refut. Carm. Lipmann.* f. 129. illud Thomæ: *Cum aliquis ad probandum fidei dogma inducit rationes, si non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Sed hæc obiter, ut bona a malis candide discernamus.

b) Quem laborem, ac pæne invidiam, hæ similesque accusationes bono *Schoppero* pepererint, ex gravioribus *Vogelianis* p p. patebit. *Peuschelium* enim se vilipendere consvevisse, ipse conquestus est in *Apologia Schopperus.*

* Quas inter cum urgeat præcipue hanc secuturam: Duas esse Patris & Filii Deitates; resp. *Schröderus* ad marg: *Non hoc sequitur, sed istud: Vnam Deitatem a duobus diversimode haberi, seu unam & eandem Deitatem in duabus esse personis.* Qui & paullo ante ad verba Peuschelii: Si Deus numero unus est, quomodo idem propric loquendo de se ipso esse dicitur? resp. *Potest sane: Quia Deus ita est numero unus, ratione essentiæ, ut nihilominus Filius, qui est Deus ille unus, sit de Patre, qui est idem ille Deus unus, distinctus a filio, non ratione essentiæ, sed personæ.*

** Ad quæ *Schröderus*; *Bene Thomas: Non tamen ideo, ne quidem apud fideles, majoris lucis gratia, licet inducere rationes non cogentes.*

c) Ad marginem hic nominavit *Peuschel*, postquam antea ad *Sohnium*, *Keckermann.*, *Gerhardum*, *Zanchium*, *Svarezium* &c. provocaverat, etiam *Bullingerum*, *Gualtherum*, *Jac. Andreæ*, *Hunnium*, qui dicunt, Essentiam divinam in patre esse ingenitam, in filio genitam, Sp. S. procedentem &c. Ad quæ *Schröderus* annotat: *Dicunt Essentiam genitam, non quod per generationem sit producta, sed quod per generationem sit communicata filio. Nec sequitur, quod alia atque alia essentia sit in Patre & Filio, sed quod eadem essentia aliter sit in patre, aliter in filio, in patre ἀγεννήτως, in filio γεννητῶς.*

nuo concludit. Ad IV. de duabus naturis in Chriſto ad litteras generales provocat, in quibus tamen obſcurius ſaltim quædam ediſſeruerat, & ludificando lectorem, ad confeſſionem hanc ablegarat. Cæterum in detorquendo loco 1. Joh. IV, 3. valde occupatus eſt, quem non de humana natura aſſumta a Filio Dei, ſed carne & ſchemate ſervili, (præter neceſſitatem tropum confingens) in quo conſpectus ſit diu exſpectatus Meſſias, exponit. Quæſt. V. ita ſolvit, ut, noſtratium reſponſa Photinianos æque ac Neſtorianos ridere, aſſerat, &, peti id quod in principio, * inquiat. Vbi & magni cujusdam Theologi generatim a) meminit, eumque, propoſitis quibusdam talibus argumentis, ſibi non ſatisfeciſſe, fatetur. Ad VI. *multa noſtris Herculea argumenta videri, quæ fiant in conflictu ſtraminea*, infit; Hinc ad Pſal. CX. Dixit Dominus &c. progreditur, & de Chriſti exaltata duntaxat humana natura ** locum intelligendum eſſe urget; parique temeritate Pſal. II. verba: Ego hodie &c. aggreditur; ad cætera vero tritum illud inter Photinianos: *Nomen Dei Jehova eſſe nomen appellativum, & dignitatis officiique, non naturæ*, *** quod κατ᾽ ἐξοχὴν uni illi Deo tribuatur, eos reponere, & exemplo Cyri Eſ. LII, 12. (male, cum de Chriſto iſtic ſermo ſit,) probare ait, neque, id ſibi etiam probari, disſimulat. Ad VII. reſponderi a *Jac. ad Portum* b) *Oſtorodo*, diſtinguendo inter generationem naturalem & ſupernaturalem, obſervat; ſed id ipſum κρινόμενον eſſe noſter monet: ****

* Schr. *Quaſi vero in Reſponſione petatur principium: aut non potius petant principium a creatis rebus* (finitis) *ad increatam* (infinitum Deum) *argumentantes*.

a) *Grauerum*, procul dubio indigitans, aut *Schröderum*; alium certe a *Schoppero*, ſupra nominato, innui, non eſt cur dubitemus. Certe in ſeqq. de quodam loquitur, quem inter Collegas alia quædam de Joh. X. faſſum eſſe, ait.

** Ad quæ Schr.: Homini quidem dicta, *non tamen ψιλῷ, ſed Homini Deo. Nam ψιλὸς homo non poteſt eſſe Dominus ſedens ad dextram Dei.*

*** Schr. *Dicunt hoc illi: Sed perperam. Quibus enim hoc nomen præter Deum tribuitur, iis tribuitur metaphorice & æquivoce. Quare, ſi forte non eſt penitus nomen proprium, magis tamen eſt proprium, quam appellativum.*

b) *Bernate, & Lauſanenſis Acad.* Prof. h. t. adhuc ſuperſtite, cujus *Orthod. Fidei defenſionem Chriſt. Oſtorodi Inſtitut. Religionis Germ. oppoſitam, & Genevæ A.* 1613. editam, jam alibi commemoravimus.

**** Schr. *Reſpondeo planius: Negatur connexum: Ratio, quia Filius Dei e Maria natus & conceptus eſt, non in natura propria, per quam eſt filius Dei, ſed in natura aſſumta, per quam eſt homo. Seu: quia filius Dei dicitur conceptus & natus, non regulariter, ſed per communicationem idiomatum, ubi videndum eſt, ſec. quam naturam hæc ei competant. Et ubi locum habet Reg. Mutato genere prædicationis &c. Ad rationem connexi dicendum: Verum eſſe, quod dicitur de perſona unius naturæ*

neque enim ex controverſis, ſed utrinque conceſſis reſpondendum eſ-ſe, objiciens, & addit denique: *Davus ſum, non Oedipus. Solvat, qui melius poteſt*, atque ad generalem epiſt. lectorem iterum fraudulenter ablegat; ubi tamen nihil de hiſce reperies diſtincte pronunciatum. Ad VIII. & IX. apertius, ſe negantium ſententiæ accedere, quæ videlicet, carnem & ſanguinem in Reſurrectione nos haud habituros eſſe, tueatur, profitetur, eamque argumentis inter *Socinianos* receptis, ex epiſt. ad Corinth. I. cap. VI. & ſqq. inprimis XV. copioſe * adſtruit. In X. & XI. quæſito *Acceptilationem* urget, conſvetasque nænias, de contradictione, ſi Deus jam dilexiſſet redimendos & expiandos, omnino locum habente, aliaque ſimilia effugia valde exaggerat, Scripturæque loca pro virili cuncta pervertere ſatagit, denique & *Grawerum* a) ex profeſſo refutare conatur. Cætera de Mediatore, λύτρῳ & ſimilibus, ut ſolent, improprie, per internuncii legatique officia, ſine ſatisfactione proprie & ſtricte ſic dicta, eo modo, quo & *Moſes* illo munere defunctus ſit, ** interpretatur; Inque XII. denique ad ſolas litteras generales ſe refert, primamque quæſtionem repeti jubet. Extrema hæc fuere: *Ad Graweri replicationem* b) *in hac parte (Quæſt. X. & XI.) me aliquid reſponſurum promiſi, quod tamen temporis anguſtia excluſus non præſtiti, alio tempore, ſi præſertim opus fuerit, id præſtiturus: fateor autem, me nihil in eo reperiſſe, ob quod ſententiam mutare debeam; multa autem, ob quæ non mutare oportet. Chriſto ſit laus in æternum.* Toti vero confeſſioni hæc ſubjecit: *In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum: Si quid verbo Dei ſcripto repugnat, indictum eſto.* Diem equidem, quo abſolverat illam confeſſionem ſuam, non reperimus additum eſſe, at ſub finem Septembris eam *Noribergam* perveniſſe, ex *epiſtola Königiana* paullo

turæ, ſeu de perſona creata, non autem de perſona increata, in qua eſt alia atque alia natura. Item, verum eſſe de perſona, quæ dicitur naſci regulariter & abſolute; non autem, quæ dicitur naſci ſec. quid & per communicationem idiomatum. Ex: Homo dicitur quotidie naſci ſec. partes quotidie adnaſcentes.

* Ad quæ Schr. *De qualitate* (& uſu naturali) *ſeu de ποίῳ, eſt ſermo*, non ſubſtantia, reſpondet; idque exemplo ſtellarum: *Atqui ſtella*, inquiens, *a ſtella non differt ſubſtantia, ſed, ut Apoſtolus ait, claritate. Apparet igitur vel inde, comparationem inſtitui, e qualitatis categoria, non ſubſtantiæ.*

a) Quem tandem nominatim heic aggredi non veretur; cum ſæpiu jam ante eum ἀνωνύμως notaſſet.

** Ad quæ cum b. *Schröderus* nihil amplius annotare voluerit, facile nobis eſſet, quædam ſupplere, niſi de ſatisfactione Chriſti alius generis per ἀντίλυτρον in Colloquio pluribus ageretur, & hæc omnia diſcuſſa eſſent.

b) In Colloquio haud dubie redditam. Vid. ſeq. §. XI.

paullo poſt exhibenda a) non obſcure colligimus. Quod reliquum eſt, non moleſtum erit, B. L., hæc brevibus recitata & in compendium miſſa expendere, ut vel hinc intelligi posſit, non eſſe homuncionibus illis illatam injuriam, de qua tantopere *Peuſchelius* querulatur, hoc ipſo, quod *Socinifmi* inſimulati ſunt, tantoque, opinor, minus approbatum iri eorum protervitatem, quo indignius eſt auditu, eos, qui vel maxime in errores decumanos abrepti erant, id tamen operoſe egiſſe, ut viri boni, & a veritate Evangelii nunquam abducti viderentur. b) Cujus rei ſane in ipſa hac Confesſione non unum ſimulationis luculentisſimum documentum *Peuſchelius* noſter dedit. Atque hæc quidem in præſens ſufficere poterunt, ut, quemadmodum requiſita fuerit ejusdem confesſio, & quo pacto vicisſim ab eo edita ſit, perſpiciamus.

§. IX.

Nunc, ut a *Vogelio* eadem exacta fuerit fidei profesſio, & qua ratione idem quoque ſententiam dixerit, illico enarrandum eſſet; niſi alia quædam intercesſiſſent, quæ præmittere ſatius eſt viſum, quam ordinem temporis rerumque geſtarum, ſine necesſitate, conturbare. De *Dümlero* nimirum atque *Corn. Marcio* c) cæterisque complicibus, in patria Academia adhuc commoratis, quid, rebus his patefactis, ſit ſtatutum, exponendum eſt brevibus. Hos igitur ut accuratius explorarent, inclinante *autumno* anni ejusdem MDCXV., ILLVSTRES ACADEMIAE CVRATORES d) ipſi *Altorphium* mature profecti ſunt, convocatisque, qui in ſuſpicionem hæreſeos venerant, quid ſinguli ſentirent, ſolicite inquiſiverunt. Quo facto, inſtitutoque accurato examine, *Cobius*, *Frauenburgerus*, *Hainlinus*, *Fabricius*, & reliqui beneficiarii, de quibus rumor e) erat, ſtrenue, ſibi quidquam cum *Photiniſmo* conſortii eſſe, inficiati ſunt. Solus *Dümlerus* ſine tergiverſatione faſſus eſt, præter alia, ſe non poſſe credere *Trinitatem* illam, quæ in

a) Vid. §. X.

b) Perinde ut *Ruarus*. Quæ quidem vel meticuloſum animum produnt, vel conſcientiæ reclamantes ſtimulos. Aliter David Pſ. CXVI. & ex eo Paullus 2. Cor. IV. *Credidi*, eaque propter locutus ſum. Modeſtia etiam confeſſores decet, non ſubterfugia, præſertim ſi falſa nihilominus profitearis, quæ tamen te non affirmare videri velis.

c) De quibus confer Cap. II. §§. XIV. & XXIX.

d) *Duo*, ſi recte memini, ex illis, qui §. XVI. ſub finem *Epiſtolæ Vogelianæ* memorabuntur, & *Antiſtites* Eccleſ. paullo poſt nominandi præcipui.

e) Et qui permanſerant adhuc, (cum cæteri dilapſi eſſent quoquo verſum,) *Altorphii*.

in Ecclesia nostra doceatur, ejusque dissensus etiam rationes permultas ex tempore coram protulit. Ad *Marcium* vero quod attinet, modestius ille quidem, dubiis gravissimis in hisce disputationibus se hucusque captum & illaqueatum esse, a quibus liberari petat, confessione brevi tradita, pronunciavit, non tamen, *Socinismo* magis, quam Evangelicæ doctrinæ in *August. Confess* comprehensæ, se esse addictum, dissimulavit. At docilitatem cum insigni modestia adhuc præ se ferens non mediocrem, ad saniorem mentem redeundi, spem & luculentum simul veritatis amorem excitavit atque ostendit. *Dümlerus* contra neque in ea professione acquievit, sed acriter etiam pro sua jam præcepta altissimeque in mentem demissa opinione prava atque impia cum *Joh. Fabritio* atque *Joh. Schrödero* Theologis Noribergensibus coram diu multumque disceptavit, tandem vero cum demonstrationibus locum non daret contrariis copiosisque, scripto etiam amplius comprehendere dubia sua jussus est. Qua facta potestate, ut erat cæteris omnibus a) pervicacissimus, eoque nomine *Ruaro* inprimis charus, paullo post consignata contra SS. Trinitatem argumenta & *Noribergam* missa illis exhibuit. Quorum exordium ita habet: *Gratiam & salutem a Deo Patre per Jesum Christum ejus filium, Salvatorem nostrum, cum debita observantia & officiis &c. Eas, quas nuper in proximo colloquio vobis prælegi de Sacro-Sancta Trinitate rationes, viri Reverendi & Clarissimi, en scriptas etiam bona fide, secundum jussum vestrum ad Vos remitto. Quas (sic vos per veritatem oro & obtestor) serena fronte accipite, legite, perpendite: responsionibus solidis, si fieri potest, evertite, meliora monstrate. Sic facietis rem Deo gratam, officiique vestri partes probe procurantes, animam meam, quam in densissimis nunc erroribus palpitare putatis, maximo cum beatarum mentium applausu supremo rerum arbitro redimetis. Sed valeant ambages, ad rem accedo. Primum autem quæsitum inter nos est,* (ita pergit) *de Trinitate* b) *h. e. de Vnitate Essentiæ & Trinitate personarum in Deo. Resp. Quanquam ego aliquid, & illud ipsum quidem certo quodam modo in S. litteris de Trinitate legam, de illa tamen, qualem communiter intelligunt, qua-*

a) Atque hæc sunt, de quibus *Colletus* seu *Leimerus Ruarum* certiorem fecerat, occasionemque h. m. dederat, ea, quæ in epist. ad *Peuschelium* Cent. II. n. IX. f. 59. sq. perscripsit, p. p. renunciandi, & de *periculo Pancomiensium* eum certiorem reddendi. Ad hæc enim tempora, quæ nemo alias intelliget, ænigmata ea, quæ istic narrantur, pertinent; in quibus, ut superiori capite jam annotavimus, *Dumleri* (is enim *Tyrbæus* est) constantiam miris modis extulit.

b) Non dubito de pluribus argumentis Theologicis coram *Altorphi* actum esse. At *Dümle-*

qualemque in quæstionem vocatam esse dixi, fateor, me ne quicquam hactenus reperire potuisse: Multa vero invenio, quæ pugnant cum illa, & longe aliud loquuntur, ut ex subnexis constabit, &c. His subjunxit *argumenta generalia quatuor*, & *specialia* circiter *octo*. Quorum primum in *Sect. prima* desumtum est ex eo, quod nulla expressa a) *Trinitatis in S. litteris* fit mentio. Secundum ex Canone vulgari: Quæcunque sunt eadem uni tertio, ea quoque inter se eadem esse, necesse est. Tertium: Quod consequens esset, Filii quoque & Sp. S. essentiam incarnatam esse. Quartum: quoniam, si Filius ex substantia patris esset genitus, vel ex toto, vel ex parte ejus foret; quorum utrumque absurdum esse putat. Specialia sunt 1) ex loco 1. Cor. VIII, 6. ubi Pater unus dicatur. 2) Quia sequeretur, Deum Patrem, qui unus ille Deus sit, esse unum in essentia, & trinum in personis. 3) ex Joh. XII, 44. quia unus Deus Pater sit ultimus finis fidei nostræ, coll. 1. Pet. I, 21. 4) Quoniam habeat Christus Deum supra se Hebr. I, 8. 9. 5) Quia Christus non sciat omnia Marc. XIII, 32. 6) Quia unum esse Deum innumeris locis testetur Scriptura; Vnum autem esse vocabulum personale, ut quando unum Regem, unum Angelum &c. dicamus. 7) Quia consequatur ex hac doctrina, Christum non esse verum hominem; idque inde patere, quia necesse sit, fateri, Christum non habuisse personam humanam. 8) Inexpugnabilem vocat denique rationem, quod nusquam simplex *nomen Dei per modum subjecti* b) occurrat, de

 quo

Dümlerus in Confessione hac p.p. missa, cæteris omnibus sepositis, tantisper de solo mysterio Trinitatis, Filiique Dei & Sp. S., tanquam personæ subsistentis, æterna divinitate officioque ita disseruit, ut nec dubitantis speciem indueret, sed aperte veritatis hanc principem partem & operose impugnaret.

a) Totidem videlicet verbis & syllabis. Quod miramur, constanter hos homines etiam a b. *Schoppero* expetiisse, qui, uti rationem mirifice extollunt, ita, consecutiones alioquin planas & perspicuas se non repudiare, videri volunt. Hactenus enim non, utrum dogma sit creditu necessarium, sed utrum verum, disquirebatur, nec de vocabulo hoc Ecclesiastico, cujus tamen forma, ut vocant, *concreta* 1. Joh. V. extat, ex professo disputabatur.

b) Quanquam nostrum non sit, argumenta hæc, quoniam historiam scribimus, non autem disputamus, discutere; non possumus tamen, quin h. l. ad obscuram rationem, quæ nihilominus pro invicta venditatur, dilucidandam moneamus: *Socinianorum* eam niti hypothesibus, quibus, *vocabulum Deus seu θεὸς, cum articulo positum, verum Deum denotare, sine articulo* autem *etiam non verum, certe non summum, idemque* nomen, *si locum prædicati occupet, nullibi significare solum verum Deum, significare autem, si subjecti vicem sustineat*, perhibent. Quæ cum multis exemplis contrariis, ex ipsorum etiam hypothesibus, infringi possint, ita b. *Sebast. Schmidium*, qui his de regulis diligentissime egit, easque in *Tr. de Deo & attributis divinis* ad incudem revocavit, consuli suademus, ne extra oleas evagari opus sit, aut actum agamus.

quo aliquid affirmetur, quod ad Chriſtum, a Patre diſtinctum, ſit omnino ac neceſſario referendum. *Altera Sectione de Perſona Chriſti* negat, quicquam de Incarnatione filii Dei in S. litteris legi, neque etiam in Symb. Apoſtolico mentionem ejus reperiri. Tum, impoſſibilem hanc eſſe, conatur demonſtrare, ex immenſitate & infinitate Dei, collata cum finita humana natura. Porro id confirmare nititur ex eo, quod Deo nihil accidere poſſit; quod tamen per aſſumtionem humanæ naturæ factum ſit. Vnde ad doctrinam de Communicatione Idiomatum acerbe traducendam a) delabitur, atque, ſupervacaneam denique illam unionem eſſe, oſtendere laborat, quia nihil ſit, quod non ſola potentia & favor Dei præſtare potuiſſet. Eaque occaſione data, variorum doctrinam de ſatisfactione Jeſu Chriſti abſurdorum inſimulat, quia partim ſibi ipſi ſatisfeciſſet; b) partim ſolum ſemper patrem nominaverit, in negotiis officii peragendis, cujus voluntatem faciat; partim etiam exinanitio, ut appellat, ficta rem intricatam minime ſolvat: *Sane, niſi hoc ad oculum*, inquiens, *mihi demonſtretur, aſſentiri nunquam potero.* Inde *Chriſtum* ab æterno genitum non fuiſſe probare ſtudet, ſi ex fœmina natus ſit, multaque de natura & perſona divina ac humana, non ſine animi impotentia notabili declamans, permiſcet. Denique & Sp. S. divinitatem ac perſonalitatem ſeparatim oppugnaturus, conſvetis utitur ratiociniis, & Socinianorum *Sophiſmatibus* breviter repetitis nititur, tandemque hac concluſione finit: *Et hæc hactenus ita diſputata ſint de eo: An Deus ille noſter, Deus Iſraëlis, ſit unus in eſſentia & trinus in perſonis? Ubi primum in genere, poſtea etiam de Fil. & Sp. S. in ſpecie, quædam locutus ſum, quæ (fateor ingenue) ita me vincunt intus & in animo meo, ut hactenus contra tam apparentem veritatem, ſacrarum litterarum auctoritate, ac ſanæ rationis ſatellitio, ſtipatam, nihil vel dicere vel credere auſus ſim. Quodſi tamen eſt alia verior firmiorque ſententia (quam ſane nonniſi unam eſſe omnes fatentur) & illa mihi pariter demonſtrata fuerit, ne ego*

a) Conf. etiam epiſt. *Ruari* ad *Peuſchelium*, Cent. II. n. XVII. f. 126. & 134. typis exſcriptam, unde, a quo hæc didicerit *Dümlerus* præceptore, patebit.

b) Diverſo reſpectu læſus judex cum fuerit & pacificator, tanquam Deus & θεάνθρωπος, quidni ſibi ipſi ſatisfacere potuerit? quod & Sp. S. Eſ. XLIII. 25. 2. Cor. V. 9. atque Col. I. 20. diſerte affirmat. Neque Collegiorum etiam v. g. Senatus, cui ſe unus e Senatoribus ultro prædem offert, rationes, ſi θεοπρεπῶς applicentur, repugnat; rationemque proinde, quam tantopere extollunt *Sociniani*, haud refragari huic Oeconomiæ δικαστικῇ divinæ, oſtendunt. Cur pater vero tanquam judex utplurimum nominetur, hæc ipſe Oeconomia commonſtrat.

ego palinodiam lubens a) *canam, & hanc meam, quam hactenus retinui, tanquam erroneam, exultabundus valere jubebo. Vos Reverendi & Clarissimi Viri, qui ætate, auctoritate, doctrina & munere docendi Ecclesiam Dei demandato valetis, hæc mea qualiacunque sereno vultu ac voluntate a me accipite, legite, perpendite. Si quid in ordine forte peccatum, pro vestra humanitate condonate; fuerunt interdum nonnulla necessario reassumenda. De satisfactione autem peculiariter quid addere nolui, præter ea, quæ intermista sunt in illis de persona Christi. Et quid adeo erat necesse? siquidem ruente uno, ruet & alterum, stante priore, posterius forte citius expedietur. Sic mihi Reverendi & Clarissimi Viri, bene & feliciter valete. Quibus a Deo patre nostro & Jesu Christo ejus filio omnia fausta & beata precor. Datæ Altorffii 27. Novembr. Anno salutiferi partus* 1615.

Vestris Reverendis Dignit.

omni studio & observantia deditus

Nicolaus Dümlerus.

Hæc *Dümlerus*, candide sensa mentis depravatæ edisserens, & studium veritatis adhuc inquirendæ non mediocre prætexens. Quem proinde etiam omnes putassent serio expectaturum, uti pollicitus erat, uberiorem informationem, & erroris demonstrationem a Venerandis Theologis desideratam; qui ad id quoque faciendum promti erant, atque expediti. Sed aliter, proh dolor! res evenit. Nam, quo animo hæc scripserit homo callidus, atque præter cæteros pertinax & obstinati animi, interjectis paucis diebus cognitum est, quum *Noribergam* statim, postquam confessionem illam transmiserat, invitatus non tantum nollet subire honestum vadimonium, & ulterius colloquium hanc in rem instituendum; sed etiam ex improviso, die IV. Decembris proximo ejusdem anni 1615., ex *Academia Altorphina*, utut publica auctoritate abire prohibitus, se proriperet, inque *Poloniam*, b) quod superiori capite jam enarravimus, turpi discessu evaderet. Ad quam fugam nemine, ut dictum est, opinante, & subito susceptam, quæ sint consecuta, proxime subsequenti anno acta, dum sponte sua eum reversurum interea spes esset, nunc porro exponere possemus; nisi hæc quoque in alium locum satius esset servare. Quare

 reje-

a) Hæccine cum *fuga* conveniant, nondum audita refutatione, spretoque ulteriori & æquissimo examine, alii pronuncient, & nos quoque inferius, ad ipsam hanc confessionem nonnulla commentaturi, dispiciemus.

b) Instigante & consilia procul dubio suggerente *Ruaro*, quippe cum quo omnia, quæ suscipienda essent, *Argentorati* tunc degente, communicabant, totusque ab eo cum primis pendebat *Dümlerus*.

rejectis illis ad exitum totius scenæ, cætera interim actitata exequi pergemus.

§. X.

Et ante omnia quidem ad *Peuschelium* redeundum esset, nisi epistola nos moraretur *Georgii Königii*, a) interea, dum hæc fierent, ad *Joh. Schröderum*, Theol. & Antistitem Laurentianum *Noribergam* scripta, in qua haud pauca ad illustrationem historiæ tristis habentur, quædam etiam temporum rationibus disponendis inserviunt, eoque nomine heic interserenda videbatur. Ita vero ille: „*Postquam meas litteras sigillo & ἐπιγραφῇ confirmaram, Vir admodum* „*Reverende, Patrone Venerande, vestras accepi cum Peuschelii responso* „*Photiniano*, b) *in quo tot detorsiones Scripturæ, falsas expositiones &c.* „*inveni, ut mirer, in hominem Christianum cadere potuisse. Det ei Deus* „*meliorem mentem. Petit Tua R. eorum nomina, qui de Photinianismo* „*sunt suspecti. Conscripsi*, c) *non quod putem, omnes eidem hæresi esse ad-* „*dictos; sed quod sciam, Peuschelii fuisse intimos, & inter se verba commu-* „*tasse quam sæpissime, hinc veritus, ne ex frequenti collatione venenum,* „*quo Peuschelius erat infectus, & ipsi quodammodo imbiberint: siquidem* „*nullus dubito, quin plures in suam sententiam pertrahere fategerit. Pro-* „*inde consultissimum putarem, si stipendiarii universi & singuli convocaren-* „*tur hoc prætextu: Non sine summo dolore Magistratum expertum esse,* „*Peuschelium a vera religione turpiter defecisse ad castra Photinianorum,* „*quia autem fieri facile potuerit, ut & alios inescare laborarit, idcirco* „*Magistratum serio mandasse, ut confessio conscriberetur ex professo Soci-* „*nianis opposita, cui omnes Stipendiarii manu & corde subscriberent. Sic* „*puri, bona conscientia præditi, nihil verebuntur, tepidi vero & infecti pro* „*virili resistent, atque ita se ipsos prodent. Verum cuncta limato tuo ju-* „*dicio relinquo absque ulla præscriptione. Quid de Helmstadiensi* d) (*Rich-* „*tero* haud dubie) *actum sit, ex Rittero* e) *intelligere non possum, quæ ta-* *men*

a) Pastoris vicarii & Prof. Theologi h. t. jam confirmati.

b) Idem illud indigitat, de quo *Jena Noribergam* misso paullo ante §. VII. dictum est copiosissime.

c) Inter quos haud dubie illi quoque connumerati sunt, quos Cap. II. §. 48. fere extremo commemoravimus.

d) Ad hunc ergo sive litteras, publica auctoritate etiam, datas, sive alia quadam ratione, quemadmodum sit animus ejus comparatus, exploratum esse, haud obscure hinc colligi potest. Quid vero responderit, & quæ sigillatim cum eo acta sint, nullo modo expiscari in hunc usque diem nobis licuit. Vnde, mature eum valedixisse hæresi antehac approbatæ, conficimus, & supra jam in vita ejusdem observavimus.

e) *Georgio Rittero*, hoc anno Diacono Eccl. Altorph. constituto & mox ad dignitatem Prof. Theolog. evehendo, de quo alibi.

men ex R. T. cognoſcere deſidero. Cuſtodiat nos Deus, ne falſi fratres"
nobis obtrudantur, & avertat conſilia Achitophelis, ne effectum ſortiantur;"
alioquin revera de noſtra religione & Academia eſſet actum. Oſtorodum,"
ad placitum per multos dies ſervato; Ego per aliquot Peuſchelium, a) *quem*"
ſartum tectum cum gratiarum actione remittam. Valeat T. R. Domino"
commendata. 12. *Octobr. A* 1615."

R. D. V. O.

Georgius König, Paſtor."

Niſi fallimur, colligi ex hac epiſtola poteſt, non multo poſt *Illuſtres Academiæ Curatores* conſilium de adeunda Academia cepiſſe, eosque, ut proxime narratum eſt, quos ſigillatim indicaverat *Königius*, præſentes & comparentes audiviſſe, eaque occaſione *Dümlerum*, cum *Marcio* adhuc fluctuante, deprehenſum eſſe ſolum, qui hæreſin aperto ore & palam profiteretur. b) Cæteros vero non alios fuiſſe exiſtimamus, quam qui ſub finem Cap. IIdi jam ſunt a nobis nominati; quorum etiam innocentiam c) tueri, uti par fuit, laboravimus. De reliquis autem, aliquo ſaltim modo hæreſi delibata contaminatis, in ſequenti narratione exponendi locus erit. Denique ipſum quoque *Königium* a nonnullis in ſuſpicionem male fuiſſe vocatum, ſi quæ alia, cujusmodi permulta ſunt, hinc apparet, & hoc unum profecto ſinceræ mentis documentum ab omni conſortio erroris peſtilentiſſimi eum immunem præſtare poterit; in quo excuſando ſuperiore capite d) jam fuimus occupati. Sed vero ex his quoque litteris illud patet, neque in alias Academias digreſſos, & beneficiis *Illuſtri Senatus* inprimis devinctos a rationibus reddendis fuiſſe liberos, ſuoque ſenſui & periculo haud relictos eſſe, & quoniam nihil in ſequentium temporum fatis, quod eos gravare amplius juſta ſuſpicione jubeat, occurrit, plane hinc conjicimus, ad interrogata eosdem ita reſpondiſſe, e) ut de mente ſaniori, aut mutata certe, dubitandi nihil cauſſæ eſſet.

§. XI.

Hæc vero quomodocunque comparata fuerint, certum tamen eſt, de *Peuſchelio Vogelioque* omnium maxime laboratum eſſe, ne fuga

a) Confeſſionem videlicet *Peuſchelii*, de qua antea mentionem fecerat.

b) A *Ruaro* hinc rupi immotæ comparatus. vid. Cap. II. lit. D.

c) Aut certe titubationem, ſi qua fuit, facile expugnabilem.

d) Et primo etiam §. 33.

e) Sed hæc ex eventu, conjiciendo magis, quam aſſeverando, ponimus. Documentis enim ſcriptis deficimur: quæ ſine dubio, uti brevia fuere, non ſunt aſſervata, aut oretenus pronunciata, privatimque Theologis duntaxat reddita, litteris prorſus non ſunt conſignata.

& ipsi ad *Dümleri* exemplum elaberentur, aut interea, dum *Jenæ* atque *Wittebergæ* adhuc hærerent, vel corrumperent alios, vel ad frugem redeundi subsidiis etiam necessariis ipsimet destituerentur. Hunc in finem, ut *Peuscheliana* primum exequamur, semel iterumque a *Theologis Jenensibus*, cumprimis vero *Grauero*, ad *Inclyti Senatus Noriberg.* nutum, per litteras significatum, colloquia cum eo habita sunt; quorum prius A. 1615. aut medio aut ineunte mense *Novembri* institutum esse, cognovimus ex *Vogelianarum* litterarum, d. 22. eodem mense scriptarum, a) excerptis: In quibus disertis verbis ejus, tanquam *nuperrime* instituti, ille meminit, & *Peuschelium* ad constantiam in opinionibus animo firmiter conceptis adhortatus est. Posteriorum vero cum *Grauero* collationum hinc inde ipse *Peuschelius* mentionem fecit, & in epistola superiore ipsaque confessione, ad *Illustrem Curatorum Univers. Altorphinæ Ordinem* ex *Jenensi Athenæo* transmissa, non obscura vestigia reperiuntur. Ipsas equidem litteras, ad Jenenses Theologos hac de caussa exaratas, adipisci nondum potuimus. Earum vero locum facile explebit *Theologorum Noribergensium*, *Joh. Fabritii* Antistitis Ministerii totius & Pastoris Sebald., & *Joh. Schröderi*, Laurentiani, in caussa eadem, *Inclyto Senatui* datum Consilium, his verbis conceptum:

„E E. F. und wohlweise gebietende grossgünstigl. Herrn Scholarchæ:
„Nachdem E. E. und Herrl. Joachimi Peuschelii Responsum, auf „fürgelegte Fragen, uns zu ponderiren übergeben, haben wir es un„verzüglich abgelesen, und darinnen befunden, dass er leyder! dem „Photinianismo zugethan. Ob er dabey gæntzlich zu verbleiben ge„dencke, wissen wir noch zur Zeit so eben nicht. Er möchte sich viel„leicht weisen, und von gefasten Irrthum abhalten lassen; Wie aber „solches anzustellen, ist diss unsern einfæltigen Verstand nach der „nechste Weg (wo kein gross Geschrey hie in der Stadt davon erschal„len soll, welches sonst, wo es geschehen sollte, nicht scheint dienst„lich und der Christlichen Gemeinde erbaulich seyn) dass sein Vater „M. Lazarus Peuschel Diac. zu St. Laurenzen b) neben unser beeden „einen, an den hochgelehrten Herrn D. Albertum Grauer zu Jena „[der ein Examen præcipuarum Sophisticationum Photinianarum pu„blicirt, c)] schriebe, und ihn bittlich ersuchte, mit M. Peuschelio pri„vatim de Photinismo unbeschwehrt zu conferiren, und von ihm auf fürge-

a) Inter *Peuscheliana* repertarum.

b) Conf. Cap. I. §. 5.

c) Prodiit is libellus primum A. 1613. 4o Jenæ, & *Fr. Davidis*, *G. Blandratæ*, *F. Socino*, atque *Ostorodo* & *Smalzio* oppositus, pro Divinitate Christi atque Persona Sp. S. potissimum propugnat, inque I. Cap. Ep. ad Hebr. explicatione præcipue occupatus.

fürgehaltenen Gegenbericht, aus Heil. Schrifft, orthodoxæ Ecclesiæ" consensu & authoritate Symbolorum Oecumenicorum zu verneh-" men, was er noch gesinnet. Wo er dann halsstarrig auf seinem irri-" gen Wahn wollte beharren, wird ein E. E. F. und wohlweiser Rath" unsere Liebe und lœbliche Obrigkeit allhie, der Gebühr nach ge-" gen ihn wohl wissen zu verfahren. Wollten wir E. E. und Herrl." mit wenigen in Vnterthænigkeit unsere Meynung dero Befehl nach" erœffnen. Deroselben uns zu beständigen gunsten befehlende. Si-" gnatum d. 3ten Octobris A. C. incarnati A. 1615."

E. E. und Herl. unterthænige und gehorsame"

Joh. Fabritius.
Joh. Schrœderus.

Mutatane sint nonnulla a) in hoc consilio a Theologis subministrato necne, cum *Vogelius* in epistola ad *Peuschelium*, b) plurium numero usus, perspicue colloquium cum *Theologis* nominaverit, pro certo non affirmamus. *Schröderum* vero in isthoc negotio, tanquam amiciorem *Grauero*, præcipue fuisse occupatum, eidemque & *Grauerum* lubentissime gratificatum esse, & fortassis eundem quoque collegas suos in auxilium sponte adscivisse, admodum verisimile est. Vtcunque vero res ceciderit, utrobique tamen parum hac via profectum esse, tristis, quantum ad hoc, eventus docuit. Etenim meliora docentibus homo obstinatus non tantum non cessit; sed multo obfirmatiori animo posthæc videtur sua, quæ animo imbiberat, dogmata, a cœlesti veritate aliena, defendisse. Et quamvis interdum animi penderet, rebusque suis metueret, tamen melioris fortunæ spe subinde se sustentavit inter varios tam conscientiæ, quam infortunii imminentis, angores. Eaque procul dubio de caussa d. IV. Decembr. ad *Paullum Lautensakium* c) scripsit: *Bene equidem valeo: Vtinam vero & status rerum mearum præsens æque valeret! Sed quid tum postea? Ruat cœlum, fatiscat terra; Dominus tamen nostrum refugium. Hæc communis est & fuit omnium piorum, omniumque eorum, qui in inveterata religionis placita accuratius inquisivere, sors & fortuna*, & reliqua.

§. XII.

a) Ita ut ipse loco *Peuschelii* Patris scripserit *Schröderus*, & quæ sunt alia his similia.

b) MSta videlicet, & inter reculas *Peuschelianas* repertæ, cujus tantum eclogas videre nobis licuit.

c) Quæ & ipsa in varia ista, quam diximus, supellectile inventa, atque *Noribergam* cum cæteris missa fuit.

§. XII.

Multo vero copiosius luculentiusque animi sui sensa idem *Peuschelius* inter hæc exposuit mercatori cuidam Noribergensi, *Georgio Pregelio*, quo amico frater ipsius potissimum usus erat, & quem supra quoque vidimus a *Michaële Gittichio* cum aliis salutatum. a) Quam epistolam integram, quia singulari fato adepti sumus, ex ipsius *Peuschelii* MSto exemplari, cum B. L. communicare non pigrabimur.

„Die Gnade unsers HErrn JEsu CHristi, die Liebe GOttes, und „die Gemeinschafft des Heiligen Geistes sey mit uns zu allen „Zeiten. Amen.

„Freundlicher, insonders geliebter Herr Pregel: So ihr noch wohl „auf, hœre ichs gerne; Ich weiss GOtt lob nicht anderst zu sagen. „Dissmahl geschicht mein Schreiben an dem Herrn wegen der „Freundschafft, so er zu meinem lieben Bruder seel. (ach weh des „Leydens!) und durch ihn zu mir gesucht hat. Dieselbe zu verneu„ern und zu erhalten, hab ich dissmahl schreiben wollen, weil lange „Zeit keiner von dem andern Brief empfangen, noch des andern Zu„stand weiss. Was meinen Zustand betrifft, ist derselbe nach GOt„tes Schickung, wie es in dieser letzten Zeit pflegt zuzugehen, und „Christus der HErr geweissaget. Denn ich dem Herrn nicht verber„gen will, wie dass ich bey meinen gnædigen Herren von etlichen, „denen es nicht geziemt, verunglimpfft worden, als wann ich der Ar„rianischen b) Kezerey beypflichtete, oder zu derselben grosse Lust „und Zuneigung trüge. Derohalben sie vor einem viertel Jahre ein „sonderlich Schreiben samt zwœlff Artickeln c) an mich geschickt, „und darauf zu antworten mir sorgfaltig und ernstlich befohlen. Ich, „weil ich vor dieser Zeit zu Altdorff dem D. Schopper etliche Sachen „entgegen gesetzt, und in einer Disputation d) fürgeworffen, auf „welche er nicht richtig und gnug, meinem Beduncken nach, ge„antwortet, und sonst andere Einwürffe mehr gehabt, welche noch „nicht erœrtert; Habe ich darauf weder Ja noch Nein gesagt, son„dern die Gegenwürff fürgebracht und gebetten, sie wollten sie durch

a) Vid. Cap. I. §. 35.

b) Quasi vero hoc nomen διακριτικὸν tunc temporis non παχυλῶς usurpatum fuisset? Latibula igitur denuo hoc obtentu, quod *Arianus* non sit, pressiori scil. significatu, quærit homo vaferrimus, & glaucoma amico objicit.

c) Conf. §. 6. & p. p. §. 8.

d) *De. S. Trinit.* in qua Resp. partibus fungebatur *Joh. Saubertus*; de qua Cap. I.

durch ihre Theologen und Prediger beantworten lassen, welches,“ wann es geschehen, wollte ich mich alsdenn richtig erklæren. Aber“ was geschicht? Die Prediger schreyen alsbald nicht allein meine“ Schrifft, sondern auch mich für Arrianisch, Photinianisch und Ke-“ zerisch aus, und haben meinen Vnfall beklagt: gleichsam als ob“ etwas fürwerffen oder fürbringen, und dasselbe gænzlich glauben,“ was einer fürwirfft oder fürbringt, eins wære. Derjenige, so mich“ angeben, a) schont weder meiner Eltern, noch meiner, und mei-“ nes guten Nahmens, vergisst aller Christl. Lieb und Klugheit. Denn“ die Christl. Lieb und Weisheit rathet, dass man den Bruder, so sün-“ diget oder strauchelt, erstlich mit einem oder zweyen allein soll“ ermahnen, und alsdenn erst sage und klage: Aber diese machens“ verkehrter Weiss, nach Art des Antichrists, da laufft man alsbald“ zur Obrigkeit, verkleinert einen bey den Predigern, ehe man ei-“ nen allein und in geheim vermahnet, welches ein Anzeigung ist,“ eines heimtückischen Gemüths, so nicht aufrichtig. Das sind die“ rechten Kazen, die fornen lecken, und hinten krazen. Aber GOtt“ ist Richter. Man hat mich niemahls allein in Geheimb vermahnet,“ oder mich um etwas gestrafft, sondern alles heimlicher Weiss aus-“ getragen, da ich doch lang gnug zu Altorff gewesen, und jeder-“ mann unter Augen gangen; b) welches mich am meisten verdreusst.“ Vnterdessen gehen selzame Reden, dass etliche sagen: man kœnne“ nicht antworten. Aber das sind Narren-Reden: Denn Christus seinen“ Jüngern solchen Mund und Weisheit verheissen, welcher alle ihre“ Wiedersacher nicht sollen wiederstehen. Matth. X. Wann nun die“ Prediger solche Weisheit haben, (wie jedermann glaubt und dafür“ hælt) wie sollten sie die Sach nicht wiederlegen kœnnen. Diss ist wie-“ der einander. Vom Stephano, dem Vorbild aller Glaubigen, und“ Verfechter der Wahrheit stehet geschrieben: Sie kunten nicht“ wiederstehen dem Geist und der Weisheit, so durch Stephanum re-“ dete. Aber nach dieser Leut Meynung, muste das Wiederspiel an“

a) Denuo aut cum larvis luctatur *Peuschelius*, delatorem sibi fingens, quem fama, non semper mendax, talem esse ferebat; aut ipse sincerus non fuit, qui, cum male sibi conscius esset, justissimam atque gratiosissimam *Illustrium Vniversitatis Curatorum*, ad rationem reddendam, ut epistola docet, cujus ipse paullo ante meminit, invitationem tam inique interpretatus, atque *Pregelium* suum meris tergiversationibus, & fallaciis etiam verborum, ludificatus est.

b) Dubito, an hæc cum clandestinis, *Altorphl* etiam diu continuatis molitionibus, & ipso cryptico scribendi genere congruant.

„den zweyen Orten ſtehen. Matth. XXII. ſtehet: Vnd ſie (die „Phariſæer) kunnten kein Wort antworten: Item, daſs er den Sad-„ducæern das Maul geſtopffet. Was nun dem Haupt Chriſto wie-„derfahren, wiederfæhrt auch den Gliedern. Vnd wenn ſolche Leut „gefunden würden, müſſen ſie entweder die Wahrheit gar nicht „haben, oder wann ſie ſchon dieſelbe haben, nicht wiſſen zu ver-„theidigen. Aber von dieſer nærriſchen Red, mit welcher etliche „ihre Prediger unwiſſend verrathen, und in Verdacht bringen, als „wenn ſie die Wahrheit (da GOtt für ſeye) gar nicht hætten, oder „dieſelbe nicht wüſten zu vertheidigen, iſt gnug geſagt, und iſt „nicht gut dieſelbe nachzuſagen. Ich rede es, wie es andere ge-„redt haben. Ich halt weit mehr von den Predigern, als ſolche Leut. „Bitt freundlich, wollet keinen bœſen Argwohn von mir ſchœpffen, „noch deſshalben die Freundſchafft aufgeben. a) Ich hab ein rech-„ten Glauben (wie ihn Lutherus der Heyl. Schrifft gemæſs gelehret) „nichts verændert. Halte Lutherum und ſeine Schrifften hoch, le-„ſe ſie auch nach Gelegenheit fleiſſig. Verdamme dagegen den A-„rianiſchen Schwarm, da man lehret, der Sohn GOttes ſey ein er-„ſchaffener Geiſt vor der Welt gemacht, durch welchen der Vat-„ter, als durch ein Werckzeug die Welt erſchaffen: b) Der Heyl. „Geiſt ſeye eine Creatur. Deſsgleichen verwirff ich den gottlo-„ſen Kezer Ebion und Cerinthum, die fürgeben, Chriſtus ſey na-„türlicher Weiſe vom Vatter und Mutter, wie wir, gebohren, er ſey „nicht GOttes Sohn oder GOtt. c) Welches alles ſchwermeriſch „und verwerfflich. Der Herr bleibe bey der Heil. Schrifft allein, „darnach bey dem Catechiſmo Lutheri, miſche ſich nicht in das Ge-„zænck, bleibe bey dem, dazu ihm ſeine liebe Eltern erzogen ha-„ben. Etliche nichtswürdige Leut ſagen: Ich hab die Glaubens-Be-kænt-

a) Alienum igitur fuiſſe *Pregelium* hunc a *Sociniſmo*, eumque abhorruiſſe, & *Peuſchelium* contra malæ mentis conſcientiâ motum, ne benevolentia hujus amici excideret, hæc, quibus fucum ἐκ προαιρέσεως optimo viro fecit, ſcripſiſſe, hinc potisſimum elucet. Quæ ideo monenda videbantur, ne quis *Gottfr. Arnoldo*, neſcio quid, de civibus (*Bürgern*) Noribergenſibus hac lue infectis, quem locum alibi adducemus, blatienti, fidem ex hac epiſtola etiam conciliare audeat. Cujus ſuſpicionis cauſſas non ſpernendas forte aliquis ex Cap I. §.35., ubi inter *fratres* quoque idem ſalutatus legitur, deducere poſſet.

b) En, quo ſenſu *Arianum* ſe eſſe ſupra negaverat; Quaſi vero de eo diſputatum fuiſſet.

c) Hinc quoque, quare tam audacter & verboſe in *Ebionitas* ſupra in confeſſione invectus ſit, elucet. De qua tamen erroris Ebionæi *parte* ſermonem non fuiſſe, ipſe *Peuſchelius* ignorare haud poterat.

kæntnufs Athanafii überaus fehr vexirt, und durch die Hechel ge-“
zogen; Aber das glaube niemand, es ift nichtig und falfch. Ein-“
würff hab ich gebracht, und fonft nichts mehr: ich bin nicht fo“
gottlofs. a) Wollte dem Herrn nicht rathen, dafs er folche Sachen“
lefe. Jedoch, wenn einer fo viel hin und wieder davon hœret, und“
einer Luft dazu bekæme, wie ein fchwanger Weib, rieth ich ihm,“
dafs er lefe Herrn Doctoris Grauers bey unfer Jenifchen hohen“
Schul Profefforis Antwort auf das erdichte Berlinifche Gefpræch“
unter Peter Freyens Nahmen ausgangen; b) da aus der teutfchen“
Vnterrichtung Chriftophori Oftorodi, fo von Gofslar [fehet doch“
lieber Herr Pregel, wie die Leut uns anftecken wollen. O defs“
Jammers c)] und der Antwort eben deffelben Oftorodi auf die“
Schrifft Georg Tradeln Doctoris der Rechten zu Augfpurg viel an-“
gezogen wird, famt kræfftiger Wiederlegung: Wiewohl der fürtreffl.“
Mann aus groffen Eifer bifsweilen gar nichts antwortet. d) Hütet,“
hütet euch, und prüfet alles, das Gute behaltet. Georgius Roftius“
zu Roftock hat den Teutfchen Photinianifchen Catechifmum wie-“
derlegt, e) da fich gleichwohl etliche lofe Leute finden, die da fa-“
gen, die Wiederlegung fey gar nichts nuz; Aber weg mit den Spœt-“
tern, fie ift ftattlich gnug. Vnd wenn dem alfo wære, warum hæt-“
ten die Doctores der Heil. Schrifft zu Roftock es laffen ausgehen.“
Glaubt fein fchlecht und einfæltig der Heil. Schrifft, klügelt nicht“
zu viel. Man hat wohl auf fich in diefer gefæhrlichen Zeit zu fe-“
hen. Denn da gehen Gefpræch aus, vom Chriftenthumb, wie“
Valentinus Weigelius eines gefchrieben, und zu Hall gedruckt“

 ift,

a) At *infulfi monachi* commentum vocaffe, profecto in honorem hujus fymboli non cedebat.

b) Tit. libri hujus eft: „*Gründl. Wiederlegung der ungegründeten Auflagen, damit* „*das erdichtete Berlinifche Gefpræch unter den* „*ertichteten Nahmen Peter Freyens, neben anderer, reinen Theologen, auch meine Bekandtnufs* (Graueri) *als wenn fie mit Calvino überein ftimmete verdæchtig zu machen fich unterftanden: benebft augenfcheinlichen Beweifs das die Calviniften bey ihren Lehr-Puncten die neuen Arianer und Photinianer* „*in den Articuln von der ewigen Gottheit Chrifti, Abendmahl, Tauff und dem Ampt Chrifti zur Gnüge nicht wiederlegen können. Jena* 1615. 40.“

c) Dubio procul hæc fenfu εἰρωνείας funt intelligenda: ut fequentia confirmant.

d) Quæ quo animo priora fcripta fint, aperte produnt.

e) De quo *Roftii* libello in fequentibus differemus. *Balduini* enim Confutatio nondum prodierat in lucem, quæ lucem A. 1618. extremo demum adfpexit, immo in titulo A. 1619. præfert, quo prælo exiit. Quam tarditatem ipfe quidem Theologus laudatus redditis rationibus excufavit, alii tamen citius prodiiffe difcuffionem ob graviores cauffas maluiffent.

„ist, a) da die Prediger für Blindsturel ausgeschrien werden, die „ganz blind sind, für welchen man niederfalle und spreche: Vatter „unser, der du bist auf Erden &c. Item, daſs sie die Leut verfüh-„ren mit der zugerechneten Gerechtigkeit Christi, daſs die Leut „meynen, es sey gnug, wann sie glauben, Christus ist gerecht und „heilig. Wann sie schon für sich nicht gerecht und heilig sind. Ja „dieser Mann ist so kühn und frech, daſs er mit vier starcken Vrsa-„chen beweisen will, es predige kein Pfarrherr den gecreuzigten „Christum in Teutschland von der Canzel, dieweil sie viel sagen von „seiner Person und Lehr, nichts von seinem Leben, daſs man dem-„selben nachfolgen solle. Ach lieber Herr Pregel, was erleben wir „doch nur! Ist das nicht eine Verachtung des Predigamts? Zwar „bey etlichen und zwar vielen ist es leyder! wahr, daſs sie viel sa-„gen von Christi Person, wenig oder offt gar nichts von seiner „Nachfolgung: ja selbst dasjenige nicht thun, was sie predi-„gen. Aber man muſs es nicht auf alle ziehen. Vnd haben „solch Gespræch die gemeine Juden-Kræmer, so auf die Kirch-„Weihen und Jahrmærck ziehen, feil. b) Wiewohl es auch et-„liche Buchführer haben: zu Nürnberg aber ist es gar nicht, wie ich „hœre. Sind seltzame Sachen drinnen, derwegen sich wohl fürzuse-„hen. Man sagt daſs gantz Frieſsland voller Wiedertæuffer seye, und „daſs sie œffentlich lehren und schreiben, aus Zulassung der hohen „Obrigkeit der Herrn Staaten, wie denn alle Religion in Holland frey „ist. Zu Hamburg sollen bey 300. seyn, verstehe Wiedertæuffer. In Schle-

a) Titulus est: „*Dialogus de Christiani-„smo, das ist ein Christliches hochwichtiges „nothwendiges Colloquium, oder Gespræch „drey fürnehmer Persohnen in der Welt, als „Auditoris, Concionatoris und Mortis. Wie „der Mensch von GOtt gelehrt, aus GOtt wie-„dergebohren, mit Christo leibhafftig, inner-„lich und eusserlich vereinigt seelig und ge-„recht werde, und nicht auſserhalb ihme. Hall* 1614. Qui libellus utrum a P. *Weickarto* fictus, an ex MStis *Weigelii* typis subjectus sit, nostrum non est pronunciare. Hoc tamen affirmare possumus, etiam *Weigeliana* scripta ac placita, vel propter pietatis studium, quod urgere videntur, & schisma, seu separationem a corruptis in moribus vitaque Ecclesiis, quam svadent, aut certe promovent, non omnino displicuisse *Socinianis*, & a *Ruaro* quoque hinc inde in epistolis cum laude commemorari. Conf. not. proxime hanc epistolam subsequentem, in qua ipsa *Ruari* quædam notabilia verba excerpta dabimus.

b) Vt fuerint hi libelli, Weigelianum nomen præ se ferentes (falsa enim commissa esse, vel Præfatio *Confessionis Weigelii*, quæ A. 1618. prod. Neostad. 4⁰ docet,) sparsi & distracti, inde manifestum est: cujusmodi etiam methodus *Jo. Lysero*, de polygamia nænias, *Theophili Alethæi* nomine, venditanti placuit; quem libellos vetulis in foro scrutario desidentibus tradidisse, a fide dignis Viris narratum nobis esse, meminimus.

Schlesien um Pressłau viel Photinianer, [welche der gemeine Mann" nur Arianer heisset a)] In Siebenbürgen, soll fast der gantze Adel," der Oberste Canzler des Fürsten, der gantze Rath in der Hauptstadt" Clausenburg, und andere Oerter mehr bey 200. Pfarrherrn Arianisch" und Photinianisch seyn. b) Neulich sagt ein Frembder, wie daſs et-" liche Ræth deſs Fürsten von Brandenburg Photinianisch wæren. Aber" das wird ohne Beweiſs gesagt, und ist nicht gut nachzusagen. Ein" Kauffmann soll neulich für einen halben Jahr durch Helmstatt pas-" sirt, bey einem Professor eingekehrt seyn, und über den Nachtes-" sen in Beyseyn der Tischborsch Photinianische Bücher aufgeschla-" gen, und daraus disputirt haben. Diſs erzehle ich geliebter Herr" Pregel, daſs ihr euch desto fleissiger vorsehet, und hütet. Habt gnug" gelernt, wann ihr wisset, daſs unser Christenthum nicht in grossen" disputiren bestehe, sondern im heiligen Gehorsam. Davon Jo-" hannes in seiner Epistel sagt : Daher wissen wir, daſs wir ihn ken-" nen, so wir sein Geboth halten : Wer da sagt: ich kenne ihn, und" hælt sein Gebot nicht, der ist ein Lügner, und in solchen ist die" Wahrheit nicht. Lasset uns in heiligen Leben und Wandel zuneh-" men, den blinden Eifer weglegen, dargegen hertzliches Erbarmen" anziehen, einander verdulten. Den Schwachen im Glauben helfft" auf, die ihr geistlich seyd, sagt Paulus Rom. 14. Laſst uns für unse-" re Feind und für alle, so deſs rechten Glaubens nicht sind, fleissig" bitten, darnach etwas bessers aus GOttes Wort unterweisen, und se-" hen, daſs wir sie mit Wercken der Lieb, so wir ihnen erzeigen sollen," gewinnen. Wer stehet, sehe zu, daſs er nicht falle : Denn wer heut" stehet, kan morgen fallen, und wer heut fællt, kan morgen aufstehen." Denn GOtt kan ihn aufrichten: Sagt Paulus. Davon ein ander mahl" mehr. Befehl hiemit den Herrn in den Schutz deſs ewigen GOt-" tes. Wenn der Herr wieder schreibt, so schreib er auf den Brief in" D. Piscatorin Hinter-Hauſs c) wohnhafft. Vnd weil der Brief hin" und wieder gezogen wird, so mache er ihn auf das fleissigste zu, und" schreib ihn sonst mit Bedacht und Verstand, damit nicht ein Fremb-" der, so er in seine Hænde kæme, etwas auszuscaliren haben mœgte."

a) Ipse ergo, quo sensu & qua sententia *Ariani* dici queant, aut soleant *Photiniani*, non dissimulavit. Ad hæc, *popularis* verborum usus quantum possit valeatque, nemo nescit.

b) Eadem Auctor *Vindic. Vnitariorum* a *Sandio* evulgatarum in nota ad f. 268. * tradit, quando : *Eminent Vnitarii Claudiopoli & Tordæ : & habent in Transylvania & Siculia plures quam* 200. *Ecclesias.*

c) Conf. infr. §. XX.

„Wann der Herr ſonſten Gelegenheit hat, mir ſtracks nach Jena zu-
„ſchreiben und zuſchicken, verſtehe von Leipzig aus, thue er es, und
„melde mir wiederum rechte Gelegenheit an ihn zu ſchreiben. Zu
„Wittenberg habe ich einen bekannten bey Herrn Vffinger a) wohn-
„hafft, dem der Herr ein Schreiben, ſo er Gelegenheit hat, und will,
„kan zuſchicken, da mir es wird zukommen. Schreib der Herr ei-
„nen Brief an Johann Vogel Theologiæ Studioſum, bey Herrn Vffin-
„ger wohnhafft, und ſchlieſſe meinen drein, ſo bekomme ich ihn. Der
„Herr ſchreibe, wie weit Ploza b) von Zerbſt oder Anhalt oder Wit-
„tenberg iſt. In GOtt wieder befohlen. Geben zu Jena in eyl den 18ten
„November im Jahr Chriſti, ſo wahrer GOtt c) und Menſch 1615. Mein
„Sach hængt noch zwiſchen der Thür und dem Angel, und iſt den
„Predigern d) übergeben. Bitt hoch und fleiſsig, der Herr wolle die
„Freundſchafft wegen meines lieben Bruders ſeeligen nicht aufgeben

E. Dienſtwilliger
jederzeit Joachim Peuſchel.

Non putamus, epiſtola hac, verboſiori licet, exſcripta typis ſtannoque, nullum nos feciſſe operæ pretium. Præterquam enim, quod rerum ſtatum, in quo velut inter ſacrum & ſaxum, quod ajunt, adhuc *Jenæ* hærebat *Peuſchelius*, jam inclinato Novembri menſe, accurate deſcriptum dare poteſt; ejusdem ſimul vaferrimam mentem, adinſtar anguillæ ſeſe flectentem & elabentem, dilucidius reddit conſpicuam. Eo certe omnia, aut pleraque ſaltem, in ea comparata ſunt, ut, quid affirmet negetque, vix ex tot quæſitis ambagibus colligi posſit. Quædam etiam, v. g. A. *Graueri* & G. *Roſtii* ſcripta eum in modum prædicantur, ut acerbius traduci non potuerint. Cujusmodi etiam ſine dubio in *Weigeliano* e) *Dialogo* laudato pariter ac culpato ſenſus latet.

a) *Vogelium* innuit, *Vffingeri* contubernalem, eundem nimirum, de quo p. p. diſtinctius loquitur.

b) *Plæzgau* ſine dubio innuit, *Kœthenſis* lineæ Principum *Anhaltinorum* oppidum, ad *Salam* ſitum.

c) *Verus*, ſed *non ſummus.* Nova fraus viro candido facta. Pari modo, uti ſupra *Sonerum* confitentem audivimus.

d) *Noribergenſibus* videlicet, de quibus ante jam dictum eſt, primariis.

e) De cujus *Weigelii* ſcriptis plura alias eum diſſeruiſſe, in epiſtolis ad *Ruarum* exaratis, reſponſio illa admodum memorabilis edocet, quam *Argentorato* redditam, hodieque P. II. *Ruarianarum Epp.* n. IX. f. 56. ſqq. videre eſt. Multoque magis jucundum eſt *Ruari* judicium, quod de ſcriptis iſtis Weigelianis tulit; quando, autorem *hominem fuiſſe pium, qui tribulos & ſpinas morum peſſimorum, in agro Domini maxima luxuria fruticantes, extirpare voluerit, ſed in ſarculo aut ligone aberraverit*, ait, *eumque laudandum* exiſtimat, quod *voluntatem ad opus tam egregiam attulerit, miſerandum vero, quod aliquid humanitus paſſus ſit.*

tet. Quorſum denique conſilia maxime omnium ſpectarint, eo videlicet, ut quæſtionibus, inter nos & *Photinianos* controverſis, inter problemata ſcholaſtica rejectis, ſoli vitæ integritati ſtudeatur, a) valde perſpicue in poſtremis lineis expoſitum eſt. Ac proinde mirum non eſt, quod tanto in pretio Remonſtrantium haud diſſimilia placita apud noſtrum, b) complicesque cæteros, fuere, quæ non multum ab hisce hypotheſibus diſcrepabant. Vt alia taceamus, de quibus B. L. integrum eſt, perlectis his litteris, libere judicare.

§. XIII.

Quemadmodum vero hæc libero calamo & familiariter ad amicum perſcripſerat, ita ipſe quoque *Peuſchelius* in hoſpitio conducto, prout ex hac ipſa epiſtola apparet, adhuc habitabat, neque quod ſciamus, ulla domeſtica arctiorique cuſtodia aut laxiori duntaxat, intra civitatis ambitum incluſus c) attinebatur; donec exeunte anno, & occaſionem procul dubio dante *Dümleri* fuga, non minus infida quam inopinata, d) ad eundem aſſervandum majori ſolicitudine officium Magiſtratus, ſeu Senatus Academici Jenenſis, requireretur. Ad quam vero novam rerum cataſtrophen antequam animum appellamus, quid de *Vogelio* interim decretum ſit actumque in cauſſa prorſus ſimili, immo plane eadem, pari modo enarrandum explicandumque eſt. Idque nunc demum fieri oportebat, quandoquidem maturius *Peuſchelii* in religione integritas vocari cœpit in dubium, quam *Vogelii* conſenſum cum eodem compererant *Reipubl. Noribergenſ. Proceres Generoſisſimi.* Sed poſtquam accuratius exploratum eſt, indiciis procul dubio in *Examine* illo *Altorphino* factis luculentioribus, hunc etiam inter capita novorum Photinianorum eſſe numerandum, ab eo ſine mora confesſionem itidem edendam poſtulare, atque opera inſuper *Schröderi ex Theologis Wittebergenſibus*, quid de illo ſentirent, ſciſcitari placuit. e) *Joh. Schröderi* epiſtola, quæ primo omnium illuc videtur perſcripta, aut alibi latet, f) aut iniquitate temporum intercidit;

a) Quæ fabula hodie mutatis perſonis denuo luditur, & tandem ſimilem *Peuſchelianæ* religionem, aut Atheiſmum, vereor, gignet.

b) Neque poſt nuncium *Sociniſmo* remiſſum prorſus ab eo, ut Cap. IV. demonſtrabimus, deſerta.

c) *Arreſtum* vulgo vocamus, a carcere diſtinctum.

d) Conf. §. IX. & inferius §. XXXV.

e) Secundum conſilium, quod ipſum cum *Fabricio* collega ſubminiſtraſſe, ſupra obſervatum eſt §. XI.

f) In Biblioth. ut ſuſpicor b. *J.H. Maji*, eoque faſciculo, unde *G. Arnoldus* multo plu-

cidit: Ea vero, qua negotium urgendum censuit, ante annos hos amplius XX. ab amico quodam mecum communicata, *secunda*, sequentem in modum habebat:

(Tit.) *Balthasari Meisnero*
Johannes Schröderus S. P. D.

„*Superioribus meis litteris significabam, in Collegio vestro, nisi me fama fefel-* „*lit, versari quendam Noribergensem Vogelium, Inclyti Senatus nostri* „*stipendiarium, qui in eam vocatus sit suspicionem, ac si Photinianorum re-* „*centium erroribus fuerit implicatus. Qua de caussa a R. T. D. illum, ut* „*observaret*, a) *petii. Crevit interea suspicio illa; cui non ita pridem ma-* „*gna facta est accessio per epistolam quandam Dn. D. Graueri, qua in* „*ipsum antehac acriter apud Jenenses Photinianismum defendisse, scribit.* „*Quamobrem denuo solicitanda mihi est R. T. D. quam rogo, si quid obser-* „*vando deprehendit, mecum communicet. Præsertim vero vellicet eum &* „*stimulet hominem, ut ad* ζητήματα, *quæ ipsi non ita pridem ab Ampl. DNN.* „*Scholarchis nostris proposita fuerunt, candide & diserte respondeat. Quod* „*nisi fecerit, propediem revocabitur domum, ut fidei suæ rationem apud nos* *reddat. &c.* (Nam quæ sequebantur, privata erant, & ab amico, cui ista debeo, de industria omissa.) *Norib.* 1615. *d.* 19. *Novembr.*"

Joh. Schröderus, Ecclesiastes ad S. Laurentii.

Quantum perspicio, ex hac epistola effici potest, non ipsos *Theologos Wittebergenses* significationem primam dedisse *Ecclesiæ Noricæ Antistitibus*, sed aliunde cognitum esse, *Vogelium* quoque a veritate Evangelii alienam mentem induisse; atque hinc amplius sive calliditatem hominis depravati miramur, in occultanda animi sententia, sive credulitatem doctorum & præceptorum, cum quibus ille non minori, quam cum *Grauero* olim, vehementia & fervore disputaverat, b) neque tamen serio rem agere adhuc judicabatur; quam supra ex *L. Hutteri* epistola ipsummet audivimus petulanti splene risisse. Nisi forte, dubitantem in rectam viam se posse revocare, nutantemque confirmare, existimaverint, quod *Seideliani* MSeti illa toties commemorata in *Jac. Martini* potestatem traditio c) sperare jusserat.

§. XIV.

plurima, quæ non optima, tamen haud raro fide, in Opere *Hist. Eccl. & Hæret.* inde decerpta ac sæpe concerpta exhibet, deprompsit.

a) Argumentum ergo prioris epistolæ hoc fuit, ut animus intentissime in *Vogelium* advorteretur, quo, quid sentiret in negotio religionis, in privatis colloquiis ac disputationibus publicis, vel eo non opinante, intelligi posset.

b) Vid. supra §. 2. sq.

c) Cap. II. §. 44. & Cap. III. Sect. I. §. 5.

§. XIV.

Poteramus & de Jenenſibus diſputationibus, anno jam ſuperiori 1614. habitis, hic nonnulla commentari, quæ & *Schröderus* ex *Graueri* epiſtola repetiit; ſed quia ſub initium hujus capitis, quædam jam ante de periodo illa & velitatione, in tranſitu cum *Grauero* inſtituta, ac fortaſſis liberiore, a) quam *Wittebergæ* deinde factitatum eſt, ſunt narrata, nolumus heic diutius morari. Ipſas *Illuſtris Dn. Curatorum Academiæ Altorphinæ Collegii litteras* nunc potius ſubjungemus, ad quas & *Schröderus* provocavit; quibus ad reddendam fidei ſuæ rationem ſerio depoſcebatur, iisdemque ipſam poſthæc *confeſſionem* attexemus; Ex qua etiam in hiſtoricis hujus negotii circumſtantiis multo plura, quam *Peuſchelii* diffuſa & perplexa declamatione, intelligi poterunt. Quamvis enim & illa novis diſquiſitionibus obnoxia, atque uberioris inquiſitionis materia extiterint, lucem tamen haud exiguam primis hujus tragici eventus exordiis accendunt, eoque nomine inprimis conſideratu etiam digna ſunt. Litterarum *Inclyti Magiſtratus Noriberg.* b) ad *Vogelium* datarum ſequens fuit tenor:

Dem Erbarn und Wohlgelehrten M. Johanni Vogel,
Studioſo Theologiæ zu Wittenberg,
unſern lieben Freund.

"Vnſern Gruſs zuvor: Erbar, Wohlgelehrter, lieber Freund. Euch
"geben wir hiemit zu vernehmen, welchermaſſen uns von einem
"und andern unſern Stipendiariis fürkommen, als ſollen dieſelbe zu
"der vor viel und langen Jahren, verdampten und zu dieſen betrüb-
"ten Zeiten wiederum herfür dringenden Kezerey Ebionis, c) Sa-

 moſa-

a) Quia ὡς ἐν παρόδῳ ea pronunciaverat, longius progreſſurus, eaque in pejorem partem non acceptum, aut in patriam perſcriptum iri ſperaverat: quod tamen, rebus aliter cadentibus, ita evenit.

b) Ejus nominatim Collegii, quod Scholarum atque Academiæ Altorphinæ curam ſibi demandatam habet & gerit: cui in ipſa Civitate *Curiæ pupillaris* nomen & locus tribuitur. Quod ſubſcriptum *Scholarcharum* nomen oſtendit.

c) Hæc eſt inſimulatio illa, in quam tanto animi impetu invectus eſt *Peuſchelius*; *Vogelius* autem, ad ſenſum prudenter reſpiciens, vix eam primis digitis attigit, præſertim cum ſequentia, quid per *Ebionitarum* hæreſin, cum *Photiniana* conjunctam, intelligatur, condocefaciant. Ne dicamus, inter ipſos *Socini* aſſectatores fuiſſe, qui *Ebionis* & Samoſateni cum doctrina ſua conſenſum explanate conceſſere. Qualis auctor eſt notæ *Vindiciis Vnitariorum* f. 268. ed. Sand. ſubtextæ, quando, Arianorum invidioſum titulum a ſe ſuiſque amoliturus, inter alia: *Immo Ariani*, inquit, *acerrime perſecuti ſunt Photini, Epiſcopi Syrmienſis, & antiquioris eo Paulli Samoſateni, Epiſcopi Antiocheni diſcipulos, qui primorum Chriſtianorum, Nazaræorum*, Ebionitarum

„moſateni, Photini &c. eine beſondere Neigung und Luſt tragen. „Ob wir uns nun wohl viel eines beſſern verſehen wollen, als daſs „jemand der unſrigen ſich durch Betrug des Sathans und ſeiner ei- „genen Vernunfft, dafür wir in Heil. Schrifft treul. gewarnet wer- „den, von der heilſamen Warheit, zu deren beydes er von Eltern „und Præceptoribus unterwieſen worden, auf ſolche ungeheure und „Gottslæſterliche Opiniones ſolte verleiten laſſen; jedoch weil die „Tieffe des Sathans ſehr gefæhrlich, und man offtmals mit Schmer- „zen erfæhret, was petulantia ingeniorum in Religions-Sachen an- „gerichtet: damit denn uns, und unſerer hohen Schul, durch leicht- „fertiges Diſputiren ein beſchwerlicher Verdacht oder Leimut auf- „geladen würde; als hat es uns tragenden Amts halben wollen ob- „liegen, ſolchen Vnheil bey zeit mit vætterlicher Vorſorg fürzu- „kommen, und dahin zu gedencken, wie durch GOttes Gnad, wir „und unſre Nachkommen bey der unverfælſchten Warheit des „Wortes GOttes, wie dieſelbe zuvœrderſt in Heil. Schrifft, und dan- „nenher in unſern libris normalibus verfaſſet iſt, mœgen erhalten „werden. Vnd weil hiezu kein bequemer Mittel erſcheinet, als ein „Chriſtlich aufrichtiges Bekæntnuſs, zu welchen ein jedes, wo es mit „Ernſt erfordert wird, nach der Lehr St. Petri, ſoll bereit ſeyn, ſo „werden euch und andern hiemit folgende wenige Frag-Puncten „fürgehalten, zu vernehmen, was E. Erklærung und Antwort auf „dieſelbe ſeyn wird. a)

„1. Ob beede Symbola, das Nicænum und Athanaſianum Heil. „Gœttl. Schrifft in allen Stücken gemæſs ſey?

„2. Ob in den einzigen, ewigen und unzertrennlichen Weſen „GOttes drey unterſchiedliche Perſonen ſeyen?

„3. Ob nicht das Photiniſch Argument: Wo drey Perſonen ſind, „da ſind auch drey Weſen, (ſintemahl Perſona anderſt nichts iſt, „als Eſſentia ſingularis intellectu prædita) lauter Sophiſterey, und „wie darauf zu antworten ſey?

„4. Ob in Chriſto unſern HErrn zwo unterſchiedliche Naturen, Gott-

tarum, *Theodoti Byzantini*, *Artemonis*, *aliorumque primo & ſecundo ſeculo viventium fidem retinentes, primævam veritatem urſerunt*; quam & nos confitemur.

a) Non dubitamus, quin quæſtiones hæ ideo ad hunc modum formatæ ſint, partim, quia in hos præcipue ſcopulos *Noribergenſes* ſodales, ſuperſtites Altorphi, impingere, jam fuerat cognitum, partim etiam, quoniam dubiorum nodorumque præcipuorum ſolutione ad hunc modum poſtulata, tanto accuratius, ubi aqua hæreret, & quæ mens diſſidentium eſſet, noſcendi ſpes affulgeret certior.

Gottheit und Menſchheit, zu einer einzigen Perſon vereinigt" ſeyen?"

5. Ob nicht das Photiniſch Argument: Wenn in Chriſto zwo" Naturen wæren, ſo würden auch, wie Neſtorius wollte, zwo Per-" ſonen in Chriſto ſeyn (ſintemahl keine verſtændige Natur ohne" ihre eigene Perſon, beſtehen kœnne) lauter Sophiſterey, und wie" darauf zu antworten ſey?"

6. Ob in Chriſto unſern HErrn eine warhafftige Gottheit ſey," nach welcher er mit GOtt ſeinem himmliſchen Vater eines einzi-" gen Weſens und von Ewigkeit ſey?"

7. Ob nicht das Photiniſch Argument: Der Sohn GOttes ſey" von der Jungfrau Maria empfangen, darum ſey er oder ſeine Per-" ſon von derſelben Jungfrauen, und alſo von Ewigkeit nicht gewe-" ſen; ſintemahl eine jede Perſon alsdann erſt anfange zu ſeyn, wann" ſie empfangen und gebohren werde; lauter Sophiſterey, und wie" darauf zu antworten ſey?"

8. Ob in Chriſto unſerm HErrn jezo im Stand der Herrlichkeit" eine warhaffte Menſchheit ſey, nach welcher er warhafftiges Fleiſch" und Blut, deren wir im H. Abendmahl genieſſen, habe?"

9. Ob nicht das Photiniſch Argument: Fleiſch und Blut kœn-" nen das Reich GOttes nicht ererben 1. Cor. XV. Ergo ſo habe" Chriſtus, der jezo im Reich GOttes ſey, weder Fleiſch noch Blut;" Sophiſterey ſey, und wie darauf zu antworten?"

10. Ob Chriſtus der Mittler, mit ſeinem Leyden und Sterben für" unſere Sünde gnug gethan, den Zorn GOttes geſtillt, und die Gna-" de GOttes zu weg gebracht habe?

11. Ob das Photiniſch Argument: GOtt habe uns geliebt, ehe" dann er ſeinen Sohn in den Tod gegeben, darum ſo habe nicht erſt" der Sohn GOttes mit ſeinen Leyden und Sterben den Zorn GOt-" tes geſtillet; lauter Sophiſterey ſey, und was darauf zu antworten?"

12. Ob der Heil. Geiſt eine beſondere Perſon ſey, vom Vatter" und Sohn perſœnlich unterſchieden, oder ob er allein die weſent-" liche Krafft des Vatters ſey?"

Auf dieſe Puncten, andere mehr jezt zu übergehen, iſt unſer" ernſtlicher Wille und Meinung, daſs ihr, ſo lieb euch nicht allein" eure angebohrne Obrigkeit, ſondern zuvorn der theure Nahmen" GOttes des Allmæchtigen und unſers Heylands JEſu CHriſti iſt," ohne Heucheley, ex ſenſu non aliorum ſed proprio, nach eurem"

„beſten Gewiſſen, euch reſolvirt und erklært, und zwar mit unver-
„ſchlagenen klaren Worten, damit nicht Noth ſey, fernere Erklæ-
„rung und Erlæuterung bey euch zu ſuchen. Welches, da man
„mit dunckeln und zweiffelhafften Worten etwas verſtecken wollte,
„nicht würde verbleiben. Solches gereicht zufœrderſt GOtt dem
„Allmæchtigen zu Ehren, einer vorgeſezten Obrigkeit zu ſchuldi-
„gen Gehorſam, und euch ſelbſten zu nothwendiger Entſchuldigung,
„und nach Befinden eurer Vnſchuld zu ſeiner Zeit, zu erſprieſsli-
„chen Befœrderung, deren ihr euch auf ſolchen Fall zu uns zuver-
„ſichtlich werdet zu getrœſten haben. Datum Nürnberg. Mitt-
„woch den 18. Octobr. A. 1615.

SCHOLARCHÆ.

Atque hæc eſt illa ipſa epiſtola, ad quam ſuperius, quum de *Peuſchelio* actum eſt, provocavimus. In eundem enim ſenſum iisdemque verbis, parum certe diſcrepantibus, quod reſponſio ejus oſtendit, ad illum quoque antea Jenam perſcriptum erat. Vtrumque proinde tam benigne a) videas ad apologiam reddendam invitatum, ut vel ſola hæc humanitas, cum gravitate decenti prudenter temperata, ad movendos animos diſſentientium, ut ſincere ediſſererent omnia, & quæ aliunde hauſerant, denuo recognoſcerent, ſufficere potuiſſet. Nihilo tamen minus, ea parum commovit *Peuſchelium*, nec abſterruit, quo minus artificioſe tergiverſando, ut paullo ante dictum, latebras ſubinde quæreret. Quas tricas, uti epiſtolæ ipſius ſupra deſcriptæ verba clariſſime demonſtrant, ita diligenter plerasque non ſine indignationis ſignificatione ſæpiſſime, ſua ipſius, quam poſſidemus, manu in notis ad marginem adjectis B. *Schröderus* caſtigavit.

§. XV.

At *Vogelius* multo, quod res ipſa docet, candidior ſine ambagibus animi ſui ſenſa exponendi exinde ſenſiſſe videtur ſtimulum. Siquidem non tantum, quid de ſingulis quæſtionibus propoſitis exiſtimaret, aperta fronte & procul ambiguitatibus declaravit; verum etiam cauſſas fontesque erroris, in *Altorphinam Academiam* ſubrepentis, atque hinc imprudenter in animum quoque ſuum demiſſi, aperuit. Quod copioſius ex epiſtola ad ſciſcitationem præcedentem reſcripta confeſtim elucebit. Quam etiam ob rem integram primum eam dabimus: deinde vero ex ipſa Confeſſione ſummam diſſenſionum excerptam

a) Cum pollicitationibus novorum beneficiorum largiſſimis.

cerptam subjiciemus: ea methodo, qua & in *Peuscheliana Responsione* compendifacta usi sumus. Ad epistolam quod attinet, his illa verbis concepta fuit:

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis &c. Præpotentis Reipubl. Noribergensis Scholarchis prudentissimis:"

Dominis & Patronis suis debita observantia submisse colendis &c."

Gratiam & pacem a Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo. Serpentinam illam prudentiam, qua dilectissimus noster Salvator, suos legatos, jam jam in terrarum orbem ad Dei regnum annunciandum mittendos, in mundanorum hominum pietatis verbum plusquam Vatiniano odio, eosque, a) *professores omni conatu prosequentium, insidiis evitandis uti voluit, accommodari posse, immo debere consiliis etiam illorum, qui veritatis verbum falsis dogmatibus corrumpunt, eaque ratione incautiores in præsentissimum animæ exitium inducunt, neminem veritatis amantem esse credo, qui non juxta mecum libenter fateatur. Etenim si sapientissimus Servator suos fideles adeo cautos esse voluit, in cavendis periculis corporis, cur ipsum hoc noluisse dicamus in avertendis periculis animæ: quæ tanto graviora scimus, quantum animam corpori præstare vel ex solius ipsius ore novimus? Sane hæc ipsa prudentia est, quam sacræ litteræ passim non obscure insinuant, dum Pseudo-prophetas cavere, spiritus discernere, canes observare, omnia denique probare, bonumque tenere disertis verbis jubent. Hujus porro prudentiæ, quanta hac nostra ætate, quæ Spirituum diversitate, religionumque varietate* b) *omnes antegressas communi piorum calculo superat sit necessitas, ut apud Vos V. V. M M. N N. A A. Domini & Patroni debita observantia submisse colendi, multis ostendere, supervacaneum duco, ita enumeratione caussarum, propter quas eam in studio meo Theologico, quod felicissimis vestris auspiciis, totum biennium & quod excurrit, tracto, mihi quam commendatissimum habuerim, tuto me supersedere posse confido: cum*"

 præ-

a) Forte legendum est, *ejusque*, ut ad nomen *pietatis* referatur pronomen, relativo sensu adhibitum.

b) A *Lipsio* in L. de *Constantia*, *non aliud seculum religionum feracius, sed sterilius pietatis* fuisse, quam *decimum & sextum*, jamdudum observatum, meminimus: quod multo rectius de septimo atque decimo proxime ante nostrum præcedente dixeris. Cujus rei caussa non alia fuit, quam inter bella fere continua, quæ Europam omnem afflixere, major propemodum de conservanda orthodoxia, quam morum sanctitate instauranda cura, alteraque ex parte eorum, qui de vita emendanda soliciti erant, remediorum veritati doctrinæ adversorum eamque corrumpentium præposterus usus. De quibus nihil h. l. monéremus, nisi ea ætas, in quam hæc nostra Historiæ Eccles. particula notabilis incidit, istam in caussa sacra opinionum varietatem præcipue experta, eaque defectio maximam quoque partem ex iisdem caussis orta fuisset.

„*præsertim illæ partim ex jam dictis, partim ex adhuc dicendis non posſint non* „*eſſe notisſimæ. Hoc potius agam & occaſiones, quibus factum fuerit, ut do-* „*gmata Photino, Samoſateno, & Ebioni vulgo* a) *tributa, de quibus nomen* „*meum apud Vos delatum* b) *video, præ omnibus aliis eligerem, & accura-* „*tius in ea inquirerem, quid veri falſique haberent, adhibito Sacræ Scriptu-* „*ræ potisſimum lapide lydio, divinoque implorato auxilio, ea qua poſſum bre-* „*vitate & perſpicuitate exponam. Veſtrum erit VV. MM. faventiam &* „*patientiam veſtram, quam ſumma cum animi ſubmisſione a Vobis contendo,* „*mihi commodare: ita enim futurum ſpero, ut & fontem iſtius delationis* „*agnoſcatis, & rationem meæ declarationis ad articulos propoſitos, majori* „*cum facilitate percipiatis.*

„*Vt igitur ab ovo, quod ajunt, rem deducam: Annus abhinc eſt ſeptimus,* „*ex quo in numerum Alumnorum* c) *Altorph I. communi in contubernio vi-* „*ventium, veſtra me adoptavit liberalitas. Vivebat ibi circa tempus illud* „*Studioſus quidam, nomine Michaël Gittichius, natione Italus,* d) *officio* „*autem Polonus, hoc eſt, trium ex Nobilitate Polonica elegantisſimorum ju-* „*venum* e) *Ephorus. Is quia non tantum ob inſignem pietatem, ſed & ſin-* „*gularem eruditionem præcipuis Academiæ Civibus, quam maxime erat* „*commendatus, fiebat nonnunquam, ut ab ipſis etiam Theologiæ Profeſſo-* „*ribus ad diſputandum invitaretur. His vero dum ille pro humanitate &* „*promtitudine ſua pareret & inprimis ſententias illorum hominum, qui ho-* „*die Photiniani appellari conſveverunt, ea dexteritate propugnaret, ut ſæ-* „*pius parum ſolidas, immo nullas prorſus reſponſiones referret, non potue-* „*runt non in animo meo ſcrupuli quidam ſuboriri, qui urgerent, ut aliquan-* „*do in ſententias iſtas diligentius inquirerem, earumque falſitate recte com-* „*perta animum meum contra easdem, quam firmisſime munirem. Et hoc* „*quidem tanto facilius illi apud me obtinebant, quanto magis mirabar, tan-* „*tos viros, quantos ego præceptores meos merito faciebam, argumentis pro* „*ſententiis iſtis allatis, adeo non poſſe ſatisfacere, ut ignorantiam ſuam pu-* „*blice fateri neceſſe haberent, quin & ab eo ipſo, qui propoſuerat illa, conten-* „*dere, ne gratiam hanc auditorio denegaret, ſed ſolidas reſponſiones ad ſuas* obje-

a) Recte: Sic enim de Hæreſibus iſtis trita erat & pervulgata opinio.

b) Laudabiliter a delatore abſtinet *Vogelius*, in quem tanta animi impotentia *Peuſchelium* ſuperius invectum vidimus.

c) Vid. Cap. I. §. 8. ſqq.

d) Quo ſenſu *Polonus officio* minus accurate dictus ſit, res ipſa docet; Sed etiam, non ipſum, verum Patrem *Italum* natione fuiſſe, ſupra C. I. jam docuimus.

e) Haud dubie diverſo tempore, aut primarius in his fuit, qui ſupra nominatus eſt, ipſomet *Gittichio* ſua id manu teſtante, *Woynarovius*.

objectiones ipſemet a) *afferret. Quod tamen, ut is jure ſuo facere negle-" xit, ita altius de re tota cogitandi, mihi & aliis juſtisſimam anſam præbuit." Cui mox ipſi Theologiæ Profeſſores addiderunt alteram, dum neſcio de re-" bus an locutionibus quibusdam, acerrime inter ſe contenderent, & tum in-" tra, tum extra parietes Academicos, in publico etiam ſuggeſtu contraria" proponerent; immo tum vel maxime cauſſæ ſuæ conſultum putarent, quan-" do partem adverſam, vel ad Neſtorii vel Arii caſtra ablegarent: nec inte-" rim attenderent, hoc ipſo ſolidioris veritatis amantes incitari, ut non tan-" tum de conſecutionum, quas quisque nectebat, necesſitate, ſed etiam de as-" ſumtorum, quæ dogmata hominum illorum maxime arguebant, abſurdita-" tis certitudine ſerio meditari inciperent.* b) *Alteri huic occaſioni ſuccesſit" tertia, inſignis nempe dogmatum iſtorum a probandi facilitate & refellendi" difficultate commendatio. Memini me aliquando ex ore Clarisſimi D." Schopperi in publica concione caput primum Evangelii Johannis enarran-" tis audire, adeo ſpecioſe adverſarios ſententiam ſuam probare & confirma-" re, ut ipſorum libros legentes, non posſint non ab orthodoxa fide abalienari," utpote quibus refutandis vix ac ne vix quidem exercitatisſimi ſufficerent" Theologi. Quam ob cauſſam, pergebat ille, ſibi omnino conſtitutum eſſe duos," quos hominum illorum ſecum habeat, Libros, ante ſuum ex vita diſceſſum," igne abſumere: ne in manus filiorum ſuorum aut aliorum etiam deveniant," eosque vel invitos in ſequiorem mentem abripiant. Hanc vero aſſertionem" ſuam, quæ quantum apud veritatis ſtudioſos posſit, etiam me tacente, V V." M M. videtis, jam laudatus Schopperus, non ſolum nunquam retractare fu-" it auſus, verum etiam ſuo ipſius exemplo apertisſime confirmavit. Cujus" rei*

a) Hæc ſane, ſi ita, ut narrantur, geſta ſunt, quibus tamen p. p. contradicentem audiemus præcipuum inter Theologos *Schopperum*, imprudentiam potius arguunt, quam inſcitiam: utpote quæ a Viris profecta erant, qui inter amicos bene agier & ſine dolo credebant, neque quicquam mali ſuſpicabantur. Vbi tamen ſatius fuiſſet, antiquum illud μέμνησο ἀπιστεῖν in mentem revocare, & vel in pace de bello cogitare. Cæterum nec ab initio Doctores etiam hosce, in rebus aliis occupatos, non tam expeditos fuiſſe, ut tela minus prævisa ex tempore ſtatim repellerent, hominique clamoſo & jactabundo, qualem fuiſſe *Gittichium* jam ſupra oſtendimus, ſatisfacerent, haud miramur. Neque enim de ſolis veritatis fundamentis, ſed de ſophismatibus etiam, in quibus diu jam elaboraverant *Socini* aſſeclæ, diluendis, agebatur; quæ vel centeſimo cuique, præſertim nondum ſatis cognita horum hominum methodo, crucem figere poterant; jam vero patefactis cuniculis & fraudibus levi halitu diſſlantur, quemadmodum nec ipſi adverſarii multum illis hodie confidunt, ſed aliter nunc aciem inſtruere ſolent.

b) Hac de ratione non contemnenda comparetur Cap. I. cum Vit. Theol. Altorph. f. 70 -- 107.

„*rei tria manifestissima documenta (quæ jam quartam constituunt occasio-*
„*nem) inpræsentiarum affero: quorum primum est, quod in disputatione illa*
„*de Trinitate, quam Mense Octobri A. MDCXIII.* a) *Respondente M. Jo-*
„*hanne Sauberto habuit, nec Præses, nec Respondens id, quod theses volebant,*
„*h. e. Patris, Filii & Sp. S. in divina Essentia unitatem ex ullo S. Scripturæ*
„*loco legitime demonstrare* b) *potuere. Cum enim ipse ego ex testimoniis,*
„*quorum magnus erat adductus numerus, præcipua & potissima assume-*
„*rem, utque exinde sententiam suam proba consecutione educerent, acrius*
„*contenderem, ipsis vero, Præsidi inquam & Respondenti, ubique aqua hære-*
„*ret, tandem uterque palam fateri nihil dubitavit: Non posse ex ullo sacra-*
„*rum litterarum loco solo* c) *Trinitatem probari. Alterum desumo ex col-*
„*latione quadam de paucis quibusdam Thesibus, æternam filii divinitatem*
„*ejusque cum Humana Natura hypostaticam unionem asserentibus, quas re-*
„*spondendo defendere jussus eram,* d) *privatim ab eodem D. Schoppero me-*
„*cum instituta. Nam cum scrupulos, quos habebam, libere, ceu par erat,*
„*tum proponerem, utque ab illis solidis responsis me liberaret, peterem, tan-*
„*tum abest, ut voti factus fuerim compos, ut potius intricatior discesserim,*
„*cum præsertim audirem, meliores & solidiores istis, quæ tum allatæ & a*
„*me, ut putabam insufficientiæ satis convictæ erant, nec apud veteres Theolo-*
„*gos, quos Patres vocant, nec apud recentiores reperiri. Et sane docuit*
„*hoc ipsum actus disputationis ipse, cum scilicet in apertum campum prodire-*
„*mus, thesesque dictas in auditorio Theologico defendere anniteremur. Ibi*
„*enim cum nonnemo nobilem locum ex* 1. *Cor. XV.* 25. *adduceret, & respon-*
„*sionis ad argumentum contra æternam Christi divinitatem inde deductum*
„*datæ nullitatem luculenter ostenderet, ecce præses disertis verbis profiteri:*
Se

a) Conf. Cap. II. lit. S.

b) Contraria hisce ipsa Disputatio, quæ prostat, ad oculum demonstrat. Totidem vero verbis, mysterium *Trinitatis*, seu *in una Essentia divina tres esse personas*, quod sibi in divino Codice ostendi homunciones illi inique postulabant, non mirum est a *Schoppero* demonstratum haud esse: quoniam non de verbis aut vocabulis, quibus mysterium illud enunciari diversimode solet, sed reipsa disputabatur, *unumque esse Deum summum, eumque non solum Patrem, sed Filium quoque & Sp. S. esse*, luculenter evictum fuit.

c) Videlicet διαῤῥήδην & conjunctim, uti *Sociniani* exposcebant, atque ita denique, ut totus quasi hujus doctrinæ ambitus uno aliquo loco explanate comprehendatur atque enuncietur.

d) Hac de Disputatione nihil in tota hac historia usquam occurrit; ex quo silentio privati alicujus Collegii exercitium fuisse, cujusmodi *Disputatoria* vulgo vocari solent, colligimus. Neque de eo argumento etiam ea tempestate, qua litteris *Altorphi* operam dedit *Vogelius*, quicquam in lucem publicam ad disputandum a *Schoppero* editum est: uti scriptorum Index Vitæ ejus attextus condocet.

Se quoque ipsum solutionis suæ imbecillitatem probe intelligere, aliam ve-" ro meliorem nec scire, nec apud alios etiam legere: absque aliis S. Scri-" pturæ locis Christi divinitatem adstruentibus foret, se propter hunc locum" omnino Arianum futurum. a) *Et hoc tertium est, quod confirmationis" istius adferre volebam documentum, cujus vel solius quanta in me ad in-" quisitionem istam instituendam, excitando vis esse potuerit & debuerit," Vobis, VV. AA. judicandum relinquo; & ad reliquas, quæ me jam exci-" tatum non leviter animarunt, & in proposito confirmarunt transeo. Me-" rito autem inter illas familiam ducit, rariorum scriptorum, a variis Theo-" logis, dogmatibus istis oppositorum, attentior & diligentior lectio, ex qua" clarius multo & apertius assertionum istarum Schopperianarum addisce-" bam veritatem. Deprehendebam nimirum illos ipsos, qui in hac palæ-" stra excellere, & aliis palmam præripere vulgo videntur, frequenter ad-" modum vel in probando deficere, vel id quod in principio petere, vel ex" Respondente Opponentem faciendo vices legitime disputantium confundere," vel denique ad carecta profugere.* b) *Possem hoc multis iisque eviden-" tissimis ostendere exemplis, si id putarem, necessarium. Loquitur enim" pro se res ipsa, & verum me dixisse facile advertet, quisquis ista, quæ" dixi, scripta levi saltem cura ad justas disputandi leges exiget. Quin li-" cet hujus rei non obscura capere indicia ex occasione, quam nunc adfero" Sexta; ex eo, inquam, quod non tantum Lutherani Theologi ex quibus-" dam Calvinianorum hypothesibus & Calviniani vicissim ex quibusdam Lu-" theranorum, dogmata ista, necessariis, ut quidem utrisque videtur, con-" sequentiis educant, sed & se mutuo mirum in modum exagitent, quod" dogmata ista nunquam sufficienter refutare queant. Nec desunt etiam ex"*

a) Hæccine dixerit *Schopperus*, nec ne? non pronunciabimus. Si tamen in hunc sensum sermocinatus est, quod candor ingenuus *Vogelii* testantis credere jubet, parum prudenter sane, at sincera tamen animi simplicitate, dixit. De ipso vero loco difficili circa finem §. seq. XVII. agemus brevibus.

b) Non alia diræ hujus accusationis caussa est, quam quod *Sociniana* hæresis totum Systema fidei, omnemque arctissime cohærentem veritatis œconomiam Evangelicæ, eversum ire solet. Quo facto, si quando in aliud forte caput fidei connexum transeundum est, quod idem vero pari modo inficientur adversarii, perfacile fit, ut τὸ ἐν ἀρχῇ peti, atque pro vero substerni, quod peræque dubium est, videatur, aut nova controversia, priori seposita, per modum oppositionis vel responsionis, in auxilium vocanda sit. Vnde prudentius omnino & circumspectius illi agunt, qui primarias & *capitales* prius expendunt, quam ad secundarias & *subsidiarias* accedant quæstiones, omniumque primum, & ad minutissimas usque partes, locum de *Divinitate Christi æterna*, ubi πρῶτον *Socinismi* ψεῦδος hæret, excutiunt, eoque facto, ad cætera, de quibus lis est, ordine legitimo progrediuntur. Aliter certe si scena instruatur, vix calumniæ petulantiam effugere licet.

„*Pontificiis, qui hoc idem pleno ore utrisque, hoc eſt, tam Lutheranis, quam* „*Calvinianis objiciant, ſimul contendentes, non fore, ut ex ſolis ſacris lit-* „*teris unquam cum fructu, hæreticis iſtis opinionibus, ut loqui amant, ea-* „*tur obviam.* a) *Sed & ſeptima occaſio non parum hanc rem confirmat,* „*quando videlicet ſatis miſeras & lamentabiles iidem iſti Theologi, ob li-* „*bros adverſariorum in manibus veritatis amantium repertos fundunt &* „*ducunt querelas. Certe non de nihilo puto, quod hic quidem libros illos* „*cum ſuis auctoribus dudum ſepultos vellet; alter vero ad coërcendam li-* „*bros hoſce legendi libidinem tantum non papalem tyrannidem exoptaret;* „*tertius denique, ſi per ipſum ſtaret, quantum ejusmodi librorum in Germa-* „*nia reperiretur, una flamma abſumeret, & cum fumo in ventos & aëra* „*diſpergeret. Quoties vel fando audivimus, vel legendo comperimus Ro-* „*manæ ſedis defenſores ſcripta & commentaria noſtrorum in ditiones ſuo-* „*rum principum aut civitatum nec importari, nec lectione cognoſci ſinere,* „*ſed pœnalibus edictis prohibere, et ſi quæ in conſpectum ipſorum veniant,* „*mox Vulcano adjudicare aut quovis alio modo e medio tollere: toties ex ani-* „*mo indignamur, vicem miſellorum hominum ſub tanto jugo gementium miſe-* „*remur, & vel hinc defenſorum iſtorum cauteriatas conſcientias & deſpera-* „*tam cauſſam nos recte arguere arbitramur. At qui fit quod in re prorſus* „*ſimili noſtri quaſi obliti, Pontificiorum inſiſtimus veſtigiis? Pontificiorum* „*ſcripta toleramus, Judæorum libros Talmudicos commendamus, Turco-* „*rum Alcoranum e barbarica in noſtram linguam verti & publicis typis* „*exſcribi ſuſtinemus.* b) *At vero illorum hominum libros, qui commu-* „*nem nobiscum colunt Chriſtum, utrisque tam novi quam Vet. Inſtrumenti* „*ſcripturis acquieſcunt, a traditionibus denique humanis non minus, quam* „*nos alieniſſimi eſſe cupiunt, comburere, ex manibus veritatis hoſtium* c) *extor-*

a) Mirum eſt, hæc a *Vogelio* urgeri, quæ dudum jam ſunt inter *Keddiana*, *Hakyana*, aliorumque etiam e S. J. ante hoc tempus iniqua *poſtulata* ſolide diſcuſſa. Neque enim de qualicunque hæc valent accuſatione, ſed *juſta*, multoque minus de provocatione ad Scr S. utrinque facta diſceptatur, ſed, *quo jure* id fiat, diſpiciendum; niſi ex eadem ratione ſcepticiſmum univerſalem admittere velis.

b) Veriſimile eſt, his quoque verbis ex obliquo iterum *Salom. Schweiggeri*, Antiſtitis ad D. *Mariæ* Noriberg. Verſionem Germ. *Alcorani* notari: quippe quæ hoc eodem tempore Noriberg. publicata eſt, & *Vogelio*, ſub prælo ſudare, procul dubio jam innotuerat. Quod jam ſupra etiam *Peuſchelium* indigitaſſe, obſervavimus

c) Parum abfuit, quin & *invictæ veritatis argumentum eſſe, quod omnes ſectæ reliquæ Socinianos metuant, librorumque Socinianorum lectione ſuis interdicant*, perinde uti poſtea a *Dan. Zwikero* in *Irenico Irenicorum* factum, ſcripſerit. Cui vero omnino etiam Comenii verbis reſpondendum fuiſſet: *Agnoſce, quam ſtolide id in veritatis argumentum trahatur. Nonne & ſylvas, ubi latrones habere credimus ſpeluncas, declinamus, & fer-cula,*

extorquere, & quovis modo supprimere a) *nihil verebimur? Sed quo de-*" *labor? Redeo ad Vos VV. MM. quorum oculis occasionis octavæ loco mo-*" *rem istum, maximis etiam in Theologia Viris usitatum, quo scil. omnes*" *illi, qui vel libros modo dictos legere, vel antidota suorum Magistrorum*" *examinare, vel tandem adversariorum argumenta in disputationibus his*" *de controversis institutis fideliter proponere, & a frivolis potius quorun-*" *dam elusionibus, quam aptis & congruis responsionibus asserere audent,*" *hostilem in modum infestantur, suspicionibus gravissimis onerantur, & tan* " *quam pessimi pessimorum hæreticorum gregales atque socii accusantur, mul-*" *tis exponerem, nisi hoc meum ipsius exemplum jam abunde satis doce-*" *ret:* b) *Immo nisi Vestra patientia, qua me satis diu abusum adverto, ad*" *rem potius ipsam, h.e. ad sententiæ meæ de Articulis propositis declara-*" *tionem tandem accedere juberet. Etsi vero nihil mihi gratius aut optabi-*" *lius esset, quam ut huic nutui Vestro MM. atque NN. Viri, exacte satisfa-*"

 cere,

cula, ubi venenum subesse metuimus, abhorremus. Nonne ipse, temerarium esse, qui non declinet, non abhorreat, fateberis? Sed desinite vos obvio cuique insidiari, desinite doctrinæ venena miscere: & desinent alii Christiani vos metuere, odisse, aversari.

a) Nimis audacter nostris, & promiscue quidem, talia tribuit consilia etiam *Vogelius*, a quibus permultos abhorrere, & jam olim dissensisse plurimos, constat etiam Theologos; quemadmodum ipse quoque de *Grauero* contraria testatus est. Promiscue autem, vel suspecta erroris periculosi, artificiose præsertim incrustati, scripta & sine discrimine cunctis permittere, immo etiam tradere, ut legantur aut publice vendantur & distrahantur, (præsertim si contumelias in Deum injurias contineant, de obscœnis enim & seditiosis res expedita est,) neque ipsa, credo, impudentia, nisi quæ omnem Numinis reverentiam exuit, approbabit. Cæterum, ut, non esse eandem nostratibus, quæ inter Pontificios obtinet, mentem, intelligat L. B., en! præstantissimi *Joh. Gerhardi* verba, *LL. Theol.* T. VI. de *Magistr. Polit.* §. 198. postquam, blasphemos, magicos, famosos, comburendos, prohibendos abolendosque libros esse, docuerat, de cæteris erroribus variis conspersis: *Horum* librorum *non cuivis*, ajentis, *inprimis illis, qui fidei fundamenta nondum cognoverunt, est concedenda lectio, sed propterea non simpliciter sunt abolendi, verum eruditis eorum lectio commendanda* 1) *propter Apostolicum præceptum*, 1. *Thess. V.* 20. 1. *Joh. IV.* 1. *sq.* 2) *propter lectionis illius commodum. In hæreticorum libris talia traduntur, ex quibus ipsæ hæreses refelluntur. Vtile etiam propter historicam relationem scire, quid quovis seculo actum.* 3) *propter Antiquitatis suffragium. Aug. L. III. de Doctr. Christ. c.* 30. *Hæretici, si quid bene dixerunt, legendi. Thom.* 4. *sentent. dist.* 13. 4) *propter comparatum &c.*

b) Parum abfuit, quin & *Vogelius*, stomachatus in accusatores, *Peuschelii* viam inierit; cum tamen ab eorum, quorum insimulabatur, placitorum approbatione ipse fateatur se non abhorrere, & diuturna quoque propugnatione id amplius deinceps confirmaverit. Quam necessarius vero & salubris fuerit erga hos juvenes *benignissimus rigor, indulgentissimaque* Patronorum *asperitas*, vel hinc in antecessum patet. Quod & ipsi beneficium grata tandem, cum resipiscere cœpissent ex veterno excitati, mente ac voce agnitum prædicarunt.

„*cere, hancque meam responsionem ad proposita capita, eo, quo forte opta-*
„*retis modo, hoc est, simplici vel affirmatione vel negatione expedire possem;*
„*quo minus tamen id facere queam, ea, quæ nunc est rerum mearum fa-*
„*cies, haudquaquam permittit: Partim quod etiamnum in inquisitione,*
„*cujus sat, ut puto, justas caussas hactenus adtuli, totus hæreo, eque diffi-*
„*cultatum maximarum & pæne infinitarum labyrinthis exitum, nondum*
„*conspicio: partim vero, quia animum meum ad veritatem hac ipsa in in-*
„*quisitione tanto rectius & certius agnoscendam atque amplectendam, ab*
„*omni præjudicio præconceptoque partium studio liberum retinere cupio.*
„*Ne tamen omnino vel mandatum Vestrum, quod nonnisi ex cura in me pa-*
„*terna profectum humiliter veneror, detrectare, vel debitam pietatem, qua*
„*nihil mihi antiquius Magistratui meo denegare, vel Dei & Servatoris*
„*mei gloriam, qua mandatum istud vobis firmare & quasi roborare pla-*
„*cuit, susque deque habere cuiquam videar, imperata saltem ex parte ali-*
„*qua, dum ex omni non licet, facere annitar, ea nimirum ad quæsita ista*
„*adferendo, quæ & conscientia, contra quam vel unicum verbum proloqui*
„*summa mihi religio est*, a) *permittit, quæque inquisitio jam sæpius dicta*
„*svasit atque ostendit.*“ Hactenus præfatio seu epistola, ipsi confessio-
ni ad singula interrogata repositæ a *Vogelio* præfixa. Quam κατὰ πόδα
maluimus ob caussas prægnantissimas, b) dare exscriptam, quam ex-
cerpendo mutilare. Eam vero, quæ subjuncta fuit, ad quæsita, con-
fessionem, ad eum modum, quo & *Peuschelianam* paullo antea com-
pendifecimus, in epitomen redigere, & Lectoris obtutui, ut, quid
tum senserit interrogatus, cognoscere queat, sistere, consultius vi-
sum est.

§. XVI.

Ad I. ergo quæsitum, inter ea, quæ c) in epistola *Generosissimo-
rum Curatorum Vniversitatis Altorph.* proposita sunt, fassus est *Vogelius*,
se duorum istorum *Symbolorum*, *Nicæni* atque *Athanasiani*, omnimo-
dam cum sacris scripturis convenientiam hactenus videre non po-
tuisse, ob caussas ad sequentes quæstiones exponendas; sigillatim
autem id, quod *Athanasio* tribuatur vulgo, similiter, uti *Peuschelius*, *ab
otioso monacho* d) profectum sibi videri, affirmavit. *Neque adeo fidem
Catho-*

a) Candide hæc scripsit *Vogelius*, candoremque non fucatum, uti in hac confessione, ita dehinc quoque abunde probavit; cum *Peuschelius* contra subinde tergiversaretur minus laudabiliter.

b) Inter quas *Apologia Schopperi*, ad eam respiciens, primas tenet, de qua p. p. agemus.

c) Respiciendum h. l. est ad §. XIV.

d) Iisdem honorum titulis Symbolum hoc,

Catholicam in ejusmodi mera imaginaria persuasione, essentiæque Dei & Christi otiosa contemplatione, seu mavis, scrupulosa vestigatione consistere, addidit, *quemadmodum in verbis ejus initialibus & finalibus pronuncietur.* Quæ etiam fuse annisus est demonstrare, & quemadmodum ad praxin vitæ Christianæ ea omnia potius applicanda sint, condocefacere laboravit.

Ad II. candide & ingenue respondit: *se tres illas, quas modo dicta symbola orbi Christiano in una individuaque divina essentia venerandas proponunt, hypostases, seu personas, hactenus quidem in conscientia sua agnoscere non posse.* Quod si forte *mirentur* & *exsecrentur* Generosissimi Domini Scholarchæ, *tanquam insperatum & audax responsum*, per unum illum Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi Eos rogavit & obtestatus est, ut *ad caussas hujus responsi attendant, & eo, quo soleant animo, h. e. sedato & ab affectibus libero, secum perpendant. In his autem*, inquit, *prima fuit, quod nullus in toto sacro codice locus reperiri possit, qui S. Trinitatem h. e. unam essentiam in tribus personis &c. vel tandem simile quid ad litteram* a) *doceat. Consequentias enim ejusmodi esse*, ait, *ut ne unam quidem illarum satis assequi pro hebetudine sua potuerit.* Heic porro & contra ad nostratium argumenta multa conatus est excipere, &, uti vocabulum Deus in Scriptura accipiatur, fuse simul exposuit; Hinc rationem reddi postulavit, quare, si alius filius a Patre &c. dicatur, non essentialis distinctio intelligatur, nisi in auxilium vocetur ratio; b) Vnde pateat tantum mysterium ratio-

 nis

hoc, cujuscunque scriptoris sit, antiquitate certe & concordi Ecclesiæ Christi approbatione usuque venerabile, mactavit *Andr. Duditbius* ἀλλοπρόσαλλος in epist. ad Joh. *Lasicium de SS. Trinitate* data. Qui quam inique, idem quoque sensisse *Joach. Camerarium*, Papeberg. & Lips. Acad. ornamentum, perhibuerit, productis ejus litteris, & opposita eidem *Dudithio* epistola *Camerarii*, docuit præter alios *Maresius*, & ex eo J. H. *Heideggerus* de Symb. Athanas. §. IX. sqq. Sed de his pluribus differemus ad ipsam *Confessionem Peuschelianam*, observationibus quibusdam plenioribus diluendam.

a) Eo scil. modo, quo idem mysterium a *Schoppero*, sibi ut probaretur, expetierant. Vid. *not. ad Epist.* hac de re jam adjectam. Quasi vero, quod uno vocabulo per compendium efferre solemus, scripturæ non licuerit tribus aut pluribus propositionibus distinctius enunciare!

b) Annon vero & *Revelatio unitatem Dei*, quem simul non esse Patrem solum, sed Filium itidem ac Sp. S. docet, tuetur? Quodsi autem & ratio in auxilium vocetur, ideo, quia caput hoc doctrinæ *mixtum* est, et ut Theologia naturalis quoque, quam, si pura sit, *Paullus* etiam commendat, ut *veritatem* a paganis injuste oppressam, cum revelata concilietur, opera danda, hoccine nefas esse, dicendum? Neque vero & nostri rationem rejiciunt, sed *sub obsequium fidei* rebellantem redigunt & coer-

nis subsidio etiam opus habere. Deinde locum 1. Joh. V, 7. controversum esse dixit, nec obscure eum νοθείας & ipse insimulavit; Tum vero & rem a persona distinctam testari posse, ex seq. versu & aliunde laboravit ostendere; unde etiam, τὸ unum l. c. concordiam designare, pluribus demonstrare omni studio contendit. Ipse vero contra secundo loco, ex dictis, quibus toties Deus Vnus dicatur, cui oppositum sit Trinus, porro argumentatus est, & ad exceptiones, quod ex ratione hac desumta sint, alteram quoque partem ad rationem recurrere, respondit. Tertium argumentum ex loco Joh. XVII, 3. Quartum ex Eph. IV, 6. Quintum ex 1. Cor. VIII, 6. Sextum denique ex absolutissima Dei simplicitate, quæ omne multum, adeoque & binum trinumque excludat, depromsit, atque operose tandem, omnem etiam rationis diversitatem, si in re fundata sit, necessario importare multitudinem, adstruere molitus est.

Ita similiter ad III. quæstionem: Argumentum propositum *se pro puro puto sophismate habere haud posse*, *profitebatur*, *quippe quod legitime ex sana ratione deductum videat.* Fassus quidem est, *solo rationis discursu* id ratiocinium *niti*, sed *cavendum* etiam *esse*, monuit, *ne quid pro Scriptura habeatur*, *quod ipsa Scriptura nullibi perspicue tradat.* *Hæc autem ubi nulla sit*, *uti quidem heic nullam esse* existimet, *nimis credulum esse ac superstitiosum*, *qui rationis præsidium deserat*; Hinc cum in aliis rationi locus detur, v. gr. ubi Deo humani affectus tribuantur, quare in aliis id non faciendum sit? rationem sibi dari postulabat, a) eaque ex nostratium disputationibus contra Pontificiorum transsubstantiationem confirmavit, argumentumque contra S. Trinitatem hinc magis roborari posse, opinatus est.

Ad IVtam interrogationem responsurus: Quid sentiendum sit, ex prioribus consequi, ajebat, dicebatque, *quicquid Symbola œcumenica de unione*

coercent, eaque duntaxat, quæ in rebus creatis deprehenduntur, ad Dei *infinitam perfectionem*, si de se ipsemet singulare quid nos edoceat, non temere applicanda, aut patefactis opponenda esse, recte monent. Eum nempe in modum, ut revelationem non ad rationis decempedam exigant, verum rationem patefactioni claræ & dilucidæ subjiciant, atque hanc præsternentes rationem, cum revelatione, non ut superiorem, nec ut æqualem in dijudicando dignitate, sed *ut inferiorem cum superiori*, præferendo scil., quæ sunt supra rationem in Scriptura definita, concilient & in ordinem redigant.

a) Quam ipsa Scriptura, Deum *Spiritum* esse docens, reddit, cujusmodi quid de Transsubstantiatione extra scripturam conficta nihil usquam legitur; id vero, quod ex propositione: *Hoc est corpus meum*: huc pertinere censetur, haud difficulter per similes *exhibendi*, conspicua simul & non conspicua præsertim, formulas explicatur.

unione duarum in Christo naturarum personali definiant, extra & præter sacras litteras fieri, hactenus se statuere, atque si tam miranda unio tamque stupenda Dei demissio contigisset, valde se mirari, qui fiat, *quod nusquam apertis verbis* a) *in sacris litteris extet; præsertim cum ab omni ratione abhorreat*: &, quod *Matthæus* atque *Lucas* taceant, post aliquot demum annos dicatur *Johannes* addidisse: cujus postea, occasione commodiori adhuc oblata, nec *Paullus* nec *Petrus* in Actis Apost. Cap. II. sqq. & XVII. in concionibus suis meminerint.

Ad V. regessit: *Non sophisticum, sed admodum probabile sibi videri id argumentum; eo quod per rerum* b) *naturam fieri nequeat, ut ulla substantia completa seu perfecta propria sua subsistentia careat, quippe in quo ipsum substantiæ esse consistat. Theologos autem nihil se scire, quod respondeant, habere, quam quod præmissas quidem concedant, sed conclusionem negent, ob mysterii magnitudinem, quod sub rationis judicium non cadat. Ostendi igitur sibi illud ex Scriptura mysterium* petiit, *& cur non potius divinam naturam personam esse negent, quam humanam*, ursit, tandemque quicquid hic respondeatur, etsi porro etiam, haud sufficere sustentationem generalem, excipiatur, sed singularem omnino requiri, ajant, manifestum inde fieri, inquit, non ex sacris litteris, sed ratione, hoc, quod mysterium vocent, deductum esse.

Quæsitum VItum aggressurus, referebat sese ad propositionem secundam, & locum 1 Cor. VIII, 6. resumsit, ex quo argumentum: Ille unus Deus est pater, ex quo omnia, & nos in illum; Jesus Christus non est pater ille &c. formavit. c) Quod postquam confirmare conatus erat; quo sensu Christus, Dominus, per quem omnia, dicatur, porro exposuit, & ad locum 1 Cor XV. 28. similiaque plura prolapsus, distinctione inter Humanam & Divinam naturam parum profici, affirmavit; quippe quæ petat id, quod in principio erat controversum, d) eamque

a) Denuo rem ipsam cum terminis Ecclesiasticis commisceri, palam est Non de his, qui commoditati in docendo & sensu hominum patefaciendo inserviunt, sed de illa disputatur

b) Creatarum scil vulgarium. Christum autem, *hominem sine exemplo* & θεάνθρωπον uti in multis, ex ipsorum *Socinianorum* mente, cæteris hominibus nobiliorem & singulari prærogativa excellentem, quid mirum, hac quoque in parte eximium quiddam habere? Ex Scr S. vero id dudum jam ostensum esse, nemo est, nisi in luce meridiana cœcutiat, qui ignoret. De vocabulis facile transigi potest, dummodo de re ipsa consensus initus fuerit.

c) Commiscens videlicet diversum respectum, quo modo Deus Pater cum rebus a sua natura distinctis diisque commentitiis comparatur, modo persona una in divinis ad aliam, habita officii simul ratione, refertur.

d) Novum ut daret specimen, ex quo fonte primoque falso cætera *Sociniana* dogmata promanent; in quo refellendo proinde ante omnia elaborandum sit.

que comparavit cum diſtinctione Pontificiorum inter cruentum incruentumque ſacrificium; de quo tamen poſteriori adhuc controvertatur. Qua occaſione in quæſtionem: Quo ſenſu Chriſtus filius quoque Dei dicatur, tantum digreſſus locum Pſ. 2. aliaque ſimilia, more *Socinianorum*, de Reſurrectione coll. Hebr. V. 5. explicavit.

Hinc VII. niſi velimus duos filios a) Dei ſtatuere, quorum unus quidem ante conceptionem & partum Mariæ virginis extiterit, alter poſt conceptionem & partum ejusdem eſſe cœperit, non ſe videre, inquiebat, quid deſit huic argumento: præſertim ſi concedatur, ipſum filium Dei b) eſſe conceptum & natum, quod ratio ſvadeat, & Angelus teſtetur Luc. I. 32. His addidit, ſe nondum Scripturæ locum invenire potuiſſe, qui æternitatem filii Dei apodictice c) demonſtraret; Ex locis vero Eſ. IX. 6. & Mich. V. 9. & 11., de quibus plura diſſeruit, id minime patere, ajebat; ſicuti nec Joh. VIII. 58. exiſtentiam ante Abrahamum neceſſario probet, dummodo Græcus textus inſpiciatur. d)

Ad VIII. & IX. ſimul reſpondit, ajens, Chriſti corpus in gloria conſtituti non eſſe animale ſed ſpirituale, immo eundem Spiritum vivificum factum, & carnem proinde & ſanguinem non habere: in quam ſententiam etiam proprie, e) & ut ſonent, Apoſtoli verba 1. Cor. XV. 44. ſq. ſe accipere, non pro affectibus & concupiſcentiis carnalibus, ſed pro corpore carneo & ſanguineo, cujusmodi nunc omnes circumfera-

a) Immo tertium datur, duas naturas in una perſona ſi unitas eſſe ὑποστατικῶς affirmemus. *Tu, fili hominis, es filius Dei viventis*, inquit, ex revelatione Patris, *Petrus*.

b) At non, quatenus eſt filius Dei. Eandem eſſe perſonam, hoc eſt, quod Angelus teſtatur.

c) Cur Joh. I, 1. & 27. omiſit? Nimirum, quia in alium prorſus ſenſum putabat a *Socino* illuſtrem hunc locum fuiſſe detortum, eum videlicet, de quo ipſe modeſtiſſimus *Limborchius* Theol. Chriſt. L. II. Cap. XVII. §. XII. *Duram* eſſe eam *explicationem*, inquit, *neque cuiquam in mentem venturam fuiſſe, niſi illi, qui jam antea apud ſe ſtatuit, fieri non poſſe, ut ſermo Dei extiterit, ante ſuam ex Maria virgine nativitatem.* Ne quid de Cap. I. ep. ad Ebr. dicamus, cujus v. 10. ſq. jam olim *Oſtorodus* virtutem ſenſit.

d) Quid tum? *Præſens* enim εἰμὶ non tam exiſtentiæ Chriſti, ante Abrahamum, divinæ obſtat, ut eam potius, ſucceſſionem temporum & momentorum excludendo, more ſcripturæ alibi pari modo loquentis, confirmet. *Lælii* autem *Socini* petulans hujus loci perverſio, quam *Fauſtus* adoptavit, uti, de alliis loquentibus Judæis, Chriſtum de cæpis reſpondiſſe, inepte perhibet, ita vel ipſum artificium argutæ applicationis infirmitatem ejus prodit: quam proinde non injuria *contortam & violentam* idem vocat in Theol. Chriſt. *Limborchius*.

e) Neglecto tamen uſu loquendi Script. S., & Apoſtolo præſertim *Paullo*, familiari, eoque cum integra orationis ſerie, quæ de *qualitatibus* agit ejusdem φθαρτοῦ, olim τὴν ἀφθαρσίαν induentis, corporis, collato.

feramus. Quæ autem objiciantur, vel philoſophica eſſe, & de ſubjecti formæque unitate, non materiæ, intelligenda; vel ſi theologica ſint, non tamen ita eſſe efficacia, ut dimoveri a littera Scripturæ a) queat, ſcopo præſertim Apoſtoli conſentiente, ſubjecit.

Quæſtionem X. & XI. de Chriſti *Satisfactione* ita expedivit, ut, poſtquam ipſemet arduam eſſe agnoverat, ſibi pro affirmante ſententia nihil adhuc viſum occurrere in Scriptura, diſerte ea de re ſcriptum, neque hactenus conſequentiam, qua probetur, a ſe obſervatam; immo, fundamenta negativa non levia eſſe, animadverſum eſſe, perhiberet. Quo facto vocabulum *Redimendi* examinavit, & figurate explicavit, adductis locis permultis parallelis ex Hebr. & Græc. linguis. Atque ita quoque *Pretii* vocem eſſe intelligendam, ſi quando, quod urgeant noſtri, occurrat, pro quacunque re, in quavis liberatione, interveniente, b) aſſeruit. Inprimis vero, cum incertum ſit, cui illud pretium perſolutum ſit, monuit. Eodemque modo & reliqua, ut phraſin: *Pro nobis*, de cauſſa finali, c) & Verbum *Portare* pro ſimplici actione auferendi accipi voluit: d) Quibus addidit, etiam illud obſtare, quod, non eſſe illam *oblationem* in cruce peractam, ſed in cœlo, *epiſtola ad Hebræos* e) teſtetur: denique nec mortem æternam ſubiiſſe Chriſtum objecit; dignitatem enim perſonæ huc aſſumi non poſſe, quippe quæ ſit æque controverſa, f) ajebat. Ad hæc ſatisfactionem cum gratuita remisſione ſtare haud poſſe, g) itemque pietati noxam & impedimentum hinc oriri, ſcrupuloſque de perſeverantibus in peccatis ad finem vitæ usque difficiles eſſe, & alia his ſimilia Socinianisque uſitata ſubterfugia inculcavit.

a) Secus nimirum, quam fieri alias a *Socinianis* ſolet, litteræ tenax.

b) Oblitus litteræ, cui paullo ante mordicus inhæſerat.

c) Male ad *particulam* ἀντὶ applicata, multoque pejus ad ἀντίλυτρον.

d) Geſtandi & *bajulandi* vocabulis minus conveniente: quibus alibi Sp. S. utitur.

e) Nimis audacter: utpote quæ cum *passione* hanc ipſam ſubinde commutat vocem, & per illam in cruce factam oblationem explicat, ac *repræſentationem* ei ſubjungit.

f) Denuo ſcil. de πρώτῳ ψεύδει eſſe dispiciendum ante omnia, docens, &, quæ *princeps* ſit etiam ordine controverſia, commonſtrans.

g) Quidni? Certe ipſe Sp. S. χάριν cum δικαιώματι & λύτρῳ ſæpius conjungit, & *procuratio* expletricis hujus ſatisfactionis, Deo juſto mundi judici præſtitæ, *acquiſitio* item per Chriſtum, *acceptatio & applicatio* denique confirmant; quæ nemo ſane, niſi gratiæ ſed juſtitia temperatæ, & pactum filii quoque cum patre complexæ, accepta referat. De noxa enim *ex accidenti*, per abuſionem etiam gratiæ & miſericordiæ nudæ apud ſceleratos hinc orta, nihil eſt, quod addamus; cum nemo non, genuinam potius, & quæ Deo *placeat* placato, pietatem *ex fide vera* in ſatisfactione Chriſti vicaria & expletrice recumbente demum naſci, intelligat.

Atque ſic tandem ad XII. quæſtionem ultimamque propoſitam deductus contra *Sp. S. Divinitatem* ita pugnavit, ut, cum in locis Act. V, 3. & 1. Cor. III, 16. pro ea adduci ſolitis infirmandis aliquandiu occupatus fuiſſet, *ſe Sp. S. pro uno illo Deo hactenus agnoſcere non poſſe*, ad extremum aperte pronunciaret. Idque ideo, quod *in S. Litteris nusquam Deum appellari* credat, & *quem ne quidem perſonam eſſe*, *ex multis, quæ de ipſo* a) *dicta & ſcripta reperiantur*, *& perſonis nullo modo convenire poſſint*, non injuria colligat. Quæ poſtrema aſſerta, notiſſima illa Metonymia & Proſopopœia, ex locis Rom. III, 19. VII, 11. 1. Cor. XV, 10. 1. Cor. XIII. tot. ſtabilienda tueri allaboravit. Explanata vero mente ſua: „*Hæc ſunt*, ad calcem Confeſſionis addidit, *Viri* „*MM. atque NN. quæ ordine ad ſingula quæſita reſpondere, atque ſic be-* „*nigniſſimo veſtro juſſui parere volebam. Quemadmodum vero nullus du-* „*bito, quin ea vobis ſint & inſperata, votoque iſti, quod litteræ Veſtræ non* „*obſcure ſignificant, prorſus contraria: Ita etiam non omnino deſpero, quin* „*veniæ aliquid & excuſationis, apud Vos, inventura ſint: idque vel eo no-* „*mine, quod ex animo ſincero & candido, aque omni fuco & ſimulatione* „*alieno ſint profecta. Alia attuliſſem, ſi alia adferre potuiſſem. Dicendum* „*ſane erat, quod Dei Salvatoriſque mei Domini Jeſu Chriſti gloria* b) *po-* „*ſtulabat. Reſpondendum erat, quod pietas & obedientia Magiſtratui meo* „*legitimo debita flagitabat. Fatendum erat, quod ipſiſſima conſcientia in-* „*tus dictabat. Hoc auctoritas Veſtra me jubebat: Hoc candor & ingenui-* „*tas ſuadebat: Hoc denique Apoſtolicum monitum cuivis petenti rationem* „*ſpei, quæ in nobis eſt, reddi volens, urgebat. Quanquam vero hæc ita ſe* „*habeant, & ego ſancte affirmare auſim, me non videre, quomodo hæc jam* „*libere coram Vobis, Domini Obſervandiſſimi, expoſita, non ſint veriſſima* „*& ſacræ ſcripturæ quam maxime conſentanea; nondum tamen ſenten-* „*tiam definitivam* c) *tuli, meque aſſertionibus iſtis, quas propugnavi, to-* *tum*

a) Confundi dona Sp S., quæ haud raro, notisſima metonymia, eodem nomine *cauſſæ* Sp. S. appellantur, notum eſt. Loca autem, ubi *Lex, Gratia, Charitas,* tanquam actiones quasdam edentes, vix ſemel iterumque deſcribuntur, illis locis, ubi *conſtanter* Sp. S., præter *intellectum & voluntatem, actiones cum ratione ſuſceptæ*, & tanquam *alii* a Patre atque filio, attribuuntur, & qui ipſe quoque, uti alias, ita *ad baptiſmum Chriſti* ἐν σωματικῷ εἴδει *apparuit, inque cujus nomen* & cultum, pariter ut Patris & Filii, tingimur, æquiparare, næ nimis inſulſum eſſe, cogitandum fuerat bono *Vogelio.*

b) In cujus honorem profecto non cedit, ſi negata æterna ejus Divinitate alia *factitia* fingatur, cum ea, quam, ut ipſe docet, *ante mundum* conditum *habuit*, neutiquam concilianda.

c) Docilem hæc verba animum mentemque, & ſcrupulis procul dubio adhuc anxiam,

tum mancipavi. Non enim me hominem tantum, sed & juvenem scio, qui "
me humanum & juvenile aliquid admittere posse, facile concedam. Se- "
niores ergo & rerum sacrarum peritiores audire non detrecto, eamque "
ob caussam varia variorum scripta, ea, qua possum, diligentia evolvo. Nec "
tamen in ullius hominis verba juro: Vnicum in rebus fidei Magistrum Chri- "
stum agnosco. Huic soli αὐτοπιςίας *honorem defero, ejusque solius verbis* "
me adstringo. Quaecunque igitur ab hominibus proficiscuntur, sive ea a "
generalibus conciliis decreta, sive a privatis quibusdam Doctoribus defi- "
nita, sive denique longi temporis praerogativa munita sint, ad unius illius "
mei Magistri doctrinam exigo: cui quae consona deprehendo, iis assensum "
deberi, nihil dubito; caeteris aut rejectis aut saltem in dubio relictis. "
Hinc dicta non ex personis, sed personas ex dictis aestimo, nec, a quo, sed, "
quid dicatur, curo; adeo quidem ut nec haereticorum, seu vere seu false "
sic appellatorum, scripta aut dicta examinare defugiam. Neque moveor "
dicteriis istis aut convitiis, quibus ea a fervidioris zeli hominibus solent de- "
honestari. Cogito potius, hunc ipsum etiam veritatis divinae genium esse, "
non modo apud ignorantes male audire, sed & illorum, qui eam solos se "
tenere putant, odiis & insectationibus impotenter exagitari. Valeat [in- "
quit solertissimus strategematum Satanae indagator Jacobus Acontius a)] "

Mmm 2 *vox*

am, subindicant; quam salutarem quoque nostro inprimis fuisse, eventus comprobavit.

a) Novum his verbis indicium fecit *Vogelius*, ex quorum scriptorum lectione profecerint *Neo-Sociniani*, hebetis videlicet illius, quem *Tridentinum* patria & in *Anglia* exulem finxere, non ingenio, sed pro veritate justo fervore, tepide scribentis *Acontii*; cujus vel aetas & nomen commentitium, quid Tridento quasi profugus, in alterum extremum lapsus, spectarit, edocet. Quamvis enim veritas ex antiquitate sola, neque error ex frequenti diuturnaque refutatione non pendeat, atque hactenus *Acontio* pollicem & ipsi premamus, diligenter tamen lectum, & alia nostris pejora eum instillasse, haud vana est suspicio. Hujusmodi profecto teporem, quo *Acontiana* omnia, in credendis ultimo loco & insuper habendis, feruntur, jam in caeteris quoque sociis, & ipso etiam *Ruaro*, nominatim ad eum provocante, observavimus alibi. Ad ipsum quod de reliquo attinet *Acontium*, copiosius de ejus vita, fatis, scriptisque in *Observ. Halens. latin.* Tom. VI. n. 25. f. 206. seqq. eruditissimus auctor, quicunque fuit, ejus observationis disseruit. Quem tamen, larva induti, & *Tridento Argentoratum*, atque hinc in *Angliam* se concessisse affirmantis, verba non vocasse in dubium, miramur, cum inter commenta referri ea debere, multa sint, quae nos credere jubeant. Vtcunque sit, recte tamen *Isaacus Junius* ap. Cl. *Creenium*, *Animadv.* P. II. f. 30. sq. de eo judicavit: *Hominem fuisse ejusdem farinae cum Remonstrantibus & Socino, totum in hoc* (occupato,) *ut omnes sectas ad unam universalem* (generalis Confessionis beneficio, de qua f. 323. seq. ed. Amstelod.) *revocaret; in qua, ut in arca Noae omnium specierum animalia includerentur, & quamvis diverso utentia pabulo* (dogmatibus) *conservarentur.*

„*vox illa: Vetus hic est, & jam diu sæpeque confutatus error; Quid enim,*
„*si adhuc male defensa caussa sit? Quid si & oppugnatoris & defensoris*
„*partes unus egit Sathanas? Summa: veritatem amo, veritatem indago,*
„*eamque apud quoscunque tandem reperero, apprehendo. In hac appre-*
„*hendenda, si hactenus erravi & a via regia declinavi, (quod facile mihi*
„*contingere potuisse nimis audax sim, si negem, pertinax, si pernegem) pa-*
„*ratus tamen sum eos, qui se eam mihi ostensuros, profitentur, adtente au-*
„*dire, & meliora monstrantibus cedere; dummodo & illi unicum verita-*
„*tis Magistrum mecum agnoscant, & ex unica illa, quam is nobis reliquit,*
„*veritatis regula h. e. ex Sacra Scriptura, ubi aut quomodo erraverim,*
„*ostendant. His, inquam nec aliis, docilem & sequacem me præbebo,*
„*horumque dictis fidem libentissime adhibebo. Et hæc ipsa VV. AA. caussa*
„*est, cur non uno alterove verbo me ad singula quæsita expediverim; sed*
„*ubique rationes & fundamenta negationis aut affirmationis addiderim,*
„*immo liberius interdum & prolixius quædam disputaverim. Volui nam-*
„*que totum animum aperire, quo ita facilius esset illis, qui vel ultro vo-*
„*lent, vel Vestra prudentia cum summa æquitate conjuncta, mihi gravissi-*
„*mis erroribus, ceu pestilentissimo quodam animi morbo ut videbor, labo-*
„*ranti, quasi medicos ostendet, morbi hujus radicem agnoscere, eumque pe-*
„*nitus tollere. Vtut vero ego morbum hunc, quo me multi laborare cre-*
„*dent, hactenus animadvertere nondum queam, nihil tamen intermitto eo-*
„*rum, quorum beneficio in ejus agnitionem deveniri posse credam. Sacras*
„*litteras sedula & assidua manu verso, opem divinam ardentibus votis im-*
„*ploro, Theologorum eruditorum scripta legere & relegere non cesso Cum*
„*viris doctis denique tum publice tum privatim confero, ut si ullo fieri pos-*
„*sit modo, ab ejusmodi morbo liberer, & in fide sanus fiam In cujus rei*
„*infallibile signum, sicut & animi, beneficiorum, quibus me hactenus sane*
„*maximis immerentem affecistis, memoris symbolum gymnasma hoc Theo-*
„*logicum litteris hisce adjunctum* a) *Vobis VV. NN. Scholarchæ dignissimi,*
„*Domini & Patroni submisse colendi, offero & inscribo, ea, qua par est, ani-*
„*mi subjectione rogans, ut id, quale quale sit, ea, qua consuevistis fronte,*
„*hoc est, serena & hilari accipere non dedignemini. Vnum vero illum &*
„*immortalem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi supplex oro & ve-*
neror,

a) Disputatio fuit Theologica, Præside *Jac Martini*, de *Messia* habita, de qua, supra § V. nonnihil jam dictum est. Quibus in præsentia nihil addimus, quam a. d. VIII. *Novembris* A. 1615. eam fuisse ad publicam ventilationem propositam, & *Quatuor Generosissimis Scholarchis*, *D. Georgio Volkamer*, *Septemviro*, *D. Leonhardto Grundherr*, *D. Martino Pfinzing*, & *D. Christophoro Löffelholtz*, dedicatam. Quo etiam verba *Vogelii* h. l. respiciunt.

neror, ut quem vobis, erga Christianam pietatem & religionis caussam,"
affectum jam pridem indidit, eum porro Vobis servet & augeat, mentes-"
que Vestras divinæ gratiæ radiis collustret, ut in gravissimi hujus negotii"
cognitione & tractatione, quam non absque singulari ipsius dispensatione"
& arbitrio Vobis obtigisse, firmiter credo, nihil nisi quod gloriæ divinæ pro-"
pagandæ, communi utilitati amplificandæ, conscientiarum denique liber-"
tati conservandæ facit, cogitetis, suscipiatis, aut a quoquam suscipi per-"
mittatis; Consiliis Vestris Deus ille ex alto benedicat; ita Vos salvos &"
incolumes patriæque Ecclesiæ & Reipublicæ diu superstites esse idem ille"
Deus jubeat: a quo insuper devote postulo, ut quæ salubriter scienda ne-"
scio, doceat me, in his, quæ vera novi, custodiat me, in quibus, ut homo,"
fallor, corrigat me, in quibus veris titubo, confirmet me, & a falsis ac"
noxiis eripiat me. Ipsi sedenti in throno & Agno laus sit, & honor in in-"
finita secula. Dabam 3. Non. Januarii, anni hujus ineuntis MDCXVI."
quem Vobis VV. AA. felicissimum esse precor. Wittebergæ"
VV. MM. AA. & NN."

humilimus Cliens
Johannes Vogelius, Noriberg.
SS. Theol. Studiosus.

Non pigrati sumus, B. L., Confessionis *Vogelianæ* Exordium & Epilogum plenius descripta dare; neque etiam Te, opinamur, pigebit, utriusque argumentum a) animo altius demissum reputare; quandoquidem præter modestiam & candorem *Vogelii* laudabilem, quid sentiret, sine fuco, professi, *Peuschelioq;* hac in parte anteferendi, in hac epistola haud pauca, quoad occasionem in has syrtes prolabendi, b) satis dilucide sunt explanata, multumque hinc lucis *Capiti* nostro *Primo* accendi potest. Nam quæ de *Gittichio* supra narrata sunt, prima illa, post *Sonerum*, & ferali hujus incendii face, ea conceptis verbis non modo *Vogelius* noster confirmat; verum etiam in *Apologia* sua *Schopperus* inficias ire non potuit, in id omni studio & contentione præfractum illum hominem incubuisse, ut publice etiam *Socini* hypotheses, quoquo modo posset, tueretur, pingeret, atque auditoribus commendaret. De *Ruaro* equidem

a) Cum annotationibus subitaneis, quas, quia supra *Schröderianas* quasdam ad *Peuschelii* Confessionem adspersas adjeceramus, heic quoque interdum adjiciendas, ne Lectoris animum in transversum dubia mota rapiant, putavimus. Reliqua enim ex Disputatione inferius recitanda cognoscere licebit.

b) Arreptam magis, quam datam & objectam Ex neutra enim, quas recensuit, ut ad *Socinismum* animum appelleret, aut prorsus transiret, per se consequebatur.

dem prorſus ſiluit *Vogelius* in hac prima depravati animi ſui cauſſa manifeſtanda, nec injuria. Primas enim ille veneni, quo afflati erant, non omnino tulit; *ſecundas* autem partes, obfirmandarum in hæreſi præcepta & ratiunculis corrumpendarum atque illaqueandarum mentium, habuiſſe, annotatum eſt alibi. Quantumvis non minor hujus rigantis eas, quam plantantium, culpa extiterit. Cæterum quædam a *Vogelio* enarrata eapropter ſupra conſulto omiſſa ſunt, quoniam non communia toti cauſſæ, ſed propria ſibi fuiſſe ad ſuſcipiendum errorem incitamenta, non obſcure oſtendit.

§. XVII.

Quæ cum ita comparata ſint, miſſis hiſce confeſſionis & declarationis factæ capitibus, jam porro ſoliciti erimus, de ſubſequutis poſthæc conſiliis fatisque exponendis. Nempe acceptis his *Vogelii* litteris, perinde uti *Jenæ* cum *Peuſchelio* factitatum erat, cum *Theologis Wittebergenſibus* colloquium procurarunt *Illuſtres Reipublicæ Noribergenſ. Proceres*, opera ad id obtinendum inprimis commodante Viro Generis Nobilitate æque ac doctrinæ præſtantia excellentiſſimo, *D. Joh. Chriſtoph. Oelhafen, Reipubl. Noribergenſis t. t. Conſiliario.* a) Ejus enim cum D. *Matthia Hoë*, Elector. Concion. Supr. Aulico & Conſiliario Eccleſiaſt. b) commercio litterarum & ſtudio effectum eſſe, ut *Vogelius Theologorum Leucoreorum* ordini ſiſteretur, ex epiſtola Theologi illius Reſponſoria c) colligimus: cujus repetere exemplar deſcriptum operæ pretium ducimus.

„Dem Edlen Veſten und Hochgelehrten Herrn Joh. Chriſtoph Oel-
„hafen, beeder Rechten Doctori der lœbl. freyen Reichsſtadt Nürn-
„berg wohlgeordneten Conſulenten &c.

„Meinem beſonders grgl. lieben Herrn und vornehmen Freund.

„Edler, Veſter und Hochgelehrter: inſonders grgl. Herr und vor-
„nehmer Freund.

„Demſelben ſind meine ganz willige Dienſt jederzeit zuvor: Habe meines

a) A. 1626. poſt *G. Remi* brevem hujus officii adminiſtrationem Acad. Altorph. Procancellarii dignitatem adepto, & A. 1631. defuncto; quo anno *G. Richtero*, de quo ſupra Cap. II. ad Lit. R. diſſeruimus, moriens lampada tradidit. Vitam de reliquo generoſi *Oelhafii* deſcriptam qui noſſe accuratius deſiderant *Vitas Procancellariorum* hujus Univerſ., a Cl. *Apino* adornatas, adeant, ubi hanc quoque inter cæteras n. 3. reperient.

b) Nuper admodum A. 1613. *Praga* huc evocato, plurimaque auctoritate temporibus valde χαλεποῖς usque ad A. 1645. id munus adminiſtrante. Conf. Cap. IV.

c) Ipſas enim *Oelhafii* ad *Hoëum* ſcriptas nanciſci

meines Herrn Schreiben, ſamt der Beylage zwar zurecht erhalten," aber zu unbequemer Zeit, da ich eben ſchwerlich und gar in den" Tod kranck gelegen, dannenhero mir unmœgl. geweſen, ſo bald" die Sach zu expediren. Trage ſonſt mit den guten Leuten zu" Donawerd a) ein herzl. Mitleyden, und bin begierig, nach æuſſer-" ſten Vermœgen den dreyen lœbl. Reichsſtædten meine Dienſte zu" leiſten. Ich hab auch nicht unterlaſſen, ſo bald als nur der Morbus" ein wenig in declinatione geweſen, mich dahin zu bemühen, daſs" mein Gnædigſter Chur-Fürſt und Herr die gebettene Interceſſio-" nes gnædigſt willigen wollte, welches ich auch erhalten. Thue" ſolche nebenſt einen gnædigſten Churfürſtl. Antwort ſchreiben" an die 3. lœbl. Reichsſtædte dem Herrn hiebey überſenden: und" bitte bey wohlermeldten 3en lœbl. Stædten mich, propter moram" zu entſchuldigen. Worinn künfftig denſelben ſamt und ſonders" ich dienen kœnnte, dazu wollte ich mich jederzeit obligirt befin-" den laſſen. Hierneben überſchicke ich einen Extract aus der Theo-" logen zu Wittenberg Bericht, was der Herrn zu Nürnberg Alu-" mnus, Vogelius, fürgegeben: qua occaſione er zum Photinianiſmo" gerathen. Weiln gleichwohl deſs alten ehrlichen Theologi D." Schopperi gar übel gedacht wird, mœcht ich wünſchen, b) daſs er" darüber mit ſeiner Verantwortung vernommen würde, ehe er ſtür-" be; c) damit nicht unſere Adverſarii, wann ſie es erführen, ſich" einmahl damit küzelten. Intereſt Reipublicæ Chriſtianæ, daſs der" ehrliche Mann zur Antwort kæme. Es wird ſich ohne Zweiffel" viel anderſt befinden. Welches ich in Eil dem Herrn nicht ber-" gen wollen. Verbleib zu allen angenehmen Dienſten willig: Vns"

alle

nanciſci haud potuimus: quarum tamen, quod fuerit argumentum, ex Reſponſione nullo negotio intelligi poteſt. Spes equidem fuerat, in apparatu illo *Hamburgenſi*, & nominatim *Wildermuthenſi*, epiſtolarum ad b. *Hoë ab Hoëneg* datarum, quem Cl. *Lakmannus*, Miſcell. litterar. Cap. III. deſcripſit, & edituris obtulit, hanc aliasque Oelhafianas repertum iri. Sed cum Indicem iſtic exhibitum perluſtrarem, ne nomen quidem *Oelhafianum* inveni, ut proinde de priori illa reſponſionem iſthanc antegreſſa obtinenda prorſus nunc deſperem.

a) De cujus libertate recuperanda, redditis in occupationem factam expenſis, adhuc tunc ſpes erat, quæ poſtea evanuit. Cujus rei cauſſas norunt, quibus geſta iſtius tempeſtatis, in cruentum tandem bellum paullatim deſinentia, cognita ſunt accuratius.

b) Quæ procul dubio cauſſa fuit, cur Apologia ab eo non multo poſt ſcripta expoſceretur, ut cum D. *Hoëo* communicari poſſet.

c) Annum namque jam ſeptuageſimum primum inchoaverat, &, uti ominatus erat *Hoëus*, nondum etiam elapſo hoc anno vitam cum morte in autumno commutavit.

„alle GOTT empfehlend. Geben Dresden am Tag Georgii „1616.

DHDW. allezeit

Matthias Hoë von Höenegg der Heil. Schrifft D.
Churfürstl. Sæchs. Oberhoff-Prediger und Geistl. Rath.

Obscurius, fateor, hinc apparet, per eundem Theologum maximæ sub id tempus auctoritatis curatum esse, ut *Vogelii* errores in congressu aliquo solenni ei demonstrarentur, jussu Summi Principis & Electoris ad id faciendum impetrato; sed si *Wittebergensium Collocutorum* verba conferamus, multo id luculentius patebit, ad emendandum hac via depravatum juvenis animum, errantemque in viam revocandum, processum esse. Quod, ut evidentissimum sit, ipsam relationem illam Theologici Collegii Witteberg. venerabilis de *Vogelio*, coram ea pluraque alia, quam quæ *D. Hoë* carptim commemoravit, edisserente, satius est, prout adjecta prioribus a) litteris fuit, subjungere: quæ hunc in modum κατὰ πόδα concepta fuit.

„Wir haben mit Vogelio længer den vierthalb Stunden zugebracht, „und ihm anfænglich unsers gnædigsten Churfürsten und Herrn gnæ„digsten Willen und Meinung vorgehalten, und begehrt, dass er uns „vor allen Dingen berichten wolle, mit was Gelegenheit er dazu ge„kommen, dass er dem verdammten Photinianischen Schwarm mehr „als der reinen Evangelischen Lehr in welcher er erzogen, beypflichte, „darauf er uns folgende Motiven angezeigt. 1. Habe er vor 7. Jahren „zwo Dispp. Theologicas de SS. Trinitate angehœret, in welchen D. „Jac. Schopperus præsidirt. Es hab ihm aber Michaël Gittichius b) ein „Photinianer so starck opponirt, dass D. Schopper nicht habe zur Gnüge

a) *D. Hoëi*, qui separatim & peculiari schedula hæc descripta ad *D. Oelhafium* misit, ex Ordinis Theologici Relatione decerpta.

b) Non est h.t. a *Schoppero* publice ad disputandum proposita *de S. Trinitate* ne unica quidem Exercitatio; ea vero, in qua Resp. egit *Saubertus*, postrema fuit paullo ante *Vogelii* abitum ventilata, neque in illa & oppugnanda *Gittichius*, jam diu ante in *Poloniam* reversus, vires suas periclitatus est. Conf. Cap. I. Memoriæ ergo hic lapsus fuit, sive narrantis, quod verisimile non est, sive a memoria hæc repetentium Theologorum, quod probabilius videtur, aut in alia quadam disputatione, arrepta occasione, hoc de mysterio dissertavit cum *Schoppero Gittichius*: quem tamen non de hac, sed aliis rebus secum aliquando disceptasse, iste in *Apologia* testatur. Verisimilius est, disputationem cum *Gittichio*, & *Vogelio* atque *Peuschelio* Resp. *Sauberto* fuisse oscitanter commixtas. Hanc enim bis ante & post meridiem ventilatam fuisse, ipse *Schopperus* in *Apolog.* narravit.

Gnüge darauf antworten kœnnen, darüber er und andere Studiosi" ſcrupulos bekommen. 2. Habe er vor 6. Jahren D. Schopperus und" ſein Collega M. Spremberger diſſentirt, in doctrina de Concretis &" Abſtractis, ſonderlich in der Quæſtion: An Caro Chriſti in abſtracto" ſit adoranda? Welches Spremberger negirt, Schopperus aber affir-" mirt habe, da immer einer den andern zum Arrianer machen wollen," welches die Studioſos in ihrer Lehre irr und zweifelhafft gemacht ha-" be. a) 3. Gab er vor, D. Schopperus hætte vor 6. Jahren pro Concio-" ne, das erſte Capitel Johannis erklært, und obiter der Arrianer er-" wehnt, daſs ſie ihre Sachen ſo ſpecioſe vorbræchten, man kœnnte" kaum darauf antworten, endlich auch geſagt: Wir kœnnens nicht re-" futiren, aber Gott lob! wir wiſſens beſſer. b) Item, Er habe geſagt: er" habe 2. Bücher der Arrianer, die wolle er verbrennen, ehe er ſterbe," damit ſeine Sœhne nicht verführet würden; denn es ſey unmœglich," daſs einer, der es lieſet, nicht müſſe dieſer Opinion beypflichten. Da-" hero die Studioſi Vrſach bekommen, nachzufragen, was es für Bü-" cher ſeyn müſſen; er habe aber ſolche Bücher nicht bekommen" kœnnen. 4. Habe Vogelius vor 4. Jahren dem D. Schopper oppo-" nirt in einer Diſputation de S. Trinitate, und habe D. Schopper" nicht antworten kœnnen: Ihre Controverſia ſey geweſen de dicto" 1. Joh. V. Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent &c. und de dicto" Matth. XXVIII. Euntes docete &c. Da D. Schopper œffentl. ſoll" bekandt haben, daſs aus dieſen dictis die 3. Perſonen der Heil. Drey-" faltigkeit nicht kœnne bewieſen werden. Item es habe Vogelius" unter den D. Schopper reſpondirt in privato Collegio, c) und wie" gebræuchl. zuvor inſtruction von ihm gebetten, da er ihm denn die" argumenta de perſonalitate Chriſti d) objicirt und beſſer reſponſio-" nes, als ſonſt gegeben werden, begehrt. D. Schopperus aber ha-" be geſagt: Er habe keine beſſere Reſponſiones in Patribus geleſen." Er ſoll ſelber beſſer reſpondiren. Auch ſoll er in wæhrender Di-" ſputation geſagt haben: als ihm der locus 1. Cor. XV. (Filius ſubji-" cietur

a) Ex Cap. I. §. 20. ſqq. hæc repetenda ſunt, &, quæ ſint *intempeſtivæ* αἱρετικοποιίας incommoda, triſti exemplo condocent.

b) Conf. ad *Apol. Schopperi* annotata; ex qua, cum accuſatione collata, plurimum lucis toti huic negotio affundi poteſt.

c) Vid. quæ ſupra ad §. XV. & Epiſt. *Vogelii* Confesſioni præmiſſam obſervata ſunt.

d) Error haud dubie, incertum tamen, a quo, commiſſus eſt. Neque enim de *Perſonalitate* Chriſti, ſed *Spiritus S.*, diſputari cum *Socinianis* conſtat: niſi forte *Perſonalitatis* vox, pro *Perſona*, ſit inter deſcribendum poſita.

„cietur Patri) opponirt worden: Wenn wir keine andere Testi-
„monia pro Divinitate Christi hætten, so wolle er wegen dieses Tex-
„tes selber ein Arrianer werden. a) Vnd dadurch sey Vogelius noch
„mehr bewogen worden, es mit den Photinianern zu halten.“ Hactenus verba Dd. Wittebergensium ad D. Hoë perscripta, quæ, Serenissimi Saxoniæ Electoris mandato, cum *Vogelio* conferre rationes, ipsis Doctoribus injunctum fuisse, perspicue enunciant: quod nobis fuerat demonstrandum. Præter hæc vero, quoniam rationes adductæ ab illis cum ipsa *Vogelii* professione, Inclyto Curatorum Acad. Ordini reddita, maximam partem conveniunt, non temere eas illi excidisse, putamus; sed, animo fixum firmiterque ei persuasum fuisse, conjicimus, hasce genuinas ad mutandam in pejus mentem caussas extitisse. Exulceratis certe jam ante animis novum exinde, ad morbum augendum confirmandasque anticipatas opiniones, μίασμα accessisse & quasi infusum esse, non est, cur dubitemus.

§. XVIII.

Minime omnium vero dubium est, quin maximam cumprimis ea res solicitudinem excitaverit in eorundem *Curatorum rerum Academicarum Illustrium* animis, quibus, post *Soneri* obitum, exorti rumusculi jam ante crucem fixerant, & diu molestos scrupulos injecerant. Vtut enim hos removeri ex mente sua, *Schopperi* aliorumque collegarum testimonio, b) sibi haud illubenter passi essent, pioque insuper erga demortuum charitatis judicio & affectu in eum, doctrina ac pietatis specie spectatissimum, dum viveret, sincero adducti, de tanto tamque spectabilis integritatis viro meliora crederent; nova tamen & anxia solicitabat animos cura, his *Vogelii* denunciationibus, jam patefactis, excitata. Nam & ipsummet Theologorum primarium, *Schopperum*, sua tantis ærumnis periculisque occasionem subministrasse imprudentia, aut, quod multo pejus videbatur, ad officium rite peragendum, eruditione inhabili, idque tam lugubri documento demonstratum fuisse, haud leve videbatur discrimini tanto

a) Frigide ad hoc dubium, quæ privatim forte exciderunt *Schoppero*, nihil mali suspicato, cum de difficultate loci cit. interrogaretur, fateor, respondit senex optimus. Nec est, quod mireris; Etenim nodus in Script. universa magis arduus vix occurrit. Quas & nos salebras agnovimus, & alia quadam, quam vulgo fieri solet, (ubi ratio ab humana natura Christi petita videtur plerisque rem omnem conficere) methodo, vocabulum nimirum ὑποτάσσειν ex etymologia explicando, & ad *ordinem* cuncta reducendo, e via removere conati sumus, in Diss. *de Subject. J. C. gloriosa* A. 1715. publicata.

b) De quibus Cap. I. §. 18. fuse actum est.

tanto momentum afferre, & in futurum quoque profpicientibus in hac rerum perturbatione maximi credebatur effe ponderis. Quam præcipue ob rem, tum vero etiam, ne qua bono viro, deque Ecclefia Chrifti optime merito feni, injuria inferretur; folemniter tandem decretum eft, quemadmodum exoptaverat *Hoëus*, ipfum ante omnia audiendum effe, communicatis cum eo *Vogelii* effatis, *Schopperum*, ut, quæ vera effent vel commentitia, certius inveftigari, &, quid ex Reipublicæ totius commodis videretur, mature conftitui poffet. Neque temere hæc affirmamus, fed ex ipfo *Senatus confulto*, forte reperto, plane cognitum exploratumque habemus. Cujus idcirco verba repetere integra vifum eft fequentia.

Verlafs beym Aufsfchufs: a) Act. d. 2. Maji 1616."
Vff Herrn D. Matth. Hoë von Hoheneck, Churfürftl. Sæchf. Hof-" Predigers Schreiben an Herrn D. Oelhafen, darinnen er berichtet," dafs er in Befœrderung der Interceffion-Schrifft für die Evangeli-" fche Burgerfchafft zu Donauwehrd an den Herzog zu Bayern, das" befte gethan, und dabey einen Extract überfchickt aus der Witten-" bergifchen Theologen Bericht, was fie mit Joh. Vogel gehandelt," mit was Gelegenheit er auf den Photinifmum gerathen, und dafs" die Schuld D. Schoppern zugemeffen werde, als der in den Difpu-" tationibus den Opponenten nicht genug refpondiren kœnnen; ift" befohlen, die Herrn Prediger darüber zu vernehmen: Ob D. Schop-" per darauf zu hœren, und wie folches auf ihn zu bringen: Was" ihm auch dabey anzuzeigen, weil er im Difputiren die fchwerfte und" difputirlichfte Artickel fürnimmt, und doch der Sache nicht genug-" fam gewachfen ift. Actum d. 2. Maji."

p. die Herrn Scholarchen.

Equidem Paftorum Ecclefiæ Noribergenfis ex decreto iftoc Illuftris Senatus requifitum redditumque refponfum, b) quo confilium de *Schoppero* ad rationem factorum dictorumque edendam admonendo comprobatum, (fic enim eventus docuit) nancifci nondum valuimus. Nec multum refert, etiamfi eo deftituamur, quandoquidem ipfa D. *Schopperi Apologia*, quam adepti fumus amici cujusdam, pia

a) Ita Noribergæ Confeffus *non totius Senatus*, fed compendium quafi quoddam Perilluftris Collegii, *XIII Confulibus* fenioribus, & tribus vel quatuor primi ordinis Senatoribus non Confularibus, (*vörderften alten Genannten*) conftans, dici folet.

b) Et quidem *Fabricii* cumprimis ac *Schröderi*; de reliquis enim nihil afleveranter dicere poffumus, in confilium, quod fieri plerumque alias folet, fimul vocatos effe.

pia obſervantia colendi, benevolentia, præſto eſt, eamque lacunam cumulatiſſime explet. Eam igitur, cum plurimum ponderis habeat in cauſſa præſenti dijudicanda, præſtat perluſtrare; quem etiam in finem totam typis deſcriptam maluimus cum L. B. communicare, quam excerpendi compendio aliqua parte truncare, aut mutilare. Qua perlecta, utrum veræ fuerint accuſationes *Vogelianæ*, nec ne, liberum eſto Lectori judicium. Verba *Schopperi* hæc fuere:

„S. in Chriſto Jeſu, Deo & homine, Salvatore noſtro unico:
„Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Prudentiſſimi Viri,
„Domini & Patroni debita obſervantia colendi.

„*Legi ea, quæ Vogelius Amplisſimi Senatus Stipendiarius, Photinianus,* „*contra me ſcripſit: ad quæ breviter, ut reſpondeam, & honos meus & ve-* „*ritas requirit. Conatus* (eſt) *culpam Apoſtaſiæ ſuæ in me transferre. Sed* „*profecto, ſicut in proximis litteris ſcripſi,* a) *dum hic ante biennium eſſet,* „*non habui illum, ſicut nec alios, eo tempore de Photinianiſmo ſuſpectum.* „*Quod igitur refert, Michaëlem Gittichium, Polonum, Photinianum, con-* „*tra quem Lucius, Præceptor Scholæ in Cœnobio Ambergenſi publice ſtylum* „*ſtrinxit,* b) *ob inſignem pietatem & ſingularem eruditionem præcipuis* „*Academiæ civibus quam maxime fuiſſe commendatum, nominet illos præ-* „*cipuos Academiæ cives, ut ita nocentes ab innocentibus dignoſcantur.* „*Nam hoc mirum eſſet, ſi quisquam hic Photinianos commendaſſet, ac ita* „*ſtudioſæ juventuti ad ſeductionem anſam præbuiſſet.* c) *Scribit præterea:* „*Fiebat nonnunquam, ut ab ipſis etiam Theologiæ Profeſſoribus ad diſpu-* „*tandum invitaretur. Reſpondeo: Ego illum eo nunquam invitavi, ſed* „*ultro ſemel in diſputatione mea de Juſtificatione* d) *Reſp. M. Joh. Webero,* „*Paſtore Offenbuſano, ſurrexit, ac ex* I. *Pet. II. demonſtrare voluit, Chri-* „*ſtum ſua paſſione duntaxat præbuiſſe exemplum patientiæ, quod crimi-* „*natus non ſit recriminatus, ſed Deo juſte judicanti hoc commiſerit; non*

autem

a) Apparet ergo ex his verbis, jam antea *Schopperum*, quid cognitum ſibi eſſet, de machinationibus clandeſtinis *Socinianorum*, ediſſerere & perſcribere juſſum, ea, quæ tunc in mentem venerant, ſignificaſſe. Sed neque his litteris nobis potiri licuit; quæ forte publico nomine nec expetitæ, nec perſcriptæ ſunt.

b) Vid. Cap. I. §. 24. & II. §. 28. quam noſter citat, quia typis jam proſtabat excuſa, iſta Diſputatio.

c) Mirum vero ex adverſo nobis videtur, ſi ne tunc quidem, a *Sonero* id factum eſſe, credidit *Schopperus*: in quem illud videtur convenire, quod vulgo dicitur: *Vt quisque eſt optimus, ita de aliis quoque non male ſuſpicatur.* Propter pietatis enim ſpeciem, quam præ ſe ferebat *Gittichius*, & plerique ſolent *Sociniani* oſtentare, multis in pretio eum fuiſſe, uti non dubitamus, ita parum ad præſens negotium refert.

d) Theſes erant *de Gratia, Fide & Juſtificatione* A. 1609. m. Junio propoſitæ.

autem hac sua passione eum pro peccatis nostris satisfecisse. Ibi ego re-" spondi, quod adhuc multi meminerunt, Petrum statim subjungere: Qui" peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno; Item: Cujus livore" sanati estis. a) *Sed extra illam disputationem, nihil unquam cum illo mi" hi fuit negotii. Fuit quidam Pragensis nomine Wolff Hofferus, præceptor" Wenceslai Ories & Joh. Georgii Tyring a Rottenberg, Pragensium, qui" mihi tum temporis retulit, quod Gittichius negaret, se esse Arianum. Ita" putabam illum Divinitatem Christi non negare;* b) *Sed postea ipso opere de-" prehensum est, illum esse Ariano deteriorem, scil. Photinianum; qui vero" negaret, Christum ante Mariam Virginem plane non extitisse, quod Arius" olim concessit, sed asseruit, Christum esse Deum creatum. Vtinam ille" Gittichius non etiam scrupulum huic injecerit! Tandem hic Polonus VV." NN. & A A. mandato jussus* c) *est hinc abire, cum suis discipulis, quod" & fecit. Si autem Vogelius, vel alii eum accesserunt, & ab eo Photi-" nianismum hauserunt, quis illos hoc jussit? Hoc sæpe conquestus fui, Sti-" pendiarios esse negligentes in meis lectionibus. Quidam, etsi eas inter-" dum visitarunt, tamen ne litteram quidem exceperunt, non dignum me" judicantes, ex quo aliquid discerent. Et hoc fecerunt, haud dubio instin-" ctu aliorum, qui me Vbiquitistam* d) *appellarunt, quasi nihil aliud, quam" ubiquitatem docerem; cum profecto rarissime de illa materia disseram, &" quidem non eo modo, sicut mihi imputatum fuit,* e) *sed sicut normæ do-" ctrinæ nostræ est consentaneum. Ergo neglectis meis lectionibus legerunt" potius scripta Photiniana, ac ita se implicuerunt, ut amplius se extricare" non potuerint. Ita solet fieri, quando lectiones Orthodoxorum Theolo-" gorum contemnuntur, ut Diabolus miseram & curiosam juventutem in"*

Nnn 3 *inau-*

a) Qua profecto responsione, & distinctione, inter *finem* passionis Christi *primarium* atque *secundarium*, priori subjungendum, sed non opponendum, addita, satisfactum fuisse adversario, manifestum est; præsertim, si quis *Petri* verba cum *Esaiæ* Cap. LIII., ex quo desumta sunt, accurate contendere, verbumque *bajulandi* expendere, cum cæteris *Esaiæ* effatis, non gravabitur.

b) Nimirum de *Arianismo* cogitans, *Photinianismum* eodem jam sec. IV. Ecclesiæ Christi infestum, atque sec. XVI. reviviscentem, prope negligebat *Schopperus*. Ex quibus, ipsaque adeo optimi Theologi hujus confessione, quam necessaria sit hæreticorum Historiæ accurata notitia, eademque distincta, &, quantum noceat credulitas, prudentia pia haud temperata, denuo patet.

c) Conf. Cap. I. §. 25.

d) Ex *vita Schopperi* hæc lucem expectant, unde, *Form. Concordiæ* vehementius fuisse addictum, atque hinc Collegis t. t. male audivisse, elucet.

e) Ad marg. scripta erant verba: *Hoc etiam testantur Pasquilli contra me scripti:* de quibus in vita l. c. pag. 73. not. iii. plura leguntur annotata.

„*inauditas hæreſes abducat.* a) *Quod Vogelius ſcribit, Gittichium parum* „*ſolidas, immo nullas reſponſiones a me accepiſſe, falſum dicit: Teſtes ſunt* „*illi, qui me tum temporis diſputantem audiverunt: quorum aliqui jam in* „*publico miniſterio verſantur.* b) *Sed his hominibus tantum ea placent,* „*quæ ab ipſorum aſſeclis dicuntur. Certe etiam hodie Papiſtæ, Calviniſtæ,* „*Anabaptiſtæ & alii Sectarii, dicunt ſibi a Theologis noſtris non ſatisfieri:* „*Nihilominus noſtra conſcientia contrarium teſtatur. Et pono caſum, non* „*me ſufficienter reſpondiſſe: Debuitne ideo ad Photinianorum caſtra trans-* „*ire? Cur me non potius privatim interrogavit? Quod quidem, ſcribit, ſe* „*feciſſe; ſed non memini, etſi rariſſime me acceſſerit, quod de S. Trinitate* „*mecum contulerit. Nam tum temporis in noſtra Academia, nulla erat* „*controverſia de S. Trinitate, ſed potius de adorando Chriſto ſecundum hu-* „*manam naturam.* c) *Quod ſcribit, me petiiſſe a Gittichio, ut ipſemet ſo-* „*lidas reſponſiones ad ſuas objectiones afferret, non memini.* d) *Nam ſcio* „*in mea conſcientia, me ejus objectionem, quæ fuit unica, ut ſupra dixi, ſo-* „*lide ſolviſſe. Scribit Profeſſores Theologiæ addidiſſe alterum, dum, ne-* „*ſciat, de rebus an locutionibus quibusdam, acerrime inter ſe contende-* „*rint, & tum intra tum extra parietes Academicos in publico etiam ſug-* „*geſtu contraria propoſuerint: immo tum vel maxime cauſſæ ſuæ conſultum* „*putaverint, quando partem adverſariam, vel ad Neſtorii vel Arii caſtra* „*ablegarent; Reſpondeo: Perſtringit meum certamen cum M. Sprember-* „*gero, qui negavit, Chriſtum ſecundum utramque naturam eſſe adorandum.* „*Quæ ejus opinio non tantum a me, ſed etiam a M. Schrödero in aliquot ſo-* „*lennibus colloquiis* e) *(quibus præter AA. DNN. Scholarchas complures etiam*

a) Conf. 2. Theſſ. II, 11. Rom. I, 24. ſqq. Luc. XIX, 26. & reliqua.

b) Non dubium eſt, quin hoſtes *Schopperi*, etſi in controverſiis cum *Socinianis*, t. t. recenter exortis, tam exercitatus non fuerit, quam *Pontificiis* & *Calvino-Reformatis*, injuria affecerint athletam præſtantiſſimum. Etenim cum in ſcriptis, quæ extant, argumentis profecto non ficulneis uſus ſit contra eosdem; quis credat, in colloquiis aut conflictu præſente tam tardum fuiſſe aut hebetis judicii, ut ad objecta ab adverſariis nihil reſpondere potuerit. Documento igitur hæc potius eſſe queunt, quanta jactantia, animique præfidentia eum juvenes illi ſint aggreſſi. Fortaſſis etiam, qui ſunt Sophiſtarum mores, jam pridem *Ariſtoteli* notati, interrogationibus captioſis interdum nihil ſiniſtri præſentientem perplexum reddidere, ut, victas eum manus dediſſe, videri poſſet. Quæ tamen multo aliter, ſi absque fuco res acta fuiſſet, cecidiſſent.

c) Male & imprudenter; ut hactenus quoque dicere liceat: *Vni rei attento minorem fuiſſe ad ſingula ſenſum.*

d) Si quando talia excidiſſent, cum Lutherano ſibi rem eſſe, *Schoppero* perſuaſum fuiſſe, nimis credulo & apertæ mentis viro, hinc conſequeretur, nec fraudi cæteroquin doctrinæ ipſi id eſſe poterat.

e) Add. vita *Schopperi* in *Vit. Theolog.*

etiam alii Senatores & XIII. ministri Ecclesiæ interfuerunt) ex S. litteris" refutata, ac propositiones contra illum errorem conscriptæ ab omnibus sub-" scriptæ. Ego certe pro mea persona ad talem errorem Sprembergeri, quem" in lectionibus & concionibus effutivit, tacere non potui. Dixi sane, se-" parari tali errore duas naturas in Christo pro more Nestorii: Quid tum?" Vogelii ut discipuli officium fuit, meas lectiones de illa materia (quæ ad-" huc extant) diligenter audire, &, si laboraret ullo scrupulo, eum mihi ex-" ponere, quod ab ipso non est factum. a) *Scribit præterea, cum ego Primum" cap. Joh. in publica concione explicarem, me dixisse: Adeo speciose ad-" versarios sententiam suam probare & confirmare, ut ipsorum Libros le-" gentes non possint non ab orthodoxa fide abalienari, utpote quibus refu-" tandis vix ac ne vix quidem exercitatissimi sufficerent Theologi, quam" ob rem mihi omnino constitutum esse, duos, quos hominum illorum mecum" habebam* b) *libros, ante meum ex hac vita excessum igne absumere: ne in" manus meorum filiorum aut aliorum etiam deveniant eosque vel invitos" in nequiorem mentem abripiant. Resp. Explicavi his octodecim annis," dum hic ministerio Ecclesiæ fungor in feriis Natalitiis I. cap. Joh. In" principio erat verbum &c. sicut id est inter ordinaria Evangelia istarum" feriarum, & D. Lutherus etiam in sua Postilla Ecclesiastica enarrat: Ac" semper probavi, λόγον ibi non significare cogitationem aliquam Dei Patris," qua cogitarit de creando mundo, sicut Ariani interpretantur; sed signifi-" care hypostasin seu personam per se subsistentem h. e. æternum Dei Patris" filium. Et quia tum a peregrinis bibliopolis huc afferebantur scripta" Photinianorum, Socini, Ostorodi, & aliorum, monui serio Studiosos, ne" emerent vel legerent, sicut adhuc facere soleo; sed in lectione Bibliorum" & Orthodoxorum Librorum perseverarent. Et addidi Arianos suam hæ-" resin ita speciose palliare, ut incautos facile decipere possint: nec me meis" filiis talia scripta permittere.* c) *Quid sinistre dixi? Quod illorum argu-" menta*

Altorph. f. 71. not. hhh. & *Sprembergeri* f. 101. sqq. fata simul cum istis contende annotationibus.

a) At negari haud potest, *tædium* ex importunis quibusdam disputationibus obrepsisse melioribus animis, & *pietatis* cum specie *jactatores* quasi genuinæ hinc in eorum recessus, *venenum*, non sine calumnia, de origine horum litigiorum, ex doctrina de Persona & morte Christi vicaria, maximam partem repetenda, *inspergendi ansam sumsisse*. Quid enim tritius, quam petulantissima illa, de satisfactione & Justitia Christi expletrice, per fidem nobis donanda, ad impietatem vitæ deducente, *Socinianorum* criminatio?

b) Forte: *haberem*.

c) Ex suggestu hæc omnia si dicta sint, minus commode istic pronunciata putamus; domi certe tolerari facilius, & ut caverent ab hujusmodi libris, adhiberi potuissent. Sed *nitimur in vetitum* &c.

„*menta non solvi possunt? Nunquam dixi.* a) *Fortior enim est veritas* „*mendacio. Scribit præterea in mea disputatione A.* 1613. *de S. Trinitate* „*Resp. M. Sauberto, nec hunc nec me, id quod Theses volebant, h.e. Patris,* „*Filii & Sp. S. individuam unitatem in divina essentia ex ullo S. Scripturæ* „*loco demonstrare potuisse, ac mihi & Respondenti ubique aquam hæsisse: O* „*mendacem cuculum contra suum præceptorem! Testatur totum audito-* „*rium contrarium. Disputavi per integrum diem ante & post meridiem* „*ac nemo fuit opponentium, qui mihi non pro solutionibus gratias ageret,* b) „*nec scio ullum tum affuisse Photinianum,* c) *qui opposuerit: quia Gitti-* „*chius dudum discesserat. Sed ex maxima parte opposuit Dn. Paullus De-* „*mitrovitius, Lithuanus, Generosi Domini Baronis Felicis* d) *(cui Theses* „*dedicavi) Præceptor, qui in fine Thesium adjecit insigne elogium Ariano-* „*rum hujus temporis, & eos suis coloribus diabolicis depinxit. Cæteri* „*fuerunt nostri ordinis, quantum mihi constat. Similiter est pingue men-* „*dacium, quod nugatur, me dixisse, non posse ex ullo Sacrarum litterarum* „*loco solo Trinitatem probari. In quem ergo finem tot testimonia ex V. &* „*N. T. in meis Thesibus allegavi? Video certe homines, non tantum in* „*Theologicis, sed etiam in civilibus mentiri.* e) *Quod ulterius commini-* *scitur*

a) In medio hæc relinquimus, & quod *Pelagianis* nondum exortis securius esse Doctores Ecclesiæ locutos olim dixit *Augustinus*, huc quoque ad nostrum, nihil mali suspicantem, *Schopperum* quadrare existimamus. Ad rem ipsam vero quod attinet, quicquid sit de facto, quod in controversiam h. l. venit, *Illustris* quondam *Leibnüzii* nobis placet ea de re judicium, qui, *quia multorum*, inquit, *fides tam infirma tamque parum radicata est, ut periculosa tentamenta* (objectionum ab hæreticis factarum) *nequeat sustinere, arbitror, eis non offerenda, quæ perniciem afferre possent, aut, si nimis publica, celare illos non licet, addendum esse veneno antidotum, hoc est solutionem jungendam objectioni, minime vero solutionem, tanquam impossibilem amovendam, aut pro desperata proclamandam.* Conf. ejus de *Conform. Fidei cum Ratione* Differt. §. 40. Ed. Theodicææ lat., cui præfixa est, f. 32.

b) Mirum est, *Schopperum reverentiam* auditorum erga venerabilem Doctorem ab animi *sincera persuasione* non distinxisse, eoque argumento h. l. uti voluisse!

c) Huic vero sectæ jam nomen dedisse, qui serio opponebant, *Vogelium* & *Peuschelium*, proh dolor! notum erit, mirum vero, ne tum quidem hæc scivisse *Schopperum*.

d) Cujus integrum nomen fuit: *Felix Przylubsky a Przylubic*, Lithuanus, & qui cum *Paullo* illo *Demetrii filio*, atque *Joh. Rombult* A. 1613. d. 15. Febr. Altdorphium advenerat.

e) Ad *unum* locum respexere *Photiniani*, sed *inique*, ex uno solo id ut probaretur, petierunt. Non ergo fuit mendacium in dicendo, sed iniquitas in postulando: eo, quod necessarium id non erat; præsertim cum vocabulum *Trinitatis* plures veritates, in scriptura sparsim traditas, conjunctim & velut in compendio complectatur: ut alibi jam observatum fuit. Συμβιβασμὸ sec. *Paulli* methodum Act. IX, 22. sæpius opus est.

scitur, se mecum privatim de S. Trinitate contulisse, ac me ejus scrupulos" eximere non potuisse; non recordor tale aliquod colloquium, de S. Trini-" tate inter nos intercessisse. Potius de adoratione Carnis Christi, quæ tum" authore M. Sprembergero controvertebatur, sermonem miscuimus. Quis" enim unquam tum putasset Vogelium esse Photinianum? Quod attinet lo-" cum 1. Cor. XV. Filius Patri regnum tradit &c. de eo in meis dictatis ex" S. Patribus satis luculenter dixi, ac idem locus copiose est explicatus in meis" Thesibus de S. Trinitate, ut fingere non debeat, me ad eum respondere non" potuisse. a) *Scribit porro, se varia scripta Theologorum legisse ac se de-" prehendisse, quod frequenter admodum in probando deficiant, vel id, quod" in principio petant, vel ex Respondente Opponentem faciant, vices legiti-" mæ disputationis confundant, vel denique ad carecta confugiant. Quia" igitur hic juvenis non tantum me, sed & alios Theologos, qui in hac pa-" læstra excellunt, contemnit, satis est perspicere ipsius superbum ingenium," quod nemo Theologorum ei satisfacere possit.* b) *Non mirum ergo, quod" & me spernat, sicut etiam ejus condiscipulus Peuschelius me multum asper-" natus* c) *fuit. Sed is in fine sui scripti memorat, nec Dn. D. Grauerum" Prof. Theol. primarium in Acad. Jenensi sibi satisfacere; se illius argu-" mentis non tantum non a sua sententia abduci, sed potius in ea confirmari."* O *superbiam! Juvenis vult esse doctior omnibus senibus, & expertissimis" Theologis.* d) *Talis etiam olim fuit Arius, Juvenis insolens, spinosus" & versutus, qui sese seni suo Episcopo Alexandro & aliis Episcopis recte" sentientibus prætulit. Quod autem certaminum meminit inter Luthera-" nos, Calvinistas, Cinglianos & Papistas, qui ex adversæ partis hypothe-" sibus suas sententias confirmare nitantur; Quid hoc ad rhombum? Anne" idcirco Photiniani fieri debemus? Tempore Apostolorum etiam fuere cer-" tamina inter Apostolos & Pseudapostolos: Non ideo Christiani ab Aposto-" lica doctrina defecerunt. Sic etiam hodie propter certamina multorum" nos a verbo Dei desciscere non decet. Quod denique prætendit, si probi-" bemus Libros Photinianos, quod imitemur tyrannidem Pontificiam, qui" etiam*

a) Confer, quæ supra ad hanc Respons. §. XVII. extremo monuimus.

b) Adde ad hæc quoque dilucidanda §§. superiores, & *Socinianorum* jactantiam, olim præsertim intolerabilem, noli mirari.

c) Ipse ergo *Schopperus Vogelium* ejusque modestiam *Peuschelio* præferendam censuit.

d) Hisce argumentis, quæ alias quoque observavimus usurpata, ubi nimirum *barba & pallium* querulis reformatoribus aut schisma molitis, itemque Fanaticis hominibus, utplurimum alto supercilio turgentibus, obvertuntur, parum proficitur. Alio robore e *pharetra Sp. S.* opus est. Quamvis de reliquo, juvenes modestiam decere, justis, quod ad conscientiæ religionem attinet, limitibus circumscriptam, neque nos diffiteamur.

„etiam nostra scripta vetant; Respondeo: Sicut venena prohibere debemus, „sic & libros venenatos, in quibus nihil aliud inest, quam mera blasphe- „mia contra S. Trinitatem, contra personam & officium Christi. Confir- „matis Theologis non dissuadeo, ne legant, ut sic illorum hæreticorum ar- „gumenta noverint, & de eorum Reformatione a) *cogitent. Sed ut pueri, „adolescentes, juvenes, Laici nondum bene in vera religione instituti & con- „firmati talia legant, suadere nequeo. Quod vero hujus Vogelii Scriptum „attinet præcipua legi. Scribit enim se non videre omnimodam convenien- „tiam symboli Nicæni & Athanasii cum Sacra Scriptura, quo satis suum „Photinianismum prodit. Quis enim orthodoxus Christianus hæc duo sym- „bola unquam improbavit? Imo omnes illi semper hæretici sunt judicati, „qui illa repudiarunt. Legatur Historia Ecclesiastica; legantur scripta A- „thanasii, Basilii, Cyrilli, Chrysostomi, Augustini & aliorum PP. quid illi „de his duobus symbolis* b) *testentur. Quot orthodoxi Viri ab Arianis hoc „nomine gravissimas persecutiones, exilia & supplicia sustinuerunt? Ni- „hilominus illi in confessione hujus symboli constantes perseverarunt. Sic „etiam Vogelius ex professo negat S. Trinitatem, scribens: Se tres illas, quas „modo dicta symbola orbi Christiano in una individuaque essentia veneran- „das proponunt hypostases seu personas hactenus in sua conscientia agnosce- „re non posse. Item scribit, nec Christum nec nos iisdem corporibus car- „neis, sed spiritualibus resurrecturos. Item scribit, se non reperire in S. „Literis, quod Christus Mediator passione sua & morte pro peccatis nostris „satisfecerit, iram Dei placaverit & gratiam promeruerit. O Turcicam „religionem! Siquidem & Turcæ hoc tradunt, non esse tres personas in di- „vina essentia: Christum & Sp. Sanctum non esse Deum. Quod resurre- „ctionem carnis attinet, non reperio in illorum Alcorano, quod eam negent. „Statuunt enim se resurrecturos, sed imaginantur sibi talem vitam æternam, „in qua sint fruituri pulchris mulieribus, potaturi, saltaturi &c. Hæc „NN. & PPrr. Viri, Domini Patroni officiose colendi, scribere debui, tum „ut doctrinam & personam meam contra illum calumniatorem Vogelium, defen-*

a) Forte *Refutatione* voluit dicere. Ad solos autem Theologos, eosque confirmatos, nimis arcte librorum hujusmodi lectio videtur adstricta. Rectius *eruditis ea commendanda* docuit statuitque scripta l.c. *Gerhardus*.

b) De utroque male. Etenim de *Athanasiano*, quod *Tenzelius* ex professo discussit, *Anton.* vero *Dezallier* solide A. 1693. demonstratum dedit, vix ante Sec. VIII. commemorari, dici minime potuit. Quanquam sint, qui originem ejus ad Sec. V. rejiciant: Quos inter idem ille Gallus eruditus *Vincentio Lerinensi* adscribendum arbitratur, *Tenzelius* autem prudentius in medio relinquit. Conciliis certe *Ephesino* & *Chalcedonensi* recentius esse, vocabula, quibus Vnio naturarum Christi descripta est, aperte produnt. De cæteris nos nihil h. l. pronunciamus.

defenderem, tum etiam ut Vestram Nobil. & Amplitud. de iis rebus, quas" mendaciter refert, informarem. Valeat VV. NN. & AA. in Christo" quam optime, & me patrocinio suo prosequi pergat. Datum Altorphi" d. 4. Martii A. 1616."

VV. NN. & AA.

observantissimus
Jacobus Schopperus, D.

§. XIX.

Hæ sunt vindiciæ illæ, tantopere a pluribus exoptatæ, qui, injuriam fieri optimo Doctori, omnes fere sibi persuadebant. Et profecto dubium non est, quin ex objectis quædam aliter a *Vogelio* gregalibusque, quam par erat, cæteris accepta solide diluerit; Sed restant etiam, ut arbitramur, nonnulla, ubi aqua videtur viro bono hæsisse. Illud enim haud temere ex confessionibus imperfectis & aliqua parte truncatis, colligas. Neque etiam, quorum se haud meminisse amplius inquit, alius generis fuere, quam imprudentius forte, a viro bono & ex suo ingenio alios judicante, pronunciata. Quandoquidem ex universa factorum dictorumque serie evidens est, confidentius interdum, ut fieri solet, virum ingenuum, nodosque aliquos difficiliores solutu candide agnoscentem, præsertim sub initium harum disputationum, cum simulatoribus illis subinde liberiusque colloquutum; eaque, quæ nihil mali metuens protulerat, ab hisce juvenibus, consiliorum malorum sectatoribus, in pejorem partem rapta esse. Ad hæc propemodum in confesso est, doctissimum *Schopperum* in controversiis cum *scholæ Calvini asseclis* multo fuisse exercitatiorem, a) quam recentioribus illis *Socinianis:* quorum impeditissimæ tricæ tum demum extricari cœperant. Certe boni *Schopperi* piam simplicitatem aperte produnt ipsiusmet verba, quibus, postquam *Arianum* se esse negaverat & pernegaverat *Gittichius*, divinitatem Christi ingenue eum credere se opinatum esse, b) in hac ipsa *Apologia* non dissimulavit. Cum tamen constaret, e *Polonia* hominem mentis perversæ adventasse, & quæ *Socinus* pariter ac asseclæ illic jam diu cum applausu permultorum docuissent, scriptis atque fama passim

 jam

a) Quod & a nobis sæpius jam animadversum est, & fata quoque atque scripta affatim commonstrant: quæ tamen non aliter quam συγκριτικῶς intelligi volumus; quod iterum iterumque monemus.

b) Sive ignarum aliorum ejusdem gloriæ Christi hostium, sive duntaxat immemorem. Vid. notam supra jam ad ἀβλεψίαν hanc adjectam.

jam tum cognita satis & explorata essent. Vnde non sine caussa verisimile nobis esse Cap. I. docuimus, tantopere occupasse b. *Schopperum* cum *Collegis*, nominatim *Sprembergero*, ventilatas magna contentione disceptationes privatas, ut in has tota mente conversus, reliquarum non videatur perinde curiose rationem habuisse. Cujusmodi etiam in sententia de *Sonero* lata jam superius animadvertimus commissum παρόραμα. a) Ex quibus securitati per accidens, fateor, & præter intentionem ejus, ex utraque parte non leve extitisse fulcimentum, aut quæsitum saltim fuisse petulantiæ colorem quis miretur? Quæ vero quomodocunque comparata fuerint, caussam tamen hactenus bene dixit *Schopperus*, egitque suam, quod *sciens volensque nihil se*, inquit, *prætermisisse, unde, e dubiis eluctandi, qui vacillarent, occasionem haberent:* tametsi non ita bene, in animis, jam nimium in adversam partem propendentibus, lucrifaciendis hæc ejus ingenuitas successerit. Quod superest, rationes temporum non undiquaque concordant, si Senatus Decretum cum Apologia, istud menses prope duos antevertente, contendas; at, quum error describentis, numerum aliquem per oscitantiam immutantis, facile turbare seriem scriptorum potuerit, parum interest, nec operæ videtur pretium, hunc scrupulum ad examen solicitius vocare. b) Longe vero utilius & ad pertexendam historiam eventuum plane necessarium est, quid post Confessiones acceptas pensitatasque & tentamina quoque emendationis, Theologorum Saxonicorum studio, sed frustra suscepta, deinde porro acciderit, plenius enarrare.

§. XX.

Id vero, ut quam brevissimis cuncta complectamur, hunc in modum, anno MDCXVI. jam inchoato, accidit, ut, cum frustraneam collocutorum operam illic fuisse compertum esset, revocandos esse in patriam, cui beneficiorum & sacramenti religione depravati isti ingratique juvenes obnoxii erant, ante omnia statueretur, &, ne qua elabendi occasio perinde, uti a *Dümlero* c) factum, arriperetur, honestæ

a) Cap. I. §. XVIII.

b) Nisi forte dixeris, solam primum confessionem *Vogelii* cum eo communicatam esse *privatim* ab *Amicis Noribergensibus*, & ad eam responsum, ut subscriptionis mutandæ deinceps oblivisceretur. Sed satius est, in describendo errorem a calamo festinante commissum hariolari. Senatus certe decretum, cum die *Georgii*, quo *Höei* litteræ exaratæ sunt, optime concordat.

c) Is enim huic rigori perbenigno, aut providentiæ potius solicitæ, quia, verbis fidendum non esse, manifestum erat ejus *fuga* factum, caussam ansamque primam dedit. Qua de re in seqq. exponemus.

honeſtæ cuſtodiæ ſine mora in Academiis Saxonicis mandarentur. Quem in finem menſe *Februario*, fere medio, auctoritate *Illuſtris Senatus Noribergenſis Jenam* æque ac *Wittebergam* ablegatus eſt *Syndicus* aliquis *Reipublicæ*: a) ſignificaturus videlicet, quid animi eſſet ſuper hac re *Inclyto Magiſtratui Norico*, de graviſſima cauſſa magnopere ſolicito, & ſimul, ut honeſta aliqua cuſtodia attinerentur rei, honorifica Academici utriusque Magiſtratus imploratione expetiturus. Quo facto, expoſitaque Senatus Inclyti voluntate, *Jenæ* primum *Peuſchelius*, tum etiam *Wittebergæ Vogelius* cuſtodiæ traditi ſunt, ejusdem fortunæ, quemadmodum & hæreſeos hactenus, participes. Geſſerunt, dum hæc ita agebantur, Conſulatum Academicum, iſtic *Ortholphus Fomannus*, JCtus percelebris; heic vero in *Electorali Leucorea*, *Emericus Thurzo de Bettlenſabra*, Comes perpetuus & hæreditarius de Arra &c. &c. Palatini Regni Hungariæ filius, Comes in Lethua, Thokai & Bittſche &c. *Prorectore* exiſtente, *Erneſto Hettenbach*, Mergenthemio Franco, Phil. & Med. D. totiusque Acad. Seniore. De quibus cum alia non occurrant memorabilia, quantum ad hanc reginimis Academici ſubſtantiam, plura non habemus, quæ h. l. annotemus. At *Balthaſari Meiſnero* Theol. percelebri præcipue legimus vitio datum eſſe a *Socinianis*, per exploratores mox particulatim certioribus ea de re redditis, quod ſingulariter operoſus fuerit, b) ipſoque inſpectante omnia peracta ſint. Cujus rei cauſſam alibi indicavimus. Quod de reliquo ad *Peuſchelium* ſigillatim attinet, eum ex ædibus viduæ *Joh. Piſcatoris*, Theologi quondam & Philologi celebris, comperimus inopinato abductum eſſe in Academicum carcerem, ita tamen, ut ſtatim ſupellex ejus juſſu *Rectoris*, atque volente procul dubio *Illuſtri Senatu Noribergenſi*, in commentarios referretur, opera *Georgii Steinbeiſii*, Franckenhuſani, Not. Publ., ad eam rem conſulto requiſita & adhibita, una cum teſtibus præſentibus, usque dum omnia peracta recenſitaque eſſent, D. *Georgio Mylio*, & Phyſic. Profeſſ. *Mich. Wolffio*. Sed non alia, præter quotidiana utenſilia, reperta ſunt, quam *Vorſtii*, *Oſtorodi*, *Socini*, *Volkelii*, *Smalcii* & cætera impreſſa MStaque Opera, atque *Serveti* de-

a) M. *Jac. Weigelius*, de quo p. p. plura commentabimur. Syndicos autem a Conſiliariis diſtinctos utplurimum ad hujusmodi Legationes minoris momenti adhiberi, conſtat.

b) Cujus tamen ſolicitudinis non aliam ſine dubio cauſſam habuit, quam quod litteris ab amiciſſimo *Schrödero*, ut ſupra docuimus, ad id faciendum rogatus exoratusque fuerat.

ti denique LL. *VII. de Trinitate*, quos inter libros vetustos se quondam in templi Prædicatorum porticu a) *Noribergæ* redemisse, postea ipse affirmavit; *Ruarus* vero, uti ex epistolis ipsius patet, aliquoties ab *Peuschelio* antehac mutuo accepit. b) Super hæc vero ingens quoque epistolarumMStarum apparatus inventus est, maxima ex parte nominum crypticorum usum applicans, clavemque adeo explicationis necessario desiderans. Vnde varii deinceps & complices & consiliorum cuniculi innotuere, cum ad explicationem uterque horum, *Peuschelius* nimirum & *Vogelius* (a quo in his litteræ plurimæ ad illum scriptæ fuerant) vocarentur. c) Atque hæc quidem gesta sunt *d.* 26. *Febr. A.* 1616. in alma *Salana.* Eodem vero modo & sub idem tempus etiam *Vogelius Wittebergæ* in *Collegium Juridicum*, quod vocant, primum, custodibus additis, inclusus, atque in arcem tandem publica, ut scribit, & singulari pompa d) translocatus est: Idque, licet ambo in caussa conscientiam attinente inique fieri existimarent, atque ægre adeo paterentur, non sine ratione gravi factitatum esse, paullo post exponemus, adversus obtrectatores, dilucidius. Repertæ sunt etiam inter *Vogelianas* reculas in habitaculo nonnulla, quæ lucem toti caussæ occultis cuniculis huc usque agitatæ affunderent; sed a *Peuscheliano* apparatu plurimum & numero & pondere ea superata sunt. Atque in hoc rerum statu ambo permansere captivi, donec in patriam abducerentur, &, quæ ad ea perficienda requirerentur, interjecto brevi tempore, apparata essent. Neque meminimus, quidquam interea evenisse, quod notatu dignum esset; quoniam silentio, ut conjicimus, omnia premebantur altissimo: nisi quod *M. Joh. Saubertus*, idem ille, quem cum *Schoppero* exagitatum a se esse victumque in Disp. A. 1613 habita, identidem jactabant *novi Socinistæ*, ex *Giessensi* e) Athenæo *Jenam deductus*, *Peuschelium* jam in custodiam datum inviserat, &, quæ de istoc negotio perce-

a) Perexiguo pretio, & cum lue hac nondum infectus esset.

b) Vid. Cent. I. epist. Ruari n. XLVI. quæ ad A. *Calovium* scripta est f. 217. ubi & judicium haud contemnendum ex *Melanchtone, habere eum confusas imaginationes*, ajente, attulit in medium.

c) Quarum vel *excerpta* ingens nobis in hac historia commodum plurimumque lucis dederunt.

d) Verba *Vogelii* ipsius a Celebr. *Gundlingio* producta sunt: „Ich bin in caussa conscientiæ auf das Juristen Collegium verstrickt, und mit zweyen Wæchtern bewacht, auch endlich in das Schloss mit einem sonderbahren Aufzug geführt, und daselbsten gefænglich gehalten worden, biss in der Oster-Wochen M. Jacob Weigel der Syndicus mit einem Wagen kam &c."

e) Quorsum *Altorphio*, non multo post Disp. illam Præside *Schoppero* habitam, sub initium A. 1614. concesserat.

perceperat, præter alia ad *Schrœderum* mox perſcripſerat. Quæ ſtatim atque litteras perbreves, quibus B. *Gerhardo* Profeſſ. Theologo a) novo, commendatus eſt *Saubertus* hac data occaſione exhibuero, ſubjungentur. Commendatitiæ hunc in modum habebant:

D. *Joh. Gerhardo Balth. Menzerus*
S. P. D.

Qui has exhibet, eſt M. Joh. Saubertus, Altorffinus, liberali ingenio prædi-" tus, modeſtus & diligens, noſtro Schrœdero charus, ab eoque mihi commen-" datus, quem ut juves conſilio Tuo, majorem in modum peto. Animus illi" promtior quam lingua: & in Philologicis exercitatior quam in Theologicis." Bene mereberis de Academia Altorfina, ſi juvenem hunc virum docueris, quæ" ſunt futuro Profeſſori neceſſaria. Hanc enim ſpem de ipſo Norici concepe-" runt. Ego vicisſim Veſtris hominibus ad nos venturos offero omnem bene-" volentiam. Vale Gieſſæ 1616. d. 20. Martii."

Non pœnitebit, copiam & hujus epiſtolæ nos Tibi feciſſe L. B. Quantam enim de ſe jam tum excitarit ſpem patriæ, & quibus dotibus excelluerit, inde intelligere poteris; quæ vitæ ſimul viri de Eccleſia meritisſimi illuſtrandæ, b) aliquo modo inſervire queunt. Nobis ad præſens inſtitutum, undenam *Jenam* advenerit, & quibus munitus adjumentis eam acceſſerit, hinc didiciſſe ſatis eſt.

§. XXI.

Jam ad ea, quæ *Peuſcheliana*, atque his cognata ſunt, accedemus. Ex quibus cognoſcere licebit, tum, quam profunde in iſtoc luto hæſerit Peuſchelius ipſe, tum etiam, quanta infamia in *Vniverſitatem Altorphinam*, ex iſto infortunio, redundarit, & conſimilia plura. Vtemur autem, uti hactenus a nobis factum, non vanis vagisque rumoribus, ſed genuinis hiſtoriæ, quam enarramus, documentis, in quæ divina providentia incidimus. Eaque de cauſſa præſtabit, hanc primo omnium, c) ut ab Amico obſervanter colendo nobiscum communicata eſt, epiſtolam, exſcriptam dare integram, quam excerpta mutila, manca

a) *Coburgo Jenam* medio vere translato, & ægre nec ſine lauto præmio a Sereniſſ. Principe *Joh. Caſimiro* dimiſſo: qua de re Vita *Gerhardi* elegantisſime accuratisſimeque ſcripta, Cap. V. extremo conferatur.

b) Et alibi in *Vitis Theologorum Altorphinorum* delineatæ f. 65. ſeq. ubi partem hujus epiſtolæ duntaxat dedimus excerptam.

c) Hæc enim, quæ proxime, antequam in patriam revecti retractiq; eſſent complices præcipui, facta nos edocet, cæteris non multo poſt ſubſecutis viam ſternet rectius & percenſendis & pernoſcendis.

manca & obſcura. Eſt ea ad *Schrœderum* data, hisque verbis concepta fuit:

Ευ διαγειν ἐν τῷ θεανθρωπω. &c.

„*Vir admodum Reverende, Domine Promotor &c.*

„*Jenam cum Deo propitio venimus poſtridie Kalendas Aprilis ſalvi & incolumes. Atque heic ego ſine mora id egi, ut Muſeum aliquod ſolus habitarem. Conduxi igitur opera & conſilio M. Dan. Stahlii Quod ſimul ac ſciverat Dn. Snerreri privignus, acceſſit me, & obnixe admodum rogavit, ut per æſtatem hanc contubernalis ſibi eſſe pergerem. Quid facerem ego, qui libertatem Dn. Vitrico ipſius toties vendidi? Mutavi igitur animi ſententiam, & cum ipſo eſſe denuo cœpi, ſpe hac fretus, potisſimum, fore brevi, ut Academiæ valedicat. Cibum capimus apud viduam quandam: cui ſingulis ſeptimanis* 16. *groſſi debentur. Commenſales habemus prænominatum Dn. Stahlium,* a) *& quendam Jurium Doctorem, cujus nomen me adhuc fugit. Nova nulla heic jam audimus vulgari, niſi illud Academiæ Altorfinæ infortunium. Peuſchelium ſtatim ab adventu meo acceſſi, (tum enim is redeuntem Witteberga Syndicum exſpectabat) & de nonnullis rogavi. Faſſus eſt ingenue, hanc ſe veritatem (Photinianam putat) jam olim ante multos annos* b) *vidiſſe atque agnoviſſe, nullisque rationibus eo adduci facile poſſe, ut eam deſerat. Socios impietatis ſuæ ultro nominabat Fraubургium, Kobium, Lautenſaccium, Cornelium Marcum & alios. Et qui id negaret, quum avtographa plerorumque illorum hic habeantur? Bone Deus! Quæ tempora! qui homines! Nunc demum videre poterunt penes quos eſt, non philoſophiæ tantum, ſed etiam (imo cumprimis) Theologiæ Doctoribus* c) *idoneis Academiam ornare, quomodo ſuo hactenus officio functi fuerint. Nunc ſane quos ſæpe præteriit caſus, tandem invenit, Senecæ proverbio.* d) *Deus Trinunus faxit, ut in fumos mature abeat infelix*

a) Recentem quoque advenam & non multo poſt Adjuncti Ord. Philoſ. atque A. 1623. Profeſſ. publ. honoribus condecoratum.

b) En novum diutiſſime clam proſerpentis Altorphina in Academia mali indicium.

c) Pungit his verbis eos, qui *Calvini* partibus crediti ſunt addictiores Profeſſores, de quibus jam Cap. I. diſputavimus.

d) Hæc vero *Saubertus*, præter meritum in Collegas *Schopperi*, cujus ille hypotheſibus erat addictisſimus, cauſſam *Socinifmi* in *Altorphino Athenæo* clam ſparſi conjiciens, ſcripſit. Cum tamen, ut ſupra vidimus, novi illi Sociniani *Schopperianis* placitis magis, quam adverſariorum ejus, *Schoppero* ſimul & *Form. Concordiæ* in Loco de *Chriſto* contradicentium, abuterentur. Litigia ergo occaſio fuere ab hiſce homuncionibus, ad incruſtanda involvendaque dogmata prava, impie arrepta; cauſſa vero neutra ex parte, ſed in impoſtoribus peculiaribus & male ſana horum Juvenum curioſitate hæſit. Prius & *Vogelius* ſua ipſius confesſione paullo ante confirmavit,

infelix hoc incendium, adeoque prorſum reſtinguatur. Reverendum« Dn. D. Gerhardum nondum hic vidi, doleoque graviter, quod ipſius ad« nos adventus differatur. D. Grawerum interim compellavi, qui ea ipſa« hora oſtendit mihi, quam facile de bonis Viris affirmare ſoleat. Proh!« hominum fidem! quantopere ipſi ſordet Academia Gieſſenſis! Quam inſi-« gnem mihi jactabat victoriam, quam ab illis (Gieſſenſibus Theologis dico)« retuliſſet ſcilicet! Cur autem illum acceſſerim cauſſa inter alias etiam hæc« fuit, ut ſententiam ipſius hac de quæſtione explorarem: Vtrum Photinia-« norum Libri hoc tempore tolerandi ſint aut vendendi &c. Idque propter-« ea ex ipſo volebam, quia de quæſtione iſta Oratiunculam habere conſtitue-« ram. Ipſe affirmabat ſimpliciter ac proinde diſſuadebat mihi, ne hoc age-« rem: quum nulla idonea ratione negativa defendi poſſet. Quaſi vero piæ« mentes non ſentirent, quantum jam detrimentum capiat Chriſtianus orbis« dum tales Libri ſine diſcrimine omnibus, adeoque etiam teneris animis &« juventuti, quæ novitatis ſtudioſiſſima eſt, offeruntur. a) *Conſultum ita-« que eſſe videtur, ut locus talibus ſcriptis publice tantiſper denegetur, dum« Theologi Profeſſores refutationibus publicis & ſufficientibus periculum tol-« lant. Referebat idem D. Grawerus, ſe in epiſtolis Peuſchelii autorem hu-« jus mali & occaſionem, qua eo pervenerit, clariſſime deprehendiſſe: longe« videlicet aliam, quam quæ in ſcripto ad Senatum miſſo ab ipſis notata eſt.* b)« *Cæterum, quum hæc T. R. D. non lateant, pluribus hic non perſequar.« Alia ſi quæ futura ſint nova, in proximis narrabo. Rogo autem Deum« Opt. Max. votis ardentibus & quotidianis, ut R. T. D. in Bonum Eccle-« ſiæ & Scholarum, quam diutiſſime florentem, vigentem & virentem ſervet.« Intereſt enim, intereſt patriæ meæ, ope & opera Tua diutiſſime frui. Vive« igitur, mi Promotor, vive & ſalve cum tota domo Tua. Dabam Jenæ« ὡς τάχιστα. a. d. 8. Aprilis A. MDCXVI.«*

T. R. D.

obſervanter omnique ſtudio colens

J. Saubertus.

Plurima occurrunt in hac epiſtola, quæ præſens negotium illuſtrare

 poſ-

neque etiam *Schopperus* ipſe altercationes inficiari auſus eſt: quibus veritas (aliud ſcil. neque adeo grave negotium *operoſius* dum ageretur,) propemodum amiſſa fuit; Poſterius autem ex Cap. I. argumento & ipſius hæreſeos progreſſionibus clam ſerpentibus, credo, haud difficulter poſſe intelligi.

a) Hoc autem non affirmaverat *Grawerus*, ſed media via incedendum haud male exiſtimabat.

b) *Sonerum* nimirum, ejusque γνήσιον diſcipulum *Ruarum*. Cujus in epiſtolis ad *IlluſtremSenatum datis* vel nulla vel rara oppido mentio occurrit.

possunt; At enim, ut aliena prætereamus, in illis notatu dignissimum est, quod *Jenenses* etiam Theologi veram depravationis caussam, secus, quam forte existimaverant, Medicum illum, (de quo paullo ante) & Philosophum haud dubie, ex epistolis interceptis cognovere, & *Saubertus* participes quosdam erroris ejusdem ex ipsius *Peuschelii* ore nominetenus repetiit, interque hos *Lautensaccium* quoque sine ambagibus retulit: quem tamen inter primos eapropter compellatum id abnuisse, jam Capite præcedente a) observatum est. Præterea vero ex hac ipsa epistola palam constat, neminem de horum juvenum, antequam *Altorphinæ Academiæ* valedicerent, & diu postea, sinistram opinionem animo concepisse, aut, si quid suspicionis ortum, eam firmiter tenuisse. Nullaque proinde culpa oscitantiæ, propter simulatorum vafritiam, in *Senatus Inclyti Noribergensis* officium recidit; cum ne *Doctores* quidem *Academici*, iisdem consvetudine fere quotidiana proximi & familiares, prouti etiam alia, superius adducta, ostendebant, illud sibi suboluisse fassi sint. Nec spernenda sunt, quæ de moderatissimo *Graweri*, viri cæteroquin rigidissimi, judicio, narrata heic leguntur, a qua sententia longius aberat *Saubertus*, b) prohibendas *Socinianorum* lucubrationes, secus, quam ille sentiebat, existimans. Hinc enim, non peræque omnium eandem in istac quæstione decidenda asperitatem fuisse, uti vulgo perhibebant *Socini* assectæ, & ipsum quoque *Peuschelium* conquestum c) audivimus, planum & evidens est. Porro non de nihilo esse putamus, quod *Saubertus* etiam haud obscure fassus, longius ad evolvenda *Photinianorum* sophismata tempus requiri, & prima initia in ejusmodi studiis graviora semper esse progressionibus diuturnis agnovit. Quæ si in hac memorabili historia observentur, ingens præjudicium, a *Vogelio* quoque supra jam subindicatum, tolletur e medio, & ad eorum, qui *Socinianos* nostros non tam convictos quam oppressos esse clamitant, calumniam solidissime retundendam, viam porro monstrari, patebit.

§. XXII.

Sed in viam & ad historiæ præcipua pertexenda capita nobis redeundum est, &, quemadmodum *arcessiti* primum, deinde vero etiam

a) Cap. II. §. 50. Vnde hoc saltim effici posse putamus, eos quoque, qui negaverant, sibi cum Socinismo aliquid esse commercii, antehac *nutasse*, divinæque clementiæ, quod mature detecta fuerit factio, plurimas æternasque grates persolvendas esse.

b) Rigidiorum Theologorum, ut erat *Schopperi* discipulus, atque hinc *Menzeri* collegarumque disciplina usus fuit, placita constanter secutus.

c) Vid. supra §. XXI, Cap. IIdi.

etiam *retracti* in patriam fuerint erroris tam perniciosi sodales primarii, edisserendum: cujus rei aliquod, leviusculum tamen, in ipsa hac *Sauberti* epistola indicium extat. Res hunc in modum acta est. Cum uterque a) custoditus, tantisper, ne qua evaderent, curamque *Illustrium Curatorum & Procerum Noriberg.* eluderent, aliquandiu in locis supra dictis permansisset, tandem iterum missus est in Saxoniam, litteris plaustroque & comitibus præsidiariis instructus, *Reipubl. Syndicus, Jacobus Weigelius;* b) idque factum præcipitante mense *Martio* cognovimus. Is *Jenam* transiens litteris traditis *Peuschelio* primum, ut de reditu in patriam secum, p. p. *Witteberga* reversuro, cogitaret, significavit. Hinc *Wittebergam* contendens, *Vogelium* primum vehiculo impositum e custodia accepit, & cum inventa qualicunque c) supellectile *Jenam* devehendum curavit; Hic vero, assumto in idem plaustrum & *Peuschelio*, interea, ut ex verbis *Vogelii* colligi potest, in arcem *Jenensem* quoque translato, una cum reculis ejus omnibus nuper inventis *Noribergam* properavit. Catenis vincti d) non alia de caussa in plaustro sedebant miseri, quam ut securitati consuleretur, & fugæ, cujus erant oppido suspecti, spes omnis præcideretur. Dici autem non potest, quantos sumtus postularint, & quantas difficultates eæ singularis itineris & longi, & per tot diversasque ditiones peracti, ambages *Inclytæ Noribergensi Reipubl.* crearint. Quæ tamen omnia multo molestiora fuissent, nisi visum esset prudentissime, per viam minus tritam, quam montanam e) vocant, eos duci,

 atque

a) Et quidem ita, ut cum *Peuschelio* quoque, quemadmodum de *Vogelio* ante commemoravimus, Theologi *Jenenses*, colloquio instituto, quæ spes esset emendationis, experirentur: cujus tentamenti notitiam *epistolæ* alicui *Vogelianæ* A. 1615. d. 22. Novembr. Witteb. ad *Peuschelium* datæ, in qua ad constantiam eum exhortatus est, acceptam ferimus, sed circumstantias plures indagare nondum potuimus.

b) De quo, præter ea, quæ in caussa hac Sociniana acta sunt, nihil nobis constat. Neque enim, utrum Syndicorum quoque, pari modo, uti Consiliariorum, nomina in Indicem relata sint, adhuc rescīscere potui. Et parum quoque hæc nosse refert.

c) Non ita, ut *Peuschelii* fuerat, copiosa, aut prorsus non ab eo asservata. Nihil enim usquam in actis hac de re productum legimus.

d) *Vim haud usitatam* vocare placuit *Omeisio* nostro in *Glor. Acad. Altorph.* f. 16. Quam bene, non judicamus. Hoc scimus, nec ipsi b. *Omeisio* hujus, quam enarramus, historiæ circumstantias penitius cognitas fuisse.

e) Verba *Vogelii* hac de re sunt sequentia: „In der Oster-Wochen kam M. *Jac.* *Weigel* der Syndicus, und führte mich darauf herausſs, als einen Gefangenen durch Jena, (da er Joachim Peuschel gleicher-massen von dem Schloſs abgefordert,) und samt Christoph *Vffingern*, der mein Stubengesell gewesen, und mit mir zu Wittenberg aufgesetzt worden, über das Gebürg hinab in die Stadt."

atque ita exiguum quidem temporis & locorum, at multo notabilius agrorum, paucioribus Dominis parentium, compendium facere. Illud vero etiam omittendum non eft, duobus hifce antefignanis, tanquam hærefeos hactenus defenfæ adftipulatorem, tertium quoque, civem itidem *Noribergenfem*, & Juris utriusque Studiofum, *Chriftophorum Vffingerum*, affediffe. Idque ideo, quod olim quidem, cum *Academiæ Altorphinæ* alumnus effet, nullatenus de mente fententiaque depravata cuiquam fufpectus fuerat, a) jam vero ex *Vogelii* confvetudine familiari, cujus in alma *Leucorea* erat contubernalis, aliquid veneni haufiffe, rumor non obfcurus circumferebatur. Quem non omnino vanum fuiffe, atque opportune admodum periculis majoribus hanc ejus cum cæteris cuftodiam interveniffe, ex fequentibus innotefcet. Sic tandem adventantes *Noribergæ*, circa feftum *Pafchatis*, b) labente adhuc menfe Aprili, (ipfum enim diem ingreffus in civitatem indagare nondum potuimus,) in *turres*, quæ cuftodiæ honeftioris ufum præbent, jubebantur abduci, tantifper, dum commodum effet, ad examen eorum progredi: quod non nifi perlectis antea epiftolis, aliisque adhuc geftis ftudiofe ad incudem revocatis, ab illis, quibus id negotium demandatum erat, Proceribus fieri poterat. Interea vero, cum hæc agerentur, & *Cornelius Marci*, c) qui unus adhuc, *Dümlero* jam elapfo, *Socini* placita acrius tuebatur, *Altorphio* arceffitus, in ipfa quoque *civitate Noribergenfi* cuftodiæ datus fuerat, cui hofpitium adfignatum legitur, carcer mediæ poft turritam folitudinem conditionis, qui vulgo *die Mænner-Eifen* d) appellatur.

§. XXIII.

Quo facto tandem, brevi intervallo temporis interjecto, ad inquifitionem uberiorem, & examen ipfum accedere placuit. Cujus rei initium factum eft a *Peufchelio* d. 18. Aprilis 1616., & occafio hærefeos approbatæ ante omnia in prima ejus compellatione inveftigata. Quam

a) Amicum tamen fuiffe *Johanni Crellio*, ex hujus ad *Marcium* epiftola infra recitanda cognovimus.

b) A. 1616.

c) Qui & ipfe confeffionem *Altorphio Noribergam* miferat, fed breviorem; unde ab illius recenfione fupra abftinuimus.

d) *Mediæ conditionis* effe diximus, quoniam non inhoneftis, fed inferioris ordinis hominibus, cumprimis vero illis, qui jure civitatis non gaudent, fi quid, quod capitale non eft, deliquerint, deftinatus effe folet. Quod ideo monendum putavimus, ne quis cavillationibus eorum, qui nefcio quid *fqualidi* de carcere hoc luculentisfimo commenti funt, aurem vacivam præbeat.

Quam & ipſe apertius, jam etiam coram, in *Schopperi* & *Sprembergeri* litigia rejiciebat; utpote, qui quædam modo affirmando, modo etiam in Collegiis utrinque habitis inficiando, ſcrupulos moverint, a quibus liberari ipſe haud potuerit; hinc enim accidiſſe, a) ut in alia omnia transductus ſit, ajebat. Exinde *jurisjurandi* ſui b) admonitus, de retinenda veritate Evangelicæ Eccleſiæ interpoſiti, non alia mente id a ſe præſtitum, reſpondit, quam, quod Formulas conſenſus hujusmodi & Symbolicos libros cum Scriptura S. comparaturus, &, ſi cum ea congruant, approbaturus eſſet. c) De reliquo, non poſſe ſe eas pro Canone aut libris Scripturæ æquiparandis habere, ſine circuitione affirmavit. De *periculo* ſibi attracto cogitare juſſus, improbare ſe facinoroſorum & hæreticorum ſupplicia, d) dixit, tanquam Chriſtianæ charitati & æquitati adverſa, & ipſum quoque D. *Piſcatorem* atque *Grawerum* conſentientes hac in parte allegavit; qui privatim ſibi mentem ſuam expoſuerint in eandem ſententiam. *Infamiæ* inſuper *Reipublicæ Noriberg.* pariter & *Vniverſitati Altorffinæ* hac ſua ſociorumque defectione comparatæ poſtulatus, proterve negavit, ſibi quicquam imputari poſſe, multoque optabilius fuiſſe, ſi productis accuſatoribus e) auditaque excuſatione ſua ſine ſtrepitu potuiſſet res omnis expediri. Porro, unde libros *Socinianorum* accepiſſet, & qui ſocii pravæ hæreſeos eſſent, diſtincte iterum interrogatus, in *Crellium*, alumnum quondam Noricum, corruptionis ſuæ primam conjecit culpam, nominato tamen & *Matthia Rhawio*, *Joh. a Melnow*, f) *Vogelio*, aliis, mutuam operam hac in re ſibi invicem præſtantibus. De *Serveto*, cujus libros in porticu templi Monaſterii Dominicanorum g) ſe pretio perexiguo olim ajebat emiſſe, faſſus eſt, ſe ſcripta

 ejus

a) Quam vere, ex præcedentibus conſtat.

b) Stipendiis cum inſtrueretur, & alіorſum commigraret: cui noſtris temporibus ſtipulatio litteris ſcriptis roborata cum prædibus eorumque fidejusſione succesſit.

c) Immo vero non id ſolum, ſed promisſionem quoque de veritate in Libris Symbol. ſeu *Norma doctrinæ*, uti Noribergæ tum quidem illi vocabantur, approbata, & diſcenda ſincere & docenda, hæc obligatio complectebatur. A qua homini jam, cum obſtringeret fidem ſuam, in transverſum acto abſtinendum potius fuiſſet, quam fuco facto, conſcientia, etiam erronea, una cum veneratione Ευεργετῶν, lædenda atque vulneranda.

d) De quibus tamen nihil dictum fuerat, ſed diſcrimine varii generis, a ſupplicio etiam longe diſtincto.

e) Antiqua cantilena, cum de hæreſi jam ipſiusmet verbis confirmata ſermo, neque accuſator cuiquam cognitus eſſet, obtrectationem autem non ex neglecta inſtitutione, ſed clandeſtina erroris diſſeminatione ortam fuiſſe, nemo non intelligeret.

f) De quo obſcuro homine vid. Cap. II. §. 50.

g) *Den Creuzgang im Prodiger-Kloſter* vul-

ejus pervolvisse omnia; sed non aliam, quam de Divinitate Christi, illius hypothesin probare, cæteras vero suo loco relinquere. *Crypticorum* nominum, a se quoque creberrime usurpatorum, etsi non suo studio excogitatorum, rationem hanc reddidit; quod candor inter plerosque rariuscule observatus talia imperaverit, ut tanto securius latere possent. Ad fratres *Roseæ Crucis*, a) cum forte aliquando converteretur oratio, negavit, istos ad fraternitatem suam pertinere: quemadmodum & in Indice mysticorum nominum reperiantur, quos adversarios potius, quam fratres dicere oporteat. Quibus præmissis, & Indicis istius mentione facta, ejus κατὰ πόδα deinde explicationem suppeditavit, inspersis subinde etiam aliis monitis, quæ vel alibi jam sunt producta, vel sigillatim recensere nihil attinet. Vti vero in cæteris omnibus detegendis promtus facilisque fuit: ita ad *Pompejum* personatum manifestandum vix adduci potuit: idque, partim ob charitatem Christianam, partim ob libertatem, quod nullo is stipendii alicujus nexu sit *Inclyto Senatui* obnoxius, fieri neutiquam posse caussatus est. Donec post varios gestus, formidinem & animi anxietatem indicantes, b) minarum ope, præter alia molliora, si diutius tergiversaretur, additarum, Generosissimum Dn. *Christophorum Fürerum*, Senatorem, sub eo nomine delitescere professus est. Eum vero inter fratres connumerandum esse, sibi non alia ratione, quam ex auditu, hactenus innotuisse, & quidem *Ruaro* atque *Crellio* id narrantibus, neque etiam unquam sibi consvetudinem aliquam cum eo intercessisse, ajebat. Ad *Ostorodum* similiter litteras eum dedisse, se acceptum ferre relationibus *Ruari* atque *Crellii*, subjiciebat. Reliquorum autem omnium ne γρῦ quidem sibi cognitum & exploratum esse, ad extremum addebat. Quæ ulterius de aliis quibusdam complicibus quæsitus patefecerat, rectius in sequentibus commemoranda, jam prætermittimus, & ad *Examen alterum, d. XIX. Aprilis* institutum, progredimur.

go vocant, ubi *res antiquæ* interdum, perinde ut scriniariorum recens confecta scrinia venalia exponi solent, olim certe frequentissime istic vendebantur.

a) Hoc tempore enim *Fama* hujus *societatis* A. 1614. primum *Cassellis*, & p. p. A. 1615. iterum Francofurti cum *Confessione*, ipsoque hoc A. 1616. denuo, publicis typis procusa, in omnium ore versabatur; etsi de origine ad *Ægid. Guthmannum*, an ad alios, per jocum hæc fingentes, referenda, alioquin varie disputetur. *Dümleri* de erronibus hisce aut thrasonibus potius, judicium vid. in epistolæ ejus ad *Ruarum* calce, Cent. II. n. 22. f. 163.

b) Faciem enim sudore inter hæc madentem, ut solent, qui animo anguntur, (creberrime insuper circumspiciens & quasi æstuans,) strophiolo iterum iterumque abstergebat.

mur. In quo de quibusdam diversi generis rebus sciscitantibus, præcipue vero, ut Synodi *Racoviæ* quotannis celebrarentur, convocatis eo Pastoribus e *Polonia, Lithuania* & *Borussia*, distincte exposuit *Peuschelius*; ac deinde, *quando* & ipse *in sodalitium hoc receptus* sit, interrogatus, se, cum ad *Crellium* litteras hoc nomine scripsisset, a) ante tres demum annos, in fraternitatem susceptum fuisse, candide aperuit, ac primus, *Vogelium* ad sedes seu prædia *Sacci* delatum Sacra cum fratribus illic celebrasse, prodidit. Fassus de reliquo, neminem sodalium *Noribergensium* adhuc, præter *Crellium*, transfugam, longius & *Racoviam* usque processisse. De fratribus suis germanis tandem, quid sibi constaret, edisserere jussus, diffiteri haud potuit, lecto *Catechismo Racoviensi*, propenso admodum in has partes animo eos fuisse, at fraternitati cœtus *Sociniani* nondum adscriptos diem obiisse b) supremum, ajebat. Cujusmodi & alia haud absimilia erant amplius narrata, at levioris ponderis pleraque, quæ longum nimis esset explanatius repetere.

§. XXIV.

Vogelius, ad examen vocatus eodem die horaque matutina, professus est similiter, cum caussa carceris satis cognita sit, se varios in utramque partem Theologos evolvisse diligentissime, sed argumenta *Anti-Trinitariorum* multo sibi firmiora, prout in confessione jam mentem explicuerit, visa esse, ut neque in hanc usque horam sententiæ mutandæ sufficientes rationes reperiat. *Libris Normalibus* itidem fidem suam se adstrinxisse affirmabat, verum non aliter, quam ea conditione, c) si cum Scriptura S. congruant; Deoque potius obediendum quam hominibus asseverando, a perjurii crimine immunem se esse, perhibuit. Libros adhæc *Socinianorum* a variis, & nominatim quidem Institutiones *Ostorodi* a *Dümlero*; Prælectiones *Socini* a *Ruaro*: Ejusdem F. *Socini* de Servat. Christo L. a *Matth. Rhaw*, aliosque ab aliis se accepisse, non dissimulabat. *Pompejus* quis esset, & ipse jussus diserte indicare, diu quoque ambagibus usus, tandem eadem, quæ & Peuschelius, eloquebatur. At d. XXI. Aprilis denuo interrogatus sigillatim, quemadmodum ab *Ostorodo* & *Voidovio* sua acceperit *Sonerus* *Lugduni*

a) Hoc ergo plerique, uti de *Marcio* Cap. II. annotatum est, interprete infelici, & radice amara plurimos contaminante, usi sunt.

b) Conf. Cap. I. §. 5.

c) Mente videlicet, ut fert consuetudo male sanorum, pressa, omnemque hanc exigentium præfixum instituto prudenti pro Ecclesiæ salute laudabilem scopum vanissima impostura eludente. *Subnata* enim dubia exponere modeste, atque sine fraude consulere conscientiæ, quis prohibet?

Lugduni Batavorum, expoſuit, iſtosque exterminatos licet e *Belgio* libros haud paucos reliquiſſe. *Sonerum* vero litterarum commercium exinde cum illis *Altorphi* continuaſſe, atque hac occaſione & *Pompejum* forte, a) comitem *Soneri*, cum *Oſtorodo* amicitiam colendi occaſionem eſſe nactum, addidit. De litteris ab eodem *Pompejo*, ut fama ferat, ad *Oſtorodum* datis, ſibi nihil, præterquam ex narrationibus *Ruari* & *Crellii*, conſtare; qui ſpem non exiguam de eo ſibi & ſocietati ſuæ conciliando conceperint. Atque has quidem litteras ante annos quinque & amplius jam ſcriptas fuiſſe, ſi vera ſit fabula, ſimul monuit, eo quod *Oſtorodus* jam ante quatuor annos, & quod excedat, vivere deſierit. Hactenus *Vogelius*. b) Cujus contubernalis *Vſſingerus* die ſequenti XXII. Aprilis rationem fidei factorumque reddere juſſus, utut magnopere miraretur, a *Weigelio* ſe quoque cum contubernali ſuo captivum eſſe adductum, non tamen disſimulavit, aliquos *Socinianorum* libros ſibi lectos eſſe, nominatim vero *Oſtorodi* & *Smalcii* ſcripta, ex quibus cum *Vogelio* ſæpenumero diſputarit. Porro, primum quidem, ajebat, ſe duntaxat dubitaſſe, ſed cum noſtros quoque Theologos conſuluiſſet, tantum abfuiſſe, ut e dubitationibus eluctari potuerit, ut potius tædium non leve ſcholaſticorum argumentorum c) perſentiſcere cœperit. Atque in hac fluctuatione denique ſe adhuc quaſi ancipitem hærere, tantiſper, dum meliora edoceatur, pronunciavit; ad quam tamen informationem facile admittendam, pronum ſe eſſe, atque oppido proclivem, oſtendit. Cæterum, quamvis in fraternam illam ſocietatem nondum cooptatus eſſet, fatendo tamen inter alia, integrum jam annum a S. Cœnæ uſu, *Vogelii* inſtinctu, abſtinuiſſe *Wittebergæ*, discesſionis ab Eccleſiæ purioris ſocietate conatum aperte ſatis prodidit. Atque ita, hunc quoque adoleſcentem bonæ indolis non procul ab hæreſeos approbatione abfuiſſe, innotuit. Quibus cognitis,

a) Quam ſubleſtæ autem fidei illa fuerit narratio & ſuſpicionibus meris innixa, ſupra, *Illuſtris* hujus *viri* famam vindicando, ex profeſſo oſtendimus Cap. II §. 19.

b) Cætera enim, quæ inſperſa fuere, utpote leviora, de induſtria omittimus.

c) Ea certe ſub id tempus methodus, poſtquam ſuperiori ſeculo puriori ſtylo omnia a noſtris expoſita eſſent, occaſione *Colloquii Ratisbonenſis*, ſordiumque talium a *Jeſuitis* uſurpatarum, uti celeb. quidam Theologus conjecit, invaleſcere in Eccleſia diviniori cœpit, multoque deinceps majores vires eundo acquiſivit, ut publicis edictis quibusdam ex Academiis exterminanda eſſet. Ex hoc vero documento etiam, quid proſit aut noceat, plane liquet. Plerique certe *Socinianorum* elegantiæ & perſpicuitatis ſtudioſi, & Magiſtri ſui æmuli, vel nitore orationis cum philologiæ ac philoſophiæ artificiis conjuncto animos permultorum occuparunt.

tis, cur de captivitate ſua conquereretur, *quod nec Theologus eſſet, nec beneficiarius*, (ita enim annotatum legimus) non ſatis cauſſæ habuiſſe compertum, ipſique querulanti ad oculum demonſtratum eſt. Eamque ſolicitudinem non injuſtam fuiſſe, in ipſo hoc colloquio magis magis adhuc enituit; quod ad dicta denique quædam ex Scripturis Sacris hac occaſione objecta ita reſponderet *Vſſingerus*, ut pene confirmatus in errore ab omnibus crederetur. Quid petenti, ut in ædes patris, fidejuſſione interpoſita, dimitteretur, indultum ſit, certo equidem non cognovimus. At veriſimile eſt, monentibus & plenius eum inſtruentibus Doctoribus facile, ſicut pollicitus erat, locum dediſſe. Quandoquidem nihil unquam, quod alicujus momenti ſit, ex eo tempore de eo annotatum invenire licuit. De exceſſu vero ejusdem *Vſſingeri* ex hac vita præmaturo, alibi a) mentio fiet commodius. Heic enim nondum illud agimus, ſed de iis ſoliciti ſumus rebus, quæ motus ipſos, nondum conſopitos, propius attingunt.

§. XXV.

Quamobrem ad *Cornelium Marci*, b) tum undeviginti annorum juvenem, nos convertere jubet rerum & continuatæ hactenus narrationis ſeries. Qui de veritate candide dicenda iterum iterumque admonitus, comminationibusque quibusdam permotus, annos non niſi XVI. ſe habentem, inſtiganribus *Dümlero* & *Peuſchelio*, LL. *Oſtorodi*, *Smalcii & Catechiſmum Racov.* pervolviſſe atque relegiſſe, eaque in his ſcriptis reperiſſe, pronunciabat, quibus contradicere neutiquam poterit. Et quanquam non omnia ſtatim approbando, ut divina arripuerit, attamen, reſpondere ad objecta ab adverſariis pleraque ſe haud valuiſſe, ſincere aſſeveravit. Ita vero rem diutius extractam tandem eo eveniſſe, ut a *Ruaro Peuſchelioque*, additis titubanti animo perſvaſionibus, pellectus in fraternitate quoque nomen ſuum profeſſus ſit. c) Idem vero *Marcius* ſimul non obſcure agnovit faſſusque eſt, ſauciam eapropter ſe habere conſcientiam, eamque ob rem hucusque, dum in carcere detentus hæſerit, non mediocribus tentationibus afflictum vexatumque fuiſſe, non diſſimulavit. De informatione autem meliore, porro inquiebat, tantum abeſſe, ut abhorreat, ut potius omnibus modis eam exoptet, & ultro quoque, niſi hæc interveniſſent inopinata, eam requiſiturus fuiſſet. Cur no-

a) Cap. IV. §. 4.

b) Conf. Cap. II. §. 29.

c) Formulam litterarum ſupra Cap. II. §. ult. exſcriptam dedimus, quas ad ipſius petitionem *Crellius* rep[...]ſuit.

ſtratium ſcripta non vocarit in ſuppetias, ſcrupulisque eximendis haud adhibuiſſet, interrogatus: *Caſmannum* quidem inter adverſarios *Socinianorum* a) ſe in conſilium vocaſſe, reſpondit, at *Photinianos* argumenta illius leviora jam ſatis diſcuſſiſſe, b) atque inde parum ſe ex ejus lectione commodi conſequutum eſſe, perhibuit. Quid de ſodalibus exiſtimaret *Marcius*, cum juſſus eſſet indicare, *Hainlinum* æque ac *Frauenburgerum*, tanquam minus conſtantes & vanis hujus ſeculi deliciis, plus quam par eſſet, deditos notavit; *Fabritium* vero ambobus antepoſuit: *Kobii* autem præter cæteros diſputationibus haud mediocriter ſe corroboratum eſſe, inter alia profeſſus eſt. De reliquo capita ſocietatis omnium ſpectatiſſima fuiſſe *Sonerum*, *Crellium*, *Ruarum* & *Peuſchelium*, ſed clanculum omnes conſilia agitantes & meletemata ſua conferentes, cæterosque imbecilliores ac pæne neglectos affirmavit. Inter hæc, ὡς ἐν παρόδῳ, cur ad *Calviniana* placita non prolapſi ſint abſceſſuri a veritate Evangelica, & rationi depravatæ tantopere indulgentes, quæſitus, cauſſam indicavit oppido probabilem: Quod Articulus, ſeu caput doctrinæ Reformatorum princeps, de *Prædeſtinatione abſoluta* cum fundamento fidei e diametro pugnaret, omnemque conſcientiis conſolationem eriperet. c) Originem vero hæreſeos in *Academiam* illatæ *Altorphinam*, ibidemque diſſeminatæ, conſtanter & ipſe poſt *Sonerum Gittichium* nominavit, a quo *Crellius*, & ab hoc porro *Peuſchelius*, *Vogelius* cæterique corruptelas hauſerint. Nec levem incrementis *Schopperum* occaſionem idem quoque ajebat, ſubminiſtraſſe, quum Opponentibus in Diſputationibus publicis non omnino ſatisfaceret, & libros tamen *Socinia-*

a) *Otton. Caſmanni* obvium tunc & recentem *Anti-Socinum* innuens, qui A. 1612. Ambergæ in 8vo cura *Joach. Vrſini* in lucem publicam editus erat: in cujus præfatione non obſcure, in media Germania & ipſius Eccleſiæ gremio Socinianiſmi ſemina repullulare notabiliter, querulatur, & digitum forte in ipſos *Altorphinos* motus *Gittichianos* intendit editor.

b) Nec diffitemur, utut in rebus aſceticis, quæ vocantur, exaſciatisſimus fuerit *Caſmannus*, ita philoſophica ejus atque Polemica ſcripta adverſariis pertinacibus non ubique fortasſis ſatisfacere. Sed compendium non aliud t. t. præſto erat; hoc ergo opponere noſtris *Vrſino* viſum eſt, plerasque controverſias breviter, & nervo, ut plurimum bene, inciſo, complexum. *Jac.* enim *ad Portum* opus, de quo ſupra dictum eſt, ſequenti anno lucem publ. adſpexit; *Roſtiana* autem *Confut. Catech. Racov.* A. 1614. demum prelum ſubiit.

c) Adde: Et cum Pelagianis hypotheſibus *Socini* non bene concordaret. Ex quibus, ab *Auguſtino* vehementius confutatis, per ἀμετρίαν ἀνθολκῆς, ſunt, qui dogma iſtoc ortum, atque ſub hoc tanti nominis umbraculo propagatum, putent. Cui certe nemo hominum, quam qui ſunt in Pontif. etiam Eccleſia *Auguſtino* addictisſimi v. g. *Thomiſtæ* & *Janſeniſtæ*, ſive directo ſive ex obliquo, favere ſolet.

cinianorum maximopere prohiberet: inde enim, ut major indies copia conquireretur, occasionem datam sumtamque a curiosis esse. Cujusmodi & alia fuere, quæ longum nimis esset percensere. Sufficere hæc videbantur ad mentem singulorum explorandam, & patefacienda, quæ sub involucris hucusque latuerant abstrusa, arcana malesanæ societatis. Summus itaque gradus ille audaciæ supererat *Synaxis* nimirum *Sacræ Cœnæ Altorphl* celebrata; de quo, postquam præsertim aliunde interim rumor magis magis increbuerat, visum est seorsim audire *Peuschelium* pariter ac *Vogelium*, nobis autem, quid illi edisseruerint hac de re examinati, paullo pressius incumbit referendum. Hi ergo d. XXIV. Aprilis ad veritatem sine fuco enunciandam vocati, seu potius in ipsa turri (*Lug ins Land* vulgo dicta) interrogati, ea responderunt, ut mirari satis non possimus in ipso facto, ut vocant, seu circumstantiis actus, cui uterque interfuerat, nec ita pridem a) commissi, discrepantiam. Quam etiam ob rem, ut tanto luculentius pateat, quid sentiendum sit, malumus alienis verbis, quam nostris rem omnem enarrare; prout ex Theologi cujusdam, tum temporis inter præcipuos, hac quoque in re occupati, schedis nobiscum ab amico, patroni loco observanter colendo & nunc ἐν ἁγίοις existente, communicata sunt: „Als Joachim Peuschel (ita habent verba relationis, auditore Generosissimo Domino *C. Schlüssel-*“ *feldero*, b) consignatæ) und Vogel ihrer Privat-Communion wegen,“ so sie zu Altdorf unter sich gehabt haben sollen, zu red gesezt, ha-“ ben sie sich folgendermassen (wiewohl absonderlich, denn keiner“ von den andern gewust) erklært, und erstl. darinnen, wie auch“ sonst meistentheils übereingestimmt: Dasſ sie auf alle dasjenige, was“ sie bisſher gefragt worden, verhoffentlich solche Antwort geben“ hætten, dabey sie sich jederzeit unverlezt ihres Gewissens wollten“ finden lassen. Dieweil aber dieses Puncten willen, das wenigste an“ sie nicht gelanget, auch mit keinen Wort gedacht worden, als wæ-“ re auch darauf keine Antwort erfolgt. Auf jeziges Begehren aber“ kœnten und wollten sie ihrer Herrl. nicht verhalten, dasſ sie der-“ gleichen Communion A. 1614. zu Altdorff in Herrn D. Rittershau-“ sen Seel. Behausung, c) darin allein die Erben gewesen, d) auf desſ“

 Ruari

a) *Anni* enim vix *duo* ex eo tempore effluxerant.

b) Qui forte tunc solus tanquam Scabinus, ut vocant, præsens fuit.

c) *Conradi* illius Polyhistoris, Conf. Cap. I. §. XL.

d) Ipse enim JCtus & Consil. Norib. celebratissimus, jam A. 1613. d. 25. Maji, æt.

„Ruari Stuben, den Abend zuvor, ehe Vogelius von Altdorff weg-
„gezogen, gehalten. Diese nun wære allerdings, wie sie in Institu-
„tionibus Ostorodi beschrieben, und auf Matthias Rauhen, (als wel-
„cher in Person zu Racow gewesen, daselbst communicirt, und also
„den ganzen process, und wie sie es alldort zu halten pflegen, zum
„besten gewust) gethane Information, dergestallt angestellt gewesen:
„dass gemeldte Communion erstlich ein Gebet und Gratiarum A-
„ction, quod Deus veritatem illis manifestarit, & quod ex hoc Mun-
„do in Regnum Filii Dei vocarit, demnach Imploratio Auxilii divi-
„ni præmittirt, auch von dem Mart. Ruaro und Peuschelio unter-
„schiedl. sermones gehalten worden. Welcher aber unter ihnen vor
„oder nach der Communion disserirt, kœnnten sie so eben nicht wis-
„sen. Darauf habe Herr Mart. Ruarus als der ælteste und gelehrteste un-
„ter ihnen das Brod in seine Hænd genommen, dasselbe gebrochen,
„nachmahln den übrigen Communicanten, welche es gleichergestallt
„und ein jeder selbst gebrochen, dargereicht, und auf dasselbe auch
„erstl. aus dem Glass a) den Wein getruncken, nachmahls dasselbe
„ebenermassen in der Ordnung herum gehen lassen. Nach verrich-
„teter Communion sey aus dem N. Testament, die Historia Passio-
„nis Christi abgelesen, de Cœna selbst, deque ejus usu wiederum ein
„Sermon gehalten: dieser ganze Actus aber mit einer Gratiarum
„actione ad Deum, der sie bissher in seiner Wahrheit, auch alle die,
„so derselben bissher beygepflichtet, vætterlich erhalten; Insonder-
„heit sey auch (sagte allein Vogelius) für E. E. Rath allhier, als ihre
„liebe Obrigkeit gebetten, und also beschlossen worden. Die Com-
„municanten, wie Peuschel (gleichwohl mit solcher Distinction,
„dass er etliche gewiss wüste, an etlichen aber zweifelte) angezeigt,
„wæren gewesen Martinus Ruarus, Er, Sager selbst, Dümlerus, Vo-
„gelius, Samuel ein Pohl &c. diese wæren die gewisse; cæteri Mar-
„tinus b) Rhaw, Frauenburger, Hainlein &c. Hingegen hat Vogel
„lauter und ohne hæsitation angezeigt, mehrgedachter Commu-
nion

LIII. relictis vidua tribus filiis atque filiabus duabus, ex tabe, studiis continuis & immoderatis, ut putant, contracta, diem supremum obierat.

a) Antiquitatisne affectatione, ubi vitrei calices sec. II. & seqq. etiam inter *Donatistas*, *Socinianis* nostris quantum ad separationem haud dissimiles, usitatissimi erant, sicuti Doughteus de *Calicibus Eucharisticis* toto Cap. VII. ostendit; an subitanei & extemporalis instrumenti commoditate? incertum est.

b) Errore sive memoriæ sive describentis *Martinus* dictus est, cui nomen *Matthiæ* fuit.

nion hætten beygewohnt, die zwey Ruari, Peuſchel, Dümler und“ Er: Mehr wæren gewiſslich nicht dabey geweſen. a) Sezt auch zu“ Beſtættigung deſſen: Denn die übrigen Fratres Altorphini, davon“ er in ſeiner Auſſage oben geredet, aus dieſer Vrſach keiner ſich zur“ Communion finden wollen, dieweil dieſelbe ihre Eltern allhier,“ wann derowegen an ſie damahls ſcil. inſtante Feſto Paſchatis von“ denſelben geſezt werde, daſs ſie mit ihnen allhie communiciren“ ſollten, ſie aber ſolches, weil ſie allbereit communicirt, nicht thun“ dœrfften, mœchte ihnen ſolches groſſe Gefahr gebæhren, und ihre“ Sachen am Tag kommen &c.“ Non pigebit L. B., hæc integra ad animum revocanda, iterum iterumque legere. Etenim perfacile eſt ex his colligere, non temere nos ſupra Cap. I. extremo, ſeptem fuiſſe ſodales hujus actus ſolennis participes, affirmaſſe. De *Ruaro* certe utroque teſtatiſſima ſunt *Vogelii* aſſerta, & inter convivas indubitatos etiam *Samuelem* illum, de quo jam iſtic dictum eſt, eumque forte non admodum notum *Vogelio*, quippe recentem advenam, numerat *Peuſchelius*. Cur vero neque *Rhawium*, ad ipſam celebritatem verba & methodum præeuntem, excluſum putemus, cauſſæ ſunt graviſſimæ. Quis enim credat, ducem & ſigniferum ſe tantæ feſtivitati ſubtraxiſſe? præſertim cum & *Peuſchelius*, etſi dubitanter, idem teſtatus ſit. Vt proinde, cæteros *Noribergenſes* tantum, b) non peregrinos & exteros, *Vogelium* a communitate ſacrorum eximere voluiſſe, probabile ſit. Sed nihil hæc nos morabuntur, cum ſola impietas ſat criminis habeat, ut de numero participantium non oporteat nos eſſe admodum ſolicitos.

§. XXVI.

Et ſuperſunt quoque alia in inquiſitione acta majoris momenti, quæ digniſſima ſunt, ut commemorentur accuratius. Intra hos enim actus nondum ſubſtitit exquiſita omnium circumſtantiarum & rerum hucusque geſtarum indagatio; ſed porro d. XXVII. *Maji* in carcere inferiori, vulgo *das Loch* dicto, c) (quorſum cur migrandum ei ex turri

a) Vtut *Vogelio* hæc tam aſſeveranter ediſſerenti multum fidei habeamus, de *Rhawio* tamen, quem præiviſſe cæteris notum eſt, utpote qui ſolus hunc morem viderat & uſurpaverat, minime etiam dubitandum videtur. Conf. Cap. I. §. 39.

b) Quibus ea res invidiam movere & periculoſa eſſe poterat, peregrinis autem non item. Notandum vero, & hoc quoque loco repetendum, de *Convivis* ſermonem eſſe; plures enim interfuiſſe, ut ſpectatores, ἐξαγώνιον eſt; qua de re ſupra jam ſumus quædam commentati.

c) Sub ipſa curia poſito & atrociorum criminum reis deſtinato.

turri fuerit, paullo poſt exponemus,) *Peuſchelius* rationes factorum reddere juſſus, priora de *Crellio*, quod libros primum ſubminiſtraverit, a ſe inter exſpatiandum perlectos, deque *Schoppero* ad reſpondendum dubiis motis inhabili, & quædam etiam de Diſputatione illa, Reſpondente *Sauberto* habita, protulit; *Schopperum* vero nominetenus tanquam ſuper verba Pſalm. CX. Dixit Dominus Domino meo &c. in probando deficientem, eundemque cum Reſpondente ſuo, Patrem quoque eſſe genitum, ſibi opponenti A. 1613. concedentem, a) accuſavit. Hinc objectionem ex epiſtola quadam a Generoſisſimis Examinantibus, D. *Löffelholzio* & D. *Schlüſſelfeldero*, formatam, unde pateat, anteſignanum ipſum fuiſſe, ita diluere conatus eſt, ut culpam in *Dümlerum* devolveret: quem tamen contra in nova hac doctrina a ſe confirmatum eſſe, aliquandiu adhuc hæſitantem, haudquaquam abnuit. Inter hæc colloquia tandem etiam apertiſſime *Crellium* a *Sonero* hæreſin eſſe edoctum, profeſſus eſt, eundemque, cum Profeſſionem adiret Academicam, jam doctrinæ iſthuic fuiſſe deditum, *Crellio*que pariter ac ſibi eundem libros quoque tradidiſſe, b) ſine circuitione pronunciavit: Ab eodem *Sonero* & *Gröeum*, *Kobium*, *Richterum* &c. ſua addidiciſſe, exſerte addens. Vnde ad extremum evidentiſſime arbitratus eſt elucere, quod factum ſit in hunc usque diem, ſibi ſoli invidiam corruptorum, pellectorumque in ſodalitium, aliorum imponi haud poſſe. Quæ potiſſima erant hac vice pronunciata. Repetitum eſt *Examen d. XXX. Maji* horis antemeridianis, in quo de *Kobio* maximam partem actum eſt, ut & aliis quibusdam, qui, ſe participaſſe errores hos prægrandes, jam ſtrenue negabant; quos omnes *Peuſchelius*, tanquam meticuloſos, qui, poſtquam conventibus interfuiſſent, conſenſum ſuum alioqui rotunde declaraſſent, inque fratrum etiam numerum cooptati ſint, jam veritatem confiteri male detrectent, c) præſenti animo culpavit. Atque in hoc demum congreſſu cum iterum iterumque urgeretur, teſtimonia ſolidiſſima præſto eſſe, quibus ipſum præ cæteris ducem & auctorem fuiſſe, clare teſtatum ſit, tandem

a) Forte: *Eandem*, quam genitus ſeu Filius, *eſſentiam* habere, dixerat; unde vero & ipſum genitum eſſe, minime omnium conſequitur: quæ proprietates & relationes perſonales cum natura non ſunt confundendæ.

b) Hinc denuo, quam ſolide a *Schoppero*, tanquam innocens, poſt mortem excuſatus ſit, liquet.

c) Nos, quicquid ſit de metu animum excruciante, nondum ita imbibiſſe venenum, quin facilius exſpuere poſſent, arbitramur. De illis certe cum Eccleſia diviniori & ipſa veritate Evangelica conciliandis non magnopere laborandum fuit.

dem confeſſus eſt, poſt *Ruari* diſceſſum conventicula ſe convocaſſe, & exercitia pietatis præcipue gubernaſſe; Attamen, quia brevibus temporis anguſtiis ſingulare illud ſtudium ſuum comprehenſum & circumſcriptum fuerit, rem ipſam, ajebat, docere, minime omnium id fraudi ſibi eſſe poſſe, neque culpam magnopere augere cenſuit. Eodem die XXX. poſt meridiem denuo auditus, quo pacto communicatis misſisque invicem libris propagatio ſucceſſerit, & in fide ſe mutuo confirmarint, affirmavit, pluresque alios, ſed bonam partem innocentes, ex noſtrorum tegumentis recens inventis evolvit, libellumque a *Martino* illo *Seidelio* ſceleratiſſimo homine elaboratum, de quo ſupra, *Orthodoxi Fundamenti religionis Chriſtianæ* a) geſſiſſe titulum, perhibuit. Atque in hac inquiſitionis parte, & *Moravum* quendam, Studioſum Wittebergenſem, b) a ſe *Vogelioque* imbutum eſſe principiis ejusdem doctrinæ, aperuit, ita tamen, ut, certo ſibi neutiquam conſtare, utrum ea plane receperit in animum atque approbarit, (quippe de quibus cum *Vogelio* potisſimum diſputaſſet) nec ne? adderet. De ſua tandem mente interrogatus denuo repetiit, addictum ſe permanere doctrinæ ſuæ, donec de contraria veriori ſolide convincatur. Namque deteſtari ſe toto animo hypocriſin, qua alii abrepti, quæ ſentiant intra mentem ſuam, c) ore abnegent. De reliquo, ſi quæ beneficia male videatur collocaſſe, opera & auxilio fratrum, non dubitare ſe, quin reſtitutio eorum omnium procurari d) posſit. Ad poſtremum denique, interveniente *Soneri* manu e) & opera, qui ipſemet ſcripſerit, easque litteras ſecum *Crellius Racoviam* attulerit, in fraternitatem aſſumtum eſſe *Peuſchelium*, ipſomet ultro fatente, compertum eſt. Neque alia quam priora, d. V. Junii ſubſequente, ultro ediſſeruit idem *Peuſchelius*, niſi quod relata antehac de *Pompejo* atque *Leimero* itemque *Leuchsnero* iterum iterumque repetiit & aſſeveranter tuitus eſt. Interea enim, dum res ita agerentur, *Pompejum* pariter atque *Leuchsnerum*, ac tandem etiam *Leimerum*, in jus vocatos, cauſſam ſuam & innocentiam, quam poterant enixiſſime, peroraſſe, eidem ſignificatum

a) Conf. quæ de eo dicta ſunt hoc ipſo Cap. III. Sect. I. §. 5.

b) Nomen hujus hominis exquirere nondum potuimus. Nec multum etiam refert, illud ſi ignoremus.

c) In complices cæteros digitum intendens, jam ingratiis *Peuſchelii* recantantes: Hoc enim jam cunctis, & ipſis his in cuſtodia anteſignanis, cognitum erat atque exploratum.

d) Ac ſi ludificatio tam petulans, totque fraudibus & dolis veſtita, & jurisjurandi violatione coinquinata, h. m. elui nullo negotio potuiſſet!

e) En novum *Sonerianæ* innocentiæ documentum!

tum fuerat. Et quidem, quod ad *Pompejum* attinet, cum execratione deteſtandæ hæreſeos ſibi impactæ, is vocatus in curiam, facile fidem fecit excuſationi ſuæ atque purgationi perquam ſolicitæ, quoniam uterque captivorum non alia, præterquam a *ſociis hæreſeos* ſibi relata, in medium adduxerant, neque ea quoque ſatis ad probandum ſolidis & ſufficientibus argumentis corroboraverant. a) De *Leuchsnero* vero atque *Leimero*, in cuſtodiam quoque turritam, ad breve tempus, eapropter datis, pluribus laboratum eſt. At parum in utriusque profici potuit examine. *Leimerus* enim d. XXVI. *Martii* vadimonium ſiſtens nihil quicquam, præter amicitiam cum *Vogelio*, *Peuſchelio*, *Ammone* & reliquis cultam, agnoſcebat, ad hæc ſublatis manibus & oculis in cœlum ſincere coram omnibus confeſſionem Trinunius Dei identidem edebat, atque in cæteris quoque fidei capitibus Evangelicæ doctrinæ ſe deditiſſimum eſſe, eamque candido pectore profiteri, aſſeverabat. b) Quo factum, ut ſine difficultate poſt perbrevem adhuc moram libertatem ſuam recuperaret. *Leuchsnerus* equidem ad eundem modum, cum comparuiſſet, quicquid de Socinianæ hæreſeos participatione objiciebatur, pertinaciſſime negabat ac pernegabat: ita ut propter evidentiſſima, c) quæ præſto erant, indicia, tandem *Peuſchelii Vogeliique*, fraternæ eum communitatis conſtanter inſimulantium, obtutui exponendus, d) & coram utroque cauſſam ſuam dicere juſſus, nihilominus objecta inficiari, omnique contentione culpam ſibi impactam e) conaretur diluere. Ad extremum vero, & velut ad incitas redactus, unicum caput fidei, idemque præ cæteris ſublime, de S. Trinitate pro re altioris indaginis ſe aliquando habuiſſe, molliſſime confeſſus eſt. Verum plane & ex animo aſſenſum ſe *Socinismo* unquam præbuiſſe, conſtantiſſime iterum iterumque abnuit. In quibus cum ſubſiſtendum eſſet, non difficulter, haud paullo obſcuriora eſſe conſequentia hujus viri fata, conjici poteſt,

a) Conf. Cap. II. Quæ cauſſa etiam fuit, (non ſola dignitas,) cur *nulla* unquam vel *domeſtica cuſtodia*, cæteris in eam conditis, attineretur: utpote cujus accuſatio meris ſuſpicionibus, rumuſculis & confabulationibus nitebatur, neque eum magnopere onerare poterat.

b) Add. Cap. II. §. XXVI.

c) Propter quæ ne nunc quidem eum inſontem fuiſſe plane credimus; tametſi, deinceps ad ſaniorem mentem rediiſſe, facile etiam largiamur.

d) *Confrontationem* vulgo vocant.

e) Cujus in epiſtolis *Ruari* hodieque ſuperſunt monimenta, de S. Cœnæ potisſimum uſu agentia; ut *Oſtorodi* illud, quod produximus Cap. I. extremo, ſcriptum taceamus. At hæſitationem & ſcrupulos de veritate erroribus præferenda male eum habuiſſe vix, niſi turpisſimus fuerit hypocrita, dubitamus.

eſt, Deoque καρδιογνώϛῃ cætera relinqui oportere, quæ *Ruari* epiſtolæ hodie a) clarius eloquuta ſunt, res ipſa docet. Certe plura de eo nobis expiſcari nondum licuit, & fortaſſis, niſi ipſi *Sociniſtæ* de illius conſortio gloriati eſſent, nemo unquam de tanti erroris approbatione vel per ſomnium cogitaſſet.

§. XXVII.

Ad *Vogelium* ergo redimus, qui *d. VIII. Junii* iterum ad examen vocatus, in priſtina turris cuſtodia (neque enim is unquam aliorſum translatus eſt) diſtincte, quomodo a *Dümlero Oſtorodum*, dubiaque ſimul haud pauca ab eodem & *Crellio* ſuggeſta, acceperit, enarravit. Inter alia vero, qua ſolicitudine dubius atque anceps jam redditus, *Schröderumque* auditurus, *Noribergam* aliquando in ipſo Trinitatis Feſto abierit ſummo mane, ſed fruſtraneum fuiſſe iſtum laborem, eo quod argumentum duntaxat de Regeneratione *Schröderus* tum pertractarit, b) ſponte ſua narravit. A patruele quidem *Holfeldero*, ejusdem ædis Laurentianæ Diacono, ut ipſum Paſtorem laudatum domi conveniret, conſilium ſibi datum eſſe, at propter recentiſſimum c) adventum viri doctiſſimi, ſe, quominus eum accederet, verecundatum, *Altorffium* ſuis hiſce vexatum ſcrupulis revertiſſe, ſubjecit. Nec diſſimulavit, cum aliquando neglectius tractans ſtudia Theologica & Scholaſticis exercitationibus pæne ſolis incumbens, ex Alumneo a *Johanne Oberndorffio* gratis in contubernium receptus eſſet, in vitam diſſolutam ex ſocietate hominis hujus d) male morati, abreptum propemodum fuiſſe; donec a *Kobio* correptus monitusque in viam rectam revocaretur, & in dubiis quoque ante injectis (quibus excitatis ſe deſeri jam a ſodalibus conqueſtus erat) magis corroboraretur: Eumque in finem a *Peuſchelio* æque ac *Ruaro* libros ſe ade-

 ptum

a) Et reliqua ſupra Cap. II. adducta.

b) Quo de ardore fruſtraneo ſupra Cap. IIdo nonnihil anticipavimus diſſerere.

c) A. 1611. d. 23. Junii, quo primam in hac urbe concionem habuit Swinfurto huc advocatus, ut Philippi nimiis fautoribus quibusdam haud dubie opponeretur, conſilio meliora ſentientium, inprimis Illuſtris *D. Pauli Harsdörfferi*, Duumviri, acutiſſime hæc, tametſi jam cœcus eſſet, pervidentis, eo ſpectante. Quod etiam felicisſimo ſucceſſu, etſi vix biennium Duumvir ille incomparabilis ſupervixerit, non caruit.

d) *Oberndorffius* ille *Græcenſis* erat *Stirius* & *Med. Studioſus*, cujus animum *Vogeliique* hæcce de eo pronunciata confirmat floſculus, quem *Philothecæ Vogelianæ* inſcripſit: *Friſch, frœlich, luſtig und geduldig, was man nicht zahlen kan, bleibt man dem Brummer ſchuldig.* A. MDCXIII. d. XIII. Octobr.

ptum eſſe typis excuſos pariter ac manu deſcriptos, quos & ipſe ſua opera tranſcripſerit, aſſeveravit. Paullo vero poſt in diſputatione illa notiſſima D. *Schopperi* de S. Trinitate publice ventilata, ea, quæ jam alibi copioſius explicata ſunt, inter disquirendum accidiſſe: de quibus, cum & ipſe Dn. *Schröderus* plurima reſciverit, ſibi fuſius disſerendi cauſſam non eſſe, ajebat. Quod reliquum ſit, neminem a ſe in *Socini* partes adductum, præter unum *Vſſingerum*, affirmavit, qui cum *Vogelium*, ut miſſam faceret blasphemam hancce doctrinam, aliquoties cohortatus, ſed viciſſim a ſe commonefactus eſſet, ut de rebus nondum ſatis cognitis judicium haud præcipitaret ſuum, perlecto tandem *Oſtorodo* atque *Racovienſi Catecheſi*, mitius & ipſe ex eo tempore ſentire, ac propendere in hæc ſcita atque dogmata cœperit. Neque etiam, alia paullo poſt coram *Hainlino* (Sebaſtiano) inter hæc etiam comparere juſſo, auditum expoſuiſſe, comperire potuimus. Ipſum vero *Hainlinum* e cuſtodia laxiore a) mox dimiſſum fuiſſe, cum ſectam ipſe peſſimam ſponte deteſtaretur, utut documentis de eo certis deſtituamur, plane credimus. Neque enim poſthac ulla ejus in his motibus incidit mentio. Quocirca ad reliqua procedimus. Nam de cæteris adhuc quædam dicenda reſtant. Et pridie quidem VII. Junii *Cornelius Marci* ſecunda vice rerum ſuarum rationes explanatius expoſuit, e carcere b) in curiam advocatus. Cujus nove indicata hæc erant: Germanicum *de Obedientia* libellum a *J. G. Fabritio* primum ſibi traditum ſe pervolviſſe. Deinde vero a *Ruaro Catechiſmum* ipſum *Racovienſem* ſecum communicatum expendiſſe, eoque facto in *Loco de Trinitate* vacillare cœpiſſe; de qua, qui reſtent, ſcrupulos ſibi tolli, enixe deſideret. Amplius, permulta alienatæ ab Eccleſia noſtra mentis argumenta *Peuſchelii* & *Ruari* colloquiis familiaribus ſe debere, profeſſus eſt. Nec abnuit, conventibus, in Muſeis hinc inde c) celebratis, ſe quoque frequenter interfuiſſe: qua occaſione etiam, quemadmodum peracti ſint, d) a *Marcio* accuratius fuit expoſitum. In fraternitatem ſeſe allectum eſſe, denuo haud difſeſſus

a) Quam in eadem turri ad tempus ſubire juſſus erat, præter cæteros valde de ſimulatione ſuſpectus.

b) De quo §. XXII. extremo dictum eſt.

c) Vaga enim fuiſſe, poſt coryphæorum diſceſſum, conventicula, ſupra jam animadvertimus.

d) Scripturæ videlicet tractatione, ſed præpoſtera, & ad vitam ſancte gerendam, fundamentis nimirum fidei præcipuis jam ſubverſis, commonefactione, epiſtolarum denique a ſodalibus ſcriptarum, ut confirmarentur animi illis addicti, communicatione, & ſimilibus, ſi cætera bene comparata non abfuiſſent, piæ meditationis exercitiis.

fessus est, at nunc demum innotuit, etiam litteras, quibus eam sodalitatis confirmationem expetiit, a *Ruaro* ipso *Racoviam* profecto illuc fuisse A. 1614. allatas; Ad quas quid responsum sit, sub finem Cap. II. exhibitæ *Crellianæ* litteræ responsoriæ condocefaciunt. Atque hæc quidem hactenus. Nunc, postquam hanc viam emensi sumus, relictis tantisper cæteris, quorum aliqui, & sigillatim *Vffingerus*, *Leuchsnerus* atque *Leimerus* e custodia, uti dictum est, non multo post dimissi sunt, retenti vero in ea *Marcius*, atque omnium diutissime in autumnum usque *Vogelius* & *Peuschelius*; quid de carcere duriori, in quem conjectum hunc unum fuisse diximus, ejusque vicissitudinis memorabilis caussa, ipsaque in universum captivitate, a) sentiendum sit, edisseremus. Idque, quo minus intermittere possimus, uti aliorum plurium obmurmurationes obscuræ, b) ita trium potissimum scriptorum audaculorum temerarium ea de re judicium & iniquior censura, in caussa sunt.

§. XXVIII.

Vixerat nempe sub id tempus in *Academia Altorphina* notus ille, & post hæc tempora celebratissimus e nobilitate Polonica Socinianus, *Jonas Slichtingius* a *Buckowicz*: qui eo accesserat cum fratre suo *Georgio*, & *Zpygneo Sieninskyo a Sienno* (cujus erat *Jonas* morum & studiorum moderator) itemque *Jano Morstinio Raciborska*, popularibus, d. XXX. Aprilis ejusdem anni MDCXVI. huc delatus, c) & procul dubio lynceis oculis, quæ acciderent fraterculis, in vicinia animadvertebat. Idem vero, quam male atque ægre, immo ægerrime tulerit captivitatem eorum, sine circuitione postea pronunciavit, & *Balth. Meisnero* sequentia objecit, & quasi *Reipubl. Noriberg.* minime honorifica exaggeravit: d) *Similem*, inquit, *annis aliquanto superioribus calamita-*

a) In pejorem a multis partem, sed circumstantiarum ignaris, rapta.

b) Ne nunc quidem mitioribus quibusdam haud insolitæ. Quibus aliisque ad vim proclivibus diversimode applicandam, *medium* illud *tenuere beati*, opponendum est. Eaque via *Noribergenses* incessisse, heic generatim, sigillatim vero in seqq., quemadmodum id factum sit, commonstrabimus.

c) Ex compacto haud dubie, cum cognitum jam esset fratribus in Polonia, quid rerum ageretur, & hucdum *Noribergæ* atque in *Saxonia* interea jam accidisset. Idque tanto est credibilius, quo clariora sunt verba, quibus, *Jonam* hunc *ducibus* inprimis *Smalcio* atque *Crellio* in Racoviensi Gymnasio, unde huc venerant, usum esse, *Stanisl. Lubieniecius* in Epist. operibus ejus præfixa testatus est.

d) In *Quæst. duab. advers. Meisnerum*, de capitali supplic. hæret. Quæst. II. Membr. III. p. 462.

lamitatem ejusdem veritatis caussa experti sunt duo juvenes, Johannes Vogelius & Joachimus Peuschelius, litterarum studiosi: quorum ille Wittebergæ primum, ipso Meisnero, aliisque Professoribus inspectantibus in carcerem conjectus fuit: post Senatus Noribergensis jussu, cujus e ditione fuerant ambo, catenis onerati vinctique Noribergam abrepti sunt, & tamdiu, nobis in vicina Noribergensium Academia tum temporis agentibus, in squalido a) *carcere detenti, minis & terroribus vexati, donec expugnata eorum constantia, ad abdicandam, quam susceperant, veritatem adigerentur.* Hactenus *Slichtingius*, satis quidem, ut plerumque solet, modeste. At multo pro more vehementius *Valentin. Smalcius* in Præfat. *Refutat. Orat. Vogelii & Peuschelii* præposita b) querulatur & calumniatur; quando non erubuit scribere: *Senatus Norimbergensis, cujus prudentia hactenus alias Respublicas superare visa est, eo prolapsus est nuper etiam amari & præposteri zeli, ut in paucos quosdam Studiosos, quibus Deus id, quod nostræ Ecclesiæ hactenus profitentur, alto suo consilio revelarat, tam graviter animadverterit, ut nova papalis tyrannis eos invasisse merito dici possit. Homines enim liberos catenis ligatos ex Academiis satis remotis Noribergam deduci curavit, & ibi in carceribus squalidissimis* c) *per non paucos menses conclusos, minis etiam carnificinæ propositis,* d) *tandem eo adegit, ut veritatem abnegarent & publice etiam retractarent. O Deus! ubinam gentium sumus? Hæccine fieri decet inter eos, qui verum Christi Evangelium præ aliis sibi revelatum gloriantur? En in medio illorum, qui Anti-Christum deseruerunt, Anti-Christus regnat? Quis tandem hujus tyrannidis finis futurus est? Num fortasse credunt, hac ratione divinam veritatem suppressum iri? At contrarium eos omnia - - - - docere poterant.* Ita ille non tam declamat, quam debacchatur, pluribus quidem cavillationes hasce augens, sed quas alibi, & integras forte, e) dare malumus, quam decerpendo mutilare. Tertius denique hisce accessit f) homo larvatus, & Enthusiasmo proximus, qui A. 1645. demum, assumto *Bernhardi Baumanni*, Berovien-sis

a) De vocabulo hocce p. p. agendum erit, valde invidioso.

b) Plura de hac *Refutatione* deinceps dicemus, & integram forte huic historiæ attexemus. Nunc sufficit, illico seq. A. 1617. editam esse, visum nobis h. l. observatione dignum.

c) Ita ille *squalidissimum* vocavit, quem prior vix *squalidum* ausus est dicere, pro solita, qua agebatur, animi impotentia & cavillandi libidine.

d) Bona verba, quæso!

e) In calce hujus operis ex professo discutiendas. Qui enim ad eas responderit, scimus neminem.

f) Quartum vero, eumque scurram, insulsissima quæque in negotium totum effutientem convitia, *Fornerium*, paullo inferius castigabimus.

fis *Borusſi Paſtoris*, nomine, [eum vero non alium fuiſſe, quam *Chriſtianum Hobburgium*, jam compertum eſt, a)] in eandem cum deceptis hisce novis *Socinianis* agendi rationem graviter invectus eſt: b) quantumvis aliorum duntaxat mentem exponere videri voluerit. Verba ejus, quibus poſt ſimilia quædam de *Joachimi Stegmanni* carcere & profcriptione (Gedanenſi) *Noribergenſia* acta rodit, hæc ſunt: „Siehe heiſst das nun die Gewiſſen frey laſſen? Alſo habt ihr auch" mit zween andern Studenten zu Allendorff, c) um gleicher Vrſa-" chen willen procedirt; da der eine Vogelinus, Angeſichts der Pro-" feſſorn und Prediger in die Gefængnüſſe geworffen, hernach als" der Rath zu Nürnbergk dahin ſandte, ſeynd ſie beyde mit Ketten" gebunden und nach Nürnbergk geſchleppt, und daſelbſt ſo lang in" einer abſcheulichen Gefængnuſs gequelet, mit dræwen und ſchre-" cken gemartert worden, biſs ſie endlich zum Abfall ſeynd gezwun-" gen worden." Hæc ille non obſcure applaudens d) *Slichtingio*, quem etiam, quantumvis non nominet, prorſus videtur exſcripſiſſe; id enim verborum verſionem, cum ſuperioribus Latinis *Slichtingianis* e) collatam, attendentibus facillime licet ſubodorari. Quemadmodum vero, ut cœcus de coloribus, alienis oculis f) is vidit, & judicavit: ita ignorantiam ſuam, *Altorphium* per *Allendorf* reddendo, itemque pro *Vogelio*, *Vogelinum* ſubſtituendo, manifeſte prodidit, ac proinde vel in legendo deſcribendoque *Slichtingio* infelix admodum fuit. Omnium tamen maxime aberravit a janua, quando *ſqualidum* carcerem multo aſperiori vocabulo *abſcheulich* expreſſit, atque ita, ſeu mali interpretis alieni ſenſus, ſeu inepti de re incognita cenſoris, officio perfunctus eſt *Hobburgius*: g) Qua de cauſſa etiam nobis reſponſio-

 nem

a) Conf. *J. Sauberti* Judicium de Libris *Hobburgii* quibusdam & *Baumanni* legendis 1646. edit., ubi tamen videtur exiſtimaſſe, hunc ab illo priori diverſum eſſe ſcriptorem.

b) *Im Teutſchærgerlichen Chriſtenthum* P. III. In qua colloquium fingitur *Evangelici* hominis cum *Photiniano* p. 1084. A. 1645. 8vo impreſs.

c) Sic enim male *Altorphinam* Academiam homo Saxoniæ inferioris fere tantum gnarus exſcripſit.

d) *Photiniani* hominis larva aſſumta, ſed ita cuncta adornans, ut ejus ſententiam adverſæ *Lutheranæ* cum iſto colloquentis, fere nunquam non præferendam indicet.

e) Et Chronologia libri, nuper admodum typis excuſi.

f) Certe, cum hæc Noribergæ agerentur, nondum ex ephebis auctor exceſſerat A. 1607. d. 23. Julii *Luneburgi* natus, & A. 1675. *Altonaviæ*, ubi, quod ſatis cognitum eſt, *Mennonitarum* cœtui operam denique ſuam ſeſquiannum fere addixerat, d. 29. Octobr. denatus.

g) Nec mirum: Quis enim molliora ab eo expectaverit, qui ad vota animi ſui omnimodam non ſolum ſentiendi, (quæ ta-

nem ad calumnias objectas separatim haud mereri videbatur. Quod autem ad priores attinet, indignum est *Jonæ* passim alioqui celebrato candore, quem & ipse præ se fert maximum, de rebus haud latentibus, sed publice actitatis, a quibus nec multum remotus ipse vivebat, tam inique judicasse. Etenim quod ad *Meisnerum* attinet, qui dedeceat, quæso, Professorem Academicum, in gravissima caussa, eaque sibi peculiari quadam ratione demandata, ac proinde de circumspectione studiose adhibenda rogatum, a) adspexisse, quæ agerentur, quum se procurante abducendus esset in custodiam primam *Vogelius?* Præsertim, si & ipse in vicinia habitavit, atque vix ab intuitu ejus rei oculos prohibere potuit, neque alia ipsius custodiæ caussa hactenus esset, quam ne legitimi Magistratus curam, Christianos decentem, homines versuti, & ob graves caussas de fuga suspecti, aliorum certe exemplis jam in hanc suspicionem haud vanam adducti, eluderent. Sed hæc forte ex aliorum relatione cognita fuisse dixeris *Slichtingio*, & in ipsa narratione partium studio, ut fieri solet, exaggerata, quamobrem condonandum aliquid esse nobilissimo homini, quantum ad hoc, existimaveris. Multo autem indignius tanto viro putamus, quod *Vogelium squalido* carceri mancipatum tam confidenter publice asseveravit, eumque nominatim in ista querimonia appellat una cum *Peuschelio*, quantum ad hoc, sine discrimine cum eo conjuncto; Cum tamen solus *Peuschelius*, inferius illud brevi tempore subire antrum, necesse habuerit: cæteris in honestiori & ob prospectum ex alto pæne amœna turri (cui honestissimi quique propter leviora delicta, aut qui lævæ etiam mentis sunt, includuntur) constanter relictis. Nam *Vogelium* in ea, quæ vulgo *Lug ins Land* dicitur, ad finem usque hujus controversiæ extremum perseverasse, certum plane & exploratum habemus. Neque vero unquam adversus eos minas fuisse adhibitas, aut terrores, sed serias commonefactiones, & ne has quidem verborum gravitatem excedentes, comperimus,

men verbi divini norma & regula constringitur) sed etiam docendi agendique licentiam cuivis indulgeri præoptaverat; ita ut Ecclesiasticos & S. Senatus ministros ad se coercendum missos, ipsumque Principem, *canes regiminis* (die *Regiments-Hunde*) in *Postill. Myst.* P. I. f. 396. appellare non sit veritus. Et eo quidem tempore, quo multa jam subiisse fata, ex pervicacitate potissimum, in precum publicarum formula quadam recitanda, sed prohibita, sibi attracta valde adversa, cum ex *Vita* a *filio* descripta, tum maxime ex præclara *Luneburg. Hist. Eccl. Bertramiana* f. 229. Cap. XI. & ipso l. c. Postill. constat.

a) Et forte h. t. *Prorectorem* atque absente Rect. Magnif. ex officio id agentem. Rectorem enim A. 1615. fuisse, ex *Hofmanni* cujusdam *Anagrammat.* cognovimus.

mus, a) nisi, ubi necessaria quam maxime, & jam aliqua ex parte cognita approbataque, iterum dissimulare, aut tergiversando occultare, viderentur. Interque hæc jure optimo numeramus, quæ *Peuschelius* in carcere asperiori d. XXVII. Maji & sequenti V. Junii examini rigidiori subjectus patefecit: quæ omnia supra recensere non e re nostra videbatur, neque etiam universis innotuere. b) At enim vero neque hæc sola fuit exasperati carceris caussa; sed aliæ adhuc graviores & atrociores *Senatum Illustrem* eousque procedere, vel nolentem, ex officio divinitus mandato, jusserunt. *Blasphemiæ* enim, præter alia quædam, aut certe his non absimiles de divinis rebus loquendi formulæ exciderant ex ore calamoque Peuschelii, quæ coercendi hunc modum severiorem atque animadversionem justam omnino requirebant. Testem habemus virum in hac caussa ventilata minime hospitem & integerrimæ fidei, *Joh. Schröderum*, qui in litteris hoc tempore Noriberga datis, quarum non nisi paucula hæc fragmenta conservata sunt, nobisque ab amico communicata, ad *Joh. Gerhardum*, novitium t. t. *Professʃ. Jenensem* scripserat: *Photiniani nostri adhuc detinentur captivi: quorum unus, Peuschelius, dicitur detrusus esse in subterraneam quandam custodiam, quod blasphemo nomine Spiritum S. affecerit, & duriora quædam adversus Magistratum effutierit.* c) *D. Grauerum meis verbis salutabis, dicesque, Vogelium nostrum captivum rogatum, cur illum Theologum nigrum appellarit, in Onomastico, hanc reddidisse rationem, quia Grawerus parum candide secum egerit. At qua in re hoc sit factum, nondum scire potui.* Hæc *Schröderus*. Equidem, quæ fuerint illa in Sp. S., cui sit honor & gloria sempiterna, duriter pronunciata, reperire nondum potuimus. d) At Deum Patrem *Artaxerxen* in epistolis eum nominasse, & Sacro sanctas divinæ Triadis personas *Comicorum* nomine [horreo referens proterviam hominis e)] insignire haud erubuisse, plane

a) Qua de ipsa *Illustrium DNN. Curatorum* verba, & Colloquio præmissa, & interposita, & subjuncta denique, nos plura Sect. II. hujus Cap. III. edocebunt.

b) Quædam vero nunc quoque alto silentio sepulta manent.

c) En caussam non unam, eamque ab ipsa hæresi multum distinctam, justa sane animadversione dignam, & tamen mediocri, ne qua cavillandi ansa daretur, castigatione eluendam; atque hinc tandem gratiose condonandam.

d) Et diras hasce voces pia in sanctissimum Numen reverentia suppressas credimus.

e) Quæ vero commemorare visum est, ne quid confictum putetur, & ut petulantiæ hominis hujus specimen aliquod exhibeamus. Quanti vero sint formulæ hujusmodi faciendæ, non *Calvinum* quidem & *Bezam*, de hæreticorum supplicio, iisdemque gladio coercendis, commentatos atque ea propter passim male audientes, sed observationem, quæ extat in *Bibl. Brem. Theol. Philol.* P. I. f. 740. sqq. conferri svademus.

plane ſcimus, atque hinc, atrociorem adhuc illam non nominatam de Sp. S. formulam fuiſſe, veriſimillime conjicimus. Excuſaverat quidem, ut exploratum nobis eſt, idem *Peuſchelius* verba, quæ adduximus, aſpera & horribilia, eaque in mitiorem ſenſum interpretatus, non alia mente iſtoc ſe vocabulum uſurpaſſe, cauſſatus eſt, quam ut tranſſumtam ex Comœdiis notionem Sacris quodammodo accommodaret, ac proinde non malo animo id factum, contendit: quandoquidem Poetæ Chriſtiani ſæpenumero pro *Jehova*, *Jovem Olympium* ſimilesque loquendi modos a) ſubſtituerint. Sed parum hisce ſubterfugiis profecit, quin durioris carceris ærumnas aliquandiu deguſtare juberetur. Cui ſi & alia contra Magiſtratum iniquiora acceſſere, prout aperte teſtatur *Schröderus*, quid mirum, ſi promerita jam ſatis abunde pœna vel hoc nomine atrocior luenda ac jure meritoque toleranda fuit. Quanquam & brevitas temporis, aſperitatem illam clementia temperatam fuiſſe, ſatis luculenter addoceat. b) Quod ſupereſt, non erat, cur tantopere inveherentur obtrectatores in *Inclyti Senatus* conſilia, quibus, ut vincti domum reducerentur, ſapienter ac ſolicite curatum eſt. Homines enim fuerunt faſcinati illi juvenes non ſui omnino arbitrii, ſed data ante dextra e patria digreſſi, & jurisjurandi fide, eaque amicorum fidejuſſione inſuper munita, oppido multisque modis patriæ ſuæ obnoxii. Numquid vero haud licuiſſe putant Magiſtratui legitimo, a beneficiariis ſuis rationes impenſarum & ſtipendiorum acceptorum collocatorumque depoſcere? An credat aliquis, injuſtum eſſe, ad examen ſeverum poſtulare eos, qui acceptam pro Veritatis Evangelicæ Eccleſiæ, Aug. Confeſſionis compendio comprehenſæ, cognitione penitiore & propagatione pecuniam ſacram, in hæreſin, e diametro veræ doctrinæ oppoſitam deterrimam, ipſamque hanc doctrinam oppugnandam, impie adhibuerant, & diutius quoque, niſi obſtaculum poſitum fuiſſet, id ſe facturos, aperte jam præ ſe ferebant? c) At *vinculis conſtringendos haud fuiſſe, tanquam ſcelerum & maleficorum reos*, *forte dixerint cenſores illi tam rigidi*: Non diſputabimus in præſens; utrum *criminibus* ſint connumerandæ hæreſes, nec ne? quippe de rebus

a) Quos notum eſt b. *Jac. Thomaſium* pereleganti de *Ethniciſmo ſtyli* diſſertatione collegiſſe, ſed atro etiam carbone notaſſe, non neſcimus. Vtrum vero cum his formulis *Peuſchelianæ*, præſertim ſi ad animum reſpicias, ſummis myſteriis illudentem, comparandæ ſint, valde dubitamus.

b) Vix enim *aliquot dierum ſpatium* carceris iſtius paullo durioris caſtigatio duravit, & confeſſionem candide tandem etiam editam clementia ſubſequuta eſt.

c) Immo haud obſcure, ſed palam, ut ſupra profeſſi erant, adhuc ore enunciabant.

bus ſoliciti non verbis varie a) uſurpatis; Errorem, ſcio, adverſa pars ſubſtitutum vellet, repudiato criminis invidioſo titulo. Sed faciamus, ita rem eſſe. Nonne vero de fuga eſſe potuere ſuſpecti? immo etiam quam maxime fuere, eoque facile accidere potuiſſet, ut rationibus reddendis ſubducti fraude & dolis ludificarentur *Munificentiſſimos Patronos* & *Dominos ſuos legitimos*. Et jure quidem optimo ſuſpectos fuiſſe, vel ex *Dümleri* ſolius audacia patuit, qui perfidia ſua mitisſimam viam primum ingreſſos eosdem Reipubl. patriæ Proceres nuperrime in ipſa patria impie deludere minime veritus erat. Reperta quoque, inter prima arcanorum inventa, *ſocii cujusdam hominis* epiſtola, A. 1615. d. 2. Novembris ſcripta, id apertius conſilium jam agitari, prodiderat; In hac enim interrogaverat *Corn. Marci* Peuſchelium: „Wann er ſich" von Jena wolle weg machen, ſonderlich weil er ſich nicht ohne Ge-" fæhrten auf den Weg zu machen willens ſeyn würde?" Tacemus cætera, & inanem cavillantium *Socinianorum* querelam explodimus, ipſorumque captivorum poſt ſaniorem mentem receptam gratiarum actionem ac beneficii in ſe collati gratam voluntariamque b) deprædicationem longe anteferendam judicamus inſulſis hoſtium, iisdemque ſuis tantum rebus ſtudentium, calumniis. Vtrum vero comminationibus compulſi, an veritatis luce & virtute convicti, ejurarint errorem tetricum, quæ poſtrema eſt cavillorum pars, deinceps copioſe exponemus, & ad oculum obtrectatoribus demonſtrabimus, ubi contraria omnia ex ipſo felici rerum exitu c) elucebunt.

§. XXX.

Jam ſatius eſt, quid, poſt audita conſignataque captivorum reſponſa, decretum ſit, brevibus commemorare, atque his peractis ex ipſa *Civitate Noribergenſi* denuo paulisper digredi. Nimirum, Theologis æque ac JCtis ut omnia traderentur ea, cumprimis, quæ *Peuſchelius* prolo-

a) Et ſec. *juris civilis* atque *Sp. S. ſtylum* diverſimode acceptis. In *Ep. ad Gal.* certe Cap. V. cum cæteris operibus carnis & criminibus manifeſtis connumerantur *αἱρέσεις*. Hæc de nomine. De reliquo, ſi cætera abſint, quæ hæreſi ſæpe adjuncta comparent alterius generis mala, nobis quoque illud *Hug. Grotii* placet, quo: *Errantis pœnam eſſe, ita doceri, ut errorem fateatur*, ſapienter L. *de Pace Eccleſiæ* affirmavit. Neque alio modo noſtrorum Photinianorum errores punitos eſſe, ex ſequentibus patebit.

b) De qua Cap. IV. §. 6.

c) Quod præſtantisſimum eſt demonſtrationis in rebus hiſtoricis genus: Vbi enim rerum adſunt teſtimonia, quid opus eſt verbis? Nec opinamur, qui aliter forte adhuc ſenſerunt, integra rerum geſtarum ſerie apud animum ſuum bene reputata, aliter judicaturos, quam in præſentia pollicemur.

quutus indicaverat, mature jubebatur; quo, quid de præsentibus sentirent, ex ipsis percipi, atque hinc, quid porro consulto factoque opus esset, definiri posset. Initium autem faciendum est a *Senatus consulto*, quod ea de re d. 3. Junii 1616. conditum sequentis erat tenoris:

„Joachim Peuschels im Loch gethane Aussage, soll man den dazu „deputirten Herrn Hochgelehrten, wie auch Herrn M. Fabritio und „Herrn M. Schrœdern zustellen, und die zu Altorff, so von ihnen „besagt worden, fœrderl. herein erfordern, zu Rede halten, und „mit den Gefangenen confrontiren, der Herrn Hochgelehrten, wie „auch Herrn Theologen Bedencken wieder kommen lassen, und „*(um)* wann zuvor mit den verhafften colloquirt, ferner ræthig zu „werden, ob man die Sach bey gemeiner Consultation der Herrn „Hochgelehrten vorlegen wolle? Actum Monntag den 3. Junii A. 1616.

per Herrn { Christoph Lœffelholz, Scholarchen,
Carl Schlüsselfelder, Schœpffen.

Quæ ad mandatum hocce consequuta fuerint, ex sequentibus patebit. Jam enim, ut seriem actorum & rationes temporum non commisceamus, *Altorphium* paullulum exspatiari animus est, quo, lustratis, quæ illic facta sunt sub id ipsum tempus, deinde *Argentoratum* a) quoque excurramus, atque inde reversi, cætera cum *Noribergensibus*, captivis adhuc, &, ut resipiscerent, frequenter admonitis, gesta persequamur. In his prima fuit cura *Academiæ Curatorum Illustrium*, ut præcipui inter suspectos, sed jam superiori anno *Socinismi* societatem inficiatos, denuo fidei suæ commonefierent, &, si candide testari vellent ingenuitatem, *Libros* quoque *Socinianorum* abjicerent traditos. Eum in finem litteræ ad *Senatum Academicum*, statim post decretum illud Senatus paullo ante exhibitum, perscriptæ sunt, quibus, id facere, nominatim jubebantur *Frauenburgerus*, *Kobius* & *Fabritius*, Altorphio hucusque egredi sancte prohibiti. *Hainlinus* enim & *Marcius*, uti supra perspeximus, hic arctiori, ille laxiori custodia *Noribergæ* jam attinebantur; cæteri vero aliorsum diu antea b) dilapsi erant. Citati ergo & comparentes d. VI. Junii A. 1616., atque ita paullo ante festum *Academicum*, idque anniversarium, quæ imperata erant, ut memoria proditum est, fecerunt. Et *Cobius* quidem atque *Fabritius* MSცta nonnulla pariter ac impressa id genus opuscula exhi-

a) Propter *Ruarum* istic hospitantem, facem & tubam horum malorum præcipuam.

b) Vti supra Cap. II. & sub initium Cap. hujus III. edocuimus.

exhibuere lubentes, cum consignato eorum indice; quæ cuncta ad se *Rector* t. t. *Academiæ* Magnificus *G. Queccius* recepit. *Frauenburgerus* autem, nihil omnino se horum scriptorum amplius possidere, significavit, atque dudum tria potiora, *Ostorodi Institt.*, *Socini de Servatore L.* & *Catech. Racoviensem*, illis, a quibus mutuo acceperit, amicis, *Vogelio*, *Peuschelio* & *Dümlero* restituisse, constanter asseveravit. In quibus hactenus subsistere placuit, dum novum consilium caperetur. Interim cæterorum collecta suppellex, *Noribergam* missa, atque *Inclyto DominorumCuratorumOrdini* tradita est, & ab his, quid statuendum esset, ob gravissimas caussas jam de novo cœpit deliberari. Eoque maxime consultatione videbatur opus esse, quod non modo personis mentibusque in errores abreptis prospiciendum existimarent, sed etiam totus ille, qui ex *Peuschelii*, *Vogelii*, *Marcii* cæterorumque reculis congestus habebatur, apparatus librorum excusorum manuque descriptorum materiam ineundi consilii præberet. Dum vero hæc ita, uti dictum est, agebantur *Altorphi*, continuatis interim deliberationibus, tam JCtis quam Theologis ab Illustri Senatu cura est demandata, ut, quo pacto & corruptelis invectis medendum esset, & famæ quoque sinistræ, his de rebus jam late admodum sparsæ, a) cunctaque in deteriorem partem, ut, fieri solet, vertenti, obviam iri posset, statuerent. Quibus tandem rem ea via aggredi placuit, quæ non tantum revocandis in orbitam maleferiatis, & in perniciem suam ruentibus juvenibus conveniens, Christique regulæ perscriptæ vere Evangelicæ b) consentanea esset, sed etiam ad infamiam malevolorum abstergendam, ac detestationem justam hæreseos ab *Inclyto Senatu* orbi universo & Ecclesiæ diviniori patefaciendam, quam optime congrueret. A Theologis equidem, quos in consilium similiter vocatos scimus, quodnam sit redditum responsum, hucusque comperire haud potuimus, neque tamen a JCtorum judicio discrepasse, c)

 quic-

a) *De* qua litteris hinc illinc acceptis certiores reddebantur in dies & Proceres ipsi & Theologi atque eruditi alii, qualia & supra a nobis varia occasione adducta monumenta continebant.

b) *Docere* jubentis & *coercere*, non *occidere*, uti peculiari schediasmate b. *Theod. Thummius* demonstratum dedit: *Ne errantis ruina potius, quam erroris correctio* (qua Cl. *Mæichelii* de *Moderatione Theol.* sunt verba,) *peti videatur*: qui, *violentiam in religione* (quatenus talis est) *non nisi ad hypocrisin atque Atheismum ducere*, recte l. c. §. 50. addit.

c) Nisi forte collatis rationibus, in unum illud, quod sequitur § XXXI, cunctorum sententiæ redactæ sint. Repugnare tamen huic conjecturæ, uti mos insolitus, ita verba quoque nonnulla, quibus Theologis quædam dijudicanda a JCtis relinquuntur, videri potest.

quicquam caussæ est, cur nobis persvadeamus. At JCtorum ordinis quæ fuerit mens & sententia, optime compertum habemus.

§. XXXI.

Eaque ut tanto evidentius pateat, en ipsum Consilium! quod ex museo Theologi externi cujusdam celeberrimi ad nos, singulari fato, pervenit, hunc in modum adornatum:

„Es ist zwischen den Photinianern, die die andern zum Theil ver-„führt, und auf Meynung bisher beharret sind, und denen, die sich „verführen lassen, und ihren irrthum bekennen und bereuen, auch „begehren wieder zu unserer Religion zu tretten, ein Vnterschied „zu machen. Vnter den Bekehrten ist allein Cornelius Marci de „Trinitate noch dubius, a) und begehrt informirt zu werden. Die „übrigen bekennen mit dem Munde, GOtt gebe auch im Herzen, „dass ihnen alle ihre dubia benommen b) und williglich zu unserer „wahren Religion und Bekæntnus wieder tretten wollen. Dem-„nach wird die begehrte fernere Information dem Corn. Marci „nicht zu verwegern seyn. Wenn sie denn alle einmüthig ihren „Irrthumm bekennen, und verlassen, werden sie ferner in Arrest „nicht aufzuhalten, noch mit einer ernstl. Straff zu belegen c) seyn; „Dieweil sie dannoch in ihrer blühenden Jugend durch allerhand „machinationes und Occasiones übel in diesen Photinianischen „Greul und Irrthum gerathen sind, und denselben sehr bereuen: „Damit sie bey solcher ihrer Resipiscenz desto mehr mœgen erhal-„ten, und bey andern gleichmæssiger Abfall und Apostasia verhütet „werden, so wird man die Caussas und Occasiones solcher Aposta-„siæ müssen aus dem Weg raumen und verhüten.

„Deren erste ist nun die familiaris Conversatio Photinianorum, „welche von frembden Orten d) dahin kommen, und heimtücki-scher

a) Cujus tamen in custodia quoque mota dubia, de *viribus & necessitate servandi legem Dei*, alibi commemorabimus, & ex animo similiter remota esse, ostendemus.

b) Haud dubie *Theologorum etiam Altorph. & Noribergens. opera* interveniente: de quorum tamen speciali industria, & circumstantiis aliis huc pertinentibus, nihil nobis distincte innotuit; quia privatos inter parietes pleraque actitata sunt.

c) En scopum rigoris, non methodo Christi, gladio oris hostes necantis, sed *securitati* præjudicatis opinionibus indormientium pia excitatione oppositum! Inepte ergo sentiunt, qui subsidia paterna, asperitatis aliquid præ se inter amoris affectiones ferentia, filium ad patris commonefactionem audiendam attrahendi, pœnam interpretantur.

d) E *Polonia* & *Belgio*, quorum tamen plerique *Poloni* erant, & nonnulli quoque *Transsylvani*.

ſcher Weiſse ihren Irrthum bey der Jugend einſchleichen. Ob"
man wohl nun ſolches gænzlich nicht a) verhüten kan, denn man"
den Leuten nicht kan in das Herz ſehen, ſo wære doch vonnœthen,"
daſs ſo bald ſich einer in privata aut publica diſputatione & conver-"
ſatione Photinianiſcher Reden und Argumenten gebrauchen, oder"
Photinianiſche Bücher bey ſich haben würde, derſelbe alſobald"
darüber zu Red geſezt, und nach Befindung der Sachen von der A-"
cademie abgeſchafft würde. Zum andern, haben die Theologicæ"
Diſputationes nicht wenig Vrſach dazu gegeben, indem man die Ob-"
jectiones nicht ſufficienter hat kœnnen ſolviren, ja ſich ad abſurda"
treiben laſſen, b) nemlich offentl. zu bekennen, Deum Patrem eſſe"
genitum: Ex uno ſolo Scripturæ loco non poſſe Trinitatem doceri,"
und was dergleichen mehr ſeyn mag. Solche ſchædl. Diſputt. wer-"
den zu unterlaſſen, oder allein von denen anzuſtellen ſeyn, die da-"
zu gnugſam qualificirt. Zum dritten werden auch von dieſen be-"
kehrten Photinianern alle Photinianiſche geſchriebene und ge-"
druckte Bücher abzufordern, und ſie mit dem Juramento zu bele-"
gen ſeyn, daſs ſie deren keines, zu hinterhalten, noch einiges an-"
ders fürbaſs zu handen bringen und leſen wollen. Denn ob wohl"
unter andern Vrſachen ihrer Apoſtaſiæ ſie auch dieſe angezo-"
gen: Dieweil die Photinianiſche Bücher ſo hart verbotten, da"
man doch den Alcoran in œffentlichen Druck kommen laſſen,"
und den Pontificiis, daſs ſie die Evangeliſche Bücher zu kauffen,"
und zu leſen, den ihrigen verbotten, ſehr exprobrirt, und alſo"
das gemeine dictum bey ihnen ſich wahr befunden: Nitimur in"
vetitum &c. &c. ſo will es ſich doch nicht thun laſſen, nachdem"
ſie ihren errorem bekandt, ejus fomentum d. i. die Photiniani-"
ſche Bücher in Hænden c) zu laſſen. Zum vierdten wollen auch"

 die

a) In Academia publicaque ſchola, ad quam varii generis homines convolare ſolent.

b) Ita perhibebatur factum in Diſp. multoties citata *de SS. Trinitate* A. 1613. Reſpondente *Sauberto*, Præſide *Schoppero*. Vid. ſupr. c II. & I. Nec male etiam, utut de ſingulis accuſationibus dubia ſupereſſent, generatim & univerſe ex conſenſu fere omnium id colligi poterat; non omnino de nihilo fuiſſe, quod in Doctoribus etiam *Theologis t. t. Altorphinis* aliquid deſideraretur.

c) Donec videlicet, argumentis melioribus edocti, *e ſomno* aut lethargo quaſi expergefiant, & ad ſobrietatem aliquam mentis redeant. Præjudicatarum enim opinionum fomenta non minus convenit removere, tantisper certe, dum de veritate ſine anticipata opinione diſputandum eſt, quam morborum alimenta noxia, ubi corporis medicina cum fructu ſalutari ſit

„die Photinianische Stipendiaten das Juramentum, so sie auf unser „Normam doctrinæ geleistet, cavilliren, als haben sie nicht allein auf „die benannte Bücher, sondern insgemein auf alles, was der heiligen „Schrifft gemæss sey, dafür sie ihr Glaubens-Bekæntnus halten, gelei- „stet. Solcher Cavillation wird man zu begegnen, und das Jurament „mit Rath der Herrn Theologorum etwas besser und schærffer zu „clausuliren seyn. Wiewohl wenn einer nicht Lust hat dabey zu „bleiben, er sich mit dem aushelffen kan, quod juramentum contra „pietatem & bonos mores præstitum non sit obligatorium; Es wird „aber solch juramentum darum nicht einzustellen seyn, bevorab, die- „weil die Photiniani Fratres selbst bekennen, der Vogel und Peuschel „hætten übel geschworen, dessen sie selbst, politice zu reden, gestæn- „dig sind. a) Wann nun hiezu kommt eine fleissige und frequens „Examinatio der Stipendiaten, und sie auf die Aphorismos b) gewie- „sen, auch der Photinianismus in Prælect. publicis wohl refutirt wür- „de, c) ist zu hoffen, es soll sich der Photinianismus paulatim verlie- „ren. Damit man nun ein ernstlich Missfallen ob solcher Photinia- „nischen Schwermerey in gantz Teutschland bekannt mache, so „kan man ihre Bücher œffentlich zu Altorff verbrennen, d) und per „Proclama e) verbieten. Jedoch müssen die Bücher, so verbrannt „werden sollen, zuvor durch die Herrn Theologen ersehen, und ein „delectus darinnen gehalten werden, dass man der Sachen zu viel nicht „thue, und etliche Stænde, so im Articul de prædestinatione & Obe- „dientia, cæteris paribus mit ihnen f) übereinstimmen nicht offen- „dirt werden. Welches der Herrn Theologen discretion zu vertrau- en.

adhibenda, prohibentur. His ergo amotis sepositisque dubia, quæ animum excruciarent, exponendi non solum potestas haud est denegata, sed, ut candide promerent, qui male ipsos haberent, scrupulos, etiam imperatum. Et ipse quoque eventus providam hanc curam, non timidam, multoque minus crudelem fuisse, demonstravit. Neque unquam posthac, cum ad sanam mentem rediissent, hujusmodi libris destitutos omnino vixisse, aut, ut nullos unquam vel legerent, vel compararent, ipsis interdictum esse meminimus. Immo possedisse hæredes ipsi testari possunt.

a) Vid. supra hujus Cap. III. & Sect. ejus I. §. 4.

b) Quos p. p. exhibebimus descriptos, examina vero etiam diu post huc præcipue spectasse, ii, qui cum senioribus consvetudine vitæ familiari usi sunt, ex eorum narrationibus cognitum habuere, atque ad posteritatem hanc quoque prudentiam diligentiamque propagarunt.

c) Cui consilio inprimis Dispp. suas, & prælectiones *Christ. Matthiæ* & *Könitgius* accommodarunt: uti Vita scriptaque *Matthiæ* luculenter demonstrant.

d) Vid. §. 32.

e) Conf. §. 33.

f) In Eccl. Calvino-Reformata.

en. Anlangend nun die Seductores & perseverantes, dieweil sie bit-" ten, eines bessern sie zu unterrichten, mit Erbietung, alsdann von ih-" ren Irrthum abzustehen, so wird solches nicht længer aufzuschie-" ben seyn. Da sie sich nun bekehren sollten, müssen sie œffentlich zu" Altorff (da sie die Kirch geærgert) recantiren. a) Im wiedrigen Fall," und da sie nicht zu bekehren, so wüsten wir noch zur Zeit zu keiner" andern Straff, als dass sie über die vier Wald nach erstatteten ihren" Stipendio auf ewig relegirt, b) [dergleichen relegationes vor Jahren" sehr gebræuchlich gewesen] und ihre Bücher confiscirt und ver-" brennt würden. Denn kein ander Straff ist ihren Brüdern zu Ley-" den c) und an andern Orten angethan worden; Es wære denn Sa-" che, dass sie sich zu blasphemiren unterstehen würden: Alsdenn wæ-" ren sie nicht, ut hæretici, sed ut blasphemi am Leib zu straffen, wie" dem Michael Serveto begegnet d) ist. Dass der Peuschelius Deum Patrem Artaxerxen genennt, und die 3. Personen in der Gottheit die " Comœdianten &c. das hat er taliter qualiter entschuldiget, jedoch" ist hierüber auch der Herrn Theologen Censur vonnœthen. Vnd" dieweil noch mehr meiner Herrn Stipendiaten, als Georg Richter," an frembden Orten sich aufhalten, die mit dem Photinianismo auch" behafft, wird darauf zu gedencken seyn, wie denselben geholffen" werden mœchte. Wann nomine Theologorum Noribergensium" vel Altorffensium ein nervös scriptum refutatorium in teutscher" Sprach e) der teutschen Photinianischen Bücher, so unter den ge-" meinen Leuten spargirt seyn ausgieng, darauf man sich wohl zu ver-" lassen, solte es wohl zu Entschuldigung der Nürnbergischen Kir-" chen am dienstlichsten seyn. Wiewohl Sachsen auch nicht an al-" len

a) Conf. Cap. IV. §. 8. 9.

b) Vt vitari possent: Tit. III. 10. Quæ quidem disciplinæ potius, quam pœnæ nomine digna est, ne pars sincera trahatur, in futurum tempus cura.

c) *Ostorodo* puta & *Voidovio*, de quibus Cap. I. §. XII. & alibi passim.

d) De cujus supplicio ejusq; caussa, ex qua tantum invidiæ sibi attraxit *Calvinus* (ejusque discipulus *Theod. Beza*) Lib. qui *Defensionis orthodox. Fidei de S. Trin. contra prodigiosos errores Mich. Serveti Hisp. ubi ostenditur hæreticos jure gladii esse coercendos, & nominatim de homine hoc tam impio juste & merito supplicium sumtum esse*, titulum gerit, tantum videntur Consiliarii hi probasse, quantum prudentia suasit, blasphemumq; illi fuisse *Servetum* crediderunt. Quæ, ne allegatio hujus exempli illis fraudi sit, & in calumniæ materiam vertatur, dedita opera monemus.

e) Nihil hujusmodi, si a *Christ. Matthiæ* supra laudatis scriptis latinis discedas, lucem vidit, & fortassis *Refutatio Catechismi Racoviensis Balduiniana*, totius Vniverf. Witteb. nomine p. p. A. 1619. lingua vernacula & latina publicata, cujus spes jam diu ante facta erat, hunc defectum explevit.

„len Ort von Photinianern engel rein ist; andere Ort mehr zu ge-
„schweigen, die von den verhafften und arrestirten seynd benennet a)
„worden. d. 17. Junii. 1616.

J. C. Oelhafen &c.

Ita suam & procul dubio etiam Collegarum ICtorum cæterorum mentem prorsus eandem Vir prudentissimus exposuit, & in medium consuluit. Idque tanto cum applausu exceptum estResponsum, ut, quod ex sequentibus plane elucebit, in plerisque, ad hujus consilii ductum, deinceps negotium gravissimum peractum esse, observemus. Quam etiam ob rem id integrum cum L. B. typis excusum h. l. communicare placuit. Addita quidem fuit jam finito huic Responso asperior hæc Appendix, b) post verba: „Vonnœthen inserenda: Ob sie „nicht (zur Verhütung fernern Aergernuss in Christlicher Gemei„ne) mit ewiger Captur zu belegen, dahin Bechtius in Tr. de Securi„tate collimirt, weil sie gleichwohl geschwinde Kœpffe, und noch „grossen Schaden thun kœnnten, auch wohl etwann propter perju„rium dazu sie sich bekennen, um die 2. fœrderste Finger, und der „Peuschel um die Zungen kœnnte gestimmelt werden, damit sie er„fahren, quod Magistratui mutilatio membrorum sit permissa: Da„hin auch Philipp. Mel. und andere Consilia Theologica gehen, der„gleichen Exempel zu Zürch und Heidelberg hiebevor per ampu„tationem capitis wohl vorgegangen &c. Heic videntur omissa: c) „stelle ich dahin, und zu weitern Vberlegung aus - - - Vnd die„weil noch mehr &c. als Georg Richter &c. d) Sed quoniam neque approbata est ista severitas, neque etiam propter felicem omnium ad saniorem mentem reditum opus tanto rigore fuerat, sufficit paucis

a) Nihil hic addimus, sed ex superioribus quædam, &, quæ patria fuerit dicacissimorum ante & post *Socinum* Vnitariorum, animo reputari volumus.

b) Potuissent ea h. l. omitti, sed, ne qua fides nostra historica laborare videretur, neque improbata dissimulare voluimus.

c) Erat enim exemplar, unde descripsimus, hiulcum, & sensus incompletus, quem orationis ἀπόδοσις postulat: Nec satis certum est, utrum hæc privatam tantum meditationem præsertim, quod ne quidem integrum sensum fundunt, ICti hujus nobilissimi sistant, an Inclyto quoque Magistratui exhibita sint. Hoc indubitato scimus, consilium istoc paullo asperius probatum non esse.

d) Neque *Richterus* ergo, de quo alias pauca posthæc memoria sunt prodita, suæ relictus est menti, haud dubie adhuc perversæ, sed in peregrinis quoque terris videbatur *compellandus*. Quamvis, quid responderit iste, & a quo ad meliorem mentem revocatus sit, nondum explorare potuerimus. Rectius certe jam sentientem domum esse reversum, dubium non est.

cis & bona fide hanc quoque laciniam reliquis, ut nihil omnino integritati historiæ desit, attexuisse.

§. XXXII.

Quo facto jam nostrum erit, quæ consulta videbantur & probata, ea præsertim, quæ ad libros quosdam præ cæteris perniciosos Vulcano consecrandos pertinebant, quemadmodum *Altorphi* executioni mandata sint, & appropinquante *Festo* anniversario *Petro-Paulino*, inde ab Academiæ auspiciis sacro, effecta, a) jam sine mora accuratius enarrare. Quod, ut effectum demus, eum in finem libros *Socinianorum* omnes, quotquot conquisiti & præsto erant, Theologis primum traditos esse, accepimus, ut delectu habito, quinam comburendi essent in isthac annuæ festivitatis solennitate, vel retinendi, seu potius intemerati relinquendi, ab illis studiose dignosceretur. Impositum autem id esse munus, sicuti pleraque alia, cumprimis Antistitibus duobus Ecclesiarum parochialium, Laurentianæ videlicet ac Sebaldinæ, primariis, ex sequenti *Illustris Collegii Dominorum Curatorum Academiæ* decreto cognovimus.

„Herrn M. Joh. Fabritii und M. Joh. Schrœders Ehrwürden werden hiemit freundl. ersucht, beygelegten Extract der zu Hand gebrachten Photinianischen Bücher, so zum theil von Rectore zu Altorff überschickt, zum theil von Joh. Georg. Fabritio und Corn. Marci b) übergeben, wie auch die Verzeichnus deß Peuschelii Bücher ohnbeschwerth zu durchsehen, und diejenige zu notiren, so uf vorstehenden Festtag zu Altorff sollten verbrannt werden."

Signatum 26. Junii A. 1616.

Ipsi vero libri, qui ut obelo notarentur, exhibiti sunt, sequentes fuere:

PEVSCHELIANI

1. Vorstii Tract. Theologici. 2. *Refutatio Lib. Wujeki.* 3. Refutatio Goslavii contra Kekermannum. 4. Oratio Photinianorum ad Reg. Polon. Msc. 5. *Libellus de Obedientia Msc.* 6. Catechesis Soneri Germanica. c)

a) Eo quidem fine, ut detestatio hæreseos tanto celebrior redderetur, & apud vicinos externosque de factorum improbatione hoc luculentius omnibus constaret, quo plures, uti in ista panegyri quotannis fieri solet, etiam peregrini testes præsentes fuissent.

b) *Hic* enim *Noribergæ* tunc, ut supra audivimus, existebat; *Iste* vero quosdam secro aut domi suæ latentes, ipse coram in urbe Generosissimis Proceribus tandem exhibuerat.

c) Hic, fateor, mihi aquam hærere, ut, quia distinguitur *libellus de Obedientia*, a

COBIANI.

1) Prælectiones Theolog. Socini. 2) *Institutiones Ostorodi.* 3) *Dispp. Socini de Baptismo aquæ.* 4) Dispp. de Filii Dei natura contra Volanum. 5) *Catechismus Racoviensis.* 6) *Refutatio Thesium Graweri de Incarnatione æterni Filii Dei.* 7) *Refut. Thes. D. Schopperi.* 8) *Refutatio Smalcii ad scriptum Ravensperg.* 9) *Refut. disp. Graweri de Sp. S.*

CORNELIANI.

Comment. Socini in Epist. I. Johann. *Tr. Socini de Deo, Christo & Sp. S.* Christ. Ostorodi Institutiones German. *Dispp. Socini de Loco Pauli Rom. VII.* Disp. de Statu primi hominis. *Lib. Smalcii de Divinitate Christi.* *Das geschriebene Buch von den Kennzeichen der falschen Lehrer.* Refut. Smalcii Thesium Graueri. *Ref. Ejusdem oppos. Thess. de Vnitate Essentiæ divinæ.* Refut. Ejusd. contra Disp. Graueri de Sp. S. Resp. Ejusd. ad Scriptum Ravensperg. Parænesis Reuchlini ad Isaacum Casaubon. *Discursus de causa, ob quam creditur, aut non creditur Evangelio.*

FABRITIANI.

Prælectiones Socini. *Disp. Socini de Statu primi hominis.* Disp. An renati possint non peccare? *Ostorodi Vnterrichtung.* *Etl. Tractætl. Socini beysammen gebunden.* *LL. Socini de Servatore Christo.* Explicatio cap. VII. ad Roman. Qui linea subducta signati erant, a) sine dubio flammis traditi & deleti fuere; utut ex sequenti Catalogo nonnulli etiam accesserint, e quo tamen non perinde, ut in prioribus, quibus eadem fata acciderint, determinato indicare possumus. Supererant nimirum b) ex

PEVSCHELIANIS

Vorstii Parænesis ad Sibr. Lubbertum: Ejusd. Resp. ad Disp. Sladi: Ejusd. Theologicæ & Apologeticæ Theses: Ejusd. Apologiæ de Ecclesiis Orthodoxæ: Examen rationum, quibus defenditur τὸ ῥητὸν in S. Cœnæ Dominicæ verbis: Concordanz deren, so die Welt Catholisch,

Soneri Catechismo, ne nunc quidem, quis libellus ille fuerit, intelligam, omnesque proinde Hist. Eccl. & patriæ Fautores, ejus si exemplar possideant, obscurissimi opusculi, ut copiam istius mihi facere ne graventur, iterum iterumque publicitus rogo.

a) Alioque typorum genere, quod vulgo *cursivum* vocant, h. l. impressi.

b) Selecti, inquam, ut mandatum erat & sejuncti a prioribus, tanquam *Reformatorum* potius, quam *Socinianorum* hypotheses defendentes: in quibus & ipsi *Vorstiani* adhuc numerati sunt, cujus tunc temporis adhuc, quo referendus esset, ambigua erat conditio. Quanquam ne nunc quidem, ut supra docuimus, cujas fuerit, certum sit.

tholiſch, Lutheriſch und Calviniſch nennet: Quæſtio: utrum corpus Chriſti objiciatur externis actionibus Cœnæ Dominicæ.

Ex Cobianis

Liber de S. Scriptura & alia Miſcell. De Satisfactione Msc. Miſcellanea Vorſtii. Diſp. a) inter Doxaſten & Philalethen Msc. Adverſaria Theologica Msc. Hiſtoria Eccleſiaſt. Msc. Phraſes V. & N. T. varie uſurpatæ Msc. b)

E Cornelianis

Liber variarum quæſtionum & explicationum de Deo & Chriſto. Vorſtii Paraſceve ad Collationem cum Piſcatore Msc. Faſciculus aliorum Msc. Epiſtola Crellii Msc. c)

Videntur tamen ex horum quoque numero non pauci cæteris prioribusque adjecti, & poſtquam altera manus, primis lineis jam ductis, acceſſerat, tandem igni deſtinati; ita enim ſequens p. p. edictum publicum perhibet faciendum. Quibus acceſſere Manuſcriptæ epiſtolæ, unde formulæ, & nomina, interque ea quædam blasphemiis ſimillima, antehac cognita erant; eo quod aliquorum nihil præterquam apographa ex ipſa poſſeſſorum manu, aut excerpta duntaxat perpauca ſuperant. Additam quidem aliam, præter illum priorem indicem, vidimus ſchedam, cui ſequentia inſcripta erant:

Catalogus Librorum & Tractatuum noſtrorum.

Socini; *L. de Jeſu Chriſto Servatore contra Covetum.*
De Statu primi hominis ante & poſt lapſum contra Puccium.
De divinitate Jeſu Chriſti & Sp. S., contra Bellarminum & Wujekum, Jeſuitas.
De unigeniti filii Dei exiſtentia contra Eraſmum Johannis Arianum.
Comment. in Cap. VII. Epiſt. Pauli ad Romanos.
De Deo, Chriſto & Spir. S.
De Eccleſia: De Baptiſmo aquæ.
De Magiſtratu Politico contra Pædagogum. d)
Prælect. Theologicæ.

a) De qua conf. Cap. I. §. 16.

b) Compara Cap. I. §. 27.

c) Quo fato *Vogeliani* inter hos nulli omnino compareant, ſed ab ipſo poſtea divenditi ſint, (Vid. c. IV. §. 12.) nos plane fugit, & admirationi ſemper fuit.

d) *Palæologum*, legere oportet; contra quem hic L. in Opp. *Socini* ſcriptus habetur.

De Jesu Christi filii Dei natura seu essentia } *contra Volanum.*
De Peccatorum per ipsum expiatione }
De J. C. invocatione contr. Franc. Davidis.
Tr. de Auctoritate Script. S.
De Justificatione.
Quod Evangelici se debeant adjungere nostris: &c. Discursus brevis de fide & incredulitate: Comm in I. Epist. Joh. &c.

Ostorodi *Confession oder Vnterrichtung der furnehmsten Articeln der Christl Religion.*
Von der Gottheit J. C. Disp. wieder D. Tradeln.
Examen, welche da seyen die den Herrn Jesum verlaugnen
Apologie contra Decretum Ordd. Holland. Lateinisch und Niederlændisch.

Val. Smalcii *Lib. de divinitate Christi: Erklærung über das I. Cap. Joh.*
Refut. L. Smiglecii, Jesuitæ, cui tit. fecit; Nova monstra Arianismi novi.
Resp. ad 100 errores, quos Smiglecius ex L. Smalcii excerpsit.
Resp. Disp. quam D. Grauerus habuit de Sp. S.
--- Disp. ejusd. Graueri de Persona Christi.
Refut. Thesium Jac. Schopperi de Vnit. divin. essent. & Trinit. Personar. in eadem.

Libellus contra Kekermannum Th. Pisecii.
Resp. ad rationes Campiani; Georgii Enjedini &c. Explicationes LL. V. & N. T. quibus Trinit. dogma stabiliri solet.
Andr. Dudithii Consil. Cæsar. epistola ad Joh. Lasicium e Polon. de divin. Triade.
Catechismus Racoviensis, Lateinisch und Teutsch.
Defens. Tr. Socini de Eccles. contra Andr. Miedribosc. Pontific.
Refutatio Libri ejusd. Jesuitæ, cui tit fecit: Verbum caro factum est.
Refut. Tr. Borkowsky, quem de Eccl & Ministrorum Vocat. scripsit contra Socinum & Theophilum Nicolaidem.
Refut. Thesium de incarnatione filii Dei.
Refutatio Thesium Franzii pro Articulis August. Confess.
De loco Joh. VIII, 58. & X, 30. contra Herm. Ravensberger & Jac. ad Portum.

Joh.

Joh. Volkelii *Dissolutio nodi Gordii, a Smiglecio Jes. nexi.*
Parænesis ad Isaacum Casaubonum.

Fricii, *Secretarii Regii, Sylvæ &c.* *Matth. Czechovitii de Pædobaptistarum erroribus &c.*

Cui Catalogo hæc verba subscripta fuere:

Sunt præter hos & alii plures, quorum titulos & authores nunc recensere non possum. Sunt in Lingua Polonica editi non pauci, Polemici, Didascalici, Exegetici: Novum Testam. a nostris in Linguam Polon. translatum, sunt & aliquot MSSti nondum excusi. Sed a quo isthæc profecta sint, & quem in finem ita consignata traditaque fuerint, nondum hariolari potuimus. Hoc tamen certum est, hos non eo fine consignatos fuisse, ut comburerentur, sed a *Sociniano* quodam, ut novis advenis ad notitiam librorum comparandam inservirent: Addita enim erant verba: *Photinianorum in urbe Dantiscana Mystagogus D. Rodenburgio subministrabat.* Vtut sit, omittere tamen neque hos voluimus, ut, quo apparatu instructi fuerint νεόφυτοι, appareat. a) Plura definire non possumus; atque hinc ad ipsum potius combustionis actum animum calamumque convertimus, qui ipso die festo, S. Apostolorum, Petri & Paulli, memoriæ sacro, hoc eodem anno perpetratus est *AltorphI*; eo modo, quo *Andr. Dinnerus* JCtus, in *Fama Altorphina*, b) & *Mich. Piccartus*, in epistola ad *Kirchmannum*, ambo præsentes & αὐτόπται describserunt. Quorum ille: *Tametsi & aliis rebus*, scribit, *plurimis, Prudentissimi Domini Scholarchæ palam mundo fecerunt, se non alia-*

a) A *Vogelio* vero traditum esse hunc Indicem conjicimus, quia cum Rodenburgio eum Wittebergæ intimam amicitiam coluisse, ex Philotheca *Vogeliana* didicimus. Ipsum vero hunc *Rodenborchium, Antwerpianum*, & Humanitatis *Poëticæ* in Vniverf. Witteb. *Prof. P.* fuisse, atque pro summis in Theol. honoribus Disp. sub præsidio *B. Meisneri* de Confictis Relig. Papist. Fund. XII. A. 1615. defendisse, conjicimus.

b) Impressa est hæc *Fama* pro abstergenda *Acad. Altorph.*, de Socinismo illic promoto, infamia, ad modum epistolæ, & *Jac. Schoppero* Rect. t. t. Acad. nuper creato inscripta, impressaque Noriberg. 4to A. 1616. Quæ citantur a nobis, leguntur D. i. (b) Cætera autem, si spatium forte id permittat vacuum, ad operis hujus calcem exhibebimus. Totam enim epistolam prelo iterum subjicere h. l. non duximus operæ pretium: quoniam pleraque verborum magis ornamentis, quam rerum ponderibus, si ab illis discedas, quæ paucis heic exscripta dedimus, constant. Ea vero, quæ historiam illustrare deberent, *mysteriis* similiora apparent, quam narrationi perspicuæ. Vnde & nostrum erit, illam, si denuo ad colophonem imprimatur, annotationibus quibusdam, ubi obscura est, dilucidare, atque alia quoque nonnulla, quæ momenti aliquid trahunt, subinde addere.

aliarum rerum, quam retinendæ in Ecclesiis & scholis veritatis Evangelicæ esse studiosiores. Vt enim rescripta eorundem taceam, quibus superiori Rectoratu (annuo ab anno 1615. usque 1616. d. 30 Junii) *hæresis diabolica fere jugulata est: Quale nuper spectaculum forum oppidi nostri præbuit, cum iisdem mandantibus & adstantibus, magna Nobilissimorum & Doctissimorum hominum caterva stipante, majori hospitum & peregrinorum circumfusa multitudine, ipso die Academiæ hujus natali & præcone ex Curia superindicente pseudotheologorum istorum libri concremati sunt? Cujus incendii flammam quidam ex adstantibus tam alte adscendisse affirmabat, ut ex ipsa Sarmatia atque Belgio conspici potuerit.* Hic vero in epist. laudata aliquanto dilucidius: a) *Nova hic nulla habemus*, inquit, *quæ te lateant, nisi id forte novum Tibi sit, quod pridie Kalend. Jul. in ipso Academiæ natali & festivitate annua in publico foro oppidi nostri circumstante Amplissimo Scholarcharum ordine & plerisque Reipubl. nostræ Senatoribus, & præterea corpore Academico, & magna hospitum caterva peregrinorumque concursu libri Photinianæ insaniæ, reperti apud nostros malefascinatos adolescentes, concremati sunt, interveniente voce præconis, quæ impietatem illam dejerabat, & omnes ejus fautores complicesque exesse & ditione nostra excedere serio jubebat, idque brevi.* Cui epistolæ, ad amicissimum *Kirchmannum* b) datæ, illico subjicimus eam, qua idem Vir celeberrimus humanissimusque b. *Piccarto* respondit. Nec alium, cum & ipse incendii hujus solemnis in ea mentionem denuo injecerit, atque de *Ruaro* quoque plura commemorarit, eidem c) locum concedere licuit:

Michaeli Piccarto

S. P.

Joh. Kirchmannus.

Binas a te hac æstate accepi litteras, unas a Grünewaldio nostro, alteras, ni fallor, a Patre Buschii, quem posterioribus litteris meis tibi commendaveram. Vtræque sane fuere mihi gratissimæ; cum testentur, te in pristino tuo adversus me amore constanter perseverare. Nec est, quod de meo animo dubites, quem tibi devotum polliceor, donec in hoc domicilio diversabitur.

a) Quæ in Fascic. *Gudianarum* a P. *Burmanno* evulg. est ordine *centesima & octogesima quarta.* f. 257.

b) *Rect.* t. t. *Lubecensem* & litteratorem clarissimum, de quo Cl. *a Seelen in Athen. Lubec. & Wittenii memoriæ Philosoph.* consuli possunt.

c) S. Rev. Viri I. M. *Krafftii* Husumens. Eccl. Ephori benevolentia ad me transmissæ, cujus αὐτόγραφον cum plurimis aliis *Kirchmannianis* idem Vir Celeberr. asservat.

bitur. De Martino Ruaro, quæ ſcribis, invitus intellexi. Is mihi ante paucos dies adfuit, cum rediret ex Belgio, quo a tutoribus diſcipuli miſſum ſe adfirmabat, ad faciendum funus Erneſto Ludovico a Burgſtorff, qui Lugduni Batavorum diem ſuum obierat, cui etiam Heinſius noſter eleganti oratione parentavit. Diſerte ipſi ſignificavi, famam pasſim vociferari, ipſum in caſtra Photinianorum concesſiſſe: me quidem tale quid de ipſo non ſperare, ſed tamen multa eſſe, quæ me moveant, ut famæ publicæ fidem habeam. Reſpondit, in ſua poteſtate non eſſe impedire, quo minus homines hoc vel illud de ſe ſentiant, vel loquantur, ſe huic culpæ affinem non eſſe. Auctorem hujus famæ appellabat quendam Livonum, qui juſſus ſit a, neſcio quo, Profeſſore Academiæ Regiomontanæ argumenta Photinianorum conquirere, atque hac in re ſe Livono illi operam navaſſe. Recte autem & laudabiliter fecit Senatus Noricus, qui hujusmodi libros peſtilentes publice cremari, & impietatis Photinianæ Sectatores e ditione ſua excedere per præconem jusſit. Male enim audire jam Veſtra Academia hoc nomine cæperat, & fuit mihi id ipſum a Primariis Viris objectum, cum quibusdam Studioſis auctor eſſem, ut ad vos ſtudiorum cauſa ſe conferrent. Nunc hac ratione ſpero, ſiniſtram illam famam brevi refutatum iri, & laudavit hoc Senatus Veſtri factum noſter πρωτεκκλησιαστής a) *cum ex litteris tuis, quas ei legendas dederam, hoc intellexiſſet. Syntagmati noſtro de ANNVLIS* b) *nondum potui extremam manum addere. Ita alia atque alia occurrunt, quæ mihi moram injiciunt. Obſervationum tuarum Hiſtorico-Politicarum Decades poſteriores avide exſpectamus. Vale, mi Piccarte, & me, quod facis, amare perge. Dabam Lubecæ 30. Aug. A. 1616.*

§. XXXIII.

Sufficere hæc poterant ad qualemcunque deteſtationis publicæ adverſus diram hæreſin, ſolemniter editæ, enarrationem. At enim, ne quid deſiderari posſit, quod illuſtrare hiſtoriam ad omne ævum memorabilem queat, agedum ſubtexemus & ipſum *Illuſtris Senatus* edictum, ex publico loco, antea, quam flamma libris iſtis ſubjiceretur, recitatum, c) quod ita habebat:

„Nachdem ein Edler Ehrnveſter Rath der Stadt Nürnberg“ ganz ſchmerzlich, und mit ſondern Miſsfallen und befrembdung“ ver-

a) *Dieſer war damabls der Herr* Superintendens M. Joh. *Stampelius*: Verba repeto a Cl. *Krafftio* ſua manu ad marginem adſcripta. Vnde, quanta fuerit Altorphinæ Acad. ex iſta lue animorum occulte ſerpente infamia orta, quantave lætitia ejus ſolennis depulſio excepta ſit, cum ex ſuggeſtu quoque ejus rei fieret mentio, elucet.

b) Notum vero eſt, A. 1623. demum id lucem tandem adſpexiſſe.

c) Ex *curia* prælectum; teſte *Dinnero*

„vernommen, welchergeſtallt eine zeitlanghero ſich etliche fremb-
„de Studioſi, inſonderheit aber ihrer Herrlichkeiten Stipendia-
„ten und Burgers - Sœhne, ſo ſie auf hieſiger Academien zu Al-
„torff, und andern Orten, mit nicht geringen Vnkoſten, und an-
„ſehnlichen Stipendiis unterhalten pflichtvergeſſener, vermeſſe-
„ner und hœchſtræfflicher Weiſe unterſtanden, ſich nicht allein
„für ihre Perſon, der verfluchten Gottslæſterlichen, und vor længer
„den tauſend Jahren, ſo wohl aus dem Grund heiliger gœttlicher
„Schrifft als auf den allgemeinen Conciliis, und in denen darauf er-
„folgten Conſtitutionibus Imperii, verdammten ſchrecklichen Keze-
„rey deſs Photinianiſmi von neuen anhengig und theilhafftig zu ma-
„chen, und ſolchen Schwarm ganz verſchlagener, heimtückiſcher
„und meuchliſcher a) Weiſs unter andern ihres gleichen Studioſos
„einzuſchieben, und dieſelben damit zu vergifften und anzuſtecken,
„dadurch dieſer ihrer Academie, ſo wohl auch gemeiner Stadt Nürn-
„berg, und derſelben biſshero wohlhergebrachten Chriſtlichen evan-
„geliſchen Kirchen-Lehr. ſowohl bey Aus- als Innlændiſchen eine ganz
„beſchwerlich, unverſchuldte Mackel und Schandfleck anzuhængen;
„Ihren Herrlichckl. aber als einer von GOtt verordneten Chriſtli-
„chen Obrigkeit, ampts halber in allweg obliegen und gebühren will,
„dieſem ſchændlichen Irrthum, alles getreuen Fleiſs und Eifers, ſo
„viel immer mœglich, vorzubauen und abzuwehren: Alſo ſeyen die-
„ſelben nicht unzeitig bewegt und verurſacht worden, die Autores
„und Stiffter deſſen, nicht allein zu gebührlicher Verhafft zu bringen,
„ſondern ſeyen auch bedacht, ſolche ihrem Verdienſt nach mit ge-
„bührender Straff, b) andern zu einem Abſcheu und Exempel anzu-
„ſehen. Vnd dieweil bey denſelben allerhand verdæchtige Schriff-
„ten und Bücher, dadurch dieſes hochſchædliche Gifft leichtlich
„weiters propagirt und fortgepflanzt werden mœchte, gefunden wor-
„den; Alſo iſt wohl gedachtes eines E. E. Raths ernſtlicher Befehl, daſs
ſolche,

præſente: cujus paullo ante verba exhibuimus.

a) Hæc, ut verisſima erant, ita procul dubio explanate addita ſunt, ne qua in ipſos *Illuſtres Acad. Nutritores* aut *Profeſſores* etiam, rerum harum per cuniculos agitatarum ignarisſimos, culpa redundare putaretur incuriæ vel ſomnolentiæ. Certe *illico, ut apparuit ſerpens, Hieronymi* verbis utimur, *contritum fuiſſe*, hactenus dicta dilucide oſtendunt.

b) Quæ pœna, ſi *perjuri*, præter errorem, contumaciam quoque, (de qua nondum omnino conſtabat, quia colloquii exitum nemo præſtare poterat) addidiſſent, haud dubie gravior infligenda, quanta ſit gratia, cum ad ſaniorem mentem rediiſſent, laudabiliter temperata, mox commonſtrabimus.

ſolche, ſo viel deren a) zu dieſem mahlen kœnnen zu Hand gebracht "
werden, alsbalden ins Feuer geworffen, und œffentlich verbrannt"
werden ſollen. Mit der ernſtlichen Verwarnung und Erinnerung,"
daſs hinführo alle dieſer Academien verwandte und zugethane, ſo"
wohl gegenwærtige als zukünfftige, wie auch alle deroſelben Bürger"
und Vnterthanen, ſo ihrer E. Jurisdiction unterworffen, ſich nicht"
allein dergleichen, und anderen Sectiriſchen Schrifften und Bücher,"
ſondern auch aller derjenigen, ſo ſich zu denſelben bekennen, und"
allhier und anderswo unter die Leut einzuſchieben unterſtehen"
werden, gænzlich enthalten, und ſich vor ſollichen ſchædlichen Irr-"
thum und Seelen-Gifft, ſo lieb einem jeden ſeiner Seelen Heil und"
Seeligkeit iſt, zum fleiſſigſten hüten und vorſehen ſollen. Da auch"
jezo dergleichen Perſohnen allhie vorhanden, oder ins künfftige"
hieher gelangen ſollten, iſt eines E. Raths entlicher Befehlch, daſs die-"
ſelbe nicht gedultet, ſondern ſich den nechſten, und ungeſaumbt"
von hinnen weg begeben ſollten. b) Wo ſolches aber nicht geſche-"
hen, und hierüber jemands, der mit dieſen abſcheulichen Gottslæ-"
ſterlichen Schwarm behafftet, oder andere Leut damit zu inficiren"
und zu verführen, œffentlich oder heimlich ſich unterſtehen würde,"
erfunden werden ſollte, gegen dem oder denſelben gedenckt ein E."
Rath mit gebührlichen Ernſt und Straff jederzeit unnachlæſſig zu"
verfahren. Darnach ſich mænniglich zu richten, und vor Schaden"
und Nachtheil wird wiſſen zu verhüten. *Publicatum Altorffii in Feſt.*"
SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Anno Chriſti 1616."

Non arbitror, neceſſarium eſſe plura ad hoc negotium ſolenni ritu confectum commentari; præterquam illud, quod obſcurum ſit, cujus opera libri iſti in ignem conjecti in fumos abiere. Nusquam enim adhuc invenire potuimus: Vtrum carnificis, an lictoris, aut apparitoris cujusdam c) miniſterio id effectum ſit, quod ad deteſtationem impietatis fieri publica præconis voce jubebatur. Neque etiam mul-

a) Hinc, *omnes* fuiſſe in cineres redactos, non obſcure efficitur; cum delectus ab initio putaretur habendus. Ex eo certe tempore libri *Socinianorum* magis, quam alibi, in his terris rariſsime conſpecti fuere, MSta autem, ſive libri id genus ſive epiſtolæ, ne nunc quidem, niſi aliunde recens coemta, in his locis comparent.

b) Exemplum p. p. commemorabimus: unde, non fuiſſe hæc fulgura ex pelvi, patebit.

c) Idque multo quam prius veriſimilius eſt. Nondum certe vidimus documentum, quo perſona, cujus miniſterio uti placuerit, explanate determinata ſit: præter Chronicon aliquod MStum, in quo *der Stadt-Knecht & Schergen* nominati ſunt.

tum refert, circumſtantiam hanc perexiguam noſſe. His igitur in medio relictis, carminis duntaxat alicujus, in illud incendium ſcripti, mentionem facere lubet, cujus *M. Wolffg. Waldungum*, a) Phyſ. Profeſſorem, autorem eſſe cognovimus. Id, quia breve eſt, L. B. non invidebimus:

Quæ ſacra pervertunt corrumpunt & labefactant
Dogmata ſcripta manu, publica facta typis:
Hæccine nunc maneant ſub dio gloria firma?
Vir pius ex animo ſupprimit hæc potius.
Aſt hoc ipſa patrant mala dogmata ſparſa Photini:
Involvunt tenebris lucida verba Dei
Et miſere lacerant veracis dicta Jehovæ
Diſpoliant ſenſu Biblia tota ſuo.
Igni cur rapido conſumi non mereantur
Perdita quæ flammis aera pervolitent?
Corripitote proinde Volumina quotquot habetis,
Edita Socino complicibusque ſuis.
Tradite Vulcano, perdantur ut igne voraci
In Cineres abeant, quæ nihil eſſe juvat.

Plura quidem hujusmodi ingeniorum exercitia ab aliis tum temporis concinnata evulgataque b) ſunt, ſed compendioſius illud, licet forte verſu aliis haud antecellens, ſufficiat produxiſſe; quum ad reliqua pergendum ſit, eaque non minoris momenti in cauſſa ancipiti, Clementiæ Divinæ atque providentiæ *Noribergenſis Reipubl.* illuſtria documenta.

§. XXXIV.

In his prima fuit, quam primum *Altorphio* in urbem rediiſſent *Illuſtres Curatores Academiæ*, cura, ut, qui ſupereſſent e peregrinis Studioſis huic hæreſi addictis, quemadmodum ſignificatum erat præconis voce, eliminarentur, tum vero etiam ut *Dümleri* fugitivi perfidia c) publica aliqua notaretur ignominia, ac denique, quæ pro expur-

a) Hujus enim nomen noſtro exemplari MSℭto ſubjectum invenimus. Quem *Med. D.* fuiſſe, *Phyſicen* autem h. t. ſexagenario majorem, (natus enim eſt *Noriberg.* A. 1554. denatus autem A. 1621.) *Altorphi* publice docuiſſe, alibi, niſi fallimur, monuimus. Nunc ex ſolo fere de *Natura Leporum* Lib. ſeu *Lagographia* Amberg. A. 1619. 4ta forma impreſſa inclaruiſſe addimus.

b) Inter quæ *Höfflichianum* primas tenet, *Famæ Acad. Altorphinæ a Dinnero* ſub id tempus ſcriptæ ſubtextum, quod ad calcem hujus operis hiſtorici recuſum legere licebit, ſi volupe eſt.

c) Perfidia, inquam, non hæreſis per ſe conſiderata.

expurgando fermento ſolemniter actitata eſſent, per orbem univerſum latius certiusque divulgarentur. Qem in finem ſequentes litteræ ad *Rectorem Academiæ* nuper admodum creatum *D. Jac. Schopperum* Senatumque ampliſſimum Athenæi Norici datæ ſunt, quibus illa omnia ſerio & diſtricte imperabantur.

Vnſer freundlich Dienſt zuvor,"

Ehrwürdiger und Hochgelehrter, Lieber Herr und Freund!"

Ihr habt euch zweiffels ohn zu errinnern, daſs dieſer Tagen, als" wir drauſſen bey euch geweſen, anregung beſchehen, daſs Senatus" Academici nomine, deſs Photinianiſmi halber ohngefehrlich des" Inhalts; wie, *forte (über)* das Mandat, ſo von eines E. Raths wegen," iſt verleſen worden, auch ein Programma angeſchlagen werden ſoll." Dieweil es dann nochmals ein Nothdurfft zu ſeyn erachtet wird," alſo wollet daſſelbe fürderlichſt zu Werck zu richten nicht unter-" laſſen. Nachdem auch Nicolaus Dümler geweſener Studioſus, wie" euch unverborgen, contra datam fidem, a) flüchtigen Fuſs geſezet," und, wie man ſagt, Vrlaub hinter der Thür genommen; Iſt ferner" unſer Befelch, daſs ihr denſelben zugleich cum infamia relegirt." Wollten wir euch, denen wir mit günſtigen Willen gewogen, nicht" verhalten. Datum Nürnberg Samſtag den 6ten Julii A. 16.6."

Has vero, quia in ſuperiori edicto ſecedere ex Academia ſevere mandatum fuerat *Sociniſmo* deditis quibuscunque, atque *Samuelem Przipcovium* b) adhuc perſeverare in Altorphina Vniverſitate fama ferebat haud vana, mox alteræ litteræ ſubſecutæ ſunt, *d.* 8. *Julii*, ab eodem *Inclyto Ordine* ad *Rectorem Magnificum* datæ, in quibus repetita quidem fuit de *Dümlero*, e civium numero expungendo, mandatum, ſed ſimul injunctum eſt, ut cum *Samuele* illo *Przipcovio* de *Przipcowyce* c) amice de diſceſſu ſponte ſua ſuſcipiendo ageretur: Cujus abitus

a) En denuo cauſſam accurate definitam! Neque enim ignotum eſt, in violationem *liberalis cuſtodiæ*, quam liberam etiam *Livius* vocat, ſecundum omnium fere Academiarum ſtatuta, graviſſimis pœnis animadverti.

b) Ad quem nuper admodum *Chriſtophorus Przypkowsky* die XX. April. (frater, an cognatus duntaxat, incertum eſt,) acceſſerat: cujus tamen nulla in iſtis motibus alias facta eſt mentio.

c) Is enim hac tempeſtate litterarum ſtudiis operam adhuc h.l. navabat ultra ſecundum jam annum, & in tertium usque hujus Academ. Civis, gente Polonus, dignitate Eques, ingenio politisſimus, adoleſcens doctrinæ exquiſitæ, ſed religione *Socinianus*; quanquam poſt id tempus in quibusdam ab hujus ſectæ placitis, præſertim de *Bellis, Magiſtratu* & ſimilibus, diſceſſerit, atque hinc, quod addictus in verba Magiſtri jurare ſemper noluerit, promeritus, ut ra-

tus etiam, rebus interea bene deliberatis, & insuper habita ejus aliorumque excusatione, a libertate Academica desumta, tandem sine longa mora secutus est. Idemque fatum & reliquos hinc inde adhuc latitantes *Socinianos* illico mansisset, postquam Generosissimus, ad funus *Scipionis Gentilis*, defuncti, designatus h. t. Legatus, *Dn. Leonhardus Grundherr*, coram se totoque Senatu Academico, eam ob rem convocato, die XII. Augusti eos comparere jusserat, nisi ipsi id remorati fuissent. Quamvis enim lubentes confessionem *Socinismi* edidissent cuncti, atque hinc statim rebus compositis migrare ex Academia imperatum illis esset; tamen semel iterumque, litteris supplicibus *Noribergæ Inclyto Senatui* traditis, gregales illi *Poloni* superstites, *Siennii* potissimum dignitate muniti, atque ipse adeo *Jonas Slichtingius* etiam, cum cæteris dilationem aliquam sibi exorarunt. Post varias namque consultationes hæc tandem finem fecit difficultatibus istis epistola, ab iisdem *Curatoribus Generosissimis Altorphium* scripta:

„Unsern freundl. Dienst zuvor
„Ehrwürdiger, Hochgelehrter Lieber Herr und Freund.
„Was Herrn Zbygneo a Siennio Sienniensky und etlichen andern „Studiosis uf der unlængst ihrenthalben fürgegangenen Inquisition „für ein Bescheidt erfolgt, was ihnen auch auf ihr darauf beschehe„nes Fürbringen und Ansuchen dabeneben angedeutet worden, dessen

rius in cæteris *Socinianorum* scriptis, & *Wissowatii* præsertim vita, ubi rerum variarum etiam quisquiliæ alioquin congesta sint, ejus mentionem factam existimet *Præf. Opp. Przipcovianis* præscriptæ *Auctor*. Qui tamen, cum acu fortassis hactenus rem tetigerit, in eo hallucinatus est, quod annos XVIII. plus minus nato *Dissertationem de Concord. Eccl.*, quæ A. 1628. lucem vidit, nec non *Apolegeticon* adverf. Satyram *Dan. Heinsii: Cras credo, bodie nihil;* in Remonstrantes & Sarmat. Eccl. mordaci sale scriptam, non ineruditum tribuit; cum tamen posterius hoc opusculum diu *post Dordracenam Synodum*, cujus *Samuel*, ut pridem habitæ etiam meminit, publicatum sit; prioris autem ætatem ipse, quem titulus præfert, annus prodat, rationibusque initis, h. t. triginta eum amplius jam annos habuisse, certum sit. Quandoquidem, A. 1670. d. 19. diem supremum in Borussia obiisse octogenarium, in confesso est; nostraque hæc qua ut adolescens jam A. 1614. Altorphium venit, historia magis confirmat. De cæteris, nominatim rebus in toga sagoq; ab eo gestis, honoribus item *Consiliarii*, in aula *Janusii, D. Radzivilii*, & deinceps *Elect. Brandenb. Frid. Wilhelmi*, nec non exilio, eoque suscepto & vita *Regiomonti* exacta, scriptis denique ingeniosis & ἐκλεκτικόν τι olentibus, nihil est quod addamus: quoniam cum Operibus A. 1692. Eleutherop. edita Præfatio de his omnibus copiose differit. Nobis in præsenti, ubi studia Academica, post fundamenta in patria posita, tractarit, heic annotasse sufficiat. Ex quibus & ea, quæ Cap. I. §. extremo dicta sunt, lucem accipient.

ſen werden ſich E. Ehrwl. noch zu berichten wiſſen. Wann ſie" denn nach ſolchem drey a) unterſchiedliche Schreiben an E. E. Rath" unſere groſsgünſtige Herrn gethan, und ein vierthel Jahr Zeit ge-" betten, Ehrngedachter ein E. Rath auch ihnen biſs auf Allerheiligen" künfftig zu Altorff zu verharren erlaubt, doch daſs ſie ſich ſtill und" eingezogen verhalten, und in Religions-Sachen niemands ærger-" lich ſeyn; Alſo wollet die bewuſte Perſonen für beſcheiden, und" denſelben mehr ermeldtes eines E. Raths Reſolution uf angeregte" unterſchiedliche Schreiben anzeigen. Dabeneben auch mit Fleiſs" eingedenck ſeyn, da hinfürter dergleichen verdæchtige Perſonen" bey euch ankommen ſollten, dieſelbe ehe ſie der Matriculæ einver-" leibt worden, ihrer Religion halben befragen, und da ſie ſchuldig" befunden werden, in numerum Studioſorum nicht receptiren, ſon-" dern mit Glimpff abweiſen. Wollten wir euch, denen wir freund-" lich zu dienen willig, nicht verhalten. Datum Nürnberg, Frey-" tag den 23. Auguſti A. 1616."

Quemadmodum vero ingens *Illuſtris Senatus Norici* ſolicitudo, de Academia ſua & Eccleſia immuni ab omni contagio atrociſſimi erroris præſtanda, ex hiſce in medium adductis monumentis luculentiſſime patet: ita, quinam teſtes adfuerint ſuperiori feſto actorum, ignisque accenſi, haud proletarii ſcilicet, & nonnulli in his *Socinianæ* ſectæ facti poſthac, ſed frementes tunc, promachi, b) exinde quoque manifeſtum eſt. Atque ita res geſtæ ſunt, cum de removendis *Socinismi* ſuſpectis ex Academia Norica deliberaretur. Vtrum vero A. 1616. demum XXX. Studioſi de illa tetrica hæreſi accuſati, eorumque omnium libri combuſti, atque ipſimet in cuſtodiam conjecti,

a) Vel hinc apparet, quanta animi contentione ac pæne importunitate moram ſibi aliquam concedendam iterum iterumq; oraverint homines iſti maleferiati, & quam difficulter indulgentiam *Illuſtris Senatus* impetraverint, juſtis tamen limitibus circumſcriptam. Quem rigorem etiam rerum circumſtantiæ a *prudentiſſimis Patriæ Patribus* & Eccleſiæ Nutriciis exigebant.

b) Quorum *alterum* ſupra jam hiſce conſiliis indignatum audivimus; de altero vero, *Przipcovio* inquam, tanto minus, eodem animo fuiſſe, dubitamus, quanto luculentius mentem in Libell. de *Pace & Concordia Eccleſiæ, Irenæi Philalethi* nomine, declaravit. Quippe in quo non ſolum quibuscunque adverſus *Socini* placita pugnantium conatibus vehementer ſuccenſuit, ſed etiam, præter omnimodam eorum omniumque hæreticorum tolerantiam, *ſolum amorem erga Deum & Chriſtum ſincerum ad ſalutem ſufficere*, ex inſtituto inculcavit, & eo tandem proceſſit, ut neque excommunicationis, quod vocant, remedio amplius hodie uti licere arbitraretur. Vnde profecto, quid de combuſtis ad deteſtationem peſtilentiſſimæ hæreſeos libris judicaverit, abunde patet.

jecti, & tandem in exilium missi sint, non sine infamiæ nota *(daß ihnen selbst das Land seye verwiesen worden,)* quæ sunt verba *Gottfr. Arnoldi* in loco jam aliquoties castigato, a) post alia jam supra notata, ex his dijudicet *Benevolus Lector*, &, quot errores ac temerariæ affirmationes pravæque circumstantiarum determinationes in brevi illa narratione reperiantur, demiretur, b) quantumque fidei aliis non dissimilibus ejus narratiunculis habendum sit, hinc tandem concludat. Cæterum unius *Dümleri* fata, cum reliquis omnibus ab eodem *Arnoldo* forte, si quid vel fando de hoc homine audivit, commista confestim pluribus exponemus. Ea namque, nisi fallimur, variis commentis ansam videntur dedisse. Jam vero alia quædam adhuc restant, quæ, ut sunt interim in hac caussa gesta, ita commemoratione etiam brevi digna sunt. Huc ergo pertinent rescripta potissimum, quæ *Noriberga Altorphium* missa nobis innotuere. Inter quæ illud præcipue notandum, quando *Mich. Piccartus* d. 29. Julii e. a., quid consilii capiendum sit de *Polonis* tribus *Socinismi* suspectis, qui ab *Huswedelii* c) mensa ad convictum suum transire, atque inde a se recipi cuperent, publice edoceri voluit, eaque de caussa itidem ad *Curatores Generosissimos* relatum est. Aliquando etiam sub id tempus, inter ipsosmet *Polonos* diffidentes, ea de re ipsoque religionis negotio non sine verborum aculeis fuit disceptatum, ita, ut lis *Rectori Magnifico* & Senatui Amplissimo denunciaretur, & ab eodem dirimeretur. Cujusmodi alia similia fuere, & contigere plura. Quoniam vero hæc rectius alibi memorabuntur; istos autem non alios fuisse constat tres Convictores *Piccarti* novos, quam *Siennium*, *Slichtingium*, Siennii ephorum & tertium illum, de quo supra jam dictum est, iidemque etiam fuere, quos examinatos præsente maxime Generoso *Grundtherro* esse ante narravimus, nolumus heic actum agere, & boni *Piccarti* circumspectionem perquam laudabilem, vel ex hoc specimine iterum iterumque perspexisse, satis habemus.

§. XXXV.

Dümleri potius ex Academia ejectionem seu relegationem, ut vocant, jam animus est spectare, temporumque etiam rationes quodam-

a) Conf. Cap. II. §. 51.

b) Quæ quidem multo magis nobis miranda acciderent, nisi etiam a συγχρόνοις & præsentibus quoque talia his de rebus fuissent asserta, quæ a veritate alienissima esse jam supra semel iterumque observavimus.

c) De quo *Philosophiæ Magistro*, multisque peregrinis victum in hac Academia præbente, & paullo post in patriam redeunte, Vid. Cap. II. §. ult.

dammodo jubent, eo advertere, ut, quemadmodum illa tandem fuerit reapse peracta, productis tabulis, plenius enarremus. Idque hoc lubentius facimus, quo felicioribus nobis esse licuit, in ipsis formulis citationis & proscriptionis ejusdem MSctis, a) post annos centum elapsos, posteaquam forte in ipsa Academia dudum disparuere, singulari fato inveniendis. Præcessit videlicet pro more solito tergemina, ex loco publico, fugitivi, & duplici nomine perfidi hominis citatio, sub initium Sextilis mensis ad mandatum superioribus litteris datum, & p.p. repetitum, his verbis concepta: b)

RECTOR ET SENATVS ACAD. ALTORFINÆ.

Nimis notum est omnibus, quomodo NICOLAVS DVMLERVS NORIMB. qui studiorum gratia aliquandiu apud nos commoratus fuit, anno superiori, cum gravissima de caussa ab inclyto Magistratu nostro evocatus esset, ut Norimbergæ certo se die sisteret c) *haud dubie causæ diffidentia & conscientia stimulante,* d) *die quarto Decembris ejusdem anni, fuga ex Academia ista se subduxerit, & jurisdictioni nostræ, quantum in ipso fuit, subtraxerit. Quod cum in quolibet homine ingenuo & alienæ Jurisdictioni subjecto per se grave sit delictum, in DVMLERO tamen tanto gravius existimari debet, quanto ille eidem Magistratui nostro superiori, propter luculentum beneficium atque stipendium annuum, quo permultos annos fruitus est & sustentatus, fuit obstrictior. Vt nihil nunc de eo dicamus, quod speciali obligatione* e) *alio commigrandi facultatem absque commeatu, sua voluntate sibi præcidit & ademit. Quamvis autem ab eo tempore agnoscendi delicti & ad officium redeundi spatium multo quam alii, laxius haberet, contra tamen in eo evenisse re ipsa deprehendimus, ut lenitate atque patientia nostra confirmata potius contumacia ipsius videri possit, nobisque tandem de aliis remediis, quibus tam præfracta obstinatio ipsius vel flectatur vel frangatur, cogitandum fuerit. Veruntamen, ne vel sic de nobis conqueri possit, ante omnia ad citationem absentis, servato juris ordine perveniendum duximus. Citamus itaque dictum NICOLAVM DVMLERVM vigore Edicti præsentis,* (*quod*

a) Atque hinc etiam, utrum typis ea impressa sit, nec ne? incerti sumus.

b) Præmittimus hanc ad caussam dicendam invitationem, ne quid temere ac præcipitanter aut ex affectu sinistro factum esse conquerendi vel obtrectandi potius ansam arripiant adversarii.

c) Hæc ergo proxima fuit fugæ caussa.

d) Vel *Ruari* & amicorum similium etiam instinctu, quod non sine caussa suspicamur: quanquam etiam de advehendis forte e Saxonia complicibus inaudivisse probabile sit, metuque simul intempestivo inductus instigatusque excesserit.

e) Dextra videlicet de libera custodia non temeranda data, fideque iterum, qua jam ante per beneficia constrictus erat, interposita.

(quod contra absentes, vagabundos ac contumaces jure receptum esse omnes norunt) Et quidem PEREMPTORIE, ut intra decem septimanas proximas, a die citationis hujus affixæ computandas, Senatui nostro se sistat, & fugæ suæ causas, si quas habere se putat, coram ibidem alleget, sententiamque excipiat. Quem terminum decem Septimanarum eidem pro primo, secundo, tertio atque ultimo cognitionis hujus die assignamus, omni ulteriori termino penitus denegato. Hoc amplius scituro, si citationem hanc contumaciter spreverit, copiamque sui non fecerit, Nos nulla interposita mora, ad ea processuros, quibus refractarios cives, & Magistratus contemptores, fideique & obligationis temeratores ulcisci solemus. P. P. a. d. VI. Aug. Anno Domini MDCXVI.

Proposita & publicis tabulis affixa hæc revocatio *Dümleri* profugi, præterque cæteros pertinacissimi homuncionis, dubium non est, quin ocyssime ei e *Sarmaticis* a) oris accito significata fuerit per gregales quosdam *Polonos*, adhuc, uti dictum est, in eadem Academia degentes. Hos enim, quibus alias consvetum erat, maxima ac minima quæque, quæ ad caussam suam quoquomodo attinere viderentur, invicem perscribere, rem tanti inter suos momenti siluisse, credibile non est. Sed de reversione ipsa, aut conatu certe aliquo levissimo, immo ne de littera quidem, ne dum litteris hac super re ad Amicos & Patriæ Patres tam beneficos ab eo scriptis, vel excusatione qualicunque interposita, nihil plane perceptum aut monimentis relatum legimus, tametsi ejusmodi quid inde, ubi locorum delitescebat, facillime effici potuisset. Vnde profecto excœcati juvenis palam est impietas, & de perversissima ejus mente conjecturam nullo negotio facere licet. Multoque adeo minus vitio iisdem Proceribus sapientissimis vertendum, quod, rebus omnibus satis exploratis, cunctisque nec quicquam tentatis saniora consilia & absenti subministrantibus remediis, in eum graviter animadvertendum censerent; quos solicitos esse cum fama patriæ sarta tecta conservanda, & a calumniis liberanda Academia, tum etiam magnitudo ipsius rei, & periculi ex violatione disciplinæ impuni certissime metuendi, jubebat. Quem in finem paullo post, stylum, ut opinamur, itidem ducente, sicut in superiore arcessendi formula, *Piccarto*, sequens Relegationis Decretum publice affixum est:

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ ALTORPHINÆ.

Præclare Mimographus: Fidem (ait) qui perdit, perdere ultra nil potest.

Præ-

a) Alibi enim inter hæc, & priusquam eo contenderet, eum delituisse, cognitum non est.

Præclare & Epictetus apud Arrianum: Homo, inquit, *ad fidem colendam natus est: quam qui evertit ac tollit, is tollit id, quod proprium est hominis, facitque ut deinceps nullus ipsi in genere humano locus relinquatur, utpote ad nullam vitæ partem utili. Quibus addi potest insignis ille Cassiodori locus: inter mundi fluctuantes procellas unde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset? hæc inter socios amicitiam servat: hæc dominis pura integritate famulatur: hæc supernæ Majestati reverentiam piæ credulitatis impendit: & si beneficium tantæ rei latius quæras, incommutabilis fidei est, omne quod bene vivitur. Quæ omnia hoc loco, propter NICOLAVM DVMLERVM, NORIBERGENSEM, commemorare visum est, qui contra fidem datam, Nobis insalutatis, &, quod detestabilius est, absque commeatu superioris nostri Magistratus inclyti, a quo, ut Noribergæ certo se die sisteret, evocatus erat, in fugam die quarto Decembris anni superioris, sive quis malit* εἰς κόρακας *præceps abiit, nec unquam ab eo tempore copiam sui fecit, dubium omnibus relinquens ingratitudinis, an perfidiæ insignioris & sceleratiorisne transfugii, an sibi damnosioris reus haberi debeat. Subito namque obligationis propter beneficium sive stipendium annuum sane quam liberale, quo eidem inclyto Magistratui nostro, mediante jurejurando auctoratus erat, quoque per annos plurimos* a) *sustentatus fuit, oblitus, ad eos defecit, quibus nullo plane necessitudinis vinculo obligatus, nullo fidelitatis vadimonio obstrictus, nullo obedientiæ nodo nexus, nullaque Sacramenti religione vadatus erat. Quod quidem facinus ab eo commissum esse minus mirum est, qui averso a vera Religione Christiana animo execrandæ jamque olim damnatæ hæresi Photinianorum tanta animi præfracti obstinatione se totum addixerat, ut inde neque Magistratus imperio, nec Theologorum exhortationibus, neque Præceptorum monitis aut obtestationibus* b) *amicorum revocari ullo modo potuerit: Cui consequens fuit, ut pro libertate fugam infamem eadem vesania arriperet, qua prius pro veritate mendacium, proque religione impietatem amplexus fuerat. Enimvero hac velut regula primæ Fidei & Religionis Christianæ vitiata atque depravata,* omnia mendose fieri atque obstipa, *necesse est, sicut ait poëta. Quod sceleris licet jam ultra, quam ad Jurisdictionem Academicam, pertinere omnes intelligant: Nos tamen violationem hanc fidei & obligationis cum Magistratu nostro initæ & cum ferrea quadam & inexpugnabili contumacia*

 con-

a) Annos amplius sex vel septem: quod ex tempore adventus in hanc Academiam confici facile potest. Vid. Cap. II. §. XIV.

b) Diu ergo, posteaquam de errore ejus aliquid innotuit, & solicite a variis laboratum esse, ut ad meliorem mentem rediret, hinc apparet.

conjunctam, ad exemplum pertinere judicantes publice interea judicare decrevimus, & NICOLAUM hunc DUMLERUM propter ea, quæ supra commemoravimus, facinora, tanquam fidei temeratorem & contumacem a) *a corpore Societatis nostræ Academicæ, ut deforme & insanabile aliquod membrum resecamus, eumque ab Universitate ista in perpetuum relegamus atque excludimus, infamia indelebili transfugium istud ipsius atque exilium comitatura. PP. Sub sigillo Rectoratus a. d.* b) *anno Domini MDCXVI.*

Hactenus *Dümleriana.* Quæ paullo copiosius exponere consultum videbatur, quia plurimum ex illis in hac historia momenti pendet, &, figmenti non unius occasionem hinc sumtam esse, superius dicta nos edocent. Quod reliquum est, uti post citationem illam solennem nihil omnino de *Dümlero* pervicaci compertum est: ita deinceps quoque, quod sciamus, nihil quidquam sive protestationis, sive deprecationis, ab eo submissæ innotuit. Eaque propter, uti jam alibi dictum esse meminimus, in *Polonia* periisse, plane est verisimile. Neque etiam *Crellius*, in epistolæ ad *Cornelium Marci* A. 1625. demum scriptæ & infra ex parte c) exhibendæ epilogo, alia, quam generalia nonnulla, de eo renunciat. De *Dümlero*, inquiens, *ex Ruaro nostro scire omnia poteris.* Ex quibus verbis autem, vivusne adhuc fuerit, an defunctus, haud apparet; quamlibet prius horum aliquanto probabilius hinc inferas. Illud vero omnium evidentissime inde colligere licet, cum *Ruaro* suo, d) spretis civibus & amicis *Noribergensibus*, perinde ut in vita communi, ita & in erroris consortio constantem conjunctissimumque e) perseverasse. Cætera nos fugiunt.

§. XXXVI.

Restarent & alia quædam in *Altorphino Athenæo* interdum hac occasione gesta, cujusmodi sunt accusationes f) & exprobrationes a popularibus quoque superius commemoratorum *Polonorum* super hæresi tantopere exosa factæ atque hinc subortæ lites, g) quales inprimis inter *Naru-*

a) Non sine caussa hæc explanatius repetuntur, ne quis propter hæresin, solam præsertim, approbatam e societate Academica, *cum infamiæ nota* impressa, criminaretur exterminatum.

b) Omissus erat in MSto exemplo dies.

c) Ea nimirum, quæ typis nondum excusa erat. Conf. Cap. IV. §. 4.

d) *Voidovio* item & similibus. Vid. Ep. ad *Ruar.* Cent. II. f. 163. Add. Cap. II. §. 14.

e) Id enim ex commercio litterarum, quarum inter *Ruarianas* exempla supersunt, elucet.

f) Quas primis quasi digitis §. 34. extremo jam attigimus.

g) Ad illustre quoque Curatorum Acad. Collegium per ipsos læsos delatæ.

Narusewizium a) quendam & *Slichtingium* aliquoties d.26. Septembris & d.28. Octobris iterum compositæ sunt, modestiæque ut altera pars studeat iterum iterumque injunctum est. b) Sed quoniam isthæc levia fuere, & longa explicatione opus non habent, ad alia potius orationem nostram convertemus cognitu utiliora. In his *Programma* publicum, idemque typis impressum, atque e *tabulis Academicis* propositum, primum occurrit, quod subjungere præcedentibus, ordo rerum gestarum postulat. Idque lectu hoc dignius est, quo solennius pestifer *Socinismus* exesse omnino ex *Academia Altorphina agroque Norico* verbis gravissimis denuo imperabatur, proscriptusque in perpetuum declarabatur. A Magistratu vero Academico ea facta sunt, ut non solum ipse dissensum a tristissimis improborum conatuum luculentius testaretur suum, eorumque, quæ commissa adhuc fuissent a maleferiatis nonnullis clandestinisque impostoribus, ignorantiam; Verum etiam, præter rationes ante adductas, voluntati *Illustrium Curatorum* hac quoque in parte ex asse satisfacere jubebat pietas. Programmatis totius Rectore t.t. ipso *D. Schoppero*, & forte, ut stylus etiam subindicare videtur, etiam scriptore, publicati, hic tenor erat:

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ ALTORPHINÆ

Omnibus & singulis Jurisdictioni suæ subjectis.

Quam graviter offensus, ne dicam perculsus sit, impia & immani quorundam audacia Nobilissimus & Amplissimus Senatus Noribergensis, quantumve & quam acerbum eum dolorem hauserit, nemo vestrum ignorare potest. Enimvero Photinianos a nobis designari sentitis, istos, inquam, Photinianos, qui hæresin antiquam, & ante Annorum Chiliadem, qua ex unico & infallibili Canone Sacrarum litterarum in Conciliis Oecumenicis, qua in Constitutionibus Imperatorum blasphemiæ & impietatis damnatam, novo, quod dicitur, paxillo suspendere conati pestilenti sua aura nostram quoque Academiam afflare sese posse sperarunt. Heu nos miseros, in quæ tempora incidimus? Vbinam gentium sumus? Quibus in locis vivimus? In meditullione Germaniæ, in penetralibus Imperii, in ipso, ut sic dicam, Ecclesiæ

a) *Stephanum* Narusewiz, Castellani Samogitiensis filium: qui anno 1614. d.21. Octobr. Altorphium adventarat.

b) Tantoque magis, id ut fieret, necesse erat, quod non solum verbis, sed scriptis etiam, prior alterum injuria videretur affecisse, atque honestam quoque ejus famam in dubium vocasse. Responsum autem est: *Weil man nicht sehen kœnne, dass dem Slichting* (ob hæresin tantum lacessito) *eine injurie zugefüget worden, so sollte dieser acquiesciren, und Narusewitz künfftig modestius handeln.*

sinu & medio orthodoxæ Fidei gremio tale malum extitisse? Sed enim hæc neque nostra nec alterius cujusdam voce satis deplorari possunt; & vero consumtis lacrymis tamen infixus animis hæret dolor. Quanquam Dei Opt. Max. beneficio ac misericordia singulari intra paucos hoc stetit malum, qui cum id diu clam coxerint, & ad vulgandum in plures singulari nequitia ac dolo usi sint, tamen in fraudem vix tres quatuorve a) *stultos ac temerarios adolescentulos perlicere potuerunt. Præterea, quam illam nefariam hæresin aversetur Amplissimus noster Magistratus superior, satis declaravit, & captivitate quorundam turbatorum id genus, & quod in nupera Panegyri libri sive chartæ ejusmodi blasphemiis refertæ, publice hic in foro AltorphI, ejus jussu decretove concrematæ fuerunt.* b) *Neque enim ullus acerbior Nobilissimo & Prudentissimo Senatui potuit inuri dolor, quam ex suorum civium liberis, ex suis potissimum stipendiariis, quos tantis tamque luculentis hactenus aluerit, & foverit sumtibus, esse nonnullos repertos, qui fidei ac jurisjurandi* c) *immemores, pestiferum illud dogma amplecterentur, & hoc viro suo sectario alios quoque inficerent: nec solum huic Academiæ, sed & ipsi inclytæ Reipublicæ Noribergensi (ut ante* d) *etiam aliis nationibus & Academiis) labem haud parvam aspergerent. Hæc enim fama (ne nesciatis) longe lateque pervagata, vires (ut cum Poeta loquar) acquisivit eundo, affingentibus plerisque, quod visum aut lubitum fuit, & ex musca (quod dicitur) elephantum facientibus: unde & schola & Ecclesia nostra non parum deformatæ fuerunt. Verum enimvero hoc Christianorum fatum est, semperque fuit, ut hæreticorum infamia in ipsos expetat, adeoque alienam culpam ipsi quodammodo cogantur luere. Ne alia ex Histor. Ecclesiastica testimonia arcessamus; ecquod unquam in terris majus ac tetrius monstrum Simonitarum & Marcionitarum & Carpocrati-*

a) *Noribergenses* puta, & difficulter aut prorsus non ab errore liberandos. Plures enim fuisse, qui vacillarent, ipsique etiam ex animo nomen suum hæresi darent, præsertim inter peregrinos, negari non potest. Ad quos digitum h. l. intendunt, sine dubio *Peuschelius, Vogelius, Dümlerus & Marcius* fuere. Neque aliter rationes iniit cum *Dinnero Höfflichius* eodem sensu, ut emolliretur rumor invidiosissimus, *vix tres fuisse mali socios*, in carmine *Famæ Acad. Altorph.* subjecto, affirmans.

b) Conf. §. 2 sqq. Cap. hujus III.

c) Toties repetita hujus criminis mentio, quodnam fuerit consiliorum horum, ut duriuscule etiam viderentur Proceres *Illustris Reipubl.* tractare primipilos, eosdemque cives suos, princeps incitamentum, denuo pandit.

d) *Italiæ* nimirum, ex qua primi prodiere, post *Servetum*, Arragonium, S. Trinitatis hostes, *Helvetiæ*, item *Transsylvaniæ*, *Poloniæ*, *Belgio* quoque & *Galliæ*: cui nostra hac ætate *Anglia* tot sectarum ferax, & clandestinorum *Socini* Ariique fautorum nutrix, non obstantibus validissimis repagulis identidem objectis, accessit. Triste profecto solatium, *socios habuisse malorum*!

cratitarum & generali vocabulo, Gnosticorum hæresi extitisse cognovimus? Quis non exhorrescat eorum infanticidia, incesta convivia, infandas dapes, aliaque non scelera sed portenta legens vel audiens? Atque horum ritus usque adeo exsecrabiles Christianis, (cum quibus illa hominum propudia & prodigia nulla re communicabant; nisi quod eorum gloriarentur nomine, ut ait Epiphanius) a Paganis fuerunt imputati. a) *Quæ cum ita sint: age & nos infamiam istam ad nos revera nihil pertinentem, sed aliena culpa contractam Christiano Stomacho concoquamus, donec oppressa calumniis veritas emergat. Audiamus Photiniani, qui Photinianos omnium mortalium pessime audimus, eorum blasphemias & impietatem tota mente detestamur. Interim tamen non tam ut ruborem calumniatorum ferreo ore exprimamus, quam ut omnis imposterum Diabolo (quantum in nobis est) amputetur occasio, quenquam hic hæreseos istius laqueis irretiendi; quam severissime omnibus & singulis jurisdictioni nostræ Academicæ subjectis mandamus & interdicimus, primum ut omni librorum hujus farinæ pestilentium lectione abstineant: deinde, ut ea peste infectorum congressus ac colloquia, quantum fieri potest, defugiant: postremo, ut omnes venenati illius dogmatis complices, quam primum creditoribus suis satisfaciant, æsque alienum, quod contraxerunt, dissolvant, ac dein castra ocyus hinc moveant. Sed & inposterum omnibus Photinianis & id genus hæreticis ad nostram Academiam obstructus aditus esto. Qui secus contrave faxit; si in iis pœnis, quas jam superior noster Magistratus publice denunciavit, hæserit suæ id acceptum ferat temeritati & contumaciæ. De nobis quidem, tanquam non admonitus conqueri minime poterit. P. P. sub sigillo Rectoratus A. D. 1. Augusti Anno Salutis M DC XVI.*

Atque ita tandem, hinc migrantibus etiam ad constitutum sibi terminum *Jona Slichtingio* & sociis popularibus, b) finis inauspicato huic

a) Dubitat hac de obtrectationis, quam passi sunt Christiani, caussa b. *Kortholtus* in *Pagan Obtrect.* L. III. Cap IX., eaque potissimum ratione nititur, quod, si de Thyesteis istis epulis & incestis conviviis hæc inde orta fuissent commenta, *Apologiarum* scriptores sec. II. atque III præstantissimi culpam in hæreticos istos haud dubie retulissent, de quo altum tamen inter omnes, ante *Epiphanium* recentiorem & credulum nimis, observetur & pertinax silentium; immo quod ne de aliis quidem hominibus quibuscunque, sibi fateantur credibile esse, contigisse. Nos hæc ὡς ἐν παρόδῳ notamus, &, quamvis forte ad dubium isthoc ab optimo *Kortholto* aliisque motum reponi queat, abstinuisse ab ea imputatione Christianæ innocentiæ vindices, ideo, quod aliorum incommodis sua promovere commoda nollent; ex vulgari tamen sententia ista h. l. adducta esse, cum *Epiphanii* auctoritas majori adhuc in pretio esset, arbitramur. Satis est de reliquo, applicationem, de aliena culpa insontibus haud tribuenda, firmo robore niti.

b) Quos tametsi enumerare definite

huic malo, Divino beneficio, impositus est plane exoptatus. Quorsum vero *Altorphio* demigrans abierit idem *Slichtingius*, nondum expiscari licuit. Si quid autem conjecturis dandum, in *Belgium* a) contendisse, probabilius est. Heic enim, ut *Limborchius* in Vita *Episcopii* sui narrat, b) dum *Lugd. Bat.* hic ageret Professorem, & *Jonas* iste pariter, ac *Ruarus*, per aliquod tempus *Leidensem Academiam* frequentarent, uterque horum mediam de satisfactione Christi qualicunque sententiam c) *Remonstrantium*, præeunte *Episcopio*, dicitur adoptasse. Quod, nisi post discessum *Altorphinum* & *Argentoratensem*, (quantum ad *Ruarum*) vix alias fieri potuit, neque temporum fere rationes, ut sentiamus aliter, patiuntur, eademque Epist. *Joh. Cellarii*, ad *Richterum* A. 1618. scripta, d) aliquo modo comprobat. Plura de *Slichtingio* a nobis non est, quod expectet *L. Benevolus*; neque etiam id nunc agimus, ut vitam tanti maximorumque, si quis alius, inter suos meritorum Viri A. 1661. demum m. Novembri *Selchoviæ* e) in exilio finitam f) pertexamus. Hæc vero, ut, qui *Stanislai Lubieniecii* & *Lauterbachii* de ea opellas

non licet, (neque enim *Poloni* omnes *Socini* placitis addicti erant,) hoc tamen tempore *Samuelem Gajowsky*, *Stanisl. Podlowsky*, *Andr. a Golokow Golochowsky*, *Johan. Stepanovium a Przemislawice*, *Sam. Goluchowsky & Sigismundum de Goluchow*, *Joh. Kunzowiz*, *Andr. de Goluchow*, itemque *Nicolaum*, *Nicolaum Lituchko de Ryglice*, *Vincentium Liscowitz Cracoviensem*, *Steph. Drobycinsky*, *Paul. Zelanka Zelenky*, *Janum Morstinium Raciborska*, & cum *Jona Georgium* quoque *Slichtingium* aliosque heic *Altorphi* studiis operam dedisse, ex Indicibus studiosorum cognitum est. Id vero etiam, quanquam qui fuerint Socinismo mancipati, dicere non possimus, certo ex iisdem Indicibus scimus, post hæc tempora omnes tam subito disparuisse, ut vix vestigium *Poloni* huc advolantis amplius, aut rarissime deinceps, appareat.

a) Vna cum *Przipcovio* præeunte.

b) Edit. Amstelodam. 1701. f. 329. sq.

c) *Acceptilationem* videlicet substituentem. Sententia enim *Remonstrantium* hæc est: *Christum acerba sua ignominiosaque morte, quam innocens passus est, Dei voluntati satisfecisse, quæ simul justa fuit ac misericors, h. e. Deo promte illum paruisse ac omnia passum, quæ voluit Deus eum pati, ad expianda generis humani peccata, adeoque mortem ejus fuisse propriam ac efficacem oblationem pro peccatis hominum, qua ira Dei erga peccata placata fuit*; Et quæ sunt reliqua, quæ l. c. integra legantur.

d) *Epist. Select. Richterian.* f. 399., ubi inter amicos, *olim nec ignotos, nec ingratos Richtero*, commemorabilibus verbis, *Ruarum* quoque, hoc anno *Lugduni Batav.* degentem, numerat.

e) Loco & pago, ab oppido *Züllichow* distincto, atque in finibus *Poloniæ* majoris itemque *March. Brandenburg.* & *Silesiæ* sito, perobscuro, & a *Mæstichiano Sacci* generosi prædio, toties alias commemorato, non longe distante; in cujus etiam vinea editiore *Jonas* tandem sepultus est. Vir modestus de reliquo, & propter scriptum *Spandaviæ* Comm. in Epist. ad Ephes. inter eruditos, quorum carcer fuit Museum, numerandus.

f) Annos cum natus esset LXIX., ac proinde eo tempore, quo *Altorphi* vixit, *Przipcovio* ætate fere æqualis, annum circiter 23. egisset.

las a) consulunt, supplementa quædam ex Academicis studiis necessaria hinc petere & accipere queant, adjicere visum est.

§. XXXVII.

Quomodocunque autem hæc comparata sint, nobis, ut promissis stemus, jam nihil amplius incumbet, quam ut ad captivos adhuc *Noribergæ* detentos, & ex *Academiis Saxonicis* retractos illos juvenes, eosdemque hoc ipso quoque *Programmate* aperte designatos, *Altorphio* remeemus. Idque facturi sumus, Deo adspirante, posteaquam, ceu itidem polliciti sumus, *Ruarum* denuo investigaverimus, & quid de eo, *Argentorati* adhuc hærente, statutum sit, exponamus. Ita vero res acta est ordine, ut, prout sequentia ostendent, quam primum examina adductorum e Saxonia *Peuschelii* & *Vogelii* inchoata essent, & ex his, uti jam antea per epistolas interceptas cognitum habebatur, maximam bonarum mentium corruptionis culpam ad *Ruarum* devolvi, constaret, ea de re Inclytus *Senatus* & *Academia Argentinensis* per litteras sine mora certiores redderentur. Cum eo, ut & ipsi sibi cum suis caverent ab impostoris eruditi, & ex dolis fraudibusque compositi, technis mellitisque verbis sesamo ac papavere sparsis, tum etiam veritatis evolvendæ, & tricarum, huc usque contextarum, si qua fieri posset, magis extricandarum gratia. Nec mora fuit penes *Inclytum Magistratum Argentoratensem*, quin vocatus caussam dicere juberetur *Ruarus*. Idque negotium commissum est *D. Joh. Bechtoldo*, Theol. Profess. &, ut conjicio, t. t. Acad. Rectori, a quo vero una cum *D. Joh. Taufrero*, Theologiam itidem b) cum applausu docente, de pluribus capitibus interrogatus, ita respondit, ut subdolam mentem nusquam apertius simul & subtilius prodiderit, instar anguillæ elabi quaquaversum conatus. Quæ quidem, ne longius verborum ambagibus opus sit, malumus ex ipsius Academiæ rela-

a) Seu epistolam de Fatis *Jonæ Slichtingii*, Operibus ejusdem a priore antepositam, in qua de juventute nihil prorsus, nec de studiis etiam Academicis quicquam commemoravit; fusius autem, ut post reditum in patriam cœtui primum *Racoviensi*, tum *Luclaviciensi* inservierit, pulsusque e patria, additis publicæ ignominiæ notis, libris præsertim *Varsaviæ* in foro per carnificem concrematis, *Stetini* & *Stargardiæ*, ac denique in domo nobilissimæ Matronæ, *Elisabethæ Falceurebdianæ*, *Selichoviæ* commoratus sit, inque loco hoc postremo vitam cum morte commutarit, distincte exposuit. De cujus scriptis, & inter primaria publicato in *Epist. ad Ebræos Commentario*, *eoque sociata*, ut in Præf. fatetur, *cum Crellio opera* adornato, atque A. 1633. primum Racov. evulgato, nec non *confessione fatali*, &c. non est cur hic differamus copiosius.

b) Argumenti ergo Theologici, quo res omnis rediit, ratione hab ta utrique huic Collegarum hæc cura demandata est.

relatione *Noribergam* perſcripta, & Commentariorum hujus examinis præcipua parte, quam excerptis inde deductis, enarrare. Ita vero *Argentoratenſis* a) narratio habet:

„Nachdem D. Joh. Bechtoldus gemeldten Ruaro weitlæufftig er-„zehlt, was von E. E. Wohlweiſen Rath der Stadt Nürnberg an unſe-„re Gnædige und gebietende Herrn Ræthe &c. ſeiner Perſon halben „ſey berichtet worden, daſs nehmlich 2. ihrer Stipendiaten und Stu-„denten, ſo von wegen deſs verdammlichen Irrthums der Photinia-„ner zu verhafft eingezogen worden, in gehaltener Examination und „Beſprechung ihn Ruarum nominirt und angegeben, dergeſtallt, daſs „er auf der hohen Schul zu Altdorff ihre Anteſignanus, fürnehmſter „und geübteſter nunermeldter, verdammlicher und abſcheulicher „Sect geweſen; deſswegen denn in guter Vertraulichkeit unſere gnæ-„dig gebietende Herrn und Obern ſeyen præmonirt und verwarnet „worden, gute und fleisſige Achtung zu geben, damit er ihn nicht ei-„nen Anhang machen, und etwan dieſes Photinianiſche Venenum wei-„ter mœchte propagirt, und fortgepflanzet werden &c.

„Darauf hat ſich ermeldter Mart. Ruarus anfænglich erklært, daſs er „ſich mit nichten zu dem Errore oder Irrthum der Photinianer beken-„ne, ſondern er habe allein zu Altorff zum theil exercitii gratia, zum „theil, dieweil er etliche ſonderliche dubia gehabt, biſsweilen etwas „ernſtlicher in Diſputationibus Theologicis opponirt, b) daraus viel-„leicht andere mœgen geſchloſſen haben, als ſollte er die Meinung der „Photinianer approbiren und gut heiſsen; Wiewohl ihn auch von „D. Schoppero auf ſeine Objectiones und Argumenta c) nicht alle-„zeit genugſam ſey reſpondiret worden. Als aber durch D. Bechtol-„dum und ſeinen Adjunctum D. Taufrerum mit etl. ſchiedl. Fra-„gen weiter an ihn geſezt worden, als erſtlich: ob er dann für ſei-„ne Perſon den HErrn JEſum Chriſtum für einen wahren GOtt er-„kenne und halte? 2. ob er auch allhie zu Straſsburg, wie etliche da-„für halten, das Heil. Abendmahl empfangen? 3. Ob er ſich nicht etwan

a) Ab amica manu communicata nobiſcum, omnique fide digna.

b) Raro id factum ſit, oportet; quandoquidem de publicis privatisque diſputationibus *Ruari* nihil quicquam inauditum; bene multa vero de *inſidioſis ſuſurris*, ut *Plinio* dicuntur, jam ante annotata ſunt. Miramur igitur hæc tam audacter & procerve fuiſſe affirmata, ut rimam qualemcunque elabendi haberet.

c) Nihil de his quoque Diſputationibus ſigillatim compertum. Ea igitur haud dubie objecta intellexit *Ruarus*, quæ ipſe quidem, tanquam Juris ſtudioſus, coram non protulit, at diſcipulis ſuggeſſit.

etwan unterſtanden, auf ein oder andere Weiſe einen Anhang zu“
machen. Darauf hat er ſich der erſten Frag halben rund erklæret,“
daſs er Chriſtum für einen wahren GOtt a) erkenne und halte. Die-“
weil er aber ferner befragt worden: Ob er ihn auch für einen ewi-“
gen GOtt erkenne und halte? Wollte ſich ermeldter Ruarus nicht“
rund erklæren, ſondern ſagte, diſs wære derjenige Stücke eines,“
welches er ſich zwar nicht unterſtünde mit Gewalt zu wiederfech-“
ten, ſondern darinnen er biſsher gezweiffelt b) hætte, und GOtt“
dem HErrn noch tæglich um Erleuchtung bitte, und anruffe; Vnd“
dieweil Latine mit ihm gehandelt wurde, wiederhohlte er zum“
œfftern dieſe Wort: Non nego divinitatem Chriſti æternam, ſed“
de ea dubito; begehre ſich auch gar gern in dieſem Stuck informi-“
ren und unterweiſen zu laſſen.“

Es iſt auch ihm weitlæufftig zugeſprochen worden, daſs er noch“
keinen rechten Glauben habe, dieweil er an den allervornehmſten“
Artickel des Chriſtl. Glaubens von der ewigen Gottheit des HErrn“
Chriſti zweiffle. Derhalben er bey ſolchen Zweiffel kein Heil“
noch Seeligkeit habe zu hoffen, und zu gewarten: vermœg der“
Auſſage deſs HErrn JEſu Chriſti Joh. XVII. Hæc eſt vita æterna“
&c. Als er auch befragt wurde, was er von dem Spruch 1. Joh. V.“
hielte: Hic eſt verus Deus &c. Ob derſelbe von Chriſto zu verſte-“
hen? Gab er dieſen richtigen Beſcheid und Antwort, es wære der-“
ſelbe allerdings von Chriſto zu verſtehen, c) denn er zweiffle nicht“
an der wahren Gottheit Chriſti, ſondern allein von der ewigen“
Gottheit. Da ihn gleichwohl zu Gemüth geführet wurde, daſs“
andere Photinianer, dieſen Text nicht wollten von Chriſto ver-“
ſtanden haben; wollte deren Meynung Ruarus nicht beypflichten.“
Es hat auch Ruarus ausdrückl. bekennet, daſs er auf etliche Argu-“
menta, ſo ihm vorgehalten worden pro æterna Chriſti divinitate,“
nicht antworten kœnne.“

a) Sed *factum*: eo ſenſu, quo & *Sonerus* jam moriturus idem profeſſus eſt. Nomen enim officii, non naturæ ſeu eſſentiæ, *Dei* nomen eſſe, Sophiſtæ arbitrantur. Quæ pervulgata cum ſint, nolumus opereſe urgere.

b) Vt tamen oppoſitam ſententiam ſtrenue oppugnaverit. *Egregia modeſtia!*

c) Huc enim jam tum deflectere cœperant, qui olim, ad remotiora pronomen referentes, vim hujus loci enervare, veritatisque ictum declinare ſolebant. Tantoque vehementius hæc verba ſtringunt, ſi, quod elegantisſimi ingenii Vir & Celeb. C. A. *Heumannus* peculiari ſchediaſmate nos docuit, vocabulum, *verus*, per comma ſeu inciſum, a nomine *Dei* ſejungas, eundemque *Chriſtum verum* eſſe, mundi Servatorem,

„Auf die andere Frag antwortete Ruarus, daſs er zwar zu Altorff „etlichmahl communiciret, und das Heil. Abendmahl empfangen, a) „er habe ſich aber zu Straſsburg deſſelben gænzlich enthalten, b) die- „weil er geſehen, daſs allerhand ærgerliche Perſonen bey demſelben „admittirt und zugelaſſen würden. Darauf man von ihm begehrt, „ob er dieſelben Perſonen wüſte, oder aber ſich allein ſelbſt zu einen „Richter über ſolche Communicanten geſezt hætte? Item, daſs ihm „vielleicht ſolcher Perſonen Fall, aber ihre Buſſe nicht bekandt ſey: „Item, daſs er nicht andere, ſondern ſich ſelbſt prüfen ſoll, nach der „Regul St. Pauli 1. Cor. XI. da er ohne Zweiffel auch ſeine Mængel „und Fehler genugſam an ſich finden werde; Hat er in fernere Di- „ſputation und Geſpræch ſich nicht begehrt einzulaſſen. c) Im- „maſſen dann ſolches auch nicht gefordert worden; dieweil man „allein ſeiner Perſon halben Bericht begehrt, wie es an ihm ſelbſt „mit ſeiner Confeſſion und Glaubens-Bekæntnus, der Photinianer „halben, gethan und beſchaffen ſey.

„Sonſt hat er ſich auf die 3te Frag gewiſs vernehmen laſſen, daſs „er keinen einigen Studioſum, auch ſeinen anbefohlenen Diſcipu- „lum d) nicht, mit dieſer Opinion und Meinung begehrt einzuneh- „men, ſondern allein für ſich ſelbſt, ſolche dubia (behalten). So „ſey auch jezt mahlen nicht zu beſorgen, daſs er allhie zu Straſsburg „jemand werde damit ærgern, e) dieweil er in wenig Tagen ver- „reiſsen, und ſich in patriam begeben werde Dazu ihm denn Glück „gewünſchet, und darneben angebotten worden, in ein und andern „dubio ſich gern und willig mit ihm in fernere Collation und Ge- „ſpræch auf ſein Begehren einzulaſſen; welches aber durch ſeinen di- „ſceſſum verhindert worden.

Si

veri Dei filium, & vitam æternam, præeunte ſimili loquendi forma, Joh. XX. 30. eodem Apoſtolo, dixeris.

a) Neque de eo ſatis conſtat, niſi forte priores, cum hic moraretur, annos intelligat, ultimamque illam profanationem ritu *Sociniano*, cui ipſe præfuit, connumeret.

b) Initio jam *Altorphi* hujus abſtinentiæ facto; quod ut & amiciſſimi facerent ea, qua pollebat, εὐλογίᾳ illis perſvaſit. Qua de re, Cap. I. §§. extremis, jam dictum eſt uberius.

c) De his forte, uti ſupra de Divinitate Chriſti æterna, quam tanto ſtudio impugnaverat, ſi Diis placet, dubitans: aut robore argumentorum intus & in animo convictus.

d) Antehac *Varenholdium*, tunc vero *Burgsdorffium*, ſed, niſi jam tum ab eo ſemotus fuerat, mox avocandum, immo vero jam ſemotum, ſi rationes temporum ineamus.

e) Vt defuerint vires, tamen *erat promta voluntas*; quod ex epiſtolis ſupra demonſtratum dedimus. Conf. Epiſt. *Barthianam*, p. p. exhibendam, ubi, ne quidem in ſuas partes quenquam pertrahere ſe *cupiviſſe*, falſiſſime profecto dicitur affirmaſſe.

Si quid veri in his proloquutus eſt *Ruarus*, & ex animi ſententia, poſtrema certe, de abitu inſtante, promiſſa fuere, quibus recte & accurate ſtetit, & Academiæ confeſtim valedixit. Tantoque lubentius id perfeciſſe propoſitum credibile eſt, quanto magis, ne & ſibi, de pluribus interrogato atque prodito ab amicis *Noribergenſibus*, captivitatis, aut minimum ex Academica ſocietate excluſionis diſcrimen ſubeundum eſſet, formidabat. Qua de cauſſa etiam verſipellis homo & veterator eximius nihil affirmare auſus, ſed, dubiis ſaltim ſe angi animo, identidem eſt profeſſus, ut non tam rigorem aliquem experiretur, quam miſericordiam examinantium erga ſe commoveret. Quam firmiter enim tota mente ſua jam diu pleraque, ſi non omnia, *Socini* dogmata comprehenſa tenuerit, (etſi momentum controverſiarum extenuaret maxime,) cum ex impreſſa illa & aliquoties allegata verboſaque epiſtola ad *Peuſchelium*, *Platæis*, ſub initium hujus anni, Jenam ſcripta a) colligere eſt, tum etiam aliæ litteræ, non minori confidentia ad eum exaratæ MSctæ, prodiderant; quarum & nos jam ſupra b) fragmenta quædam produximus. Cæterum vel ſola diſtinctio illa inter *veram & æternam divinitatem Chriſti*, qua non, perinde uti *Schopperus*, a *Sonero*, ſibi imponi *Argentoratenſes* hi *Theologi* paſſi ſunt, in aprica luce ponebat, quam belle artem ſimulandi atque tergiverſandi c) *Ruarus* didiciſſet, & adhuc calleret. d)

a) Vid. Cent. II. Epp. n. IX.

b) Cap. I. §. XXXI. ſq.

c) Niſi e latibulo protractus fuiſſet, ne tunc quidem cognitus.

d) Hæc omnia ut tanto confirmatiora eſſent, ſcripſi ad præſtantiſſimum ejusd. Acad. Argentoratenſis Theologum, amicitia & benevolentia in me ſincera apprime cognitum, *I. H. Barthium*, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, & non multo poſt præmaturo fato defunctum, a quo ſequens reſponſum, breve quidem, ſed priori narrationi, quod ad ſummam rei attinet, prorſus conſentaneum, retuli, cum B. L., niſi lectu grave ſit, integrum communicandum.

Suo
Guſtavo Georgio Zeltnero
Amico Optimo
S. P. D.
Joh. Henricus Barthius.

Liceat tandem iterum tecum, Amice Optime, colloqui, qui hactenus ſatis diu tacui. Tu ne id ægre feras, eſt, quod rogo, nec, quod ſcio, ægre feres. Petiiſti a me, ut quid cum Martino Ruaro, Photinianiſmi ſuſpecto, apud nos actum ſit, & quomodo, ejectusne an lubens, Argentorato exierit, Tibi exponerem. Audies hæc ex his excerptis, quæ mecum ex Archivo noſtrate communicavit, Tibique Salutem dicit, Affinis Cariſſimus, Vxoris utpote cariſſimæ Frater germanus, Dn. Jacob Wenckerus, J. V. L. & Reipubl. noſtræ Archivarius, Vir ſane in Antiquitatibus aliisque doctiſſimus & verſatiſſimus, forſan jam aliunde Tibi notus, ex editis ſpeciminibus, qualia ſunt Collecta Archivi & Cancellariæ Jura &c. Argent. 1715. & Apparatus & Inſtruct. Archivorum ex uſu noſtri temporis Argent 1713. & Tract. de Pfalburgeris, Vsburgeris & Clevenburgeris, quæ ſuo elogio mactarunt Act. Lipſ. de A. 1715. p. 401. & 1714. p. 517. Sunt vero iſta: Im Jahr 1616. war Martinus Ruarus

§. XXXVIII.

At missum jam faciemus *Ruarum*, & eo, unde digressio facta est, tandem ex ambagibus revertemur, *Noribergam* nimirum revisendam, ut, quid porro de captivis adhuc statutum sit, cæteraque cum illis gesta, plenius percensere aggrediamur. Heic itaque *Peuschelium*

Holsatus J. V. Candidat. allhier zu Strassburg, welchen Bürgemeister und Rath der Stadt Nürnberg durch ein Schreiben an hiesige Obrigkeit vom 19. April. 1616. dess Photinianismi beschuldigt, und avisirt, dass er zu Altorff solche verdammliche Secte soll defendirt haben, und sich einen Anhang zu wegen gebracht, darunter auch etliche ihrer Stipendiaten und Burgers-Kinder gewesen. Ja er Ruarus ihr Antesignanus, fürnehmster und geübtester in ermelten abscheulichen Sect nominirt und angegeben worden, wie sich auss eingezogener Kundschafft und Examination erfunden. Verwarnen derowegen, damit besagter Ruarus allhier nicht etwa auch ein Anhang machen möge, und also dieses venenum weiters propagirt, sondern demselben so viel möglich vorgebauen und fürkommen werde.

Herrn Ræth und XXI. haben die Sach zu untersuchen und Ruarum zu beschicken Herrn DD. Theol. Johann Bechtoldo und Joh. Taufrero anbefohlen, welche den 1. Jun. 1616. mit Martino Ruaro gehandelt, und ihme solches vorgehalten. Der dann auf die Frag: Ob er ihme nicht etwan unterstanden auf eine oder andere Weiss einen Anhang zu machen? geantwortet, dass er keinen einigen Studiosum auch seinen anbefohlenen discipulum mit dieser Opinion und Meynung begehret einzunehmen, sondern er habe allein für sich selbst solche dubia, so seye auch jeztmahlen nicht zubesorgen, dass er allhier zu Strassburg jemand werde damit ærgern, dieweil er in wenig Tagen werde verreisen, und in patriam sich begeben. Wie er dann auch bald darauf von hier sich weggemacht und verreiset, wie solches durch besagte Herrn DD. Theol. wieder referirt und angezeigt worden.

Hæc sunt, quæ ex Archivo Tecum communicare potui. Procul dubio etiam in Archivo Conventus Ecclesiastici aliqua latent, quæ tamen a Dn. D. Præside nostro nondum obtinui, quem iteratis vicibus jam rogavi. Si obtinuero, prompte mittam. Vale Amicorum Optime. Disputationes duas mitto de tempore Dei flato, alteram Tibi serva, alteram, si placet, trade Dn. D. Bajero, Collegæ Optimo, cui de meliori me commenda. Jungo ultimum Programma, de quo judicium mihi expeto, annon e re sit, sæpius loqui, quid in Ecclesiis nostris emendandum. Ego plura hac vice loqui non consultum putavi, memor illius Christi: Ich hætte euch noch viel zu sagen, aber ihr kœnnts nicht ertragen. Vale iterum. Vnum tamen rogo, ut mihi communices, si quæ apud vos de Melchiore Hoffmanno homine Seculi XVI. fanatico, & Eccl. Arg. turbatore ejusque discipulis in Archivis latent. Video enim Te ad intimiora admitti. Citatam vidi disp. M. Hoffmanni de Hoffmannistis Lipsiæ hab. 1700. in Erevnantis dubiis vexatis Sec. I. p. 56, quæ superiori anno prodierunt. Si reperitur apud Disputationum Mercatorem vestratem, qui ad nos etiam aliquando excurrit, rogo, ut meo nomine emas, & data occasione mittas, ego pretium grata mente restituam. Meus ex Sorore nepos de illo disputaturus est, si Deo placuerit. Vale denuo & mihi favere perge, qui hæc Tibi mitto per Dn. Mullerum, Mercatorem Norib. qui nundinas nostras frequentat. Argent. d. 20. Jan. 1719. Nobiliss. Dn. Wurzelbaurio de meliori me etiam commenda, si occasionem nanciscaris, cui nuper etiam mitti suasi Germaniam egregie a b. m. D. Eisenschmidtio nostrate delineatam, de qua re me consuluit frater Eisenschmidtii, Civis Argentinensis & Faber Stannarius.

ſchelium, poſt brevem moram, a) ex inferiori carcere ad ſuperiorem & in turris cuſtodiam priſtinam reductum eſſe, poſteaquam planius & candidius quædam ediſſeruerat, calamique & oris petulantiam luerat, ante omnia monendus eſt *Lector:* Quantumvis non diſtinctè ſatis tempus atque diem hujus iteratæ translationis definire poſſimus. Neque tamen gratum adeo id quoque juveni male adhuc ſano hoſpitium renovatum fuiſſe, hinc demonſtrari poteſt, quod omni virium contentione ex eo tempore, & multo quam ante operoſius, laboravit, ut fidejuſſione, quanta ſatis eſſet, interpoſita, liber in domum paternam (is enim in vivis adhuc ſuperſtes erat,) dimitteretur. Idemque etiam reliquos ejusdem defectionis a vera fide ſodales ſemel iterumque expetiiſſe accepimus. Quanquam enim privatim coram b) colloquendo, & ſcriptis quoque litteris c) rationes in utramque partem conferendo, de reducendis in viam rectam tribus iſtis juvenibus jam ſerio actum erat, hucusque tamen non multum, præterquam in *Cornelio Marci* cæteris ſanabiliori, profici potuit. Hic certe ſolus, uti dociliorem ſe & proclivem magis ad ſcrupulos conceptos, interveniente meliori informatione, ejiciendos, primo ſtatim tempore, ex animo ſpem oſtenderat: ita quoque Venerabilis *Fabritii*, Antiſtitis Sebaldini, opera cumprimis adhibita, ad frugem mox rediit, & maxima ex parte reſipuit. Etenim, ſolum & ſolutu multo facilius, de *Obſervatione & Obedientia Præceptis divinis præſtitu poſſibili*, dubium male eum habuiſſe omnium diutiſſime, cognovimus. De una certe hac quæſtione ſuperſunt litteræ ex carcere ad laudatum Theologum perſcriptæ locupletes ejus rei teſtes, quas καὶ ἐπιτομὴν L. B. exhibere non pigrabimur.

Sal. & Obſervantiam"

VIR &c.

"*Etſi, Vir Reverende, omnique obſervantia colende, non minus ridicula mul-*"
"*tis viſa eſt diſputatio, de Obedientia hominis in hac vita, quam Pontificiorum*"
"*de Purgatorio, Platonis de Idea, Peripateticorum de prima materia, Alchymi-*"

 ſtarum

a) Vix unius alteriusque diei interjecto intervallo. Etenim, ſi rationes recte ſubducas, omnino ſex aut ſeptem dierum ſpatium hanc oris & calami procacis caſtigationem vix exceſſiſſe, apparebit.

b) Si quando eos inviſendi Clariſſimis Paſtoribus Amicisque aliis copia fieret & poteſtas. A quibus etiam libros meliores fuiſſe ſubminiſtratos, ſi poſcerent, non ignoramus.

c) Quæ tamen maximam partem perierunt ſchedæ. Niſi quod unicum illud, quod p. p. exhibebimus, & *Peuſchelianum* αὐτόγραφον alterum inferius proponendum, documentum ejus rei præbent.

„*starum de Lapide Philosophico, Poëtarum de Chimæra aut Scylla,* (*Ecquis* „*enim unquam mortalium vel hancvel illum vel istud in rerum natura esse, ad* „*oculum, ut dicitur, demonstrare ausus est?*) *non desunt tamen argumenta* „*e sacris paginis petita, quæ alicui persvadere videantur, hominem renatum* „*posse non peccare. Potentiam inquam, innuere videntur: potentia vero di-* „*citur id, quod aliquando possit produci in actum Aristot. IV. & XII. Metaph.* „*Ista argumenta a nonnullis mihi proposita tantum effecere, ut hactenus credi-* „*derim, hominem regeneratum posse desistere a peccatis. Nec non videbam,* „*stante hoc dogmate infinita pæne in Theosophia poni absurda, tollentia cum* „*Majestatem unigeniti filii Dei, tum consolationem nostram maximam. Quo* „*circa scrupulos animum meum diu torquentes jussu & auctoritate Magnif.* „*Nobiliss. & Ampliss. Dominorum & Patronorum meorum omni cultus gene-* „*re prosequendorum &c. Reverendæ Dign. T. propono, nimiopere rogans, ut* „*eos, ea, qua potest, fidelitate mihi eximat, meque, quod unice exopto, erran-* „*tem in veritatis tramitem reducat. Enitar sane, ut ingratitudinis notam* „*haud subeam. Vt autem confusionem, quæ mater errorum est, vitem, omnia* „*syllogistica forma proponam & stylo simplici. Veritas quippe & animi* „*candor verba, ut ille ait, blandicella spernit, & parvi æstimat. Et si errave-* „*ro vel scriptione vel locis citandis* (*Testamentum enim Græco-Latinum cum* „*versuum annotatione* a) *quo maxime indigerem, ad manus, ut & reliqui* „*libri, non est*) *R. T. D. Patres imitetur, quibus filiorum interdum balbutien-* „*tium errores gaudio sunt. Interim R. T. D. Deo Opt. Max. commendo.*

Hinc proposita quæstione duplici forma:

An homo regeneratus possit obedire præceptis Dei?
An homo renatus possit non peccare?

Affirmantem (compendifacere enim lubet verbosam explanationem) sententiam sequentibus argumentis munivit:

„1. *Quia sint facilia præcepta Dei* 1. *Joh. V. Matth. VI. ult.*

„2. *Renati ex Deo, non peccant, immo non possunt peccare.* 1. *Joh. III. coll.* „*Joh. I.* 1. *Joh. I. &c.*

„3. *Omnia possibilia sunt credenti Marc. IX.*

„4. *In Christo manentes, ambulant, sicut Christus* 1. *Joh. II. In Christo ma-* „*nent* 1. *Joh. III. ult.* 1. *Joh. IV. &c.* 1. *Joh. II.*

„5. *Quicunque Christum agnoscunt & amant, præcepta ejus servant,* 1 „*Joh. II.* 1 *Joh. III. Joh. XIV.* 1 *Joh. V.* 2 *Epist. Joh. &c.*

6. *Iidem*

a) Erat ergo ad manus Nov. Testam., sed exemplar in sectiunculas minores a *Rob. Stephano* olim perquam commode, non tamen semper accurate, partitum deerat.

6. *Iidem crucifigunt carnem &c. qui pertinent ad Christum Gal. V. ult.*"
7. *Nos præcepta ejus servamus* 1. *Joh. III.*"

Sed & negantia argumenta subjunxit, atque ad ea respondit.„

Obj. I. Si Paullus non potuit non peccare, multo minus alii. Prob. ex Rom." *VII. a vers.* 14.--*ad finem.*"

Resp. Paulum loqui per Prosopopœiam, non de se, ut renato, sed de persona" *cum carne adhuc luctante*, a) *& in qua concupiscentiarum focus nondum est*" *extinctus. Alias enim sibi ipsi contradixisset.* b)"

Homo a Paulo c. VII. descriptus:	*Homo regeneratus*
1) *Carnalis est vers.* 14.	1) *Non est carnalis c. VIII,* 2. *sq.*
2) *Venundatus sub peccato:* 16.	2) *Liber a peccato:* 16.
3) *Peccatum in eo habitat:* 20.	3) *Mortuus est peccato VI,* 7.
4) *Non placet Deo; carnalis enim non placet c. VIII.*	4) *Placet Deo.*
5) *Captus est in lege peccati:* 23.	5) *Mortuus est legi VII,*6. *& VIII. &c.*
6) *Peccatum in eo operatur:* 20.	6) *Carnem habet cum concupiscentiis crucifixam Gal. V,* 24.

Contradictiones hæ obstant, quominus adstipulari possim dicentibus Apostolum hic de sua persona loqui, ut homine regenerato.

Alias quoque multas ostendunt alii, quæ in memoriam nunc non incurrunt. Hoc tamen silentii nube non involvendum, quod in quibusdam Veteribus Exemplaribus & Ariæ Montani verba illa, --25. *Gratias ago Deo per J. Christum Dominum nostrum, includantur parenthesi: quasi Apostolus ista de se loqueretur, Deo gratias agens, pro liberatione a peccatis & pugna carnis.*

Obj. II. Ex verbis Johannis 1. *Joh. I,* 8. *Si dixerimus, nos peccatum*" *non habere &c.*"

Resp. Distinguendum videtur: Aliud scil. esse, peccatum non habere," *aliud non peccare. Peccata habere vel regeneratos extra dubitationis*" *aleam est positum. Nam successive regeneratur homo & carne nondum*" *victa*

b) Forte, cum *prævalente* adhuc carne luctante, voluit dicere, sive ante conversionem, sive in limine & progressu ejusdem, ubi vehementior est σαρκοπνευματομαχία. Quo sensu *Episcopius* cum *Arminio & Socinianis* quibusdam hunc locum, in quo tamen *interioris hominis, jam geniti*, fit mentio, explicat.

c) Haud dissimiles oppositionis & contradictionis partes contexuit, suæque *Explicat. Cap. VII. ad Rom.* subjecit priori & breviori *Faustus Socinus*: Cujus confer Opp. T. I. f. 90. (b) Vnde fortassis hæc dubia *Marciana* antehac fuere desumta, & alio duntaxat ordine ex memoria felici hac occasione proposita.

„*victa in multa labetur peccata. Ea habere dicitur. Nam ita Deus re-*
„*mittit peccata, ut nisi desistamus a peccatis non obliviscatur præteritorum.*
„*Vt patet ex exemplo scelesti illius servi Matth. XVIII. &c. sic Pater cœ-*
„*lestis &c.*

„*Obj. III. Salomo c. XXIV, 16. ait Justus die cadit septies.*

„*Resp. Casum hic intelligi non peccatorum, sed fortunæ bonorum contex-*
„*tus convincere videtur, qui, quia ad manus non est, id nunc ostendere ne-*
„*queo. Videatur nota a D. Luthero in margine posita, ad vocab. fællt.*
„*Notetur & hoc, verbum die in Germanicis Bibliis non extare.*

„*Obj. IV. Omnis justitia nostra tanquam pannus menstruatæ Esa.*
„*LXIV, 6. &c.*

„*Resp. Non dicimus, nos coram Deo justos esse legis impletione, sed nos*
„*teneri implere legem. Omnes enim habemus peccata 1. Joh. I. Si nun-*
„*quam laberemur in tota vita tunc fortassis justitia nostra valeret. Hoc*
„*vero nemo hominum excepto Christo, unquam potuit. Præterea videtur*
„*Propheta ibi loqui, de maxime impiis, ut ex verbis sqq. apparet.*

„*Scrib. V. Kalend. Maj. A. MDCXVI.*

R. D. T.
addictissimus
Cornelius Marci.

§. XXXIX.

Respondit ad hæc (sic enim visum est carptim ea repetere,) Cl. *Fabritius* sine mora, & ad I. quidem Obj. limitando, *quæ prorsus omnique ex parte & sine omni conditione facilia sunt*, &c. Item facilia esse *quoad delectationem* Rom. VII. *Impleri adeoque leviter & jucunde Spiritu per fidem* &c. Ad II. *de tota doctrina Christi agere, & facilitatem non esse intelligendam* νομικῶς, *sed Evangelice.* Porro: *Non grauia esse quoad imputationem, licet quoad perfectam obedientiam.* Item: *Lex comparate tantum gravis est (per se) pro varia eorum conditione, quorum respectus habetur, qui vel in carne sunt, vel novas vires cœlitus acquirunt. Superest tamen difficillimum & arduum certamen Sp. cum carne* &c. Amplius: *Concurrunt in regenitis, quæ onus legis leve reddunt a) absolutio a peccato & Christi justitia credenti imputata, quæ facit, ut renatus non amplius sit sub lege damnante &c. b) donatio Spir. quo & affectus & voluntas reformantur, c) affectus in renatis, quo delectantur lege Dei Rom. VII. d) Gratia, qua boni consulitur defectus a patre clementissimo. Sunt Ergo & levia & gravia: Gravia, si ad carnis judicium revocemus, levia si ad Spiritum, uti si quis massam auri sublevet, dulcia & svavia sublatu etiam debi-*

debiliori viribus. Porro duo sunt mandata 1. *Joh.III. Fidei & charitatis. Difficultas non ex natura legis, sed ex carnis vitio. Ipse τὸ non grave esse Joh. restrinxit ad filios Dei* &c. Non *peccant renati proæretice, quam diu sunt & manent renati, nec possunt, ut tamen vel maneant tales* &c. Ad III. *Omnia, quæ pertinent ad gloriam Dei & nostram utilitatem, seu, quæ in verbo Dei, ex quo fides concipitur Rom. X. promissa sunt. Possibilia sive apud Deum, sive nobis, cum simus eorum capaces, ut cera imaginis impressæ, non aqua* &c. Ad IV. *Major loquitur de debito studio & conatu eorum, qui manent in Christo; quod conceditur de renatis. Christus dupliciter considerandus est, ut Redemtor, ut Exemplar. Vtrumque complexus est Matth. XI. ult.* Ad V. *Loquitur itidem de Studio & Conatu, qui obtemperare non studet, vacat fide. Sed de præstatione plenæ obedientiæ actualis non potest concludi. Talis conatus Abrahami pro pio facto reputatus.* Ad VI. *Neg. Consequentia. A crucifixione ad perfectam impletionem legis non valet Consequentia. Veri Christiani cavent, quantum possunt, ne permittant carni, ut innatas concupiscentias producat. Adde Lutherum ad Gal. l. c.* Ad VII. *Præcepta servare idem est ac amplecti Evangelium cum justitia imputata: Deinde legaliter inchoata nova obedientia, quæ imperfecta & tamen placet, quia persona Deo accepta est fide, & quod impletioni deest, id a Deo propter Christum ignoscitur.* &c. &c. Non absimiles fuere responsiones, quibus exceptiones ad argumenta contraria, excepto Illo diluere b. *Fabritius* laboravit, una cum vindiciis Cap. VII. ad Romanos. a) Sed quoniam verbosioribus nobis esse non licet, heic acquiescimus, & libertatem majorem haud difficulter ad saniorem mentem reverso huic adolescenti (quemadmodum & *Vffingero*) non multo post indultam observamus, ita ut jam d. VII. Junii, quo alterum examen subiit in *Curia (auf der Schulstuben)* vel prorsus liber fuerit, vel liberiori certe, quam antehac, custodia frueretur; sicuti ex circumstantiis variis colligere est, & vel sola sequuta deinceps cum cæteris disputatio solemnis, in qua nulla amplius fit *Marcii* mentio, edocet.

a) Præter quas etiam observationem ad Prov. XXIV. approbavit, neque illo loco, si recte recordamur, nostros in præsenti argumento niti monuit. Ad reliqua vero ea quoque regessit, quibus rem omnem ad ambiguitatem tandem redire, atque partim *Evangelium* cum Lege, partim peccata *proæretica* cum παραπτώμασι, quo genere peccatorum & renati προληφθέντες afficiantur, partim denique *perfectionem graduum, partium, animi, comparationis* cum aliis & similibus confundi, aut cum larvis dimicari, ostendit, ipsaque etiam loca *Paulli*, quæ videntur opposita, diverso respectu accipienda esse, docuit.

CAPITIS III.

SECT. II.

Qua Colloquii cum Vogelio Peuſchelioque *inſtituti acta, aliæque Disquiſitiones ſcriptæ, Criminationes item maledicorum, & ſimilia, cum felici exitu, percenſentur.*

§. XL.

Reliquum nunc eſt, ut, quemadmodum *Vogelii Peuſcheliique*, adhuc in cuſtodia exiſtentium, dubiis ſatisfactum ſit, enarremus, & quoniam coram colloquendo id conſtitutum erat perficere conſilium, ejus colloquii rationes hiſtorice a) exponamus. Ad hanc igitur diſputationem ſive colloquium, quando nos defert hiſtoriæ filum & rerum geſtarum ſeries, ingens nobis novumque penſum proponitur, & ultimus, ſed præcipuus profecto, ejus ſcenæ actus, quem peractum felix cataſtrophe conſequuta eſt, relinquitur ſtudioſe deſcribendus. Ea vero cuncta ut ordine exequamur, ante omnia commemorare oportet, quo pacto adverſus inexpugnabilem hucusque *Peuſchelii* & *Vogelii* pervicaciam, conſilium initum ſit, hac via, quantum fieri poſſet, Chriſti Spiritui b) mitiſſimo maxime accommodata, rem hactenus ancipitem experiri, & primo omnium ſententiam hominum in transverſa abreptorum, de novo, diſtincte, qua ſingulas diſſenſionis hæreticæ partes, ſciſcitari: deinde vero cum illis, armis quaſi conſertis, ſerio congredi, dubiaque eorum c) diſſolvere placuerit. Namque ita, Deo adjuvante, præjudicatas perſvaſiones deceptarum & faſcino quaſi quodam correptarum mentium, ſpes erat, ſuperari atque corrigi, & vel tandem eximi ſcrupulos injectos poſſe. Hunc in finem Theologis imperatum eſt, ut de *Theſibus* ſeu *Aphoriſmis, Photinianis erroribus oppoſitis*, cogitarent, quo juſto ordine ſer-

a) Et quidem hac ipſa de cauſſa ſtylo in recitationibus uſitato uſuri. Neque enim, bene an male diſputatum aut reſponſum ſit, nos decet judicare. Plerumque tamen optime nervum fuiſſe inciſum, non dubitamus affirmare, atque hinc vel hoc nomine Colloquium iſthoc copioſius recenſere placuit, ut compendium quoddam ſolvendorum, quibus utuntur *Sociniani*, ſophiſmatum præbere poſſit.

b) Docere, inſtare, convincere ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, quæ arma ſunt ſpiritualia, jubenti.

c) Liberrime propoſita, quod ut facerent, etiam injunctum eſt.

ſervato, quid ad ſingulos ambo reſponderent, &, ubi velut in ſcopulo hærerent, denuo intelligi poſſet; ne qua parte doctrinæ fruſtra diſputando opera perderetur, & quæ in generalibus interrogatis XII. *Jenam Wittebergamque* miſſis deſiderabantur, particulatim expoſita, dilucide magis evolverentur. Hoc itaque conſilio etiam conſcripti ſunt *Aphoriſmi* omnino *Quinquaginta*, a) *Homologetici* tunc dicti, b) iidemque in utraque lingua, & Latina & Germanica, adornati, ut aliis quoque Latinam linguam haud æque callentibus, ſi quid judicamus, inſervirent, & fortaſſis etiam *Leimero* ac ſimilibus, qui in ſuſpcionem ſocietatis nefandæ venerant, proponerentur. Ne ſpecimine B. L. careat laboris utiliſſimi, en tres priores, & quidem, ut nunc præſto ſunt, aſſertionum forma, in vernacula noſtra, expreſſos, cum antitheſi attexta.

I. Daſs in dem einigen unzertrennlichen Gœttlichen Weſen ſeyen drey Perſonen. Wiederſprechen die ſchwermeriſchen Photinianer, indem ſie œffentlich ſchreiben, daſs man ohne greuliche Irrthum nicht glauben kœnne, wenn man ſage, daſs nur ein GOtt, und doch drey Perſonen, deren jede GOtt ſey; ſintemahl hierinnen eine contradiction und Wiederſprechung begriffen, ſich erweiſen thue. c)

II. Daſs dieſelben drey Perſonen ſeyn und heiſſen, die erſte der Vater; die andere der Sohn; die dritte der Heilige Geiſt. Wiederſprechen gleichfalls obgedachte Schwermer, und geben nit zu, daſs der Heilige Geiſt eine Perſon ſey.

III. Daſs der Vater von Ewigkeit her den Sohn habe gezeuget. Wird von ihnen den Photinianern auch verneint, um willen, die-

 weil

a) Qui capitibus *novem* comprehendebantur.

b) Sed παχυλῶς; quia materiam deinde confeſſioni præbuerunt, hactenus vero ſententiam Eccleſiæ noſtræ veram, &, quid de *Sociniana* hæreſi contraria ſentiret, confeſſionem exponerent, ordinique tandem in colloquio obſervando inſervirent.

c) Forte, uti ex Antitheſi addita colligitur, hæ Theſes hac forma, non ſolum, ut Confeſſioni & Diſputationi materiam præberent, conſcriptæ, ſed in gratiam ſimul eorum, quibus Doctrina *Socinianorum* portentoſa penitius cognita haud erat, adornatæ, & eum in finem potiſſimum ita conceptæ ſunt, ut, quo de argumento ordine diſputaretur, quotquot præſentes eſſent colloquio, & abſentes quoque harum rerum curioſi, pernoſcere poſſent, ac forte aliis quoque, qui præſto non erant, momentum & argumentum hujus diſputationis innoteſceret: Vtrum Beneficiariis quoque eædem, *tanquam norma* quædam, ſecundi ordinis, & hoc ſenſu proinde a b *Dinnero* iisdem in *Fama Acad. Altorph.* dicantur fol. 25. *præſcriptæ*, alii judicent. Ego enim præter hæc diſtinctius nihil comperire potui, nec verba illa ſatis intelligo.

„weil GOtt unverweſslich und unſterblich, ſo habe er auch nicht na-
„türlicher Weiſs den Sohn zeugen, oder gebæhren kœnnen; Sinte-
„mahl das Erzeugen davon geſchrieben ſtehet, (du biſt mein Sohn,
„heut hab ich dich gezeuget) ſey nit von Ewigkeit, ſondern in gewiſ-
„ſer Zeit geſchehen, und ſey dieſe Geburt nichts anders, als eine An-
„ordnung und Erwehlung, dadurch Chriſtus nach ſeinen Leiden
„und Sterben zum Kœnig erwehlet und beſtættiget worden.

„IV. Daſs der Sohn GOttes der eingebohrne genennt werde, die-
„weil er einig und allein aus der Subſtanz und Weſen deſs Vaters von
„Ewigkeit her gebohren iſt. Verleugnen die Photinianer allerdings
„und ſprechen, daſs er darum der einige genennet werde, dieweil er
„durch GOttes Krafft allein in den Jungfræulichen Leib empfangen,
„und ſeinen Anfang und Vrſprung keinesweges von Manns Gewalt ha-
„be, ſondern von GOtt ausgegangen ſey: Item dieweil er geheiligt
„und in dieſe Welt geſandt, daſs er ein Prophet were, zu verkündigen
„das Evangelium; fürnehmlich aber dieweil er GOtt gleich ſeye in
„ſeinem Reich, da er über alles regiere und herrſche." Ad hunc mo-
dum reliqui formati fuere. Quos omnes verbotim in calce deſcri-
ptos exhibebimus.

Plura enim ex illis repetere non vacat, a) & ad calcem hujus ca-
pitis fortaſſis ex *Confeſſione* paullo aliter formata & a converſis ſub-
ſcripta, (qua forma indutos tunc integros b) dabimus,) iidem fa-
cile colligi poterunt. Ne tamen conſpectus aliquis eorum deſit, ſed
reliqui, qui de ſummis fidei Chriſtianæ myſteriis agebant, per com-
pendium exhibeantur, argumentum erat Vti. *De Filii Dei cum
Patre coæterna eſſentia.* VI. *Diſtinctius de æqualitate P. & Fil. non tan-
tum ratione potentiæ & gloriæ, ſed ſubſtantiæ & naturæ.* VII. *De Exi-
ſtentia & Origine Fil. Dei a Patre æterna.* VIII. *De creatione mundi
a Filio peracta.* IX. *De Divinitate ejusd. Filii Dei per eſſentiam.* X. *De
Divinitate vera Sp. S. ejusdemque cum P. & Filio* ὁμοουσίᾳ *& honore ado-
rationis divinæ.* XI. *De duabus naturis in Chriſto Divin. & Humana.*
XII. *De Humanæ Nat. in Divina Fil. Dei ſubſtantia & unione utriusque
perſonali.* XIII *De Communicatione Idiomatum mutua.* XIV. *De
Obedientia Chriſti activa Legi Dei exacte præſtita.* XV. *De Sacrificio
Chriſti in his terris peracto & oblato, & quidem* XVI. *in Cruce,* XVII. *De
Satisfactione Chriſti loco omnium hominum vicaria.* XVIII. *De Expia-
tione*

a) Neque etiam propter verboſiorem prolixitatem commode typis exſcribi poſ-ſunt.

b) Eosdemque & pauciores & brevio-res.

tione hominum apud Deum hoc ipso sacrificio procurata. XIX. *De Purificatione nostra a peccatis per sanguinem J. Christi.* XX. *De immortali Christi post resurrectionem corpore.* XXI. *De Christi vera carne & sanguine in gloria.* XXII. *De æternitate Sacerdotii & Regni Christi.* XXIII. *De intercessione Christi pro nobis in Cœlo.* XXIV. *De adoratione & Fide in Christum fundamento divinitatis ejus æternæ innitente.* XXV. *De Imagine Dei per lapsum amissa.* XXVI. *De Peccato originis omnibus hominibus connato.* XXVII. *De Corruptione Lib. Arb. per lapsum.* XXVIII. *De impossibili Conversione sine Spir. S. supernaturali gratia.* XXIX. *De perfectione Legis Mosaicæ.* XXX. *De* ἀδυναμίᾳ *naturali hominum præstandi Legem, Christique ejusdem impletione.* XXXI. *De justificatione gratuita propter Christum ejusque satisfactionem & meritum.* XXXII. *De natura fidei cum fiducia apprehendentis meritum Christi & promissa Evangelica.* XXXIII. *De Fide justificante in actu justificationis operibus opposita.* XXXIV. *De imperfecta renatorum in hac vita nova obedientia & hallucinationibus.* XXXV. *De impossibili renatis impletione legis, ut non peccent.* XXXVI. *De possibili reditu a lapsu ad pœnitentiam nunquam denegato.* XXXVII. *De baptismo aquæ a Christo instituto & mandato.* XXXVIII. *De regeneratione & justificatione per aquam baptismi.* XXXIX. *De baptismo infantum necessario.* XL. *De* ῥητῷ *in S. Cœna servando.* XLI. *De manducatione non meri panis, sed etiam Corporis Christi &c.* XLII. *De orali C. & S. Christi, sed supernaturali esu.* XLIII. *De Efficacia S. Cœnæ ad confirmationem fidei, Remissionem peccatorum &c.* XLIV. *De Ecclesiæ Christi perpetuitate.* XLV. *De vocatione Ministrorum Ecclesiæ legitima & necessaria.* XLVI. *De libertate, Christiani Magistratus opem adversus alios implorandi.* XLVII. *De Bellis libere gerendis, si necessitas postulet.* XLVIII. *De Resurrectione in extremo die omnium hominum expectanda.* XLIX. *De eodem numero corpore s. carne resurrecturo.* L. *De iisdem his nostris corporibus æterna felicitate beandis.* a) Tantum de Aphorismis; qui

a) Quoniam priorum aliquot, ut gustum daremus, *Aphorismorum* ipsissima verba exhibuimus, en duos quoque postremos verbotim exscriptos! Aph. XLIX. „Daß un„ser Fleisch, mit welchen wir anjezo um„geben, nach den Articul deß Glaubens: „Ich glaube eine Auferstehung deß Flei„sches; auferstehen werde, wollen die „Photinianer nicht, daß das jezige Fleisch „nach den Worte, auferstehen, solle verstanden werden, sondern erklærens auf" diese weis: Dasjenige, was Fleisch gewe" sen ist, soll auferstehen, nach den worten" 1 Cor. XV. Fleisch und Blut werden das" Reich GOttes nicht ererben. *Aphor. L.*" Daß diese Leiber, so wir in diesem Leben" an uns tragen, die sage ich, werden zu-" gleich mit denen die wir hernach tragen" und haben auferstehen und in der Herr-" lichkeit erscheinen, wollen die Photini-"

t. t. pro argumento, uti imposterum edendæ confessionis, ita nunc disputationis habendæ, propositi, & auctoritate *Senatus Inclyti* a *Joh. Schrödero*, Ecclesiaste Laurentiano (ita enim MSctum quoddam exemplar nos docuit) consignati fuerunt. Ad quos etiam in ipsa disquisitione multoties respexit utraque pars colloquentium. Eosdemque in carcerem quoque fuisse captivis, ad perlustrandum, ante disquisitionem susceptam, missos, paullo post ex ipsorum collocutorum ore a) percipiemus.

§. XLI.

Hæc præparamenta fuere: quibus præmissis jam sine obstaculo ad ipsum *Colloquium* progrediemur, & circumstantiis quibusdam primum exquisitis indicatisque, quemadmodum successerit, quisve ejus eventus fuerit, enarrabimus. Inter περιστάσεις *locus* est obscurissimus; si tamen recte meminimus, *in Curia* eoque conclavi, quo supra nonnullos fuisse examinatos b) diximus, habitum esse accepimus. Porro *exordium* conventuum scimus factum medio, & fere inclinante Sextili mense, *finem*que exeunte & ad finem vergente mense Octobri anni MDCXVI. impositum, ordo eorum, quæ dicenda restant, condocefaciet. *Congressus* omnino numerantur *quindecim* solemniores. *Personæ*, quæ præfuerunt pariter atque interfuere, sequentes nobis innotuerunt. Ex præsidibus aderant *Curatores Academiæ* & *Scholarchæ* Generosissimi, Dn. *Georg. Volkamer*, Eccl. & Schol. t. t. Ephorus: Dn. *Leonhardus Grundherr*, Dn. *Christophorus Læffelholz*, & Dn. *Mart. Pfinzing*, Septemviri & Senatores Illustr. Reipubl. Noriberg. Consulares. c) Colloquuti cum *Peuschelio* & *Vogelio* ordinarie leguntur Theologi primarii. d) Alter fuit *Joh. Fabritius*, Antistes Ministerii & Superintendentis nomine adhuc ab altera parte interdum compellatus, (quanquam publice is titulus cum *Helingo* e) jam exspiraverit) idemque

„aner nicht glauben, sondern sprechen: „Die Leiber der Gottseeligen und Gerechten werden allerdings nicht fleischlich, „sondern geistlich, himmlisch und unsterblich seyn &c.

a) Vid. §. XLII. sqq.

b) *Die Schul-Stuben* olim appellari consvevit, hodie vero *die Stern-Stuben*, a figura *Stellæ*, in medio laqueari affabre expressæ, vocatur, &, tam propter nitorem eximium, quam amplitudinem suam, inter reliqua conclavia splendidissimæ *Curiæ Noribergensis* non postremo loco habendum est.

c) Iidemque non generis tantum nobilitate, sed meritorum etiam gloria atque eruditione singulari, cujus etiam in committenda Academiæ curatela inprimis ratio habetur, spectabiles.

d) Parochialium Ecclesiarum Antistites primarii.

e) Cujus vita consulatur A. 1714. publicat. §. LXVI. Cui titulo hodie *Antistitis Ministerii*

que Sebaldinæ Ecclesiæ Pastor, Vir doctus, & *Philippi Melanchthonis* scholæ addictissimus. De quo ea propter aliquando ad *Gerhardum Schröderus* : *Scire gestis, quomodo cum Collegis mihi conveniat ? Respondeo: Cum Dn. Fabritio raro conversor, sino illum frui suo ingenio* &c. Alter vero *Joh. Schröderus* erat, Laurentianæ Ecclesiæ & parochialium secundæ Pastor, *Svinfurto* haud ita pridem huc vocatus, itemque quod *Formulæ Concordiæ* esset deditus, *a Collegis, Fabritioque, Philippi* scholam olente, inprimis diu multumque a) huc usque exagitatus : quanquam sub id tempus, quo hæc agerentur, fluctus illi maxima ex parte essent compositi. Præter hos vero etiam *Georgium Königium*, Pastorem & Prof. Theol. Altorphinum præsto in prioribus congressibus affuisse scimus; qui aliquoties etiam reperitur interloquutus, nec infeliciter tricas subinde aliquas nobis videtur solvisse. Reliqui fuere Diaconi Noribergenses, videlicet M. *Georgius Faber* b) & M. *Melchior Rinder*, c) Verbi divini ambo Ministri præ cæteris eruditi: Aderant autem præter hos Diaconus etiam Sebaldinus M. *Christophorus Reich*, qui simul Reipubl. t. t. erat Bibliothecarius, d) & fere solus inter hos aliquando colloqui ac interfari consveverat; denique & M. *Leonhardus Lemmer-*

Eccl. Norib. succesfit, *Pastori Sebaldino* hac nostra tempestate proprius.

a) Post colloquium præcipue ex mandato Perillustris Senatus cum eo a *M. Joh. Fabritio Sebald. Georgio Wernero* ad Sp. S., *Salom. Schweiggero* ad D. Martin Pastoribus, & Diac. Laurentianis, Michaële *Rittero*, atque G. *Holfeldero*, d. 7. Junii A. 1611. habitum, in quo tertium Genus communicationis idiomatum, (uti in F. C. ordine collocatum est,) & alia, de quibus in *Tabula* quadam alibi jam Noribergensium plerorumque sententia, t. t. obtinens, exhibita est, defendere videbatur. Quibus tamen omnibus, quæ h. l. enarrare nimis longum esset, hac formula a b. *Schrödero*, præter subscriptionem LL. Normalium solitam, etiam extra ordinem addita : *Ego M. Joh. Schröderus profiteor, me in hac Noribergensi Ecclesia nihil propositurum, quod ab harmonia duodecim Librorum, quibus Norma doctrinæ hic recepta continetur, abhorreat. Act. X. Junii A.* θεογονίας 1611. ita finis est impositus, ut quieto eidem dehinc esse licuerit.

b) Vffenhemio Francus, A. 1605. Pastor *Lichtenaviensis*, A. 1610. *Lauffensis* & A. 1616. nuper admodum, Diaconus ad *D Laurentii* Noriberg. : Qui *Prof.* etiam *Hebr. Ling.* creatus, & Dispositor Laurentianus A. 1634. ex hac vita excessit.

c) Non multo post in ædem *Sebaldinam* translatus, in qua functione eod. A. 1634. diem obiit suum.

d) Diaconus antehac *Eccl. ad Sp. S.*, ex qua A. 1605. ad *Sebaldinam* provectus, atque tandem A. 1632 ex pestilenti morbo, qui h. a. *Noribergæ* grassabatur, Oeconomi rerum parochialium antea gradum & dignitatem adeptus, una cum M. *Christoph. Leibnüzio*, vita pie defunctus, eodemque, quo ille, die contumulatus est. Merita in Biblioth. publicam Viri eruditissimi non est cur h. l. prædicemus, quoniam a b. *Jo. Sauberto* in *Histor. Bibl. Noriberg.* ea jam ex merito deprædicata nostram hanc laciniam attextam haud postulant. Scriptorum nihil superest, at poëmata varia ejus in hac arte peritiam luculenter comprobant.

mermann, Rector Scholæ Sebaldinæ hoc ipſo tempore conſtitutus, & Alumnorum Altorph. antehac Inſpector, atque deinceps Tertiæ Claſſis in Gymnaſ. Academico Præceptor. Inter quos, quæ utrinque pronunciata eſſent, in commentarios retulere *Faber* & *Rinderus*, itemque *Lemmermannus*; ſic tamen, ut quorundam diligentiam accurationemque in ſcribendo colloquentes Studioſi pariter ac Theologi magnopere deinceps deſiderarent: qua de re infra & extremo hoc capite IIIo. differendi occaſionem nobis datum iri, ſperamus.

§. XLII.

Atque adeo jam nihil reſtat, quam ut ipſius *Colloquii Compendium* a) quoddam annectamus, eumque in finem potisſimum L. B. id exhibeamus, ne ſola auctoritate atque vi minisque oppreſſos magis, quam rationibus ſolidis ex Verbo Dei convictos eſſe, quod jam auſi ſunt pronunciare malevoli, porro clamitent rerum geſtarum ignari. Retundendæ ergo hujus calumniæ gratia omnium congreſſuum accuratum recenſum inſtituere, dictorumque præcipua in utramque partem momenta juſto ordine repetita evolvere, conſtitutum eſt. Cujus inſtituti præter alias hanc quoque utilitatem ſperamus fore maximam, ut vel hinc pateat, quodnam ſit *Socinisſmi* πρῶτον ψεῦδος, b) &, quibus everſis fundamentis, reliqua omnia facilem ruinam minentur. *Congreſſus* itaque omnium *primus* celebratus eſt *d.* 21. *Auguſti*, in quo *Joh. Fabritius Joachimum Peuſchelium* (hic enim ſolus hac vice comparuerat) his ipſis verbis allocutus legitur:

Defectionem tuam, Ornatisſime Dn. Peuſchell, c) *ab orthodoxa Eccleſia in multis fidei Chriſtianæ articulis, equidem vehementer doleo, & toto pectore oro Deum, ut cor Tuum Sp. S. illuſtret, regat, & in viam veritatis perducat, ut ſinceram Eccleſiæ doctrinam recipias, & Corporis myſtici vivum membrum ſis & maneas, atque ita cum omnibus fidelibus Dei cultoribus æterna ſalute potiare. Quæ noſtrarum partium ſunt, in nobis deſiderari non patiemur, ſed dabimus operam ſedulo, ut præſtemus, quod a fidelibus Eccleſiæ Paſtoribus requi-*

a) *Epitomen*, inquam, non integrum ſermonum ultro citroque habitorum corpus: quod nimis tædioſum foret. Eum tamen pollicemur Diſputationis conſpectum, qui *ſummam dictorum, ſervatis* etiam, quantum fieri poterit, *verbis* diſputantium, bona fide ſiſtat.

b) Quo ſubruto videlicet cætera facile collapſa eſſe, facilioresque ſe noſtros hoſce eruditisſimos juvenes præbuiſſe, diſputatio hæc edocebit. Cujusmodi inprimis divina Chriſti natura æternaque θειότης fuit.

c) Quæ vel ſola humanisſima compellatio, toties repetita, cum ſvavisſimis amantisſimisque cæteris formulis, quam longe abfuerit a violentia, quicquid eſt in hoc negotio actum, neminem dubitare ſinit.

requiritur, commodis utentes mediis ad oviculas in viam reducendas. In testimonium hujus facimus initium a prælectione Aphorismorum, Photinianorum & vocibus & blasphemiis oppositorum. Qui vobis missi sunt in custodiam legendi & bene ponderandi, ut de singulis vestram exponatis sententiam, ut sciamus, quid de quoque sentiatis. Aggredior ergo institutum. Adsit nobis divina gratia, cœlesti pace comitante.

Ad hæc regerebat *Peuschelius* pariter modestissime:

I. Primo omnium Senatui Amplissimo, Magistratui Patriæ meæ omni observantia colendo, obsequium polliceor, & gratias maximas ago, quod, secundum morem laudatissimum Romanorum, adversario ad dicendum fores aperuerint, nec mihi etiam responsionem denegare voluerint; ad hæc aliquot dies ad legendos & ponderandos Aphorismos indulgere, & mihi in negotio hoc aures præbere benignas, & tempus, atque viros doctos subministrare haud dedignati fuerint.

II. Protestor, me nihil in hoc negotio religionis ex ambitione, aut studio placendi, sed solius veritatis amore omnia egisse.

III. Gratias ago Reverendis & CL. Viris, quod posthabitis negotiis suis gravioribus huic sacræ actioni interesse, & sua præsentia me quodammodo sublevare & erigere voluerint.

IV. Sancte protestor, me sententiam meam in omnium Aphorismorum expositionibus candide expositurum.

V. Tandem Deum precor, ut per Christum suo Spiritu me gubernet.

Huic utriusque præfationi statim subjuncta est *prælectio Aphorismorum*, a) denuo & coram etiam instituta, atque ea quidem ratione modoque, ut ad singulos *Aphorismos* sententiam illico dicere suam juberetur *Peuschelius*, eoque facto ad novum procederetur. Respondit igitur ad I. *Quantumvis Unitatem Dei credat ex animo, de tribus tamen personis in una essentia, ne & Deum & magistratum fallat*, (hæc verba erant ipsius *Peuschelii*,) *& conscientiam suam lædat, non posse se diffiteri, gravissimos sibi scrupulos injectos esse, qui faciant, ut articulum hunc aut prorsus rejiciat, aut saltim assensum suum suspendat.* Quæ porro prægnantibus, ut vocavit, rationibus conatus est adstruere, subinde ad nostrates & *Calvino-Reformatos* simul provocans, solitisque

 Scri-

a) Monendus hic est Lector denuo, ut argumenta singulorum capitum fidei controversorum, de quibus disputatum, ex præcedenti §. XLmo, vel integram etiam confessionem subsequutam, quam §. LXXII. κατὰ πόδα reperiet exscriptam, conferat, & hæc consideraturus respiciat: sine quibus alias responsiones hæ essent obscurissimæ, lectuque molestissimæ, ac pæne ænigmatis speciem interdum referrent.

Scripturæ locis atque ratiocinationibus asserta sua muniens. Quia vero nimis in hoc primo argumento erat verbosus, a) interloquutus est tandem Generosissimus Dn. *Chr. Löffelholz*, &, ut *categorice ac breviter* responderet ad singula, tempori ut parceretur, imperavit; quod etiam se facturum imposterum promisit *Peuschelius*. Atque hinc, ut staret promissis, ad II. Aphorismum *Patrem & Filium pro personis se agnoscere* professus est, *sed non ejusdem essentiæ. Spiritum autem Sanctum pro persona se agnoscere non posse*, ajebat, ob rationes quatuor 1) *quia in salutationibus suis Apostolus Spiritum S. omittat: uti etiam factum sit* 1. *Tim. V*,21. *Luc. XII*,8. *Apoc. III*,5. 2) *Quia multiplicaretur alias essentia divina*, prout ad Imum Aphorismum jam a se monitum sit. 3) *Quia alioquin exempla & testimonia invocationis Sp. S. in Scriptura divina haberentur, quæ plane desint.* 4) *Quia in Scriptura S. legatur, quod multiplicetur, augeatur Spiritus* b) &c. Pari modo & III. Aphorismum pernegabat, eo quod *omni fundamento destituatur in V. & N. T.*, & *Act. XIII. locum illum Ps. II. de Resurrectione Christi ipse explicet Paulus.* Eademque de *Mich. V. Es. LIII. & Psal. CX.* testatus est se sentire. Ad IV. Aphorismum Resp. ex præcedentibus repeti jussit, simul vero *Filii Dei ex substantia Patris generationem se inter ea referre* dixit, *quæ Scripturæ auctoritate destituantur.* Neque etiam V. Aphorismum se posse amplecti, pronunciavit, *propter verba Angeli Luc. I. Sp. S. superveniet tibi &c.* Ita porro inficiatus est ad VI. *æqualitatem* Filii cum Patre, *quia omnia opera sua ipse Filius Patri transcribat. Joh. V. & XI. &c.* Neque etiam VIImum recepit, *quod fundamento itidem verbi divini careat.* Ad VIII. *nullum se errorem pervidere posse in Antithesi in Gal. VI. Si quis est in Christo &c.* Contra IX. *se Christum pro essentiali Deo agnoscere haud posse, propter caussas, ad I. Aphorismum jam ante adductas*, palam affirmavit. Ad X. respondere jussus, provocavit ad antecedentia, addens, *Sp. S. nusquam in Scriptura Deum vocari, quo nomine tamen Angeli & magistratus insigniantur.* Assertum XI.

a) Ex naturali quadam, sive eloquentiæ, sive loquacitatis, quemadmodum scripta cuncta confirmant, consvetudine, haud injuria comprimenda.

b) In illis videlicet locis, ubi non tantum additamentum hujus spiritus, sed etiam *septem spiritus coram throno Dei* Apoc. I. & V. memorentur. Quæ tamen nomenclatura quorsum respiciat, vel ex prophetico, V. Testamentum exprimente aut imitante, stylo, typoque *candelabri* aurei unius, cum lampadibus septem, (perinde, uti Christus sub schemate *agni* eadem de caussa ibidem repræsentatur,) luculenter demonstrari potest. Certe etiam alibi typorum nomina cum antitypo permutari, ut quando *Messias David* dicitur, incolumi utriusque differentia, notissimum est.

XI. Aphorismi *articulum fundamentalem sibi haud videri, quia omni V. D. in V. T. destituatur, ex N. T. autem obscurissima tantum quædam loca proferantur,* professus est. Ad XII. vero monuit, *carere fundamento Scripturæ, atque a Balduino in Disp. contra Antitrinit.* a) *nullam Scripturam pro eo afferri, sed tantum auctoritatem superstitiosi monachi Damasceni.* Quibus notabilia hæc verba adjecit: *Fateor, tantam apud me Scripturæ S. esse auctoritatem & majestatem, ut, si aliquid ex ea proferatur, avide me velle amplecti,* [tester. b)] *Nam vererer, ne me Deus ex Libro vitæ deleret.* De XIII. pronunciavit, *divinissima Filio hominis tribui in Scriptura N. T., sed caussam se hactenus videre non potuisse, cur propterea alia natura in Christo, eaque unius Dei, statuenda sit.* De XIV. mentem exponens suam, constanter negavit, *Christum nostri loco legem implevisse, eo nimirum sensu, quo a Theologis Evangelicis asseratur;* tum, *quia Verbi Dei fundamento id careat,* tum, *quia maxima etiam pars antiquitatis huic sententiæ repugnet.* Aphorismi XV. *antithesin se pro sententia veriore recipere, propter quædam Scripturæ dicta,* asseveravit, atque hinc prælecto XVI. *ex antecedentibus, quid respondeat, jam intelligi posse,* monuit. Ad XVII. *se recipere haud posse* distinctius, ajebat; *quia nusquam legatur, Christum etiam pro peccatis populi V. T. satisfecisse; quod tamen necesse fuisset, si tantus esset articulus fidei, etsi quid* 1 *Tim. II.* 1 *Pet. I. Gal. III. &c. hujusmodi innuatur; ac proinde ad N. T. tempora ea tantum pertinere.* Ita quoque Aphor. XVIII. *se non amplecti,* sine tergiversatione dixit, *propter caussas in scripto suo* [haud dubie Confessione, *Jena* superiori anno *Noribergam* missa c)] *explicatas; in quibus hæc præcipua sit, quod Scripturæ dictum hucusque reperire non potuerit, tunc, quando Christum miserit Deus, eum fuisse humano generi iratum.* Ad XIX. desiderabat *probationem, quod virtus emundandi in sanguine Christi fuerit.* Similiter Aphor. XXo audito, Thesi præferebat Antithesin, propter *rationes in scripto* cit. itidem *allatas,* & *quod Beza quoque neget, sanguinem illum, qui ex latere Christi effluxit, ab eo fuisse reassumtum.* d) Atque

a) Inter priores Fasciculi illius numeranda, quem collectis tandem, quas sigillatim antea inde ab A. 1614. sqq. proposuerat, in unum in lucem publicam dedit A. 1619, titulumque *Collegii S. S. Trinitatis seu Dispp. Theolog. Dodecadis* 4to præfixit. Sola *Damasceni* autem auctoritate *Balduinum* pugnasse, etsi terminis is in Ecclesia receptis hoc mysterium copiose admodum exposuerit, falsum est; quod cuivis Disp. istam perlustranti patebit.

b) Sensus in exemplari, quo usi sumus, hiulcus erat; textura autem sermonis, verbum hoc esse supplendum, jubet.

c) Conf. Cap. III. sect. I. §. VII.

d) Ergone *corruptionem*, quod Psalmo XVI. inficiatur de corpore suo, Christus vel ex parte *vidit* ? Male sic visum est *Peu-*

que sic quoque in XXI. *negativam* aphorismi ut veriorem comprobabat, *quia caussa sacerdotii non fuerit æterna, & quod obstet locus* 1 *Cor. XV. Tunc & ipse filius subjicietur &c.* Recitato XXIIIo inficiabatur, *Christum intercessorem esse nostrum in cœlis, quia Joh. Cap. XVI. Christus ipse abnuat, nullaque sit ejus rei necessitas &c.* Ad XXIV. *Scripturam claris verbis asserere, in Christum esse credendum, caussamque ab ipso Christo addi Joh. V. & III. exaltationem & voluntatem Patris*, respondit. Sic quoque ad XXV. prorsus *negavit, amissam esse imaginem Dei secundum Jac. III.* a) *Theologosque* ajebat *confundere pœnam peccati originalis, in posteros Adami derivatam, cum peccato ipso; atque subtractam supernaturalem gratiam esse respectu posterorum tantum damnum, perinde uti Comes aliquis a Turcis captus servos gignat, ipsamque hinc scripturam, ubi ex professo tractet has pœnas, nihil de corruptione hac humanæ naturæ disserere, v. gr. Gen. III.*, addebat. Prælecto Aphorismo XXVI. ad antecedentia se referebat, *probationes ex Scriptura desiderans solidas.* Idemque ad XXVII. *urgebat, tantoque vehementius, quia alias Deus autor peccatorum, aut hypocrita aut tyrannus esset.* Ad XXVIII. *nullam esse* affirmavit *pugnam inter Aphorism. ejusque Antithesin, modo attendatur, Sp. S. aliquando sumi pro ipso Evangelio &c.* Sed tædium propemodum obrepit, cæteras responsiones omnes plene enumerare, ne vel tempus inutiliter collocemus, vel a subsequutis colloquiis, ubi rationum pondera potius examinata sunt, diutius abstrahamur. Illud ergo breviter & summatim de cæteris responsionibus *Peuschelianis* dicendum, quod etiam hactenus adducta haud obscure indicant, nihil propemodum in illis omnibus pronunciatum esse a confessore, quod vel latum unguem a consveta *Socinianorum* doctrinæ b) analogia

schelio, cui denuo magis *Bezam* audire placuit, quam puriores Theologos, contraria cum Sp. S. docentes.

a) In quo loco tamen non, superesse divinam imaginem inde a prima Creatione, affirmatur; Neque etiam generatim de *vestigiis* quibusdam in anima hominis, ut *spiritus* est, & hactenus Deo similis, agitur: Sed, peræque uti Gen. IX. 6., *de restituta* jam in regenitis, *vel de instauranda* in cæteris, omnique adeo eidem sive maledictis sive nece ipsa illata injuria, impedimento item objecto, eodemque aut jam præsenti & posito aut non ponendo, sermo est. Quanquam etiam pristinam dignitatem, tametsi jam perditam, at tamen a Deo olim collatam, atque ex obscuris ruderibus, v. g. externa specie vultuque erecto, adhuc quodammodo prolucentem, homini aliquam prærogativam præ bestiis conciliare, non dubitemus. Certe locus ex *Jacobo* excitatus imaginem Dei *moraliter consideratam* haud omnino amissam esse, quam etiam passim Sp. S. *restaurari* jubet, minime probat.

b) Seu *errorum*, studiose & instar telarum, quas araneæ e visceribus venenatis texunt, concinnatorum.

gia a) difcreparit. Non poffumus tamen, quin figillatim annotemus, ex frequenti admodum Calvino-Reformatorum eademque paratisfima allegatione conftare, haud injuria ipfi, uti jam Cap. I. animadverfum eft, objectam effe diligentiorem eorum, qui *Calvini* partes tuebantur, quam noftratium lectionem; unde facile accidere potuerit, ut, deferta per naufeam quandam b) illaudabilem Evangelii veritate, tandem plane in *Socinianorum* caftra tranfiret. Eft vero præterea memoratu in his digniffimum, quod nusquam crebrius ad Reformatorum, *Pifcatoris, Bezæ, Bartæ*, c) *Pitifci* & aliorum confenfum nofter ille Confeffor provocarit, quam ubi de Sacramentorum, Baptifmi atque S. Cœnæ, natura & efficacia ad Aphorifm. 38. & fqq. ageretur. Singulare eft, quod ad Aphorifmum XLIV. aperte profeffum obfervavimus *Peufchelium: In ea parte, quæ de Ecclefiæ posfibili interitu agat, nihil fibi certi de Photinianorum fententia* d) *conftare, & facile Aphorifmum fe admiffurum, fi modo cum luna crefcente & decrefcente* e) *Ecclefia comparetur:* quamobrem ea de re parum quoque deinceps h. l. eft difputatum. f) Neque illud deni-

a) Ea nimirum, quam, qui *fobrium ad evertendam Chriftianam religionem Fauftum Socinum acceffiffe*, atque *integrum* ex ingenio fuo efformatum erexiffe *ædificium* erroris, fic fatis fibi conftantis, vulgo dicunt, indigitant, & hærefin hanc, *pofitis fundamentis falfis*, non male deinceps cohærere exiftimant, ut ab homine αὐτοδιδάκτῳ, ingenioque acri & phantafia adjuto, ut conftat, vehementiori, excogitatam, tamque affabre contextam mirentur.

b) Ita enim, quod fas & æquum eft, molliffime eam interpretamur, neque hunc per viam obliquam tranfitum, quem alii, ut invidiam parti adverfæ moveant, alioquin exaggerant, urgebimus.

c) Quis *Bartas* ille?

d) Quam etiam intricatam magis dixeris ab ipfis proponi, atque homines, tantam perfpicuitatem alias præferentes, decet. Nifi forte hæ quoque hypothefes, videlicet, *inquifitu non neceffarium effe, ubi fit vera Ecclefia, notis quippe certis deftituta, nec perpetuo illam duraturam & fimiles*, (de quibus σκεπτικῶς fere difputant,) eo fpectent, ut, quemadmodum alias docent, *de fola vitæ fanctitate*, ubicunque vivamus, folicitos nos effe velint. Quæ ne gratis a nobis videantur dicta, ipfius *F. Socini* de *Ecclefia* perbrevis libellus, A. 1611. Racoviæ impreffus, & in Opp recufus, cujus in titulo hæc verba præfcripta habentur: *Quæftionem de Ecclefia, quænam, five apud quos fit, non neceffariam* effe, collatus demonftrabit.

e) Qua fimilitudine quando ufus eft in Cant. Cant. C. VII. ipfe Sp. S., *externas* ejus vicisfitudines fubinnuens, non tamen unquam, qua ftatum *internum*, proprie dictam Ecclefiam Chrifti penitus defituram, ut *portæ inferorum ei prævaleant*, affirmavit; Sed in hoc ipfo Cantico *fponfam* fibi nunquam non fore, *Chriftus* fponfus dilucide docuit, eamque, quam & *corpus fuum* alias myfticum vocat, cujus *femper caput* eft, fe Pf. LXXII. *quamdiu fol & luna durent*, confervaturum, licet humanis forte oculis non confpicuam & valde preffam, promifit.

f) Quod ideo monendum effe exiftimavimus, ne quid in difputatione omiffum crederetur.

denique prætermittendum, prælecto Aphor. XLV. respondisse *Peuschelium: Sacras litteras pulchre & sancte describere Christianos, puta, quod sint Deo in regnum & sacerdotes investiti Apoc. I. 6. 1. Pet. II. 9. quod sciant omnia 1. Joh. II. 20. & quod credenti omnia sint possibilia Marc. IX, & quod Christus sit omnia in omnibus Gal. II. Col. III. & quod omnia ipsis ad pietatem & salutem scitu necessaria sint donata, 2. Pet. I. Ex quibus & aliis videatur sequi, quemlibet hominem Christianum verum, quique in Lege Domini nocte dieque meditatur, etsi non sit vocatus, docere posse; itaque ipsum Lutherum alicubi dixisse, docentem contra Pontificios; non omnia consistere in officio.* Solum Aphorismum XLVI. mitius, quam *Sociniani* [rigidiores certe a)] reliqui sentiendo, nobis approbasse visus est, quando, *licere Christiano coram magistratu caussam agere,* fateri non dubitavit. Ne tamen & hac in parte sibi deesset, addidit cautionem geminam: I. *ut aliquis juxta præceptum Christi privatim prius admoneatur per unum & alterum, II. ne vita Christiani rei periclitetur, aut mutilatio membrorum ipsi sit metuenda;* breviter, *ut vindicta sive lex talionis absit.* Cætera autem, uti jam dictum est, quanta quanta erant, *Socinum, Ostorodum, Smalcium* aliosque gregales, eorumque scripta ac placita, in succum & sanguinem conversa; per omnia redolebant. Ad L. *Aphorismum* postquam perventum, subsistere placuit, atque hac unius *Peuschelii* ad Aphorismos cunctos declaratione etiam ipsa hæc prima confessio finita est. In qua tamen, quod tribus verbis adhuc monemus, quantumvis pervicacia eadem fuerit, majorem, quam ante hac, respondentis modestiam a nobis quoque isthæc relegentibus deprehensam esse haud dissimulamus. b) Ferociorem enim fuisse, cum ad quæsita primum *Jena* in patriam e longinquo rescriberet, ex superioribus memori

a) Omniumque crassissime I. L. a *Wolzogen*, qui & ipsum officium improbat Opp. T.II. f.268. sq. Limitationes *Volkelius, Ostorodus*, & ipse quoque *Catechismus Racov.* de *Præceptis Christi* quæst. X., addunt, durioremque sententiam temperant. Ex instituto cæteros refutat, & pro magistratus dignitate propugnat *Schlichtingius* Comm. in Rom. XIII. & scripto peculiari contra *Wolzogenium*, de Magistratu, Bello, & Defensione evulgato; nec non *Crellius* Comm. ad Rom. XIII. & *Przipcovius Tr. de Bello & Magistratu* circa finem operum excuso. In qua controversia, supra jam a nobis proposita, laudabile fuit, quod sententiam meliorem elegit, eamque piis monitis (quis enim litigandi temeritatem, aut ipsius Magistratus ad vindictæ privatæ virus tanto securius effundendum abusionem approbet ?) circumscripsit *Peuschelius*; qui, quantum ad hoc, *Paullum* ipsum 1. Cor. VI. 1. seq. præeuntem secutus est.

b) Cujus æquanimitatis non aliam fuisse caussam conjicimus, quam benignam pro caussa sua dicenda facultatem concessam; de quo eventu olim, sed inique, pejora suspicatus ille fuerat.

mori mente tenemus, & vel sola epistola in iis responsionis partibus, in quibus simulationibus operam non dabat, recognita edocebit.

§. XLIII.

Conventus IIdus sequente statim *d. XXII. Augusti* statutus, & habitus quoque eadem luce, iisdemque præsentibus Senatoribus atque Theologis, fuit, sed uno jam & solo ad eum vocato atque comparente *Joh. Vogelio.* Hunc simili fere ratione humanissime allocutus *Joh. Fabritius* ita exordiebatur:

Non ignoras, Ornatissime Dn. Vogel I, Aphorismos L., Photinianorum erroribus & blasphemiis oppositos, tibi in custodia traditos fuisse probe ponderandos, ut de singulis tuam exponas sententiam. Adsumus ergo audituri, quid de quolibet sentias. Paucis igitur & sine fuco aperi nobis, quæ tua sententia sit de præcipuis religionis Christianæ articulis, quos Ecclesia orthodoxa defendit, & propugnat. Vt autem hoc commodius fieri possit, aphorismos ordine prælegemus. Precamur Sp. S., ut cor tuum illuminet, teque in veritatis viam reducat, ut sanam religionem recipias & amplectaris.

Ad quæ *Joh. Vogelius* sequentia haud dispari, nec insolita modestia usus regessit: *Magnifici, Nobiliss. Prudentissimi Viri, & Vos Rev. & CL. Viri, Domini submisse & æternum colendi. Aphorismos illos in custodia mihi traditos ea qua potui & debui cura legi & ponderavi, & nihil mihi esset gratius, quam ut eo modo me ad illos possem declarare, quo inclytus Magistratus noster, & Vos Viri Reverendi optatis. Sed tamen, quia animus meus multis adhuc impeditur scrupulis, cogor eam sententiam de plerisque Aphorismis proferre, quam hactenus sum secutus tam diu, quamdiu scrupuli mihi non fuerunt exemti. Sin autem hoc factum fuerit, promitto me eam sententiam, quam Vos veram a Vobis stare putatis, amplexurum. Rogo adminicula mihi suppeditari, quæ & mihi & Vobis grata erunt.* Hinc consimiliter ad Aphorismos sigillatim dijudicandos, progressio facta est. Vbi ad I. de SS. Trinitate: *Hanc propositionem,* dixit Vogelius, *se nondum posse, illæsa divina gloria & bona conscientia probare : Non tam ob istam contradictionem, quam ratio humana svadeat,* a) *quam vero etiam distinctione philosophica inter essentiam & personam posse tolli non videat, quam ob ea Scripturæ loca, quæ docent Deum esse unum, atque ita quidem unum, ut personalis unitas non excludatur. Itemque ob ea, quæ solum patrem*

a) Invidiam, quasi rationi luxurianti nimis indulgeat, a se amoliturus, hæc procul dubio interposuit, ingenuitatemque suam non obscure hac ipsa testificatione probavit *Vogelius.* Qua de re porro *Resp.* ad *Aphorism.* XLIX. conferatur.

trem Dn. nostri J. C. illum unum Deum, si non omnino litteraliter, saltem per optimam & facillimam consequentiam adstruant. Ad II. ab eo responsum est: *Si constaret de veritate Aphorismi primi, utique secundum hunc se haud vocaturum in dubium.* Ad III. profitebatur, *se generationem illam nunquam in Scripturis expressam, ac proinde, quam ipse saltim expressam esse non videat, haud posse probare,* ajebat, atque *generationem, de qua Ps. II. sermo sit, in tempore esse factam sibi videri, idque 1) ipsa verba, 2.) συνάφειαν textus, & 3.) argumentum Apostolicum Act. XIII. Hebr. I. &c. condocere addebat.* Ad IV. pari modo, ut ad secundum, *si constaret de veritate III. Aphor., & hunc se facile approbaturum,* regessit. Quemadmodum vero *non omnes rationes in antithesi positas comprobet,* ita quoque de *Thesi se dubitare, & vocabulo unigenitus ad summum intensissimumque amorem Dei respici,* a) *sibi verisimile esse* subjungebat. Ad V. & VI. notavit, *negato I. & III. & hos necessario negandos esse, sicuti VIImus quoque Aphorismus a primo pendeat.* Ad VIII. *omnia dicta, quæ videantur Christo creationem tribuere, ad restaurationem aut refectionem humani generis trahenda esse,* asseruit. Certe *locum Heb. I. 10. sq. aliter explicandum esse,* omnino se putare ajebat, modeste his subjiciens: *Qui locus, si solide vindicaretur ab exceptionibus (fatebor enim quod res est,) vel unicus J. C. mundi creatorem mihi suaderet, adeoque æternum Deum.* b) Eaque moderatione in cæteris quoque vel affirmandis vel negandis porro usus est, ita nimirum, ut phrasibus: *Hactenus videre mihi nondum licuit: Subvereor Sp. S. verum cum P. & F. Deum dicere. Ego veritatem*

a) Inepte; quamvis enim μονογενεῖς soleant esse utplurimum perdilecti, (utplurimum, inquam, etenim contraria quoque exempla passim occurrunt,) ipsa tamen hæc vox non *denotat* dilectionem, sed unius filii ex uno patre (vel matre) generationem, amoremque, ut accessorium quiddam *connotat*; ita ut *amor* etiam determinato ab unigeniti hac prærogativa nativitatis Gen. XII. 2. coll. Hebr. XI. 17. distinguatur.

b) Ita revera est. Nam quanta sit hujus argumenti vis, quantumve robur, nemo rectius docere potest, quam ipse *Socinus*; qui cum in *Antiwujeko* suo partim *Transylvanorum Fratrum* sententiam de *Apostrophe:* Tu vero Deus &c. contra *Bellarminum* operose admodum defendisset, partim f. 549. sq. (a) testimonium aliquod obscuriuscule admisit, & mutationem seculi a Deo faciendam his verbis innui affirmavit; tantum tamen inter discipulos etiam suos consecutus est adversarium in hujus loci interpretatione impugnanda, & in alium adhuc obscuriorem sensum trahenda; *Ostorodum*, ut veritus hic non sit, coactam eam esse, aperte *Socino* suo exprobrare: cujus ille vicissim explicationem coactissimam appellavit. Utrumque vero hac disputatione ambigua, (de qua legatur *Epist. Socin. V. I. Opp. f.* 445. (*b*) *sq.*) *Vogelio* nostro gravissimam, ut vindicias hujus loci solidas desideraret, caussam dedisse, satis hinc, arbitror, apparere. Quæ, quia disceptantibus cum *Socinianis* usu venire possunt, ut ex hoc loco præcipue argumentum ducant, observanda suademus.

tatem Aphorismi v.g. XIImi: quia dependet ab XI. nondum perspicio, aliosque simili verecundia improbaret, alios vero sine ulla exceptione amplecteretur, speciatim ad XV. Aphorismum, de peracto *sacrificio Christi* officioque sacerdotali *in his terris*, candide professus est: *Hunc Aphorismum, utut in scripto meo ad Nobilisſimos Dnn. Scholarchas* (Witteberga) *misso negaverim, tamen cum ea considero, quæ ab Apostolo dicuntur Eph. V. & diligenter perpendo Cap. XVI. Levit. nunc eum probare necessum habeo.* Ex qua sola responsione, quam solicite ad inquirendam investigandamque veritatem cœlestem, etiam in custodia hucusque, omnes nervos intenderit, collectu proclive est. Ad *Aphor.* tamen *XVI., quem se* itidem *accipere* ajebat, adjecit, *hujus sacrificii complementum se putare factum in præsentatione Christi in cœlo, quemadmodum in sacerdotio Levitico: Sancto enim Sanctorum respondere cœlum Ebr. IX, 14. Satisfactionem Christi* Aphor. XVII. propositam *se agnoscere*, dixit, *si non ad jus strictisſimum, quod omnino mortem æternam requireret, exigatur, sed ἐπιείκεια s. acceptatio admittatur. Ac proinde λύτρον dedisse, & loco nostri passum esse Christum, idque, quod nos debebamus, solvisse*, confitebatur; *licet non sint improbandæ etiam Socinianorum caussæ, quas assignant, dummodo in ultima caussa meritum (quod videlicet sibi potestatem nos liberandi a peccato promeruerit Christus) non accipiatur pro merito condigni.* Ita similiter judicabat de XVIII. & XIX. Aphor. repetita cautela ad XVII. proposita. Aphor. *XX. & XXI.* a) *nondum se acceptare posse*, candide affirmabat, *propter* 1. *Cor. XV, 45. petebatque, quo posſit & debeat modo, ut iste sibi locus inprimis in disputatione explicetur; alias enim se probare non posse, Christum jam habere carnem & sanguinem.* Aphor. XXII. agnoscebat *propter vers.* 24. *Cap. VII ad Hebræos; de æterno regno* tantum monebat, *regnandi modum non fore æternum, quo respexerit Apostolus* 1. *Cor. XV, 27. sq.* Ita quoque XXIII. approbabat, & amplius confirmabat, *de modo tantum terrenæ intercesſionis se certum esse non posse*, ajens &c. Atque consimili prorsus methodo sequentes aphorismos, vel in solidum amplexus est, vel limitatione aut distinctione aliqua, quid affirmet, aut inficietur, dilucide exposuit, interdum dubium tantum unum atque alterum, quo adhuc torqueatur, movit. Sic Aphor. XXVIII. *de necessaria Sp. S. gratia ad converſionem* simpliciter suum fecit, itemque XXXII. Ad XXXIII. distinxit *inter Fidem vivam, qua justificemur,*

Bbb b &

a) Qui de carne Christi post resurrectionem, & in cœlesti gloria, eadem, quantum ad substantiam, atque fuerat, qua ante mortem obambulavit, agebant,

& mortuam; addiditque *non fide, quatenus habet bona opera adjuncta, ſed quatenus in ſe* a) *ſpectetur, nos juſtificari.* Præcipue vero obſervatu dignum eſt: *Totam de baptiſmo Socinianorum doctrinam Vogelium* ſimpliciter *ſe improbare ultro profeſſum*, veritatemque Evangelicam contra lubenter amplexum eſſe. *Nec de vera corporis Chriſti in S. Cœna manducatione, aut corporibus iisdem reſurgentium aliquando, ſe amplius dubitaturum* aſſeveravit, *dummodo locus Paullinus* 1. *Cor. XV. explicetur, quicquid etiam ratio videatur ſuadere in contrarium.* *De Miniſterio ac Magiſtratu* ad Aphor. XLV. & XLVI. judicabat *errare Photinianos, ſi ita ſentiant; Magna tamen* & ipſe *prudentia opus eſſe*, addebat, *ut non quavis ſtatim de cauſſa ad Magiſtratum appelletur, aut in judicium aliquis vocetur.* b) Pari modo ad XLVII. bella admittebat eſſe licita, ſi neceſſitas intelligatur, ſed ſumma, bellumque intra defenſionis limites ſe contineat. Reliquis aſſentiebatur, *ſi repeterentur, quæ ad Aphor. XX. & XXI. monuerit.* Quinquageſimum denique illuſtrabat in hunc modum, ut *propter eandem formam, a quo numerica unitas pendeat, unum quoque corpus in hac & altera vita fore ſe credere*, diceret, *quia eadem Argo navis ſemper dicta fuerit, licet ſæpe refecta ſit, utut prior materia non amplius ſuperfuerit &c.* Denique interroganti Venerando *Dn. Fabritio: Hæccine omnia ita es profeſſus ex animi ſententia?* reſpondit *Vogelius: Sum profeſſus ex animo. Non curo Photinianos, ſed curo propriam conſcientiam, quippe ſtaturus auctoritate Scripturæ, & argumentis ſeu rationibus ex Scriptura deſumtis. Peto collationem a Magnif. & Pru-*

a) Complexe tamen, uti nonnulli loquuntur, h. e. non ut actus cæteris omnibus æquivalens, & *acceptilationem* benignam Dei expoſcens aut expectans, ſed per modum *inſtrumenti* & *conditionis*, nec omnino neque aliquo modo, expletricis h. e. divinam illam in lege patefactam voluntatem explentis, ſed duntaxat *applicatricis*. Quoniam Spiritus S., ubi πάντα τῦ νόμυ ἔργα χωρίζει, non poteſt non hoc etiam opus, ut opus eſt, Rom. III. & IV. excludere. Quibus ad *Juſtitiam legis* alias cuncta, h. m. denuo revocantibus, & ἐπιεικεία tantum temperantibus, etiam illud accedit, quod, quæ fidei tribuitur juſtificatio, juſtitiæ Chriſti nobis per fidem donatæ datæque toties adſcribitur, atque hanc per illud ὄργανον ad nos *venire* dicitur.

b) *Paullo* quoque Apoſtolo idem præcipiente 1. Cor. VI. 1. ſq. Idque non male dixeris a *Vogelio* obſervatum. Quandoquidem, qui magiſtratus officio, non juſtitiæ aut tranquillitatis tuendæ ſtudio, ſed mera vindictæ cupidine acti, vel temere etiam in leviſſimis cauſſis (quo *Paullus* cumprimis reſpicit) compellando τὰς ἄρχοντας, aut cauſſam optimam peſſime, v. g. maledictis, dilationibus, & vexationibus petulantibus, aut alia quadam ratione tractando, abutuntur, me quidem judice, bis peccant: non minus quam, qui magiſtratum mendaciis decipiendo fallunt, duplicis in eum, Deumque, & ordinem a Deo conſtitutum, ſanctiſſimeque habendum, injuriæ rei ſunt & habentur.

Prudentiss. Dnn. Scholarchis cum R. & D. Dn. Theologis, & promitto, me nullum argumentum philosophicum prolaturum, sed ex Scriptura acturum esse sola. Ad quæ Generosissimus *Dn. Löffelholz* reposuit: *Satisfiet tuæ petitioni, quam primum commodum erit nostris Dominis: Vogelius* autem huic conventui his verbis colophonem imposuit: *Gratias ago maximas, quod me audire benevole volueritis, rogaturus pro vestra omnium sanitate & incolumitate.* Atque hinc etiam, quo major spes affulgeret, eum haud difficulter ab erroribus ad saniorem mentem revocatum iri, quippe qui veritatis desiderium maximum a) sibi inesse ostenderat, *primus disputationis* congressus, atque *TERTIVS* omnino *conventus*, seu, ut vulgo dicitur, *Sessio*, huic cum tractabiliori homine disceptationi destinabatur.

§. XLIV.

Conventus autem ille celebrabatur *tertio* demum *Septembris* die, quo adductum e custodia denuo *Vogelium* ad hunc modum alloquutus est *Dn. Johannes Fabritius: Ex responsionibus tuis, Ornatissime Domine Vogeli, ad priores Aphorismos de S. Trinitate nuper prælectos satis perspeximus, te Photinianis adhærentem ab orthodoxa Ecclesia adhuc dissentire, & Christum non pro vero & essentiali Deo, nec Sp. S. pro persona Divinitatis a Patre distincta agnoscere. Quare Inclyto nostro Magistratui visum & consultum est, ut tecum de summo hoc fidei articulo sermonem conferremus. Quod utique consilium nobis non improbatur. Quamobrem hic congregati sumus, ut primum Deitatem æternam* b) *Christi ex Scriptura firmissimis argumentis stabiliamus, tuamque de singulis sententiam audiamus, & ea, quæ doctrinæ huic tibi adversa videntur nobisque opponenda, diluamus. Cæterum Te admonemus, ut in opponendo, quemadmodum & in allegatione & applicatione Scripturæ dictorum caveas, ne in regulas Theologicas impingas. Nam Photiniani & Antitrinitarii in suis objectionibus aut falsissimis nituntur hypothesibus & principiis, aut quæ creaturarum sunt propria, ad creatorem referunt, aut quæ Christi sunt propria secundum humanam naturam, ad divinam referunt, aut officium mediatoris confundunt: aut ab iis, quæ Patri, tanquam Filii & Sp. S. omniumque divinarum operationum fonti tribuunt, Filium & Sp. S. excludunt:*

a) Veramque Script. S. unius in tantis mysteriis, sepositis rectissime rationis lubricis principiis, venerationem, sinceramque scrupulorum eximendorum cupidinem.

b) Tanquam primum in his controversiis *de SS. Triade* verum aut falsum: uti supra jam a nobis monitum est. Quod nec ipsi *Sociniani* diffitentur.

dunt: aut ea, quibus divinitas in Perſona Patris a Creaturis ſeu fictitiis numinibus diſcernitur, detrahunt Filio & Sp. S.: aut phraſes Scripturæ corrumpunt: aut denique dicta Scripturæ in alienum ſenſum detorquent. a) *His paucis præmiſſis rem ipſam aggrediemur: Adſit nobis Divina gratia.* His confeſtim ſubjunxit (eaque methodo in ſequentibus congreſſibus ſemper initium colloquendi factum eſt,) *M. Fabritius* precationem ex *Fulgentio* L. I. *de Prædeſtinatione:*

Ab unico Magiſtro & Dn. noſtro Jeſu Chriſto toto pectore petimus doceri, quæ neſcimus, a quo accepimus pauca, quæ ſcimus. Ipſum rogamus ut præveniente ac ſubſequente miſericordia, quæcunque ſalubriter facienda neſcimus, doceat nos; in his, quæ vera novimus, cuſtodiat nos; in quibus ut homines fallimur, corrigat nos, & a falſis & noxiis eripiat nos, ut in cogitationibus & ſermonibus noſtris, quod ſalubriter donat, inveniat, & ea faciat de ore noſtro procedere, quæ coram ipſo ſint principaliter grata, & ſic fiant cunctis fidelibus accepta. Amen.

Oratione ad Deum fuſa *M. Joh. Fabritius* argumentum de Filii Dei *J. C. divinitate æterna* aggreſſus, quadruplici modo eam *probari* brevibus indicavit: Videlicet 1) *ex Appellationibus divinis*, 2) *proprietatibus eſſentialibus Dei*, 3) *ab operationibus divinis*, & 4) *a cultu religioſo ſoli Deo debito.* Ex primo horum genere autem illico ſequentem ſyllogiſmum ſubjunxit: *Cuicunque nomen Jehova in Scriptura tribuitur abſolute & ſimpliciter, is ipſe eſt verus & æternus Deus. Atqui Chriſto nomen Jehova &c. Ergo.* Reſpondit *Vogelius*, *concedendo Majorem, de nomine Jehova, tametſi a Dei nomine non perinde concludi poſſe moneret, allegato Pſal. LXXXI.* Sed *minoris probationem poſtulabat.* Et cum *Dn. Fabritius* ad Jer. XXIII, 5. 6., ubi *Germen Davidis ſimpliciter* appelletur *Jehova*, provocaret, excipiebat *Vogelius*, non ſimpliciter id l. c. fieri, ſed *cum addito vocabulo Juſtitia: ita uti Exod. XVII. Altaris nomen Jehova Niſſi*, Joſ. VI. *Jehova Schalom &c.* vocetur. Vrgebat equidem ex adverſo *Fabritius diſſimilitudinem*, & *Chriſto hic tribui id nomen ſimpliciter* pertendebat; in *ll. cc. vero cum circumſtantia, quatenus* illic *Deus promiſerit protectionem ſuam &c.* *Vogelius* autem contra

a) Nolim hæc ita accipi, ac ſi cauſſæ ſuæ diffidentia has conditiones Venerandi Theologi præſcripſerint colloquuturo. *Ambagibus* enim duntaxat *evitandis*, & *turbandæ*, in alias ſubinde quæſtiones deſultorio pugnandi genere tranſiliendo, *diſquiſitioni* ſeriæ hæc objecta ſunt repagula. In rem præſentem ergo animum advertere, & *directo* ad argumenta reſpondere juſſus eſt *Vogelius*; eo, quod *de veritate* ipſa, eaque ſalutifera, *non* de *victoriæ gloria* diſputandum, &, ut ſenſus locorum ſcripturæ propoſitorum in medium non obſcuraretur, ſed erutus fidem firmaret, laborandum fuerat.

tra *parem utrinque rationem esse* perhibuit, &, *propter officium Christi idem quoque fieri*, tuitus est. At *Fabritius apud Jeremiam personam eamque unam describi* reposuit, *officiumque per additum Justitiæ nomen indicari, cum istud sit essentiæ nomen.* Quod cum *Vogelius sibi probari* ulterius expeteret, & *conjungenda hæc duo nomina* identidem urgeret, atque amplius *æqualem locum Jerem. XXXIII.* in auxilium vocaret, *ad Hebraismum, quo tertia persona activa sæpenumero ponatur pro passivo*, sese referens, & fœmininum *lah*, a) quod in Hebr. lingua occurrit inculcans; *distinguenda quibusdam Theologis hæc videri loca*, regessit *Fabritius*. Id quod, cum *inficiaretur Vogelius*, intercessit Dn. *Joh. Schröderus*, &, non *omnino similia esse ambo hæc loca*, itidem asseruit; *in altero de nomine, altero vero de effectu Messiæ agi*, asseverans. Qua de re cum ambo diutius disceptassent in utramque partem, tandem eo devenit *Vogelius*, ut *tertiam* quoque *explicationem* objiceret, qua sensus videretur, *dici a Jeremia: Is, qui excitaturus esset germen Davidis, est Jehova justitia nostra.* Ad quam excepit *Schröderus: Obstare relativum pronomen, ad propius nomen retrahendum*: b) deinde *convocationem Jehudæ, & justitiam in N. T. nihil peculiare esse, quia etiam in V. T. congruat:* Denique *rationem l. c. reddi, cur germen justum sit Messias, & in ipso, tanquam faciente justitiam, cum securitate confidendum sit &c.* Quæ omnia novo etiam syllogismo, perspicuitatis gratia formato, complexus est. *Vogelius*, deserta hac interpretatione, rediit ad primam, *quod sit nomen Judæ*, iterumque parallelum *locum Jerem. XXXIII. considerari* jussit. Sed *Schröderus* rursus, *differentiam ingentem esse*, repetebat: *Cap. enim XXXIII. nihil commemorari de nomine; sed cap. 23., id nomen fore Messiæ, conceptis verbis legi.* At *Vogelius, utrumque locum eodem modo posse explicari*, affirmans, *nolle tamen se ita pertinacem esse in hoc loco explicando*, subjiciebat, petebatque *probationem de nomine Dei* sibi dari. Heic interloquutus est Dn. *Prof. Königius, nihilque ex loco Jer. XXXIII. suppetiarum Photinianis ferri*, dixit, &, *ut simpliciter sententiam suam exponeret, Vogelium* submonuit; M. vero *Reich, utrum pro nomine essentiali Dei Hebraicum Jehova*

a) לָהּ enim, quod suffixum Fœmin generis exhibet, Jer. 33. legitur, cum Jer. 23. Masculinum יִקְרְאוֹ legatur.

b) Quem canonem Hebræa lingua, cum omnibus omnino loquendi generibus comprobat, atque relativum pronomen, nisi insuperabilis necessitas efflagitet, ad remotius aliquod nomen haud esse temere rejiciendum referendumque jubet. Quem in modum etiam verba 1. Joh. V. 20. a detorsione adversariorum vindicari notum est; uti vel e *Glassii* Can. X. Gramm. S. L. III. Tr. II. constat.

hova reciperet, in quo videatur dissentire a cæteris Photinianis, amplius jussit edisserere. Ad hæc *Vogelius*, *se nomen Jehova proprie accipere*, professus est. *Schröderus* autem ultro mentem *Photinianorum* explanaturus, *ita eos sentire* ajebat, *quemadmodum vocabulum Deus accipiatur in nomine: Quod vult Deus, ad quem Augustinus L. de hæresibus scripserit*; idque effugium ut eriperet, *se conferri voluisse locum Jerem.* 33. *ubi non de nomine sermo sit, sed opere ejus, qui congregaturus sit Jerusalem, & non solum dicatur Messias illic Jehova &c. sed quod sit Jehova*, affirmari. Simul vero Dn. *Fabritius*, *vocabula Jehova Zidkenu disjunctim accipienda* esse, ursit. a) Ad quæ *Vogelius*, *conjunctim accipi*, iterum contendit, *alias enim idem procedere in nomine altaris, Jehova vexillum meum. Fabritius hinc alia loca, in quibus nomen Jehovah absolute sumatur*, adjecit, ut Hos. I. & Esa. XL. coll. Joh. I. *præparate Jehovæ viam &c.* Sed *Vogelius* promte *Hebraismum esse* b) regessit *apud Hoseam, pro, se ipsum coll.* 1. *Reg. VIII. ad Salomonem &c. Ad Esaiæ* vero *verba* respondit, *rectissime dici, Johannem viam parasse Jehovæ, eo ipso, dum Christo illam complanarit; Fuisse enim Christum legatum Jehovæ: quod locis parallelis, e. gr. de populo stante coram Jehovah, cum tamen staret coram sacerdote*, illustrabat. At *Fabritius*, non haberi l. c. parate viam legato Jehovæ, sed ipsi Jehovæ bene reposuit. Quo facto *Schrœderus* denuo institit *loco Jer. 33. & Domini Fabritii sententiæ suam subordinatam, non contrariam esse*, commonuit, atque *Jer. 33. poni nomen Jehova subjective* asserens, *sibi dari exemplum, ubi creatura simpliciter dicatur Jehova, sive complexe sive incomplexe*, (*Photinianorum enim omnia cum adjectione aliqua de nomine esse intelligenda*,) *voluit. Locum vero Jeremiæ non tantum nomen Jehova germini Davidis, sed etiam essentiam tribuere*, pertendit. Quare *Vogelius* tandem expetiit, ut, *quia locus varie vertatur, si explicatio ista debeat conscientiæ suæ satisfacere*, c) *probaretur, vocabulum Kara hic de vocatione vel congregatione esse intelligendum, non de appellatione sive nominatione*. Ad hæc *Schrœderus de congregatione fiduciali* d) *vocem accipiendam, & de versionibus variis, quænam*

a) Quod olim etiam nobis videbatur Accentus appositus, cum *Psik* subjuncto, innuere; postquam vero, eandem accentuationis rationem Exod. XVII. 14. & Ezechiel. XLVIII. 35. occurrere, animadverteramus, parum huic argumento roboris inesse deprehendimus.

b) Posito videlicet nomine cujuscunque personæ loco pronominis. Conf. *Glassius in Gramm.* S. L. III. Tr. II. de *Pronomin.* Can. VIII.

c) En! novum *Vogelianæ* sinceritatis & amoris erga veritatem ingenui specimen, promtique ex adverso Theologorum huic petitori æquissimo gratificandi studii documentum.

d) Recte: Sic enim omnium commodissime, nisi in loco posteriori c. XXXIII.

nam congruat litteræ ſimplicitati, diſpiciendum eſſe, monuit. Hic iterum interfatus *Kœnigius*, ſciſcitatusque eſt ex *Vogelio* : *Vtrum cenſeat, hanc concluſionem eſſe veram : Chriſtus eſt verus Deus per eſſentiam & naturam*; Ille vero, *ſuſpendere ſe adhuc aſſenſum*, inquiebat. Quamobrem *Schrœderus* : *Quicunque ſubjective nominatur Deus, ille eſt Deus verus. Atqui Chriſtus &c.* argumentatus eſt. Ad quæ cum *Vogelius, pro conceſſo ſumi, quod adhuc controverſum ſit*, exciperet, ille *monſtrari ſibi voluit locum, ubi Jehovæ vocabulum, etiam complexe* a) *de creatura dicatur ? Vogelioque* ad *Exodi XVII. Jehova vexillum meum* rurſum ſe recipiente, *non de altari id nomen prædicari* aſſeruit, *quaſi ſit Jehova, ſed* dici *nomen ejus eſſe Jehova Nisſi* ; b) *Sive ergo ſubjective, ſive prædicative nomen de aliquo dicatur, ſemper eſſentialiter accipi*, ajebat, *nec poſſe dari contrarium exemplum*. Tandem ergo conceſſit Syllogiſmum *Vogelius*, & faſſus, *vocabulum Jehova l. c. ſubjective accipi*, rogavitque, *ut ea ſibi eximantur dubia, quibus impeditus fuerit hactenus, quo minus potuerit credere, Chriſtum dici Jehovam ſubjective, atque id potisſimum, quod Scriptura pasſim Dei unitatem nobis inculcet.* Et hinc porro argumentabatur: *Si pater eſt Deus unus, conſequitur, Chriſtum non eſſe illum Deum unum.* Reſpondebat primum *J. Fabritius*, *perinde id eſſe*, inquiens, *quam ſi dicat : Quod ego ſum, tu non es. Ego ſum homo : Ergo &c. Ad quod jam norit,*

puncta לָה in לה commutanda eſſe dicas, ſenſui conſulitur, *eumque, qui congregaturus ſit Eccleſiam* N. T., ſpiritualem videlicet Hieroſolymam, *Jehovam*, illumque ipſum, *qui & ſit juſtitia noſtra*, quam ſua nobis vita ac morte comparaverit, fore (coll. Matth. XXIII. 37. & Eſ. XLIX. 5.) affirmatur. Quod ad neminem unum niſi ſolum redemtorem ac liberatorem noſtrum *Jeſum Chriſtum* congruit; ad quem, populum ſuum ex Judæis profaniſque gentibus convocantem, & ſive *αὐτοπροσώπως* ſive per Apoſtolos ad ſe congregantem, etiam oracula LL. N. T. hæc pertinere adducent.

a) Forte *in caſu recto* dicere voluit, aut *directe vel incomplexe*, ita, ut ſenſus ſit, ipſam creaturam dici *Jehovam*, non *μετὰ προσθήκης Dominus ibi eſt*, vel *Jehova eſt vexillum meum*. Hæ enim cognomenta omnia revera propoſitionem aliquam *complexæ*, ut vocant, *denominationis* exhibent, Deumque ſupremum vox *Jehova* conſtanter in his quoque nominibus, uti in nomine Latino *Deus dedit*, denotat.

b) Hoc eſt; non ipſum *altare*, ſicuti nec urbs *Hieroſolyma* Ezech. XLVIII. 35. dicitur *Jehova* in caſu nominandi, ſed tota Propoſitio : *Jehova eſt illic*, & ubi ad altare reſpicias: *Jehova eſt vexillum meum*, nomen conſtituit, nomenque adeo Jehovæ etiam in hac propoſitione non niſi ſummum rerum arbitrum Deumque immortalem denotat; perinde uti in latino nomine: *Quod vult Deus*, idem uſu venit. Aliter vero de *perſonæ* nomine divino *in Scripturis* judicandum eſt, quam de *rebus*. Hiſce enim nihil divinitatis competere in confeſſo eſt; *Perſona* autem, ſi hoc nomine appelletur, præſertim alio prædicato inſuper nobilisſimo addito, quale illud eſt, quod h. l. idem zemach David *juſtitia noſtra* congruenter ad alia Scr. S. loca,

rit, quid reſpondendum ſit. Excepit autem *Vogelius : Deum dici unum perſonaliter, Ego vero,* addebat, *& tu ſumus unum eſſentialiter. Quod autem Deus unus dicatur perſonaliter, pervideri poſſe ex Joh. XVII. coll. Devt. IV. Hanc enim phraſin : Vnus eſt Deus & præter hunc non alius : in communi uſu ſemper per ſe & univerſaliter inferre unitatem perſonalem; Alias ſcripturam fore obſcuram in articulis fidei. Fabritius* his repoſuit: *Poſſe aliquid dici unum eſſentialiter & perſonaliter. Schræderus* autem hiſce, *argumentum ab uſu communi ad uſum Scripturæ non eſſe perpetuum, aut ſaltim eatenus valere, ſi Scriptura ipſa non obſtet,* addidit. *Cum vero & filius dicatur Deus benedictus in ſecula, itemque Sp. Sanctus; aliter judicari oportere; Articulum namque de Deo eſſe multimembrem, membraque omnia toti reſpondere debere.* Probavit hanc Reſp. *Vogelius,* ſed excepit porro, *vocabulum* alius *Devt. IV. 35. diſtinctionis perſonalis eſſe notam,* et, *negante* illud *Schrædero,* ex Evangelicorum argumento contra Sabellium; *Quicunque differunt, ut alius & alii &c. Joh. XIV.* probavit. Ad quæ *Schræderus* reſpondit: *Eſſe hoc argumentum a particulari ductum, ſemperque idem fieri* negavit. Subjecit ergo *Vogelius* 1. Cor. VIII. *Vnus eſt Deus &c.* Regeſſit *Schræderus : Vnum quoque Dominum dici Chriſtum, unde non conſequatur, Patrem excludi.* Inſtabat ille, *unum tamen Chriſtum Dominum eſſe perſona,* Ergo *quoque Patrem unum Deum perſona.* At *Schræderus, neminem ita unquam locutum eſſe,* monuit; *Vogelius* contra illuſtravit *formam loquendi ex Matth. 23. Vnus eſt Magiſter veſter &c. Schrædero vero, multum intereſſe inter utrumque locum* ajente; ſe *modum ſaltem loquendi urgere,* iſte ſubjecit, atque hinc nova longaque concertatio orta eſt de utroque hoc loco, donec *Vogelius* argumentum ſequens conſtrueret: *Quicunque opponitur multis Dominis & perſonis, ille eſt unus perſona. At Chriſtus &c.* Ergo. Propoſitionem *neganti Schrædero* diſtinctionem oppoſuit *Vogelius, patremque Dominum eſſe, ex quo omnia ; At filium, per quem omnia,* dixit. *Schræderus* vero, *de patre etiam dici,* monuit, *quod per eum vocati ſimus ;* Sed *Vogelius: Particulam Per, ſi tribuatur Patri, ratione cauſſarum ſecundarum fieri,* affirmavit, *Chriſtoque nunquam tribui, quod ex ipſo, ſed quod per ipſum facta ſint omnia. Nec mirum, Schræderus* ajebat, *quandoquidem Chriſtus eſt perſona media.* a) Neque multa ad hæc regeſſit *Vogelius,* ſed ad *commemo-*

cognominatur, cæteræ orationis circumſtantiæ edocent, ad ipſamne directe *Jehovæ* dignitas ſpectet, an divinorum *beneficiorum* tantum propoſitio tota *monimentum* præbeat.

a) Subindicaturus nimirum, hac ipſa formula *originem filii a Patre,* tanquam S. Trinitatis fonte, *ſimul denotari;* creationem autem rerum omnium, tanquam cauſſæ, eadem potentia, efficienti, eidem non de-

memoratam Marc. XIII. ignorantiam extremæ diei progreſſus eſt. De qua *Fabritius* propemodum cum indignatione, *multas eſſe hujus loci interpretationes*, dixit, *quarum neutra ſatisfacere posſit Socinianis. Vogelio* vero, *explicationem veram ſibi dari*, rogante, *Schrœderus* primum *exemplaria, quæ olim caruerint hoc additamento, Hieronymo teſte*, oppoſuit; quam *variam lectionem cum, tanquam hodie non amplius obviam*, repudiaret *Iſte, Schrœderus* inſtantiam ex *1. Joh. V.* objecit; Sed cum ne ſic quidem *adverſarius* acquieſceret, ambo hinc deſcenderunt ad vocabulum *ſolus*, quod *Schrœderus, angelis & hominibus, non filio opponi*, perhibebat; *Vogelius* vero negabat, *quia, ſi Chriſtus ullo modo ſciviſſet, non potuerit ſe opponere patri, quod enim dicatur de toto, de parte dici non poſſe*, cauſſatus. Super quo axiomate lis nova eſt orta, cujus iterum particeps fuit *Dn. Kœnigius*. Tandemque, eliſa opinione *Patrum* quorundam, forte & obiter allata, *quaſi Chriſtus ſciverit diem extremum, ſed non ut revelaret, ut fuerit tacentis diſpoſitio, non ignorantis profesſio ſec. Act. I.* a) *quandoquidem, Vogelius* inquiebat, *talis fuerit ignorantia, qualis Angelorum & hominum, & hinc revera eum diem hunc illo tempore volentem neſciviſſe*, concludebat. Ubi contra *Schrœderus modi diverſitatem conſiderari* jubebat, & ad novum ſcrupulum progresſio facta eſt. Cum enim *Schrœderus* collegiſſet, *Filium omnia habere a Patre: Ergo & ſcientiam*; id ipſum *Diſſentiens, ſe valde torſiſſe*, aſſerebat, quod *Chriſtus omnia, quæ habeat, Patri in Scripturis adſcribat, cujus conſequens ſit, non eſſe eum unum illum Deum; Non poſſe enim non alioquin omnia habere a ſe ipſo. Schrœderus, hoc eſſe principium totius erroris Sociniani*, poſtquam obſervaverat, *negabat conſequentiam:* Hinc *Vogelius*, repetita ratione jam adducta, occaſionem dedit *Schrœdero* diſtinguendi *inter acceptionem temporalem & æternam: Quarum illa tantum arguat, Chriſtum non eſſe Deum, ſec. eam naturam, ſecundum quam aliquid in tempore accepit; hæc autem propoſitionem ſeu conſequentiam negare jubeat.* At *Vogelius* contra; *ita potius dicendum fuiſſe, Filium accepiſſe ſecundum humanam naturam a ſe ipſo, & natura divina ſibi unita;* Sed *Schrœderus* porro, *ideo a Patre dici accepiſſe*, regesſit 1) *quia miſſus ſit a Patre filius*, 2) *quia Pater ſit fons & origo divinitatis.* b) Quibus *Königius* addebat, *quod nun-*

negari. Conf. Joh. V. 19. ὁμοίως. Sed ad *Dominium* quoque *Oeconomicum* l. c. 1. Cor. VIII. reſpici, & Domini nomen ſimul *Officium* Chriſti ſpectare τοῦ θεανθρώπου regium, indubium eſt.

a) Quam miramur hypotheſin a b. G. *Calixto* in *Harm. Evang.* L. V. c. XLII. adoptatam eſſe: cum tamen manifeſtiſſimum ſit, de libero & in *ſtatu ſervili* hactenus conſulte abdicato uſu divinarum perfectionum ἐνεργητικῶν ſermonem eſſe.

b) Ac proinde hanc formam loquendi

nunquam in Scriptura legatur sibi ipsi aliquid dedisse, id falso affirmari, *cum filius dicatur habere potestatem ponendi animam suam a se ipso Joh. X.* Hunc locum ergo interpretaturus *Vogelius*, quasi *a me ipso idem* sit, *quod nemine cogente*, a *Schrödero*, ex *opposita consimili potestate resumendi eam a se ipso*, refutabatur. Cum vero *Vogelius* amplius quæreret: *Cur igitur non a se ipso, vel a Sp. S. omnia habere dicatur Christus?* regessit *Schröderus*, *id fieri ideo, quia opera Trinitatis ad extra sint indivisa.* a) Et, quoniam *Ille* insistebat dubio, *non se quærere de illis, quæ*, ajens, *Christo ad officium data sint, sed quæ de unione dicantur*; *Hic* respondit, *propter officium quidem accepisse omnipotentiam, omniscientiam &c. Vt autem ista communicarentur Christo, secundum humanam naturam factum esse per unionem carnis assumtæ.* In memoriam interea sibi revocaverat *Vogelius*, quæ *de Patre, fonte & origine divinitatis*, paullo ante docuerat *Schröderus*; atque hinc novum nectebat ratiocinium: *Si vera sit origo, Patrem priorem esse filio; conciliari id non posse cum Symbolo Athanasii: In Trinitate nihil prius aut posterius.* Reposuit autem *Schröderus*: intelligi *originem distinctionis personalis, non temporis aut dignitatis*, & argumentatus est hunc in modum: *Quicunque habet gloriam & potentiam æternam, eum necesse est, esse æternum Deum &c.* ad *Joh.* 17. provocans. Promtus quidem erat *Vogelius* addita limitatione: *Quicunque ex se habet, Christum autem habere ex alio.* Contra vero *Schröderus*: *Quæritur, an quis possit habere æternam gloriam, quam non habet ex se?* Vogelius excepit: *habere Christum æternam gloriam a Patre, non ex se.* Sed vicissim *Schröderus* ita institit: *Quicunque habet æternam gloriam & potentiam ab ante*, b) *sive ex se, sive aliunde, ille est æternus Deus*; Sed Christus, Ergo. *Vogelius* autem: *gloriam illam non esse æternam, quatenus Christus habet, sed quatenus pater æternus dedit*, respondebat. Rursum *Schröderus*: *Qui habet æternam gloriam &c.* aut

Christo inprimis placuisse, dicere volebat, ut, præter *Oeconomiam dicasticam*, ad quam ipsius, tanquam Propitiatoris, actiones omnes respiciebant, atque ipse etiam status κενώσεως, etiam origo *filii Dei*, *ut* filii a patre geniti, *connotaretur*. habebant, certe se habere videri volebant notitiam; filii autem & Spiritus S. summa ignorantia miseri laborabant, aliaque loquendi ratione magis a Christo alienari poterant; qui tamen, ne qua offenderet eosdem, ubi veritas sensim commodius explanari poterat, omni studio cavebat.

a) Patreque nominato, de cæteris personis dubitari non poterat. Immo vero etiam probabile est, Patrem a Christo eumque solum fere semper illis nominatum fuisse, qui hujus solius sic satis genuinam

b) Forte *ab æterno* dici, aut scribi, ab excipiente ea calamo, debuit, ita, ut respiciendum sit ad locum Joh. XVII. 5. Aut *ante mundum* addendum fuerat in respectu ad Joh. I. 1, sqq.

aut habet per naturam, aut per unionem cum eo, qui est æternus Deus &c. *Vogelius* hinc addi volebat *tertium* modum, *per donum nempe & gratiam.* Verum *Schröderus*, hoc inde *absurdum* eliciebat, *quod, si citra unionem, fieret multiplicatio æternæ majestatis, & nulla communicatio fieri possit nisi καθ' ἕνωσιν.* Nondum vero victas dabat *dissentiens* manus, sed opponebat *exemplum Regis, Proregi gloriam suam communicantis & majestatem, nec tamen se ea privantis sed dividentis.* Id acceptabat *Schröderus*, atque *divisionem sic locum (nisi ipse Christus sit Deus) habere & multiplicationem*, identidem urgebat. *Alteroque* a) contra objiciente: *Si eadem sit essentia Patris & filii, non potuisse fieri communicationem: Communicationem alter* b) ajebat, *non essentialem esse, sed personalem.* Ad hæc *Vogelius* : *Vt Photiniani duos faciant omnipotentes, ita altera ex parte fieri tres æternitates, quia quælibet persona dicatur æterna.* *Schröderus* autem, *id minime metuendum esse*, dixit, *quia cum distinctione personarum unitas essentiæ retineatur*, & serio jussit ad hæc respondere adversarium: *Vtrum data gloria Christo sit creata vel increata, atque sic æterna?* Ad quæ *Vogelius*, *non possum respondere*, inquit: *Interim dico, omnem virtutem, quam Scriptura Deo tribuit, tribui respectu nostri.* Non minus vero promte vicissim *Schröderus*: *Tribuat quæcunque velit, tamen est æterna potentia; alias enim concedas oportet, duo esse infinita, duas omnipotentias &c.* Post hæc quærebat *Vogel*: *Vtrum potentia illa communicata sit aliquid subsistens extra Deum?* & respondebat *Schröderus*: *Non est, sed essentiale Dei attributum: sicut autem essentia Dei increata non possit dici creata; ita nec potentiam ejus communicatam.* *Vogelius* autem iterum: *In eo*, inquit, *mihi scrupulus adhuc hæret, utrum illa virtus sit aliquid extra Deum, & sic distinctum a Dei essentia, an in Deo?* Cui *Schröderus*: *Essentia Dei non esse potest extra Deum; Virtus illa divina est essentia Dei*, Ergo *Vogelius* tandem, *se ita semper statuisse de Christo*, fassus est, *habere illum potestatem non ex se subsistentem, sed quod nemo illi resistere possit, aut quod ex lubitu omnia faciat.* Cui denuo *Schröderus*: *Non jam sermonem esse de potestate, sed potentia, quæ antecedat potestatem.* c) *Immotam ergo esse conclusionem: Quicunque habeat increatam potentiam & gloriam, sive ex sese sive aliunde, ille est Deus verus & æternus, Christus &c. Dan. VII. Hebr. I. Apoc. III. Luc. XXII. Phil. II. Joh. XVII.* Ergo. *Quem syllogismum opponi-*

 pono-

a) *Vogelio*: His enim inposterum quoque vocabulis: *Ille, Hic, Alter* &c. compendii caussa, interdum utemur.

b) *Schrœder.*

c) Et quasi præstruat, quippe quæ sine ista vana esset, & a ludificatione talis sine viribus facultas parum differret.

pono, addebat, *universæ Photinianorum Theologiæ.* Cujus vim quoque ſentiens *Vogelius* ingenue repoſuit: *Ad hoc argumentum fateor, me nihil poſſe reſpondere. Interim de ejus ſolutione in Domino cogitabo, nec pertinaciter pravæ ſententiæ inſiſtam. Peto igitur aliquod tempus mihi concedi, ad meditandum & ponderandum hunc ſyllogiſmum.* Atque ſic dictatis prius diſcedenti a *R. Dn. Schrödero* aſſumti aliquot probationibus, in cuſtodia probe ponderandis, dimiſſus eſt, primusque adeo congreſſus ad finem a) perductus, *Vogelio* in cuſtodiam ſuam interim revertente. Quo facto jam de *Peuſchelio* quoque ad colloquium vocando deliberatum, diesque huic tentamini certus dictus eſt.

§. XLV.

QVARTA igitur hanc excepit congreſſio, proximo *d. IV. Septembris* inſtituta, in qua cum eo primum diſputatum eſſe cognovimus. Et hunc adventantem *J. Fabritius* humaniſſime compellavit hac formula orationis: *Non ignoras, Ornatiſſime Dn. Peuſchell, promiſſionem Tibi factam eſſe a Magnif. & Prudentiſſimis Dnn. Scholarchis, fore, ut in colloquio ſiſtare, & de quibusdam religionis noſtræ articulis controverſis audiare. Huic promiſſioni jam ſatisfieri vides, præſentibus Ampl. Dn. Scholarchis. Cognovimus quidem Tuam ſententiam, cum ex nuperis Reſponſionibus, ad prælectos aphoriſmos, tum ex quadam conſignatione nobis exhibita: in qua animum tuum aperuiſti de SS. Trinitate. In quibus tamen acquieſcere nondum poſſumus. Quare hoc in Colloquio, de æterna Chriſti Deitate IV. tibi proponentur argumenta, in Scripturis ſolidiſſime fundata. Super quibus tua audietur ſententia ſincere ex animo profecta. Vt autem felix & fauſtus ſit hic conventus, & votis noſtris eventus reſpondeat, faxit Deus Trinunus.* Ad quæ nihil reſpondit *Peuſchelius*, quod litterarum monumentis proditum ſit, ſed precibus a *M. Fabro* iterum b) recitatis, ſtatim laudatus *Dn. Fabritius Argumentum primum* in medium protulit, idque hujusmodi erat: *Quicunque in Scripturis non tantum attributive, ſed etiam ſubjective dicitur Deus, ille eſt verus ac æternus Deus: Chriſtus &c.* Ergo. Nihil ad hæc *Peuſchelius*, quam: *Peto probationem minoris.* *Fabritius* itaque, ut ſatisfaceret petenti 1. *Tim. III.* allegavit: c) *Deus eſt manifeſtatus in carne*, ſed *Peuſchelius* viciſſim, *reſpon-*

a) Feliciter, *Vogelio* jam pæne, ut, quod exciperet, ſe non habere, fateretur, convicto.

b) Has enim in ſingulis congreſſibus, & quidem easdem, quæ ſupra exhibitæ ſunt, repetiiſſe Miniſtrum huncEccleſiæ, iterum iterumque monemus.

c) Sine dubio ex N. T. argumentum hoc, ſecus atque cum *Vogelio* diſputantes ante fecerant, depromere conſultius vi-

respondere ad h. l. Photinianos, ajebat, *nullo modo hic intelligi posse Filium Dei, quoniam nihil aliud innuatur, quam voluntatem Dei in Evangelio revelatam manifestatam esse in carne, i. e. per prædicationem Apostolorum, qui fuerunt caro sive homines.* a) Quibus etiam addebat, *sæpe vocem Dei pro voluntate Dei accipi*, atque hinc *exemplaria quædam* b) *non agnoscere Dei nomen: nec ignotum esse, quod Apostoli homines fragiles & infirmitatibus obnoxii fuerint.* *Fabritius* ex adverso *verba plana urgebat, nec deserendam esse litteram, ut amplectamur figuratam vocis Dei notionem, idque amplius de admirando mysterio incarnationis sermonem* c) *requirere*, monuit. At enim vero *Peuschelius intelligi* volebat *mysterium, quod gentiles sint cohæredes promissionum gratiæ, Eph. III, 4. sq.* *Fabritius* autem his regerebat: *Loca hæc admodum dissimilia, & totam propositionem, Deus est manifestatus in carne, hic esse attendendam.* *Peuschelius* hinc porro *assumi, quod controversum sit, conquerens*, occasionem subministravit *Dn. Reichio*, ut opportune urgeret, *non posse verba illa de Patre & verbo prædicato accipi, quia sequatur in textu: Assumtus est in gloria*, & h. m. ratiocinaretur: *Quicunque in gloriam receptus est, is carnem assumsit; At Christus &c. Ergo.* Constrictus *Peuschelius* ad hanc objectionem excipiebat, *nihil aliud illa verba designare, quam prædicationem Evangelii receptam esse gloriose: Es sey herrlich zugegangen.* *Reichius* vero rectissime: *τὸ ἀνελήφθη glossæ tuæ repugnat*, inquit. Hic *Peuschelius, jam ante prædicationem Evangelii in cælos Christum ascendisse*, tricabatur. *Reichius* figmentum illud d) prætermittens *prædicationem Ev-*

 angelii

sum; quod effugia pauciora superesse in ea luce viderentur. Quod consilium ab aliis prudentissimis Theologis datum, a b. Calixto vero integra Dissertatione de *SS. Trinitatis mysterio*, Resp. *Jo. Lutermanno*, A. 1653. quanquam non sine obluctatione aliorum, demonstratum est. Iste vero locus Ep. ad Timoth. præ cæteris electus atque substratus videtur, quoniam Dei nomen *subjecti* locum in eo occupans, omnem *Socinianis*, de *prædicato* aliter sentientibus, elabendi rimam occludebat, cæteraque prædicata, de quo sermo esset, condocebant.

a) Et quidem, ut alii addunt, miseri, debiles atque peccato insuper contaminati.

b) Sed perexiguæ auctoritatis & fere versiones, quarum non magna habetur, præsertim editionum *Vulgatæ* corruptarum, ratio. *Syriacam* autem versionem hominis *Nestoriani* esse fœtum Sec. V. exeuntis, alibi ostendemus. Præter hæc vero, qui forte ὅς pro θεὸς exhibent, uti ad Deum referenda esse, quæ sequuntur, prædicata, confirmant, ita partim τοῦ Ος ex vicino compendiose Θς scripto ortum, & ipsius neutrius ὃ originem inde deducendam, atque nominis θεοῦ omissionem ipsam hinc forte per incuriam commissam, produnt. Quanquam non opus sit his disquisitionibus, cum prædicata luculentissime, de quo sermo sit, divina nimirum persona, non verbi prædicatione, commonstrent.

c) Scil. ex connexis elucentem.

d) De quo ex instituto b. *J. Guilb. Bajerus* in Differt. *de Raptu Christi in cælum ante propheticum Christi munus susceptum* A. 1688.

angelii aſcenſionem Chriſti anteceſſiſſe pertendit, *quia & Chriſtus & Johannes jam Marc. I. id promulgarint*, *Peuſchelius* vero *h. l. de prædicatione gentibus facta differi*, inſtabat. Cui *Reichius jam ante in mundo creditum fuiſſe, etiam a Gentibus, Chriſtum, exemplis Syrophœniſſæ, Centurionis &c.* conſtare. Ille ex adverſo: *Nondum fuiſſe univerſalem prædicationem in toto mundo coll. Matth. X. 28.* exiſtimavit, atque verbis Paulli adeo aliquid inferſit, a) quod notans *Reichius*, quærebat e *Peuſchelio, quorſum igitur Conſpectum Angelorum referret? Ille* vero ſine mora, *ex Epiſt. ad Epheſ. III. 10. id patere*, ſubmonuit, *ita, ut intelligatur conſpectus voluntatis.* Inde autem *Reichius, etiam carnis vocabulum metaphorice accipi oportere*, colligebat, quod *Adverſarius* negabat, & *minime conſequi* opinabatur. Quare concertantibus aliquantiſper interceſſit Dn. *Schrœderus*, &, 1) ipſam *Smalzianam* b) *eſſe Peuſchelii illam interpretationem*, monuit; 2) vero eam rejecit, *quod litteram deſtruat, ubi de ſummo myſterio agatur*, deinde *etiam ταυτολογία committeretur:* Amplius, *non fuiſſe hanc prædicationem tantum N. T. myſterium*, ajebat, *quippe quæ etiam per prophetas facta ſit, qui itidem fuerint homines;* Et *cætera tandem prædicata oſtendere, ſermonem eſſe de Deo relate conſiderato, non voluntate Dei:* Ad hæc *ſuſceptionem doctrinæ Chriſti*, uti ſupra Dn. *Joachimus* exceperit, *non poſſe heic intelligi per ἀνελήφθη &c. quia idem in proxime antecedentibus jam fuerit dictum*, & *parallela loca Marc. XVI. atque Act. I.* refragentur; ὑϛερολογίαν vero, quam *Smalzius* objiciat, *non eſſe infrequentem in Scriptura.* Ad has rationes repoſuit *Peuſchelius, Scripturam eſſe tropis refertiſſimam.* At *Schröderus* ſubjecit: *Eſſe hanc illationem a particulari deſumtam*, urgebatque axioma: *A littera non eſſe recedendum* &c. *Alioqui enim ex quolibet fieri quodlibet poſſe: præſertim ubi myſteria enarrentur, quod l. c. fiat. Peuſchelius neque a noſtris id obſervari*, reſponſitavit *in loco Joh. I. Verbum caro factum.* Enimvero *Schröderus falſum id eſſe* ajebat, *quia non recedamus iſtic a littera, ſed, ſicut homo dicatur factus in animam viventem:* c) *ita quoq; verbum*

egit, verbaque ipſius Chriſti inprimis Joh. III. 13. atque præteritum ἀναβέβηκεν, de quibusvis hominibus, quorum nemo adſcenderet, τὸ ἀναβὰς autem de nativitate Chriſti, more alias recepto, explicavit, ac de reliquo *Ellipſin* manifeſtam eſſe, qua, *quod nemini unquam contigerit*, (majeſtatice nimirum ſuaque virtute, quicquid ſit de *Eliæ ſervili raptu*,) id ſe præſtiturum, atque adeo de futuro tempore (coll. Eph. IV. 10. & Joh. VI. 62 atque 33.) omnia eſſe intelligenda, recte & ſolide oſtendit.

a) Vocabulum nimirum *totus.*

b) In *Refutatione Theſium Graueri de Incarnatione* A. 1614. edita: quam tamen ab *Enjedino*, qui in *Explic. LL. ſcript.* f. 367. ſqq. ed. *Grœning.* ex inſtituto in hoc loco pervertendo elaboravit, accepit.

c) Gen. II. 7. in animam certe non mu-

verbum carnem esse factum : Non per abolitionem aut conversionem &c. sed Unionem, vel sec. Hebr. II. assumtionem, docere. *Rationem* posthæc *meliorem, cur a littera recedendum sit*, proferri jubens, percepit ex *Adversario, ideo necessarium id esse, quod alibi, ubi misericordiæ Dei fiat mentio, non tamen meminerit Scriptura incarnationis filii Dei ; Schröderoque* hoc modo occasio data est, *de varia Dei misericordia* loquendi, *ubi una quasi ab altera* a) *minime, neque proinde etiam hæc singularis tollatur*. Quæ integra recensere pigramur. b) Illud vero omittere non possumus, quin dicamus, heic postquam quædam cum interloquente *Dn. Königio Peuschelius* differuerat, (qui *Gal. IV. 4.* illi objecerat) &, *vel vocabulum Dei de essentia, vel de voluntate Dei intelligendum esse*, contra eum vehementer conetnderat, *Schröderum* tandem, *ὑποστατικῶς id accipi debere*, commonuisse ; At Peuschelius, *si litteræ inhærendum sit, consecuturum* autumavit, *Dei personam visibilem esse factam* ; id quod *Schröderus coll. 1. Joh. I. & Hebr. I. non esse absurdum*, asseveravit. Quo dicto, *se acquiescere in prima ratione, confessus est* opponens hactenus *Peuschelius*, & *ad ταυτολογίαν supra objectam* se convertit, *quam frequentissimam esse, cumprimis in epistolis Johannis*, asseruit. Non id c) inficiabatur *Schröderus, sed in compendiosa capitum fidei explicatione*, d) *eam commissam, ab Apostolo, sibi religioni esse*, regessit, *affirmare*. Ad hoc non *ταυτολογίαν* se impingere Apostolo *Peuschelius* caussatus est, verum *clariorem obscurius dictorum explicationem*. *Schröderus* autem, *obstare scopum Apostoli, qui breviter complecti voluerit summos fidei articulos, ubi tavtologiæ non sit locus, aliudque esse concionari & exhortari*, (huc enim *Opponens* itidem confugerat) *aliud articulos fidei succinctius proponere*, repetiit. Quare cum neque hæc diutius oppugnare visum esset, tertiam rationem *Peuschelius* aggrediebatur, de *voluntatis Dei jam in V. T. facta manifestatione, aliamque fuisse voluntatem propositam in V. aliam in N. T.* perhibebat. Sed *Schröderus distingui* utique *inter voluntatem legalem & Evangelicam ; verum & hanc in V. T. fuisse prædicatam*,

tato corpore, sed anima cum eo, *essentiali* licet vinculo, unita.

a) Hoc est *varii generis declarationes* ejusdem, *libere dispensatæ*, etsi de reliquo Deo naturalis. Attributa enim Dei, v. g. Justitia & Misericordia, quæ sunt Deo *per se* essentialia, possunt esse & sunt quoque ratione *modi* per sapientiam Dei liberrimæ dispositionis: quæ passim Sociniani commiscent.

b) Quoniam ad illustrationem magis, quam probationem pertinent, & summam rei non attingunt.

c) Satius est ἐπεξήγησιν hanc vocare h. e. per alia verba aut phrases explicationem ; ταυτολογίας enim notio in vitio poni solet.

d) Etsi in libris poeticis & propheticis sit tritissima, ad epistolas tamen haud bene congruit.

tam, in N. T. autem patefactam a) *& impletam Hebr. I. 1.* reposuit. Cui cum diffidens locum *1. Pet. I. 8. 9. 10.* opponeret, urgeretque verba: *Non sibi, sed nobis, atque inde ad populum V. T. gratiam Evangelii non pertinuisse,* colligeret, *id fieri ratione complementi, Schröderus* excepit: insistentemque l. c. *Peuschelium & V. T. fideles per nebulam hæcce vidisse,* affirmantem, *Esaiæ prædictiones, instar omnium, Evangelistæ V. T. ea propter ab Hieronymo dicti,* considerare jussit; Atque porro objectum *Gal. IV.* locum (*antequam fides veniret*) per metonymiam subjecti *de impleta gratia N. T.* explicando, eo compulit *Peuschelium,* ut se dictis assentiri, publice profiteretur, quartamque *Schröderi* rationem excutiendam sibi sumeret, *a Prædicatis cæteris in loco ad Timotheum petitam,* inprimis vero, *justificationem in Spiritu, de virtute Dei in miraculis,* accipi vellet. *Vbi Schröderus longe remotam esse hanc explicationem, propioremque* dixit *nostram, qua per Spiritum intelligamus tertiam divinitatis personam, quo Spiritu intus* b) *Christus ediderit miracula. Peuschelioque non eam dissimilem esse priori* affirmanti, *nostram esse priorem,* perhibuit. *quia effectus de caussa, miracula de Spiritu Christi,* testentur. Ergo hac missa ad alteram phrasin *Peuschelius* processit, *qua, angelos prius incarnationem ignorasse,* indicari putavit; Cui *Schröderus annunciationem Luc. II.* opposuit, *ante prædicationem per Apostolos factam.* Atque hinc illico *Peuschelius* ad *receptionem in gloria* se recepit, *cum miraculis per Apostolos editis, & ut Christi doctrina cum gloria reciperetur, patratis.* At *Schröderus* Gr. ἀναλαμβάνειν denuo, ut supra *Reichius*, ursit *ex Marc. XVI.* c): præterea, *non tam voluntatem Patris fuisse receptam in mundo, quam Christum, in cujus nomine miracula contigerint, Opponentem* commode

a) Pulchre & distincte *Paullus* Rom. III. 21. Νυνὶ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν κ. τ. λ. Quo sensu & *Fidem in N. T. venisse* dixit idem ad Gal. III. Apostolus, *substantiamque* Evangelicæ doctrinæ a *circumstantiis* discernendam esse, nemo non intelligit. Revelationem denique mensuram esse fidei, & hanc istam consequi, quis nescit?

b) A quo & ductum impulsumque esse sæpius Evangelistæ, præsertim *Matthæus* Cap. IV. v. 1., testantur, & ipse Servator optimus ei in se habitanti, tanquam digito Dei, Luc. XI. hos effectus, quos tamen ipse simul sua virtute produxit, quippe quæ etiam eadem est atque Sp. S., tribuit.

c) Comm. *ultimo*; ubi luculentissime de *adscensu in cœlum,* Christi ipsius, explicatur; Evangelii vero prædicationem in cœlum recipi, tantum abest, ut dici possit, ut, quemadmodum ipsa fides post hanc vitam in visionem seu intuitum commutatur, ita quoque promissionibus Evangelicis, sensu *etiam Sociniano,* (quo ad obedientiam in *studio* hoc ad æternas sedes, habita ratione promissionum Christi, de beatitatis speranda h. m. impetratione, refertur,) in cœlis locus haudquaquam esse possit.

mode commonefecit. Et cum ille, *ſibi id neutiquam adverſari,* pronunciaret, *quia & Chriſtus in doctrina Evangelii receptus ſit.* *Schröderus* denique, *phraſin hanc eſſe peregrinam, nullibi enim acceptionem Evangelii dici receptionem in gloria,* repoſuit, &, opponente viciſſim *Peuſchelio, neque hanc phraſin, Filius Dei aut Deus eſt manifeſtatus in carne, usquam in Scriptura legi, contra haberi tamen æquipollentes,* oſtendit. Quo facto *Peuſchelius, omittere ſe hunc locum, nec de eo amplius acturum,* ultro profeſſus eſt, rogantique *Dn. Fabritio, utrum concederet eum de Chriſto loqui? id ſe largiri aliquatenus, non tamen omnino, ob argumenta, quæ poſtea allaturus ſit,* reſpondit. Ad quæ *Fabritius* porro: *Sunt & alia loca, quæ Chriſtum ſubjective Deum dici comprobent, uti Act. XX. Deus ſanguine ſuo* &c. *& Pſ. 45. coll. Hebr. I. Vnxit Te o Deus, Deus Tuus &c.* inquit. *Diſtinctas quidem eſſe quæſtiones: Vtrum Dei nomen Chriſto ſubjective, an attributive tribuatur?* *Peuſchelius* ſtatim monuit. Sed *Fabritius* hæc ſeponens, *utrum largiretur in ll. cc. de Chriſto agi, nec ne?* candide *pronunciare* juſſit. *Ille, admitto,* ait, *at in Pſalmo 45. Hebraiſmum eſſe obſervo, quo Elohim Elohecha idem eſt, atque Deus Deorum tuorum.* a) *Schröderus* ad hæc, *ſtandum eſſe explicatione N. T. Hebr. I.* oggesſit; *Peuſchelius* rurſum, *vocabulum Dei eſſe æquivocum,* inculcavit: Quam discusſit iterum *Schröderus* objectionem, *concedendo, ſi prædicati locum obtineat,* ſed *abnuendo, ſi ſubjectum ſit, idque h. l. fieri, docere proprietatem litteræ, & ipſorummet adverſariorum hypotheſin.* Ibi *Peuſchelius, ex voce Deus Grauerum aliosque non ſimpliciter argumentari,* commemoravit; ſed loco reſponſi a *Schrödero* accepit; *non nudam utique vocem ſufficere, ſufficere tamen, ſi non adſint evidentes rationes, quæ cogant, a propria notione diſcedere, quæ l. c. haud deprehendantur;* eoque audito, *Ille,* ſe *concedere & hunc locum,* faſſus eſt. Ad tertium igitur *Act. XX.* ſe contulit *Fabritius,* quem *de Patre* explicabat extemplo *Peuſchelius, cui ſanguis tribuatur, perinde ut, pupillam ſuam tangi, dicat.* Hic iterum *claritatem & proprietatem verborum retinendam eſſe,* urſit *Fabritius, Schrœderus* autem accedens, *etiam Deo nusquam ſanguinem tribui,* addit. Aſt *Peuſchelius,* ita *tribui,* regesſit, *quatenus per filii ſanguinem Eccleſiam redemerit.* Sed iterum *Schröderus, deſtrui h. m. litteram,* inſtabat, objectantique *Peuſchelio, quod & nos deſtruamus per communicationem idiomatum,* contra *non eſſe in iſtis propoſitionibus tropum,* repoſuit, *ſed peculiarem loquendi modum,* b) *cum Deus vere ſit paſſus & ſanguinem fuderit, ſed*

 in

a) Non credo, hæc ſerio protuliſſe *Peuſchelium*: quorſum enim ſuffixum illud, *tuorum,* h. m. referendum eſſet, non liquet, & conſtructio quoque ſ. *ſtatus regiminis* refragatur: Cujus ſane in præcedenti *Elohim* nullum prorſus veſtigium occurrit.

b) *Inuſitatas* vulgo vocant propoſitiones, ob ἐνσάρκωσιν ſingularem Filii Dei, &

in carne 1. *Pet. IV*, 1. Et cum ne ſic quidem conquieſceret *diſſidens*, ſed *Anthropomorphitarum ſomnia, quod Deus ſanguinem habeat, inde ſtabiliri poſſe*, obloqueretur, id *Schröderus inficiatus* eſt conſtanter, *&*, *quia de perſona filii Dei incarnati ſermo ſit, hinc omnem difficultatem tolli*, commonſtravit. Equidem & verba, *Luc. X.*, *Qui vos audit, me audit*, *Peuſchelius*, ut explicarentur, *ne quis hinc inferat, Apoſtolos fuiſſe Chriſtum*, petiit; Sed non negavit *Schröderus*, *multos eſſe in Scriptura tropos, utrum vero in h. l. Act. XX. locum habeat, id tam diu diffiteri ſe*, dixit, *donec graviſſimæ cauſſæ afferantur.* Quibus rebus *Peuſchelius*, *Concedo hanc regulam*, ait: *Amplector quoque vocabulum Dei Chriſto ſubjective in prædicto loco attribui, neque quicquam amplius habeo, quod ſcrupulum hoc de loco moveat.* Quibus dictis *Schröderus*: *Sed quid de principali argumento? Concedisne, filium Dei eſſe Deum per eſſentiam?* interrogavit, reſponditque *Peuſchelius*: *Concedo, & quidem ab æterno; hoc ſaltim ſcrupulum aliquem movet, quomodo ex V. T. Trinitatem velimus adſtruere, cum tamen articulus æque ſcitu & creditu fuerit neceſſarius, ac in N. T. &c.* Hic regesſit *Schröderus*: *Ego ante octiduum legi reſponſionem tuam, & in illa verba iſta offendi, quod Articulus de Trinitate omni, omni fundamento Scripturæ V. T. deſtituatur, idque audax pronunciatum mihi horrorem incuſſit. Licet enim ſit diſcrimen* a) *inter V. & N. T. quod eapropter luci comparatur, illam tamen vocem viſam mihi eſſe temerariam fateor.* *Contrarium* hinc ſe *probaturum* duobus argumentis, recepit 1.) *ex Jer. XXXIII. ubi convocaturus Jeruſalem in N. T. dicatur fore Jehova Zidkenu: Atqui Zemach Davidis Ergo.* Cæterum *iniquam eſſe petitionem* addidit, *ſi locus deſideretur, ubi Deus dicatur unus eſſe eſſentia tri-*

inſolitam unius perſonæ, h. m., & ex duabus naturis conſtantis rationem; quam ob rem, non tantum *Homo*, ſed & *perſona ſine exemplo* jure optimo dicitur.

a) Videlicet, qua clariorem multorum myſteriorum explanationem. *Aliud quippe eſt* (verba repetimus hactenus optima *Limborchii* in *de Verit. Relig. Chriſt.* collatione cum erudito Judæo Reſp. II. f. 22.) *nullo modo, aliud obſcurius revelare. Qui obſcurius revelat, etiam rem inſinuat; ſed clarius & apertius ſuo tempore in lucem producendam.* Mihi certe parum ab ineptientibus abeſſe viſi, qui, nec veli, ſanctuario etiam oppanſi, ut typi, memores, tantum, quantum nunc ſcimus de rebus divinis, olim quoque cunctis clare cognitum fuiſſe e V. T. libris exiſtimant. Ecquod enim etiam ratione menſuræ donorum gratiæ inter tempora ἐπαγγελίας & εὐαγγελίου foret differentiæ? quo pacto πλήρωμα Chriſti tantopere celebrari poſſet. Joh. I, 16. Quo modo Prophetiæ dicerentur lychnus in loco caliginoſo nunc ſplendens 2. Petr. I. ult.? Ipſi Prophetæ ſane, ut Jer. c. XXXI. Eſ. c. LX. & XI. &c. Zach. c. XIV. ac reliqui paſſim hanc N. T. prærogativam deprædicant, & auroram atque crepuſculum matutinum ſibi ſuisque ſervatam plenamque lucem nobis promiſſam paſſim commemorant.

trinusque personis, a) *cum articulus ille de Deo sit multimembris, ac proinde membra singula, si probentur, totum quoque probatum sit.* Heic *Peuschelius* perinde, ut supra *Vogelius*, *nomine Jehovah etiam Angelos & Altaria insigniri*, regessit, *Exod. XVII. Jos. VI. &c.* At *falsum id esse*, monuit *Schröderus*, *quia nusquam Angeli dicantur Jehova, & altaris nomen Jehova Nissi*, b) *appelletur; l. c. autem germen Davidis non solum dici, sed etiam esse* c) *Jehovam clare legi.* Hisce interveniente *Königio*, &, *ut ad majorem aut minorem responderetur*, postulante, *Peuschelius limitationem Majoris* opposuit: *Qui convocaturus est Jerusalem sive per se, sive per alium &c.* addiditque & *Ps. 99. ubi arca ipsa dicatur Jehova.* *Schröderus* contra, *non arcam dici Jehovam, sed propter præsentiam Domini, quæ cum illa erat, sermonem ita instrui, ut ad scabellum Dei, adorare omnibus injungatur.* Quod acceptans *Peuschelius*; *Ergo nec Christus*, inquit, *est Jehova, sed Jehova cum illo; Schröderus vero id non consequi*, respondit. *Accedi enim ad altare & ad corpus Domini, cum tamen altare non sit ipsum corpus Domini, quemadmodum nec arca erat ipse Jehova, sicut germen Davidis.* Heic vicissim quidem *Peuschelius*, *non posse firmum argumentum ex nudo vocabulo deduci*; At *Königius*, *non ex nudo vocabulo sumi, sed toto contextu*, eum admonuit, *Schröderusque* vel *unam instantiam contrariam* expoposcit. *Peuschelius* equidem, *Gerhardum etiam uti limitatione: Quicunque proprie & absolute dicitur Deus &c.* dixit: Id vero parum curans d) *Schröderus*, *ad argumentum ut respondeat*, jussit. Heic *Peuschelius* quidem *Majorem negare* conatus, sed illico *perspicuitatem ejus animo reputare* jussus, *tandem*, *non posse se illam infringere*, fassus est. Nihilominus *Photinianos perhibere* ajebat, *Christum dici justitiam nostram virtute Patris sui*, allegavitque locum 1. *Cor. I.* Ibi vero mox *Schröderus*, de *Christo homine & ejus officio sermonem esse*, observari voluit Eaque occasione devoluti sunt ambo ad *Quæst. Utrum virtus illa justificandi potuerit a Deo communicari Christo, ut nudo homini? Peuschelioque ajente* & contendente, *id negare, esse injuriam in Dei potentiam*, ex adverso *Schröderus* ratiocinatus est: *Quicquid implicat contradictionem, illius negatio non est injuria in Dei potentiam; At talis virtus justificandi communicata secundum Photinianos &c. Ergo. Peuschelius ad hæc, repugnare tantum secundum rationem humanam*, reposuit, idque pro limitatione addi voluit; Ast *Schröderus*, *esse*

 revera,

a) Qua lyra semper oberrare & iniquissime id petere consuevisse, ac propterea *Schopperum* etiam auditoribus hisce suis male audivisse, supra jam aliquoties animadvertimus.

b) Quæ conjunctim integram propositionem constituunt, unde nomen complexum, ut vocant, exsurgit.

c) Et apertissime quidem Jer. XXXIII. uti supra demonstratum est.

d) Quippe quod additum non tam tem-

revera, *nec tantum videri repugnantia*, *ex Socino contra Wujekum*, a) probavit, ubi is *ſcientiam eſſentialem Dei nemini dari aut dari poſſe*, aſſeveranter tuitus ſit. *Atque revera omnem multiplicationem infiniti implicare contradictionem demonſtravit*, *cujusmodi ſit Socinianorum virtutis juſtificandi communicatio.* Negavit *Peuſchelius minorem*: *Schrœderus* autem confeſtim, *communicationem Photiniano ſenſu* b) *eſſe multiplicationem*, oſtendit. Et cum *Peuſchel*, *non ipſam eſſentialem virtutem multiplicari*, contenderet, *tanquam attributum ad intra*, *attamen effecta virtutis aſſereret*; *monſtrari Schrœderus ſibi* petiit *duplicem facultatem juſtificandi*, *ſicut duæ poſſint monſtrari bonitates*, *altera Dei*, *altera creaturarum.* Deferens ergo minorem *Peuſchel inſtantiam* contra majorem *a generatione filii Dei* objectavit, & poſtquam *Schrœder*, *nullam heic poſſe contradictionem* c) *demonſtrari*, monuerat, ad illud ζητέμενον forte inter ſermocinationem digreſſus eſt: *An etiam Patres ante Concil. Nicænum potuerint demonſtrare Trinitatem ſine implicatione contradictionis*, eoque a *Schrœdero*, vel *ex Luciani Philopatore* d) oſtenſo, *Peuſchelius PP. iſtos*, *eſſentiam Dei eſſe finitam*, *ſenſiſſe* perhibuit; At *Schrœdero probationem ſolidam* aſſerti requirente, *nullam* attulit, ſed, *ad hoc primum argumentum quod attineat*, *nihil ſe habere*, *quod ulterius opponat*, non diſſimulavit. Qua de cauſſa *Schrœderus ſecundum* argumentum ex *Pſ. CX*, 1. h. m. formavit: *Quicunque habet potentiam increatam & immenſam*, *ille eſt per eſſentiam Deus*, *Atqui Chriſtus. Ergo eſt per eſſentiam Deus.* Minoremque ſtatim confirmavit *ex ſeſſione ad dextram Dei*

peraret Majorem, quam applicatione ad l.c. facta ejus robur confirmaret.

a) *Jeſuitam*, qui *Bellarmini* vitula arans *de Divinitate filii Dei & Sp. S.* libellum A. 1590. Polonica lingua edidit, eodem idiomate a *Socino* confutatum: quæ Refut. *T. II. Opp. Socini* f. 529. ſq. comparet. Sed fatemur, nondum hæc, quæ allegantur, nos in ea Diſp. reperiſſe. Satis vero eſſe poteſt, rem ipſam argumento ſimul invicto ab *unitate infiniti* ſtabilitam eſſe.

b) Quo ſcil. non idem numero, id quod communicatur, eſt ac manet. Communicatio enim *ſenſu ſcripturæ*, ut infra docebitur, quemadmodum eſſentiæ divinæ, ita quoque attributorum, utique ſtatuenda eſt.

c) Dummodo generatio ἁπλῶς & *per ſe* conſiderata a *materiali* & quæ rerum *finitarum eſt*, *diſtinguatur*: ubi multiplicatio, vel ratione eſſentiæ numero a generante diſtinctæ, utique locum habet.

d) *Philopatris* titulo inſcribitur; ſed nuper a Cl. *Geſnero* in ed. ſeparatim procurata Jenæ 1715. 8vo ei abjudicatus, & in quartum ſeculum demiſſus eſt, argumentis valde veriſimilibus, iſte Dialogus: cui ſuppetias porro tulit *Monacho* id opuſculum adſcribens hac ætate viventi celeberrimus *Heumannus* in *Pœcil. Tom.* I. L. II. n. IX. f. 247. ſq. Huic ergo loco, admodum certe ambiguo, *Tertulliani* præferenda videntur, & aliorum, ſcripta a *G. Bullo* in *Defenſ. fidei Nicænæ* dudum excuſſa. Terminum ſane τρίαδος jam Sec. II. *Theophilus* ad *Antolyc.* L. II. c. XXII. & forte primus uſurpavit.

Dei l. c. commemorata. a) Ad hæc *Peuſchelius* : *Humana natura ſedet ad dextram Dei*, *Ergone eſt per eſſentiam Deus ?* per modum *inſtantiæ* regesſit. *Schrœderus* contra prohibuit adverſarium μετάβασιν *a perſona ad naturam* facere, & *niſi Meſſias eſſet Deus*, *ſecundum naturam humanam, non poſſe ſedere ad dextram Dei*, advertere jusſit. *Peuſchelius* vero ſcite & laudabiliter, *non ſe laborare in eo*, *ut tantum modo certus fiat in fide, ſed & reſpondere poſſit ad argumenta adverſariorum, eumque in finem hæc a ſe prolata fuiſſe*, dixit. Reperiit ergo *Schrœderus* argumentum: *Quicunque regnat per increatam potentiam, ille habet increatam potentiam &c.* *Peuſchelioque majorem* inficiato, *abſurde* eam *negari*, obloquutus eſt; *neque enim regnare aliquem poſſe per increatam potentiam, niſi eam habeat; uti neque vivere quis poſſit ſine anima vitali.* Aperte hinc *Peuſchelius* pronunciavit: *Quia minor eſt extra controverſiam vera, amplector eam ſententiam, quod Chriſtus non modo habeat potentiam increatam, ſed & quod eſſentialis Deus & æternus Dei filius ſit.* *Hoc argumentum*, ſubjecit *Schrœderus*, *valde urgeo, & oppono adverſariorum principio, in eo enim totius rei nervus continetur.* Ad quæ *Kœnigius: Conceſſa filii Dei æternitate ordo & naturæ & Aphoriſmorum poſtulat, ut de Deitate Sp. S. agamus*, inquit; Verum *Peuſchelius dubium* adhuc *de creatione omnium, quo non parum moveatur*, b)

 ſibi

a) Nec dubium eſt in explanando l. c. *dextraque Dei* deſcribenda breviorem fuisſe *Schröderum*; quoniam ſuperiori demum A. 1615. *in Throno Chriſti regio* præclare & copioſe Cap. II. III. & IV. ad oculum demonſtraverat, non aliam, quam infinitam immenſamque Dei Majeſtatem, per eam denotari, ac proinde *Chriſto* etiam, quando *ad hanc dextram conſediſſe* dicitur, eandem illam, quæ ei ut Deo, tanquam eſſentialis & naturalis proprietas, competat, ſed per unionem perſonalem Humanæ ejus Naturæ communicata ſit, tribuendam eſſe. Vnde porro ſummum & æternum Deum eum quoque eſſe, hoc ipſo, quod ei Majeſtas illa & per naturam, & quia ſimul *in una perſona* etiam homo ſit, etiam per unionis gratiam competat, conſequatur. Quæ deinceps pluribus adverſus *Antithronum Becmanni* Sen. idem *Schröderus* in *Sceptro regio J. C.* poſthumo opere ſolide defendit. Poſthumum vero hoc opus non ſine cauſſa appellavimus. Quamvis enim ipſemet ad illud quædam præfatus ſit *Schröderus*, Dedicationique diem *XI. Junii A.* 1621. (quo libellus iſte publici juris factus eſt) ſubſcripſerit, menſe tamen demum *Septembri* is prælo exiit, cum hæmiplexia ſubito correptus interea d. *XXIII. Junii* diem *obiiſſet* Auctor, curamque adeo editionis *Venerando Theol. Gieſſenſ. Collegio* reliquiſſet. Quod h. l. obiter notaſſe non erit L. B., ut putamus, ingratum.

b) Vnde ſerio eum de veritate ſolicitum fuiſſe, liquet. Nam idem dubium etiam cæteros *Socinianos* nunquam non male habuiſſe, jam ante oſtendimus. Levi autem cavillo *accommodationis* elabi eos non posſe, ipſa formula: πρὸς τὸν θεὸν (non ad angelos) λέγει Deus Pater, in Pſalmo citato docet.

ſibi antea eximi petebat; Atque hinc idem *Kœnigius* argumentum ſequens ſtruxit: *Quicunque creavit cœlum & terram, ille eſt verus &c. Deus.* Id vero limitavit *Peuſchelius*: *Quicunque creavit, ut principium quod &c.* *Kœnigius* autem *oſtendi ſibi* voluit, *in Deo eſſe principium quod & quo.* Ibi *Peuſchel*, *illud Deum eſſe, hoc virtutem a Deo emanantem*, putavit. *Kœnigius* porro, *principium quod & quo eſſe realiter diſtincta, in Deo autem nihil eſſe realiter diſtinctum; in Chriſto quidem θεανθρώπῳ id locum obtinere, ubi ſit unio & diverſitas, at non in Deo*, regesſit, & ulterius *c. XLIV. Eſaiæ*: *Solus ego cœlum & terram creo*: a) expendi voluit. Ad quæ *Peuſchelius*: id *non negare Photinianos*, notavit, ſed *utrum virtute propria & eſſentiali, & ut cauſſa prima* crearit, *diſquiri*, commonefecit. Iterum vero *Kœnigius*: *At Chriſtus creavit cœlum & terram* inquit *Hebr. I.* *Peuſchelius* vicisſim, *non virtute propria id factum eſſe*, repetiit. *Kœnig* autem oſtendere juſſit, *ubi aliquis dicatur aliena virtute creaſſe*, & cum *Peuſchel*, *Filium, ut cauſſam ſecundam, cœlum & terram creaſſe*, aſſereret; *Bene*, ait, *Kœnigius*; hinc argumentor: *Quicunque cœpit in utero Mariæ, non potuit creare cœlum & terram, At Chriſtus ex veſtra hypotheſi &c.* Ergo. Idque argumentum, propter dubitationem Adverſarii corroboravit *Schrœderus* h. m. *Quicunque vel propria vel communicata virtute &c.* quo facto excuſavit ſe *Peuſchelius*, & de majore tantum *propter Arianos ſe fluctuaſſe*, b) utrum concedi posſit, cauſſatus eſt, atque (*Kœnigio* interea, quomodo adverſus *Arianos* argumentum iſthoc formari queat, ſatagente,) *minorem ſibi probari*, poſtulavit, eamque probante (qui disquirentibus interceſſerat,) *Schrœdero* ex *Hebr. I*, 10. *ſq.* duas attulit *Socini reſponſiones*; alteram, qua *ad Patrem verba illa referenda per quandam quaſi admirationem & acclamationem*: *O Deus &c.* putavit, alteram, qua *ad excellentiam tantum Filii, & quidem renovationis ſeculorum reſpectu, pertinere* judicet. Ad quarum primam *Schrœderus*, *ex antecedentibus & conſequentibus ſenſum* ſecundum Hilarium c) *eliciendum eſſe*,

a) Multo vero locus iſte fortius adverſarios ſtringit, ſi & ſequentia: *Mea virtute*, ſeu, ut rectius verbotim reddere par eſt, *Per me ipſum*, aut *ex me ipſo* (מאתי) *terram expando*, addideris, quibus creationis opus cunctis, quæ non ſunt ipſe Deus, abjudicantur rebus. Eam autem virtutem cum quoquam *communicari* poſſe, niſi ubi perſonale vinculum interceſſerit, hoc eſt, quod *confirmari* potius ſolidis argumentis, quam *affirmari* debuerat.

b) Non de *Socinianis* hypotheſibus hactenus ſe directo egiſſe (utut hæc etiam, ſi obtinuiſſet, in rem quoque ſuam convertere potuiſſet) ſed veritati curate pernoſcendæ in univerſum, quantum ad hanc partem doctrinæ, ſe litaſſe ſubinnuens.

c) Cujus nempe tritum illud: *Ex cauſ-*

esse docuit, quæ ad oculum demonstrent, *de uno eodemque Filio sermonem esse*, idque *particulam καὶ amplius demonstrare, quæ in admirationibus nullatenus adhiberi soleat.* Ad utramque vero *Kœnigius*, similiter *contextum* alia omnia a) ostendere, iterum reposuit, & *Peuschelium* ex *Socino* excipientem, *esse in Scriptura loca, ubi non omnia, sed aliqua saltim membra ad rem pertineant, & interdum priora cum posterioribus conveniant, supervacaneis intermediis*, jussit *afferre locum*, *eoque* adducente *Matth. XII, 16. ex Es. XLII. cit.* respondit *negando*, cum textus citatus agat *de miraculo a Christo edito, & distincte, quomodo id Pharisæis placuerit, Christusque secessionem ac divulgationis prohibitionem susceperit*, l. c. probet. *Schrœderus* vero, prorsus *esse dissimilem locum hunc* insuper observavit, quippe *qui non de duabus personis, sed tantum de una loquatur:* ubi tamen *Peuschelius* arbitratus est *sufficere, si adducatur locus quocunque modo*, quod *Schrœderus cum Kœnigio negabat*, & *Ille* amplius occasione ventilati loci ex *Ps. XLV. quid de unctione* b) *statue-*

sis dicendi sumendam esse intelligentiam dictorum: Seu, ut alibi L. IX. de Trinit. f. 160. loquitur: *Dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequentibus expectetur:* respiciendum esse significare volebat. Quum vero Apostolus ibi, Christum majorem esse Angelis, ex instituto docere velit, consequens est, argumentum quoque, uti priora, ita postremum fere & validissimum ex Ps. CII. adductum non de Patre, sed filio intelligendum esse. Quanquam neque Exclamatio nisi coacte ad præsens, in quo Apostolus versatur negotio, applicari possit.

a) *Omissa* est ad alterum, a *Renovatione* desumtum effugium, *Responsio*, sive quod inter colloquendum, ut fit, ad alia animadvertentes ejus oblivisceretur pars utraque, sive quod digna non censeretur petulans illa detorsio vindiciis oppositis. Quotusquisque enim est, qui non videat, non de hominibus, sed *cœlo* & *terra*, & quidem tanquam *opere manuum Dei*, (qui Christus h. l. esse dicitur,) eorumque *existentia* haud mutabili Dei existentiæ opposita, itemque *destructione τῷ* esse *successura* & similibus, ad renovationem prorsus non quadrantibus, sermonem esse. Quæ, si vel maxime a littera recedere liceret, cujus rei caussa nulla præsto est, interpretationem hanc prohiberent.

b) Eam videlicet intellexit *Schröderus*, quæ non quidem in baptismo, uti *Peuschelius* dixerat, sed in ipso τῆς ἐνσαρκώσεως momento contigerat *Christo*, inde quoque singulari de caussa sic dicto: quamve vulgo Theologi recte τῆς ἑνώσεως vocant, & quia infinitis illis donis in statu servili constanter non usus erat servator optimus, unctum quoque unctione eximia & incomparabili *habituali* a Sp. S., ita, ut *profecerit* nihilominus *sapientia* ex Luc. II. extremo docent; idque amplius ex Es. IX. 1. sqq. ubi inter hæc dona etiam *timor Dei* numeratur, confirmant. Atque hanc unctionem vulgo *habitualem* appellant, quia eæ, quas consecutus est Christus per eam dotes, ipsius sanctissimæ menti *inhærebant*; cum illa, quæ per unionis gratiam accepit χαρίσματα, οὐ κατ᾽ ἐνύπαρξιν, sed κατὰ συνδύασιν Hum. naturæ competant, & sine mensura, hoc est infinita cum sint, nullatenus incrementa capere possunt. Tametsi iisdem, uti recte h. l. monetur, non statim post ipsam unctionem illam *personalem* Christus consulto usus sit.

ſtatueret, *Peuſchelium* interrogabat. *Hic* ergo *inter gradus unctionis diſtinguendum eſſe* opinabatur, quorum *alter in baptiſmo*, *alterque poſt aſcenſionem in cœlos contigerit Chriſto*. Id vero, *qua poſteriorem eamque poſt exaltationem factam*, cum *probari* vellet *Schrœderus*; *Ille* ex *Act. II.*, *ubi Deus Regem feciſſe Jeſum dicitur*, evincere conatus eſt. Sed poſtquam *facere Regem*, *idem eſſe*, l. c. *quod facere regnare*, *non quod Chriſtus antea Rex non fuerit*, *ſed quod regnare reapſe inceperit*, demonſtraſſet *Schrœder*, *unicamque unctionem* tantum ſecundum Scripturam agnoſceret, *Peuſchelius* ad extremum & *de illo loco Hebr. I. Schrœdero* victas manus dedit, & *nihil amplius ſe habere*, *quod moveret*, confeſſus abiit. Qua profesſione optabili plane palam edita confeſſui quoque huic IVto finis impoſitus, & poſt *Peuſchelii* diſceſſum de iterato *Vogelii* acceſſu, cui ſpatium interim de Syllogiſmo, ad extremum propoſito, meditandi indultum fuerat, deliberatum, diesque huic colloquio ſequens *V. Septembr.* a Generoſisſimo Dn. Ephoro VOLCKAMERO conſtitutus eſt.

§. XLVI.

Interceſſere equidem nonnulla, quæ huc ob temporum rationes videbantur referenda hiſtorica, videlicet maledicta & inſectationes hoſtium veritatis publicis ſcriptis divulgata, & tunc primum prælo emiſſa, atque in Bibliopoliis apparentia: Sed, quoniam inconſultum eſſet, ordinem colloquiorum temere interrumpere; rectius nos facturos exiſtimamus, ſi ad calcem finemque diſputationis a) ea rejiciamus; ubi, quorſum pertineant, opportune L. B. haud omittemus inſtruere atque edocere. Sepoſitis ergo hiſce, tanquam alienis ad QVINTAM, quæ *Vto* etiam die *Septembris* habebatur, Concertationem ſeu *Seſſionem*, ut vulgo vocant, aggrediemur, eamque totam adhuc dabimus, uti præcedentes, excerptam, ſed tamen ita, ut compendioſius præcipua momenta & disquiſitiònis ſumma capita comprehendere viſum ſit. Revocavit nimirum ſub hujus conflictus initium ante omnia Dn. *Fabritius* in mentem *Vogelio*, quæ nudius tertius *de Divinitate Chriſti*, quam viſus ſit amplecti, acta diſputataque eſſent, inprimis vero & in præſenti, *ut ad propoſitum Syllogiſmum reſpondeat*, ajebat, *expectari*. Quibus rebus cum precatiuncula conſueta recitata fuiſſet, *Vogelius* primo omnium repetiit *ſyllogiſmum*

Dixit hac de re nonnulla *Schröderus* in *Sceptro Regio Chriſti Thronoque* Cap. VII., ſic tamen, ut mallem hæc utrobique diſtinctius explanaſſet. De tempore unctionis habitualis ſatius eſt ſilere, quam temere aliquid definire.

a) *Forneri* λοιδορίας & convitia indigitamus, de quibus §. LXIII. diſſeremus.

gismum a Dn. *Schrœdero* commendatum: *Quicunque habet potentiam increatam & infinitam, ille per essentiam est Deus, sive eam habeat aliunde, sive a se &c. Sed Christus &c. Ergo* &c. Et primum, *niti eum principio Philosophico*, a) notavit, deinde vero, posteaquam *Schröderus* monuerat, *a Scriptura* tamen *id non elidi*, ad ipsum *axioma*, quo nitatur: *Multiplicatis videlicet subjectis, multiplicari prædicata s. adjecta; hinc plane secuturum*, respondit, *unam tantum esse personam in S. Divinitate; quia, si P. F. & Sp. S. essent Deus, tria darentur infinita.* Enimvero *consecutionem* hanc *inficiatus* est *Schröderus*, &, *hoc tantum sequi*, ostendit: *Aut tria esse infinita, aut tres esse, qui habeant unam infinitatem æqualiter.* b) *Vogelius* contra, *id consequi, quocunque etiam modo fiat participatio*, pertendit, *quoniam, quod participetur a subjectis, multiplicetur.* *Schröderus* autem, *inter subjecta, quæ essentialiter & realiter distincta sunt, differentiam* constituit, & *se loqui de multiplicatione non separatorum, sed distinctorum*, affirmavit. In qua distinctione, quandoquidem *Vogelius, P. F. & Sp. S. esse tria distincta subjecta*, urgebat, & *Schrœderus contra essentia distincta esse*, negabat, aliquandiu c) controversabantur. Tandem, cum *Schrœderus* objecisset, *essentiam non distingui realiter a persona, sed tantum ratione, Vogelius* autem, *id se perspicere non posse*, reposuisset, *quia ratio illa sit vel aliquid, vel nihil, &, si aliquid, realem esse, si nihil, nullam*; diu de eo, *quid sit ratione differre*, &, *quid sit aliquid in mente ratiocinantis*, iterum concertarunt; donec ex Scriptura agere juberet *Vogelium Schrœderus*, qui *majoris* hinc *limitationem: Quicunque habet potentiam increatam tantum ex sese, is est verus Deus &c.* addebat. Inde *Schrœderus* denuo *amplians majorem*, & ipse adjecit verba, *sive ex sese, sive ex alio &c.* Quo facto *Vogelius invertit* argumentum, & *hinc potius consequi, quando quis habeat aliunde acceptam potestatem, eum verum & supremum Deum non esse*, arbitrabatur, idque confir-

a) Ad ea videlicet respiciens, de quibus supra, ex Script S. disputandum esse, rationis principiis ad hæc mysteria haud assurgentibus, convenerat.

b) Quodnam vero horum locum habeat, revelationem Dei, de seipso optime testantis, utpote sibi infinito enti quam optime cogniti, determinaturam esse.

c) De vocabulo & notione *subjecti* altercantes: utrum ad præsens argumentum congrueret, & tandem Deo convenientem admittentes. Vbi repeti potuisset illud *Augustini: Cum quæritur; Quid Tres? Magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum tamen: Tres personæ* (quod vero commodius ad nomen seu terminum subjecti applicari potest. *Personæ* enim vox Biblica est 2. Cor. IV. 6.) *non, ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Scilicet ut idem L. I. *de Doctr. Christ. c. VI.* pulchre: *Deus, cum de illo nihil dici digne posset, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.*

mabat ex *Cap. XI. v. 35. Epist. ad Rom.* ubi verba: *Quis dedit ei aliquid?* reperiantur. At *Schrœderus, discrimen* esse *inter acceptionem æternam* a) *& temporalem,* b) animadvertere Opponentem jussit. At enim vero iterum *Vogelius: Atqui humana natura habet potentiam increatam ab alio, Ergone est natura Deus?* excepit; Sed *Schrœderus, a persona ad naturam male transiliri,* ac, *se non sine caussa, Quicunque, non Quodcunque dixisse,* eum commonefecit. Nondum vero destitit *Vogelius,* verum ita argumentatus est: *Quicunque habet potentiam increatam ab alio, ille est Deus &c. Sed Christus, qua homo, Ergo.* At *Schrœderus* porro *in hominis vocabulo ambiguitatem esse,* quod *vel ἐξηγητικῶς pro homine seu persona humana, vel διοριστικῶς pro humana natura accipiatur,* observari voluit. Et cum *Vogel, humanam naturam esse personam,* assereret, *Ille, negans* id ipsum, *totum Christum esse personam, dixit.* Ex quo nova, *de subsistentia Humanæ naturæ per se,* lis orta, disputatumque, *utrum differant, subsistere in se & per se,* usque dum *Vogelius,* deserto illo litigio, c) *novam limitationem* Syllogismi primarii proferret, adderetque Majori: *Quicunque habet potentiam increatam subjective in se inhærentem &c.* Vbi *Schrœderus* probavit *minorem,* ex eo, *quod potentia illa, aut ipsius Dei essentialis potentia sit oporteat, aut ab illo creata; si creata, aut substantia aut accidens; si substantia, in Christi humana Natura duas fore substantias; si accidens, esse subjective in humana natura &c. Vogelius, dari tertium,* excepit, *essentialem nempe Dei proprietatem;* At *Schrœderus, Ergo & substantiam Dei* d) *Christo tribui debere,* hinc collegit. *Vogelius* porro *a Sp. S. misso* instantiam exposuit, & cum *Schrœderus, dona creata mitti fidelibus,* e) affirmaret, *Adversarius, potentiam etiam Christi creatam esse,* hinc conatus est concludere. *Schrœderus* igitur *ex sessione ad dextram Dei contrarium* allaboravit commonstrare. Quod, cum *Vogelius* phrasin explicaret *per proximum a Deo sedere,* idque probaret *ex petitione filiorum Zebedæi Matth. XX.*, amplius *Schrœderus*, rejecta illa falsa

a) Vbi res omnis ad generationem Filii Dei a Patre redeat.

b) Qua perfectio nova ei, qui adhuc ea caruerit, accedat, & imperfectionem arguat; cum prior perfectissimæ naturæ communicationem sine imperfectione, & ordinem tantum originis atque emanationis indicet.

c) Scholastico; quod, uti obscurum, ita auditorio molestum videbatur.

d) Quæ eadem prorsus sit atque essentia Dei. Vnde patet, sicut etiam ex *Peuschelii* responsionibus elucet, scita quorundam *Socinianorum*, qui attributa Dei ab essentia ejus realiter non differre statuunt, quæ sententia *Ostorodo* præcipue & *Enjedino* arrisit, neque *Crellio*, si ab actibus liberæ voluntatis discedas, displicuit adoptasse.

e) Effecta, inquam, Sp. S. Qui quanquam ipse sit infinitus, pro arbitrio voluntatis 1. Cor. XII. 11. ἰδίᾳ ἑκάστῳ dispensat.

falsa erroneaque fratrum persuasione, *ex locis æqualibus & æquivalentibus formulis: sedere ad dextram virtutis Dei; majestatis; ad dextram throni in cœlis &c.* sententiam suam constabilivit, & *Adversario* negante, *quod dextra Dei sit increata potentia*, ac discernente *thronum majestatis a sessione ad dextram seu collocatione in throno illo*, illico, *dextram Dei esse ipsam virtutem seu essentiam Dei, uti alia membra hoc sensu ei tribuantur*, ad oculum demonstravit, atque hinc amplius, *quia non dentur throni duo, idem esse*, a) *thronum Dei & accipere thronum Dei*, dissentientem docuit. *Qui*, cum aliter non posset effugere, *secundum thronum, in quem Christus a patre fuerit collocatus*, finxit: *Schrœderoque* iterum urgente, *unum esse thronum Dei, secundumque* adeo *dari non posse, Vogelius*, ad *animalia quatuor in medio throni* b) *Apoc. IV*, 6. & *fideles in throno Christi* collocandos *Apoc. III*, 21. *&c.* provocavit, *quos nemo sane dixerit virtutem infinitam accipere*. At *Schrœderus* confestim, *discrimen* ingens *esse inter thronum Christi, & Dei ac patris*, commonstravit, *quorum ille cœlum & cœleste regnum denotet, & peculiariter fidelium, respectu Christi, thronus dicatur; hic vero, in quo solus Christus consederit, ipsam majestatem Dei: Cui enim angelorum dixit: Sede a dextris meis Hebr. I.* Convictus itaque *Vogelius* ad locum *Joh. XVII.* progressus est, ex quo *Schrœderus Christi æternitatem* h. m. probatam dedit: *Quicunque habet gloriam, quæ erat antequam mundus esset, ille habet gloriam increatam; sed Christus:* Ergo. Inseruit quidem *Vogel* sine mora limitationem: *Quisquis habet ipso actu, &c.* c) Sed *Schrœderus, se τὸ ῥητὸν sequi*, contendit, & *h. m. Anthropomorphitarum errorem recipiendum esse*, d) *adversario* objicienti, *in his Scripturam ipsum, corpus*

a) Quod ad *potentiam* videlicet attinet, quam, qui ad dextram Dei collocetur, accipiat. Discrimen enim inter *dextram Dei & sedere ad dextram*, quorum illud *majestatem* ipsam denotat, hoc vero *evectionem ad eandem*, quæ demum post adscensum Christi secuta est, alias non negavit *Schröderus* in sceptro & Throno Reg. hac de differentia sæpius disserens.

b) Prior locus Apoc. IV. inter colloquendum videtur prætermissus paullo difficilior. Cum enim non dubium sit, illic de Throno Dei, (in quo & Agnus, tanquam victor, stetit, C. VII. 17.) sermonem esse, commodissime omnium verba ἐν μέσῳ ita interpretaberis, ut non, sicuti de agno alibi legitur, in ipsa sede stetisse ea dicas, sed partim *e regione, in der mitte gegen über*, partim ἐν κύκλῳ posita fuisse concipias; id quod posterior hæc vox, quæ, in circuitu constituta fuisse animalia seu regna hujus mundi Christo subjecta, significat, luculenter ostendit, & situm partim *ex adverso* coll. Exod. XL. 26. partim ad latera prodit.

c) *Decretum* namque & *destinationem* admittunt *Sociniani*, atque eo verbum *habere* detorquent.

d) Nam Deum pluries etiam membra *habere* doceri, pervulgatum est, & Scripturam passim ita loqui, nemo nescit.

non esse Deum, docentem, vi analogiæ fidei, *ut deseramus litteram, quasi præcipere* ait, idque amplius *ex Sapientia* a) *Dei infinita* firmavit, itemque ex asserto Christi, *Joh. IV.* πνεῦμα ὁ Θεός, stabilivit. Quem locum cum *Vogelius* ἀπὸ κοινῦ *repetendo verbum* ζητεῖ h. m. interpretaretur, *Deus quærit* in Accusativo *Spiritum*, prope indignabundus respondit *Schrœder*: *Si nobis ea licentia daretur fingendi, quicquid velimus, ubi manebit Scripturæ certitudo?* Et *Fabritius* interfatus, ac collegæ consentiens, πανυργίαν & πονηρίαν vocavit perversionem istam loci manifestissimi. *Vogelius* hinc *metas sibi poni* expetiit, *quando sit litteræ insistendum*. Posuit ergo *Schrœder*, & *tum id necessarium esse*, dixit, *quando radicetur in aliquo loco fundamentalis aliquis fidei articulus, & potissimum in mysteriis*, b) *ea tamen cautela, nisi ex Scripturis afferantur urgentes rationes, quibus litteram deserere jubeamur.* Ibi vero, *an sit locus Joh. XVII. ejusmodi*, *Vogelius sibi demonstrari* voluit; *præcipue eo, quod is, qui petiit gloriam, illam certe actu ipso nondum habeat.* *Schrœderus* autem vicissim: *Non sequi, ut, quod dicitur de toto, negetur de omnibus partibus*, regessit, & *de assumta humana natura exposuit, quod Christus petierat*: Iterumque, *id non fieri sine tropo*, objectanti *Vogelio*, respondit, *falsum hoc esse; Christum* enim *petiisse sibi gloriam, & tamen habuisse, quod enim dicatur de membro, id de tota persona dici.* Omisit ergo *Adversarius* hoc argumentum, & divinitatem Christi *ex Rom. IX, 5. Hebr. I, 10. 11. Luc. I, 32. sq. Apoc. I, 8. sibi adstrui*, desideravit. Formatisque *Syllogismis* & probata majore *ex titulo* εὐλογητῦ Θεῦ *soli Deo proprio, ipsaque proprietate vocabuli Deus*, posterius *Vogelius* arripuit, & *Magistratum quoque Deum dici* (Ps. 82. & Joh. 10.) asseruit. *Schrœderus*, id *metaphorice fieri*, c) reposuit; At *Vogelius*, *analogice* d) *potius intelligi oportere*, existimavit: Et cum *Schrœder* λεγομένυς Θεὺς 1. *Cor. VIII. appellari* monuis-

a) Vt Sapientia huc congruat, non perspicio. *Simplicitas* itaque Dei substituenda est.

b) Vbi sane nemo non, quanta fieri potest perspicuitate & simplicitate, quæ figuris orationis neutiquam non tantopere profecto conveniunt, rem tantam, *omnibus* etiam rudioribus patefaciendam, præsertim ubi ex instituto aliquo de mysterio agitur, exponi verisimillimum putaverit. *Figuratum autem erit, quod est*, ut *Augustinus* inquit L. III. *de Doctr. Christ.* c. X. *contra morum honestatem, vel fidei*, alibi satis clare propositæ, *veritatem.* Nec sunt, qui ita sentiunt, *verborum aucupes*, sed *moris in loquendo*, etiam inter homines recepti, *custodes.*

c) Quod & τὸ *dicere & nominare* innuit, & ipsa homonymorum definitio confirmat.

d) Quasi proprie & Christo & magistratui competeret id nomen; Illi autem per prius & potiori jure, huic minori quasi dignitatis gradu. Analogia enim *similitudinis* facile concedi potest.

monuisset, *Christum quoque fore* Θεὸν λεγόμενον, *Ille* ex Joh X, 35. sq. *si illi dicuntur Dii &c.* collegit. Sed postquam *Schrœderus*, *argumentum esse a minori ad majus, ex ipsa oratione Christi edocuisset*, a) misso hocce dubio, *ad* dictum ipsum *Rom. IX.* denuo sese contulit *Vogelius*, & *Erasmi varias interpretationes lectionesque, cum interpunctione diversa*, considerari voluit. At *Schrœderus*, *auctoritatem Erasmi & Calvini in Capite præcipuo de S. Trinitate nos non magnopere curare*, obvertit, & quibusdam *Codicibus malæ notæ, Patres antiquos omnesque paraphrases, Syriacam inprimis & Arabicam*, opposuit, *qui interpunctionem illam Erasmianam* b) *nesciant*. Contra *Vogelius*, *se hoc potissimum movere*, ajebat, *quod nuspiam in Scriptura S. legerit distinctionem inter divinam & humanam naturam, sæpius autem videat, Christum ab uno illo Deo distingui, coll. Joh. XIV*, 1. εἰς Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. Id vero promte solvit *Schrœderus* dubium, dicendo: *Non his in locis contradistingui Deum & Christum per quandam oppositionem, sed ut singulare* c) *quasi a communiori; neque enim Deum & Christum esse dispara-rata, cum & Christus sit Deus. Vogelius* equidem, *quod Apostolus etiam precetur salutem a Deo patre & Dn. nostro J. C. distincte, attendendum* putabat; Ast *Schrœderus*, *vocem Dei hic personaliter s. relate* d) *summi*,

a) Vnde alius generis, quam quæ magistratus est, verique nominis & summa divinitas, *Christo* conveniens, potius probari queat: ea nimirum, quæ ex operibus quoque vere divinis a *Christo* perpetratis l. c. adstruatur, unde, Patrem in filio filiumque in patre, h. e. unam eandemque utriusque & essentiam & potentiam esse, colligendum sit.

b) Immo vero nec *Erasmus* ad Codices provocat MSctos, sed in *Annott. ad N. T.*, edit. locupletioris, quæ A. 1540. lucem vidit, (in prioribus enim horum nihil legitur, sed *mirus potius codicum consensus*, etiam qua interpunctionem ordinariam, laudatur,) *locum hunc* tantum *trifariam posse distingui*, dicitur, eaque distinctio triplex tentatur quoque, sed solide simul refellitur. *Calvinum* autem huc quoque in testimonium vocari miramur, utpote qui, in *Comment.* ad h. l. *Qui hoc membrum abrumpunt*, scribit, *a reliquo contextu, ut Christo eripiant tam præclarum divinitatis testimonium, nimis impudenter in plena luce tenebras obducere conantur. Plusquam enim aperta sunt verba: Christus est ex Judæis secundum carnem, qui Deus est in secula benedictus.* Et sane, si cætera abessent, ipsaque participii cum articulo præpositivo, ut vocant, naturalis in continuatis assertionibus explanatioribus constructio, quæ etiam 2. Cor. XI. 31. locum habet, vel sola limitatio κατὰ σάρκα, qua non opus fuisset, si non nobilioris naturæ mentionem Apostolus facere voluisset, rem omnem conficeret.

c) I. e. ut persona peculiari officio, Pacificatoris, fungens, & singulari quodam modo, tanquam μεσίτης, Fidei objectum existens, quo sensu etiam distinctius 1. Tim. II. 5. ita sermo instituitur.

d) Sec. regulam vulgarem: Vbi Dei nomen simpliciter usurpatur, creaturis opponitur & essentialiter sumitur, ad aliam vero personam respiciendo personaliter. Non tamen in ea, si quando occurrit, distinctione aut oppositione Patrem semper

mi, protinus ostendit. Inde *Scripturam Christo omniscientiam adimere, Marc. XII.* *Adversarius* objectavit; *Schrœderus* autem distinxit *inter* χρῆσιν *&* κτῆσιν *omniscientiæ, secundum humanam naturam in Christo; habuisse autem Christum, ex verbis Col. 2. In eo absconditi sunt omnes thesauri &c.* probavit. *Vogelius* ex adverso novum scrupulum movit, *id valere*, inquiens, *de attributis* ἐνεργητικοῖς, *ubi locum habeat actus primus & secundus; cujusmodi omniscientia non sit.* In quo autem habuit *dissentientem* & contradicentem *Schrœderum, qui, posse quem aliquid scire actu primo, etsi nesciat actu secundo,* a) tuitus est. Exinde *ex omnipræsentia Christi negata, Vogelius* impugnavit divinitatem Ejus, nominatim ex *Joh. XI.* ubi *absentia Christi a Lazaro moriente* commemoretur. Quem nullo negotio iterum repressit *Schrœderus*, concedendo, *Christum non fuisse ubique secundum humanæ naturæ suæ præsentiam; de divina* proinde id *probandum esse.* Et quanquam *Opponens, infirmam admodum hoc arguere fidem sororum Lazari*, caussaretur, facile tamen *id largitus* est *Schrœderus, exemploque debilitatis Apostolorum* corroboravit. Excepit quidem *Adversarius* ad hæc alia quædam, sed levissima, ut non videatur, operæ pretium nos facturos, si istis immoremur. Tandem post ea quoque discussa expetiit *Vogelius*, ut sibi, *quod Christus aliquid sibi ipsi dederit, cum omnia eximia patri suo tribuat*, probetur. Quibus desideriis satisfacturus Dn. *Kœnigius rationes* reddidit *quatuor:* I. *quia missus sit a patre*, II. *quia ipse & pater unum sunt Joh. X.*, III. *quia, operante patre, ipse simul operabatur Joh. V.*, IV. *denique, quia opera ad extra sint indivisa.* Ad quas *Vogelius* respondit: *servandam tamen cujusque naturæ proprietatem; corruere proinde totam regulam, quia incarnatio sit filii opus: Schrœderus* vicissim, *incarnari esse opus filii, sed non incarnare, id enim esse opus totius SS. Trinitatis,* b) docuit. De novo igi-

denotat, sed etiam Personam a Patre & Filio distinctam, ut quando μυστήριον τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ Col. II. 2. coll. 2. Thess. II. 16. memoratur: quæ loca Sp. S. divinitatem solidissime adstruere non dubitamus. *Particulam* enim καὶ, uti in formula baptismi, tres distincte enumeratos accurate discernere, in propatulo est.

a) Vt, si non recordetur, aut in mentem veniant, quæ cæteroquin bene norit: quod nobis sane subinde contingit. Quanquam enim hoc modo actus uterque ad Deum, ut Deum, non quadret; humanæ tamen naturæ Christi, seu Christo, ut homini, cui ista omniscientia τοῦ λόγου ad *liberum* usum in unitate personæ communicata fuit, hunc *liberum usum & possessionem*, adeoque alius rationis actum primum & secundum convenire patet.

b) Vti nimirum, quod pervulgata similitudine docetur, tribus virginibus in una harum induenda cum ea ipsa, quæ indumentum recipit, occupatis, omnes tres induunt, sed una sola induitur, & vestimentum assumit. Quæ res, si ultra tertium comparationis non procedas, opus commune & proprium quoque in Deo, filioque Dei, satis bene explanat.

igitur a) *Vogelius* argumentatus est: *Quicunque est homo, & affectibus humanis obnoxius, ille non est unus ille Deus. Sed Christus &c. Hebr. II. coll. Act. XIV. 15., ubi Apostoli, se non esse Deos, probant inde, quia sint* ὁμοιοπαθεῖς ἄνθρωποι. Reprehendit in hoc argumento *Schrœderus nævum in propositione minore*, ostenditque, *non simpliciter Apostolum Paullum ex* ὁμοιοπαθεία *ducere vim Syllogismi sui, sed ex* ὁμοιοπαθεία*, qua sint Lystrensibus similes, seu simili Lystrensibus. Vogelius* autem institit, & *per omnia tamen Christum nobis* ὁμοιοπαθεία *similem esse*, asseruit: Cui *Schrœderus* contradixit, atque, *non esse absolutam similitudinem, excipique alibi ab ipso Apostolo peccatum*, reposuit. Vltimum tandem scrupulum repetiit *Vogelius* ex *tentatione Christi*, atque *inde, non esse verum Deum Christum*, concludere voluit, *quia potuerit tentatus dubitare. Schrœderus* heic *probationem* desideravit, *quod omnis tentatio conjuncta sit cum dubitatione*. Id ergo conatus est *Adversarius ex eo, quod potuerit succumbere*, demonstratum dare; *Schrœdero* autem, *Diabolum potius dubitasse de Christi divinitate, quam ipsum Christum*, regerente; *Ille, cur ergo tentatio instituta sit?* sciscitatus est, *responsique loco tulit, ideo factum esse, ut vexaretur*. b) Et cum porro *Vogelius, succumbere tamen potuisse Christum*, contenderet; *Haud quaquam potuisse*, respondit *Schrœderus, quia venerit in mundum, non ut ipse succumberet, sed opera potius Diaboli destrueret* 1. *Joh. III.* c) *Illoque* amplius obloquente, *si tentatus sit, ut succumbere tamen non potuerit, ingens solatium nobis eripi*; tandem *Hic, maximam exinde consolationem percipi*, ostendit; *Quod si enim Christus non potuerit succumbere, tanto magis eum aptum esse, ut nos e tentationibus eripiat* 1. *Cor. X.* Qua responsione data Generosissimus Dn. PFINZING, *satisfactumne sit? Vogelium* interrogavit: Qui, *Acquiesco*, inquit, addiditque verba sequentia eadem maxime commemorabilia: *Deduxi mihi ipse, VIRI Magnifici, Reverendi, Doctissimi, argumenta quædam pro Divinitate Christi, quibus mens mea aliquo modo* d) *acquiescere potest. Quamvis vero quædam adhuc supersint, quæ me dubium facere possint, ea tamen privatæ collationi reservabo,*

a) Priora deserens, & admissam divinitatem æternam J. C. ista omnia utique consequi perspiciens, ipsamque divinitatem iterum directo aggressurus.

b) Experimenti videlicet capiendi, & exempli nobis dandi gratia: quod & *Apostolus* l. c. *Hebr.* affirmat.

c) Eamque ob rem Hebr. VII. 26. non solum ὅσιος καὶ ἄκακος, sed etiam ἀμίαντος, qui pollui *non posset*, dicitur. Quod etiam *Spiritus non ad mensuram* datus, elogiumque *sanctissimi* Dan. IX., ac similes *præ Angelis* prærogativæ confirmant.

d) *Dubia* itaque nonnulla se animumque suum adhuc angere, non tamen *prævalentia* solidioribus fundamentis, hisce significavit; de quibus etiam paullo post explanate loquutus, exemtos vero & hos sibi

vabo, & non dubito, ſed ſpero, me regreſſurum ad Eccleſiam orthodoxam & ſanam veſtram doctrinam. De Spiritu S. quædam ſunt dubia, quorum primum & principale eſt, quod nusquam ad litteram in Scriptura dicatur Deus. Protulit ergo continuo *Dn. Königius* argumentum ex 2. Sam. XXIII. coll. Act. III, 7. IV, 25. 2. Petr. I. ult. &c. *Schröderus* autem, *ſufficere, ſi æquipollentes propoſitiones habeantur, & firmæ* conſequentiæ, ſimul monuit. *Vogelius* contra, *perſpicuitatem Scripturæ, propter rudiores, illud, quod dixerit, utique requirere*, contendit. Cui *Schröderus: Si de perſonalitate Sp. S. conſtiterit, tum facile etiam Sp. S. eſſe Deum conſtare poſſe*, regeſſit. Ad quam obſervationem nihil *Vogelius* repoſuit, quam, *ſequuturum exinde: Chriſtum eſſe Filium Sp. S., ſecundum Luc. I, 35. coll. XXIV, 49.* Immo vero, ait *Schröderus*, *ſecuturum hac ratione trium perſonarum eſſe filium, cum tamen ſolius patris ſit filius.* Deinde, *nunquam*, ipſe exiſtimavit, *Sp. S. in Scriptura dici virtutem Dei, ſed, quando vocabulum virtutis ei tribui videatur, effecta* a) *& chariſmata ejus intelligi: uti appareat ex Luc. XXIV. & Act. I. ubi virtus Dei & Sp. S. invicem opponantur.* b) Id vero, *quod Sp. S. aliquando pro perſona ponatur, per Hebraiſmum fieri*, excepit *Vogelius, quemadmodum apud Jobum hominis ſpiritus coll.* 1. *Cor. II.* Sed reſpondente *Schrödero: Ab humanis ad divina nullam eſſe conſequentiam*, aliaque plura, *Vogelius, nolle ſe amplius hæc urgere*, dixit, & interroganti *Fabritio: Crederetne & ſentiret nobiscum in doctrina Eccl. noſtræ de Fil. Dei & Sp. Sanct.?* viciſſim reſponſum dedit ſequens: *Propter illa argumenta, quæ & ego privatim conſideravi,* c) *& propter remotionem obſtaculorum, quæ me hactenus impediverunt, quo minus in ſententia harum Eccleſiarum acquieſcerem, nolo amplius errare, tanquam ovis, ſed redire ad hanc Eccleſiam, quæ me, tanquam mater, primitus educavit: quod quidem hunc ad Articulum de S. Trinitate pertinet. Quamvis autem adhuc reſtent dubia; non deſpero tamen, datum iri occaſionem ſuper illis cum viris divinarum rerum ſcientia præditis conferendi, ut ſic conſcientiam meam pacare poſſim. Absque*

hoc

ſcrupulos eſſe, ad extremum quoque faſſus eſt candide.

a) Alii rectius, ipſum filium Dei Luc. I. intelligi, putant; prouti *Virtus Patris* primogenitus quisq; filius Gen. XLIX. & Devt. XXI. appellari ſolet. In locis vero Luc. XXIV. & Act. I. chariſmata divina deſignari, ut eventus condocefecit, ita, de his etiam ſermonem eſſe, forma uſitatiſſima loquendi in ſcript. demonſtrat.

b) Seu, tanquam effectus a cauſſa diſtinguatur, quando nimirum Virtus, non Sp. *Sanctus*, uti nonnulli κύριος πνεῦμα 2. Cor III. ult. interpretantur, ſed Sp. *Sancti* dicitur.

c) Confer, quæ nobis cognita eſſe hac de ratione reddita, alibi §. hujus Cap. extremo monebimus, & adde paucula quædam, ſed luculentiora, ad Orationem *Vogelii*, qua recantavit errorem olim probatum, in *Supplementis* annotata.

hoc autem ſi foret, facile poſſem indulgere illis dubiis, & ſic ad priorem ſententiam relabi. Confiteor tamen aſſenſum meum in hoc articulo corde & ore. Quibus pronunciatis, & in commentarios relatis, nihil poſthæc cum eo amplius hac vice actum eſt, præterquam quod *Schrœderus*, de *veritate corporis & ſanguinis Chriſti eum adhuc errare*, monuerit; *Vogelius* vero, *haud dubie ſuo etiam loco hac de re actum iri*, ſpem concepiſſe ſubjecerit, atque ita diſceſſerit. Qua de cauſſa, cum deliberaretur, quid, rebus hactenus bene expeditis, amplius facto opus eſſet, quidve porro conſilii capiendum, novus tandem conventus ſub finem decretus eſt proxime habendus.

§. XLVII.

Idemque convocatus habitusque legitur, ordine Sextus, d. 10. Septembr., ubi ſecundum cum *Joach. Peuſchelio* diſputabatur, præmiſſaque a *Joh. Fabritio* ſeria gravique cohortatione, *ne quid fuci aut ſimulationis ſub confeſſione nupera occultum haberet*, & teſtificatione ex adverſo a *Peuſchelio* repetita, *de ſinceritate ſua*, precibusque poſt hæc ex more ad Deum fuſis, diſſeri cœpit *de Sp. S.*, quæ dicitur, *perſonalitate*, ſequenti argumento ab eodem *Fabritio* propoſito. *Si Sp. S. eſt Deus, quocunque modo ita vocetur, utique erit ὑφιςάμενον. Sed Sp. S. &c.* Ergo. Ad hæc *Peuſchelius* ingenuitatem ſuam denuo teſtatus, etiam *probari ſibi* voluit, *eſſe Sp. S. aliquid diſtinctum a Deo; laxe enim vocari Deum poſſe, quatenus ſit aliquid eſſentiale in Deo*, conceſſit. Hinc, ubi *diſtinxiſſet Fabritius* inter *Deum abſolute & relate conſiderandum*, a) &, *Sp. S. eſſe Deum*, *ſolidius* petiiſſet ſibi probari *Peuſchelius*, *Fabritius* 1. Cor. III. *An neſcitis corpora veſtra eſſe templum Sp. S. &c.* protulit. Quem locum cum *Peuſchelius de Deo per Sp. S. in nobis habitante* interpretaretur, *ipſumque Sp. S. in nobis habitare, eundemque Spiritum Dei mox Deum dici*, contra monſtraſſet *Fabritius*, ac porro *Kœnigius* argumentatus eſſet: *Ille, cujus templa dicimur, eſt Deus, ſed Sp. S. eſt ille &c.* Ergo &c. tandem, *majorem Peuſchelius particularem eſſe, neque omnem illum, cujus templum ſumus, eſſe Deum*, aſſeruit. *Schrœderus* autem interceſſit, & argumentum primum conſulto hunc in modum formavit: *Quicunque in ſcriptura proprie dicitur Deus, ille eſt*

a) His indigitans: Non jam diſputari de Eſſentia divina abſolute ſpectata, uti proprietates quoque eſſentiales & Potentia ſ. Virtus in Deo hoc ſenſu utique Deus ſint, quo tendebat conceſſio illa *Peuſcheliana*; ſed de Deo cum relatione peculiari, uti ἄλλον & a Patre per proceſſionem diſtinctum aliquem deſignet, atque in Scriptura ita deſcribatur.

est ὑφιστάμενον. Sp. S. &c. Ergo &c. ubi ſcil. exceptio de attributis Dei & Mammone locum non habeat. Quo facto deſeruerunt omnes primum illud argumentum, & *Fabritius ex proprietatibus* oppugnare cœpit *Peuſchelium*, monitus procul dubio a *Schrœdero*; a) Argumentum autem ſequens ſtruxit: *Cuicunque tribuuntur propria perſonæ, proprio modo loquendi, is eſt ὑφιστάμενον.* Sed Sp. S. &c. Ergo. *Peuſchelius* vero *negavit majorem, quia Deus, quicquid agat, per ſuam virtutem agat, nec tamen ſequi, eſſe illam ὑφιστάμενον, ſicuti nec miſericordia, juſtitia &c. ſint perſonæ.* Ad minorem vero, commonitus, ut, quid ſentiret, ediſſereret, *conceſſit tribui Sp. S. propria perſonæ, ſed eo modo, quo ſcriptura S. loqui dicatur Rom. I.* Item *de verbo Dei cor penetrante* Hebr. IV. de *ſanguine Abelis clamante &c.* Hebr. XI. *& alia ſimilia legantur. Id fieri improprie, Fabritius* reſpondit, ſuamque *limitationem* iterato inculcavit: *Cuicunque proprie propria tribuantur perſonæ &c. Probationem* autem ulteriorem *petenti Peuſchelio, actiones docendi, teſtificandi, conſolandi, poteſtatem miracula patrandi, conferendi &c.* objecit idem *Fabritius.* Verum, *ea omnia fieri*, regesſit *Peuſchelius, quia Sp. S. ſit virtus Dei* Luc. I. *namque alias idem de miſericordia, juſtitiaque Dei eſſet dicendum.* Obvertit quidem, heic interloquens, *Reichius, τὸ mitti quoque de Sp. S. ſingulariter legi*; ſed paratus erat illico *Peuſchelius, etiam de auxilio Dei, quod mittatur*, dici. Vnde alterum, quod *Filii quoque Spiritus appelletur*, Idem *Reichius* urſit: ſed etiam hoc *Adverſarius* diſcutere conatus eſt, & *propter proceſſionem a Patre dici Spiritum Patris* excepit, *Filii autem ſpiritum vocari, quod de Filio teſtificetur.* Et cum *alter* denuo *a filio quoque miſſum eſſe* Joh. XV. inſtaret, *Peuſchelius*, collato Act. II., *Salvatorem exaltatum ad dextram Dei effudiſſe Sp. S.* dixit, *firmioremque probationem, quam miſſionem, produci* jusſit. Quare *Fabritius: Quicunque miſſus eſt, ut paracletus, ille eſt perſona. Sed Sp. S.* Ergo &c. ratiocinatus eſt, eoque redegit *Peuſchelium*, ut, *non proprie Sp. S. paracletum dici*, affirmaret, &, *proprie accipi vocabulum hocce, ſibi demonſtrari* poſtularet. Id *Schrœderus minus congruere ad rationes diſputandi* arbitratus, b) & viciſſim *Peuſchelio* ejus *aſſerti, proprie Sp. S. non dici paracletum*, probationem injungens, occaſionem dedit,

a) Circumſpecte & prudenter. Niſi enim de ὑποστάσει Sp. S. res expedita ſit, anceps erit de Divinitate Sp. S. aut ambagibus multis obnoxia Diſputatio. Huc ergo totumque diſputandi officium artificiumque illud quoque pertinet, quod vulgo dicitur: *Ordine pervenies, quo non licet ire labore.*

b) Quamvis enim affirmantis alioquin ſit probare aſſerta, in præſenti tamen negotio, uti multoties jam dictum erat, pro verborum propria notione communis lo-

dedit, ut *Hic*, *ad Socinum L. de Deo F. & Sp.S., ubi id prolixe multisque locis demonstratum sit*, provocaret. Cui & ipse *Schrœderus* ultro totum *caput* 1. *Cor. XIII.* adjecit; Sed *de Sp. S. aliam esse rationem, cui non improprie tribuantur proprietates personales*, monuit, & fuse demonstravit. a) Quibus rebus ad *Jo. XVI.* reversus est *Peuschelius*, & *Sp. S. improprie paracletum dici, uti Ps. XXIII. virga & baculus dicantur nos consolari*, asseruit. Cui *Schrœderus*, *verbum Dei esse instrumentalem caussam, atque eatenus de eo dici, quod consoletur*, dixit, *heic vero de principali sermonem esse.* b) Reposuit equidem *Peuschel, etiam testimonium improprie de Sp. S. enunciari Jo. XVI.* Sed, *etiam h. l. internum ejus testimonium, tanquam ductoris in omnem veritatem per Apostolos intelligendum esse*, ostendit *Schrœderus*. Atque *ita de Christo quoque testatum esse interne per doctrinam, externe per dona & charismata Apostolorum*, c) docuit. Rursus, *improprie mundum arguere Sp. S. per Apostolos, non ipsum per se*, objecit *Adversarius*. *Schrœderus* autem, *id factum ab eo*, inquit, *tanquam a caussa principali per instrumentales, ut proinde utrique τὸ arguere adscribendum sit, veluti quoddam ἀποτέλεσμα, quemadmodum homo & culter, quem quis manu sua teneat, dicantur secare.* Iterum *Ille* ursit, *Sp. S. testari de Christo, quatenus Deus per Sp. S. de Christo testetur*; Sed ad ista quoque *Schrœderus* regessit: *Vtrumque verum esse, Sp. S. enim testificatum esse de Christo per Apostolos interne & externe.* Hinc *satisfactum sibi esse*, professus *Peuschel*, *ad locum*, uti vocabat, multo difficiliorem se contulit, *Joh. XVI*, 13. & h. m. ex eo argumentatus est: *Quicunque non loquitur a semetipso, ille non est Deus. Sed Sp. S. Ergo.* *Schrœderus* respondens *negavit majorem*, eamque sequentem in modum *correxit*: *Quicunque non loquitur a semetipso, ille aut non est æternus Deus, aut est Deus a Deo procedens. Atqui Sp. S. Ergo.* *Prius* ajebat, *est falsum*; *posterius verum.* Idque dubitanti *Adversario* amplius illustrabat *ex loco Joh. V. ubi & filius non dicatur a seipso operari, qui tamen jam sit ab ipsomet agnitus pro Deo vero & æterno, idque pro-*

quendi usus & mysteriorum natura loquebantur: *unde*, non satis fuisse, utrum *possit*, sed *an debeat*, circumstantiis orationis & analogia fidei jubentibus, tropus aliquis admitti, demonstrasse, liquet.

a) Locis videlicet cæteris in auxilium vocatis, & ἐκ συμβιβασμοῦ, seu analogia fidei, præsertim, ubi ἄλλος dicitur Sp. S. a Patre & Filio distinctus, &c. differentia ostensa.

b) Sæpenumero enim, ubi de consolatione Sp. S. agitur, hujus simul instrumenti, quo in consolatione ille utatur, mentio facta legitur. Immo suggestio quoque & inspiratio ejusdem illi attribuitur. Vnde nec *Paracleti* nomen instrumentis illis divinis unquam tributum comparet.

c) Vbi denuo caussa *princeps* ab *organis* distinguatur, & Sp. S. personam esse fortius probetur; quippe quæ instrumentis *pro lubitu* 1. Cor. XII. 11. utatur.

pter generationem a Patre: unde facilis ſit applicatio ad ſimilem loquendi formam ex proceſſione Sp. S. ortam. Inſtabat *Peuſchelius* h. m. *Unus ille Deus eſt talis a ſeipſo: Sp. S. non eſt talis a ſeipſo, Ergo non eſt unus ille Deus.* Reſpondit autem *Schrœderus*, evolvendo *ambiguitatem in phraſi, a ſeipſo, hærentem, quæ, ſi ad res alias extra Deum referatur, non poſſit non ad omnes perſonas applicari, quia quælibet perſona ſit Deus per eſſentiam; quod ſi autem ad perſonas inter ſe referre placeat, non amplius ad divinas perſonas quadrare, præterquam ad ſolum patrem; quum filius genitus a Patre ſit, Spiritusque S. ab utroque procedat: Cujus proinde conſequens ſit, Sp. S., unum illum Deum, a ſeipſo tamen dici poſſe, ratione rerum aliarum & creaturarum.* a) Probavit autem ulterius *Peuſchelius, Sp. S. & reſpectu perſonalitatis eſſe a ſeipſo h. m. Eſſentia divina eſt a ſe ipſa: Tres perſonæ ſunt eſſentia divina, Ergo quælibet eſt a ſe ipſa.* Cui b) reſp. *Schröderus, non differre hanc objectionem a priori. Eſſentiam enim non accepiſſe Sp. S. ab eſſentia, ſed perſona, & quatenus procedat a Patre & Filio, eatenus eſſentiam non habere a ſeipſo.* Poſt hæc tandem ultro *quæſivit Peuſchelius* ex *Schrödero, quid ſentiret de l. c. explicatione: Sp. S. non loquetur a ſeipſo, i. e. Apoſtoli moti a Sp. S. non loquentur a ſeipſo, ſeu non afferent aliam doctrinam, quam quæ a Chriſto fuit explicata. Videri enim ſibi eam fortius ferire* πνευματομάχους. De qua judicavit *Schröderus, non omnino eſſe reſpuendam, ſed ſecundariam eſſe; alteram vero, quæ ex ipſis verbis fluat,* c) *concinniorem.* Et cum denuo objiceret *Peu-*

a) Fallor, an *compendioſius* hic ſcrupulus removeri poteſt *ex occaſione & ſcopo*, de ſe & Sp. S., occaſione accuſationis ſibi intentatæ periphraſi loquentis, eamque ῥῆσιν ſæpius repetentis Chriſti. Nimirum, (uti Joh. VIII. 13. clariſſime pronunciatum legimus,) *Impoſtorem* eſſe *Jeſum* finxerant ſceleratisſimi ejus hoſtes, atque adeo, quæ doceat, *ex ſe ipſo ſeu ex ingenio ſuo* comminiſci, ſeque a Deo miſſum eſſe, mentiri perhibebant: Chriſtus autem, non eſſe hæc, quæ loquatur, a ſe ad decipiendum alios efficta, ſed ex voluntate Patris ſui communique conſilio Trinitatis expoſita, poſtquam affirmaverat, operibus miraculoſis idem, tanquam teſtimoniis luculentisſimis, comprobat, atque h. m. aliisque etiam argumentis e doctrina ipſa depromtis, Luc. XI. & alibi, confirmat. Quemadmodum igitur hac formula non dependentiam aliquam ratione perſonæ ſuæ, ut divina erat, adſtruit, ſed unam potius ſe & patrem, uti voluntatem, ita eſſentiam quoque habere demonſtrat, fraudemque imputatam validiſſime amolitur; ſic & Sp. S. ſimiliter non eſſe *a ſe excogitata*, ſed divina, ut tertiam perſonam divinitatis, locuturum innuit. Quæ tamen ita ſimul Chriſtus exponit, ut neque ſuam neque etiam Sp. S. originem a Patre eſſe quoque taceat, ſed, obſcurius licet, ſubindicet.

b) Mero Sophiſmati, vel applicatis requiſitis ſyllogiſmi primæ figuræ facile disſolvendo. Quanquam etiam non incommode *eſſentia, quæ eſt a ſe ipſa, a perſona, quæ habet illam eſſentiam a ſe ipſa, diſtincte* conſiderata, nodum ſolvat; quo etiam reſponſio *Schrœderi* tendit.

c) De *ipſo* enim *Sp. S. a Patre procedente,*

Peuſchel: ita vero videri poſſe, Sp. S. inferiorem eſſe filio; non ſequi, docuit, *inferiorem eſſe ratione dignitatis, ſed tantum ratione ordinis & actionis.* a) *Satisfactum* ita *ſibi eſſe, quantum ad perſonalitatem Sp. S.*, profeſſus eſt *Peuſchelius*, & rogavit, ut, *ſi fieri poſſet, dubia quædam ad loca nuper excuſſa, de Divinitate Chriſti, producendi in medium facultas ſibi daretur.* Eaque haud difficulter impetrata repetiit diſputationem ſuperiorem *ad Jer. XXIII. & XXXIII. & primario Syllogiſmo: Quicunque convocaturus erat populum Iſrael &c.* æqualem oppoſuit: *Quicunque populum Iſraeliticum eduxit e terra Ægypti, ille eſt Deus: Sed Moſes &c.* Ergo. Vnde, *ex unitate prædicati ad unitatem ſubjecti non valere conſecutionem*, inferre allaboravit. Sed mox *Schrœderus, differentiam eſſe ingentem*, commonſtravit, *quandoquidem ipſe ex uno loco terminos prædicataque ſumat, adverſarius autem tantum duo ſubjecta habeat de uno prædicato, &, ſi diceretur, quod populum Moſes ex Ægypto duxerit, & Moſes ſit Deus & Jehova, fortaſſis valere connexionem illam*, obſervavit. Agnovit hinc facile *Peuſchelius* diſcrimen, atque *nomen ſaltim Jehovah nihil probare* arbitratus eſt, *quoniam & Angeli hoc nomine inſigniti legantur* e. g. Exod. III. *Diſtinxit* heic quidem *Schrœder inter Angelum creatum & increatum*, ſed *Peuſchelius, illic de creato Moſen loqui*, adſtruere exinde conatus eſt, *quia verba ejus proprie ſint accipienda.* Concedebat *Schrœderus* totum argumentum, *quia & filius fuerit proprie miſſus*, &, *licet demonſtrari poſſit, angeli nomen nonniſi creatis Spiritibus proprie competere, hic tamen imperare verba: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac &c. ut ſecus ſtatuamus, coll. Matth. XXII. ubi idem Deus viventium vocetur*, monuit. Quibus dictis tricabatur equidem *diſſentiens* nonnihil in *uſu loquendi*, ſed ipſe quoque diutius tricis iſtis haud inhærebat, atque ex eodem loco potius *argumentum novum* contexuit: *Quicunque angelus* b) *diſtinguitur a Jehova, non eſt ipſe Jehova, ſed iſte,*

eum de ſe teſtificaturum eſſe, Chriſtus explanate loquitur.

a) Repetantur tamen, quæ paullo ante de *oppoſita* hac phraſi dolis & *figmentis* jam ſunt annotata.

b) Quamvis non deſint, qui nomine Dei *Angelum creatum*, eo modo, uti verba ſupremi Numinis tanquam ſua proferunt paſſim Prophetæ, tanquam ejus Legati, heic & alibi loquutum eſſe exiſtiment, idque ex nunciorum ab *Hiramo* ad *Salomonem* miſſorum verbis, quæ tanquam *Hirami* ipſius coram cum Rege colloquentis eſſent, pronunciarunt, illuſtrent; Nos tamen, ſepoſita iſtac controverſia ancipiti, quicquid de his locis, ubi Chriſtus *Angelus Dei* dicitur, diſputatur, multo luculentius expediri poſſe, arbitramur, ſi omiſſo vocabulo Angeli, creaturam vulgo denotantis ex uſu trito, *Legati* nomen ſubſtituas, & tam Hebr. מלאך quam Græc. ἄγγελος non eſſe *nomen* Naturæ ſed *Officii* concedi obſerves. Hoc enim ſi fiat, jam nihil amplius, quam, quo ſenſu Legatus dicatur filius Dei, *ex con-*

iſte &c. *Ergo.* At *Schrœderus neque majorem* largiebatur, *ex qua nihil aliud ſequatur, quam eundem non eſſe quoad perſonam, qui tamen idem ſit, qua eſſentiam: neque tamen h. m. quod controverſum ſit, aſſumi*, (ceu excepe-rat *Peuſchelius*) ex diſputandi legibus docebat, &, *quod controverſum ſit, non eſſe ſtatim everſum*, oſtendebat. *Idemque*, cum *Peuſchel* aliter formaret argumentum: *Secundum quam naturam Chriſtus eſt angelus Jehovæ, ſecundum eam eſt diſtinctus a Jehova, ſed ſecundum divinam ita dicitur &c.* Ergo &c. porro reſpondebat, & *nihilominus* (hoc enim quoque objecerat Adverſarius) *divinitatem Chriſti hinc recte probari*, commonſtrabat, *quia divina ei prædicata tribuantur.* *Ille* quidem, *quicquid de Chriſto dicatur, aut ſecundum divinam naturam, aut humanam dici* arguebat; *Hanc autem in V. T. nondum extitiſſe, Ergo priorem intelligendam eſſe*; Sed *Schrœderus* vicisſim, *de divina recte intelligi*, ajebat; *aliud vero eſſe dici aliquid de Chriſto ſecundum divinam naturam, aliud loqui de diſtinctione Filii a Patre.* Et cum, *officii nomina ſecundum utramque naturam Chriſto competere*, *Iſte* obloquens porro inſtaret, recte *Hic* reſpondens, *diſcrimen inter Chriſtum ἄσαρκον & ἔνσαρκον obſervandum eſſe*, monebat. Inde denuo *Peuſchelius* h. m. argumentatus eſt: *Deus Abraham, Iſaac & Jacob eſt Trinitas: Chriſtus non eſt Trinitas.* Ergo. a) Statim vero *ambiguitatem* notavit *Schrœder*, monſtravitque, *in Majori vocem Dei uſurpari οὐσιωδῶς, in Concluſione autem ὑποςατικῶς.* *Vtrumque* ergo *verum eſſe, ſed diverſo reſpectu*, dixit. Heic iterum, *ſibi ſatisfactum eſſe*, teſtabatur *Peuſchelius*, &, ut *unicum adhuc ſibi liceret proferre argumentum contra Divinitatem Chriſti generale*, expetebat. Quod cum indulgeretur facillime, hujusmodi fuit: *Quæcunque doctrina errores Sabellianorum, Tritheitarum, item Quaternitatem inducit, Gloriam Dei Patris & Viam ſalutis obſcurat, Studiumque pietatis laxat, illa minus videtur eſſe conſentanea veritati; Sed de Divinitate Chriſti, Ergo.* Mino-

ſilio nempe non imperio, uti & in carnem miſſus eſt, oſtendendum reſtabit. Quæ ſi in omnibus prorſus Verſionibus Scripturæ S. obſervata fuiſſent, multum profecto lucis apparitionibus hujusmodi accesſiſſet. Legatum enim Chriſtum, etiam ante incarnationem, in reſpectu tamen ad eam, uti Malach. III. 1. vocari potuiſſe, perinde uti aliis nominibus officii, immo & Naturæ humanæ inſigniri ſolet, in propatulo eſt.

a) Notandum eſt præ cæteris hoc ratiocinium, vel ideo, quod, ut ex hiſtoria confabulationum inter *Crypto-Socinianos*, nosque, quos aggrediebantur, *amicos*, exploratum eſt, hac ipſa, & aliis id genus ſophiſmatum formis pleroſque primum illaqueare conſveverunt: quos utcunque primum hoc modo labefactatos dubiosque redditos aliis deinceps argumentis ſuccedentibus a veritate amplius abalienare laborarunt. Cujusmodi etiam proxime ſequentia fuere, quibus etiam τοῖς ἀςηρίκτοις, niſi probe attendant, fucum fieri aut glaucoma objici poſſe proclive eſt.

Minorem comprobare conatus eſt, qua I. membrum, *quia, ſi eſſentia filii eſſet incarnata ſecundum Joh. I. 1. Tim. III. &c. cum eſſentia filii ſit etiam Patris eſſentia* Joh. X. *utique etiam Patris eſſentia incarnata eſſet, & ſi eſſentia ejus utique etiam Perſona, cum eſſentia ſit perſona &c.* Reſpondit autem *Schrœder: Eſſentiam filii omnino eſſe incarnatam, ſed non immediate, verum mediate, mediante perſona filii, & eſſentiam Patris eſſe eſſentiam filii, ſed abſolute, non autem relate, cum eſſentia Patris ſit a nullo, filii autem per generationem a Patre.* Quare novo Syllogiſmo inſurrexit *Peuſchel: Eſſentia filii eſt incarnata, Eſſentia Patris non eſt incarnata, Ergo eſſentia filii non eſt Eſſentia Patris.* Verum *Schrœderus, diſparem eſſe rationem,* regeſſit, *& hoc tantum conſequi: aut alia atque alia eſt eſſentia, aut eadem eſſentia eſt alio modo in Patre, alio in filio, in illo videlicet ἀγεννήτως, in hoc γεννητῶς. Hinc Damaſceni vocem notam eſſe: Tota divinitas in una aliqua divinarum ὑποςάσεων incarnata eſt, ſed non totaliter.* Perrexit vero *Peuſchelius,* & *hinc Tritheitarum errorem promanare,* exiſtimavit: *Quæcunque,* inquiens, *doctrina eſſentiam divinam triplicat, illa eſt Tritheitarum; Hæc veſtra, Ergo.* Probavitque conſecutionem, *quia in divinitate ſit eſſentia ingenita, genita & procedens. Schrœderus* e contrario correxit *Majorem* h. m. *Eſſentia ingenita, genita & procedens eſt vel Trina, vel una triplici modo ſe habens:* deinde etiam monuit, *τὸ genitum &c. non intelligendum eſſe de productione,* a) *ſed ſimplici communicatione.* Nihil repoſuiſſe ad hæc legitur *Peuſchelius,* ſed in modo habendi acquieſcebat, & *de quaternitate, tertioque* Syllogiſmi ſui *membro* cogitabat, hac ratione adſtruendo: *Quæcunque doctrina ſtatuit eſſentiam communicabilem & perſonas tres incommunicabiles, illa quaternitatem introducit &c.* Negabat Majorem *Schrœderus,* & *genitum atque ingenitum ratione differre ab Eſſentia, eo modo affirmabat, quemadmodum* b) *Natura humana tanquam communius quiddam a Petro, tanquam anguſtiori, ubi tamen Natura humana eſt communicabilis, Petrus non item: Sicut ergo Petrus differat a natura humana, cum tamen nihil ſit, niſi humana natura; ſic perſonam differre ab eſſentia, licet perſona nihil ſit, niſi eſſentia.* c) Dilapſus hinc eſt *Peuſchelius* ad quartum

a) *Eſſentiæ* nimirum; nam perſonam gignendo & ſpirando produci, uſus loquendi, defoecatiori vocabuli notione, ex doctrina de *principio,* non cauſſa, deſumta, patitur, ut dicamus.

b) Incolumi tamen eo, quod eſt inter naturam multiplicabilem & ab aliis *numero* diſtinctam *Petri,* diſcrimine.

c) Redeunt hæc ad ſummam hujus myſterii, qua *perſonas inter ſe realiter ut tres differre,* perſonas autem, uti ſingulas, ita omnes ad naturam ipſam comparatas *ab eſſentia non diſtingui,* ex ipſa Scriptura didicimus, quæ ἄλλες in una natura divina, non ἄλλο, plures, inquam, & tamen ἓν eſſe docet.

tum membrum, idque confirmare ſtuduit *ex 1. Petr. I.* 21. ubi dicatur, *Deum dediſſe Chriſto reſuſcitato gloriam; Ex adverſa autem doctrina conſequi, Chriſtum a ſe ipſo eam accepiſſe, quo ipſo Patris gloria obſcuretur.* Sed *hujus* quoque *propoſitionis nexum* negavit *Schrœderus, quoniam Chriſtus, dum a patre acceperit, gloriam illam quoque a ſe ipſo, cum ſit unum cum Patre Joh. X., accepiſſe dicendus ſit.* Obtendit quidem ex adverſo *Peuſchelius, h. m. perinde, uti per invocationem ſanctorum gloriæ Chriſti aliquid detrahatur, Patris detrahi gloriæ.* Verum *differentiam* luculenter *Schröderus* explanavit, oſtendens: *Etſi Chriſtus perſonaliter differat a Patre, non tamen ab eo diſtingui eſſentialiter, qualis differentia in cultu Sanctorum locum habeat, & quia opus ad extra ſit, hinc toti divinitati tribui, ut adeo illuſtret magis Patris gloriam* Joh. V. 23. *Ille* vero *ad gloriam Patris Phil. II. 11. exaltationem factam* ajebat; Sed rectius *Schrœderus, εἰς per ἐν in gloria Patris iſtic vertendum* putabat, idque dubitanti *Adverſario ex Matth. XVI. & XIX.* a) confirmabat, & *quanquam κατά τι in hac vita impleatur illa gloria per quotidianam genuflexionem, tamen conſummatam & univerſe patentem* b) *in extremo die certiſſime futuram.* Diſceptarunt equidem poſthæc *Ambo* diutius de loco illo *Philipp. epiſtolæ, utrum in nudum hominem iſta gloria cadere posſit,* quod opinatus eſt *Peuſchelius, quia de ejus obedientia quoque ſermo ſit usque ad mortem,* idque *probari poſſe* cenſuit *ex particula διὸ·* quam vero *ratiocinativam, non cauſſalem, & gloriam illam donum eſſe gratuitum obedientiam conſequens, quod non meruerit Chriſtus, ſed acceperit,* condocefecit *Schrœderus:* Et quæ fuere alia his ſimilia; quæ quoniam ea ad ſummam rei non attinent, aut a prioribus non differunt, brevibus ſufficiat attigiſſe. Ad reliqua enim progredi opus eſt; Vbi occaſione ejusdem loci disquiſitum, *ſecundum quam naturam Chriſtus illam gloriam increatam acceperit,* & *Peuſchelio* affirmante, *ſecundum humanam*

a) Comm. 27. & 28. Quæ loca, qualis ſit gloria, in qua comparebit aliquando Chriſtus, nempe eadem, quæ patris, & tamen etiam *Chriſti,* nec ab illa, quæ Patris alibi dicitur, diſtincta, commonſtrant. Conf. Marc. VIII. 38. & Matth. XXV. 31, ubi, in gloria patris cum antea ſe venturum dixiſſet, deinde ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ ſe appariturum ipſe ait. Cæterum εἰς pro ἐν ſæpisſime accipi, tralatitium eſt, idque vel ſola loca Marc. I. 15. II. 1. Act. VIII. 23. VII. 53. &c. teſtantur. Vid. quæ ad locum poſtremum & alibi collegit *Eraſmus Schmidius;* Ex hac vero particulæ notione locum difficillimum, quod obiter monemus, Rom. VIII. 21. illuſtra, atque *tempus* inſuper h. l., quo creatura ab eo, cui jam ſubjecta eſt, abuſu liberabitur, *non novum* & feliciorem *ſtatum* (niſi negativum & privationem ſeu deſtructionem atque abolitionem ita dixeris,) coll. Act. XIII. 42. deſignari nota.

b) Id quod & idem *Paullus* Hebr. II. 8. coll. Cap. X. 13. affirmat.

nam naturam eam quidem accepisse, sed ut secundum eandem naturam ante non habuerit, Schröderus iterum, uti superiori colloquio, *inter* χρῆσιν *&* κτῆσιν distinxit. Eam *cum* porro *Adversarius infringere vellet* distinctionem, *quod sequeretur, frustra petiisse Christum sui glorificationem* Joh. XVII. *quippe quam jam ante hac adeptus sit;* iterum *Schröderus* docuit, *habuisse ratione* κτήσεως, *at petiisse ratione* χρήσεως, atque *hinc jam Joh. VI. dici carnem Christi vivificam.* Id vero *cum omnipotentia non conciliari posse, cujus* χρῆσις *non potuerit demum expeti*, existimans *Peuschel*, dedit *Schrödero* ansam, *statum exinanitionis & exaltationis objiciendi, &, ut discerneretur, inculcandi.* Sed nondum *Ille* destitit *urgere repugnantiam, quæ manifesta sit, si quis dicat, omnipotentiam habuisse Christum, eam vero exercere non potuisse; Schröderus* autem *hypothetice* a) *id verum esse, quod non potuerit, prout & alia Deus per suam perfectionem non possit*, concessit: Et cum *Peuschel liberam ejus voluntatem, qua retraxerit gloriam illam*, opponeret; *Ille, nihil retraxisse Filium Dei ratione suæ naturæ, sed non plenarie semper per humanam naturam exeruisse*, docuit, *non tam ex sua, quam Patris voluntate, ratione decreti paterni, quod fuerit liberum, & executionis, quæ non amplius fuerit libera. Ita* vero, *preces Christi frustraneas videri*, reposuit *Peuschel;* Quas autem *ratione executionis haud frustra fusas esse, Schröderus* demonstravit. Quibus præmissis ita tandem conclusit *Peuschel: Cui desunt requisita veræ dominationis, ille non est absolutus Dominus; Sed Christo in Statu exinanitionis &c.* Ergo. *Largitus* est autem illico *Schröderus, quod* adversario *visum erat absurdum, si quidem absolutum sit idem, quod plenarium, tametsi qua possessionem* b) *fuerit supremum.* Instabat *Peuschelius*, &, *Christum crevisse sapientia sic, uti ætate, ex Luc. II.* arguebat, unde, *non habuisse omnem sapientiam pateat;* sed denuo *distincta* a *Schrödero* est *sapientia habitualis humana a divina*, c) *deque illa tantum id concessum.* Deserens igitur hanc ventilationem *sextum Syllogismi* sui *membrum* aggrediebatur *Adversarius, pietatem & viam salu-*

a) Satius fuisset de voluntate, quæ Patris & filii eadem est, qua D. N., qua humanam vero, divinæ consentanea, si disputassent; quoniam vero ad potentiam ipse *Peuschelius* disquisitionem hanc revocavit, non male quoque, aliter *per decreti divini sapientissimi* consultissimique *rationes* id fieri *haud potuisse*, ut prius Christus, tanquam homo, communicata illa potentia æterna uteretur, quam peracto redemtionis opere, ac proinde post antegressam κένωσιν, Luc. XXIV. 26., in gloriam suam ingrederetur, ostendit.

b) Jam tunc scil. cum esset ἐν μορφῇ δούλου.

c) Vulgo Sapientia *Unionis* dicta seu per unionem cum λόγῳ H. N. communicata. Ubi repetenda sunt, quæ supra de *Unctione* duplici sunt observata.

ſalutis hinc obſcurari, probaturus, eamque aſſertionem inde firmare annifus eſt; *Quod, ſi Chriſtus aut nullam gloriam a Patre acceperit, aut a ſubſtantia ſibi unita, via ſalutis in imitatione humilitatis & ſpe exaltationis alenda, detrimentum capiat. Secundum Calvinianos enim Chriſtum reſpectu noſtri tantum & exaltatum & humiliatum eſſe; ſecundum Lutheranos autem, quatenus talem ſortitus ſit gloriam Chriſtus, cujus nos participes fieri haud queamus; quod tamen piis promiſſum ſit Rom. VIII. Schröderus* ad hæc reſpondens, *gloriam reſurrectionis & exaltationis* (rejecta Calvinianorum, tanquam litteræ adverſa, hypotheſi) *diſcernere* juſſit; *quarum illa, non hæc ſit communicabilis, niſi in effectis ſeu donis miſſis Sp. S. Act. II.* a) Vnde *Peuſchel* ſicuti & ſupra *Vogelius ad thronum Chriſti, in quo electi ſint collocandi, Apoc. III. provocavit*, atque hinc eadem quoque reſponſio *de diverſo throno Chriſti & patris, qui unus ſit, illi plures* (Matth. XXV.) repetita eſt, & citata *verba* ſunt *Hebr. I. Cui Angelorum dixit, ſede &c.* Ad quem locum notavit *Peuſchel, ibidem etiam; Ero ei in patrem, tanquam proprium quiddam legi, quod tamen & de Salomone 2. Sam. VII. dictum ſit; De quo etiam l. c. legatur: Si peccaverit, corripiam eum &c.* At verba hæc poſtrema *Schröderus de imputatione* explicari juſſit, & *prius negavit.* Iterum vero iſtud inficiatus eſt *Adverſarius*, eo *quod* l. c. *conditionaliter Deus loquatur, & de eventu contingente ac probabili; Chriſti vero imputationem certiſſimam fuiſſe: Multas autem conditiones in Scriptura reperiri, quæ tamen non inferant incertum eventum rei*, cum repoſuiſſet *Schröderus*, conquievit. b) Nondum vero ceſſavit *Peuſchel*, impugnare Chriſti divini-

a) Immo vero nec de reſurrectione, nec de exaltatione l. c. Rom. VIII. 29. directo agitur, ſed *de paſſionibus ſeu calamitatibus*, ac proinde ad ſtatum ταπεινώσεως ſcopus Apoſtoli iſtam ſimilitudinem primario refert: unde tamen *tranſitum* quoque *ad gloriam*, ſed fidelibus ſervis *convenientem*, (ſimilitudinem, inquam, *in tantum*, non in ſolidum) promittit ſubſecuturum. Quemadmodum ergo *non eadem, ſed talis*, quod ad adverſa attinet, congruentia a piis genuinisque Chriſtianis requiritur, ita quoque non omnino eadem, ſed *talis, etſi non æqualis*, gloria, qualis Chriſto obtigit, poſt mala itidem exantlata multo graviora, ſanctos, utcunque ſimiles, expectare affirmatur.

b) Quæ ſenſu litterali de Chriſto prædicta atque Davidi promiſſa l. c. videbantur *Schrœdero*, ea, me non invito, alii de *Salomone* quidem accipienda putant, ita tamen, ut myſtica typicaque ſententia perinde, uti *Pſalmus LXXII.*, ad Meſſiam reſpiciant. Atque hæc ſententia, quemadmodum dubium illud *de peccatis* tollit commodius, vix enim de Chriſto ſenſu imputationis unquam legitur τὸ *peccare*: ita quoque cum parallelis locis tam Cap. XIIX. 13. quam XXIII. 10. & XXIX. 6. ſqq. Libr. I. Chronic. ubi promiſſio hæc ſæpius repetita eſt, & medio loco *Salomonis* explanata fit mentio, magis concordat. *Myſtico* vero *ſenſu*, ſenſu, inquam, *non accommoda-*

divinitatem, sed amplius argumentatus est: *Si Christus unus ille Deus fuisset, omnia propria & naturali virtute fecisset; Sed non omnia &c. Ergo.* Assertumque stabilire conabatur *ex Joh. V, 19. Joh. XIV, 20. quæ loca Act. II, 10. explicentur, quod Deus per eum miracula fecerit. Si vero Christus Deus esset, cuncta sane a seipso fecisset, Atqui nihil a seipso, Ergo. Schröderus*, ad hæc responsurus, *negavit consequentiam*, & *virtutem Christum accepisse, sicuti & essentiam per generationem æternam a Patre, atque inde potius invertendum esse argumentum*, autumabat. *Obstare* quidem censuit *Peuschelius propositionem: Unus ille Deus nihil potest facere a seipso, nisi videat alium facientem*; At *Schröderus distinctionem* observari jussit, *inter Deum relatum & absolutum. Id tamen consequi* arbitratus est *Peuschel, Filium, quia nil faciat a seipso, non esse* αὐτόθεον. Ast *Schröderus, ratione essentiæ absurdum id esse, non autem ratione personæ*, regessit. Contra argumentatus *Peuschelius: Quicunque habet essentiam a seipso, habet etiam idiomata a seipso; Qui autem habet omnipotentiam a seipso, a seipso etiam potest facere, At non filius &c. Ergo.* Vicissim *Schrœderus, considerari hæc debere, aut ratione personarum divinarum inter se, aut ratione creaturarum*, reposuit. Institit vero objectioni *Peuschelius*, &, *si filius a seipso essentiam habeat, utique etiam potentiam habere oportere*, collegit: Sed & *Schrœderus* inhæsit suæ responsioni, dixitque, *non se affirmare, quod filius habeat essentiam a seipso, sed quod habeat essentiam, quæ est a seipsa, atque ideo esse* αὐτόθεον: Et cum, *filium in humanis, utut habeat a patre suo essentiam, tamen a seipso agere posse, Adversarius* iterum exciperet; *Schrœderus* contra *discrimen* ostendit ex eo repetendum, *quod essentia horum eadem specie, non numero sit, uti in divinis.* a) In qua substitit responsione *Peuschel*, & novum dubium movit *ex precibus Christi pro resuscitatione Lazari Joh. XI. ad patrem factis, quibus naturam sibi divinam videatur derogasse. Schrœderus* breviter respondit, *rogasse, uti missam* b) *a Patre personam, seu, ut legatum, secundum Athanasium.* Objicienti quoque *Adversario* ex

tione mera, quod formulæ citandi Hebr. I. prohibent, alibi quoque v. g. Joh. XIX. 36. ex V. T. quædam allegari satis constat.

a) Forte in hac quoque disputatione ea repetere juvabit, quæ supra de hac phrasi Judæorum calumniæ, ac si Christus ex suo ingenio omnia fraudulenter comminiscceretur & impostor esset, monuimus. Qua tamen responsione hæc *Schrœderiana* fundamenta accurate excutiens, & concordiæ Patris atque Filii ipsam quoque unitatem essentiæ recte substernens, non labefactatur, sed potius confirmatur.

b) Consilio, non imperio: quo pacto & superior ab inferiori, ut maritus ab uxore ad nuptias amici condecorandas, mitti potest.

ex *Joh. XIV. quod opera sua Christus Patri adscribat &c.* statim, & *alibi ea sibi tribuere Christum*, *Schrœder* reposuit. Amplius *Act. II. videri Petrum asserere* dicebat *Peuschel*, *Christum tantum esse hominem*, *nulla facta mentione divinitatis*. At *Schrœderus*, illud *propterea factum esse*, commonstravit, *quia per gradus adscendendo divinam naturam supposuerit, quæ sit fundamentum exaltationis, cujus Petrus meminerit*. Id vero, *propter Judæos præsentes, Christique divinitatem negantes, facto opus fuisse*, *Peuschelius* denuo ursit; Cui iterum *Schröderus, non necesse esse, ut omnia ubique dicantur, præsertim cum hic de resurrectione quæstio* a) *esset*, respondit, *regulamque verissimam esse*, *denuo asseveravit: Quicquid divinam habet gloriam, illud, aut est Deus per essentiam, aut unitum illi, qui est per essentiam Deus*. *Addere* quidem *Adversarius tertium* volebat: *Per gratiam exaltationis;* Ast *Schröderus, non esse tertium*, regessit, *neque enim gloriam illam posse habere locum extra & citra unionem.* b) Novum ergo *Peuschel* construxit ratiocinium: *Nihil, quod est inferius Deo, est proprietas essentialis Dei, Sed virtus illa communicata Christo &c. Ergo.* probavitque minorem: *quia omne donum principali suo donatore est inferius*. At *Schröderus*, uno ictu totum argumentum destruxit, &, *posse quem se ipsum donare, sicuti Deus se nobis donet*, ex *Gen. XV. exemploque Abrahami*, dilucide ostendit, *Peuscheliumque* ad silentium redegit. Qui a *Fabritio* post hæc, cum sileret diutius, interrogatus, *quam teneat de S. Trinitate & Divinitate Christi sententiam*, ultro & sine tergiversatione sequentia non publice pronunciavit solum, sed in calamum quoque dictitavit. *Confiteor ex animo, me amplecti illam sententiam Evangelicorum, quæ statuit Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tria* ὑφιστάμενα, *unius tamen æternæ & divinæ essentiæ. Similiter de Christo confiteor, quod sit verus & naturalis Deus, ac verus homo in unitate personæ, qui iram Dei patris placaverit, & pro nostris peccatis illi obediendo plene* c) *satisfecerit*. *Denique Sp. S. esse veram a*

Patre

a) Quæ caussa erat, cur etiam alibi cum Judæis disputantes Apostoli in divinitate Messiæ argumentis comprobanda parci essent, aut prorsus de ea silerent; quia princeps fidei caput, quod Judæi operosius impugnabant, *Jesum Nazarenum* illum esse Messiam Patribus promissum, inprimis adstruendum fuerat. Quo facto, uti in epistola *ad Hebræos* solicite id egit *Paullus*, de altero illo capite ex instituto disseruit, & fundamento jam posito superstruxit. Qua methodo cum h. l. Act. II. etiam *Petrus* usus sit, prudentiæ id potius tribuendum est, hæc in tempus aliud rejicientis, quam quod divinitatem Messiæ non agnoverit.

b) Cui videlicet *exaltatio* illa ad gloriam in dextra Majestatis jam positæ, seu præstructæ, tanquam primario *fundamento* innitatur: quia, infinitam esse gloriam, jam supra demonstraverat.

c) Qua animi sententia hæc professus sit,

Patre & Filio distinctam personam. Qua confesſione edita, & in commentarios relata *Sextus* ille congreſſus ad colophonem perductus eſt.

§. XLVIII.

In ſequenti SEPTIMO eoque proximo, & d. XI. Septembr. inſtituto conventu cum eodem *Peuſchelio* continuatum eſt colloquium, ſed collationis argumenta doctrina primum *de ſatisfactione Chriſti*, tum etiam de cæteris Aphoriſmis mota non unius generis dubia, nominatim vero *de Legis impletione posſibili an imposſibili*, & alia conſimilia fuere. Quemadmodum autem ſupra, ita hac etiam vice *Peuſchelium* benigne primum allocutus legitur *Fabritius*, qui heſternam ei confeſſionem ante omnia in memoriam revocavit, Deumque poſthæc, ut in iſtac veritate conſtanter perſeveraret, propitium precatus eſt. Inde, ſatisfactioni Chriſti & reliquis capitibus connexis pie expendendis jam paucas horas eſſe impendendas, monuit, & precibus ſimul recitatis, per G. *Fabrum*, ſolitis, ſententiam de Chriſti ſatisfactione candide ediſſerere juſſit, eaque dicta ſtatim ſequentem Syllogismum formavit: *Si Chriſtus pro noſtris peccatis, & propter noſtra peccata eſt vulneratus, attritus, paſſus, denique mortuus, ita, ut illæ præpoſitiones Pro & Propter & cauſſam finalem & efficientem impulſivam* a) *denotent, utique Chriſtus patiendo & moriendo pro nobis judicio Dei ſatisfecit, & pœnas noſtris peccatis debitas perſolvit. At prius verum eſt.* Ergo. Aſſumtum firmavit multis *Scripturæ locis, v. gr. Eſ. LIII. 5. Joh. X. 15. 1. Cor. XV. 3. 1. Pet. III. 18. 2. Cor. V. 12. Gal. III. 13. &c.* Ad quod argumentum, cum expectaretur exceptio, *Peuſchelius, totum ſe illud admittere, omniaque illa dicta ultro amplecti*, teſtatus eſt. Quia vero in breviori ſua, ceu nominavit *Schrœderus*, *Reſolutione X. Aphoriſmi*, quam *Generoſisſimis Dn. Scholarchis* miſerat, b) vocabulum *Acceptilationis* repetie-

 rat,

ex ſequenti elucebit Diſquiſitione; Vnde, de *Acceptilatione* quadam hæc eum intellexiſſe, palam erit. Ad quam jam tunc modeſtiores *Sociniani* cum ipſo duce, interdum ſe recipiebant, a Remonſtrantibus magis & interpolandam & exornandam.

a) Laudanda eſt *Fabritii* in limitibus ponendis arctioribus induſtria, qua tamen ſolicite adhibita, nondum omnes ſubterfugiendi rimas obſtructas fuiſſe, eventus docuit.

b) *Jena* nimirum, cum ad quæſtiones propoſitas, de quibus conſulatur Sect. I. Cap. III. §. 14. confeſſio prima eſſet edenda: ubi breviſſime ad quæſt. X. *Peuſchelius* reſponderat, & XIma omiſſa, duodecimam vel tribus verbis abſolvens atque finiens, per modum appendicis verboſam de ſatisfactione Chriſti, quæ cum gratia Dei conſiſtere nequeat, ἀ·άλυσιν ſeu explanationem ſubjecerat. Quo *Schrœderum* reſpexiſſe, aut digitum his verbis intendiſſe, quoniam

rat, ejusdem, *quia ſumi poſſit aut pro gratioſa alienæ ſatisfactionis acceptatione, at pro ſuſceptione non tantum alienæ, verum etiam ſemiplenæ, præſtationis*, ulteriorem idem *Schrœderus explicationem* vocis poſtulavit. Quam ſine mora ſuppeditavit *Peuſchel, alieni, pro ſontibus hominibus omnibus, prædis ſubſtitutionem*, innuens, ſe intelligere, tum *etiam, eo ſe reſpicere*, docens, *quod Pater mortem duratione æternam, ab illo non exegerit, quam peccatis noſtris meriti eramus. Fateri tamen ſe*, ajebat, *Chriſtum non tantum moriendo & patiendo, ſed & obediendo plene judicio Dei ſatisfeciſſe.* Interrogatus etiam *a Schrœdero, utrum Chriſtus, etiamſi mortem æternum durantem non ſuſtinuerit, tamen æquivalens pretium juſtitiæ exſolverit*, neque illud repudiavit *Peuſchel: Immo etiam, non per ſupplementum aliquod gratiæ, ſed per infinitum valorem, ab infinita dignitate perſonæ ſatisfacientis proficiſcentem, ſatisfactionem iſtam efficacem eſſe*, haud abnuit aſſerere. Attamen *vocabulum acceptilationis, quippe quo etiam Theologi utantur, prorſus miſſum facere dubitavit.* Sed *Schrœderus propter Pontificios, novam obedientiam noſtram Deum acceptilare docentes, malle ſe acceptationis vocabulum, quam acceptilationis, uſurpare* regeſſit. Quod acceptans *Peuſchel, dubium* tantum movit: *Vtrum ex eo, quod paſſio Chriſti ſit ſatisfactio infinita, propter naturam divinam, ipſam naturam divinam paſſam eſſe, ſtatui queat? Schrœderus, non divinam naturam paſſam eſſe, ſed tamen paſſiones humanæ naturæ feciſſe ſalutares*, a) reſpondit. Vnde ipſemet occaſionem arripuit *Peuſchel*, hanc doctrinam illuſtrandi *ſimili quodam, a Comitis cujusdam* (S. Principis) *pro captivo homine plebejo carcerem ſponte ſubeuntis beneficio, quo fiat, ut propter illuſtrem perſonam pœna carceris decurtetur.* Quod ſimile quanquam *Schrœder non improbaret, monuit tamen, ſi Comes ille meritus ſit carceris mitigationem, acceptationem dici poſſe, ſin minus, acceptilationem; nondum autem hæc exhaurire myſterii redemtionis vim*, ſimul docuit, *quia cooperatio divinæ naturæ, quæ vincere mortem debuerit hactenus*

in ea *Acceptilationis* vocabulum ſæpe uſurpaverat *Peuſchelius*, neque aliam deinceps & uberiorem unquam legitur ſeparatim tradidiſſe, non dubitamus.

a) Deum videlicet paſſum κατὰ σάρκα, quam declarationem etiam Sp. S. 1. *Ep. Petr. IV.* 1. & alibi, addit, in unitate perſonæ, quæ θεάνθρωπος hinc eſſe debuit, dici poſſe ac debere, innuens, non θεότητα omnis per ſe paſſionis expertem. Totius itaque perſonæ erat paſſio, ſed diverſimode ad utramque naturam, ut commune ἀποτέλεσμα, ad quam unaquæque natura confert, quod ſuum eſt, per rationes officii, referenda. Alii *totam* perſonam, ſed *non totum* perſonæ paſſum eſſe, forte dixerint. Vti homo currit, ita tamen, ut non dicatur anima ejus currere, curſus tamen & currendi potentia a motrice vi animæ oriatur. Quæ quidem ex naturali unione ad perſonalem facile applicari queunt.

ctenus, neglecta sit. Qua declaratione *se contentum esse* pronunciavit *Peuschel*, & pollicitus est, *loco acceptilationis se acceptationis terminum substituere velle, neque habere adeo quidquam, quod adversus Aphor. XV. & XVI. amplius movere visum sit. Illud* autem *rogavit Schrœderum, ut, omissis Aphorismis reliquis omnibus, contra Trigesimum Quintum de Impletione legis &c. sibi proferre quædam liceret. His namque excussis*, inquiebat, *reliquos facile admittam. Quærebat* ergo ex Schrœdero *Peuschel: An observatio legis perfecta renatis in hac vita sit impossibilis? Qui, esse impossibilem, si de perfecta* a) *sermo sit*, respondit. *Id* vero *se offendere*, commonuit *Peuschel, quod, nullo modo legem impleri* b) *posse, admittatur a Theologis*, & cum *Schrœder impletionem secundum quid largiretur, sicuti & imperfectus homo quodammodo sit homo, Adversarius* simili aliquo illustraturus dissensum, ex *Matth. XIII. parabolam de seminis fructu trigecuplo, sexagecuplo &c.* produxit, & *tamen quamlibet terram esse bonam*, affirmavit: *Sic quoque inter Christianos gradus sanctitatis sese habere*, urgens. Quo facto, *recte gradus observationis, prout quis minor sit aut major pietate, statui, Schrœderus* respondit, *nunquam autem tantam perfectionem*, addidit, *quenquam assequi posse, qua per legem justificari queat, alias enim justitiam fore ex lege derivandam contra Rom. IV.* Hic *Peuschelius Rom. VIII. comma 4.* objecit, *ubi Christus dicatur passus, ut justitia Dei impleatur a nobis*: At *Schrœderus* confestim *distinxit phrases, impleri in nobis*, c) *& a nobis, quorum prius probetur l. c., non autem posterius.* Et præterquam quod *l. c. subjectum descriptum sit, non modus, seu persona, in qua fiat impletio*, d) *legem impleri ostendit, per obedientiam Christi imputatam, non autem nostram, qua perfectione, ad justificationem sufficiente, omnes destituamur. Unde doceamus, Legem renatis esse impossibilem secundum quid, eo quod fructum non centuplum sed millecuplum exigat, quem terra etiam optima haud proferat.* e) Expetiit ad hæc *Peuschelius declarationem vocabuli perfectionis.* Quam promtissime dedit *Schrœder, ex opposita maledictione: Maledictus*, ajens, *Deut. XXVII.*

a) Omnibus scil. numeris, qua *partes* & *gradus*.

b) Perfectam autem seu exactissimam intelligi, facile eorum scripta legentibus occurret. Quam notionem etiam pressior vocabuli *implere* significatio requirit.

c) Et quidem *δικαίωμα τῦ νόμυ*, h. e. ut Aristoteles explicat vocabulum, *ἐπανόρθωμα τῦ ἀδικήματος, die schærffste Anfoderung τῆς δίκης, der Straffgerechtigkeit*, accuratissimi & instar ignis ardentis stipulasque comburentis judicis. coll. Rom. V. 18.

d) Hinc non additur, *quia* sec. Spiritum vivunt, sed *ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κ. τ. λ. qui non vivunt* &c. ut proinde *δικαίωμα* illud ex *commate tertio* repetendum sit.

e) Gradus ergo concessit, sed *summum* attingi posse negavit.

XXVII. Gal. III. Jac. II. dicitur, qui non manet in omnibus &c. eamque etiam ob rem Augustinum dixisse, primum & ultimum præceptum a) *in hac vita non impleri*, addidit. Exinde disquisitio orta est, cum, *internam & externam obedientiam requiri, Schræder* inter alia monuisset, *eamque perfectisſimam: Annon homo etiam internam obedientiam præstare possit?* Pro qua *Peuschelius* affirmanda provocavit *ad statum primigenæ justitiæ, qua Lex impleri perfectisſime pleneque potuerit a Protoplastis, quam sanitatem animæ Christus per iteratam creationem plene restituerit.* His *Schræderus* locum *2. Cor. IV., ubi de die in diem hominem internum renovari legimus*, opposuit. Prætereaque distinxit *inter acquisitionem & applicationem, illam perfectam, hanc in præsenti vita propter arbitrariam* b) *Dei dispensationem imperfectam esse &c. Peuschelius* contra largitus est, *renovationem sensim perfici*, sed *distinguendum* esse judicavit, *inter rem & modum rei*, & *contingere* seu attingere *tandem perfectionem nos utique valere*, seu posse, hinc effecit: *Schræderus, id fore in altera vita*, respondit; sed *Peuschel* vicisſim, *in hac quoque fieri, & Christum gratiam perfectionis conferre*, adstruere molitus est *ex 1. Petr. II. 1. & 24. Tit. III. 12. ubi præcipitur perfecta obedientia;* At conferri negavit constanter *Schröderus, a præcepto ad posse* enim *non licere argumentari.* Addidit *Peuschelius*, id *fieri cum promisſione & comminatione* c) *addita.* Sed *Schræderus* ostendit, *comminationes eo pertinere, ut satisfactionem quæramus*, d) *eamque perfectam apprehendamus, &, quantum fieri posſit, demus operam obedientiæ*, regulamque suam approbavit *ex Es. XLII, 18.* ubi *& surdi jubeantur audire, & mortui resurgere Joh. XI. &c.* Qua occasione *ad Conversionem digressi* sunt, atque disputare de ea cœperunt: *Vtrum ea sit in potestate hominis?* Id quodammodo *affirmavit Peuschelius*, & duntaxat *de principali potestate concesſit, quod non sit in hominis potestate:* quanquam tandem meliora edoctus exceperit; *Quando Deus offerat Evangelium, instruere etiam hominem, ut posſit se convertere.* Cui *Schræderus, etiam illis præcipi, quibus nondum prædicatum Evagelium* objecit *&c.* Tandem vero *Peuschel* tædio, ut videtur,

a) Ac proinde etiam *partium* (objectivarum ut vocant) perfectionem inficiatus est *Schræderus*: de qua alii adhuc, ambigue, ut opinamur, disputant.

b) Cujus caussam certam & indubitatam, utut multæ probabiliter indicentur, definire in hac vita posse neminem, existimamus.

c) Quæ alioquin vel frustranea, vel dura nimis videatur.

d) Neque enim propterea omnem Legis etiam sub pacto Evangelico usum exspirare, certum est, qui prior ex pacto legis & operum violato Rom. VIII. 3. cessavit.

tur, excursus, *aliud sibi exemplum præcepti impossibilis dari* jussit; cui *Schröder Gen. XV, 5. suspice in cœlum & numera stellas &c.* in mentem revocavit. Ad quod cum *Iste* exciperet, *numerationi l. c. præmium non adjici, & multitudinem seminis ex impossibili numero demonstrari; Hic*, certe *hæc de fine, sed non de effectu præcepti dici*, & locum *alium Matth. XIIX. de servo, qui non erat solvendo, quique jubetur venundari*, allegavit, *ubi solutio, quæ non erat in potestate servi, itidem præcipiatur.* Sed *Peuschelius* denuo urgebat *promissionem & comminationem, ne Deo tyrannis, tanquam impossibilia præcipienti, impingatur. Schröderus* vero iterum, *id eo fieri*, ostendit, *ut sponsorem nobis acquiramus*, a) *præmiaque & pœnas proponi, non ut animum despondeamus, sed omnibus viribus conemur, & ad preces invitemur*, prioremque regulam *a præcepto ad posse N. V. Conseq.* denuo inculcavit. Hinc porro argumentatus *Peuschel: Precatio illa, ut Deus nobis conferat gratiam implendi legem, aut voluntati ejus consentanea est, aut non; Si illud, participes fieri possumus voti, viresque Deus dabit præstandi; Si non, homo precatur contra voluntatem Dei, & sic vult peccatum.* Respondit *Schröder: Non esse consentaneam voluntati Dei*, b) *ast inde consequi, Deum velle peccatum*, *constanter inficiatus est.* c) Desistens ergo *Adversarius*, *locum sibi classicum dari* petiit, *quo dicatur, perpetuam esse luctam in homine.* Cui *Schröderus Rom. VII.* nominavit. At *Ille, Apostolum istic de se non loqui*, h. m. comprobare allaboravit: *Quæcunque sententia Sacris litteris repugnat, toti antiquitati & scholasticis est ignota, denique bonis moribus & pietati est noxia, illa est minus vera; sed Paullum de se loqui l. c. Ergo. Minorem* munivit hac ratione: *quod homo ille, de quo Paulus loquatur, carnalis sit, venundatus sub peccatum*, 14. *&c. quæ in renatum non conveniant prædicata.* Resp. ad obj. hanc *Schröder: Ambiguam esse phrasin, venundatum esse sub peccatum*, &, *vel de eo, qui sub regno peccati sit, vel, qui peccati infirmitatibus obnoxius*, accipi; *Priori sensu in majori, posteriori in minore intelligendam esse.* At *Peuschelius de pleno dominio loqui l. c.*

Hhh h hinc

a) Seu *quæramus*, h. e. ut, per Legem cum Evangelio in praxi nunquam non conjunctam, illa ad hoc constanter, etsi in Sanctificatione, continuataque inter hæc exercitia justificatione, suaviori modo, *Pædagogi* officium, Paullo Gal. III. 24. id docente, obeat.

b) Quod attinet ad præstationem *exactissimam*, quam in hac vita post lapsum & in ipsa restitutione nemini pollicitus est, ob graves caussas.

c) Precatio namque cum eas vires impetrare possit, quantæ sunt ad gradum possibilem obtentu necessariæ, Dei voluntati & conformis est, & fructu hactenus non destituitur, eamque proinde huc spectare *implicite*, ut, si plenissimam obedientiam assequi non possimus, *tantam*, *quantam* Deus obtinere nos *velit*, indulgeat, liquet.

hinc probaturus erat, *quia dicatur ita venundatus, ut bonum, quod velit, non faciat.* *Schröderus* autem ex adverso *correxit majorem* h. m. *Quicunque est venundatus sub peccatum, ita, ut bonum, quod vult, non faciat, ille est sub dominio peccati, aut obnoxius infirmitati peccati;* Cui *posteriori Apostolum se subjicere* dicebat, *cum de actibus concupiscentiæ internis loquatur.* Interloquutus heic fuit *Generosissimus Dn. Löffelholz*, & *a Peuschelio sibi unicum dari voluit exemplum hominis immunis ab actibus concupiscentiæ internis; Ille* vero *distinguens inter concupiscentiam, & τὸ ire post concupiscentias, ipsumque concupiscere non esse peccatum, sed sectari,* asseruit. Cui denuo Dn. *Löffelholz; Atqui Apostolus,* ait, *se nescivisse, concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces! Peuschelius* iterum, *de ea concupiscentia Apostolum loqui, regessit, quæ sit conjuncta cum appetitu in effectum perducendi.* Agnoscens autem effugii infirmitatem, a) *novum argumentum* deserto priori protulit: *Judicium Dei est verum; sed judicium Dei de Davide est, quod tota mente obsecutus fuerit legi; Ergo. Schröderus concessit* illico *totum argumentum; inde vero non sequi, Davidem fuisse sine peccatis,* monuit, & *contrarium ab experientia* probavit: Porro etiam *phrasin: Tota mente diligere; bifariam accipi docuit; videlicet secundum legis ἀκρίβειαν aut Evangelii ἐπιείκειαν. Diligere Deum ex tota mente esse legis vocem; Dilectionem Davidis autem itemque Josiæ &c. opponi idololatriæ,* & *religiositatem* b) denotare. *Aliud* autem *esse studere perfectioni, & perfectum esse.* Contra *Peuschelius, credenti omnia esse possibilia,* ex *Marc. X.* itemque *Paulli* illud: *omnia valeo in Christo, ex epistola ad Philippenses,* ursit. *Ita vero etiam immortalitatem in hac vita obtentu possibilem esse, Schröderus* reposuit, & vicissim *Paulli ex alia epistola* c) *assertum: Non, quod apprehenderim, aut perfectus sim, sed contendo, ut apprehendere possim,* objecit. Porro cum pergeret *Adversarius* valde exaggerare, quod *h. m. Deus velit, uti infirmitatem, ita quoque peccatum, cum caussam qui velit, velit etiam caussatum; Schröderus negavit, Deum velle illam impossibilitatem, Peuschelioque* obtendenti: *quod Deus eam aut non velit, aut non*

a) Manifestum enim erat, de concupiscentia non solum loqui Apostolum, cum voluntate aut consensu etiam qualicunque, conjuncta, sed de ea quoque, quam *nolit & odio prosequatur* v. 19. & 16. itemque 15. Quorsum etiam decimum præceptum, in quod Apostolus præcipue digitum intendit, a nono præsertim distinctum, nos manuducit. Ab *objectis* enim, quæ studio permutantur in *Deuteron.* & *Exodo,* discrimen repetere non licet.

b) H. e. animi devoti Deo sinceritatem, a qua δίψυχοι longe absint. Sirac. I. 36. Hos. X. 2.

c) Phil. III. 12. ubi p. p. perfectorum *comparate* talium, coll. Hebr. V. ult., meminit.

non possit tollere, quorum illud bonitati, hoc potentiæ adversetur; Tertium Idem dari, sapientiam videlicet, regessit, *eo fine, ut exerceamus nos viresque nostras tentemus & conemur, itemque ut Deo gloria sua constet justitiæ & bonitatis, & misericordiam is suam erga nos ostendere possit, atque nos ad eam confugeremus.* a) Equidem contra *omnia Dei opera perfecta esse, Peuschelius* existimavit. Sed *Schröderus, suo modo & gradu, quatenus Deus voluerit ea esse perfecta, id intelligi oportere,* monstravit, argumentumque superius princeps ita *limitavit:* b) *Quæcunque sententia pugnat cum ipsa littera toties repetita,* c) *circumstantiis textus &c.* Excepit ad hanc limitationem *Peuschelius, male litteram urgeri, sæpius enim fieri, ut aliquis alterius personam induat, ex ejusque affectu & mente loquatur, uti Daniel c. IX. non de se, sed populo impio; idque fieri per προσωποποιΐαν. Schröderus* contra reprehendens *argumentum a particulari exemplo* sumtum, & *non prosopopœiam, sed κοινωποίησιν esse* l. c. atque *Danielem non modo de impiis, sed etiam de seipso loqui,* demonstravit: *cujusmodi figura etiam, ubi de diversis subjectis sermo sit,* 1. *Cor. IV,* 6. 1. *Pet. IV,* 3. *&c.* reperiatur. Deserta itaque hac exceptione *Peuschelius, id sibi scrupulum adhuc movere, quod Rom. VII,* 15., *is, de quo agatur, homo miser dicatur,* testatus est; *Renatos enim non esse miseros, sibi in confesso omnium esse videri.* At respondit *Schröderus, errorem esse κατά τι. Vt-ut enim renati non sint miseri, quatenus sunt renati, miseros tamen esse, in quantum adhuc luctantur cum carne.* Hinc *perfecte hominem renasci, uti perfecte nascatur corporaliter,* objecit *Peuschelius; Id* vero *male inferri, & nexum non valere, Schröder* docuit, ex *ipsa Scriptura, quantum ad hoc* d) *reclamante.* Concessit tandem *Peuschel,* dixitque: *Si concedatur*

a) Quæ rationes sane, cum & mala Deus permittat, atque ad bonum finem dirigat, non contemni possunt, certe contrariis argumentis elidi debent.

b) Vnde colligi potest, sive quod, de alio homine non converso, ut solent *Sociniani,* locum *Paulli* Rom. VII. intelligere eum velle, præviderit *Schrœderus,* hæc illum subjecisse; sive, quod inter disserendum talia jam aperte & distincte magis pronunciasset *Peuschelius,* eo inductum esse.

c) Addatur etiam simplicior & ab hujusmodi figuris alienus *stylus Epistolarum:* cum præsertim nec subobscurum ejus indicium in textu factum sit. Aliter certe, quando alienam personam *Apostolus* induit, ipsam quoque orationem v. g. 2. Cor. XI. 16. sqq. format.

d) Quatenus nimirum regeneratio, ut fieri interdum solet, certe olim consvevit, & in ipsis *Libr. Norib. Normal.* f. 1330. ea notio legitur, pro renovatione seu sanctificatione accipitur. Etenim, si de *Fidei excitatione,* quæ ordinaria Script. S. locorum significatio est, ejusque accensione, aut ipsa vivificatione spirituali usurpetur vox regenerationis, (coll. Gal. II. 20.) perfectam eam esse, non dubitamus. Atque hinc, *Peuschelio* concedi argumentum potuisse, apparet: utut consecutio adhuc

cedatur renatis aliqua legis, licet imperfecta, observantia; sufficit mihi, & facile annuo, dummodo non ita colligatur: Homo non potest perfecte legem præstare. Ergo nullo modo a) *potest præstare.* Ad quæ *Schrœder: Concedimus*, inquit, *aliquam obedientiam, & exigimus etiam, sed non perfectam & integram, & quando tribuimus homini aliquam obedientiam, non dicimus, eam ingredi actum justificationis, sed tantum sequi justificatum.* Quibus dictis *Peuschelius* denuo opposuit *Esa. I. mundamini &c. ubi promittatur remissio peccatorum illis, qui peccata fugiant*, & cum *propheticum locum esse ad N. T. spectantem* respondisset *Schrœderus*, mox *ex N. T.* 1. *Joh. I*, 7. Si *ambulaverimus in luce &c.* subjecit; *Ille* vero, *fallaciam esse compositionis*, regessit; *neque enim verba conjungenda esse, ut caussam & effectum; Ambulationem enim in luce, sequi mundationem animi, & scopum esse spectandum Apostoli, qui addocere studeat, etiamsi adhuc habeamus peccata, posse tamen regenitos ambulare in luce, quia peccata ipsorum sint emundata sanguine Christi: Nec adversari locum Hebr. IX*, 9. *Istic enim de emundatione hominis justificandi, hic vero de justificatis disserere Apostolum.* Consentiens *Peuschelius*, *non tamen negatum iri, saltem aliquam pietatem & conversionem præcedere*, monuit. *Non abnuit Schrœder*, si *per pietatem* b) *intelligatur, contritio; quæ tamen non sit caussa, sed conditio, & caussa sine qua non dicenda. At* tamen *obedientiam esse*, *Peuschel* reposuit; Cui *Schrœderus: Esse quidem, sed proprie obedientiam dici hominis renati & justificati*, c) docuit. Vnde progressus est *Peuschel* ad *Aphorism. XXXVI.* & sententiam suam de *lapsis in grave peccatum*, quod *de remissione peccatorum tam certi esse non possint, quemadmodum ante conversionem*, confirmare annisus est *exemplo Simo-*

dubia esset; quoniam non omnia generationis naturalis attributa ad supernaturalem congruunt: utpote quæ non tantum sæpius iterari potest, sed etiam non substantiam novam, verum *indolem* meliorem & *qualitates* immutatas *Spiritus* dictas producit.

a) Vel hinc apparet, quam circumspecte etiam Phrasis haud dissimilis: Bona opera *nullo modo* sunt ad salutem necessaria: usurpanda sit, ne cuiquam simus offendiculo, nostramque Ecclesiam calumniis temere exponamus. Quotusquisque enim erit, qui de rigidiori Præpositionis *Ad* significatu, ex præsertim illitteratis, cogitet?

b) Alias enim hi potius *motus sancti*, (passivi magis, quam activi) hominis, in quo excitantur, laxiorique etiam notione *pietas* dici queunt, quatenus reverentiam aliquam seu timorem erga Deum pro fundamento habent, unde & ipsa contritio oritur, etiamsi vel solam hactenus justitiam ejus læsam in Lege contueatur. Sunt ergo potius opus Dei in homine, quam opus hominis.

c) Neque enim commode nova *vita*, ejusque nova *opera* dici ac tribui queunt, nisi ad meliorem vitam homini instaurato. Conf. 2. Petr. I. 5--8. Joh. XV. 4. 5. sq. Eph. II. 10.

Simonis Magi Act. VIII. quem Deus antea facile receperit, post conversionem non item; dixisse enim l. c. Petrum: Si forte tibi remittantur &c. Ad hæc *Schrœderus: Si renatus seriam agat pœnitentiam, non posse ei denegari ad gratiam reditum:* a) *quod vero ad Magi exemplum attineat, vocabulum forte non semper esse dubitativum, quod probet Joh. VIII, 19.* b) &c. Ad *hominum* quidem *difficultatem in remittendo* post hæc provocavit *Peuschelius, si iterato offendantur, idque multo magis Deo convenire*, existimavit; Sed *veram huc pertinere pœnitentiam, tanquam alteram post naufragium tabulam (quæ tamen phrasis cum grano salis propter Pontificios accipienda sit) Schröderus* eum cogitare jussit. Ad postremum ergo *Peuschel: Admittisne*, inquit, *quando quis in concione dicat: Si delapsi fueritis in peccata post conversionem, Deus non ita certo vobis remissurus est peccata illa.* Cui *Schröderus, non sic dicimus*, respondit; *Sed, si progrediemini in peccatis contra conscientiam, videte, ne Deus fores gratiæ claudat, qui non modo est misericors, sed & irascens peccatis Sirac. V, 6.* c) Ad quæ nihil postmodum legitur *Adversarius* regessisse. Quare *de Intercessione Christi*, quid sentiret, eum tandem ultro interrogavit *Schröderus*; Cui *Ille: De Intercessione Christi fateor*, ait, *quod Christus proprie & vere pro nobis intercedat, licet modus intercessionis non sit facile definiendus.* Item tres hos *Aphorismos XXXIV.* de *Renatorum obedientia*, XXXV. De *Legis in hac vita obedientia*, d) XXXVI. *de renatorum post commissa peccata resipiscentia, suffragio meo comprobo, cum rejectione contrariæ sententiæ, sicuti etiam cæteros in ultima mea resolutione approbavi.* Quamobrem, edita tam luculenta hac professione & Septimo Congressui colophonem addere placuit, neque

a) Quippe qui *sine limitatione temporis* non solum injungitur & promittitur delinquentibus, sed etiam *septuagesies septies* veniam, modo pœnitentia sit *haud fucata*, Matth. XVIII. 22--35. Deus pollicetur, eamque nos imitari jubet bonitatem.

b) Nihil l. c. reperitur, quod huc quadret; Fortassis ergo ad Luc. VIII. 25. respexit *Schrœderus*. Hoc certum est, *ἄρα* Græcorum (quemadmodum & פֶּן atque אוּלַי Hebr.) & quidem ordinarie *concludentis*, immo *asseverantis*, aut *bene* saltim *sperantis* potius esse, quam dubitantis particulam. *Quod si vero*, ut plurimæ versiones utique reddunt, *dubitatio quædam subest, non ad Dei indulgentiam, sed ad Simonis Magi resipiscentiam ea referenda; de qua exigua spes reliqua erat, cum in felle amaritudinis totus esse v. 23. dicatur*, inquit in *Grammat. S.*, de *Adverb.* Can. XXV. b. *Glassius.*

c) *Raram* nimirum esse sæpius in peccata relapsorum pœnitentiam innuit, sed ex gratia Dei extraordinaria, vel sine caussa, vel post primum statim lapsum subtracta ordinaria eam non esse deducendam, verum hominum ipsorum petulantiæ, divinum tandem sibi judicium accersentium, suaque culpa in obdurationem animi sese præcipitantium, adscribendam, recte simul his verbis *Schrœderus* docuit.

d) H. e. præstita Legi observantia omnibus numeris perfecta.

neque enim quidquam annotatum eſt, quod in hoc ipſo conventu poſt hæc adjectum monitumque ſit aut diſputatum. Vtcunque vero hæc ſint, nondum tamen colloquendi finis fuit.

§. XLIX.

Ad OCTAVAM enim Colloquiorum periodum, cui diem XVII. Septembris deſtinatum eſſe cognovimus, iterum comparuit *Vogelius*, eumque ad ſequentes Aphoriſmos, ubi nuper ſubſtiterat, proceſſurum ſpes indubia omnes alebat. Sed præter opinionem nova ille ſibi circa Aphoriſm. XIII. dubia eſſe ſubnata, quæ valde adhuc animum angant, ſignificavit, ita tamen, ut ea quoque, data cum viris divinarum rerum peritis conferendi occaſione, eximi ſibi poſſe, haud ſe deſperare ultro fateretur. Hæc itaque in præſentia expromere juſſus a *Fabritio*, ante omnia ſibi *adhuc moleſtum eſſe argumentum ab unitate Dei deſumtum, quam evincere ſupra conatus ſit ex locis, in quibus Deus, unus & non alius præter illum dicatur*, indicavit: Et *quia hic deſit explicatio per ſcripturam, ubi nusquam Trinitas diſerte affirmetur*, h.m. argumentatus eſt: *Si nullus Scripturæ locus dari poterit, quo tantum eſſentialis innuatur unitas, utique explicatio locorum, quæ Deum unum dicunt, nuper data, non poteſt conſiſtere. Atqui verum eſt prius. Ergo.* Connexionis ratio data eſt, *quod is modus interpretandi tutisſimus ſit, qui deſumatur ex Scriptura.* a) Excepit hoc telum *Schröderus*, & ad aſſumtum, *omnia loca, in quibus Deus dicatur unus, citra diſtinctionem perſonarum repeti debere*, condocefecit. Videbatur quidem *Vogelio* hæc *reſponſio eadem eſſe, quæ nupera, & ſubſternere id, quod in controverſia verſetur*; Sed, *non dubium manere, utrum hæc loca de eſſentiali vel perſonali unitate loquantur*, evicit *Schröderus ex eo, quod Pater, Filius & Sp. S. in aliis locis appellentur Deus, unde ſane profluat, unitatem illam non niſi eſſentialem eſſe.* Exiſtimavit quidem *Vogelius, in orbem ſic iterum redeundum eſſe*, atque a *Reſpondente quoque committi poſſe petitionem ejus, quod in principio tueri conabatur*; Tandem vero, cum conceſſiſſet *Schröder, paralogiſmum admitti poſſe, non autem petitionem principii*, alterum *Vogelius* formavit & ſequens ratiocinium: *Si Scriptura uni Deo, qua uni, tribuit actionem, uti-*

a) Seu ἐκ συμβιβασμοῦ, qua methodo Act. IX. 22. *Paullus* Judæos Damaſcenos *collatis inter ſe Scr. S. locis* dicitur de Meſſia, eum Jeſum eſſe Nazarenum, conviciſſe. Qua ratione quam optime decumani omnium *Socinianorum* errores, ſi a terminis Eccleſiaſticis diſcedas, refelli, & decantata illa jactantia: Nusquam *diſerte* hoc myſterium doceri, retundi poteſt. Eamque ob rem *Schrœderus* quoque ad *alia loca* comparanda confeſtim & laudabiliter provocavit.

utique Deus, qua unus, erit persona; Prius verum est. Ergo. Negavit autem *Schröder consequentiam, & alterutrum sequi docuit. Aut Deus erit persona, aut numero unus.* Cui *Vogelius, argumentum ab actionibus ad unitatem personalem Spiritus S.,* opposuit, *ita labefactari.* Sed *Schröderus inter actiones communicabiles* a) *& incommunicabiles distinxit;* unde novæ de unitate voluntatis in Deo respectu termini a quo & ad quem quæstiones ortæ, donec *Vogel ex 1. Tim. II. Vnus mediator est persona, unus mediator est unus Deus.* E. *unus Deus est persona;* Et porro: *Quicunque distinguitur ab uno Deo, is non est ille unus Deus: Filius &c. Ergo* inferret: Cui iterum iterumque *unitas personalis & essentialis objecta* est *a Schrödero, qua observata persona personæ opponatur, & a persona quoque discernatur.* b) Intercessit quoque, dum ita disceptatum est, Dn. *Reichius,* & a justificatione argumentum struxit: *Qui justificat, est Deus. Pater & filius justificant.* Ergo *sunt Deus.* At *Vogelius* promte instantiam obvertit: *Quicunque eduxit populum ex Ægypto, est Deus; Sed Deus & Moses &c.* Cui *Reichius: Justificare & educere diversi generis esse actiones, quarum prior soli Deo conveniat,* regessit; Sed *Vogelius* vicissim *Christum, tantum ut mediatorem, justificare,* monuit, & *novum* occasione l. c. *Eph. IV.* arietem, ut ita loquar, admovit S. Trinitatis mysterio expugnando; *Quicunque,* inferens, *est intelligens & numero unus, ille est persona unus. Atqui Deus &c.* Ergo. *Schröderus* vero *Axioma hoc philosophicum, Majoremque adeo de creaturis tantum veram esse,* ostendit, *suamque responsionem tamdiu valere, asseveravit, quamdiu non evertatur Divinitas Christi.* Hinc *Vogel, ita vero neminem Laicorum, quomodo Deus sit unus,* excepit, *intelligere posse, quia ignoret, quid sit essentia. Schröderus* autem; *Id quæritur,* inquit: *Num hoc sit necessarium, ut Laicus intelligat, quomodo Deus sit unus, modo credat, Deum Patrem, Filium & Sp. S. esse unum.* c) *Adversario* autem porro sciscitante: *Quomodo igitur*

a) Hoc est *communes*; quæ Deo, ratione essentiæ spectato, atque omnibus tribus hinc personis conveniunt, ac vulgo *opera ad extra* dicuntur. Certe, quando ex actionibus persona, v. g. Sp. S., demonstratur, non essentiæ divinæ, qua utique persona hæc prædita est, sed proprietati meræ aut accidenti ea opponitur.

b) Idque tanto majori jure & confidentia facere licet, quanto clarius & ipsa scriptura τȣ̃ προσώπȣ Jesu Christi 2. Cor. IV. & ὑποστάσεως Patris Hebr. I. 3. in Ebr. vero τῶν פנים nec non *Trium* testium per καὶ repetitum in formula baptismi distinctorum, quorum alter ab altero ut ἄλλος καὶ ἄλλος differat, neuter vero a Divinitate excludatur, sed eandem pariter omnes habeant &c. meminit.

c) Scite & modeste *Nic. Hunnius* in notissima *Credend. Epitom.* C. V. §. 88. *Dieweil diese Art zu reden* (von den dreyen Personen in einem Weesen) *in der Schrifft nicht zu finden ist, sondern man hat sie in der alten Kirchen zur Wiederlegung Arii und an-*

igitur Laicus de unitate doceri posſit, Dn. Reichius, uti ſe Deus in Scripturis patefecerit, reſpondit, & *Schröderus : Ego Laico,* inquit, *quærenti ſic reſponderem : Tu ex me quæris, quomodo Deus ſit unus, cum tamen de P. F. & Sp. S. dicatur, quod ſint Deus ? Reſp. Recte credis Deum unum eſſe, recte etiam credis P. F. & Sp. S. eſſe illum unum Deum. Si autem amplius quæreret : Quomodo Tres posſint eſſe unum ? afferrem ego diſtinctionem inter eſſentiam & perſonam. Si caperet, bene; Sin minus, dicerem, tu non es capax hujus myſterii.* a) Mittens ergo Laicum, *de Philoſopho inquirente quid ſtatuendum ſit*, ſciſcitabatur *Vogelius*. De quo ita exiſtimabat *Schröder*; *Si Philoſophus non eſſet Chriſtianus, ad Scripturam adducendum*; b) *Si Chriſtianus, tanto felicius rem ex Scriptura proceſſuram. De Philoſopho, ut Philoſopho, ſe loqui,* ad hæc *Vogelius* teſtabatur, *qui nunquam posſit de Deo uno aliter judicare, quam, Deus eſt eſſentia unus. Ergo Deus eſt.* Id vero *Schröderus* largiebatur, *a Philoſopho, ut tali, non eſſe explicationem expectandam aliam, quam Deus eſt eſſentia unus. Ergo eſt*; *Modeſtius* c) *autem ita argumentaturum : Deus eſt unus; Ergo eſt aut eſſentia aut perſona unus; Quorum illud verum ſit, hoc falſum.* Argumentatus igitur eſt *Vogel* ex adverſo hunc in modum : *Si Scriptura, quando dicit Deum eſſe unum, nihil aliud dicit, quam Deum tantum eſſe eſſentia unum, ſequitur, eam nihil aliud dicere, quam Deum eſſe. Sed hoc poſterius eſt abſur-*

derer Kezer gebrauchen müſſen, iſt niemand daran gebunden, daſs er eben dieſelbe gebrauche und ſich ſelbſt peinige, wie er das Wort Perſohn eigentlich verſtehen ſoll, oder wie das zugehe, daſs ein gœttlich Weeſen ſey, und doch drey Perſonen in demſelben zu glauben; ſondern es iſt einem einfæltigen Herzen genugſam zu wiſſen und zu glauben, daſs der Vatter, der Sohn, und der Heilige Geiſt ſeyen der einige wahre GOtt. De eruditis, quid, ſi vocabula hæcce adſpernentur, habendum ſit, peregregie docet Epiſt. 350. *Calvinus.* Cæteros de induſtria omittimus.

a) Vt *comprehendas* videlicet; *apprehendere* enim *ex revelatione* attentum Lectorem id, quoad patefactum eſt, poſſe nemo dubitat. Diſtinguendum ergo heic quoque erit inter ἀσύςατα & ἀκατάληπτα; cum Theologia doceat *rationem excedentia*, ſed *non repugnantia.*

b) Argumentis nimirum a characteribus divinæ ejus originis internis atque externis deſumtis, ut *humana* tantiſper fide cognita ejus auctoritate illam attente legat, donec per ipſam doctrinam lectam relectamque, divina Sp. S. luce perfuſus, eam, ut divinam, *divina* etiam fide approbet.

c) Recte hoc vocabulo uſus eſt *Schrœderus : Neque* enim *in res eas* (verba ſunt *Arnobii* L. II. adv. gent. f. 108.) *quæ ſunt a noſtra procul cognitione dimotæ, infructuoſas immittere cogitationes*, decet, & cum *de Deo etiam vera dicere*, quod dudum ſapientium ſententia docuit, *periculoſum ſit*, ex rebus finitis ad ſummum Numen *infinitum* ratiocinationes temere transferre, nemo, credo, probaverit, niſi qui omnem pudorem judicandique prudentiam decoxerit. Solius Dei eſt, de Deo vera certaque docere, nobis demiſſæ fidei gloria relicta eſt.

absurdum Ergo & prius. Quia essentia unum esse, nihil aliud est, quam esse unum. At *Schröderus, negando Consequentiam*, respondit, & *quando Scriptura Deum dicat esse unum, duo indicari,* monstravit 1) *Esse Deum,* 2) *Esse unum.* Iterum vero *Vogel* instabat, &, *quando Scriptura Deum esse unum dicat, Deum essentia esse unum, quæ sit nostratium phrasis, affirmare*, urgebat. Denuo autem *Schræder: Attendendum esse,* voluit, *qualis sit unitas ex collatione* a) *aliorum locorum, ubi P. & F. & Sp. S. tanquam Dei, fiat mentio. Hinc ergo*, ajebat porro: *Si quis interrogaret, qualis sit unitas: Essentialis, an personalis? Philosophus nihil posset aliud colligere, quam esse essentialem & personalem simul. Christianus vero a parte* b) *ad partem progrederetur, & collatione aliorum locorum, Deum esse unum essentia & trinum personis inferret.* Nondum *Vogelius* se putabat convictum, sed prius dubium repetebat, arbitratus, *Deum essentia esse unum, nihil esse aliud, quam Deum esse.* Enimvero *Schræderus: Falso ita colligi*, arguebat, *quia etsi ab Est tertii adjecti possit inferri ad Est secundi adjecti; non tamen ab Est secundi adjecti ad Est tertii adjecti recte concludi:* Idque *exemplo* illustrabat: *Sicut Deus,* inquiens, *dicitur unus, sic & omnipotens. Jam si vellem colligere, uti Tu: Deus est unus &c. Ergo Deus est; sequeretur similiter nihil aliud, quam Deus est omnipotens, Ergo est.* Putavit quidem ad hæc responsurus *Vogelius: Deum esse unum, modum esse; sed esse omnipotentem, rem.* Cui *Schræderus: Vnum & omnipotens differunt; Vnitas autem & essentia Dei, nec re nec ratione differunt &c.* Objecit posthæc, pro unitate personæ divinæ, *Vogelius* locum 1. *Cor. VIII. Vnus est Deus, Pater &c.* Sed *Schræder fallaciam divisionis commissam* mox patefecit, &, *male ab inclusione unius ad exclusionem alterius concludi,* demonstravit; *Neque enim dici: Vnus Pater est unus Deus, sive solus; sed Pater est ille unus Deus.* Et, *si quando* (uti regesserat *Adversarius*) ex. gr. *Joh. XVII.* 1. *Tim. VI. &c.* τὸ *solus reperiatur, non filium Dei, sed Angelos vel alias creaturas* c) *excludi.* Atque *hinc etiam Filium dici solum Do-*

a) Sec. vulgare illud: *Regula fidei integre accipienda* est: Seu, ut b. *Chytræus, de Regul. Vit.* Cap. de *Jurejurando* ad Matth. V. loquitur: *Scripturæ facienda est collatio textuum, & retinenda ea sententia, quæ cum universa Scriptura consentit.* Sin secus, quis erit, qui ἐναντιοφανέσιαις medebitur?

b) Scripturæ videlicet, quæ non in uno loco mysteria omnia simul exponit, sed *sæpe* particulatim de singulis argumenti alicujus momentis agit, atque eapropter se nos ἐρευνᾷν καὶ νοεῖν Joh. Cap. V. & Matth. XXIV. jubet, Paullus autem per συμβιβασμὸν probationes suas de Christo quando Act. IX. 22. instituit, luculento id ipsum exemplo suo demonstravit & confirmavit: ut supra jam animadvertimus.

c) Λεγομένους forte θεοὺς, uti supra jam

minum Act. XVII. 1. Cor. VIII. Patrem etiam ſolum Deum dici, quia a nullo habeat eſſentiam, a) *itemque ad excludenda idola aliasque creaturas; Vnde pateat illud* μόνον *Joh. XVII. referendum eſſe ad prædicatum, cum & Filius dicatur* μόνος *Dominus, non excluſo Patre.* Sed, *quomodo liber eſſe poſſum a Tritheiſmo*, interrogabat *Vogelius. Aut enim*, inquiens, *P. F. & Sp. S. erunt tres eſſentiæ, aut una perſona. Schræderus* vero, *una tantum*, inquit, *eſſentia eſt, per quam unaquæque perſona eſt Deus.* Sed *Adverſarius* rationem deſiderabat, *quare dicere debeat, tres eſſe perſonas, non tres eſſentias. Ratio hæc eſt*, ait *Schræder*, *quia nomen Dei eſt communicabile; nomen autem perſonæ incommunicabile.* Cui *Adverſarius* porro objecit: *Ergo, quia hæc reſponſio ex ratione deſumta eſt, Deum eſſe trinum in perſonis, non amplius erit myſterium. Schræderus* autem, *non ſe ex ratione argumentari*, monebat, *ſed, quia Scriptura collectionem hanc & philoſophicum axioma non labefactet, verum corroboret*, oſtendere, *quomodo myſterium hoc utcunque intelligi posſit.* Denuo vero excepit *Vogel: Cur non aſſumitur incommunicabilitas eſſentiæ, cum & apud Philoſophum eſſentia individua & perſona ſint idem?* Iterumque *Schræderus: Quia eſſentia divina eſt communis illis tribus perſonis, nomina vero P. F. & Sp. S. non ſunt communia.* b) *Atqui in Cantico*, ait *Ille: Benedicta ſemper ſancta ſit Trinitas &c. expreſſe dicitur: Tria ſunt nomina &c. Ergo Sabellianiſmus ſtatuitur. Schræder* contra: *Sed additur reſtrictio*, inquit; *Eadem ſubſtantia, & præterea ſumitur ibi nomen pro perſona.* Amplius ergo *Vogel: De quocunque poſſunt contradictoria dici, illa ſunt diverſa: De P. F. & Sp. S. Ergo &c.* Minorem probababat:

obſervatum eſt, & ipſa orationis Paullinæ cohærentia commonſtrat. Nam de commentiis Deaſtris nihil eſt, quod addamus: Quis enim neſcit, iſtis ſuam θειότητα ſupremum Numen perpetuo opponere?

a) Crediderim propemodum, hæc illuſtrationis tantum gratia fuiſſe addita. Parum enim huic tribuendum in præſenti loco rationi eſſe, verba ipſa condocent; niſi Patrem præ cæteris perſonis propterea nominatum eſſe dixeris. Sed nec deerunt, qui non ſolum h. l. ſed etiam Joh. XVII. Patris nomen, oppoſite ad *Chriſtum ratione officii*, coll. 1. Tim II. 5 accipi velint. Nos priori, de oppoſito Deaſtris aut improprie ſic dictis Diis per excluſivam particulam II. cc. Dei nomine, ſententiæ inhærendum exiſtimamus, & vel ſolo æquali loco *Devt. XXXII.* 12, ubi Deorum peregrinorum explanata fit mentio, rem omnem in luce aperta poni cenſemus. *Domini* autem nomen, regnum Chriſti, quod 1. Cor. XV. 25. deſcribitur, *Oeconomicum*, per Fidem adminiſtratum potiſſimum reſpicere, nemo eſt, qui dubitare posſit.

b) Scriptura namque ſacra de *Tribus* his ita loquitur, ut unumquemque Deum, & quidem ſuper omnia, eſſe dicat, ſed nunquam tamen, Patrem eſſe Filium, aut Filium Spiritum S., aſſerat, ſed potius hunc & illum & iſtum, ut ἄλλον καὶ ἄλλον, omnes autem conjunctim ut tres, diſtinguat.

babat: *quia patris eſſentia dicitur apud vos ἀγέννητος, Filii γέννητος, Sp. S. ἐκπόρευτος; Ergo tres diverſæ dantur eſſentiæ.* Ad hæc *Schrœderus: Non ſequitur, ſed hoc tantum: Aut eſſentia illa eſt trina, aut una illa eſſentia a tribus diverſo modo perſonis habetur. Nam per genitum non intelligitur id, quod eſt productum, ſed quod eſt communicatum.* Promte autem *Vogelius: Communicatum & non communicatum infert contradictionem,* excepit; ſed *Schrœderus* viciſſim, *non inferre eam*, docuit; *diverſo enim reſpectu dici de eadem eſſentia, quatenus in filio ſit γεννητῶς, in Patre ἀγεννήτως, in Sp. S. ἐκπορευτῶς.* Hinc quæſivit *Vogelius, diverſam eſſentiam exſtructurus: Si filius natus ſit ex patre, ex perſonane, an eſſentia ejus genitus ſit?* Cui *Schrœderus* reſpondit: *E perſona patris*, a) *ſed h.m., ut ſuam ſubſtantiam illi communicaverit per æternam generationem.* Vnde *Adverſarius* occaſionem arripuit, *fundamentum hujus æternæ generationis* depoſcendi. Quod cum oſtendiſſet *Schrœder ex eo, quod Filius æternus ſit, Col. I. Hebr. I. &c. Ille e contrario reſpectu nativitatis* b) *& propter obumbrationem Sp. S. id fieri perhibuit.* Id vero cum *Schrœder probari* vellet, *nunquam alias ab Eccleſiæ doctrina receſſurus: Vogelius, non eſſe hunc legitimum diſputandi modum*, conqueſtus eſt; *quia h. m. omnia, e.g. mundum ante hunc fuiſſe mundum, fingi queant; Schrœderus* autem, *ab auctoritate humana illud valere*, dixit; *in divinis autem, quia Scriptura teſtetur, Filium æternum fuiſſe, Prov. VIII. &c. plurimum valere hujusmodi aſſertum.* Hinc porro *Vogelius, utrum ex appellatione Vnigeniti generatio illa æterna concludi poſſit,* inquiſivit: Affirmanteque *Schrœdero: Quicunque eſt diciturque Vnigenitus* c) *Patris, is ejusdem eſt cum Patre eſſentiæ* &c. *ſed Joh. I. Matth. XVI.* &c. acquievit. Dein vero *probari ſibi* petiit, *quomodo humana natura Chriſti ſubſiſtat in alio ſine propria perſonalitate?* Quam veritatem adſtruxit *Schrœderus*, inde, *quia in Perſona τοῦ λόγου ſubſiſtat. Dici enim Chriſtum unum Deum, unum Mediatorem* 1. *Tim. II. &c. unde conſequatur, vel unam eſſe eſſentiam, vel*

a) Ita diſerte Hebr. I. 3. χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως ἀυτοῦ dicitur.

b) Seu conceptionem ſingularem in Maria matre virgine.

c) Non tantum unice dilectus, quod & proprietas verborum poſtulat, & dilectionis a filii notione, tanquam conſequentis Matth. III. ult., atque alibi, diſtinctio confirmat. Vt, alios per adoptionem Filios Dei eſſe & quidem plurimos, taceamus, ipſamque ſimul ante Mariam exiſtentiam hactenus ſeponamus, de qua *Joh.* c. I. 1. ſq. itemque comm. 27. & *Chriſtus* ipſe Joh. VIII. 58. (cujus loci detorſionem *Socinianam* in hac Diſputatione ipſos puduit Colloquentes urgere,) teſtantur, & aliam, quam ſupernaturalem illam in formanda Chriſti Humana natura, operationem, (quæ nunquam etiam generatio, ſed obumbratio & ἐπέλευσις dicitur) hujus unigeniti ex patre originem hac voce innui oſtendunt.

unam perſonam; Illud abſurdum eſſe, quia duæ ſunt in Chriſto naturæ, Ergo unam perſonam. *Vogelius* equidem, *duos eſſe filios in Chriſto, Filium Dei & Filium hominis, adeoque duo ὑφιςάμενα, hinc conſecuturum,* exiſtimavit; At *Schrœderus, id minime inde elici poſſe,* demonſtravit, *quod ſint duo filii in una perſona, ſed unus filius in duabus naturis hypoſtatice unitis.* a) Deſerta tandem hac de S Trinitate diſputatione *ad Aphoriſmum XIV.* progreſſus eſt *Vogelius*, ejusque *explicationem* expopoſcit, & *non dubitare ſe: Vtrum Chriſtus legem impleverit, ſed, an pro nobis impleverit, ex mente Piſcatoris, ſe dubitare* non obſcure teſtatus eſt. *Schrœderus* ergo, ut deſideriis ejus ſatisfaceret, *Piſcatorem ſe parum curare*, profitebatur, ipſamque veritatem probabat *ex Rom. V. & VIII.* hunc in modum: *Quæ obedientia nos conſtituit juſtos, illa non eſt tantum pasſiva, ſed etiam activa; Atqui obedientia Chriſti, Ergo.* Confirmationis autem gratia, partim, quod *indefinite l. c. de obedientia ſermo* eſſet, partim, quod *hominum etiam debitum fuerit illa obedientia ob legem præcipientem*, urgebat. Objecit equidem *Vogel: Hinc conſequuturum, partim, idcirco nihil nobis patiendum, partim quoque, quia Chriſtus pro nobis obedierit ſponſor, nihil agendum eſſe.* Sed occurrit huic dubio *Schrœder*, oſtendendo, *aliter rem ſeſe habere, ubi ſponſor teſtetur, debito ſoluto, gratitudinem nobis præſtandam incumbere;* Deinde etiam, *diſtinguendo inter ſolutionem* b) *perfectam & imperfectam, cujus cauſſæ aliæ eſſe posſint, quam juſtificatio, videlicet fidei juſtificatorum declaratio.* Interrogavit contra *Vogelius: Vtrum ingratitudine illa debitum aliquod contrahamus, nec ne?* Cui reſp. *Schrœderus affirmando.* Excepit *Vogel; Chriſtum autem etiam pro omnibus illis peccatis ſatisfeciſſe, quæ poſt reſipiſcentiam commiſſa ſint.* Id *Schrœderus non negavit, ut Peccatum quoque in Sp. S. non excluderet.* Et, *Adverſario fruſtra id factum h. m.* aſſerente, demonſtravit; *Fruſtra non eſſe, quia non acquiſitio, ſed applicatio meriti Chriſti* c) *in his deficiat, quod fiat ex accidenti.* Perrexit igitur *Vogel* de hiſce convictus *ad Aphor. XXXIV.*, & *definitionem*

Fidei,

a) Quod amplius corroborat forma illa loquendi, quando, *qui ex patribus ſec. carnem* dicitur ortus, *Deus ſuper omnia benedictus in ſecula*; Itemque, *Filius hominis* qui appellatur & eſt, etiam *Filius Dei vivi* Matth. XVI. &c. vocatur. In quibus aliisque locis, ut cum λόγος *dicitur caro factus* Joh. I. non in ὑφιςάμενον, quod ut unum idemque deſcribitur, *caro* a λόγῳ, & ſæpe adhuc dilucidius 1. Petr. III. atque Rom. I. a *Spiritu* diſtinguitur, diſtinctæque naturæ in uno, qui ſimul homo ſit & Deus, nominantur.

b) Noſtra ex parte videlicet ex nutu & voluntate Dei præſtandam. Chriſti enim ſolutionem, eamque tanquam *Expromiſſoris*, perfectam fuiſſe, jam ante demonſtratum erat. *Solutionis* ergo vocabulum h. l. pro *obedientia* ſumitur.

c) Requiritur enim, ut poſt καταλλαγὴν etiam τὴν καταλλαγὴν λαμβάνωμεν Rom. V. 11.

Fidei, quod ſit fiducia per & propter Chriſtum, in dubium vocavit. Sed *Schrœder Aphoriſmi XVII.* uberius examen inſtituturus, e *Vogelio* quæſivit, *quid de ſatisfactione Chriſti ſentiret?* a) *Putaretne, per acceptationem ex parte Chriſti, an ſecundum rigorem juſtitiæ factam?* Cui *Vogelius* reſpondit: *Dum Wittebergæ fui, omnem quidem negavi ſatisfactionem, eo quod Chriſtus mortem æternam non ſuſtinuerit;* non obſcure ſcilicet teſtaturus, b) ſe jam cœpiſſe ab ea ſententia quodammodo recedere. Vnde etiam, cum *Schrœderus* ad hæc, *Chriſtum æquivalentem pœnæ mortis æternæ paſſionem ſuſtinuiſſe*, regeſſiſſet; id lubens *Ille* conceſſit, & tantum: *An ex voluntate vel gratia Dei factum ſit?* ſciſcitatus eſt. Cui *Schrœderus: Gratiam nego*, inquit, *quia λύτρον iſtoc filii Dei fuit omnium perfectisſimum. Ille* vero ex adverſo, *hinc ſecuturum eſſe*, oppoſuit, *Chriſtum pro nobis ediſſe & bibiſſe, quæ itidem infinitam vim, ob dignitatem perſonæ, habeant; Schrœderus* autem, *de mediatoriis actionibus nos loqui, non de naturalibus*, c) monuit. Denique, cum *Adverſarius, quomodo peccata noſtra infinita dicantur*, ſciſceret; Idem *Antiſtes* venerandus reſpondit, *proprie non dici infinita, ſed infinitam mereri pœnam, eo quod perſonam infinitam lædant;* d) *In Chriſto vero duplex eſſe infinitum, reſpectu patris placandi, & reſpectu dignitatis perſonæ Chriſti:* e) *Deumque nos dilexiſſe*, addidit, *ante ſatisfactionem Chriſti, ceu ſuas creaturas, odio vero habuiſſe, ut peccatores, atque ita per ſatisfactionem demum placatum eſſe.* Quibus ita diſputatis, tandem ultro *Vogelius, de reconciliatione*, profitebatur, *hæc mea eſt ſententia: Per pretium redemtionis Chriſti Deum eſſe placatum, & Chriſtum pro nobis plene ſatisfeciſſe, uti Theſis Aphor. XVIII. habet.* Eaque confesſione cum contenti eſſent omnes, octavus quoque congreſſus terminabatur. Ex quo, quemadmodum & præcedentibus diſputationibus aperte ſatis, denuo elucere putamus, quam facile fuerit, poſt demonſtratam approbatamque Chriſti æternam divinitatem, cætera quo-

a) Eorum, quæ Peuſchelius moverat, dubiorum (in eodem enim luto utrumque hærere noverat,) haud immemor, &, ne quid ſcrupuli remaneret in animo, ſtudioſus atque ſolicitus.

b) Plura enim non legitur addidiſſe, ſed verba abrupiſſe

c) Forte tamen & has actiones poſt amiſſam imaginem divinam, jusque in creaturas hinc dependens perditum, eatenus, quatenus a Chriſto idem jus reſtitutum eſt, coll. 1. Cor. III. ult., eſſe *mediatorias* dixeris: ut genuinum uſum ſacratum taceamus.

d) Conf. inſtar omnium Rom. II. 22. & 23. coll. Matth. V. 26.

e) Videlicet *placantis*: Æquivalens pretium enim καὶ ἰσόῤῥοπον requirebatur, cui præſtando aliud quiddam & magis τίμιον, quam omnis auri & argenti vis, 1. Petri I. 18. ſqq. deſtinatum aptumque erat.

connexa & confirmare, & in animum pio aſſenſu fidei recipere, ac proinde non injuria iſtius θειότητος inficiationem πρῶτον Socinianorum ψεῦδος haberi.

§. L.

Ad Nonum d. XVIII. Septembr. jam progredimur, in quo conſtituto idem *Vogelius* iterum juſſus adfuit, ut, quæ reſtarent, dubia expoſita excuterentur, initiumque colloquendi ab *Aphoriſmo XXmo, quo adſerebatur, Chriſti corpus poſt reſurrectionem fuiſſe immortale*, factum eſt, & precibus a *M. G. Fabro* more ſolito nunc quoque repetitis, prælectisque Aphoriſmi verbis, *J. Fabritius* hocce, quod ſequitur, argumentum propoſuit: *Omne corpus clarificatum poſt reſurrectionem eſt immortale; Corpus Chriſti hujusmodi eſt, Ergo.* Majorem communivit h. m. *Omne corpus in reſurrectione factum incorruptibile, glorioſum, potens & ſpirituale, eſt immortale; Clarificatum corpus tale eſt &c. Ergo.* Minori vero probando adhibuit *Philipp. III, 21. Vogelius* reſpondit: *Negando corpus Chriſti ſtatim poſt reſurrectionem fuiſſe immortale & glorificatum, idque nonniſi de ſtatu in cœlo poſt aſcenſionem* conceſſit, atque *de eo quoque gloriæ ſtatu Apoſtolum ad Philipp. l. c. loqui* affirmavit; *idemque adeo eſſe ſubjectum, ſed non eadem accidentia*, contendens. Repoſuit equidem *Fabritius, quam naturam Chriſtus habuerit, eam quoque in cœlos aſſumſiſſe, & proinde oſſa atque carnem adhuc habere;* At *Vogelius, humanam naturam a carne & oſſibus diſtinguendo, quatuor eſſe in Syllogiſmo hoc, ſi formetur, terminos*, perhibebat. *Fabritius* igitur porro, *viſuros hoſtes, in quem pupugerint*, a) *adeoque in corpore ſuo comparentem Chriſtum eſſe conſpecturos*, objecit; Sed *Vogel, concedere ſe*, ajebat, *Chriſtum eſſe eundem numero, corpus autem idem eſſe numero, ſe negare*, pertendebat. Quare tandem *Schrœderus* interveniens: *Quænam ergo erit illa forma?* interrogavit. *Ille, humana*, reſpondit. *Schrœderus* contra, *corporis organici proprietatem eſſe, ut ſine carne & ſanguine eſſe non poſſit*, regeſſit, *eo quod membra habeat, & proinde carnem quoque atque oſſa.* Id vero *Vogelius* de eo tantum corpore concedebat, *quod in terris eſſet, non autem, quod in cœlis.* Et *Schrœdero* probationem hujus aſſerti requirente, *ad* 1. *Cor. XV.* b) provocavit, indeque argumentatus eſt: *Quicunque posſidet regnum, carnem & oſſa non habet &c. At Chriſtus &c. Ergo.* Illico autem *Fabritius, carnem & ſangui-*

a) Ad locum Apoc. I. 7. coll. Zach. XII. 10. & Joh. XIX. 39. reſpiciens.

b) Comm. 50, ubi verba leguntur: ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται.

ſanguinem l. c. denotare vitioſitatem naturæ, ſeu rationem humanam, a) *quemadmodum Matth. XVI.*, monuit: Et cum, *rationem humanam h. m. non ingreſſuram regnum cœlorum*, *Adverſarius* exciperet; *de corrupta*, b) *& non regenita, ſe id intellectum velle*, obſervari juſſit. Quam cum *in dubium* vocaret *Vogelius* explicationem, *ad ῥητὸν provocans*, *Schrœdero* occaſionem dedit, rationem, *cur h. l. ab eo recedatur*, reddendi, exinde videlicet, *quod per reſurrectionem corpus Chriſti factum fuerit incorruptibile, quippe cui noſtrum, tanquam normæ reſurrectionis, ſit ſimile futurum, illud vero carnem & ſanguinem poſt reſurrectionem fuiſſe, ex verſ. 39--43. 44. patere*. *Inde* quidem *promanare* putavit *Vogel*, *etiam Chriſti corpus corruptum fuiſſe in morte*; ſed *Schröderus*, *ita digresſionem fieri ab effectu ad cauſſam*, c) animadvertens, petiit, *ſibi vel unicum proferri locum, ubi translatio ex ſtatu animali in ſpiritualem, non per reſurrectionem, ſed adſcenſionem, fiat*, d) *& ſimul quorundam per immutationem, corporum glorificationem conſiderari*, rogavit. Ex adverſo *Vogelius*, *terreni corporis fore immutationem, non ſpiritualis*, objecit, &, cum *Schröderus* denuo, *carnem eſſe aut utriusque corporis ſubſtantialem partem, aut ſubſtantiam mutari*, regesſiſſet; totam diſputationem *ad l. c. 1. Cor. XV.* revocavit, non improbante *Schrödero*. Qui, cum porro, *noſtra Corpora vel per reſurrectionem, vel per immutationem, inde dependentem, fieri immortalia*, docuiſſet, oſtendit, *omne corpus transferendum in cœlos fieri ſpirituale ſeu glorioſum, ante aſcenſionem in cœlos*; *adeoque*

a) Sunt tamen, qui non moraliter, ſed phyſice pro fragilitate corporis accipiant, quia ſequatur φθορά, & conferunt Eph. Cap. VI. 12.

b) Vti clarius Gal. I. v. 16. hæc ipſa formula loquendi accipitur.

c) Hoc eſt, conqueſtus eſt, a reſurrectione hominum, & quæ eam antecedunt, *Vogelium* ad Chriſtum ratiocinari, cum tamen non omnimoda inter eos, & qui ſint *Chriſto* fideles, congruentia locum habeat, niſi & *Chriſtum* perinde, ut homines mortales, in cineres redactum eſſe, quod intra triduum ne quidem locum naturaliter habere potuerit, dixeris; aut, propter ſua etiam peccata eum mortuum fuiſſe, affirmes, & quæ ſunt alia utrinque diſcrepantia.

d) Quippe quæ ſententia eſt *Socini* aſſeclarum: Chriſtum non in reſurrectione, ſed *per adſcenſionem* demum *conſecutum eſſe*, ut *Smalzius* loquitur, *naturæ ſuæ immutationem*, cum quo exaſſe facit, præter cæteros, *Oſtorodus in Inſtit. Germ.* Cap. XLI. f. 392. fin. ſqq. quando: *man kan nicht beweiſen, das Chriſti Leib, welchen er gehabt, da er von den Todten auferſtanden war, unſterblich geweſen ſey*, ſed demum adſcendendo in cœlum id induiſſe, poſthæc docet. Qui & *cauſſam* hujus doctrinæ non ſolum eam prodit, ut ictus argumenti pro *eodem* numero reſuſcitatorum hominum corpore, a Chriſti reſurrectione petiti, declinari posſit; Sed etiam, pro ſua *de S. Cœna hypotheſi* fulcimento ſe ſuosque pugnare, ſine tergiverſatione l. c. f. 390, profitetur. Vnde, quam ſincere de veritate inter *Socinianos* diſputetur, evidentiſſime liquet, & genealogia errorum dilucidius patet.

eoque & Christi corpus, qui cum se discipulis suis palpandum daret ederetque, per dispensationem, testandæ resurrectionis gratia, id fecerit. *Vogelius* autem, *si communis illa lex consisteret, inferendum esse,* ratus est, *idem de semine dicendum esse, quod tamen, cum corrumpatur, non glorificetur.* a) Sed inhæsit *regulæ universali Schröder, &, quia certum sit, omne corpus animale suam habere incorruptibilitatem, vel ex resurrectione, vel ex immutatione, (quæ sit loco resurrectionis) eaque regula accommodetur ab Apostolo ad corpus dominicum, in quo fundetur nostra resurrectio, idem quoque de corpore Christi, post resurrectionem immortali, dicendum esse,* conclusit. *Admisit* etiam *Vogelius* regulam, sed *negavit, illam immutationem factam esse in resurrectione, quia illic adhuc carnem & sanguinem habuerit Christus, nunc vero non habeat, vi loci toties citati 1. Cor. XV. 50.* Iterumque *Schrödero, non esse ea verba* ῥητῶς *de substantia* b) *intelligenda,* urgente, *Enochum Ille atque Eliam* objectavit. Cui *Schröder, extraordinaria esse exempla, & raptum illum fuisse loco resurrectionis,* c) *se autem de lege ordinaria loqui,* regessit, & post pauca alia, cum *Adversarius, non nisi per transmutationem* d) *Christi corpus fuisse spirituale,* constanter contenderet, ita argumentatus est: *Quicquid est tale* (spirituale) *per resurrectionem, non est tale per transmutationem; Sed Christi corpus &c. Ergo, quia transmutatio habeat locum, ubi resurrectio non est. Rom. VI. 9. sqq. &* e) *qualis sit resurrectio nostra, talem quoque esse resurrectionem Christi.* Ad hæc *Opponens: Non omnia, quæ nobis contingant in resurrectione, adscribi posse corpori Christi,* respondit. *Schröderus* vero, *ut indicetur sibi discrimen, inter Christi & nostra corpora,* petiit, *quoad substantiam,* repetiitque argumentum: *Qualis resurrectio nostra, talis & Christi &c. Id* vero *controversum esse,* cum *Vogelius* identidem urgeret, *nostram resurrectionem per omnia esse Christi resurrectioni similem, Schröderus* hoc denuo inculcavit; *de illis tamen, quæ ad resurrectionis substantiam* f) *pertinent,*

a) Illud tamen negari haud potest, quicquid sit de comparationis, quas Paullus spectavit, partibus longius, quam par est, non porrigendis, *excellentius* granum ex *putrefacto & mucido* prognasci, salva & incolumi alia qualicunque convenientia aut differentia, de qua Apostolus in ea similitudine non agit.

b) Et quidem *more Paulli* ita hanc phrasin in Epistolis quoque suis locis jam supra citatis usurpantis.

c) Similemque *quodammodo* futuræ olim superstitum immutationi.

d) Subsequentem nimirum, & *in adscensione demum* supervenientem.

e) Forte conferri duntaxat jussit hunc locum, unde *similitudo* illa eluceat. Fateor enim, me sensum alioquin hujus exceptionis non percipere integrum.

f) Quia *sine putredine* alias & *sua* quoque *virtute ad altiorem,* quam nos expectamus, gloriam vitamque Christus resurrexit & ingressus est.

tinent, ſibi ſermonem eſſe, iterum iterumque ſimul monens. Interloquutus heic legitur *Reichius*, & argumentatus *a corporibus impiorum per reſurrectionem immortalibus redditis, Eſa. LXVI. unde multo magis de piorum corporibus idem illud, ſcil. non per aſcenſionem, ſed reſurrectionem tantia fore,* affirmandum putavit. Sed *Vogel, ſe non de noſtris,* a) *verum Chriſti corpore loqui,* regesſit. Vnde pergens *Schröderus, ex noſtra cum Chriſto ſimilitudine* ulterius eum impugnavit, & cum *Ille, diſpenſationem tantum eſſe factam, ut crederent Apoſtoli Chriſtum reſurrexiſſe, non immortalitatem,* b) aſſeruiſſet; *Schröderus, hanc diſpenſationem non ad carnem & oſſa ſpectaſſe,* monuit, jusſitque *diſerte* adverſarium *ediſſerere: Vtrum Chriſti humana Natura jam in cœlo ſit Spiritus, an vero carnem & ſanguinem habeat?* Quibus rebus *Vogel, non omnem Spiritum eſſe corpus,* ajebat, *cum omnis Spiritus ſit ἄϋλος, ſine materia,* & probare conatus eſt, *Angelos eſſe corporeos, quia ſint diviſum quid, habeantque multitudinem. Schröderus* autem *de iis, quæ ſunt diviſa per Dei ſimplicem voluntatem, minime id conſequi,* oſtendit, *ſpiritumque omnem eſſe immaterialem,* affirmavit. Idque, *negante Vogelio,* ex eo, *quod ſpiritus & corpus ἀντιφατικῶς ſint oppoſita,* demonſtravit. Quam *oppoſitionem,* cum *Adverſarius, tantum ſecundum Theologiam ſcholaſticam veram videri,* ſubjunxiſſet: Ex adverſo *Schrœder, quid ergo de ſua anima Opponens ſentiret,* pronunciare poſtulavit; & jusſit, *utrum corporea ſit?* explicare. *Eamque Spiritum eſſe, Illo* dicente, hinc *animam ipſius, Schrœderus* collegit, *Angelis eſſe præſtantiorem, ſi prior conſiſtat hypotheſis.* At *Vogelius, reſpectu Dei*

a) Nec male; *hactenus* enim *de argumento ex Chriſti reſurrectione* pro noſtra & corpore eodem per eam recuperando diſceptabatur. Intempeſtiva igitur hæc fuit objectio, tametſi per ſe alioquin optima.

b) Prorſum ut *Oſtorodus* l. c. f. 393. „Man „muſs aber aus der Auferſtehung Chriſti „nicht den modum und die Weiſe unſerer „Auferſtehung ſchlieſen : ſintemal es nœtig geweſen, das Chriſtus alſo auferſtünde, „damit ihn die ſeinen kennen und von ſeiner Auferſtehung Zeugnus geben kœnnten. Es hætt ihn aber niemand kœnnen „kennen, wo er nicht denſelben Leib, den „er zuvor hatte, nach der Auferſtehung gehabt hætte. Daher es auch vonnœten „geweſen, das er kenntliche Zeichen hætte der Wunden. - - - Aber wir halten es dafür, das niemand ſo ſchlecht ſey,“ der nicht verſtehe, das in einem unſterb-“ lichen und glorificirten Leib ſolche veſti-“ gia und Mal-Zeichen warhafftig nicht“ ſein kœnnen. &c.“ Quidni vero? Nonne etiam cicatrices vulnerum ceu inſignia *trophea* etiam in martyribus, uti in Chriſto, eſſe poterunt? Diſtinguatur ergo imbecillitas naturæ ab œconomia ſapientiæ & voluntatis divinæ liberæ, & res omnis ſalva erit. Apoſtolus certe de corporibus, ἐν δόξᾳ, non ἀτιμίᾳ, reſurrecturis haud obſcure hujusmodi quid teſtatur, omnesque conſpecturos eſſe Chriſtum, quem *confoderunt* flagitioſi hoſtes, non ſine cauſſa in *Apocalypſi* ſua *Johannes* inquit, clariusque ἀρνίον ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον in gloria Apoc. V. 6. conſpectum demonſtrat.

angelos corporeos dici, *& ab ipso Schrœdero concedi compositos, adeoque non puros esse actus*, instititit. Cui præclarus iste *Theologus*, *certum tantum compositionis modum, subjecti & accidentis, se illis tribuere*, reposuit. Et cum *inde* quoque exsculpere *Adversarius materiam* laboraret, *exemplo animæ nostræ* eum refutavit, iterumque, postquam *Iste* ad *existentiam animæ in materia* provocaverat, *ad animam separatam* vicissim provocando, quod dixerat, confirmavit. Quo facto *disputationis Paullinæ explicationem*, missis prioribus, a) expetiit *Vogelius*. *Schrœderus* igitur: *Rationem primam*, inquit, *desumsi ex lege communi; secundam jam sumo ex contextu versus 50. Caro & sanguis &c. Vbi verba consequentia indicant, quomodo antecedentia sint intelligenda, videlicet de carne & sanguine corruptionis. Corruptibile enim*, dicitur, *non induet incorruptibilitatem. Hic habes*, addebat *Schrœderus*, *manifestam declarationem Apostoli, & licet non possint ingredi respectu corruptibilitatis*, (ita enim interea exceperat *Vogel*) *tamen ingredi possunt respectu incorruptibilitatis*, *Idem* subjiciebat. *Vogelius* contra, *omnem carnem esse fœnum ex Esaiæ cap. XL.* objecit; sed *Schrœderus* illico, *id hac de vita* b) *intelligendum*, docuit, & cum *Adversarius*, *rem ad λογομαχίαν devolvi*, dixisset, amplius, *de re ipsa & de modo hic agi, quatenus corpora per corruptionem fiant incorruptibilia*, commonstravit. At denuo *Vogelius*, *sublato accidente, quod fluat ex substantia, etiam substantiam tolli*, reposuit, *Schrœderus* autem, *philosophicum esse argumentum, quod in natura valeat, nosque de Dei potentia loqui*, eum commonefecit, & *probare* insuper jussit: *an corruptibilitas fluat ex substantia, cui asserto angelorum perfectio adversetur.* Instantiam itaque hanc obiter carpens *Adversarius*, *esse incorruptibiles angelos, eo modo, quo cœlum*, ait, atque missis hisce, denuo *ad Apostoli verba: Caro & sanguis &c.* Dominum *Schrœderum* revocavit. *Qui, Ego*, inquit, *insisto Apostoli verbis: Etiamsi enim caro & sanguis diversimode in Scriptura accipiuntur, hic tamen intelliguntur de carne corruptibili, quia corruptio incorruptibilitatem non, dicitur, accipiet*, c) & *tertiam*, ait, *affero rationem ex vers.*

a) Tanquam digressionibus & ad λογομαχίας tandem redeuntibus subtilitatibus: præsertim cum non πνεύματα, sed tantum πνευματικὰ, ratione qualitatum, beatorum fore corpora l. c. Apostolus ajat.

b) Etenim de hominibus, ad quos hæc concio habenda erat, mortalibus l. c. sermo fuit, qui verbo hinc Dei æternum duraturo opponuntur, & perinde ut flores, in hoc sane mundo emarcescentes, corrumpuntur.

c) Quam diu nempe in hac conditione corruptibili perseverabit; idem tamen, seu, ut Apostolus loquitur, τοῦτο τὸ φθαρτὸν comm. 53. τὴν ἀφθαρσίαν (ut sit maneatque nihilominus idem illud, quod antea & nunc est,) καὶ ἀθανασίαν induet, coll. 2 Cor. V. 1. sq.

verſ. 53. 54. *ubi idem videmus ſubjectum, cujus duo ſunt adjuncta, corruptibilitas & incorruptibilitas, mortalitas & immortalitas.* Novo ergo inſurrexit *Vogelius* argumento: *Omne, quod eſt terrenum, eſt corruptibile: Omnis caro & ſanguis &c. Ergo.* Solvit autem ambiguitatem feliciter *Schrœderus*, & *vocabulum terrenum, vel de ſubſtantia dici, vel de conditione terrena accipi*, atque *de poſteriori, qualitate*, a) *Apoſtolum heic loqui*, oſtendit. Iterum *Vogelius, agere Apoſtolum de corporibus reſurgentium, quæ prius fuerint corrupta, quod putabat in Chriſtum non convenire. Schrœderus* vero, *de corpore mortuo eum diſſerere*, monuit, *non de corruptione; aliud proinde mortem eſſe, aliud corruptionem;* Enimvero denuo *Adverſarius* excepit, *de morte ſeminis eum loqui*, quæ *nihil aliud ſit quam corruptio.* Cui *Schrœder* occurrit pervulgata regula: *Simile non eſſe latius extendendum.* At nondum *opponens* acquievit, ſed, *quemadmodum ex ſemine aliud corpus fiat, ita quoque in reſurrectione idem fieri*, arbitratus eſt *conſequi.* Expeditisſime autem *Schrœder* ſolvit nodum, monſtravitque, *non alio fine ſimile illud a Paullo adduci, quam quo & exemplum graduum ſtellarum* b) proferat, *non ut oſtendat diverſitatem ſubſtantiæ, ſed gloriæ & ſplendoris. Ille* ex adverſo, *veritatem reſurrectionis ut demonſtret, eſſe ſcopum Apoſtoli.* Contra *Schrœderus*, non eſſe hunc c) *ſcopum, ſed corpora alia aliis fore glorioſiora*, docuit, *quod eluceat ex vocabulis ποῖος, τοιοῦτος, quæ qualitatem utique denotent.* Amplius *Vogelius:* Ποῖος *alias pro accidente, alias pro ſubſtantia, accipi. Schrœderus* autem, *proprie de accidentibus uſurpari, uti & hic de corporum qualitatibus ſumatur;* d) *Contrarium ergo probandum eſſe*, dixit.

a) Alias ſane, quando ψυχικὸν *prius* eſſe corpus h. e. animalibus proprietatibus, quæ ſunt corporum ab anima ſua gubernatorum & ſec. œconomiam animalem nutritorum, dicitur, non potuiſſet πνευματικῷ opponi, niſi, vel *nunc* eſſe hominem meram ψυχὴν, vel inpoſterum merum πνεῦμα fore, affirmare velis. Quæ cum ſint abſona, non niſi de *vita ſpiritibus cœleſtibus ſimili*, quam Chriſtus ἰσαγγελότητα vocat, h. e. *de qualitate corporum*, hactenus perfectiorum, ſermonem eſſe apparet.

b) Sin ſecus, *vita* quoque *deſtitutum* fore corpus, in beatitudine conſtitutum, uti ſtellarum, concedendum eſſet: ut alia abſurda taceamus, cum v. g. *ex uno grano plura* naſci nemo ignoret.

c) Nimirum *præcipuum & in poſterioribus commatibus*, ubi de qualitate corporum ſuſcitatorum agat; nam, *ab initio* de ipſa quoque reſuſcitatione ex morte diſſeruiſſe Apoſtolum, nemo dubitat, &, ad poſtremum quoque ad eam, ſeu cauſſam potius reſurrectionis, cum gratiarum devota actione reverti, palam eſt.

d) Conf. Joh. X. 33. XVIII. 32. Matth. XXI. 23. 24. ſq. Act. VII. 49. Et quamvis interdum pro *Quis* occurrat, vix unquam tamen de ſubſtantia legas uſurpatum, ſed de meris accidentibus v. g. *hora, poteſtate*, & ſimilibus.

Vogelius porro, similitudinem istam velle, corpora nostra prius debere corrumpi, postea resurgere, opposuit; *At enimvero, restat,* inquit *Schrœderus, de præstantia corporum redivivorum quæstio. Vogelius* ad hæc, *resurgent,* ait, *tali corpore, ut prius corrumpatur, & resurgat novum. Schrœderus: Nego,* pergit, *novum corpus* a) *resurrecturum. Qualis enim diversitas inter corpus crescens & granum: talis est diversitas inter corpus animale & spirituale. At corpus excrescens ex grano longe præstantius est putrescente. Ergo. Talia igitur erunt corpora nostra his præsentibus præstantiora.* Hinc, *qualia ergo sint corpora spiritualia,* sibi expoposcit tandem *Vogelius* explanari. Explicaturus itaque Apostolum *Schrœderus, fore,* dixit, *ἰσάγγελα, immortalia, agilia, non habentia opus cibo & potu, conjugio & aliis ad vitam vegetantem pertinentibus.* b) Verum, *id sibi haud sufficere, Vogelius* obvertit, *quia videatur Apostolus istam collocare non tantum in qualitate, sed & substantia,* atque inde ratiocinatus est: *Qua ratione factus est Adam in animam viventem, & nos futuri sumus in Spiritum viventem; Ille secundum substantiam &c. Ergo. Schrœderus* confestim: *Ubi,* quæsivit, *dicitur, nos fore in spiritum vivificantem?* Probaturus itaque *Adversarius,* novum struxit argumentum: *Quicunque accipiet corpus spirituale, ille fiet in spiritum vivificantem; At homo &c. Ergo. Ubi sane,* inquiens, *Spiritus vivificans, non accipitur efficienter, sed pro vita ipsamet in sese.* Sed iterum *Schrœderus* negavit majorem, *solumque Christum esse factum in Spiritum vivificantem, quia vivificare sit idioma Dei,* c) docuit. At *Vogelius* excepit: *Quemadmodum Apostolus a corpore animali procedat ad animam vivificantem, ita & nobis a corpore naturali ad corpus in spiritum vivificantem progredi licere.* Ostendit autem vicissim *Schrœder, male intelligi Apostolum, qui* 1) *de corporum præstantia loquatur,* 2) *progrediatur de ordine corporum nostrorum,* 3) *non de substantia agat, sed imagine: quæ omnia ad qualitates pertineant.* Rursus *Vogelius: Atqui substantia non est excludenda,* ait. *Recte,* ad hæc ait *Schrœder; sed successive contraria esse possunt in una substantia accidentia;* d) *In nostris corporibus jam est*

a) Quantum ad substantiam, etsi nova prioris sit ea, cujusmodi tabernæ de novo exstructæ, & perfectior positio.

b) *Qualia* fore ab ipso Paullo Christoque 1. Cor. XV. 42. sqq. & Luc. XX. 36. docetur.

c) Aliud profecto est *πνευματικὸν*, aliud *πνεῦμα ζωοποιοῦν*, de quibus distincte l. c. agitur. Unde mox in progressu a fonte ad effectus stylus invertitur, & quod Christo capiti *θεανθρώπῳ* singulare, comparato videlicet cum Adamo primo, tributum est, nemini hominum merorum, sed *spiritaales* perfectiones in *eodem* redivivo corpore adscribuntur.

d) Hoc est: Apostolus non negat, *substantiam* fore nostra corpora, sed *non novam,*

eſt animalitas, ibi erit ſpiritualitas. Hinc *ad hominem quidem pronomen, Hoc, referendum* cenſuit l. c. *Vogelius;* Enimvero, *de corporibus hominum loqui Apoſtolum, Schrœder* ſubmonuit. *Ille, de corporibus reſurgentium ſermocinari,* dixit. Addidit autem *Schrœderus: Ad aliquam hominis partem, corpus videlicet, verba manifeſto reſpicere, & conſiderandum eſſe ſcopum Apoſtoli, cujus intentio ſit, demonſtrare: Prout primus Adam erat naturalis, & deinde ſequebatur ſpiritualis: ita noſtra corpora prius terrena, dein ſpiritualia fore.* Simul vero, *quid de transfiguratione Chriſti Matth. XVII. ſentiret, Diſſidentem* interrogavit, *ubi gloria illa ſubſtantiam non abſtulerit.* Ad quam quæſtionem *Vogel: Quod attinet,* inquit, *argumenta de cibo & potu, itemque cicatricibus, ea non magnifacio; ſed quia video locum habere diſpenſationem, quæro, cur non poſſim dicere, Chriſtum etiam factum eſſe carneum & oſſeum per diſpenſationem?* Cui recte *Schrœder* regesſit: *Edere & bibere eſſe actiones naturales, carnem autem & ſanguinem ſubſtantiam.* a) Idemque porro exploravit *Adverſarium, quid ad illud argumentum reſpondere placeat; quod Chriſtus etiam in ſtatu gloriæ dicatur nobis dare ſuam carnem & ſanguinem, 1. Cor. XI. &c. Nullum* vero *eſſe hoc argumentum Vogelius* contendit, *quoniam eo modo id fieri posſit, quo potuerit dare carnem ſuam in menſa ſedens.* Aſt, *diverſam eſſe rationem, Schrœderus* excepit; *Nam ex Photinianorum mente tum carnem adhuc fuiſſe, jam deſiiſſe. Si dedit,* (ita pergebat optimus *Antiſtes) aut eandem carnem, aut aliam dedit; Si eandem, habet ergo adhuc poſt exaltationem; ſi aliam, ergo non ſuam.* b) Reſpondit ad hanc objectionem *Vogelius,* diſtinguendo *inter corpus phyſicum & myſticum.* Sed *Schrœderus* contra, *ſi corpus & ſanguis Chriſti diſtinguantur, id fieri non ratione proprietatis naturalis corporis, ſed ratione officii ſeu ſacrificii.* c) Hinc *Vogel: Ergo veſtra ſententia eſt,*

 habi-

verum priſtinam, novis tamen qualitatibus *indutis* veſtitam. Non igitur a reſurrectione excluditur ſubſtantia, ſed ἀπὸ καινότητος, cujus tantum recipiendæ, & quidem eadem ac per ſe non nova, ſubjectum in reſurrectione exiſtet.

a) *Diſpenſationem* ergo non ad ſubſtantiam, quia alias ἀνάστασις *reſurrectio* τῆς πεπτωκότος στάσις altera dici non poſſet, ſed *ad* actiones & *acceſſoria* χαρίσματα pertinere, innuens; quæ, incolumi ſubſtantia, adeſſe & abeſſe posſint, pro diſpenſantis libera ordinatione.

b) Quam in S. Cœna manducari, ſacramenti in modum, at vere & ſec. ſubſtantiam reapſe præſentem, non ſolum Chriſtus ſuperſtes in terris, ſed iisdem etiam verbis ſæpius repetitis Apoſtolus 1. Cor. X. & XI. affirmat. Vtrobique vero eandem, quæ pro nobis tradita eſt, carnem, &, qui effuſus in cruce, ſanguinem, *tametſi non in eo ſtatu,* eandem tamen qua ſubſtantiam, accipi, ut edantur & bibantur, addocetur.

c) Ratione effectus; in cœlo autem & in S. Cœna de ipſa ſubſtantia ſermonem esſe, nec myſticum quid, niſi ratione effectu-

habituros nos eadem corpora quoad ſubſtantiam, non autem quoad qualitates, & diſtinguendum inter τῦτο *ac* τοιῦτό*? Schröderoque* hæc *approbante*, novam *Ille* difficultatem movit *ex Luc. XXII. Non amplius bibam &c.* quærens: *annon ad manducationem & bibitionem poſt reſurrectionem referri id poſſit?* Id vero *negavit Schröder*, *quia falſo alioqui dixiſſet Petrus, quod cum Chriſto poſt reſurrectionem ederint &c Act X*, 41. *Referenda ergo eſſe ad ſtatum exaltationis.* Sed *Vogel*: *Vel intelligi*, ajebat, *illam potionem poſt reſurrectionem, & ſic litteralem eſſe, vel de gaudio cœleſti, & ſic eſſe tropicam.* a) *Schrödero* autem *poſterius* eligente, aliquandiu meditabundus ſiluit, ut jam poſt longas ambages videretur victas manus daturus. Sed, poſtquam *Fabritius*, *utrum conſentiret*, *cum his XXXVI. Aphoriſm.* interrogaverat, denuo *ad* 1. *Cor. XV. Vogel* relapſus eſt, atque h.m. inde argumentatus: *Quorumcunque corpora diſſolventur & abolebuntur, illi in reſurrectione non reſurgent corpore, quoad materiam eodem: Atqui corpora noſtra &c. Ergo. Corpus enim abolitum non poteſt redire numero & materia idem.* Reſpondit autem *Schrœder, per potentiam naturæ id quidem fieri haud poſſe, attamen per potentiam ſupernaturalem Dei. Ille* contra: *Aſt corpus omnino abolebitur. Hic* viciſſim: *Reſtituetur autem abolitum Job. XIX. 1. Cor. XV. &c.* Porro *Vogelius*: *Non videri h.m. reſtitutionem, ſed novam ædificationem; Schrœderus* ſimiliter, *ſed non*, inquit, *aſſumetur novum corpus, ædificabitur enim homo non quoad novam ſubſtantiam, ſed qua novas qualitates.* b) Juſſit autem *Vogel* inſpici 2. *Cor. V. 3. ubi videatur Apoſtolus dubitare de novo corpore induendo. Schrœderus* vero, *loqui illic Apoſtolum de eo indumento*, repoſuit, *de quo Apoc. XIX. 8. ubi de indumento juſtitiæ ſermo ſit, absque qua, ſi nudi reperiamur, non poſſemus indui gloria nova.* Inſtabat *Vogelius*, & 1. *Cor. VI. eundem innuere Apoſtolum, hoc noſtrum corpus omnino debere aboleri, quemadmodum eſca omnino abolebitur, & ſi eſcam, ergo & ventrem, ac proinde totum corpus deſtruendum*, concludebat. Sed confeſtim etiam huic ictui occurre-

um locum (modus enim præſentiæ in S. Cœna ſupernaturalis potius dicitur) habere, volebat his verbis innuere *Schrœderus*.

a) Eamque *uſitatam* Chriſto: qui aliquoties vitæ æternæ deſcriptionem hac phraſi, ab eſu & potu deſumta, dedit: quam ob cauſſam, cur hoc loco littera deſeratur, liquet.

b) Commodius forte & compendioſius etiam, ædificationem novam eſſe reſtitutionem, dici poteſt. Quis enim tabernam ex mercatu priori ſuperſtitem, ſed deſtructam & disjectam, reſtitui dubitet, ſi proximis nundinis eadem, iisdem partibus conſtans, conquiſitis compactisque, & nitidius quidem quam antea inſtauretur? Idem vero, ubi de corpore humano ſermo eſt, non in nihilum ſane, ſed pulverem tenuisſimum redacto, divinæ omnipotentiæ tribui poſſe, ut priſtinum corpus nova compoſitione reſtituat, & perfectius quidem, quam antea, nemo, opinor, negabit.

currebat *Schrœderus*, oſtendendo, *uti venter ſignificet aut ſubſtantiam aut relationem*, a) *quoad eſcam; ita hanc, non illam abolitum iri. Idque ex conſiſtentibus aliquando a dextra ac ſiniſtra Chriſti judicandis patere* ajebat, *qui ſitus ventrem dextramque indicet. Vegetantis itaque animæ operationes ceſſaturas, non ipſum ſubjectum: præſertim quod Chriſtus eo corpore rediturus dicatur, quo abierit* Act. I. Equidem, *nec ſimilitudinem Matth. XXV. huc usque extendendam*, exiſtimavit *Vogel*, & quod ad locum Act. I. *ſatis eſſe, videre Chriſtum, quocunque redeuntem modo, etſi non in omnibus, quibus diſceſſit, videatur*; Sed *Schrœderus* ex adverſo verba: *Sicut vidiſtis abeuntem*, urgebat, & *Stephani quoque videntis Chriſtum a dextris Dei ſtantem Act. VII. Johannisque, illum, qui fuerat mortuus, ſpectantis, meminiſſe* jubebat. *Adverſarius* autem, *has viſiones huc non pertinere*, judicabat, *quia alias Deus Pater in Virum ſenem eſſet transformandus; atque adeo Chriſtum etiam hunc in modum tantum fuiſſe utrique repræſentatum. Schrœderus* autem *aliter ſentiendum* putavit *de Chriſto, quam Patre, quippe qui neutiquam, ut Filius, homo factus ſit.* Admiſit ergo tandem *Vogel, Chriſtum habere carnem & ſanguinem; ſed cum diſtinctione inter corpus τῦτο & τοιῦτο*, & contra eſum Carnis Chriſti in S. Cœna *ex Joh. VI.* ſequentem in modum argumentatus eſt: *Quæ manducatio nihil prodeſt; illa non eſt inſtituta in S. Cœna; Atqui Carnis Chriſti &c. Ergo.* Minorem probaturus adduxit *ipſius Chriſti verba l. c. verſ. 63.* b) &, cum negaret *Schrœder*, h. l. *de Carne Chriſti* ſermonem eſſe, *Opponens* porro *ad ſcopum totiesque in eodem capite nominatam carnem & ſanguinem Chriſti* provocavit. Opponebat quidem viciſſim *Schrœderus verſ. 55. ubi carnem ſuam vere eſſe cibum &c.* afferat, ac præterea notari volebat, *quoties Chriſtus de carne ſua loquatur, pronomen Mea, additum eſſe*, ac denique *vi oppoſiti ſpiritus carnem heic non ſubſtantiam carnis, ſed carnalem intellectum & affectum* c) denotare. Conabatur vero primam rationem refellere *Vogelius*, τὸ edere *verſ. 55. per credere κατὰ διάνοιαν* explicando. At *Schrœderus* concedens, *Chriſtum Joh. VI. de fidei manducatione loqui*, urgebat, ſi *phraſes, carnem Chriſti edere & vivificam eſſe, carnemque nil prodeſſe, de eadem carne accipiantur, quæ ſit mens Adverſarii, prorſus id repugnare.* d) Amplius *Vogelius, primam earum ſpiritualiter, alteram vero ſacramentaliter, prout Capernaitæ putabant*, regerebat, *intelligi oportere;*

a) Seu *Vſum*, quem eſcæ recipiendæ & digerendæ præbet, qui omnino abolebitur.

b) Τὸ πνεῦμά ἐςι τὸ ζωοποιῦν, ἡ σὰρξ ὐκ ὠφελεῖ ὐδέν.

c) Vti Gen. VI. 3. Joh. III. 6. 2. Cor. I. 17. Rom. VIII. 1. 2. ſqq. Gal. V. 16. ſq.

d) Ac proinde de diverſa carne ſermonem eſſe l. c.

tere; Aſt promte oſtendebat *Schrœderus, manducationem Capernaiticam non eſſe oris ſacramentalem, ſed modum manducandi carnem Chriſti vivificam naturalem, qui modus non tollat modum inſtitutum in Cœna Dominica: Firmum itaque manere, nusquam de carne Chriſti dici, quod non proſit quidquam.* Quibus pronunciatis interrogavit *Vogel, quid ergo ſit inter Capernaiticum modum & oralem differentiæ?* Cui *Schrœderus: Capernaiticus,* inquit, *eſt phyſicus, oralis eſt ſupernaturalis; diſcrimen non eſt in ore, ſed in modo;* adductisque aliorum de verſ. 63. opinionibus, a) ſuam *de affectu & intellectu carnali* explicationem denuo confirmabat, *quia nusquam de Chriſti carne legatur, quod non proſit, & de qua dubium non ſit, quin & in morte, immo in ſepulchro, ubi omnium minime nobis profuiſſe viſa eſt,* profuerit. Objiciebat vero hisce *Vogelius oppoſitum ſpiritum,* &, *quicquid hic v. 52. legatur, de ſpirituali modo intelligendum eſſe,* opinabatur innui. Contra *Schrœder: Quod pugnat cum hoc c. VI. Joh., univerſa Scriptura, & ipſa littera, non eſt recipiendum. At tua explicatio. &c. Ergo.* At denuo *Vogel: Verba Chriſti diſerte vocari ſpiritum,* arguebat *ex verſ. 63.* Verum *Schrœderus, id propterea fieri,* monſtrabat, *quia per ſpiritum dictata & per ſpiritum accipienda ſint.* Huic explicationi *obſtare,* putavit *Vogelius, diſcipulorum de illa comeſtione diſputationem, qui tamen habuerint ſpiritum;* ſed eam mox diluit difficultatem *Schrœder,* oſtendens, *& diſcipulos adhuc habuiſſe carnem, quæ non intelligebat, quod erat ſpiritus.* Exinde porro ſciſcitante *Adverſario, quid ergo per carnem intelligatur? Hominem carnalem* docuit *Schrœderus intelligendum, teſte Luthero, dicente: Vbicunque caro opponatur ſpiritui,* b) *ibi hominem carnalem non renatum intelligi: jusſitque iterum probare diſſidentem, carnem Chri-* *ſti*

a) Inter quas haud dubie ea quoque fuit, qua, ut nuper admodum nonnemo in *Annott. ſelectis ad N. T.* exiſtimavit, & olim quoque nonnulli ſibi perſvaſerunt, Chriſtum docere voluiſſe, arbitrantur: *Carnem ſuam non habere illa axiomata divina, quale eſt ζωοποίησις, per naturam, ſed per unionis perſonalis gratiam,* ita, ut caro h. l. in ſe & extra indiſſolubilem unionem cum illo Spiritu (divina Natura, coll. Ebr. IX. 14. 1. Petr III. 18. Rom. I. 4.) ſpectata nihil prodeſſe dicatur, ad illam, de qua loquitur Chriſtus, vivificationem. Quæ ſententia non eſt inconcinna, &, unde effectus verborum Chriſti oriatur, haud ineleganter declarat. Quoniam vero & caro ſimpliciter nominatur, cum alias conſtanter *ſuam carnem* Chriſtus vocet, & illa limitatio *per ſe & ſuapte* natura abeſt, neque quicquam inſerere orationis contextui licet, nobis quoque illa *Schröderi* ſententia probatur, verbaque ſequentia de ſupernaturali luce & operatione, qua ad fidem opus ſit, ad rationem ſ. carnem laſcivientem compeſcendam, intelligi oportere manifeſtum eſt.

b) Quando *de hominibus meris* ſermo inſtituitur; aliter enim de *Chriſto* ſentiendum eſſe, paullo ante docuimus, & integro libello a *Joh. Phil. Storrio,* Heilbrunn. Antiſtite, oſtenſum eſt.

sti his verbis significari; sicut ipse contra, quod non sit h. l. intelligenda, demonstratum dederit. Nondum vero *Adversarius* acquievit, sed denuo ratiocinatus est: *Cujus comestionis nulla potest utilitas in Cœna monstrari, illa non est instituta in Cœna: Atqui Corporis & Sanguinis Christi in Cœna &c.* Ergo. Cui *Schrœderus* vel solum *1. Joh. V. 6. 7.* opposuit *locum, ubi habeatur: Sanguinem Christi testari in his terris; eamque, si alia nulla esset, vel solam amoris declarationem sufficere,* dixit. *Idem* vero *controversum esse, quod sit in amoris signum datum*, perhibente *Vogelio*, *miratus* est *Schröder*, *hoc ei in mentem venire posse, cum sit omnium confessione signum amoris, dare suum corpus & sanguinem.* a) Cui, cum *Vogel* obtenderet, *datum esse a Christo in sui memoriam*; *Ille*, *& hoc donum esse*, ulterius affirmavit, *præsertim quia non sit recordatio simplex & tantum C. & S. Christi, sed etiam mortis Domini 1. Cor. XI.* Ad quæ iterum *Vogelius*, *solum esse & unicum finem recordationem*, excepit, *duos autem fines illos, fidei confirmationem & remissionem peccatorum, se pervidere non posse.* Verum *Schröderus*, *non opus est*, inquit, *ut tu videas, satis est, si viderit Christus. Quicquid enim facit ad confirmationem fidei, idem etiam facit ad remissionem peccatorum &c. Recordatio certe illa non est nuda.* b) Quibus auditis *Vogelius*, *nihil differre sententiam Photinianorum a nostra* existimavit, *quoniam & illi doceant, institutam esse Cœnam S. ad annunciationem mortis Domini coram omnibus, quæ sit gratiarum actio.* c) Enimvero denuo *Schröderus*: *De substantia Cœnæ nos haud convenire, quicquid sit de fine*, dixit. *Neque recordationem esse solum finem, neque etiam nudam & historicam commemorationem, sed salutarem, quæ sine inflammatione fidei* d) *fieri non possit.* Rursus autem

a) Miramur & ipsi, de testimonio amoris ardentissimi per sanguinem Christi dato dubitare potuisse *Vogelium*; quo tamen ejus quoque effusionem in cruce perquam liberaliter factam a *Socinianis* referri, & loca Scripturæ, quibus sanguis ille nos reconciliare & a peccatis emundare dicitur, de testificatione explicari constat. Sed ad S. Cœnam forte respexit Opponens, & *conjuncta* opposuit, quem, vel ex recordatione signum illud amoris simul elucere, oportuerat intelligere.

b) H. e. *inefficax*, ex intentione etiam Christi, sed ad beneficii hujus communicationem efficacissima. Historicam ergo & *mere historicam* recordationem *Schröderus* nudam vocat.

c) Hæc ipsa vero *gratiarum actio beneficii nobis* præstiti, & hoc signo confirmati, tanquam *nostri* aut *ad nos* spectantis fidei quoque corroborationem includit, & simul fieri condocet.

d) *Ad se* profecto, aut *eum, qui credit*, illam remissionem peccatorum, cujus gratia effusus est sanguis, quem bibere jubemur, *pertinere*, recte judicantis. Vnde, velut ex *singulari* applicatione non potest non, certe debet, fidei stabilimentum novum prognasci.

Vogelius, ἀνάμνησιν *nihil esse quam commemorationem*, subjecit; At *Schröderus*, *illam proprie esse recordationem*, *quæ etiam fiat mente; hanc vero sequi commemorationem*, regessit: *Illam intus: hanc prolatione oris fieri; Multos enim tacite factorum recordari. Quodsi ita sit*, hinc *Vogelius*, *non opus esse*, *ut in templo celebretur*, collegit. *Schröder* autem: *non opus esse*, regessit, *semper commemoratione in ipso actu*, posse *enim eam fieri domi*, *orando*, *legendo*, *cantando*: *Esse enim illam subordinatam recordationi.* Sed porro *Vogelius*: *istum*, inquit, *finem habere possumus*, *etiamsi C. & S. non comedamus &c.* Cui: *Bene est*, respondit *Schröder*, *finis est universalis*, *sed non medium.* Iterum *Vogel*; *Christus dicit*: *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis datur*, *ergo non instituit ad fidei confirmationem.* Recte autem *Schröderus* aurem illi vellicavit, *nostrumque non esse* admonuit, inquirere, *quare hoc vel illud sit necessarium*, *sed*, *quod Christus voluerit*, *satis nobis esse debere*, *quia consiliario non opus habeat. Esa. XL. Rom. XI. &c.* Eaque occasione a) cœptum est dehinc disputari de litterali verborum institutionis sensu: Et cum *probare sua Adversarium* juberet *Schröderus*, tanquam eum, *qui recedat a littera*; *Vogelius* sequens argumentum in medium protulit: *Vbi verba important absurdum*, *ibi recedendum est a littera*; *Sed* τὸ ῥητὸν *in S. Cœna &c. Ergo.* Verum *Schröder* ex adverso: *Cui importent*; videlicet *rationi*, *adversariis &c.?* quæsivit. Hinc *Vogelius*: *Scaligerum*, inquit, *multa ex Rabbinis proferri loca posse*, *dixisse memini*, *ubi vocabulum est non ad sensum litteralem*, *sed ad totum contextum referatur.* Ad hæc *Schröder*: *Quid ad nos Rabbini? Nos respicimus verba & institutionem Domini. Si in Cœna Paschali fuit manducatus typus*, *utique & in S. Cœna N. T.* ἀντίτυπος: *Nam veteres* σκιὰν, *nos* τὸ σῶμα *habemus ipsum Hebr. X*, 1. Verum etiam *Vogelius*: *Possumus & nos*, inquit, *in Cœna habere* σῶμα, *ut illi* σκιὰν *habuere*; *sed quemadmodum illi memoriam habuerunt agni paschalis*, *ita & nos habemus significatione Christum.* b) Ad quæ *Schröder*: *Negatur hoc*, *habuerunt illi agnum paschalem*, *tanquam typum*, *nos ipsum corpus*, *tanquam* ἀντίτυπον. c) *Ejusmodi tropologiis non est faciendus*

a) Postquam de *finibus conjunctis*, & ab ipso quoque Sp. S. distincte memoratis Matth. XXVI. & 1. Cor. X. atque XI., satis videbatur dictum, evictumque, confirmationem fidei non solum non repugnare recordationi, sed hanc illi potius, ut medium, destinatam esse divinitus, atque ad hunc usum inservire.

b) Vt illi nimirum *exhibendum*, ita nos *exhibitum*, ad præteritum respiciendo.

c) Neque enim *Script. S.* differentiam temporis, sed *rem ipsam cum umbra comparat*, & Christus etiam ei corpus suum, ut habetur Hebr. X. 1., substituit, non umbram cum umbra commutavit; etsi sub externo & conspicuo quodam signo illud, sed vere,

dus fucus; Ego si incido in aliquem articulum fidei, & video litteram, in illa acquiesco, tanquam in anchora tutissima. Si indulgerem tropologiis, ventis me committerem. Addidit & *Fabritius: Videndum quoque est, ne protrahendo tempus mansuetudine Dn. Dn. Scholarcharum abutamur;* Atque hinc: *Quæ ergo tua est, Dn. Vogeli, de Cœna Domini sententia?* interrogavit. Ad hæc *Vogel: Si fieri potest,* ait, *peterem, ut liber mihi hac de re concedatur, quo possim ea omnia, quæ sunt in controversia, altius considerare. Schröderus* igitur: *Libenter,* inquit, *per nos fiet, quoscunque etiam libros desideras.* a) Et *Vogel* denique subjecit: *Peto etiam, si fieri poterit, crastinum conventum. Nam multos adhuc scrupulos habeo de Divinitate Christi, qui nisi mihi eximantur, conscientiam pacare non possum. Quoad articulum de Cœna, non magnifacio rationes vestræ contrarias sententiæ.* Cui iterum *Schröder: Persuasum habemus, te nobiscum de veritate corporis, nec non de Divinitate Christi sentire. Certe quicunque adoratur, ille est verus Deus. Certissima hæc est propositio de persona.* Et licet *caro Christi quoque adoretur, fit tamen adoratio illa non simpliciter, & per se, sed propter ὑπόστασιν illius,* b) *cum qua est unita. Interim, si placuerit Magnif. Dnn. Scholarchis, denuo conveniemus libenter, nulli dubitantes, quin dubia & scrupuli illi, qui animum tuum angunt, eximi possint.* Quibus omnibus promte annuendo, Generosissimus *Dn. Volkamerus: Placet, conveniamus die crastino,* pronunciavit, finemque colloquio huic imposuit. Atque ita *nonus* quoque *Congressus,* in qua maxima disputavit *Vogelius* pertinacia, solutus est. *Lector* autem *Benevolus,* quanta patientia & æquanimitate cum opponente actum sit, sine omni dubio ex ipsa recensione nostra compendiosa c) intelliget. Tantum vero etiam laborem non frustraneum fuisse, sed operæ pretium factum, ex ipsa confessione *Vogeliana,* sub initium conventus sequentis, mox percipiemus: Ad quem nunc pedem promovere constitutum est.

§. LI.

Convenere igitur universi ad Decimum Colloquium d. 19. Septem-

non tamen *videndum*, verum *supernaturali modo* ore *comedendum*, exhibeat.

a) Vnde denuo, quam liberaliter in hac caussa publice & privatim cuncta sint acta, contra cavillationes quorundam apparet.

b) *Divinam* videlicet, cum propria careat Humana natura, non ἀνυπόστατος, sed ἐνυπόστατος.

c) In qua ipsam & colloquentium verba, quantum per epitomen fieri potuit, repetita, propterea lineis & subductis signata aliis imprimi litteris, quas *cursivas* vocant, curavimus, ut tanto accuratius ab aliis σαφείας gratia adhibitis discernerentur.

Septembris, ſicuti heſterna luce decretum erat, continuandum. Vbi præmiſſa allocutione *Fabritii* atque precatione *Fabri*, ex conſuetudine laudabili ſubjuncta, his verbis *Vogelius* dicendi fecit initium: *Quod jam tertium hac hebdomade voti mei compos fiam, Viri M. A. R. Cl. DD., maximas debeo, imprimis Deo, patri luminum, a quo omne donum deſcendit, gratias: ſed & easdem, quas mens mea concipere poteſt, debeo Veſtris Magnificentiis, utpote, quæ hunc tertium congreſſum noſtrum pro ſua benignitate permiſerint. Vobis etiam VV. RR., quod tertium convenire non dedignati fueritis. Quod autem attinet ſententiam heſternis argumentis pro Aphor. XX. XXI. allatam; ego de illis affirmativam proferre non dubito, & corde & animo profiteor, me in illis acquieſcere. Quod vero attinet Diſp. de Cœna, promtus ſum ea omnia, quæ ratio mihi ſuadet, penitus abjicere, & in ipſo verborum Cœnæ ῥητῷ ſtare tam diu, quam diu ex ſacris litteris cogentes rationes pro acceptione illorum tropica, non video.* Ad quæ pauca quædam repoſuit *Fabritius*, & cum *cætera grata ſibi eſſe* demonſtraſſet, *de S. Cœna inſperſa fuiſſe nonnulla*, monuit, *quæ ſubinnuant, non plane Vogelium cum Eccleſia Chriſtiana ſentire, quia dixerit: tam diu ſe ſtaturum τῷ ῥητῷ, quam diu cogentes rationes non videat contrarias. Eaque verba* petiit *dilucidius paullo explanari.* Cui & *Schrœderus* acceſſit, & *hoc quæri: Vtrum jam videat rationes ex ſacris litteris, quæ τὸ ῥητὸν dubium faciant? easque exponi* jusſit. Cum vero *nullas jam ſe videre* a) *Vogelius* reſpondiſſet, *quid de ſacrificio Chriſti ſentiret*, idem *Schrœderus Adverſarium eloqui* rogavit; *præſertim vero: Num in terris, an cœlis, ſecundum Photinianos, credat conſummatum aut omnino factum?* Cui *Vogel* candide: *Fui quidem*, inquit, *in illa ſententia, ſed animum mutavi: Interim tamen dico, complementum ſacrificii illius non in terris eſſe factum, ſed fieri debuiſſe in cœlis.* Ad quæ *Schrœderus: Si non de eſſentiali, ſed finali* b) *complemento, videlicet ratione applicationis intelligat, ſe acquieſcere.* Non tamen acquievit *Vogel*, & licet fateretur, *ſe quoque ita intelligere, nihilominus, quo in actu conſiſtat ſummi Sacerdotis officium?* interrogavit. Cui *Schrœder* reſponſurus dixit:

a) Non obſcure fluctuantem inter præceptam opinionem *Socinianam* & veritatem jam penitius perceptam animum prodens, atque hinc iterum iterumque ad dubia quædam retrolabens, divino beneficio tandem prorſus removenda.

b) *Præſtatione* inquam ſacrificii, quæ in immolatione atq; mactatione conſiſtebat, & *uſu*, ſeu cura, ut eodem expiati homines per fidem reapſe *fruerentur.* Quorſum etiam ſpectavit *Schrœderus*, quando alibi duplicem oblationem primariam, &, ut ita loquar, ſacrificialem in cruce, atque ſecundam h. e. repræſentativam in cœlo admiſit, nec tamen niſi unum ſacrificium conceſſit.

dixit: *Distinctos esse actus Sacrificii V. T. typici* 1) *fuisse mactationem*, 2) *Sanguinis in SS. delationem*, a) 3) *Aspersionem, quæ illis nihil aliud fuerit, quam nobis sit applicatio. Antitypici sacrificii autem actus N. T. aliter se habere, quia Christus post oblationem non statim in cœlos ascenderit, sed XL. dies adhuc in terris obambulaverit.* Hinc vero *Vogel* argumentatus est: *Si aspersio seu applicatio demum facta sit in cœlis, sequi utique, Christi sacrificium non in terris, sed cœlo completum esse. Atqui verum est prius. Ergo. Schrœderus* contra, *id ex eo consequi, negavit, quoniam adspersio ad essentiam sacrificii haud pertineat*, b) *& sine ea sacrificium integrum esse queat. Vogelius* porro instabat: *De sacrificio pro peccatis id dici non posse, ubi sanguis utique in altari adspergeretur Hebr. IX. Schrœderus* autem, *id peculiare anniversarium sacrificium fuisse, nec se videre, quod ingressus in SS. pertinuerit ad sacrificium.* c) *At post ingressum Hebr. IX, 7. sacrificavit*, excipiebat *Vogel; Ergo & post ingressum consummavit. Schrœderus* vicissim, *committi in allegatione loci paralogismum compositionis*, monuit, *& sanguinem offerre, distinctum quid esse a sacrificandi actu, sacrificatique jam pecoris sanguinem deinceps oblatum esse*, docuit. Quin etiam *ex vers. 26., si eadem via procederet, posse hinc confici*, monstravit, *si non unica oblatione consummasset* d) *Christus sacrificium suum, sequi, illud sæpius iteratum fuisse, & iterandum &c. Apparitionem quoque perpetuam, non anniversariam, coram facie Patris, idem confirmare &c.* Desertis itaque hisce: *Agnosco*, ait *Vogelius*, *& insuper fateor, me pleraque argumenta ab unitate Dei desumta*

a) De principe itaque seu *solennissimo* sacrificio, die nimirum expiationis oblato, sermocinatur *Schröder*: quod solum fuisse typicum, admittunt *Sociniani*, sed b. *Franzius* in *Schol. Sacrific.* Exerc. VI. ex instituto contrarium docuit. Cæterarum enim hostiarum sanguis, utut sparsus fuerit ad altare, non tamen in adytum vel jussus est inferri, vel legitur etiam illatus, & de ipsa sparsione quoque, utrum *appendix* fuerit, an pars, sacrificii? disputatur.

b) De *integralibus* ergo actibus compendii illius omnium sacrificiorum, seu *solennitatis* potius, uno die festo peragendæ, se ante loquutum esse, his ipsis verbis condocefecit: quod, ne repugnantia dixisse videatur, monendum putavimus. Idque ex sequentibus luculentius patebit. Cæterum & Christum in cruce sanguinem effundendo obtulisse & sparsisse, præsertim si septem ejus verba sensim in cruce pronunciata consideres, non absurdum erit, si dicamus: tametsi nemini hanc conjecturam nostram obtrudamus.

c) Recte: Nec enim in omnibus sacrificiis locum habuit.

d) Quod etiam Sp. S. non obscure innuit, quando *præterito* tempore usus μίαν θυσίαν προσενέγκας, (item μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν,) ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, quod sane in ipsa adscensione in cœlos factum est, inquit, & τὸ παθεῖν etiam cum προσφέρειν permutat Hebr. X. 12. 14. atque IX. 26. 28. Cum tamen ex *Socinianorum* mente oblatio adhuc continuetur. Neque enim illa repræsentatio in hanc usque diem desiit.

ſumta apud Photinianos non legiſſe, ſed quia ſatis ad illa, quæ animum meum excruciabant, eſt mihi reſponſum, facile in veſtram abeo ſententiam. Sunt autem inter Photinianos variæ ſectæ, a) *quas tamen omnes tolerant, licet non in uno fundamento religionis per omnia conveniant, omnesque pro fratribus habent.* Hic *Schrœder* poſtrema carpens; *Quæ eſt*, inquit, *illa fraternitas, ubi eſt diſſenſio in fundamento?* Cui *Vogel: Fundamentum in eo collocant, dum quemlibet pro fratre agnoſcunt, qui Chriſtum filium Dei eſſe profitetur, & ſecundum ejus præcepta vivit: Vbi certe diſſenſio non eſt de re ipſa, ſed rei modo.* At *Schrœderus* contra, *de re ipſa* b) *inter eos diſſentiri,* aſſeveravit. *Vogelius* autem, cum nollet diſputationi huic acceſſoriæ inhærere: *Mitto* hæc, inquit, & *ex Cap. I. 17. Lucæ argumentum affero, cui multum adverſus Photinianos tribuunt Theologi: Quem præcesſit Johannes, is eſt Deus Iſraelis: Quem præcesſit Johannes eſt Chriſtus, Ergo Chriſtus &c. Ad hoc argumentum reſpondeo: propterea dicere Prophetam, Johannem præcedere Deum Iſraelis, (cum tamen Chriſtum præcedat) quod Chriſtus legatus fuerit Dei, qui loco Domini æſtimetur.* *Schrœderus* vero duo oppoſuit: 1) deſeri ῥητὸν, 2) *poſſe quem dici legatum Domini, non Dominum ipſum,* & (uti nempe *Vogel* exceperat) *ſi legatus veniat, quando dicatur Rex vel Dominus venire, locutionem eſſe impropriam.* Idem *Vogelius* quidem ad *V. T. exempla* provocavit, nominatim *Angelum Legem promulgantem, qui Jehovah dicatur:* At *negavit* illud *Schrœder;* ſed *contrarium* probavit *Vogel ex Hebr. II. ubi non per Jehovam ipſum, ſed per Legatum Lex promulgata eſſe dica-*

a) Actum eſt paucis de his *Socinianorum* diſſenſionibus Cap. II. §. 5. & 44. Nunc, in Operibus *Socini* variorum, cum quibus ipſe Anteſignanus ille fortiter dimicavit, occurrere Diſputationes, & in Vita *Smalciana* ad calcem adjecta *Oſtorodiani* etiam a cæteris disſidii mentionem fieri, monemus; vetuſtiora enim in præſenti non curamus, neque ad ea hic reſpici arbitramur. De *Sabbathariis* vero ſeptimum adhuc cum Judæis diem ſanctificantibus, nec ipſi, qui fuerint & ubi vixerint, diſtincte explanant.

b) Vtrum de primariis Articulis diſſentiant inter ſe *Sociniani*, dubitamus; utpote quos in ſumma doctrinæ conſpirare propemodum omnes conſtat. In agendis vero, diſciplina, & jure (v. g. belligerandi) non uno modo diſcrepare, haud ignoramus. De *Franciſci Davidis* autem aſſeclis, qui tamen & ipſi invocationem Chriſti oppugnant, non dogma fidei, ipſi *Sociniani*, utrum tolerandi ſint, diſputant, & quanquam plerique id inficientur, non tamen huc *Vogelium* reſpexiſſe puto; Sed plane ſuſpicor, neque de Photinianorum ſectis eum fuiſſe locutum, verum de aliis *Socinianiſmo* contrariis, quas tolerandas, & inter eas, *Lutheranam* quoque cumprimis, exiſtiment. Quorſum etiam ſcopus *Vogelii* hæc proferentis & *Schrœderi* reſpondentis ſpectare videtur. Quibus rebus parum abeſt, quin a Notariis Scribisque hæc male excepta putem, cum in finem nimirum pronunciata & objecta, ut ſibi quoque, ſi vel maxime in quibusdam adhuc diſſentiat, veniam tolerantiamque exoraret *Vogelius*.

dicatur. Contra *Schrœderus : Fuisse ipsum Jehovam, usum ministerio angelorum tuba & clangore, quæ præcedebant promulgationem.* Id vero *scopo Apostoli repugnare*, cum *Vogelius* excepisset, *quippe qui præcellentiam Legati,* a) *qui sit Filius Dei, ostensurus esset,* respondit *Schrœder ; scopum potius esse,* b) *ut doceat, quæ sit majestas Christi, quam acquisiverit* c) *sessione ad dextram Dei.* Discedens ergo ab hoc dubio, novum, quasi per spicilegium quoddam, ad *Joh. I.* movit *Vogelius*, h. m. argumentatus : *Qui fuit in principio, & quidem in illo principio, in quo facta fuerunt omnia, & ita quidem fuit, ut omnia per ipsum facta sint, & sine quo factum est nihil, quod factum est, ille est æternus Deus. Atqui Christus &c. Ergo. Id argumentum Vestrum est,* ajebat, *sed scrupulum ego habeo : Nam vox principii semper respectum habet ad ea, de quibus illo in principio agitur. Hic autem agitur de principio Evangelii ; ergo non significat æternitatem.* Respondit ad hoc dubium *Schrœder* : *Agi ibi de principio Evangelii, tanquam subjecto universali ; Hic vero de principio personæ Christi*, d) *tanquam subjecto speciali, & πρώτως de Christo, δευτέρως de prædicatione Evangelii, quod ex consimilibus locis Hebr. I. Prov. VIII. Col. I. &c. colligatur.*

Voge-

a) Et Evangelii quidem præ Lege.

b) Vtrum sufficienter heic sit responsum, erunt fortassis, qui dubitabunt. Hic certe nodus cumprimis nonnullos movit, ut Angelos creatos, interque eos principem aliquem, coll. Act. VII. 38. legem pronunciasse nomine Dei in monte *Sinai* existimarent. Quorum dubia uti mihi excutienda non sumo, neque etiam id nunc ago : ita argumentum a *Vogelio* structum rectius tueri nos posse existimem, si verbis *Johannis*, ex *Esaia* depromtis, quibus *Jehovæ viam eum sternere* dicitur, mordicus inhæreamus, nec de sermone alterius nomine proposito istic agi, sed ipso summo rerum *Domino*, urgeatur, atque loca, quibus Dei loco nonnullis Angeli videntur locuti, hactenus, ut diversa, seponantur.

c) Commodius : adeptus fuerit aut *usurpaverit plene.* Tametsi enim ordine, post exantlatas calamitates, secundum pacti inter Patrem Filiumque rationes, sessionem ad dextram adierit, tamen accurate loquendo, ipsum sibi eam *acquisivisse* Christum, vix dici potest.

d) Immo vero *absolute* de *principio* rerum omnium, (quemadmodum etiam de *factis* omnibus, non refectis aut instauratis illico differitur,) hæc intelligenda sunt, quo existente, immo existere incipiente, jam *fuisse* (ἦν) *Verbum*, idque carnem deinde demum esse factum, ait *Johannes.* Quæ manifesta est stylo Scripturæ æternitatis, coll. Pf. XC. 1. sq., descriptio. Ad principium igitur prædicationis Evangelii paullatim progredi *Johannem*, non negamus, sed ab initio capitis de eo jam egisse, neque altius adscendisse, minime omnium concedimus. Non injuria hinc interpretationem *Socini*, ejusdem loci, de quo hic agitur, ad quam *Vogelius* quoque confugit, *duram* & *coactam* semel iterumque in *Theol. Christ.* L. II. c. XVII. appellavit ipse *Limborchius*, & scopus quoque, qui, ut antequam caro fieret, dudum extitisse τὸν λόγον ostenderetur, præfixus erat *Johanni*, argutiis istis refragatur. Huc etiam *Schröderi* responsio tendit, sed obscuriorem esse, non dissimulamus.

Vogelius autem porro inſtabat: *Loqui & illa dicta ad Ebr. & Coloſſ. de principio novæ creationis ſive redemtionis, quod nempe Chriſtus tum fuerit, quando prædicatio Evangelii inchoanda erat, ideo Joh. I. dici:* Et *erat apud Deum, i. e. ſoli Deo erat notus.* a) *Schrœderus* contra *de initio creationis rerum agi* demonſtrabat, *quia deſcribatur verbum vitæ, quod ab initio fuerit, quod viderint &c. Jam vero eſſe vitam, ipſam acquirere vitam æternam, habere vitam in ſemet ipſo, uti pater habet* (Joh. V.) *eſſe illam lucem &c. omnia divinitatem æternam probant.* Ad hæc: *quomodo in ipſo vita fuerit?* quærebat *Vogel,* & reſponſi loco a *Schrœdero* accipiebat: *tum per eſſentiam, tum per* ἐνέργειαν, *ut Spiritum vivificantem. Eoque* porro interrogante: *Num & Johannes Baptiſta vitam æternam annunciarit?* regerebat idem *Schrœder; Quidni? ſi annunciavit regnum Cœlorum, & Patris, utique & vitam æternam &c. Acquieſcebat* in his *Vogel, ut & in Aphoriſ. XXII.* ſed *de Aphor. XXIII. modoque interceſſionis* dubitabat, *eo quod Joh. XVI. Chriſtus, ſe non amplius rogaturum patrem,* aſſerat. Ad quem tollendum ſcrupulum, *Schrœderus* diſtinxit *inter ipſam Interceſſionem, & ejus modum; quem nos ignorare* fatebatur, atque l. c., ajebat, *Chriſtum non ſimpliciter negare, quod ſit rogaturus patrem, ſed* κατά τι, *propter amorem videlicet patris, quem ſe amantem & ipſi ament, & in quem credant: Si autem in cœlis pro nobis interpellet, utique & orare: qualis autem ſit oratio, non noſtrum eſſe definire.* b) *Neque in his* ergo *plura* deſideravit *Vogelius,* progreſſusque eſt *ad Aphoriſmum XXIV.* ubi, *ſe hæſitare,* dicebat: *Vtrum Chriſtus, qua homo, ſit adorandus.* Ad quod dubium *Schrœderus: Chriſtum, qua hominem, non dicimus adorandum, ſed qua Humana natura Chriſti in perſona* τῦ λόγυ *conſideratur, non per naturam, ſed per unionis gratiam.* c) Contra vero *Vogelius: Quicunque non*

a) De notitia altum ſilentium *Johanni;* Qui de exiſtentia ἐν ἀρχῇ aperte loquitur, neque etiam tunc demum Deo cognitus erat ὁ λόγος, ſed, uti 1. Petri I. 20. habetur, ante ſecula jam præſcitus fuerat. Vt alia inſulſæ hujus explicationis incommoda taceamus.

b) *Verbis* enim, atque ſola *repræſentatione* ſui, tanquam hoſtiæ, in cruce quondam oblatæ, id fieri poſſe, quo Hebr. IX. 24. Græc. ἐμφανισθῆναι coll. Rom. VIII. 34. pertinet, nemo ignorat. Quæ hactenus bene in medio *Schröderus* reliquit. Ad locum vero Joh. XVI. 26 quod attinet, non negare mihi videtur Chriſtus, ſe eſſe deprecatorem diſcipulorum, pro quibus etiam in his terris Cap. Joh. XVII. toto mox interpellavit; ſed, ὐ λέγω ὑμῖν quando inquit, *ſe hoc* t. t. & *in iſta conſolatione ſua nolle uti argumento,* ait, atque hinc ipſam deprecationem alibi ſtabilitam magis conſtabilivit, quam inficiatus eſt.

c) Adeoque per *naturalem* humanæ naturæ conditionem illum ei *non* deberi honorem inquit, ſed *per* ὑποστατικὴν *participationem,* quam *Cyrillus* Oeconomiam vocare ſolet. *Idem* nimirum *honor* eſt, ſed *modus habendi* per eſſentiam & tanquam donum, ut *Paullus* Phil. II. 9. loquitur, *diverſus.*

non eſt in ipſum thronum Dei collocatus, is non eſt adorandus: Chriſtus non eſt &c. Ergo. Minoremque putabat *ex Apoc. V. & VII. probari poſſe, ubi non modo Chriſtus, ſed & animalia quatuor in medio throni dicantur ſtare, & XXIV. Seniores cum illo, qui tamen propterea non ſint adorandi.* Hæc vero illico diluit *Schrœder, & c. VII.10.ſqq. agnum ita deſcribi oſtendebat, ut cultus Deo proprius ei attribuatur, ſicuti & per thronum Dei majeſtas intelligatur: cum Seniores & animalia circa thronum legantur coram agno procidiſſe: unde potius, quia idem ſit Patris & agni thronus, contrarium colligendum ſit.* a) Poſtulavit equidem *Vogel*, ſibi locum indicari, *ubi* λατρεία *Chriſto adſcribatur, quia ll. cc. Apoc. VII. 15. & XXII. 3. videantur ambigua.* Cui *Schrœderus: Etſi præter hæc loca alia non haberentur, quid tum? Haberi tamen*, ait, *alibi* προσκύνησιν, *timorem, gratiarum actionem &c. paſſim, non ignoras.* b) Quare *ad Aphoriſ. XXV.* Ille proceſſit, ſciſcitatus: *Num reſponſione ſua ad illum Aphor. acquieſcant Theologi?* Reſpondens autem *Schrœder: Non acquieſcimus*, inquit. *Etſi enim aliquæ reliquiæ imaginis Dei in homine lapſo remanſerint; dici, tamen recte eam totaliter eſſe deſtructam,* c) *quemadmodum domus totaliter deſtructa dicatur, licet rudera quædam adhuc videantur.* Quibus auditis *Vogelius, in verbis adhuc diſſenſionem eſſe*, exiſtimans, *conceſſit totum Aphoriſmum, quantum ad imaginis deperditionem. Qua corruptionem* vero quærebat: *An illa corruptio in Adamo ſit cauſſa potenter efficiens corruptionem?* Ad quæ *Schrœder: Illa corruptio*, ait, *pœna eſt & peccatum promanans ab Adamo.* d) *Vogelius* ex adverſo *hæc tantum de cauſſa occaſionali intellecta* volebat. At *Schrœder, nimis jejune id dici*, ſubmonuit, *quia etiam meritoria ſit pœnæ & peccati. Per corruptionem enim* (ita addebat) *generaliter intelligo amiſſionem, ſive abſentiam imaginis Dei, ſpecialiter defectum in mente & voluntate.* e) *Concedens* igitur & hæc *Vogelius*, tranſiit *ad Aphor. XXVI.* Vbi *Schrœder* in ejus reſpon-

a) Conf. quæ jam ſupra ad Colloquiorum quoddam annotavimus.

b) Add. Apoc. V. 12. 13. 14. ubi ſine omni ambiguitatis ſpecie τῷ ἀρνίῳ, perinde uti τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, ab Agno diſtincto, & quidem ab univerſitate creaturarum, cultus ille religioſus ſolenniter tributus legitur.

c) Moraliter videlicet conſideratam, & quatenus ad æternitatis viam ſpectabat rite emetiendam. Phyſica enim qualiacunque veſtigia non moramur.

d) *Non immiſſum* in animum hominis, ſed *juſte ſubtracta gratia,* uti peccata peccatis puniuntur Rom. I. 24., ortum: nec poſteris tantum, ſed etiam ipſis protoplaſtis inhærens, & *peccatum originale originatum* barbare dictum.

e) *Cum concupiſcentia*, ſeu proclivitate ad omnis generis peccata connata, coll. *Artic. II. Aug. Conf.* una cum Apol. Cæterum non ſolum occaſionem, ſed meritum admittendum eſſe, *Pacti* primi *Operum*, cujus & *Hoſ. c. VI. 7.* meminit, violati rationes depoſcunt.

refponfione *obfervari aliquid ambigui, nempe nos ita corruptos in Adamo, uti Levi in Abrahamo decimatus fit*, exiftimabat. *Adamum enim non modo fe, fed totam pofteritatem corrupiffe; unde dicamur in Adamo omnes peccaffe* a) *Rom. V. Quod fieri non potuerit in Levi, qui revera decimari non potuerit, fed pater, cujus decimatio Levi filio imputabatur.* Verum *Vogelius* (haud dubie illuftrationis tantum gratia id adductum innuens) nihil ad hæc regesfit, fed *cum* 26. *etiam* 27. 28. 29. 30. 31. *&* 32. *Aphorifmos fe probare* confeffus eft; *dummodo*, quod unum rogabat, *in hoc poftremo fibi fidei definitio explicaretur, inprimis, quod fiducia illa habeat objectum Chriftum.* Id vero b) pluribus adftruxit *Schrœderus* 1) *ex locis omnibus, quæ de juftificatione agunt,* 2) *quia aut opera juftificent, aut fides; At non opera juftificare, Ergo fidem.* Quæ *fi juftificet, aut ratione affenfus feu notitiæ aut fiduciæ; Non ratione affenfus, quem & Dæmones habeant Jac. II. Ergo ratione fiduciæ. Hujus vero non tantum generalem promiffionem effe objectum, fed & fpecialem, quam oftendat Evangelium, quod Deus peccata remittat propter Chriftum ejusque meritum. Rom. III. &c.* Misfis igitur his quoque dubiis *Vogelius* explicationem *Aphorism. XXXIII.* expofcebat. Quam fubminiftraturus *Schrœder, excludo,* inquit, *praxin fidei* c) *ex juftificatione. Fides ratione effentiæ relata ad juftificationem eft fine operibus. Sed ratione exiftentiæ eft cum operibus: Nam fides eft efficax per opera Gal. V.* Contra *Vogel: Immo dicuntur opera πνεῦμα fidei Jac. II.* At promte & bene *Schröderus: Per πνεῦμα,* ait, *intelligitur anhelitus,* d) *ex quo cognofcimus, fpiritum feu animum effe adhuc in homine: ita quoque opera funt πνεῦμα, ex quo colligitur, fidem adhuc effe in homine. Conceffit* proinde & hæcce *Vogel* una cum

a) Reapfe, non folum potentia, *nec per modum morbi* duntaxat, aut feminis cujusdam vel *difpofitionis*, fed ita, ut culpa, perinde atque ipfum delictum, (quia *fœdus univerfale* erat,) *communia* cum omnibus hominibus, non aliter, quam fi præfentes jam cuncti fuiffent pofteri, tanquam pariter reis fuerint: quod l. c. Paullus ex morte, etiam infantes tenerrimos propter commune παράπτωμα & κρίμα fuum abripiente, probat, aliaque Scr. S. loca Eph. 2. Pf. 51. & 58. &c. comprobant.

b) De fide namque non generali, qua credimus omni verbo Dei, fed *fpeciali*, ut inftrumentum eft noftra ex parte, & quidem unicum, τῆς δικαιώσεως καὶ σωτηρίας ληπτικὸν, l. c. agitur.

c) Quamvis enim & ipfa *fides* fit *actus* apprehendens Chriftum, *non* tamen *ut actus confideratur* in juftificatione, fed ut organon *jufticapum*, uti b. *Dannhauerus* loquitur. Hinc per λαμβάνειν ordinarie defcribitur.

d) Ita nonnulli accipiunt verba Matth. XXVII. 50. Rectius ex etymologia & ufu quoque Gr. atque Latinorum, quibus nihil, quam phrafes, *fpiritum ducere, animam continere, comprimere* &c. frequentius eft. LXX. πνεῦμα pro *Ruach* paffim ufurpant, etiam beftiarum.

cum *Aphor. XXXIV. & XXXV.* Sed *circa XXXVIum: Qua ratione peccatum in Sp. S. ſit irremiſſibile, hærens, informationem petiit, Schröderoque, non ratione expiationis, quæ a Chriſto facta ſit, ſed ratione impœnitentiæ finalis* a) *id intelligendum eſſe*, ſubjiciente, *Vogelius, ad locum Act. XIII.* b) *ubi peccatum illud dicatur excelſa manu factum*, progreſſus eſt, *eumque ſibi* deſideravit *dilucidari*. Quam dilucidatiorem daturus *Schröderus, difficiliorem eſſe a peccato tali reſurrectionem*, c) *i. e. majorem pœnitentiam requiri; ſicuti & Petrus præ cæteris Apoſtolis opus habuerit, non tamen omnino cuiquam denegari gratiam*, affirmavit. Quo facto idem *Vogel* etiam *Aphor. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII.* approbabat, *nec de Aphor. XLIII. ſe dubitare*, iterum profeſſus eſt, *ſicuti & ſupra eum ſuo calculo probarit; Neque* etiam *de Aphor. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. quoad θέσιν habere, quod moneat*, addidit. At *quomodo in Aphor. IV. ex adoratione Deitas Chriſti demonſtrari poſſit, ſe, quod bona pace Dnn. Auditorum dicat, nondum pervidere*, iterum pronunciavit. Formavit ergo, ut & huic ſcrupulo occurreret, *Schröderus* ſequens argumentum: *Quicunque adoratur, ille eſt Deus. Chriſtus adoratur, Ergo.* Sed *Vogelius* majorem limitaturus addidit: *Quicunque per ſe adoratur &c. Chriſtus non per ſe. Ergo.* Cui *Schröder* porro: *Nemo eſt*, inquit, *qui non adoratur per ſe, & niſi Chriſtus non eſſet Deus, non poſſet adorari. Homo Chriſtus quidem non adoratur per ſe, ſed καθ' ἄλλο reſpectu unionis cum λόγῳ.* Iterum vero *Vogel: Adoratio non terminatur in Chriſto, ſed in Patre.* *Schröderus* autem: *Verum id eſt*, ait, *quod adoratio in Chriſto, qua homine, ad divinam naturam tendat. Nam ado-*

a) Quia per malitioſam repudiationem, ad finem vitæ continuatam, gratiæ oblatæ, & cum blaſphemia conjunctam, non poteſt fieri procuratæ ſalutis applicatio. Aliter reſponderent, qui Peccatum in Sp. S. duntaxat Judæis tribuunt, oeconomiam Evangelii per Sp. S. poſt Chriſtum denuo prædicati ad extremum etiam rejicientibus.

b) Ad marg. noſtri exemplaris, manu, ut putamus, *Paulli Piggelii* Antiſtitis Laurent. & *Schrœderi* Succeſſoris, Act. VIII. h. l. intelligi & *Simonis Hiſtoriam*, adſcriptum legimus; Sed veriſimilius eſt, *Vogelium* ad *Elimam* digitum intendiſſe.

c) Non per extraordinariam gratiam, ſed vi ejusdem fœderis Evangelici, indefinite omnibus per pœnitentiam ad gratiam ordinariam aditum patefacientis. Quam, propter majorem obdurationis gradum, Dæmonis mali impedimenta operoſius & callidius objecta, & conſvetudinem diuturnam haud facile ſuperabilem, cauſſasque alias, ex parte hominum difficultates majores creantes, multo rariorem & perarduam eſſe, cum experientia, tum *Jerem.* Cap. XV. 23. & alibi Scriptura S. teſtantur. Quod vero *Schrœderus* majorem etiam pœnitentiam requirit, haud dubie ad grandiora peccata, majori animi dolore & triſtitia agnoſcenda & deflenda, reſpexit: quam utique delictorum magnitudo & atrocitas expoſcit. Niſi forte *majorem* hanc pœnitentiam *quotidianæ*, quæ & *ſtantium* (in gratia) dicitur, opponat.

adorare aliquem, qui non eſt Deus, & adorare aliquid, quod non eſt unitum Deo, idololatria eſt: propterea Neſtorius, dirimens unionem, & coadorandum λόγον *cum carne dicens*, ἀνθρωπολάτρης *dictus eſt. Cur autem* (ita perrexit *Vogelius) in tota Scriptura non datur exemplum adorationis & credendi in Sp. S.* Reſpondit *Schröder : In Symbolo Apoſtolico id* a) *haberi, quod in tanta auctoritate habeat, quanta Apoſtolorum epiſtolas;* b) addiditque, *haberi & exempla in Juſtini, Athenagoræ, Cypriani, aliisque ſcriptis, & denique valedictiones atque ſalutationes Paullinas Spiritum S. includere.* c) *Opponebat* quidem *Vogel Eraſmum, qui, Sp. S. Patres adorare noluiſſe, affirmet, quia nec præceptum nec prohibitionem habuerint.* Verum *Schröderus, etſi non tam frequentes adorationes Sp. S. ut Filii Patrisque fuerint in veteri Eccleſia, tamen non prohiberi* d) reſpondit, *quin liceat adorare;* additaque *Epiphanii formula : Adſpira nobis Sp. S. & fac*

a) Quod nimirum de Fide ſeu fiducia in Sp. S. dictum erat.

b) Propter antiquitatem Apoſtolico ævo ſaltim proximam; quippe cujus prima initia & quaſi ſtamina (accesſiſſe enim paullatim occaſione hæreſium dilucidationes quasdam, non negamus,) jam ab *Irenæo*, & ante eum, tanquam uſitata jam ante in Eccleſia commemorantur, a *Tertulliano* vero atque *Origene*, ut ab Apoſtolis profecta, non obſcure laudantur. Ab Apoſtolis enim ipſis primum conſignatum id eſſe, incertum; Ea certe forma, qua hodie uſurpatur, non fuiſſe ab illis adornatum, *in Hiſtoria Symb. Apoſt. Kingiana* ex additamentis ſuccedaneis ſeculorum priorum luculentisſime eſt demonſtratum.

c) Addatur hisce valedictionibus & ſalutationibus, 2. Cor. XIII. & Apoc. I. uſurpatis, præter divinitatem, adorationis invictum argumentum, *Formula Baptiſmi*, εἰς ὄνομα etiam Sp. S., h. e. *ad cultum religioſum* ejus, non minus, quam Patris & Filii, coll. Act. XXII. 16. (quo ad invocationem illam ſane initiamur ſolennisſime) ſpectans. Eaque porro ex Τρισαγίῳ Angelico Ef. VI. coll. Act. XXVIII. item blaſphemia in Sp. S. Matth. XII. jurejurando ἐν αὐτῷ Rom. IX. 3. ipſaque invocatione Simeonis Luc. II. 26. coll. 29. illuſtrentur. Exempla vero primitivæ Eccleſ. ex b. *Olearii* (Gottfr.) Diſſ. *de Sp. S. cum P. & F. adoratione* & glorificatione contra *Whiſtonum* A. 1711. hab. ingenti copia collecta petantur. Rationem de reliquo, cur parcius de Sp. S. adoratione in N. etiam T. dictum ſit, b. *Spenerus* in *Jud. Theol. Germ.* P. IV. f. 75. ſq. ingenioſe reddidit.

d) Immo vero non minus ea frequens eſt, formula autem ita plerumque legitur v. g. apud *Juſtin. M.* in Apol. II. f. 97. ſq. concepta, ut per aut in Sp. S. Deus invocetur, non honoris imminuendi, ſed ordinis perſonarum innuendi cauſſa. Idem certe *Juſtinus* l. c. f. 56. de Chriſtianis omnibus, Sp. S. eos religioſe, peræque ut P. & F. colere (σέβεσθαι) atque adorare λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, explanate & tanquam de re notisſima locutus, perſpicue teſtatur. Hoc tamen obſervandum eſt, pleroſque primæ Eccl. Doctorum & Auditorum ad eum modum invocationem religioſam Dei & docuiſſe & frequentaſſe, ut, quod ex monimentis ante Sec. IV. reſiduis perpaucis conſtat, cum invocatione etiam originem perſonarum & ordinem inter eas, divinitus in Scr. S. expreſſum, ſedulo ſimul indicare voluerint. Hinc illæ Arianorum veterum & recentiorum, inprimis *G. Whiſtoni*, lacrymæ.

fac nos dignos &c. neſcio ob quam cauſſam, & forte juſſus a proceribus, colloquium abrupit. Quemadmodum etiam ex his ipſis annotatis poſtremis colligitur, tumultuarie quædam dicta, & a Notariis imperfecte excepta fuiſſe. Notabilis autem fuit *Vogelii confeſſio* tandem ad ſciſcitationem *Fabritii: Quæ ergo eſt tua ſententia?* his conceptis verbis edita: *Quod hactenus in ſpecie ad unumquemque Aphoriſmorum propoſitorum finaliter ſeu deciſive dixi, idem nunc dico, & quidem ex toto corde bonaque conſcientia me dixiſſe proteſtor. Deus Pater ille luminum Sp. S. ſui lumine me porro quoque illuſtret, & in hoc lumine, ad quod me reduxit, conſervet. Ipſi cum Filio & Sp. S. pro hac reductione ſit laus & honor in ſecula ſeculorum. Amen.*

§. LII.

Videbantur, his transactis, jam cuncta eſſe expedita, cum præter opinionem nova difficultas ſuboriretur, quæ parum abfuit, quin omnem propemodum laborem hucusque tam ſtrenue continuatum, & ad finem (ut credebatur,) perductum, irritum redderet. Cum enim intercedentibus aliquot diebus, rebus interim bene deliberatis, *novus Conventus* idemque VNDECIMVS conſtitutus eſſet, ad quem d. XXV. Septembris ſimul uterque Studioſorum in transverſum antea actorum, *Vogelius* pariter & *Peuſchelius*, quod nunquam ante factum, adeſſe juſſi & vocati etiam una comparuerant, non ſolum *Recantatio publica* ab ambobus poſtulata, *cum ſubſcriptione LL. Normalium Eccl. Noriberg.*, ſed *Jusjurandum* quoque religionis utrique impoſitum, idque hiſce præſtare conſtanter recuſantibus, nova mora injecta, atque diſputatio adeo priſtina publice & privatim redintegrata eſt. Initium hac de re dicendi *Generoſisſimum Dn. Georgium Volkamerum* a) hunc in modum feciſſe, accepimus, verbaque etiam notabilia & brevia Gravisſimi Viri, cum reſponſionibus redditis, digna eſſe judicavimus, quæ integra potius, quam mutila, repeteremus ſequentia: Dieweil ihr nun beyde aus GOttes Wort anderſt unterwieſen, euch" zu den Aphoriſmis mit Mund und Hertzen bekennet: So iſts nun an" dem, daſs ihr nicht allein mit eigenen Hænden dieſelben unter-" ſchreibet, und euren gottloſen Irrthum œffentlich wiederruffet; ſon-" dern auch mit einen leiblichen Aid zu GOtt betheuret, daſs ihr hin-" fort,

a) Septemvirum, tunc vero etiam Eccl. & Schol. *Ephorum* atque *Acad. Altorphinæ Curatorem primarium.* Cujus egregias dotes & in Rempubl. patriam merita graphice deſcripſit b. *Saubertus Orat. I. de Bibliotb. Noriberg.* f. 29. ſqq. & inter alia *in gratificando humaniſſimum, inque omni negotio, quid locus, quid tempus, quidve ratio poſtularet, circumſpectiſſimum*, quod & præſens cauſſa aperte demonſtrat, appellavit.

„fort, die ganze Zeit eures Lebens bey derselben Lehr verbleiben, und „nit davon abweichen wollet. Ad quam propositionem, primum *Vogelius*, deinde & *Peuschelius*, ordine quisque suo responderunt. Et *Vogelius* quidem, ætate senior, sequentibus verbis declarationem suam exorsus est: „Edle E. Hochweise, insonders grgl. Herrn: Was grosse Müh, Sorg und Fleiss E. E. E. und Herrl. mit uns fürgenommen, „haben wir bisher genugsam gespüret, und demnach grosse Vrsa„chen, unsern lieben GOtt, durch welches sonderbahre Schickung, „wir wieder auf den rechten Weg sind gewiesen worden, von Herzen „zu dancken. Nachmals sind wir schuldig, hohen Danck zu sagen E. „E. E. &c. Rath, sonderlich aber den wohlverordneten Herrn Scho„larchis, dass sie an ihnen nichts erwinden lassen, sondern alles vor„genommen, uns auf den rechten Weg und zu der Kirchen, davon „wir gewichen seynd, zu bringen. Bedancken uns auch nicht we„nig, gegen die Ehrwürdigen und Wohlgelehrten Herrn Theologen, „die nicht wenig dabey gethan, und alle andere Geschæfft hindange„sezt, uns zu informiren, keine Müh und Fleiss gespahret. Verhof„fen auch unser lieber GOtt, der uns wieder zu der Kirchen Augsp. „Confess. gebracht, werde durch seinen Heiligen Geist Gnad verley„hen, dass wir dabey mœgen bestændig beharren, und solche Lehr „treulich und fleissig fortpflanzen, damit ein Edler E. &c. Rath Vrsach „habe unsers Falls nicht allein nimmer zu gedencken: sondern uns „hinforth mit Gunsten geneigt zu seyn. Den Actum subscriptionis „belangend, thu ich mich willig dazu finden. Was aber das Jura„mentum betrifft, thue ich um Aufschub bitten, weil ich noch etliche „scrupulos habe, die mir mein Hertz sehr mœchten beschweren und „ængsten, wo ich also behend mich dess Juramenti unterfieng. Will „aber verhoffen, dass mir solche in privatis colloquiis benommen „werden kœnnen. Weil denn die Subscriptio sine Juramento nicht „mag beschehen, begehr ich nochmal einen Aufschub mich hierüber „bass zubedencken. Publicam revocationem will ich gern verrich„ten, wann mir nach vergœnnter dilation meine dubia benommen, „und also mein Gewissen befriediget worden. Hab gleichwohl die „Hoffnung gehabt, ich würde nunmehr ledig gelassen werden, dass „ich mit den Herrn Theologis von den hinterstelligen Scrupulis pri„vatim und unverhindert conferiren mœchte: sintemal in so einsa„men Stand a) unmœglich, dass einem nicht sollten allerley Scru-

puli

a) *Solitudo* igitur sola fuit, quod iterum iterumque repeto, non *squalor* commenti-

puli einfallen. Haud diſſimilibus verbis, & in eandem ſententiam," *Peuſchelius* quoque proſequutus legitur orationem ſocii: Edle E." Gebietende Herren: Wir haben biſsher nit allein unſers lieben" GOttes Gnad, Hülff und Barmherzigkeit geſpürt, ſondern auch E." E. &c. Raths unſerer Gebietenden Obrigkeit Müh und Fleiſs erfah-" ren, indem ſie uns noch junge Studioſos, ſo vielfæltig a) von derje-" nigen Lehr, darinnen wir auferzogen, abgeführt, und in Irrweg ge-" bracht, wieder zurecht bringen laſſen. Dafür wir erſtlich GOtt im" Himmel, der nicht will den Tod des Sünders &c. Dann auch E. E." E. Rath, den Herrn Scholarchis und E. Ehrwürden groſſen Danck" zu ſagen haben, und zu bitten, daſs ſie nit allein ingedenck menſchli-" cher Schwachheit, ſondern auch der groſſen Schuld, die wir GOtt" ſchuldig ſeyn, und doch dieſelbe erlæſst, ihren Vnwillen wollten" ſchwinden und fahren laſſen, und ſich deſſen zu uns verſehen, daſs" wir hinführo bey demjenigen, ſo wir biſsher ausgeſagt, nit allein" wollen verharren, ſondern auch bey andern fortpflanzen, und die" groſſe erzeigte Gnad jederzeit, und an allen Orten rühmen und prei-" ſen. Die Subſcription belangend, bin ich willig und bereit ſolche" alſobalden zuthun: Aber das Juramentum religionis zu leiſten" (welches ich dann E. E. und Herrl. nit ſoll verhalten) felt mir zur" Zeit bedencklich und ſchwerlich for, weil in demſelben GOtt zum" Zeugen und Ræcher wird angeruffen, welcher auf das Hertz ſiehet." Nun bin ich aber in meinen Hertzen noch etlicher Sachen ungewies," b) wollte demnach nicht gern etwas wieder mein Gewiſſen handeln;" Denn wer ſolches thut, ſagt der Apoſtel, der iſt verdammt: welches" von keiner andern denn der ewigen Verdammnus muſs verſtanden" werden. In Betrachtung deſſen werde ich bewegt, non quidem ab-" lationem, ſed dilationem juramenti zu begehren, und zu bitten, E. E." und H. wollten mit mir Schwachen im Glauben Gedult tragen, biſs" mir die dubia, ſo ich noch habe, mœchten benommen werden und" ver-

tius carceris, qui male habuit hos adoleſcentes libertati aſſuetos. Poſteriori vero nomine uti illa cuſtodia, qua attinebantur, vix digna erat, ita non eſt, cur de ea in præſenti cogitemus. Hac vero de *ſolitaria* vivendi ratione, ubique profecto, & vel in ædibus quisque ſuis, excruciante intus mala conſcientia, conqueri poterat.

a) H. e. *in vielen Stücken Chriſtlicher Lehre &c.*

b) Tantum autem abfuit, ut hæc malæ cauſſæ aut ſimulationis ſuſpicionem etiamnum gignant: tametſi prudentisſime *Curatores illuſtres* jusjurandum depoſcerent conſtanter; ut potius hinc eluceat, & *Docendos* meliora & Docentes de πληροφορίᾳ fidei & firma πεποιθήσει laudabiliter ſolicitos & certos eſſe voluiſſe, certioresque ut redderent alios, nulli labori peperciſſe.

„verſchwinden. Bin ſonſt willig, das Juramentum fidelitatis zu lei-
„ſten, daſs ich nicht weichen, mit jemand diſputiren, oder einig Aer-
„gernuſs anrichten wolle. Der Revocation will ich mich nicht wai-
„gern, da mir vergœnnet wird, ſolche in einem auditorio declamando
„zu verrichten. Sind auch beede urbietig, und willig zur Commu-
„nion. Quanquam vero ex his reſponſionibus facile *Generoſisſimis Dominis Scholarum & Eccleſ. Curatoribus* ſiniſtri quid ſuſpicandi aut indignandi cauſſa naſci poterat, a) ea tamen fuit *Illorum* æquanimitas & liberalitas, ut benignisſimis verbis mente atque gente pariter *Illuſtris Volkamerus,* non alia, quam paucula hæc indulgentisſime reponeret. „Es haben ſich zwar die Herrn verſehen, ihr ſollet mit dem biſsher ge-
„gebenen Termin genugſam zu frieden ſeyn. Weil ſie aber euer
„Conſcientiam nit graviren oder beſchweren wollen, b) ſollt ihr
„eure dubia aufs Papier bringen, aufs kürzeſte verfaſſen, und den
„Herrn Theologis übergeben, und zwar auf das eheſte, ſo fern ihr
„eurer cuſtodie wollt bald liberirt und entledigt ſeyn. Ad quæ tribus verbis *Vogelius:* Mit dieſen Beſcheid ſind wir herzlich wohl
„zufrieden. Atque his dictis etiam ambo abiere, & conventus *Undecimus* eo pacto ſolutus eſt.

§. LIII.

Nobis autem neceſſitatem hoc ipſo termino, cum conventu poſito, imponi videmus, paulisper a cæteris, quæ ſequentur, colloquiis, cujusmodi *adhuc quinque* reſtant, digrediendi, &, quoniam dubia, quibus adhuc vexarentur in devia ſeducti, ſcripta Theologis exhibere injunctum erat, de illis nonnihil diſpiciendi. Idque tanto rectius accuratiusque exequi licet, quanto optabilius nobis ea contigit felicitas, ut eorundem MSctorum, in quibus conſignata illa legeban-

a) Nec fundamento etiam hanc ſuſpicionem caruiſſe, ex ſequenti XII. conſeſſu luculentius patebit. Multo vero magis eam movere potuiſſent verba, conſiliumque *Ruari,* quod (incertum an in *Peuſcheliana* ſupellectile inter alia repertum ſit, nec ne) impreſſum certe typis in *epiſtolarum Ruari Cent. II. n. IX.* nunc exſtat, in hanc ſententiam *Peuſchelio* datum: *Hoc agas manibus pedibusque, ſi plauſtrum percellendum ſit, quo poſſis ad cauſſam coram Senatu dicendam admitti, priusquam in exilium exigaris: Sed quoniam hoc difficulter fortaſſis obtineri poterit, dum animi, recenti ulcere, omnem manus tactum reformidant, procraſtinandum exiſtimo negotium, diemque de die ducendum, donec exoſi nominis aſſvetudine æquiores judicii aures invenias. Multum in omni crimine temporis tractus poteſt, & quod primo irarum æſtu Gyaris, aut etiam morte expiandum videbatur, ubi ille reſederit, interdum vix moleſta tunica dignum exiſtimatur.*

b) Novum æquitatis contra calumnias documentum.

gebantur, Theologisque tradita ſunt, divina ſingulari providentia, exemplaria, & amici cujusdam plurimum colendi dono, adipiſceremur. Quæ cum B L. communicare non dubitamus, ſubjectis ſimul ad præcipua objectionum momenta reſponſionibus, ipſius optimi eruditiſſimique *Schröderi* manu, docta, qua ſolebat, brevitate, & diſtincte adſcriptis, eandemque adeo mentem, ſi non verba, cæterorum collegarum, niſi, (quod credibilius eſt,) communi nomine reſponderit, referentibus. Quam etiam ob rem haud indigni nobis iſti viſi ſunt ſcrupuli, qui integri typis deſcriberentur, ut ſimul etiam difficultates, contra jusjurandum, Aphoriſmorum ſubſcriptioni ſuperaddendum, motæ & ſolutæ, a) quales fuerint, hinc intelligi poſſit. Fuerunt ergo

Dubia VOGELI.

Ad Aphoriſmum I. Dubium I.

Stante propoſitione hac: Vnus eſt, qui noſter Deus eſt, quam ex 1. *Cor. VIII,* 6. *colligi poſſe, fuit conceſſum; non plane video, quomodo ſtare poſſit altera: Tres ſunt, quorum unusquisque Deus eſt. Certum enim eſt: Vnum illum, de quo in propoſitione prima, eſſe numero unum, & ſimul etiam Deum eſſentia; nec minus etiam certum eſt, tres illos, de quibus in propoſitione altera, eſſe numero tres, & pariter etiam unumquemque ipſorum Deum eſſentia: unde hujusmodi exurgit oppoſitio:* (A) *Vnus numero eſt, qui eſt Deus eſſentia: Tres numero ſunt, quorum unusquisque eſt Deus eſſentia.*

Reſponſ.

(A) Non eſt vera oppoſitio, ſed error oppoſitionis, quia non obſervatur τὸ ὡσαύτως. Quippe prior propoſitio loquitur de eſſentia abſolute conſiderata: Poſterior de eſſentia relate conſiderata. b) Sicuti igitur non pugnant iſtæ: Vnus eſt numero, qui habet

a) Quæ *ſubtiliorum* objectionum repetitiones vel hodiernis quorundam ſcrupulis hinc inde ſparſis e medio removendis, iis præſertim, qui de Libris Symbolicis ſubſcribendis & jurata fide comprobandis agunt, inſervire queunt. Eadem vero dubiorum novorum integra deſcriptio cum reſponſionibus præmeditatis eo facere poteſt, ut, quoniam ad dicta quædam in colloquio provocant fluctuantes, cumprimis *Vogelius,* nonnulla quoque a Notariis feſtinante calamo omiſſa eſſe, quibusdam vero brevius dictis majorem lucem accendi potuiſſe, appareat.

b) Brevius hæc ita mihi enunciare fas eſt: Sufficit, *unum eſſe Deum,* toties ab ipſo Deo in Scr. S. affirmari, & tamen *hunc Deum, non ſolum Patrem eſſe, ſed etiam Filium & Sp. S.,* atque *hos tanquam alium aliumque diſtingui.* Reliqua, & modus diſtinctionis, realis certe & non fictus, quia ipſius Dei verbo teſtatisſimus, ſoli Deo cognita ſunt. Ita

habet essentiam unam, pluribus tamen communem: Et tres sunt, quorum unusquisque eandem habet essentiam, sed sub certo charactere hypostatico incommunicabiliter: sic quoque non pugnant istæ.

Dubium II.

Doceri cupio, qui fiat, quod actio illi uni Deo, qua uni, tributa non (A) *evincat, illum unum Deum esse persona unum: cum tamen actio Spiritui S. tributa ejus personalitatem evincere* (B) *credatur. Si vero ibi sufficit* (C) *unitas numerica; cur hic non sufficit eadem? An obstat ibi Scripturæ analogia, ne colligamus unitatem personalem? Sed quid si hic diceretur idem, idque probaretur* (D) *inde, quod Sp. S. alibi proponatur, ut res.*

Resp.

(A) Non evincit; quia obstat communicabilitas essentiæ. Quippe nomen Dei, absolute seu ἐστιωδῶς positum, significat essentiam pluribus communem, quæ ideo persona dici non debet.

(B) Evincit hic; qui nihil obstat, siquidem Sp. S. nomine essentia divina significatur non absolute, seu quatenus est communicabilis, sed relate, quatenus est communicata, & jam incommunicabiliter in Sp. S. persona subsistit. a) Vnde nomen Sp. S. non potest prædicari de pluribus, sicut nomen Dei.

(C) Non sufficit, sed requiritur insuper, ut, quod numero est unum, etiam sit incommunicabile, quomodo Deus non est numero unus.

(D) Inanis probatio 1) quia in locis fundamentalibus describitur, ut persona, 2) quia longe plures sunt loci, ubi describitur ut persona, quam, ubi proponitur ut res; 3) quia ubi proponitur ut res, nisi admittatur metonymia, ne quidem virtus Dei erit.

Dubium III.

Annon ex vers. 24. Cap. IV. Act. elici (A) *possit: Solum Patrem Dn. nostri Jesu Christi esse illum unum Deum, quippe cui creatio mundi videtur vendicari soli,* (B) *idque vi verborum, quo ipsum Apostoli compellant: Domine,*

verbis Scripturæ divinæ servatis rationi habenæ injiciuntur, mentique humanæ gloria obsequii & fidei relinquitur. Si cui vero *vocabula Ecclesiæ recepta* compendiosiora videbuntur, neque nostra hæc b. *Schrœderi* methodus displicebit. Mysterium certe non in verbis, sed in imperviо rationi modo, communis pluribus naturæ, at sine multiplicatione vel partitione, hæret.

a) In rebus finitis hæc difficilia quidem sunt intellectu, at si ipse Deus, sui ipsius optimus intimusque cognitor, distincte hæc doceat, quis in dubium ea vocare au-

mine, tu es ille Deus, qui &c. Esse enim eum, quem illi compellant Patrem Dn. nostri Jesu Christi, constat ex v. 27. l.c. Videantur loci, quoad loquendi modum (C) *simillimi, Joh. XI.27. Marc. VIII, 29. 2. Sam. XII, 17. Quemadmodum vero in his locis, vi locutionis,* (D) *recte colligitur prædicatum subjecto inesse soli: ita perinde faciendum videtur in loco Act. IV, 24.*

Resp.

(A) Non potest hoc inde elici: Quia non sequitur: Pater est ille Deus, qui fecit cœlum & terram: Ergo solus Pater est ille Deus, qui fecit cœlum & terram: Ratio, quia & nomen Dei & opus creationis tribuitur etiam alteri, præter Patrem: nempe Christo Joh. I. Hebr. I. &c. a)

(B) Non vendicatur hic soli Patri, sed soli vero Deo; idque respectu falsorum Deorum, de quibus dictum est Jer. X, 11. Dii, qui cœlum & terram non fecerunt &c.

(C) Immo dissimillimi: Quippe in istis prædicatum non est commune, sed adæquatum: Illic vero prædicatum patet latius, subjectum est angustius.

(D) Non vi locutionis, sed vi prædicati, quod subjecto non est latius.

Dubium IV.

Annon ex v. 20. Cap. III. ad Gal. concludi (A) *possit, Deum illum unum. unum esse persona, perinde ut is, cujus ibi negatur esse mediator. De una enim eadem unitate utramque istius versiculi particulam loqui, constare videtur ex mutuo respectu per voculam* (B) *δὲ indicato. Illum vero, cujus mediator esse negatur, unum esse persona, colligi potest ex vulgato axiomate, quod ibi extat, nempe: Mediatorem unius non esse, sed (quod alias addi solet) ad minimum esse inter duos: quod de personis dictum esse nemo ignorat.*

Resp.

(A) Non potest hoc inde concludi: Tum, quia, cum dicitur: Mediator non est unius, τὸ unus non significat præcise unum per-

 sona,

sit? nisi qui ultra crepidam judicio suo temere progredi non verecundetur. De Script. itaque Sacræ non opponendis invicem enunciatis tam sublimibus, sed conciliandis, laborandum est.

a) Scriptura igitur S. cum loquatur interdum de Deo, ut Deus est, idemque verus, non fictitius, & non nisi unus, contra πολυθεότητα Ethnicorum, *& unum & solum, deastros excludens* omnes, & ut *Patrem* simul benignum nominat ac prædicat; ita tamen, ut alibi, ubi de hoc ipso Deo, quis sit, distinctius describendo, cum Ecclesia diviniori agitur, plures in ea vera divinitate (personas,) & nominatim *Patrem* filium generantem, *Filium* item ab eo genitum, & *Sp. S.* ab utroque procedentem commemoret.

ſona, ſed unam partem (puta læſam vel lædentem) quæ alias una, alias pluribus, forte etiam nulla perſona conſtare poteſt, v. gr. ſi paſtor pro ovibus, venator pro cane intercedat apud alium. Tum, quia partis cujusque unitas e natura ſua propria conſiderari debet. Alias concludi poſſet in contrarium: Sicut homo pars una, pro qua eſt intercedendum, non eſt numero unus, ſeu perſona una, ſed ſpecie: ſic quoque Deus unus non eſt perſona unus, ſed eſſentia unus, apud quem eſt intercedendum. a)

(B) Particula δὲ nihil aliud ſignificat, quam quod, cum mediator ad minimum ſit inter duas partes, harum partium unam eſſe Deum, apud quem Moſes pro populo Iſraelitico interceſſerit.

Dubium V.

Quid dicendum (A) ad verſ. 3. Cap. ad Eph. I. & alios locos huic ſimiles, in quibus mentione facta τοῦ Θεοῦ *expreſſe determinatur; quis ſit ille* ὁ Θεὸς, *nempe, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti; cum negari nequeat,* τὸν Θεὸν *eſſe illum unum Deum, nec ejusmodi determinatio locum habeat, niſi determinans & determinatum ſe habeant æqualiter: h.e. neutrum altero latius pateat. Secus enim ſi accidat, ſit* ἀκυρολογία, *v. g. Homo & Petrus (B) Apoſtolus & Andreas? An dicendum, dici in his locis Patrem* τὸν Θεὸν καὶ ἐξοχὴν· *ſicut verbi cauſſa dici poſſet,* ὁ (C) Ἀπόστολος καὶ Παῦλος, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ ὁ χριστός. *Sed annon & hoc diceretur duriuſcule?*

Reſp.

(A) Dicendum: Aut particula καὶ ſumitur ἐξηγητικῶς, & tum patet, nomen Dei accipi ὑποστατικῶς· quia limitatur nomine Patris, & diſtinguitur a Filio: aut particula καὶ ſumitur copulative, &

a) Parum proficiunt *Sociniani* argumento ex hoc loco deſumto, præſertim ſi *Mediator* iſte non alius ſit quam *Moſes*, voluntatis divinæ & populi ad Deum interpres. Quid enim? Anne quisquam negat, Deum eſſe unum? Id vero ſi largiamur, utrum, non eſſe in Deo alium atque alium, hinc conſequitur? Imbecillis profecto conſecutio, quam tot loca, quot præter Patrem & Filium Spiritumque S. Deum eſſe teſtantur, eosque inter ſe nihilominus diſtinctos deſcribunt, retundunt. Multo vero minus ea locum habere poterit, ſi, *non fuiſſe Moſen præſtantioris fœderis, quod promisſione gratiæ continetur,* μεσίτην; *Sed verum illum genuinumque Mediatorem,* κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum, ſemen, inquam, illud promiſſum, *non unius populi*, ſed omnium gentium, *cum uno Deo* pacificatorem, his verbis requiri & indigitari, uti nuper nonnemini viſum eſt, dixeris. Omnium vero breviſſime ſcrupulum hinc natum removebis, ſi, *non de uno, nec perſona nec eſſentia Deo, ſed uno, reſpectu concordiæ & propenſionis amicæ*, uti Joh. XVII. 11. 21. hæc vox aliquoties accipitur, ſermonem eſſe exiſtimes. Hanc enim ſententiam, quam mediatoris officium ſubindicat, cujus eſt *diſſidentes conciliare*, poſtulat & ſtatus Eccleſiæ ſub *pacto Moſaico*, Dei iram nondum per ſe tollente, confirmat.

& tum nomen Dei poteſt accipi ὑποστατικῶς, ut ſit ſenſus: Benedictus eſt Deus, qui eſt Pater, Filius & Sp. S., & benedictus ſit peculiariter Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Neutro modo ſequitur, ſolum Patrem eſſe Deum: a) Non priori, quia etiam Chriſtus dicitur Θεὸς εὐλογητὸς Rom. IX. Non poſteriori, quia Pater hic peculiariter dicitur benedictus, quia ipſe primus eſt autor beneficiorum, quæ per Chriſtum ſunt nobis præſtita.

(B) Si vocabulum hominis accipitur in communi, ſimilis eſt locutioni iſti Marc. XVI, 7. Dicite diſcipulis ejus & b) Petro: ſi accipitur de ſingulari perſona non quadrat exemplum.

(C) Non quadrat: quia utroque nomine ſignificatur perſona: at cum dico: Deus & pater, nomen prius ſignificat eſſentiam, poſterius perſonam.

Dubium VI.

Annon, (A) ſi dicantur eſſe in una divina eſſentia tres perſonæ, eſſentia divina ſtatuatur ſpecie una: quippe quæ communis (B) ſit tribus individuis; cum omnis perſona ſit individuum? Sin; quomodo numerica illa unitas contra Tritheitas evidenter demonſtrari poterit; cum ſecundum Philoſophos eſſentia (C) individua intelligens, non minus incommunicabilis ſit, quam perſona; immo cum hac prorſus eadem? Ex Dei enim appellatione (D) quomodo res plane confici poſſit, nondum ſatis perſpicio, eo, quod illi concedere poſſint, eſſe eam tribus illis perſonis communem, atque ſic non tantum patrem, ſed & filium & Sp. S. eſſe Deum; negare autem conſtanter, unitatem Deo in ſacris litteris tributam eſſe numericam, ſed ſufficere, ſi ejusmodi ſit, quæ dicitur concordia. (E)

(A) Negatur; Quia tres ſunt perſonæ in eſſentia κατ᾽ ἀριθμὸν una. c)

 (B)

a) Nihil difficultatis hæc continent, dummodo ad *Oeconomiam* δικαστικὴν inter Perſonas divinas conſilio divino ſapientiſſime conſtitutam, qua *O. M. Numini* e luce ſua abdita veluti prodire lubitum fuit, reſpicias. Ad hanc vero ſi animadvertas, *Patremque* ut *judicem*, *Filium* ut μεσίτην, *Sp. S.* ut *præconem & paracletum* conſideres, perfacile, cur Patri h. l. electio tribuatur, elucebit. Nec porro minus, cur ſolus Pater commemoretur, patebit; ideo ſcil., quia *cæterarum Perſonarum manifeſtatio* in iſta oeconomia judicii, & *decreti* potiſſimum divini *ex executione magis, quam electione* eluxit.

b) Sic ſæpius *Vav* Hebr. & Græc. καὶ pro particula *inprimis* accipi, paſſim, a b. *Glasſio* quoque in *Grammat. S. L. III. Tr. VII. Can. III f.* 586. *ed. vetuſt.* obſervatum eſt.

c) Vnus videlicet καὶ μόνος Deus, & tamen ita unus, ut in iſta una natura ſint alius atque alius, quibus nomen Dei peræque tribuitur.

(B) Quicquid eſt commune tribus individuis, ſcil. per ſui multiplicationem, a) id ſpecie eſt unum : Vel ſic : Verum hoc eſt Philoſophice, ſeu in rebus creatis, non Theologice.

(C) Quod philoſophi hic docent, philoſophice eſt verum, h. e. in rebus creatis; b) non autem ſimpliciter eſt verum, quia non eſt verum in divinis, ubi datur individuum, quod non ſit incommunicabile, nempe eſſentia divina, una pluribus perſonis communis. c)

(D) Et quis inde d) rem conficere inſtituit ? Conficitur autem evidenter aliunde, ut 1) quod dicitur Deus unus, 2) quod ita dicitur unus, ut πολυθεότης e) diſerte damnetur. 3) quia ut numero unus de ſe loquitur, ut, quoad numerum, uno, f) 4) quia a nobis compellatur ut numero unus &c.

(E) Vnitas concordiæ eſt unitas metaphorice ſic dicta. At in fundamentalibus Scripturæ dictis ῥητὸν non eſt temere deſerendum. g)

Dubium VII.

An ullus ſit Script. locus, ex quo ſolo & per ſe poſſit (A) *ſacroſancta trium perſonarum unitas illa demonſtrari ? Sive ; An ullus ſacrarum litterarum locus ſit, ex quo ſolo, facili aliqua methodo & neceſſaria conſequentia, deduci poſſit hæc concluſio : Ergo Pater, Filius & Sp. S. ſunt ille unus Deus?*

(A) Primum : Non eſt neceſſe, ut id ex uno loco demonſtretur; Eſt enim Articulus multimembris, ubi ſatis eſt, ſingula ejus membra ſingulis locis demonſtrari : puta, 1) quod unus ſit numero Deus, 2) quod pater ſit ille Deus, 3) quod Filius ſit ille numero unus Deus, 4) quod Sp. S. ſit ille numero unus Deus. Quibus probatis probata eſt iſta concluſio : Ergo P. F. & Sp. S. ſunt unus ille Deus. Si tamen

a) In Deo autem communio eſt ſine multiplicatione : τρεῖς καὶ εἷς.

b) Hoc eſt finitis, & ab infinito Numine limitibus certis circumſcriptis.

c) Revelatione Dei de ſe ipſo teſtantis hæc docente, quæ alioquin ignoraret Theologia naturalis.

d) Ex *ſolo Dei vocabulo*, præſertim ſi Hebr. אלוהים numero plurium ſpectes formatum.

e) *Non alius præter eum*; quod aliquoties legitur additum.

f) Etiam quando verbum, adjectivum & ſimilia cum plurali *Elohim* conſtruuntur. Huc certe *Schröderus* digitum intendit. De robore ipſo hujusmodi argumentorum, alibi jam, quid ſentiendum ſit, monuimus, nunc mentem Viri doctiſſimi explanamus.

g) Præſertim ubi non εἷς ſed ἕν genere neutro legitur expreſſum. Cæterum loco ſupra citato Joh. XVII. 11. ſqq. *non æqualitatem* unitatis, *ſed qualitatem*, quemadmodum & perfectio talis Matth. V. ult. exigitur, nemo non deſignari intelligit.

tamen (Secundo) illud fieri necesse sit, e verbis baptismi sic concludo: In cujus fidem & nomen baptizamur, a) iste est unus ille Deus. Atqui in fidem & nomen P. F. & Sp. S. Ergo &c. b)

§. LIV.

Ad Aphor. II.

Annon, quando ad loca Script. quæ Sp. S. ut rem, quæ personæ contradistinguitur, proponunt, respondetur * : *Opponi illis posse multo plura, quæ eundem proponunt ut personam; numerentur potius argumenta, quam ponderentur,* (A) *cum in illis tropo locus* (B) *esse nequeat; bene autem in his; nec ubique etiam dici possit, Sp. S. accipi pro donis? Consideretur* (C) *enim locus Act. II. 13. ubi de effusione Sp. S. super Apostolos (quam ipsissimam ejus esse missionem a Christo promissam apparet, ex collatione loci citati v. 33. & Joh. XVI. 7.) agitur, & alius 1. Joh. III. 24. & c. IV. 13. Nam cum in his locis sermo sit de Sp. S., non quatenus jam in nobis est, sed quatenus in Deo est,* (D) *& demum in corda nostra mittitur, non perspicio, quomodo responsio ista iis accommodari possit.*

* Respondebatur hoc, cum ageretur de argumento, quod petitur ex operationibus personalibus.

(A) Numerantur & ponderantur simul; quia affertur regula interpretum: Quod in dubiis c) pauciora exponenda sint secundum plura: Item quia in fundamentalibus ῥητὸν non sit temere deserendum.

(B)

a) Conf. 1. Ep. ad Corinth I. 14. ubi *Deo gratias agit Apostolus, quod non nisi paucissimos ipse* sua manu *baptizarit, ne quis dicat,* εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα; cum paullo ante non sine commotione animi interrogasset: *Num in nomen Paulli baptizati estis?* Certe non alia de caussa, quam quod id, quod *Deo soli proprium sit, sibi arrogasse,* hinc consequeretur, hocque *sacrilegii* quoddam *specimen* non injuria censeri posset. Vnde contra, hanc consecrationem solennem non nisi Deo, eique soli, convenire, tanquam religionis præcipuum actum, liquet.

b) Locum 1. Joh. V. in hac tota disputatione omissum esse & silentio præteritum hanc unam ob caussam suspicor, quod ambages effugiorum Criticorum evitare *Schröderus* maluit, quam ad ea verba provocare, quibus vel firmiora vel æque solida alibi occurrentia facile substitui possent. Pro genuino enim habuisse, non supposititio, ex aliis ejus scriptis evidentissime patet.

c) *Mysteriis* præsertim: Cæterum cum de Deo sæpius loquatur scriptura S. ut hominem, sed præter locum Joh. IV. 24. vix unquam Spiritum appellet, non sine caussa hæc limitatio addita est. Spiritum enim esse Deum, tota ejus natura perfectissima, cum imperfectionibus materialibus comparata, evincit, ut operosa inculcatione opus non fuerit; at divinas perfectiones eo modo nobis crebrius delineare, qui captui nostro accommodatus esset, omnino necessarium erat.

(B) Falſiſſimum : cum, quia de perſona non minus poſſunt dici, quæ ſunt rei ; quam de re, quæ ſunt perſonæ; niſi forte perſonis metaphoræ a rebus petitæ non poſſint tribui; tum, quia in iis,quæ illi afferunt, quædam de virtute Dei ſine tropo intelligi non poſſunt.

(C) Conſidero & dico: Nihil infinitum, ſive ſit perſona, ſive ſit virtus divina, proprie mitti ſeu effundi a) poteſt.

(D) Immo, quia in his locis agitur de Sp. S., ut dato, utique ſermo eſt de Sp. S., qui quidem in Deo ſemper eſt per unitatem eſſentiæ, in nobis vero cœpit eſſe per gratiam : b) Et qui in corda noſtra mittitur, non per ſui mutationem localem, ſed per cordis noſtri ſanctificationem, aliasve gratioſas appellationes. c)

Ad Aphor. III.

Admodum mirum videtur, Filii Dei generationem æternam non poſſe a priori (A) *ex ſacris litteris oſtendi ; immo ne a poſteriori quidem, niſi pro conceſſo ſumatur, non poſſe filiationis illius divinæ monſtrari initium. Certe ejusmodi probandi modus, quomodo conſcientiæ dubitanti ſatisfaciat, nondum video. Niſi enim fallor, ejusmodi demonſtratio hinc exurget: Cujuscunque rei, quam S.Litteræ Chriſto tribuunt, non poteſt ex iisdem demonſtrari initium, ea eſt æterna. Atqui Filiationis divinæ non poteſt &c. Ergo eſt æterna. At vero, annon poſſet quis ſimili modo* (B) *argumentari de diebus Melchiſedeci : Cujuscunque rei &c. Atqui dierum, quos ſacræ litteræ Melchiſedeco tribuunt, non poteſt ex iisdem demonſtrari initium &c. Ergo. Quicquid ad hoc argumentum reſpondebitur, idem fortaſſis dici poterit ad argumentum pro divina filiatione Chriſti æterna allatum. Sed annon etiam de aſſumtione argumenti ejusdem merito adhuc dubitari poſſet? Annon* (C) *enim, ſi apud omnes in confeſſo ſit, Chriſtum in tempore vi virtutis altisſimi* (*quæcunque illa tandem* d) *ſit*) *in utero virginis fuiſſe productum, ſatis de Filiationis hujus initio ex ſacris litteris conſtabit ? Sunt vero verba Angeli clarisſima : Sp. S.* (D) *ſuperveniet in Te --- vocabitur. Deinde,*

a) Ergo vel ipſum *effuſionis* vocabulum a ſignificatione propria nos abſcedere jubet.

b) Nova operatione, qua ſe Deus patefacit, non tamen abſente ſubſtantia ſua; coll. Pſalm. CXXXIX. 7. Rom. VIII. 9. & 14. Joh. XIV. 16. 26. 1. Cor. XII. 6. &c.

c) Quemadmodum *&* *Pater atque filius ad fideles* Deo *venire* dicuntur, inque iis permanere, ut habitaculis ſuis Joh. XIV. 23. non intimiori præſentia naturæ, ſed novo præſentiæ, quæ nec poteſt eſſe penitior, qua ſubſtantiam, patefactionis & operationis modo : in quam ſententiam *etiam ad impios venire*, ut in eos animadvertat juſtis promeritisque pœnis, ſubinde de Deo dicitur.

d) Videtur *Vogelius* hac parentheſi controverſiam, de virtute Dei pro perſona, aut pro attributo ſumta, velle ſepoſitam, atque in præſenti omittendam.

inde, si probari possit, Jesum illum Mariæ filium, in tempore incepisse esse Christum, & vere esse Christum, & esse Filium Dei, in sacris litteris sunt unum & idem; annon hinc quoque dubia (E) *fiet demonstrationis illius assumtio? Prius quidem multis ostendere non est opus, cum inter omnes constet, Jesum, Dominum nostrum, in tempore esse missum & sanctificatum a Patre, in quo ipso munus illud, ob quod Christus dicitur, consistit. Posterius vero apparere videtur ex collatione v. 16. cap. XVI. Matth. cum v. 29. c. VIII. Marc. & v. 20. c. IX. Lucæ. Quod enim in loco primo dixisse legimus Petrum verbis his: Tu es Christus ille Filius Dei, idem apud Marcum l.c. comperimus simpliciter expressum: Tu es ille Christus, & apud Lucam: Tu es ille Christus Dei. Cum vero verba hæc contineant petram illam, super quam ædificata sit Ecclesia, citra injuriam* (F) *duorum posteriorum scriptorum sacrorum, dici nequit, quicquam in eo annotando fuisse prætermissum; a qua tamen culpa liberari non possent, si aliud* (G) *foret: Esse Christum, quam esse filium Dei, eo quod sic tam hoc, quam illud fuisset annotandum. Idem, ni fallor, liquet ex Cap. IX. Act. Quod enim divinus scriptor de Saulo jam modo ad Christum converso dicit v. 20. quod prædicaverit Christum (qui tum ita appellabatur) esse filium Dei: mox idem v. 22. repetit h. m.* (H) *affirmans, quod is, (quem Saulus annunciabat) esset Christus: Conferri etiam in hanc rem possunt inter se v. 1. Cap. V. Epist. 1. Joh. & v. 15.* (I) *Cap. IV. Ep. ejusdem. Considerari item verba queunt Joh. XI, 27; quæ emphatice admodum tribus modis unam eandemque rem* (K) *exprimit.* a)

(A) Egone dixi: Non posse a priori probari, h. e. e certis quibusdam Scripturæ dictis. Malui vero ego uti consequentia, quia festinabatur, b) & compendiosius res ita expediri posse videbatur.

(B) Ingens dissimilitudo: Quippe demonstratio prior nititur præsupposita æternitate Christi. Vt hic sensus: Quicquid competit æterno, id est æternum, nisi principium ejus temporale demonstratur aperte. Atqui divina filiatio competit Christo æterno. c) Ergo est æterna, nisi principium &c. At in Melchisedeco, quem certum est hominem & creaturam tantum fuisse, d) non

 potest,

a) (Forte *exprimunt.*)

b) Vel hinc igitur patet, si quæ in Disp. superiori occurrant, quæ limam patiantur, non caussæ id imbecillitati, sed circumstantiis quibusdam esse adscribendum adventitiis.

c) Quæ æternitas etiam prius quam *filiatio* probata fuit.

d) Patet ex his verbis, alienum fuisse *Schröderum* ab ea sententia, qua, *Melchisedecum*, Regem *Salemi* (dehinc *Jerusalem* a *Jebusæis* ferocientibus dictæ) ipsum fuisse Filium Dei, nonnulli perhibent. Et re-

poteſt præſupponi æternitas. Vt taceam dies a) proprie æternos dici non poſſe, ſicuti filiatio dici poteſt.

(C) Non ſane, niſi & iſtud in confeſſo ſit, Chriſtum ratione perſonæ eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον: quod omnes orthodoxi conſtanter negant: aut non poſſit probari, filium Dei fuiſſe, antequam naſceretur ex Maria virgine, quod omnes orthodoxi conſtanter affirmant.

(D) Sunt verba clarisſima: Non tamen oſtendunt, quando Chriſtus primum ſit factus, aut cœperit dici filius Dei, ſed quando & quare id, quod e Maria naſciturum erat ſanctum, factum ſit aut dici cœperit Filius Dei: nempe tum, quando ex Maria virgine naſciturum erat, & ideo, quod virtus altisſimi h. e. filius Dei in utero Mariæ virginis aſſumturus eſſet illud. Vnde apparet, Filium hominis dici Filium Dei, propterea, quod incarnatus ſit Filius Dei, b) non autem propter ſui nativitatem c) ex virgine. Alias Johannes Baptiſta pari modo poſſet dici filius Dei, utpote ex annoſa & ſterili matre d) prognatus. Item Adamus e gleba terræ aut Eva e coſta Adami condita. e) Et majori ratione angeli e nihilo creati: de quibus tamen dictum eſt: Cui angelorum &c. Hebr. I.

(E)

cte quidem: Ecqui enim potuiſſet cum eo, uti a *Paullo* & *Davide* factum eſt, tanquam typus cum ἀντιτύπῳ comparari? Sine patre autem & matre fuiſſe, l. c. Hebr. VII. dici, quod illi haud memorentur a *Moſe*, in Chriſtum vero longe excellentius ea quadrent, luce meridiana clarius eſt. Sed vel hinc etiam, naturam ei talem competere, qua *Patrem* habeat *ſine matre*, perinde ut proprie ſec. alteram, *matrem ſine patre*, h. e. verum ex nativitate Deum & hominem eſſe, invicto argumento effici poteſt, quod vulgo negligi valde miror.

a) Numero plurium; Ipſa namque æternitas dies, *hajjom*, h. e. *dies perpetuus* Pſ. II. dicitur. *He* namque Articuli haud raro univerſalem notionem ſuſtinet.

b) Seu una eademque Perſona, quæ etiam, ſec. aliam naturam, filius ſit Dei.

c) Supernaturalem formationem, præſertim jam ante exiſtens, quod plurima Scr. S. loca Joh. I. Joh. VIII. Mich. V. &c. demonſtrant.

d) Et certo modo ſupernaturali.

e) Videri equidem poterat Luc. III. 38. *Adam filius Dei* appellari; Sed ſi vel maxime id largiaris, non tamen ob ſingularem ortum, verum ob generalem a Deo originem & creationem id factum eſſe dicendum foret. Quod ſi vero, (quæ perquam ingenioſa eſt Celeb. D. *Joh. Mich. Langii* noſtri in *Tr. de Geneal. Chriſti* & in *Oblat. Sacr.* aliquoties repetitis ejusdem L. *compendiis* ſententia,) non ad ſingulas perſonas *filii* nomen ſubauditum referendum eſſe putes, ſed ad Chriſtum, more ſcripturæ Sacr. omnium majorum ſuorum non nepotem aut pronepotem, ſed filium dictum, atque non tam Adamum Dei, quam *Chriſtum Adami*, tranſituq; hac occaſione ad alteram naturam facto, *filium quoque Dei* vocatum exiſtimes, res omnis erit in vado. Cæterum *Syrum* & *Arabem* hic mutare loquendi genus, jam a *Grotio* annotatum eſt.

(E) Ambiguitas eſt in nomine Chriſti, quo alias ſignificatur perſona ſimpliciter, nulla habita ratione ſive fuerit ungenda ſive uncta. Quippe ita vocatur ungenda προληπτικῶς in N. T. 1. Cor. X. Hebr. XIII. & προφητικῶς in Veteri Pſal. II. Alias vero ſignificatur eodem nomine perſona illa non ſimpliciter, ſed limitate, quatenus jam uncta. Priori modo Chriſtum & Filium Dei æquipollentia nomina eſſe concedimus: poſteriori vero non item, quia tum nomen Filii Dei latius patet, quam nomen Chriſti; latius dico, ratione temporis. a)

(F) Nulla eſt iſta injuria: 1) quia id ſolenne eſt, ut unus Evangeliſta paucioribus recitet verbis, quod alius recitavit pluribus: b) 2) quia nomen anguſtius includit latius. Qui enim Mariæ filium dicebat Chriſtum illum, de quo prædictum erat, quod futurus eſſet filius Dei, hoc ipſum tacite c) indicabat; 3) quia Marcus in primo Evangelii ſui verſiculo idem dixerat, & Lucas in primo capite, ubi annunciationem angelicam recitabat.

(G) Etſi iſta ſint aliud atque aliud, quatenus Filium Dei eſſe ſignificat a Patre genitum eſſe, Chriſtum eſſe ſignificat unctum eſſe, non tamen ſignificant niſi unam perſonam, quæ propter unctionem dicitur Chriſtus, propter nativitatem a Patre Filius Dei. Exemplum: Alexander fuit filius Olympiæ & Monarcha orbis.

(H) Non tamen inde ſequitur, quod utrumque nomen eundem ſignificet eodem modo, cum prius eum ſignificet eo modo, qui omnibus temporibus convenit, poſterius iſto, qui N. T. competit. Satis eſt, quod utroque nomine ſignificetur eadem perſona, de qua infidelibus Judæis utrumque demonſtrandum erat, d) & quod eſſet Chriſtus, & quod eſſet Filius Dei, puta, æqualis Deo.

(I) Quippe qui dicit Jeſum eſſe Filium Dei, eundem dicit Chriſtum, non tamen per hoc, quod dicitur Filius Dei, ſed quod nemo

 homi-

a) Erat enim, & erat quoque Filius Dei, cum nondum eſſet unctus. Paucis: Alterum nomen eſt *naturæ*, alterum *officii*, perſonam duabus naturis conſtantem ſupponens.

b) Idque conſulto, ne alter alterum videretur deſcripſiſſe.

c) Non poteſt enim eſſe Chriſtus, niſi θεάνθρωπος· quod officiorum ἀποτελέσματα efflagitant.

d) Vtrumque enim negabant. In demonſtratione autem altera, *Jeſum* nempe *eſſe Chriſtum*, ideo crebrius occupatus legitur *Paullus*, quia, hac veritate comprobata, ex officii rationibus & ſcripturæ quoque teſtimoniis, multo facilius erat alteram evictam dare. Itaque *ordo* hic demonſtrationis *poſterior* etiam *naturalis* eſt; *iſte*, ubi filium Dei eſſe prius oſtenditur, *arbitrarius*.

hominum, præterquam Chriſtus, Filius Dei futurus eſſet. Et viciſſim, qui dicit Jeſum eſſe Chriſtum, eundem dicit filium Dei, non tamen per hoc, a) quod dicitur Chriſtus, ſed quia Chriſtus Filius Dei futurus erat.

(K) Vna eademque perſona exprimitur, ſed alio tamen atque alio ſignificandi modo.

Ad Aphor. IX.

Ad Argumentum meum, quod ex Act. XIV, 14. *contra æternam Chriſti divinitatem proponebam, nihil aliud reſponderi memini, quam Chriſtum non eſſe nobis* (A) ὁμοιοπαθέντα *ſua natura,* (B) *vel per ſe, ſed per voluntatem liberam. Loqui autem Apoſtolum de* ὁμοιοπαθεία, *quæ priori illo modo, non autem de ea, quæ poſteriori inſit. Verum neſcio, quomodo hæc reſponſio nondum mihi omnino ſatisfaciat. Etenim, ſi verba Apoſtoli & ſimul verborum illorum occaſionem penitius intueamur, manifeſtum, credo, fiet, loqui Apoſtolum de* ὁμοιοπαθεία, *quæ in oculos hominum incurrit,* (C) *nullo prorſus habito reſpectu ad modum, quo illa inſit. Nam cum verba ſimpliciter ſonent, nec poſſit reſtrictionis* (D) *ejusmodi afferri ratio, nec potuerint etiam illi, ad quos verba illa fiebant, tale quid colligere:* (E) *immo utut denique tale quid colligere potuiſſent, argumentum in his verbis contentum redditum fuiſſet ineſſicax;* (F) *omnino dicendum videtur, Apoſtolum hoc modo* (G) *fuiſſe progreſſum: Quicunque verus homo eſt, is non eſt Deus, cui ſit ſacrificandum. Atqui nos veri homines ſumus. Ergo non ſumus Dii, quibus eſt ſacrificandum. Quia vero de minore dubitare* (H) *poterant ii, contra quos hoc argumento utebatur Apoſtolus, quippe qui ipſum & Barnabam non pro nudis hominibus, ſed pro Diis in forma hominum apparentibus habebant; pro ejus confirmatione addit duo illa verba:* ὑμῖν ὁμοιοπαθέντες· *ex quibus probatio oritur talis: Quicunque ſunt homines* ὑμῖν ὁμοιοπαθέντες, *ii ſunt veri homines. Atqui nos &c. Ergo. Hinc ergo talem collectionem* (I) *deduco: Quicunque homo eſt nobis* ὁμοιοπαθής, *is non eſt Deus, cui ſit ſacrificandum, h. e. verus ille & unus Deus. Atqui Chriſtus eſt homo nobis* ὁμοιοπαθής. *Ergo Chriſtus non eſt Deus, &c. Propoſitio eſt Apoſtoli, quem reſpectum habere etiam* (K) *ad* ὁμοιοπάθειαν *illam, quæ in peccatis conſiſtit, veriſimile non eſt. Loquitur enim is de ejusmodi* ὁμοιοπαθεία, *quæ in oculos Lyſtrenſium, ut dictum eſt, incurrebat, atque adeo ſemetipſum probatum dabat, quod de peccatis Apoſtoli minime dici*

a) *Formaliter*: Præſertim, ſi in ea ſis opinione, potuiſſe genus hominum alio modo, quam per Filium Dei ἐνσαρκωθέντα redimi.

dici poteſt; quippe quem nefas eſt dicere in conſpectu hominum illorum peccaſſe. Aſſumtio eſt ab omnibus conceſſa: Nondum igitur video, quomodo non procedat concluſio.

(A) Non valde urgeo, cum, quia commodior ſuppetit reſponſio, tum, quia non fuit principaliter, quantum memini, mea, ſed Dn. *Königii:* non autem, a) quod non poſſit defendi ſuo modo. b)

(B) Scil. hoc modo, ut non potuerit non pati. Si enim nullo modo natura fuiſſet ὁμοιοπαθὴς, nec libera voluntate potuiſſet pati. Negatur itaque in Chriſto neceſſitas actus, non potentia. c)

(C) Hoc falſum eſt: Non videbant ὁμοιοπάθειαν, alias non dixiſſent: Dii deſcenderunt ad nos, nec opus fuiſſet Apoſtolis illam proponere, ut dehortarentur eos ab inſtituto ſacrificio: ſed videbant miraculum.

(D) Ratio affertur illa, quia alias nec Chriſto ὁμοιοπαθῆ eſſet ſacrificandum: quod ne quidem adverſarii concedunt.

(E) Nec opus erat, ut iſtud colligerent; Satis enim erat, ſi colligerent: Si ſunt homines, aliis quoad patiendi aleam aut neceſſitatem ſimiles; Ergo non ſunt Dii. Quod enim Chriſtus libera voluntate ſit ὁμοιοπαθὴς nobis, aliunde colligendum erat. d)

(F) Quid? Annon efficax eſt argumentum: Qui eſt homo neceſſitati patiendi, inſtar aliorum hominum, obnoxius, is non poteſt eſſe Deus.

(G) Vel potius hoc modo: Quicunque eſt homo aliis hominibus e) ὁμοιοπαθὴς, hic non eſt Deus: Paullus &c. ſunt homines hominibus aliis ὁμοιοπαθεῖς, Ergo non ſunt Dii: Et conſeq. nec ſacrificio colendi.

(H) Quomodo dubitarent, cum audirent dicentes: Ἔσμεν ἄνθρωποι, quos credebant prius eſſe Deos?

(I) Reſpondeant potius Photiniani pro ſe. Reſponſio noſtra eſt planiſſima: Quicunque eſt homo nobis ὁμοιοπαθὴς, is non eſt verus Deus: ſcil. ſecundum eam naturam, ſecundum quam nobis

 eſt

a) Add. forte: *Dico.*

b) Etenim ad ὁμοιοπάθειαν *Chriſto* non eodem prorſus modo, ut nobis competentem, res tandem omnis redit.

c) Perinde, uti *mortalis* in ſtatu κενώσεως ab aliis dicitur, ab aliis vero per meram λογομαχίαν alio ſenſu negatur.

d) Quem ſane nos etiam, ut merum hominem, niſi alia de eo Script. divina teſtaretur, veneraremur, ex ὁμοιοπαθέια videlicet æſtimatum. *Intelligunt pii*, verba D. *Chytræi e Reg. Vitæ* recitamus, *in Antinomiis Scripturæ faciendam eſſe collationem textuum, & retinendam eſſe eam ſententiam, quæ cum univerſa Scriptura conſentit.*

e) Hoc eſt, *eodem*, ut alii (ὑμεῖς) *modo.*

est ὁμοιοπαθής. Ita conceditur conclusio. Vel: Quicunque est nobis ὁμοιοπαθής, ut ψιλὸς ἄνθρωπος, ille non est verus Deus. Ita falsa est assumtio. Vel: Qui nobis est ὁμοιοπαθής, scil. tantum, seu ita, ut non sit simul ὁμοιεργὴς aut ὁμοιόδοξος Deo, is non est verus Deus. Ita rursum falsa est assumtio. a)

(K) Quod ad peccata peculiarem respectum habuerit, verba non evincunt: Quia tamen indefinite loquitur, non erratur, si inter illa mala etiam communis peccandi infirmitas referatur.

§. LV.

Ad Aphorism. X.

Annon, si bona sit ratio, quæ ex collatione v. 25. cap. IV. Act. cum v. 2. Cap. XXIII. Libr. II. Sam. & v. 7. c. III. Itemque v. 15. cap. X. Epist. ad Hebr. pro divinitate Sp. S. ducitur præcipua, * *eodem prorsus modo concludi possit, Sp. S. esse Patrem Dn. nostri Jesu Christi hoc syllogismo: Ille, qui locutus est per Davidem, est Sp. S. Ergo Spiritus S. est Pater Dn. nostri Jesu Christi. Propositio est Act. IV, 25. coll. cum v. 27.* b) *Assumtio est v. 2. c. XXIII. Libri II. Sam. & v. 7. Cap. III. itemque v. 15. Cap. X. Epist. ad Hebr. Conclusio autem est absurda. Cum vero vitium nullum sit in præmissis collectis, necesse est, ut sit illud in earum colligendarum modo, qui tamen modus est in plerisque rationibus, quibus probatur Divinitas Sp. S. conferendo videlicet Script. loca, quæ aliquid tribuunt Deo, cum iis, quæ idem tribuunt Sp. S. Proinde discere* (A) *cuperem, quando hic modus colligendi procedat, quando non?*

* Ego præcipuam non dico. Nec tamen nulla est.

(A) Respondetur: Quando in medio termino non est ambiguitas, seu, quando medius terminus non est διττός, qualis est in Syllogismo proposito, in quo major & minor non loquuntur de eodem illo: Quæ vero loquuntur de eodem, cum dicitur: Ille, qui locutus est per os Davidis, est Deus. Ille, qui locutus est per os Davi-

a) Miror ego, tam pertinaciter huic, & nunc & supra quoque, inhæsisse dubio *Vogelium*, cum sit manifestissimum, hoc argumento, quoniam nemo est, qui non largiatur, ex ὁμοιοπαθείᾳ Christum merum esse hominem consecuturum esse, nisi aliunde de dignitate personæ ejus constaret, utique licere uti. At, postquam longe alia de ea jam edocti sumus, & vel ipsa miracula, diversimode a *Christo* & *Paullo* patrata, ingens inter utrumque esse discrimen, ut Domini & Ministri, demonstrant, huic rationi par robur, uti, quando de *Paullo* sermo est, tribuere ineptum esset.

b) Coll. enim vers. 27. *ejusdem* Conditoris cœli & terræ per *Davidem* loquuti *filius dicitur Jesus.*

Davidis, est Sp. S. Ergo. Item: Quando alterutra præmissarum æquipollet universali: Qualis est ista: Quicunque locutus est per os Davidis, est Deus. Nec enim mediante altero locutus est per os Davidis Deus. Non autem illa: Quicunque locutus est per os Davidis, est Pater. Vid. Act. XXVIII, 25. a)

Ad Aphor. XI.

Ex collatione Christi cum Adamo, quæ est apud Apostolum Rom. V. & 1. Cor. XV. videtur pro Photinianis tale formari posse argumentum: Quicunque (A) *quantus quantus est, ut homo confertur cum alio puro puto homine, is præter naturam seu essentiam humanam in se habet nihil aliud. Atqui Christus, quantus quantus est, ut Homo confertur cum puro puto homine, Ergo Christus &c. Majoris ratio videtur per se esse manifesta. Qui enim cum aliquo confertur quantus quantus est, ille certe confertur totus, adeoque secundum omnia illa, quæ in ipso ceu partes principaliores distinguuntur: Qui porro confertur quantus quantus est, qua, seu ut homo, ille certo præter id, quod ipsum humanum est, in se nihil potest habere aliud. Minor probatur ex locis citatis, in quibus Christus confertur cum Adamo puro puto homine, quatenus* (B) *per ipsum eximium quid, nempe justitia & resurrectio mortuorum, effectum est, quod quia ipsi toti necessario tribuendum est, apparet, conferri ipsum, quantus quantus est, & quidem ut hominem, ut constat ex verbis loci utriusque: Vi igitur collationis hujus, quæ procedere non* (C) *posset, si in Christo divina aliqua natura, cujus beneficio eximia illa potissimum parta essent, foret, sequi videtur, in Christo præter humanam essentiam nihil esse aliud.*

(A) Propositio conceditur de collatione essentiali, in qua medium comparationis est substantia: non autem de collatione accidentali, in qua medium comparationis est accidens, aut ἀποτέλεσμα seu opus: præsertim si collatio fiat κατ' ἀντίθεσιν. Fieri enim potest, ut comparatorum unum sit compositum, alterum non item. b) v. c. Cor-

a) Eadem ergo h. l. responsio locum habet, quæ ad tritum illud, interque hos *Neo-Socinianos* tantum roboris ostentans, sophisma dissolvendum valuit; quando h. m. complices alios decepturi: *Verus Deus est Trinunus; Filius est verus Deus: Ergo Filius est Trinunus*; ratiocinati sunt. Etenim, uti hujus ratiocinii fraudes primum ex sola ambiguitate vocabuli Deus, essentialiter aut personaliter accepti, tum vero etiam ex majori propositione in universalem, ut par est, conversa, & paullo dilucidius sec. leges Syllogismorum explanata, detegi possunt: ita hic quoque fucus eadem prorsus via ac methodo quam commodissime abstergitur.

b) Omnium rectissime huc provocat *Schröderus*. Neque enim negari potest, cum *Adamo primo secundum* h. l. comparari, atque, hominem verum utrumque esse,

Corpus hominis poteſt aſcendere, corpus lapidis non poteſt niſi deſcendere. Et quid reſpondebunt ipſi, ſi dicam: Chriſtus, quantus quantus eſt, confertur cum puro puto homine Adamo: Ergo, ſicut purus putus homo Adamus non habet divinam potentiam, ita nec Chriſtus.

(B) Recte: ac proinde collatio non fit in eſſentia, ſed in opere ſeu effectu. a) Non autem ſequitur, ſi cauſſa unius conſtat una tantum natura; Ergo & alterius. Item: Non ſequitur: Si cauſſa mortis aut peccati eſt ψιλὸς ἄνθρωπος: Ergo & cauſſa reſurrectionis & juſtitiæ itidem eſt ψιλὸς ἄνθρωπος.

(C) Quidni? Fit enim collatio inter hominem & hominem non ratione eſſentiæ, quæ in Adamo ψιλῶς humana, in Chriſto non item eſt, ſed ratione contrariorum effectuum. Cui non obſtat, quod unius effectus a divina natura potiſſimum pendent: ſatis eſt, quod ab humana quoque b) pendent, & quod divinæ humana hypoſtatice eſt conjuncta. Neque enim hoc agit Apoſtolus, ut oſtendat, ſicut mors ſit ab homine ψιλῷ, ita quoque reſurrectionem a ψιλῷ homine proficiſci. Sufficit ei, quod utraque ſit ab homine. c)

Ad Aphor. XV.

Pro ſententia illa, quæ ſtatuit, Chriſtum ſacrificium ſuum non in terra, ſed in cœlo obtuliſſe, videtur ex initio Cap. VIII. epiſt. ad Hebr. ſic poſſe concludi: Cujus tabernaculi (A) *Chriſtus non eſt adminiſtrator, in eo non obtulit ſacrificium. Atqui terreni tabernaculi non eſt adminiſtrator. Ergo.*

Si

hinc colligi poſſe; at quantus quantus eſt, hunc (ſecundum Adamum) hominem eſſe, nec affirmatur explicite, neque etiam firma conſecutione deduci poteſt. Et quamlibet neque alia præditum eſſe natura, præter humanam, hominem hunc, priori ἀντίτυπον, diſtincte h. l. dicatur, niſi forte effectum de cauſſa teſtari exiſtimes; *non tamen aliam ei competere etiam negatur*, atque res omnis proinde ex *Scriptura integra* aliisque de Chriſto teſtimoniis cum hoc conjunctis demonſtranda, hactenus vero in medio relinquenda erit.

a) Et quidem tali, ubi non ſolum ἀντιτύπου efficacia tanquam major & longius patens, comm. 16. deſcribitur, ſed etiam ejusmodi eſſe perhibetur atque prædicatur περισσεία τῆς χάριτος καὶ δωρεᾶς comm. 17., ut hujus quoque indoles & conditio divinam originem perſonæque, a qua parta eſt, dignitatem nobiliorem arguat.

b) Vti cuncta & officia & opera Chriſti, quæ hinc communia ἀποτελέσματα, ad quæ unaquæque natura confert, quod ſuum eſt, vocantur.

c) Quorum ille *fœderis operum*, hic *pacti evangelici* ſeu gratiæ caput exiſtat; ita, ut quantum ille ſuis etiam per naturæ conſortium & generationem nocuerit, tantum hic & multo magis per eandem naturam, etſi diviniori virtute præditam, ſupernaturaliter per regenerationem proſit.

Si hoc (B) *Ergo non obtulit in terra. Quemadmodum enim tabernaculum cœleste nihil aliud eſt, quam ipſum cœlum Hebr. IX. 11. & 24. inter ſe junctis. Ita terrenum tabernaculum, cujus Chriſtus adminiſtrator v. 2. Cap. VIII. negatur, nihil aliud eſſe videtur* (C) *quam ipſa terra. Propoſitio probatur inde, quod* (D) *omnis Sacerdos munus adminiſtrationis ſuæ ſubeat in illo tabernaculo, cujus eſt adminiſtrator. Eſt vero oblatio munus ſacerdotalis adminiſtrationis præcipuum, ut conſtat ex v. 4. Cap. cit.* ὄντων τῶν ἱερέων *&c. Poſſet hoc Argumentum ita etiam formari: Cujus tabernaculi* (E) *Chriſtus eſt adminiſtrator, in illo obtulit ſuum ſacrificium. Atqui tabernaculum illud nihil aliud eſt, quam ipſum Cœlum: Ergo. Propoſitio jam modo probata eſt. Aſſumtio eſt v. 2. Cap. VIII. Ep. ad Hebr., cum quo conferatur v. 11. & 24. Cap. IX.*

(A) Concedo totum Argumentum: Non enim Chriſtus obtulit ſuum ſacrificium in templo, quod terreno tabernaculo ſucceſſerat; ſed in ara crucis.

(B) Non ſequitur; quippe multa facta ſunt in terra, quæ in tabernaculo terreno non ſunt facta.

(C) Videtur ſolvitur per non videtur.

(D) Hæc propoſitio probanda eſt. Probari autem non poteſt, niſi forte de Sacerdote typico ſ. Aaronico. Vbi non ſequitur: Si Sacerdotes Aaronici in tabernaculo ſacrificarunt, Ergo etiam Chriſtus, qui erat de tribu Juda; vide autem Cap. XIII, 11. 12.

(E) Negatur, ut vidimus, propoſitio. a)

Ppp p §. LVI.

a) Brevius & compendioſius hoc a *Socino* jam in *Prælect. Theol.* c. XXIV. motum dubium ſolvitur, ſi, Chriſtum eſſe ſacerdotem ἐπὶ τῆς γῆς, l. c. negari, *non ratione loci, ſed reſpectu modi*, ejus puta, qui in ſeq. Capite σαρκικὸς etiam dicitur, h. e. *Aharonitici*, dixeris. Levitæ enim ſacrificia terrena κατὰ σάρκα offerebant, Chriſtus ſeipſum, hoſtiam divinitus conſecratam, non tantum per naturam ſuam perfectiorem, ſed etiam plena & *reali* pro nobis omnibus præſtatione, *typicam* quoque iſtam adimplente, in *cruce* ſacrificium obtulit, atque eodem, uti Cap. IX. 24. ſqq. docetur, jam, *cum pateretur*, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ θυσίας præſtito, εἰς τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι, (quod conſequens eſt ſacrificii,) Sacerdotii ſui actu principe defunctus, eſt ingreſſus. Quod quando *in cœlo* etiam, ſed *interpellando*, virtute iſtius ſacrificii, continuat, *ratione loci* quoque a ſacerdotibus Leviticis *terrenis* hactenus differt. Quæ omnia cum phraſis ἐπὶ τῆς γῆς alibi uſitata comprobet, tum vero maxime ſcopus Apoſtoli, utrumque Sacerdotium comparantis, ad oculum *demonſtrat*. Cæterum per *tabernaculum*, quod non ſit manibus conſtructum, v. 2. *Eccleſiam Chriſti* intelligi, jam in terris ab eo colligi cœptam, aliunde conſtat, & vel ſolus Eph. II. 20. ſq. locus, ipſaque hæc Epiſt. ad Hebr. Cap. III. 6. oſtendunt. Ejus vero *partem* (ſed partem tantum) penitiorem, uti olim fuerat adytum τυπικῶς, *cœlum eſſe*, in quod ad repræſentationem peracti jam ſacrificii Chriſtus ingreſſus ſit, nemo inficiatur.

§. LVI.

Atque hi quidem ſunt ſcrupuli, qui me aliquo modo torquent, non tamen tanti illos facio, ut propter illos ſolos ſententiam, ad quam ferendam Dei O. M. beneficio fui adductus, mutandam cenſeam. Ne dubitetis, Viri Rev. & Excell. de meo animo. Adhuc ſto in iis, quæ vobis conceſſi, porroque per Dei gratiam, ſtabo. Reliquus vero adhuc unus eſt, non quidem ad Aphoriſmos, quibus fui aſſenſus, per ſe pertinens; Sed ab illis tamen non prorſus alienus. Cum enim Ampl. & Nobiliſſimus noſter Magiſtratus ſimplici Aphoriſmorum approbatione & ſubſcriptione contentus eſſe nolit, ſed jubeat, ut approbationem & ſubſcriptionem iſtam corporali etiam juramento conteſter, & confirmem, impendio deſidero doceri, quousque hoc juramentum ſe extendat. Video enim inter alia, quæ in illo continentur, hoc requiri a me, ut promittam, me in hac agnita veritate usque ad extremum vitæ halitum perſeverare velle. Quamvis enim exiſtimari poſſit, facile hoc a me fieri poſſe, ſi modo hactenus candide egerim, (quod certe egi) & non tantum verbis, ſed etiam corde, propoſitos Aphoriſmos probaverim; tamen quia ante hoc quoque tempus dubitavi: Vtrum quis, quamvis in Eccleſiæ, cujus ipſe confeſſionem amplectitur, capitibus religionis quam maxime etiam fundatus & confirmatus, bona conſcientia & illæſa veritate divina in dicta illa capita ſimpliciter & abſolute (A) *citraque ullam conditionem jurare queat; peto majorem in modum, ut rationes dubitandi audiantur, & conſiderentur, &, ſi nullæ ſint, additis cauſſis improbentur.*

(A) Subintelligitur conditio: *Auxiliante Deo.*

Illarum ergo I. *eſt: Quod capita illa in ſeipſis ſpectata ipſa Scriptura, itaque ipſiſſima vox* (B) *unici noſtri Magiſtri, qui Chriſtus eſt, non ſint. Vnius autem Chriſti jurandum* (C) *in verba Magiſtri.*

(B) Non quæritur: An ſint verba Chriſti, ſed an verbis Chriſti conſentanea eſſe, a) apud animum tuum ſtatuas: Hoc juramento eſt confirmandum.

(C) Puta abſolute: in alterius vero, quatenus b) verbis Chriſti ſunt conſentanea.

II. *Quod primi capitum illorum Auctores, ſeu, qui ea primi ex S. Script. deduxerant, nec Chriſtus, nec Apoſtoli fuerint, ſed homines ejusmodi, qui potuerunt* (A) *falli, qui nec ipſi ſe exemerunt ex communi illo effato: Omnis homo mendax.*

(A)

a) Neque etiam in hac confirmatione veritatis tam de verbis, niſi forte formulæ quædam, propter Eccleſiæ tranquillitatem conſervandam, expreſſe determinentur, quam *de doctrina* ipſa agitur.

b) Et *poſtquam* ſunt conſentanea, per ju-

(A) Non quæritur: An illi potuerint falli? ſed an illos in propoſitis capitibus non erraſſe, aut aliquid, quod a S. Scripturæ tenore abhorreat, tradidiſſe a) ex animo ſentias?

III. *Quod, ſi quis ipſe quoque capita iſta probiſſime conſideraſſet, eaque optima, & maxime neceſſaria conſequentia educta eſſe comperiſſet, ſcire debeat, ſe hominem eſſe, adeoque ſe quoque poſſe falli.* (A)

(A) Non quæritur: an falli homo poſſit, qui judicat S. Scripturæ conſentanea eſſe, ſed annon fallat, b) qui dicit, ſe judicare talia. Id quod juramento cavere poteſt. Nec enim alio pacto perſeverantiam jurat, quam quatenus talia judicat & judicabit. c)

IV. *Quod Scriptura diſerte prophetiarum probationem* (A) *præcipiat, cui probationi, qui in capita hæc, ſive alia etiam, jurat, libere incumbere nequit, quippe qui bonum, quod fortaſſe uni aut pluribus capitum illorum adverſaretur, tenere, ſalva fide ſua, non poſſit nec audeat.*

(A) At probatio illa d) primum antegrediatur juramentum, quod non debet eſſe indiſcretum; Jurabitis in Judicio &c. Jer. II. Deinde juramentum non huc ſpectat, ut bonum, ſi poſtmodum appareat, non liceat tenere: Jurandum enim eſt in Juſtitia Jer. II. ſed ut manifeſtum fiat, te *pro tempore* ſtatuere, id, quod recepiſti, ita bonum eſſe, ut, quod melius ſit, non videas. Subintelligitur e) conditio: Juvante Deo.

Ppp p 2 V.

ſtam comparationem, deprehenſa atque agnita.

a) Hinc *accuratum* ſolenni approbationi *præmittendum* eſt *ſcrutinium*, neque, niſi animo de veritate, per homines repetita, etſi formulis forte aliis explanata, modo commodæ ſint & ſanæ, certo & indubitato manus officium ſubſcribendi atque os jurandi obire poteſt, neque etiam debet.

b) Eccleſiæ enim multum intereſt ſcire, quosnam, ingenuosne & recte ſentientes, *Doctores* habeat vel habitura etiam ſit, an *ſeductores* & planos, eamque ob rem etiam jusjurandum *ſimplici* affirmationi, tanquam novum, & ne ipſa Congregatio Chriſto fidelium *fallatur*, *nullis limitibus circumſcriptum*, vinculum additur.

c) *Approbatio* igitur privata ſolicitæ exquiſitæque collationi & indagationi Scr. S. innixa præcedit, *teſtificatio publica* ſequitur, illamque jam rite factam ſubſternit. Prior ſi nondum facta ſit, hæc aut differenda aut omittenda, ne temere juremus.

d) Conſequens ergo eaque *continuata*, dum vivimus, & *prima*, ante jusjurandum, uti p. a. dictum eſt, *præſtructa*, non ſunt confundendæ. De veritate enim ut certiſſimus ſalutifera, dum vivimus, ſtudioſiſſime omnium elaborandum eſt, & fides ſane, ſi quid unquam, confirmatione ſua atque incrementis indiget.

e) Quod ad futurum tempus attinet: Si quidem eo quoque teſtificatio ſolennis porrigatur. Et quidni porrigatur, cum veritatem non ſolum profiteri, ſed eidem etiam immori oporteat? Cæterum, parem fere hujus inpoſterum tuendæ veritatis eſſe rationem, quæ perſeverantiæ eſt in fide & gratia divina, ac proinde etiam promisſionis & certitudinis de eadem, nemo ignorat.

V. *Quod talis aliquis, qui jurat, se per totam vitam suam a capitibus ejusmodi nunquam recessurum, cogatur, sensum in Scripturam inferre,* (A) *non vero auferre, quippe qui sciat, Scripturæ Interpretationem debere fidei analogam esse; quam fidem ponit ille, immo vi juramenti ponere tenetur, suæ religionis capita: atque sic fit, ut fidem suam non Scripturæ, sed Scripturam fidei suæ conformet.*

(A) Non infert, si prius a) e Scriptura S. didicit, hæc esse vera & Scripturæ consentanea. Tum enim, si ad illa aliorum dictorum interpretationem conformat, Scripturam explicat per Scripturam, b) cui ista conformia esse judicat.

VI. *Quod hoc modo hominum potius decreta, quam Sacræ Litteræ habeantur pro Fidei norma.* (B)

(B) Distingue inter normam normantem, & normam normatam. c)

VII. *Quod talis aliquis, qui jurat, non* (A) *amplius possit spiritus; An ex Deo sint? probare, sed omnes, quicunque fidei suæ adversantur, simpliciter damnare* (B) *cogatur, quippe qui nullum alium, vi juramenti, præter illum, cui se addixit, ex Deo esse audet pronunciare.*

(A) Immo potest tanto facilius: quia in Aphorismis habet analogiam fidei. d) Deinde nec omnes quæstiones fidei in Aphorismis determinantur.

(B) Nec damnare: nec simpliciter damnare: Quia distinguendum est inter errores & errantes. Et rursum inter errantes errore judicii & inter errantes ex malitia. e)

VIII.

a) Cœca enim non requiritur approbatio, sed agnitam veritatem ponens; secus si fiat, ingens erit nominis divini abusio. Fidei, quæ cor occupat, confessio, quæ ore (aut calamo) edi debet, Rom. X. 10. a Paullo postponitur.

b) Habentq; *formulæ consensus*, uti a nonnullis non male appellantur, rationem usumque non principii, sed *instrumenti, veritati* explanandæ, & quidem methodo nostris temporibus accommodata, magnopere inservientis, eamque adversus varias etiam technas subdolorum hæreticorum prudenter munientis.

c) Neque enim alia LL. Normalium aut Symbolicorum auctoritas est, quam *secundaria*, & a Scriptura prorsus dependens, convenientiæque cum ea innixa; Et sunt non tam *assensus*, quam *consensus* cum Ecclesia, cujus confessionem exhibent per compendium, testandi adminicula, atque *fidei* potius, ut barbare loquitur B. *Dannhauer, profitentis*, quam *professæ* documenta.

d) Compendiose repetitam & ad lapidem lydium jam exactam: quam etiam jurato confirmatam nemo prohibetur iterum iterumque adhibito hoc subsidio ἀνατίθεσθαι Gal. II. 2. Quod quidem iteratum examen tantum abest, ut fidem labefactet, ut etiam magnopere, deprehensa semel iterumque congruentia cum verbo Dei, corroboret.

e) Qua de re & animi statu homines probabiliter, sed modeste, Deus solus certo & sine erroris periculo judicare potest.

VIII. *Quod tali alicui, qui jurat, ſolidum veritatis* (A) *ſtudium præcidatur, utpote qui tantum in id incumbere neceſſe habeat, ut, quod ſemel verum eſſe juramento confirmavit, ſtabiliat, omniaque, quæ cum eo pugnant, convellat.*

(A) Non præciditur: 1) quia licet inquirere fundamenta Aphoriſmi, a) 2) quia, ſi illa juſta deprehendat, in ſtudio veritatis tanto rectius poteſt progredi, b) 3) quia juramentum eſt conditionatum hac conditione: Deo auxiliante. c)

IX. *Quod talis aliquis conſcientiam ſuam perpetuæ captivitati* (B) *mancipet: quippe qui ne in minimo quidem ab eo, in quod juravit, diſſentire audeat.*

(B) Quid tum? modo non ſit iniqua d) captivitas: Juramentum enim non eſt vinculum iniquitatis. e)

X. *Quod hic jurandi mos omnem diſſidiorum componendorum finem præcidat: Cum enim quælibet Eccleſia ſua habet capita, (de Lutherana loquor, Calviniana & Pontificia) & ſuos in illa jurare cogat, ſit hinc, ut neque hæc iſti, neque illa iſti, & viciſſim, ne leviſſimum quid concedat: unde infinitas lites, rixas, & contentiones oriri neceſſe eſt.*

NB. Nihil reperi ad hunc X. num. notatum; Vnde, abuſum aliorum non tollere uſum, hoc ipſo ſilentio *Joh. Schröderum* indicare voluiſſe, plane colligo. f)

Concluſio Vogelii:

Quid Ergo? dicetis VV. R. & E. Anne tu promiſcuam quandam de religionis

a) Non cœca enim eſt fides, jurejurando firmata ſub initium profesſionis, neque etiam in progreſſu, ſed ſemper ad fundamenta animadvertere & licet & oportet, ne fiamus ſervi hominum. 1. Cor. VII. 23.

b) Veritas certe cognita novæ veritati inveſtigandæ viam recludit & patefacit.

c) Servilis hic omnis & conſtanter excluditur fides, niſi quæ verbi Dei dulcisſimæ ſervituti adſtricta eſt.

d) Dei verbo obnoxia.

e) Sed *repagulum licentiæ &* protervæ *petulantiæ*, quæ deſultoria levitate etiam in ſacra myſteria impetum facere, niſi in officio contineatur, haud veretur.

f) Diſtinguatur inter *Formulas conſenſus* de re quacunque, & *Formulas conſenſus de veritate*, *atque* res expedita erit. Priores pluribus, cum Eccleſia vera, impuris & falſis etiam Eccleſiis communes ſunt; *Poſteriores ſoli veræ ſunt propriæ:* Illæ, Pontificium Calvinianum, Lutheranum, immo & Socinianum demonſtrant; *hæ orthodoxum.* Illæ lites gignunt & nutriunt; *hæ pro veritate ſalutifera Zelum*, vigilantiam, *pugnam*, ab ipſo Sp. S. nobis imperata, promovent & acuunt. Quæ pro virili noſtra parte, divina adjuvante gratia, alere & provehere, ſummæ laudis eſt. De congruentia ergo cum ſcriptura ſi certi ſumus, inutiliter de cæteris, ſi quid judico, diſputatur. Ad illam ergo omnia redeunt: qua ſtante, ſtabit LL. Symbolicorum auctoritas, ea vera collapſa, ineptum eſſet, de ſubſcriptione non minus, quam approbatione, diſputare, immo impium.

gionis capitibus sentiendi licentiam, atque sic meram ἀναρχίαν *introducendam esse autumas? Annon sic ingeniorum petulantia sine fine gigneret nova dogmata, & tumultuum rixarumque nulla esset pausa? Ne hæc quidem ego approbo, sed tantum allatis caussis istis huc eo, ut absolutam illam & ab omni prorsus conditione liberam conscientiarum obligationem me probare non posse, ostendam, simulque intelligam, an juramentum, quo religionis hujus Ecclesiæ Confessores, saltem illi, qui aliis in docendo præficiuntur, onerari solent, absolutum sit, & ab omni conditione exceptum. Sic enim, fateor, me propter caussas allatas, quas considerari velim, illud accipere non posse; quod tamen alias non detrecto.*

Hactenus *Vogelius*, cujus hæc dubia etsi videbantur remoram injectura progressui totius disquisitionis feliciter finiendæ, & controversiis componendis; tamen eum eventum res sortita est, ut veritati dilucidius explanandæ & confirmando ejus antea hæsitantis animo mirifice inservirent. Neque enim posthac legimus, quicquam querelæ ab eo profusum, atque hinc, responsiones hasce altius in mentem demissas fluctus, qui supererant, plerosque plane sedasse, verisimile est. De sola enim subscriptione, addendaque ad eam jurisjurandi religione, deinceps actum esse, & paucas nonnullas oretenus discutiendas difficultates ex superioribus hisce repetitas materiam ulterioris litigii præbuisse, non multo post condocefaciemus.

§. LVII.

Jam, quid *Peuschelius*, scripto, ut imperatum erat, itidem tradito, moverit, nostrum erit enarrare. Hic ergo, ut erat *Vogelio* semper verbosior & vehementior, ita gemino labore, & longa quidem epistola, primum ad *J. Schröderum* exarata, missaque in ædes, tum etiam scrupulis aliis seorsim propositis, desideria animi & nodos, quibus se fatebatur adhuc magnopere vexari & constringi, exposuit. Epistolæ argumentum præcipuum fuit, anxia & demissa deprecatio, qua Theologos, ut, fidejussore intercedente, e custodia dimissionem sibi procurarent, compellavit; sed neque huic proposito ita inhæsit constanter, quin gravissima etiam dubia heic inspergeret, magnoque animi impetu & confidentia urgeret. Quæ, quanquam excerpta dari potuissent, malumus integra obtutui & judicio B.L. sistere, totumque epistolæ contextum transscribere. Idque tanto lubentius facimus, quia iisdem verbis, quibus ipsius *Peuschelii* manus in αὐτογράφῳ, quod præ manibus est, concepit, has exhibere litteras possumus.

VIRO

VIRO *Reverendo & Præclarissimo D. M. Joh. Schrædero,"*
Fautori suo honorando, salutem & gratiam a Deo Patre &"
DN. nostro JEsu Christo precatur"
Joachimus Peuschelius."

Accingo me nunc ad id, quod, Vir Clarissime, tum a Superioribus, tum et-" iam Vobis mihi injunctum est. Quia vero omnes ἀπορίας consignare, pro-" lixissimi & temporis & laboris foret, ut illud taceam, quod adminicalis ad" hanc rem idoneis, libris puta, destituor, ideoque digitum saltem ad fontes" intendam. Itaque verborum ambagibus amputatis, caput caussæ aggre-" diar. Ac primum quidem contra Aphorism. XXIV. sunt, quæ opponam," quæque Socinus Cap. (ni fallor) 2. affert contra Wujekum ex 1. Cor. VIII." Philipp. II. Apoc. V. quibus ego adjeci loca Dan. VII. Hebr. I. Joh. V. quibus" hic aphorismus urgeri videtur. Ea propter temporis angustiam pronuper" omissa. Contra I. omissa sunt loca Joh. VIII. 54. cum loco Joh. XVII. &" 1. Cor. VIII. ex quibus effici videtur Judæorum & Christianorum Deum" tantum esse Patrem D. N. J. Christi. Quibus addo Act. III. 13. (si confera-" tur cum dicto Joh. XVII. 2.) Act. V. 30. 1. Thessal. I. 10. Quæ vero responsio-" nis loco ab aliis afferuntur, ea aut non neganda negare, aut vim textui in-" ferre, aut denique caussam infringere, & nodum non solvere, sed adstrin-" gere videntur. a) *Contra XII. Aphor. affero id, quod alibi innui, argumen-" ta pro personalitate naturæ humanæ, a nostris Theologis insufficienter so-" luta. Afferuntur illa a Pezelio in Exam. & Catech. Ursini nec non & ali-" is. Qui caussæ statum & responsa deinde cum argumentis accuratius pen-" sitabunt, eos mihi accessuros confido. Quanquam & illud dissimulare haud" velim, habere me, quæ desiderem in responsis Theologorum nostrorum, Gerh." Graueri, Jacobi ad Portum & aliorum, qui contra illos scripsere, quæque" præcedentes aphorismos tangunt.* b) *Contra XIII. Aphor. non deest, quod" opponam, v. gr. Matth. XVI. 16. Hic quæritur, quæ necessitas cogat, me"* *Com-*

a) Soluta omnia sunt, dummodo 1) Deum verum unumque ordinarie Deastris, quod in V. T. sæpius explanate additur, opponi, 2) Personam interdum divinam unam ab alia distingui, interdum vero nomen Dei essentialiter & communiter sumi, ac 3) denique, ubi nomen Dei a Christo distinctum urgetur, non tam ad personam, quam officium servatoris sec. oeconomiam δικαστικὴν, respici, observes. Quæ quidem cuncta, cum sint nobis, mysterium S. Trinitatis aliunde demonstratum veneratione debita adorantibus, intellectu perquam facilia, negantibus istud, & rationi, sub obsequium fidei ut redigatur nolenti, indulgentibus, meliorem mentem precamur.

b) Quoniam distincte nihil proposuit *Peuschelius*, ad ea sigillatim quoque nihil responderi potest. Non dubitamus autem, etiam his dubiis deinceps satisfactum esse.

„*Communic. idiom. ſtatuere. Sic autem propono: Subject. Filius hominis*
„*Matth. XVI.*

„*Credentes. Rom. IX. 26.*

„*Prædic. Filius Dei viventis.*

„*Filii Dei viventis.*

„*Si quis dicat, alio modo τὸ Eſſe filium Dei viventis, capi cum de Chriſto, alio*
„*cum de credentibus enunciatur, is jam vel principium petit* a) *vel jam non*
„*amplius ex verbis, ſed ex rebus* b) *argumentatur, quod eſt aliam inſtituere*
„*diſputationem. Pariter ſe res habet Rom. I. 3. collato cum locis Rom. IX. 3.*
„*Gal. IV. 29. Col. III. 22. Argumento nupero pro increata Chriſti potentia,*
„*quæ eum ψιλὸν ἄνθρωπον haud eſſe arguat, oppono locum 2. Pet. I. 4. Vn-*
„*de ſic arguo: Quicunque participat naturam divinam, ille non eſt nuda*
„*creatura, vel ille eſt, aut Deus aut Deo perſonaliter unitus. Credentes*
„*participant naturam divinam. Ergo &c. Sicut Tua Reverentia argu-*
„*mentabatur: Quicunque habet potentiam increatam & infinitam, ille eſt*
„*aut unus ille Deus, aut illi unitus. Atqui Chriſtus &c. Ergo talem poten-*
„*tiam habet &c. Eph. I. 20. Ergo &c. Si jam Reverentia Tua cum Jacobo*
„*ad Portum fol. 130. ſqq. locum Petri commode explicet, (quam quidem ex-*
„*plicationem ut veram admitto) quidni mihi locum Eph. I. commode expli-*
„*care liceat. Nonne enim Eph. I. ſubjectum eſt Chriſtus homo, vel ſecun-*
„*dum humanam naturam, id quod προσδιορισμὸς tum ibi adjectus, tum ali-*
„*bi expreſſus evincit: De quo infinita potentia prædicatur. Nonne porro*
„*2. Pet. I. de credentibus κοινωνία θείας φύσεως [quæ increata & infini-*
„*ta* c)] *dicitur? Si excipiatur & recurratur ad diverſitatem ſubjectorum;*
Reſp.

a) Mirum eſt, hæc urgere *Peuſchelium*, qui ſupra pollicitus erat, ſubterfugio hoc *Socinianorum* ſe uti nolle: cum quo etiam de *Divinitate Jeſu Chriſti* jam videbatur res tranſacta. Vt taceam, nec *Socinianos* ipſos, eodem modo eademque de cauſſa, qua fideles & regeniti ſolent, Chriſtum filium Dei dici, largiri.

b) Immo vero non ex rebus, ſed Scripturæ S. teſtimoniis de Chriſto, rite inter ſe comparatis, atque analogia, quam *Paullus* imperat, fidei. Præmittantur ergo de ſumma Chriſti divinitate loca tam illuſtria, atq; rationi reluctanti habenæ deinceps injiciantur piæ, ex verbis ſcripturæ planiſſimis ſtabilitæ, fidei ac ſimplicitatis, & res ſalva erit.

c) Fallitur *Peuſchelius*, metaphyſico ſenſu vocabulum φύσεως h. l. interpretatus, quod moraliter pro *indole* ſumi, partim ex oppoſita φθορᾷ ἐν ἐπιθυμίᾳ τῇ ἐν κόσμῳ, partim ex enumeratis virtutibus patet, & Græcis quoque ea notione valde uſitatum eſt, ipſoque denique Jac. III. 7. loco comprobatur. Quanquam vero hæc κοινωνία mortalibus bene conveniat, & per regenerationem, qua *Spiritus ex Spiritu naſcuntur*, ἄνωθεν ipſis contingat, atque ad *imitationem Dei* ex hac ſupernaturali vita profluentem tendat; *non* tamen idem *de potentia*, & quidem per inhabitationem omnis divinitatis σωματικὴν Col. II, 9. dici poteſt: utpote quæ non moralis, ſed phyſica eſt proprietas, eademque ita Deo eſſentialis, ut, quia

Resp. hoc esse vadimonium deserere. Antea enim ex prædicati præstantia" (ut ita dicam) volebat subjecti præstantiam ὑπερανθρωπίνην evincere, nunc" inversim hoc peragitur. Quid? quod 1. Cor. XV. talis statuitur, ut exci-" piatur is, qui Christo omnia subjecit. Quia igitur Dei potentia absolute" infinita est, ita ut excepto se neminem habeat, qui ei non sit subjectus." Christus autem se excepto alium adhuc habeat, qui eo non sit subjectus, a)" *hinc evincitur, Christi potentiam, de qua Eph. I. non esse eandem cum Dei" increata & absolute infinita potentia, sed potius insigne & gratiosum illius" Dei increatæ & infinitæ potentiæ effectum, quod propter summam cum" illa increata potentia similitudinem improprie potentia divina & suo mo-" do infinita dici possit, prout doctissimi viri locum 2. Pet. I. longe verissime" explicuere. De reliquis Aphorismis hoc dicam: Plurima me habere," quæ tum in argumentando, tum in respondendo opponam, quæque suo tem-" pore in certas classes distribuam, pro occasione & temporis opportunitate" cum viris doctis de iis collocuturus. Nam quod attinet articulos de lege" ejusque impletione, justificatione, (justitia præsertim imputativa) gratia" Dei & libero arbitrio, bonis item operibus, hactenus neminem vidi, qui" argumenta Bellarmini sufficienter diluerit. Intelligo autem hic non tan-" tum Cardinalem, sed alios, qui in aliqua superioris doctrinæ parte cum" ipso faciunt. Vidi autem & legi, præter Philipp. & Luther. Chemnit." Gerhardum, Heshus. Sim. Pauli, Sohnium &c. Unum ex multis profe-" ram. Locus Luc. VII. remissa sunt ei peccata multa &c. hactenus cru-" cem fixit theologis Evangelicis. Itaque in responsionibus varie se mace-" rarunt; sed quod pace summorum virorum dictum sit, omnes illorum re-" sponsiones τῆς θύρας ἁμαρτάνειν videntur. Stat enim & stabit pro Ponti-" ficiis veritas historiæ & rei gestæ, quæ opera illa charitatis remissionem" peccatorum antecessisse* b) *non vero successisse illi clamat. Et ut res gesta"*

est,

πᾶσα etiam dicitur Christo per unionem personalem communicata Matth. XXVIII. non aliter quam de ipsa infinita ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει donata intelligi possit, eumque, cui data est, Deum esse verum summumque de Deo arguat.

a) Hac de *subjectione* alius generis, quam quæ subditorum esse solet, eaque *singularem* prorsus regni gratiæ & gloriæ *œconomiam* divinam attinente, alibi jam dictum est: unde ad hanc iteratam objectionem diluendam repetantur.

b) Confundit *Peuschelius* remissionem peccatorum huic fœminæ divinitus *concessam*, & a Christo h. l. publice ad consolationem animi majorem iterato *annunciatam*. Non illam, sed hanc antecessisse charitatem dixeris: quemadmodum etiam Servator optimus præterito tempore in ipsa annunciatione usus est. Cæterum cum ordine factorum male nitatur *Peuschelius*; *Scopus* tamen *Christi*, ex signis beneficiorum jam acceptorum, cui plus minusque condonatum sit, ostendentis, & Pharisæum hospitem superciliosum aliter judicantem redarguentis, non de caussa remissionis pec-

„eſt, ita Chriſtus enunciat; dicens: remiſſa ſunt ei peccata multa, quia „dilexit multum. Non vero vice verſa. Quid vero opus eſt contra veri- „tatem hiſtoriæ ὕϛερον πρότερον *committere? Quid opus eſt argutari in par- „ticula* ὅτι. *Vtut enim ſit* πολύσημον, *tamen hoc loco cauſſam non poteſt „non denotare. Conditionem intelligo præcedaneam. Stat adhuc veritas „rei geſtæ, quæ opera charitatis remiſſionem per modum cauſæ præceſſiſſe „oſtendit, & ipſe Salvator aſſerit: Vbi, qui diſputant, an ideo ei remiſſa „ſint peccata multa, quia dilexerit multum, an vero contra, ii, quod bona „venia ſit dictum, nodum, quod dicitur, in ſcirpo quærunt. Si nuda verba „Salvatoris: Remiſſa ſunt ei peccata multa &c. absque commemoratione „hiſtoriæ antegreſſæ extarent, fortaſſis gloſſa Evangelicorum conſiſtere poſ- „ſet. Nunc quia annexa eſt veritas hiſtoriæ geſtæ, ubi mulier Salvatori „prius hæc officia charitatis præſtitiſſe* a) *dicitur, quæ ipſa peccatorum re- „miſſio demum ſit conſecuta, quamque hiſtoriam nemo hactenus (quod ego „quidem ſciam) invertendam eſſe ſtatuit, mirum eſt, ipſos in Salvatoris „verbis* ὑϛερολογίαν b) *ſtatuendam eſſe, indicaſſe. Et ut eo melius congre- „diamur, nonne* ὑϛερολογία *ideo ſtatuitur in loco aliquo, quia vel alibi in- „verſo ordine is habetur, vel ſaltim fidei analogia id ſvadet. Prius hic „admittendum non eſſe facile concedet is, qui hanc hiſtoriam & verba Chriſti „alibi non extare ſciet, nedum ut inverſo ordine dicantur. Poſterius di- „cent hic ſuadere, quia Scriptura* c) *nos fide & non operibus juſtificari di- „cat. Sed hoc ipſum eſt, quod admodum in controverſiam vocatur, & in- „diſtincte ac ſimpliciter prolatum negatur ab iis, qui meminerunt, præter „Scripturam luculentam Eſ. I. Lavamini, mundamini &c. Ezech. XVIII. „Si juſtus averterit ſe &c. Act. III. Reſipiſcite, ut deleantur.* 1. *Joh. I. „Sanguis Jeſu Chriſti filii Dei emundat nos, ſi in luce &c. Item quod in „3. locis dicitur Gal. V, 6. Gal. VI, 15. 1. Cor. VII, 19. & Jacobi II. ſcriptum „eſt,* d) *etiam totam antiquitatem a partibus hujus doctrinæ (ipſis Evange- licis*

catorum, ſed de *ſigno* & *effectu* h. l. ſermonem eſſe, luce meridiana clarius addocet. De Particulis enim γὰρ & ὅτι non cauſſæ, ſed principii cognoſcendi notionem ſæpenumero ſuſtinentibus non eſt, cur quicquam addamus.

a) Prius utique charitatis multiplex præſtatio ac teſtificatio narratur, ſed rationem eam eſſe a priori, ſeu veram & genuinam remisſionis cauſſam, inde neutiquam conſequitur.

b) Quaſi vero ſit ὑϛερολογία demonſtratio a poſteriori.

c) Immo vero non tantum ſcriptura alias pasſim id docet & inculcat ex inſtituto in utraque *ad Rom.* & *Gal.* epiſtola, tanquam κυρίαν δόξαν, ſed etiam ipſe h. l. tandem iſtam *cauſſam genuinam* ex parte mulieris pœnitentis, in verbis: ἡ πίϛις σου σέσωκέ σε, explanate nominat, atq; ita de novo, quam ob rem *charitatem* antea commemoraverit, ut *fructum* nimirum, *ſignificantem*, condocet.

d) Probant ſane II, ſc, plura eſſe, quæ *ante*

licis non refragantibus) ſtare, & niſi melius ad loca hactenus allata reſpon-“
deatur. a) *Sane ſi conſenſus Patrum in Trinitate adſtruenda (ubi tamen“*
Patres ante Concilium Nicænum excipere b) *debebant) tanti eſt apud quos-“*
dam, ut inſtar clypei alicujus τοῖς ἀντικειμένοις *objectare non vereantur,“*
quidni & hic valebit? Reſtat ultimum, puta ipſa ſimilitudo in textu, ubi credi-“
torem debitores (licet unus magis, alter minus) amaſſe dicuntur, quia vel“
poſtquam ipſis debitum condonaſſet, non autem debitores prius amaſſe cre-“
ditorem, huncque demum poſtea illis condonaſſe debitum. Quam quidem“
παραβολὴν, *quia Salvator poſtea ad Simonem & Magdalenam* c) *ejusque“*
remiſſionem accommodet, ideo Salvatoris verba inverſim intelligenda eſſe“
putant. Et hoc omnes afferunt. Sed quid tum poſtea? Non ideo textus“
ſatis planus obſcurandus, & veritas hiſtoriæ invertenda, ſed potius ſimi-“
litudo propter σαφήνειαν *textus aliter applicanda eſſet. Sed tamen, ſi ap-“*
plicemus ad rem, prout in textu eſt, & ipſi Evangelici accommodant, adhuc“
perſtat ſententia Bellarmini, ſi modo diſtinguamus inter oblationem remiſ-“
ſionis peccatorum & ejus ſalutarem effectum, ſeu, ut noſtri loquuntur, in-“
ter impetrationem & ejus applicationem. d) *Per duos debitores intelli-“*

 git,

remiſſionem peccatorum requirantur, & quæ ab hominibus eam deſiderantibus expoſcantur; quid autem ex noſtra parte *ad* eam *cauſſæ* in modum impetrandam neceſſarium ſit, illud eſt, de quo h. l. diſquiritur.

a) Ἀνανταπόδοτον eſſe ſermonem, liquet. Sed ita ἀυτόγραφον ipſum habet; ex quo, per feſtinationem ἀπόδοσιν eſſe omiſſam, ac forte verba: *utique charitatem remiſſionis peccatorum eſſe cauſſam conſequetur*, ſuppleri debere, efficitur.

b) Male hos excipi, idem ſentientes, tametſi non eadem forma ſermonis loquentes, jam tunc notum erat, & ex profeſſo deinceps demonſtravit doctiſſimus Angl. Eccl. Presb. *Georg Bullus*, qui tribus omnino ſcriptis, quæ *Operibus* a *Grabio* uno volumine comprehenſis, & Lond. A. 1703. procuſis, inſerta ſunt, non ſolum Fidem Ante-Nicænorum Patrum Eccleſiæque Catholicæ eandem fuiſſe, quæ poſt Conc. Nicænum docebatur, ſed ipſum quoque ὁμοούσιον eadem ſententia jam Sec. III. uſurpari conſveviſſe, ad oculum oſtendit.

c) Ex vulgari opinione loquitur *Peuſchelius*. Enimvero fœmellam hanc tot pœnitentiæ ſignis ſpectatam, a *Maria Magdalena*, a mali dæmonis obſeſſione miraculoſe liberata, haud obſcure *Lucas* Cap. VIII. 2. diſtinguit, & conſortium quoque honeſtarum mulierum aliam fuiſſe eam, ab hac priori Cap. VII. memorata, comprobat.

d) *Rectius*, uti dictum eſt, inter *applicationem & denunciationem* diſtinguendum eſt; niſi per applicationem h. l. ipſam illam, quæ verbis Chriſti ſemel iterumque coram omnibus facta eſt, annunciationem intelligat *Peuſchelius*. Quo pacto tamen ſcrupulos motos ipſum quoque quam commodiſſime e via removiſſe dicendum eſſet. Sed aliter eum ſentire ſequentia docent, quibus tamen eadem, quæ jam ante objecerat, repetit, & quod in principio dubium erat, tanquam certum & indubitatum denuo ponit, ac præterea etiam debitores illos ἐν παραβολῇ commemoratos humanorum beneficiorum gratos teſtes cum ἀποδόσει ſpirituali demum ſenſu inſtituta confundit.

„git Salvator Simonem & mulierem peccatricem, per creditorem ipsum „Deum vel Trinitatem. Hi debitores cum non essent solvendo, remisit illis „Deus quoad impetrationem per Christi ἀντίλυτρον *factam & gratiose in Ev- „angelio oblatam. Ex hac Evangelii prædicatione alter debitor, qui plus „debebat, spem & fiduciam insignem de salvifica remissione peccatorum suo- „rum concepit: ideoque de peccatis suis serio dolere & ingemiscere, ac spi- „ritualis medici gratiam variis charitatis operibus aucupari sategit. Sal- „vator igitur, quod antea in genere in concionibus ipsi promiserat, id in „specie* a) *reipsa nunc præstat, & cor contritum ac humiliatum non despi- „ciens, reipsa illam a peccatis absolvit, idque tum operibus charitatis ipsius „v.* 47. *tum fidei ipsius vers. ultimo attribuit, comprobans hoc modo, quæ „divine scripsit Jacobus cap. II. fidem cooperari operibus, eamque ex his „consummari* b) *& suum* ἐυ *accipere. Ex hoc discursu prolixiori apparet, „non esse de nihilo, quod Pontificii ex hoc loco concludunt, nec ei amicitiæ „dextram denegandam, qui non statim in verba horum jurare vult. De „nomine caussæ non litigabo. Conditionem præviam, remissioni peccato- „rum præcedaneam intelligo, quam vulgo caussam sine qua non vocant. „Movet me tum textus evidentia,* c) *tum distinctionis temperamentum,* d) *„quo difficultati, si qua occurrit, mederi possumus, tum alia loca idem ad- „struentia,* e) *& ante citata, nec adhuc satis soluta, tum antiquitatis to- „tius consensus,* f) *tum denique quod hac doctrina nervus veræ & soli- „dæ* g) *pietatis, sine qua nemo Dominum videbit, arctius costringitur. Sem-* per

a) Immo potius, quod *jam ante* huic fœminæ contigisse beneficium noverat, & *Simon* superciliosus ignorabat, idem Christus, sententiæ divinæ bene gnarus, denuo eidem confirmat, atque signo certo & spectabili, ita rem esse, homini incredulo aliaque omnia suspicato, eodem, ex actionibus externis, sed novis & melioribus, desumto, convincendi genere demonstrat, eamque etiam ob caussam constanter de *ἀφέωνται* illa, tanquam jam ante in divino dicasterio impetrata, signanter loquitur.

b) Non consummari in se, sive per modum meriti, sive conditionis sine qua non, ad *Socini* mentem, sed, uti 2. Cor. XII. 9. loquitur Paullus, *plene demonstrari* fidem & justificationem, *Jacobus* docet: quod totius orationis series, in *detegenda hypocrisi* occupata, commonstrat.

c) Quæ pro signo potius propugnat fidem extrinsecus coll. vers. 42. demonstrante.

d) *Socinianismum* incrustans & *Pontificium meritum diluens;* utrumque *Paulli*, immo & *Christi*, doctrinæ contrarium.

e) Quæ, ut vidimus, alium, quam *caussæ*, ad justificationem respectum admittunt.

f) Jactatus temere, & medii ævi corruptelis ac primæ ætatis obscuris testimoniis nixus, cum nondum hæc de justificatione per fidem solam, nostra videlicet ex parte necessariam, doctrina satis dilucidata esset.

g) Immo *spuriæ*, quæ vel justificationem cum sanctificatione commiscet, vel hanc illi præpostere anteponit, contra Rom. VI, 22.

per tamen meliora docentes ſequi nullus dubitabo. Sunt & alia loca, con-“ tra quæ conſimiliter difficultates moveri poſſunt. Vnum autem hunc pro“ omnibus attuliſſe ſufficit, ut videant omnes, juſtam me habere cauſſam pe-“ tendi dilationem juramenti. a) *Eadem eſt ratio aliorum Aphoriſmorum,“ inprimis ubi de cœna agitur. Vbi ſane fateor, me nihil hactenus, tum in“ Luthero, tum in Hunnio, Heerbrando, Chemnitio, & aliis legiſſe, aut“ deprehendiſſe, quod vel τὸ ῥητὸν ſervare cogat, vel vim rigidioris exami-“ nis ſuſtinere queat. Nec fugit me, quid Tua Reverentia in ſuo faſcicu-“ lo* b) *attulerit, ſed & me non fugit, quid omnibus illis opponi poſſit: quæ“ quidem ſi & libri ad manus & tempus commodum ſuppetet, in chartam“ conjicere non dubitabo. Et hæc hactenus dixiſſe ſufficiat. Nunc Vos,“ Viri Reverendi, per illum ipſum, cui omnes ſervimus, Dominum Jeſum“ oro & obteſtor, ut reliquis Veſtris in me collatis eximiis beneficiis, & hoc“ addere velitis, & veſtra, qua apud Ampliſſimum Senatum polletis auto-“ ritate intercedere & obſecrare, ut me ſufficienti cautione præmiſſa, præ-“ ſtito videlicet juramento, quod in his locis perdurare, neminique ſcanda-“ loſis ſermonibus aut diſputationibus & colloquiis moleſtus eſſe, eive offendi-“ culum ponere velim: immo etiam, ſi opus ſit, vadem ſiſtere, donec his“ dubitationum & objectionum ſcopulis prætervectis in tranquillum portum“ perferar. Non enim in inchoatum, ſed confirmatum conſenſum jurabo.“ Ad quam quidem rem annui temporis ſpatium* c) *mihi dari concedo*, (for-“ te contendo aut peto). *Vt enim hæc res intra tres vel quatuor ſepti-“ manas aut trimeſtre & quidem in concluſo Muſeo abſolvatur, unum poſtu-“ latum eſt ex illis, quæ ſunt ſimpliciter ἀδύνατα. Ideoque etiam manus“ ſupplices ad Deum levare poſſum, nihil me in hoc negotio vel ambitionis“ & gloriæ captandæ, nec denique contentionis vel ingenii oſtentandi ergo“ facere. Deus illum puniet, non leviter, ſed graviter, non breviter, ſed“ diu,*

a) Ex his & ſequentibus verbis liquido apparet, eo tempore ſcriptam eſſe epiſtolam, quo delatum jusjurandum in *Conſeſſu Vndecimo* præſtare ambo, errore jam maxima ex parte liberati, ſodales abnuerunt, atque alieno proinde a nobis loco eam neutiquam heic produci.

b) Haud dubie *Tract. duos ἀνασκευαστικοὺς*; quorum primus *de orali corporis Chriſti in ſacra Cœna communicatione* agit, *Peuſchelius* indigitat. Quam prægnantia vero fuerint dubia, argumentis *Schröderi* ſolidisſimis oppoſita, conflictus ſubſequentes edocuere.

c) Sat longum erat ſpatium, quod expetebat *Peuſchelius*, intra quod ad pulviſculum omnia excuterentur ejus dubia; cum tamen de ſumma rei & abdicanda hæreſi, non cunctis, quæ quoquo modo animum male habere poterant, difficultatibus ageretur. Vnde æquum tandem, ne qua conſcientiæ adhuc titubanti vis illata videretur, temperamentum, novique colloquii adminiculum iniquæ petitioni eidemque ſuſpectæ ſubſtitutum eſt.

„diu, ad nominis sui gloriam & aliorum terrorem, qui vel his de caussis „vel ex malitia & pertinacia conditionem præstitu possibilem sibique obla- „tam repudiat. Sed (sit Deo laus) nullum horum est in me. Nemo me- „lius novit, quid sit in homine, quam Spiritus, qui est in illo 1. *Cor. II. „Longe alius sum ab illo, qui ante fui. Et si possibile esset, ex animo a Deo „optarem, ut (excepto libro de obedientia, qui & pius & lectu non inutilis „est) nullum istiusmodi librorum vel vidissem vel legissem: sane in meliori „statu essem, & conscientia saniori fruerer, nec ea commissa essent, quorum „& me & alios non potest non pudere & pœnitere. Nunc quia semel ja- „cta est alea, ferendum, quo fata trahunt retrahuntque, memor illius: „Seine Hand zu helffen hat kein Ziel, wie groß auch sey der Scha- „den. Non deerunt, sat scio, qui hanc dilationem juramenti simulatio- „nem* a) *interpretabuntur. Sed non magis ego simulo, quam ipsi, dum „talia de me effutiunt. Propono eis simile: Sunt quidam manuarii opifi- „ces, ex quibus unus in febrim sat noxiam incidit, qui morbo illo diu- „turno conflictatus, vix tandem convalescit. Hic ego quæro ex illis, num „ille, qui modo febri correptus erat, si non statim labores quosque durio- „res cum aliis suis affeclis aggrediatur & exhauriat, prout antea in integro „sanitatis statu ab ipso factum: sique non statim crassioribus cibis, carne v.g. „suilla aut aliis vescatur, sed cibos subtiliores, ut ita loquar, usurpet; quæ- „ro, inquam, ex illis: Num simulet sanitatem, vel illud ipsum, quod illi cu- „piunt, simulando ad tempus, repudiet? Nihil minus. Hoc igitur & ad præ- „sentem caussam applicent & conjecturæ suæ anilem* b) *vanitatem depre- „hendent. Iterum protestor coram Deo & hominibus, me bona conscientia, „ad hoc quidem tempus præstare non posse. Ideoque illos supplex per D. Je- „sum rogo & obtestor, ne me quicquam contra conscientiam facere cogant, ne „dum Dei vicarii esse volunt, ejus adversarii fiant. Contenti igitur præsen- „ti mea calamitate, quæ sat diu duravit, & quod publicæ famæ victima fa- „ctus,* c) *nunc impietatis partiarius, nunc sacrorum desertor, nunc juven- tutis*

a) Ita est; Sed ex epistolis forte inventis hujus consilii indicia, *Ruaro*, uti supra docuimus, suadente, eaque suggerente, animos prudentissimorum Reipubl. patriæ Procerum suspensos reddidisse, non erat, cur vitio verteretur. Quare modestius egisset *Peuschelius*, si duriori vocabulo, *effutiunt*, ubi dubitandi de integritate animi caussæ non deerant, abstinuisset. Sed vel hinc patet, quanta patientia verborum hujusmodi acerbitas homini nondum sibi constanti tolerata & condonata fuerit.

b) Proterve: Neque enim hæc e trivio collecta, aut ex vanis rumoribus hausta, sed a viris sagacissimis ac providis in medium consulta erant.

c) At cujus, nisi ipsius *Peuschelii*, veritatis temerarii desertoris, & interdum satis etiam ore atque calamo procacis, culpa?

tutis corruptor & pestilens vomica ab omnibus habeor, me præmissa cautio-" ne dimittant. Præsens enim hic carcer meus non ad sananda, sed exaspe-" randa vulnera mea facit. Etsi in statu integritatis & felicitatis de homi-" ne dictum est, non bonum esse, si solitarius sit: quanto verius hoc erit de sta-" tu calamitatis, ubi sensus peccatorum ceu vermis conscientiam odit & rodit," ubi melancholia verum Diaboli balneum (a qua nec ego exemptus) regnat," utique aliæ tentationes ceu fluctus in hominis animum irrumpunt. Et" dum aliquis ita solitarius degit, semper novi grylli, novæ dubitationes ex-" surgunt, quæ vel plane expirarent, vel saltem admodum imminuerentur," si quis in consortio hominum viveret & reliqua sua studia pertractare pos-" set. Ajunt Hebræi, in animum tristem non descendere Sp. S. Ita Drusi-" us loco quodam, ni fallor. Quid autem tristius, quam inclusum ab omni" consortio hominum remotum esse? Et quia, ut audio, Pontificii ex hac tra-" gœdia nostros homines calumniandi & traducendi occasionem avide arripi-" unt, a) *ut & omnis ansa illis imposterum præscindatur, præstat sane Ma-" gistratum Christianum, eumque reformatæ religionis, qui olim tempore" Aug. Confessionis & belli Smalcaldici periculosissimo sub cruce Christi metu" vel proscriptionis vel obsidionis Imperatoris, qui tum in vicinia degit, ge-" muit, quique omnem conscientiarum carnificinam & inquisitionem Hispa-" nicam aversatur & detestatur: præstat, inquam, talem Magistratum," qualis per Dei gratiam noster est, plusculum de rigore suo in conscientias* b)" *dimittere. Est sane omnibus modis cavendum, ne Dei nomen propter nos" inter adversarios blasphemetur. Sic enim idololatræ papicolæ: Olim an-" te impetratam religionis pacem multum declamitastis, ne quis propter di-" versam sententiam in religione, vel hæsitationem & cunctationem, ad ro-" gum in vincula & carceres raperetur vel relegaretur, idque, si Diis placet," ex S. litteris probare nobis annixi estis. Nunc postquam pacem religionis" impetrastis, & nidum pinguem eumque tepefactum nacti estis, pari, aut et-" iam interdum majori, quam nos in Vos, immanitate desævire incipitis in" eos, qui vel vobis contradicunt & prorsus assentiri nolunt, vel saltem ad" tempus*

a) Quorsum hæc spectent, ad calcem sequentium scrupulorum, ex custodia ad Theologos missorum, copiosius exponemus. Hactenus autem, non vanam fuisse illam famam, ad *Peuschelii* aures perlatam, tribus verbis innuisse sufficiat.

b) Nihil erat, quod *rigoris in conscientias* vel speciem habere posset, cum *non de cogendis* ad assensum, sed provida & pleniori informatione, qua profecto conscientiæ rectissime consulitur, eaque jam admissa certa tutaque, h. e. jurata testificatione & confessione, ageretur. *Dümlerus* ergo accusandus erat, qui, circumspectius ad socios impieratis attendere, sua nuper, quam temere, & contra fidem etiam datam, corripuerat, fuga, & suadebat & jubebat.

„*tempus in verba religionis veſtræ jurare nolunt.* a) *Dicite, obſecro, annon,*
„*quæ in aliquo tertio conveniunt, ea inter ſe conveniant. Jam ſicut nos*
„*vos vel comburimus, vel relegamus, aut in carcerem conjicimus, quia hæ-*
„*reticos vos eſſe aſſerimus, licet vos præfractè & pertinaciter id negetis: Ita*
„*& vos Arianos vel Anabaptiſtas aut comburitis aut relegatis (quod alibi*
„*fit) quia illi tales vobis i. e. hæretici videntur: licet illi nil minus quam*
„*tales eſſe velint.* b) *Conveniunt ergo perſecutiones noſtræ inter ſe & ſimi-*
„*les habent labra lactucas, quia in uno tertio h. e. in* δοκήσει αἱρέσεως *inter ſe*
„*perpulchre conſpirant. Nec eſt, quod excipiatis, vos in fundamento no-*
„*biſcum conſentire. Nam & Ariani ſe in fundamento aut non diſſentire di-*
„*cent, aut id, in quo diſſentiunt, verum fundamentum eſſe negabunt. Quid,*
„*quod in ipſo fundamento ſaltem, quod nobis eſt tale, diſſentitis. Annon in*
„*Articulo de Eccleſia, primatu Pontificis ſummi, ſeptem ſacramentis, jugi*
„*ſacrificio Miſſæ, invocatione Sanctorum, purgatorio toti diſſentitis. An-*
„*non vero plurima ex his, ſi non omnia, ſi non vobis, ſaltem nobis, ſunt car-*
„*dinales articuli religionis, quæ impudenter non tantum negatis, ſed etiam*
„*ridetis, & quædam blaſphema eſſe proclamatis. Ita & articulus de Tri-*
„*nitate vobis (ut & nobis) ſicut & de duabus naturis Chriſti eſt, cardinalis*
„*videtur, quem tamen talem eſſe Photiniani & Ariani mordicus negant. Jam*
„*ſi Vos a nobis tolerari vultis, licet nec ſtatim & per omnia nobis aſſentiri, vel*
„*in religionis noſtræ placita jurare poſſitis, cur non idem & aliis præſtatis?*
„*Cur ex verbo Dei reprehendiſtis? Si enim vere ex Dei verbo in nobis*
„*reprehendiſtis, cur jam in alios hæc exercetis?* c) *aut ſi in alios exercetis*
&

a) Quaſi vero *cæcum jusjurandum*, aut *aſſenſum* Theſibus propoſitis temere præbendum, perinde ut fieri ſolet inter eos, qui vim pro rationibus adhibent, imperare cuiquam fuerit viſum; cum ſit manifeſtiſſimum, nihil aliud, quam quod verbis ipſe jam ſponte profeſſus erat *Peuſchelius*, id jurato confirmare eum cum *Vogelio* juſſum eſſe. Si vero dubiis adhuc angerentur, ambobus libera, exponendi ea, poteſtas ſemper fuit, ſed prudentiæ regulis circumſcripta, quia perfidiæ ſe jam ſæpius ſuſpectos & ipſi reddiderant.

b) Peſſime hæc, & pæne dixerim impie, etſi quaſi aliud agendo, ad cauſſam præſenſentem applicata ſunt. Neque enim, vel ſola δοκήσει hæreſeos, vel hæreſi ipſa tantum, ſed pluribus aliis *circumſtantiis* concurrentibus hoc, quicquid erat, continebatur.

c) Sic denuo cauſſæ multum diſcrepantes confunduntur, &, quæ *ſecuritati deſtinata* erat, ut ſpatium ſuppeteret, meliora errantes docendi, fugæque commoditates pie removerentur, *cuſtodia* ſatis *honeſta*, cum *violentia* quorundam obtorto collo ad Eccleſiæ ſuæ ſocietatem diſſentientes quoscunq; rapientium metuque ſuppliciorum ad conſenſum ſimulatum utcunque eos adigentium, perperam commiſcetur. Illud charitatis documentum eſt, cunctisque animarum ſibi concreditarum curatoribus commendatiſſimum eſſe debet; Hoc tyrannidis nomine dignum, ſed a vera Chriſti Eccleſia alieniſſimum inſtitutum quis non averſetur?

& recte vos facere putatis, cur hoc ipsum in nobis ex Dei verbo reprehendendo, nomen Dei profanatis? Annon hoc ipso libertatem vestram religionis temerarie prostituitis, & vel vestra acta & facta in negotio religionis cum hæreticis accusatis, damnatis, jugulatis; vel nostra excusatis, approbatis, laudatis; cum ambo non magis sibi sint similia & conformia quam ovum ovo. Hæc & alia, si quis verbis pomposis & ampullatis, qualia illi projicere solent, Pontificius objectet nostris, quid, quæso, illi responderent? a) *sed temporis angustia me filum abrumpere cogit. Rogo etiam atque etiam per Deum Opt. Max. ne scriptum calumniosum Pontificii* b) *mihi fraudi sit, neve rancorem ex illo adversus me concipiatis. Deus novit, quam dolenter inaudierim, hunc rumorem tam longe ac late tamque subito præter omnem expectationem percrebuisse. Tenent illi antiquum, & suis factis, cujus filii sint, demonstrant. Dominus Jesus, qui uno verbo ventorum flatum sedavit, hos pariter fluctus compescere potest. Interim cujusque gloriatio, testimonium est bonæ conscientiæ: & in fine videbitur, cujus toni. De quo plura alias. Vale Vir præstantissime cum Reverendo Domino Collega, & in me liberando elaborare ne dedigneris.*

V. V. R. R. D. D.

perstudiosus
Joachim. Peuschel.

Hæ sunt illæ litteræ, ex carcere, non sine significatione doloris & maximi impetrandæ libertatis desiderii, scriptæ; nec obscure animum *Peuschelii* patefacientes, scrupulis adhuc multis vehementer agitatum, omniumque maxime prodentes, quantopere rigor ille, postquam, quæ superiori Conventu undecimo, de *jurejurando sinceritatis* præstando, proposita erant, abnuerat, adhibitus, qui nimius quodammodo ipsi visus est, displicuerit. At enimvero, neque ipse diffiteri potuit, haud omnino nullas fuisse *Per-Illustri Senatui* simulationem quandam suspicandi caussas, ac proinde prudentiam ejusdem ipse quoque nequaquam penitus improbare ausus est; quando pignore *cautionis*, ut vocant, interposito libertatem suam redimendam periculumque fugæ prævertendum sponte agnovit. Quam etiam ob rem c) adstipulatores sine difficultate ipsos Theologos habuit,

 qui

a) Quid respondere velint, qui eandem violentiæ viam calcant, nostrum non est h. l. exquirere. Ad præsentem vero caussam brevissimis, quicquid etiam *Peuschelius* declamavit, *fallaciam esse non caussæ ut caussæ*, responderi posse, certo scimus.

b) De quo deinceps plura: ubi de *caseo ollari* h. t. evulgato quædam interponemus cæteris.

c) Si nimirum cautum esset de periculo elabendi; ut calumniæ, cui excogitandæ

qui certa conditione non solum dimitti posse ex turri existimabant, sed supplicando etiam, aut certe id serio consulendo a) interrogati, pro utroque captivorum deprecabantur. Quæ ex sequentibus magis dispalescent, ubi, in hanc sententiam oppido propensos fuisse *Theologos Pastores*, clarius edocebimus.

§. LVIII.

Id vero antequam aggrediamur ostendere luculentius, jam satius putamus, reliquos *Peuschelianos* scrupulos, qui separatim una cum epistola sunt exhibiti, e tenebris producere: Quibus, uti *Vogelianis* ante vidimus fuisse adjectas, etiam heic solutiones succinctas solidasque & ab ipso *Joh. Schrödero* adscriptas adjungere placet: ex cujus ipsius manu superstites cum eas servemus, gratas Lectoribus fore, minime dubitamus.

Ad Aphoris. I.

Notum est, sententiam Kekermanni de definitione personæ, quam ille per τρόπον ὑπάρξεως tantum definit, ut Sabellianam, jam diu damnatam, & definitionem Melanchtoniam, ut veriorem, illi prælatam esse. Rogo igitur Reverendos Dominos Theologos, ut suam primum de definitione personæ sententiam (A) *exponant. Deinde doceant, quomodo tamen exinde non sequatur, tres esse in Deo essentias. Docetis enim, unam illam essentiam divinam nihil aliud esse, quam tres personas,* (B) *& vice versa; immo dicunt quidam, quælibet persona est tota Deitas:* (C) *Persona non est nudus modus existendi, sed essentia cum modo existendi. Quæ si vera sunt, nondum, quæ tarditas est ingenii mei, videre possum, quomodo, si quis tres personas in Deo credit, non tamen tres essentias* (D) *credere cogatur. Non hic rationem humanam in consilium voco, sed ea, quæ Theologi passim de hac re docent, assumo. Responsiones ad argumentum de essentia ingenita, genita & procedente,* (E) *& proinde trina; itemque de quaternione,* (F) *essentia communicabili & tribus personis incommunicabilibus, quia, ut fatear, quod res est, exciderunt, breviter, (uti etiam breves sunt) reponi peto.*

(A) Tuemur sententiam Philippi, ut communem & veriorem.

(B) Ratio: Quia relationes, quibus personæ distinguuntur inter se, identificantur cum essentia.

(C) Non

& ipse *Peuschelius* videbatur operam dare, omnis præscinderetur occasio.

a) Interpellasse enim pro captivis constat; Sed utrum scripto libello id factum sit, an coram verbis, non liquet. Posterius tamen verisimilius est. Alia fuere, de quibus §. LXIV. differemus.

(C) Non male: Col. II. Quælibet perſona eſt a) tota Deitas, non tamen totaliter: Quia unaquæque eſt illa Deitas, ſed ſub ſuo charactere hypoſtatico.

(D) Non ſequitur: Si ſunt tres perſonæ. Ergo tres eſſentiæ; niſi prius probetur: Eſſentiam unam in tribus perſonis eſſe non poſſe. Interim ita corrigo: Aut ſunt tres eſſentiæ, aut ſunt tres modi habendi eandem eſſentiam, ſeu, quod idem eſt, aut una eſſentia eſt in tribus perſonis.

(E) Eſſentia dicitur genita, non quia per generationem ſit producta, ſed quia per generationem filio ſit communicata. Productio multiplicat: communicatio non item.

(F) Nullus inde quaternio: Quippe eſſentia communicabilis & perſona incommunicabilis non differunt, niſi ratione. b) Vel: Quia eſſentia & tres perſonæ, ut ante dictum, ſimpliciter ταυτὸ ſunt. Tum enim nec communicabilitatis nec incommunicabilitatis habetur ratio.

Ad VII. Aphoriſ.

Quæritur: Quomodo Reverendi Viri probent, Chriſtum eſſe æternum? An dicta quædam expreſſe (A) *hoc aſſerentia afferendo, & quænam ſint ea? An vero, quod ab æterno ſit genitus, vel per eſſentiam ſit Deus?*

(A) Non quidem expreſſa dicta afferendo, puta talia, in quibus expreſſe dicatur: Chriſtus eſt æternus; ſed expreſſis æquipollentia: Cujusmodi ſunt: Quia 1) nihil factum eſt, quod non per ipſum ſit factum c) Joh. I. 2) quia in ipſo vita eſt, ſicut eſt in patre, d) Joh. I. & V. 3) quia ipſi, qua homini, data eſt æterna e) poteſtas & gloria Dan. VII. Joh. XVII. 4) quia eſt immutabilis f) Hebr. I. &c.

 Ad

a) Commodius dixeris, ut ambiguitas evitari queat: Quælibet perſona *habet* totam Deitatem; quippe cui una eademque, ſed diverſo modo habendi, competit eſſentia divina impartibilis. Eſſe tamen etiam quamlibet perſonam totam Deitatem, quo ſenſu dicere non repugnet, ex nota F intelliges.

b) Etiamſi perſonæ inter ſe differant realiter per oppoſitas relationes. In quo myſterii hujus a Scr. S. teſtatisſimi cardo vertitur.

c) Vnde conſequitur, eum ante facta omnia extitiſſe, (quæ eſt ſtylo ſacro æternitatis deſcriptio Pſ. XC. 1. ſq.) & e numero rerum factarum non eſſe.

d) Hoc eſt *independens* eadem & æterna, etſi per generationem communicata, coll. Mich. V. 1. ſq.

e) Tam in æternum durans, quam ab æterno exiſtens, quia *abſolute æterna* dicitur: quod Joh. XVII. clarius explanatur.

f) Cui in tempore inchoata eſſentia repugnaret, quippe h. m. ἀπὸ τοῦ μὴ εἶναι πρὸς εἶναι transducta.

Ad IX. Aphorism.

Dictum nuper a Reverendo Domino Schrödero, firmum argumentum ex nuda voce (A) *Dei pro Christi divinitate depromi posse: Id quia nondum videre possum, paucis ostendi velim. Hic* παρέργως *quæro, an aliquis salva veritate pro concione vel alibi asserere possit & debeat,* (B) *Johannem Evangelium suum contra Ebionem & Cerinthum scripsisse, cum illas controversias maxima ex parte* (C) *non attigerit, nedum refutarit, v.g. dum Paullum Apostatam Legis vocarunt,* (D) *omnesque ejus epistolas rejecerunt, Christum* (E) *ex Josepho & Maria natum esse, & alia stupida paradoxa, quæ Euseb. in Hist. Eccl. & alii recensent. Et sane, sicut ex eo, quod quis alterius errores refellit, rectissime hunc contra illum scripsisse colligitur, ita,* (F) *si secus fiat, contrarium exinde non male* (infertur.) *Et sane nemo tantum Apostolum errores illos vel ignorasse, vel eos refutare aut non potuisse aut noluisse,* (G) *affirmabit.*

(A) Ex nomine Dei, inquam, in loco fundamentali posito: puta Joh. I. ideoque ῥητῶς accipiendo, a) nisi idoneæ & evidentes rationes aliter cogant: & conferendo locos alios Rom. IX. 1. Joh. V. Joh. XX. &c.

(B) Quis fas esse neget? Siquidem idem testentur veteres: b) Et res ipsa respondeat. c) Quod enim isti negabant, *Johannes* docet cap. I.

(C) Satis est, si aliqua ex parte. d)

(D) Scil. describebat Acta Christi, non Acta Apostolorum.

(E) Scil. quia non erat opus, postquam alii Evangelistæ abunde id præstiterant. e)

(F) Argumentum ab auctoritate negative ductum, item a negatione partis unius & alterius, ad negationem partium omnium, non valet.

(G) Dicam noluisse: scilicet in historia Evangelica, a qua talia abhor-

a) Cum etiam *Sociniani* nequeant inficiari, vocabulum aliquod etiam ἀναλογικὸν (cujusmodi nomen Dei in respectu ad creaturas esse opinantur,) absolute positum famosiorem, ut vocant, significationem obtinere, nec temere ab ea deflectendum esse.

b) Interque hos nominatim *Eusebius, Epiphanius* & inprimis *Hieronymus*, a quibus Campeg. *Vitringa* Observ. Sacr. L. V. c. X. dissentit, *Gnosticis* potius id oppositum ratus, sed perperam.

c) Coll. velut in summam omnia redigente *Epilogo* Cap. XX. 31.

d) Eaque *potiori*.

e) Matthæus cumprimis & omnium copiosissime *Lucas*. Supplementi enim instar *Johannem* cæteris accessisse, res ipsa docet, *Lampius*que nuper copiose adstruxit, in doctissimo *ad Joh. Commentario*.

abhorrebant. a) Vbi tamen non ſequitur: Ergo ſimpliciter noluit. Datur enim membrum quartum, quod refutarit ſive ſcripto, quod ad nos non pervenerit, ſive voce viva, quæ in litteras relata non fuerit.

Ad eundem Aphoriſmum & ſeqq. *Quæritur: An usquequaque verum ſit, quod vulgo dicunt: Omnes Patres* (A) *unanimi conſenſu ab Apoſtolorum ætate ad noſtra usque tempora doctrinam de S. Trinitate credidiſſe, cum Ignatius in epiſtola ad Philadelph.* (B) *eos filios Satanæ vocet, qui Chriſtum unum illum Deum ſtatuant, refutans id ex eo, quod non ſit ille ſuper omnia Deus, ſed illius Filius: ut ſonant illius verba: Et Irenæus* (C) *Chriſtum ſecundum naturam divinam ignoraſſe diem judicii ſcribit: Juſtinus* (D) *item, in Dial. cum Tryphone Judæo, eos, qui in ſententia de perſona Chriſti cum Photino faciunt, inter Chriſtianos numeret. Denique quod Antiquitas* (E) *(teſte Eraſmo) Sp. S. invocare non eſt auſa eo, quod nuſpiam preces in S. litteris ad illum directæ legantur; quæ tamen, unum illum Deum invocandum eſſe, nunquam dubitavit. Si enim Sp. S. unum illum Deum eſſe credidit, de quo ſcriptum: Dominum Deum tuum adorabis, quomodo, aut* (F) *cur eum non invocavit? aut ſi non invocavit Antiquitas, quomodo in Deitate & perſonalitate Sp. S. cum noſtris ſenſit? Hinc eſt, quod Genebrardus Pariſienſis Theologus in libris ſuis de Trinitate, Bezam in doctrina ſua de æterna Chriſti divinitate ad Patres provocantem mendacii redarguit: quodque Andreas Dudithius Imperatoris olim Conſiliarius (qui reſignato officio in Sileſiam commigravit, & Epiſtolicam diatriben de hac re & aliis cum prædicto Beza inſtituit) Bezam allatis ex Patrum ſcriptis teſtimoniis eo tandem adegit, ut is in alia ſententia* (G) *de Chriſti Deitate ab Evangelicorum doctrina mortuus. Notate verba & ſignate myſteria.* (H) *Provoco ad conſcientiam meam locupletisſimam teſtem, quod vera hic dixerim.*

(A) Omnes Patres, inquam, quorum ſcripta ad noſtram ætatem pervenerunt. b)

 (B)

a) *Aliud* enim eſt, *Hiſtoriam* ſcribere, aſſerendæ divinitati Chriſti potisſimum deſtinatam; *Aliud, Theologiam Polemicam noſtris* temporibus, moribus & *methodis* accommodatam. Quantopere vero operam dederit huic veritati cumprimis adſtruendæ *Johannes*, neminem diligentius & accuratius, quam nuper admodum Virum præclarisſimum, *Joh. Phil. Zeyſium*, in *Introd. ad Evangel. Joh. ejusdem Epiſt. & Apocalypſin*, quæ cum præf. S. R. Dn. D. *Joach. Langii* A. 1720. forma 12. *Halæ Magdeb.* lucem vidit, oſtendiſſe arbitramur.

b) Qui pauci quidem e ſeculis prioribus, ſed tanto ſpectabiliores fuere omnium conſenſu, ut vel hinc de cæteris, quorum, ſingulari divina providentia, monimenta perierunt, idem ſenſiſſe, effici queat.

(B) Non ad Philadelphenſ. ſed in Ep. ad Tarſenſes: ubi agit contra eos, qui Patrem, Filium & Sp. S. ταυτὸν εἶναι a) dicebant, ut ex Ep. ad Trallianos apparet: quem negat eſſe Deum ſuper omnia, quatenus Deus ſuper omnia b) eſt illa perſona, quæ eſt Chriſti Pater. Interim idem Ep. ad Antioch. Diabolum & inimicum omnis juſtitiæ vocat eum, qui tollit divinitatem Chriſti. Et in Ep. ad Philad. ſerpentem nuncupat, qui Chriſtum nudum hominem putat. Et in Ep. ad Philipp. Filium Dei rerum univerſarum conditorem & natura invariabilem vocat.

(C) Filium Dei ſcientia minorem dicit Irenæus L. II. c. 49. quod aliter ad locum Marc. XIII. reſpondere non poſſit: putans, non indecenter dici poſſe, patrem ſecundum agnitionem præpoſitum eſſe Filio, ſicuti idem dixerit: Pater major me eſt. c) Idem tamen Chriſtum cum Patre vivorum Deum vocat L. IV. c. 11. Verum Deum L. III. c. 8. Filium Dei æternum L. III. c. 19. Exiſtentem ſemper apud Patrem Ibid. c. XX.

(D) Idem dicit: Vnum Deum in Patre, Filio & Sp. S. agnoſci, L. de recta fide. Filium Dei ante omnes creaturas extitiſſe, in Apol. Illud Ex. III. Ego ſum, qui ſum, in Chriſto dictum vult, in Apol. ad Antonin. Chriſtum dicit virtutem a Patre genitam ſine diviſione, in Dialogo. At cum ibidem Chriſtum alium dicit eſſe Deum præter conditorem mundi, intelligit aliam perſonam, præter patrem, cui creatio communiter tribuitur. d)

(E)

a) *Noëti*, *Praxeæ*, *Sabellii* anteambulones; ſi quidem hæc ſint γνήσια. Epiſtolam namque *ad Tarſenſes* inter ſpurias numerari, & ne cæteras quidem ſeptem, ab *Euſebio* memoratas, omni labe interpolationis carere, Critici norunt.

b) Vulgo ἄναρχος & *fons* Trinitatis: in quantum videlicet cæteræ *perſonæ* ab ipſo ortæ ſunt.

c) Dubium eſt; utrum l. c. *Irenæus* de Chriſti, quem l. c. Dominum vocat, divina natura loquatur, an humana; ſi quidem mentem optimi Epiſcopi aſſecutus eſt is, cujus labore utimur, interpres. Sed demus, de Domino, ut Deo, eum loqui; *quid refert*, *ſi humani aliquid paſſum eſſe*, inque difficili loco explicando, & origine Filii a Patre, *ad ſubordinationem* quandam perfectionis extendenda, *hallicinatum* dixeris? Nemo ſane *nævos*, incommodas certe locutiones, etiam præſtantisſimorum Eccleſ. Doctorum, præſertim in tanto myſterio, nondum ita diſtincte t. t. *explanato*, unquam negavit. At ipſum tamen myſterium S. Trinitatis eos haud crediddiſſe, hinc male & perperam efficitur.

d) Liberalis fuit *Schröderus*, ſcripta hæc, nominatim *Dialogum cum Tryphone*, ut genuinum *Juſtini M.* fœtum admittendo; cum tamen, ingenuitatem ejus valde ambiguam eſſe, jam tunc viſum eſſet Criticis, & noſtra ætate multo luculentius ea de re vel ex diſputationibus hoc de libello *Kochio-Feldianis*, ac *Cyprianeis*, quæ poſthac agitatæ ſunt, conſtet. Vtut ſit, incongruas horum, de reliquo meritisſimorum, virorum

(E) Erasmus fallitur. Aliud dicit Clemens Romanus L. 8. Constit. c. 18. Basil. L. de Sp. S. c. 29. Iren. L. I. c. 2. credit in Sp. S.

(F) Si non invocasset sigillatim; attamen cum sciret esse Deum, invocavit eum cum Patre & Filio, quoties invocavit Deum: Distinguatur igitur inter invocationem singularem & communem. a)

(G) Quanam dic sodes sententia? b)

(H) Ecquæ mysteria? ὀ μανθάνω. c)

Ad XI. & XII. Aphorism.

Unio illa duarum naturarum frustranea videtur. Nec enim divina natura (A) *aliquid ab humana accepit; nec item humana natura* (B) *aliquid a divina; cum omnia in universum Patri transcribat, Matth. XI. omnia mihi tradita sunt a Patre Joh. XIV. Pater, qui in me est, facit opera,* (bb) *Ibid. Sermo non est meus,* (C) *sed mittentis me Patris. Et sicut* (D) *Christus homo non est plane idem homo, qui peccavit, non est ex numero illorum, qui offenderunt, sed alius homo a peccatoribus segregatus Hebr. VII., qui voluntarie ut sponsor in locum peccatorum subiit: Ita etiamsi Deus, & qua talis mediator esse credatur, nec idem plane Deus, qui est offensus, esse videtur. Christi naturam humanam personam esse,* (E) *videtur probare* 1) *ocularis intuitus & consideratio hominis. Nonne enim quilibet* (F) *nostrum est vera persona? Nonne porro Christus talis homo, quia quoad trinam* (G) *dimensionem & omnia membra nobis* (H) *similis, & ut nos proportionatus* (ut ita dicam) *fuit? Sed quia hæc non tanti momenti, & ne prolixior sim, alia subjungam.*

(A)

formulas loquendi subinde occurrere, quis negaverit? Sufficit, rem ipsam eos bene tenuisse.

a) Immo vero invocatus est omni tempore Sp. S.; sic tamen, ut *formula invocandi* plerumque ordini personarum & origini earum simul attemperata esset. Quod vel ex gratiarum actione *Patri per filium in Spir. Sancto* ordinarie reddita patet, & a multis haud ita pridem adversus *Whistonum* in *Anglia* recentissime eandem cramben operose recoquentem, ostensum est.

b) *Sociniana* ubique; Sed multis modis interpolata. Utrum vero huic hypothesi immortuus fuerit, ipse forte, quid firmiter crederet, nesciens, non facile dixerim. *Vratislaviæ* diem supremum obiisse A. 1589. bene cognitum est; mentem vero non fuisse a *Socini* placitis alienam, vel *Epistolæ* inter F. *Socini* ipsius *Opera* excusæ, & *Confessio* his quoque interposita, præter alia plura, addocent.

c) Nisi me omnia fallunt, vim & robur argumentorum, quibus *Dudithius* etiam *Bezam* ad incitas redegerit, quantumvis heroem in disputando, non sine pristini in eandem hæresin amoris significatione, petulanti splene cachinno innuit *Peuschelius*.

(A) Etſi divina natura nihil acceperit; Filius tamen accepit omnia illa humana, quæ ipſi per communicationem tribuuntur. a)

(B) Opponuntur ſubalterna. Quippe divina, cum ſint infinita, non poſſunt dari, niſi per unionem b) cum natura divina. Refertur autem δόσις illa ad Patrem 1) quia filius per generationem accipit a Patre, quod dedit carni, 2) quia pater miſit filium, ideoque autor eſt incarnationis ſeu unionis, per quam facta eſt illa communicatio. Non igitur ſequitur: Pater dedit: Ergo a divina natura non accepit, ſed potius contrarium. c)

(bb) Facit illa pater, ſed non tantum Pater: quippe pater meus usque modo operatur & ego operor, ait Servator Joh. V.

(C) Scilicet, tantum meus. d) Nam prius ſuum eſſe dixerat. Joh. XIV, 23. 24.

(D) Error ſimilium. Non enim dantur plures Dii, ſicut dantur plures homines; ſed plures in una Deitate perſonæ, quarum una non potuit offendi, quin offenderentur omnes.

(E) Oculari intuitu perſona non poteſt definiri; cum quia ſunt perſonæ, quæ videri non poſſunt: tum quia multa videntur, quæ non ſunt perſonæ: Nec illico ſunt perſonæ, quæ videntur perſonæ: v. c. corpus humanum, præſertim ἄψυχον. e)

(F)

a) In *unitate perſonæ.* Hinc non aliter, quam forma *concreta*, ut vocant, humana illa de Filio Dei prædicare fas eſt. Quæ miramur, tot machinis hinc inde oppugnari, cum in rebus naturaliter unitis hujusmodi communicatio & prædicatio certo modo etiam locum habeat, & paſſim occurrat. De *Neſtorio*, utrum male ſenſerit, an locutus fuerit, aut prorſus non intellexerit doctrinam de unione perſonali, non diſputamus. Illud enim jam ſatis ſuperque ab aliis, ipſoque etiam de *Conciliis* ſcribente b. *Luthero*, & nuperrime a Cll Viris, *Jablonskio* atque *Klauſingio*, ex inſtituto diſcuſſum eſt.

b) *Neutiquam* vero *transfundi*; quod ſine naturarum vel commixtione vel exæquatione utramque tollente & evertente, fieri haud poſſet. Μεταδοτικὴ ergo hæc eſt communicatio, non μεταβατικὴ, eique naturæ perficiendæ h. m. i. e. perſonaliter convenit, quæ perfectior dando reddi potuit.

c) Conſideranda ſunt 1) *Origo* divinarum perſonarum a prima tanquam fonte; 2) *Oeconomia* actuum divinorum ad noſtram ſalutem ſapienter, ut ſingularum perſonarum diſtinctio, &, ſi ita loqui liceat, indoles magis pateſceret, diſpoſita; 3) Chriſti denique in *ſtatu* κενώσεως consvetudo, paucisſima ſi excipias loca, conſtans, qua ſibi propemodum nihil, patri vero cuncta adſcribit; tametſi nuſquam fere (ſi a Marc. XIII. 32. diſcedas) *ſoli* Patri ea tribuat, quæcunque ad œconomiam ſalutiferæ gratiæ pertinent.

d) *More Ebræorum*, quorum ſtylum N. T. libri imitantur. Conf. Gen. XXXII. 29. Matth. X. 20. 1. Theſſ. IV. 8. & loca alia, quæ magna copia congesſit, Can. XXII. de *Adverbiis*, b. *Glaſſius.*

e) Ergo perſonam eſſe humanam *Chri-*

(F) Ita eſt, quia quilibet propria ſua ſubſiſtentia ſubſiſtit. Qua vero humana natura non ſubſiſtit. a)

(G) Trina dimenſio & membra non conſtituunt perſonam, ſed vita & intellectus; ſecus etiam equus poteſt eſſe perſona aut cadaver. b)

(H) Similis: ſalva tamen prærogativa. c)

§. LIX.

Ad Aphor. XX. XXI. XLIX. & L.

Fideles non reſurgent iisdem corporibus, quibus mortui 1) *quia teſte Apoſtolo* 1. *Cor. XV,* 37. *Quod ſeminatur, non eſt corpus illud,* (A) *quod futurum eſt, puta tempore meſſis, in fine mundi Matth. XIII,* 49. 2) *quia ſeminatur corpus animale,* (B) *reſurget corpus ſpirituale* 1. *Cor. XV,* 44. 3) *quia caro & ſanguis* (C) *regnum Dei non poſſidebunt: Ibid. v.* 50. *id quod de hominibus phyſice (ut ita loquar) non vero ethice conſideratis intelligendum eſſe, in ſcripto meo* d) *ex ſcopo Apoſtoli probavi, quem aperit* 1. *Cor. XV,* 35. 4) *quia ſecundus Adam in Spiritum vivificantem* (D) *factus eſt, ſicut primus homo in animam viventem. Vt igitur, quando dicitur, hominem primum, de terra formatum, terrenum eſſe, origo ipſius* (E) *ex materia terrena innuitur: ita, quando Chriſtus glorificatus ſecundus Adam Dominus ex cœlo, ſcil. exiſtens (ſicut hoc participium, quando dicitur primus homo &c. ſubauditur) vocatur, ipſum corpus ex materia (ut ita dicam) cœleſti habere indicatur. Denique quia Deus ventrem* (F) *& eſcam abolebit* 1. *Cor. VI,* 13. *Vnde nos his craſſis* (G) *corporibus reſurrecturos non eſſe, ſequi videtur. Chriſtum autem ante aſcenſionem ſuam nondum immortale corpus habuiſſe oſtendunt* 1) *cicatrices* (H) *& vulnerum veſtigia,* 2) *quia vere comedit.* (I) *Quod autem tale corpus poſt reſurrectionem habuit, hoc per diſpenſationem factum, ut diſcipuli, qui in totum orbem prædicandi Evangelii gratia exierunt, confirmarentur; quorum oculi caligantes alias ſplendorem* (K) *glorificati corporis ferre non potuiſſent.*

ſtum, quem oculis conſpexere diſcipuli, forte hinc oſtendere integrum erit, ſed *merum* eſſe hominem, abſonum eſt, inde demonſtrare velle. Humanam vero eſſe perſonam, quis negat?

a) In *Chriſto homine ſine exemplo* & prorſus ſingulari, de quo ex Script. duntaxat S. teſtimoniis judicandum eſt, non communi aliorum hominum ſorte.

b) Confunduntur *perſona* & *ſuppoſitum*, præſertim mere materiale cum ſpirituali, aut compoſito ex utroque rerum genere.

c) Non ſolum ratione peccati, quod pro ſcopi rationibus ab eo *Paullus* removet, ſed aliarum quoque perfectionum, ad quas ea præcipue pertinet; de qua Col. II. 9.

d) Eo nimirum, quo, rationem reddere juſſus, *Jenæ*, quid de præcipuis fidei capitibus ſentiret, ad ſummos *Patriæ Proceres* perſcripſit. Vid. Sect. I. Cap. hujus III. §. 7.

(A) Apoſtolus loquitur de grano ſementis, i. e. comparatio fit in qualitate. a)

(B) Corpus animale hic dicitur, quod animales habet qualitates. Hoc enim modo opponitur ſpirituali, quod ratione ſubſtantiæ nonniſi ἀντιφατικῶς dici poteſt b) ſpirituale.

(C) Scilicet quatenus & quamdiu ſunt incorruptibilia *(forte corruptibilia)* ut verba immediate ſequentia docent.

(D) Non per converſionem corporis in ſpiritum, ſed per unionem cum Deitate vivifica: ſicuti & corpus c) primi hominis factum eſt in animam viventem, non per converſionem corporis in animam, ſed per unionem ejus cum anima vivente.

(E) Homo terrenus dicitur, cujus qualitates ſunt terrenæ ſeu tales, quales fert terra, e qua eſt formatus: cœleſtis vero, cujus qualitates ſunt cœleſtes: d) Ita enim explicatur v. 47. 48. ſqq.

(F) Non ratione ſubſtantiæ, ſed ratione operationum, e) ſeu quatenus illud eſcæ deſtinatum & in eſcis occupatum eſt 1. Cor. XV, 13. (rect. 1. Cor. VI, 13.)

(G) Non de craſſitie, ſed de identitate corporum eſt ſermo.

(H I) Cicatrices, manducatio &c. Chriſti redivivi oſtendebant corporis identitatem, non autem mortalitatem, cum quia diſpenſatorie uſurpabantur a Domino, tum quia per ſe cum immortalitate non pugnant.

(K) Non ſequitur: Corpus redivivum non lucebat, Ergo non erat corpus glorificatum & immortale: Ratio: quia quod non lucebat, factum eſt per accidens, nempe per diſpenſationem. f)

Ad XXIV. Aphor.

Puto corrigendum h. m. Confiteor Chriſtum, niſi verus Deus eſſet, nolle fide

a) Sic enim interrogatum erat antea: πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροὶ; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; *Quomodo*? *Quali*? Non qua ſubſtantia, ſed adjunctis ſubſtantiæ accidentibus.

b) Immo non tam ſpirituale, quam *ſpiritus* dicendum fuiſſet.

c) Seu potius *ipſe homo* (Gen. II. 7.) corpore animali conſtans.

d) Quod vel commemorata ſtellarum varia & multiplex δόξα, quicquid ſit de ſubſtantia, comm. 40. & 41. demonſtrat; ut cætera qualitatum nomina, v. g. δύναμιν, ἀτιμίαν, τιμὴν &c. taceamus.

e) Seu *uſus*, quem in his terris ad vitam ſecundum animalem œconomiam conſervandam præſtant, quo in illa immortali vita non erit amplius opus. Hinc etiam non corporis, ſed *ventris* l. c. fit mentio.

f) Quis enim dubitet, corpore glorificato præditos, præſertim Chriſtum αὐτοκράτορα, δόξαν illam, quando & quamdiu collubitum fuit, cohibere potuiſſe? Non potuiſſe, probent *Sociniani*.

fide & adoratione coli. Nam posse Deum efficere, ut etiam ratione substantiæ nuda creatura adoretur, *neminem* (a) *qui Deum omnipotentem* (b) *esse credit*, *negaturum puto. Sufficit enim, si jubeat hoc:* (c) *Item si amplissimam ei conferat potestatem*, (d) *& supra omnes eam extollat. Sed hoc transeat. Saltem pro non posse substituatur*, *nolle fide & adoratione coli.*

(a) Non potest: 1) quia id pugnat cum veritate Dei: Siquidem universa sacra scriptura clamat, solum Deum esse adorandum, & idololatram esse, qui præter Deum aliquid adorat, a) 2) quia Deus non potest efficere, ut nuda aliqua creatura habeat immensam & increatam potentiam: Siquidem non possunt esse duo infinita, nec aliquid creatum simul & infinitum esse potest. Esset enim simul non a seipso & a seipso.

(b) Quæ pugnant cum veritate & immensitate Dei, ea Deus per suam omnipotentiam non potest: quia si talia posset, foret impotentia.

(c) Si potest id jubere Deus: potest etiam jubere, ut nuda aliqua creatura diligatur super omnia, toto corde, tota anima &c. Item: quia non potest præcipere contradictoria. Item: quia non potest jubere, ut aliquid habeatur & celebretur pro omniscio & omnipotente, quod tale reipsa non est.

(d) Nonnisi divina & increata potestas sufficit: 1) quia ideo solus Deus est adorandus: 2) quia illa passim præsupponitur, ubi agitur de adoratione Christo communicata, 3) quia alias angeli quoque possent adorari. b)

Ad XXX. Aphorism.

Distinguunt vulgo inter activam & passivam obedientiam. Jam quia leges (A) *divinæ & humanæ in sensu alternativo hoc cupiunt*, *ut v.gr. Adamus aut de arbore vetita non comedat & vivat: aut, si de illa comedat,*

a) Ergo, si vel maxime posset talis tantusque honor (*cultus religiosi*, de quo h. l. sermo est,) creaturæ meræ communicari, non tamen *velle* Deum cuiquam, qui non sit ipse Deus, eum communem reddere, hinc luculentissime pateret. Sed *nec posse* id *fieri*, & creaturæ communem esse cum Deo hunc cultum, (meræ inquam, non θεανθρώπῳ,) idque repugnare, sequentes *Schröderi* rationes ad oculum demonstrant. Cultum vero religiosum cum Pontificiis gradu distingui, ipsi quoque *Socini* asseclæ non audent affirmare; utut mediatum & immediatum seu terminatum in solo Patre, ad quem Filii honor quoque referatur, denique gratis fingant, atque sic quoque *Racovia Romam* oleat.

b) Recte, *& nolle* Deum *& non posse*, conjuncta sunt; ut fraudi metuendæ latebra occluderetur.

moriatur & non vivat; non *vero copulative, ut & non comedat de illa, & licet hoc fecerit, tamen moriatur: scire velim, quomodo, si utramque Christi obedientiam acceptatis, illam explicetis & concilietis, ut nec una alteram tollat, nec renatorum obedientia* (B) *Evangelio dubia tollatur.*

(A) Verum est hoc de homine, qui nondum peccavit: non autem de homine, qui peccavit: qui debet utrumque 1) pœnam, quia peccavit & per hoc sub legis maledictionem cecidit, 2) obedientiam, quia per maledictionem non cessat obligatio legis ad obedientiam. a) Quare & utrumque Christo fuit solvendum: b) 1) pœna, ut nos liberaret ab exitio, 2) obedientia, ut vitam obedientibus promissam acquireret: quam non qui nudi sunt, sed qui superinduti sunt, possidebunt. 2. Cor. V.

(B) Non sequitur: Christus nostri loco dependit legi obedientiam: Ergo renati non debent eidem obedientiam. Quippe Christus dependit eam, ut perfecte pro nobis satisfaceret, & vitam obedientibus promissam acquireret. Nos autem debemus obedientiam, non ut satisfaciamus, aut vitam æternam acquiramus, c) sed ut nostram pro beneficiis Christi gratitudinem ostendamus &c. Breviter: Obedientia renatorum non est satisfactoria, sed fidei, qua prehensatur satisfactio Christi, declaratoria. d)

Ad

a) Vnde toties, quoties per peccata mortifera homines excidunt e gratiæ fœdere, in fœdus illud operum seu legis primævæ (fractum quidem & violatum, sed non sublatum & prorsus abolitum hominis lapsu) relabuntur. Quamvis enim pactum illud primum non amplius, *cessante* hominis illud ejusque *conditionem implendi* per peccatum *potentia*, (Rom. VIII. 3.) quenquam *reapse* salvet, quod fieri tamen adhuc posset, si quis esset, qui conditiones ejus præstaret exacte. Gal. III. 21. Attamen vis ejus, qua *fœdifragos* damnat, efficacissima est Joh. III. 19.

b) Vtpote qui pro lapsis hominibus totam illam fœderalem præstationem in se recepit, quando novi pacti ἔγγυος factus est: ut alterius seu prioris veritati & sanctitati, hujus posterioris præcellenti dignitati nihil derogaretur. Conf. Rom. III. v. 31. Quemadmodum etiam pacti istius primi legalis ante lapsum promulgati tam inconcussa est, uti diximus, *ex parte Dei* firmitas, ut si quis hodieque ei sine peccato satisfaceret, per illud etiam salutem adipisci posset. Gal. II. ult & III. 21.

c) Quæ per justificationem jam donata est credentibus, quantum ad *jus* eam adeundi, Eph. II. 8. Rom VIII. 24. Tit. III. 5. 1. Joh. III. 15. non demum per novam obedientiam impetranda.

d) Ac præterea, ne istam vitam æternam (jam donatam, ut *habeamus*, olim vero patefaciendam, ut plene *fruamur*,) amittamus, certo quodam modo prohibens, ac proinde & divinæ gloriæ amplificandæ, & imagini ejusdem in nobis instaurandæ, & conservando denique gratiæ statui, sec. sapientissimam œconomiam divinam destinata. Notatu dignum hinc censemus singularem illam loquendi formulam, qua *Jacobus* sanctitatis studium cumprimis

Ad XXXII. Aphorism.

Quid respondendum illis, qui in definitione fidei pugnantia a vobis affirmari dicunt, nempe Deum peccata nostra nobis remissurum, eademque deletum esse, si credamus, illa per mortem & passionem Christi deleta (A) *esse.*

(A) Deleta sunt & delenda. Deleta sunt per mortem Christi, quoad satisfactionem. Delenda sunt per applicationem. a) Ita enim Deus alienam satisfactionem acceptare voluit, ut tamen non prodesset, nisi iis, qui fide prehenderent & sibi applicarent. b)

§. LX.

Ad Aph. XXXVIII.

Ille regeneratur (A) *qui induit (deposuit) veterem hominem. Infantes nondum induerunt (deposuerunt) veterem hominem: Ergo non regenerantur. Major est Apostoli Eph. IV. 22. 23. ubi, de peccatis actualibus* (B) *eum hominem intelligendum, patet ex annexa descriptione: Der durch List in Irrthum sich verderbt &c. Peccatum originale huc non facit, quia illud nunquam deponitur;* (C) *hic autem vetus homo deponitur. Unum autem idemque non potest simul deponi & non deponi. Conferamus similes locos Coloss. III. 9. 10.* (D) *Rom. XIII. 12. sqq. & ad oculum patebit, quid sit vetus & novus homo. 2) Infantes non regenerantur, quia non credunt.* (E) *Probatur 1) quia fides ex auditu.* (F) *Infantes non audiunt. 2) Si quis adolescit, non potest meminisse,* (G) *se in infantia credidisse. 3) Quia usus rationis requiritur.* (H) *Licet enim non secundum rationem, tamen cum ratione credimus nos homines; quomodo eleganter dicit Apostolus 2. Cor. X. in & cum carne ambulamus, non secundum carnem militamus: Ita in & cum ratione audimus conciones, licet non secundum rationem, i. e. ut ea tantum, quæ placent rationi, audiamus, vel omnia audita ad normam rationis exigamus: Et hæc caussa est, cur hominibus prædicetur Evangelium,* c) *non vero*

commendans Cap. I. 25. ποιητὴς τοῦ νόμου μακάριος ἐν τῇ ποιήσει (non διὰ) αὐτοῦ ἔσται, signanter inquit.

a) Perinde ut *conciliatio* cum Deo per sanguinem Christi *in cruce* effusum jam dicitur Col. I. 20. 21. facta, ita tamen, ut ad eam quoque singulis *applicandam* Eccl. Ministri legatione sua fungantur & eo connitantur. 2 Cor. V. 20.

b) Quo fortassis caput *ad Rom. IX.* respicit totum, non de salute singulorum, sed *absoluto certum gratiæ & salutis applicandæ singulis & omnibus modum atque instrumentum* constituente decreto, eoque non carnis progeniem, nec operum dignitatem, sed fidem, coll. v. 32., determinante agens, atque hactenus etiam totam salutem nostram gratuitæ Dei benevolentiæ & procurantis eam & applicantis, acceptam esse ferendam ostendens: secus quam Judæi, *contra quos disputat Apostolus*, existimabant.

c) Ita vero ut iisdem hominibus, etsi non semper adultis, fides per baptismum,

vero pecudibus & brutis animalibus. 3) *Quia renatus* (I) *homo fœdus cum Deo per interrogationem bonæ conſcientiæ init 1. Pet. III. 21. Infantes autem non magis hoc,* (K) *quam pecora campi præſtare poſſunt.*

(A) Diſtingue inter regenerationem proprie ſic dictam, & inter regenerationis a) continuationem, quæ proprie dicitur Renovatio. De poſteriori loquitur propoſitio, vi verborum Apoſtoli: De priori eſt quæſtio. Deinde diſtingue inter depoſitionem Vet. hominis, quoad vetuſtatem originalem, & quoad vetuſtatem actualem. De priori negatur aſſumtio: conceditur de poſteriori.

(B) Loquitur de peccatis actualibus quidem, ſed non de his ſolis; verum etiam de originali, adeoque de omni improbitate, quam Epheſii in priori converſatione habuerunt, & quam deponere debuerunt. Quippe per peccatum originale primo eſt vetus homo, deinde per actualia: quæ quo magis deponuntur, eo magis etiam b) deponitur originale.

(C) Peccatum nunquam deponitur in hac vita, ſcil. totaliter & quoad materiale; deponitur tamen quoad formale ſeu reatum, c) & deinde d) partialiter, ſeu per diminutionem.

(D) Locus Coll. III. ſimiliter loquitur non de regeneratione, ſed regeneratorum renovatione. Vid. v. 9. Jubet enim deponere iram &c. eos, qui exuerunt hominem veterem & induerunt novum, qui renovatur (ſcil. indies) ad imaginem Dei.

(E) Contrarium docet Chriſtus Matth. XVIII. e)

(F)

alterum applicationis organon, jubeatur conferri.

a) Sive vocabulum hoc πολύσημον pro fidei accenſione, ſive pro connexa cum ea, & ex ea profluente, novæ indolis & propenſionis, quæ Spiritus alias presſius dici ſolet, creatione ſumas. *Priori* enim notione exuitur vetus homo & induitur novus, per ἀπιστίαν magis magisque repreſſam & contra fidem confirmatam. *Poſteriori*, ſi proclivitas ad vitia paullatim exſtirpatur, etiam internus ille homo, ex Spiritu natus, ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ 2. Cor. IV. 16. expeditior alacriorque redditur, atque ad virilem tandem & *hoc ſenſu perfectam* ætatem progreditur. De hac potiſſimum l. c. ſermocinatur *Apoſtolus* & adultos, ad quos ſcribit, qui & legere epiſtolam poterant, ad exercitia hæc continuanda exſtimulat. De infantibus, perinde uti fidem eorum novimus, ita quoque, quando de ſanctificatione ſermo eſt, rem ſcimus, modum ignoramus. Otioſum vero neque in his eſſe Sp. S., ſed, quod inchoavit, bonum opus etiam perficere, tanto minus dubitamus, quo luculentiora etiam puerorum egregiis pietatis documentis foras datis exempla integris libellis deſcripta extant.

b) Infirmando enim & reprimendo, ſeu crucifigendo, quando veluti lenta morte enecatur, ſane exui & deponi, manifeſtum eſt, ut non dominium recuperet.

c) In *juſtificatione.*

d) Conſequente videlicet *ſanctificatione*, ubi ejus vis infringitur & aſſultus, ut non dominetur.

e) Præter exemplum *Johannis*, quem profecto crediđiſſe, *fructus* exultationis,

(F) Ita inquit Apoſtolus de fide adultorum. a)

(G) Etiam baptiſmi b) non poteſt meminiſſe, an ideo non eſt baptizatus?

(H) At credunt etiam illi, qui ratione c) non utuntur, puta dormientes: Sed & diſtingue inter uſum rationis naturalem & iſtum, qui a Sp. S. excitatur. Ratio requiritur in credituro & credente; non autem rationis uſus naturalis. d)

(I) Non hoc dicit Apoſtolus, ſed deſcribit effectum baptiſmi, qui facit, ut per baptiſmum renatus bona conſcientia reſpondeat e) apud Deum: quod ſaltem de adultis verum, & ſuo modo de infantibus, quatenus per baptiſmum emundatur conſcientia.

(K) Ergone nullum eſt diſcrimen inter infantem, qui ratione præditus eſt, etſi non utitur, & inter bovem, qui nec præditus eſt, nec utitur illa? f)

Ad XL. XLI. XLII. XLIII. Aphor.

Verba Cœnæ ad litteram non intelligenda eſſe, probatur, 1) quia quod Chriſtus, ut ſapiens, in Capernaitis damnavit (A) *Joh. VI. id poſtea rurſus non inſtituit, 2) quia aſcendit* (B) *ad cœlos: unde Paullus nos peregrinari* (C) *a Domino dicit, & in locum* (D) *abſentiæ ſuæ Sp. S. miſit, id quod fruſtraneum foret ſi ullo modo ſecundum carnem præſens eſſet. 3) Quia alias hæc ſumtio corporis & ſanguinis fruſtranea: Nec enim corpori* (E) *prodeſt, quia non eſt cibus corporis; nec animæ, quia anima non magis* (F) *poteſt carne & ſanguine corporali paſci, quam venter famelicus ſpiritualibus*

non naturalis, ſed *fidei*, ex præſentia Meſſiæ in Maria demonſtratus, atque hinc etiam ortus, Luc. I. prodit.

a) De quorum etiam ἀντιλογίᾳ v. 21. conqueritur Apoſtolus in ſolos adultos quadrante.

b) Immo nec ſomni, cibi, potus, diſcurſationis & ſimilium actuum naturalium recordamur ex infantia.

c) *Actu ſecundo*, etſi actu primo, ut vocant, ſint etiam natura rationales. Ad fidem autem ſupernaturalis operatio requiritur, quæ ipſam quoque rationis virtutem excedit.

d) Qui *potius* Sp. S. *reluctatur*: unde infantes ad regnum Dei *recipiendum* magis, quam adultos, idoneos eſſe, quia petulanter illi non refragantur, Chriſtus ait Marc. X. 15. & alibi.

e) Seu fœdere inito de ea certus ſit: quod perinde uti fidei natura, *qualis* ſit & *quanta*, Deo καρδιογνώστῃ in cordibus infantium quoque, uti in *Johanne*, operanti, & meliori haud dubie, quam in adultis, pervicacibus ſæpenumero, ſucceſſu, cognitum eſt.

f) Scil. *Socinianorum* manus-oculatæ ſunt, credunt, quod vident; atque hinc etiam pari modo, uti de exitu hominis, homines inſulſi Kohel. III., judicant, *Ihr irret und wiſſet die Schrifft nicht, noch die Krafft GOttes;* commode h. l. ex *Marci XII.* 24. repetendum eſt.

bus saturari. Et alias proportio esse debet inter alimentum & alendum, ita ut spiritualia spiritualibus, (G) *corporalia & corporalibus nutrimentis alantur & pascantur.* 4) *Quia omne id* (H) *quod hic accipi & nos consequi dicunt Theologi, in spirituali manducatione consequi possumus.* 5) *quia, ut ante dictum, carnem & sanguinem glorificatus jam exuisse videtur.* (I) 6) *Quia ad hoc requireretur, ut si non in omnibus, saltem in pluribus locis esset.* (K) *At hoc Christo nulla ratione communicatum, ut suo loco probabitur. Nam omnia hic adscribere nimis prolixum foret. Ascribam tamen paucula,* 1) *quia talis omnipræsentia naturam veri corporis, quod partem habet extra partem destruit,* (L) 2) *quia in uno loco* (M) *natus, passus, crucifixus & mortuus. Inprimis autem urgeo dissolutionem* (N) *corporis & animæ in morte factam. Jam, si ubicunque λόγος fuit, ibi etiam humana natura fuit, necesse erit & humanam Christi naturam ubique fuisse. Quæ autem ubicunque locorum sunt, quomodo possunt illa separari?* (O) *Aut si separantur, quomodo sunt ubique?* (P) 3) *quia, si idiomata communicantur, aut omnia aut aliqua;* (Q) *Sed nec omnia, nec aliqua: Ergo nulla.* 4) *Si in communicatione Majestatis homini Christo facta Deus ipse excipitur, tum nihil,* (R) *quod est Dei vel Deo essentiale, sub illa communicatione comprehenditur, & proinde etiam nulla idiomata essentialia. Verum prius, testante Apostolo 1. Cor. XV, 27. Ergo & posterius* (S).

(A) Damnavit autem in ipsis manducationem physicam seu physice oralem: Ergo hanc non instituit.

(B) Ascendit ad cœlos: Idemque sub pane corpus suum ad manducandum se daturum promisit: Ergo utrumque verum est. a)

(C) Peregrinamur a Domino, non quod Dominus non sit nobiscum, b) sed quia non sumus cum illo in cœlesti illa patria. c)

(D) Vbi hoc legitur? Quodsi alicubi legeretur, intelligendum esset

a) Et quia ad cœlos adscendit, tanto etiam facilius est creditu; quoniam *plenum majestatis* suæ, sibi, ut homini, communicatæ *usum*, ex eo tempore & in eo statu ὑπερυψώσεως tanto efficacius exercet; etsi propter *distantiam naturalem* naturali hominum rationi id intellectu difficilius fore, multoque magis *Capernaitæ* sibi de naturali præsentia persuaserant, offendiculum inde sumturum, comm. 62. ipsemet animadverterit.

b) Illud enim clarissimis verbis Dominus ipse Matth. XXVIII. ult. affirmat.

c) Ergo l. c. ad Cor., uti totius orationis series demonstrat, de *statu viæ* sermo est, non substantiæ nostræ qualicunque apud Deum Christumque, ejusque vicissim apud nos, præsentia vel absentia. Certe *Christo* cum *Apostolis* coram conversante nihilominus hi peregrinabantur. Ad *statum*, non ad *locum*, animum in his advertere oportet. Perinde uti Christus in terris fuit sacerdos, non terrenus. Hebr. VIII, 4.

eſſet de abſentia, quæ opponitur præſentiæ locali, viſibili & familiari.

(E) Immo corpori prodeſt, ut cibus nutriens illud ad vitam æternam. a)

(F) Verum eſt de paſtu corporali, non ſpirituali: quo paſcit animam, quicquid excitat aut confirmat fidem, teſtificatur &c. 1. Joh. V. Eſt medium conferendæ gratiæ ad remiſſionem peccatorum.

(G) Sicut homo renatus dicitur ſpiritualis, non quod ratione ſubſtantiæ ſit ſpiritus, ſed quod ſpiritualiter ad ſpiritualem vitam ſit renatus: Sic caro Domini eſt cibus ſpiritualis, non ratione ſubſtantiæ, b) ſed quia nutrit renatum ſpiritualiter & ad vitam ſpiritualem.

(H) Falſum: Quippe ſpiritualis manducatio non præſtat realem præſentiam: non præſtat realem c) corporis Chriſti cum noſtris conjunctionem; non præſtat tantam applicationis certitudinem &c. Sed eſto, noſtrum non eſt, modum ſtatuere Deo. Alias Sacramenta omnia poſſent tolli.

(I) Videtur, ſolvitur per non videtur. d)

(K) Ita eſt. e)

(L) Negatur: Quia omnipræſentia corporis non pendet ab immenſitate corporis, ſed ab unione ejus cum immenſa divinitate λόγου. f)

 (M)

a) Alitur corpus noſtrum corpore Domini non utique converſione ſubſtantiæ carnis Chriſti in noſtram, ſed ἐνεργητικῶς & effective, dum caro Chriſti, in S. Cœna ſumpta, noſtro corpori virtutem talem communicat, ut poſſit e corruptione iterum emergere, ac ad priſtinam integritatem redire. Eſt enim corpus ζῶν καὶ ζωοποιοῦν Jo. VI, 53. ſqq. φάρμακον ἀθανασίας, ut habetur in *Ignatii* epiſtolis, coll. 2. Reg XIII, 20. 21.

b) Vt ſcilicet aliquid ſubſtantiæ ſuæ noſtræ apponat, aut nos aliquam ejus partem ad nos trahamus, eamq; in noſtram ſubſtantiam convertamus, quemadmodum de nutrimento naturali docent Medici; Sed quatenus *Corpus Domini nos ad ſe trahit*, & in ſe convertit, ut nos Domino apponamur, (1. Cor. VI. 17) in uno corpore *myſtico* cum eo, quanti quanti ſumus, conjungendi.

c) Hoc eſt ſubſtantialem, ἀδιάστατον, quam *Chriſtus* in S. Cœna promiſit, ſolatii efficaciæque cœleſtis pleniſſimam. Ergo, mere ſpiritualem etiam per fidem manducationem realem eſſe non ſimpliciter negatur, quia, fictam & nullius prorſus efficaciæ eſſe, alioquin dicendum foret. Res omnis proinde ad præſentiæ modum ſingularem & ſacramentalem, *ea, quæ ſola fide fit, præſtantiorem & intimiorem*, quæ negari haud poteſt, redit; ubi ſane S. Teſtatoris *voluntas* mille ratiociniis anteferenda eſt.

d) Immo non exuit, ſed *glorificata* nunc edenda & bibenda non conſpicua *exhibet*, *olim vero conſpicienda* cunctis oſtentabit.

e) Saltim, ut poſſit, etiam per ſubſtantiam corporis ſui, eſſe, ubicunque velit & promiſerit.

f) Omnipotentis. Optime jam A. 1568.

(M) Etiam Deus in uno templo Hierofolymitano colebatur: In uno loco in Mambre apparebat Abrahæ. Sp. S. in uno loco defcendebat fuper Chriftum &c. Ab eo, quod contigit Chrifto in uno loco, ad præfentiam a) non valet confequentia. Ifta enim longius fe extendit.

(N) Facta eft diffolutio unionis naturalis, non b) perfonalis.

(O) Poffunt feparari 1) ratione unionis naturalis fublatæ, 2) ratione localis præfentiæ feu abfentiæ.

(P) Eatenus, quatenus in eadem λόγȣ hypoftafi fubfiftunt, qui nullam ullibi creaturam præfentiorem habebat, quam animam & corpus fuum. c)

(Q) Aut: Et omnia, & aliqua, diverfo refpectu: Omnia, refp. inhabitationis feu poffeffionis; d) Aliqua, refpectu ufurpationis & denominationis. e)

(R) Negatur confecutio: 1) Quia alias ne quidem hypoftafis Filii Dei effet communicata, 2) quia communicatio κατὰ συνδύασιν f) non infert exæquationem, 3) quia aliud eft communicari, aliud fubjici. Non enim fubjicitur, qui communicat, aut quod communicatur.

(S) Negatur affumtum, fi intelligatur de Deo Filio. Etfi enim Deus affumtæ naturæ non communicatur, ut fit Deus, communicatur

ad *Schluffelburgium* Mart. *Chemnitius: In articulo de Vbiquitate nollem te litem illam tuam facere. Sed fufficit, corpus Chrifti ex hypoftatica cum divinitate unione hoc habere, quod poteft effe, ubicunque vult.* Epift. Chemnit. f. 66. fq. Ed. Johann.

a) Forte add. & repetendum: *In uno illo loco*, cujuscunque generis, etiam majeftaticam & invifibilem &c.

b) Nec incognita eft fimilitudo a gladio evaginato, quem cum vagina & feparatim eadem manu tenemus, petita.

c) De *intima* præfentia ἐν λόγῳ hæc funt luculentiffima, de *extima* in loco (etfi non ratione modi localis) tutius in tanto myfterio fentiunt, qui rem omnem ad omnipotentiam Chrifti, majeftatemque omnipræfentiæ & promisfiones revocant, &, ut in hac fimplicitate fubftitiffent Majores, optant.

d) Ενεργητικὰ & ἀνέργητα feu operantia & quiefcentia.

e) Ενεργητικὰ fola. Quanquam & denominationis mediatæ vel immediatæ differentia non fit negligenda. Majeftas omnipræfentiæ, *mixtum* quid defignans, novam difficultatem parit, ex promiffionibus folis folvendam.

f) Aliter vero de unione per σύγχυσιν, ἐνύπαρξιν, μετέκβασιν & fimilibus judicandum effet. Nos de ἐπιλαβῇ & κοινωνίᾳ, atque μεθέξει Ebr. II. defcripta, heic loquimur; quæ, cum naturam utramque poft unionem fuperftitem relinquat, tantam tamen περιχώρησιν infert, unde communicatio non posfit non confequi infinitorum etiam donorum *naturæ perficiendæ* facta, fed quæ *modum habendi* longe diftinctisfimum non tollat.

catur tamen ei ita, ut ſit Deificata: non ad terminum συνώνυμον, ſed παρώνυμον. Ad verba Apoſtoli dicendum: Excipitur ibi Deus, non a communicatione, ſed a ſubjectione. Qui enim communicat potentiam, non ſubjicit ſuam potentiam, ſed communicando potentiam ſubjicit ei res omnes. a) Res igitur ſubjiciuntur, non qui communicat, aut quod communicatur. Adde: Deus eſt, qui communicat, at quod communicatur, eſt Dei idioma. Item: Si per Patrem intelligatur Deus, communicavit ille quidem, ſed non in ſua perſona, ſed mediante perſona filii &c.

§. LXI.

Tantum de ſcrupulis etiam a *Peuſchelio* e cuſtodia in ædes Antiſtitum duorum transmiſſis, quibus perſpicuas annotationes accuratiſſimi Diſputatoris *Schröderi* addere vel hoc nomine viſum eſt, quoniam non modo brevibus objectiones diſpunctas exhibent, ſed etiam æquitatem eorum perbenignam erga errantes lucrifaciendos oſtendunt. Quanquam, fatemur, ne nunc quidem certi ſimus: Sintne reſponſiones hæ opponentibus & dubitantibus in carcerem remiſſæ, an, omiſſa refutatione ſcriptis mutuis inſtituta, tota ventilatio ulterior coram colloquendo deinceps peracta? Prioris conſilii indicium faciunt ipſæ notæ ad marginem adſcriptæ, quas huic fini omnino deſtinatas eſſe veriſimile eſt; Poſterior vero ſententia, ex eventu paullo poſt amplius enarrando, probabilius colligitur. b) Vtut ſit, nondum certe hi juvenes poſt expoſita dubia illa victas manus dedere, ſed diutius adhuc in illis convincendis refellendisque c)

a) Mirum eſt, hæc tantopere auſum fuiſſe exaggerare in præſenti negotio *Peuſchelium*, cum ſit l. c. tam manifeſta regiminis Chriſti jam ἐνσαρκωθέντος, ſubjecta ſibi ad regnum ſalutiferum œconomicum in his terris & militante ſtatu omnia habentis, deſcriptio, ut de communicatione majeſtatis *interna* ne verbum quidem commemoretur. Immo vero, ſi *Chriſto* ſunt, præter Deum, ſubjecta omnia, hoc ipſo per iſthoc univerſale dominium, *omnipotentiæ infinitæ* conceſſæ innixum, corpus quoque ſuum, ubicunque vult & pollicitus eſt, eoque modo, quo allubeſcit, ſiſtere & porrigere poteſt. Corpus autem unum idemque ut in pluribus locis exiſtat, nondum demonſtratum eſt, repugnare. Tantum abeſt, ut infinitæ Dei potentiæ limites ponere mortalibus ἐκ μέρους γινώσκουσι liceat.

b) Immo vero miſſas eſſe in cuſtodiam, eo modo, quo heic ad marginem allitæ apparent, jam ſcimus: In XIII. enim colloquio, cum iterum contra *Aphoriſmum* XXX. *Peuſchelius* dubium moveret, jam ante ad marginem ſcripti ipſius ſe ad illud reſpondiſſe monet, ejusque reſponſionis objicientem recordari jubet *Schröderus*.

c) Quod novum ſignum eſt prorſus luculentum, nihil præpropero impetu actum eſſe, ſed longiſſimum ſpatium, nec tenuem moram fluctuantibus adhuc datam fuiſſe atque conceſſam.

postea elaborandum fuit. Quod antequam demonstremus, ejus quoque Scripti tandem facienda est mentio, ad quod in *epistola* sua e carcere ad *Schröderum* data provocavit, sibique auctoris convitia ne fraudi sint aut detrimento, obnixe rogavit *Peuschelius*. Rejecissemus illius fœdissimæ schedæ recensum ad calcem totius hujus capitis; sed cum in congressu proxime sequente non obscure inter alias continuati colloquii caussas dicacissimum hoc opusculum, quod jam cœperat omnium manibus circumferri, allegatum esse videremus, præmittere ejus memoriam, quam postponere, visum est magis consultum, ut, quid momenti illud attulerit ad animos in consilium capiendum permovendos, exinde eluceret. Prodiit nimirum sub idem tempus, quo custodiæ adhuc ambo inclusi erant, & nondum disputari cœptum est, media æstate, scripta putida & vere scurrilis scheda quædam impressaque typis A. MDCXVI. per universum prope orbem tam, cito sparsa fuit, ut *Val. Smalcio* etiam in ipsa *Polonia* longe remotissima hospitato mox ejus copia fieret. Titulus hujus scripti *Ollaris Casei* a) *Augus. Confess. Quintevangelici* hederam præferebat, & auctorem *Andream* b) *Fornerum*, c) *Theol. D. & Parochum Merkersheimensem*,

a) Qui titulus putidus ut eo rectius intelligatur, commonefacere visum est L. B., in Germania superiori caseos hujusmodi male olentes ex corruptis aliis in ollam quandam conjectis reliquiis, & affuso vino destillato seu sublimato maceratis, confici, panique illitos a rusticis comedi solere, atque vulgo *Hafenkæs*, a vase, in quo asservantur, appellari, symbolumque rei cujusque male commixtæ & pessime olentis, ex usu etiamnum, ut olim, recepto, præbere. Certe jam pridem, cum A. 1541. *Formula* quædam *conciliationis*, a *Jo. Groppero*, ut ferunt, subdole conscripta, nostris in *Colloquio Ratisbonensi* exhibita esset, Seren. Landgravium Hass. *Philippum* eam *caseum ollarem*, ein *Hafenkæs*, vocasse, memini a b. *Sekendorffio in Hist. Luth.* ad h. a. narratum esse.

b) *Andream*, inquam, *Fornerum*. Quod minime dignum esset notatu, nisi quidam hunc *ollaris casei* scriptorem obiter adductum, nominatim *Joh. Christoph. Dornius* in *Bibl. Theol. Crit.* P. II. L. VIII. C. II. f. 574., quemadmodum in Præf. *Theophrastum*, Aristot. discipulum, cum *Theophrasto Paracelso*, pari modo cum *Laur. Forero*, olim Pharmacopœo ac deinceps Dillingensi Jesuita, dicacitate huic nostro non impari, commiscuissent.

c) Nondum tamen expeditum est: hiccine, an alius, fuerit verus hujus libelli auctor? Neque enim defuere, qui, *Christianum Erdtmannum*, notissimi, & in Rempubl. Noribergensem minime æqui libelli, qui, *Noriberga in Flore religionis avitæ Pontificiæ*, nomen in fronte gerit, scriptorem, etiam hoc suspicantur opusculum consarcinasse. De qua tamen re valde incerta aliorum esto judicium. Nobis enim nondum solida satis ejus opinionis indicia sese obtulere, ut malimus eum, quem titulus exhibet, auctorem, quam alium sub hac larva latentem, credere. Cæterum ut de Auctoris indole, & in *Eccles. Noribergensem* pariter infensissimo animo, magis constet, eundem hunc, uti tituli libellorum præ se ferunt, etiam Conciones b. *Schröderi* anno Eccl. Evang. jubilæo 1617. recitatas binas, & ipsos quoque

ſem Grabfeldicæ Franconicæ, a) nominabat, cujus etiam *Dedicatio* ad *Jo.* noſtrum *Schröderum*, in ipſa inſcriptione jam ante nominatim deſignatum, *Idibus Menſis Julii* perſcripta, atque malo omine ipſis diebus canicularibus anni memorati exarata, apparet præfixa. *Ingolſtadii* in *Typographia Ederiana* prælo ſubjectas eſſe iſtas plagulas, non diſſimulavit Auctor, quisquis fuit, impudentiſſimæ maledicentiæ, neque etiam cenſura a *Leone Menzelio*, *D. Theol. & Controv. Fidei Prof. Facultatisque Theologicæ Decano*, ſubjuncta ad calcem deeſt: ut videantur Editor pariter atque Approbator magnopere ſibi in pullo iſtoc invenuſto mentis fœdiſſimæ placuiſſe. Quod ipſum *altera* quoque *editio* A. ſequenti MDCXVII. ibidem, eademque forma, quam *quartam* vocant, mox repetita, confirmat, & amplius eodem anno adjecta *Germanica Verſio*, floſculorum, quam ipſa Latina, inſulſorum plenior, ſtabilivit. Conſtat opuſculum integrum capitibus breviuſculis omnino XXXIII., quibus ſtylo barbaro, & formulis omni ſtudio, ad exagitandos noſtrates, cumprimis vero *Eccleſiæ Noribergenſis Paſtores* probroſe traducendos, conquiſitis, quicquid valuit, petulantiæ & bilis *Fornerus* ille evomuit; ut non dubitemus, vel ipſos Pontificios modeſtiores ſcommatum iſtorum etiamnum pudere. *Schröderum* ſane virum optimum, a quo nunquam fuerat læſus aut laceſſitus, perpetuo *Scroterum*, obſcœna vocis origine efficta, & in eum, nec mutilum corpore nec mancum, multoque minus herniosum, cognomento genuino viri boni in cavillationem inconditam, per εὐτραπελίαν *Paullo* dudum improbatam, detorto appellat, eundemque porro *Archi-Superintendentis*, collegasque *Noricorum Prædicantium Archimandritarum* b) titulo ſimilibusque cavillis pungit. *Jo. Fabritii* rarius quidem, attamen ita quoque, meminit, ut hujus etiam famæ, cum forte audiviſſet, *Philippi* placitis illum eſſe addictiorem, eademque de cauſſa cum *Schrödero* aliquandiu concertaſſe, c) ini-

nummos eam ob rem publicamque lætitiam cuſos, adortum eſſe, acerbeque traduxiſſe monemus. His enim, ut alia alii, non minus putida, *Fornerus* idem *Jubilæum Quint-Evangelicum utriusque Confeſſ. Auguſtanæ* oppoſuit, mirumque in modum, nec minori petulantia, mera *mendacia* noſtris & innumera quidem objiciendo inſultavit.

a) Quæ pars eſt Franconiæ ſeptentrionalis inter *Swinfurtum*, civitatem imperii liberam, & *Rombiltam* atque Comitat. Hennebergicum, (qua parte Saxoniæ Principibus ſubeſt,) medio fere loco ſita, & *Epiſcopo Herbipolitano*, niſi fallor, paret.

b) Græcæ diſciplinæ proprio, qui Abbatum uſitatiori inter Latinos reſpondet.

c) Quando Libri Normales ſubſcriptione ſolenni ab hoc approbandi eſſent. Vid. ſupra Cap. III. §. 41.

iniquum ſe præbeat, eumque *S. Sebaldi primarium Prædicantem*, *extrinſecus quidem Aug. Conf. leberide ſeſe conveſtientem*, *intrinſecus autem Calvinianum colubrum in ſinu foventem* eſſe, ſine fronte cap. XXIX. pronunciet. Immo, *juratum* illum eſſe *hoſtem omnium Vbiquitiſtarum*, ait, *quos pro concione quandoque*, *veluti tenebriones pesſimos*, *ferroque ac igne a Magiſtratu perſequendos*, traducat: *ita tamen, ut nihilominus aſtutam vapido ſervet ſub pectore vulpem, doctrinæque Lutheri purioris ſectator ac doctor velit videri & haberi.* Quæ quam ſint partim a veritate prorſus a) aliena, partim, ſi qua fuit quandoque diſſenſio inter collegas, quam maligne exaggerata fuerint, & commentis grandibus interpolata, alibi b) demonſtrabitur. Omnium vero maxima eſt injuria, qua *Salom. Schwaiggerum*, objecta quoque ineptiſſime viro bono itineris ſacri in Palæſtinam feliciter peracti deſcriptione, affecit, eumque inter Prædicantes *inſignem Thraſonem* vocare haud verecundatus eſt Cap. VIIIo. Vt omittamus perpetuos *Verbicolarum*, *Logodulorum*, *Battologorum*, *Cornicatorum*, *Quintevangelicorum* & ſimilia acerba, animique indices impotentis & pene furentis, opprobria & maledicta. Tacemus ipſam etiam C. XXXI. ad modum notiſſimæ cantilenæ: *Erhalt uns Herr bey deinem Wort &c.* adornatam in *Auguſt. Confeſſ.* parodiam: *Erhalt uns Herr beym Hafen-Kæs, ganz lieblich iſt er und gar ræs: Ihm weicht all Zucker und Confect: Er iſt von Mucken und Maden befleckt &c.* qua nihil inſulſius c) excogitari potuit. Noſtrum enim potius eſt, pro inſtituti ratione, quomodo ad *Crypto-Socinianorum* Hiſtoriam, jam pæne detectam, bruta hæc fulmina collinearint, nunc ſuccincte explicare. Nec difficile illud eſt demonſtratu; quoniam vel in ipſo titulo hujus ſatyræ, parum vel ſalis vel leporis habentis, occaſio hinc ſcribendi data Auctori, ſeu potius ab ipſomet arrepta perhibetur, ut *pro inſigni victoria a Neophotinianis quatuor* d) *hæreſiarchis*,

a) Diſſenſus enim cum inter eum & Collegas *quosdam* in controverſiis nonnullis levioris momenti exiſteret, nunquam tamen tam proterve aut publice ſuper iis rebus diſputatum eſſe haud ignorant, qui patriam hiſtoriam accuratius cognitam habent.

b) In vita *Schröderi* & *Fabricii*, & cumprimis *Schelhammeri*; quibus interim prægustandis tabula illa, quæ *Vitis Theologorum Altorphinorum* præfixa legitur, & ab hoc ſeniore *Fabricio* cum *Schelhammero* adornata, ampliorique, (quam MSctam aſſervamus,) explicatione inſtructa eſt, inſervire poterit.

c) Atque inſuper in diviniſſimam Evangelii veritatem, cum abuſu nominis divini, magis injurium.

d) Cur quatuor nominaverit, cauſſæ nihil video. Etenim ſi ad infectos quoscunque reſpiciat plures illos fuiſſe, quam quatuor, ex hoc & ſuperiori Capite patet. Si per-

chis, Noribergæ, variis disputationum concertationibus recens obtenta gratularetur. Quæ caussa quoque fuit, procul dubio, potissima, cur & *Schröderum* sibi maxime & asperrime perstringendum, traducendumque, utpote quem in isthac disputatione virum se inprimis præstiturum esse, aut jam præstitisse, fama erat, præter cæteros elegerit.

§. LXII.

Hinc etiam in capitibus prioribus, in eo potissimum occupatus fuit, ut Cap. I. *novos Photinianos ex Altorphina Academia, incubante Doctore Sonnero,* (cujus ne quidem nomen scribere potuit inficetus homo) *Vorstianæ impietatis præclaro cultore, jam Racoviensium Trinitariorum in Polonia Archistratego, exclusos esse affirmet*, veraque cum falsis perperam commisceat. In quibus illud obscurissimum est commentum, quod *Soneri*, tanquam, anno tunc labente 1616., *in Polonia Trinitariorum Archistrategi viventis* perperam meminit, quem dudum rebus humanis excessisse, in vicinia non poterat, certe non debuerat, nescire: ut adeo plane verisimile sit, dicacissimum hunc hominem, vel quicquid in mentem calamumque veniret, temere profudisse, petulantibus tantum convitiis intentum, vel *Johannem Crellium*, haud ita pridem in *Poloniam* a) profugum, cum *Sonero* Præceptore jam defuncto confudisse. Omittimus reliqua, quibus dicteriis bonum *Schröderum* lacessivit, & nescio quæ *trophæa ab eo meditata* confinxit. Illud vero silendum non est, perquam inique Perillustri *Reipubl. Noribergensi* C. III ab Auctore effrictæ frontis imputari, quod, cum Aug. Confess. præ aliis omnibus Germanicæ nationis Rebus publ. coluisse, eamque sartam tectamque adhuc servasse, & protexisse, ipse hostis recte fassus esset, jam Calvinianos Ministros toleret, dogmataque Calviniana sine metu in vulgus spargere sinat, & in Academiam suam *e mediis Calvinistarum lacunis, Lugduno Batavis, Vorstiano Photinismo infectos Professores, prægrandibus stipendiis, non raro evocet:* b) & quæ sunt alia his similia. Etenim, quam falsa hæc sint, & quam imperite *Philippi* methodo assveti nonnulli cum *Calvinianis* toto cœlo ab istis distinctis (quicquid sit de quibusdam aliis degeneribus *Philippi* discipulis,) Doctoribus commutentur, ii norunt, qui rerum illa tempestate in Ecclesia gestarum historiam haud ignorant. Et alibi quoque jam ostensum est, c) qua industria

tinaciores autem spectet, quos *hæresiarchas* paullo liberalius appellat, non alii, quam *Vogelius* & *Peuschelius* nobis cogniti sunt.

a) Conf. Cap. II. §. 14.

b) Quorsum hæc collineent, confestim docebimus, nunc perperam *pluralem* pro singulari positum esse notamus, tempusque *præsens* pro præterito.

c) In Vita *Maur. Helingi* ejusque Appendice, ubi *Decretum* A. 1577. promulgatum

duſtria nunquam non *Inclyta Respubl. Noribergenſis a Calviniſmo*, ut vocant, h. e. placitis *Calvino, Bezæ*, ipſique *Zwinglio* vetuſtiori propriis longe multumque fuerit alienisſima. Quæ autem nugatur procaci ore *Fornerus* de vocatis ex *Belgio* Profeſſoribus, idque etiam non raro factum eſſe, proterve clamat, putidisſima ſunt, ut molliter dicamus, figmenta. Quandoquidem nemo unquam, excepto *Hugone Donello*, eoque jam dudum, cum hæc ſcriberentur, fatis defuncto, inde arcesſitus fuit, eidemque, uti Cap. I. a nobis monitum eſt, forte ob cauſſas alias libertas religionis, quemadmodum etiam alibi fruebatur, eſt indulta. Eum vero quando *Vorſtiano Photiniſmo* infectum calumniatur *Ollaris Caſei* ſcriptor, næ! ſtupidisſimam ignorantiam hiſtoriæ tunc temporis recens geſtæ prodidit: Vtpote qui *AltorphI* diem ſuum jam A. 1591. obierat, cum *Vorſtius* adhuc in ſubſelliis auditorum ſederet, & de hypotheſibus forte ſuis novis ne quidem per ſomnium cogitaſſet. *Sonerum* autem [& ne hunc quidem *Vorſtii* diſcipulum, a)] *Altorphium* haud fuiſſe *Lugduno Batavorum* accerſitum, ex ſupra enarratis ejus fatis b) cognitum ſatis & compertum eſſe putamus. Quando vero in eodem capite, quatuor iſtos *Centuriones factionis Photinianæ, poſteaquam Protomacho Sonnero nomen Photinianiſmi dederant, de transferendis alio ſignis cogitantes*, ſine diſcrimine *Wittebergam* adiiſſe, idem narrat, iterum magnopere Lectores ſuos fallit ac fallitur: cum ex ſuperioribus conſtet, unum *Vogelium* eo contendiſſe, cum *Vffingero*, ſed alio tempore illuc migrante, &, quando *Altorffio* excederet, nondum de *Photiniſmo* animo ſuo quicquam agitante. *Peuſchelium* autem nec vidiſſe unquam *Wittebergam*, & *Cornelium Marci* hucusque nondum pedem *Altorphio* aut *Noriberga* extuliſſe, ex dictis itidem ſatis apparet. Vnde, quam egregius fuerit in cæteris recitandis enarrandis-

typis excuſum eſt, & legi omnino meretur. Vt taceamus prius illud, quod A. 1541. editum, atque *Wolffgango, Com. Palat. Rheni*, Confeſſori ſtrenuo veritatis, traditum eſt, & impreſſum in *Apolog. Form. Conc.* ea parte, qua *Ambroſ. Wolffii Hiſt. A. C.* confutatur, f. 442. ſqq. extat. Quibus ipſi *Artic. Smalcaldici* cum *Aug. Conf. non mutata*, partem haud poſtremam *Libr. Norm. Noriberg.* ſemper conſtituentes, & alia addi poſſent Hiſt. LL. Normal. attinentia, niſi hæc quoque rectius inter arcana retineremus. Miramur vero, cur *Fornerus* ille harum rerum tam curioſus *Chriſtoph. Hardeſianum*, aliosque haud diſſimiles, etſi modeſtiores, Conſiliarios, cum Theologis nonnullis & vetuſtioribus & huic ætati A. 1616. magis vicinis, de quibus ſupra Cap. I. dictum eſt, non objecerit.

a) Vid. Cap. I. §. 12.

b) Vbi ſtudiis quidem litterarum iſtic aliquantiſper incubuiſſe, ſed hinc in alias porro terras commigraſſe, atque poſt aliquot demum annos *Noriberga Altorphium* evocatum eſſe, addocuimus.

randisque hiſtoricus idem *Fornerus*, animus facile præſagire poteſt. Id quod Capite præſertim IV., in quo, *Theologos Wittebergenſes* fruſtra deſudaſſe in convincendis hiſce *Photinianis*, Lectoribus perſvadere conatur, novo inſignique ſpecimine demonſtratum dedit. Ne quid enim ex præcedenti commento repetamus, quo, cum omnibus diſputatum illic eſſe, necquicquam aſſeveravit, cum tamen ſolus *Vogelius* ad colloquium amicum iſtic tandem eſſet vocatus; manifeſto etiam fabulis ſunt connumeranda, quæ l. c. de captis iisdem & in vincula conjectis, *Aug. Confeſſ.* labefactandæ metu, & quaſi ex deſperatione catenis conſtrictis, tradit: cum ſolus & quidem ad nutum & voluntatem *Illuſtris Senatus Noribergenſis*, *Vogelius* cuſtodia, Academiarum omnium more, attineretur, ne ante, quam rationem domi factorum reddidiſſet, fugam capeſſere poſſet. Addit idem *Fornerus* l. c., cum illis *inſtanter comminanterque* varie fuiſſe diſputatum *Witteberga*, ſed temere id affirmat. Neque enim de minis, inter colloquendum cum *Vogelio* ſolo adhibitis, vel apicem unum a ſincero teſte perſcriptum vidimus, ipſæque collationes non ita multæ, aut variæ, modeſtæ profecto & æquiſſimæ, a) fuerunt. Ejusdem commatis ſunt, quæ de *Photinianis* illis, quod dogmata ſua compluribus jam inſtillarint & longe lateque evulgarint, ſubjicit. Namque & his aſſertis ſupra opposuimus genuina documenta prorſus contraria: unde ne unicum quidem apud *Saxones* in partes ſuas adduxiſſe, excepto ſolo *Vſſingero*, *Vogelii* contubernali, eoque vacillante duntaxat, oſtendimus. De *Altorphinis* vero machinationibus, de quibus *Fornerus* capite citato non agit, jam haud eſt exponendi aut repetendi, quæ C. I. a nobis dicta ſunt, locus. Omnium falſiſſimum eſt, quod porro adjectum l. c. legitur, *Wittebergenſes Theologos* per litteras *Noricam Rempubl.* moneri curaſſe; *ni ſuos Witteberga propediem abducerent Photinianos*, *Vulcano*, ut mererentur, *in illos animadverſum iri.* Etenim conſilia hujusmodi violenta noſtræ Eccleſiæ haudquaquam familiaria ſunt, & proinde magis ex ſuo, quam aliorum, ingenio heic videtur judicaſſe *Fornerus*: Immo tantum denique abeſt, ut a *Wittebergenſibus* ſint *Noribergenſes* ad ſuos avocandos avehendosque quaſi compulſi, ut contra hi illos ſibi transmittendos, plauſtro miſſo, in eum finem parato inſtructoque, non levibus impendiis ultro expetierint. b) Neque

Uuu u ſatis

a) Quod ſæpius, dum viveret, ipſe *Vogelius* teſtatus, neque unquam de moroſa quadam vehementia conqueſtus eſt vir ſincerus & apertæ frontis. Vt de publica hujus, qua ſunt ad ſaniorem mentem reducti, bonitatis lenitatisque profeſſione jam taceamus.

b) Vid. Cap. III. Sect. I. §. 21. & 22.

ſatis cauſſæ habuit Auctor, cur, illinc (non *Witteberga* tantum, ſed *Jena* quoque) vinctos *compedibus ac manicis ferratis, & ad carpenta alligatos, aſportatos eſſe, atque Noribergæ in diverſis carceribus dein ſeparatim collocatos*, in materiam quoque criminationis verteret. Quid enim prohibuit *Inclytam Rempubl. Noriberg.*, quo minus in alumnorum ſuorum civiumque perfidiam, a) jam, quantum ad rem ipſam, ſatis exploratam, tanquam benigna nutrix æque ac juſtitiæ cuſtos, ſerio animadverteret, atque hos, libertatis conſcientiæ obtentu, verſa autem revera in licentiam petulantiamque beneficentia, apoſtatas, qui a fide Chriſto pariter & Patriæ Patribus data deſciverant, ſolicite cuſtodiret, atque ſic ipſismet adoleſcentibus hiſce imprudentioribus, ne perirent, ultro conſiliis ſanioribus proſpiceret? Neque enim, ut jam ſæpe dictum eſt, alia catenarum injectarum (ubi vereor, ne, perperam exaggeraturus omnia, manicas ſimul compedesque noſter commemorarit) cauſſa fuit, quam neceſſaria in itinere adhibenda providentia, & toties inculcatus aliorumque exemplis excitatus firmatusque fugæ juſtiſſimus timor. Accedebat & ſpes certa, qua creditum eſt, fore, ut domum retracti, cum ratione defectionis reddita, etiam clandeſtinos, qui, ut fama mendax ferebat, innumeri dicebantur, complices, variasque machinationes adhuc occultas, quas noſſe haud parum referebat, certius diſtinctiusque revelaturi eſſent. Pari modo neque conclavium in turribus, ubi ſeparatim aliquantiſper commorandum ſingulis fuit, ea eſt atque tunc jam fuit conditio, ut plures commode una iſtic divertere poſſint. Quanquam etiam reorum quorumlibet, in omni genere delictorum, b) hæc ſit fortuna, ut conjunctim pluribus neutiquam vivere liceat; maxime vero omnium, ſi quando accidat, quod heic etiam uſu venit, ut non tam de puniendis, quam mutua animorum obfirmatione evitanda, emendandisque vitiis & corruptelis, vel exquirendis etiam abſtruſis abditisque rebus factorumque circumſtantiis, agatur. Quæ cum ita comparata fuerint, nihil aliud *Fornerus*, cuncta hæc in majus extollendo, & invidioſe deſcribendo conſequutus eſt, quam, ut obtrectandi ſtudium deliberatum aperto ore & fronte teſtatum fecerit, idque adhuc, veluti in aperta luce propoſitum, non ſine dedecore ex eo ſcripto eluceat. Haud diſſimilis eſt calumnia, qua ſequenti cap. V. diſputantem

tantem

a) Vnde tanta, & *Academiæ* ſuæ, præter hæc, & ipſi *Reipublicæ*, infamia inuſta fuerat.

b) Immo etiam aliorum, præſertim de colluſione doloque compoſito ſuſpectorum: ubi cumprimis prudentia circumſpecti Magiſtratus eam ſeparationem expoſcit.

tantem *Schröderum*, quaſi argumenta ex Romano-Catholicis Doctoribus ſuffuratum, itemque *Syllogiſmorum lanceis & haſtis cum adverſariis congredientem, cœlosque & æthera concutientem*, a) deſcribit, & pro more hiſtrionum exagitat; Tum adverſarios, ut obſiſtentes acerrime; Vtrosque vero, *mutuo ſe impetu, aures piloſque vellicando, invicem attraxiſſe*, nugatur. Ne quid dicamus *de turbatis omnibus, mixtiſque inter clamores contumeliis, atque jactatis ab his in illos, & viciſſim rejaculatis convitiis*, quæ, inverecundo ore, inter diſputandum obſervata eſſe, porro deblaterat. Cum tamen pereximia moderatione ex utraque parte, in conſpectu *Illuſtrium Reipubl. Procerum* aliorumque virorum gravium, atteſtantibus dictorum commentariis, b) diſputatum ſit; ita quidem, ut nemini, quod ſtomachum moverit, vel verbum excidiſſe legatur, præterquam quod ſemel forte iterumque apertam Scripturæ in alienum ſenſum detorſionem ſerio, at modeſte tamen, in obloquentibus *Schröderus* reprehenderit.

§. LXIII.

Denique mirari non ſatis poſſumus inſulſi hujus *Caſei ollaris inſtitoris* protervitatem mentiendique libidinem, qui, cum ineunte *Julio* menſe ſeſe ſcripſiſſe chartas haſce contumelioſas ipſemet, in *ſubſcriptione epiſtolæ* ſchedæ huic præfixæ, teſtatus eſſet, tam temere auſus ſit, illa omnia, tanquam inter diſputandum a ſe vel aliis animadverſa & quaſi coram conſpecta, orbi univerſo cum clamore extrudere; cum tamen prima omnium diſquiſitio, poſt auditam unius cujusque, d. 21. & 22. menſis *Sextilis*, ſententiam in conventu tertio, tertiaque demum *Septembris* luce inſtituta fuerit, adeoque hoc primum die conferendarum rationum & diſputandi initium factum ſit. Ex quo uno documento nefarium fingendi, quæcunque liberet, mentiendique ἐκ προαιρέσεως (dicemus enim, quod res eſt,) ſtudium in proclivi eſt colligere, nulloque profecto negotio, cujusmodi cætera ſint, intelligi poteſt. Sigillatim vero inde patet, quam fœda ſint putidaque, & in ipſam Scripturam Sacram injurioſa opprobria, quæ in eam, tanquam judicem delectum controverſiarum, adhibita Proſopopœia,

 petu-

a) Virum, ſi quis alius erat, moderatiſſimum, & de ſummis quoque fidei capitibus ſerio atque fervide, ſed ſine exæſtuante affectu, quod & ſcripta demonſtrant, ſemper diſputantem, & Theologis quibuscunque in exemplum imitationis, ut λοιδορίαν in cauſſis etiam optimis fugere diſcant, proponendum.

b) Quorum, vel hinc, pleniorem repetitionem longioremque ſupra a nobis haud inconſulto datam eſſe, elucet.

petulanti ore & calamo, Auctor illic procax protulit, totumque adeo Cap. VI. hisce scommatibus cavillisque replevit. Neque meliora sunt, quæ Cap. VII. seq. de victoria a *Schrödero* sibi suisque arrogata difficilibus nugis adornavit commenta, a) l. c. commodius inspicienda. Nam digna nos ea neutiquam putavimus, quæ studiosius & distinctius excerperentur aut excuterentur. Ita quoque Cap. VIII. ad eum modum, qui histrionibus & mimis potius convenit, pronunciata parum curaremus, nisi summa injuria optimum *Salom. Schwaiggerum* nominatim affecisset perfrictæ frontis homo, & petulantissimus scurra. Eum enim quando accusat, quod consilia subministrarit, de *controversia tota confestim flagris & fustigationibus*, *trochlearibus & equuleis*, *gladiis item furcisque & crurifragiis*, *ac mille aliis excarnificationibus conficienda*, non tantum strenue fabulatur, viro perquam modesto, talia ab ingenio ejus, genioque totius Ecclesiæ Evangelicæ ipsiusque Christi b) alienissima attribuendo, sed etiam, quod immane & plane intolerandum est facinus, innocentem hunc Ecclesiæ ad *D. Mariæ Antistitem* earum rerum, quæ cum *Photinianis* publica auctoritate agebantur, fuisse participem confinxit, cum quibus illi, perinde, uti Xenodochiano t. t. ad Sp. S. Pastori, *Georgio Wernero*, & Ægidiano, *Bernhardo Ströbel*, prorsus nihil fuit commercii. Nemo certe eorum ad scribendum, deliberandum, aut disputandum unquam legitur arcessitus; immo ne quidem colloquio, cui Diaconi nonnulli, uti supra narravimus, aderant, tanquam auditores aut spectatores, eos aliosque interfuisse unquam, vel levi indicio cognovimus. Quanta ergo & quam effrons audacia *Forneri*, *Swaiggerum*, nulla ex parte totius actionis consortem, tam indignis tractare modis! Plane hinc conjicimus, cum alii non fuissent cogniti, atque is unus ex scriptis vaniloquo homini innotuisset, hunc

a) En compendium! *Quid? verba sunt Forneri, inquiebat Scroterus- -- quid? Annon sacram pro nobis paginam stare cernitis? Annon o Photiniani, turbatores Evangelii, verbi Dei corruptores, pravas vulgo opiniones inspergitis? Nos grex pusillus, vera Ecclesia, verum ovile, veræ oves Domini; nos præter, alius non intelligit, Prophetica & Apostolica scripta. O verbum Domini; Victoria, victoria. Verbum Domini manet in æternum, victoria victoria, Io, Pæan victoria. O Ministri verbi, triumphum canite, pro victoria, &c.* Quæ quidem omnia, quemadmodum etiam reliqua totius libri argumenta, in vernacula lingua multo turpioribus scommatibus sunt referta: ut plura, ipsamque adeo responsionem, ad victoriam istam decantatam, quam porro fingit empæcta, redditam describere tædeat.

b) Non armis σαρκικοῖς, sed verbo τῆς ἀκοῆς, cujus vis divinissima est ad convincendum vel *animos intus* eam sentientes, & utentis, & nos quoque uti, tanquam Spiritus mitioris, qui conservationem errantium curet, jubentis. Quæ laus Ecclesiæ nostræ semper fuit, eritque, propria.

hunc eum, five fontem five infontem, id enim perinde erat malignæ menti, exagitandum cum cæteris delegiffe; dummodo petulantem procacitatem bilemque, qua turgebat mala mens malus animus, in *Miniftros Ecclefiæ Noribergenfis* effundere, & improbæ cupidini ægre illis faciendi quoquo modo indulgere poffet. Vna hoc eodem capite adhuc reperitur veritas, quando, interjectis tamen iterum, in Germ. potisfimum verfione, de *Evangelii Lutherici Protectore magno*, (*Meifter Hannfen mit feinem Knecht*) prodigiofis convitiis, alterum novorum Photinianorum, *Cornelium*, (*Marcium* puta) *fartoris cujusdam filium, uti Noribergenfium vulgus ultro circumferat, abjectis hafta clypeoque victas dediffe manus*, & quidem, *triumphatori Schrödero*, inquit. Quanquam enim cum *Joh. Fabritio* inprimis *Corn. Marci* rationes contulerit, tanquam fingulari fuo, ut antehac, ita tunc quoque, Patrono; parum tamen ea circumftantia momenti habet, cum cætera vera fint. Quemadmodum etiam, quando, alterum (qui *Vffingerus* fuit, & de quo alias nihil certi fama mendax retulerat) datis fponforibus & fidejufforia cautione brevi, fcribit, dimiffum iri, a veritate nihil alienum pronunciavit. At falfum & commentitium eft, quod addidit, reliquos duos, (*Peufchelius* hi erant & *Vogelius*,) ftationem fuam minime adhuc deferentes, Miniftros omnes, quotquot eos adierint, ad conflictum omni momento *provocaffe*; atque ita non raro *confudiffe*, ut *adunco fufpenfi nafo e pugna clanculum abfcefferint, victoriam nihilominus fibimet attribuere* haud veriti. Siquidem de loco cuftodiæ, ubi hucusque de clandeftinis *Socinianorum* machinationibus manifeftandis in examinibus actum, incertum a) omnino eft: Vtrum vel femel Theologorum aliquis eos illic convenerit. Certe contraria potius omnia ipfius Colloquii fubfequuti exordium indicat atque condocet. In hoc enim nemo unquam legitur ad privatim dicta five conceffa five objecta, neque etiam in fequentibus fcriptis & conflictibus, eo fe retuliffe: quod tamen, ut vel præmiffi fcrupuli edocent, crebro factum eft in publice dictis iterum iterumque allegatis. Sed quid opus eft operofa nugarum, ab homine convitiandi æftu abrepto protrufarum, uberiori refutatione, cum vel paucula hæc fatis fuperque demonftrent, nihil fani in fabulofis iftis narrationibus, partim ex rumore vago conquifitis,

Uuu u 3 partim

a) Immo falfum, quoniam ea iftic propofita & requifita funt, quæ judicibus folis cognofcenda erant, & clam etiam nonnulla habenda videbantur; illa nimirum, quæ confortes quosdam veros falfosque attinerent, quorum famæ quam maxime confulendum erat. Tametfi eventus alia tandem, quam rumor differninaverat vagus, inquirentes edocuerit.

partim de industria ad nostrates ludificandos compositis, deprehendi; neque adeo fidem ullatenus mereri hominis malesani nænias & ineptias: Quas vel ii, qui nondum ære lavantur, perspiciant similiores esse mimorum & morionum gerris apinisque inficetis, ad risum movendum comparatis, quam historiis. Cujusmodi & cætera sunt, quæ in sequentibus Capitibus de *Augustana Confessione* ad nauseam protulit ludibria, quæ, cum ad præsens institutum proprie non pertineant, de industria silentio præterimus. Nobis enim præcipua de *Socinianis* narrata, in historico videlicet campo constitutis, heic attigisse satis est. Idque visum erat, facto opus esse, ne quis *Lectorum*, quorum manibus adhuc deterrima illa versatur scheda, a) aliquid fidei scriptori, licet vel ipsa methodo proponendi eam jam decoxerit, habeat, aut pretium aliquod ideo statuat. Præsertim, si cui forte probabile videatur, huic homini tam audacter cuncta asseveranti & συγχρόνῳ in vicina civitate actorum notitiam haud defuisse; cui etiam nemo, quod sciamus, aperta licet fronte calumnianti, ipsisque his obtrectationibus cunctis insultanti, unquam publice & ingenue contradixerit. Ad prius enim quod attinet, parum ei profuit vicinitas locorum, cum eo præsertim tempore, quo præpropere nimis scriptum illud fœdissimum in publicam lucem prodiit, vix initium inquirendi, nedum disputandi, factum esset, adeoque non modo non de compertis, sed ne de factis quidem adhuc rescire quicquam potuerit. Vt taceamus etiam, in præteritis, nec multum anterioribus, rebus, iisdemque cæteroquin notissimis, grandia commenta a nobis observata esse, ac proinde omnium maxime non tam facultatem, quam voluntatem, candide vera scribendi ab homine inficeto abfuisse. Quod autem respondere convitianti dubitarunt *Noribergenses*, in promtu caussa est. Verebantur videlicet, b) hominem, neque honestatis, neque veritatis, studiosum, vel

a) Eaque fere sola in hoc negotio difficili & abstruso in hunc usque diem publicæ luci exposita, neque ex instituto a quoquam confutata.

b) Hæc sine dubio prima caussa fuit. Præter eam vero, si quid conjicere licet, idem ut facerent, permovit Noribergenses fratris *Forneri* hujus dignitate h. t. maxime in vicinia præfulgentis, & fortassis sub eadem larva simul delitescentis, *Friderici Forneri*, *S. Theol. Doct.*, *Episcopi Bambergensis*, ut vocant, *Suffraganei*, seu in rebus Ecclesiasticis *Vicarii*, atque *Episcopi titularis Hebronensis* (cujus scripta vide in *Biblioth. Fabritiana* Tom. IV. f. 162. enumerata) ingens auctoritas; quem vel ob viciniam ullatenus offendere verebantur, & injurias potius dissimulandas, quam exaggerandas, existimabant. Omittimus ipsas res hasce gestas pertristes, neque jucundas cuiquam, neque gratas Inclytæ Reipubl., hoc lugubri eventu mirum in modum afflictæ, quas tacendo sepelire, quam refellendo false etiam dicta divulgare amplius, satius visum

vel par pari referendo, quod nec Chriſtianos deceret, confirmare in delictis, vel, moderatisſime licet, refellendo adverſandoque ad ſæpius feriendum, inſtar Bacchæ bacchantis, laceſſere. Atque hinc prudentiæ potius & pietatis laudem promeruere, quod, ſive ultro ita ſecum ſtatuentes, ſive a *Magiſtratu Inclyto* juſſi, ſilentium coluerint Noricæ Eccleſiæ Antiſtites, maxime vero omnium *Schröderus*, a) in quo hæc potisſimum cudebatur faba. Tantum abeſt, ut in ſuſpicionem malæ cauſſæ, aut conſcientiæ timidæ hæc rapi queant. Prodiit equidem paullo poſt, anno nimirum ſequenti 1617., verboſa quædam *Scheda*, aliquot plagularum numeris & rhythmis adſtricta, huic *Caſeo ollari quintevangelico Forneriano* oppoſita, cui præſcriptus eſt Titulus: b) Eigentliche, gründ-" liche

eſt. Fortaſſis autem præter has alia quoque, (ſic enim ipſius *Forneri* prodidit, quam ob eventum quendam in cauſſa religionis, Miſſæq; *Noribergæ* aliquibus ſub id tempus, domi ut celebraretur, prohibitæ, ingratum, f. 79. magnopere ſtomachatus effudit bilis,) cauſſa acceſſit, cur nihil reſpondendum potius, quam Camarina movenda, videretur, eaque præcipua ſilentii ratio fuit. Vtcunque hæc ſint, Bacchæ bacchanti non adverſari, *prudentius* putabatur, quam ferienti ſæpius tergum obvertere. Plures ſane, conjunctim ſpectatas, hujusmodi cauſſas ſilentium ſuadere potuiſſe, atque tunc ſapientibus recte ſuaſiſſe, ſagaciores omnes intelligent.

a) Ipſe *Schröderus* in *Præfat. Sceptro Chriſti Regali*, poſtremo omnium ſcriptorum & quodammodo poſthumo, præmiſſa, poſteaquam, *nolle ſe Camarinam movere, quæ hominibus cordatis faſtidium pariat, aut cum aliis adverſariis iis luctari armis,*

Per quæ victori nulla corona venit,

dixerat, mentem hac de re ſuam ſatis ſuperque aperuit. Ita enim l. c. *Quod id ipſum*, inquit, *in cauſſa eſt, quamobrem ſpurios* (videtur ergo & ipſe fictum aliquod nomen ſubolfeciſſe) *& ſpurcos libellos, quibus inſulſus ille ſacrificulus, D. Andreas Fornerus, homo ad maledicendum projectiſſimus, antehac furenter me inceſſit, hactenus omni reſponſo ſim dedignatus & dedignari velim deinceps: Furat, ſæviat & debacchetur, quantum & quamdiu fuerit collubitum, adeoque totas naves conviciorum, quod habet proverbium, in me effundat, ego non magis curabo, quam Indus Elephantus culicem. Non expugnabit animum, qui obfirmate ſibi præſcripſit, quod alicubi in moralibus ſuadet Gregorius: Glorioſius eſſe hujusmodi injurias tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare. Si id dediſſet operam, ut, quod alicubi monet Auguſtinus, res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione concertaſſet, veritati hyperaſpiſten me dare debuiſſem: at bacchæ bacchanti, quod eſt apud Comicum, qui velit adverſarier, ex inſano inſaniorem facit.* Hactenus *Schröderus*: qui quam longe ab altera ſcheda, mox citanda, Æſquilliana fuerit alienus, & animo & calamo ſatis ſuperque, hac ipſa teſtificatione ſinceræ & a ſcurrilitate abhorrentis mentis, demonſtratum dedit.

b) Extat equidem ſequens etiam ſcriptum, cujus hæc inſcriptio in fronte comparet: Jubel-Kram 20. Meſs deſs heili-" gen Rœmiſchen und Catholiſchen Ha-" ſen-Kæſs: D. i. Eigentliche, gründliche," und wahrhaffte Beſchreibung der unaus-" ſprechlichen, unerſchœpfflichen und faſt" unglæublichen Tugenden, Kræfften" Nutzbarkeiten und Würckungen deſs" heiligen Rœmiſchen und Catholiſchen"

„liche und wahrhafftige Beschreibung des heil. Rœmischen und Ca-„tholischen Hafen-Kæss, wie derselbige auf dass allerheiligste und „künstlichste præparirt und zubereitet worden; Dabey auch seine „unaussprechliche und unerschœpffliche Tugenden, Kræfften &c. „vermeldet werden: Reymenweiss verfasst &c. per Publium Æsquil-„lum, der Societæt Jesu Baccalaureum, Civem Romanum & Poëtam „Catholicissimum &c. Sed neque *Noribergensium* ea fuit rhapsodia, qui nunquam sibi illam passi sunt attribui, neque etiam quicquam continet, quod refutationis nomen ullo modo sustineat ac tueri possit, a) &, ut, quod res est, dicam, pari, si non majori, maledicentia putidaque scurrilitate scripta, nemini unquam piorum veritatisque æque ac Christianæ modestiæ amatorum, vel propter divini nominis & sacrorum canticorum turpem abusum, probata fuit. Quare nullum illi heic locum concedimus, sed publice detestamur. Tantoque etiam minus ad præsens institutum ea facit, quo certius est, ne minima quidem ex parte hanc de *Socinismo* historiam autorem, quisquis fuit, petulantissimum attigisse, aut *Forneri* commenta examinasse, vel refutasse. Vtut hæc sint; id certum est & exploratum, quamvis jam antea colloquendi pieque disceptandi methodus videretur continuanda: eo quod permultis utriusque diffidentium hactenus juvenum animos scrupulis adhuc distrahi animadverteretur, neque ipsimet *Peuschelius* & *Vogelius* dissimularent; hac tamen scheda contumeliosa vanissimi cavillatoris inspecta, novum quasi, ex maledicentiæ ulterioris formidine, stimulum hisce consiliis subjectum esse. Id certe, uti paullo post audiemus, *Curator Ecclesiarum Noribergensium t. t. Supremus*, Generosissimus *Dn. Georgius Volkamer*, palam professus est, cujus confestim verbis b) ea demonstrata dabimus.

§. LXIV.

„Hafen-Kæss, wie derselbe an vielen unter-„schiedlichen schadhafften Personen pro-„birt, gerecht, gut und bewert erfunden „worden. Mit beygefügter *Anzeig*, was sich „sonst nahmhafftes und denckwürdiges „dabey begeben und zugetragen hat. Mit „sondern Fleiss Reimenweiss beschrieben, „durch Publium Æsquillum &c. Pæbstli-„cher Heiligkeit hiezu insonderheit ver-„ordneten Poëten und Historien-Schrei-„ber, im Jahr 1618. 4to. Sed quamvis locupletius sit priori, & nugis atque gerris alterum illud non minus, quam numero plagularum, (illud enim XIII. hoc XXI. omnino constat) superet; non tamen alio loco, quam primum, habendum est, caussæque bonæ in eo male actæ neque Majores nostri hunc quoque petulantem Patronum approbarunt, neque nos etiam laudamus. Omittendum vero, vel propter Historiæ integram seriem, non esse existimavimus.

a) Neque enim hoc nostrum argumentum vel obiter attigit, sed vitæ genus monasticum aliaque Pontificii cœtus instituta varia acerbis modis perstringit.

b) Proxime seq. §. LXIV.

§. LXIV.

Jam enim in ordinem redire, post necessarios a) hos excursus peractos, animus est, & historiæ quoque rerum porro gestarum series idem flagitat. Quod ut rite demus effectum, notandum est, mense *Octobri*, post scrupulos potiores scriptis jam discussos, coram etiam redintegratum esse colloquendi laborem, inque novo consessu cœptum denuo disputari. Rationes, cur restaurati sint hi conventus, priusquam argumentis certaretur in utramque partem denuo expositis, longum foret enumerare: Quare, ut compendium dicendorum faciamus, ex ipso colloquio p. p. continuato, eas colligere, satius erit. Ex quibus etiam inter alia patebit, utrique horum juvenum, maxime vero *Peuschelio*, tantopere obsecranti, deprecatores sese denuo adjunxisse, apud *Illustrem Senatum* interpellando, ipsosmet Theologos, &, paratos se esse atque proclives, declarasse, si e custodia, quod fieri supplices illi rogitent, interposita fidejussione, dimitterentur, ut privatim verbis scriptisque, quanta fieri possit industria, porro cum illis rationes conferrent, & scrupulos superstites e medio removerent. Quæ vel hac una de caussa cumprimis notanda sunt, ut, quam temere optimos hosce Ecclesiarum Antistites, discussionis viam etiam privatim omni studio, quantum in se esset, inituros, violentorum consiliorum insimulaverit adversariorum mendax calamus, b) magis eluceat. Quod vero *Prudentissimi Proceres Reipubl.* custodiam longiorem, ejusque adeo continuationem, cum disquisitionum ulteriorum opera porro adhibenda, tanquam justi rigoris & clementiæ temperamentum, circumspecte anteposuerint, & colloquia hæcce utilissima diutius patienter se audituros esse, eaque ratione, ut errantibus consulatur, procuraturos, decreverint; id profecto, cum bene deliberatum esse intelligerent, c) & publica auctoritate constitutum, mutare, in potestate Theologorum non fuit positum: quemadmodum ex sequentibus liquido apparebit. Neque etiam infeliciter hoc modo prospectum esse errantibus ipsis, æque ac famæ & saluti *Reipublicæ Noribergensis*, d) ipse eventus addocuit quem

 lætum

a) Occurrent enim nonnulla, quæ cognita hæc, quæ hactenus narrata cæterisque interjecta sunt, præstruunt, atque eo nos respicere interdum jubebunt.

b) Vid. supra §. XXVIII.

c) Sive caussæ patefactæ fuerint, sive incognitæ ipsis mans[illegible].

d) Cui maximopere consulendum erat, omnibusque calumniis, utraque ex parte imminentibus, obviam eundum. Altius enim hæc repetenda esse, & periculis ex aula fortassis non una, summaque in Imperio, impendentibus occurrendum fuisse, quis non subodoretur?

lætum fuiſſe & exoptatum, jam noſtrum erit, pertexendo narrationis telam, probatum dare. Quod ut exequamur, ad congreſſuum publicorum hiſtoriam nos recipimus, & quemadmodum, poſt moram aliquam, a proxime præcedentibus interjectam, Diſputationis filum continuatum ſit, ordine edocebimus. Inſtituti ergo hujus reſtaurati initium d. VIII. paullo ante dicti menſis *Octobris* factum eſt, inque Confeſſu DVODECIMO cum *Peuſchelio* de novo actum ſolicite, & priſtina methodo diſputatum. Hunc enim omnium primum alloquutus, uti quondam, ita nunc quoque, legitur *J. Fabritius*, qui præſentem illum, & in locum conſvetum adductum, ante omnia cauſſæ hujus conventus, & recuſati nuper dilatique Jurisjurandi religionis, ferio commonefecit: deinde vero etiam promiſſorum meminiſſe juſſit, quibus, ſi exemti eſſent ſcrupuli & conſcientia ab iisdem liberior reddita, profeſſus fuerit, pollicitusque, id, ſe haud vereri, ex animo præſtare. Ad hæc ergo dubia, ſi quæ haberet, audienda diſcutiendaque, tum vero, quid inpoſterum facere decreverit, percipiendum, jam ſeſe paratos eſſe. Eumque in finem & ipſe precatus eſt ad Deum, & conſuetas inſuper ſupplicationes recitari, ut antea, juſſit. Annuit hiſce *Peuſchelius*, dictaque a ſe in ſuperiori confeſſu *undecimo* lubens iterum memorque agnovit; tum, gratum ſibi eſſe beneficium, quod reſiduis ſcrupulis amovendis novum hoc tentamen deſtinatum ſit, humiliter teſtatus, diſerte Auditores monuit, non illa duntaxat, quæ in ſcripto ſuo conſignata ſint, ſed alia quoque remoram ſibi injicere, aſſenſumque adhuc ſufflaminare. Atque hinc, quia uno alterove congreſſu ea expediri haud queant, iterum iterumque rogavit, ut in parentum ædes dimitteretur, quo carceris moleſtiis ſuperſedere, tantoque melius ex dubitationum laqueis ſe expedire, ſinceriusque ſacramentum religionis dicere poſſit. Tandem vero, quia ad ſcrupulos eximendos jam omnes videat heic conveniſſe, ultro ſe nihil quicquam præſcribere, ſed libenter morem gerere huic colloquendi conſilio velle, ultro pronunciavit. Qua declaratione edita, paulisper jubebatur ſecedere, eoque abſente, *J. Schröderus* verba ſententiamque petitionis *Peuſchelianæ* repetiit, & quid agendum eſſet, ut imperetur, denuo flagitavit. Ad quæ *Maxime Generoſus Dominus Volkamer* in hunc ſenſum reſpondit: „Die Herrn „Theologi haben eine Interceſſion - Schrifft übergeben, welche bey „E. E. Rath vorgelegt und angehœrt worden. Vnd obwohl Ihre „Herrlichk. der Herrn Theologen Interceſſion und Fürbitt ſtatt gegeben,

geben, kœnnen ſie doch zur Zeit noch nit befinden, wie es füg-“
lich geſchehen mœchte. Denn weiln er (Peuſchel) ſich in Neu-“
erlichkeit deſs Juramenti geweigert, ſchlieſſen ſie hieraus, daſs es“
ihnen noch kein rechter Ernſt, a) ſondern eine mera ſimulatio ſey,“
ſich hiemit aus dem Verhafft zu würcken. Wære alsdenn zu be-“
fürchten; Er mœcht mit dieſer Stadt und der Herrn Theologen“
Hohn und Spott ſich zu ſeines gleichen verfügen, und alsdenn die“
neuliche famos b) Schrifft erſt recht exaggerirt werden. Weiln“
dann gemeiner Stadt groſſe Gefahr und Reputation darauf ſteht,“
ſehen Ihre Herrl. für gut an, daſs noch einmahl mit Ihnen ver-“
ſucht und conferirt werde: Wie wohl ſie noch ſchlechte“
Hoffnung ihrer Bekehrung haben. Peuſchels halben kœnnen wir“
nichts anders vermercken, denn daſs er Ausflucht ſuche, mit Be-“
gern der Heimlaſſung und Zulaſſung der privat colloquien, ſinte-“
mal allhie in communi in unſern und andern Beyſeyn es vielmehr“
und beſſer kan verrichtet werden. Beſorgen meine Herrn werde“
Ihn nicht leichtlich auf freyen Fuſs ſtellen, ſonderlich, weil man“
auswendig auf dieſe Stadt ein groſſes Aug hat. NB. Die Cuſtodie“
iſt tolerabilis c) mit allerhand Nothdurfft an eſſen und Büchern ver-“
ſehen. Man mag verſuchen, wie er ſich wollte weiſſen laſſen:“
Wollte er halsſtarrig auf ſeiner Meinung beharren, müſte die Sa-“
che mit grœſſern Ernſt und Eiffer getrieben, und er dahin gewie-“
ſen werden, da er zuvor geweſen, damit er uns nicht mehr“
Spott und Hohn zurichten mœge.“ Quæ cum ſuo quoque cal-
culo approbaſſet *Maxime Generoſus Dominus Chriſtoph. Löffelholtz*, d)
interque alia teſtatus eſſet: „Se meliora, cum nuper dilationem Ju-“
risjurandi petiiſſent, ſperaſſe: Da er aber Peuſchelii ſcriptum (illud“
videlicet, quod ex carcere Theologis exhibuerat, e) geleſen, ſey er er-“

 ſchro-

a) Nec de nihilo erat hic ſcrupulus, qui ex ea circumſtantia male Proceres Reipublicæ perſpicaciſſimos habebat magis, quod, quam diu ſimpliciter de conſenſu ſermo fuiſſet, eum *Peuſchelius* teſtatus eſſet ſine limitatione, cum vero jurejurando eum confirmare juberetur, tum demum de animo dubiis adhuc multis vexato, (quæ ſane & ſimplicem, ſed candidam, confesſionem morari poterant ac debebant) querulari vehementer incepiſſet.

b) *Fornerianus* libellus, de quo paullo ante dictum eſt.

c) Comparentur hæc cum calumniis hoſtium, & præcipue obtrectatorum, Cap. III. Sect. I. §. 28. neſcio quid *ſqvaloris* in carcere fingentium, commentis opponantur, ut vel hinc obtrectationis (ſi molliſſime pronunciemus) turpitudo pateat.

d) Alter rerum Eccleſiaſticarum & Academicarum Curator tum præſens.

e) Epiſtolam haud dubie innuit ad eos perſcriptam, una cum dubiis novis.

„ſchrocken, beſorgend, es geſchehe nur metu carceris, kœnne auch „nicht anders ſpüren,denn es ſeye mera ſimulatio bey ihnen. Ipſe quoque *Schröderus*, tutiſſimum, ſi revocetur, & colloquium denuo inchoetur, ſibi videri, pronunciavit. Quare accitum, & ex ſeceſſu quoque adventantem, his verbis allocutus eſt ſupra laudatus *Generoſiſſimus Volkamerus*: „Ihr Peuſchel wiſſet euch noch zu entſinnen, welchergeſtallt wir nechſt von einander geſchieden; Daſs ihr euch deſs „Juraments geweigert, mit dem Vorgeben, daſs ihr ſolches mit guten „Gewiſſen nicht leiſten kœnnet, weil euch noch allerhand ſcrupuli im „Weg ſtünden. Darauf euch vergünſtiget worden, ſolche aufs Papier zu bringen, und den Herrn Theologis zu überreichen. Nun „haben uns hiezwiſchen die Herrn Prediger wegen Eurer ein Interceſſion-Schrifft überreicht, damit ihr nach Hauſs zu euren Eltern „mœchtet gelaſſen werden, weiln ihr fürwendet, als wenn ihr euch in „der Cuſtodia nicht allerdings ſolcher ſcrupulorum entſchütten „kœnntet. Dieſes haben wir einen E. Rath fürgetragen, wie auch, „daſs ihr euch deſs Juramenti beſchweret. Nun ſollen wir euch „nicht verhalten, daſs ein E. Rath mit Entſezen eure Halsſtarrigkeit „vernommen, in Betrachtung, was dieſelben, biſshero bey euch for „Müh, Sorg und Fleiſs angewendet, doch alles umſonſt. Haben auch „vermeint, es ſollte das angeſtellte Colloquium mehr Frucht bey „euch geſchaffet haben. Müſten daraus abnehmen, daſs euch Euer „Vorhaben kein Ernſt, ſondern eine mera ſimulatio ſey, und a) eurer „gottloſen Secten halsſtarrig zu verharren. Sehen derhalben nit „für gut an, Euch auf freyen Fuſs zu laſſen. Beruhet demnach darauf, „daſs ihr euch erklæret, was ihr zu thun geſinnet, ob ihr euch aus dem „Labyrintho errorum, darein ihr euch muthwillig geführet, wollt begeben, oder ob ihr weiter wollt conferiren, damit euer Muthwill „mœcht benommen werden.“ Ad quæ attente auribus percepta ſine mora *Peuſchelius* ſequentia, ea, qua par erat, modeſtia repoſuit: „E. E. „Gr. hochgebietende Herrn: Belangend die nechſt Action deſs Juraments halben, habe ich zwar daſſelbe damaln detrectirt, doch ſolchergeſtallt, daſs ich dilationem, nit aber ablationem begehrt, auch „deſſen allerley Urſachen angezeigt, die mich zurück gehalten, und „mein Gewiſſen beſchwehren, ſonderlich weil in der Formula Juramenti begrieſſen, daſs man in demjenigen, darauf das Jurament ſoll „geleiſtet werden, biſs an das Ende ſolle verharren, welches mir „ſchwer gefallen, und deſswegen gebetten, mich zur Zeit deſſen zu über-

a) Forte: Bey &c.

überheben, und zu meinen Eltern auffer der Verhafft zu laffen, damit"
ich mich defto bafs aller difficultæten, die mir noch in Weg liegen,"
abhelffen mœchte. Dafs aber E. E. E. H. vermelden, wie ein E. Rath"
hieraus muthmaffen, als wenn nur eine fimulatio und Halsftarrigkeit"
da wære bey mir, darauf melde und proteftire ich von Grund mei-"
nes Hertzens, dafs ich hierinn nicht begehre einige fimulation zuge-"
brauchen, thue GOtt, der Hertzen und Nieren prüfet, zum Zeugen"
anruffen, dafs er mich, fo ich betrüglich handele, zu feiner Ehr und"
andern zur Abfcheu an Leib und Seel ftraffen wolle. Haben auch"
meine eingegebene Schrifften genug bezeugt, dafs bey mir kein per-"
tinacia, fraus oder dolus fey. Noch einmahl E. E. E. H. unterthænig"
bittend, fie wollen mein Flehen grofsgl. beherzigen, und mich defs"
Verhaffts entlaffen, damit ich ohne Verhinderung dasjenige, dazu"
ich mich erbotten, leiften kœnne. Da aber Ihr Herrl. ein Beden-"
cken tragen mœchten, verfprech ich mich alfo zu verhalten, dafs fie"
eine Genüg darob haben follten. Dafs ich aber nochmal das Jura-"
mentum detrectire, kan ich GOtt, der ein Abfcheu an falfchen Her-"
tzen trægt, zum Zeugen anruffen, dafs ich folches aus keiner Hals-"
ftarrigkeit thue, fondern weil mir noch etliche Scrupuli im Weg ge-"
ftanden, die ich in meinem fcripto übergeben; Alfo dafs ich nur ei-"
nes melde: Im Artickel vom heil. Abendmahl wird nicht allein in"
der Augfp. Confeffion und Smalkaldifchen Artikeln, fondern auch in"
den Aphorifmis, gefagt: Es werde Chrifti Leib und Blut mit dem"
Mund empfangen, und müffen folche Wort nach dem Buchftaben"
verftanden werden. Nun hab ich aber bey denjenigen, die Oralem"
manducationem ftatuiren, als bey Hunnio, Chemnitio, Huttero &c."
noch nicht finden kœnnen, warum ich das von Grund meines Her-"
tzens follte glauben und darinnen verharren? Damit ich nun nichts"
hierinn wieder mein Gewiffen handeln mœchte, hab ich damaln das"
Juramentum detrectirt, verhoffende, es würde ein jeglicher daraus"
abnehmen kœnnen dafs es nicht aus Halsftarrigkeit oder Betrug, fon-"
dern aus Furcht gœttl. Nahmens und Lieb der Wahrheit befchehen,"
damit ich GOtt und die Obrigkeit nit fallire, und mein Gewiffen be-"
fchwerete; Vnd dafs ich ein Exempel erzehle, finde ich viel in der"
Theologen Thefi und Antithefi, welches mich zurück hælt, und"
zweiffelhafft macht, warum ich nicht alsbald mit Mund und Hertzen"
jurando unterfchreibe. Man ftreitet zu beyden Seiten, ob die Wort:"
Das ift mein Leib: eigentlich und nach dem Buchftaben zu verftehen"

 feyn?

„ſeyn? Die Lutheraner werden endlich dahin getrieben, daſs ſie ſa-
„gen, ſolch Eſſen ſey weder natürlich noch geiſtlich, ſed medium a)
„inter utrumque. Denn alſo ſchreibt Hunnius de Sacramentis:
„Was primo & immediate in den Mund genommen wird, das wird
„natürlich geeſſen. Daraus folgt, daſs es kein natürlich Eſſen ſey.
„Andere von den Calvinianis getrieben, verlaſſen den Buchſtaben im
„Wœrtlein Eſſen &c. Wer will mich nun einer Halsſtarrigkeit be-
„ſchuldigen, Betrugs oder ſimulation bezüchtigen: Wenn ich ſol-
„ches bey mir erwege und betrachte, und demnach meinen Aſſen-
„ſum hierinnen ſuſpendire: Doch alſo, daſs ich hievon beſſer begeh-
„re unterrichtet zu werden: Laſs es noch bey voriger proteſtation
„bewenden, daſs ichs aus keiner Halsſtarrigkeit oder Betrug, ſondern
„anderer Vrſachen halben, die ich in meinem Scripto angezogen, das
„Juramentum detrectiret habe, E. E. E. und H. wollen doch mein
„Flehen groſsgl. anſehen, und bey einen E. Rath eine Interceſſion für
„mich einwenden, damit ich deſs Verhaffts erlaſſen werden mœch-
„te. Hingegen verheiſſe ich alles dasjenige abzuleinen, warum E. E.
„E. und H. bedencken tragen, mich lenger aufzuhalten; Soll deſs-
„halben an Caution auch nicht fehlen.

§. LXV.

Ad hæc cum mitiorem ſententiam expectaſſet *Peuſchelius*, præter opinionem, inhærendum eſſe priori jam indicato decreto, &, cum objurgatione graviſſima addita, id haud mutatum iri, cognovit. Reſpondit enim idem, qui antea, *Generoſisſimus DN. G. Volkamer*, Eccleſiarum Ephorus & Academiæ Curator ſupremus: „Ihr habt vernom-
„men, was eines E. Raths Befehl und Meynung ſey; Dabey ſoll es
„auch verbleiben. Beruhet demnach darauf, ob ihr mit den Herrn
„Theologis noch einmahl von euren ſcrupulis wolt conferiren? Aus
euren

a) Ita eſt, ſi vocabulum, *geiſtlich*, de ſola applicatione fidei, quæ ad uſum internum ſeu fructum, ut proſit Sacramentum, neceſſaria eſt, intelligas. Sic enim Sacramentalis eſus eſt ſpiritualis iſtius cauſſa, & producendæ fidei atque applicationis per fidem inſtrumentum divinitus conſtitutum. Quodſi vero *Spiritualis* naturali opponitur manducationi, ea, quæ ſacramentalis noſtræ Eccleſiæ ſenſu dicitur, *media* non eſt, ſicut ex ſequenti Diſputatione ſeu Colloquio §. LXVI. patebit dilucidius. Quæ forte ratio eſt, cur noſtri a termino *corporalis*, olim certe in *Colloquio* præſertim *Marpurgenſi* celebratiſſimo crebro uſurpato, deinceps abſtinuerint, atque ſpiritualem certo ſenſu, ſed non eo, quo *Zwinglius* hac voce uſus erat, appellare ſæpius maluerint. Tantum abeſt, ut hinc concordiæ inter nos & Reformatos vel initium, vel fundamentum, duci poſſit.

euren ſcripto erſcheinet, Te ab ovo rem repetere, daraus abzuneh-“
men, daſs es euch bisher kein Ernſt geweſen. Ihr ſoltet auf der“
Meinung verharret ſeyn, die Ihr mündlich von Euch geben, und in“
die Feder dictirt habt. a) Wir haben vermeint in ſo viel ſeſſionibus“
mit euch dasjenige ausgericht zu haben, damit ihr zufrieden ſeyn“
kœnnet. Nun aber laufft ſolchem allen zuwieder, was ihr von neu-“
en eingewendet. Dœrfft nicht meinen, daſs dieſe Reſpublica ſol-“
che Kinder ſeyen, die ſich von euch æſſen und allererſt reformiren“
laſſen; Ihr ſeyd die Geſellen nicht darnach, daſs ihr die Religion,“
dazu ſich Chur-und Fürſten, auch dieſe Stadt, bekandt, und mit dem“
Schwerdt erhalten, dabey wir auch durch GOttes Gnad biſsher ver-“
harret, ſollt perturbiren, und alles in Hauffen werffen. Ihr habt zu“
wenig Fleiſch in den Hoſen: Wollt ihr ſolche Turbatores ſeyn?“
Wo denckt ihr hin? Iſt das nicht eine Vermeſſenheit, daſs meiner“
Herrn Alumni ſolches fürgenommen? Ihr habt biſsher unſer Brod b)“
geeſſen, und ſolt uns ſo viel unruh machen; Wer hat es doch je-“
mals erhœrt? Darum wolt ihr was fürbringen, ſo thut, oder geht“
hin, da ihr zuvor geweſen, dabey bleibt es.“ Demiſſe ad hæc Peu-
ſchelius: „E. E. Hochgebietende Herrn, inquit, mein Scriptum be-“
langend, hab ich nit alle Aphoriſmos fürgenommen, ſondern nur“
etliche, von welchen biſsher nichts iſt gehandelt worden. c) Daſs“
ich aber in denjenigen, davon gehandelt worden, noch etliche“
dubia habe, ſind dieſelben nicht ſo wichtig, daſs daraus kœnnte ge-“
ſchloſſen werden, als ob ich alle dasjenige, was ich biſshero zuge-“
laſſen, jezt wieder wollt umſtehen: Sind nur ſchlechte Sachen frag-“
weiſs von mir proponirt, begehr beſſern Bericht, und nichts zu“
opponiren. d) Das Colloquium betreffend, befinde ich, daſs mei-“
ne übrige dubia in einer oder andern ſeſſion nicht kœnnen expe-“
dirt werden: Zu dem hab ich ſie nicht alle proponirt, ſondern nur“
was mir unter die Hand kommen. Weiln aber die Herrn Theo-“
logi

a) Vid. Seſſ. VI. & VII. circa finem.

b) En! gravem, inter alias plures, cauſſam, quæ haud injuria indulgentiſſimis Patribus Patriæ, benigniſſimisque Nutritoribus Academiæ ſuæ, bilem inprimis moverat. Neque etiam, ſi dicendum ſit, quod res eſt, injuria.

c) Cur vero non expetierat *Peuſchelius*, ut de pluribus ageretur, ſed conſenſum ſuum, quaſi rebus omnibus jam expeditis, præpropere teſtatus fuit? Non erant hæc animi convicti, ut videbatur, ſed vaferrime convictionem omnimodam ſimulantis, & multa adhuc intus clam prementis, indicia, & juſta ſuſpicionis cauſſa.

d) Immo licuit opponere, ſed ſincere, & veritatis cognoſcendæ ſcrupulorumque eximendorum modeſto deſiderio. Quod eventus etiam reapſe condocefecit.

„logi mit Ihren Predigten und andern Geſchæfften beladen, und ich „mich, bey wehrender Verhafft, ſine moleſtiis, heraus nicht werde „wickeln kœnnen; als werde ich aus dringender Noth verurſacht, „E. E. E. und H. nochmaln um GOttes willen zu bitten, die wollten, „der Chriſtl. Lieb ingedenck, mein Flehen groſsgl. anſehen, daſs „mir noch eine geringe Zeit mœchte zugelaſſen werden; will mich „alsdenn deſs Juraments nicht wegern. Die Religion und Normam „doctrinæ dieſer Stadt betreffend, habe weder ich noch andere (als „ich meine) begehret, dieſelbe zu evertiren, oder irgend eine an„dere einzuführen; ſondern weil wir frembde Bücher geleſen, ha„ben wir in etlichen Articuln ſcrupulos bekommen, a) die uns zu„rück gehalten, darum wir dieſer Normæ nicht beypflichten kœn„nen. At nondum ceſſavit *Maxime Generoſus Dn. Volkamer* effugia quærentem *Peuſchelium* increpare. „Habt ihr nicht, inquiens, euch „in Annehmung eures Beneficii dazu obligirt und verpflicht? Habt „aber euch kein Gewiſſen gemacht, ſolches zu brechen, GOtt und „Euer Obrigkeit zu betriegen; b) Jezt aber macht ihr euch ein Ge„wiſſen ſolches zu bekræfftigen. Solches mus ſeyn. c) Macht euch „nur keine andere Rechnung, wolt ihr anderſt der Verhafft erledigt „werden. Ad quæ porro *Generoſisſimus Dn. Leonh. Grundherr* paucula hæc adjecit: „Wann man Euren eingewandten dubiis oder ſcru„pulis ſollte nachwarten, würde man in Ewigkeit mit euch nicht „fertig: Es iſt eine Straffe GOttes. d) Similiter & *Maxime Generoſus Dn. Chriſtoph. Löffelholz:* „Darauf, addidit, beruhet es, daſs ihr „keine certitudinem Scripturæ e) ſtatuirt: vermeint die Warheit ſey noch

a) Μείωσις hæc utrum cum epiſtolis, Confeſſione, aliisque machinationibus valde δεινῶς congruat, ſagaciores judicent.

b) Qui doli ex epiſtolis præſertim innotuerant, aliisque perfidiæ ſignificationibus luculentiſſimis confirmati ſunt.

c) Præcedente videlicet uberiori informatione, & præſtrato conſenſu ſincero. De jurejurando ergo, tanquam approbationis candidæ indubitato teſtimonio, hæc intelligenda ſunt.

d) Traditioni in reprobum ſenſum juſtæ haud diſſimilis, ejusdemque notabile quoddam initium, adhuc tamen divina gratia ſuperabile, præ ſe ferens.

e) Rationi exorbitanti, & in ſummis myſteriis contra verbum Dei ſibi judicium arroganti indulgendo, &; ut ſolent *Sociniani*, ad ejus amuſſim, quicquid Scriptura docet, ſi quid arduum ſit, revocando. Quanquam nec de Scripturæ ipſius divinitate certi ſint, *divina* & *immota* fide, utpote qui divinum Sp. S. teſtimonium ſupernaturale ei non ſubſternunt, ſed meris rationibus naturalibus in ea demonſtranda innituntur. Quemadmodum ex eo, quem de *Auctoritate Scripturæ S.* perdoctum ſane, ſed meris rationibus, humanæ fidei gignendæ idoneis, internis externisque, refertum reliquit libellum F. *Socinus*, & aliunde, patet; Neque

noch nicht an den Tag kommen; zweiffelt noch an allen Stücken,"

Yyy y wie

enim *Catechismus* quoque Racov. alias adduxit. Ipse certe *Sonerus* noster in Catechismo Cap. III. *de Script. S.* ad Quæst. 4tam. „Warum sind die genannte Canonische „Bücher für das unfehlbahre Wort GOttes „angenommen? hunc in modum respondet: Darum; dieweil die Scribenten der„selben zu ihrer Zeit genugsam bekandt „gewesen, dass sie fromme, von GOtt er„leuchtete und dazu gesandte, getreue „wahrhafftige Mænner GOttes und Lehrer „waren, denen dieses, so sie geschrieben, „genugsam bekandt war durch sonderbare „Offenbahrung GOttes. Vnd dieses Zeug„nus ist ferner von ihnen bisshero von „Hand zu Hand auf die Nachkœmmlin„gen gebracht worden, also, dass auch die „jenigen, welche sonst wiederwærtige „Meinungen in der Christlichen Religion „gehabt, doch in diesen Punct allezeit sind „eins gewesen. Vnd da sich etwa je bey „einen ein Zweifel erhoben, ist derselbe „bald wiederum gefallen, als der ohne „Grund war. Darnach, weil dieser Bü„cher eins Theils Prophetischer und geist„licher weiss auf die Christliche Religion „deuten, als die Bücher dess A. Test. eins „Theils aber dieselben austrücklich leh„ren, als die Bücher des N. Testaments, „welches dann eine solche Religion ist, die „gewisslich wahrhafftig und gœttlich ist, „davon niemand zu zweiffeln hat. Vbi porro, postquam de Libris Canonicis & Apocryphis ita differuerat, & Veritatem Religionis Christianæ, atque hinc Librorum Scr. S. indubiam esse affirmaverat, quærit: Warum aber das? atque denuo respondet: „Erstlich wegen des Lehrers dess Herrn „Christi, welcher dass er ein Gœttl. Mensch „gewesen sey, bezeugen seine Wun„derzeichen, welche so wohl seine Freund „als Feind gesehen haben und bekennen „müssen, dass sie über menschlich Vermœ„gen seyen. So bezeugt auch solches, dass er den schmæhlichen Todt dess Creutzes" über der Ankündigung dieser Religion" ausgestanden, und am dritten Tag wieder" auferstanden; Welches eben so wohl sei-" nen Feinden, den Juden kund war, und" haben es begehrt unterzudrücken, aber" ihrer viel hundert, die ihn nach der Auf-" erstehung gesehen, seine Nægelmahl ge-" fühlet, mit ihnen geessen und getrun-" cken, die haben ihr Leben über diesen" Zeugnuss gelassen, ohne einzigen zeitli-" chen Nuzen. Darnach dass diese Reli-" gion auf den allerheiligsten Gebothen," und vollkommensten Verheissungen be-" stehet. Endlich wegen ihres Anfangs," Fortgangs und Bestændigkeit. Denn an-" fænglich nach dess HErrn Himmelfahrt" haben diese Religion gepflanzet geringe," unansehnliche und von der Welt verach-" tete Leute, ohn alle Macht und menschli-" che Weissheit, nur allein mit schlechter" Ankündigung und Beredung der Men-" schen. Darnach ist sie in kurzer Zeit so" weit ausgebreitet, und von so vielen Vœl-" ckern angenommen worden, ohne" fleischlichen Nuzen, dergleichen nie-" mals mit einiger andern Religion besche-" hen. Lezlich hat sie durch alle Macht" und Gewalt dess Teuffels und der Welt" nimmermehr kœnnen gænzlich unter-" druckt werden, wie mit andern Religio-" nen beschehen ist." Plura vero non addit, sed in his criteriis signisque, valde quidem luculentis, at *divinæ fidei* gignendæ, & in *extremis* quoque *tentationibus* conservandæ, haud paribus, conquiescit; de Sp. S. autem in animis singulorum supernaturali operatione per verbum Dei lectum auditumque, & convictione seu ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως hinc orta, ne γρῦ quidem subjicit, solamque proinde eam demonstrationem, quam attulit, in utraque responsione sufficere putavit. Equidem suspiciosis quibusdam & ipse *Grotius* atque

„wie etwan die alten Academici an allen Sachen gezweiffelt haben. „Bringet daher Cœnam Domini zum Exempel: Habt ihr in den The„ologis diſs geleſen, das für euch dienet, warum habt ihr nicht auch „geleſen, wie ſie es erkleret; a) Wer wollt auf eure ſcrupulos war„ten; Würdet ihr frey, würdet ihrs wieder anfangen, da ihrs ge„laſſen habt. b) Quibus iterum *Illuſtris Dn. Volkamerus* ex re & vero ſubjecit: „Der bœſe Feind hat wollen ein Feuer unter uns auf„blaſen, aber es ſoll, ob GOtt will, nicht dazu kommen. Ihr habt „Zeit genug gehabt euch zu bedencken; Ihr werdet mit ſolchen „ambagibus meine Herrn nicht aufs Eiſs führen." Nondum vero deſiit mirum in modum querulari *Peuſchelius*, melancholiæ angores obtendens, quibus in turri vexatus ſit, ut quo ſe verteret, neſcierit, ac propemodum ad deſperationem c) adactus ſit; A quibus animi perturbationibus & tentationibus moleſtis, iterum iterumque rogare ſe & obſecrare ajebat, ut, dimisſione gratioſa in paternas ædes ſibi indulta, liberetur. Sed vicisſim, diu multumque, reſpondit, laboratum eſſe in tentationibus hiſce tollendis, *Generoſisſimus D. Volkamerus*, ipſiusque proinde *Peuſchelii* culpa fieri, quod ſæpius in memoriam redeant, aut potius ad animum, neſcio quo ſpiritu agitante, mentemque turbante, eæ revocentur. Eadem & *Illuſtris D. Löffelholzius* ſubmonuit, cunctaque ad oculum demonſtrata eſſe cogitare jusſit, ita, ut victas manus dantes ipſimet veritatem & vim argumen-

Huetius eam ob rem male audiverunt, inprimis *Mareſio* atque *Meyero*, longius etiam, ad culpam Atheiſmi huic impingendam, progreſſo. Sed vereor, ne factum id ſit præter mentem Scriptorum, & cum eorum injuria. Hoc tamen inde confici poſſe arbitramur, Viros eruditos & Scr. S. gnaros in his argumentis fidei humanæ *utcunque* alias gignendæ perquam idoneis, ad Chriſtiani hominis πληροφορίαν, qua opus habet, producendam, acquieſcere haud poſſe.

a) Pleraque enim, quæ movebat *Peuſchel*, *Vogelio* ſemper pervicacior, trita erant, & centies jam diſcuſſa.

b) Et quidem eorum nunc etiam culpa, quibus pleniori inſtructione vobis ſuccurrere, & hæreſi diſſeminandæ obicem ponere incubuiſſet. Quam in ſe recidere nolebant æquiſſimi hi piisſimique Patroni, & Academiæ ſuæ Eccleſiæque Gubernatores providi.

c) Sæpe ego, quum hæc legerem, obſtupui, cur, niſi aliis forte de cauſſis conſcientiæ anxietatem ingentem perſentiſceret, cuſtodiam ordinariam (excepta breviori quadam caſtigatione, nec ſine cauſſa, rigidiori, de qua ſupra egimus,) tanquam triſtem accuſarit, cum e turribus, in quibus attinebantur ambo, nec proſpiciendi occaſio deeſſet, in urbem camposque, neque etiam conſvetudo eorum, quibus turris cuſtodia commendata eſt, frequentior prohiberetur, aliæque, ut paullo ante etiam vidimus objectum ipſis eſſe, commoditates haud denegarentur. Vt nihil prorſus, quam libertas, quocunque vellent, abeundi & in urbe deambulandi, immo forte *elabendi* deficeret.

mentorum sibi oppositorum ambo confessi sint; jam vero ad principia revolvi, demiratus est. Inter alia vero etiam laudatissimus *Ephorus* denuo in *Peuschelium* gravi oratione invectus dixit: „Was" soll man viel sagen, Ihr habt solch Aergernus angerichtet, dass euch" und euren adhærenten besser gewest wære, es were ein Mühlstein" an Euren Hælsen gehanget, und Ihr im Meer erseufft, da es am tieff-" sten ist, wie der HErr Christus selbsten sagt. Vermeint ihr, die al-" ten Imperatores und Episcopi haben nichts verstanden? Habt ihr" die Constitutiones Imperii in Codice a) nicht gelesen, was solchen" Gesellen gebührt, wie Ihr und eures gleichen seyd." Hinc vero ad Theologos conversus, eos, quos ex signis quibusdam observabat aliquid submonere velle, quid existimarent, hac de re pronunciare jubebat. Qua facultate eloquendi sibi data *J. Fabritius* primus: „Ich" hab, inquit, E. E. E. und H. genugsam vernommen, worauff es mit" dem Peuschelio beruhet. Lass es auch dabey bewenden. Nimmt" mich sehr Wunder, dass er ad priora recurrirt. Wird man dem-" nach von den fürnemsten scrupulis mit ihnen handeln müssen, und" seine Meinung hœren." *Schröderus* autem, ea, qua solebat, animi moderatione & promtitudine ad hæc omnia tandem brevibus ita respondit: „Ich hab von E. E. E. und H. gehœrt, was eines E. Raths" Meinung auf unsere eingewandte Intercession-Schrifft, die wir auf" instændig anhalten Peuschelii Eltern b) übergeben, seye, dass er" nemlich zu keiner Erledigung gelangen kœnne, er præstire denn" zuvor das Juramentum. Nun sagt hie GOtt bey dem Propheten:" Vt quis juret in veritate, judicio & justitia: in veritate ex corde:" in judicio de rebus cognitis: In justitia de rebus non pugnantibus" cum dilectione Dei & proximi. Weiln er Joachimus denn seine" Scrupulos fürwendet, will michs nicht dafür ansehen, sam er die" Aphorismos umstossen wollte, sondern nur allein um besserer In-" formation willen: So solches E. E. E. und H. gefællig, bin ich Amts"

 hal-

a) Sine dubio digitum in Leg. I. Libr. I. Cod. de *Summa Trinitate* intendit haud injusto animi fervore correptus *Præses*. In quibus cum duriora quædam habeantur, quibus id genus homines *ultione plectendi* dicuntur, & similia alia *Nicænæ* fidei adversariis dictantur, dignus erit, qui ad hanc Legem, ex *Cod. Theodos.* desumtam, legatur b. *Wegleiteri* nostri *Commentariolus* bonæ frugis plenus, totasque hæreticos *coërcendi* rationes, ut non occidantur, sed compescantur prudenter, egregie exponens. Quæ ut mens eadem Generosissimi *Volkameri* tanto luculentius pateat, neque in alienam sententiam rapiatur, paucis annotare visum est.

b) Circumstantia hæc est valde notabilis, unde, cur pro *Peuschelio* Theologi deprecati sint, patet dilucidius.

„halben urbietig, mit Ihme nach vermœgen, ſo viel GOtt darrei-
„chen wird, weiters zu conferiren." Atque ita cum in eandem ſententiam a) Dn. M. *Reichius* conceſſiſſet, *Peuſchelium*que, ſi leves ſint ſcrupuli, ejiciendos ex animo cohortatus eſſet; contra, ſi graves, de novo colloquendum, pergendumque in inſtituto cenſuiſſet, idemque & cæteri omnes, M. *Rinder*, M. *Faber*, M. *Lemmermann* aliique ſenſiſſent, ad conflictum iterum ſubeundum inſtaurandumque ſeſe comparavit *Schröderus*.

§. LXVI.

Et ſub initium quidem *Peuſchelium* occaſione eorum, quæ ſuperius de S. Cœna dixerat, idem ille commonefecit; mirum ſibi haudquaquam videri, quod expedire ſe ex his labyrinthis haud facile poſſit, quoniam ex indiciis haud ſpernendis conſtet, diligentem ipſum fuiſſe Scriptorum Calvinianorum lectorem, antequam in hanc abyſſum Photinianorum incidiſſet. Quum autem *Peuſchelius* illam a ſe conaretur amoliri ſuſpicionem, eo modo, quem Cap. I. b) jam commemoravimus, *Schröderus* ad commilitonum ipſius teſtimonia provocavit, qui atteſtati ſint, hujusmodi eum libros ſæpenumero circumtuliſſe, atque in his cumprimis *Calvini* contra *Weſtphalum* ſcripta ſigillatim nominata eſſe, quæ Parens etiam optimus aliquando, ne amplius legere poſſet, in arcam quandam abſcondiſſe dicatur. Tandem vero, quoniam jam non inquirendum ſit, quemadmodum in puteum inciderit, ſed quo pacto potius inde extrahi posſit, ipſum illum, quem ſupra tetigerat adverſarius, *Locum de Cœna Domini* aſſumſit, eumque ad libram veritatis revocandum propoſuit. Quibus præmiſſis preces denuo, jubente *Schrödero*, M. *Faber* recitavit ſolitas. Iisdemque recitatis *Peuſchelius*, librum *Calvini* contra *Weſtphalum* ſe nunquam tanti feciſſe, excepit, ut eum comparare ſibi ſtuduerit, legiſſe autem dixit, quia cum *Martini Belli* c) de *non occiden-*

a) Nec ab ipſis etiam *illuſtribus Proceribus* improbatam. Neque enim & ipſi juramentum *obtrudi* invitis, ſed edoctis & convictis, quod ſupra videbantur confeſſione ſua hi noſtri jam ediſſeruiſſe, *imponi* volebant atque jubebant.

b) Cap. I. §. 22. Adde Cap. III. §. 42. Heic tamen non poſſumus ſatis demirari *Peuſchelii* diſſimulantis hanc in librorum *Calvini* & aſſectatorum pertinaciam: cum tamen, in excitandis illis pro ſuis hypotheſibus, tam in Reſponſione prima ad ſingulos *Aphoriſmos*, nominatim vero ad Aph. XXXIX. & XXXVIII., quam in hac ipſa *Diſceptatione* promtiſſimum fuiſſe, eorumque in quibusdam placitis aut phraſeologiæ Biblicæ explicatione loca & verba in numerato habuiſſe, appareat.

c) Novum, quos libros legerit, nempe ipſius quoque *Lælii Socini*, quem non male permulti ſuſpicantur hujus opuſculi auctorem eſſe, ſpecimen datum.

cidendis hæreticis libello in exemplari, quo uſus ſit, compactus fuerit. Ad quæ nihil repoſuit *Schröderus*, niſi quod, pleraque tamen adverſarii argumenta e ſcriptis Calvinianorum a) depromta eſſe, ſe obſervaſſe urgeret, ſtatuique potius controverſiæ formando, quam origini erroris *Peuſcheliani* inveſtigandæ, ſe accingeret. Cui hunc in modum conſtituto: Vtrum verba illa, accipite. edite, hoc eſt corpus meum, bibite, hic eſt ſanguis meus, ῥητῶς ſint intelligenda, nec ne? ſequens ſubjecit ratiocinium: *In verbis fundamentalibus non eſt deſerendum τὸ ῥητὸν, niſi cogant evidentes & homogeneæ, non ex Philoſophia humana, ſed Scriptura ſacra petitæ rationes; At verba illa: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum &c. ſunt verba fundamentalia.* b) *Ergo in illis non eſt deſerendum ῥητόν. Expectantur ergo* (ita pergebat *Schröderus*) *rationes ejusmodi ex Scriptura. quæ cogant nos deſerere ῥητὸν.* Conceſſa majore, ad minorem *Peuſchelius*, *has ſibi ſuppetere rationes, diſcedendi a proprietate verborum*, excepit 1) *Quia Chriſtus Joh. VI. de carne ſua manducanda loquutus, cum Capernaitæ ῥητῶς intellexiſſent, eos reprehenderit*, 2) *quoniam partim cum adſcenſione in cœlos, cujus illic quoque Chriſtus meminerit, neutiquam conveniat, partim quia ipſe ſimiliter in eodem ſermone, conceptis verbis, doceat, carnem ſuam nihil prodeſſe.* Vnde hujusmodi tandem extruxit argumentum: *Quam manducationem ipſe Salvator damnavit l. c., illam alibi non inſtituit; Sed oralem &c. Ergo.* Ad hæc *Schröderus* reſponſurus, præmiſit judicium *de Cap. VI. Joh.* faſſusque eſt, *Eccleſiæ Vet. Doctores iſtic de Cœna S. agi putaſſe, quia inſtitutionem alioquin idem ſacer Hiſtoricus non tetigerit, atque hinc, quæcunque de manducando & bibendo C. & S. Chriſti iſtic legantur. ad oralem ſeu dignam ſacramentalem manducationem retuliſſe.* Quam ſententiam cum *in medio reliquiſſet*, c) hactenus tamen *laudavit veteres, quod Cap. illud*

a) Quæ, ſi cui alii, certe *Schrödero*, in his controverſiis ab adoleſcentia verſato, ſcriptisque etiam adverſus *Joſeph Grabium*, *Jodocum Naum*, *Bartholom. Meyerum*, & plures alios, clariſſimo, familiariſſima erant.

b) Fundamentum, inquam, Sacramenti a Chriſto inſtituti, de quo nemini alioquin in mentem quicquam veniſſet.

c) Miror tam timidos eſſe permultos, immo plerosque noſtratium, ut partem præcipuam hujus orationis optimi Soſpitatoris a comm. 53. inchoandam, ubi gradatim longius, & a ſpirituali ad ſacramentalem corporis ſui manducationem, progreditur, de hoc ipſo ſacramentali eſu vereantur explicare; cum tamen non ſolum, ut alibi jam obſervatum eſt, actus edendi & bibendi circa diverſa objecta, corpus & ſanguinem Chriſti, occupati, ſolicite & conſtanter diſcernantur, qui in ſpirituali Chriſti applicatione iidem ſunt, nec ullatenus tanquam duæ actiones differunt; Sed etiam ne verbo quidem ſanctiſſimus Servator de fide deinceps mentionem amplius faciat, multoque poſt abitum ſuum ex hoc

illud VI. Joh. interpretari voluerint, ſecundum verba Inſtitutionis, non vice verſa hæc ex illis, eo quod occaſione data, illic a pane terreno, uti in Colloquio de aqua cum fœmina Samaritana, ad panem vitæ æternæ deductus fuerit, & pro re nata diſſeruerit; In verbis Cœnæ autem contineri deliberatam & ex induſtria peculiaris cultus Chriſtiani ſuſceptam inſtitutionem, atque proinde hinc potius de aliis judicandum eſſe, exiſtimavit. *Sicuti & 1. Cor. X. de poculo benedictionis commentaturus Paullus ſuos remittat ad Inſtitutionem Domini, atque inde, ut judicent, jubeat, idque in Cap. XI. ubi de indignis agat, pari modo ab Apoſtolo factum eſſe,* obſervavit. His vero præmonitis, ad argumentum contrarium adverſarii, *limitatione adjecta,* reſpondit, *diſtinguendo inter manducationem oralem, quæ crude & phyſice oralis ſit, & quæ ſit myſtice ac hyperphyſice talis.* a) *Illamque a Chriſto l. c. improbari* largitus eſt, *non autem eam, quam in verbis Cœnæ ipſemet inſtituerit, ſacramentalem. Cæterum adſcenſionem ſuam Chriſtum,* ajebat, *non opponere manducationi orali, ſed majus priori myſterium proponere, ut intelligerent, ſe verbis Domini myſtice, non phyſice, intelligendis, tantopere offendi non debuiſſe: quemadmodum etiam Joh. III. Nicodemi ingeminatum, Quomodo? non diſpari modo Salvatori optimo retundere viſum ſit. Quod autem l. c. dictum ſit, Carnem non prodeſſe quicquam, heic probandum*

orbe difficiliorem hunc eſu fore creditu ajat: quæ difficultas inde nequaquam ſpirituali manducationi, quippe in exaltatione Chriſti faciliori, ſed ſacramentali, uti noſter ſuo exemplo heic confirmavit, naſcitur. Ad neceſſitatem enim quod attinet ſacramenti h. l. *non inſtituti,* ſed *prædicti,* non eſt, quod ſcrupulus inde oriatur, quoniam non aliam, quam quæ *contemtum* excludit, & noſtra ex parte ordinariam organicam, perinde, uti de Baptiſmo condocemur, intelligi, manifeſtum eſt. Vt reliqua taceamus, quæ ſunt in peculiari Diſſert. *de Neceſſit. S. Cœnæ* ad h. l. a b. *Grünenbergio* A. 1710. erudite expoſita, & vetuſtiorum quoque Theologorum ſuffragiis confirmata. Ad dubia certe huic explicationi antiquæ Eccl. conſenſu ſtabilitæ oppoſita vel ſola particula ἀληθῶς, quæ comm. 55. repetita legitur, ſufficere poteſt ſolvenda, cæterisque abuſionibus aliunde ſatisfacere proclive eſt.

a) Atque *hoc ſenſu*, non eo, quem alii ſub hac voce abditum habent, qui ipſam præſentiam *ſubſtantiæ* Corp. & Sanguinis Chriſti cum pane unitorum negant, revera *ſpiritualis*, quatenus videlicet naturali eſui opponitur. In quam ſententiam etiam verba ipſius Liberatoris ſanctiſſimi Joh. VI. 63. *Verba mea* (de S. Cœna ante præmiſſa,) *ſunt Spiritus & vita*, h. e. de vita & eſu ſpirituali intelligenda, non Capernaitarum craſſo modo, interpretari oportet. Adde ipſam quoque *Form. Concord.* f. 755. & 756 hac phraſi utentem, ſed ſano etiam ſenſu; Ex qua male nonnulli noſtræ cum diſſentientibus Concordiæ Eccleſiaſticæ fundamenta deducere moliti ſunt. Hinc quoque ratio apparet, cur, a noſtris hodie rarius, quam olim, *corporalem* C. & S. Chriſti præſentiam dici ſolere, obſervetur. Neque enim invidiam ſolum naturalis manducationis ſibi imputatæ declinant, ſed hoc ipſo etiam certo modo ſpiritualem eſſe largiuntur.

dum esse, Schrœderus excepit, *de Carne Christi sermonem esse; Contrarium vero inde demonstravit, quia cæteroquin Christus de Carne sua loquutus, pronomen possessivum: Mea, addere soleat, & de sua carne paullo ante talia prædicaverit, quæ, utilissimam esse, docuerant, unde etiam Ephesini Patres constanter, vivificam esse, concluserint;* a) *Carnem itaque oppositam Spiritui significare* Φρονήματα *seu sensum carnis Rom. VIII.* hinc conclusit, ac *parum* adeo a *blasphemia abesse, si quis carnem Christi nil prodesse asserat, quam tamen secundum v. 51. pro mundi vita datam esse affirmetur,* monuit. His auditis, ultro *se omittere, quæ fuerint ex antiquitate adducta, & ad limitationem* seu distinctionem *additam animum appellere,* dixit *Peuschelius: eamque nullatenus difficultatem hanc exhaurire* opinatus est; *quandoquidem omnis manducatio oralis, & secundum litteram sic dicta, cruda sit & physica, nullaque detur oralis mystica & hyperphysica, quæ simul sit oralis; cum talis modus additus ipsam oralem manducationem proprie sic dictam destruat.* Idque probaturus ad nostras adversus Calvinianos probationes se retulit, verbaque *Hunnii,* qui *L. de Sacram., Christum panem sumsisse, & ut ederetur jussisse,* inquiat, *eundemque ore accepisse discipulos, atque naturaliter edisse,* affirmet, atque *sic quoque de vino, ore bibisse,* ajat. Vnde collegit, *si physica sit manducatio panis, etiam corporis Christi talem esse oportere; Sic vero hyperphysicam oralem esse non posse.* Respondit autem *Schröderus: Committi petitionem principii: quia negent nostrates, quod omnis manducatio secundum litteram sic dicta sit cruda & physica,* b) *atque ideo distinguere Sacramentalem ac physicam, quarum utraque sit proprie dicta oralis. De pane ergo dici, eum physice* κατὰ ῥητὸν *edi; corpus autem Domini ore quidem comedi &* κατὰ ῥητὸν, *sed modo cœlesti ac hyperphysico. Ad utrumque panem & corpus Christi quidem referri verbum manducare* κατὰ ῥητὸν, *sed esse tamen diversitatem in modo; Panem quippe, rem terrenam,* ῥητῶς, *terreno modo manducari, sed corpus Christi rem cœlestem cœlesti & supernaturali. Neque vero tali modo oralem manducationem destrui* addebat, *quoniam hanc particulam non referamus ad modum sed ad organum,*

a) Quod prædicatum quoque diserte comm. 51. legitur. De cæteris conf. Colloq. cum *Vogelio,* ubi eadem ab hoc ipso objecta discussa sunt.

b) Verbo Dei edocti; quod, sicuti alias, ita in hoc quoque diviniori instituto, Deum facere & posse *&* *velle,* supra id, quod νοῶμεν atque rationis lumine pervideamus, & in thesi generatim Eph. III. ult., & in hypothesi sigillatim in verbis τῆς διαθήκης extremæ ante Christi excessum, testetur luculentissime. Cujus executionem & præstationem potentissimo Servatori pia credulitate & rectius & tutius, quam rationi ferocienti, relinquimus.

num, quo adhibito, fiat manducatio; idque ad oralem manducationem sufficere. Atque *hinc* ulterius *diversum modum* subjecit *pendere; partim videlicet ex diversitate rerum comedendarum, quarum una terrena sit, altera cœlestis; partim ex ipso modo unionis, qui sit mysticus & sacramentalis; partim ex ipso sensu, quo panem videamus, gustemus, palpemus &c. corpus Christi non item.* Denique producto simili quodam, rem omnem declaraturus, *generationem Filii Dei proprie sic dictam esse*, ait, *licet non sit ejusdem modi, cujusmodi physica & corporalis. Ita quoque generationem Christi ex virgine propriam esse generationem*, a) *etsi non talis, qualis sit ex patre & matre; Modum proinde rem non variare, nec de substantia rei esse, sed tantum circumstantiam.* Quæsivit igitur ex *Schrödero Peuschelius: Quænam ergo sint oralis manducationis requisita?* & cum *Ille* confestim respondisset, *sumtionem & unionem*, concessit equidem *Peuschel: Quicquid ore corporis comedatur, ore quoque corporis sumi*, at *ejusmodi manducationem insufficientem* ratus est, *eo quod etiam masticatio, in ventriculum demissio, & alia hujusmodi requirantur. Schröderus* contra, id *non consequi*, monuit, *quia alias edentuli non possent sumere & edere;* & cum adversarius *demissionem in ventrem* urgeret, *haberi quidem*, fassus est, in *Hierarchia Norica:* b) *Corpus descendere in ventrem; Sed semper hæc duo esse conjungenda: Sumtionem & unionem, de quibus eleganter locuti sint Patres, præsertim Cyrillus, & scire se*, addidit, *hoc argumentum agitari a Pezelio, quem antea antagonista nominarit, tanquam a se lectum quondam atque consultum.* c) Respondit autem ad hæc quoque *Peuschelius* novo insurgens argumento: *Omnis manducatio oralis est naturalis, & ipso sensu perceptibilis, id quod ipse*

a) Ipsa quoque *substantia* humanæ naturæ in conceptione formatæ ἀδιαςάτως præsente, tametsi alius generis unione cum filio Dei unitæ.

b) *Der Nürnberg. Kirchenordnung, quæ Libris Normalibus* subjecta est, & A. 1633. primum lucem adspexit, *a Wittebergensibus Theologis* antea perlecta, & ab *Osiandro* eorum suasu deinceps recognita. De qua alias.

c) Mallemus ad rem ipsam, potius distincte respondisset vir doctissimus, quam ad alios provocasset: cum nihil facilius sit discussione ejus objectionis. Utpote quæ itidem requisita naturalis manducationis ad saturandam famem & explendum ventrem, cum vera orali, sed supernaturali, & sublimiori fini destinata, confundit. Quod vero ad locum ex Ordinat. Eccles. Norica attinet, non alius videtur innui, quam qui f. 1145. habetur, ubi, de Corpore & Sanguine Christi cum sermo est, dicitur: *Essen und Trincken heisse nicht glauben, sondern in den Mund und in den Leib empfahen*, sed manifestum est, (nisi malis postrema verba *und in den Leib*, inter *Osiandrinas* referre ἀκυρολογίας) particulam *et* h. l. non copulative, verum ἐξηγητικῶς, intelligi oportere, ut *corpus* proinde non sit venter, sed ipsum *os*, corporis præcipua pars. Quo sensu nonnulli corporalem manducationem vel ob hanc etiam caussam olim dixere, ut supra animadversum est.

ipse sensus probat; Alias enim, quid sit manducatio oralis, scire neminem posse, sensumque communem docere, omnem manducationem oralem proprie sic dictam esse naturalem. Iterum vero instante *Schrödero*, & *probationem* propositionis hujus: *Omnem manducationem oralem esse naturalem:* poscente, *Peuschelius* regessit: *Tempore Athanasii fuisse, qui dicerent, Christum λόγον passum esse, sed impatibiliter, quibus responderit Athanasius, hoc idem esse, atque surgendo non surgere, seu stando non stare. Idem ergo sibi, quod bona venia dictum sit, in manducatione orali committi, plane verisimile esse.* Recte vero *Schröderus*, *ita rem fore*, observavit, *si Theologi A C. affirmarent: Carnem Domini manducari immanducabiliter; at secus judicandum, quando doceant manducari oraliter, & tamen non physice, quia τὸ hyperphysice nullo modo pugnet cum manducatione, multo minus τὸ oraliter.* a) *Exigi itaque longe fortiora argumenta ad destruendum ῥητὸν in tanta caussa, quam ejusmodi frivola. Vtramque manducationem proinde quia Scriptura proponat, utramque etiam nos amplecti.* At *Peuschelius*, *de orali manducatione ex ipso sensu judicandum*, asseveranter tuebatur; *Quemadmodum enim spiritualia spiritualiter, ita quoque corporalia corporaliter dijudicanda esse.* Contra *Schröderus: Non debere sensum inferri in verba Domini, sed efferri*, pertendebat, *argumentaque, ex natura desumta, heterogenea esse.* Male ergo argumentari antagonistam: *Corpus Domini non videtur, palpatur &c. Ergo non sumitur oraliter; cum corpus Domini non tantum sit res naturalis, sed cœlestis.* b) *Peuschelius* vero, *de re perceptibili, ex natura illius loquendum esse*, regerebat. Cui *Schröderus*, *denuo peti principium*, opposuit, &, *aliud esse de corpore Domini, aliud de ejus natura loqui*, ostendit: denique, *rem totam in eo sitam esse*, identidem inculcavit, *ut idoneis & cogentibus rationibus a littera depellat nostros, quorsum ratiunculæ hæ nihil faciant.* c) His compulsus, novum protulit argumentum *Peuschelius:*

Zzzz *Quic-*

a) Quis enim tam protervus sit, ut, modum non alium, quam naturalem, in edendo locum habere posse, ad divinam potentiam si animum advertas, affirmare ausit? Certe, eum, qui alium statuerit, repugnantia loqui, nemo unquam demonstrabit. Demus ergo, Deum aliquid posse, (id vero etiam se velle institutio clarissima ostendit) quod nos fateamur investigare non posse. *Fides* est credere (Deo dicenti veracissimoque,) quod non vides. Αὐτὸς ἔφα hic sufficit.

b) Vbi, cum glorificati corporis rationes nondum intelligamus, multo minus de corpore Christi summa majestate donato judicium ferre decet, nisi ex ipso Domini verbo & promissionibus luculentissimis. Bene olim *Vitus* noster *Dietericus*:

Dic mihi, vera fides quanam ratione patescat?
Ipsius e Domini verbis & simplice textu?
Fallere glossa solet, sed textus fallere nescit;
Nam verbo est verax omnipotensque manu.

c) Quæ nihil aliud, quam naturaliter id

Quicquid ore corporis comeditur, illud aut in ſuccum & ſanguinem hominis convertitur, aut per naturalem ſeceſſum ejicitur Matth. XV. *Atqui veſtra hypotheſi corpus Chriſti comeditur. Ergo.* Ad quod *Schröderus* repoſuit: *Hoc argumentum, quia phyſicum ſit ſeu philoſophicum, immo blaſphemum, ſe non dignari reſponſione. Aliena enim hæc eſſe, & ex principiis Theologorum argumenta petenda, ne fiat* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Contra *Peuſchelius*: *R. D. Superintendens*, inquit, *ſpiritualiter ſpiritualia ſunt dijudicanda; ſed quia jam, aliquid phyſicum & naturale, dicitis, corpori Chriſti attribui, quod manducetur, nihil eſt abſurdi, ſi naturam illius rei phyſice perpendentes, quæramus, an de corpore dici poſſint.* Idque *exemplo Anthropomorphitarum, ex ſimilibus principiis refutandorum*, illuſtrare conatus eſt. Occaſionem ergo hinc arripuit *Schröder*, phraſin Paullinam: *Spiritualia ſpiritualiter eſſe dijudicanda*, explicandi, eamque, oſtendit, *non deſignare ſpiritualem ſenſum & figuratum, ad quem ſint cuncta referenda, alias enim Hymenæus & Philetus recte de reſurrectione philoſophatos fuiſſe; ſed idem eſſe, quod de rebus ſpiritualibus non ſecundum præſcriptum ſpiritus humani*, a) *verum divini, qui per Scripturam S. ad nos loquitur, judicium eſſe inſtituendum. Quoniam itaque per Scripturam S. proprie intellectam demonſtremus manducationem Chriſti corporis oralem, hyperphyſicam tamen & cæleſtem, non poſſe nos inter eos numerari, qui ſpiritualia ſpiritualiter non dijudicent, ſed qui recte* b) *judicent.* Ἀνθρωποπάθειαν *de reliquo* ἀμέσως *pugnare cum eſſentia divina*, c) *ideoque non poſſe, niſi* μεταφορικῶς *intelligi; at* τὸ *manducari ac bibi non pugnare cum veritate corporis Domini, præſertim cum illa manducatio non ſit naturalis, ſed Sacramentalis & cæleſtis.* Excepit ad poſtrema *Peuſchel*, &, *unde ſciri poſſit, membra tributa Deo cum ejus eſſentia* ἀμέσως *pugnare*, ſciſcitatus eſt. Idque *Schrödero ex divina ſimpliciſſima* d) *eſſentia* e) commonſtrante, tandem, *quæſtionem exſurgere*, dixit: *Utrum Scriptura affirmet: Corpus Chriſti ore manducari.* Ad quam promte *Schröderus*: *Habemus ipſa verba Domini*, inquit, *qui*

fieri haud poſſe, quod, Chriſtus doceat, ſe facturum eſſe, evincant. Quod ambabus manibus concedimus.

a) Ἀνθρώπου ψυχικοῦ, qui qualis ſit, totis *Cap. I. & II. Ep. I. ad Corinth.* abunde docetur & explanatur.

b) Ad Spiritus S. ductum & lumen, vividamque in non refragantibus, (quales ſunt, qui rationi contra revelationem indulgent,) virtutem, ἀποδείξει δυνάμεως ſupernaturalis animos illuſtrantem & convincentem.

c) Dictisque etiam Scripturæ, quibus explanate Deus Joh. IV, 24. *Spiritus* vocatur.

d) Perfectiſſimaque: De ſimplicitate ſunt, qui tricas nectant, interque eos cum *Vorſtio* ipſi *Sociniani*.

e) Cui illa aperte repugnent.

qui jubet corpus ſuum manducare, a) *quod tamen naturaliter non manducatur, ipſis ſenſibus teſtibus.* Iterum vero *Peuſchelius: Si quis ex reſurrectione ſpirituali impugnaret reſurrectionem carnis, inepte faceret: ita, ſi quis ex natura oralis manducationis vellet inſurgere adverſus ſpiritualem, ſimiliter hallucinaretur.* Cui *Schröderus: Nos utramque*, ait, *ſtatuimus, ſpiritualem Joh. VI., Sacramentalem* b) *in S. Cœna. Loquimur quidem de corpore naturali, ſed quando dicimus, corpus illud ſumi in Cœna, non dicimus, id fieri manducatione naturali, ſed ſacramentali. Illa ad finem naturalem pertinet, hæc ad ſpiritualem.* Nondum vero acquievit *Peuſchel*, ſed, *quicunque aliquid phyſicum naturale & corporale tribuat corpori & ſanguini Chriſti, eum oportere quoque concedere ejus manducationem naturalem*, putavit. Quod cum *non eſſe neceſſe, Schröderus* denuo, *ob rationes jam adductas*, urgeret, *Joh. Fabritius* interrogavit *Peuſchelium: Vtram propoſitionum harum: C. & S. Chriſti ſumuntur naturaliter & C. & S. Chriſti ſumuntur oraliter, amplecteretur, cum ſciat, poſteriorem probare Eccleſiam orthodoxam, priorem rejicere.* Sed reſpondit *Peuſchelius: Neutram probo, ſed ajo, ſi corpus & ſanguis Chriſti accipiantur oraliter, accipi etiam naturaliter.* Hinc iterum *Schröderus: Confundi modum cum organo*, c) *modumque rem non mutare*, inculcavit. *Peuſchelius* vero, *abſurdum eſſe, corpus Domini accipi ore ſpiritualiter*, objecit. At *Schröderus, non eſſe abſurdum*, ſubmonuit: atque *duplicem manducationem; ſpiritualem, quo ſpectet: Hoc facite in mei recordationem; Et oralem, ad quam pertineat: Edite, bibite &c.* expendere juſſit. Deſertis hiſce, ad *blasphemiam* ſupra objectam converſus eſt *Peuſchel, eique non eſſe obnoxios, qui dicant, carnem Chriſti non prodeſſe*, demonſtrare allaboravit; *quoniam, qui ita loquantur, intelligant tantum* τὸ *non prodeſſe ſecundum quid, & ſenſu Capernaitico.* Verum, *neque hæc* conceſſit *Schröder*, &, *ſi caro Chriſti prodeſſe potuerit nobis, quando in cruce contumelioſiſſime tractabatur, quidni etiam in ſenſu Capernaitarum?* monuit. *Quocunque ergo modo conſideretur, ſemper prodeſſe, quippe quod Scriptura commendet, ut rem ſalutarem & vivificam.* Vnde argumento ſtructo concluſionem hanc deduxit: *Ergo ſemper caro Chriſti, ſive ſit in cruce, ſive in ſepulchro, ſive ſenſu Capernaitico, prodeſt &c.* Quo pronunciato, [nihil enim legitur reſpondiſſe quisquam, d)] Conſeſſus, haud

a) Manducatio autem *propria* non aliter fit, aut fieri poteſt, niſi *ore*.

b) Cum ſpirituali tamen conjunctam, quoniam hæc alioquin *eſſet* quidem, ſed reapſe indigno homini non *prodeſſet*.

c) Vti *naturali* Matris *utero* Chriſtus conceptus eſt, *non naturali modo*, neque etiam conſpicuo.

d) Neque enim ad ſummam rei ea quæ-

haud dubie imperante *Generosissimorum Dnn. Curatorum* Academiæ ordine, solutus est. Nondum vero colloquendi finem factum esse, sequens altero statim die, qui IXus erat Octobris, Congressus DECIMVS & TERTIVS edocet, in quo, iterum comparente *Peuschelio* & *Gubernatoribus* quoque *Prudentissimis*, cum Theologis laudatis præsentibus, dicendi exordium duxit *Fabritius* a *repetitione argumentorum Peuschelianorum* pridie propositorum, simul vero: *Vtrum hesternis responsionibus datis contentus sit, nec ne*, candide edisserere jussit. Ad quæ *Peuschelius*, *se quidem ex Joh. VI. heri argumentum exposuisse*, fassus est, *sed quia videat, parum exinde proficere se posse, lubentius jam ad ipsa verba institutionis progressurum esse*, dixit. *Ille* vero *ex Cassiano quædam de auctoritate Christi dicentis*, sufficientissima omnium ratione, *itemque ex Justino Martyre* alia, præfatus, tandem jussit *M. Fabrum* consvetas preces recitare. Quibus peractis, *Peuschelius* primum, *rationes sibi firmas dari*, voluit, *cur* τὸ ῥητὸν *in S. Cœna sit retinendum?* Quas cum *jam heri indicatas esse* diceret *Schröder*, & tamen *antagonista* eas *proferri constanter vellet*, *Schröderus* tandem: *Non tenetur*, inquit, *probare, qui* ῥητὸν *retinet*, a) *sed qui a littera discedit*. Ex abundanti tamen has expendendas proposuit *rationes*, 1) *quia sint verba Testamentaria*, 2) *verba esse, quibus constitutum Sacramentum*, 3) *verba esse institutionis, quibus novus cultus instituatur*, 4) *spectanda verba sacrificii*, b) *quæ sint perspicua*, 5) *binam haberi repetitionem in statu exinanitionis & exaltationis*, 6) *unanimitatem observari Evangelistarum*, 7) *omnia loca institutionis retinere* τὸ ῥητόν. Non potuit ea repudiare *Peuschelius*, unde *ad scriptum suum* denuo provocavit, *rationesque illic adductas præcipuas examinari*, rogavit. Inter quas inprimis *denuo* objectavit, *fieri non posse, ut, quod necesse foret, si non in omnibus, in pluribus tamen locis Christus cum corpore suo adesset*. *Schröderus* autem extemplo, *distinctas esse quæstiones*, respondit, *de multipræsentia & de omnipræ-*

stio pertinebat, sed excursus in modum a *Peuschelio* videtur prolata fuisse.

a) Illud enim naturale est in omni lingua, hoc non item, ac proinde, tanquam minus naturale, atque magis insolitum, probandum, si quæ super eo dubitatio oriatur.

b) Respexit haud dubie *Schröderus* ad verba: *Quod pro vobis traditur & effunditur.* Ea enim Sacrificium *Christi in Cruce* factum designant. Quod autem ipsum Sacramentum institutum non sit sacrificium piaculare, & res ipsa, h.e. sacrificii in honorem Dei vel *mactandi*, si viva sit victima, vel alio modo *abolendi*, natura, (incruentum enim repugnat,) luculenter docet, & analogia doctrinæ a *Schrödero* constanter contra *Pontificios* in Ecclesia Evangelica propositæ confirmat.

præsentia ; hanc vero , quia quæstio sit particularis , huc plane non pertinere , sed eam , quæ de multipræsentia a) agat. Equidem *Peuschelius, qui probet, Christum non esse in omnibus locis , eum quoque probasse, non esse in multis,* opinatus est ; Verum ostendit *Schröderus, a negatione totius ad negationem partis non valere consequentiam.* Et cum *Peuschelius : Si Christus nullibi sit in hoc mundo, nec Romæ esse,* argueret, *Schröderus probare* eum, *quod non sit in hoc mundo,* jussit. Vbi *Peuschel,* ad pristina rediens, argumentatus est: *Si Christo communicata esset omnipræsentia divinæ naturæ secundum humanam naturam, tum etiam reliqua idiomata essent communicata. Consequens falsum est. Ergo & Antecedens.* Nondum vero *Schröderus destitit, alienum hoc esse a caussa præsenti,* urgere; *addens rationem, quia jam non quæratur, an corpus Christi sit omnipræsens, sed an sit multipræsens, quæ multipræsentia haud dependeat a communicatione idiomatum, sed a potentia instituentis.* b) Hæc ergo tandem agnoscens *Peuschel* ipsa verba institutionis aggressus, atque h. m. ratiocinatus est : *Quodcunque Christus accepit, benedixit, fregit, & discipulis edendum porrexit, illud tunc acceperunt & comederunt. Atqui solum panem &c. Ergo &c.* Respondit, ut hæc labefactaret, *Schröderus* ad hunc modum : 1) *Determinationem subjecti aut prædicati, quæ non sit principale membrum conclusionis, non pertinere ad conclusionem. Esse enim similem isti : Quicquid est intra hanc urbem, subjectum est Imperatori Romano : Atqui unus tantum populus &c. Ergo.* 2) *Negando assumtum, eo quod copulatum axioma ex una parte falsum totum judicetur falsum. Quanquam igitur verum sit, Christum solum panem fregisse &c. tamen falsum esse, solum etiam panem dedisse ;* c) *Subsequi enim statim, quod principaliter dederit, videlicet : Edite, hoc est corpus meum.* Existimavit quidem *Peuschelius* regerens, *inde falsitatem assumti sui non evinci, quia* 1) *verba illa, hoc est corpus meum, ab aliis explicentur per significat.* 2) *quia illud Hoc ab aliis referatur ad totam præcedentem actionem, sicuti Ezech. V. 5.* d) At *Schröderus* hæc quoque dubia promte solvit; *partim, non*

a) Seu *majestate omnipræsentiæ*, h. e. potentia corpus suum, ubicunque *velit*, eoque, quo velit, modo exhibendi. Quæ *non* quidem ad mysterium hoc *fundandum*, (quo verba institutionis pertinent,) sed *defendendum* in statu ἐλεγχτικῷ, sufficit.

b) Ita ut locum hæc habere posset, si vel maxime tota illa communicatio idiomatum ex unione personali profluens tantisper vel seponeretur, aut prorsus in medio relinqueretur, immo etiam negaretur.

c) Distinctæ enim actiones, præsertim si altera earum, qualis est fractio, tantum apparatui inserviat, distincta etiam habere possunt objecta : ita videlicet, ut illa *partem*, hæc, accedente benedictione, *totum ex materia terrena*, & *cælesti*, sacramentali unione interveniente, constans, exhibeat.

d) En Τοῦtismi nuper tantopere dispu-

non quæri, inquiens, *utrum verba illa aliter posſint explicari, ſed an ſint aliter explicanda; quando igitur* ῥητὸν *depoſcat fundamentum doctrinæ hujus in his verbis poſitum, jure a* τῷ *ſignificat nos abhorrere; partim vero, a particulari ad particulare antagoniſtam argumentari altera exceptione,* obſervavit. *Rationem* vero *diſcrepantiæ* ſimul reddidit, *quia 1) actio accipiendi & comedendi, cum Dominus verba illa enunciaret, non fuerat antegreſſa, ſicut apud Ezechielem, ſed demum facienda. 2) certior hic præſto ſit interpres,* a) *Lucas, itemque Paullus, qui in altera parte Cœnæ iſtud Hoc non ad antegreſſam traditionem aut bibitionem poculi, ſed ad ipſum poculum referant. 3) Idem confirmare verba Apoſtoli I. Cor. X., ubi non de fractione panis, ſed de pane, qui frangitur, dicatur, quod ſit communicatio* b) *corporis Chriſti. Peuſchelius* ex adverſo, *quamvis ſit locus fundamentalis, nihilominus figurato ſenſu accipi poſſe,* hinc collegit, *quoniam & alia Chriſtus ante & poſt, immo in ipſa Cœna, plura figurata protulerit.* Verum *Schröderus, hinc neutiquam conſequi, quod ipſa inſtitutionis verba figurata ſint, dicique debeant,* oſtendit, *quia 1) hoc in loco fundamentum hujus doctrinæ contineatur, 2) ſi in præcedentibus ac ſubſequentibus propoſitio ſit modificata, certa id ratione demonſtrari debere ac poſſe, cur ſint figurata; hic vero non item.* c)

§. LXVII.

Ad quæ tandem etiam *Peuſchelius* ſubſtitit, &, *quia in hoc articulo non multa reſtent, quæ tanti ſint ponderis, ſe ideo lubentem ab urgendo remittere,* ultro teſtatus eſt. Ad *Aphoriſmum* vero *XXIV.* converſus, *de cultu divino Chriſti,* dubium hoc ſibi adhuc ſolvi petiit: *An Deus poſſit velle, ut aliquis colatur divino cultu, qui non eſt Deus? ſibique id non videri injuriam in omnipotentiam divinam,* addidit. Ad hunc ergo ſcrupulum ei eximendum, reſpondit *Schröderus* : *Niſi Chriſtus eſſet verus Deus, non vellet Deus illum adoratione coli: Quicquid enim pugnat cum veritate & immenſitate Dei, illud non pertinet ad Dei potentiam, ſed potius impotentiam. Jam vero, ſi juberet, ut nuda aliqua creatura adoraretur, id omnino pugnaret cum veritate Dei; Cum tota Scriptura habeat, & identidem inculcet, ſolum Deum eſſe adorandum, & neminem adorari poſſe, aut debere,*

tati, & *Schwenkfeldio* jam ante approbati, veſtigia!

a) Melior eſt hæc ratio priori. Revera enim actio edendi jam fuerat ante commemorata : *Edite,* inquit, *hoc* eſt &c.

b) *Non mera repræſentatio ſymbolica,* ſed talis, ut ejus *diſtincte,* ſicut & ſanguinis, cum benedicto pane & vino, qui edunt & bibunt, *participes reapſe* reddantur.

c) Vt ſilentium aliorum locorum altisſimum, immo potius dilucidiorem explicationem, pro realisſima Corp. & Sang. præſentia, & cum Pane ac Vino unione ἀδιαστάτῳ, Paullinam taceamus.

debere, qui non divinam a) *habeat potentiam. Exemplo sit,* ait, *ipse Christus: Quoties enim ei adoratio tribuitur, semper præmittitur potentiæ divinæ notatio, ut Phil. II. Apoc. V. Dan. VII. De reliquo immensitatem,* porro inquiebat, *concedis, quia non duo possunt dari immensa. Hinc statuo, Photinianos esse idololatras, qui nudam creaturam, quæ non sit Deus, adorant.* Nihil adversus hæc excepit *Peuschelius, sed acquiescere se,* ultro professus, contra Aphor. XXX. de *Activa & Passiva Christi obedientia* quædam movit, atque iterum *explicationem ejusdem obedientiæ* postulavit. Revocavit equidem brevitatis studio *Schröderus* dissidentem ad responsionem suam, quam ad marginem dubiorum supra exscriptorum reddiderat, non tamen pigratus est, ea brevissimis repetere, & *utramque Christo fuisse solvendam,* affirmavit. *Pœnam, ut nos liberaret ab exitio; Obedientiam, ut vitam beatam obedientibus promissam acquireret, utpote quam non, qui nudi sunt, sed qui superinduti,* b) *possessuri sint 2. Cor. V.* Non potuit hæc improbare *Peuschelius*, attamen *repugnare ea,* arbitratus est, *communi sententiæ, quod Christus perfectissimam obedientiam pro omnibus omnium temporum hominibus præstiterit, itemque pœnam.* Quæsivit itaque: *Anne etiam illam obedientiam activam præstiterit, quam Adamus debebat, antequam esset lapsus?* Sed *Schröderus* iterum monuit adversarium, *aliam rationem esse de hominis integri & stantis, aliam vero lapsi; Christum satisfecisse pro Adamo* c) *passive, ut liberaret illum ab exitio: Et active, ut liberaret ab obligatione obedientiæ* d) *legis.* Denuo vero *Peuschel* instabat: *Si Christus,* inquiens, *loco Adami præstitit obedientiam activam, quomodo loco ejus potuit præstare passivam? Adamum quippe Christi justitia superindutum prorsus sic esse innocentem, hinc consequuturum.* At vicissim *Schröder: Licet Christus*

a) Hoc est, infinitam summamque, cui religiosus cum animi fiducia cultus convenit. Quam ob rem nostrates etiam invocationem sanctorum post mortem, quia & omnipræsentia & omniscientia cum potentia infinita destituuntur, si non ob voluntatem Dei, (quæ itidem prohibet) rejectaneam & impiam, certe vanam & inconvenientem esse docent, atque hinc etiam & hanc ob caussam moderatissimi quique cultum istum commentitium longe abesse jubent.

b) Justitia nimirum fidei Rom. III. 22. coll. Gal III. 27. imputata, &, quod *ordo* divinitus constitutus requirit, imitatione ad optimum ὑπογραμμὸν 1. Petr. II. 21. coll. Rom. XIII. 14. utcunque, sincere tamen, cum studio constanti longius proficiendi expressa. Est enim obedientiæ Christi fructus non solum, potior licet, justificatio, sed etiam sanctificatio. Gal. III. 14.

c) Lapso videlicet, totoque adeo genere humano ejusdem peccati, qua culpam & pœnam, κατὰ παράπτωμα καὶ κατάκριμα Rom. V. 12. 16. sqq., propter vinculum cum Capite naturali & *fœderali* intimum, reo.

d) *Perfectissimæ*, omnibusque numeris absolutæ, non omnino & *simpliciter*. Quis enim, ab obligatione legis immunes fuisse Adamum aut posteros, dixerit?

ſtus pro Adamo, ait, *tantum ſolviſſet obedientiam pasſivam, liberatus quidem eſſet ab exitio, ſed non translatus in vitam æternam; Nam adhuc nudus fuiſſet; Evangelium autem non abolere, ſed ſtabilire legem, conſtare.* Porro autem injicienti *Peuſchelio* ſcrupulum *ex decimatione Levi in Abrahamo,* atque hinc inferenti: *Similiter omnes homines in Adamo fuiſſe, ut, ſi Adamus non fuiſſet lapſus, nullus labi potuiſſet;* repoſuit *Schrœderus: Otioſam hanc eſſe quæſtionem, conſiderandumque potius eſſe, non quid fieri potuerit, ſed quæ facta ſint. Atque, licet aliquis propter violationem legis puniatur; tamen etiam poſt pœnam eum obligari ad obedientiam,* a) denuo obſervari juſſit. In quibus & *Peuſchel* conquievit, *videri tamen ſibi,* addens, renatis *obedientiam eſſe præſtandam, ceu medium ad vitam ſalutis.* Cum vero ad hæc etiam *Schrœderus, obedientiam noſtram non ſatisfactoriam,* regesſiſſet, *ſed gratitudinis pro beneficiis Dei declaratoriam,* ſeu, *non eſſe medium meritorium & cauſſativum, ſed ſine quo non;* b) hæc quoque *Peuſchel,* ſine ulteriori inſtantia, *conceſſit,* atque ad Aphoriſm. XXXVIII. *de Regeneratione Infantum* progreſſus eſt. Contra quem ita placuit denuo, (quod forte mentem ſuam e ſcripto non ſatis intellectam putaret,) argumentari. *Ille regeneratur, qui induit veterem hominem; Infantes non induerunt veterem hominem; Ergo non regenerantur.* Aſſumtumque ſeu minorem, uti petierat *Schrœderus,* probaturus, iterum *Peuſchel* ratiocinabatur: *Illi induerunt veterem hominem, qui peccata actualia committunt. Infantes peccata actualia nondum commiſerunt, Ergo.* Ad hæc monuit *Schrœderus, majorem eſſe in figura prima particularem.* Sed *Peuſchelius* contra: *Eſſe ipſius Apoſtoli Eph. IV. Deponite veterem hominem &c.* urſit, dixitque, *non poſſe de peccato originali id aſſeri,* c) *cum nunquam hoc deponatur, vetus autem homo deponatur.* Hinc vero *Schrœderus* diſtinxit *inter depoſitionem formalem & materialem;* itemque *totalem & partialem, & peccatum originale deponi, ſecundum quid & ſecundum formale,* d) ajebat, *in confeſſo eſſe.* Ad hæc

a) Si fœdus ſit æternum, ipſique naturæ ſuperſtiti (humanæ) innitatur. Certe nec pœna Principi data, propter inobedientiam, ſubditos legis obligatione exſolvi, vel quotidiana experientia condocet.

b) Alii medium ordinis, laxiori ſenſu, & viæ, item præſentiæ, non efficientiæ, rectiſſime omnium partem ordinis divini, quo obſervato nos ad ſalutem Numen ſanctiſſimum deducat, vocare ſolent. Apoſtolus Eph. II, 10. ut hanc viam *ambulemus,* poſtulat, & alibi Hebr. X. atque XII. *neceſſitatem* talem ac tantam, ut *ſine ea non ſimus* Deum viſuri, urget. Qui reſpectus, *cauſſæ* dignitate longe inferior, is eſt, quem noſter *ſine quo non* appellare non dubitavit, eumque etiam terminum ſano ſenſu uſurpavit.

c) Videtur ergo ad peccatum originale *Schröderus* eum ſimul revocaſſe, etſi a ſcribis colloquii annotatum non ſit.

d) H. e. formale conſequens, *reatum*

hæc etiam *Paullum non de regeneratione, ſed renovatione* a) *loqui*, monuit. Contra *Peuſchel: Si in ſanctis maneat materiale peccati, tum in illis aliquid eſſe condemnationis, contra Rom. VIII*, 1. conſequi, objectavit. *Schrœderus* vero porro, *inter id, quod fiat per ſe, & per accidens*, diſtinxit: *Quod ergo in ſanctis non ſit condemnatio, fieri non per ſe, ſed per gratiam; qua illud, quod condemnationem meretur, tollitur; ſublataque illa Dei gratia, in homine utique eſſe condemnationem*, b) docuit. Quare equidem poſt hæc ſibi repoſita, *Peuſchelius* probaturus, *per veterem hominem tantum peccata actualia intelligi, ad Eph. IV.* provocabat, atque exinde, *quia illa in infantes non cadant, neque hunc* (veterem puta hominem) *de ipſis prædicari poſſe*, putabat. At enimvero *Schrœderus, ubi peccatum ſit, ibi veterem quoque hominem* c) *eſſe*, urgebat, *inque infantibus eſſe peccatum, ex Pſ. LI.* etiam confirmabat. Heic ex adverſo *ſibi vel unicum locum Peuſchelius oſtendi* voluit, *in quo peccatum originale vetus homo appelletur*. Quare *Schrœderus Col. III*, 9. allegabat, *oſtenſurus, illic veterem hominem a factis ſuis diſtingui, ac proinde aliud intelligi per veterem hominem, quam facta ejus*, inde concludebat, *nihilque univerſe* d) *aliud, quam hominem per peccatum originale corruptum, intelligi veteris hominis notione*, arguit. Victas igitur etiam hac in parte dedit manus *Peuſchelius*, ac poſtremo *de perſona Chriſti* quæſtionem attigit, exiſtimans nimirum, *quia Chriſtus habeat membra, carnem & ſanguinem, rationem reddi haud poſſe, cur non dici queat perſona, ſicuti divina, ita & humana; Ac proinde in eo admittendas eſſe duas perſonas, ſicuti Petro, Paullo &c. intrantibus, nemo non dicere poſſit: Hic, ille, homo eſt, & ſic quoque perſona. Schrœderus* equidem, *differentiam*, confeſtim monſtravit, *inde petendam, quod non in ſe ſubſiſtat* e) *humana Chriſti natura, ſed in perſona τῦ λόγυ.* Contra *Peuſchel: Si in Deo plures ſint perſonæ,*

 quidni

culpæ & pœnæ, ut infantibus non imputetur, etſi inhæreat.

a) Adultis potiſſimum injuncta & incumbente. Quo pacto enim infantes renoventur ad imaginem Dei de die in diem, perinde, uti de eorum commemorata alicubi in Scr. S. pœnitentia, immo & de ipſa fide illorum, difficile dictu eſt.

b) Alii forte compendioſius inter κατάκριμα l. c. actu primo & ſecundo diſtinguunt, atque, ſic quoque Luth. Verſionem, adhibitamque vocem *Verdammliches*, excuſari, atque intelligi poſſe, ut non imputetur credentibus ad damnationem, arbitrantur.

c) Tanquam fontem malum Vid. Jac. I. 14. 15. coll. Rom. VII. 17. ſqq. ut nomenclatura communis a ſpeciali diſcerni poſſit.

d) Immo potius primario.

e) Propria hypoſtaſi ſeu perſonalitate, *aſſumta* quippe ad aliam naturam, ſeu potius in hypoſtaſin τῦ λόγυ Hebr. II. 16., atque in *hunc usque diem* ſingulari modo ſuſtentata; quæ etiam ratio eſt, cur l. c. *præſens tempus* pro præterito adhibitum ſit; non opitulandi, ut *Sociniani* mallent, notio. Hæc enim ἐπιλαβὴν (coll. Act. IX. 27.) connotat & præſtruit.

quidni etiam in Christo? objecit. *Schrœderus* vero, *magnam esse diversitatem*, ostendit, *idque ex eo elucere, quod in Deo unitas sit essentialis, in Christo personalis: Quemadmodum ergo illa unitas non multiplicet essentias, ita hanc quoque non multiplicare personas.* Interea interrogaverat *Peuschelium* FABRITIVS: *Vtrum definitionem* a) *Philippi amplecteretur?* qui, *amplector*, inquit; *sed de vocabulo, incommunicabile, dubito, quod, postquam individuum jam commemoratum est, superfluum* esse videtur. At *Schrœderus*, *individuum creatum esse incommunicabile*, regessit, *sed non divinum & increatum.* Iterum vero *Peuschel: Si persona est*, ait, *essentia, sequetur tot esse essentias, quot personas.* Verum *Schrœderus*, id *consequi*, negabat, sed *illud tantum* hinc, ajebat, colligi: *Aut tres esse essentias, aut unam essentiam haberi a tribus personis: Vnam enim essentiam bifariam considerari, absolute in Deo, relate in personis.* b) Tandem *Peuschel, quomodo placeat ille loquendi modus*, sciscitabatur: *In Deo esse essentiam absolutam, & tres relativas.* At *Schrœderus* eum *sibi magnopere* statim testabatur *displicere*; c) *cæterum quod attineat ad terminos istos: Essentia ingenita, genita & procedens, non esse, cur multiplicationem quis metuat essentiæ, cum per genitum non productionem*, d) quæ multiplicationem, sed communicationem intelligamus, quæ pluralitatem e) inferat.

§. LXVIII.

Videbatur plura adhuc in recessu mentis habere *Peuschelius:* quæ, si expromere placuisset, paratos ad ea diluenda *Schröderum Fabritiumque* reperisset. Sed ipse scrupulis istis non multum confidebat, quare missis ulterioribus objectionibus, cum se convictum de veritate cœlesti persentisceret, postrema *Schrœderi* responsione pronunciata, ad *Illustres Curatores Ecclesiæ & Academ. Noriberg.* conversus, inopinato hunc in modum eos alloquebatur: „V V. MM. NN.

&

a) Personæ inquam: Quam definire solebat *Philippus: Est subsistens, vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio &c. Exam. Theol.* LL. Norm. Norib. f. 794.

b) Cæterum huc redit quæstio Metaphysica: Quid Persona in *casu recto* denotet, Naturamne seu Essentiam, an Personalitatem seu subsistentiam? Ad quam optime respondetur: Neutrum affirmandum esse; cum *conflatum* potius quiddam *ex natura & personalitate* hac voce innuatur. Quæ nostro concipiendi modo compositio, uti porro sit θεοπρεπῶς intelligenda, *Petr. Musæus* Tr. de Person. Christi §. 43. bene docuit.

c) Neque enim in Deo sunt tres essentiæ, sive relativæ sive absolutæ; at tres subsistentiæ seu ὑποστάσεις, quas *Peuschelius* cum essentia confudit, earumque fundamentum sunt relationes.

d) Essentiæ. Etsi forte personæ v. g. per generationem dicantur productæ.

e) Personarum.

& AA. Ich will E.E E. und Herrl. nit verhalten, daſs ich auch hier-“
inn richtig bin, und E.H. wie auch den Herrn Theologen nit wei-“
ter Müh machen will: Will auch, nach genugſamer Erwegung ger-“
ne eingehen, und dasjenige leiſten, was mir Ihre Herrlichkl. aufle-“
gen werden; unterthænig bittend, nach beſchehener Caution mich“
nit allein der Verhafft zu erledigen, ſondern auch alle Schulden und“
Transgreſſiones, ſo vorgegangen, allergnædigſt zu verzeihen, und“
nachzulaſſen: neben dem erbieten, daſs ich meinen Studiis hinfüh-“
rò fleiſſig obliegen, damit die aufgewandte Vnkoſten a) wohl an-“
gelegt werden, niemand auch mit unnœthigen diſputiren einig“
ærgernus b) nicht geben wolle. Was nun E.E. und H. meiner Per-“
ſon halben fornemen wollen, will ich demſelben in hœchſten Ge-“
horſam allzeit nachſezen.“ Ad quæ *Generoſisſimæ* proſapiæ *Ephorus Dn. Volkamer* „Wir haben, reſpondit, E. endl. Erklærung vernom-“
men, und befinden, daſs ihr in den erklærten Aphoriſmis begehret“
zu acquieſciren, und dasjenige zu præſtiren, was ein E. Rath euch“
auflegen werde. Dieweil ihr aber noch ſehr dubitirt, indem euch“
noch immer ſcrupuli ſuboriren und ankleben, ihr auch die erro-“
res Photinianos noch nie execrirt und wiederſprochen, tragen wir“
die Beyſorg, es mœchte euch nit von Herzen gehen, darum wol-“
len wir euch nochmaln ermahnen, und zu Gemüth führen, c) ob“
ihr das Juramentum ſalva conſcientia leiſten, dabey beſtændig ver-“
harren, zur Communion euch aufs eheſte finden, Eure ſchrecklich“
Apoſtaſiam erkennen, dieſe hæreſin, darein ihr euch mutwil-“
liger Weiſs begeben zu Alttorff vel concionando, vel declaman-“
do d) œffentlich revociren, und der Photinianer unchriſtl. erro-“
res, ſonderlich aber den Articulum de Trinitate, Satisfactione &c.“
ex Sacra Scriptura wiederlegen und erklæren wollet. Euch auch“
mit E. Obligation und Caution gefaſst machen, damit E. E. Rath“
gænzlich ſich darauf habe zu verlaſſen.“ Addidit etiam hiſce (quia jam aliquoties de futuris ſolicitus erat *Peuſchelius*) *Generoſisſimus Dn. Löffelholz*, eam promiſſionem non aliter poſſe ſperari, niſi auxiliante Deo, atque ſic tandem iterum mentem declarandi ſuam *Peuſchelio*

 copia

a) Stipendia, quibus fuerat in Acad. ſuſtentatus.

b) Nam & hoc, ex ingenio cumprimis *Peuſchelii*, metuebatur, & more antiquo.

c) Denuo ſpecimen hoc æquitatis, &, ne quid, quod conſcientiis grave eſſet, admitteretur, ſtudium exquiſitiſſimum, velim notari.

d) Neque enim adhuc ea de re certa quædam ſententia fuerat publicata. Ad declamationem autem propenſiores erant omnium pæne animi.

copia facta eſt, qui his verbis reſpondit: „E. E. Herrn: Anlangend „meinen Conſenſum, den ich den Aphoriſmis allen gegeben, hab ich „mehr mahl mein mentem, ſo viel die Zeit leyden mœgen, expli- „cirt, wie ich auch anjezo gethan, daſs ich mit denſelben content „und zufrieden. Daraus zu colligiren, daſs ſich keine titubatio „conſcientiæ bey mir zu befürchten, wie auch ſolches aus der revo- „catoria declamatione, wills GOtt, ſoll geſpüret werden. Will „auch hiemit ſancte proteſtirt haben, daſs alles ſincere & ex animo „gehandelt worden. Die proteſtationes auf eine Zeitlang differiren- „den Juraments ſtehen mir nun nit mehr im Weeg, cum ſecundæ „cogitationes ſint ſapientiores primis. Dann daſs ich eine dilation „begert, ſind viele Vrſachen geweſen, ſonderlich, daſs ich in der „Verhafft allein geweſen, und neben der Melancholia andere ten- „tationes geſpürt. Vnd weiln zu Adam in ſtatu integritatis geſagt „worden: Es iſt nicht gut, daſs der Menſch allein ſey; Wie viel „mehr in ſtatu calamitatis: Wird ſich derentwegen niemand wun- „dern, daſs je dasjenige nicht allzeit gethan, was man von mir ha- „ben wollen. Habe ich mich jedoch nun mit Verleihung Gœttl. „Gnaden ſo viel aufgeſtiefelt, daſs ich das Juramentum, und was „mir E. E. Rath aufleget, gern thun und leiſten will. Das Jurament „belangend, kan ich nicht wiſſen, wie es mit den andern a) gehal- „ten worden, ob es mündlich oder ſchrifftlich mit der Subſcription „geſchehen ſoll. Der perſeveranz halben mach ich mir auch kein „Bedencken mehr, dieweil auxilium Divinum im Jurament begrieſſen „ſeyn ſolle. Die Caution hab ich dahin gemeint, daſs ich zwar mei- „nen Aid wolle leiſten, nit allein bey der Lehr, ſondern auch in „dieſen Landen b) zu verbleiben; Derenthalben ich dann meine „Eltern zu Bürgen vorgeſchlagen. Der Communion halben bin ich „bereit dieſelbe mit ehiſten fürzunehmen. Wegen der Kirchen und

a) Ergo cæteri quoque, quotquot ſuſpecti erant, ſacramenti religione obſtricti ſunt. Quæ cauſſa fuerat, cur nihil amplius dehinc legatur remoræ etiam in publicis officiis (erant enim plerique doctiſſimi viri) adeundis objectum.

b) Hinc ergo denuo luculenter Lector Benevolus intelliget, quorſum illa ſolicitudo *Illuſtris Senatus* ſpectarit, quando, arctius cuſtoſtiendos hoſce circumventos juvenes eſſe, conſtanter exiſtimavit. *Juſtam nimirum fugæ formidinem* aliorum exemplis auctam, eosque ab impoſtorum perſvaſionibus præmuniendi curam, eo impuliſſe *Prudentiſſimos Patriæ Patres*, ſole meridiano clarius liquet; Omnemque adeo calumniam violentiæ conſcientiis illatæ obtrectatorum quorumvis pia illa & circumſpecta paternaque providentia retundit.

und Beichtvatters bin ich noch nicht resolut, will es aber aufs ehi-" ste thun. Die Revocation betreffend, weilen ich in concionando" nicht geübt, bitt ich unterthænig um Vergünstigung, dass es in for-" ma declamationis in Auditorio aliquo beschehen mœge: Denn auf" der Canzel mœchte ich wegen des zulauffenden Volcks bestecken" bleiben, und einen Spott einlegen." Hactenus *Peuschelius*, cui pauca hæc indulgentissime regessit *Maxime Generosus Dn. Ephorus:* Wir haben eure Erklærung von Herzen gern gehœrt; ruffen auch" GOTT an, dass Er euch zu euren Fürnehmen je længer und" mehr bekræfftigen, und mit seinen Heiligen Geist erleuchten" wolle. Weil ihr euch erbietet das Jurament zu thun, soll es euch," wie mit den andern beschehen, gehalten werden. Wir haltens auch" für eine Nothdurfft, dass die Caution durch eure Eltern beschehe," denen man eine gewisse formam obligationis wird einhændigen." Die Communion belangend, wollet ihr auf einen Beicht-Vatter be-" dacht seyn, und mit nichten auffschieben. Dann, ist es euch ein Ernst," werdet ihr solches mit ehisten suchen, damit der bœse Feind euch" nicht weiter verführe. Die Revocation sollt ihr aufs vœrderlichst" fürnehmen, und ist es euch ein Ernst, werdet ihr keinen Scheu tra-" gen, vor mænniglich offenbar euren Irrthum zu wiederruffen; wird" euch zu sondern Lob gereichen, dass ihr euch bekehrt; Kœnnet also" durch diss Mittel gratiam apud Deum & homines erlangen. Wir" lassens uns belieben, dass solche per declamationem geschehe. Al-" lein dass die principalia dogmata Photinianorum solidis fundamen-" tis S. Scripturæ refutirt und wiederlegt darinnen werden." Quæ omnia, cum, quam primum e custodia liberatus fuerit, se accurate expediturum, iterum pollicitus esset *Peuschel*, jurisjurandi formula ei prælecta, præmissaque iterata commonefactione, ne qua perjurus divinam Majestatem violaret, ad sanctissimam Supremi Numinis religioso invocato Nomine venerationem processum est, & coram omnibus tam Reipubl. Proceribus Illustribus, quam Theologis, idem *Peuschel* conceptis verbis de veritate Evangelica rursus a se agnita inposterum quoque sancte conservanda, juravit, *Socinismum* ejuravit, & Aphorismis manu quoque sua subscripsit, atque sic tandem & hic confessus, exantlata, quæ paullo ante anceps adhuc videbatur, opera, feliciter solutus est.

§. LXIX.

Postquam vero res omnis cum *Peuschelio* erat expedita, jam *Vogelius*

lius supererat, idemque in quibusdam itidem adhuc vacillans; Cum eo itaque eadem via atque ratione, continuataque colloquendi methodo, denuo rem omnem experiri decretum, atque dies adeo DECIMO & QVARTO Conventui *Sextus Decimus Octobris* dictus destinatusque est. Quo illucente pari frequentia cuncti iterum convenere Auditores, quos & superioribus congressibus ex utroque ordine interfuisse meminimus. a) Initium dicendi, sicuti alias, ita nunc quoque fecit *Joh. Fabritius*, & in mentem *Vogelio* præsenti superiorem detrectationem jurisjurandi revocavit, eamque scrupulorum quorundam obtentu factam esse, ipse commemoravit. Cum itaque, his plane & funditus tollendis colloquium hocce consecratum esse, non ignoret *Dissentiens*, ad expromenda, quæ male habeant, dubia eum cohortatus, & tandem, antequam exordiri queant, precari *Diaconum* jussit. Consveta autem *M. Fabro* supplicatione peracta, *Vogelius* in hanc sententiam breviter ad præcedens alloquium respondit; *Caussam detrectati nuper, aut potius dilati juramenti, Viri NN. MM. RR. DD. probe novit R. T. D. & recte commemoravit. Angebant siquidem animum scrupuli quidam, qui suspendebant assensum omnimodo, eo quod conscientia adhuc palpitabat. Feci autem, quod jussus sum a Magistratu, primaque statim occasione consignavi istos scrupulos, & ad VV. RR. misi, obnixe rogans, ut eos excutere, & me erudire vellent. Et speravi quidem, vos eo modo, quo ipsos proposueram, nempe scripto aliquo, mihi responsuros esse.* b) *Verum quia ita placet, ut coram de illis colloquamur, acquiesco, gratiis prius actis, quod mei informandi caussa convenire, & laborem hunc suscipere volueritis.* His autem pronunciatis *Schröderus*, scrupulos reliquos evoluturus, præcipuum in illis *de ipso juramento*, quo corruente, cæteri quoque facile collapsuri

a) Vid. §. LXIIX. sub. init.

b) Denuo exinde dubium suboriri posset: Vtrum superiores scrupuli, cum responsionibus ad marginem adscriptis, sint utrique remissi: quod non factum esse, ex his *Vogelii* verbis haud obscure colligitur. Quoniam vero negari etiam haud potest, ad responsiones illas margini adjectas, supra provocasse cum *Peuschelio* sermocinatum *Schröderum*; in eam propemodum nunc ingredior opinionem, ut existimem, *Peuschelio* quidem illas redditas esse; sed quia nondum is se convictum arbitrabatur, colloquio interea repetito, data *Vogelio* responsa secum ea retinere Theologis, atque coram, uti constitutum erat interea, eadem dubia solvere magis placuisse. Nisi etiam, h. l. forte Vogelium *ulteriorem per litteras scriptaque disputationis continuationem*, postquam primas responsiones jam acceperat, intellexisse, conjicias. Quorum ego neutrum determinare ausim; neque enim horum quidquam definitum reperi, aut ex luculentioribus demonstrationibus documentorum conficere potui. Posteriorem tamen conjecturam de continuatione per scripta sperata, sed in colloquium mutata, verisimiliorem mihi videri, dissimulare haud possum.

lapſuri ſint, aggreſſus eſt, & cum ſibi hanc methodum haud diſplicere teſtatus quoque eſſet *Vogelius*, decem antehac propoſitis rationibus ſuis (de quibus ſuperius ſcriptum conſulatur) hanc *novam* præterea *quæſtionem* motam *adjecit: An quis in capita religionis, & ſi confirmatus, posſit ſimpliciter & abſolute ſine conditione jurare, ſe in illa confesſione usque ad finem* (vitæ) *perſeveraturum.* Eamque porro explanaturus (quia interrogaverat *Schröderus; Vtrum de formula ab hominibus conſcripta loqueretur?*) addidit: *Cum Photinianis hactenus multis in partibus feci. Si jam Photinianorum gregi me juramento obſtrinxiſſem, quod in illorum doctrina perſeverare vellem, quæro: An bona conſcientia ab illorum confeſſione & Catechiſmo* a) *deſciſcere poſſem?* Heic promte *Schröder: Vtique; Juramentum namque vinculum iniquitatis eſſe non debet*, reſpondit. *Etenim, ſi indiſcrete,* ajebat, *juraſſes, atrocius peccaſſes, ſi in illorum prava opinione te perſeverare velle promiſiſſes.* Contra vero *Vogel: At illi,* inquit, *doctrinam ſuam tantum habent pro vera; ſi juraſſem & non perſeverarem, reſpectu illorum malefacerem.* Diſtinxit ad hæc reſp. *Schröderus* inter *juramentum diſcretum & indiſcretum. Hujusmodi vero ipſi nunc quidem non proponi, quippe cujus gratia tot dies cum eo, hactenus diſſentiente, actum ſit, ut probe noſtram doctrinam intelligat, &, præſuppoſito divino auxilio, jurare queat.* Iterum vero *Vogelius: Etſi,* inquit, *Aphoriſmos illos eſſe deductos ex S. litteris crederem, tamen quia homines ſumus, & Aphoriſmi ab hominibus conſcripti, non ſimpliciter jurare poſſum, eo quod non ſunt ipſum verbum Dei.* At enim *Schröderus: Hæc eſt alia,* dixit, *quæſtio. Non enim quæritur: An illi Aphoriſmi ſint ſimpliciter verbum Dei; Sed hoc quæritur, & a te requiritur, ut confirmes, illos Aphoriſmos eſſe verbo Dei conſentaneos: quod quidem eſt norma normalis,* b) *ſcripta autem hominum norma normata.* c) Ad hæc aperte & candide *Vogel: Amplector,* ait, *bona conſcientia omnes Aphoriſmos, quia puto & certus ſum, eſſe verbo Dei conſentaneos. Schröderus* igitur: *Si ita res habeat, non poſſe ipſum detrectare juramentum*, repoſuit. *At, prodeat aliquis,* inquit *Vogel, ex ſchola Calvinianorum; Illi certe haud ita facile perſvadere aliquis poterit, ut cum promisſione perſeverantiæ ſic juraret, cum in ſola ſolius Domini verba ſit jurandum.* Iterum vero *Schrœder:*

a) *Racovienſi* puta, qui libri inter eos quaſi ſymbolici uſum præbet, certe tunc præſtitit.

b) Forte; normans. *Primaria,* inquam, & magiſtra, ipſius *doctrinæ ac fidei.*

c) *Secundaria* & compendiaria, miniſtra & *profeſſionis* doctrinæ, applicationi compendioſæ & commodiori inſerviens. Hoc loco de ſingulari, ob cauſſas etiam peculiares, ſermo erat. Libri ſymbolici ordinariæ hujusmodi confeſſionis & communis uſum præſtant.

der: Absolute quidem, ait, *id putari posse, at in hæc verba Aphorismorum non absolute juramus, sed cum conditione auxilii divini,* addiditque, *pleraque ipsius argumenta, cumprimis tria priora, sibi eo spectare videri, quod assentiri & jurare velit, quoad assensum præsentem.* Hic ergo *Vogelius* tandem mentem suam plenius declaraturus infit: *Hæc mea est sententia: Puto me posse jurare ob præsuppositas conditiones, 1) quod corde & animo amplectar tria Symbola, Aug. Confess. & quinquaginta Aphorismos. 2) quod ab eis nunquam velim discedere, nisi per evidentissimam Scripturam convincar. 3) quod ob nullum commodum terrenum, quocunque appelletur nomine. 4) ob nullam rationem per se philosophicam. 5) ne quidem ob rationes ex S. Litteris deductas, nisi probissime consideratas. 6) & cum aliis Viris piis & cordatis collatas.* a) *7) Si sit sententia, quæ per se non concernat fidei fundamentum, quod nemini de ea litem aut controversiam movere velim, nisi omnino cogerer, aliter de aliquo Aphorismo sentire. 8) Si vero ipsum fundamentum concernat, non tecte aut dolose rem me agere velle, sed aperte, sine tumultu tamen & turbis. 9) quod nunquam clancularius schismatis alicujus autor esse velim.* Hæc omnia ordine *Vogelius* expromebat: Immo vero non tantum pronunciavit publice, sed ad calamum etiam dictavit. Non tamen cuncta ita omnino placuere *Schrödero*, quin aliqua de iis moneret, & responsione reddita dilueret. Hæc enim legimus ad ea regessisse: *Conditiones tuas consideravimus ad calamum dictatas, & deprehendimus illas non admodum a sensu juramenti abhorrere; nisi quod quædam verba videntur aliquam æquivocationem occultare, quæ ut possit declinari, sensus juramenti tibi est explicandus. Duo autem continentur in illo, quorum primum spectabat* b) *præsentem animi & cordis tui assensum; ubi requiritur: an velis juramento absolute testificari, te, si scrupuli, quos recitasti, eximantur, tria Symbola, Augustanam Confessionem & L. Aphorismos, sicut professus es, ex animo amplecti. Secundum spectat ad perseverantiam futuram in semel approbata ista doctrina, qua in parte juramentum illud intelligitur conditionatum, & quidem a conditione gemina, quarum 1) sita est in assistentia divinæ gratiæ, 2) in promissione tali, qua recipias, te, Deo auxiliante, ab ista approbata doctrina nullo in capite recessurum; nisi, in quo erratum sit,* c) *e S. Scripturæ fundamentis accurata disquisitione, cum privata, tum publica, sufficienter evolutis evidenter convictus fueris.* d) *Hæc est summa Juramenti. Jam ergo*

a) Id scil. facturus sim, aut discessurus.

b) Prælectum ergo id fuisse, hinc apparet.

c) Vt ab homine humani nihil est alienum. Quis enim se ab omni periculo errandi eximere ausit?

d) Quod si fiat, *jura* quoque *societatis Ecclesiasticæ* postulant, ut, cui, fide ante-

ergo ex te ſcire volunt MM. NN. Domini Scholarchæ, quid tibi de ſenſu iſto videatur. Ad quæ ſine mora *Vogelius*: *Viri Magnifici, Nobilisſimi, Rever. Doctisſimi &c.* inquit: *Evoluto ſenſu juramenti, & oſtenſo, non tam tria Symbola Eccleſiæ, Auguſt. Confeſſ. & quinquaginta Aphoriſmos, mihi, ceu normam normantem, quam ipſas S. Litteras, proponi; nihil amplius vereor, exemtis iſtis, qui adhuc ſuperſunt, ſcrupulis, juramentum propoſitum recipere. Huc enim iſtis rationibus, quas pro ſententia negativa iſtius problematis, quod formaveram, propoſui, unice ibam.* Ad quæ *Schrœderus* breviſſimis, & quidem *Generoſisſimos Dominos Curatores Acad.* alloquutus: *Exemtis*, inquit, *ſcrupulis, profitetur, ſe juramentum non detrectaturum: Quodſi itaque placuerit, in manus & reliquos ſumam ſcrupulos.* Et nemini quoque dubium videbatur, quin jam ſtatim, quæ reſtarent, eſſent expedienda. Sed aliter res cecidit. Quamvis enim ſe promtiſſimum ad diſputandum oſtenderet *Schrœderus*, nec *Vogelius* a telis expromendis imparatus eſſet; aſſurgens tamen præter opinionem *Maxime Generoſus Dominus Volkamer*: *Craſtina die, Deo volente, id fieri poſſe*, indicavit, atque his verbis finem colloquendi in præſens ob gravisſimas cauſſas fecit, ac ſimul *decimum* hunc *quartum* Congreſſum abrupit.

§. LXX.

Cum igitur ad ſubſequuturum diem rejicienda eſſet diſputatio, eodem etiam illuceſcente, ſolenniter, ut antea conventum erat, *die* nimirum XVIII. *Octobris*, poſtremum de reſiduis *Vogelii* dubiis diſputatum eſt. Ita quidem, ut ſicuti in ſuperiori, cum *Peuſchelio*, συῤῥάξει ultima, ſic in hac etiam poſtrema congregatione, quæ DECIMA & QUINTA omnino fuit, ſpicilegium quaſi quoddam inſtitueretur, omnibusque tandem ex voto peractis, læta cataſtrophe per *Vogelianam* quoque, eamque plenam, convictionem conſequeretur. Eum in finem ſuccincto alloquio *J. Fabritius*, quemadmodum alias, poſt repetitam paucis heſternam diſquiſitionem de ſenſu jurisjurandi, *Vogeliique* de eo præſtando voluntate jam tunc probe declarata: *Num in eadem ſententia adhuc eſſet?* adſtantem interrogavit; atque, ſi perſeveraret in ea, poſtquam & preces ex conſvetudine præmiſſæ fuerant, ſcrupulos expromere reſiduos, qui male ipſum haberent,

 juſſit.

hac data, aliud ſignificaveras, jam, ſive meliora edoctus, ſive errore etiam novo vehementer per conſcientiam erroneam occupatus, aliter te ſentire *indices*, & quid porro ſtatuendum ſit, expectes. Ita enim veritati opera danda eſt, ut *charitatem* pariter & conſcientiam nec lædas, nec vulneres,

juſſit. Qua poteſtate dicendi ſibi facta hunc in modum ſenſa animi explicavit *Vogelius: Viri*, inquiens, *MM. NN. RR. DD. ea ſententia, quam heri ad explicationem juramenti dedi, & ad calamum dictavi, etiam nunc ſto. Paratus ſum namque juramentum eo modo, quo heri explicatum, lubens ſuſcipere. Quia tamen R. V. facultatem mihi dedit, adhuc unum vel alterum, in quo hæream, in medium proferendi, exequar illud, obnixe rogans, ut RR. VV. quæ allaturus ſum, benignis auribus accipere, & in iis me erudire non dedignentur.* Atque ita præmiſſo præfamine: *Reliqui*, inquit, *heri fuere tres ſcrupuli.* 1) *De generatione filii æterna.* 2) *Argumentum ex c. XIV. Act.* 3) *De collatione Chriſti cum Adamo. Ex his tribus ultimum proponam. Video, quid reſponderi poſſit, diſtinctione inter totum Chriſtum & totum Chriſti. Sed contra illud ſic excipio. Quicunque, quantus quantus eſt, confertur cum puro homine, is nihil præter eſſentiam humanam in ſe aliud habet. At Chriſtus, quantus quantus eſt, confertur, cum puro homine, Ergo. Major ſua luce claret; Minor probatur: quia Chriſtus confertur cum Adamo Rom. V.* Reſpondit quidem protinus *Joh. Fabritius*, repetendo paullo ante dictam diſtinctionem, majoremque ita correxit: *Quicunque ut homo purus confertur cum puro homine &c. Ergo.* Atque ſic *minorem negandam* cenſuit. Sed *Vogelius, ſi comparatio procedere debeat, non poſſe majus aliquid eſſe in Chriſto, quam in Adamo*, a) iterum excepit; Atque ita occaſionem *Schrœdero* dedit, idem argumentum denuo aggrediendi, & primo oſtendendi: *Hinc etiam ſequuturum, Chriſto nec divinam potentiam competere, quam ut purus homo ſane non habeat; id vero ipſorum Photinianorum placitis prorſus adverſari.* Deinde vero etiam demonſtravit, *totum iſthoc argumentum eſſe fallaciam ſecundum quid. In verbis enim Apoſtoli antitheſin eſſe indicatam inter Adamum & Chriſtum, non ratione eſſentiæ, ſed contrariorum effectuum;* b) *eo quod, ſicut Adami effectus eſt peccatum & mors: ita e diverſo effectus Chriſti juſtificatio & reſuſcitatio.* c) *Ubi profecto non ſequitur*, ait; *Si peccatum & mors ab homine ψιλῶ ſunt orta, etiam acquiſitionem juſtitiæ & reſuſcitationem mortuorum ab homine ψιλῷ eſſe*

a) Quidni? Plus enim eſſe in antitypo, quam typo, non ſolum trito conſtat axiomate, ſed ipſi quoque *Sociniani*, comparatis typis V. T. cum Chriſti ſacrificio, eo quoque, quem tuentur tenentque, ſenſu, id comprobari poſſe, non abnuent, prætereaque vel Miniſtrorum Eccleſiæ cum bove triturante 1. Cor. IX. itemque Chriſti cum agno paſchali collatione, retundi queunt.

b) Quo reſpici, commata XV--XIX. non tam loquuntur, quam clamant.

c) Si nimirum comparationem, 1. Cor. XV. Adami cum Chriſto inſtitutam, huc quoque referas.

esse factas. Hoc enim esset evagari extra terminos ἀντιθέσεως Apostolicæ. Quibus cum objectionis nervus manifesto incisus esset, ipse quoque in ea responsione nihil amplius desideravit *Vogelius:* Sed, deserto hoc priori argumento, ad *locum Act. XIV,* 15 *sqq.* progressus est, eumque obstinate, uti nuper, ita nunc denuo urgens, *sibi videri* l. c., dicebat, *Apostolum loqui de eo, quod insit, & non, quod suo modo insit, quemadmodum jam supra fuerit* a) *responsum.* At *Schröderus, responsum esse,* docuit, *distinguendo inter affectionem* (*ὁμοιοπαθείας*) *voluntariam & coactam, eamque instantia dissentientis non infringi* monebat. *Quod autem, de ὁμοιοπαθεία, quæ incurrerit in oculos, sermonem esse, idem exceperit, eam nihil in præsens efficere,* docuit: *Quia, si in oculos incurrisset, Lystrenses certe sacrificare non voluissent.* Cæterum, *rationem suam ejusmodi esse*, inquiebat: *Quicunque est ὁμοιοπαθὴς, ut ψιλὸς ἄνθρωπος, ille neque colendus est sacrificiis, neque est Deus, videlicet secundum illud, secundum quod est ὁμοιοπαθής.* b) Denique, *quid ad illud responsuri essent Photiniani, libenter*, ait, *scirem: Quicunque est ὁμοιοπαθὴς, ille non est adorandus; Christus &c. Ergo.* Ad quæ *Vogelius, se non meminisse aut largiri, Christum in statu exinanitionis esse religiose adoratum*, reposuit. Cum vero *Schröderus magorum exemplum*, itemque *mulieris Syrophœnissæ & aliorum, qui, uti in Christum crediderint, ita quoque religiose eum adorarint*, allegasset; *Vogelius* equidem, *aliis etiam hominibus adorationem tribui*, excepit; sed, *de religiosa, non civili adoratione, atque ea, quæ ex fide prodeat, hic agi*, *Schröderus* vicissim monuit. Hinc *Vogel*, novum effugium quæsiturus: *Christum ipsum explicare*, ait, *quid sit in eum credere, verbis: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Unde, qui crediderint in eum, non credidisse in illum*, conficere conabatur, *tanquam Deum, sed per Christum, tanquam objectum, in Deum patrem, qui sit ultimus honoris terminus.* Ubi porro *Schröder: De Christo, ut homine, id equidem se concedere, non esse videlicet eum ultimum honoris terminum*, c) inquit; *sed si de Christo simpliciter loquamur,*

a) Colloquio, quod ordine Vtum fuit, & §. XLVI.

b) Brevius: Quicunque est ὁμοιοπαθὴς uti *Lystrenses* &c. Sed Christus &c. Ergo. Probandum igitur fuerat, parem fuisse JEsu Christi ὁμοιοπάθειαν & conditionem. Illam profecto necessariam, & ex natura præsertim per peccatum consequentem fuisse, nemo ignorat; De Christo autem alia omnia Ebr. II. 17. sq. Phil. II. 6. sqq. omniumque luculentissime Hebr. XII. 2. sq. condocent divina oracula: quæ consecutionem hanc prorsus evertunt, &, ad Christum si applicetur Paulli argumentum, nullatenus quadrare ostendunt.

c) Quamvis enim æqualis sit honor, quo Christus adoratur ut Deus, & ut homo; Divinæ naturæ tamen is competit *princi-*

mur, utique ei competere ultimum honoris terminum, quia sit unius essentiæ & potentiæ cum Patre. Heic denuo *Vogel*, *ita credendum esse in Deum Patrem & Christum*, censuit, *ut populus Israeliticus in Deum & Mosen Exod. XIV. ult.* At *Schrœderus*, ostenso ex fontibus Versionis vitio, *in Deo tanquam Domino*, & *in Mose tanquam servo illius Domini, credidisse, illi quidem fiducialiter, huic assensualiter*, a) docuit. Nondum autem conquievit *Vogel*, sed, *vel unicum locum sibi afferri*, petiit, *quo possit probari, eo modo credendum in Christum, quemadmodum in Deum.* Petitis ergo satisfacturus *Schrœderus* ad *Joh. V. Honorent filium, sicut patrem &c.* urgendo simul *æqualitatem*, provocavit, eamque *ex Judæorum ipsorummet cavillationibus v.* 18. illustravit. *Vogelius* contra *Photinianos τὸ ἴδιον per pronomen possessivum suus interpretari*, regessit; Sed *Schrœderus* vicissim: *Multa esse sua, quæ non sint ἴδια, quemadmodum & Deus fuerit Judæorum Deus, sed non ἴδιος*, ursit, *pluribusque exemplis eam loquendi formam explanare* allaboravit. Sed *Vogelius* ea prætermittens, & *ad locum* vexatum *Act. XIV.* potius regressurus, denuo argumentatus est: *Quam diu Christus nobis est ὁμοιοπαθὴς, tam diu adoratione non est colendus. Quicunque enim homo nobis est ὁμοιοπαθὴς, non est Deus. At Christus &c. Ergo. Majoremque* tanto minus in dubium vocari posse, quia *ipsius sit Apostoli*, statim monuit. *Schrœderus* vero *limitandum esse hunc Syllogismum* respondit: *Quicunque tantum* b) *nobis est ὁμοιοπαθὴς &c. Christum autem esse æqualem Deo ad Phil. II. legi*, c) ait. Ibi *Vogelius: Commodam h. l. fuisse datam Apostolo occasionem differendi de incarnatione Christi, uti & alibi e. gr. Act. II. III. XIV. XVII. &c. Quando vero id factum non sit, inde, collegisse Socinum, argumentum exstrui posse non contemnendum, quo incarnatio Christi convellatur. Si enim*

paliter ac *per essentiam*, humanæ vero *secundario*, *participatione & per unionis gratiam*, in & per & propter unionem personalem. *Æqualis* ergo est, sed *non æquali modo* utrique naturæ convenit. *Honor idem* Joh. V. 23. sed H. N. *datus* per *χάρισμα* Phil. II. 9. 10. ita, ut is ad extremum adoratione divinitatis τῦ λόγυ nitatur, atque eo referatur. Aliter autem de Christo, ut Deo, & sentiendum & statuendum esse, Hebr. I. 6. & 8. & Joh. V. jam cit. l. coll. Es. XLII. 8. condocefaciunt. Quem cultum eorum, qui divinitatem ejus *summam* non inficiantur, nemo in dubium vocare poterit. Summam autem divinitatem, summum etiam, nec ad digniorem referendum, cultum exposcere, luculentissime patet.

a) Immo totus his locus non de fiducia agit, sed assensu, quem Deo & ministro Mosi commodarint. Quo modo idem verbum *Heemin* etiam cum ב constructum Jer. XII. 6. Hiob. IV. 18. 2. Chron. XX. 20. Psalm. CXIX. 66. accipi solet.

b) Vti *Paullus*, sicut paullo ante dictum est, & *Barnabas cum Lystrensibus* comparati erant.

c) Vbi dicitur habuisse ἶσα θεῷ.

enim neque Apostoli, neque Joh.C. I. a) *incarnationis mentionem ullam faciunt, sequi eam nihil esse &c.* Id vero quum *Topicum potius quam Apodicticum argumentum* vocasset *Schrœderus; Vogelius* ex adverso, *magnam tamen gignere suspicionem*, contendit; atque ita occasionem subministravit *Schrœdero*, plura de occasione, Scriptoribus sacris data, generatim differendi, demonstrandique, *non posse nos de circumstantiis his & occasione commoda atque incommoda semper pronunciare.* Et præterea, *si ad locum Act. XIV. disputatio referatur, occasionem illic potius fuisse avocandi gentiles ab instituto idololatriæ, quam de incarnatione docendi*, observavit: *cui sane non opponenda fuerit incarnatio, sed Apostolorum infirmitas & ipsius Dei unitas.* b) Putavit equidem *Vogelius, omnino datam Paullo fuisse occasionem respondendi: Non nos homines: sed Deum in carne manifestatum sacrificio colite.* At *Schrœderus, id non fuisse tunc temporis agendum*, submonuit, *præsertim apud Lystrenses, qui statim ea re fuissent offensi.* c) Deferens itaque & hanc disquisitionem *Vogelius* tandem, *non parum se movisse, quod Lucas incarnationis illius non faciat mentionem,* d) professus est. Hinc *Schröderus*, distinctione præmissa inter *auctorem Evangelii primarium & secundarium, rationem silentii hanc* reddidit; *quia non fuerit ad hoc scribendum a Sp. S. motus, idque ei placuerit non per Lucam, sed per Johannem præstare.* e) Denuo vero scrupulum hunc opposuit *Vogel: Quid si Ebionitæ*, inquiens. *non præbuissent ansam scribendi Joanni, ubi, quæso, tradita illa esset doctrina?* Quem solvit *Schröder: Non defuturam fuisse aliam Sp. S. occasionem, etiamsi hæc abfuisset.* Nondum vero sibi satisfactum esse, testaturus *Vogel, dubium illud se male habere*, dixit, *quod, si incarnatio esset scitu necessaria ad salutem, etiam Lucas eam descripsisset, qui c. I., se de omnibus scripsisse*, affirmet.

a) Forte *Lucas* in Actibus Apost., de quo paullo post scrupulus idem distincte movetur, & *Johannes* alioqui numero Apostolorum comprehensus esset. Et Joh. etiam de incarnatione verbis: *Verbum caro factum est*, luculenter differit.

b) Certe non de *Christo* hic disputabatur adorando, sed Apostolis honorem illum detrectantibus, Deoque ac proinde etiam *Christo* θεανθρώπῳ asserentibus.

c) Prædicaverat equidem, ut comm. 7. habetur, *Lystranis* Evangelium, sed utrum hi, qui Apostolis cultum superstitiose exhibere volebant, inter auditores fuerint, an spectatores tantum miraculi, incertum est. Hoc certo affirmare ausim, non aliam rudissimis mortalium informationem convenisse, nisi eam, qua etiam *Athenienses* idem Apostolus p. p. Act. XVII. prudenti manuductione ex Theologia naturali imbuit, Christi vero etiam nomine ab initio abstinuit, solumque *virum*, per quem Deus mundum sit judicaturus, nominasse contentus fuit.

d) Quam tamen in Evangelio copiosissime omnium descripsit.

e) In Evangelio potissimum, tum vero etiam in Epistolis & Apocalypsi, ubi notabiliter nomenclaturam τȣ̃ λόγȣ constanter retinet.

Diſtinxit itaque *Schröder*, inter *incarnationem & incarnationis modum, illamque in omnibus Evangeliſtis haberi, hunc non item,* a) oſtendit. Ad *Joannem* vero converſus *Vogel: Neque ab eo ſibi videri deſcriptam incarnationem,* ait, *præter unicum locum: Verbum caro factum &c. in quo tamen verbo,* ἐγένετο, *prorſus nova affingatur ſignificatio, faciliusque converſionem aliquam inde colligi poſſe, ſicut aqua in vinum converſa ſit. Schröderus* igitur, *non de converſione verbum iſtoc intelligi debere oſtenſurus, etiam de unione uſurpari, ex Gen. II. Homo factus eſt in animam viventem,* probavit. Quo facto, *utrum per* λόγον *Deus ipſe ſeu Filius Dei l. c. intelligatur, dubitare viſus eſt Vogelius.* Cui ſcrupulo *Schrœder tributa eidem idiomata divina & ipſum nomen Dei* b) oppoſuit. *Vogelius* equidem, *ita dici Deum, ut Magiſtratus,* arbitratus eſt, atque, *ideo carnem factum eſſe, docuiſſe Johannem,* exiſtimavit, *ne quis putaret, Chriſtum eſſe Deum.* Contra vero *Schrœderus, quando de hominibus prædicetur vocabulum Dei, reſtrictionem additam eſſe,* inquiebat, *unde pateat, quod ſint* λεγόμενοι *ſeu dicti Dii, at de* λόγῳ *hic dici, non modo, quod ſit Deus, ſed etiam unigenitus Dei filius.* c) Hinc vero tandem occaſionem *Vogelius* capesſivit, *ad generationem æternam filii Dei* iterum accedendi, *eamque non poſſe intelligi, quando de Chriſto ſermo ſit,* inde concluſit, *quia Chriſtus cœperit eſſe Filius Dei; cum Luc. I. dicatur: Sanctum, quod ex te naſcetur, vocabitur Dei filius. Schrœderus* autem ſuperius diſputata ſuccincte repetens, & unico hoc Syllogiſmo omnia complexurus, argumentatus eſt: *Quicquid Chriſto ſine temporali initio competit, hoc ei competit ab æterno. Jam filium Dei eſſe &c.* Eoque facto *inſtantiam* discusſit, olim *a Melchiſedeco* datam, quippe *qui non fuerit ab æterno;* d) deinde vero, *id, quod ex Maria*

a) Parum abeſt, quin etiam, in *Evangelio Lucæ* nihil de incarnatione Filii Dei haberi, putaſſe *Vogelium*, ſuſpicer, idque etiam conceſſiſſe *Schröderum*; qui tamen, in *Annunciatione Conceptionis Chriſti* ita luculenter eam deſcribi, noverat, præſertim ſi δύναμιν τοῦ θεοῦ Cap. I. 35. de ipſo Filio primogenito τοῦ ὑψίστου interpreteris, ut major lux vix deſiderari poſſit. Taceo illa verba, quibus *Mariam* non multo poſt *matrem Domini ſui* appellat *Eliſabeth*, & *Angeli* quoque *nativitatem Domini urbis Davidicæ abſoluti* celebrant, atque alia horum ſimilia, quibus Cap. I & II. ſcatent. Nec deſunt, qui Cap. etiam III. in Genealogia a *Nathane* filio David ad *Mariam* deducta, mentionem *Filii Dei* poſtremum factam, non ad *Adamum*, ſed proprie ad *Chriſtum*, reſpicere exiſtimant. Quam ſententiam, non temere ſpernendam, virum quendam doctiſſimum adſtruxiſſe, & contra cenſores quoque ſolide, ut arbitror, *in den Berliniſch. Hebopffern* corroboraviſſe, notum eſt, & ſupra jam commemoratum.

b) Inde ab initio Cap. I. usque ad comm. 14.

c) Qui ante mundum jam extiterit, cuncta condiderit, qui fons ſit vitæ atque lucis omnis &c.

d) Et filio Dei tantum aſſimilatus per modum typi Ebr. VII. dicatur.

Maria natum erat, fuiſſe Dei virtutem obumbraturam Mariam, & contra nihil aliud fuiſſe, quam filium Dei, monuit, coll. 1. Cor. I. a) Denique *etiam alia, quam hæc, pro æternitate Filii Dei præſto eſſe loca,* addidit, & porro argumentatus eſt: *Quæ perſona ab æterno producta eſt ad imaginem producentis, illa producta eſt ab æterno filius. Sed Filius Dei &c.* Ergo. Majorem *ex definitione generationis propriæ* probavit: Minorem *ex locis Scripturæ,* ubi dicitur, *perſonam filii eſſe a Patre, genitam eſſe a Patre, nihil facere a ſeipſo* &c. itemque *eſſe* εἰκῶνα καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποςάσεος τȣ̃ πατρὸς &c. Ac tandem *etiam addi* voluit *Col. I., ubi dicatur Filius Dei* πρωτότοκος πάσης κ̓ίσεως, *qui ſit imago Dei inconſpicui ante omnia.* Miſſis autem cæteris, *poſtremum hunc locum Vogelius* ſtatim aggreſſus, *eumque pro ſe pugnare ratus* eſt; *quoniam* πρωτότοκος *dicatur ex numero illorum, quorum reſpectu ſit* πρωτότοκος, *& hoc quidem loco, ratione creaturæ ab ipſo factæ, in recreatione ſeu rerum perditarum reſtauratione.* Verum, *non eſſe opus,* vicisſim *Schrœderus* excepit, *ut ad metaphoram confugiamus, & vocabulum creaturæ ad reformationem reſtringamus; eo quod recreatio illa non ad omnes pertineat; Apoſtolus autem inter creaturas illas non modo* ὁρατὰ, *ſed &* ἀόρατα b) *numeret.* Hinc, poſtquam *de eo, utrum posſit prior explicatio habere locum, nec ne?* aliquandiu diſputaverant, tandem *Vogelius, etiam debere eam h. l. præferri,* adſtruere conatus eſt hoc ratiocinio: *Quarum creaturarum reſpectu Chriſtus eſt* πρωτότοκος, *de illis hic locus eſt accipiendus; At ratione non veterum, ſed novarum &c.* Ergo. Ex adverſo ſtatim *negavit Minorem Schrœderus,* reddita, *quod Paullus de omnibus creaturis loquatur,* cauſſa, & *petiit* inſuper, *ut, ubi dicamur ſimpliciter creaturæ reſpectu recreationis, probet adverſarius.* Vbi, cum *Vogelius Jac. I. 18. allegaſſet, Schrœder, nihil de* πρωτοτόκῳ *heic legi,* c) & alia repoſuit. Quamobrem digresſionibus his ſepoſitis *rediit ad ſuperius* argumentum *Vogelius,* & *probationem Minoris, inprimis, ubi perſona Filii dicatur eſſe a Patre,* requiſivit. Et, cum *Schrœder, unigenitum*

a) Faſſus ergo & ipſe fuit, *Lucam* de incarnatione agere; immo ipſum quoque incarnationis *modum,* ut ſit maneatque *Filius Dei & Mariæ una* eademque *Perſona,* quod ſupra negavit, eum deſcripſiſſe, jam conceſſit *Schröderus.*

b) Angelos tam bonos quam malos, vel non redemtos & reparatos, vel eo beneficio nequidem indigentes; Ergo factos & conditos, ut exiſterent. Hæc vero omnia totumque creationis ambitum h. l. commemorari, ut dignitas Redemtoris ejusque ad hoc opus perficiendum habilitas ipſi reconciliationi præmittatur, totius orationis συνάφεια commonſtrat.

c) Nec *ſimpliciter* h. l. creaturæ dicuntur οἱ πιςοὶ, ſed *qualis ſit* creatio, regeneratio videlicet, ut fiant nova creatura, λόγῳ ἀληθείας addito, *docetur,* ſic forte commodius reſpondere licet.

nitum a Patre dici Joh. I., respondisset, his quoque missis *sibi ostendi* voluit, *quomodo ex reliquis locis, cumprimis ex datis ab æterno, æternitas filii deducatur? Schrœderus* itaque h. m. argumentatus est: *Aut δόσις illa facta est per æternam nativitatem a Patre, aut per unionem in tempore. Non per unionem in tempore &c. Ergo. In tempore vero non esse factam, quia per hanc vitam filius sit æqualis* a) *patri; quod autem per unionem accipiatur, illud non esse æquale* b) *patri*, arguit. Responsurus equidem *Vogelius* existimavit, *sufficere æqualitatem per operationem, etsi æqualitas essentiæ absit.* Sed *Schrœderus* contra: *Qualis sit vita patris, talem esse & filii vitam*, reposuit, *cujus cum sit essentialis, & hanc talem esse debere.* Simul vero & ultro quidem *Vogelium, quid Sociniani ad illud Col. II. Tota plenitudo divinitatis habitat in illo &c. respondeant*, interrogavit. Cui *Ille, non de essentiæ, sed voluntatis divinæ, plenitudine eos l. c. explicare*, respondit. *Alias enim non tantum secundam personam, sed & totam divinitatem incarnatam esse, concedi oportere: quandoquidem tota divinitatis plenitudo nihil aliud sit, quam tota Trinitas. Schrœderus* autem, *non accipi h. l. plenitudinem divinitatis essentialiter, sed personaliter, & prout in λόγῳ est, non totaliter in tribus personis*, ostendit. Hinc *Vogelius* denuo ratiocinatus est: *Si Deus est trinus ad intra, non erit unus ad extra &c. Schrœderoque* respondente: *Unum dici ad extra ratione essentiæ, ad intra ratione personarum; Ille iterum: Quicquid est unum ad extra*, inquit, *est & unum ad intra; Sed Deus est unus ad extra. Ergo.* Cui *Schrœderus: Id non sequi, quamvis enim vel maxime valeret in creaturis, quod tamen non simpliciter se asserere*, ajebat, *non tamen idem valere in Deo &c.*

§. LXXI.

Et ad hæc nihil legitur repositum; sed omnino acquievisse *Vogelium*, ex sequentibus efficitur. Nam nihil amplius additum est, nisi quod, fine disputationi his ipsis verbis *Schrœderi* imposito, silentioque facto, interrogavit *Generosissimus D. Volkamerus*: „Worauf beruhen nun die Sachen? *Fabritius* vero respondit: E. E. Herr, wir haben die Dubia ventilirt: Ist ihm messliche Antwort beschehen, damit er zufrieden. Ihre Herrlichkeiten mœgen es selbst von ihm vernehmen. Ad quæ idem *Generosissimus D. Volkamer*, oratione ad *Vogelium* conversa: Es ist nicht allein um das Jurament zu thun, sondern es soll auch darauf erfolgen die Subscription, Communion und Revo-

a) Joh. V. 18. sqq. Qui *unum* sit cum Patre, etsi qua personam ἄλλος, Joh. X. &c.

b) Certe non æqualiter (quia χάρισμα est,) competens, etsi revera, sec. Phil. II. 6., ἴσον.

Revocation. *Vogelius* autem: Ich will, ait, alle conditiones willig an-" nehmen, und gerne thun, was mir ihro Herrl. wird auftragen. Mo-" do revocatio fieri possit per modum disputationis, a) uti Peuschelio concessum fuit per modum declamationis. Sed displicuit ille modus *Illustri D. Volkamero;* unde ad hæc protinus respondens: Es ist zu besorgen, inquit, es mœchten durch den modum disputatio-" nis, die Argumenta Photiniana zu Altorff wieder an den Tag kom-" men, und der studirenden Jugend neue scrupuli b) gemacht werden." Man kan sich hierüber bedencken. Wanns nun euch ein Ernst ist," gegen GOtt und den Menschen, wollen wir euch das Jurament" præstiren lassen. Allein bedenckt euch wohl; Denn sollt ihr mei-" ne Herrn de novo betrügen, wie zuvor, würde es fürwahr euch" schwer fallen; sintemal meine Herrn eine lange Hand haben, und" euch wohl finden kœnnen; darum bedencket euch wohl; man" soll euch das Jurament vorlesen." Vogelius autem præsenti animo & modeste, sed breviter, regessit: „Ich habe mich wohl darauf be-" dacht; kan auch mit guten Gewissen sagen, dass ichs nun besser" kœnne præstiren, als vor dreyen Wochen; Indem mir die dubia" benommen, und die argumenta alsso aufgelœsst worden, dass ich" glaube, Christus sey der rechte ewige GOtt, gleichen Wesens und" Ehren mit dem Vatter und H. Geist." Quibus *Prudentissimus* & sæpius laudatus *Dn. Ephorus* subjecit: „GOTT erhalte euch dabey." Wer hat euch aber anfangs zu dieser Sect gebracht?" *Vogelius* hic brevissimis respondit: „In disputationibus sind mir erstlich etliche" Scrupel injicirt worden: Zum andern hab ich mit Peuschelio con-" ferirt, der mir alle loca Scripturæ, mit welchen divinitas filii pro-" birt wird, eludirt. Drittens hat mir der Ruarus Bücher der Photi-" nianer gegeben, daraus ich der Sachen weiter nachgedacht, und in" diesen Irrthum gerathen bin." Quæ postrema verba jam supra adducta sunt, atque ad integritatem totius colloquii sartam tectamque præstandam tantum repetitione digna videbantur. Hactenus di-

 sputatio

a) In disputando quippe & philosophicis artibus, præcipue Logicis, exercitatissimus erat.

b) Non diffidentia caussæ igitur hic modus abesse jussus est, sed prudentia removendi, quo afflicta adhuc fuerat Academia, a curiosorum animis offendiculi. Quod tanto fuisset periculosius, si, ut fieri solet, aliunde quoque Auditores confluxissent, famæque, aut infamiæ potius, nova quasi alimenta subministrata fuissent. Qua de caussa etiam Recantatio per *Declamationes* deinceps, cum aliud ageretur, veluti accessorium quid, nempe parentatio *Scip. Gentilis*, instituta atque subito peracta fuit.

ſputatio cum *Vogelio* longius protracta, ſed feliciter quoque finita: Qui pari modo, quemadmodum ante *Peuſchelius*, his præmiſſis, iterataque admonitione adhibita, & jurisjurandi formula prælecta, ſacramentum fidelitatis & religionis ſolemni ritu præſtitit, dictisque *Aphoriſmis quinquaginta* ſua manu ſubſcripſit. Ipſius *jurisjurandi verba*, quæ nusquam *κατὰ πόδα* & conceptis verbis reperire potuimus annotata, huc quoque transſcribere commodum quidem & optabile; non tamen neceſſarium eſt: quoniam ex præcedenti colloquio jam ſatis ſuperque conſtat, *de ſincero in præſens aſſenſu, & futura quoque perſeverantia, divino Numine religioſe invocato, ut teſtarentur*, poſteaquam meliora edocti erant hi juvenes, *poſtulatum, & ab ipſis viciſſim, id ſe facturos, affirmatum, atque in hanc ſententiam juratum* eſſe. Nihil ergo reliquum eſt, quam cum toties Aphoriſmorum ſubſcriptorum a) facta ſit mentio, hos etiam perinde, uti reliqua, totos cum B. L. communicemus. Idque dum facturi ſumus, hoc monumento ad colophonem attexto, Cap. III. ipſique adeo colloquio tam notabili eruditoque pariter ac ſalutari finem faciemus.

§. LXXII.

Aphoriſ. I. b) *Confiteor, in unica eaque indiviſa Dei eſſentia tres eſſe perſonas; Blaſphemare autem Photinianos, qui id negant, & ſine grandi errore credi non poſſe ſcribunt, eo quod implicatur contradictio, ſi quis dicat, unum eſſe Deum, & tamen tres eſſe, quorum unusquisque ſit Deus.* c)

Aphoriſ. II. *Confiteor, tres illas perſonas eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: Blaſphemare autem Photinianos, qui Spiritum Sanctum perſonam eſſe negant.* d)

Aphoriſ. III. *Confiteor, Patrem ab æterno genuiſſe Filium: Blaſphemare autem Photinianos, qui id negant & obtendunt, Deum eo, quod non ſit mortalis aut corruptibilis, naturaliter gignere non poſſe. Generationem autem, de qua dictum eſt; Hodie genui te &c. in tempore eſſe factam;*

a) Confeſſionis in formam redactorum: quos equidem *D. Jo. Frid. Mayerus*, uti me S. Rev. *Pfaffius* in Introd. ad Hiſt. Liter. P. II. edocuit, diſputationis ut præberent uſum, evulgavit A. 1705. 4to Gryphiswald. Sed neque diſtincte, quid porro actum ſit, expoſuit, neque etiam cæterorum quicquam commemoravit, quod Hiſtoriam hanc illuſtrare poſſet.

b) Loca ex *Oſtorodo*, quia in exemplo noſtro annotata ad marginem fuerant, ideo ſubjicere placuit, ut, ad quem ſcriptorem potiſſimum reſpexerit auctor ſeu ſcriptor, & ubi de ſingulis argumentis breviter agatur, hinc cognoſci poſſit.

c) *Oſtorod. Inſtit. Germ.* c. IV. §. 2.

d) Id. c. VII. §. 3. § 1. &c. c. XL. §. 7.

factam, & nihil esse aliud, quam ordinationem, qua Christus post mortem Rex constitutus & coronatus fuit.

Aphoris. IV. *Confiteor, filium Dei dici unigenitum, quia solus e substantia Patris ante omnia secula sit natus: Blasphemare autem Photinianos, qui id negant & dicunt; Ideo sic appellari eum, quia ipse solus virtute Dei in utero matris virginis conceptus sit, atque ita ab initio ortus sui non a marito, sed a Deo processerit: Item quia sanctificatus & missus fuerit in mundum, ut esset Propheta, & annunciaret Evangelium. Præcipue vero, quia similis sit Deo ratione regni, in quo sit Dominus omnium.* a)

Aphoris. V. *Confiteor, Filium Dei esse ejusdem essentiæ cum Patre. Blasphemare autem Photinianos, qui id negant, & docent, Filii Dei essentiam nihil aliud esse, quam hominis essentiam, ideoque Filium Dei & Patrem esse unum, non essentia, sed concordia.* b)

Aphoris. VI. *Confiteor, filium Dei æqualem esse patri, non tantum potentia, sed etiam essentia seu natura: Blasphemare autem Photinianos, qui docent, Filium Dei Patri esse æqualem, non per naturam, sed per Patris voluntatem liberam, non absolute & perfecte, sed quadantenus & imperfecte, non in natura, sed in virtute.* c)

Aphoris. VII. *Confiteor, filium Dei subsistisse ante omnia secula, adeoque ab æterno: Blasphemare autem Photinianos, negantes, filium Dei fuisse, antequam mundus seu Abraham esset, adeoque docent, eum non fuisse, antequam conciperetur in utero Mariæ virginis, indeque nasceretur; eo quod persona quæcunque tum primum esse incipiat, quando concipitur nasciturve.* d)

Aporis. VIII. *Confiteor, filium Dei condidisse mundum, & omnia, quæ sunt in mundo: Blasphemare autem Photinianos, qui id negant, eaque, quæ de mundo per filium facto leguntur, ad instaurationem mundi restringunt; cujus ille caussa non primaria, sed secundaria & instrumentalis fuerit.* e)

Aphoris. IX. *Confiteor, filium Dei dici Deum, eo quod vere & per essentiam sit Deus. Blasphemare autem Photinianos, qui hoc negant, qui Christum Deum factum appellant, quique ob hanc potissimum caussam ipsum dicunt appellari Deum, quia divinam virtutem, potentiam*

a) Id. c. VI. §. 7. & c. VII. §. 2.

b) Id. c. X. §. 2. & §. 7. Cap. XLI.

c) *Ostorod.* c. XX. §. 16. c. XIX. §. 3. *Moscorovius* in *Catech. Racov.* p. 103. recitante D. *Menzero.*

d) Id. c. VIII. §. 1. 2. &c. c. XVI. §. 1.

e) Id. c. XI. §. 2.

& gloriam acceperit & habeat, divino modo dominetur & regnet, ideoque divina reverentia & adoratione sit colendus. Item, quia Deus per illum nobis ipse locutus fuerit, eumque, ut officium ejus efficax esset, virtute divina induerit, nec aliam ob caussam, quam propter officium propheticum Johannem scripsisse: Verbum erat Deus. a)

Aphor. X. *Confiteor, Spiritum Sanctum esse verum Deum ejusdem essentiæ cum Patre & Filio, & ab utroque personaliter distinctum. Blasphemare autem Photinianos, qui dicunt, Sp. S. esse quidem Dei virtutem & efficaciam, quæ sanctificet quoquo modo, ideoque non esse mirum, si tribuantur ei, quæ ad Deum spectent; Negant vero, illum esse personam, a Patre & Filio, quorum est Spiritus, distinctam.* b)

De Christo & officio ejus.

Aphor. XI. *Confiteor, in Christo duas esse naturas, divinam & humanam. Blasphemare autem Photinianos, qui docent, nullo modo posse fieri, ut in una persona duæ naturæ reperiantur.* c)

Aphor. XII. *Confiteor, humanam naturam in Christo subsistere in hypostasi divina, per unionem ipsi communicatam. Blasphemare autem Photinianos, qui negant, intelligentem naturam sine hypostasi propria posse subsistere.*

Aphor. XIII. *Confiteor, de Filio Dei humana, & de filio hominis divina prædicari, per communicationem idiomatum; Errare autem Photinianos, qui communicationem idiomatum figmentum esse dicunt.* d)

Aphor. XIV. *Confiteor, Christum legem implevisse integerrima sua obedientia, quam nostro loco legi dependerit: Errare autem Photinianos, qui istud negant, & Legis impletionem, per Christum factam, per adjectionem novorum præceptorum, quæ legi deerant, definiunt.* e)

Aphor. XV. *Confiteor, Christum sacrificium obtulisse in terra. Errare autem Photinianos, qui id factum esse dicunt, quando ingressus est in cœlum, ibique se Deo pro nobis stitit.* f)

Aphor. XVI. *Confiteor, Christum sacrificium suum obtulisse, quando seipsum in ara crucis immolavit. Errare autem Photinianos,* g) *qui negant, ideo Christum Pontificem nostrum vocari, docentque, sacrificium Christi nihil aliud esse, quam mirabilem ejus potentiam, quam sui præsentatione coram Deo exercuerit, & per quam peccata nostra vere* h) *tollantur.*

Aph.

a) Id. c. X. §. 2. & I. c. XL. §. 6. 7.
b) Id. c. IV. §. 4.
c) Id. c. VI. §. 2.
d) Id. c. XVI. §. 2. & c. XIX. §. 11.
e) Id. c. XXII. §. 1. sq.
f) Id. c. XXXII. 10. & c. XL. §. 8.
g) Id. c. XL. §. 8. c. XXXVII. §. 10.
h) H. e. intrinsecus ex animo, cui adhæ-

Aphor. XVII. *Confiteor, Christum suo sacrificio pro peccatis nostris satisfecisse. Blasphemare autem Photinianos, qui negant, Christum nostro loco esse passum: passione sua pro peccatis nostris satisfecisse: morte sua, quod nos propter peccata nostra debebamus, solvisse:* λύτρον *verum dedisse &c. Quem vero passum pro nobis esse dicunt, quia* PROPTER *nos mortem gustarit, ut doceret, per afflictiones penetrandum esse in regnum cœlorum, ut remissionem* a) *peccatorum obsignaret, ut fiduciam ac obedientiam in nobis excitaret: præsertim vero, ut mereretur summam illam potentiam, qua nos a pœnis peccatorum exsolveret.* b)

Aphor. XIIX. *Confiteor, Christum suo sacrificio Deum humano generi reconciliasse. Blasphemare autem Photinianos, qui negant, Christum esse talem mediatorem, qui Deum homini reconciliarit, qui per meritum obedientiæ suæ iram Dei placarit, atque Dei gratiam, qua remitterentur peccata, acquisiverit: Nec enim opus fuisse, ut placaretur Deus, qui mundum dilexerit, antequam mereretur Christus.* c)

Aphor. XIX. *Confiteor, Christi sanguinem emundare nos a peccatis. Errare autem Photinianos, qui negant, in sanguine Christi fuisse virtutem emundandi peccata; qui tantum peccata emundare dicatur, quia Christus per sanguinis hujus effusionem pervenerit ad divinam potentiam, qua obedientes a pœna peccati liberare possit.* d)

Aphor. XX. *Confiteor, Christi corpus post resurrectionem fuisse immortale. Errare autem Photinianos, qui dicunt, moriturum quidem non fuisse, mori tamen potuisse, eoque in corpore immortali vestigia clavorum locum habere non potuisse.*

Aphor. XXI. *Confiteor, Christum in cœlesti gloria etiamnum veram carnem & sanguinem verum habere: Errare autem Photinianos, qui id negant & impugnant.* e)

Aphor. XXII. *Confiteor, sacerdotium Christi, sicut & regnum ejus sine fine fore æternum. Errare autem Photinianos, qui hoc negant, & dicunt. Ideo dictum esse: Tu es Sacerdos in æternum &c. quia Christus in suo sacerdotio nullum successorem habiturus fuerit.* f)

reant inhæreantque, emendatione per Christi operationem moralem promissionibus, comminationibus, exemplis, ipsius Christi, tum aliorum quoque sanctorum, aliisque hujusmodi modis naturalibus procurata exstirpentur.

a) Seu promissionem potius de remissione ista &c.

b) Id. c. XXXVII. §. 6. & 10. It. §. 5. & 8.

c) Id. c. XXXVII. §. 9. 5. 3. 2. & 15.

d) Ib. §. 7.

e) Ib. c. XL. §. 5. & c. XLI. §. 1.

f) Id. c. XL. §. 10.

Aphor. XXIII. *Confiteor, Christum in cœlis vere esse intercessorem nostrum: Errare autem Photinianos, qui dicunt, intercessione pro nobis non esse opus; dici tamen Christum pro nobis intercedere figurate, eo quod potentia & auctoritate sua, quæ a Deo accepit, nos ab omni malo liberare semper velit.* a)

Aphor. XXIV. *Confiteor, Christum, nisi verus esset Deus, non posse fide & adoratione coli: Errare autem Photinianos, qui illum Deum esse negant, & tamen adorandum, & in ipsum credendum esse, assentiuntur.* b)

Aphor. XXV. *Confiteor, per lapsum primorum parentum amissam esse imaginem Dei, & naturam hominis corruptam esse: Errare autem Photinianos, qui dicunt, hodieque imaginem illam ac similitudinem Dei in homine reperiri, & negant, hominis naturam per peccatum esse corruptam; eo quod actus unus* c) *non faciat habitum.* d)

Aphor. XXVI. *Confiteor, omnes homines, qui propagantur secundum naturam, nasci cum peccato, quod Originale inde vocamus: Errare autem Photinianos, qui Peccatum Originis in homine negant, adeoque fabulam monachorum esse,* e) *ganniunt.* f)

Aphor. XXVII. *Confiteor, liberum arbitrium, quod fuit in primo homine, per lapsum esse corruptum: Errare autem Photinianos, qui id negant.* g)

Aphor. XXVIII. *Confiteor, hominem, citra internam Sp. S. gratiam, non posse converti: Errare autem Photinianos, qui illam requiri negant, & solum Evangelium* h) *ad conversionem hominis sufficere putant.* i)

Aphor. XXIX. *Confiteor, doctrinam legis per Mosen propositam, omnibus numeris esse absolutam: Errare autem Photinianos, qui docent, Legi multa defuisse, quæ per Christum suppleta fuerint.* k)

Aph.

a) Id. c. XL. §. 5. sqq.

b) Id. c. XIV. §. 15.

c) Quod temerarium assertum vel quotidiana *fastidii a certis cibis* ex singulari nauseæ actu orti exempla convellunt.

d) Id. c. XXXIII. §. 2. 4.

e) Ib. §. 4. 5. *Joh. Sommer Tr. de Justif.* p. 40. 43. recit. Dn. *Menzero.*

f) Forte *garriunt.*

g) *Ostor.* c. XXXIII. §. 4. Intelligi autem per Lib. Arbitrium, in naturalibus debilitatum, in spiritualibus mortuum, omnibusque viribus naturalibus destitutum, constat.

h) Evangelium: h. e. Evangelicam promissionem, præstantia sua intellectum informantem, & voluntatem ad credendum, cum exemplis, *moraliter*, atque repræsentatione sola, eos, qui dociles sunt, (hæc enim est *Socinianorum* sententia) trahentem seu moventem.

i) Id. c. XXI. §. 3.

k) *Ostor.* c. XXI. §. 1.

Aphor. XXX. *Confiteor, impletionem legis homini impossibilem nostro loco a Christo esse præstitam: Errare autem Photinianos, qui istud negant, & Christum legem implevisse contendunt, quatenus, quod erat mancum, novorum præceptorum additione perfecit, ut dictum est alibi.* a)

Aphor. XXXI. *Confiteor, justificari hominem a Deo per gratiam propter satisfactionem Christi. Errare autem Photinianos, qui satisfactionem Christi explodunt, atque ita per absolutam Dei misericordiam hominem justificari volunt.* b)

Aphor. XXXII. *Confiteor, fidem, qua justificatur homo, esse præter assensum, quo omne Dei verbum suscipitur, fiduciam, qua prensatur promissio Dei de gratuita Rem. Pecc. propter Christum. Errare autem Photinianos, qui putant, cæcutire eos, qui ita sentiunt, dicendo, talem fidei definitionem nullatenus e S. Script. posse probari, nec sibi ipsam constare.* c)

Aphor. XXXIII. *Confiteor, fidem, qua justificatur homo, in negotio justificationis opponi bonis operibus. Errare autem Photinianos, qui bona opera partem ejus substantialem faciunt; quoties docent, fidem, quam Deus in justificatione requirit, esse fiduciam in Christo, seu Deo, qui per Christum vitam æternam promisit, propter obedientiam mandatorum Christi.* d)

Aphor. XXXIV. *Confiteor, justificatos & renatos adhuc subinde hallucinari, & peccare in hac vita. Errare autem Photinianos, qui docent: Renatos quidem habere peccata, puta, ante renascentiam commissa, quorum veniam quotidie petant, non autem peccata facere, quamdiu sunt renati.* e)

Aphor. XXXV. *Confiteor, etiam Renatis Legis observantiam in hac vita esse impossibilem, adeoque ipsos non peccare non posse. Errare autem Photinianos, qui docent, hominem præceptis Dei, si auxilio ejus, quo omnibus succurrit, adjuvetur, facile posse obtemperare; Item: in omnibus fere hominibus esse exiguas quidem vires ad servandum præcepta Dei, non tamen ita exiguas, quin homo, Deo auxilium, quod nemini denegetur, suppeditante præceptis Dei vere obedire possit.* f)

Aph.

a) Id. c. XXII. §. 1. 2.
b) Ib. §. 4.
c) Id. c. II. §. 3. c. XXXII. §. 3.
d) Id. c. XXXIV. §. 4. Id. c. XXI. §. 1. 2. Id. c. II. §. 1. Id. c. XXXII. §. 3.
e) *Auth. Libelli Germanici passim.* * Qui forte idem ille fuit, quem *de Obedientia* alias dicere consueverunt. Ad rem ipsam quod attinet, quia de phrasibus *Johanneis* in Epist. prima usurpatis hic disputari patet, heic repetenda forte sunt, quæ supra §. 38. & 39. disceptationis materiam præbuerunt.
f) *Osterod.* c. XXVI. §. 1. & c. XXXIV. §. 1.

Aphor. XXXVI. *Confiteor, renatos, ubi Deum peccatis novis offenderint, per pœnitentiam posse redire in gratiam; Errare autem Photinianos, qui docent, multa esse peccata ad mortem, quibus venia nulla unquam detur: Cujusmodi sunt Avaritia, Furtum, Cædes, Adulterium, Hæreses, Iræ &c. Item damnari universos, qui propter facinora sua luunt capitis supplicium.* a)

Aphor. XXXVII. *Confiteor, Sacramentum Baptismi a Christo esse institutum & mandatum: Delirare autem Photinianos,* b) *qui id negant, & fingunt Christum, cum Apostolos baptizare juberet, locutum esse de baptismo doctrinæ, non aquæ.*

Aphor. XXXVIII. *Confiteor, per Baptismum aquæ hominem, qui illum fide accipit, regenerari; Errare autem Photinianos, qui scribunt, Baptismum aquæ non habere tantam virtutem, ut per illum homo possit fieri sanctus, pius, justus, & salvus: Item Christum, cum inquit Marc. XVI. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; non loqui de baptismo aquæ, sed pœnitentiæ.* c)

Aphor. XXXIX. *Confiteor, etiam infantes baptizandos esse; Errare autem Photinianos, quorum saltem aliqui filios suos in infantili ætate non baptizant: quive infantes vero, eoque, quo decet, modo, baptizari negant,* d) *dicentes: Pædobaptismum, quem Apostoli administrarint, longissime differre:* e) *qui denique baptismum ad infantes non pertinere scribunt.* f)

Aphor. XL. *Confiteor, verba Domini, in institutione Eucharistiæ, dicentis: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Accipite & bibite, hic est sanguis meus, ῥητῶς esse intelligenda & exponenda: Errare autem Photinianos, qui contendunt,* g) *figurate esse accipienda, non proprie. Panem enim dici corpus, & vinum dici sanguinem Christi, nullam aliam ob caussam, quam quia panis, quatenus frangitur & comeditur, vinumque, quatenus effunditur & bibitur, sint figura & adumbratio corporis & sanguinis Dominici, quando celebratur memoria corporis & sanguinis Christi.*

Aph.

a) *Joh. Sommer* in Confut. &c. p. 69. 70. recit. Dn. *Menzero.*
b) *Ostorod.* c. XXXIX. §. 1. 3. 4. 5.
c) Id. ib. §. 16.
d) Id. §. 8.
e) Ibid.
f) *Moscorov. in Catech. Racov. p.* 196. recit. Dn. *Menzero.* Dicitur h. l. *Catech. Moscorovii,* quia latine fuerat ab illo, ut alibi jam animadversum est, redditus. Cæterum ea, quorsum spectat hæc citatio, de *Officio Christi* Cap. IV. quæst. 2. sqq. leguntur.
g) Id. (*Ostorodus* videlicet,) c. XXXVIII. §. 3. 6.

Aphor. XLI. *Confiteor, cibum ac potum in Cœna sacra sumendum esse, non tantum panem & vinum, sed præcipue corpus & sanguinem Domini; Errare autem Photinianos, qui docent,* a) *cibum & potum in S. Cœna nihil esse aliud, quam merum panem & vinum.*

Aphor. XLII. *Confiteor, corpus Domini in sacra Cœna, mediante pane, manducari ore, modo tamen supercœlesti & imperscrutabili; Errare autem Photinianos,* b) *qui id negant, eo quod talis manducatio, ubi sensus nihil aliud quam panem & vinum percipit, sit impossibilis, quia sit horribilis, quia sit inutilis, quia pugnet cum articulo ascensionis in cœlo, in quo Christus carnem & sanguinem non habeat.*

Aphor. XLIII. *Confiteor, in S. Cœna per sumtionem cibi & potus Eucharistici confirmari fidem, & conferri remissionem peccatorum atque spiritualia beneficia; Errare vero Photinianos,* c) *qui negant, per hanc ceremoniam fidem nostram confirmari, eo quod cibus & potus in mente hominis nihil efficere possit. Et dicunt, puerilem adeoque & fatuum esse errorem, si quis credat, se ibi accipere remissionem peccatorum; Item in S. Cœna panem & vinum sumi, non ut simul spiritualia aliqua beneficia accipiamus, sed ut pro acceptis gratias agamus: Item S. Cœnam præcipue hunc ob finem esse institutam, ut in Ecclesia memoria mortis Dominicæ solenniter & publice celebretur.*

Aphor. XLIV. *Confiteor, inde ab Apostolorum ætate Ecclesiam in mundo semper fuisse: Errare autem Photinianos,* d) *qui utrosque temeritatis accusant, qui vel Ecclesiam pridem penitus collapsam, ideoque nullam veram Ecclesiam hodie in mundo esse, vel eandem perpetuo manere debuisse, audacter affirmant.*

Aphor. XLV. *Confiteor, officium docendi in Ecclesia ordinarie nemini competere, nisi qui legitime sit missus aut vocatus: Errare autem Photinianos,* e) *qui scribunt, in Ecclesia quemvis docere posse, etsi non sit missus ad docendum: nec delinquere, si quis ultro & sine missione officium docendi suscipiat; Nec esse necessarium, ut, qui prædicat Evangelium, etsi hoc non plane intelligat, sit missus, aut missionem suam probet.*

Aphor. XLVI. *Confiteor, Christiano licere Christianum coram Christiano Magistratu vocare in judicium: Errare autem Photinianos,* f) *qui, tantum extraneos in jus vocari posse, dicunt, non autem ejus religionis consentaneos, priusquam per Ecclesiasticam disciplinam admoniti, &, si non obtemperent, excommunicati fuerint.*

a) Ib. §. 3. b) Ib & § 4. e) Ib. p. 438. Ib. p. 440.
c) Ib. §. 6. d) Id. c. XLII. § 4. f) Id. c. XXIX. §. 3.

Aphor. XLVII. *Confiteor, Magistratui, ubi flagitat necessitas, licere gerere bellum; Errare autem Photinianos*, a) *qui assentiuntur iis, qui improbant bellum.*

Aphor. XLVIII. *Confiteor, omnes homines in novissimo die resurrecturos esse: Errare autem Photinianos*, b) *si forte id negare velint, ubi scribunt, se credere, neminem eorum, qui in Christum credunt, & ante adventum Domini moriuntur, in morte mansurum, sed per Christum resuscitatum, & ad vitam æternam translatum iri.*

Aphor. XLIX. *Confiteor, carnem nostram resurrecturam juxta verba symboli: Credo resurrectionem carnis: Errare autem Photinianos*, c) *qui verba Symboli non ῥητῶς, sed hunc in sensum exponunt: Id, quod fuit caro, resurrecturum, non autem ipsam carnem; eo quod dictum sit, caro & sanguis regnum Dei non hæreditabunt.* 1 *Cor. XV.*

Aphor. L. *Confiteor, corpora, quæ in hac vita gestavimus, eadem numero futura, cum iis, quæ gestabimus in gloria: Errare autem Photinianos*, d) *qui istud negant, eo quod corpora beatorum futura sint spiritualia, cœlestia, immortalia, incorruptibilia.*

§. LXXIII.

Atque hic tandem pedem nobis figere, ubi & finis disputationibus impositus, constitutum erat. Quid enim moram injicere possit, quo minus ad consequentia progrediamur, posteaquam, ex infelici illa fascinatorum juvenum factione eos quoque ad frugem rediisse, non sine voluptate animi penitissima conspeximus, quorum anceps oppido & dubia ab initio videbatur fore emendatio. Sed sunt tamen quædam, quæ brevem adhuc inquirendi laborem deposcant, eademque duo omnino præcipue notabilia. Alterum horum *Racoviensium* & reliquorum in *Polonia Socinianorum* pro fratribus hisce suis, quos a societate sua abalienari dolebant, improba subministravit industria: de qua tamen, nisi *Smalcii* illa, quam subjiciemus, vita a venerando *Creenio* nobis benevole concessa fuisset, nemini forte quicquam innotuisset; Alterum vindicias hujus colloquii, & adhibiti in revocandis in viam rectam hisce juvenibus laboris maximi desiderat; in quam curam ipse, qui postremus his aphorismis subscripsit, *Vogelius* nos incumbere jussit. Ad priorem quod attinet, pro conservandis nempe in fraterna conjunctione sodalibus, vigilantem & sedulam curam, ex *Smalcii* illa compertum est vitæ suæ narratione, non solum maxime solicitasse hæc fratrum sinistra, uti vide-

a) Id. c. XXVII. §. 4. b) Id. c. XLI. §. 4. c) Ib. d) Ib.

videbantur, fata, triſtemque ac prorſus alium, quam animo conceperant, rerum eventum; ſed etiam, iſtos, quantum poterant, ſuccurrere laborantibus conatos eſſe, idem refert. Quem in finem ex ipſa *Polonia* tabellarium *Noribergam* primum miſiſſe, ut, quo loco res eſſent, & quæ conſilia porro capere oporteret, per eum explorarent, idem teſtatur. a) Cum vero is rediiſſet, &, quemadmodum de convincendis, qui pervicacius opinionibus ſuis inhærerent, adhuc laboretur, quædam narraſſet, tandem de ablegandis etiam ex ordine fratrum viris quibusdam gravibus actum eſſe, addit. Cui itineri, &, ſi qua fieri poſſet, interpellationi, deſtinatus eſſe dicitur *Petrus Stratorius*, b) nepos, comite ſtipatus *Joh. Lunkwizio*, inſtructusque litteris ad *Illuſtrem Senatum Noribergenſem* perſcriptis, quibus deprecatorum interpellatio continebatur, &, ut liberi dimitterentur captivi, rogabatur. Atque, hos etiam *Noribergam* adventaſſe, dubium non eſt, ſed, utrum epiſtolam a cœtu ſuo *Racovienſi* ſcriptam exhibuerint, admodum incertum. Cum enim, ſero nimis eos appuliſſe, rebus jam omnibus expeditis, &, qui corrupta ante fuerant mente, ad meliora reductis, fideque interpoſita dimiſſis, ipſe narraverit *Smalcius*; veriſimilius eſt, rebus prorſus infectis, ingratos hoſce hoſpites ad ſuos diſceſſiſſe, & ne litteras quidem, quorum argumentum rationibus rerum mutatis non fuerat amplius congruens, tradidiſſe, multoque minus alias, quibus reſponſum eſſet deprecantibus, recepiſſe, atque ad ſuos retuliſſe. Quemadmodum etiam inquirentibus nobis nec vola nec veſtigium de his actis reperire adhuc licuit. Æquæ vero, an iniquæ fuerint, quibus jam tunc libertati ſuæ reſtituti complices erant, conditiones, ipſe *Lector Benevolus*, prudentiam cum conſcientiæ informatione ſolida ſi comparabit, dubio procul vel nobis haud monentibus intelliget, *Smalcioque* querulanti neutiquam aſſentietur. Quamobrem etiam miſſum hunc facimus impudentiſſimorum hominum cona-

a) Clam omnibus procul dubio; nihil enim compertum eſt, aut a quoquam, præter *Smalcium*, horum, cum *Crellio* & *Sienienio* atque *Moſcorovio*, conſiliorum primarium architectum.

b) De *Stratorio* hoc ſeu *Statorio*, quem *Petrum* vocat h. l. *Smalcius*, dubium non eſt, nec *avum*, neque *filium*, amiciſſimum *Socino*, intelligi poſſe, quoniam iſte jam A. 1605. fatis conceſſerat, ſed hujus filium, iſtius vero *nepotem*. Vtrum vero idem ille ſit, quem ſupra audivimus *Johannem* ab aliis appellari, Eccl. Racov Miniſtrum percelebrem, (ita ut hallucinatus videatur *Smalcius*, *Petri* nomen ſubſtituendo,) non tam aſſeveranter nunc affirmare audemus, poſtquam, fratrem forte facundiſſimi illius *Stoinii* hunc eſſe potuiſſe, etſi priori obſcuriorem, ſcriptisque haud celebrem, de quo paullo poſt, in mentem venit,

tum, & ad alterum nos convertimus, quod supereſt, dubium. a) Quando enim *Vogelius* in curriculi vitæ ſuæ extrema parte, poſt enarrata in compendio quædam, ex hæreſi aliquandiu approbata, ſingularia fata, colloquii etiam paullo ante repetiti mentionem injecit, ſuamque ipſius, in conquirendis pro veritate recuperata argumentis, induſtriam privatam commemoravit, ſatis aperte tandem, de fide minime ſolicita minusque accurata diligentia, in conſcribendis colloquii hujus actis dictisque adhibita, conqueſtum videas. Vnde haud temere ſuſpicio excitari poſſet, quaſi & nos, Commentariorum iſtorum ductum ſecuti, Lectori fucum feciſſemus, ducesque negligentiores præeuntes in hiſtoriæ hujus præcipua Sectione nobis quoque errandi anſam dediſſent. Vt ergo dubiis hiſce obviam eatur, ſcrupulique fortaſſis moti eximantur, agedum diſpiciamus, quantum ſit *Vogelianæ* illi querimoniæ tribuendum. Etenim, quo loco cenſuque habendi ſint Commentarii illi in univerſum, exquirere operæ pretium eſt non exiguum. Præmittere autem verba ipſius *Vogelii* juvabit, b) qui: „Wie es, inquit, in wæhrender meiner Calamita-„te, ſo von dem 29. Februarii biſs auf den halben October gewæret, „mit mir daher gegangen, weiſs GOtt und die Obrigkeit am be-„ſten c) Diſs nur iſt allhie zu vermelden, daſs nach vielen diſpu-„tationibus, d) mit Herr M. Johanne Fabritio und Johanne Schrœ-„dero, die auch Herrn Georg Kœnig von Altorff zum Beyſtand ge-„habt, e) beneben ihren Notariis, Herrn M. Fabro, M. Rindero, und „M. Læmmermann, ich mich gutem Theils auf ſelbſt gefundene „Gründe f) dahin bringen laſſen, den ſententiis Photinianis Vrlaub „zu geben, und mit gewiſſen Bedingungen, welche im Protocoll aufge-

a) Quod reliquum eſt, hos & non alios cur miſerint *Racovia Noribergam*, non aliam cauſſam fuiſſe, opinamur, quam locorum notitiam, qua *Statorius*, ſeu *Petrus Stoinsky*, ille junior, pollebat, utpote qui olim ab anni 1604. d. 22. Novembr. & ſeqq. cum fratre *Chriſtophoro*, & *Samuele Nececio*, civis *Academiæ Altorphinæ* fuerat.

b) Deſumta ea ſunt ex fragmentis quibusdam a Celebr. D. *Gundlingio* in *Gundlingianorum* P. I. n II § V. f. 46. typis expreſſis: quorum jam aliquoties facta eſt mentio.

c) Hæc vero, qualia ſint, ne iniqua videantur fuiſſe, ex ſuperioribus narrationibus eorum, quæ durante cuſtodia geſta dictaque ſunt, colligi & intelligi poteſt.

d) Quindecim illis, hactenus in compendium redactis, recenſuque accurato propoſitis.

e) In prioribus colloquiis, in poſterioribus & plerisque non item.

f) Conf. §. 46. Colloq. V. circa finem; ubi eadem fere in conſeſſu publico pronunciavit *Vogelius*: Ex quibus, ſine contemtu collocutorum hæc quoque ſcripta eſſe, liquet.

gezeichnet ſind, a) den Aphoriſmis Theologicis zu unterſchreiben," und meinen Conſens mit einem Jurament zu betheuren: Ich mœchte aber wohl wünſchen, daſs das Protocollum majori fide und diligentia wære zuſammen getragen worden. Es ſind etliche Sachen" darinnen, welche ich nicht für die meinen erkennen kan, dieweil" ſie nur levi manu angerühret, b) und gar mutilate beſchrieben c)" ſeyn. Halte Herr Schrœderus werde ſelbſt nicht allerdings und" durchaus damit haben kœnnen zufrieden ſeyn; hat auch in fer" vore diſputationis nicht alles fideliter und plenarie kœnnen d) excipirt werden. GOTT ſey gedanckt, der mich aus dem Elend" wieder geholt und gewieſen, was ſchwarz oder weiſs ſey. Ich" halte gænzlich dafür, quod Iliacos intra muros peccetur &" extra. Wann etliche Sententiæ auch auf dieſer Seiten, wie" anjezo, wæren erklæret, die doctrina de Chriſtianiſmo e) vero beſſer getrieben, und zu Altorff von den Theologis nicht unnœthige Controverſiæ movirt worden, ich wære nimmermehr in" ſolche extrema gerathen &c." Hactenus Vogelius ipſe, de pluribus quidem aliis, ſed obiter tantum, & quaſi aliud agendo, de Commentariis vero Colloquiorum oſcitanter interdum conſcriptis ex profeſſo querulatus. Sed bene a Viro optimo æquisſimoque factum, quod non hominum ſolum culpa atque incuria nævos hoſce tam pretioſo monumento accidiſſe faſſus eſt, verum etiam rerum ipſarum rationes, & colloquiorum hujusmodi indolem, communiaque omnibus propemodum fata atque vitia in partem culpæ vocavit. Quis enim neſcit, vix

a) Comparari cum his poſſunt, quæ habentur §.69. & Colloquio XIV., ubi de conditionibus iſtis actitatum eſt. Ex quibus etiam hæc generalia diſtinctius, ne in pejorem partem rapiantur, L. B. intelligere licebit.

b) Neque nos ſupra digresſiones haſce omiſimus, ſi quid in receſſu habere viderentur; Sin minus, ut excurſus, vel attigiſſe ſatis eſſe duximus.

c) Nec fieri potuit, ut verba ſingula tam accurate conſcriberentur: quod nec felicisſimum olim in hac ταχυγραφίᾳ Caſp. *Crucigerum*, ſeniorem, præſtare potuiſſe, putaverim.

d) Laudamus hæc agnoſcentem modeſtisſimum *Vogelium*.

e) *Practico* puta, h. e. non de ſolis diſputationibus circa doctrinam, ſed vita etiam emendanda magis ſolicito: quem neglectum noſtratium quidam, edita in hanc rem & Germanice reddita b. Joh. *Tarnovii* de *Novo Evangelio* præclara Oratione, *Orthodoxiſſimum* appellavit. Diſcant ergo Theologi, vel hoc triſti exemplo edocti, cautius mercari, & quando cum adverſariis diſputant, *Parænesium ſacrarum*, (de quibus G. *Grabovii* extat in *Opuſculis* elegans libellus,) vitæque etiam Auditorum corrigendæ non obliviſcantur. Hinc enim, uti jam alibi, in Schediaſm. de *Piorum Deſideriorum Script.*, animadvertimus, præpoſtera utplurimum conſilia, aut prætextus ſaltim periculoſi naſcuntur.

vix centeſimum quemque, præſertim minus exercitatum, tam celerem expeditæque in ſcribendo alacritatis eſſe, ut, quæ inter diſputandum profunduntur, calamus exacte aſſequatur, etiamſi notis vocabulorum & ſiglis rerumque ſingularibus ſignis utatur. Rari ſunt hodie, quibus, quod Poeta a) de quibusdam ſuo ævo narrat,

Currant verba licet, manus eſt velocior illis;
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Ad quæ plerumque accedunt feſtinationes in fine & horis deſtinatis jam elapſis creberrimæ: cujusmodi in his quoque colloquiis haud raro videmur obſervaſſe. Quo factum eſt, ut exceptiones pariter ac reſponſiones ſæpenumero exquiſitæ prætermiſſæ ſint, &, quemadmodum ὡς ἐν παρόδῳ aut inter ſarcinas quaſi colligendas prolatæ erant, ita quoque a Notariis, b) vel omnino non conſignarentur litteris, vel levi brachio duntaxat attingerentur. Nec abnuimus, fieri poſſe, atque in his quoque diſputationibus uſu veniſſe, ut nec mentem colloquentium iidem peræque omnes & ſatis accurate interdum aſſequerentur. His tamen non obſtantibus, ſi, quod res eſt, dicendum ſit, non tanta fuit ſcriptorum ad has diſputationes adhibitorum negligentia, ut fides propterea eorum, quæ ſuperſunt ex iſta conſignatione, laboret, cum non modo reſponſa optime ad objecta congruant, ſed etiam novæ illisque oppoſitæ exceptiones haud incommode videantur utplurimum, ex mente ſaltem *Socinianorum*, ad ſcopum quadrare. Plura de reliquo inter colloquendum in utramque partem pronunciata fuiſſe, ſed quæ dicta illuſtrarint magis, quam novo robore confirmarint, haud dubitamus. Talia vero tam ſolicite annotare, Viris doctiſſimis, judicioque valentibus, non injuria operæ pretium minime viſum eſt: quos ad finem potius principem, quam curioſitatem, omnia referre decebat. Si quæ vero ſunt obiter a diſputantibus allata in medium, qualia interdum occurrebant, neque a nobis ſilentio prorſus ſepulta, aut, ſi quid judicamus, tanquam in tranſitu, quod ajunt, dicta, inter cætera hodieque comparent poſita, atq; ita comparata ſunt, ut, ipſos diſquirentes ab inceptis mox deſtitiſſe, brevitas horum, quæ præſto ſunt notata, maxima non obſcure indicet. Quod denique nec optimum

a) Martialis L. XIV Epigram. 206. Addantur Diſſertt. Venerabilis *Abbatis Mariævall. D. J. A. Schmidii* de *Notariis Eccleſ.* A. 1714. & 1715. ed. Nec ignota ſunt, quæ de *Origenianis* in Scr. S. Commentariis & Homiliis judicant eruditi, ex Notariorum felici aut infelici ſcriptione illuſtranda.

b) Si non omnibus, quibusdam certe uti ex ſequentibus luculentius patebit.

mum *Schröderum* omnia, quæ in litteras ex ore ipſius relata fuerant, probaſſe, *Vogelius* inquit, aut potius ſuſpicatur, ita quidem eſt; Sed in poſtremis tantum congresſibus eum quædam, neque in cunctis a) etiam Actorum Scriptoribus peræque deſideraſſe, aliunde nobis conſtat. De reliquo dubium non eſt, quin unius alteriusve hallucinationes pariter ac lacunæ cæterorum ſtudio atque induſtria corrigi aut expleri potuerint, ac præterea procedente tempore etiam nævos, ſi qui fuere, ab iis, quibus raro contigerat adire Corinthum, correctos, commentariosque emaculatos eſſe, cognitum habemus. Quæ ne gratis exiſtimes L. B. a nobis afferta aut prorſus conficta, en verba ipſius *Joh. Sauberti*, ſenioris, rerum, de quibus agimus, geſtarum bene, ſi quis alius, gnari, qui exemplo ſuo, quo uſus eſt, Diſputationum harum, ſeu Colloquiorum, litterarum monumentis mandatorum, ſequentia ad calcem adſcripſit: *Protocollum hoc conceperunt M. Georgius Faber ad D. Laurent., M. Melch. Rinder ad D. Aegid.* b) *& M. Leonhard. Lemmermann Rector. Scholæ Sebald. Sed nota, in poſterioribus ſeſſionibus M. Fabrum* c) *pleraque concepiſſe & ſcripſiſſe ex ſuo ingenio, neque conceptis verbis adhæſiſſe:* d) *quod ſane fieri non decebat. Vnde Rev. D. Schröderus dixiſſe fertur: In hoc ſcripto vix me ipſum agnoſco. Sed ut hic verba ſunt, ſunt ex avtographo M. Melch. Rinderi deſcripta.* e) Hæc *Saubertus*. Ex quibus tria potisſimum elucent: Primum *non* perinde *omnibus* eadem, ſi quæ ſunt obſervata, menda promiſcue eſſe imputanda: deinde de verbis potius quam rebus, in hac diſcrepantia utrinque animadverſa, ſermonem inſtitui; poſtremo, ſi quæ fuerant, errata, ex *præſtantiori Rinderi* exemplari, ea maxima ex parte emendari potuiſſe. Quo cum & nos uſi ſimus, cum *Saubertino illo* f) diligenter comparato, tanto confidentius etiam nos mentem diſputantium aſſecutos eſſe, eamque, quanto fieri potuit compendio, verbis etiam, quoad licuit, ſervatis, expresſiſſe religioſe aſſeveramus. Quod ſupereſt, utcunque ſe in conflictu habuerint diſquirentium verba, nobis ad inſtitutum præſens ſatis

a) Quod probe notandum, & ex ſequentibus *Sauberti* verbis colluſtrandum eſt.

b) Diaconi Eccleſiarum. Conf. ſupra §. XLI.

c) Hic unus ergo incuriæ quodammodo, ſed tandem h. e. in fine colloquii duntaxat commiſſæ, inſimulatur.

d) Falſa proinde ſcripſiſſe non accuſatur, ſed de rebus ſolicitum ſententiaque exprimenda, verborum minus curioſum fuiſſe, innuitur.

e) Hoc itaque exemplum & *Schrœderum* approbaſſe, non obſcure innuitur.

f) In *Bibliotheca Academiæ Altorph.* publica juſſu & mandato b. *Omeiſii*, nepotis, ex matre, Saubertini, depoſito, atque etiamnum aſſervato.

tis eſſe potuit, id demonſtratum dediſſe: Argumentorum & rerum pondera talia tantaque fuiſſe, ut veritati victas manus darent juvenes hi eruditi, qui in alia omnia, circumventi adhuc, iverant, idemque eventum lætum fauſtumque non minus quam conſtantem plane condocefeciſſe: Neque ſane ipſe etiam *Vogelius* id diffeſſus eſt; quamvis ſuam quoque ipſius in veritate inveſtiganda privatam induſtriam acceſſiſſe affirmanti lubentiſſime credamus, eumque hoc nomine dignis etiam laudibus mactemus. Cæterum *J. Schröderi*, tot aliis egregiis, in Polemica præſertim Theologiæ parte, documentis probatisſimi Diſputatoris, præcipuam fuiſſe, in aberrantibus a tramite recto ad viam veritatis reducendis, ſolertiam dexteritatemque maximam, vel nobis haud monentibus, res ipſa docet, & Colloquiorum continuata ſeries id ipſum vel obiter etiam inſpectantibus teſtatum facit. Quam etiam ob rem juſtis illum elogiis extulit Orationis Parentalis Auctor Recitatorque diſertus, D. *Chriſtianus Matthiæ*, quippe qui poſt fata, quibus A. 1621. pridie feſti *Johannis* Noribergæ defunctus erat optimus Antiſtes, haud veritus eſt in Conſeſſu ſplendidiſſimorum Auditorum, *Academiam Altorphinam a Photiniſmo & Calviniſmo Schrœderum, divino robore cinctum, repurgaſſe*, palam profiteri. a) Idemque ut explanatius doceret, quæ mala Academiam infeſtantia his verbis innuat, hæc omnia tot habitas inter ipſum & Photinianos, itemque inter ipſum & *Sprembergerum* b) inſtitutas in Curia Norica diſputationes, quibus & hunc & illos devicerit proſtraveritque, eloqui paullo poſt dilucidius affirmat. Nec minora ſunt, quæ *Balth. Menzerus*, Gieſſenſium Theologus inſignis, poſtremo omnium & exaſciatiſſimo *Schrœderianorum* Opuſculorum, *Sceptro Regali Chriſti*, præfixit præconia; ubi inter alia, non invenuſta Carminis heroici Svada, cecinit:

Profuit & ſtudiis & honori, Academia, ſacris,
Altorphina, tuis: quando regreſſus ab orco
Photinus teneram inficeret fœtore juventam

Horren-

a) Recitata eſt hæc Oratio Panegyrica *de Vita & Obitu Joh. Schrœderi* Altorph. d. 30. Auguſti A 1621., & 1622. Norib. typis in 4ta forma excuſa prodiit, eademque in Memoriis Theologorum *Wittianis* Dec. VII. extat.

b) Qui proinde tanquam *Calviniſmi* commendandi dux & auctor, vel ipſo *Matthia* indice, ſolus intelligendus eſt: cum de cæteris, uti Cap. I. jam dictum, res obſcura, ambigua, aut hoc præſertim tempore, quo *Schröderus Noribergæ* docuit, prorſus falſa ſit. Hujus igitur *Sprembergeri* (quem *Sophiſtam* alibi vocat *Schrœder*) conatus feliciter repreſſos, donec ipſe ſua ſibi laſcivia exitium attraheret adulter, ſpectat Orator. De quibus & *Vita Spremberger.* ipſius legatur.

Horrendo, Christumque Deum fœdo ore negaret:
Quem pia repressit Schrœderi *cura rebellem,*
Atque, juvante Deo, seductos ore diserto
Abjicere errores docuit, verumque fateri.

Quibus alia, cum sensu, tum verbis etiam, prorsus consentanea addere perfacile esset, si id nunc ageremus, & non Dei potius Optimi Maximi, perversarum abductarumque a veritate mentium, misericordiæ, ministerio licet verbi sui præconum utenti, revocatarum in regiam viam gloria tribuenda esset. Cui hoc, quicquid est beneficii, in acceptis referentes, Caput III. sic tandem finimus, verbisque *Bernhardi*, ad umbilicum perducta totius disputationis pariter ac custodiæ antegressæ historia, factorum quasi compendium atteximus. *Sponsus,* ait, a) *capi jubet vulpes pusillas, quæ demoliuntur vineas, i. e. deprehendi, convinci, prodi. Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum jam minime noceat, ita ut agnosci sit illi expugnari. Contra aperte sævientes bestias non investigatione opus est, sed refrenatione. Solas has vulpes parvulas, dissimulatrices maximas (quia proditæ jam non nocent) sufficit educi in lucem, & capi in calliditate sua. Nam foveas habent. Tali itaque de caussa vulpes istæ & capi jubentur, & parvulæ describuntur. Vel ideo parvulæ, ut nascentia vitia in ipso ortu, donec utique parvula sunt, vigilanter observans, illico comprehendas, ne crescentia plus noceant, & difficilius capiantur. Et si juxta allegoriam Ecclesias, vineas, vulpes, hæreses, vel potius hæreticos ipsos intelligamus; simplex est sensus, ut hæretici capiantur potius quam effugentur. Capiantur dico non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum; ipsi vero, si fieri potest, reconcilientur catholicæ,* b) *& revocentur ad veram fidem.* Quibus addantur ingeniosæ *Augustini* de revocandis in viam regiam seductis cogitationes posteriores: c) *Si quisquam,* inquit ille, *inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumque curaret? Et tamen tunc ei molestissimus & adversissimus videretur, quando utilissimus & misericordissimus exstitisset? Sed plane salute reparata tanto uberius ei gratias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensisset, - - - At enim quibusdam ista non*

 pro-

a) Serm. LXIV. ad Cant. cap. VIII.

b) Add. forte, *Ecclesiæ.* Id enim vocabulum in nostra ed. *Hervagiana* Basileensi 1552. deest.

c) Epist. ad *Vincentium Rogatianum* num. CXIII. ed. *Benedict. Paris.* quæ alibi num. XLVIII. comparet.

prosunt; Nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia. - - - - Si terrerentur, & non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur & non terrerentur, vetustate consvetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius moverentur: quandoquidem multi, quos bene novimus, reddita sibi ratione & manifestata divinis testimoniis veritate, respondebant nobis, cupere se in Ecclesiæ catholicæ communionem transire, sed violentas perditorum hominum inimicitias [corruptos mores a)] *formidare. - - - - Cum vero terrori utili doctrina salutaris adjungitur, ut non solum tenebras erroris vis veritatis expellat, verum etiam malæ consvetudinis* b) *vincula vis timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salute lætamur, benedicentium nobiscum & gratias agentium Deo, quod sua pollicitatione completa, qua Reges terræ Christo servituros esse promisit, sic curavit morbidos, sic sanavit infirmos. Non omnis, qui parcit, amicus est. Nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat.*

Sed hæc in præsens sufficiant. Ad IV. enim Caput pedem promovere necesse est, ut in eo hanc eandem cum doctrinæ salutiferæ efficacia severitatem piam & modicam, Christianosque c) non dedecentem zelum, nostros quoque hos juvenes olim in transversum abreptos, sed ad salutarem viam Dei immortalis beneficio tandem reductos, audiamus prædicantes, &, quæ fuerint reliqua eorum sodaliumque cæterorum fata, dum viverent, intelligamus.

a) Quæ horum nostratium & aliorum plurium sunt erantque effugia, vel solo Cap. XIII. Matthæi, statuque in his terris Eccl. mixto, & in ipsa quoque Apocalypsi data Ecclesiæ Jesu Christi heic militantis descriptione, collata cum fatis moribusque Judæorum, Prophetarum tempore perditissimis, occludenda & refellenda.

b) Affectuumque cæco impetu ruentium, studioque novarum rerum tumultuantium.

c) Magistratus præsertim, omniumque maxime, si eæ περιςάσεις concurrant, quas in præsenti caussa magno numero hinc inde observavimus, seriam hujusmodi curam & providentiam haud vulgarem desideraffe, immo imperaffe.

CAP.

Caput IV.

Conversorum Receptionem in Ecclesiam, Hæreseos publicam Recantationem & Fata Consequentia denique enarrans.

§. I.

POstquam igitur res omnis, ita, ut paullo ante expositum, detegendo primum latibula, deinde cum pervicacibus disputando, tum hos convincendo, errantesque sic tandem ex transverso in viam veritatis reducendo, feliciter confecta est, quid porro actum sit, operæ pretium esse putamus, ad extremum paucis dispicere. Heic ante omnia commemorandum, non *Vogelium* duntaxat, itemque *Peuschelium*, jurisjurandi religione obstrictos fuisse, fidemque integritatis *Illustri Senatui*, de veritate agnita sincere approbata & abjecta ex animo hæresi, dedisse; sed cæteros quoque, qui suspecti aliquando fuerant, *Altorphinos* illos complices, & *Noribergenses* etiam quosdam, ejusdem consilii non sine verisimilitudine participes, eodem vinculo obligatos munitosque esse: ut *Aphorismis* subscribere, & sacramento eos confirmare juberentur. Id enim non obscure, sed disertis verbis, ipse *Peuschelius* verbis supra recitatis in colloquii XIII. enarratione innuit, Generosissimus Dn. *Georgius Volkamerus* in responsione confirmavit, a) & aliunde quoque haud dubiis indiciis nobis cognitum est. Eumque in finem, inter alias caussas, Germanice nobis videntur iidem Aphorismi redditi, ut & cæteris linguæ latinæ ignaris, v. g. *Leimero*, b) proponi possent. De absentibus solis quid constitutum sit, hucdum, solicite licet inquirentes, frustra fuimus, ac proinde, cum videamus, quosdam horum primariis deinceps functionibus admotos, eosque inter inprimis *Georgium Richterum*, hos quoque ex Academiis & itineribus peractis reduces colligimus sedulo exploratos, eodemque confessionis juratæ subsidio & cognitos & constrictos esse. Enimvero hos etiam omnes, [quotquot videlicet in patriam reversi sunt c)] ante, quam eo redierunt, erroribus valedixisse, & meliora jam sapere didicisse, hinc sane efficimus, quod nemo am-

 plius

a) Cap. III. §. 68. ubi verba notentur: *Weil ihr euch erbietet, das Jurament zu thun, soll es auch, wie mit den andern beschehen, gehalten werden.* Cæteros enim intelligendos esse, manifestum est, quandoquidem *Vogelius* in eo præstando sub finem Conventus XV. *Peuschelium* est sequutus.

b) Mercatori. Conf. C. III. §. 26.

c) Aliqui enim, uti Cap. II hinc inde annotatum est, in eam non reverterunt, atque

plius negotium, vel domesticis privatisque colloquiis, nedum publicis & diuturnis concertationibus, sive Theologis, sive Politicis & Reipubl. ipsius Gubernatoribus, ex eo tempore facessivisse legitur. Præterea his quoque ad sinceritatem exquirendam adminiculis prudenter adhibitis animosque communiendos, contra desultoriam levitatem, accessere testimonia ex Academiis, ubi studiis suis incubuerant, allata; a) unde ab hæreseos suspicione immunes vixisse, utcunque intelligi poterat. Atque hæc quidem omnia, & alia plura hujusmodi, hactenus saltem profuere plurimum, ut ex hoc tempore de *Socinianorum* dogmatum favore nihil prorsus in his terris audiretur amplius, & divino beneficio infelix lolium ita exstirparetur, ut ipsi quondam impietatis socii dolorem, super hac defectione ab errore pristino conceptum, non dissimularent. Quod *Crellii* & *Smalcii* verbis, & forte aliorum quoque testimoniis, deinceps demonstratum dabimus. Ne quis autem, quid præcipuis, post hæc tempora, factionis hujus asseclis evenerit, ignoret, iis nempe, qui in custodiam dati maximas inter omnes turbas dedere, b) de singulis singularia quædam, & ad compagem historiæ necessario pertinentia, subjiciemus.

§. II.

A *Cornelio Marci* initium facientes, eum, post abdicatam solenni formula impietatem hæreseos, protinus ad S. Cœnam admissum fuisse accepimus, impetrandæ delictorum veniæ, pignorisque divinæ gratiæ obtinendi, & fiduciæ in Christo θεανθρώπῳ stabiliendæ c) caussa. Quo facto *Altorphium* is remeavit, atque sequenti anno Magisterii d) hono-

in hos præcipue digitum intendisse *Crellium*, in *Epist. Cap. eod. §. XII. citata*, verisimile est: quanquam de reductis etiam ad saniorem mentem, denuo ab ea abducendis, diu post laborasse & *ipsum Crellium & Ruarum*, donec oleum & operam se perdere comperissent, non obscura præsto sint indicia.

a) Qualia *Hier. Ammonem* ex Academia *Jenensi*, ipsiusque *Graweri* Theologi manu, accepisse scimus; *Richtero* autem a *Lugdunensi in Batavis Athenæo* traditum esse in Vita ipsius & epistolis legimus annotatum. Eademque ut cæteri quoque domum redeuntes exhiberent, ab omnibus postulatum esse, minime dubitamus.

b) Cæterorum enim fata jam supra Cap. II. suo cujusque loco & elemento enarrata, & ad finem usque vitæ continuatam in veritate constantiam hoc loco repetere nihil attinet. In patria certe neminem eorum, post hæc tempora, vel suspectum de hæresi pristina, clam forte adhuc approbata, fuisse, asseveranter dicere & tueri possumus.

c) Testandæque cum cœtu diviniori societatis redintegratæ publicam professionem ut ederet.

d) Programma a M. *Gellero* Brabeuta propositum, vid. §. X.

honoribus ornatus est. Quoniam vero continuandorum in Theologia studiorum gratia in alias Academias secum constituerat abire, ne qua pravi dogmatis suspicione premeretur, sequens ei testimonium scriptum traditumque est, quod cum *Benev. Lect.* communicandum duximus:

"*S. Præsentium Exhibitor, Cornelius Marci, Theologiæ Studiosus, aliquot annis versatus AltorffI, ab uno atque altero seductus adolescens, erroribus Photinianorum in nonnullis religionis Christianæ capitibus imbutus fuit. Verum enimvero ad lucem is cœlestis doctrinæ, veramque S. Scripturæ cognitionem per colloquium Theologicum* a) *deductus, argumentis Photinianorum discussis, eorumque fundamentis subversis, & firmissimis Ecclesiæ Christianæ firmamentis monstratis, ad Deum conversus renunciatione erroribus Photinianorum facta, tria Ecclesiæ Catholicæ symbola œcumenica, Augustanam Confessionem & Aphorismos Ecclesiæ Noribergensis Homologeticos, blasphemis erroribus Photinianorum oppositos, manus subscriptione approbavit, & in hanc doctrinæ normam normatam (ut ita dicam) juramentum fecit, ac porro edita confessione peccatorum & absolutione ardenti animo petita, ab amplexu falsæ doctrinæ aliisque delictis, per quendam hujus Ecclesiæ ministrum absolutus, in fidei suæ confirmationem & in cordis sui de accepta remissione peccatorum certificatione de SS. Cœna Domini participavit. Hoc equidem testor Johannes Fabricius Noribergensium ad D. Sebaldi Ecclesiastes. Quod si forte hoc testimonium cuidam non satisfecerit, requirenti Cornelio aliud sufficiens a Ministerio Noribergensi perhibitum iri, pro certo affirmo. Signatum Norib. 21. Octobr. A. C. θεανθρώπου 1616.*"

Johannes Fabricius, Noriberg.
Eccl. Sebald. Pastor.

Ita munitum, post aliquam *AltorphI*, uti diximus, moram, *Wittebergam* primum, b) atque in reditu *Jenam* brevi tempore ingressum, inque priori Lyceo maxime omnium disciplina & benevolentia *Wolffg. Franzii* usum esse, domumque ab eodem celeberrimo Viro c) insigni testimonio d) mactatum ad suos rediisse, commemoraremus plu-

a) Privatum, aut si malueris, singulare: Neque enim publico illi, & solemni, quod recensuimus, unquam interfuisse legitur.

b) A. 1617. sub festum Angelorum.

c) Rectore, cum noster inde discederet, Acad. Magnifico.

d) Perscripto benevole, typisque impresso A. 1619. d. XXX. Aprilis: quod recusum h. l. daremus, nisi altum in eo de *Socinismo* pristino esset silentium, deque cæteris optimi adolescentis laudibus nemo dubitaret.

pluribus, niſi hæc aliunde jam ſatis nota putaremus, & vel ex *Frehero* cognoſci poſſent.

§. III.

Sed alia quoque ſunt, quæ noſtram operam poſtulant; ubi notabile inprimis occurrit, quod non multo poſt colere denuo cœpit cum *Crellio*, olim amiciſſimo, litterarum commercium, quodque in eam ætatem incidit, qua, poſt *Inſpectoris Alumnorum* munus aliquandiu recte curatum, *Profeſſoris jam Theologi* & *Eccleſiæ Altorphinæ Miniſtri* officio præpoſitus *Marcius* erat. Non tamen eſt, cur vitio hanc ei familiaritatem diutius continuatam vertas; quoniam non temere ea inſtaurata eſt, vel priſtini erroris amore recrudeſcente, vel meræ etiam curioſitatis gratia, ſed, quod inprimis laudabile fuit, eum in finem ad illam litterarum conſvetudinem redire in animum *Marcius* induxit, ut Chriſto eum lucrifacere in luto ſuo adhuc hærentem doctiſſimum virum, *Petri* exemplo, a) poſſet. Quanquam etiam valde dubium ſit, utrum plus ſimplici vice alloquutus illum ſit, quem videret totum in cœno errorum demerſum hærere, & medicinam adhibitam non tantum ſpernere, ſed oſtentata eruditione, ſtudioque Scripturam pervertendi exquiſito, laureolam in his diſputationibus quærere. Ipſius quidem *Marci* non ſupereſt, quod ſciamus, *epiſtola*; at *reſponſio Crelliana* tota, & ipſum quidem *αὐτόγραφον*, in manibus *Pronepotis* cujusdam eruditi *Marciani* b) præſto eſt, ejusque etiam magna pars & præcipua, quantum ad diſputationis momenta, operibus *Crellianis* c) inſerta reperitur. Nobis illa tantum h. l. repetenda videntur, quæ in voluminibus citatis (procul dubio ideo, quod deſcriptæ jam epiſtolæ a *Crellio* demum ea addita, neque ut reliqua aſſervata ſunt,) omiſſa, ſolum *αὐτόγραφον* exhibet, ita tamen, ut quædam de ejus fragmenti editione monenda atque præmittenda ſint. Eſt nimirum obſervandum, initium epiſtolæ neque integrum neque emendatum ſatis l. c. f. 338. inveniri, ſed tractationem etiam ipſam, de Chriſto & Sp. S., ad f. 331. ſqq. rejectam eſſe, nulla addita commonefactione, hæccine ad *Marcium*, an alium ſcripta ſint, an ſcriptionis argumentum prorſus omiſſum, uti ex f. 339. colligi poterat. Verba igitur, a f. 331. ad locum Jerem. XXIII. &c--- usque ad finem f. 337. (ubi hæc leguntur denique) *de qua minor eſſe poterat diſputatio*, contenta fuere reſponſionis & diſputationis, cum *Marcio*, *Crel-*

a) Luc. XXII. 32.

b) D. *Joh. Mich. Ludwig*, Paſtoris Henſenfeld.

c) *Biblioth. Frr. Polonorum* T. III. Opp. *Crell. Exegeticorum.* f. 331. ſeqq. & 338. ſq.

Crellianæ; quæ vero de copula publica matrimoniali interjacent, aliena plane, & ad hunc amicum nunquam perſcripta ſunt. Vnde veriſimillimum eſt, ſeparatim ac ſtudioſe diſputationem iſtam (in qua vix verbum mutatum eſt a *Crellio* in ἀυτογράφῳ,) elaboratam, a *Wiſſowatio* a) autem, cui circumſtantiæ iſtæ exploratæ non erant, disjunctam, atque h. m. in imprimendo illo fragmento nævum quendam admiſſum eſſe. Non repetemus igitur verboſam illam diſquiſitionem *de Chriſto & Sp. S. perſona*, b) neque etiam eadem, quippe quæ alibi jam ſunt confutata, c) excutiemus *Crellii* ſubterfugia ingenioſe conquiſita. At exordium epiſtolæ dignum exiſtimavimus, quod totum, cum additamentis, d) peculiari charactere a cæteris diſtinctis, recuderetur. Id quod tanto lubentius facimus, quo luculentius blandiloquentia *Crelliana*, qua bonum *Marcium* circumvenire & demulcere, palpum quaſi obtrudendo, allaboravit, inde patet: ut vel priſtini artificii in eo aliisque commilitonibus decipiendis experimentum hinc capere poſſimus. Ita vero ejus verba habent.

Gratiam & pacem a Deo patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Poſtquam litteras tuas, *accepi*, Vir *Clariſſime* ac Doctisſime, quem ego" *fratris* loco, tum propter alias animi dotes, tum inprimis propter ſin-" gularem modeſtiam & mores, ad omnem *pietatem* ac religionem com-" poſitos, dilexi, & adhuc, licet in religionis negotio diſſentientem, e)" diligo; dici vix poteſt, quantopere fuerim gaviſus. Ex iis enim *co-*" *gnovi*, & ſalvum te eſſe atque incolumem & *priſtinum* illum tuum erga" me affectum, ac, *quem* longe majoris æſtimo, in pietatem, *amorem* &" veritatis divinæ *ſtudium*, haud quaquam refrixiſſe. Quæ res effecit," ut Deo, cum pro incolumitate tua, tum pro egregio hoc erga ipſum" animo, gratias agerem, &, quod antehac quoque feceram, ut ea bona" tibi vellet eſſe propria, vota conciperem. De ea quoque felicitate" plurimum Tibi gratulor, quod eum nactus ſis collegam, f) cum quo" de

a) *Collectore Biblioth.* iſtius, vel filiis *Crellii*, reliquias iſtas ſubminiſtrantibus *Wiſſowatio*.

b) Ab ipſo quoque *Crellio* copioſius in *Tract.* gemino, altero *de uno Deo Patre* &c. altero vero *de Sp. S.* fidelibus dato, qui A. 1650. typis in Belgio excuſus eſt, inſtitutam, & in Operibus quoque, ubi recuſa horum librorum exemplaria habentur, obviam.

c) Nominatim a *Calovio*, *Cloppenburgio* & reliquis, quibus ea examinare ex inſtituto curæ fuit.

d) Quæ ſunt inter deſcribendum, ex primis lineis ductis, quas ſolas editor nactus erat, inſerta, & quædam haud exigui momenti continent.

e) Ipſa ergo *Crellii* confeſſio Marcium a contagio Socinisſmi deinceps abſolvit.

f) *Georgium Königium*, deſignatum *Profeſſ. Theol. & Paſtorem Eccl. Altorphinæ*, a mo-

„de rebus divinis tuto colloqui, & in ſententias de religione vulgo re-
„ceptas liberius inquirere posſis, quod hodie apud paucos licet; ple-
„risque non tam illam religionem, quam veram eſſe cognoverint, ſed
„quæ illis naſcendi ſorte *obvenerit*, importuno quodam zelo, &, *ut Apo-
„ſtolus de Judæis ait, cum ſcientia non conjuncto*, vel amantibus, vel amo-
„rem ejus, *ac defendendi ſtudium*, oſtentantibus. Faxit Deus, ut ea
„animi moderatio, *quæ nunc paucorum eſt, mox ſit omnium :* quod ſi fi-
„at, ſpes me tenet, fore, ut veritatis jubar, quod hactenus opinionum
„variarum nube tegitur, omnium oculis *tandem* illuceſcat, & ſuo ſplen-
„dore tenebrarum opera fuget ac diſpellat. Veſtrum eſt, quos Deus
„hanc moderationem animi docuit, eandem aliis, qua poteſtis ratione
„inſtillare, & rectum illud veritatis ac pietatis iter, quod ingresſi eſtis,
„ſtrenue perſequi; *& cum inter cæteros veſtri ordinis, ac loci, homines velu-
„ti primitiæ quædam ſitis Deo & Chriſto*, a) *eos contactu veſtro quodammo-
„do conſecrare, ita apud Vos ſtatuentes, tum demum veſtræ vos felicitati ve-
„re litare*, cum aliis quoque ad eandem rationem ineundam auctores
„exiſtitis, & tanto quidem magis, quanto pauciores ea in re laborant,
„& quanto plura vel obſtacula vel pericula vobis objiciuntur. Elu-
„ctandum enim nobis eſt, mi Corneli, per anguſtum illum pietatis ac
„patientiæ tramitem ad ſupremæ felicitatis faſtigium, atque ad gloriæ
„coronam, non otioſis *certantium aut pereuntium* ſpectatoribus, ſed vi-
„ctoribus propoſitum. *Sed ut ad litteras tuas redeam, illud vehementer
„laudo, quod nolis aliis, ſententias noſtras non bona ſemper fide referentibus,
„credere, ſed ex noſtris ipſorum libris, quorum nonnullos te nactum ſcribis,
„plures autem a Ruaro noſtro tibi ſuppeditatos nil dubito, easdem cognoſce-
„re, & cognitis rationibus de iis ſententiam ferre. Gratum etiam fuit, quod
„rationes eas, quæ te vel inprimis in ea de Chriſto & Sp. S. ſententia, quæ ho-
„die paſſim defenditur, retineant, proponere mihi volueris, &, quid ad illas
„reſpondeamus, audire. Etſi autem jam dudum ad eas reſponſum oportu-
„it, quod id & deſiderium tuum & fructus, qui inde ſperandus eſt, & deni-
que*

deratione æque ac veritatis ſtudio clarisſimum: cujus epiſtolas, pene dixerim, nimis amicas & ultra modum moderatas, ſupra ad incudem revocavimus, ipſum vero Virum optimum a conſenſus cum Socinianis ſuſpicione liberavimus. His verbis autem, quando, tuto cum eo colloqui *Marcium* poſſe, *Crellius* inquit, non niſi ad modeſtiam ejus, in dubiis cum Collega communicandis, eorumque diſſolutione, reſpici evidentisſime patet. Id enim ſequentia, ubi tanquam Virum a ſectariorum animo & indole alienum, quæ *Königio* laus propria fuit, commendat, ſatis ſuperque teſtantur.

a) Pietatem καὶ εὐσέβειαν ſinceram hæc ſpectant, non dogmata *Sociniana*, uti ſequentia condocent: quibus ad ea retrahere amicisſimum quondam *Marcium* ſtudet.

que tum tuus erga me, tum meus erga te affectus postularet; impedierunt" tamen me sæpius id conantem facere, cæteræ occupationes meæ, quibus tu" imputabis moræ hujus culpam. Quanquam, quo minus eam mihi quoque" tribuas, non abnuo, modo ignoscere quoque velis. Speravi autem tanto" minus, me hac in parte peccaturum, quod interea lecturus esses eos libros," qui tibi vel penitus scrupulos hos exemturi essent, vel certe, ne tibi ad veri-" tatis agnitionem multum obstarent, effecturi. Quod si quid tamen resti-" terit scrupulorum, id nunc Deo favente tibi conabor eximere; ita, ut sæpi-" us quidem ad eos te nostrorum libros remittam, quorum tibi copiam esse" novi, ex quibus argumentorum tuorum plerorumque solutionem" petere queas: addam tamen nonnulla, quæ præterea ad rationes tu-" as convellendas, vel rem clarius explicandam pertinere videbuntur." Ad locum igitur Jeremiæ &c.--- Hactenus epistolæ exordium.

§. IV.

Quod vel eo nomine integrum dare placuit, quoniam cum *Ruaro* etiam ad tempus continuatum esse litterarum commercium a *Cornelio Marcio*, librorum potissimum, qui in *Polonia* subinde prodierant, impetrandorum gratia, hinc patet. Cæterum nihil clarius ex eodem elucet, quam *Marcii* a *Sociniana* hæresi constans aversatio animi, scriptis etiam ad amicum veterem epistolis palam testata; quandoquidem & ipse *Crellius* eum a suis distinguit, & fraternitatis quoque compellationem ita temperat, ut *fratris* tantum *loco* habendum nunc putet, quem multo teneriori affectu, in epistola supra ad calcem Cap II. exhibita, eodem nomine solennius exceperat & quasi amplexus fuerat. Ne quid de blandimentis dicamus, quibus ad suas eum partes, veluti primitias lætæ messis, retrahere omni studio & contentione elaboravit. De quibus recte & laudabiliter a *Marcio* fastiditis plura adderemus, nisi jam satis constantia ejus in doctrina divinitus patefacta cognita esset, & res illa probatione nulla prorsus indigeret. Clausulam itaque a *Wissowatio* plane prætermissam, & forte ab ipso *Crellio* prima statim opera, cum priora ante concepta describeret, epistolæ subjectam, attexere ex MScto animus est, cujus sequens tenor, nec dissimilis in ea assentatio fuit:

Vides, mi Corneli, quo me studium tui juvandi & ab errore liberandi," provexerit. Præcipuas responsiones ad objecta a te ego quoque ab initio" breves meditabar; sed dum tibi scrupulos circa ea, quæ scripsisti, eximere" conor, longius sum progressus, & opus mihi sub manu crevit. Ex respon-" sione prolixa, brevis ac directa, quam ubique addidi, facile concinnari"

*„potest; ex brevi non protinus prolixa, & ad scrupulos eximendos suffi-
„ciens. Quare spero hanc tibi prolixitatem, ex amore erga te profectam,
„molestam non fore. Quod ad cætera litterarum tuarum capita attinet,
„libros, quos porro desiderabis, Ruarus noster suppeditabit : quanquam
„tibi non paucos jam missos scio. De infelici Germaniæ statu audivimus
„non pauca & subinde audimus. Deus omnia in melius vertat. Con-
„tentiones de religione, a fraterna charitate & miti Christi Spiritu tam a-
„lienas, tecum una deploramus: nec minus scelera ac flagitia in Christiano
„orbe passim grassantia. Vtinam ea odia, quæ Christiani homines levissi-
„mas sæpe ob caussas, atque ob exiguam in sententiis diversitatem in se mu-
„tuo vertunt, in peccata converterent, animarum suarum hostes: se vero
„mutuo diligerent, atque in istos, quos dixi hostes, conjunctis armis pugna-
„rent. Statum veterum quorundam meorum amicorum jucundum mihi fuit
„cognoscere : quanquam utinam nonnulli conscientiæ suæ ac salutis majo-
„rem haberent rationem! Eos, si tutum tibi fore judicaveris, diligenter a
„me salutabis, & meo illis nomine dices, gratulari me illis de honoribus,
„quibus fuerint aucti & fortunæ prosperitate, sed jactura ea, qua ista rede-
„merint, vehementer tristari. Cogitent, unde exciderint & resipiscant.
„Quantum mihi luctum mors Vffingeri attulerit, dici vix potest. Ego il-
„lius modestiam, virtutem, eruditionem semper sum admiratus: & quanto
„eum magis dilexi, tanto gravius ejus obitum doleo. Matrimonium, quod
„iniisti, ut feliciter Tibi cedat, opto ac Deum oro. De Domino Groë fal-
„sus fuisti, cum eum apud nos versari suspicatus es. Libenter scire vellem,
„utrum e Gallia, ubi per aliquot annos, ut audio, est versatus, in patriam
„jam tandem redierit, & quo loco res illius sint.* a) *Eum quoque meo no-
„mine salutatum cuperem. Cum eo enim, ut nosti, Altorffii vixi conjun-
„ctissime. De Dümlero ex Ruaro nostro scire omnia poteris. Quia innuis,
„habere te quædam ad me privatim spectantia, quæ angustia temporis ex-
„clusus addere non potueris, ea, ut alio tempore ad me perscribas, oro. Li-
„benter scire vellem, utrum verus sit ille rumor (falsum autem mallem)
„ad nos perlatus, templa duo a Pontificiis, quæ occupent, Noribergæ postu-
„lari. Sed jam tempus est, ut litteras finiam. Salutant te plurimum Frr.
„Charissimi Dn. Jonas Slichtingius, Dn. Johannes Morstinus & Dn. Chri-
„stophorus Lubienicius. Deus tibi adsit, mi Corneli, te Spiritu suo regat,
„& in omnem veritatem pietatemque deducat: quod procul dubio faciet, si
„tibi ipsi non deeris, & omnia ipsius gloriæ tuæque saluti, læta, tristia, præ-
posue-*

a) Quorsum pervenerit, ex Cap. II. §. XXII., si revolvere hunc libellum placeat, L. B. intelliget.

posueris. Tu mei sis in precibus memor, ut ego tui. Dabam Racoviæ"
21. *Januarii A.* 1625."

Tui amantissimus in Domino"

Johannes Crellius."

§. V.

Dignissima nobis visa est hæc Conclusio, quæ tota legeretur ab omnibus. Manifestissime enim ea nos condocet, quam fuerit ingratum *Socinianæ* cohorti, fratres hosce suos, tanta olim diligentia conquisitos, & ad ingenium suum formatos, partes istas nefandæ hæreseos deseruisse: & revera eos nuncium misisse atrocissimis erroribus, vel ipsius domestici testis jam constat querulatione. Equidem *nonnullos* tantum ad Ecclesiæ diviniori societatem rediisse, alios vero in errore perseverasse, hinc colligi forte possit. Sed quotusquisque est, qui non animadvertat, particularem illam quorundam mentis olim corruptæ mutationem, in respectu ad fugitivos alios, & nunquam neque domum, neque ad saniorem mentem, reversos, dictam esse; ac præterea eo valere, ut quidam ad munera honorabilia evecti singulariter notarentur, quasi eapropter hæresin ejurarint, vitæque hujus commoda conscientiæ & religioni antehabuerint. Quæ caussa quam falsa fictaque fuerit, ex superioribus capitibus facile est cognoscere. Inprimis vero acceptum fuit, ex hisce privatis, de rebus ad *Crypto-Socinismi* nostri jam profligati historiam pertinentibus, confabulationibus *Vffingeri* fata consequentia, & præmaturam mortem intellexisse, quæ alioqui nos latuissent. Cujusmodi etiam de *Groë*, *Paullo* videlicet, Noribergensi, itemque de *Dümlero*, adhuc, ut videtur, a) superstite, narrata arbitramur esse; obscuriora licet, quam pro historiæ serie plenius pertexenda optabile fuerat. Quod superest, has *Crellii* litteras post elapsum totius anni spatium, & amplius, exaratas, responsique loco ad eas rescriptas esse liquet, quas per *Ruarum* curaverat *Königius*, quarumque inclusarum suo fasciculo hic mentionem fecit in epistola Cent. II. Ruarianarum XXV. locum occupante. Cujus e collegæ alia, ad eundem *Ruarum* A. 1629. perscripta, nostrum quoque in consvetudine scribendi ad hunc ipsum *Ruarum* segniorem fuisse, ac proinde ad debitum, insolutum diu reddendum solicitandum, elucet; nec spernendum adeo fastidii amicitiæ horum hominum, Deo adversorum, vestigium in hoc abrupto

 com-

a) Immo revera superstite, quod ex Epistolis ejus ad *Ruarum* datis alibi ostendimus elucere.

commercio obſervatur. Plura de meritiſſimo, &, poſt adminiſtratam aliquandiu functionem ſacram in æde Noriberg. *Mariana*, *Laurentiano Antiſtite*, a) conjunctiſſimoque *Joh. Sauberti* amico, tandemque poſt multas adverſus *Val. Weigelii* affectatores pugnas & concertationes valde moleſtas, ſed tanto majore auditorum amore compenſatas, ætate annorum LII. fatis functo ſuis A. 1646., addere non libet. Ea vero, quæ in vexatiſſima illa cauſſa, & cum *Weigelianis* quibusdam ſeu Separatiſtis b) A. 1640. ſq. ejus potiſſimum, unita cum *Sauberto* opera, diſceptatione laudabiliter acta ſunt, a præſenti inſtituto de cætero aliena, non aliam ob rem attingere placuit, quam ut viri optimi integritas, ſinceraque placitorum *Socinianorum* & conſtans deteſtatio, ex his, contra priſtinas opiniones, parum inde diſcrepantes, certaminibus intelligi dilucidius poſſet.

§. VI.

Quæ cum expedita ſint, jam ſoli c) relinquuntur, *Vogelius* & *Peuſchelius*, uti rigidiſſimi quondam dogmatum *Photinianorum* propugnatores, ita in veritatis quoque approbatione doctrinæque Evangelicæ confeſſione *ſocii*. De quibus nunc, qua fortuna uterque ex hoc tempore uſus ſit, exponemus. Præmittemus autem quædam ambobus communia, ac deinde etiam ſingulorum fata ſingularia iſtis attexemus. Ad ea, quæ utrique horum communia fuere, quod attinet, id primo omnium ſtudioſe curatum eſt, ut, poſtquam e cuſtodia liberati eſſent, in veritate de novo agnita frequentibus colloquiis d) confirmarentur, & ad publicam recantationem erroris peſtilentis ſe pararent. Cui rei ne qua mora interponeretur, nec tamen appropinquante, immo jam ingruente, hyeme, moleſtiæ itineris *Noriberga Altorphium* ad eam panegyrin profecturis graves eſſent, tandem, remittente cœli aſperitate, conſulto dictus eſt anno ſubſequenti

a) Et *Paulli Piggelii* ſucceſſore, de quo D. *Chriſtianus Matthias*, Altorph. Theol., in Epiſt. ad *Gerhardum* A. 16. ſcripta : *Eſt quidem Piccelius vir bonus, mediocriter doctus, & ſincerus Lutheranus ;* (non occultus Philippiſta h. e. tectus Calviniſta) *Sed non eſt Schrœderus, in cujus locum ſurrogandus ſit.* Cui nihilominus ſurrogatus eſt.

b) Qui fuerant omnino duodecim: *Wernlein. Pfaff. Schwanert. Geelmann. van der Houven. J. B. Coſter. A. Coſter. Credon. J. Faber. B. Hasler. J. Hopner. J. Strack.* Viri mercatui artificiisque & opificiis variis dediti, quintusque, quod mireris, tanta devotione non obſtante, pilæ artificioſe jactandæ Magiſter. De quibus pluribus Vitæ Theol. Altorph., interque eas *Marciana*, conferri poterunt.

c) Nam de reliquis jam ſupra Cap. II. plus ſatis dictum eſt.

d) Cum *Schrœdero* præſertim, eá quavis occaſione data continuante.

quenti MDCXVII. dies XXV. Januarii, memoriæ *converſionis Paulli Apoſtoli* in faſtis vulgo conſecratus. Ne quis vero exiſtimet, aut calumnietur, juvenes hos ad ſaniorem mentem jam ante reductos, ad id, ut nuncium ſolemniter mitterent hæreſi quondam approbatæ, adactos coactosque eſſe; En! *Joh. Sauberti*, inter hæc ad *Inſpectoris Alumnorum & Oeconomiæ* officium *Altorphinum* provecti, ad *Joh. Gerhardum*, Clariſſimum Theologum Jenenſem, epiſtolam nondum prælum expertam, in qua, ſponte & lubenter id ab utroque confectum eſſe, teſtatur:

Ευδαιμονέςατα διάγειν.

Hæc eſt illa hodie mortalium fides, inquies, Vir admodum Reverende, Doctor Theologe Chariſſime & Præceptor honoratiſſime &c. ut, quod manu ſtipulatim promiſſum eſt, præſtetur ſcilicet! Neque ego inſiteor, cum à vobis eſſem diſceſſurus, multa me, tum de reditu etiam maturiore præſatum eſſe. Ad vos enim redire, & tua pro porro frui benevolentia, omnino apud me conſtitueram, niſi quid humanitus mihi contingeret. Verum ἄνθρωποι ἐσμὲν καὶ ἄυριον ἐχ ὁρῶμεν. *Obtemperandum interim fuit vocationi Magiſtratus, & obeunda quædam provincia Theologo-ſcholaſtica.* a) *Hanc ut declinarem, etſi omnem dederim operam, fruſtra tamen fuit conatus iſte. Hæreo, pareo,* χαλεπαὶ γὰρ τῶν ἀρχόντων ἔισιν ὁμοκλαὶ, *ut vox habet Menandri elegantiſſima. Atque etiam jampridem dediſſem litteras, niſi de manſione mea fuiſſem incertus. Ignoſces ſpero animo huic confidenti, mi Domine, atque iſtum diſcipuli Tui, nominis Tui ſtudioſiſſimi, affectum bene interpretaberis. Quod me facit ſperare inſignis Tua pietas, Tua illa,*

Quæ dudum implevit ſolis utramque domum.

Quid de Photinianis noſtris fiat, aut factum ſit, litteræ Reverendi noſtri Schrœderi, quas diebus aliquot ante, quam hæc ego ſcriberem, datas eſſe novi, ſignificarunt procul dubio. Speratur jamjam ipſorum adventus AltorphI, ubi de μετανοίᾳ *ſua rationem reddent non inviti,* b) *ut audio. Faxit Trinus ille & unus Deus Dominus, ut ita confirmentur ipſorum animi,* ne

Fff ff 3

a) M. *Joh. Albino*, Norimbergam ad Scholaſticum munus evocato, ſucceſſorem datum eſſe *Saubertum*, alibi jam commemoravimus. Cui officio paullo poſt functio Eccleſiaſtica, in veſpertinis concionibus habendis hactenus occupata, acceſſit, & *Rittero* hinc Noribergam tranſlato, Profeſſoris Theologi munus ſucceſſit, Inſpectoris ſpartam M. *Joh. Schæfero*, Rotenburgenſe, ſuſcipiente.

b) Comperta igitur ſcripſit *Saubertus* & omnibus nota; tametſi non nihil ſuſpicionis, ex affectu in hac cauſſa priſtino & concitatiori, reſiduæ ſubobſcurius admixtæ verba oleant.

„ne ad priſtinum redeant vomitum. Quod Exmonachum attinet, quem Je-„næ adhuc degere audio, ſi is in viam ſe reduci paſſus eſt, bene eſt, quod tamen, „ut ne credam facile, ſvadet vita ipſius ante acta. Interim pecunias, pro „quibus ſpopondit R. T. D. de ſuo mittet Schrœderus. Quæ vero Rectori de-„bentur & pro hoſpitio, eas ego, ſi aliunde colligi non poterit, haud gravatim „expendam. Spero neminem vobiscum fore, qui ipſi, dum id conditionis eſt, „fidem facile ſive det ſive habeat. Dum hæc ſcribo, litteræ ad me Gieſſa ab „amico quodam datæ perferuntur: in quibus inter alia hoc etiam ſcriptum, „controverſias ibi aliquantum etiam vehementius in miniſterio a) agitari: „An Chriſtus, ubi dicitur præſens eſſe, ſemper ibidem agat? atque adeo omni-„præſentia operatione definienda ſit? Affirmare hanc R. Dn. Menzerum; „quod T. R. D. non ignorat, negare Winkelmannum b) & Gieſenium. Me-„mini Dominum Menzerum dudum hoc pro diſputationibus non ſemel petiiſ-„ſe, ut in Scriptura locus vel unus monſtraretur, qui ſolam Chriſti præſen-„tiam, non actionem ſimul loqueretur. Magnum vero operæ pretium face-„re videor, ſi, quid T. R. D. in hac re ſerio ſtatuat, c) perdiſcam. Id quod „temporis progreſſu, ubi ſe dederit occaſio, fieri poterit. Adſcribo ſalutem „pro D. Majore. Scr. Altorph I Kalend. Novembr. 1616.

M. Joh. Saubertus,
Alumnorum in Academia Norica Ephorus.

Hactenus *Saubertus*. Quem in gratiam recens converſorum nihil ſcripſiſſe, multa ſunt, quæ docent, ex ſuperioribus quoque facile reco-gnoſcenda. At *Schrœderi* litteras, ad quas ſeſe refert, nondum adipiſci potuimus, quas impenſe optamus, cum cæteris ad *J. Gerhardum* datis, edi in publicum; ſi quidem per fata optimi nepotis, d) id dudum di-uque

a) Diſſidentes hi erant *Menzerus* & gener ejusdem *Feurbornius*, atque iſtis adverſantes *Winkelmannus* & *Gieſenius*: quorum hic non multo poſt *Rintelium* in recens illic conſtitutam Vniverſitatem evocatus eſt. Cæterum, ex hac liticula alteram cum Tubingenſibus conſultis a *Menzero* A. 1618. ortam eſſe, nemo ignorat.

b) Quæ diſceptatio, ad ſtylum vulgarem & biblicum tandem devoluta, *utcunque*, ne in nervum erumperet inteſtinis motibus Eccleſiæ noxium, compoſita, & per quendam quaſi ſyncretiſmum conſopita eſt in *Conventu Darmſtadienſi* a Sereniſſ. Landgrafio *Georgio* cõngregato. Cujus tamen quis fructus fuerit, aliunde petendum eſt.

c) Cui deſiderio, uti privatim p. p., ita publice deinceps in *Solida Deciſione* controverſ. Tubing. & Gieſſens., nec non ejusdem *Apologia*, quorum egregiorum librorum magna pars *Gerhardo* debetur, A. 1624. & 1625., abunde ſatisfactum eſt. Hæc obiter annotare viſum eſt, ne quid Lectori remoræ inter legendum objiceretur.

d) *Joh. Erneſti*, junioris, Prof. Theol. Gieſſenſis, qui ad conferendas ſymbolas, h. e. latentes hinc inde epiſtolas *Gerhardinas*, eruditum orbem peculiari Schediaſmate invitavit.

nque, dum viveret, moliti, ſpes illa, quod tamen non putamus, haud intercideri. Quanquam etiam, an ſuperſint, valde dubitamus, quoniam inter cætera *Schrœderi* ad *Gerhardum* λείψανα, quibus venerandus quidam Amicus nos beavit, nihil horum repertum eſt, atque animadverſum. Sed parum fortaſſis etiam refert, hoc ſi vel maxime teſtimonio ſuperfluo careamus; quandoquidem ex antecedentibus narrationibus actisque ſatis ſuperque conſtat, quid evenerit, Deique beneficio in errantium animis verbi divini virtute effectum ſit.

§. VII.

Præſtat igitur reliqua, quæ conſequuta ſunt, ordine perſequi. Quod tamen antequam fiat, paucis commemorandum eſt, bonum *Schopperum* eousque vitam haud prorogaſſe, donec hæreſin, quæ tot ipſi moleſtias creaverat, plane abdicarent, qui ei in hac ipſa Vniverſitate nomen dederant. Etenim, cum *Peuſchelius* d. IX. alter vero, *Vogelius* inquam, d. XIIX. Menſis Octobris priſtinam illam impietatem ejurarent, jam ante d. XII. Septembris mortalitatem a) exuerat vir grandævus, multisque laboribus æque ac ærumnis attritus Theologus; ac proinde ipſe etiam, per Conſulatum Academicum, quo tum quidem functus, ſed brevi defunctus eſt, ad Orationes habendas, præparamenta conſveta apparare haud potuit. Accepimus ergo, *Academiæ Prorectorem*, auctoritate & juſſu *Perilluſtrium Inclytæ Noriberg. Reipubl. Procerum* & Nutritorum Academiæ litteris ſignificato, *Georgium Queccium*, Rectoris officio ſuperiori anno perfunctum, in ejus locum ſuccesſiſſe, & ad diem conſtitutum, quem paullo ante nominavimus, *Programmate* publice propoſito totum Academicum Corpus, una cum advenis, qui *Noribergæ* magno numero aderant, convocaſſe; idque dignum cenſuimus, quod, ab Orationibus ſejunctum, ad Hiſtoriæ ſeriem integrandam, totum hoc loco recuderetur:

PRO-RECTOR ACADEMIÆ ALTORFFINÆ OMNIBVS ILLIVS CIVIBVS S.

Naturam ab interitu abhorrere, ad ſui vero conſervationem res rationesque omnes referre, cum non modo ſapientum, ſed ipſius etiam experientiæ communis teſtimonio conſtet; neceſſariæ conſecutionis ratio evincit, æternæ quoque vitæ & ſalutis, quæ infinitis partibus nobilior ac divinior conſervationis hujus gradus eſt, deſiderio teneri omnes, qui non monſtroſa, ſed recte conſtituta prædit ſunt natura. Cum vero ſalutis hujus adipiſcendæ ratio in vera Dei & Chriſti Servatoris cognitione poſita ſit, certe, "

aut

a) Ex lienteria, ut vocant. Conf. *Vit. Theol. Altorph.* f. 75.

*„aut omnis ratio nos fugit, aut qui cognitionem hanc divinæ in Christo natu-
„ræ ejusdemque pro genere humano satisfactionis negatione obscurare, vel
„potius extinguere, audacia plane diabolica, adnituntur, nihil aliud quam
„ipsam vitæ ac salutis æternæ viam, quantum in ipsis est, nobis obstruere &
„præcludere conantur. Quorum impio conatui, quamvis in Academia hac,
„diversis vicibus, sat mascule, ut par fuit, obviam itum sit hactenus: tamen
„gravissimis de caussis, crastina etiam die, Deo juvante, nonnullis ex Am-
„plissimo Nobilissimorum D. D. Scholarcharum & Curatorum Academiæ
„hujus ordine præsentibus, porro quoque obviam ibitur, vel extrema potius,
„(id quod Deus Opt. Max. velit) huic certamini manus imponetur, præcipu-
„arum impiæ factionis hujus blasphemiarum refutatione ab illis instituta,
„& in publico recitata, qui ipsimet illarum veluti compedibus antehac qui-
„dem irretiti, nunc vero immortali Dei Opt. Max. Inclytique Senatus No-
„ribergensis, Magistratus nostri Prudentissimi, beneficio, nec non fideli &
„strenua Reverendorum & doctissimorum Ecclesiæ Noricæ Antistitum ope-
„ra, ab iis rursus expediti, & ad pristinam mentis sanitatem revocati sunt.
„Cum vero omnes, quibus vera pietas & religio cordi est, suopte Marte,
„longe maximum, recitationes istas auscultando, operæ pretium se facturos
„esse, intelligant; Omnes Academiæ hujus Cives, sive ex docentium sive di-
„scentium sint ordine, monitos & rogatos volumus, ut die crastino paullo post
„horam XII. signo campanæ e turri Collegii dato, in Auditorio Welseriano,
„ad præstandam Deo & Ecclesiæ, tam piæ & sanctæ auscultationis operam,
„lubenter & frequentes convenire, & Academiæ nostræ de periculosissimæ
„hæreseos, quæ veluti pestilenti quodam sidere superiori anno eam afflave-
„rat, profligatione gratulari, Deoque pro ineffabili hoc beneficio, gratias
„agere, itemque pias ad eundem pro conservanda cœlestis veritatis & doctri-
„næ luce, preces nobiscum fundere velint. B. V. P. P. ad diem XXIV. Janua-
„rii Anno MDCXVII.*

§. VIII.

Ad hanc publicam & solemnem convocationem cum sequenti die Saturni, ut vocant, qui *quintus & vicesimus Januarii* erat mensis, Auditorum *Noribergensium* pariter & *Altorphinorum* ingens multitudo a) compareret, primus *Johannes Vogelius* cathedram hora XII. ipso die

a) Aderant vero nominatim ex Optimatibus & *Curatorum Academiæ Illustri ordine* Generosissimi Viri, Dn. *Martinus Pfinzing*, & Dn. *Christoph Læffelholz*, eum in finem Noriberga huc ablegati, ut tanto spectabilior actus iste solennis redderetur. Qui comites sibi adsciverant Theologos venerandos, Dn. *Jo. Fabritium* & Dn. *Jo Schræderum*, illum Sebald. hunc Laurentianum Antistites, viros celeberrimos, & superiori C. III. a nobis quoq; dignis laudibus mactatos, nec non M. *Chph. Reich*, Diac. Sebaldinum. Quippe

die Converſionis Paulli, conſulto huic actui deſtinato, inque Auditorio, quod *Welſerianum* dicitur, primario conſcendit, & erroris, uti conſtitutum erat, ſolemnem palinodiam publice exorſus eſt. Argumentum Orationis recitatæ, idque gravi de cauſſa datum, aut a *Vogelio* ipſo ſponte electum, (neutrum enim pro certo affirmare auſim,) in Soſpitatoris noſtri O. M., Jeſu Nazareni, vera æternaque Divinitate adſtruenda verſabatur. Quam, cum aliunde multis modis poſſet, tamen e præcipuis & capitalibus locis N. T., nominatim Joh. I. 1. *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος*· & Rom. IX. 4. 5. *ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ χριςὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς ἐυλογητὸς ἐις τὰς αἰῶνας*, atque aliunde deduxit. Quibus etiam loci vexati & a Photinianis inprimis male habiti, Joh. VIII. 58. *πρὶν Αβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ ἐιμὶ*, vindicias ſubjecit, iisdemque atque aliis hujusmodi ſuccinctim expeditis, verbis 1. Joh. V. 20. demonſtrationem concluſit. Hinc gratiis precibusque ad ſupremum Numen humillime fuſis, atque his quidem verbis ex Pſalmis regii vatis bonam partem contextis rite peractis, Illuſtres Academiæ Curatores affatus, atque iis quoque, cum toto *Inclyto Senatu* Noribergenſi, devotam pro omnibus beneficiis mentem primum teſtatus, plurimas demiſſasque dehinc pro inſigni, in revocando ſe a tenebris ad lucem divinam, ſolicitudine, grates perſolvit. Inter alia vero profeſſus eſt ultro, *in hoc religionis & conſcientiæ negotio, oſtendiſſe eos convenientisſimam Chriſtiano Magiſtratui prudentiam, dum ſeveritatem iſtam & gravioris animadverſionis ſpeciem*, a) *quam initio ad teſtandum pium zelum, & juſtam animorum concitationem, non ſine multorum admiratione, præ ſe tuliſſent, tanta lenitate, manſuetudine & comitate temperarint, ut non, quod ſua* (oratoris Vogelii) *ſuique ſimilium culpa mereret, & juris legum rigor juberet: ſed quod moderata æquitas & Chriſti diſcipulis digna charitas*

quorum, in revocandis ad ſaniorem mentem, præcipua quoque & ſalutaris opera atque induſtria ſpectata fuerat. Iidemque, cum revocationem illam geminam doctisſimorum juvenum coram audiviſſent, ſequenti die XXVI. Januarii, poſt concionem ordinariam, a G *Königio* die Dominico recitatam, (in qua converſionis etiam *Paulli* incidentis, cum *Socinianorum* emendatione comparatæ, mentionem publicitus fecerat,) & finitam, Muſicorumque *συμφωνίαι* decantatam, publica pompa cum Profeſſoribus & Studioſis in Auditorium idem, in quo & pridie Orationes pronunciatæ fuerant, ingreſſi, *Michaelem Piccartum*, Logices Profeſſorem clarisſimum, hac ſimul occaſione *Scipioni Gentili*, ICto, paullo ante d. VII. Auguſti A. 1616. defuncto, & Collegæ quondam dilectisſimo, parentantem auſcultaverunt. Eoque piis manibus officio præſtito in arce pranſi, poſt meridiem *Noribergam* reverſi ſunt.

a) Hæc *ſpecies* illa fuit, quæ tot ſiniſtra judicia peperit inter eos, qui non ex veritate rei, ſed præcipitata opinione, judicabant.

tas moneret, a) *in se statuerint: non durius se tractantes, sed ad erroris agnitionem & confessionem, eo, qui Christianos deceat, modo perducentes; sacrarum litterarum, inquam, fundamentis & rationum exinde deductarum momentis: non flagrorum, equuleorum, gladiorum, rogorum, aliarumque id genus excarnificationum minis aut terriculamentis, nedum tormentis, uti nonnemo* πολυπράγμων (casei ollaris autor) *in Satyrico scripto suo effutierit*, &c. Eoque facto, pares quoque Theologis cum *Noribergensibus* tum *externis* b) gratias egit, votoque tandem pio pro universorum salute iterum iterumque nuncupato, finem dicendi fecit.

§. IX.

Vogelio ad hunc modum, omnem se *Photinianam blasphemiam* (hæc verba erant declamantis) detestari, omnemque hæresin, cum scriptis Prophetarum & Apostolorum, & ex his deductis *Symb. Oecumenicis*, itemque *Aug. Confess.* pugnantem, abominari, rationibus redditis, publicitus professo, successit ad caussam quoque suam perorandam continuo, & eodem solenni die atque panegyri, *Peuschelius*, qui materiam disserendi sibi doctrinam *de Satisfactione Christi* sumserat, c) eo quod, perinde ut *Vogelius* olim divinitati Christi, huic potissimum parti veritatis salutiferæ infestus fuerat, idque præcipue mysterium operosius impugnare allaboraverat. Idem vero, uti, quam primum orsus est verba facere, *mira se calliditate* olim *ad amplectendam hæresin circumventum* affirmavit; ita protinus etiam contestatus est, nunquam sibi animum fuisse, petulanti quadam ab aliis dissentiendi libidine, vel a veritatis tramite discedere, vel opiniones discrepantes pertinaciter defendere, d) aliosque contemnere; sed superstitioso quodam zelo, & nimis præcoci veritatis inquirendæ studio, semper hoc egisse, ut ea sequeretur, quæ sacris litteris, & rationi ex his collustratæ, essent consentanea. Quo facto, brevique præfamine finito, (unde & argumentum disserendi præscriptum fuisse colligimus) rem ipsam aggressus est. Demonstratam autem dedit Christi Servatoris, non

a) Testificatio profecto omnibus calumniis vel sola efficacissime opponenda, nec minis extorta, sed sponte pronunciata, ac sæpenumero deinceps, per omnem vitæ decursum, quod plane scimus, repetita.

b) *Wittebergensibus* videlicet & *Jenensibus*, qui & ipsi in emendandis illis primam operam posuerant.

c) *Datam* videlicet & *definitam* a Proceribus & Theologis.

d) Verissima hæc esse non dubitamus, si de intentione animi *directa*, ut vocant, sermo sit; *rem* ipsam vero si spectes, plus pertinaciæ, non sine protervitate, in *Peuschelio*, quam *Vogelio*, supra aliquoties notavimus.

non doctrina tantum, exemplo & communicatione, ſed ſatisfactione, ad expiationem, reconciliationem, pœnarumque peccatis debitarum in eum a) derivatarum ἰσόῤῥοπον ſolutionem, b) officium ac dignitatem ſacerdotalem primum ex Eſaiæ cap. LIII, 11. ubi iniquitates noſtras *bajulaſſe* dicitur, quorum verborum ſenſum, vicarii noſtri expletricem ἱλασμὸν exhibentem, ex locis æqualibus quamplurimis confirmavit. Hinc ad *redemtionis* frequentiſſime commemoratum beneficium Tit. II, 14. Eph. I, 7. &c. proceſſit, verborumque & phraſium vim, ubi *pretii*, *emtionis*, *acquiſitionis*, & λύτρȣ c) fit mentio, aliaque non minus efficacia argumenta, ab oblatione *in cruce* potiſſimum petita, rigide urſit. Inde ad claſſicum locum 1. Joh. I, 7. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*, animum verbaque contulit, ejusque robur probandi ex V. T. locis, orationis contextu, ſcopoque Apoſtoli, ſolide adſtruxit. Amplius formam loquendi Sp. S. de tanto myſterio, qua *pro nobis* d) Chriſtus dicatur traditus, explanavit, veramque ſubſtitutionem eam deſignare paſſionemque loco noſtri ſuſceptam luculenter oſtendit. Atque his demum neceſſarios quosdam, ut vocare placuit, *Aphoriſmos* ſubtexuit. Inter quos *primus*, non eſſe ſcitu credituque neceſſaria omnia ad litteram, ſeu verbotim aut ſyllabatim, in ſacris Scripturis expreſſa, docuit; *Secundo*, nec eſſe a via regia ſeu litterali & proprio ſenſu in Scripturæ interpretatione temere declinandum, *Peuſchelius* conſtanter tuitus eſt. Hinc *tertio*, ſubordinata ſe invicem non tollere, ſed ſæpius ponere & confirmare magis, idem commonſtravit. *Quarto* loco oſtenſum eſt, haud raro aliquid eſſe in typo, quod non ſit in antitypo, & rurſus; idque exemplis ſtabilitum ivit. *Quinto*, loca Scripturæ, quæ gratiam Dei in Chriſto toties commendant, non eſſe opponenda, quibus redemtos nos eſſe per ejus ſanguinem, ut λύτρον, e) monetur, & ex Rom. III, 24. firmatur. *Sexto*,

a) *Noſtras* videlicet *vices* ſuſcipiendo; unde & ἔγγυος dictus eſt Servator & Expromiſſor.

b) *Expletricem* nonnulli vocant: quas explicationes non ſine cauſſa addendas putavit, ne quis, vocabulis ambiguis ludificari auditorio Oratorem voluiſſe, & ſatisfactionem *voluntati* Patris præſtitam ſub eo termino latere, ſuſpicaretur. Conf. Epiſt. *Ruari* P. I. n. 60. unde, quantopere intricare ſoleant *Sociniani* ſanctisſimam hanc doctrinæ divinioris partem, pateſcet.

c) Multoque ſignificantioris 1. Timoth. II. 6. ἀντιλύτρȣ, & quidem a μεσίτῃ, inter Deum & hominem pro cunctis hominibus conſtituto, oblati.

d) Præſertim ἀντὶ πολλῶν &c.

e) Et quidem ex aſſe, juſtitiæ Dei vindici æquivalens: *Noſtris* enim *meritis* noſtræque dignitati eam miſericordiam, & *procurantem*, & *acceptantem* alienam præſtationem infiniti pretii, *opponi*, nemo non, loca Scr. S. omnia revolvens, animadvertet. Perinde uti Eph. I, 5. ſqq. Electio, κατ' εὐδο-

non eſſe effugium, ſed ipſiſſimam veritatem, ſi a conditionibus rerum humanarum & carnalium ad divinas non licere argumentari, dicatur, ex ipſis Photinianis &c. addocetur. *Septimo*, abuſum rei bonæ non damnare rem ipſam, defenditur, & ad doctrinam de Satisfactione Jeſu Chriſti applicatur, ac denique *octavo* loco, non licere nobis opera divina ad judicii noſtri normam trutinamque rationis fallacem exigere, aut, quid, vel cum, vel ſine juſtitiæ divinæ læſione, fieri poſſit, extra Dei verbum expreſſum, decernere, expenditur atque conſtabilitur. Hisque præmiſſis, brevitatis gratia, nulla ulterius facta, ad ſingula *Socinianorum* argumenta contraria, applicatione, ad colophonem properavit *Peuſchelius*, gratiasque ante omnia religioſiſſimas, verbis quoque e Pſalmis hinc inde perquam commode decerptis, Deo pro illuminatione ad recipiendam veritatem Evangelii clementer ſibi indulta egit. Tum converſus ad *Illuſtres Patriæ Proceres*, ſimiliter, quantum illis deberet, pro reductione ex errorum biviis, [& quidem *mediis Magiſtratum Chriſtianum & Catholicum reformatum decentibus, illoque dignis*, a)] in viam cœleſtem, gratam obſervantiam ſimul teſtando, confeſſus eſt, culpam vero commiſſam publice heic denuo deprecatus, vitæ emendationem ſancte promiſit, omniaque fauſta & fortunata denique cum ipſis, tum etiam Theologis Eccleſiæ patriæ, pro tot ſudoribus atque curis exantlatis calidisſimis precibus exoptavit; horumque inprimis συμπάθειαν toto hoc tempore declaratam, itemque manſuetudinem & erga diſſentientem quondam *mitem animum* b) demonſtratam, idque maxime, propter impudentis *caſei ollaris* ſcriptoris mordacitatem, ab omni humanitate, honeſtate, ac veritate etiam, alienam, definite prædicavit. Atque ita ſubjecta tandem lectionis *librorum Photinianorum*, ad Studioſos nondum exercitatos, diſſuaſione, ne quidvis pro quovis temere & intempeſtive arriperent, curioſi magis quam veritatis ſtudioſi; itemque, ne quis facile a recepta in Eccleſia ſententia recedat, commonefactione adjecta, ſuoque exemplo firmata, finem dicendi *circa horam ſecundam pomeridianam* fecit, &, Chriſtianiſmum non in contem-

κίαν θελήματος facta, in præcognitione & applicatione Chriſti, illud meritum includit, ſolamque noſtram ἀξίαν abeſſe jubet, nihilque abſoluti decreti, uti quibusdam viſum eſt, continet.

a) Quæ verba iterum, adverſus criminationes hoſtium, & ſuſpiciones quoque aliorum varias, *vim* potisſimum *illatam eſſe refragantibus*, mentientes, notanda ſunt.

b) En! novum contra obtrectatores, ſingularibusque verbis teſtatisſimum, *piæ* in his juvenibus in viam revocandis moderationis argumentum, quibusvis calumniis efficacisſime opponendum.

templatione nudaque ſcientia, ſed praxi veritatis vividaque cognitione ex vera fide promanante conſiſtere, graviter ad extremum auditoribus inculcans, verbis tandem Eccleſiaſtæ c. XII. ult. deſiit. Quæ quidem ſummatim heic a nobis excerpta ſunt, ut in conſpectu eſſent, in ipſo etiam hiſtoriæ contextu, potiora confeſſionis momenta: Etenim, qui plenius & accuratius recognoſcere omnia cupiunt, integras illis orationes, typis recuſas, & ad calcem attextas, comparare ſuademus, easque ſi conſulant, non pœnitendum operæ pretium facturos pollicemur.

§. X.

Nobis in præſenti id agendum ſupereſſe videtur, ut, qua ſinceritate & conſtantia valedixerint decumanis iſtis erroribus, cum reliqui, tum vero *hi duo* potiſſimum *Oratores*, paucis adhuc evincamus. Candide & ſine fuco abdicaſſe hæreſin, cum alia ſupra jam recitata, ipſaque jurisjurandi religio, tum vero etiam ſolemnis hæc teſtificatio, conjuncta cum toties iterata Numinis divini invocatione, præterque alia plurima, denique ipſa etiam argumenta pro veritate producta, affatim docent. Vtrum vero nunquam, & nulla ex parte, poſt id tempus, mente denuo turbata, nutarint, aut priſtini erroris amorem prodiderint, id præcipue dignum cenſemus, quod dedita opera & ſumma diligentia exquiratur. Idque, quoniam neutiquam demonſtratu arduum eſt, illico condocefaciemus: dummodo pauca quædam poſthæc acta præmiſerimus. Ad *Vogelium* ſcilicet quod attinet, is ſtudiis Academicis, quod ſciamus, valedixit penitus, informandisque in civitate patria adoleſcentibus, præſertim ex patricia non una gente, quibus ſuam dexteritatem jam ante probaverat, operam dedit. Vnde ingentem quoque, conſtanti fide & maxima ſedulitate, præcipuorum Reipublicæ Procerum favorem ſibi conciliavit, nec multo poſt iisdem Patronis ad altiores evectus eſt ſcholaſticos labores, quibus divino quodam nutu deſtinatus ab omnibus credebatur. At *Peuſchelius* diutius aliquanto in *Academia Altorphina*, poſt orationis ante memoratæ ſolennem recitationem, commoratus, & ſtudia Theologica illic, duce *Kœnigio*, perſequutus, lauream interea Philoſophicam ſuperiorem, ſeu Magiſterii honores, adeptus eſt, brabevta & Decano Collegii Philoſophorum *M. Matthia Gellero* exiſtente. A quo d. *29. Junii* præſcripto eleganti *Programmate; De ignaviæ timidorum militum apud Romanos pœnis*, a) ſignificatio facta, & die XXX. ejusdem menſis, qui proximus

 fuit

a) Quod, ne quid deeſſet monimentorum huc pertinentium, totum h. l. exhiben-

fuit a Festo anniversario Petro-Paullino, ipsa renunciatio, more tunc soli-

dum putavimus, sequentem in modum habens:

„M. MATHIAS GELLER,

„*Noribergensis Philosophici Collegii Decanus.*

„*Lectori S.*

„QuareRomani olim & urbem & orbem sibi subjecerint, & tam late Imperii sui fines extenderint, si quis ex me forte quæreret? huic ex autoribus haud aspernandis responderem, in causa partim illud fuisse, quod tam diligentem in subjugandis populis rationem habuerint militum, eorumque labores tam amplis muneribus præmiisque remunerarint: Contra vero timidorum ignaviam nunquam non puniverint, atque coercitione illa, licet ridicula sæpe, ad fortitudinem exstimularint. Nam ut de militaribus pœnis in præsentia tantum dicam, Corbulonem deprehendo Pactium increpuisse, omnesque ejus præfectos & milites, quod ab hoste victi fuissent, ignominiæ loco extra vallum tendere jussisse, *Tacit. lib.* 13. *Ann. c.* 9. Marcellus alio ignominiæ supplicio usus est, & cohortibus, quæ vexilla amiserant, hordeum porrigi jussit, & centuriones ademtis gladiis inermes incedere voluit. *Liv. Dec.*3. *lib.* 7. *Sueton. Augusto. Plutar. in Marcello. Dio. lib.* 49. Gracchus ignavos improbosque alio coercuit modo, ut stantes nimirum, nunquam sedentes, quamdiu stipendia facerent, cibum potumque caperent. *Liv Dec.* 3 *lib.* 4. Alibi antiquum militaris ignominiæ genus fuisse deprehendo, ut tunicis interioribus solutis fossam foderent, inspectante reliquo exercitu. *Plutarch. in Lucullo.* Interdum timidis & fugitivis militibus apertæ fuerunt venæ, & quem in pugna mittere recusarant, per chirurgum sanguis missus est. *Agell. lib.* 10. *c.* 8. *Frontin. lib.* 4 *c.* 1. Metellus militibus suis longo veterno corruptis coctos cibos prohibuit, neque ad ipsorum ferenda onera bestias aut servos ullos concessit. *Valer. Max. lib.* 2 *c.* 2. C. Cotta cognatum suum P. Aurelium virgis cædi jussit, & militis munere inter pedites fungi coegit. Interdum ignavis & pedem in prælio referentibus manus abscissæ, interdum bestiis proterendi substrati sunt. *Valer. Max. ibid. Frontin. lib.* 4. Consimilem propemodum morem cum etiam antiquitus in Academias receptum esse constet, & præmia atque honorum tituli adolescentibus illis collati sint, qui strenui & alacres in lingua tam Græca, quam latina, & Philosophiæ studio excolendo nullis laboribus pepercerunt, nullasque molestias subterfugerunt, sed ab incunabulis Philosophiam sibi quam familiarissimam reddiderunt: Ita contra ignavis, otio & ventri deditis, perpetua quasi ignominiæ macula inusta fuit, quando præmiorum & honorum collatione gnavorum industriam compensari, se vero tacendo præteriri, non sine animi acerbitate & cordolio conspexerunt. Quapropter cum IV. Candidati nostri, quorum nomina infra subscripta sunt, post multas in Philosophia devoratas molestias, in id unice intenti fuerint, ut Amplissimo Collegio Philosophico industriam & progressus tam privato, quam publico in Examine probarent, atque, si fieri posset, publicum ejus rei testimonium reportarent! Factum hoc fuit sedulo præterlapsis aliquot diebus, & unanimi consensu quatuor illis Candidatis Magisterii tituli & honores publice decreti sunt, & huic renunciationi XXX. Junii dies destinatus est. Ad quam panegyrin & renunciationem publicam Amplissimos & Nobilissimos Dn. Scholarchas & Reipub. Noricæ Senatores dignissimos: Hospites etiam honoratiss. omnium præterea facultatum D. D. Professores & studiosos, Collegium Philosophicum officiose invitat rogatque, ut circa horam VII. matuti-

ſolito, a) una cum cæteris competitoribus, ſupra laudato *C. Marcio, Erneſto Hoffmanno*, Altorphino, & *Bonaventura Reyhing*, Stutgardienſi, peracta eſt. Quid porro evenerit utrique horum amicorum tantisper, dum publicis muneribus uterque præficeretur, haud comperimus, niſi quod excudendis *Orationibus* ipſique *Senatu Illuſtri* dedicandis operam navaſſe ipſa exemplaria, quæ proſtant, oſtendunt. Quorum diſtractorum tanta intra breve tempus fuit penuria, ut, anno vix vertente, *altera* eaque emendatior *editio* b) jam priori adjicienda eſſet.

§. XI.

Ea vero quam fuerint anxie quæſita, vel ſequens *Peuſchelii* epiſtola, quæ in manus noſtras incidit, hoc anno MDCXVII. exeunte ſcripta, addocet, & cum etiam alia quædam, ad præſens negotium conſideratu digna, contineat, ipſumque αὐτόγραφον nobis exſcribere licuerit, prælo cum cæteris MSctis ſubjectam B. L. exhibemus:

Ornatiſſimo & pererudito Dno. Cornelio Marci Philoſ. Magiſtro, c)
Amico ſuo gratioſo & jucundo, gratiam & pacem, itemque feliciſſimum novi ineuntis anni auſpicium, ab eo, qui eſt ſalutis noſtræ α & ω, animitus precatur

JOACHIMUS PEUSCHELIUS.

Octiduum eſt, & quod excurrit, ex quo primam epiſtolam huic ſecundæ" præviam ad Te dedi & miſi. Sequitur jam ſecunda, in qua ad alteras Tu-" as litteras ſtrictim reſpondebo. His primum Te pro victu XXIV. groſſos" (ut vocant) exſolvere, [ſcribis] d) *quod quidem facile credo, ſiquidem" Jenæ initio totidem pro victu expendi. Si tamen hæc victus ratio carior &" difficilior, quidni Vogelii conſilium ſequendum, qui contractu cum illis ho-" mini-*

„nam poſt campanæ pulſum in auditorium „Welſerianum ſe recipere, & perhonorifi- „ca præſentia ſua actum illum cohoneſta- „re ne graventur. Pro qua benevolentia „omnem obſervantiam animique grati ſtu- „dia omnibus & ſingulis Collegium Philo- „ſophicum offert & pollicetur. P.P. 29. Ju- „nii Die, anno poſt Chriſtum natum 1617.

„*Nomina Candidatorum.*

„Joachimus Peuſchel Noribergenſis.
„Cornelius Marci Noribergenſis.
„Erneſtus Hofmann Altorfinus.
Bonaventura Reyhing Stutgardia-Wirtebergicus."

a) Noſtro enim hoc tempore Philoſophici honores cum cæteris *Doctorum* titulis ipſo Feſto *Petro-Paullino* Candidatis conferuntur.

b) Typis *Lochnerianis* A. 1617. forma quadruplicatæ chartæ. Quam alia dehinc ſequuta non eſt.

c) *Wittebergæ* tunc ſtudiis litterarum (coll. Cap. IV §. 2.) incumbenti.

d) Vox hæc, in primigenio exemplari deficiens, ſupplenda eſt ſine dubio.

„*minibus, qui ſtudioſis in muſeis ſuis privatim eſculenta, & potulenta ſub-*
„*miniſtrant, inito ſatis frugaliter & compendioſe, ut ita dicam, vixit, & qui-*
„*dem cum D. Vſſingero. Tuum jam eſt, inquirere tales homines & ſtudio-*
„*ſos, ut, an ea victus ratio tibi & valetudini tuæ ſit accepta, nec ne, certior*
„*fieri posſis. Hæc ex amici officio ſvadendi, non imperandi gratia, ſcripſi.*
„*Addo, quod D. Vſſinger & Vogelius ita vixerint, ut, dum unus perſolvit, ipſi*
„*duo ſub prætextu unius alendi, ſe ſuſtentarint, & ita una fidelia duos deal-*
„*barint parietes, (ſubaudi tamen hic ſtomachos, non tamen ſtruthionis ſto-*
„*machos) von dem, was einem iſt geſchickt worden, haben ſie beyde geeſſen.*
„*Sed* (ad) *alia epiſtolæ tuæ λήμματα pergo. Quæ de obitu quorundam Stu-*
„*dioſorum narras, ea multis non attingo; modo hoc addidero, ne florem ju-*
„*ventutis noſtræ diabolo (quod multi proh! dolor faciunt,) conſecremus, &*
„*ita Deum ad iram provocemus, ut nos in dimidio dierum noſtrorum auſe-*
„*rat. Lege quæſo, atque iterum quæſo, quæ Siracides in fine cap. V. libri*
„*ſui ſcribit. Venerem & Bacchum colere, ſubque prætextu Chriſtianiſmi*
„*auguſtisſimi Curios ſimulare, & Bacchanalia vivere, proxima ad interi-*
„*tum noſtrum maturandum eſt via. Quia tamen judicia Dei ſunt abyſ-*
„*ſus, ſilendum potius, quam temere aliquid de proximo ſtatuendum. Per-*
„*gis & de ſtatu Academiæ & de Jubilæo* a) *proxima occaſione te reſcriptu-*
„*rum promittis. Promiſſum hoc accepto & avide expecto, ſimulque te mo-*
„*neo, ne in ſcribendo his puerilibus, futilibus & anilibus excuſationibus uta-*
„*ris: v. g. Wegen groſſer Eil hab ich nicht kœnnt: Ein andermahl mehr.*
„*Quis enim ſcit, nos alio tempore ſupervicturos, te occaſionem ſcribendi com-*
„*modam nacturum, aut ſi hoc fiat, litteras mihi traditum iri. Non igitur*
„*ad finem & inſtans abitus tui tempus hæc differas, ſed mature in hoſpitio*
„*tuo, ubi nox multis partibus diem ſuperat, ſcribas. Scio quidem non omnia*
„*omni tempore poſſe, aut debere nos ſcribere. Sed & hoc ſcio, & te ſcire nullus*
„*dubito, occaſione commoda oblata per manus fidelium amicorum traden-*
„*dum eſſe, quicquid ſcribi poteſt & debet: quale eſt hoc præſens nundina-*
„*rum tempus, quo neglecto aut nihil (idque per tabellariorum vel aliorum*
„*infidelitatem aut incuriam) aut pauca eaque rarius ad nos ſcribi poſſunt.*
„*Quod ad ſcholarum Rectores attinet, credo tibi per tuos innotuiſſe, quid &*
„*quinam tibi contribuerint. Dn. M. Læmmermann ipſius accesſi, ſed fru-*
„*ſtra; quia præveniri miſerius, quam prævenire: & culpa hujus rei tota in*
„*te derivatur, qui præſens noluiſti ſerere, ut abſens meteres. Saltem ante*
„*trimeſtre in feſto vel ante feſtum D. Laurentii omnes Rectores & hac de re*
„*inſtanter eos compellare debuiſſes. Nec eſt, quod tibi perſvadeas, noſtro*
nos

a) Eccleſiæ Evangelicæ A. 1617. ſolenni ritu concelebrato.

nos defuisse officio. Fecimus, quod potuimus, sed, quod voluimus, non ob-" tinuimus. Iterum scribis: post festum plura, immo plurima. Hic iterum" te plurimis mihi obstringis, quæ ut jam exsolvas, moneo. Duorum Theo-" logiæ Candidatorum nomina addere debuisses, quia lineam, non vero inte-" grum folium implebunt. Fortassis Egidius Hunnius a) *unus ex illis erit.*" *Quæ in fine de orationibus nostris, quas avide multi expetant, attexis, in"* *illis mittendis tibi jam gratificarer; sed quia variis multisque modis ob-" æratus sum, & de minuendo, immo abolendo, non vero augendo ære alie-" no cogito, ne votum meum infringam, nihil jam mitto, sed in aliud tem-" pus differo. Heri (i. e. 19. Decembr.) D. Christianus Matthias Theol. D."* *& Prof. novus* b) *ad nos venit, Dn. Schröderus hospitio excepit. Est vir" mediocris staturæ; adhuc vir juvenis, (ut vocant) uxor ipsius est* ἄτεκνος," *ad morem fere Belgicarum incedens. Is disputationem inauguralem Giessæ" habuit, cujus titulus: Prodromus arcis Sionis. Cap. I. Joh. explicatur, quo-" ad voces & paraphrasin,* ἀνάλυσις *ejusdem instituitur, inque* θέσει *&* ἀν-" τιθέσει *contra Photinianos disputatur. Inscripta est toti Senatui, mihi-" que a D. Schrödero ad legendum missa est. Notabis ad futura bacchana-" lia* σὺν Θεῷ *quendam Mercatorem Lipsiam transiturum, cui litteras, &c," si fieri poterit, hanc ipsam disputationem, cujus exemplar proprium non-" dum habeo, ad te mittam. Rescriptiones nostrarum litterarum ita insti-" tuantur, ut satis sit, si singulis mensibus litteræ & scribantur & accipian-" tur. Casus necessitatis & commodior occasio excipiuntur. Colerus* c) *pro-"*

Hhh hh *ximo*

a) Filium innuit procul dubio *Peuschelius. Pater* enim jam A. 1603. mortalitatem expleverat. Nec *Nicolaus* is fuit, jam A. 1612. Doctor creatus, *Ileburgo* tamen superiori A. 1616. in *Acad Wittebergensem* advocatus. Falsus autem est vir bonus, quemcunque indigitarit. Nam & *Ægidius* filius, *Antistes* sacrorum *Altenburg.* A. 1623 demum honores in Theolog. summos capessivit.

b) Gente Dithmarsus. In locum *Schopperi* suffectus, commendatione potissimum *J. Schrœderi*, atque *Durlaco* huc accitus: annum ætatis 33. aut nondum aut vix ingressus: qui cum, Præside *Winckelmanno*, anno 1617. Giessæ Hassorum pro consequendis summis in Theologia honoribus *Prodromum Arcis Sionis*, s. Vindicias pro Filii Dei divinitate, ad Joh. I. 1-14. ad disputandum proposuisset, p. p. *Collegium Anti-Photinianum* geminum, ex multis Disputationibus, *Altorphii* propositis, contextum, & A. 1619. sqq. 4to junctim editum, publicavit. Cæterum non admodum diu in Academia Altorphina substitisse, sed inde in *Dithmarsiam* rediisse, Antistitem Eccl. istic acturum, nec multo post in *Soranum Daniæ Lyceum* evocatum, hinc vero ultro decedentem, in *Belgium* migrasse, atque post privatam vitam aliquantisper actam, brevi tempore Evangelium *Hagæ Comitum* docuisse, atque iterum ad privatum vitæ genus *Vltrajecti* exactum integro decennio rediisse, satis superque constat, & forte ex hac epistola ejus rei ratio quodammodo intelligi potest.

c) *Nicolaus Colerus* haud dubie intelligitur, qui & ipse intimam cum *Vogelio Peu-*

„*ximo die Solis concionem habuit ex dicto: Ecce ego mitto angelum &c.*
„*ubi pro doctrina quatuor argumentis, in quarta aut quinta figura forma-*
„*tis, Photinianos impugnavit. Scilicet imaginatus est sibi in cerebro suo,*
„*illum citius promotum iri, qui fortius (sive ευλόγως sive ἀλόγως) in Pho-*
„*tinianos incurreret. Disputationem Hunnii* a) *vidi, nondum vero legi.*
„*Ita nimirum multi, Davidis personam induentes, Goliathum adoriri &*
„*prosternere volunt. Sylvam vocabulorum diligenter legas. Patrono*
„*tuo,* b) *qui litteras tuas admodum desiderat, rescribas. Inprimis vero*
„*litteras ad heram tuam, quæ multa tibi exclusit ova, dabis. Hoc enim in*
„*te desiderat. D. Gotthardus* c) *Altorphi mortuus est: cui Dn. M. Lau-*
„*tensaccius* d) *succenturiatus est. Saluta D. Planerum,* e) *M. Fabri-*
„*tium,* f) *tuum contubernalem, cui alio tempore orationis nostræ exemplar*
„*mittam. Si quid Planerus vellet mihi scribere, posset id jam tutissime*
„*fieri, si modo eæ tradantur D. Weichsnero, dem Steyrischen Kræmer,*
„*Weichsner genannt, qui me amat, & cujus uxor, cum Megeldorffi* g)
„*concionatus essem, me audivit. Ipsemet Lipsiam venit. Er wohnet ne-*
„*ben dem Gundelfinger, gegen den Buchladen deß David Kauffmanns über,* h)
„*wo man die Fleischbrücken herab geht. Dum hæc scripsi, offertur mihi*
„*epistola ad tuos scripta, ubi de Jubilæo aliqua, sed perpauca, scripsisti.*
„*Plura igitur scribes, & quæ imprimentur, mittes; tibi persolvetur. Hoc*
„*tamen addam, si ipse vel alius quispiam invitus scriberet, nolo ei hoc ex-*
„*torquere. Vellem, ut Patroni tui litteras ad me mitteres, ut occasionem*
illum

schelioque Altorphi amicitiam coluerat; Sed deinceps, suspicionis & invidiæ amoliendæ gratia, omni studio arreptam videtur occasionem eo adhibuisse, ut *Socinianus* haud putaretur: quo & *Peuschelius* digitum intendit. Cæterum eundem *Colerum* non multo post *Raschensem*, dehinc vero *Rotenbacensem* ad D. *Guolffg.* Pastorem esse constitutum, atque istic etiam A. 1656. obiisse diem suum, paucis monemus.

a) *Nicolai*, ut videtur; Hic enim sub id tempus *Examen errorum Photinianorum* evulgavit, disputationibus paullatim propositis & collectis constans.

b) Joh. *Fabritio* ad D. *Sebaldi* & totius Minist. Eccles. Antistiti, inprimis *Cornelio* faventi.

c) Rector Scholæ oppidanæ.

d) Vid. Cap. II. §. 50.

e) De quo Cap. II. §. 37.

f) *Joh. Georgium*, quo de Cap. II. §. 17.

g) Pagus est, *Noriberga* non procul distans, & civium cuticulam curantium excursionibus ac prodeambulationibus celebris.

h) *Joh. Kauffmanni* Sen., fidi Lutheranæ sinceritatis apud *Noribergenses* quondam, inclinante Seculo Decimo & Sexto, parastatæ, & ipsius quoque Formul. Concord. Defensoris, Antistitis ad Sp. S. desideratissimi, filius erat, & *Joh. Kauffmanni, qui Witteb. Brunswici, Schwinfurti & Sulzbürgæ* varia fata est expertus, frater: quod in utriusque memoriam observare placuit. Est vero idem ille *David. Kauffmann* a *Paullo* fratre Typographo discernendus, quod obiter annotandum videbatur.

illum conveniendi haberem. In litteris ad tuos scribis, te plura habere," *quæ scribas, sed ut tabellioni parcas, te in futuras nundinas reservaturum.*" *Hic igitur iterum hiatus promissionum, quem suo tempore adimplebis. Jam*" *instat tempus abeundi & audiendi concionem Michæ Altenthannensis vica-*" *rii* a) *ad D. Egidium. Habuit concionem egregiam, cui interfuere ambo*" *concionatores primarii, aliquot Senatores, novus Theol. Doctor. Ma-*" *teria fuit ex cap. XL. Esaiæ: Vox clamantis in deserto &c. A Dn. Schrö-*" *dero Rectore* b) *duos imperiales, a reliquis nihil accepisti. Caussa est,*" *quia & alii multi, tum qui noviter, tum qui olim accessere, nec veteres*" *repulsam facile ferre possunt, tum quia tu post festum venisti. Prædi-*" *ctum Weixnerum inquire Lipsiæ, ut, quod ad me scribere voles, illi tradas.*" *Vale in Domino. Dabam cursim, d. Abrahami. Anno labente* 1617 *post*" *Christum natum.*"

Multa sunt, quæ ex hac epistola lucem accipiunt optatam. Neque enim solum animi *Peuschelianî* characterem, pietatis in Deum & sanctitatis vitæ etiam in familiaribus litteris serio amicis inculcandæ studiosum, itemque candorem & tergiversationum inanium odium aliasque ipsius virtutes ad vivum quasi delineat; sed etiam ex hoc tempore, cum antea, ut supra vidimus, parcius id egisset, exercitiis concionandi eum magis, diligentiusque vacasse indicat. Ad hæc, quantos motus *Socinianæ* illæ turbæ in animis Candidatorum ministerii excitarint, hinc quoque patet; quandoquidem suspicionem hæreseos omnes a se amoliri, quoad ejus fieri posset, studuisse, & in ejus refutationem quoquo modo incubuisse, *Coleri* exemplo, c) utut olim in Academia amici *fratris* nomine *Vogelium* dignati, non sine sale *Peuschelius* commemorat. Vt, quæ de *Lautensaccio* & *Planero*, ad frugem vel jamjam reversis vel redituris, leguntur, omittamus.

§. XII.

Nihil ergo relinquitur, quam, ut extrema utriusque *Peuschelii* pariter & *Vogelii* vitæ acta fataque enarremus, &, qua fuerint in posterum tempus mente atque in religione constantia, tandem quoque subjiciamus. Ad *Vogelium* quod attinet, a quo initium faciemus,

 is

a) Ad D. *Mariæ* templum h. t. inde translati, & A. 1620. demum in Ægidianam Ecclesiam provecti.

b) *Georgio Schrædero*, Rect. Scholæ Laurentianæ, & *Johannis* Antistitis fratre.

c) Præter ea, quæ paullo ante notavimus, jam succurrit: Eundem illum *Colerum* fuisse, quasi a *Ruari* ore pependerit in hæresi *Sociniana* haurienda, quondam a *Virdungo* aut *Piccarto* in suspicionem vocatum: a qua ipse *Ruarus* eum liberat in epist. ad *Peuschel.* Cent. II. n. 9. f. 60. med.

is post eximiam dexteritatem in juventute humanioribus litteris imbuenda probatam, privatim docendo, publicam *Rectoris Scholæ Ægidianæ* provinciam adeptus, annoque 1621. *Georgio Schrödero*, ad *D. Laurentii* translato, suffectus est. Quam functionem in *medio illo Ægidianæ Scholæ statu*, qui nec Gymnasio par omnino, neque etiam mere trivialis, huic tamen similior fuit, tantisper administravit summa fide & industria, donec, Gymnasii forma priori redintegrata, & B. *Jo. Sauberti* oratione auspicali a) dedicata, A. 1633. ad *D. Sebaldi*, in defuncti *Lemmermanni* locum, evocaretur. Vbi constanter deinde, Academicas quoque functiones, aliquoties b) oblatas, repudians, perstitit, ipsiusque, dum viveret, industria & auctoritate *Sebaldina Schola*, maxima incrementa indies ex peregrinorum juvenum ingenti copia accedentium numero, doctrinæque *Vogelianæ* præclaro successu sensit & diu retinuit. Cum priori adhuc fungeretur officio, in matrimonio habuit *Joh. Zunneri*, Rectoris itidem *Sebaldini*, viduam, numerosæ sobolis matrem: in quo privignorum numero quoque celebris Francofurtensium Bibliopola, *Joh. David Zunner*, fuit, quem inprimis vitricus dilexit, consilioque eum & auxilio, quantum poterat, adjuvit. c) Ex altero conjugio, quod, priori e vivis sublata uxore, iniit cum *Maria, Rosenhardtia* cognomento, *Glokengieseria* d) nata, ipse trium filiarum, præter plures mature iterum in tenera ætate demortuas, pater factus est. In quibus maxima natu viro meritis in Eccl. Norib. & eruditione, præsertim in Historia Ecclesiastica, valde insigni, scriptisque præstantissimis clarissimo, *Guolffgango Gundlingio*, Laurentianæ tandem Ecclesiæ Diacono, e) nupsit, ex eaque *Vogelius* præter primogenitum, Pictorem, & dudum defunctum, celeberrimorum viro-

a) Quæ typis excusa prostat. & Cap. I. ex ed. *Heldti* jam commemorata est.

b) Rationes vero, cur Academica vita displicuerit, Celeberrimus *Gundlingius*, Nepos, l. c. p. 32. P. I. *Gundlingianorum* breviter ipsius *Vogelii* verbis reddidit: quas h. l. repetere pigramur.

c) Seniorem *Zunnerum* Bibliopolam indigitamus, M. *J. Zunneri*, Alumnorum olim Altorph. & Oeconom. Inspectoris, deinceps autem Scholæ Laurentianæ Noriberg. Conrectoris, ac tandem Rectoris Sebald. A. 1616. pie defuncti filium, a Vitrico educatum, & ad mercatum librorum adsuefactum: quem undis denique & aquis submersum haud procul Francofurto in itinere periisse, filiumque cognominem, qui scripta b. *Speneri* plurima prælo subjecit & liberavit, impensis in ea factis, reliquisse, constat.

d) E familia Noribergensi antiquissima, quæ ex ære liquefacto fusoque, campano præsertim, nomen habet, nomenque etiam prædio suo, quod haud procul a civitate possidet, dedit.

e) Diacono ante hac Kirchensittenbacensi, & d. 21. Julii A. 1669. pie mortuo.

virorum *D. Nicol. Hieronym. Gundlingii*, Polyhiſtoris Halenſis, & *Jac. Paulli* natu junioris, Illuſtris Conſiliarii Regii intimi Boruſſ. aliisque dignitatibus ſcriptisque ſplendidiſſimi avus extitit. Altera in matrimonio cum B. Parente meo, *M. Andrea Zeltnero*, Diacono Seniore ad poſtremum Ægidiano, a) partim ruri, partim & Noribergæ tandem vixit; Ac tertia denique *M. Eliſæo Girberto*, Paſtori Erlangenſis civitatis veteris venerando elocata, poſt pium mariti A. 1718. obitum vidua divino beneficio ſuperſtes, quæ tamen & ipſa ætate gravis, materque prolis numeroſæ, b) ſuperiori anno 1724. d. XXXI. Maji ſupremum diem bene præparata obiit. Cæterum, uti varia doctrinæ optimarumque artium laude excellebat *Vogelius*, ita humanioris litteraturæ præcipue, & Poetices juxta, ac diſciplinæ accuratæ ſtudioſiſſimus fuerat. Maxime vero omnium pangendorum carminum, ſi quis alius ſua ætate, in patria artifex expeditiſſimus habebatur; neque Latinorum duntaxat, quod olim tritiſſimum fuit, ſed etiam Germanicorum. Nihil proinde datum eſt affectui in Avum beatum a Celeb. Nepote, quando in *Gundlingianis* c) inter primos principesque fuiſſe ſcribitur, qui, ſociata cum præſtantiſſimis *Sileſiorum* Poetis opera, Germanicam linguam expolire laudabiliter contenderint: cum quibus & amicitiam noſter coluit litterarum colloquio ſubinde firmatam. Nec immerito ad Carmina *Vogeliana* fatis, pro ætatis iſtius conditione, affabre contexta illic provocatur: utpote quæ omnia non trivialem genium auctoris ſpirant. Cujusmodi ſunt integri *Pſalmi Davidici*, *cæteraque V. & N. T. Cantica* iſtis attexta, *Eccleſiaſticarum Odarum Volumen*, d) & *Libellus*, quo ſeparatim *ex Evangeliis epiſtolisque Dominicalibus* deſumta argumenta *metri legibus adſtricta conſvetisque itidem melodiis accommodata* complexus eſt. Quorum medium opuſculum cum præfatione *I. M. Dilherri* A. 1653. 12mo. Primum A. 1638. 8vo. Tertiumque A. 1661.

 12mo

a) Antea vero *Altenthannenſi*, *Hilpoltſteinenſi* & *Grævenbergenſis* oppidi Paſtore, A. 1700. fatis pie functo.

b) Ex qua filii quoque duo, Dn. *Joh. Mart.* atque Dn *Joh. Wilhelm.* Eccleſiæ Chriſti miniſterio præfuere, quorum alter in Parochia *Neuhaus*, quæ *L. B. de Crailsheim* Patronis paret, haud ita pridem defunctus eſt, alter in *Kalbenſteinbergenſi*, quæ Perilluſtrem *Rieterorum* gentem ejusque patrocinium veneratur, etiamnum cœtui ſacro cum laude inſervit.

c) Part. I. c. II. §. 7.

d) Tit. eſt præſcriptus: Pſalmen, *geiſtliche Lieder und Hausgeſæng auf die Ordnung der Feſttæge, den Catechiſmum und mancherley Fælle* (ſec LL. Theologicos univerſos) *eingerichtet*. Cantica vero circiter 250. complectitur, & talia quidem quæ, ſi non artificio (ſæpe nimio) aliorum ipſiusque adeo *Paulli Gerhardi*, at perſpicuitate & accommodata ad uſitatos canendi modos melodia, ut vocant, multis palmam dubiam facere queant.

12mo Noribergæ typis excuſa proſtant. Reliqua ſeorſim diverſis occaſionibus conſcripta, Latina præſertim, pæne ſunt innumerabilia. Conjunctim vero *Parergorum Metricorum Centuriæ duæ* (plures enim nos non conſpeximus) *Francof.* 8va forma typis procuſæ præſto ſunt: quarum altera 1642. impreſſa, & privigni a) ſumtibus illic excuſa eſt. Extant & *Vogelii* noſtri *Meditationes de pace reſtaurata* 1649. 4to. Noribergæ typis ſubjectæ, cum Symbolis æri inciſis, quæ laxiori ſenſu b) *Emblemata* in titulo præſcripto vocantur: Itemque *verſio metrica Auguſtanæ Confeſſionis*, ſcholarum *Noribergenſium* uſui quondam inſerviens; & ſimilia plura. Vnde, ſi non alia, illud ſaltem luculentius apparebit, non injuria a *Joh. Gablero*, ICto, *Conſiliarioque* & *Comit. Palat. Cæſareo*, ac *Noriberg.* denique *Reipubl. Advocat. Ord.* laurea Poetica, ultro miſſa, eum fuiſſe condecoratum, Viroſque in eadem civitate primarios, quorum pars magna ex diſciplina ipſius prodierat, ob inſignes animi dotes, eruditionemque & candorem incomparabilem, eum intimo affectu complexos, quosdam etiam pie veneratos eſſe. De veritatis denique conſtanti ac ſincera profeſſione poſt infelicem illam inficiationem, tanto minus eſt dubitandum, quo luculentiora in ea docenda propagandaque quotidie ex cathedra utriusque Scholæ documenta dedit. Nec publica teſtimonia deſunt, hujusmodi præſertim in *Canticis ſupra laudatis Eccleſiaſticis de SS. Trinitate* & *Chriſti merito ac vicaria* pro humano genere *ſatisfactione* dilucide propoſita. c) Tantumque abeſt, ut ſuſpicio clandeſtini ab Eccleſia diſſenſus de eo cuiquam exorta ſit, aut hodieque exoriri posſit, ut ipſe etiam *Vogelius*, omnem a ſe ſuſpicionem priſtini erroris amovendi cauſſa, & averſationem ſeriam teſtaturus, libros ejusmodi, quos adhuc posſidebat, privigno ſuo, ante laudato *Bibliopolæ Francofurtenſi*, vendendos mitteret, ne unquam poſt obitum quoque, de ſe ſiniſtre cogitandi, materiam præberent. d) Neque etiam MSctorum poſt fata b. Viri multa ſuperfuere, ad hanc cauſſam attinentia, paucisſimis brevisſimisque etiam

Locis

a) Joh. Dav. *Zunneri*: de quo paullo ante dictum eſt.

b) Qui tot legibus circumſcriptas non requirit, ſed qualibuscunque imaginum adumbrationibus contentos nos eſſe jubet.

c) Ita v. g. in Cant. ad Feſt. S. Trinit. hæc habentur:

Daſs aber es wahrhafftig ſey,
Daſs drey ſeyn eins und eines drey,
Kan niemand hier ergründen.
Doch wer recht forſcht in GOttes Wort,
Der wird nicht nur an einem Ort
Es mehr als deutlich finden.

d) Vti B. *Gundlingius*, Gener, refert in Oratione Parentali p. ult. Quæ excuſa eſt *Altorphi* 1663. & recitata in *Audit. Ægidiano Noribergæ* V. Idus Junii: ubi tamen de *Socinianis* hiſce motibus vix tribus verbis ad calcem, & in Epilogo commemorata quædam reperies.

Locis Communibus exceptis, in quibus ultimam ad Socinianorum objectiones atque exceptiones responsionem, si bene recordor, optimus *Vogelius* semper adscripserat. Quamvis ne hæc quidem ad posteritatem transmissa sint omnia, sed præstantissimum Volumen, singulari divina providentia, incertum quo fato aut casu, perierit. Quod reliquum est, ex laudata Oratione parentali, post beatam ex hac mortalitate *ἀνάλυσιν Vogelii* nostri, quæ A. 1663. vere ineunte, & mense quidem *Martio*, eoque medio, divinitus illi obtigit, recitata & impressa addiscere satius est, quam in his, ad institutum nostrum haud multum facientibus, diutius immorari.

§. XIII.

Ad *Peuschelium* ergo redituri, hujus quoque fortunam consequentem equidem spectabimus, sed quemadmodum difficilem investigatu fuisse, & forte nunquam satis exquirendam a) profitemur, ita, quæ potuimus, conquisita cum B. L. bona fide communicabimus. Hunc igitur, ut comperta scribamus, post moram aliquam, *Noribergæ* inter Candidatos S. Ministerii exactam, accepimus A. 1619. appropinquante autumno ad parochiam, altero lapide a civitate patria dissitam, *Kalchreuth* evocatum, & per *G. Königium* atque collegas, *Saubertum* atque *Ritterum*, d. 29. Augusti finitis vespertinis precibus, ac proinde minus consveto tempore pomeridiano, sacro ordinationis ritu in ipsa Parasceve Dominicæ XIV. post Trinit. initiatum esse. Ita quoque *Leonhardo Höflichio*, in pago ante dicto Pastori, & præmatura morte defuncto, successisse, similiter ex Indicibus Pastorum bene constat. Sed reliqua b) obscuriora sunt, quam ut copiose ac distincte enarrari c) queant. Id tamen certo quoque cognovimus, atque hinc prætermittendum non esse arbitramur, ex eodem pago post breve & vix trium annorum intervallum, anno nimirum 1622., in ipsam urbem Noribergensem & templum *S. Jacobi* fuisse translatum: ubi non tantum ministerium sacrum *Diaconi*, ut vocant, memoriæ proditum est

a) Latere enim videtur maluisse, quam publicis speciminibus datis, quibus par erat, foras in lucem prodire.

b) Ipsiusque adeo conjugii rationes, nisi quod, uxori ductæ *Magdalenæ* nomen fuisse, innotuit, nos fugiunt.

c) Hoc tamen silentio præterire non possumus, rusticos, pagi ante dicti incolas, invitos admodum vel recepisse, vel retinere voluisse. Sic enim verba *Chronici* cujusdam Noriberg., aliquid harum rerum commemorantis, ad A. 1616. d. 29. Junii habent: *Der Peuschel ist jeziger Zeit auf einen Dorff Prediger, die Bauern wollen aber ihn nimmer haben* &c. Vnde saltem, quare mature oppido inde Noribergam translatus sit, intelligi potest.

eſt, obiiſſe, ſed, præter ordinarios quoque in eadem Eccleſia labores, Conciones etiam in templo *S. Margarethæ*, quod in ipſa arce urbis ſitum eſt, diebus ſingulis Dominicis habendas, ei demandatas a) eſſe, intelleximus; donec A. 1632. in ipſo flore ætatis, annos XL. natus, graſſante tunc in civitate peſtilenti lue, turbisque belli tricennalis maxime flagrantibus, ex hac vita excederet. At de re familiari, & utrum ἄπαις obierit, an prole relicta, nihil omnino certi vel fando comperimus. Neque enim, utrum *Leonhardus Peuſchelius*, b) qui poſt id tempus inter S. Miniſterii Candidatos numeratus eſt, cujusque epiſtolæ quædam perelegantes ad viros doctos ſcriptæ ſuperſunt Msctæ, c) filius, an cognatus fuerit, hucdum explorare potuimus. d) Similiter nec ſcriptorum quicquam, a *Joachimo* noſtro elaboratorum vel vidimus unquam, vel a viris harum rerum gnaris memoriaque valentibus reſciſcere licuit. Vnicum quidem, quod verbis ipſius *Peuſchelii* ab ipſo elaboratum eſſe cognovimus, paullo poſt commemorabitur: Quod tamen, quia lucem publicam nunquam adſpexit, non videtur operæ pretium, ut ejus heic mentionem faciamus, ſed ad ſequentia, quod ea de re dicendum, rejicere ſatius erit. His itaque miſſis, ad conſtantem ejus in veritate rurſus agnita perſeverantiam potius animadvertendum exiſtimamus, dignam ſane, quæ diligentius inveſtigetur. Pauca equidem ſunt, quæ nos eam vel edoceant, vel ſuſpectam reddant; qualiacunque vero ſuperſunt, non negligenda videntur. Faciamus ergo periculum, & hac de re ex duobus monimentis, altero typis impreſſo, altero vero Mscto, quid hariolari liceat, tentemus. Poſterius epiſtola eſt verboſa admodum ad *Peuſchelium* anno MDCXXVIII. a *Floriano Cruſio* e) exarata, multaque complexa partim

a) Et inde ab A. 1625. quoque conſtanter usque ad mortem habitas.

b) Vir Juvenis doctiſſimus & elegantiſſimi ingenii.

c) Quarum aliquot ad *Joh. Sextum* datas celeberr. noſter gratioſi Med. Ord. Sen. D. *Bajerus* poſſidet.

d) Probabilius vero eſt, & temporum rationibus congruentius, ejus fuiſſe filium. Ex cujus etiam epiſtolis MSctis, viduam illam *Peuſchelii*, ſupra memoratam, *Nicolao Kargio, Förrenbacenſi Paſtori*, deinceps nupſiſſe, conjecturam facimus.

e) *Florianus* ille *Cruſius*, patria, ut veriſimile eſt, *Pomeranus*, & quidem *Stetinenſis*, profeſſione Medicus fuit, qui diu hinc inde per varias Germaniæ Academias vagatus, & in *Auſtria*, primum apud *Joh. Keplerum*, Mathematicum Ordd. Auſtriacorum, atque deinde etiam Cæſareum. *Lincii*, deinde A. 1616. *Argentorati* in ædibus *D. Elſpichii*, cum nutritio ſuo *Gotthardo Carolo a Mulbach*, cum quo paullo ante iter in *Galliam* fecerat, & quidem ad annum usque 1619. commoratus, inde porro in *Auſtriam* reverſus in *Raſlenburgica* arce beneficio viri generoſi, *Michaelis Zelleri, Rudolphi II.* quondam Camerarii, ſuſten-

tim arcana, partim etiam pro *Peuſchelio* facientia, &, ad animi ejus ſententiam cognoſcendam, idonea documenta. Quæ tanto ſunt nobis viſa digniora obſervatu, quo luculentiora veſtigia in epiſtolis *Ruari* deprehendimus, ejusdem *Cruſii* in religionis negotio, poſt præceptum deguſtatumque venenum, admodum vacillantis animum a *Noribergenſi* quodam ad id adductum & permotum eſſe, ut *Smalciana* ſcripta & ipſius *Socini*, ſi gloria Dei revera curæ & cordi ſibi eſſet, pervolveret; quæ ipſa ſcripta *Ratisbonam*, ubi tum temporis hærebat, ſibi transmiſſa ab eodem tum adhuc ignoto ſvaſore fuiſſe, ipſe *Ruaro* narrat. a) Quanquam enim non auſimus, fine ſolidis clarioribusque teſtimoniis, ipſum *Peuſchelium*, qui ſolus, quod cognitum ſit, poſthac cum *Cruſio* amicitiam & litterarum conſvetudinem frequentiorem habuit, hujus clandeſtinæ commendationis *Socinianorum* ſcriptorum ſcitorumque poſtulare, neque etiam de temporum rationibus ſatis conſtat; attamen effici hinc poſſe putamus, qui factum ſit, ut idem deinceps *Cruſius Noribergenſium* favorem, in ſequenti p. p. epiſtola maximopere demonſtratum, tam ſolicite ambiret. Immo contra non levia ſunt aut ſpernenda indicia, quibus, ex ipſa illa epiſtola deſumtis, mens *Peuſchelii* a *Socini* portentoſa doctrina, olim abdicata ejurataque, aliena cognoſci queat, ut pro excuſando potius, quam accuſando facere

 vi-

tatus, atque hinc denique digreſſus Germaniam iterum tranſiit, *Erfurti* cumprimis diutius hærens, ac tandem, in ſocietate hæreſeos Socinianæ (quam *Ruari* opera *Argentorati* primum videtur iniiſſe,) *Wolzogenii*, ut multa docent, familiaritate potiſſimum confirmatus, longo tempore *Sedini Pomeranorum* vixit; exinde vero, ducta ejusdem *I. L. Wolzogenii* ſorore in matrimonium, *Bobevicum*, atque tandem *Gedanum* commigravit. Vbi orationis ſvada ſua, qua pollebat maxime, & philoſophico acumine, *Dan. Zwikerum* in partes *Socini* inter alios adduxit. Equidem cum eo ex urbe *Gedanenſi* A. 1643. ejectus, quorſum abierit, num conſtanter *Ruaro* adhæſerit, & quando tandem exſpiraverit, obſcurum eſt; At anno tamen 1645 inclinante adhuc ſuperſtitem fuiſſe, ex *Marini Merſenni* Epiſt. *Pariſiis* ad eum ſcripta elucet; utpote in qua, ut *collectanea* ſua *contra Atheos*, quæ typis parata habeat, prælo ſubjiciat, operoſe illum monachus iſte eruditus exhortatur. Ex qua epiſtola, ultimum locum inter eas, quarum *Janus Brantius* Centuriam 8vo edidit 1715., tenente, etiam in Sarmaticis oris eum ſub id tempus adhuc vixiſſe, non obſcure colligas, ſed de vitæ exitu altum ubique ſilentium eſt. Cæterum de fatis *Gedanenſibus Cruſii*, non minus quam aliorum *Socinianorum*, Civitati laudatæ diu gravium, *Hartknochius* conſuli poteſt *Hiſt. Eccl. Boruſſ.* L. III. c. IX. f. 824. ſq. c. VI. c. XI. f. 849. cui Epiſt. Tom. II. Ruar. n. 64. 68. & 69. addantur.

a) Tom. II. Epiſt. Ruari n. XXIX. ubi & Auſtriaci cujusdam amici, & comitis benigni, *Noriberga Ratisbonam* redeuntis, opera, libros iſtos ſibi allatos addit. Quæ circumſtantia, ut commercium hujus Crypto-Socinismi longe lateque diffuſi magis pateat, commemoranda videbatur. Forte, qua occaſione *Wolzogenius* hoc venenum primum hauſerit, hinc intelligi poteſt.

videatur. Namque si rem recta reputemus via, in præcipuis quibusdam *Photinianorum* opinionibus impugnandis magis occupatus fuit, cum ad *Crusium* ante scripsisset, quam pingendis aut incrustandis, tametsi in multis etiam animi fluctuationem, sciscitando & responsionem ad scrupulos subinde natos exposcendo, valde prodiderit. Sed præstat ipsius epistolæ argumentum (totam enim κατὰ πόδα exscriptam dare, nimis longum esset) recensere, & singula ex quæstionibus propositis disputatisque pressius dijudicare.

§. XIV.

Sunt autem, de quibus agitur, post exordium generale, omnino *duodecim argumenta*. Et quoniam *primum* a præsenti instituto alienius est, quippe de marito Samaritanæ fœminæ Joh. IV, 18. motam, quæstionem ventilans, eam, qua partem initialem, breviter attigisse satis habemus. a) *Alterum* caput distinctiones quasdam expendit, &, utrum ab uno singulari ad aliud concludi legitime possit, b) considerat, neque in ejus quoque ventilatione occurrunt, quæ, qualis fuerit *Peuschelius*, distincte edoceant. *Tertium* vero, quod ille proposuerat, disquisitionis argumentum huc plurimum congruit. Siquidem ex responsione *Crusii* luculenter plane apparet, *Peuschelium* pro æterna divinitate Jesu Christi, in epistola hac priori ad ipsum scripta, maxima industria depugnasse, & Syllogismum sequentem adversario opposuisse: Cuicunque nomen, attributa, opera, cultus & gloria naturæ divinæ tribuuntur, ille natura Deus est &c. Idque operoso apparatu *Peuschelium* eruisse, ipse, cujus hæc verba sunt, *Crusius* ait. Et quanquam majorem propositionem limitando, hunc in modum: Cui primo & per se hæc conveniunt, ille natura est Deus, responsurus *Crusius*, satisfacere objicienti conatus sit; facillime tamen apparet, *Peuschelii* rationibus constrictum diffidentem alia ratione, quam novis, atque iis quidem, quæ in principio controversa erant, absurdis, effugia sibi quæsivisse. *Quarto* loco de analogia fidei disputarunt, ex dicto Rom. XII, 6. notissimo, quam *Peuschelium* de Scriptura sibi accurate semper constante, *Crusium* vero ex

a) Conf. de reliquo accuratissima Diss. in *Bibl. Brem. Theol-Philolog.* Class. V. fasc. VI. f. 1005. sqq. excusa, & a *Georgio Schaubio* docte conscripta; in qua locus vexatus optime examinatus, & innocentia fœmellæ multis argumentis demonstrata est, culpaque in maritum septimum debiti conjugalis constanter denegati reum conjecta legitur.

b) Conf. Hebr. XIII. cum Jos. I. 5. & Matth. XII. 3. coll. 1 Sam. XXI. 6. atque Ex. XXIX. 3. Lev. XXIV. 9.

ex mente *Socinianorum* de accommodata ad Scripturam ratione, & rurſus, explicaſſe, eo certe, quæ in utramque partem producta ſunt, tandem devolvi, liquet. a) *Quinta* disquiſitionis materia fuit, facultas illa concedendi Apoſtolis ſeſſionem a dextris & ſiniſtris Chriſti, quæ Servatori Opt. Max. videtur abjudicari Matth. XX, 23. Vbi *Smalcii* mentem *Florianus* copioſius explanavit, & illam *Peuſchelii*, quam *Smiglecio* quoque adſcribit, tolerandam non eſſe, probare annititur. b) *Sexta*, quæ ſubſequitur, quæſtio: An dogma de Trinitate dici poſſit damnabile? ventilatur, &, obſcurius repetita *Peuſchelii* ſententia, mollior Racovienſium ab adverſa parte adducitur. Ex *ſeptima* & *octava* diſceptatione elucet, pro nomine Dei, quod etiam ſine Articulo ſoli Deo ſummo æternoque attribuatur, acriter *Peuſchelium* certaſſe, advocato etiam in conſenſum *Socino*. Quod cum refellere *Cruſius* laboret, nihilominus, Chriſtum abſolute ac ſimpliciter, absque ulla limitatione ſeu reſtrictione, Deum vocari, neque a *Peuſchelio*, neque ab alio quoquam demonſtrari poſſe, contendit. *Nonum* disſerendi argumentum de nomine Dei proprio præbuit locus Exod. III., ubi *Cruſius*, id non eſſe, niſi appellativum: *Qui eſt*, *qui erat*, *qui fuit*, pertinaciter tuetur. Atque hinc ad cognatum fit tranſitus, eamque *decimam* quæſtionem, in ejusdem nominis Divini conſideratione occupatam. Vbi *Cruſius* ad quæſitum: Sitne nomen Dei Deo illi uni & æterno proprium? reſpondet, & propter excellentiam Divinitatis, quæ in ipſo ſit, ex communi uſu jam fere ſolum Deum dici largitur, ſed nomina Jehova & Θεὸς proprium unius ſingularis rei ſemper fuiſſe negat, atque hinc porro, ut appellativum aliis tribui, ſed κατ' ἐξοχὴν ſummo Numini, arbitratur. Cæterum nomen Dei nihil aliud deſignare, quam naturam quandam immortalem, intelligentem, præſentiſſimam & feliciſſimam, quæ in Deo & in Angelis, licet in his minor, & intellectui humano magis comprehenſibili modo exiſtat, aſſerit, & ſtudioſe adſtruit. *Vndecimam* colloquii materiam ex reſponſione, eorum locorum ſenſum fuiſſe, patet, in quibus Chriſto totius mundi creatio attribuitur; in quibus litteralem *Cruſius*

 abſur-

a) Quæ etiam b. *Felwingero* noſtro evulgandæ hujus epiſtolæ, cum de *Ratione in Theologia* diſputaret, extitit cauſſa.

b) Qui nodus omnium compendioſiſſime ſolvitur, ſi Græcam particulam ἀλλὰ pro εἰ μὴ poſitam dicas, ſenſu ſtyloque Hieroſolymitano perquam trito, (conf. inſtar omnium *Talm. Hieroſolym. Cod. Schebbuoth*, f. 34. coll. 3. l. 26. ſq. & *defectum*, non in potentia dantis, ſed *hominum intra ordinem duntaxat certum* divinæ ſapientiæ probatum accipere ſpiritualia illa & cœleſtia beneficia *valentium*, quærendum eſſe obſerves.

abſurdum, & ſenſum analogum potius hic admittendum, judicat, formulisque, quibus utitur: *Quod tu urgere videris:* itemque: *pro tua cauſſa facere exiſtimas*, clariſſime innuit, *Peuſchelium* in litteris antecedentibus maſcule, creationem propriam conditumque mundum ex nihilo, pro ſumma divinitate Chriſti inculcaſſe, ac ſerio defendisſe, præſertim ex Pſalmo CII. qui ad Hebr. I, 10. etiam adductus & validiſſimus eſt ad *Socinianorum* omnia munimenta evertenda aries. a) His ſubjunguntur verba ſequentia, quæ digna exiſtimamus, ut integra repetantur: *Poſthæc recenſes aliqua Scripturæ loca, e quibus exiſtimas Sp. S. perſonalitatem, ut loquuntur, probari poſſe, ſed miror, Te nudis Scripturæ teſtimoniis contra manifeſtæ veritatis analogiam ita abuti malle, quam ſecundum certisſimam veritatis normam genuinum & non fallacem Scripturarum a Te allegatarum ſenſum inveſtigare: Hoc enim ſi malles, jam dudum ſufficientisſimas horum locorum explicationes, & genuinum, vel ſaltim indubitatæ veritatis analogum, eorum ſenſum apud noſtros Scriptores inveniſſes; quapropter &c.* Neque enim ex his obſcurum eſſe poteſt, qua methodo luculentisſima teſtimonia Scripturæ S. ſoleant *Sociniſtæ* ad rationis, & ex ea animo præconceptarum hypotheſium, dictamen detorquere, atque *Smalcii* b) illud notisſimum effatum: *Etiamſi non ſemel atque iterum, ſed ſatis crebro & apertisſime ſcriptum extaret, Deum eſſe hominem factum, multo ſatius eſſe, quia hæc res ſit abſurda & ſanæ rationi plane contraria, & in Deum blaſphema, modum aliquem dicendi comminiſci, quo iſta de Deo dici poſſunt, quam iſta ſimpliciter, ita ut verba ſonant, intelligere*, gnaviter exequi etiam *Cruſium*; Quid enim per analogiam veritatis *Cruſius*, Philoſophiæ diſciplinis non leviter tantum tinctus, ſed, ut *Sandius* loquitur, omnium *Socinianorum* excellentiſſimus, c) denotatum velit, rationis nimirum principia ſubſtrata evidens eſt, & ſupra quoque, ad quæſtionem IVtam, a *Peuſchelio* objectam, explicate affirmatum; *Peuſchelii* con-

a) Conf. ſupra Cap. II § 45. annotata.

b) In Homil. VIII. ad Cap. I Joh. f. 89.

c) Quod præter cætera etiam *Epiſtolæ* condocent, quibus de variis argumentis cum amicisſimo J. *Keplero* ſuo diſputavit, inque illis, mathematicarum præſertim ſcientiarum, non mediocrem notitiam prodidit; Quæ inter *Keplerianas* ſumtu Cæſareo ſplendide A. 1718. Lipſ. editas n. 399. ſeqq. comparent, & præter alia, meditationum de *harmonia præſtabilita* tot turbas noſtra ætate dante, atque *Kepleriani conſilii* de *Harmonia Evangelica* evulganda, mentionem injiciunt. Ex quibus etiam epiſtolis, quod obiter notamus, hunc ipſum *Cruſium*, *Argentorati* dum degeret, Diſp. de *Cephalalgia* & Lib. de *Morbo Hungarico* prælo ſubjeciſſe, (vid. l. c. Ep. 399. & quidem fol. 629.) didicimus. Vnde ſupplementum aliquod Indici ſcriptorum *Cruſianorum* in *Sandiana Biblioth.* adjici poterit.

contra pro Evangelii veritate solicita cura non minus ex verbis allegatis, quam tota disceptatione conspicitur, eaque tanta, ut ludibrium quoque hic ejus ardor & sinceritas debuerit *Crusio*. Sed ad epistolam nostram redeundum est. In qua, ad quæsitum *Vndecimum*, porro *Crusium* Socinianorum argumentum, quo probare conantur: Quia divina essentia non multiplicetur, ex ipsa quoque nihil generari posse, quod ipsi simile sit; vindicare studet, idemque, *quod* (verba sunt ipsius *Crusii,) refutare conatus sit, Peuschelius* ulterius adstruit, sed ita, ut ratione humana tantummodo, quæ hæcce comprehendere non posfit, in auxilium vocata, depugnet. Inter alia, ubi de his disputat, hunc quoque in modum alloquitur *Peuschelium*: *At si vestra tam mira generatio vera esset, possetis vel evidens de ea in Scripturis testimonium monstrare, vel &c. sed neutrum horum præstare potuistis. Non opus est, ut testibus advocatis contra nos urgeas, Scr. S. solam esse fidei normam &c. id quod etiamsi fatemur lubentissime* &c. Quæ luculenter *Crusii* a *Peuschelio*, & rursus hujus ab illo, seriam (in nonnullis certe) dissensionem commonstrant. Additur denique locus Joh. VIII. 58. quem *Crusius* ita explicat, ut tamen hypothesibus suis nihil detrahat, de decreto nempe divino istic agi; non de existentia ipsa Christi ante Abrahamum reali, pertendens. Sed hinc quoque genuinam, contra *Lælii Faustique Socinorum* temerariam illam Pseudhermeniam, l. c. sententiam *Peuschelium* asseruisse patescit. Totumque adeo, quod aggressi sumus demonstratum dare: *Peuschelium videlicet, post Socinismum candide abjectum, nunquam ad illum se omnino recepisse*; tanquam scopum propositum videmur assequuti.

§. XV.

Quo facto nihil aliud relinquitur, quam ut commemorabilem tandem *conclusionem epistolæ* hujus, eamque integram, cum L. B. communicemus, ex qua, quid addisci queat, post ipsa verba *Crusii* recitata, candide indicabimus: Verba *epilogi* citati hæc sunt, quæstionibus XII. attexta:

Atque sic existimo, ad omnia dubia tua, quantum nunc a me fieri potuit, sufficienter responsum esse. Tuum jam est, Peuscheli charissime, omnia, quæ huc usque a me de rebus non parvi momenti dicta sunt, accuratius expendere, eaque etiam reliquis amicis nostris, modo ad captum ipsorum accommodato, communicare. Vaccipedani a) *litteras accepi; ad eas, Deo dante,*

 cum

a) Nomen hoc fictum, quisquis ille fuit, vel a loco *habitationis*, vel ab *armis*, quibus in sigillo usus est, accepit: aut ex compacto, ut tanto tutius lateret, ab ipso illo *Amico* adscitum est. Nobis nihil, quod huc quadraret, quam diversorium *beym Rindfus*

cum potero, respondebo. Tu vero interea vide, ut infirmitati ipsorum, cum præsens sis, & commodius nunc possis, quam ego, subvenias. a) *Systema Theol. ego nullum scripsi. Scripsit Dn. Baro Wolzogen Confessionem & quasi summam Religionis Christianæ germanico idiomate.* b) *Sed præter spem istud etiam opus excrevit, ut non potuerit tam facile & tam brevi tempore, ut tu existimas, describi. Ego vero, ut in proximis meis ad Te datis, indicavi, Tr. de Religionis Libertate conscripsi, & ante hunc Tr. de Trinitate ad medium fere perduxi. Reliquum ex notis meis explevit Dn. Wolzogenius. Sed ista quoque omnia & multo prolixiora sunt, ut tam cito describi possint, & in meum privatum usum adhuc scripta, nec ita elaborata sunt, ut lucem videre debeant. Plurimas præterea notas, de rebus tam philosophicis, quam Theologicis, tanquam materiam futuri operis, quod meditamur, congessi; in quibus multæ difficillimæ & abstrusæ quæstiones ad manifestæ utilitatis analogiam revocantur, & ex ea illustrantur atque explicantur. Quorum omnium suo tempore tu & reliqui amici nostri participes fietis. Nunc, utut maxime velim, petitioni tuæ, tamen nullo modo satisfacere possum. Interea jacturam hanc aliqua ex parte resarcies, si de iis, in quibus meo consilio tibi opus esse existimas, ad me perscribere perrexeris, nec omnino scriptionis officium, ut minaris, omiseris. Nam etsi in Transsylvaniam pervenerimus, (de quo nondum adhuc certi sumus, fortassis enim Racoviæ subsistemus) nihilominus per Dominum Ruarum nostrum, litteræ tuæ* c) *etsi serius, tamen aliquando ad me pervenire poterunt, ita ut saltim quotannis unas, quemadmodum ego a Te, ita Tu a me accipere possis. De reliquo, an & quando ex Transsylvania rediturus sim, aut quando opus nostrum Tibi videre continget, ut &, num tam diu supervicturus sim, Deo curam permitte, cujus solius est, nobis, tanquam filiolis suis ab ejus gratia & sapientia incomprehensibili dependentibus de futuro prospicere. Nostrum vero tantum est, ad præsentia respicere, ut in iis nos fideles Deo exhibeamus, & ea, quæ a nobis fieri possunt ac debent, pro virili efficiamus, illaque, quæ mutare non*

dictum, reperire licuit, sed, quemadmodum taberna illa, e regione ad divum *Claræ* sita, in hominem illum, de quo h. l. sermo est, conveniat, nondum perspicere potuimus.

a) Suspecta sane verba, & cum cæteris *Peuschelii* actis dictisque vix concilianda.

b) Extat hoc *Compendium*, uti inscriptum nunc titulum præfert, *Religionis Christianæ* in *Opp. Wolzogenianis*, quæ Bibl. Frr. Polon. partem constituunt, A. 1656. excusum, post *Præparat. ad utilem Lect. N. T.*, &c, uti reliqua, (scripserat enim cuncta, quæ exaravit, Germanice *Wolzogenius*) in Lat. linguam terse nitideque a *Joach. Stegmanno* translatum est.

c) Cum *Ruaro* igitur *Peuschelius* quoque litterarum commercium continuavit diutissime; utpote qui laxiori cuidam in rebus fidei sententiæ addictus, & ad dissentientes tolerandos proclivior erat.

non possumus, fideli animo Deo commendemus. Is viam nostram in vastissimo & periculosissimo hujus mundi pelago ad portum salutis justo tempore & modo diriget. Epistolam Dudithii ad Bezam, de Communicatione Idiomatum nusquam me vidisse memini, nec Dn. Ruarus, unde ejus describendi copia fieri possit, novit. Libros vero reliquos, quos desideras, idem Ruarus, ut accipias, curabit. Divortium inter me & Dn. Zellerum nullum, quod ego sciam, aliud intercesfit, nisi quod is negotiorum suorum caussa Hamburgum profectus est, & ego Stetini remansi, & adhuc ejus reditum spero. Filium suum, non ut a me divelleret, vel avocaret, sed ut ipsi inserviret, secum abduxit. Diversum quidem nunc adhuc in multis, ad Christianæ religionis perfectiorem cognitionem pertinentibus, sentimus, sed incolumi amicitia. Ubi per otium exactius mea, quæ secum habet, expendere poterit, spero ipsum adhuc in sententiam meam discessurum. Abitum nostrum quod ægre feratis, facile credimus, quod vero in eo, quod necesfitate præsenti coacte facimus, a vobis reprehendimur, miramur. An existimatis, vos agere, quod justum est, dum factum nostrum reprehenditis, rationem facti non refutatis. Injusti & insipientes essemus, si tantis rationibus, quibus ad discessum impellimur, spretis, sine ulla ratione alia, nisi, quod vos ita velitis, in Germania subsisteremus. Discipulos, quos collegimus, tibi commendamus, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ. a) *Quia enim a Deo alio vocamur, discipulorum perfectionem & adultiorem ætatem exspectare non possumus: Noster enim transitus celer est, qui tantisper, dum præsentes sumus, aliquid capere potest, capiat. Quod mones, ut in vicinia Dn. Sacci usque ad nundinas Francofurtenses permaneamus, eadem necesfitas, quæ nos e Germania pellit, quo minus id fieri a nobis posfit, vetat. An tu id parvum esse existimas, ut cum universa familia nostra Dn. Sacco molesti simus, qui tam audacter svades, ut ipsius fortunis freti apud ipsum remaneamus: Aliud enim est, unum hominem alere, aliud vero integram familiam nutrire. Quis novit, quamdiu Polonia a sede belli immunis futura sit? Marchia & vicina Poloniæ confinia, & inter hos ipse etiam Generosus Dn. Saccus militis insolentiam non leviter hactenus experti sunt, neque in futurum adhuc tuti sunt, nisi singulari modo Deus hominum perditorum conatum represserit. Poloniæ dira imminent. Quereris, quod antequam nostra plene rescire & probare posfitis, & ubi nostra opera maxime indigetis, a nobis deseramini. Verum sic non est ad vestras ratio-*

a) Etiam hæc non carent suspicione, &, Peuschelium non fuisse a Socini hypothesibus posthac quoque omnino alienum, subinnuunt. Qua enim ratione discipulos collectos ille expolire amplius potuisset, nisi in multis eadem, quæ *Crusius* atque cæteri sodales, sensisset. Quibus omnibus, ut ἐκλογὴν quandam eidem arrisisse pateat, lucem §. ult. hujus Cap. IV. affundet.

tiones respondere, sed iis alias opponere, ubi jam, quæ majoris ponderis sunt, adhuc expendendum restat. Nostra, quantum pro initio sufficit, tum ex his, tum ex prioribus aliis meis litteris probare potestis: Quod tunc, ubi nostra plene sciretis, faceretis, id cur nunc facere non debeatis, caussam nullam habetis. Ad Kesleri Examina Logicæ & Metaphysicæ Photinianæ, a) *nihil, quod ego sciam, adhuc responsum est: Et quomodo possent tam pauci, tot adversariis cincti, & toties impediti, singulis respondere? Bonitas caussæ etiam, dum tacet, sat loquitur, &, dum patitur, vincit. epistolam hanc* STETINI *conceptam in Mestichiano Generosi Dn. Sacci perscripsi. Variis enim negotiis, dum ad iter accingimur, ne citius hoc responsum absolverem, impeditus sum. Discessimus autem Stetino altera post Pentecosten septimana, & post octiduum a discessu ad Generosum Dn. Saccum venimus. Sic dum comites nostros Dnn. Goslavios & Dn. Jo. Slichtingium,* b) *Goslavia venientes exspectamus, dum quæ ad iter necessaria sunt, equos scilicet & currus, præparamus, jam quarta labitur septimana. Hic apud Dn. Ruarum tuas, quas ad ipsum scripsisti, vidi, & ex iis etiam, quantopere Systema meum Theologicum, quod nullum scripsi, desideras, intellexi. Sed spero te imposterum tantisper quieturum, dum Systema istud conficio. Citationi vestræ nunc parere non possum, quapropter me apud reliquos amicos excusabis, præsertim apud Dn. Vaccipedanum, ad cujus litteras respondere nunc non potui, quia otium, quod ad responsum istud desiderabam, mihi non suppetebat. Dic ipsi meo nomine, ut accuratius priores meas litteras intueatur, & ad rationes meas non suam sententiam dicendo, at meos errores, si quos iis subesse existimat, detegendo respondeat. Responsum meum ad argumentum de anima, quod is, quisquis est, cujus responsionem misisti, eludere conatur, vidi. Alio tempore ad eam respondebo. Nunc hoc tamen dico, vix necesse esse ad eam aliquid reponere, præter ea, quæ in proximis meis de toto hoc argumento dixi. Vale, charissime Peuscheli, una cum tuis, gratiæ & protectioni divinæ commendatis. Salutat te Dn Baro Wolzogenius. Saluta meo nomine Dn. Vogelium nostrum, Dn. Vaccipedanum & affinem ejus, & alios, quos nosti, amicos nostros. Perscripsi in Mestichiano d. 21. Julii stylo novo. A. 1628.*

Tuus qui olim, & is imposterum etiam, quoad vixero,

Florianus Crusius.

Plu-

a) Quorum illud A. 1624. 8vo Witteb. primum; hoc A. 1623. ibid. eadem forma prodierat. *Physica* enim *Photiniana* A. 1631. *Erffurti* demum, quod sciam, lucem adspexit.

b) *Jonam* haud dubie, modestissimum, de quo supra.

Plurima ſunt, quæ his litteris, data opera, quantum ad præſens inſtitutum ſatis erat, exſcriptis, comprehenduntur. Etenim qua mente fuerit in Theologicis religionisque negotio *Peuſchelius*, patefaciunt haud obſcure, quippe cujus, poſt informationem meliorem, diſceſſum a *Socinianorum* placitis adhuc conſtantem multis in locis apertius produnt, &, quod laude dignisſimum, in oppugnandis quoque iisdem, a) poſt publicam illam παλινῳδίαν, eum deſudaſſe ſimul demonſtrant. Ad hæc amicos quosdam *Noribergenſes* commemorando, quam fuerint nonnulli *Socinianorum* b) eorum, non obſtante in religione diſſenſu, memores, qui olim & errorum participes erant, inde cognovimus. Equidem, quis *Vaccipedanus* ille fuerit, dicere non poſſumus: cujus, in omnes licet partes nos conjectando verterimus, originem, aut commentitii nominis fontes, inveſtigandi labor fruſtraneus fuit. Quisquis fuit, id nobis in præſens ſufficiet, ad invidiam omnem effugiendam, quaſi ſocius impietatis adhuc comprobatæ fuiſſet, pertinere, quod ipſe *Cruſius*, eum quoque in confutandis refellendisque potius erroribus *Cruſianis Socinianisque*, quam propugnandis, verſatum eſſe, perſpicue aſſeverat, eandemque collocutionis per litteras materiam fuiſſe præcipuam, ipſe fatetur. Vnde, quam *ficulneum ex conſuetudine litterarum*, cum *Socinianis* quibusdam, ab hiſce viris olim peſtilenti ſectæ addictioribus, continuata, argumentum deſumi ſoleat, evidentiſſimum eſt. Vtut enim ab omni etiam ſpecie mali abſtinere c) ſatius conſultiusque fuiſſet; heic tamen ſpeciem illam necquicquam ſcribentibus objici potuiſſe, in aprico eſt poſitum, quod conciliandis ſibi & veritati divinitus patefactæ magis operam dederant, ſaniora videlicet jam edocti, quam confirmandis. Tantum ergo abeſt, ut clandeſtinarum conſpirationum inſimulari queant. Eodemque proinde ſenſu *Vogelium* aliosque amicos Noribergenſes *noſtros*, ſeu, quod idem eſt, *ſuos*, appellavit *Cruſius*; non alio ſcilicet, quam quem communia amicitiæ jura efflagitant, & admittunt. Quandoquidem dubium non eſt,

 quin,

a) Permultis certe. De cunctis enim cur dubitemus, nonnihil cauſſæ eſt.

b) Quidam enim, hanc a priſtina ſocietate defectionem quam ægre ferrent, etiam in ſcriptis non diſſimulabant: cujusmodi primaria præſertim capita erant *Smalcius*, *Slichtingius*, *Crellius* & reliqui; quorum uti querelæ jam ante ſuo quæque loco ſunt excerptæ, ita conſuetudo litterarum ab eo tempore, quo publice errorem ſuum recantaverant noſtri, abruptum fuit.

c) Quoniam ne *ave* quidem *dicere* plaanis hujusmodi, judice *Johanne* Apoſtolorum mitiſſimo, licet.

quin, cum & ipse aliquandiu *Noribergæ*, & quod plane scimus, a) A. 1624. mense Septembri diutius vitam egisset, eorum, quos olim noverat, fuisse *Socinismo* faventiores, & quibuscum etiam litterarum ipsi commercium ante intercesserat, familiarem magis atque præ cæteris crebriorem consvetudinem ambiverit, eademque etiam, qua jam tum erat nominis claritudine insignis, sine difficultate potitus sit: ita tamen, ut libere contradicentes, minime vero omnium consentientes habuerit, & tamen haud illiberaliter cunctos toleraverit. Quam etiam ob rem, & modestiam cumprimis cum eruditione certantem, eo semel iterumque videtur concessisse, vel ut Medicæ artis exercendæ caussa, vel ut alias, quibus in *Mathesi*, omnibusque Philosophiæ partibus, excellebat, dotes meliores publicæ rei destinaret atque sacraret: Quod enim suis in doctrina cœlesti erroribus, in quibus post prima initia, aliunde hausta, affinis Per-Illustris, *J. L. Wolzogenius*, eum corroboraverat, quenquam *Noribergæ* contaminaverit, id neque fando, neque alio cujuscunque generis vel leviculo documento, compertum habemus. Ad ipsam hanc epistolam quod attinet, cujus ex *Saubertina* supellectile nobis inspicere exemplum contigit, eam integram jam prælo equidem subjecit, totamque ad examen revocavit noster in hac quondam palæstra exercitatissimus *J. P. Felwingerus*, quam opellam, *disceptationis Theologicæ Anti-Photinianæ de ratione in Theologia* titulo, Helmstadii A. 1671. quadruplicata chartæ forma impressam, insignivit. Sed, quoniam alius, quam historicus, ejus fuerat scopus, (unde etiam vix, *Peuschelium e barathro Photinianorum extractum in fasciculum seductorum recolligere, & speciosa hac epistola solicitare ausum esse* ejus *Auctorem*, *in Præfat.* observavit) nobis ad præsens institutum visum est apprime pertinere, si integer præsertim *Epilogus*, expressis, quæ suppresserat *Felwingerus*, aliquot nominibus, recuderetur plenius. Cæterum, male ex nescio qua manu *Crellium* a B. *Felwingero* pro hujus epistolæ auctore venditari, vel inde patet, quod, in *Pomerania* eum, qui hæc scripserat, diutissime habitasse, hinc vero in *Poloniam* demum, & *Sacci* hospitium cum *uxore* & liberis venisse, aliaque hujusmodi, ipse commemorat: quæ, quo pacto in *Crellium*, *Racoviæ* constanter munere suo fungentem, & de *Pomerania* adeunda nunquam vel cogitantem, conveniant, pervidere neutiquam

a) Id enim ex epistola ab ægroto ad celeb. Medicum D. *Hieronym. Beslerum* d. 19. Septembris illic scripta, cujus in CL. Collegæ nostri D. *J. Jac. Bajeri* Medici instructissima Bibliotheca αὐτόγραφον superest, intelleximus.

quam possumus. Vt alia totius epistolæ argumenta, a *Crelliana* indole alienissima, ipsiusque styli notabilem differentiam omittamus. Ex litterarum vero seu characterum potius forma perexiguum probandi signum duci posse, haud temere arbitramur; quandoquidem utriusque scribendi consvetudinem de his judicantibus bene cognitam esse oportere, res ipsa indicat, tum etiam sæpenumero plurium virorum characteres picti multum conformitatis habent, & caussa denique, cur nomen alius subscripserit, alius vero, *Crellius*, litteras præsertim sua manu, non incognita *Noribergensibus*, exaratas ad amicos dederit, vix ulla investigari possit. Accedit, quod *Crusii* pariter atque *Crellii* scribentium manus revera parum discrepent: quod his nostris oculis, quibus utramque probe inspectam comparavimus, testamur. Vnde perfacile suspicionis hujus valde imbecillæ origo investigari potest. Sed levicula hæc sunt, & parvi ponderis circumstantiam attinent, quibus potiora quædam restant de *J. Peuschelio*, ad quem ea epistola data est, bene diligenterque observanda. Quamvis enim, quod satis clare & firmiter admodum ex illa *Crusiana* disceptatione efficitur, a *Socini* hypothesibus ipsis, præcipuis certe, alieno fuerit, dum viveret, animo; attamen de momento controversiarum istarum ita deinceps non videtur sensisse, ut omnibus suam ea de re opinionem approbarit. Id quod non levi tantum conjectura, sed aperto & typis jam subjecto publicis documento constat. Cum enim *Remonstrantes*, finita *Synodo Dordraceno*, in exilium ejecti, atque hinc diu huc & illuc plerique vagati, impetrata tandem a Serenissimo *Friderico* Holsf. Duce potestate, in Ducatu *Sleswicensi* novam civitatem, *Fridericopolin* dictam, condere cœpissent, & ad novum istoc asylum quidam inter illos celebriores a) se conferrent, temperare

 sibi

a) Inter quos coloniæ novæ statores eminebant *Ad. a Wabl*, toparcha Muisbergensis, primus Fridericopoleos gubernator, *Joh. de Hahn*, ex Pensionario Harlemensi Frider. D. Consiliarius, *Wilhelmus van der Hove*, dynasta Weddensis, & *Henr. Ruitstein*, aggerum præfectus. Inter Theologos virosque eruditos, qui eo convolarunt, numerabantur *Conr. Vorstius*, *Nicol. Grevinchovius*, Pastor. Roterod. & postea Fridericop., *Joh. Arnold. Corvinus*, Prof Amstelodam., *Simon Goulartius*, jun., Genevensis patria, & Eccles. Gallo-Belgicæ nuper Antistes Amstelod., *Joh. Grevius*, Ecclesiastes quondam Campensis, *Marcus Gualtherus*, Scholæ Campensis, & Fridericop. postea Rector, vitæque Vorstianæ Auctor, *Job. Naisius*, ex Gravensis Eccl. Ministr. Med. D., *N. Selcartius*, Grevinchovii in Fridericop. ministerio successor. Quibus a CL. Mollero in Introd. in Cherson. Cimbr. P. II. C. V. §. VI. ordine ita, uti dictum est, recensitis porro *Dankwertus in Holsf. descriptione*, Petrum *von Dam*, Florentium *Simonem* Med., D. Petrum *Engelgrave* &c addidit, initiumque ædificandi A. 1621. factum, A. 1625.

ſibi non potuit noſter *Peuſchelius*, quin coloniæ huic, a Theologis valde improbatæ, cujusque moliminibus inprimis *Jac. Fabritius*, Sen. *Eccl. Ducal. Holſat. Antiſtes*, maximopere fertur reclamaſſe, ſcriptis ad eam ultro litteris ſæpe multumque applauderet, ſuumque in ejus membra ſtudium affectumque teſtaretur. Extat in hanc rem teſtatiſſima *Simonis Goulartii*, non obſcuri inter ejus cœtus Doctores viri, epiſtola, eademque in *Epiſt. præſtantium virorum* nunc comprehenſa, quod diximus, abunde eloquitur. Sic enim ad Petrum *Cupum*, Wœrdanæ olim Eccl. Miniſtrum, ann. 1626. d. 28--18. *Maji* adhuc *Lupiſtenii* a) deliteſcentem, ſcribit: *Statum noſtrum quod attinet, pauca ſunt, quæ relatu mihi digna videantur, niſi forte, quod nuper* JAMQVE ANTEA ALIQVOTIES *litteras accepimus a D. Joachimo Peuſchelio, Eccleſiæ Noribergenſis Paſtore & Diacono, quibus nobis* CONGRATVLATVR *noſtrum in has oras adventum, & novæ urbis ſtructuram, inprimis vero conſtantem* VERITATIS *profesſionem: Scriptis noſtrorum ſe & alios ſibi notos* b) *non parum delectari innuens; maxime Confesſione noſtra, quam Germanicam fecit, ea mente, ut publicis typis quam primum mandetur; ad quem vicisſim litteras congratulatorias dedimus.* Quanta vero ſuper hac Peuſcheliana gratulatione exorta ſit inter *Remonſtrantes* univerſos lætitia, non ſolum ex hac *Goulartii* epiſtola *Fridericopoli* ſcripta, c) intelligi poteſt: Sed aliorum quoque voluptas inde percepta amicisque demonſtrata oſtendit. Etenim læti iſtius nuntii mox non tantum *Carolus*

templum conſtructum ac forte etiam perfectum, A. 1622. autem foſſam circumdatam eſſe &c. narrat.

a) Ex qua arce poſt *Grotium*, jam ante elapſum, idem quoque ille *Lupus* una cum Car. *Niello*, Bern. *Vezekio*, Simon. Luc. *Byſtero*, Theod. *Bomio*, Paullo *Lyndenio*, Arnoldoque *Geeſterano* (*Poppio* jam ante aliquot annos in carcere mortuo) A. 1631., ſingulari fato, in *Vita Epiſcop.* f. 310. ſqq. deſcripto, tandem evaſit.

b) Quinam illi? *Vaccipedanus* procul dubio, & quibus eadem, quæ *Vaccipedano*, mens fuit: forte inter primos etiam G. R., Vir pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ nimium quantum ſtudioſus. De J A. P., ſub quibus litteris *Pœmerum* quendam latitare, in Epp. Ruar. P. II. Indice dicitur, res multo eſt obſcurior, utpote quem ne *Noribergenſem* quidem fuiſſe, multoque minus ex patricia gente *Pœmeria*, permulti ſunt, præſertim ſi ejusdem ſit epiſtola a quodam *Kitzikpf* ad *Ruarum* l. c. f. 302. ſqq. perſcripta, qui putent. Vt, aliena quoque eum fuiſſe a *Socinianis* mente, taceam. Vtcunque ſit, & ſi vel maxime, uti ſupra jam commonſtratum eſt, *Pœmerorum* e gente nobilisſima hominem illum ortum fuiſſe concedamus, prout etiam nobis videtur veriſimillimum; nullo tamen modo, qui *Vaccipedani* nomen ei convenire posſit, intelligimus. Quippe cum quo nec habitus corporis erecti & integri, uti quidem narratum nobis eſt, nec inſignia, neque etiam locus habitationis congruunt.

c) Quæ in *Epiſt. Remonſtr.* edit. 1704. num. 441. f. 721. a. b. poſita legitur.

rolus Niellus ipſum quoque *Epiſcopium*, Coryphæum, certiorem fecit, eadem quidem, quæ a *Goulartio* in carcere acceperat, repetens, at non ſine lætitiæ intimæ ſignificatione *illico* ad eum Gallice perſcribens; Qui & luculentius *Tolerantiæ* rationem habitam in iſtis *epiſtolis*, idque princeps argumentum fuiſſe, indicavit; Verum etiam idem *Niellus* facundiſſimo *Vytenbogardo* eadem renuncians, litteras *Peuſchelianas* oppido amicas (*fort amiables*) explanate nominavit. Vnde quam gratæ eæ fuerint huic ſocietati & quam graphice etiam exaratæ, ſatis ſuperque patet. Vitio equidem tantopere vertendum non putarem *Peuſchelio*, ſi rerum nove geſtarum cupidine litteris, ad amicum ex novis iſtis colonis, aut ipſum etiam cœtum, datis, occaſionem quæſivisſet, quædam accuratius reſciſcendi: Multoque minus colluſionis in doctrina ac fide, novis in *Holſatia* advenis probata, aliquam ea res ſpeciem habuiſſet, ſi familiaritate, aut amicitia qualicunque, aliquorum ex ea ſodalitate jam ante fortaſſis a) uſus, ei porro colendæ operam dediſſet. Sed quod ſponte ſua tantaque induſtria ejus ſocietatis amicitiam prorſus *fraternam*, (quæ, quamvis in quibusdam capitibus fidei pro veritate propugnaret, tamen & *Socinianorum* nonnulla placita haud improbare a plurimis crederetur,) ambivit, & ad *conſtantem veritatis profesſionem* promiſcue adhortatus eſt; illud haud quaquam absque cenſura prætermittendum eſſe, & ſuſpicioni priſtini erroris non omnino ex animo ejecti locum præbere poſſe, ipſimet exiſtimamus. Vtcunque vero hæc ſint: quis enim conſilia hominum tam obſcure propoſita expoſitaque penitus explorare auſit? credibilius certe videtur, moderationis in controverſiis fidei pacisque nimio ſtudio eo abreptum fuiſſe *Peuſchelium*, quam veritatis iterum temere deſertæ faſtidio: quem & in *Catecheticis Informationibus*, inter primos inſtauratæ ſub id tempus b) *Norībergæ* hujus utilisſimæ inſtitutionis, ut fidum aſſiduumque in templo *Diſcalceatorum* olim *monachorum* hodegetam c) laudari, inſigne ſemper ad finem usque vitæ in vera Evangelii ſententia perſeverantiæ documentum fuit, eumque huic quoque doctrinæ cœleſti bene agnitæ, & adverſus *Cruſium* quoque ſtrenue defen-

a) Quanquam enim non ſatis aliqua de litterarum conſvetudine antegreſſa conſtat, immo ne γρὺ quidem reperitur usquam; aliorum tamen opera interveniente, vel ſalutationibus, potuiſſe amicitiam inter eos conciliari, quis dubitet?

b) Anno 1627. ſqq.

c) *Bey den Parfüſſern*, ubi cum Chriſtoph. *Leibnüzio* aliisque *inter primos* provinciam hanc ei datam eſſe, quam etiam egregie ornarit, alibi docuimus.

ſæ, tandem pie immortuum eſſe, minime dubitamus. Extremum ergo illud erit, ut ſupremo rerum humanarum Arbitro Eccleſiæque Gubernatori gratias ingenua devotaque mente agamus, quod ex tanto, quo afflictiſſima ſub id tempus *Eccleſia Norica* laborabat, diſcrimine, majores noſtros, clementia & benignitate, qua ſolet, immenſa, eripere, hoſtiumque *clandeſtina* periculoſiſſimaque hæc molimina potentiſſime diſturbare, & ſapientia cœleſti inſtructos, cum *Proceres Reipublicæ Noribergenſis Perilluſtres* inter tot ſcopulos ſæpe admodum horridos regere, tum etiam *Theologos Doctores*, ad reducendos in orbitam infeliciter ab ea abſtractos, Sp. S. lumine recte gubernare voluerit. Inprimis vero Optimo Maximo Numini grates, quas poſſumus, maximas publicitus perſolvimus, pro inſtauratione veritatis in animis abductorum ab ea Juvenum (quos inter *Avum* veneramur, pietate morum & integritate doctrinæ nemini profecto ſecundum) tam feliciter peracta, quorum emendatione fauſta plurimum beneficii & patriæ benigniſſimæ, & poſteritati quoque, acceſſiſſe, grata mente agnoſcimus. Quod ſupereſt, votis tandem ſancta mentis devotione Domino & Servatori noſtro Jeſu Chriſto, θεανθρώπῳ, & Liberatori noſtro gloriosiſſimo nuncupatis humillime ſupplicamus, ne unquam a nobis, divina Evangelii luce inter primos colluſtratis, & inter tot licet aſſultus *Fratrum falſorum* dono hoc cœleſti nunquam adhuc erepto beatis recedere, ſed theſauros potius hoſce, indulgentiſſime conceſſos, publicaque profeſſione ſemel iterumque obſignatos, interque tot adverſa multis modis probatos, pari gratia, qua cœpit, conſervare velit. Idemque beneficium ſummum Numen non nobis tantum, ſed, ut caſti etiam

Caſta maneant in relligione nepotes,

propitia voluntate clementiſſime largiturum eſſe, ex animo precamur totoque pectore confidimus. Γένοιτο.

Augu-

Augustinus

Epist. 48. ad Vincentium:

Melius est cum veritate (forte *severitate*) diligere, quam cum lenitate decipere --- Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat &c.

Id. contra Cresconium L. III. c. 15.

In omnibus tenendus est modus humanitatis, congruus charitati, ut nec totum, quod potestatis est, exerceatur, & in eo, quod exercetur, dilectio non amittatur: in eo autem, quod non exercetur, mansvetudo monstretur.

SVPPLEMENTA
ET
DOCVMENTA
SVPERIVS ENARRATAE
HISTORIAE
CRYPTO-SOCINISMI
ILLVSTRATIONI INSERVIENTIA,

EADEMQVE

ANNOTATIONIBVS NECESSARIIS
ET
DISCVSSIONIBVS BREVIBVS

INSTRVCTA,

VT INSTAR
BREVIARII
CONTROVERSIARVM CVM SOCINIANIS
ESSE POSSINT.

I.

Epiſtola, a) *quæ ſupereſt*, *unica*, *quod ſciam*, Ern. Soneri, *ad* L. Doldium *perſcripta*, *qua*, *cum* Noribergæ *adhuc exiſteret*, *mentem ſuam in negotio religionis non obſcure prodidit.*

S. P.

EN mitto tibi, Clariſſ. D. Doctor, amice inter primos honorande, refutationem concionis *Mirianæ*, b) cujus auctorem tibi notum eſſe velim. Leges, ſi voles, & diligenter perpendes atque expendes ad ſcripturæ trutinam, non patrum aut putatæ Eccleſiæ auctoritatem. Scripturæ tribunali me ſiſtam: hujus unius judicio ſtabo aut cadam. Magna eſt caligo etiam inter eos, qui ſinceriori doctrina triumphant. Nam quisquis auctoritate hominum & non Scriptura ducitur, procul dubio ſeducitur in errores. Hoc ſaltim cogita, nihil eſſe magni momenti, præſertim quod ad ſalutem noſtram ſit neceſſarium, quin id Scriptura aperte nobis edicat. Vnde non carent ſuſpicione tot jactata myſteria, c) quæ humanum cerebrum, non Spiritus S. nobis peperit. Hic nunc tibi guſtum præbeo eorum,

 quæ

a) Poſſidet eam Vir Celeb. D. D. *Jo. Jac. Bajer*, Med. Ord. Senior, & PP. in Vniverſitate Altorph. meritisſimus, & quidem ἐν ἀυτογράφῳ, a quo eam mecum perbenigne communicatam eſſe, gratus prædico. De *Doldio* vero ſupra Cap. I. §. XIII. conferri ſuadeo.

b) Obſcurum eſt, quam Concionem *Mirianam* intelligat. Non tamen dubito, quin M. *Mart. Miri*, celebris illius, ſed varia fortuna huc illuc jactati, *Concionatoris Aulici & Conſil. Elect. Saxonici*, A. 1593. defuncti, *Homiliam* aliquam *contra Reform.* (ac Socinianos pariter) *de S. Coena* indigitet, quæ *Sonero*, alia jam opinione occupato, diſplicuit. Idque, tanto facilius credo, fuiſſe Conc. argumentum, quia *Schopperianam* primum ſcripſerat noſter, ſed lituram huic voci induxit: quem *Schopperum* in eadem cauſſa, uti & de Perſona Chriſti & Commun. idiomatum, quam maxime deſudaſſe, nemo ignorat.

c) Monſtri aliquid alere hæc verba, quis non odoretur? Qualia autem illa fuerint myſteria; De S. S. Trinitatene & Chriſto, ejusdemque ſatisfactione pro nobis præſtita, an S. Cœna? in quæ h. l. digitum intendit, incertum eſt. Vtut veri perquam ſimile ſit, *cuncta* ejusmodi *Sonero* improbari, verbisque adeo hiſce ſatis perſpicue innui, qua mente tunc fuerit, & quæ porro apud animum ſuum *latitare* arcana ejusdem mentis depravatæ in *Batavis* ſenſa, amiciſſimo *Doldio* ſignificarit. Vtrum vero, quod ex verbis §. ſq. colligo, cum eodem familiariter horum jam tum quædam ſcripto aliquo communicarit, & quænam illa fuerint, ad pertrahendum eum in *Soneri* placita, comparata, tametſi Sociniana fuiſſe ſuſpicor, quoniam nihil præter ea his litteris incluſum reperi, haud definio.

quæ apud me latitant ex imo Scripturæ ſenſu depromta: tibi ſoli, ni cui voles, revelanda: qui & animo probo es & judicio recto Nolo enim ſemen bonum committere ſterili fundo, quum inter vepres & ſpinas certo ſuffocandum ſciam &c. Cætera, quæ deſideras, de quibus heri, dabo etiam operam, ut videas. B. Vale in Chriſto & me ama tui amantiſſimum. 5. Martii 1605. ex ædibus fraternis.

Inſcriptio:

Viro Clariſſ. Excellentiſſimo D. Leonhardo Doldio: artis medicæ Doctori atque philoſopho eximio; Domino meo & amico meo honorando.

S. P. D.

T. E.

omni ſtudio addictiſſimus

E. Soner.

II.

Die Sechs leztern Capitel aus dem Catechiſmo Erneſti Soneri, *ſamt einer kurzen Refutation.* *

Das XIV. Cap.

Von des Herrn Chriſti Hohen Prieſter-Amt.

Welches iſt des Herrn Chriſti Hohepriefter-Amt?

ES iſt dasjenig, dadurch Er fürnehmlich uns von Sünden, ſo wir gethan haben, a) erlediget: b) gleichwie er uns durch ſein Propheten-

* Man hætte nicht ungerne dieſen gantzen Catechiſmum, der beyhanden iſt, abdrucken laſſen, um daraus *Soneri* vœllig dem Sociniſmo ergebenes Gemüth aller Welt darzulegen. Dieweil es aber allzuviel Platz eingenommen, zumahl wann man, wie nœthig, damit nicht mancher Leſer durch ſolchen ſpitzfindigen Vortrag eingenommen würde, durchgehends eine, auch nur kurtze, Wiederlegung beyfügen wollen; ſo iſt für gut angeſehen worden, es bey dieſen ſechs letztern, als den wichtigſten, Capiteln bewenden zu laſſen, woraus, weiln die meiſte Bemühung auch daran gewandt worden, wie die vorige lauten, ohnſchwehr zu ſchlieſſen.

a) Wird alſo die Erb Sünde aus-und weggelaſſen, welche auch die Socinianer gantz und gar nicht, oder doch für keine Sünde erkennen wieder Rom. V. 12. 13. 14. wo ſolche Sünde allen denen, die von Adam biſs auf Moſen geſtorben, zugeſchrieben wird; und zwar weil ſie in Adam oder mit ihm gleichfalls geſündiget haben, folgbar nicht nur erwachſenen, die es ihrem Stamm-Vatter nachgethan, ſondern auch den kleinſten Kindern, welche und ſo viel derſelben zu aller Zeit geſtorben. Siehe ferner Pſ. LI. 7. LVIII. 4. Eph. II. 3.

b) Wie aber? Durch eine vollkommene Genugthuung und Verſühnung, womit er die gœttliche Straff Gerechtigkeit oder Zorn gegen die Sünde vergnüget, und mit einem gleichgültigen Lœſegeld ſeines Bluts und Todes geſtillet, hingegen die vollſtændige und vor GOtt geltende Gerechtigkeit uns zu weg gebracht. So lehret GOttes Wort. Anderſt aber meints *Soner*, der, mit ſeinem Oſtorodo, dieſe Erledigung nur von der Verwaltung deſs

pheten-Amt fürnehmlich von Sünden reinigt, a) daſs wir hinforth nicht mehr ſündigen.

Von wem hat Er dieſes Amt empfangen?

Das lehret uns der Apoſtel zum Hebr. V, 5. da er ſagt: Chriſtus hat ſich nit ſelbſt in die Ehre geſezt, daſs Er Hoher Prieſter würde, ſondern der zu ihm geſagt hat: Du biſt mein Sohn, heut hab ich dich gezeugt. Item: Du biſt ein Hoher Prieſter in Ewigkeit, nach der Ordnung Melchiſedech. Daraus ſehen wir, daſs Er dieſes Amt von GOtt ſeinem Vatter empfangen habe. b)

Worinn beſtehet dieſes Amt?

Fürnehmlich in dieſen 4. Stucken: 1) in den Opffern, 2) in dem Vertretten und Vorbitt, 3) in der Reinigung, 4) in der Abſolution und Reinſprechung. c)

Warum muſte der Herr Chriſtus auch opffern?

Darum, dieweil Er ein Hoher Prieſter iſt: Dann ein jeglicher Ho-

 her

geiſtlichen Reichs Chriſti verſtehet, ſo ferne dieſelbe uns und unſere Wohlfarth und Seeligkeit angehet, welche und wie er uns ſelbige mitzutheilen bereit und willig iſt. Welches alſo alles figürlicher weiſs zu verſtehen ſeye. Siehe Oſtorod. Vnterricht c. XL. f. 382.

a) Heiſt demnach hier *reinigen*, nach der Socinianer beſondern Sprach und beſondern Nomenclatur, ſo viel, als unterrichten, wie man von Sünden ſoll gereinigt werden. Welche Bedeutung dieſes Worts nirgend vorkommt, ſondern die Reinigung Chriſto und ſeinem Blut, wegen der dadurch mit Gott geſtifftetenVerſühnung und Auſſühnung, zugeſchrieben wird Tit. II. 14. 1. Joh. I. 9 und 7. Ebr. IX. 14. worauf ſich die Reinigung in der Application, d. i. die Vergebung der Sünden durch den Glauben an das Blut J. C., gründet. Pſ. LI. 4. Act. XV. 9. Eph. V. 26. u. ſ. f.

b) Dem iſt alſo: Es iſt aber nicht Befehlsweiſe, ſo fern er GOtt iſt, geſchehen, ſondern aus gemeinem gœttlichen Rath und Vergleich oder Bündnus: Davon zu leſen Zach. VI. 13. Jer. XXX. 21. So doch, daſs auch nach ſeiner Menſchheit ihm diſs Amt, worauf er ſich gar offt in den Evangeliis und Pſ. XL. berufft, anbefohlen worden, wie er auch ſeinen Leib zu dem Ende bekommen, und das Ohr ihm, als einem Knecht GOttes, durchbohret wurde. Siehe Hebr. X, 5. ſqq. Man muſs alſo auch hier das Amt, und deſſen ſo wohl Vbernehmung, als Verwaltung ſo betrachten, daſs man den Vnterſchied des zweyen Naturen in Chriſto nicht aus den Augen ſeze.

c) GOttes Wort, inſonderheit die Epiſt. an die Hebr. V, 5-8. u. ſ. f. gedenckt von dem Prieſteramt Chriſti nur der 2. erſten Stücke. Die Reinigung für die Application derjenigen Güter des Heils, die durch Chriſti Blut erworben, gehœrt zu ſeinem Kœniglichen Amt, ſamt der Abſolution. Wollte man aber nach der Prieſter im A. T. Amts-Verwaltung auch die Abſolution von Sünden zu Chriſti Hohenprieſter-Amt rechnen, mœchte es immer hin ſeyn, wo nur der erſten Hauptverrichtungen, als dem Grunde der folgenden Loſszehlung von Sünden, womit die Reinigung übereinkommt, in dieſem Verſtande kein Eintrag geſchiehet.

her Priester wird eingesezt zu opffern Gaben und Opffer, darum muſs auch dieſer etwas haben, das Er opffere Hebr. VIII,3.

Welches iſt ſein Opffer?

Das Opffer des Herrn Chriſti iſt zweyerley: eines für ſich ſelbſt, a) das andere für uns.

Welches iſt das Opffer für ſich ſelbſt?

Erſtlich hat Er in den Tagen ſeines Fleiſches Gebet und Flehen mit ſtarckem Geſchrey und Thrænen geopffert, zu dem, der ihm von dem Tod konnte aushelffen, Hebr. V, 7. b) Darnach hat Er für ſich ſelbſten geopffert mit Vergieſſung ſeines Bluts am Creuz Hebr. VII, 27. VIII, 14. IX, 26. und diſs Opffer für ſich ſelbſten c) hat er thun müſſen, ſeine Herrlichkeit zu erlangen, wie zu ſehen iſt Philipp. II, 8. 9. und Hebr. X, 12. 13.

Wel-

a) Daſs Chriſtus für ſich ſelbſt ein eigentlich Opffer GOtt dargebracht, iſt falſch; Denn hierinnen bezeugt vielmehr der H. Geiſt, daſs er von den Prieſtern A. T. unterſchieden geweſen. Hebr. VII, 26-28. Daſs er aber ſich ſelbſt für uns zur Gabe und Opffer eigentlich geopffert, das beſtættigt ſo wohl die Ep. an die Hebræer, als auch ſonſt, z. e. Eph. V, 1. 1. Petr. I. und II. &c. die Schrifft überall.

b) Hier leſen wir zwar deutlich, daſs Chriſtus mit groſſem Geſchrey habe Thrænen GOtt dargebracht, daſs aber ſolche Thrænen ein eigentliches Opffer waren, ſtehet an beſagten Orten nicht. Wie denn auch die Thrænen unter die eigentlich ſogenannten Opffer nicht gehœren, und das Griechiſche προσήνεγκε mit dem Hebr. קרב oder הקריב übereinſtimmt, welches bekandter maſſen nicht allezeit ein eigentl. Opffern, ſondern ein gemeines Darbringen bedeutet. Nicht zu gedencken, daſs auch diſs Gebeth Chriſti hauptſæchl nicht ihme, ſondern uns zu gut, wie all ſein Leyden und Errettung auch aus dem Todt, gemeinet und kommet. Wie denn auch in dem folgenden Spruch Hebr. VII, 27. da von dem eigentlichen Verſühn-Opffer die Rede iſt, zwar geſagt wird: Chriſtus habe ſich ſelbſt, aber nicht für ſich ſelbſt, geopffert; Vielmehr wird an gedachtem Ort darinnen, daſs ſolches alles, was mit ſeinem eigentl. Verſühn-Opffer vorgegangen, nicht für ihn, ſondern allein für uns geſchehen, der Vnterſchied ſeines und der Opffer im A. T. anderer Prieſter geſuchet und geſezet.

c) Gleichwie es falſch, daſs Chriſtus ein eigentlich Opffer für ſich gebracht, deſſen er ja nicht bedürfftig war: alſo iſt es auch irrig, daſs er dadurch, als durch ein Opffer für ſich, habe ſeine Herrlichkeit erlangen müſſen. Denn ein anders iſt die Ordnung und Weeg, in welcher, und auf welchen er dahin gelanget und gegangen, wie er ſelbſt gelehret Luc. XXIV. 26. Ein anders aber ein Opffer, dadurch er ſich den Eingang im Himmel erworben. Darum auch in den angeführten Oertern, nur ἔπαθε, διὸ, und das Participium προσενέγκας, ἐκάθισεν (d. i., nachdem er es gebracht, hat er ſich geſetzt &c.) zu leſen ſind. Wie denn die Socinianer ſelbſt nur von einem Præmio, und keinem Merito, hiebey wiſſen wollen. Doch genug, daſs die Schrifft von keinem Opffer Chriſti, als für uns, redet und handelt.

Welches ist das Opffer für uns?

Dieses hat 2. Stuck in sich: das erste ist die Hingebung seines Leibs, oder die Vergiessung seines Bluts am Creuz; Das ander a) ist sein Eingang in den Himmel, und seine Erscheinung daselbst bey GOtt seinem himmlischen Vatter, dann dieser Stuck keines allein das vollkommene Opffer Christi für uns ist: wie auch im alten Testament die Schlachtung der Bœck und Kælber noch nicht das vollkommene Opffer war, sondern wann der Hohepriester mit dem Blut in das Heiligthum gieng, b) da ward erst ein Opffer für sein selbst, und des Volcks Vnwissenheit Hebr. IX, 6. 7. also ist Christi Opffer erst ein volkommen Opffer worden, c) da Er durch sein eigen Blut einmal in das Heilige eingegangen, das nit mit Hænden gemacht ist. Darum sagt der Apostel in gemelter Epistel am VIII, 4. Wann Er noch auf Erden wær, d) so wære Er nicht ein Hoher Priester; Wo er aber noch kein Hoher Priester gewesen ist, da hat er auch kein vollkommen Opffer haben oder verrichten kœnnen. Vnd am VII, 24. Dieser aber, weil Er ewiglich bleibt, hat Er ein unvergængliches Hohes

a) Der Eingang in das Allerheiligste, so wohl deſs Hohenpriesters im A. T., als auch Christi in dessen Gegenbild, den Himmel, ist kein eigentliches Stück deſs Opffers, sondern ein besonders Werck, welches auf das Opffer gefolget, um das schon geschehene und vollbrachte Opffer GOtt darzustellen, und nach der Versühnung zur Mittheilung der dadurch schon zuvor erlangten Gnaden-Wohlthaten zu bewegen: Wie denn auch solche Darstellung (wie mans am besten nennen kan, und in diesem Verstand auch Oblationem oder vielmehr Repræsentationem heissen mag) nicht bey allen Opffern üblich gewesen, zu bezeugen, daſs sie als ein Accessorius actus, der zum Weesen deſs Opffers nicht schlechterdings gehœret, anzusehen seye.

b) So waren also die andere tægliche Opffer keine eigentliche Opffer, wie sie doch auf allen Blættern in dem III. Buch Mosis genennet werden? Die ja doch auch Vorbilder auf Christum, ob gleich am Fest der Versühnung alles solenner zugieng, gewesen; Wie so wohl die Epist. an die Hebr. bezeuget, als auch von dem seel. Franzio in seiner Schola Sacrificiorum augenscheinlich dargethan, und stattlich erwiesen worden. Vid. Hebr. X. 11. *tæglich*.

c) Ist grundfalsch: Nachdem er ein Opffer geopffert, (προσενέγκας) hat er sich gesetzt: It. Mit einem Opffer hat er schon vollendet τετελείωκεν: Da er sich selbst geopffert hat, oder opfferte: Da er ist vollendet, ist er worden eine Vrsach der Seeligkeit, und zwar durch Leben und Bitte für sie. &c. Siehe Ebr. X. 11. 14. VII. 27. V. 9. und s. f. wann es aber noch wæhrete, (wie denn die Darstellung nicht aufhœret,) so müste alles so beschrieben werden, als wenn es noch geschehe.

d) Dieser Einwurff ist recht einfæltig. Denn wer siehet nicht, daſs Hebr. VIII, 4. nicht von dem Ort deſs Opffers, sondern von der Art und irdischen fleischlichen Weise der irdischen Levitischen Priester geredet werde, denen hier Christus entgegen gesetzet ist. Man sehe nur den 6. Vers an, so wird man nicht mehr zu zweiffeln Vrsach haben.

Hohes Priesterthum, daher Er auch seelig machen kan, immerdar, die durch Ihn zu GOtt kommen, und lebet immerdar, und bittet für sie. Wann aber sein Opffer schon ganz auf Erden verrichtet wære, so hætte er kein ewig Priesterthum, a) sondern es hætt schon ein End, wie das Opffer. Dieweil ein jeder Hoher Priester etwas haben muss, das er opffere; Daselbst am VIII, 3. Item am II, 17 wird gesagt: Er muss allerdings seinen Brüdern gleich werden, auf dass er barmherzig würde, und ein treuer Hoher Priester. Daraus zu sehen, dass Er dann erst ein rechter Hoher Priester werde, nachdem Er seinen Brüdern in allen ist gleich worden, das ist, in Leiden und Sterben. b)

Warum muste aber das Opffer Christi im Himmel verrichtet werden?

Weil der Hohe Priester selbst soll ewig seyn, muste auch sein Opffer c) ewig seyn, dieweil ein jeder Hoher Priester haben muss, das er opffere, so muste auch die Hütten ewig seyn, in welcher Er, sein Opffer zu verrichten, erscheinen d) und stehen solt. Eine solche

a) Christi ewiges Priesterthum heist nicht ewig, darum dass er immerfort opffert, sondern weil sein einmahl geschehenes Opffer am Creutz nicht darff, wie jener Priester im A. T., immerzu wiederhohlet werden, und einmahl für allemahl und alle auf ewig gilt. Ja wann die Erscheinung dazu als ein Stück dess Opffers gehœrete, davon dieselbe Paulus fleissig unterscheidet, als eine Folge; so müste es ja alltæglich auch so fern wiederhohlet werden. Man unterscheide Opffern, und Fürbitten, welche beede zwar priesterliche, aber nicht eben Opffer-Verrichtungen sind, so ist das ewige Priesterthum klar, wovon der Apostel redet. Wie es im übrigen mit der ewigen Fürbitte beschaffen, soll anderstwo erörtert werden. Genug kan nur hier seyn, dass beeder Krafft und Frucht in Ewigkeit wæhret, und kein Ende nimmt.

b) Was thut aber dieses zu seinem Opffer im Himmel? Hieraus ist vielmehr zu schliessen, das Opffer seye vollendet, wo das Leyden sich geendigt hat. Wie er selbst mit seinen τετελέιωκεν œffentlich am Creutz bezeuget, und frey ausgeruffen.

c) Ist beydes wahr; aber dass dess ewigen Hohenpriesters Opffer, nicht allein seiner Gültigkeit und Krafft nach, sondern auch in steter Opfferung oder Auffopfferung, eigentlich soll fortwæhren, das folget nicht. Von keinem ewigen Opffer weiss die Schrifft, und hat die Worte, Hebr. X. 12. (*Da er hat ein Opffer für die Sünd geopffert, das ewig gilt,*) wo das Comma nach διηνεκές stehet, selbst die Socinianische Version A. 1630., mit Versetzung dess Commatis, gegeben: *Da er --- geopffert hat, sitzet* (er) *in Ewigkeit zur rechten GOttes*, nehmlich zu herrschen und für uns zu bitten. Wo er zwar Priester ist auf seinem Thron, krafft dess schon gebrachten Opffers, als er getœdtet worden (per θυσίαν,) aber kein Opffer mehr bringet, sondern für die Seinigen, die er versühnet, bittet, und sie regieret.

d) Nicht zu verrichten, sondern, nachdem er sich hier schon geopffert, d. i. gelitten, denn so wirds erklæret v. 25. 26., nur zu erscheinen für uns, welches zwey unterschiedliche Verrichtungen oder Actus sind. Daher auch die griechische Worte Hebr. IX. 12. αἰωνίαν λύτρωσιν εὑρόμενος besser

che Hütten aber ist allein der Himmel, daher sagt der Apostel zum Hebr. VII. Einen solchen Hohen Priester sollen wir haben, der da wære heilig, ohne Mængel, unbefleckt, und von den Sünden abgesondert, und hœher gemacht denn der Himmel.

Wie ist denn Christi Blut und Erscheinung im Himmel ein Opffer für uns?

Es wird ein Opffer genennet, nur wegen einer gleichen Würckung, a) so darauf erfolget, gleichwie auf die Opffer; Denn gleichwie in dem alten Bund diss das Opffer war des Hohen Priesters, dass er in das Allerheiligste gieng, b) und darinnen verrichtete, was damals nach GOttes Willen zur Reinigung der Sünden des Volcks gehœrte, darauf die Vergebung erfolgte: Also, dieweil der Herr Christus durch c) sein Blut am Creutz vergossen, in das Allerheiligste eingangen, das ist, in den Himmel, und daselbst erscheinend verrichtet, dass wir von Sünden rein werden, und derselben Vergebung haben, daher wird diese sein Blutvergiessung und Erscheinung im Himmel sein Opffer d) für uns genennet.

übersetzet werden; *nachdem er eine ewige Erlœsung erfunden*, oder, (durch sein Blut und Todt) zu weg gebracht; als wann mans gibt: *Vnd hat eine --- erfunden:* welches wenigstens etwas dunckel und zweydeutig ist. Denn dass im übrigen durch das Allerheiligste vorbedeutet worden, als durch ein Vorbild, der Himmel, worein Christus, als in die innerste Hütte eingegangen, begehret niemand streitig zu machen, und stehet klar l. c. v. 24. Dass er aber darinnen geopffert, das ist hieraus nicht bewiesen. Die armen Leute verleitet sonder Zweiffel zu solcher Meinung das Griechische προσφορὰ, und Lat *Offerre.* Es ist aber ein anders προσφορὰ zum eigentlichen Opffer, so auch weyland ausser dem Allerheiligsten geschahe; ein anderes προσφορὰ zum Darstellen dessen, was schon zuvor eigentlich geopffert, d. i. geschlachtet worden.

a) Da haben wir wiederum die Verdrehung. Die Schrifft weiss von keinem Opffer, so im Himmel erst geschehe, oder fortgesetzet werde. Was brauchts dann einer solchen erdichteten Metonymie?

b) Ist falsch: Diss war nicht das Opffer, sondern dessen, so schon ausserhalb geschehen, folgende Darstellung, um Christi beständige fortgehende hohepriesterliche Fürbitte damit abzubilden. Ein anders ist die Reinigung zuweg bringen, ein anders appliciren, dass man derselben würcklich geniesse. Jenes geschahe durchs Opffer; dieses durch Christi Fürbitte, womit sich sein Kœnigliches Amt vereiniget, und zugleich geschæfftig erweiset, und also mehr noch im Antitypo ist, als im Typo war, nach Zach. VI. 13.

c) So redet die Schrifft nicht, aber, dass er mit seinem eigenen Blut eingegangen, das findet sich Hebr. IX. 25. sq.

d) Ist wiederum irrig; Sein Blut vergiessen heist, und ist auch wahrhafftig, ein Opffer, aber die Erscheinung im Allerheiligsten, oder im Himmel, durchaus nicht: Als von welcher es vielmehr heist: sie seye auf jenes, da es schon vollbracht, aus einer andern Vrsach, zur Darstellung, Application und Fürbitte gefolget; wie schon vorher zu mehrmaln erinnert worden.

Wormit ist dann dieses Opffer Christi von den wahren Opffern des Alten Testaments unterschieden?

In der Würckung und in der Weiss der Verrichtung. a)

Was ist der Vnterscheid in der Würckung?

Erstlich dieser: dass in dem alten Bund durch die Opffer des Gesezes nur b) diejenigen Sünd vergeben wurden, welche aus Vnwissenheit oder Schwachheit geschahen, wie zu sehen Hebr. am IX, 6. und im 4. Buch Mosis am XV, 25. nicht die groben Sünden und Vbertrettung der œffentlichen Geboth GOttes. Da aber ja jemand eine grobe Sünde erlassen worden, ist es nicht vermœg des Bundes, c) son-

a) Ich will ja noch hoffen, dass die Socinianer auch auf die Persohn Christi, wann sie gleich ihn für einen blossen Menschen, (von seiner wesentlichen Gottheit ietzt nicht zu gedencken) halten, bey diesem Vnterschied von den unvernünfftigen geopfferten Thieren werden einige Absicht haben. Wenigstens, wann sie ja solches zuvoraus gleichsam wollen gesetzt, und für bekannt angenommen haben, sollte allerdings davon, wie auch von den Fürbildungen, so unter jenen auf dieses steckten, etwas gedacht worden seyn.

b) Von diesem Zusatz, *nur*, ist in Mosis Büchern nichts, noch auch etwas in der Epistel an die Hebræer, oder anderswo, zu lesen. Num. XV, 30. sqq. wird zwar ein Vnterschied zwischen Sünden der Vnwissenheit, die zu versühnen, und zwischen Frevelthaten gelesen; selbige Verordnung aber handelt von solchen Verbrechen, darauf die Todes-Straff gesetzet war, und nicht von allen und ieden wissentlichen Missethaten. Man bedencke nur, was *Meila* gewesen, davon Lev. V. 15. sqq. und Num. V. 5. sq. gehandelt wird, und lese das gantze Cap. V. Levit. samt den vorhergehenden und folgenden durch, so wird man aus dem Gegensatz leicht erkennen, dass es auch Opffer für Sünden, die nicht aus Vnwissenheit geschehen, gegeben, wann nur wahre Busse dazwischen gekommen; und wollen gar einige darinnen den Vnterschied unter Ascham oder *Schuld*, und Chattaah oder *Sünd-Opffer*, suchen: welcher aber vielmehr in denen daraus erfolgten oder gegebenen Aergernüssen bestehen mag. Gründlicher hat es der seelige *Franzius* in *Schol. Sacrif.* Disp. XV. aus 1. Sam. III. 14. Ps. LI. 18. auch Es. I. 10. sqq. bewiesen, und die Stelle Num. XV. 22. sqq. mit den übrigen, sonderlich aber Num. V. 6. sq., vermittelst einer Anmerckung von œffentlichen und heimlichen Sünden, nebst der Absicht auf diejenige, wodurch man die Todes-Straff verdienet, gar wohl verglichen.

c) Ist der gemeine und hœchstschædliche Irrthum, da die Socinianer einen wesentlichen Vnterschied, unter dem Alten und N. Testament, und unter der Art, oder Ordnung, wie man seelig worden, und iezt wird, machen, ohne allem Grund, und wieder die Schrifft, die von *einem Glauben, einem Nahmen unter dem gantzen Himmel, einer Verheissung, einer Versühnung auch derjenigen Sünden, die unter dem ersten Testament waren, einer Gnade der Væter und Kinder &c.* weiss; ob wohl diese einige Gnade des Messiæ durch den Glauben an ihn, nicht so deutlich, so reichlich, so frey, ehedem, wie ietzt, (welches aber Circumstantiæ sind, und nicht das Hauptwerck selbst,) aus- und mitgetheilet worden. Dieser Bund war allgemein, wie er denn sogleich nach dem Fall, eben wie der vorige Werck-

ſondern aus ſonderbahrer Barmherzigkeit GOTTes geſchehen, zu welcher Er ſich in dem Bund nicht verpflichtet hatte. Aber im Neuen Bund werden alle Sünden gereiniget, wenn nur der Sünder ſich bekehret, a) wie Paulus bezeuget im Geſchichten am XIII, 38. So ſey euch nun kund, lieben Brüder, daſs euch verkündiget wird die Vergebung der Sünden durch dieſen, und von alle dem, durch welches ihr nicht kunntet im Geſez Moſis gerechtfertiget werden, in dieſem wird ein jeder Glaubiger gerechtfertiget. Darnach ſo wurden die Sünde im Alten Bund nur alſo gereiniget, daſs die zeitliche Straf erlaſſen ward: b) Aber Chriſtus iſt in dem Neuen Bund durch ſein eigen Blut einmal in das Allerheiligſte eingangen, und hat eine ewige Kauffung c) oder Erlœſung gefunden Hebr. IX, 12.

Mmm mm 2 Zum

Bund, den unſere Stamm-Eltern, und wir in oder mit ihnen, gebrochen, allgemein geweſen. Aber der nachfolgende Moſaiſche Bund war particular, der hatte für ſich nur zeitliche Verheiſſungen, wovon Hebr. VIII. 6. zu verſtehen, er machte hingegen nicht die gantze Jüdiſche Religion aus, ſondern nur einen geringen Theil davon, und gehœrete nur zu deſſen Adminiſtration, wie derſelbe unter vielem Schattenwerck damahls ſolte geführet werden, bis der Saame kæme, dem die Verheiſſung (ſchon) geſchehen &c. Gal. III. 19. Sind demnach auch die Juden durch eben den Evangeliſchen Gnaden-Bund, an welchen ſie ſich, krafft der Verheiſſung, glaubig gehalten, ſeelig worden; ob ſie gleich ſolcher Wohlthat unter einer mühſamen, jedoch eben deſswegen auch mit zeitlichem Seegen unterſtützten Moſaiſchen Oeconomie, (welches aber ein ſpecial-Modus war, und der Hauptſache nichts benommen,) derſelbigen Zeit nach theilhafftig worden. Welches ſchon længſt Auguſtinus L. IV. contr. Fauſtum c. 2. und 4. wie auch L. XIX. c. 31. und andere mehr bemercket, weitlæufftig aber G. Calixtus in ſeinem ſchœnen Tr. de Pactis erwieſen.

a) So iſts. Allein im A. Teſtament geſchahe eben daſſelbige, aber nicht durch das Geſetz Moſis, wie der Apoſtel hier gar bedæchtlich redet, ſondern durch den mit dem Geſetz Moſis immer fortgehenden, obgleich nicht ſo klar geoffenbahrten Evangeliſchen Gnaden-Bund, der auf den verheiſſenen Weibes-und Abrahams-Saamen ſich gründete.

c) Wo ſtehet dieſe Einſchrenckung? Ein anders bezeuget die Schrifft, ſo ja immer auch in dem A. Teſt. von Vergebung der Sünden, der Schuld ſo wohl als der Straff nach, ohne Limitation redet, auch in Moſis Schrifften ſelbſt; wo auch die ſo offt wiederhohlte *Cappara* oder das *Cipper* ſolches lehret: der Propheten und Pſalmen, da dieſe Verheiſſungen immerzu wiederhohlet, und mit den kræfftigſten Worten, *vergeſſen*, *zurück werffen*, *in die Tieffe des Meers werffen*, *tilgen*, *abwiſchen*, *tilgen wie eine Wolcke und Nebel* &c. beſchrieben ſind, ietzt nicht zu gedencken. Ob man wohl gerne geſtehet, daſs ſolches nach Auſſage Hebr. IX. krafft des Moſaiſchen abſonderlichen Thier-Opffer-Bundes nicht erfolget, als welcher nur euſſerliche leibliche Reinigung an ſich ſelbſt würckete: Denn man auch hier auf den zugleich mit fortlauffenden, und unter jenen Bildern ſteckenden Evangeliſchen Gnaden-Bund zu ſehen, und die Glæubige, wie Moſes ſelber Hebr. XI. 26., in gœttlichem Licht, warum David ſo offt gebeten, geſehen haben.

d) Iſt recht und wohl ausgedruckt, und

Zum dritten kunten die Opffer im alten Bund das Volck nicht machen von Sünden abstehen und aufhœren; a) Aber des HErrn Christi Opffer hat diese Krafft; wie oben von dem Tod Christi im Propheten-Amt erwiesen ist. Darum wird gesagt Hebr. X, 1.2.3. 4.) das Gesez hatte den Schatten der zukünfftigen Güter; alle Jahr muss man opffern, und kan nicht, die da opffern, vollkommen machen, sonst hætte das Opffer aufgehœret, wo die, so am Gottesdienst sind, kein Gewissen mehr hætten, von Sünden, wenn sie einmahl gereiniget werden, denn es ist unmœglich durch Ochsen- oder Bocks-Blut Sünde, [das ist sündigen b)] hinweg nehmen. Aber Christus hat mit einem Opffer vollendet, die geheiligt werden.

Welches ist der Vnterscheid in der Verrichtung?

Die Weise der Verrichtung des Opffers im Alten Testament bestunde darinn, dass der Hohe Priester das Blut in das Heiligthum truge,

kommt mit 1. Cor. VI. ult. Apoc. V. 9. 1. Petr. I. 18. sqq. sehr wohl überein. Aber dass diese Erkauffung durch ein vollkœmmlich Lœse-Geld geschehen im Himmel, davon stehet nichts l. c. hingegen lesen wir gar offt, diss alles seye am Creutz und durch das Blutvergiessen vollbracht worden, wie wir schon oben dargethan haben. Daher auch *Creutz*, *Blut* und *Todt*, wann von der Versühnung der Welt geredet wird, immerzu verwechselt werden. Rom. V. 10 Eph. II. 16. Col. I. 20. und f. f.

a) Freylich hatten sie diese Krafft nicht *an und für sich selbst*, sonst wære die Wiederhohlung nicht vonnœthen gewesen; sie hatten aber doch dieselbe Krafft typice, wegen ihres Bilder-Amts: wie man einem mit Rechen-Pfennigen bezahlen kan auf ein ehrlichs Wort, und die gantze Schuld tilgen, obgleich die Ducaten, und das wahre selbst gültige Pretium, nach der Zeit erst aus wichtigen Vrsachen geliefert werden. Der *Wille*, durch welchen sie geheiligt worden, galt damahls so viel, als hernach die Erfüllung, obgleich jener auf diesen sich bezogen und beruhet. Also machten allerdings die alten Opffer niemand zur Rechtfertigung und Heiligung tüchtig, aber das verheissene und schon damahls moraliter gegenwærtige oder gültige Opffer Jesu Christi war es, wodurch auch jenen in A. Test., wie der Effect selbsten bezeuget, und der Ps. 130. absonderlich bewæhret, diese Krafft geschencket und mitgetheilet worden.

b) *Sünde wegnehmen* heist hier nicht allein so viel als dem Sündigen Einhalt thun, sondern, wie gleich dabey stehet, die Reinigung der Gewissen verschaffen, daraus der reine Dienst des lebendigen GOttes folgends herkömmt; welcher dem Opffer Christi allein, und nicht der Bœcke an sich selbst, zukœmmt, so doch, dass dieser Blut jenes Bild-weiss vertreten, und zwar ausdrücklich auch unter dem A. T., so fern ihnen die Reinigung zugeschrieben wird l. c., v. 1-5. Darum sahe schon damahls GOtt nach dem Glauben, dadurch der Gerechte leben muste, Jer. V. 3. Habac. II. 4. Επαγγελία war so kræfftig, als das Ευαγγέλιον, ohnerachtet jenes viel vom Geist der Knechtschafft, dieses mehr von dem kindlichen Geist bey sich führet: welches (ad modum & circumstantias) zu den Vmstænden der Bundes-Verfassung, und nicht zum Wesen selbst, zu rechnen.

truge, und mit demselben allda erschiene, a) darauf erfolgete, dass GOtt die Sünde des Volcks, für welche geopffert war, vergab, und aufhube, nicht zwar, als hætte das Opffer die Krafft und Würdigkeit gehabt, die Vergebung der Sünden GOtt abzuverdienen; sondern dieweil GOtt die Sünde nicht vergeben wolt freywillig, b) es wære denn dieses zuvor geschehen, und war allhie ein anders, der da opffert, ein anderer der die Sünde vergab, denn die Vergebung sind nicht in der Macht des Hohen Priesters, c) sondern bey GOtt; Aber der HErr Christus nach seiner Erscheinung im Heiligthum, sizet selbst zur Rechten auf dem Stuhl der Mayestæt GOttes im Himmel Hebr. VIII, 1. & X, 12. kan und will selbst seelig machen, ja Er machet auch selbst seelig, die durch Ihn zu GOtt kommen Hebr. VII, 25. Dieweil Er ist ein Pfleger der heiligen Güter am VIII. Cap. v. 2. Diese Macht und eigene Rettung der Seinigen, wird uns auch fein fürgemahlet im Cap. IV, 14. da unser Hoher Priester in seinem Amt also beschrieben wird: dass er sey der Sohn GOttes, der gen Himmel gefahren sey, zu dessen Gnaden-Stuhl wir mit Freudigkeit sollen tretten, auf das wir Barmherzigkeit empfahen, und

a) Dass es nicht allezeit geschehen, ist bekannt, auch schon oben dargethan, und wurden doch die Opffer tæglich recht und kræfftig verrichtet.

b) Diss Wort ist zweydeutig; denn es kan so viel heissen, als ohne Versühnung, da es eben das wære als *schlechtweg*, *& pro absoluta potestate*. Vnd so wære es wahr, denn die Gerechtigkeit GOttes, oder sein Zorn wieder die Sünde, oder auch seine vollkommene wesentliche Heiligkeit leydet solches nicht. Siehe Rom. III, 25. coll. Rom. I. ult. Soll es aber so viel bedeuten, als ohne einige Præstation, wann es auch quid pro quo, oder etwas GOtt zu versühnen, und ihm genug zu thun, an sich unzulængliches wære, so ist es von der Satisfaction Christi, und dessen Bildern, nemlich den Opffern, deren Todt ein mehrers hinter und auf sich hatte, zu mild geredet. Doch man siehet wohl, wo der Autor hinaus gewollt, welcher damit seiner Acceptilation ein Lichtlein anzünden wollte. Die aber schon længst durch das verglichene Pretium des theuren Blutes J. C. des Sohnes Gottes, mit dem vergængl. Gold oder Silber 1. Petr. I, 18. sq. zernichtet worden. Von dem δικαιώματι, dessen Paulus Rom. V, 18. Meldung thut, und der Maledictione vicaria, oder dem Fluch für uns, wozu gehœret, dass der lezte Heller bezahlet werde, Gal. III, 13. Es. LIII, 12. coll. Matth. V, 26., nichts zu gedencken.

c) Was Wunder? Es ist ja vielfæltig im Typo weniger oder mehr als im Gegenbild. Zudem so muss auch der Mittler, und der, dem von dem Mittler die Versühnung geschichet, oder gebracht wird, seinem Amt nach, wohin der Hohepriester sein Absehen hatte, unterschieden seyn. Wie denn auch also Christus nicht allein als GOtt, sondern als Gott-Mensch in seinem Versühnampt zu betrachten: Der aber auch zugleich, als GOtt, die Versühnung annehmen kunte, nach 2. Cor. V, 19.

Gnad finden, wann uns Hülffe vonnœthen seyn wird. Daraus genugsam offenbar, dass die Verrichtung seines Opffers a) im Himmel anders nichts ist, dann die Versœhnung seiner Glaubigen, und die Rettung oder Erlœsung, die Er selbst thut, b) als ein Vollmæchtiger der Rechten GOttes; welcherley Opffer des Hohen Priesters im Alten Testament nicht war. c) Vnd desswegen müste Er seinen Brüdern in allen gleich werden, auf dass Er ein barmherziger und treuer Hoher Priester würde, Hebr. II, 17. d) welches unnœthig e) gewesen wære, wenn sein Opffer nicht selbst die Rettung gewesen. Dass GOtt barmherzig und treu ist, bedœrffte der Barmherzigkeit des Hohen Priesters nicht, wo Er uns nicht selbst retten solte. Also wird auch im I. Cap. v. 3. gesagt: Er hab die Reinigung unserer Sünden durch sich selbst gemacht, und sey gesessen zur Rechten der Majestæt in der Hœhe. Dass nun hieraus klar genug ist, wie sein Opf-

a) Hier werden die Verrichtungen seines Opffers im Himmel wiederum mit der Darstellung dieses schon hier vollbrachten Opffers, worinnen seine Fürbitte bestehet, oder doch darauf sich gründet, und ferner die Kœnigliche Amts-Wercke, wohin die Rettung oder Erlœsung, (applicatione) die er selbst thut, so aus jenem fliesset, in die Hohenpriesterliche Geschæffte ungebührlich verwandelt.

b) Allerdings: Aber krafft seines kœniglichen Amts, welches von dem Hohenpriesterlichen zwar nicht zu scheiden, jedoch fleissig davon zu unterscheiden ist: wie die Schrifft selbsten bestændig zu thun pfleget.

c) Ist auch nicht zu bewundern; dieweil kœnigliche und Priesterliche Wercke dazumahl sich nicht in einer Persohn, wie bey Christo, zusammen gefunden.

d) Dieser locus wird ungeschickt hier angeführet, dieweil ihn diese Versuchungen theils auf der Welt betroffen, theils, wann sie Absehen auch auf seine Herrlichkeit haben, noch nicht daraus zu schliessen, sein Opffer müsse, wieder allen Gebrauch der Schrifft, und des Worts Opffer selbst, Christi Rettung bedeuten, die er uns in Befreyung von der Herrschafft der Sünden, und deren innerlichen Reinigung, (wie die Socinianer es verstehen) wiederfahren læst; als welches alles sich in der Verwaltung dess kœniglichen Amts, so ja kein Opffer ist, eussert. Indessen dienet auch die Erfahrung durch seine Versuchungen darzu, weil er desswegen ein *barmherziger Hoherpriester* genennet wird, dass er desto williger für uns am Creuz gestorben, und, nachdem er solch Opffer bereitwillig für uns schon auf Erden gebracht, nun noch immer uns als Hoherpriester bey seinem himmlischen Vatter vertritt, oder für uns bittet; nicht allein aber das, sondern auch, welches genau auf einander gehet, aber nicht einerley ist, in seinem Mittler-Reich, davon 1. Cor. XV, 24. sqq., was er erbetten, selbst nach dem Willen seines Vatters in eben der unendlichen Lebenskrafft schencket und mittheilet.

e) Die Frag ist hier nicht, ob es nœthig gewesen, sondern worzu, und ob desswegen sein Hohenpriester-Amt in der Rettung bestehe, wie solches die Socinianer erklæren: Denn sonst auch die Versühnung durch sein Blutvergiessen eine Rettung von Sünden mit allem Recht zu nennen.

Opffer anders nichts ſey, a) denn ſeine Rettung, und werde dieſelbe ſein Opffer genennet, dieweil wir durch dieſe der Sünden, und auch der Straf derſelben entlediget werden, wie im alten Bund auf die eigentliche Opffer eben diſs folgete, wiewohl in derſelben nicht der Hohe Prieſter, ſondern ein anderer die Sünd vergab. b)

Warum ſagt gleichwol der St. Paulus Eph. V, 2. Chriſtus hab ſich ſelbſt hingeben, ein Opffer und Gabe GOtt zu einem ſüſſen Geruch?

Chriſti ſelbſt Hingebung zum Tod wird hie nicht ein eigentlich c) Opffer genennet, wie die Opffer im A. T. waren, ſondern wie andere gute und GOtt wohlgefællige Werck Opffer und Gaben genennet

a) Es iſt ſolches hieraus nicht klar, ſondern im Gegentheil, wie Cap. I. 3. augenſcheinlich zu ſehen, daſs nachdem ſchon die Reinigung unſerer Sünden auf Erden gemacht, ſodann erſt die Rettung, nebſt fortgeſetzter Fürſprach, krafft jener Reinigung, durch das kœnigliche Amt Chriſti (darum er auch zur Rechten der Majeſtæt ſitzt, ſo kœniglich iſt,) vorgenommen, und noch daran arbeitet, biſs er das Reich dem Vater übergeben wird.

b) Iſt wiederum das Bild und Gegenbild, die eben ſo vollkommen nicht übereintreffen, vermenget, und das andere Amt, ſo nebſt dem Prieſterlichen Chriſtus auch führet, darinnen ihn die Kœnige, ſonderlich fromme Kœnige, wie David, vorgebildet, vergeſſen. Eben als wann GOtt ſolche in eine Perſon zuſammen ſchlagen müſſen. Nichts von des Mittlers Perſon, ſo zugleich mit zu der beleydigten Parthey, als GOtt, gehœrete, zu gedencken: wie ſchon vorhin gemeldet worden.

c) Iſt ſehr vermeſſen hier ausgeſprochen, da nicht nur überhaupt bekannt, daſs ohne wichtige und dringende Urſache von der eigentlichen Bedeutung der Worte nicht abzugehen, ſondern auch noch über dieſes der Epiſtoliſche Stylus unſers Apoſtels ſolches nicht geſtattet, und in dem Text ſelbſt nicht die geringſte Spuhr zu einer ſolchen Erklærung Anlaſs gibt: Der gantzen Epiſtel an die Hebræer, welche von dergleichen eigentlichem Opffer Chriſti, in Vergleichung der Opffer A. T. als deſſen Fürbilder, ausführlich redet, nicht zu gedencken. Wie denn auch ſonſt Paulus von dieſem Verſœhn-Opffer, wann er davon handelt, nicht anderſt, als von einem eigentlichen, jedoch auf einmahl vollbrachten geheimen hochheiligen blutigen Schlacht-Opffer z. e. 1. Cor. V, 7. Col. I, 20. u. f. f. uns berichtet. Daher auch die Racowiſche Verſion des N. T. diſs Wort, ſo hier Eph. V, 2. vorkommt (θυσία) nicht ſchlechtweg ein Opffer, ſondern *Schlacht-Opffer* überſetzt, und den Endzweck, GOtt zu einem ſüſſen oder wohlriechenden Geruch, von dieſem Opffer ſelbſt, als deſſen Frucht, unterſchieden. In den angeführten Stellen Ebr. XIII. und 1. Petr. II. geben es die Umſtænde des Textes und die Sache ſelbſt, wovon die Rede iſt, daſs kein eigentlich Schlacht-Opffer kœnne verſtanden werden, welches aber auf Chriſti Todt nicht appliciret werden kan, und zwar um ſo viel weniger, da das gantze Alte Teſtament mit deſſen Vorbedeutung durch eigentliche blutige Opffer beſchæfftiget geweſen, und das N. T. faſt nichts anders, als die Erfüllung in Chriſti Opffer-Todt zu zeigen, ohne die geringſte Anzeige einer verblümten Bedeutung, treibet. Woraus, wie gezwungen dieſe Erklærung ſeye, ſonnenklar erſcheinet.

net werden Hebr. XIII, 16. und andere gute Werck 1. Pet. II, 5. Dann er ſagt nicht, daſs ſich Chriſtus GOtt habe geopffert, ſondern Er habe ſich in den Tod gegeben, (denn alſo braucht die Schrifft das Wœrtlein hingeben, wie zum Eph. V, 25. und Rom. VIII, 32. zu ſehen) und diſs ſey GOtt ein wolgefællig Opffer, oder ein wolgefællig Werck oder ſüſſer Geruch.

Das XV. Capitel.

Von der Vorbittung des HErrn Chriſti.

Was iſt denn die Vorbitt Chriſti?

GLeichwie von ſeinem Opffer iſt geſagt worden, a) daſs es ſey ſeine Rettung ſelbſt, und ſeine Erlœſung durch die Macht, die Er hat, ſizend zur Rechten der Majeſtæt GOTTes, und ſey nur darum ein Opffer genannt, dieweil wir daher dieſe erlangen oder erben, und dieſs uns giebt noch vollkœmmlicher, was auf das Opffer des Hohen Prieſters im A. T. dem Volck wiederfuhr, wiewol wir es auf ein andere Weiſs von ihm bekommen: Alſo iſt auch ſein Vorbitt und Vertrettung in der That ſelbſt anders nichts, b) als ſein Macht und Gewalt, durch welche er uns retten kan und will. Dann daſs es kein warhafftige Vorbitt ſey, was die Schrifft alſo nennet Rom. VIII,

a) Geſagt; aber ſchlecht bewieſen.

b) Iſt abermahl eine ſehr verwegene Verdrehung der deutlichen Worte des H. Geiſtes, welcher beſtændig von dieſer Vorbitte, als einem eigentlichen Hohenprieſterlichen Werck Chriſti, NB. dergleichen des Jüdiſchen Hohenprieſters weyland auch war, redet, und nicht die geringſte Erinnerung von einer ſolchen uneigentlichen Bedeutung des Worts ἐντυγχάνειν (ſo nirgend das, was die Socinianer ſich einbilden, anzeiget,) iemahls gethan. Dahero man auch billig bey einer Fürſprach, iedoch dergeſtalt, daſs ſie dem Stand der Herrlichkeit gemæſs, bevorab wann ſie mit Worten geſchicht, verbleibet; obwohl einige bloſs in der Vorſtellung des einmahl geſchehenen Opffers am Creutz beruhen wollen. Vnd liegt daran nichts, daſs der Vater Chriſto die Macht gegeben, das Gericht zu halten; ſintemahl er nicht den Vater um ſolches Gericht zu halten, ſondern um die Gabe und Gnade, die er uns wolle laſſen in Chriſto angedeyhen, bittet, auch was er in ſeinem kœniglichen Amt, durch Mittheilung ſolcher Gnade, in der Rechtfertigung und Heiligung ſchencket, von ſeinem Hohenprieſterlichen Leyden und Todt abhanget oder herkommt, und folgbar ſolche Fürbitte auch in ſeiner Herrlichkeit nothwendig als ein Grund der kœniglichen Amts-Verrichtungen, die hier immerzu noch von den Socinianern mit den Hohenprieſterlichen vermenget werden, zum voraus ſetzen. Welches alles, wann es auch die nærriſche Vernunfft, die ſich auch hier erhebt gegen das Erkænntnuſs Chriſti, nicht begreiffet, genug ſeyn kan und ſoll, daſs es die Schrifft ſaget, und einſchærffet, auch ſchon vor dem Todt Chriſti das ſchœne Gebeth, Joh. XVII., beſtættiget.

VIII, 32. Hebr. V, 25. ist daraus leicht zu sehen, dieweil Ihme der Vatter alle Macht, das Gericht selbst zu halten, übergeben hat, Joh. V, 22. Derowegen Er es nun nicht bedarff, bittlich erst solches zu erhalten: Ja Er spricht ausdrücklich Joh. XVI, 26. Ich sage euch nicht, a) daß ich den Vatter für euch bitten werde, oder will. Es wird aber diese Macht darum ein Vorbitt genannt, dieweil Er es von GOtt dem Vatter empfangen hat, als ein erbetten Geschenck Joh. XVII, 12. 4. 5. und dardurch uns reichet die Vergebung der Sünden, gleichsam als durch eine Vorbitt beym Vatter, dieweil ja diese Macht und alles vom Vatter herkommt.

Das XVI. Cap.

Von der Reinigung des HErrn Christi unsers Hohen Priesters.

Was ist des HErrn Christi Reinigung?

ES ist eben das, was sein Opffer ist, fürnemlich aber so fern es die Vergebung der Sünden betrifft, nemlich, daß Er mit seinem Leiden und Sterben zuwegen gebracht, b) daß wir an Ihn glauben, Buße thun, und forthin gehorsam seyn, auf welches Er alsdenn durch sein Gewalt und Macht, uns alle Sünd, die wir zuvor begangen haben, vergiebt, und also werden wir gereiniget.

a) Dieser Locus wird gantz nicht geschickt angeführet. Denn was ist daraus anders zu beweisen, als daß unser HErr JEsus damahls sich dieses Arguments zum Trost seiner Jünger nicht wollen bedienen? Sagt er denn: es seye an der Sache selber nichts? Vnd hat er nicht gleich darauf den Vatter für sie würcklich gebetten? Ich wollte vielmehr glauben, diese Wort bewiesen die Fürbitte Christi kræfftig: Dieweil, wann nichts daran wære, er derselbigen auch nicht einmahl gedencken kœnnen vel per præteritionem.

b) Ach daß die Socinianer doch solches theure Zuwegbringen recht verstünden, so wollten wir die von ihnen hier also beschriebene Reinigung, so nichts anders ist, als der erworbenen eigentlichen Versühnung GOttes, dessen Gerechtigkeit durch den Todt Christi eine volle Genüge geschehen, geseegnete Zueignung und Zuwendung in der Evangelischen Gnaden-Ordnung, auch gerne mit ihnen, wie wir ohne dem, aber in richtiger Behauptung des wahren Grundes, thun, bekennen. Da sie aber Christi Leyden nur als einen Weg und Bahn, worauf er zu solcher seiner Gewalt, sie anzutretten, ja sich selbst zu erwerben, hingegangen, ansehen; so haben wir allerdings auch diese Beschreibung als verkehrt, und unrichtig zu achten, und auf eine vorhergegangene Reinigung durch das Opffer selbst, als eine eigentliche Ver- und Aussœhnung mit GOtt zu dringen, wie uns auch die Schrifft, hiervon 1. Joh. I. und Hebr. IX. auch anderswo unterrichtet, und selbst an vielen Orten diese Reinigung von einer *Bezahlung*, die so

Es læſt ſich aber anſehen, als wenn ſo wol das Opffer, als die Reinigung Chriſti etwas anders wæren, dieweil geſchrieben, Chriſtus hab ſein Seele zum Læſegeld gegeben für viele, oder für alle? Matth. XX, 28. 1. Tim. II, 6.

Es læſt ſich zwar den Buchſtaben nach allhier anſehen, als wenn das Opffer, und die Reinigung Chriſti des HErrn eine Bezahlung wære für uns, oder für etwas, ſo wir ſchuldig geweſt wæren; aber wenn man dieſe Ort recht anſiehet, und mit andern hellen Schrifften vergleicht, ſo kan dieſer Verſtand keines Wegs beſtehen. Denn erſtlich ſo waren auch die warhafften und eigentl. Opffer kein eigentl. Lœſegeld, und wird ihnen in H. Schrifft niemals zugemeſſen; Denn was kœnte man GOtt bezahlen mit Ochſen und Kælbern, a) dieweil die Erden zuvor des HErrn iſt, und alles, was darinnen iſt im Pſal. XXIV, 1. und Deut. X, 14. und im Pſal. L, 10. ſagt GOtt durch den Propheten: Ich will nicht von deinem Hauſe Farren nehmen, noch Bœcke aus deinen Stællen, denn alle Thier im Lande ſind mein, und das Vieh auf den Bergen. Darnach ſo bedœrffte es keines warhafften Lœſegeldes, oder, daſs GOtt etwas für uns, oder für unſere Sünde bezahlet, dieweil die ganze H. Schrifft deſſen voll iſt, daſs GOtt im Neuen Bunde den Menſchen ihre Sünde umſonſt und aus Gnaden b) verzeihe, wenn ſie nur dem HErrn Chriſto glauben, als in

kræfftig geweſen, als wann wir alle gelitten ewiglich, an *unſerer Statt*, eben wie dort mit den Opffern A. T. durch Auflegung der Hænde bedeutet wurde, erklæret.

a) Dieſer Einwurff iſt ſehr ſchlecht; denn wer ſaget dieſes, daſs der Ochſen und Bœcke Blut an und aus ſich ſolche Würckung gehabt? Wer wollte aber ſo fort daraus ſchlieſſen, es habe ihnen auch an der typica purificatione per λύτρον ſufficiens, d. i. an der durch ihr Fürbildungs-Amt ihnen zukommenden, aber von dem Todt deſs Meſſiæ, ſo *dem Willen und Werth nach* ſchon damahls gegolten, herkommenden Verſœhnungs-Krafft, gemangelt? Davon uns doch die Epiſtel an die Hebræer ſattſam unterrichtet, und die hohe Würckungen jener Opffer, nach dem Ausſpruch des Heil. Geiſtes, deutlich zeuget. Wære alſo gar nicht nœthig geweſen, ſo viel Stellen aus dem A. T. anzuführen, als welche nur von dem aberglaubiſchen Gebrauch der Juden in ihrem Opfferdienſt, und dem, was dieſelbe aus ihrer natürlichen Krafft ſchaffen, handeln, die geheime Evangeliſche Würckung aber, aus dem darunter verborgenen Gnaden-Bund, dahin ſonderlich Pſ. L. v. 5. anweiſet, mehrers bekræfftigen.

b) Iſt ja wohl eine einfæltige Objection. Wann von der Gnade geredet wird, ſo iſt hell und klar, daſs von unſerer Würdigkeit, Verdienſt und Wohlverhalten die Rede ſeye, welchen die Gnade GOttes entgegen geſtellet iſt: Man ſehe Tit. III, 5. u. a. m. Daſs aber GOtt dem HErrn als Richter eine vollſtændige Bezahlung für uns geſchehen, wird damit nicht verneinet, ja vielmehr beydes Rom. III, 24. δω-

in der 2. Cor. V, 19. Rom. III, 24. 25. Eph. II, 8. Matth. XVIII, 23. XXVIII, 32. Jer. XXXI, 31. Hebr. VIII, 12. & X, 17. Wo aber Gnad ist, da ist kein a) Bezahlung. Es wird aber der Tod Christi darum ein Lœsegeld genennet, dieweil er eine Vrsach ist, dass wir erlœset werden gleichwie durch ein Lœsegeld, ob es schon nit eben auf die Weise geschicht, wie durch ein warhafftig Lœsegeld. Denn darum b) hat sich Christus für uns gegeben, auf dass Er uns erlœsete von aller Vngerechtigkeit, und reiniget ihm selbst ein Volck zum Eigenthumm, das fleissig wære zu guten Wercken, Tit. II, 14. dass Er uns errettet von der argen Welt Gal. I, 4. von dem eiteln Wandel 1. Pet. I, 18. von den todten Wercken, zu dienen dem lebendigen GOtt, Hebr. IX, 14. Daraus genugsam zu sehen, dass es kein warhafftig Lœsegeld sey, dieweil man zur Erlœsung und Rettung von der Vngerechtigkeit, von den todten Wercken, c) von eiteln

ρεὰν τῇ αὐτȣ̃ χάριτι, und gleich darauf διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριςῷ Ιησȣ̃ zusammen gesezt. Worinnen eben das Geheimnus des Creuzes, wie gleich darauf v. 25. distincte im Griechischen gezeiget wird, bestehet; nemlich dass Gerechtigkeit und Friede sich darinnen so weisslich geküsset, und gleichsam noch immer küssen, indem GOtt aus Gnaden gerecht macht, und doch gerecht bleibet; zumahln nachdem er im A. T. so lange an sich gehalten, und seinen Zorn nicht lossbrechen lassen, wie er wohl gekœnnt, und doch endlich in der Fülle der Zeit diss grosse Werck an dem, der hier ἱλαςήριον genennet wird, und durch sein Blut ausgeführet, und ausgehen lassen. So ist auch die Gnade deutl. genug zu ersehen an dem, dass GOTT selbst diss Versühnungs-Mittel verschaffet, und der Sohn GOttes solch Amt freywillig übernommen, auch der Richter diese durch ihn erworbene, in Ansehen unserer Person, frembde Gerechtigkeit in seinem Leben und Leyden, als von uns geschehen, angenommen, und noch ansehen will. Welcher Gestalt so gar derselben durch diss eigentl. Opffer und Satisfaction an unserer Statt nichts abgehet, dass sie vielmehr mæchtig daraus zu bestættigen ist. Welches auch weiter das Mittel der Application, der Glaube, der ja an sich selbst uns, ausser der gœttlichen Verheissung und Bundes-Ordnung, in solche seelige Gemeinschafft mit Christo nicht bringet, noch mehr erleutert, und Rom. IX. durchaus von Paulo weitlæufftig erwiesen ist.

a) Eigene; aber nicht fremde, geschenckte, zugerechnete. Das wære zuviel gesagt, und übel zu beweisen.

b) Warum geht man hier wiederum ohne Noth von dem eigentlichen Verstand in einem von Paulo 1. Cor. I. so starck behaupteten Geheimnus ab? Die Endursachen, Früchte und Nutzen, welche wir von Christi eigentlichem Verdienst und Satisfaction haben, bleiben doch richtig, wann man gleich die eigentliche Art, Natur und Beschaffenheit dieser Erlœsung nicht leugnet. Taugt demnach dieser Schluss, der hier gemacht wird, gantz und gar nicht; ja es wird alles 2. Cor. V. 14. 15. sqq. coll. Cap. VI. 1. sq. von Paullo desto kræfftiger aus der vicaria Satisfactione und vollstændigen eigentlichen Bezahlung, durch den, der für uns zur Sünde gemacht, dargethan.

c) Eben als wann die Socinianer von gœttlichen Dingen und seinem Zorn oder

Wandel zur Reinigung zu guten Wercken kein eigentlich Lœſegeld bedarff, und daſs es nur wegen einer Gleichnuſs durch eine figürliche a) Rede alſo genennet werde, nemlich dieweil wir von ſolchen Dingen durch ſeinen Tod auf ſolche Weiſs, wie ſchon offt geſagt, erlœſst werden, gleichwie ein Gefangener durch das Lœſegeld aus der Gefængnus loſs wird.

Wie iſt dann zu verſtehen, wenn geſagt wird, Chriſtus ſey für uns oder für unſre Sünd geſtorben? Rom. V, 8. 1. Pet. II, 20. Joh. X, 11. 15. Hebr. II, 9. 1. Cor. XI, 24. Luc. XXII, 19. Matth. II, 28. Tit. II, 14. Eſa. LIII, 5. 1. Cor. XV, 3. 1. Pet. III, 8.

Es hat aber dieſe Meynung, wie jezt gemeld, nemlich, daſs er durch ſein Sterben uns viel guts erzeigt, indem Er uns damit zum Glauben und Gehorſam gebracht, hat machen aufzuhœren zu ſündigen; Alſo daſs wir auch der Straff der vorigen Sünden gefreyet werden; Dann es iſt hie zu mercken, daſs die Wœrtlein für uns an gemelten Ort b) nicht ſo viel heiſſen, als an unſer ſtatt, ſondern um unſert willen

was denſelben zu ſtillen nœthig wære auszumachen oder zu determiniren Vollmacht hætten. Doch diſs ſind Früchte der Vnwiſſenheit, wann man des Richters aller Welt ſeine weſentliche Gerechtigkeit nicht erkennet, noch erkennen will. Da kan man freylich nicht anders, als ſo irrig von elenden Menſchen auf den unendlichen vollkommenen GOtt und ſeinen bis in die unterſte Hœlle brennenden unendlichen Zorn wieder die Sünde ſchlieſſen. Das Lœſegeld des Blutes JEſu Chriſti iſt im übrigen freylich nicht unmittelbahr ausgeleget und ausgezahlet worden zu dienen dem lebendigen GOtt; aber ohne jene Bezahlung und vorhergegangene eigentliche Verſühnung unſer mit GOtt und dadurch erlangte Vergebung oder Rechtfertigung, hætte dieſe Heiligung nicht folgen kœnnen, dieweil GOtt und der Sünder in Ewigkeit geſchieden blieben wæren. Vnd ſolcher Geſtalt dependirt eine Wohlthat von der andern, alle aber und iede haben ihren Haupt-Grund in der ἀπολυτρώσει und ἀντιλύτρῳ, das der Mittler für die Sünder ausgezahlet, und ſie theuer erkauffet, mithin den Zugang zu GOtt und ſeiner Gnade geœffnet hat.

a) Wer hat ihnen die Macht gegeben, was der Heilige Geiſt ſo nachdrücklich als ein eigentlich Auslœſungs-Werck beſchreibet, wie wir allernechſt ſehen werden, in eine figürliche Gleichnus-Rede, aus eigener Phantaſie, und nach einer von der Vernunft ſubtil ausgedachten Oeconomia Salutis, ohne, ja wieder die Schrifft, zu verwandeln?

b) Daſs dieſe Formul ὑπὲρ τινὸς &c nicht allezeit ſo viel, als an eines Statt præciſe bedeute, wird niemand leugnen. Es iſt aber davon nicht die Frage, ſondern was deſſen Bedeutung ſeye, wann ſie von Chriſti Todt gebrauchet werde. Da denn dieſe generale Redens-Art *für einen &c.* nicht anders als an eines oder unſerer Stelle kan genommen werden; theils, dieweil ſie anderweit durch ἀντὶ erklæret wird, und die Erlœſung ſelbſt ein λύτρον oder ἀντίλυτρον 1. Tim. II. 6. heiſſet: wo bekandt, daſs ſolches ἀντὶ, zumahl in compoſitione allezeit ſo viel als entgegen und *wider*, (welches aber hier nicht ſeyn kan,) oder *an*

willen, uns zum Beften, aus Vrfach unferer Sünden, damit wir von denfelben, wie auch von der Straff errettet würden, denn alfo fagt auch Joh. in der 1. Epift. am III, 16. von uns, dafs wir auch fchuldig feyn unfer Leben für unfere Brüder hinzugeben, welches nicht heisfet an der Brüder ftatt fterben. fondern dafs es die Noth der Brüder erfordert, dafs wir um ihrer Wolfarth willen, fie zu erretten, uns in Todes Gefahr follen geben. Alfo fagt auch Paulus zum Coloff. am I, 24. Jezt freue ich mich in meinen Trübfalen *(die ich)* für euch *(leide)* und erfülle abermal das übrige der Trübfaln Chrifti in meinem Fleifch für feinen Leib, welcher ift die Gemeine. Vnd gleichwohl ift offenbahr, dafs Paulus für die Gemein Chrifti niemand nichts bezahlet hab, noch an ihrer ftatt gelitten, fondern nur darum, damit fie durch fein Leiden defto ftærcker im Glauben würden, wann fie fehen, was Er um des Evangelii willen, litte; a) dafs aber die Wœrtlein für uns, in diefer Sach fo viel heiffen, als um unfert willen, ift zu fehen aus der Betrachtung diefer beeden Oerter 1. Cor. VIII, 11. und Rom. IV, 25. in welchen eben von diefen Sachen gehandelt wird, und gleichwol brauchet der Apoftel die Wœrtlein: um

 unfert

ftatt eines andern, wie zum Ex. ἀνθύπατος Act. XIII. 8. bedeute; theils aber die übrige Redens-Arten der Schrifft von eben dem, felben Geheimnüs, davon wir ietzt reden z. E. *der HErr warff unfere Sünde auf ihn: Er trug unfere Kranckheit und lud auf fich unfere Schmertzen* Ef. LIII. *Ich mufs bezahlen, was ich nicht geraubet hab: Es haben mich meine Sünden ergriffen &c.* Pf. LXIX. *Er ift das Lamb GOttes, das der Welt Sünde trägt* (fo dafs er fie an feinem Leib getragen, wie ein Laft-Træger, was man ihm aufgeladen, *Sabhal*, welches Tragen auch weyland durch Auflegung der Hænde der Sünder auf die Opffer angedeutet worden) It. *Er wurde ein Fluch für uns* Gal III. *Er hat uns, da er der Gerechte, für die Vngerechte gelitten, τιμῇ theuer erkaufft* 1. Petr. I. & III. Apoc. V. 1. Cor. VI. &c. deutlich genug zu erkennen geben. Des Lœfegelds felbft, welches noch überdifs fo offt beniemet wird, dafs es das koftbahre Blut defs Sohns GOttes fey, welches uns als eine Erlœfung reinige, ietzt nicht zu gedencken. Wodurch alfo auch der modus oder die Art und Weife, wie Chriftus für unfere Sünde (und nicht nur für uns) geftorben, ausgedrucket ift.

a) Die angeführten Sprüche erweifen nur, dafs zuweilen diefe Particula ὑπὲρ eine allgemeine Bedeutung habe. Es folgt aber nicht. dafs fie gantz nichts mehr, als eben diefelbe, wann fie von Chrifti Leyden vorkommt, auf fich habe. Die Auslegung mufs dem Glauben d. i. der gantzen aneinder hangenden Glaubens-Lehre in der Schrifft enthalten æhnlich feyn, und læft fich a particulari übel fchlieffen. In dem fo bedeutet auch Col. I 26. diefes Wort *für euch* nicht die End-Vrfach, fondern die Cauffam efficientem oder vielmehr impellentem; dann Paullus daher fo fehr verfolget wurde bis in den Todt, dieweil er die Heyden von ihrem Aberglauben abwendig gemacht und zu Chrifto gebracht hatte; zu welcher Verfolgung auch die neidifchen Juden felbft gar tapffer geholffen. Man fehe nur Eph. III. 1. Act. XXI, 28.

unsert willen, a) für diss, was er sonsten sagt, für uns, Christus aber ist alsso um unsert willen gestorben, damit Er b) mit seinem Tod uns bewegt seiner Lehr zu glauben, den rechten Weg zur Seeligkeit ihme nachzugehen, daher wir aufhœren zu sündigen, von Sünden ledig werden, und die Gerechtigkeit oder Vergebung der Sünden erlangen, darum sagt Petrus in seiner 1. Epist. II, 20. 21. darzu seyd ihr beruffen, dass ihr um Wolthat willen leidet, und erduldet, sintemahl auch Christus gelitten hat für uns, und hat uns ein Vorbild c) gelassen, dass ihr sollt nachfolgen seinen Fussstapffen, da siehest du auch, dass das Wœrtlein für uns nicht heisse an unserer statt, sondern alsso um unsert willen, damit wir ein Exempel und Vrsach hætten ihm nachzufolgen.

Dieweil aber geschrieben ist, daß Christus uns erkaufft habe, so muß ja jemand etwas für uns bezahlen? 1. *Pet. I*, 18. 19.

Das Wœrtlein: Erkauffen, wann es in H. Schrifft von GOtt, oder dem HErrn Christo gesagt wird, behælt auch nicht seinen eigenen eigentlichen Verstand, d) sondern heist nur schlecht eine Rettung oder

a) Auch diese beyden Stellen beweisen in gegenwærtiger Frage die Sache nicht, dieweil sie nur generaliter und insgemein von Christi Tod für uns reden, und die Art solcher Wohlthat nicht ausdrucken, welche aus andern Zeugnüssen dess Heiligen Geistes herzuhohlen.

b) Ist eine End-Vrsach mit und neben andern, dergleichen in einem grossen Werck mehr seyn kœnnen; Aber darinnen bestehet eigentlich weder die Reinigung noch die Erlœsung, wie sie die Schrifft per λύτρον beschreibet.

c) Ist abermahl die Neben-Vrsach, welche die Haupt-Vrsach nicht aufhebt, sondern schon supponirt; Wenigstens wird sie hier nicht verneinet, (sintemahl kein *nur* allhier zu lesen) ja vielmehr in folgenden, damit man nicht auf diese Gedancken gerathen mœchte, die Haupt-Sache, wann er schreibt: Er hat unsere selbst getragen an seinem Leib auf dem oder auf das Holtz, ausgedrucket; und zwar so deutlich, dass mans nicht deutlicher wünschen kœnnen. Angesehen solche Worte vom wegnehmen der Sünde in der Heiligung und Bekehrung nicht kœnnen verstanden werden, als welche ja nicht auf dem Creutz geschehen, sondern in eines ieden Menschen Hertzen vollbracht wird. Das Wort ἀναφέρειν und dessen Krafft ietzt zu geschweigen. Dass aber der Apostel den Neben-Zweck zuerst angeführet, war Vrsach, weil er in der Vermahnung zur Gedult zuvorher begriffen war, dahin dieser End-Zweck fürnehmlich gehœrete.

d) Wer hat aber ihnen diese Freyheit gegeben, ohne dringende Noth den eigentlichen Verstand zu verlassen? Sollte man nicht auf solche Weise die gantze Schrifft, und alles, was darinnen vorkommt, bloss weil es unserm zuvor schon formirten Begriff nicht gemæss scheinet, zu verdrehen, und nach unserm vorgefassten Sinn zu richten Anlass haben? Die klaren Worte in ihrer gantz natürlichen Bedeutung, da zumahl anderweit auch das pretium, nicht Gold oder Silber, sondern Blut genennet wird, erfordern ein anders, als sich die

oder Erlœſung, auf was Weiſs es auch geſchehe, ob ſchon niemand zum Lœſegeld gegeben wird: wie dann auch in etlichen andern Sprachen, als Griechiſcher und Lateiniſcher, ein Wort iſt, das erlœſen und erkauffen bedeutet. Es bezeugen aber ſolches aus H. Schrifft dieſe Oerter. Im 2. Buch Moſ. am XV, 13. ſtehet geſchrieben, daſs GOtt ſein Volck aus Egypten erkaufft habe. Luc. I, 68. Daſs Er ſeinem Volck eine Erkauffung gemacht habe, wie es aus dem Griechiſchen lautet. Eſaiæ am XXIX, 22. Daſs Er Abraham erkaufft habe. Alſo wird auch Moſes ein Erkauffer des Volcks Iſrael genennt, Act. VII, 35. (laut des Griechiſchen Textes) Pſal. XXXI, 61. daſs er David erkaufft habe. Alſo wird auch geſagt, daſs wir von unſerer Vngerechtigkeit erkaufft ſeyn Tit. II, 14. und von unſern eiteln Wandel 1. Pet. I, 18. von dem Fluch des Geſezes, Gal. III, 13. Aus welchen und andern unzehlichen Oertern man genugſam ſehen kan, was das für ein Erkauffen ſeyn muſs, dieweil es von der Vngerechtigkeit, von eiteln Wandel, und von Fluch geſchicht, welche diejenigen ſind, die uns gefangen hielten, und kan man ihnen gleichwol nichts bezahlen. a) Derohalben das Wœrtlein erkauffen, ſeinen eigenen Ver-

vermeſſene und über das Erkænntnus GOttes ſich erhebende Vernunfft einbildet.

a) Alles dieſes Geſchwætz beſtehet auf ſchwachen Füſſen. Denn 1) iſt die Frage ja nicht: Was erkauffen irgendwo heiſſe, und ob es nicht auch im uneigentlichen Verſtand genommen werden kœnne; Solches gibt man gerne zu. Sondern davon diſputirt man, was es hier würcklich, wegen anderer wichtigen Vmſtænde, in einem Epiſtoliſchen ſtylo, der nicht dergleichen verblümte Reden leichtlich führet, bedeute. 2) So muſs man auch in gegenwærtiger Streit-Sache nicht allein auf das Wœrtlein Kauffen Acht geben, ſondern zugleich wahrnehmen, daſs, wann von Chriſti Erlœſung die Rede iſt, auch ordentlich das Pretium, womit der Kauff geſchehen, oder das Auskauffen und Auslœſen, insgemein (τιμῆς, τίμιον &c.) und inſonderheit, das Blut J. Chriſti, als ein theures Blut, das Silber und Gold ſeinem Werth nach überwæge, als ein ἀντίλυτρον oder Lœſegeld genennet werde: dergleichen Zeugnüſſe ſchon aus 1. Cor. VI. 1. Petr. I. und Apoc. V. angeführet worden; dabey noch überdiſs einer hiedurch zuweg gebrachten Verſühnung GOttes und Erlœſung vom Zorn GOttes u. d. m. zum œfftern ausdrücklich mit gedacht wird. Welches alles in den hier im Catechiſmo allegirten Schrifft-Stellen nicht befindlich. 3) So iſt in erſtermeldten ll. cc. auch ſo gar Act. VII. 35. allwo Moſes λυτρωτὴς heiſſet, noch nicht ſo gar ausgemacht, daſs auf gantz kein Pretium hier geſehen werde. Ja vielmehr weil dergleichen Wohlthaten der Errettung des Volcks GOttes eben dieſem Volck nicht um ihres Wohlverhaltens willen angediehen, ſondern in der Abſicht auf Chriſtum, der da kommen ſollte, als die Verſühnung für der gantzen Welt Sünde; ſo muſs man bekennen, es ſeye auch jenes alles geſchehen von wegen des Lœſegelds, das Chriſtus zu ſeiner Zeit und in deren Fülle zu bezahlen ſchon damahls angelobet, worauf ſich alles gegründet, und Moſes ſelbſt eben deſswegen ein λυ-

Verſtand nicht behalten kan: Wie hergegen auch das Verkauffen nur ſo viel bedeutet, als in die Dienſtbarkeit eines Dings überantworten oder ergeben, wann ſchon kein Geld oder etwas anderſt dafür wird genommen. Als im 5. Buch Moſ. am XXXII, 30. wird geſagt, wie hætte es geſchehen kœnnen, daſs einer tauſend jagete, und zween zehen tauſend flüchtig machten, wenn ſie nicht ihr Felſs verkaufft hætte, und der HErr ſie nicht übergeben hætte: Vnd im Buch der Richter am III, 8. da ergrimmete der Zorn des HErrn über Iſrael, und verkaufft ſie unter die Hand des Kœnigs in Meſopotamia, und daſelbſten im IV. Cap. v. 2. die Kinder Iſrael fuhren fort für dem HErrn übel zu thun, darum verkaufft ſie der HErr in die Hænd der Cananiter Kœnig, Eſaiæ am L, 1. Ihr ſeyd von wegen eurer Miſſethat verkaufft: und Paulus zum Rœm. am VII, 14. Ich bin fleiſchlich unter die Sünde verkaufft, das iſt, der Sünden unterworffen, und von ihr gefangen gehalten. Wie nun diſs kein wahrhafftige eigentl. Verkauffung iſt, ſondern nur eine Vbergebung: Alſo a) iſt des HErrn Chriſti Erkauffung kein recht eigentl. Erkauffung, ſondern nur eine Errettung oder Erlœſung ohn einiges Dings Bezahlung. Welches auch daher erſcheinet, dieweil geſagt wird, daſs GOtt ſelbſten uns erkaufft habe, Luc. I, 68. (nach Griechiſchen Text) welcher Ort übereinkommt mit dem III. Pſal. und hat doch GOtt niemand nichts bezahlt. Wie uns aber Chriſtus erlœſet hat, ohn alle Bezahlung, iſt oben ſchon geſagt.

Es

τρωτὴς konnte geheiſſen werden. Vom Verkauffen iſt hier unnœthig zu diſputiren, dieweil nirgend in dergleichen Sprüchen von einem Kauff-Schilling oder Pretio dato Meldung geſchiehet. Wer wollte aber aus der Vrſache ſo verwegen ſeyn, und alle Schrifft-Stellen, wo dergleichen gedacht wird auch auf uneigentliche Bedeutung verdrehen? z. E. Joh. XII. 5. Lev. XXVII. 50.

a) Diſs *alſo* hat hier nicht Statt, dieweil ein groſſer Vnterſchied zwiſchen der *vœlligen* Beſchreibung des Erkauffens Chriſti, und dem Verkauffen, wovon in angezogenen Stellen die Rede iſt, darinnen nicht ſo wohl aufs Pretium, als die Gewalt des Kæuffers, in deſſen Macht der Verkauffte kommet, geſehen wird, eben ſo wie GOtt gleichſam eine Tœpffers Arbeit, wegen des künſtlichen Wercks, zugeſchrieben worden, wann Moſes von unſerer Leiber Bildung Gen. I. 27. geredet hat. Mit einem Wort: In dieſen Gleichnus-Reden wird auf den Effect, nicht auf den Modum agendi gezielet. Wann aber von Chriſti Erkauffen unſer aller gehandelt worden, ſo wird entweder zugleich mit der Modus per τιμὴν & λύτρον gemeldet, oder doch anderweit in parallel Stellen ausgedrucket. Welche die Socinianer fleiſsig ſollten per συμβιβασμὸν zuſammen halten, und nicht aus einzeln Wœrtern, und ungleichen Parallelis die Sache ſo vermeſſen beurtheilen.

Es erscheinet aber aus dem Wœrtlein Mittler und Versühner. die dem HErrn Christo zugeschrieben werden, daß Er uns müst auf ein andere Weiß gereinigt haben, als nur durch Sünd vergeben und Erweckung des Glaubens in uns?

Mit nichten: denn zu einem Mittler wird nicht mehr erfordert, denn dass er zu Verrichtung desjenigen, dazu er gesandt ist, und sich gebrauchen læst, taugliche oder auch vorgeschriebene Mittel brauche, was dieselbige auch seyn, und bedarff nicht, dass er um einer oder der andern Parthey willen, etwas leide und büsse. a) Denn also ist auch Moses ein Mittler zwischen GOTT und dem Volck Israel genennet worden Gal. III, 19. und hat doch nicht für die Israeliter bezahlet: Desselben gleichen ist es mit dem Versœhnen geschaffen, welches auch keines Büssens bedarff, an statt derjenigen, die man versœhnen will, fürnemlich wann der verlezte Theil keine Gnugthuung begehret, gleichwie in dieser Handlung GOtt kein Büssen oder Genugthuung von uns, oder von jemand unsertwegen begehrt hat, b) und ist genug, wenn man diejenigen, welche sich feindseelig erzeigt haben, dahin bringt, es sey mit Worten, Vermahnungen, Verheissungen, oder wie es seyn mœge, damit sie

a) Ist wahr, allein: ob Christus auch ein solcher Mediator mere internuncius oder deprecationis gewesen, ohne Lœsegeld, davon ist hier die Frage, und also wiederum das gemeine Mittler-Amt, und das absonderliche per Expiationem durch vollstændige Bezahlung für dem, der beleydigt, und an den, der beleydigt worden, vermengt. Moses war demnach ein Mittler erster Art; aber daraus folgt nicht, dass alle Mittler, und Christus selbst, eben so beschaffen seyn müssen. Die Schrifft bezeugt von ihm ein anders, davon man ietzt nur Rom. VIII. 3. und 2. Cor. V. 23. nachzuschlagen recommendirt, allwo wohl zu überlegen ist, was nach der LXX. Interpretum stylo περὶ ἁμαρτίας seye: Die vorigen Sprüche, die de pretio expenso und zwar dem kostbaren Blut JEsu Christi zeugen, ietzt nicht zu wiederhohlen.

b) Ist vermessen. Was soll denn der Fluch, womit Gott den, der nicht alles hælt, was im Gesetz beschrieben, und an dessen Stelle seinen Sohn Es. LIII. und Gal. III. beleget hat? Wohin zielet die Verdamnuss dess ewigen Todes, als dass man den letzten Heller bezahlte im Gefængnus Matth. V. 26.? Wie wollen doch die Socinianer jene Parabel Matth. XVIII. 23-35. erklæren, wann GOtt kein Büssen und Zahlen von dem Sünder erfodert? Vnd warum hat er denn einen Bürgen gestellet und angenommen, wann er nichts oder keine Genugthuung verlanget Hebr. VII. 32.? Hat dieser denn für die lange weile bezahlet, was er nicht geraubet Ps. LXIX. 5.? und zwar so, dass der Allerheiligste von seiner Thorheit und Schuld redet v. 6., die ihm zu bezahlen auferleget wære? Doch was ist diss alles nœthig? Genug, dass die Schrifft von dem gegebenen und ausgezahlten λύτρῳ des Sponsoris und Expromissoris, nahmentlich seinem theuren Blut, womit GOttes Zorn gestillet worden, zeuget. Vbi rerum adsunt testimonia, quid opus est verbis?

wiederum des verlezten Freund werden, ſonderlich, wenn der verlezte anders nichts begerth, und will ſeine Verlezung aus Gnaden a) vergeſſen, und nachlaſſen, wie denn auch GOtt nichts anders b) begehrt, denn daſs wir nur durch Buſs thun zu ihm kommen, und forthin ſeine Freund ſeyn, ſo will Er alle Sünde verzeihen. Darum ſagt Paulus in der 2. Cor. V. So bitten wir nun an Chriſti ſtatt, laſſet euch verſœhnen mit GOtt. Daher wirds auch von GOTT ſelbſten geſagt, daſs Er uns Ihme verſœhnet hat, in der 2. Cor. V, 18. Col. I, 20. 22. das iſt, Er habe uns ungehorſame und derowegen ſeine Feinde zum Gehorſam bracht, durch Chriſtum; denn ungehorſam ſeyn iſt eine Feindſchafft wieder GOtt Rom. VIII, 6. gehorſam aber und geiſtlich geſinnet ſeyn, iſt Friede. Derohalben da wir fleiſchlich und ungehorſam waren, da waren wir GOttes Feind, wann wir aber geiſtlich geſinnet ſeyn, ſo ſind wir ſeine Freund worden, und ihme verſœhnet, derohalben bedœrfft er nicht, daſs man GOtt gebe etwas oder bezahlete, dadurch er bewogen würde, daſs Er wieder unſer Freund würde, dieweil Er unſer Feind niemals geweſen, c) wiewohl Er unſer Sünden gehaſſet hat, ſondern Er hat uns

a) Wie Gnade und Verdienſt beyſammen ſtehe in der Erlœſung, ſo durch Chriſti ἱλασμὸν geſchehen, iſt ſchon oben dargethan worden.

b) Iſt falſch. In der Application oder Zueignung der erworbenen Verſœhnung hat GOtt nichts anders als Buſs und Glauben begehrt, aber in der Acquiſitione wurde mehr erfodert, nemlich das Lœſegeld, daran ſich der Glaub und Zuverſicht halten ſoll und kan, und Rom. III. 25. das Blut des ἱλαστηρίου propoſiti heiſſet. Man ſehe nach 2. Cor. V. 19. und 20. allwo die acquiſitio und applicatio der Verſœhnung gar ſchœn unterſchieden werden, mit Vermelden, wie das Evangelium jene antrage; und zwar ſo, daſs, da Chriſtus für uns zur Sünde worden oder zum Sünd-Opffer, wir, durch einen ſeeligen Tauſch, in ihm und dem Glauben an ihn, die Gerechtigkeit d. i. vollkommen gerecht werden ſollen. Welcher Geſtalt auch der angezogene Ort Col. I. 20. zu verſtehen, da ebenermaſſen die Verſœhnung am Creutz, als der Grund und verdienſtliche Vrſach (wo der Friede zwiſchen GOtt und Menſchen geſtifftet) vorher gedacht, und hierauf die Verſühnung der glaubigen Coloſſer als eine Frucht, Erfolg und Würckung in ihrer Bekehrung, womit die Heiligung fernerweit verbunden, gemeldet, beyde Actus aber deutlich unterſchieden werden, eben damit, daſs jener am Creutz durch Blutvergieſſen, dieſer aber durch die Buſſe im Glauben bewerckſtelliget worden; da ja niemand ſagen wird, daſs der Coloſſer Bekehrung ſelbſt am Creutz geſchehen ſeye, von welcher Grund-Verſœhnung und Friede-Stifftung mit oder zu ſich ſelbſt (ſo fern Chriſtus auch eine wahre gœttliche Perſon iſt,) vorher v. 20. die Rede war.

c) Wie ſtimmet dieſes mit Paullo Rom. V. 10. da es heiſſt: So wir nun verſühnet ſind durch das Blut J. C. da wir noch Feinde waren &c? Da insgemein von ſolcher beyderſeitigen Feindſchafft geredet wird. Doch wir wollen dieſen Ort bey ſeit ſtellen, den die Rakowiſche Verſion gar wohl

uns alſo geliebet, a) daſs Er uns ſeinen Sohn ſchenckte, da wir noch ſeine Feinde waren, und ſelbſt ſuchte, damit wir wiederum ſein würden Joh. III, 16. Rom. V, 8. 10.

Was iſt dann, daß Er unſer Sünd getragen hat?

Tragen heiſt allhie nur hinweg nehmen, oder gleichſam hinweg tragen, auf was Weiſs es auch geſchehe, wann man es ſchon nicht auf ſich lædt. b) Dann auch von GOtt ſelbſt geſagt wird, daſs Er

ſo generaliter überſetzet, und Paulus alſofort, daſs durch den Todt (nicht erſt durch die Bekehrung) die Verſœhnung verſchaffet, worden dazu ſetzet; Wo bleiben die vielen Zeugnuſſe Gottes, da es heiſst: Er habe einen Greul an denen, die bœſes thun, an den Blutgierigen, falſchen &c Iſt diſs nicht eben ſo viel als ſie nicht lieben, ſondern haſſen? Wer bœſs iſt bleibt nicht für ihm. Iſt das nicht eine Beſchreibung der Averſation derer, die von GOtt durch ihre Sünden geſchieden? Oder wollen ſie auch dieſes nur von der Sünde verſtehen, und die Schrifft verdrehen? Das einzige καταλλάττειν als ein Relatum ad utramque partem diſſidentem & inimicam iſt allein zulænglich, dieſe Ausflucht und Verkehrung der Wohlthat I. C. zu vernichten. Iſt nicht die gantze Welt GOtt ὑπόδικος? Wie wird aber dieſe δίκη auf Seiten GOttes geſtillet, als durch das Blut ſeines Sohns, welches er ſelbſt bezeuget, daſs es ihm ein ſüſſer Geruch ſeye, und alſo ihn (nicht uns) begütige und beſænfftige?

a) Die er gehaſſet als Sünder, hat er geliebet als ſeiner Hænde Werck und Geſchœpff. Kan und darf alſo ſolche gemeine Liebe, da GOtt nichts haſſet, was er gemacht hat, ſonderlich, wann es durch Verführung verderbet worden, mit der abſonderlichen Vater-Liebe nicht vermenget, ſondern muſs mit GOttes Richter-Amt vereiniget werden.

b) Laſs es ſeyn, daſs αἴρειν ſo viel bedeute, als wegtragen; kan man es auch wohl concipiren ohne zuvor übernommenes tragen? Alſo ſchlieſst dann jenes dieſes letztere ordentlich und eigentlich mit ein. Wann aber die Socinianer ſo gar ſehr das vocabulum prægnans αἴρειν urgiren; Wo bleibt das βαςάζειν, das ἀναφέρειν ἐν τῷ σώματι χριςοῦ εἰς τὸ ξύλον, das Sabhal, welche von Chriſti Tragen unſerer Miſſethaten (als einem Sünd-Opffer) Matth. VIII. 17. 1. Petr. II. 24. und Eſ. LIII. 4. zu leſen ſind? Womit ja deutl. gelehret wird, daſs ſolches Wegnehmen auch das Tragen, als einer Laſt, unſerer Sünden, mit Schuld und Straffe, ſupponire, und jenes dieſes mit einſchlieſſe, folgends alles, was ſie hier mit ſolcher Weitlæufftigkeit vorbringen, Lufftſtreiche ſeyen. Da denn, was den locum Matth. VIII. anbelangt, der Evangeliſt nicht bloſs das wegnehmen der Kranckheiten beweiſen wollen, ſondern mit Anführung jener Worte darzu thun beſchæfftigt iſt, daſs 1) der HErr JEſus derjenige geweſen, welcher als der Artzt unſerer Seelen der unſere Sünden auf ſich genommen, von Eſaia beſchrieben worden, und 2) daſs er mit dieſen leiblichen Curen als durch ein klares Bild vor Augen geſtellt, wie er auch, ja vielmehr, gekommen, unſere Seelen-Kranckheiten, und zwar damit, daſs er ſie ſelbſt getragen am Creutz, und ſo dann auch weggenommen, durch wahre gewürckte Buſſe und Glauben, zu heilen. Daher man wiederum handgreifflich erkennen muſs, wie die Socinianer, was zuſammen gehœrt, von einander theilen und reiſſen. Denn daſs ſie dazu ſetzen, wie ſchon œffters geſchehen: Es bedœrffe dergleichen Tragens nicht, oder diſs und jenes ſey genug; davon kœnnen ſie nach ih-

Barmherzigkeit tausenden beweise, und dass Er die Vngerechtigkeit trage und die Sünde Exod. XXXIV, 7. und Num. XIV, 18. das ist, dass Er die Sünde hinweg nehme durch Verzeihung. So sagt Matth. am VIII, 17. dass der Herr Christus die Worte des Propheten Jesaiæ am LIII, 4. (Er hat unsere Schwachheit auf sich genommen, und unser Sünd hat Er getragen) damals erfüllet hab, da Er die Krancken hat gesund gemacht, und ist gleichwol gewiss, dass Christus keines Kranckens Schwachheit auf sich genommen, und ist an seine statt kranck worden, sondern Er hat sie nur hinweg genommen, und geheilet; wie Er denn auch unsere geistliche Kranckheit, das ist, die Sünde von uns hinweg nimmt, durch seinen Tod, und macht uns aufhœren zu sündigen, nimmt aber keine Sünde auf sich. Kan derowegen aus diesem Wœrtl. nicht geschlossen werden, dass Er mit seinem Leiden an unser statt etwas getragen oder gebüsset hat, es bedarff es auch nicht, sondern war genug zu unserer Reinigung, dass Er unsere Sünde hinweg nehme, und verzeihe, auch verschaffte, dass wir hinfort nicht mehr sündigen.

Das XVII. Capitel.

Von der Rechtfertigung.

Welches ist die Absolution oder Rechtfertigung von unsern Sünden?

ES wird genannt die Rechtfertigung, und ist diss, dass Er uns unsere Sünde verzeihet, und unangesehen derselben, die Gerechtigkeit zurechnet, a) und uns für gerecht hælt, als ob wir niemahls gesündiget hætten; darauf dann die Seeligkeit erfolget, wie Paulus sagt

rer eigenen Phantasie und daraus gemachtem Systemate philosophico nicht sprechen, sondern müssen GOttes Wort anhœren, welches davon gantz anders urtheilet; wie wir es bisher erwiesen, und die Socinianische Verkehrungen in einen unlautern uneigentlichen Verstand, der an sich selbst gantz lautern und klaren Worte des Heiligen Geistes, gründlich abgewiesen haben.

a) Diese Beschreibung kœnnte gar wohl Statt haben, wann es nur mit der hier gedachten zugerechneten Gerechtigkeit auch richtig stünde; da wir bald werden vernehmen, dass man jener Seits nicht die Gerechtigkeit Christi, die er uns erworben, verstehe, sondern ein solches Vrtheil GOttes, wo GOtt uns *schlechterdings* für gerecht achtet, ob wir wohl weder eigene noch frembde Gerechtigkeit haben. Aus welcher Vrsach denn auch diese Zurechnung der Verzeihung der Sünden nachgesetzet wird, welche als der Grund der Absolution, wann sie glaubten, dass solche von der geschenckten Gerechtigkeit dess Lebens und Leydens Christi herkæme, billig sollte nach gœttlicher in der Schrifft beschriebenen Process-Ordnung vorangehen, ut caussa ante effectum.

ſagt zum Rœm. IV, 6. daſs die Seeligkeit derjenigen Menſchen ſey, welchen GOtt die Gerechtigkeit zurechne, und thut darzu aus dem XXXII. Pſal. daſs der ein ſeeliger Mann ſey, welchem GOTT die Sünde nicht zurechnet, und deſſen Sünd bedeckt ſind.

Warum ſchreibſt du die Rechtfertigung dem HErrn Chriſto zu, da doch die H. Schrifft ſagt: GOtt ſey, der da gerecht mache Rom. VIII, 30. 33. Tit. III, 7.

Darum, dieweil der HErr Chriſtus und der Vatter eines ſind, in dem Werck unſerer Seeligkeit oder Seeligmachung, a) Joh. X, 30. und hat der Vatter dem Sohn alles übergeben Joh. V, 22. Ja was der Sohn thut, das wird eben ſowol dem Vatter zugeſchrieben, dieweil es vom Vatter alles urſprünglich herkommt, und Er ſolche Macht alle vom Vatter empfangen hat b) Joh. XVII, 2. daſs alle Zungen bekennen, daſs JEſus der HErr ſey, zur Ehre GOttes des Vatters Phil. II, 11. Es wird aber die Rechtfertigung dem HErrn Chriſto auch ſelbſten in H. Schrifft zugeſchrieben, als einem Hohen Prieſter, c) in dem geſagt wird, Hebr. X, 12. daſs Er ein ſolcher Hoher Prieſter ſey, der da ſize zur Rechten GOttes, und im VII. Cap. 15. der

a) Der angeführte Ort Jo. X. 30. redet nicht mit ſolcher Einſchrenckung; Es würden auch die Juden dagegen nicht viel ſich geregen haben, wie doch würcklich von ihne geſchehen; ſondern ſchlechterdings und alſo von der Einigkeit des Weeſens, welches dem Vater und Sohn gemein ſeye. Es kœnnte doch im Ende auch dieſe Vrſach gelten, wenn man Socinianiſcher Seiten nur nicht eine ſolche Ordnung verſtünde, die der Hoheit der Perſon Chriſti verkleinerlich, und in einer bloſſen Commiſſion beſtehen ſoll, und wobey der Perſon, Amt, und beyden Naturen Chriſti alſo zu nahe getreten wird, daſs endlich, wie wir bald hœren werden, nichts unſerm JEſu, als bloſs menſchliche Herrlichkeit, übrig bleibt, die er noch überdiſs an jenem Tag wieder vœllig ablegen, und mit gemeiner menſchlichen Seeligkeit vergnüget ſeyn werde. Dawider die gantze Schrifft ſtreitet, ob ſie wohl die Art der Regierung, durch den Glauben an das Mittler-Amt Chriſti, endlich mit dieſer Welt und Leben endiget.

b) Wære alles gut, wann man nur ſolches Empfangen Chriſti vom Vater fein richtig auseinander ſetzte, und was, auch wie ſolches, Chriſto nach der gœttlichen oder menſchlichen Natur zukæme, mit Vnterſchied zeigete; woran es aber leyder bey dieſen zerrütteten Menſchen mangelt.

c) So iſt es recht; aber der hinckende Bothe kommt alſobald nach, wann die Hohenprieſterliche Verrichtung nur auf die Rechtfertigung geſtellet wird. Wo bleibt aber die Genugthuung oder verdienſtliche Verſühnung? Redet nicht die Schrifft von einer ewigen Erlœſung und Gerechtigkeit, die er vorher zu weg gebracht, ehe er ſich zur Rechten GOttes geſetzet, wie ſonderlich die Epiſt. an die Hebr. immerzu wiederhohlet? So bauen alſo die Socinianer, aber ohne zuvor den rechten Grund zu legen, davon im vorhergehenden Capitel gehandelt worden.

der da seelig machen koenne immerdar; denn die Seeligmachung bestehet in der Rechtfertigung, wie jezt gesagt wird, darum a) wird Er auch der Seeligmacher genennet Luc. II, 11. Eph. V, 23. und 1. Joh. IV, 14.

Welche rechtfertiget Er denn?

Allein die Glaubigen, denn wer nicht glaubt, der wird nicht gerechtfertiget, sondern verdammt, wer aber glaubt, der wird seelig Marc. XVI, 16. und Paulus sagt zum Roem. III, 28. dass der Mensch gerecht werde durch den Glauben. Man muss aber verstehen den Glauben an Christum Gal. II, 16. denn nachdem der HErr Christus erschienen, b) so ist kein ander Nahme den Menschen unter dem Himmel gegeben, darinn wir sollen seelig werden, denn der Nahme JEsu, wie Petrus bezeugt Act. IV, 12. Darum ein jeder, der an den Nahmen des eingebohrnen Sohn nicht glaubet, der ist schon gerichtet Joh. III, 18. Aber in dem alten Bund wurden alle diejenige, die an GOtt c) glaubten, gerechtfertiget, wegen dieses Glaubens, wie aus dem XI. Cap. an die Hebr. zu sehen ist; d) und war nicht noethig auch

a) Dieses ist nicht die einige Vrsach, und muss der Erwerbung solcher Rechtfertigung und Seeligkeit nicht vergessen werden. Siehe Hebr. I. 3. IX. 28. X. 14. Tit. II. 14. absonderlich Rom. V. 9. 10., da die Versoehnung, als durch den Tod geschehen, beschrieben, und das Empfangen der Versoehnung *nun* nach dem Tod Christi bey der Bekehrung lociret wird &c.

b) Diese Restriction auf die Erscheinung Christi finde ich in Petri Worten nicht, sondern er redet generaliter von allen Menschen, die jemals seelig worden, oder seelig werden wollen. Denn die Verheissung so kraefftig war, als die Erscheinung.

c) Christus aber spricht: Glaubet ihr an GOtt, so glaubet ihr auch an mich Joh. XIV. 1. Wie denn auch, ob man gleich gar gerne zugibt, dass die Offenbahrung des Evangelii von Christo, den Vmstaenden nach, im A. T. dunckeler als im N. T. vorgetragen worden, die Lehre von dem Messia, d. i. Heyland der Welt, den Juden nicht unbekannt, und folglich auch der Grund ihres Trostes gewesen, den man ohne Glauben an ihn auch nicht einmahl concipiren kan. Der so vielen Schrifft-Stellen nicht zu gedencken, wo auch im A. T. des Glaubens an die Verheissungen den Patriarchen geschehen, wohin die von Christo oder Abrahams Saamen, wie auch dessen Seegen, ja vor andern zu rechnen, die andern aber dahin in Bildern mit zieleten, so offt Meldung gethan wird. Paulus hat den Vnterschied am deutlichsten ausgedruckt, wann er Rom. III. 21. die Gerechtigkeit zwar als durchs Evangelium nun offenbahret, (πεφανέρωται) d. i. klar und hell vor Augen geleget, weyland aber durch Mosen und die Propheten bezeuget, (μαρτυρουμένη) d. i. nicht so klar und deutlich, iedoch zulaenglich, vorgestellet, beschrieben. Da ja beydes gewisslich nicht für die lange weile, sondern zum Grund des Glaubens und Trostes, obwohl noch unter vielen Schwachheiten ehemahls, jetzt aber in mehrerer Freyheit, geschehen, und noch geschiehet.

d) In dem allegirten XI. Cap. an die Hebr. wird gar nicht von dem Glauben, so

auch an Christum zu glauben, wie in Neuen Bund, denn Paulus sagt: dass der Glaub erst durch das Evangelium sey kommen, a) Gal. III, 22. 23-26. welches zu verstehen ist von dem Glauben an Christum, denn zuvor ist gesagt, dass auch Abraham, welcher im Alten Bund gewesen, GOtt geglaubet hab, und sey ihm dieser b) Glaub zur Gerechtigkeit gerechnet, Rom. IV, 3. Gen. XV, 16.

Wie sagt denn Petrus Act. XV. Wir glauben durch die Gnad des HErrn Christi seelig zu werden, gleichwie sie (die Vætter?)

Das Wœrtlein Sie, gehet nicht auf die Vætter, sondern auf die Christen zu Antiochia, welchen etliche wollten die Beschneidung aufdringen, neben den Glauben an Christum, von denen sagt Petrus, es sey genug, dass sie durch den Glauben an Christum gedæchten seelig zu werden, dieweil auch die Apostel selbst nicht anderst, als durch diesen Glauben, und nicht durch das Joch der Beschneidung, welches weder sie, noch die Vætter hætten mœgen tragen, wollten seelig werden, gleichwie sie, die Antiochener, vor welchen das Concilium gehalten ward. Denn es war da nicht die Frag, wie die Vætter wæren seelig worden, sondern wie die Antiochener mœchten seelig werden, ob es genung wære an dem Glauben, oder, ob man sie auch beschneiden müste, und zwar hætte man die Antiochener nach der Vætter Weiss halten und richten sollen, so hætte man sie der Beschneidung nicht befreyen kœnnen, c) wie es gleichwohl gesche-

sern er rechtfertiget, sondern in Ansehen anderer Wohlthaten, und also von dem allgemeinen Glauben, nach dem im ersten Versicul angedeuteten Zweck gehandelt, und dennoch v. 26. sq. des Absehens auf Christum, den die Glaubige vor Augen gehabt, nicht gar vergessen. Ist demnach dieser Locus gantz impertinent angeführet, als welcher von gewissen Eigenschafften des Glaubens insgemein, wie auch von andern Würckungen, als wir jetzt vor uns haben, ausführlich redet.

a) Hier muss theils wiederhohlet werden, was wir schon oben von dem Vnterschied des Mosaischen Bundes und der Jüdischen Religion, so auch den Evangelischen Bund in sich begriffen, gelehret, hiernechst aber ist zu mercken, dass an der allegirten Stelle Paulus das Wort Glaub in dem Verstand nehme, wie nun der Glaub ohne das Gesetz in der Oeconomie des N. T. alles wircket, und der Mosaischen scharffen Zucht-Ordnung, die sich unter vielem knechtischen Wesen ehemals geæussert, entgegen setzet, wie solches sein Zweck in diesem und folgenden IV. Cap. mit sich bringt. Womit er aber der Krafft des Glaubens an Christum so gar nichts benimmt, dass er auch unser aller Rechtfertigung aus dem vollkommensten Muster Abrahams, wie Rom. IV. herführet.

b) Was für ein Glaub? Der die Verheissung vom geseegneten Saamen, wie sie Gal. III. Paulus selbst erklæret, vor Augen und im Hertzen hatte, d. i. durch den Glauben an GOtt in Christo.

c) Hierinnen düncket mich habe Sonerus klug und geschickt geurtheilet, und

geschehen, und ist ihnen das Joch der Vætter nicht aufgelegt worden, und wiederum hætten die Vætter durch den Glauben an Christum sollen seelig werden, so hætten sie gleichfalls die Beschneidung müssen fallen lassen. Denn in Christo JEsu gilt weder Beschneidung noch Vorhaut, sondern GOttes Gebot halten 1. Cor. VII, 19. das ist, der Glaub, der durch die Liebe thætig ist, Gal. V, 6. Mit einem Wort: die neue Creatur Gal. VI, 15. Ja so sich jemand beschneiden læst, dem ist Christus kein nuz, Gal. V, 2. denn die leibliche Beschneidung war nur ein Vorbild der geistlichen Beschneidung

kan ich nicht in Abrede seyn, dass eben aus dieser Vrsach ich niemals gerathen, diesen Spruch starck wider allerhand Feinde der Wahrheit zu urgiren, als welcher vielmehr in dem Verstand, wie er insgemein von den Vætern ausgeleget wird, gerad wider den Endzweck Petri, und der damahligen Disputation streitet. Dieweil die falschen Apostel ja den Glauben an Christum nicht verworffen, sondern nur mit und neben dem Glauben, die Beschneidung, vel præcepti necessitate, eben desswegen, dass auch die Væter beschnitten worden, erfordert; für welche also dieses Seelig-Werden durch die Gnade GOttes, gleicherweis wie die Væter, mehr als wider sie, gedienet hætte. Denn ja hier nicht vom Verdienst, sondern schlechterdings von der Beschneidung Nothwendigkeit die Frage war. Wozu noch dieses kommt, dass, wie sonst in denen Episteln Paulli, absonderlich Eph. I. und II., durchaus immerzu das *Wir* und *Sie* im Gegensaz, die Jüden und Heyden, oder vielmehr die Bekehrten aus diesem u. jenem Volck, bedeuten, davon hier allwo, wie in dem 8. u. 9. so auch im 11. Vers ein gleiches geschiehet, ohne Noth nicht abzuweichen ist. Der gemeine Fehler ist daher entsprungen, dass man die Worte Petri also angesehen, als hielten sie noch eine Vrsach in sich; da doch in solchen der Schluss seiner Rede enthalten, und er mit dem Wærtlein ἀλλὰ, welches bey den Juden ein Schluss-Wort ist, wie etwan bey uns das Lateinische Ergo &c. oder das Teutsche: Also bleibt es dabey &c. nur so viel sagen wollen: Weil wir von der Last des Gesezes befreyet, die bisher unertræglich gewesen, welches GOtt an Cornelio und andern realiter gewiesen, denen Er den H. Geist ohne die Beschneidung gegeben, so glaube er (Petrus) auch mit andern, welche diese Parthey damahls hielten, die aus den Juden Bekehrte müsten durch die Gnade Jesu Christi ohne die Beschneidung, darauf GOtt jezt gar nicht mehr sehe, seelig werden, wie die, so aus den Heyden Christen worden, und folgends die Beschneidung niemand aufzulegen seye. Indessen haben die Socinianer damit noch nicht, was sie von der Oeconomie des A. T. ohne Glauben an Christum schliessen wollen, gewonnen. Alldieweil doch die allgemeine Gnade Christi und der nothwendige Glaube an ihn zu aller Zeit unverrückt bleibt; als wovon hier Petrus eigentl. nicht, sondern von der N. T. Ordnung ohne Beschneidung, wie er erfahren, handelt, andere Stellen der Schrifft auch solches z. e. Joh. I, 29. Act. IV, 12. Hebr. IX, 8. 12. 15. 23. Gal. III. und IV. nebst andern Stellen mehr samt den Verheissungen von Christo im A. T. stattlich genug erweisen, dass wir dieses Orts, wie auch dessen Hebr. XIII, 8., da nur von der Bestændigkeit der Hebræer geredet wird, eben nicht bedœrffen.

dung Christi, mit welchen die Christen sollten beschnitten werden, welche nicht mit Hænden geschicht, sondern durch Ablegung des sündlichen Leibs im Fleisch, das ist, der Sünden, Coloss. II, 11. und wer diese Beschneidung hat, der bedarff der leiblichen, die mit Hænden geschicht, ganz nicht.

Das XVIII. Cap.

Von dem Kœnigl. Amt des HErrn Christi.

Was ist das Kœnigl. Amt des HErrn?

ES ist eine Herrlichkeit Christi, in welcher Er herrschet über alle vernünfftige a) Creaturen im Himmel, und auf Erden, sichtbahre und unsichtbahre, über die Thronen und Heerscharen, das ist, über die Engel und über die Fürstenthumm und Obrigkeiten; das ist, über die Menschen, Coloss. am I, 17. davon stehet in der Epistel an die Hebr. am I. und II. dass Er alles trage mit seinem kræfftigen Worte.

Von wem hat Er dieses Kœnigl. Amt empfangen?

Auch von GOtt seinem himmlischen Vatter: solches bezeuget Paulus zum Philipp. II, 9. 10. da er sagt: GOtt habe ihn erhebet, und einen Nahmen geschencket über alle Nahmen, in welchem sich alle Knie im Himmel und auf Erden, und unter der Erden beugen soll, und alle Zungen bekennen, dass JEsus der HErr sey, zur Ehre GOttes des Vatters. Item Petrus in Geschichten am II, 32. 33. 36. dass ihn GOtt auferwecket, zu seiner Rechten gesezt, und zum HErrn und Christ gemacht habe; und am V. Cap. 30. 31. dass Er Ihn zu Herzogen und Seeligmacher erwecket habe, legt auch die Prophezeyung im CX. Psal. von ihm aus: der HErr hat gesagt zu meinem HErrn, seze dich zu meiner Rechten &c. Es sagt auch Paulus zum Ephes. am I, 20. 21. dass GOTT der HERR seine grosse überschwengliche Macht gegen uns erwiesen hab, indem Er Christum von den Todten auferwecket, und zu seiner rechten Hand in den Himmel gesezt hat. Davon hat David im II. Psal. geweissaget, da Er spricht: Ich habe meinen Kœnig eingesezt auf meinen heiligen Berg Zion, du

a) Die Schrifft redet nicht von den vernünfftigen Creaturen allein, sondern von allen und jeden Geschœpffen oder Wercken der Hænde GOttes. Er wird ein HErr schlechterdings über alles, vielfæltig genannt. Ps. VIII, 7. sq. coll. Hebr. II, 5. sq. Matth. XXVIII, 18. coll. XI, 27. Eph. I, 21. Phil. II, 10. 1. Cor. XV, 27. Da der Vatter allein ausgenommen wird.

bist mein Sohn, heut hab ich dich gezeuget; Heische von mir, so will ich dir die Heyden zum Erbe geben, und der Welt Ende zum Eigenthum: So sagt der Engel Gabriel zur Jungfrau Maria Luc. I, 32. Er wird ein Sohn des Hœchsten genennet werden, und GOtt der HErr wird Ihm den Stuhl seines Vatters Davids geben, und Er wird ein Kœnig seyn über das &c. a) Drum wird Er der Erstgebohrne vor allen neuen b) Creaturen genennet, dieweil Er der erste ist, der die verheissene Herrlichkeit im neuen Bund empfangen, c) auch solchergestallt, dass Er sie auch andern mœge mittheilen, dieweil es GOtt gefallen, dass in ihm alle Fülle wohnen soll, Coloss. am I, 15. 19. Ja Er wird auch darum der Erstgebohrne unter vielen Brüdern d) genennt, dieweil wir auch seinem Ebenbild sollen gleich werden Rom. VIII, 29. und regieren in Ewigkeit, in der Offenbahrung am XXII, 5. Endlich bekennet der HErr Christus selber offt, dass Er

a) Diese Schrifftstellen sind gar wohl angeführet, müssen aber von dem, was in der Zeit geschehen, und solchemnach von der menschlichen Natur Christi, verstanden werden, nach welcher Natur er sich auch erniedriget, und Knechts-Gestalt angenommen, und sodann, als er seinen Lauff in dieser Welt biss zum Todt am Creuz vollendet, zu solch seiner Herrlichkeit (ordentlich) eingegangen, um darinnen und damit verklæret zu werden vœllig; nachdem seine Thaten zuvor nur einige Strahlen davon gezeiget. In welchem Verstand auch anzunehmen, wann es heist: Er seye nach der Aufferstehung zu einem HErrn und Christ, d. i. zu einem würcklichen und vollkommen regierenden HErrn, und Christ, der sich zuvor seiner Kœnigl. Majestæt nicht gebraucht, ob er wohl schon als ein Kœnig gebohren war, gemacht worden. Die zwey Naturen Christi werden in dem Ps. II. gar deutlich unterschieden, obwohl, wegen Einigkeit der Persohn, von einem einigen Kœnig daselbst die Rede ist.

b) Wo stehet dieser Zusatz? Paullus gedenckt davon nichts, sondern redet vielmehr insgemein von allen Creaturen, die im Himmel und auf Erden sind. Wird auch denen Socinianern schwer fällen, die Engel zu neuen Creaturen zu machen, welche es ja (wir reden von den heiligen Engeln) nicht bedürffen. Denn dass sie unser, der Menschen, Freunde worden, macht in ihnen keine neue Schœpffung.

c) Davon lieset man wiederum nichts Col. I., wird auch deswegen Christi Hoheit nicht beschrieben, sondern zum Beweiss, dass er der Mann gewesen, GOtt und Mensch, der uns, weil alle Fülle in ihm gewohnt, so auch bald hernach Cap. II. die Fülle der Gottheit ausdrücklich heisset, das grosse Werck der Versühnung habe kræfftig ausführen kœnnen.

d) In der 1. Cor. XV. wird von seiner Aufferstehung geredet, und ist dieser Ort, da freylich das Wort erstgebohren, nach der Hebräer Gebrauch, für den *vornehmsten*, und nicht eigentlich genommen wird, mit dem an die Colosser nicht zu vermengen. Das Nachfolgen und Gleichwerden seinem Ebenbild Rom. VIII. siehet auf das Leyden. Daher man fein distincte von dem allen sollte handeln, und nicht alles unter einander mengen.

Er alles von ſeinem Vatter empfangen hab, dieweil a) Er des Menſchen Sohn ſey, Joh. V, 27. Von wegen dieſes Kœnigl. Amts aber, das Er von GOtt empfangen hat, wird Er auch GOtt und GOttes Sohn b) genennet, dieweil ihn kein Ding GOTT gleicher macht, denn dieſe Herrſchung; denn ſonſten die Menſchen wegen der Beherrſchung der unvernünfftigen Thier c) werden GOtt gleich ſeyn, und GOttes Ebenbilde genennet, wie zu ſehen im erſten Buch Moſis am I. Cap. v. 26. 27. 28. und Moſes ein Gott d) Aaronis und Pharaonis, im andern Buch Moſis am IV, 16. und VII, 1. dieweil Er über ſie herrſchet; Wie vielmehr ſoll Chriſtus ein GOtt ſeyn und genennet werden, dieweil Er über alle Creaturen im Himmel und auf Erden herrſchet.

Wenn der HErr Chriſtus ſolche Macht vom Vatter empfangen hat, warum ſagt Er denn: alles was der Vatter hat, das iſt mein? Joh. XVI, 15. XVII, 10.

Das Wort Alles, im XVI. Cap. bedeutet nicht gar alles, was der Vatter hat, ſondern nur e) alle Ding, von welchen an ſelben Ort gehan-

a) Iſt recht; aber beydes von ſeiner menſchlichen Natur zu verſtehen, die es alles als ein Geſchenck krafft der perſœhnlichen Vereinigung überkommen. Daher auch das Wœrtlein *dieweil* von einigen mit: *So fern* erklæret, und damit 1. Joh. III. 9. verglichen wird.

b) Dem iſt nicht ſo; ſondern er wird GOttes Sohn genannt, alldieweil er vom Vatter gebohren, und heiſt deſswegen auch der *eingebohrne* Sohn vom Vatter; welches ja von der Wiedergeburth nicht zu verſtehen, als die er nicht bedurfft, auch ſie mit den andern Sœhnen gemein hætte. Vnd was noch mehr, ſo iſt ſein Ausgang oder Geburth nach Micha von Anfang von Ewigkeit her würcklich ſchon geweſen, darauf erſt in der Zeit, die in Bethlehem gefolget. So wird auch die Gottheit Chriſti anders von dem Heiligen Geiſt beſchrieben; wovon wir jetzt nicht weitlæufftig ſeyn kœnnen.

c) Ein neuer Irrthum. Sintemahl der Menſch, da er ſchon, als zu GOttes Ebenbild geſchaffen, beſchrieben worden Gen. I. erſt dieſe Herrſchafft, als einen *Anhang* und æuſſerliches *Merck-Zeichen* oder beygelegten Charaćter bekommen. Die Erklærung Paulli Eph. IV. und Col. III. von dem Ebenbild GOttes jetzt zu geſchweigen, der davon nichts meldet.

d) Moſes heiſt hier Aharons GOtt, nicht wegen der Herrſchafft, ſondern dieweil er ſollte, wie GOtt dem Propheten, dieſem ſeinem Bruder, was er reden muſste, ſuppeditiren oder an die Hand und in den Mund geben.

e) Dieſe Einſchrænckung iſt falſch, und ſtreitet mit dem allgemeinen unbeſchrænckten Ausſpruch Chriſti offenbahr. So viel iſt wohl wahr, daſs der HErr JEſus aus ſolchem allgemeinen *Haben* deſſen, was der Vatter hat, jene Gaben des Geiſtes gleichfalls herführet. Denn wer alles hat, kan ja auch etwas gewiſſes, ſo dahin und darunter gehœret, haben und geben; aber diſs alles bleibt doch, (nichts ausgenommen,) vœllig in ſeiner unumſchrænckten Weitſchafft. Welches auch bey dem folgenden XVII. Cap. zu mercken, nur daſs

gehandelt wird; Das sind aber diejenigen, die der Heil. Geist den Aposteln solte offenbahren, zu dem Reich Christi gehœrig. Im XVII. Cap. aber bedeutet es nur die Jünger Christi, wie der Text giebt. Wann aber von diesen Dingen schon gesagt wird, daſs der Vatter und der Sohn alles gemein haben, so wird darum der Vnterscheid nicht aufgehebt, daſs es der Vatter von sich selbst, der Sohn aber nicht von ihm selbst, sondern von dem Vatter a) empfangen hab.

Wie sagt denn der HErr Joh. X, 30. Ich und der Vatter sind eins?

Dieses bedeutet, daſs sie eines Willens seyn, einerley Macht und Werck zur Seeligkeit der Menschen üben, wiewol der Vatter solche Macht von sich selbst, der Sohn aber von dem Vatter hat: Denn daſs es nicht schlecht zu verstehen sey, siehet man aus dem, daſs Er eben in diesem Capitel sagt v. 29. der Vatter sey grœsser denn alle, und am XIV. Cap. 29. der Vatter sey grœsser, denn Er. b) Er sagt aber wegen der Einigkeit des Willens auch von seinen Jüngern, daſs sie einig seyn, wie der Vatter und der Sohn Joh. XVII, 11. 22. c)

Es

daselbst die Application anderst, als im vorigen XVI. Cap. gemachet wird.

a) Allerdings ist dem so; Aber es muſs doch solches Empfangen nach Beschaffenheit der gœttl. und menschl. Natur von Ewigkeit und in der Zeit distincte erklæret, u. wie der Vrsprung unterschieden, so auch was und wie er alles dadurch erlanget, unterschieden werden. Wie er denn die Klarheit, die er bittet, Joh. XVII. selbst als eine solche beschreibet, welche er bereits von Ewigkeit, nicht allein dem Schluſs, oder dem Rathschluſs GOttes nach, sondern würcklich gehabt habe: Gleichwie auch seines Wesens und Existentz als vor der Welt, und also auch vor seiner Mutter, zum œfftern gedacht wird: Dawieder alle Verdrehung z. e. der Sprüche Joh. I. 1. 27. und VIII. 58. und d. m. nichts helffen, sondern die bœse Sache der Socinianer, indem sie der Schrifft Gewalt anthun, nur mehr verrathen.

b) Hieraus læſst sich nicht beweisen, daſs seine Einigkeit nur von dem Willen und Eintracht zu verstehen, wie denn auch die Wort schlechtweg von eines (*unum*) seyn reden, nehmlich nach dem Wesen; sondern nur so viel ist daraus zu erkennen, daſs Christus keine einfache Person, sondern eine solche sey, darinnen sich zwey Naturen befinden, eine nach welcher er mit dem Vatter eins, und die andere, nach welcher er kleiner und geringer seye als der Vatter; daran wir nicht zweiffeln. Auf welche Art also der scheinbahre Wiederspruch zu heben.

c) Es folgt nicht, daſs, wie der Jünger Einigkeit seyn solle, also auch und keine andere Einigkeit zwischen GOtt Vatter und seinem Sohn anzutreffen; Dann solche Gleichnüsse von GOtt genommen nicht allezeit de æqualitate sed qualitate zu verstehen, und in gewisser Maas; fast wie es Matth. V. 48. heiſst: Wir sollen vollkommen seyn, gleichwie unser Vatter im Himmel vollkommen ist; wo ja niemand sich von einer gæntzlichen Vollkommenheit wird traumen lassen. Die Wahrheit der Sachen bringt nicht nothwendig eine Gleichheit, der Art und Weise nach, mit

Es bezeuget aber Johannes, daß Er sich GOtt gleich gehalten hab im Cap. V, 18. und Paulus Phil. II, 6. daß Er in Gœttl. Gestallt gewesen sey?

Diese Gleichheit bestehet darinn, daſs Er durch seine empfangene Macht, welche ihm sein Vatter gegeben, eben die Werck, welche sonsten GOtt allein zugehœren, alſo verrichtet hat, und noch verrichtet, wie GOtt selbst, hebt aber den Vnterscheid nicht auf, daſs GOtt der Vatter diese Macht von sich selbsten habe, Christus aber von GOtt dem Vatter. a) Was den Ort Joh. V, 18. anlanget, ist zu wissen, daſs nicht der Evangelist selbsten sagt, daſs Er sich GOtt gleich gemacht, oder solches von dem HErrn Christo erzehle, als wenn Er sich GOtt gleich gemacht, und von sich selbst solches gesagt: sondern es erzehlet der Evangelist historischer Weiſs die Wort der Gottlosen, indem die aus den Worten Christi, da Er gesagt: Mein Vatter würcket biſsher, und ich würcke auch, per calumniam falsch, ja gottloser Weiſs, und damit sie nur eine Vrsach hætten, den HErrn Christum zu læstern, colligirten und schliesseten, als machte sich Christus hiemit GOtt gleich, welche Calumniam und Læsterung Er in nachfolgenden Worten gewaltig wiederleget, da er saget: Warlich, warlich, ich sage euch, der Sohn kan nichts von ihm selber thun, denn was Er siehet den Vatter thun. b)

 Wie

sich; Wie die Gerechtigkeit Christi nicht nothwendig uns angebohren werden muſs nach Rom. V. 12. sqq. obwohl die Sünde, die uns angeerbet, zur Verdammnuſs von Adam her auf uns alſo kommt.

a) Angeführte Stelle Phil. II. handelt von der Menschheit Christi, und hebt die GœttlicheHerrlichkeit Christi nach seinem Wesen nicht auf, ja es bestættiget solche vielmehr, als welche Mittheilung zu beliebigem Gebrauch nach seiner Weiſsheit, vielmehr die persœnliche (leibhaffte) Inwohnung der Gottheit in der menschlichen Natur supponiret, wie wir schon oben aus Col. II. 9. angemercket haben.

b) Ja eben damit bestættiget er gar nachdrücklich seine wesentliche GOttheit, die er mit dem Vatter gemein habe; wie er schon in vorigen Worten gethan, da sie von den Juden nicht per calumniam verdrehet, sondern gar wohl und besser, als von den Socinianern, welche, sie zu verkehren suchen, verstanden, aber hingegen als eine Gotteslæsterung ausgedeutet worden. Dergleichen sie œffters an sich spüren lassen, weil sie weder den Sohn, noch den Vatter und alſo auch nicht das gantze Geheimnus der Heiligen Dreyeinigkeit kannten. Hier gehet alſo der HErr JEsus weiter, und spricht: Der Sohn *kœnne* nichts von ihm selber thun &c. da er oben nur gesagt: Der Vatter *würcke* und er auch &c. nicht wegen Vnvermœgens, sondern wegen der Einigkeit des gœttlichen Wesens und wesentlichen Eigenschafften, welche so innigst beyden (samt dem Heiligen Geist) gemein seyen, daſs so gar eine Person ohne die andere nichts thun kœnne. Welches er sodann ferner aus dem, was ihm, als Menschen und nach der Menschheit, mitgetheilet seye, abnehmen und mercken heiſst: angesehen er

Wie wird Er denn das Ebenbild des unsichtbarn GOttes, und des Wesens GOttes genennet; und, welcher ihn sehe, der sehe den Vatter, (wie auch) daß in Ihm die Fülle der Gottheit leibhafftig wohne? Col. I, 15. Hebr. I, 3. Joh. XIV, 9. Col. II, 9.

Erstlich eben um dieser Vrsach willen, dieweil ihm Gœttliche Macht a) vom Vatter warhafftig übergeben, und daſs Er eben dasselbige warhafftig verrichtet, was sonsten GOtt allein zugehœret; Darnach dieweil Er uns den Willen des unsichtbaren GOttes vollkommlich offenbahret hat, denn niemand hat sonsten GOtt gesehen, und wissen wir seinen æussersten und vollkommenen Willen gegen uns nicht, wann der eingebohrne Sohn GOttes, der in des Vatters Schooſs ist, uns denselben nicht erklæret hætte, b) Joh. I, 18. Also daſs wir in dem HErrn Christo die Krafft und den Willen GOttes, und alles, was Er uns verheissen hat, leibhafftig, das ist, warhafftig und wesentlich, als in einem Ebenbilde c) oder Abdruck für die Augen gestellet, sehen kœnnen, denn das Wesen allhie bedeutet seine

dergleichen Ehre und Macht nimmermehr haben kœnte, wann nicht seine menschliche Natur in persœnlicher Vereinigung mit seiner Gottheit stünde, und Er zugleich selbst eine gœttliche Person wære.

a) Von der Macht stehet l. c. nichts, sondern von GOtt selbst, dessen Bild er seye, welches er an die Hebr. I. 3. ausdrücklich genennet wird; da gewiſslich ὑπόστασις θεοῦ, nemlich des Vatters, nicht kan von seiner Gewalt und Macht, ohne offenbahre Verkehrung der klaren Worte, ausgeleget werden. So wird auch Col. I. 15. sq. von dem Ebenbild Gottes, dem eingebohrnen Sohn vom Vater, gesaget, es sey alles durch ihn erschaffen, auch die Engel; welches ja deutlich genug von seiner Existenz vor der Schœpffung aller Dinge, die iezt nur erhalten werden, zeuget, und durchaus nicht kan auf die neue Schœpffung gezogen werden. Theils, weil schlechterdings hier von der Erschaffung die Rede ist, theils aber von wegen der guten Engel, so dergleichen nicht bedurfft, wie denn ihnen zu gut der Heyland auch nicht auf diese Welt gekommen; die Bœsen aber dergleichen Wohlthat nimmermehr erlangen sollen: Daſs aber die erste Schœpffung allhier kurtz vor der Lehre von der Versœhnung angeführet worden, ist nicht geschehen, damit anzudeuten, daſs hieselbst nur von der neuen geistlichen Erschaffung gehandelt werde, sondern die Hoheit derjenigen Person zu beschreiben, durch welche die Versœhnung am Creutz habe kœnnen und sollen, als die da der Schœpffer aller Dinge seye, in dem alle Fülle wohne, ausgerichtet werden.

b) Dem ist also: Aber den Willen des Vatters vollkommen zu verkündigen, war niemand tüchtig, als der aus seiner Schoos gekommen, und der eingebohrne Sohn wære, daher dann eines in das andere eingeschlossen ist, und der HErr JEsus dessen dabey gedencket.

c) Diſs hengt übel zusammen: sintemahl auf solche Weise nicht das Wesen selbst, sondern nur ein Bild an statt des andern und vorigen wære dargestellet worden.

ſeine Warheit in den Verheiſſungen, a) in welcher uns viel gelegen, und nicht an den Anſchauen ſeines Weſens, welches wir auch allhie nicht ſehen kœnnen. Darum antwortete Er dem Philippo, welcher den Vatter zu ſehen begehrte, er ſoll auf ſeine Red und Werck ſehen, welche Er ſo lange Zeit bey ihm gethan hætte, und demſelben glauben, denn in ſeinen Worten und Wercken würde der Vatter, das iſt, des Vatters Willen und warhafftige Verheiſſung, und alles dasjenige, was uns vom Vatter zu wiſſen vonnœthen wære, augenſcheinlich geſehen. b)

Wann hat Er ſolche Macht c) *empfangen?*

Er hat ſie zwar zum Theil ſchon auf Erden gehabt, die Zeit über ſeines Predigamts, und hat ſie mit demſelbigen d) empfangen, (denn zuvor

a) Von den Verheiſſungen ſtehet hier nichts, ſondern von ſeiner GOttes ſelbſt eigenen ὑποστάσει: Da ja ſonſt von ſeinen Wohlthaten, Gaben und Güttern etwas müſte gedacht worden ſeyn. Daſs aber die Socinianer meinen, es ſeye an GOttes Anſchauen ſeiner Perſon nach, wie ſich ſolche in dem Sohn unter der Hülle ſeiner Menſchheit præſentiret, bald danckler, bald herrlicher, und dieſes leztere am klæreſten auf dem Berg Matth. XVII. 1. ſq. und nach ſeiner Aufferſtehung, nichts gelegen, iſt ihrem Vnglauben und Geringachtung der Gnade, die durch J. C., auch ſeiner hohen Perſon nach, uns wiederfahren, zuzuſchreiben, und haben die Apoſtel, ob ſie gleich noch viel Schuppen auf den Augen und Hertzen hatten, doch beſcheidener und danckbarer ſich dagegen erwieſen.

b) Wer nur die Frage Philippi recht anſiehet, der wird bekennen müſſen, daſs, ob zwar dieſe hier gedachte Offenbahrung nicht auszuſchlieſſen der Hr. Chriſtus doch von einem andern Sehen an der Perſon des Meſſiæ als des Ebenbilds des Weſens des Vatters rede: ohnerachtet es Philippus ſelbſt nicht ſo gleich damahls mag vœllig begriffen haben. Daher auch die Fülle der Gottheit, welche in der Antwort faſt gar vorbey gegangen wird, und zwar, wie ſie σωματικῶς perſœnlich in Chriſto wohnet, auf was hœhers zielet, und von der Offenbahrung des gœttlichen Willens gar nicht kan, ohne Zwang, ausgeleget werden.

c) Es wird abermahl hier im Socinianiſchen Verſtand von der empfangenen Macht Chriſti geredet, eben als ob er ſonſt keine Macht, denn die er in der Zeit als Menſch empfangen, oder auf keine höhere weſentliche Art, nach ſeiner unendlichen Gottheit, hætte. Welches wir nur mit wenigen erinnern wollen, die wir ſonſt ſolches Geben nach ſeiner Menſchheit, und alſo auch ſolches Empfangen, wann es recht erklæret wird, allerdings zugeben und behaupten, aber auch fleiſſig von dem, was er durch die ewige Erzeugung vom Vater mit ſeiner gœttlichen Natur erlanget, unterſcheiden.

d) Nicht allein mit ſeinem Predigamt, oder, als ers angetretten, ſondern in und mit ſeiner Menſchwerdung, da er ſchon, als Kœnig von Iſrael, gebohren worden Joh. XVIII, 37. und bereits die ganze Fülle der Gottheit in ihm gewohnet, ſo bald er ſein σῶμα bekommen Col. II, 9. Daher er auch ſchon bey ſeiner Geburth, Chriſtus, der geſalbte HErr, der Kœnig von Iſrael von den Engeln genennet wird. Er war alſo damahls

zuvor hat Er keine Wunderwerck gethan,) sondern noch tæglich zugenommen, an Weisſheit, Alter und Gnade bey GOtt, Luc. II, 52. Daher ſagt Paulus zum Philipp. II, 6. daſs Er ſchon in gœttlicher Geſtallt ſey geweſen, ehe er ſich erniedriget, und zum Tod des Creuzes gehorſam worden, wie auch ſeine Wunderwerck ausweiſen; Aber vollkœmmlich a) hat Er ſie erſt nach der Auferſtehung empfangen, da er ſpricht: daſs ihm alle Gewalt im Himmel und auf Erden gegeben ſey Matth. XXVIII, 18. Denn zu dieſer vollkommenen Herrlichkeit muſte Er erſt durch ſeinen Tod und vollkommenen Gehorſam gelangen Philipp. II, 9. Luc. XXIV. Davon ſagt Petrus in den Geſchichten am 2. Capitel, daſs ihn der Vatter zu einem HErrn und Chriſt gemacht habe &c.

III.

ſchon in gœttl. Geſtalt, und hatte ἶσα Θεῷ, er wollte ſich aber der Knechts-Geſtalt bedienen, und nicht gleich, wie die, ſo etwas geſtohlen, heiſshungrig oder begierig zufahren, ſondern hielte es für rathſam, als einen Knecht ſich aufzuführen; nicht erſt am Creuz, ſondern von Anbeginn biſs zum Todt am Creuz; wie denn ſo lange auch der Gehorſam, biſs auf dieſe unterſte Stuffe der Erniedrigung, gewehret. Dagegen die Wunderwerck nicht ſtreiten, als welche nur einige Strahlen von ſeiner in ihm leibhafftig wohnenden Gottheit waren, um ſein Amt zu beſtætigen, dabey er doch immer beſtændig nicht hatte, wo er ſein Haupt hinlegte, darüber zugleich hefftig verlæſtert wurde, und in der That eben mit dieſen Wunderwercken biſs zur Ermüdung, daſs er auch zuweilen ſich wieder erhohlen muſte, andern dienete. Die gœttl. Geſtallt aber oder die Aufführung nach derſelben, erfodert einen beſtændigen vœlligen Gebrauch der gœttl. beywohnenden Herrlichkeit. Der Tag heiſt doch trüb, wann gleich biſsweilen einige Sonnenſtrahlen durch die Wolcken dringen, aber bald ſich auch wieder verziehen und verliehren.

a) Nicht erſt vollkœmmlich empfangen, ſondern vœllig und beſtændig, was er ſchon gehabt, gebraucht; wie er denn Matth. XXVIII, 18. von vergangener Zeit redet, und darauf, was er denen Apoſteln befohlen und verheiſſen, fundiret. Dergl. Verænderung das Sizen zur rechten GOttes oder der Majeſtæt, und andere Schrifftſtellen deutl. genug beſtættigen. Wannenhero auch die Worte Petri Act. II, 36. wie ſchon mehrmahln gedacht, anders nicht als von einem *würcklich regierenden* HErrn und Chriſt zu verſtehen ſind.

):(o):(

III.

FAMA a) ALTORPHINA,

AVCTORE

ANDR. DINNERO, JC. b)

IMPRESSA NORIBERGÆ,

Typis ABRAHAMI WAGENMANNI.

ANNO DOMINI

MDCXVI.

Qqq qq Repe-

a) Non vanum fuiſſe hunc, quem *Dinnerus* ſuſcepit, laborem, cum alia multa demonſtrent. ut ſolet fama mendax & fingere multa, & exaggerare mirum in modum etiam vera, tum vero illud maxime comprobat, quod, (ſic enim legere memini,) præter alia, etiam ex umbone ſacro, in civitate quadam libera præſertim, quæ circuli Saxon inferioris pars eſt ſpectatisſima, hæc decantata, atque auditores, ne quem ſuorum huc mitterent, ſtudiorum gratia, civium, commoniti fuerant. Vnde, qui rumores alibi percrebuerint, cumprimis inter malevolos, celebritati *Academiæ Altorphinæ* mirifice adhuc efflorescentis invidentes, obtrectantesque, proclive eſt colligere. Tametſi typis pauca hodie legantur, ſi ab illis, quæ ſupra adducta ſunt, diſcedamus, e quibus, infamiam tantam fuiſſe, hodieque confici & oſtendi queat.

b) De Auctore hujus epiſtolæ elegantisſime ſcriptæ nihil eſt, quod præter illa, quæ Cap. III. Hiſtoriæ ſupra præmiſſæ jam commemorata ſunt, addamus; neque etiam, ut in elogiis Viri, de univerſa litteratura præclare meriti, deſcribendis deſudemus, opus eſt. Quandoquidem, quicquid eo pertinet, jam dudum Generoſisſimus *Frid. Tucherus* præſtabili Parentatiuncula eſt complexus, quam poſt obitum optimi *Dinneri* A. 1633. d. 14. Novembr. publice recitavit, quamve inter *Memorias ICtorum* totam Decade II. n. IV. f. 145. *Henningus Witte* recuſam dedit. Ut alias aliorum compendioſiores fatorum ac meritorum ejus enarrationes taceamus; in quibus *Claudii Sinceri Vitæ ICtorum* potisſimum conſuli posſunt, unde & Lexicographi, qui proſtant, Hiſtorici quædam decerpſerunt. Cauſſa vero, cur *Dinnerus* præter cæteros hanc ſpartam vindiciarum ſuſceperit, alibi jam indicata eſt.

* * * * * * * * *

Repetenda hæc viſa nobis ſunt, typisque de novo ſubjicienda, cum annotationibus, hinc inde adſperſis, quia mollius quædam (ob cauſſas forte ſuo quoque loco reddendas) in hac *Fama* pronunciata ſunt; unde facile fides noſtra in percenſendis cunctis, uti revera geſta ſunt, præſertim numero deviorum a veritate definiendo, paullo aliter quædam enarrans, in dubium vocari potuiſſet.

ANDREAS DINNERUS, JC.

JACOBO SCHOPPERO DOCTORI THEOLOGO, ET ACAD. ALTORPHINÆ RECTORI &c.

S. P. D.

CVm ante paucos dies, a) *post susceptum Academ. hujus Rectoratum, quem tibi & Acad. isti faustum atque salutarem precor*, b) *consilii capiendi causa ad me accessisses: meministi nos variis de rebus, tam ad universam Acad. quam ad te privatim spectantibus sermocinatos esse: quæ postea abrupto colloquio, ut scripto consignarem*, c) *& publici juris facerem, suasor & auctor mihi fuisti. Quamvis autem tacito naturæ sensu a consilio scribendi, vulgandique qualiacunque mea typis alienior sim atque timidior*, d) *aliorum exemplo doctus, quam sit hoc nostris temporibus miseris & exulceratis periculosum, & ὡς εὔπορ⊙ διαβολῶν παντοίων ἡ κακία. ut est apud Evagr. nescio tamen, quomodo ad morem nunc tibi gerendum procliviorem me caussæ nonnullæ reddiderunt: inter quas præcipuæ fuerunt, ut & cultæ inter nos per annos decem* e) *amicitiæ testimonium aliquod extaret, ut & par utriusque nostrum studium in honore Academ.* f) *vindicando fuisse appareat. Quorum posterius in tanto fallendi &*

a) Successerat *Schopperus*, proximo post Festum Academ. Petro-Paullinum die ex more electus, *Queccio*; unde epistolam hanc mense *Julio* conscriptam esse liquet.

b) Hujus voti cum aliæ communes, tum hæc maxime, quæ *Schopperum* cum collegis anxium animi reddebat, Sociniana hæc caussa erat. Nec fefellit *Dinnerum* spes concepta, uti superius jam dicta condocent, quod ad ipsam Academiam & hæresin inde omnino ejectam attinet; at *Schoppero* lugubrem fuisse hunc annum, quippe quo, antequam magistratum deposuit, vivere desiit, ex Vita ejus alibi copiosius descripta constat. Quod triste fatum *Schopperi* nobilissimi etiam JCti, *Scipionis Gentilis*, mors pæne præmatura (æt. a. 53.) antecesserat.

c) Ergo suasore & auctore b. *Schoppero* scriptum hoc prælum subiit: cui consilio dato auctoritas deinde *Illustrium Academiæ Curatorum* accessit.

d) Quam etiam ob rem pauca extant, quæ typis, utut in omni disciplina & græca inprimis litteratura exercitatissimus esset *Dinnerus*, impressa hodieque compareant, in Vita, *Sinceri* industria repetita, & *Wittianis* Memoriis enumerata. Quæcunque vero prostant, demorsos omnia sapiunt ungues.

e) A primo nimirum Academicæ functionis anno, qui in A. 1606. incidit, quo *Matthiæ Hübnero* Pomerano, *Norибergam*, ut Consiliarii Reipubl. illustris munus administraret, evocato successerat. Amicitiæ de reliquo caussam cum *Schoppero* cumprimis cultæ non aliam fuisse putamus, quam orthodoxiæ in doctrina Eccl. commune studium, cui noster præter cæteros collegas laudabiliter deditus erat, & *Schoppero* ob hanc quoque caussam amicior extitit.

f) Quorsum hæc spectent, ex paullo ante dictis intelligi potest; ex quibus etiam lux verbis sequentibus, quæ *occultam querimoniam* continent, affulgebit, si fata

& dissimulandi certamine mihi non honestum modo, sed propter fatalem hujus seculi morbum, suspicandi dico quidvis de quovis Improbitatem, etiam necessarium propemodum judicavi.

Principio igitur fortunatum prædicabas decessorem tuum a) *in munere rectorali, qui eodem tempore & molestissimis laboribus defunctus esset, & magna cum laude sua magistratum deposuisset. Mirari quoque te dicebas, quod is, qui Philosophiæ studiis a puero deditus, in dicendi vero artibus, aliisque scientiis ita versatus est,* b) *ut invideri ipsi possit, animo simul ea complecti potuisset, quæ ad regendam Vniversitatem, & definienda negotia tam varia tamque subita, omnes necessaria esse perspiciunt. Vt enim contra vulgi votum, quo* honorem omnes gerere volunt, magistratum nemo, c) *idem simul & honorem modeste delibaret, & labores illi admixtos viriliter exhauriret sapientiæ & Eloquentiæ studiis haud dubie consecutus erat. Contra tamen Socrates, vir supra hominum conditionem & fortis & sapiens, cum tueri personam in simili scena desperaret, ab omni munerum publicorum administratione penitus abstinuit, & virium diffidentiæ dæmonii sui* d) *auctoritatem prætexuit, cujus, ut scimus, vis omnis in*

Academiæ reliqua præter tristiora illa, de quibus ex professo in hoc libro disseruimus, consultis Vitæ cujusque descriptionibus, contendere L. B non pigrabitur. Vnde non eadem peræque omnes, etiam in religionis negotio & controversiis, sub id tempus agitatis, sensisse elucebit.

a) *Queccium*, incredibili studio in hac, quam tractavimus, caussa versatum, nihilque in se, quod ad summam rei attinet, desiderari passum.

b) Erat sane *Queccius*, etiamsi scriptis non admodum multis inclaruit, in elegantiori omni litteratura, *Græca* maxime, & *dicendi arte atque poetica* exercitatissimus. Ordinario autem *Philosophiam Moralem* ita professus est, ut, cum *Aristotelem* potissimum ex more temporum sequeretur, subinde tamen jam tunc adspergeret, quæ Juris naturalis indagationem altiorem præ se ferrent, & genuina morum principia eum delibasse ostenderent. De reliquo Noribergæ eum natum esse A. 1561. & in ipsa schola Altorphina atque Academia dehinc bonis litteris imbutum, adolevisse, interque primos ejusdem Professores eminuisse variisque disputationibus, moralibus præsertim, & orationibus omnino XII. Norib. A. 1626. 8vo uno volumine procusis, in orbe litterato clarere, diem autem supremum A. 1627. (postquam A. 1624. uxorem, *Barbaram, Georgii Staudneri*, Solisbacens. Eccl. Antistitis filiam, m. Octobri amiserat,) obiisse, aliunde vel constat, vel, alibi certe enarratum iri plenius, spes est.

c) In quorum numero & *Lutherum* observatum est fuisse, qui, quod constat inter omnes, & a S. Ven. *Læschero* nuper admodum annotatum fuit, *Consulatum Academicum* nunquam, quoad vixit, suscepit.

d) Quod quale fuerit disputatur, mihi vero (ut hæc obiter addam,) ingeniosissimi *Borremansii*, *sternutationis* signum id fuisse existimantis, opinio, ob caussas, quibus conjecturam suam in *Variis Lectionibus* eruditissimis valde probabilem reddidit, inprimis probatur.

*in interdicendo & * prohibendo, nulla in jubendo fuit. At si* ** ſapientia *(ut ait ille)* gubernator navim torquet, non valentia: *quis Socrati conferri poteſt, qui & oraculi voce hominum omnium ſapientiſſimus judicatus eſt? quem ob id Rectoratu bis geſto a deceſſore tuo victum ſuperatumque eſſe conſentiebamus.*

Illud quoque, quod vel maxime ad officium magiſtratus Chriſtiani a) *pertinet, minime diſſimulandum putavimus, quod cum hoſtis generis humani per agrum* Domini & Chriſti *ejus zizania non nominandæ & deteſtandæ hæreſis in partibus quibusdam Europæ ſparſiſſet, & ex ſeminario illo plantæ quædam furtim in fundum noſtrum translatæ* b) *dicerentur: Exrector ille noſter ad extirpandas eas operam fundi dominis tempeſtive commodaſſet: Cumque ſerius* c) *a peritis agricolis agnitæ illæ fuiſſent, & periculum eſſet, ne propter ſiniſtros rumores ſparſos, quaſi ager totus vitium contraxiſſet,* d) *ejus pretium minueretur: cum Fama ipſa (at quali quantoque portento?) lento quaſi duello congredi non dubitaverit, quod niſi illa extincta, jus ſuum dominis fundi ſalvum eſſe non poſſe plerique exiſtimarent. Quod te cogitantem, & in quæ tempora magiſtratus iſte tuus inci-*

* Plato in apolog. Socratis, Phædro & Theag. Xenoph. in apolog. Socratica.

** Nonius ex Titinnio.

a) Maxime omnium *Academici*, ubi non ſolum eruditionis, ſed pietatis etiam, quæ ſine veritate ne quidem exiſtere *genuina* poteſt, habenda eſt ratio: ut, quod vulgo dici ſolet, non ſplendido duntaxat nomine, quemadmodum non male conqueſti ſunt de præſenti Academiarum ſtatu nonnulli, ſed vere *Officinæ Spiritus* S. nuncupari poſſint.

b) Seminarium illud infelicisſimi lolii haud dubie deſignat his verbis *Poloniam*, nominatim *Racoviam; furtim* autem & clam huc translatæ quæ plantæ fuerint, ſupra jam docuimus, *Gittichium* fuiſſe, & ipſum quoque *Sonerum* cum aliis quibusdam obſcurioribus Cap. II. memoratis, ſive in *Belgio* ſive alibi hoc veneno afflatis. Cæterum, cur neque hoc in loco, neque alibi *Soneri* explicate in hac oratione mentionem fecerit *Dinnerus*, haud dubie ea fuit cauſſa, quod, cum dubia viderentur, quæ de eo ſuſpicati tunc erant nonnulli, & *Schoppero* atque *Dinnero*, ſingulari inſuper amore humaniſſimum illum & pietatem maximam præferentem olim collegam complexis, (quorum uterque etiam *compater* ejus fuerat,) ſatius viſum eſt ſilere, quam ſive *ingrata*, ſive incerta & ſcrupuloſis plura duntaxat ſuſpicandi anſam datura pronunciare. Brevius: Silentio hæc videbantur ſepelienda magis & diſſimulatione, quam excuſatione non ſatis certa ac ſolida.

c) Non præceptorum aut commilitonum culpa, quam pietatis larva fucoque potius obſtante, temporumque iſtorum, ubi varia multis modis & ambigue diſputabantur, obſcura ſuppetias ferente infelicitate; Quibus omnibus horum manipularium fraudes accedebant, occultandis machinationibus mirifice accommodatæ.

d) Sic enim, totam Academiam, uti ſpargi ſolent rumores de regnis urbibusque haud raro peſte infectis, ſi quando ſubito quidam emoriantur, factam eſſe *Socinianam*, paſſim ferebatur indigniſſima calumnia.

incidisset, exactius pensitantem, mirifice animo commoveri dicebas, nec tantum conterreri mendaci infamia ista, sed & aliud vehementer pertimescere, ne videlicet calamitas ista in tempus culturæ tuæ, anteriorisque coloni præcipue reservata, a) *& ad funestandam eam cœlitus quasi dimissa esset. Solent enim deprehensi in difficultatibus homines sæpe etiam fortuita ad causam trahere, & tuta omnia timere, præcipue cum quid sit timendum, non constat. Quo metu cum liberare te jam tum pararem, & totus in eo essem, turbellæ quædam ex transverso incurrentes, teque disceptatore & arbitro componendæ officium istud mihi, unaque præsentiam tuam inviderunt: itaque discessum est, ut scribendi laborem mihi imponeres.* b)

Quod igitur ad metum istum tuum attinet, eum non utilem modo Academiæ, sed etiam cum inclyto Magistratu nostro ac reliquis Collegis tuis Clarissimis Viris, denique cum optimo quoque & amantissimo Acad. hujus communem tibi fuisse scimus: quorum nemo est, quin beluæ istius πολυςόμȣ *dispendia & damna* c) *cognita habeat, Famamque sinistram expugnasse majoris operæ putet, quam aprum Erymanthæum, aut Nemeæum Leonem conficere, aut aves Stymphalidas pellere, aut Cerberum capere, aut Hydræ capita secare: quibus facinoribus fabulosus Hercules olim sese extulit.*

Felices quorum pestem DEUS ædibus istam
Arcuit, ut nequeant furialem noscere Erinnyn!
Aera non habitat, nec aquosa sede moratur,
Non humiles dignata casas, lucosue silenteis;

Illi

a) Plura certe subesse & clandestina magis, quæ sub doloso cinere laterent, molimina, formidabat *Schopperus*, multumque curarum & molestissimi laboris, cujusmodi jam devoraverat plurimum, inquirendo solicite, decessor, sibi adhuc, donec malum lugubre prorsus contumularetur, (sic enim *funestandi* vocabulum accipiendum arbitror,) sustinendum esse, anceps metus erat. Idque tanto magis Vir bonus, senio jam multum provectus, timebat, quod, sibi quoque palam *negligentiæ* culpam tribui cœpisse, jam ante non sine dolore exquisito perceperat.

b) Iterum his verbis non primum Noriberga mandatum se accepisse testatur *Dinnerus*, sed *Schoppero* soli hanc epistolam efflagitanti tribuit: cujus amicitiæ illud se officium ultro dedisse ait.

c) Beluam πολύςομον non ipsum, *Socinismum*, sed vagum & per *ora* varii generis hominum, qui variis affectionibus animi regebantur, volitantem *rumorem* hoc loco denotare, series orationis totius condocet. Dispendia autem quanta metuenda sint, sicubi de *academiis* percrebescat falsæ doctrinæ istic sparsæ infamia, vel superioris ævi Historia, ubi *Crypto-Calvinismi* aut *Syncretismi* quibusdam labes adspersa est, nostra autem ætate nescio quæ *Pietismi* hæresis personat, abundantissime confirmat. Ex quibus nominatim quædam repetere, vel invidiæ metu, veremur.

Illi ſola domus gratisſima Principis Auris,
Hac ſe jactat, & innocuos jaculatur ab arce.
Tam bene inexplicitos eadem ſcit nectere nodos
Sphinx, quibus eſt ſemel hæc calidum molita periculum,
Vt licet ambages miſeri diſſolvere tentent,
Cuncta tamen nequeant veſtigia tollere nodi.

nec enim facere poſſum, quin verſiculos hoſce, quibus ante annos aliquot beluam iſtam pingebam, a) *hoc loco recolam, & adſcribam. Illud plane malum, quod ad plures proſerpit, eo quod unum occupat: illud item, quod ſubitis auctibus ad perniciem adoleſcit, eo quod ſenſim & cum ratione quaſi matureſcit, periculoſius eſſe omnibus in confeſſo eſt. Jam vero non tela rudis colorem nunquam mutandum avidius imbibit: non teſta recens ex liquore olido celerius odorem concipit: nec vapor peſtilens aeri commixtus violentius animantibus ſeſe infert, uti celerrime Fama ſequior hominum animis, per innumeros linguarum & aurium traduces, non ſine ſvavitate aliqua ſe inſinuat, & poſteritati quoque propagat. Quod autem infamia iſta detectæ Impietatis & errorum, vel in adminiſtratione tua,* b) *deceſſoriſque tui, vel in ipſa Academia* c) *hærere non poſſit, non foret mihi difficile oſtendere, niſi hujus rei rationes multo tibi quam mihi notiores eſſe ſcirem. E multis tamen unum ſubjiciam, quod vel maxime ad Academiam pertinet.*

Fac ſemen furtivum d) *in viri optimi fundum conjectum pullulaſſe: Quid hic tellus, quid, inquam, tellus juſtiſſima peccavit, quæ gremio illud ſuo ſuſcepit? quid humor & calor, quibus obſtetricantibus in lumen germen editum eſt? quid Sol & auræ, quæ in ſpem frugis culmos fragiles educarunt atque firmarunt?*

Deinde illud quoque non gravate mihi largieris, ad rectam colendi agri rationem non terram tantum bonam, & coloni periti induſtriam requiri, ſed vel inprimis ut ſemina ipſa frugi ſint, πονηρῶν γὰρ σπερμάτων πονηρὰ τα

a) Ad carmen aliquod antehac in vulgi rumores a ſe conſcriptum noſter reſpicit, ſed, quale illud fuerit, explorare, multoque magis ejus compotes fieri nondum potuimus.

b) Quæ brevis adhuc erat, ſi de conſulatu academico ſermo ſit, &, cum aggrederetur eum *Schopperus*, jam patefacti erant cuniculi omnes. Ad Paſtoris namque & Profeſſoris munus hæc verba reſpicere, valde dubitamus.

c) Clam enim cuncta fuiſſe agitata, ex ipſa Hiſtorica, quam ſupra dedimus, rerum enarratione evidenter patet.

d) Sic lolium infelix ipſe *Servator*, ab hoſte generis humani *dormientibus aliis* ſatum, Matth. XIII. 27. 28. appellat. *Doctrinæ* autem *falſæ* zizania iſthic intelligi collatum Cap. XIII. Ep. ad Rom. ubi ſcelera morum gladio plecti jubentur diſerte, quæ h. l. toleranda dicuntur, condocefacit.

τὰ γεωργία a) *ait S.* Nazianz. h.e. quia nequam ſeminis cultura quoque infelix futura eſt. Qualiscunque igitur colonus, qualiscunque* ἄρχων *&* ἐπίσκοπος *(cujusmodi olim pagis agrisque colendis a Numa rege præpoſitos ** diſcimus) contigerit: ſemper tamen*

- - - - *** ſubit aſpera ſylva,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

Quid enim hic colono b) *imputari poteſt? An quia fraus & dolus vendentis ſemen malum obſcura ſunt, ideo deceptum condemnari oportet?*

Audio, inquis, ſed peccare me dicis, qui tanquam de agello Titii aut plantis agatur, hactenus verba fecerim. Enimvero Academiæ exiſtimationem hic verſari, quæ Vrbis filia nobilis, non ita pridem **** Phœbo pulchrior, & ſorore Phœbi *plerisque viſa ſit: nunc vero reatu ſervulorum ac fugitivorum quorundam dejecta ac conſternata periclitetur, ne tota familia feſtinato præjudicio falſarum religionum condemnetur, atque adeo ipſa quoque capta ex vitæ ſocietate criminis fide, affinis maleficio judicetur. Ei vero dum oratione frigida ac bruta opem ferre coner, eorum me ſuperſtitionem imitari, qui Lunæ laboranti æris ſono atque tinnitu auxilium ferre ſe poſſe putabant. Quod enim in Lunæ defectu Telluris umbram eſſe conſtat, id in Academia noſtra Famæ ſequioris maculas eſſe, quibus ne deformetur, verborum ſono atque numero præſtari non poſſe.*

Equidem ſicut vera iſta eſſe concedo, & mala plerumque remediis fortiora eſſe non inficior: ita vel inprimis, quæ cauſa ſit tam ſiniſtri rumoris & judicii, inveſtigandum, nec aliter de remedio liquere poſſe arbitror. Idem, opinor, faciendum cenſeres, ſi aquæ canalis, qui prius copioſe & pure profluebat, vel defeciſſet, vel aquas turbidas veheret: diſpiciendum enim & noſcendum ante omnia putares, an in venis, an vero in capite tale quid eſſet, an denique in medio itinere aliquid irrepſiſſet. Cauſam autem hanc

* In Nativit. Chriſti, non longe ab initio.
** Ex Dion. Halicar. lib. 2. antiquit. Rom.
*** Virgil. 1. Georg.
**** Petron. Arb.

a) Tantoque majori periculo cultura illa eſt obnoxia, quanto major & artificioſior occultam malitiam tegit ſanctitatis larva, & bonæ frugis ſpeciem τὰ πονηρὰ σπέρματα præ ſe ferunt. Certe *vix unquam Vir bonus*, ut *Bernhardus* inquit, in Cant. Serm. LXVI., *niſi boni ſimulatione deceptus eſt.*

b) Quæ de *colono* toties heic iterata & inculcata leguntur, a ſuccreſcentis lolii culpa immuni pronunciando, ſi officium ille ſuum, quantum per vires & induſtriam licuerat, feciſſet, procul omni dubio ad conſolationem & a participatione culpæ ipſius *Schopperi* liberationem ſpectant; in qua re jam ante laboratum fuiſſe, ſupra docuimus, & vel ſola *Apologia* illa, quam Cap. III. Sect. I. §. 18. typis ſubjecimus, id addocet.

hanc præcipuam esse animadverto Odium inimicorum, a) *reliquorum vero Invidiam, omnis calumniæ parentem. Cum enim Acad. ista fortunata multis videretur, cum aliis de caussis, tum quod doctores tales ab ipsis primordiis (præfiscini dico) sortita esset, qui fama & nominis sui celebritate* b) *totius Europæ viros doctissimos provocare potuissent, idque ipsi inimici ac malevoli confiterentur: simile quiddam dominis & colonis ejus evenit, quod C. Furio Cresinio, qui cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas (verba sunt* * *Plinii) in magna invidia erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis: donec die dicta a Sp. Albino, productis in conspectum civium veneficiis, id est, familia, bobus omnique instrumento rustico, suspicione se liberavit, omniumque sententiis absolutus est. Eodem ex fonte invidiæ & malevolentiæ crimen pravarum de DEO opinionum in Acad. istam derivatum est: cujus vel solo nomine audito collectam per tot annos bonam existimationem Academiæ subito corrumpi posse malevoli sperabant. Argumentum Achilleum affertur, quod adolescentes aliquot morati* c) *apud nos fuerint, qui religionis improbatæ ergo coivisse, & sacra privata* d) ** *præter leges habuisse dicantur.*

* Lib. XVIII. Cap. VI.

** L. I. §. I. ff de colleg. & corp. junct. L. II. ff. de extraord. crim. L. IX. C. de SS. Eccles. L. V. C. de hæretic.

a) Hactenus certe, quatenus immensum in modum exaggerata fuere, quæ tristia acciderant Academiæ fata, turpi livore in majus, quicquid id esset calamitatis, extollente, & in perniciem ac ruinam totius Scholæ improbe, si qua fieri posset, convertente. Ita enim calumniæ vox h. l. intelligenda est.

b) Eaque non ostentatione quadam, ut sæpius fit, sed doctrinæ varietate, & solidæ eruditionis in omni disciplinarum genere documentis publicam in lucem datis parta, humanitatisque tandem varii generis ornamentis, veluti condimentis litteraturæ universæ, condecorata. Cujusmodi adhuc in *Philosophorum Criticorumque, Poetarum* item excellentium, tum *JCtorum* & *Medicorum*, in omnibus pæne disciplinis versatissimorum, scriptis *Altorphina* ex *Academia* emissis, ante hoc & sub id tempus conspiciuntur, ut non facile etiamnum eruditorum aliquis sit, qui *Piccartos, Giphanios, Scherbios, Taurellos, Soneros, Donellos, Scipiones Gentiles, Rittershusios* haud admiretur, aut certe eorum veneretur memoriam.

c) Ita est: Pleriq; sane, immo fere omnes, qui religionem illam improbam, *Socinianam* inquam loliginem, vel probaverant omnino, vel certe in animum demittere cœperant, non bene morati tantum fuere, sed integri etiam vitæ scelerisque puri extiterunt, ut exemplo esse cæteris potuerint, ipsorumque adeo Præceptorum amorem hac de caussa sibi conciliaverint.

d) Non male objectionem, hanc, præcipuam profecto, & maxime plausibilem, diluit *Dinnerus*, quod oppido clandestinæ istæ fuerint machinationes & coitiones. Sed vero, nec frequentes admodum, antequam discessissent signiferi, esse numeratas, eventus, ipsorumque reorum indicia, deinde edocuere. Quorum etiam e litteris, invicem scriptis, paullatim istas defecisse, post id tempus, ex quo nempe hinc abierant primipili, compertum est.

cantur. Magnum utique crimen, nec leviter transmittendum! sed quid hoc ad Academiam pertinet? Annon, Marone testante, in agro alieno

- - - - - * sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit,
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ,
Inventusque cavis bufo, & quæ plurima tellus
Monstra fovet? - - - -

An propterea fundus pro derelicto habendus, aut quasi ob crimen domini publicandus erit? An alia causa est Academiæ, in qua ignorantibus dominis mures, talpæ, & bufones isti cavernis latibulisque suis tuti atque tecti aliquantisper stabulati sunt, donec suo indicio sorex unus atque alter se atque socios prodidit?

Sed non hoc tantum, verum & aliud præcipue criminantur, quod litterarum & Philosophiæ cognitione eosdem instruxerit Academia, qua tamen nonnisi pessime, ad oppugnandam veritatem usuri sint. a) *Verum cur non & hoc accusant, quod iisdem etiam elementa pietatis & Religionis Christianæ, id est, arma talia Academia contulit, quæ nisi prius abjecissent, invicta firmitate eos contra hæreses & errores omnes tueri potuissent.* b) *Nulla videlicet res est tam exquisitæ bonitatis tamque innoxia, quin aliqua obesse possit, prout ea quis usus fuerit, & plerunque quarum rerum in vita hominum plurimus est usus, earundem etiam abusus & corruptelæ plurimæ reperiuntur. In quam sententiam præclare S.* ** *Augustinus in episto-*

* 1. Georg. ** Relatus a Gratiano in Decreto, Can. de occidendis. 23. q. 5.

a) Immo vero non ex scholis Philosophicis, sed scriptis *Socinianorum* clam, per pararios subdolos, allatis, malum hoc & satum & propagatum esse, satis superque deinceps innotuit. Certe quo pacto ipse etiam *Sonerus* amicissimos, interque hos *J. Crellium* cumprimis, in has partes pertraxerit, ne nunc quidem satis liquido constat: utut, haud dissimili μεθοδεία, qua idem erga *Ruarum* usus est, id factum fuisse, valde sit credibile.

b) Recte hæc urget *Dinnerus*; Sed ignoravit fortasſis t. t. *Vir optimus*, non tantum capita religionis Christianæ præcipua homuncionibus illis, ingenio abutentibus, suo offendiculo fuisse, inque lapidem illum angularem miseros, sua culpa quidem, at periculose, impegisse, ipsa vero pietatis & sanctitatis præcepta, quæ, ut *Plautus* olim de sua jam conquestus est ætate, e *parietibus pendebant, malis moribus per civitatem currentibus*, in materiam rerum novarum tanto confidentius suscipiendarum, assumta insuper pietatis & vitæ integerrimæ, quam præ se ferebant, larva, & in occasionem defectionis conversa raptaque esse. Hæc profecto si comperta jam tunc fuissent, aut simul cum abusionibus cæteris, & prætextu ex fictione mysteriorum quæsito, conjunxisset, aut non nude ac simpliciter *elementa pietatis* hæresi & erroribus opposuisset. Nisi forte speciem pietatis a vera & sincera animi, sec. verbum Dei rite comparata, religione distinguendam, recte quidem, at obscure subindicavit.

epiſtolis: Abſit *(inquit)* ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domeſtica & agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe vel alterum interimat; nec arbor aut reſtis, ne quis ſe inde ſuſpendat; nec feneſtra facienda eſt, ne per hanc ſe quisquam præcipitet: *& paullo poſt:* Quid enim eſt in uſu hominum bono ac licito, unde non posſit etiam pernicies irrogari? *Hactenus Auguſtinus. Sed quorſum, dices, hæc omnia pertinent? Eo nimirum, ut oſtendam, Infamiam falſam ſæpe etiam innocentibus, inimicorum & invidorum artibus irrogari, idque in præſenti negotio Academiæ noſtræ, ejusque civibus eveniſſe. Quod qui temere & absque* DEI *permiſſione fieri exiſtimant, næ illos in maxima rerum omnium ignoratione verſari oportet. Solet nimirum benigniſſimus ille Pater hac ratione intra modeſtiæ fines continere eos, qui alioquin bonæ manſuræque famæ præſumptione facile efferri, & contemnere aliorum obſcuritatem poterant, eoque tandem homines adducere, ut contemptum & infamiam non ſecus ac laudem & honorem a Domino eſſe agnoſcant. Sic Divus Apoſtolus * Paulus gentium doctor per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam præconium Evangelii ſui currere teſtatur. Quod explicans ** B. Gregorius Magnus:* Ne qua elatio de laude ſurrepat *(inquit)* permittit omnipotens DEUS malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere; ut ſi qua culpa ab ore laudantium naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur.

Sed bene res habet. Rubore vultum noſtrum ſuffundere, non etiam iram ſuper nos effundere clementiſſimus pater voluit, remediumque mali in malo ipſo maximum ineſſe oſtendit. Qui enim ſunt iſti, propter quos tam male audit Academia? Annon adoleſcentes ſunt, quorum ante viginti annos nemo natum ſe ſcivit? a) *annon pueri magni ſunt, viri autem nequaquam ex ſententia* *** *Iphicratis haberi debent? Is namque cum filium haberet ſtatura magnum, ætate vero pæne puerum, eumque Aediles ob proceritatem ad onera civitatis ſubeunda compellerent: feſtiviſſima reciproca-* tione

* 2. Corinth. VI. verſ. 8.

** Relatus a Gratian. in Can. Sunt plurimi 6. q. 1.

*** Apud Ariſtotelem lib. 2. Rhetoric.

a) Oratorem h. l. agere videtur *noſter:* quorum, ut paullo liberalius exaggerent quædam, & alia viciſſim extenuent, quæ vel adverſa ſibi vel accepta ſciunt putantque eſſe, mores & rationes excuſationem facile hæc affirmanti pariunt. Accurate enim ſi horum, & primariorum quidem inter eos, ætatem conſideres, ſupra hac de cauſſa exquiſite traditam, plerosque jam ſuperaſſe, & nonnullos etiam multum exceſſiſſe, eam, quam definivit, intelliget *Lector benevolus.*

tione eos elusit, & si magnos pueros viros esse existimarent, consequens fore respondit, ut viros parvos pueros esse decernerent, innuens non corporis habitu, sed judicii maturitate & rectitudine a) *viros & adultiorem ætatem æstimari. Quos igitur nemo profanæ alicujus sententiæ auctores laudare dignaretur, eos sibi quisquam ad novum, & post mille ducentos annos inauditum dogma duces eliget? Quos orto inter vicinos jurgio, nemo* * *arbitros propter ætatis defectum accipere auderet, eorum circa tremenda Religionis nostræ mysteria definitiones ratas quisquam putabit?* b) *Nondum, nondum tam male cum Germania ejusque Ecclesiis agitur, ut de Religione ephebis istis credere, vel eorum auctoritate permoveri oporteat: quos absque aliena auctoritate & consensu Curatorum vix civile ullum negocium gerere leges permittunt: Nondum sic desipimus, ut post asellum,*** *quod dicitur, diaria sumamus, & fastidita auctoritate tot clarorum atque præstantium patriæ nostræ Theologorum musteorum horum novatorum acumen admiremur! qui cum illis collati*, fontes ac nebulæ sunt aqua carentes: nebulæ a turbine agitatæ sunt, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est, *ut cum* *** *scriptura loquar. Vitæ sanctimoniam jactant: sed conscientia* c) *carent, Spei nostræ ac Fidei prævaricatores certissimi. A vitiis intacti sunt: sed ambitioni turpissime serviunt: Veritatem vestigiis omnibus unice sectantur: sed pro regula dissimulationem & deceptionem habent. Heu scelus & seculi nostri stupendum dedecus! Vix finit*

* Arbitri ætas XX. ann. L. 41. ff. de recept. a. b. ** Petron. Arb.

*** 2. Petri II. vers 17. Epistol. Judæ cap. I. vers. 10.

a) Aliter, si hæc applices ad manipulares nostros Socinianos, *Piccartus*, qui, præstantissima quædam ingenia in transversum abrepta esse, supra, ut vidimus, ad *Kirchmannum* suum perscripsit, neque etiam ingenii, quas ostenderunt deinceps, dotes eximiæ ab hoc judicio *Piccartiano* discrepant. Quæ dum repetimus, miseros hos, tam facile a veritate Evangelii, ut *Galatas* olim, abductos, fascinatosque *sophismatum* quorundam glaucomate objecto, judicii quoque ἀγχίνοιαν minime prodidisse, utique largimur.

b) Bene hæc *Dinnerus* monet adversus eos, qui totam *Altorphinam Academiam*, & pæne etiam *Noribergam* ipsam, *Socinianam* factam esse, ut olim de *Ariano* orbe subito reddito dictum, strenue tunc fabulabantur, immo potius criminabantur: his illisve, etiam Doctoribus, nominatim in suspicionem societatis impiæ iniquissime tractis. Quos inter vix unus ejus particeps, idemque etiam non solus, sed cum adventitiis quibusdam, dux & autor fuit religuis; ceteri omnes autem tantum ab ea labe aberant, ut de erroribus hujusmodi, approbatis inter auditores quosdam, ne ipsi quidem aliquid suspicati fuerint.

c) Fucata ergo fuit, quantacunque fuisse videbatur, sanctimonia, quæ, sicuti fidem genuinam non habebat matrem, ita ex fructu quoque tot dolosarum machinationum & simulationum atque dissimulationum insidiosarum contra fidem datam, qualis fuerit, patefactum est.

ſinit me gravitas rei ad fabulas poeticas deflectere: Si quis tamen & hiſce locus eſt in hoc argumento, Narciſſo formoſiſſimo juvenum perſimiles hos juvenes eſſe exiſtimaverim. Amabant illum Nymphæ, quamdiu ſingulo ſibi placere non optavit. Fugerunt eundem Nymphæ, quamprimum in fonte ſe conſpicatus ſuam ſolius formam adorare, ſeque ſolum admirari & amare cœpit. Eodem namque modo Mens bona & Sapientia Narciſſis iſtis ab initio adſiſtere, eosque complecti & amare viſæ ſunt. Qui ſimul ac in fonte ambitionis a) *ſe conſpicati, nemini cedere, nullius auctoritatem revereri, ipſi ſibi exempla &* μέτρον *rebus in omnibus eſſe; opinionisque propriæ amore velut ebrii per ſcientias non intellectas liberius bacchari cœperunt: puellæ tam ſanctæ alieniſſimo tempore piaculares adoleſcentes deſtituerunt, eorumque conditione amplius uti ſe nolle, palam, uti videmus, profitentur. Non poteſt profecto Sapientia illuc accedere, ubi aditum Opinio præoccupavit; nec magis doctrinam ſanam, aut Magiſtratus imperia, aut conſilia recta capeſſere turgidus faſtu animus, quam qui manum occupatam habet, qua nec apprehendere quicquam præterea, nec tenere, vel ſtringere poſſit. Præterea, cum non adoleſcentes tantum & ejusmodi ſint, propter quos maria Tyria nunc concitantur, ut in proverbio eſt, ſed numero admodum pauci:* b) *æquumne eſt, ut Corpus totum Academicum propterea infametur? Vix enim duo vel tres ſunt, qui hucusque in errore damnabili perſtiterunt, ex quibus unus* c) *ad ſocios ſe dignos extra S. R. Imperii limites jam pridem abiit, propediem exilio & infamia, niſi reſipiſcat, ob transfugium iſtud* d) *mulctandus. Quis jus iſtud introduxit,* quæve hunc tam barbara morem permittit patria? *Nihilne Univerſitati Juris regulæ & leges civiles proderunt, quibus ſinguli ab injuria & maleficio defenduntur,*

a) Hanc *hæreſium matrem, ſic Auguſtino* dudum dictam, in omnes *Crypto-Sociniſmi* ſodales convenire, non temere aſſeveranterque auſim tueri; aliter namque de nonnullis, nominatim de *Vogelio*, cenſemus, non ſanguinis amore, ex quo eum ducimus, ſed aliis indiciis, perquam luculentis, ita ut ſentiamus, inducti. *Peuſchelium* vero & quosdam alios, uti *Dümlerum*, & ipſum quoque *Ruarum*, immunes ab eo vitio fuiſſe, neque ipſi etiam credimus negari poſſe.

b) Pauci ne fuerint, an plures? ex ſuperioribus, ubi rationes inivimus, repetere oportet. Nobis *Cives Noribergenſes* h. e. *Noribergæ* natos *a peregrinis*, & inter illos quoque leviter *tinctos* hac loligine, atque *infectos* omnino & *pervicaces* quosdam, qui ſane perpauci fuere, diſtinguendos eſſe videtur. Ad *Corpus* certe *Academicum, totum*, inquam, infamandum, quantuscunque etiam fuerit conſpirantium numerus, inique facta eſt applicatio, criminationi & calumniæ, quam judicio æquo, quod quidem Chriſtianos decet, ſimilior.

c) *Dümlerus* videlicet, quem in *Poloniam* ſe recepiſſe, ſine diuturna in *Germania* mora, jam tum cognitum erat.

d) De cauſſa genuina proximaque ejectionis hujus hominis e ſocietate Academica p. p. ſequutæ, alibi jam Cap. III. expoſuimus.

*& quas tanto cum studio Viri summi in ea interpretati sunt? Lex * civilis est, ut auctores suos pœna teneat, noxa caput non egrediatur, ratione ista naturali confirmata, quia iniquum sit quenquam alieno odio prægravari. Quod cum in tantum valere optimus Imperator Trajanus voluerit, ut satius esse diceret nocentis facinus impunitum relinqui quam innocentem condemnare: Videant hæreticometræ isti, qui una decempeda omnes Altorphii commorantes tam exacte metiuntur, nulloque discrimine* Tros Rutulusve fuat, *veneno sectario afflatos & infectos traducunt,* a) *quantum a regula ista justi & æqui discesserint. Quanto rectius juris nostri interpretes, qui crimen Vniversitatis & Collegii frustra accusari tradunt, nisi vel æris campani sono, vel clangore Tyrrheno, vel vexillo levato, convocatis omnibus & consentientibus deliberatum prius crimen perfectum ** fuerit. Quanto etiam cautius Innocentius IV. PP. qui eos duntaxat ex Collegio vel Vniversitate, quos culpabiles esse constiterit, fulminari jubet: in ipsam autem Vniversitatem vel Collegium anathematis sententiam proferri districte *** prohibet, causa addita, quod alioquin etiam innoxios hujusmodi sententia irretiri contingeret. Enimvero, si tanquam indictis & promulgatis Repressaliis, quas vocant, in nos grassari, & paucorum ob noxam & furias, etiam innocentes quoslibet apprehendere & pignerari jus fasque credunt: id tamen præter alia adhuc ignorare se declarant, quod artium bonarum & scientiarum studiosos, eorumque doctores fortissimus Imperator **** nobilissima & notissima constitutione a pignerationum violentia jam olim tutos præstitit, contraque venientes infamiæ aliisque pœnis subdidit. Vnde autem hoc totum, nisi ab Odio & Invidia est? Quasi enim prælio nocturno ἐν σκοτομήνῃ decernendum sit, ita sociorum ora atque vultus ab hostibus pars magna nec dignoscere, nec* Christi *& Socini castra discernere laborat.*

Invi-

* L. 22. C. de pœn. L. 20. & l. ult. de nox. act. L. 33. §. ult. C. de inoff. test. L. 5. ff. de pœn.

** In quam rem LVIII. doctorum auctoritatem citat Jac. Menoch. de arb. jud. quæst. cent. 6. cas. 598. nu. 4. & nu. 9.

*** Cap. Romana. De sent. excom. lib. VI. Decretal.

**** Auth. Habita C. ne fil. pro Patre.

a) Famam solam per ora hominum circumvolitantem noster h. l. aggreditur; scriptis enim, præsertim in publicam lucem datis, ea fuisse pronunciata aut disseminata sub id tempus, nondum deprehendimus: Pauca certe hujusmodi supersunt; tantoque majus hinc ad posteritatem funesti hujus eventus productæ memoriæ fuit periculum, quo sublestior traditionum, ut vocant, oretenus propagatarum, cujusmodi heic quoque locum habuere, fides esse solet, & reliquiæ fabularum adhuc superstitum idem illud, quod diximus metuendum fuisse, comprobant. A quibus vero calumniæ illæ sparsæ sint, conjectura perfacile est assequi.

Invidiæ vero argumentum illud minime fallax eſt, quod pro duobus iisque captivis hæreticis a) *quamplurimos in ditione magiſtratus noſtri videre ſe putant: nihilque verius eſt eo, quod Federico Regi Neapolitano olim reſpondit Actius Sincerus Sannazarius ille, cujus * tumulum inter Neapolin & Pauſilypum montem, non procul a P. Maronis tumulo ante annos quatuordecim non ſine admiratione adſpexi. Eſt enim principi poetarum ſepulchri honore & monumento, ſicut ingenii quondam gloria, proximus. Non pigebit, uti ſpero, hiſtoriolam eam cognoſcere. Referam autem verbis Joannis Joviani ** Pontani:* Actius Sincerus, *inquit*, rari vir ingenii magnæque nobilitatis, & ipſe quoque admodum facetus, cùm in conſpectu Federici Regis eſſet inter phyſicos quæſtio, quid præcipue conferret oculorum perſpicuitati, aliique fœniculi afflatum dicerent, alii vitri uſum, aliique item aliud. At ego, inquit, invidiam ajo. Obſtupuerunt hoc dicto adeo medici, ut ab auditoribus deriſui haberentur. Tum ipſe, Annon invidia majora ac pleniora omnia videri facit? Quid autem oculis magis præſentaneum, quam ut vis ipſa adſpiciendi major reddatur atque vegetior? protulitque ſtatim Ovidianos illos verſus:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Quod ſi forte tam turpem notam Vitii inertis, *** quod mores non exit in altos, *deprecentur aliqui: Temulentiæ autem, ut viros Germanos decet, bona fide agnoſcere malint, id quoque permittendum illis cauſa cognita cenſeo. Quis autem ex gente iſta noſtra tam eſt a bibendi conſvetudine alienus atque remotus, ut neſciat temulentis pro uno Sole geminum apparere, & geminas ſe oſtendere Thebas? præterea, & poſtquam illis vertigine tectum ambulat, ut geminis aſſurgat menſa lucernis? eodem plane modo & figura, qua iſti pro duobus Socinianis aut Vorſtianis* b) *hæreticis multos, imo innumeros Altorphii videre imaginantur.* Verum

* Loco, qui vulgo dicitur Mergolino.

** lib. VI. de ſermone, cap. 2.

a) Erat namque & *Corn. Marci* jam tunc in libertatem ſuam, poſtquam ad meliorem mentem maturius cæteris redierat, reſtitutus, cæterosque, præter abſentes ſuſpectos dilapſosque, ad breve tempus cuſtodia liberiori attinere ſatis viſum eſt: quo tamen vinculo & illi h. t. jam fuere ſoluti. Cæterum, *duos* hoſce captivos ſolos *Vogelium Penſcheliumque* fuiſſe in ſententia de-

*** Idem Ovidius.

fendenda pertinaces, e ſuperioribus conſtat.

b) Hinc ergo, tunc quoque *Vorſtii*, *Conradi* nimirum illius famoſi, & *Socini* placita commixta eſſe, aut promiſcue ſaltim his illisve attribui conſveviſſe, elucet. Quam bene & quam ἀκριβῶς, ſupra jam diſquiſivimus, & mitiori de *Vorſtio* judicio nos adhuc inhærere iterum iterumque profite-

Verum ut a diverticulis istis in viam redeam, longe præsentius & præstantius remedium nobis pollicetur solicitudo & prudentia Nobilissimi Collegii Dominorum Scholarcharum & Curatorum Academiæ hujus. Qui cum injuriam, qua immerens filia ipsorum affecta est, ad se pertinere judicarent, eamque, quod etiam privatis parentibus jura civilia concedunt, vindicare constituissent: ante omnia tamen illusis ambitione a) *mentibus adolescentum remedium adhibere, eaque ratione errorem pullulantem in herba, quod dicitur, opprimere* b) *laborarunt. Ita nimirum cum fascinatis istis agi debuit:* οὐχ ὡς τινὲς λέγουσιν, ἔνδυσαι, ἔκδυσαι. *Verba sunt B.* * *Macarii. Neque enim vestis ritu Religio subito vel sumitur aut ponitur: & esse Mentem humanam paulatim ad veritatis cognitionem traducendam, iidem vel ex* ** *Platone ejusque specu subterraneo didicerant, ex quo educti in apertam lucem, qui antea vix tenuem luminis stricturam admittebant, ægerrime* c) *Solem intueri possunt; ubi vero paulatim assueverunt, admodum deplorant, miseriam eorum, qui in subterraneis illis locis vitam degunt.*

Mirantur omnes Legis Romanæ providentiam, quæ navigantibus alicubi ita prospexit. Ne piscatores (*inquit* *** *Vlpianus*) nocte lumine ostenso fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis sunt, deducant, sibique execrandam prædam parent: præsidis provinciæ religiosa constantia efficiat. *Non minori vel studio vel circumspectione sapientissimus Magistratus noster Senatus Reip. Norimberg. usus est, qui ne incauta juventus ad ignes hos fatuos, ad scopulos sophismatum & errorum deinceps delata naufragium salutis æternæ faceret, gravissimo Edicto proposito, præscriptaque a se norma* d) *alumnis suis severe cavit, eaque velut face ostensa iter aperuit*

* Homil. XV. ** Lib. VII. de Republ. *** L. 10. ff. de incend. ruin. naufr.

mur; tametsi, scriptis & hujus, vitrum *Sociniani* poculi lambentis, ingenioque suo valde abusi Philosophi haud parum promotam esse diram hæresin, non negemus.

a) Plerisque profecto: nam de omnibus, uti jam observatum a nobis est, illud vix asseveranter dixerim.

b) Ne quis in calumniam vertat hocce vocabulum, &, per vim acta esse omnia, concedi affirmarique a *Dinnero* ipso, cavilletur, id *generali notione*, pro exstirpatione, adhibitis ad eam *legitimis* melioris videlicet doctrinæ & *informationis* e Verbo Dei desumtæ *remediis*, h. l. accipi, obser-

vari volumus, & ad ipsam cum deceptis colloquendi, eosque *paullatim* meliora edocendi, methodum perquam laudabilem provocamus adhibitam, hac quoque de caussa Cap. III. Sect. II. copiosius descriptam.

c) Præsertim, si divina justaque Nemesis, id, quod graviter comminata est per Apostolum 2. Thes. II. 11., exequi cœperit: cujusmodi exempla hodieque plurima, non sine maxima animi ægritudine, spectare licet.

d) *Normam* vocat, non credendorum, quæ sola est scriptura S., sed *confessionis*

ruit errantibus. Navigationis porro cursum nautæ in tenebris acus beneficio dirigunt, quæ magnetis tactu vim istam mirabilem percipit, ut motu suo recta in mundi polum feratur, in eoque solo fixa maneat: Cumque innumera in cœlo & sidera & loca sint, iis omnibus posthabitis in mundi axe conquiescat. Magistratus noster inclytus, cum Veritatem & Simplicitatem Verbi cœlestis id esse in Ecclesia sciret, quod Stella polaris aut Cynosura in cœlo est, eo subditos suos vocare, nocte & tempestate seculi hujus ingruente, muneris sui credidit. Ibi namque nox metuenda, ubi immani mortalium scelere imminuto Verbi divini lumine, Opinionum umbræ crescunt & multiplicantur. Ibi tempestatis futuræ præsagia certissima, ubi hæresium fluctus intumescentes Ecclesiæ minantur. Ibi nox noctibus omnibus nigrior, in qua lumen illud de lumine, in qua lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, obscurari incipit. Ibi tempestas quavis tempestate tetrior, ubi Sacro silente Flamine, blasphemiarum & errorum venti inter se præliantur.*

Tametsi & aliis rebus plurimis prudentissimi Domini Scholarchæ palam mundo fecerunt, se non aliarum rerum, quam retinendæ in Ecclesiis & Scholis Veritatis Evangelicæ esse studiosiores. Vt enim rescripta eorundem innumera taceam, quibus superiori Rectoratu hæresis diabolica fere jugulata est: Quale nuper spectaculum a) *forum Opidi nostri præbuit, cum iisdem mandantibus & adstantibus, magna Nobilissimorum & doctissimorum hominum caterva stipante, majori, hospitum & peregrinorum circumfusa multitudine, ipso die Academ. hujus natali, & præcone ex Curia superindicente pseudotheologorum istorum libri concremati sunt?* b) *Cujus incendii flammam quidam ex adstantibus tam alte ascendisse affirmabat, ut ex ipsa Sarmatia*

* Aphorismi.

compendiariam & subsidiariam e Script. divinis derivatam. Ex quo simul loco, ut hæc obiter notemus, *Alumnis* seu *Stipendiariis Norib. Reipubl.* cunctis Aphorismos istos, de quibus supra Cap. III. Sect. II. §. 72. dictum est, ut subscriberent, propositos, atque hoc modo: *Latitarentne adhuc aliqui* diversa sentientes, *nec ne?* exploratum esse, colligimus. De quo alioquin nihil erat distincte nobis cognitum.

a) Ita *Dinnerus*: Eadem ne mens fuerit Collegæ moderatissimo Mich. *Piccarto* φιλοσοφικωτέρως talia pensitanti, existiment, quibus volupe est *Hist. Polit. Observationum* ejusdem, eodem hoc anno 1616. in publicam lucem datas *Decades posteriores*, nominatim vero Decad. VII. Cap. X. conferre: quanquam & ipse, libros *in Deum contumeliosos impiosque & stuprandis liberalibus moribus aptos* aboleri, ad extremum non improbet.

b) Conf. de his Cap. III. §. XXXII., ubi circumstantiæ plures enarrantur. Justam autem non solum doctrinæ impiæ detestationem, sed famæ quoque Academiæ huic restituendæ solers studium, ne quid segnius agi videretur, ardorem hunc & animorum & flammarum efflagitasse, perfacile, qui prudentiæ in rebus gerendis adhibendæ non ignari sunt, assequentur.

matia atque Belgio conſpici potuerit. Iidem vero, cum poſtea exteros nonnullos ejusdem ſectæ, alias nobiliſſimo genere prognatos, omnique doctrina elegantiori excultos caſtra hinc movere juberent: a) *invidiam, credo, pertimeſcebant, aut animi & voluptatis cauſa odium peregrinorum provocabant, aut famam nominisque celebritatem facto illo venabantur. Idemque forte Senatui tot[i] inclyto propoſitum antea fuit, cum dilapſos & palantes damnati dogmatis ſocios, in diverſis Electorum ac Principum Germaniæ* b) *provinciis conquiſitos, ceu pecudes ſegreges retraheret, & ex vinculis cauſam dicere cogeret. Suum tunc negotium, ſic credere fas eſt, non Religionis gerebat, & ſicut vir ille * Lydus, cui quod domi ageret, non erat, foris negotium atque difficultates quærebat.*

Quæ omnia cum ejusmodi ſint, in quibus nec diligentiam quisquam, nec ſeveritatem c) *deſideret: mirari profecto liceat nihilominus repertos eſſe, qui adoleſcentum crimen* d) *viris, heriſque mancipiorum exprobare: denique qui Ordini Ampliſſimo tempeſtatem eam tecte objectare auſint, quæ priuſquam calamos in agro noſtro paucos comminueret, alibi arborum atque hominum ſtragem ingentem edidit.* e) *Cui tamen præter Conſcientiæ bonæ antidotum, etiam amuletum iſtud ex ſapientiſſimo Philoſopho paratum video, quo veluti baccare frontem adverſus criminationes tam injuſtas illinat.* Ego aliter *(inquit ** Seneca)* reſpondendum judico, nec artem gubernatoris deteriorem ulla tempeſtate fieri, nec ipſam adminiſtrationem artis. Gubernator tibi non felicitatem promiſit, ſed utilem operam & navis

* Crœſus. vid. proverb. Viro Lydo negotium non erat &c. ** Epiſtola LXXXV.

a) *Quinam* illi fuerint & quanta prudentia modeſtiaque nonnullis illuſtri etiam dignitate conſpicuis *Polonis* hinc ut diſcederent imperatum fuerit, pari modo jam Cap. III. Sect. I. § 33 ſqq. dictum eſt. *Quemadmodum* vero *caſtra hinc movere juſſi abierint*, quæ phraſis a *Dinnero* provide uſurpata eſt, ad *Diarium* forte *Smalcianum* annotabimus.

b) *Vogelium* & *Peuſchelium* retractos e *Wittebergenſi* & *Jenenſi* Academ. hæc reſpiciunt, eosque, cum *contubernali Vogelii*, ſolos. De reliquis enim ad eum modum reductis nihil conſtat. Qualia autem vincula fuerint, in via nimirum de fuga ſuſpectis injecta, ſimiliter jam ante, cum cauſſis id faciendi graviſſimis adjectis, pluribus etiam illic actum eſt.

c) *Severitatem*, inquam, ſed ingenti, uti rationes religionis expoſcunt, æquanimitate & *benignitate temperatam.*

d) Crimen ne hæreſis ſola hic dicatur, an conjuncta cum ea perfidia, non definimus. Aliter ſane *de Crimine hæreſeos* judicarunt priſci, inter quos & *Dinnerus* numeratur, ICti, quam hodierni quidam, quibus aut alia placet nomenclatura ambiguitatibus verborum involuta, aut hæreſis atque orthodoxia pari paſſu ambulant; ſola in ſolium *charitate*, quæ ſine vera fide, etiam quæ creditur, ſpuria eſt, meraque honeſtatis ſpecies & larva, collocata.

e) Parum abeſt, quin Chriſti illud Joh VIII. 7. heic repetamus. *Quisquis innocens eſt, primus in* Altorphinam Acad. *lapidem projiciat.* Certe, quotquot erant t. t.

navis regendæ ſcientiam: hæc eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obſtitit. Qui hoc potuit dicere, NEPTUNE, NUNQUAM HANC NAVEM, NISI RECTAM: arti ſatisfecit. Tempeſtas non opus gubernatoris impedit, ſed ſucceſſum. Quid ergo? inquis, non nocet gubernatori ea res, quæ illum tenere portum vetat? quæ conatus ejus irritos efficit? quæ aut refert illum, aut detinet, & exarmat? Non tanquam gubernatori, ſed tanquam naviganti nocet, alioquin gubernatoris artem adeo non impedit, ut oſtendat. TRANQUILLO enim, ut aiunt, QUILIBET GUBERNATOR EST. Navigio iſta obſunt, non rectori ejus, qua rector eſt, &c.

Hæc ille pro gubernatore ſuo graviter ſicut omnia, & vere diſputat: quæ ſingula, nullo negotio, ſi inſtituti præſentis ratio hoc pateretur, ad Magiſtratum noſtrum transferri poſſent, qui & ipſe improviſa exorta tempeſtate pernicioſiſſimæ hæreſis, rebus his geſtis a) *muneri ſuo ſatisfecit, clavumque hucuſque rectum tenuit. Quem ut deinceps quoque perpetuo tenere valeat, Domino* * *maris* JESU CHRISTO, DEO *illi benedicto in ſecula*, PATRI Q. & SPIRITUI SANCTO *conſubſtantiali*, λυτρώτῃ ἡμῶν, *cum B. Gregorio Nazianzeno ita ſupplicat:*

Πόντ☉ ἄνω, σὺ δ' ὕπν☉ ἐπὶ γλυκύς, ἀλλὰ τάχιστα
ἔγρεο, καὶ στῆτω σοῖσι λόγοισι σάλ☉. *hoc eſt:*

Intumuit pelagus: ſubito expergiſcere: Verbo
Increpita ut rapidi ſic cadat ira maris.

 Quæ

* Pſalmo XCV.

Athenæa, non apud exteros tantum, ſed in ipſa quoque Germania, a *Socinianis* emiſſariis fuiſſe infeſtata, indubitanter affirmamus. Cujus aſſerti vel ſola *vita Smalciana* fidem deinceps ſtabiliet, & ſi *Volkeliana* fata paullo diſtinctius explorata eſſent, amplius confirmarent: ut *Neuſerianum* ſodalitium *Heidelbergæ* & *Campani* illius teterrimi conatus in alma *Leucorea, Luthero* præſente, taceamus. Plura, ne invidiæ nos exponamus periculo, & ſuſpicionibus forte etiam indulgere videamur, ſilentio prætermus; quoniam, ubi *Germani plerique Sociniani* ſtudiis ſuis ſeculo XVIto. primum operam dederint, vel Indices civium in Vniverſitatibus variis qui extant demonſtrabunt, quos tamen fere omnes in Poloniam vel intuliſſe *Socinifimum*, vel jam ante in patria ſua hauſtum, ibidem non quidem demum imbibiſſe, ſed excoluiſſe tamen, & quantum licuit clam promoviſſe aliisque inſtillaſſe, ſatis ſuperque cognitum eſt. Quis vero tam perfricatæ frontis ſit, ut propterea integras Academias, ubi cives & alumni illi ad tempus vixere, atque ab aliis illic latitantibus *Socinianis*, ſectæ hujus placitis clam imbuti ſunt, *Socinifimi* ipſius infami nota adſpergere auſit?

a) Et quidem, quam primum aliquid ſuboluit earum rerum impie geſtarum atque callidiſſime actitatarum, tantoque ardore animi pro veritate tuenda accenſi ſunt *Proceres noſtri*, ut modum etiam exceſſiſſe permultis, ſine cauſſa ſatis prægnanti, & quod circumſtantiæ omnes in vulgus cognitæ non eſſent, iidem viderentur.

Quæ cum ita sint, spesque maxima omnes foveat, fore, ut agro nunc perpurgato, a) *plantisque noxiis eradicatis, forma & fama pristina fundo Academico redeat: quid est, cur rumoribus sinistris de nobis sparsis magnopere commoveamur, aut Academ. quasi fama diminutæ fatum deploremus? quid etiam est, Magnifice Domine Rector, cur Magistratui isti tuo* b) *notam aliquam inustam esse arbitreris? aut cur universi dormienti in navi* DOMINO *& tranquillitatem omnibus exoptatissimam reducere valenti diffidamus? Sicut enim, cum lychni complures eodem in conclavi lucent, umbræ rerum languent, expallescunt & attenuantur: ita ubi Verbi divini jubar diffusissimo lumine radians, ubi Christiani magistratus illustris splendor, & in defendenda Veritate Zelus: Vbi Ecclesiarum & Theologorum clarissimus consensus errorum umbras oppugnant, eas rarescere & cum pedissequa sua Fama tandem evanescere, tristemque subire sub Orcum necesse est.*

Et hæc sunt, Mag. Domine Rector, quibus metum tuum, vel ipsius potius Famæ mendacia convincere cogitabam. Quæ si non omnino improbari tibi intelligam, magnum operæ pretium fecisse me arbitrabor. Scio domi meliora tibi suppetere, & ad confutandos rumusculos istos efficaciora, nec monitore aliquo te in rebus istis opus habere. Patiuntur tamen summi gubernatores in tempestate se quandoque etiam a vectoribus admoneri, nec arrogantiam eam, sed periculi societatem interpretantur. Quod ut tu quoque facias, & affectum hunc meum erga te Academiamque curæ tuæ commissam boni consulas, vehementer rogo. B. V. & DEO *adjuvante bene rem gere.*

In famam Altorphinam Compatris ac Collegæ sui,
MICHAELIS VIRDVNGI, Orator. & Historiar. Prof. Publici in Acad. Altorphina P. C.

EPIGRAMMA.

NIl adeo sanctum est, omnique ex parte beatum,
Quod non dente fero mordeat Invidia.

Sic

a) Excedere enim jam tunc jussi erant, qui hæresi favebant *Poloni, Noribergenses* autem partim ad meliorem mentem reducti fuere, partim etiam in quibusdam adhuc emendandis cum successu laborabatur.

b) Mirum est, cur *Schopperus* tantopere Magistratui suo nuper inchoato metuerit; cum tamen eo suscepto jam detecta esset impiæ illius cohortis conspiratio: nisi forte, ut fieri solet, plura adhuc latere, sed frustra existimaverit, aut formido illa notabile Academiæ decrementum, quæ huc usque mirifice floruerat, spectaverit. Quod admodum est verisimile. Forte & ipse famæ suæ, ne quid culpæ apud exteros sibi quoque imputaretur, qui domi talia jam expertus erat, timuit. Cui tamen timori non magis, quam suspicioni ab re conceptæ haud respondit, divino beneficio, e-

Sic modo nostram atrox afflavit fulmine Livor,
Afflixitque gravi vulnere Fama Scholam.
Sed bene, quod VERI vincit mendacia robur
Atque omnem exarmat protinus Invidiam.
Quid strepis, o Livor? quid mendax Fama susurras?
DINNERI victrix jam tonat Orbe tuba.

In eamdem Famam

CONSVLTISSIMI VIRI ANDREÆ DINNERI
JCti inclyti Senatus Norimb. Consiliarii & Pand.
P.Altorphii, DN. & affinis sui pl. honorandi,

EPIGRAMMA

CHRISTOPHORI HOEFLICHII, a)
ejusdem Senatus Inclyti a Secret.

ad

Acad. Altorfinam.

LUstrum nondum abiit stygio dum Morta veneno,
Culta Palækome, *sparserat arva tua.*
Tunc quantus fuerat rumor! cum pube magistros,
Cum senibus juvenes peste obiisse fera! b)
Sed vanam famam docuit cito docta Camena
DINNERI, *quin vix tres periere viri.*
Nunc major quando pestis, graviusque venenum
Jncautos juvenes inficere irruerant;
Quis rumor? clamant: damnatam jure Photini
Hæresin, Altdorfum, *tecta subisse tua!*

 Falsam

ventus, ut accessiones non multo post novorum privilegiorum pristinum etiam splendorem multum augerent.

a) De autore hujus Epigrammatis conferatur Cap. II. §. 50. unde fortassis, quare & ipse Famæ huic præ cæteris, attexere Carmen in hunc sensum conscriptum voluerit, colligere Lector sagax poterit.

b) Pestis hæc Altorphi grassata perpaucos abripuit, in quibus & ipse *Sonerus* cum uxore quibusdam censebatur numerandus; multis vero ne quidem pestilentialis iste morbus visus est. Distinguendus autem hic est ab alio morbo epidemico, pestilentiæ similiori, quo anno 1606. idem hoc oppidum infestari dicebatur; in quem perelegans *Conr. Rittershusii* t. t. Prorectoris longumque carmen extat *Natali ejusdem* XLVII. ab Amicis gratulationibus celebrato & forma octuplicata impresso subtextum lectu, ut *Rittershusiana* sunt omnia, dignissimum, paullo ante vero separatim, eodem, quo hæc *Dinneri* Oratio, *Famæ de Pestilentia Altorphina refutatæ* titulo evulgatum, & 4ta forma procusum.

Falſam ſed famam Dinneri *Suada fugavit,*
Vix tres demonſtrans eſſe mali ſocios. a)
Dinnero *felix* Altdorfum *vindice, gratas*
Dinnero *grates ferre memento tuo!*

IV.

Hierauf folgen die Theſes und Antitheſes, ſo zum Vnterricht, ſo wohl gelehrter als ungelehrter Perſonen, welche gerne von dem Vnterſchied der reinen Lehre unſerer Evangeliſchen Kirche, und der Socinianiſchen Irrlehre, bey damahls entſtandenen vielerley Vrtheilen, theils zur Verwahrung für Verführung, durch Geringachtung der abſcheulichen Ketzerey, theils zu einem deutlichen Beſcheid und Nachricht, wovon diſputiret werde, aufgeſetzet, und von vielen in Nürnberg abgeſchrieben worden. Wer Autor davon ſeye, iſt zwar ungewiſs, doch oben ſchon Cap. III. Sect. II. §. XL. aus einigen Indiciis, von wem ſolche wahrſcheinlich verabfaſſet, angemercket worden. Auſſer welchem hier nichts mehr zu erinnern, als daſs dieſe Præliminares Theſes mit denenjenigen, welchen hernach poſt Colloquium die eines beſſern unterrichtete junge Leute ſubſcribiren müſſen, nicht zu vermengen, ob man wohl beede insgemein hin Homologeticos Articulos zu nennen pflegte.

Von GOTT und der Heiligen Tryfaltigkeit wird gelehret

1.

ERſtlich das Inn den Einigen unzertrennlichen Gœttlichen Weſen ſeyen drey Perſonen, widerſprechen die ſchwermeriſche Photinianer, Inndem ſie offentlichen ſchreiben das man ohne greulichen Irrthum nit glauben kœnne, wenn man ſage, das nur ein GOtt, und doch drey Perſonen deren iede GOtt ſey, ſintemahl hierrinnen ein Contradiction und Widerſprechung begriffen ſich erweiſen thu.

2. Das

a) Ταπείνωσιν hanc, & extenuationem manifeſtam jam ante in ipſa Oratione notavimus, Poëtæ autem tanto minus eam vitio vertimus, quo plus hoc genus hominum audax in exaggerandis aliis, aliisque contra imminuendis, ſibi poteſtatis tribuere ſolet. Quatuor certe *Socinismo*, v. g. *Marcium*, *Peuſchelium*, *Vogelium*, & fugitivum *Dümlerum* mancipatos fuiſſe, aliosque plures jam periculoſé illaqueatos, *Noribergenſes* etiam, ſi a peregrinis vel maxime animum tantiſper avertamus, ex Hiſtoria ſuperius tradita, luculenter patet. Ita nimirum viſum eſt, Famæ ſic ſatis afflictæ Academiæ, etiam *mollius* quædam enunciando, conſulere, cætera vero poſteritati diſcutienda relinquere.

2.

Das dieſelben drey Perſonen ſeyen und heiſen die Erſte der Vatter, die Ander der Sohn, die Dritte der Heilige Heiſt, Widerſprechen gleichesfalls Obgedachte Schwermer,und geben nit zu, daſs der Heilige Geiſt eine Perſon ſey.

3.

Das der Vatter von Ewigkeit her, den Sohn hab gezeugt, wird von Ihnen den Photinianern auch verneint, und wœllen, dieweiln GOtt Vnuerweſslich vnnd vnſterblich, ſo habe Er auch nicht natürlicher weis den Sohn zeugen oder gebæhren kœnnen. Sintemahl das er zeuget davon geſchrieben ſtehet (du biſt mein Sohn heut hab ich dich gezeuget)ſey nit von Ewigkeit, ſondern Inn gewiſſer Zeit geſchehen, und ſey dieſe Geburt nichts anders, als eine Anordtnung und Erwehlung dardurch Chriſtus mit ſeinem Leiden und Sterben zum Kœnig erwehlet und beſtettiget worden.

4.

Das der Sohn GOttes der Eingeborne genent werde, dieweil Er ainig vnnd allein aus der Subſtanz vnnd Weſen des Vatters von Ewigkeit her geboren iſt, Verlaugnen die Photinianer allerdings, und widerſprechen, das Er darumb der einige genennet werde, dieweil Er durch GOttes Crafft allein Inn dem Jungfreulichen Leib empfangen, Vnnd Inn ſeinem Anfang und Vrſprung keines Wegs von Mannsgewalt habe, ſondern von GOtt ausgegangen ſey. Item: Dieweiln Er geheiliget, vnnd in dieſe Welt geſandt, das Er ein Prophet were, zuuerkündigen das Euangelium, Fürnemblich aber, dieweiln Er GOTT gleich ſey Inn ſeinem Reich, da Er vber alles regiere vnnd herrſche.

5.

Das der Sohn GOttes mit dem Vatter gleiches Weſen ſey, darwider lehren die Photinianer: Das das Weſen des Sohns GOttes nichts anders ſey, als vnſer, der Menſchen, Das aber der Vatter vnnd Sohn eines ſeyen, mus man nicht verſtehen Inn der Subſtanz vnnd Weſen ſelbſten, ſondern gleich wie ein Menſch ſich mit dem Andern Befreundet, vnnd alſo Vereinigt ſich auch der Vatter mit dem Sohn.

6.

Das der Sohn GOttes dem Vatter nicht Allein Inn der Macht vnnd Herrligkeit ſondern auch Inn der Subſtanz ſelbſten, vnnd Inn der ganzen Natur gleich ſeye; Darwider ſtatuirn die Photinianer, das der Sohn GOttes dem Vatter nit Inn der Natur vnnd Subſtanz, ſondern

dern durch des Vatters Aignen guten willen nicht volkœmlich, sondern nur etlicher massen vnnd Allein Inn der Crafft gleich worden.

7.

Das der Sohn GOttes von Ewigkeit her entsprossen sey, Verneinen die Photinianer ganz schrœcklich, Inn dem sie sprechen, Er seye nit vor der Welt oder Abraham, Ja auch eher nit gewesen, Als zu der Zeit, da Er Inn dem Jungfrewlichen Leib Mutter Maria empfangen, vnnd geboren worden, Vnnd solches dahero, Dieweil ein Mensch ehe Er anfængt ein Person zuwerden, zuuor nit seye, bis Er empfangen vnnd geboren werde.

8.

Das der Sohn GOttes habe erschaffen die welt, vnnd Alles was darInnen vnnd darauf ist, Wœllen die Photinianer auch nicht zulassen, sondern das die Welt erschaffen sey, sey vmb seinet willen geschehen, werde auch vmb seinet willen erhalten, vnnd sey Er nur allein secundaria vnnd nit primaria causa, das die Welt erschaffen worden, Er habe es aber selbsten nicht gethan.

9.

Das der Sohn GOttes Aus der vrsach GOtt genennet werde, vnnd sey, dieweil Er warhafftig Inn den Wesen GOtt ist. Darwider wœllen die Photinianer: Christus sey nicht für sich, sondern nur ein gemachter GOtt, vnnd fürnemblich darumb ein GOtt genennt, dieweil Er Gœttliche Crafft, Macht vnnd Herrligkeit empfangen habe, Aus Gœttlicher weiss Regiere vnnd herrsche, desswegen Er auch mit gœttlicher Ehr vnnd reverenz angebeten werden solle, Vnnd solches dahero, weil GOtt mit vnss durch Ihn geredt, vnnd mit gœttlicher Crafft angethan, vnnd gezieret, auf das sein Ambt Cræftig vnnd thætig were, darumb dann, vnd keiner andern vrsachen halben schreibe Johannes, *Das wort ward GOtt*, als das er auf sein Ambt, vnnd das Er nemblich vnser Prophet vnnd Hoherpriester were, gesehen habe.

10.

Das der H. Geist warer GOtt sey gleiches wesens mit dem Vatter vnnd mit dem Sohn, Vnnd ein besondere Person von Ihnen Beeden Ausgangen, Darwider sein die Photinianer dieser beharrlichen mainung der H. Geist sey zwar woll die Crafft vnnd wirckung die etlicher massen heilig vnnd gerecht mache, Vnnd dahero man Ihme ohne Verwunderung Gœttliche Aigenschafften zuschreibe,

Laug-

Laugnen aber das Er ein besondere Person vnnd vnterschiedene, neben dem Vatter vnnd Sohn sey, dieweil Er Ihnen Beider geist vnnd Odem nur sey.

Von Christo vnnd seinem Ambt.

11.

DAs Inn Christo zwo Naturen seyen, Eine goettliche vnnd Eine menschliche, Widersprechen die Photinianer das Inn einer einigen Person zwo Naturen koennen erfunden werden.

12.

Das die menschliche Natur Inn Christo mit der Gottlichen warhafftig vnndt wesentlich bestehe, durch die Vereinbarung so derselben mitgetheilet ist, Woellen die Photinianer das eine Natur hiebey Ohne selbsstendig vnnd Aigen wesen müsse verstanden werden.

13.

Das man von des Sohns GOttes Menschl. vnndt von des Menschen Sohns goettl. Eigenschafften lehren vnnd predigen solle, dieweil solches per communicationem Idiomatum, da Eine Natur was Ihr Aigen, der andern zuaignet, geschicht, Lehren die Photinianer das es nicht müglich das eine Natur Ihr Aigenschafft zugleich mittheilen vnnd behalten koenne, Hergegen ein andere annemmen, dannenhero die Mittheilung der Aigenschafften nur ein gedicht sey.

14.

Das Christus mit seinem vollkoemlichen gehorsam den Er von wegen vnnd an stadt vnserer An das gesez gewendet, das gesez ganz vnnd gar erfüllet habe, laugnen die Photinianer vnnd geben für, Christus habe das gesez nicht erfüllet, Sondern die gebott, so zuuor noch nicht bey dem gesez gewesen, die Er auch an das Liecht gebracht, vnnd sey vollkoemblich Inn derselben Satisfaction vnnd gnugthuung erfunden worden.

15.

Das Christus sein Ampt vnnd Opffer vff dieser welt Verrichtet habe, Darwider schreiben die Photinianer, es sey erst zu der Zeit geschehen, da Christus gen Himmel gefahren, vnnd sich seinem Vatter vnd vns dargestellet habe.

16.

Christus habe sein Ampt vnnd Opffer verrichtet zu der Zeit, da Er sich am Stamm des Creuzes aufgeopfert hat, Darwider sprechen die Photinianer, Christus werde darumb vnser Hoherpriester genen-

net, vnnd das das Opfer Christi nichts anders sey, Als das Er sich GOtt mit sonderlicher vnnd wunderbarer macht fürgestellt vnnd dardurch alle vnsere Sünde also warhafftig ausgetilget.

17.

Christus habe mit seinem Opfer für alle vnsere Sünde genug gethan, Dieses verneinen die Photinianer gottslæsterlicher weise, Inn dem sie sagen, Christus habe nit für vns gelitten, noch mit seinem Leiden für vnsere Sünde genug gethan. Das Er aber mit seinem Todt, was wir zuthun schuldig gewesen bezahlet, vnnd das ware Ranzion vnnd Losgelt gegeben, Ja den Todt für vns gelitten, vnnd denselben geschmæckt, habe Er zu dem Endt gethan, damit Er vns Lehre, wie man durch Creuz vnnd Trübsal Inns Himmelreich durchdringen müsse, Dass er vns auch die vergebung der Sünden Vergewissere vnnd Versichere, ein Recht gewisses wares Vertrauen vnnd Zuuersicht, auch einen Neuen gehorsam Inn vns erwecke, Vornemblich aber, das Er nit die sonderbare Macht vnndt gewalt, dardurch Er vns von der Sünden straff frey vnnd Ledig mache, erlangen vnnd verdienen vnnd zuwegen bringen mœge.

18.

Das Christus mit seinem Opfer das Menschliche geschlecht mit GOtt versœhnet habe, Widersprechen mehrgedachte GotsLesterer, Inn dem sie erschrœcklich fürgeben, Christus sey kein solcher mitler, der da GOtt mit dem Menschlichen geschlecht Versœhnet, oder durch das Verdienst seines gehorsams den Zorn GOttes gestillet, Villweniger GOttes gnadt, dardurch die Sünde Vergeben werden, erlangt vnnd gesucht habe, dann es Vnuonnœthen gewesen, das der Mensch mit GOtt, welcher doch die welt zuvor, vnnd ehe Christus gestorben, geliebet hat, durch Ihn hette versœhnet werden dœrffen.

19.

Das Blut Christi Reinige vns von vnsern Sünden, Das wollen ebenmæsig die Photinianer nit zulassen, Inn dem sie nicht glauben kœnnen, das das Blut Christi die Craft habe, die sünde Abzuwaschen, vnnd dauon zu reinigen, sondern meinen, es werden diese wort, das vns Christi Blut Reinige, aus der vrsachen gesprochen werden, dieweil Er durch sein Blutvergiessen die Gœtliche Macht vnd gewalt, dardurch Er die gehorsamen vnnd glaubigen von der Sünden strafe erlœset, erlangen kœnne.

20.

Das der Leib Chriſti nach ſeiner Aufferſtehung ſey vnſterblich: Hierauff die Photinianer, Er ſey woll nit ſterblich, oder das er mehr ſterben werde, Er müſſe aber ſterben kœnnen, denn an einem vnſterblichen Leib ſey es nit mœglich, wunden vnnd negelmal zufinden, oder zufinden.

21.

Chriſtus habe noch an Ihm Inn der himmliſchen Herrligkeit das ware fleiſch vnndt ware Blut welches die Photinianer gotts Læſterlich vnndt zwar Innſtendig Verlaugnen vnnd widerſtreiten.

22.

Chriſti Prieſterſchafft, wie Auch ſein Reich werde ohne Endt ſein Ewiglich. Darwider ſchreiben die Photinianer, es ſey darumb geſagt, du biſt ein Prieſter Inn Ewigkeit dieweil Chriſtus Inn ſeinem Prieſterthumb keinen ſeines gleichen zum nachvolger haben werde.

23.

Das Chriſtus warhafftig Im Himmel vnſer Vertretter und Verſprecher ſey, Darwider ſprechen die Photinianer wir bedœrfen keines Mitlers vnnd fürſprechers, Chriſtus werde figurlicher weis vnnd zwar darumb vnſer Mitler genennet, dieweil Er vns Allezeit mit ſeiner ſonderbaren gewallt vnnd Herrlichkeit ſo Er von GOtt empfangen, Von Allem vbel erlœſen wœlle.

24.

Wann Chriſtus nit warer GOtt were, ſo würde Er auch nit mit waren glauben angeruffen vnd geehret werden kœnnen, Das Verneinen die Photinianer gantz vnnd gar, das Chriſtus warer GOtt ſey, Jedoch aber ſey Er würdig, Vnnd wœllen an Ihn geglaubt, denſelben angebetten vnnd geehret haben.

Von dem Ebenbildt GOTTes, von der Erbſündt vnnd deſs Menſchen freyen Willen.

25.

DAs durch den fall der Erſten Eltern das Ebenbild GOttes verloren, vnd die Menſchliche Natur Verderbt ſey worden, Wœllen die Photinianer das das Ebenbildt GOttes auch noch heutiges tags an dem Menſchen erfunden werde, ſey aber nit war, das durch der Erſten Eltern fall der Menſchen Natur ſind verderbt worden.

26.

Dann Alle Menschen, so nach dem Fleisch gezeuget vnnd geboren, die werden Inn Sünden erzeuget, das Nennen wir die Erbsündt, Die Photinianer aber widersprechens, das die Erbsündt ein gedicht vnnd Mœnchsfabel sey.

27.

Das der freye will durch des Ersten Menschen fall verderbet sey, Verlaugnen die Photinianer gotsLesterlich vnd erschrœcklich.

28.

Das der Mensch Ohne des H. Geistes gnade nit kœnne Buſs thun, vnnd bekehret werden, Hierauf sagen die Photinianer, es sey Vnuonnœtten, durch denselben die gnade zur Bekehrung zusuchen, Dann das Euangelium allein Cræfftig vnnd thetig gnugsam sey den Menschen dardurch zubekehren.

Von dem Gesez vnd dessen Erfüllung.

29.

DAs die Lehr des gesezes durch Mosen vnns gegeben Inn rechter Volkomlicher Zahl sey, Sagen hierauff die Photinianer es habe dem gesez noch vill gemangelt, so von Christo darzu gethan worden.

30.

Das das gesez so dem Menschlichen geschlecht zuerfüllen Vnmœglich war, durch Christum gehalten vnd erfüllet sey, Beantworten die Photinianer dieses also, Christus habe zwar dem Gesez gnug gehan vnnd erfüllet, aber solcher gestallt, das was an demselben gemangelt er durch zusezung neuer gebotten habe solches ergenzet.

Von der Rechtfertigung, vnd dem Glauben.

31.

DAs der Mensch werde von GOtt gerecht gemacht, Aus gnaden, vmb das Verdienst vnnd gnugthuung Christi willen, Verwerfen die Photinianer vnter solchen das Verdienst Christi ganz vnnd gar, Vnnd Sprechen der mensch werde gerecht vnnd selig, durch die Blose gnade gottes.

32.

Das der Glaub, dardurch der Mensch gerecht wirdt, sey Ohne zustümung gœttlichen worts ein gewiſs vertrauen vnnd Zuuersicht,

ſicht, dardurch man ergreiffe die gnadenreiche verheiſung von vergebung der ſündten, vmb Chriſti willen, Sprechen die Photinianer dieJenigen, die es alſo darfür halten, ſeyen blindt. Denn dieſe glaubens Beſchreibung kœnne keinerley weis oder weg aus der Heiligen Schrifft Bewehret Oder erwieſen werden, dannenhero auch keinen Beſtandt nit haben.

33.

Das der glaub dardurch der Menſch gerecht wirdt, Inn dem werck der rechtfertigung den guten wercken entgegen geſezt werde, Wœllen die Photinianer, das die gute werck ein weſenlich theil derſelben ſey, ſo Offt ſie Lehren, das der glaub den GOtt an den glaubigen erfordert, ſey ein zuuerſicht Inn Chriſtum Oder gott welcher durch Chriſtum oder durch den gehorſam der gebotten Chriſti das ewige Leben verheiſen hatt.

Vom Neuen Gehorſam vnnd der Buſs.

34.

DAs die gerechtfertigte vnnd Newgeborne Inn dieſem Leben noch alle weil ſtrauchlen vnnd ſündigen, Widerlegen die Photinianer der geſtalt, das die widergeborne woll Sünde haben, dafür ſie zwar tæglich Bitten, ſo lang ſie aber New vnnd widergeboren ſein, kœnnen ſie nit ſündigen, Oder aus obgeſezten ſünden Einzige vnnd die andere haben.

35.

Das es unmœglich ſey das die New und wiedergeborne Menſchen das geſez halten erfüllen, vnndt nit ſolten ſündigen kœnnen, Darwider ſagen die Photinianer das einem Menſchen mit der Hülff Gottes die Er den allen leiſtet, ſeinen gebotten vœllig zugehorſamen Leichtlich, Dieweil Inn Allen menſchen noch ſouiel Cræfften, die gebott Gottes zuhalten, Jedoch ſey der Menſch nit alſo Cræfftig Ohne gottes Hülff, welche niemand verſagt wirdt, vnnd wo dann dieſelbe ſo kœnne der Menſch warhafftig den gebotten gottes vollkœmliche folg Thun und Leiſten.

36.

Das die Newgeborne ſo Offt ſie GOtt mit neuen Sünden erzürnen, vnnd Beleidigen, durch die Buſs wider zu genaden An- vnd aufgenommen werden. Hierauf ſagen die Photinianer, es ſeyen viel ſünd zum Todt, die da nit kœnnen Vergeben werden, Als da ſindt Geiz, Diebſtal, Ehebruch, Todſchlag, Zorn, Kezerey &c. Müſſen derhalben

sprechen sie Alle, so den kopff verfallen oder das Leben Verwirckt haben, Verdambt sein, da helffe keine Buss Oder gnadt.

Von den Sacramenten der Heiligen Tauff, vnnd des Herren Abendmal.

37.

DAs Sacrament der H. Tauff sey von Christo eingesezt vnnd Befohlen, darwider streiten die Photinianer vnnd sprechen, da Christus seinen Jüngern vnnd Aposteln zu taufen bevohlen, habe Er von der Tauff der Lehr allein vnnd nit von der wassertauff geredt.

38.

Das durch die wassertauff ein Mensch der es mit glauben ergreifft vnnd annimbt, werde gerecht und Neugeborn, Sagen die Photinianer die wassertaufe habe keine solche Crafft, das der mensch dardurch solte heilig gerecht vnnd selig werden, Dann Ob gleich Christus Marc. am 16. saget, wer glaubt vnnd getaufft wirdt, Der wird selig, So red Er doch nit von der wassertauff sondern Von der Buss.

39.

Das man auch die Kinder Tauffen solle, wœllen die Photinianer etliche Ihre kinder Inn der kindheit zutauffen nicht zugeben, sprechent, die kindertauff habe einen grossen unterscheidt zwischen der tauffe so die Apostel gebraucht vnnd celebrirt haben, seyen also diese Beede tauff weit einander entgegen, vnnd wœllen aus der vrsach nit, das man die kinder tauffe solle.

40.

Das die Wort der Einsezung des Abendmals Christi, der spricht Nemet, Esset, das ist mein Leib, Nemet, trincket, dass Ist mein Blut schlecht nach den worten sollen verstanden vnnd erkleret werden, Schwermen hergegen die Photinianer vnnd sagen, das man die wort nit eigentlich sondern figurlicher weiss verstehen solle, denn das Brodt, so da wird gebrochen vnnd geessen, der Leib : Der Wein aber so Er wird gegessen vnnd getruncken, das Blut Christi genennet werde, soll es anders sein ein Figur, Bildnus vnnd schatten gleichsam des Leibs vnnd Bluts des Herrn, Auch also dessen Todt verkündiget werden.

41.

Das das Essen vnnd Trincken Im H. Abendmal soll genommen vnnd gebraucht werden, nit aber Blos Brod und Wein, sondern fürnemlich der Leib und das Blut des Herrn, Hierauf geben die Photinianer

aner für, das das Essen und Trincken Im Abendmal nur ein schlecht Brod und Wein sey.

42.

Das der warhafftige Leib des HErrn Inn dem Abendmal mit dem Mundt Aber doch himlischer vbernatürlicher und unerforschlicher weis genossen werden, Widerreden die Photinianer darumb, dieweil Ihnen solches niessen, da man nicht anderss Als schlecht Brod vnnd Wein empfindet, Vnmœglich Ja schrœcklich und Vnnüzlich, auch wider den Artickel des Glaubens, Auffgefahren gen Himmel, daselbsten dann Christus kein fleisch und Blut mehr habe, streiten bedüncket.

43.

Das durch die Niessung des H. Abendmals werde gestercket der Glaub, erlanget vergebung der Sünden, vnnd Andere geistliche Wolthaten, Verlaugnen die Photinianer vnnd sprechen, das das Essen vnnd trincken Inn des Menschen gemüte gar wenig Oder nichts verrichte, Es sey ein Narrischer vnnd kindischer Irrthumb, so man glaube vnnd hoffe, vergebung der sünden zuerlangen, So neme man auch Im H. Abendmal Brot vnndt Wein nit solcher gestalt, dass man andere geistliche Wolthaten damit empfange, sondern dass man für die empfangene Wolthaten danck sagen solle, fürnemlich aber sey das H. Abendmal darumb eingesezt, dass Inn der Christlichen kirchen die gedæchtnus des Leidens vnnd Sterbens des Herrn Christi Jerlich Celebrirt vnnd feyerlich gehalten werde.

Von der Christlichen kirchen vnnd Herrschafft.

44.

Das die Christliche kirchen Vor vnndt zu der Apostel Zeiten gewesen, Vnnd noch Bleiben werde, wollen die Photinianer dieweil die Christliche kirchen gefallen, vnnd zerstœret, Also, dass keine Rechte Christliche Kirchen mehr sey, Oder das dieselbe hinfüro Bleiben werde, Die Jenigen, so solches Bekennen grosser vnnd kühner Leichtfertigkeit beschulden.

45.

Das das Predigambt Inn der Christlichen kirchen niemandt gezieme, Er sey denn gesandt Oder beruffen, Darwider sagen die Photinianer, das Inn der Christlichen Kirchen Jederman kœnne vnnd dœrffe Lehren, Ob gleich Er nit gesandt, ordiniret, Ja auch das Euangelium nit verstendig berichtet sey, Wann Er nur dasselbe nach bestem gutduncken Lehre, dann es wenig an der sendung vnnd Beruffung gelegen.

46. Das

46.

Das ein Jeder Christ seinem Mit Christen vor Christlicher Obrigkeit soll zu gericht fordern vnnd nit vor Türcken Juden vnnd Heyden, Darwider wollen die Photinianer, es sey gros vnrecht, so einer seines glaubensgenossen vor gericht fordere, Es were dann, das sie zuuor durch die Christliche kirchen ermahnet, vnndt wo sie nicht parirn vnnd gehorsamen wolten, sie Alsdenn gar Ausgeschlossen vnnd Inn Bann gethan werden mœchten, Sonsten solte man Niemandt, Als die frembden so nit unser Religion vnndt glauben zugethan Vor Gericht Citirn laden vnnd erfordern.

47.

Das der Obrigkeit krieg zuführen, Aber Jedoch Ehe nicht, Als wann die Noth erforderdt gebühret vnnd wollanstehe, Sagen die Photinianer, es sey grosse sünd und unrecht krieg zuführen Obs gleich mit Billigkeit Oder nicht geschehe.

Von der Aufferstehung.

48.

DAs Alle Menschen am Jüngsten Tag aufferstehen werden, Wollen die Photinianer schier verlaugnen, Inn dem sie schreiben das keiner, der an Christum glaube vnnd vor des Herren Zukunfft sterbe, Im Todt bleiben, sondern durch denselben erwecket vnnd Ins Ewige Leben versezt werde, Sintemal daraus erfolget, das die unglaubigen nit sollen Aufferstehen.

49.

Das unser fleisch, mit welchem wir an Jezo umbgeben, nach den Articul des glaubens, Ich glaub ein Aufferstehung des Fleisches, auferstehen werde, Wollen die Photinianer nicht, das das Jezige Fleisch, nach den worten auferstehen sollen Verstanden haben, (*werden*) sondern erklærens auff diese weis, Das Jenige was Fleisch gewesen ist, soll auferstehen, Nach den worten, 1. Corinth. 15. Fleisch vnnd Blut werden das Reich GOttes nit ererben.

50.

Das diese Leiber, So wir Inn diesem Leben an uns tragen, Die sage Ich, werden zugleich mit denen die wir hernach tragen und haben, Aufferstehen vnnd Inn der Herrligkeit erscheinen werden, wollen die Photinianer nit glauben, Sondern Sprechen, Die Leiber der gottseligen vnndt gerechten werden allerdings nit fleischlich, sondern geistlich, himmlisch, und Vnsterblich sein.

V.

PHOTINISMVS

A

JOHANNE VOGELIO

ET

JOACHIMO PEVSCHELIO

NORIBERGENSIBVS,

S. S. THEOLOGIÆ STVDIOSIS,

DIE XXV. JANVARII,

QVI MEMORIÆ CONVERSIONIS D. PAVLI SACER EST,

PVBLICE RETRACTATVS, a)

IN

INCLVTA NORIBERGENSIVM ALTORFFINA,

ANNO MDCXVII.

EDITIO ALTERA CORRECTIOR.

NORIBERGÆ,

TYPIS LVDOVICI LOCHNERI,

Curante SIMONE HALBMAYERO, Bibliopola.

a) Rara sunt hujusmodi, *Socini* scholæ & erroribus valedicentium & publice dogmata isthæc recantantium, exempla. Mihi certe ex universa seculi superioris historia, præter hæc bina, felici successu & constantia, insignita, non nisi unicum innotuit, nimirum M. *Valentini Baumgartii,* Memelensis Borussi, qui ex interceptis litteris, ad *Socinianum* quendam perscriptis, cognitus, solenni quoque, uti nostri, Declamatione in Vniversitate *Regiomontana,* post invitationem publico Programmate a D. *Levino Pouchenio* propositam, typisque procusam, d. 28. Augusti A. 1640. similem palinodiam cecinit, inque ea Oratione culpam non solum admissam, quam tamen *obtentu paupertatis, a Socinianis forte sublevandæ,* utcunque excusavit, deprecatus, sed *Photinismum* etiam detestatus est. Idem vero exemplum quando commemoramus, divinæ clementiæ devota mente pias simul gratias agere par est, quod nostros hos cives in veritate Evangelii agnita, ac denuo approbata, deinceps conservarit: cum *Baumgartius* ille ex adverso, ut notum est, proh dolor! ad vomitum non multo post redierit, ipsamque adeo Ecclesiam, in qua natus erat atque enutritus, scriptis haud paucis impugnare ad finem usque vitæ, quem ut *Pastor Sociniani* cœtus *Claudiopoli* A. circiter 1670. habuit, non desierit. Cæterum & *Baumgartii* Orationem prælo subjectam publicatamque typis exivisse, & Ordini venerando Theologorum Regiomontanorum dedicatam esse, *Hartknochius* testatur: quanquam, præter *Programma Pouchenianum*, quod legi, a me conspectam eam non esse fatear, neque etiam a *Sandio* ejus mentionem fieri observaverim. Corrigendum autem mendum typographicum in *Hartknochio* est, quando d. 20. Augusti oratio isthæc, de reliquo, ut

P. C.

INCLVTÆ REIPVB. NORIBERGENSIS

COSS. ET SENATORIBVS,

VIRIS MAGNIFICIS NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS, DDN. ET PATRONIS SVIS DEBITA OBSERVANTIA SVBMISSE COLENDIS,

JOHANNES VOGELIVS ET *JOACHIMVS PEVSCHELIVS*, IN SIGNVM MEMORIAMQVE GRATI ANIMI, OB DENVO PARTAM, IPSORVM BENIGNITATE ATQVE CVRA, FIDEI AVITÆ ET ORTHODOXÆ, CVM AB EA FVISSENT ABALIENATI, COMMVNIONEM, HVNC PHOTINISMVM RETRACTATVM HVMILITER DICANT CONSECRANTQVE.

* * * * * * * * *

ORATIO

JOHANNIS VOGELII,

DE VERA ET ÆTERNA JESV CHRISTI DIVINITATE.

QUæ ſingula hominibus ad dicendum accedentibus, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, timorem facere conſueverunt, ea mihi in præſentia ſeſe objiciunt univerſa. Sive enim loci ratio perturbationis aliquid adferre poſſit; Altorffi dico: Sive audientium conditio; apud illos dico, quorum dignitatem admiror, conſpectum vero ſubvereor: Sive ipſa orationis materia, dicendique occaſio; ita dico, ut eodem tempore de ingenio, de doctrina & de honeſti nominis a) fama apud non paucos mihi ſit periclitandum.

ait, *perplexa,* illic dicitur recitata, cum d. 28., uti jam ante obſervatum eſt, menſis *Auguſti,* horaque IX. matutina, poſt præmiſſas ante etiam a Theologis cum Oratore diſputationes & informationes, eam fuiſſe in Auditorio majori pronunciatam, certo nobis conſtet.

a) Non puto, verba hæc ad *infamiæ* metum ex hæreſi ad tempus approbata, quæ *civili ſenſu* uſuque vocabuli recepto per ſe neminem infamem reddit, reſpicere, ſed paullo *laxiori notione* uſurpata eſſe, ut famæ per Germaniam univerſam de errore tam immani, & legibus quoque civilibus ſevere prohibito damnatoque, jam undique ſparſæ, ipſique adeo perfidiæ crimini, cujus haud injuria a legitimo Magiſtratu ſuo Juvenes hi inſimulati fuerant, occur-

dum. Altorffi dicere si quisquam est, qui mihi parum putet, eum necesse est in magna rerum toto pene Christiano orbe notissimarum ignoratione versari. Ecquis enim est tam obscurus, tam ab omni hominum doctorum consortio remotus Europæ locus, quo non fama de nobilissimo hoc omnis humanioris literaturæ cultiorisque eruditionis emporio, lue Photiniana infecto, pervaserit? Quis vero populus, quæ gens, aut quæ in his terris natio, apud quam non fama isthæc (mendax a) quidem, sed nimium quantum loquax) cujus ego me, si non primum & præcipuum, saltem secundarium auctorem, & per occasionem promotorem, extitisse negare nullus queo, florentissimum hoc lyceum diffamaverit atque deformaverit? Hæc vero firmamenta Reipublicæ, hæc ornamenta patriæ, hæc virtutum omnium laudandarumque artium & scientiarum lumina atque columina, b) mea culpa ab invidis & malevolis inique traducta, intuentem, nihil me commoveri, nulloque rubore suffundi, tantum id quidem esset, ut non solum frontem de industria perfricuisse, sed omnem penitus pudorem deglutivisse & decoxisse jure meritissimo crederer. Etenim si eloquentissimos olim viros, aspectu unius principis, de cujus favore, seu potius clementi in se affectu, ne tantillum quidem dubitare poterant, adeo conturbatos fuisse accepimus, ut obmutescerent: quid mihi tandem animi esse oportet, qui nullo modo cum illis sum comparandus, & apud vos dico, Scholarchæ Amplissimi, c) cæterique Patres Academici Clarissimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi consessum principum gravissime a me offensorum videor intueri. Ac cæteri quidem, qui ad

 eam

reretur, &, resipuisse tandem, qui desipuerant antea, cunctis, quibus veritas cœlestis cordi esset, cum honestæ pœnitentiæ laudabili prædicatione innotesceret: Quicquid etiam contra *Sociniani*, impietatis pristinæ socii & adjutores, de mutabili & versatili, seu desultoria ipsorum conversorum indole, deblateraturi essent.

a) Quo sensu *fama* hæc *mendax* dici potuerit, ex superioribus proclive est colligere. Fuisse certe, non Doctores quidem publicos, *Sonero* excepto, eoque clanculum & quasi aliud agendo quibusdam talia suggerente, at Studiosos & advenas nonnullos istic, qui venena isthæc dogmata occulte instillarent aliis, & per cuniculos propagarent, quis dubitet? Ad *approbationem* igitur quod attinet, & publicam quidem cognitamque, itemque tam late diffusam, ut strenue calumniabantur malevoli, hæreseos sparsionem, fama utique mendacissima dici potuit.

b) Ex utroque enim ordine, ut supra Cap. IV. exposuimus, *Senatorio* videlicet, & *Ecclesiastico*, præsentes erant, ut alios gravissimos viros taceamus, qui ex Academiæ Doctoribus, & *Noriberga Altorphium* advectis, magna copia auditorum sedes occupaverant.

c) *Pfinzingius* & *Lœffelholzius*, Viri generis & meritorum gloria gravissimi, de quibus superius dictum est.

eam confugiunt excuſationem, ut ſe, cum tenuitatis ſuæ conſcii eſſent, tamen vel neceſſitate, vel officio impulſos vel alia quavis cauſſa adductos dicendi munus non tam appetiviſſe, quam detrectare non potuiſſe dicant; ſæpius hoc ab Auditoribus ſuis conſequuntur: ut ſi induſtria ipſorum aliqua ex parte minus fuerit approbata, plerique tamen imbecillitatem illorum magis ſublevandam, quam temeritatem accuſandam putent. Ego vero, quamvis me hanc dicendi provinciam non ultro depopoſciſſe, ſed Ampliſſimi & Sapientiſſimi Magiſtratus noſtri juſſu a) ſuſcepiſſe oſtendam; valde vereor ut a vobis obtineam idem: cum nemo ignoret, me juſſui huic non tam cauſſam dediſſe, quam neceſſitatem impoſuiſſe ipſum, & re quidem ejusmodi, quæ per ſe temeraria eſt, & cum inſigni audacia conjuncta. Annon enim temeritatis eſt, Religionis avitæ, ejusdemque qua ab optimis quibusque probatæ, qua longa temporis præſcriptione confirmatæ, qua denique, quod caput eſt, immotis ſacrarum literarum fundamentis ſuperſtructæ, non unam duntaxat alteramve partem dubitationis ariete concutere, ſed univerſum pene ædificium b) ſubruere atque demoliri velle? Annon audaciæ eſt, juvenem & ephebum in graviſſimo Fidei negotio ſibi ſoli ſapere, aut certe tot, tamque præſtantium virorum divinitus in Veritatis cœleſtis defenſionem & propagationem aſcitorum, auctoritate faſtidita, Novatorum c) quo-

a) Hunc *declamandi potius, quam diſputandi* modum determinantis: cujus conſilii rationes alibi jam explanatas vidimus.

b) Ita eſt. Totum enim Syſtema Theologiæ ſubvertit, aliudque prorſus ſubſtituit *Socini*, quem ſobrium ad tantum facinus acceſſiſſe vulgo fertur, improba induſtria. Quod viciſſim nemo, niſi qui a lapide ejus angulari initium fecerit collabefactando, Chriſti nimirum divinitate mere factitia & gratuita, ſine periculo aggrediatur. Idque ipſemet in ſuis de *Divinitate Chriſti* Libris, *Sigismundo III.* Reg. Polon. a *Jacobo Siennio*, Patrono Socinifmi præcipuo, & *Racoviæ* infelicis Domino, dedicatis agnovit *Smalcius*, nec obſcure, ſed aperte prorſus, cæteras prope omnes diſputationes, niſi πρῶτον hoc ψεῦσος deſtruas, exceptione, ut vocant, de *Petitione ejus, quod erat in principio controverſum*, eludi poſſe, profeſſus eſt, & reapſe in ſcriptis univerſis, quotquot *Socini* caſtra ſequuntur, præſertim Germanorum, omniumque luculentiſſime ejusdem *Smalcii* contra *Smiglecium*, & *Scargam* e Soc. Jeſu, *Ravensbergerum* item, *Grauerum*, *Franzium*, ipſumque adeo *Vogelium* noſtrum, demonſtratum eſt.

c) Recte hunc fontem conſectationis eſſe tam atrocium errorum obſervavit *Vogelius*. Quis enim neſcit, ipſis ſibimet lynceos videri *Socinianos*, & ab aliis quoque prædicari? Nec dubium mihi eſt, quin hæc acuminis, ſed crucis myſterio adverſi, uti jam pridem a *Paullo* commonitum eſt, perſuaſio, *philoſophiæ* ratiunculis, *ſtyli* inſuper qualicunque *elegantia* exornatis, ſuffulta pleroſque in transverſum abripuerit. Ad quam etiam *Philologiæ* in *abuſum* artificioſe tractæ adminicula, & utriusque linguæ haud vulgaris notitia, qua nonnulli vale-

quorumdam acumen admirari, moderamen a) sectari, dictamen b) unice exosculari? At vero utrumque crimen istud a me commissum esse vanus sim negare si cogitem, insanus si tentem. Quin potius quemadmodum culpam hanc meam me privatim ingenue fassum esse procul dubio inaudivistis omnes; Ita eamdem fateor nunc quoque in hoc loco publico & quando nihil aliud reliquum video, in hac libera c) confessione totum id colloco, quo animum meum trepidantem firmo, persvasissimum mihi habens, Vos, Scholarchæ Nobilissimi, Prudentissimi, Domini imperantes benignissimi, pro vestra benignitate; Vos, Patres Academici Clarissimi, Pientissimi, pro vestra pietate; Vos, juvenes qua natalium splendore, qua virtute & eruditione Florentissimi, & quotquot alii adestis Auditores Humanissimi, pro vestra humanitate, sicut in multis aliis, ita hac quoque in re, exemplum Dei, quem, dicente aureo illo sermonis flumine, * nihil adeo placatum reddit, quam delinquentis confessio, imitaturos, & quod a me peccatum est, Christo condonaturos, animum concitatum posituros, fratrem infirmum, quem ipse Deus, Pater communis omnium nostrum, assumsit, nec mater Ecclesia repulit, assumturos, & novo quasi favore, amore atque benevolentia prosecuturos. Quod ut per viscera misericordiæ Dei rogo & obsecro; ita satisda-

* Chrysostomus.

bant, & Capita præsertim factionis eminebant, accessere: quibus adeo, qui cum istius Sectæ hominibus vicissim disputare velint, instructos non leviter esse oportet.

a) Non ab re *Moderamen* quoque inter decipulas, quibus ipse cum sui similibus captus sit, commemorat. Quid enim, ea potissimum tempestate, qua omnia litibus & condemnationibus immodicis personant, acceptum magis magisque plausibile videri possit, quam moderatio & dulce pacis nomen, atque necessariorum denique creditu, ad *perexiguum numerum clarissimis verbis* in Scr. S. revelatorum & *nullius consecutionis ope* demonstratorum, tum agendorum potius, & *ad præcepta Christi* instituendam vitam sanctam, quæ mens est totius gregis *Photiniani*, redactorum compendium?

b) Verissima sunt, quæ de *Dictamine* h. l. addit noster. Sic enim Historia *Socinismi* prorsus luculenter condocet, eos, qui nomen eidem, in societatem fraternam pellecti, semel dederant, totos a nutu signiferorum, *Socini* primum, qui tamen demulcere suos solebat blandius, quam jubere; deinde vero *Smalcii*, hominis valde imperiosi, auctoritateque & præfidentia maxima pollentis, pendere consuevisse. Vt parum abesset, quin *Racoviam*, velut ad Tribunal Jovis illius Capitolini, omnia e *Polonia*, *Transylvania*, *Germania* & *Belgio* relata, atque inde oracula, a cæteris, quibus tantum jussa capessere fas esset, expectata redditaque fuerint. Quod vel *Vita Smalciana*, &, si de Altorphinis sermo sit, *Libellus memorialis* ille, qui in *Cent. II. Epist. Ruari* f. 88. extat, comprobare possunt.

c) *Liberam* itaque confessionem fuisse, ipse palam professus est *Vogelius*, ut, qui coactam fingunt, aut metu extortam, nimium sibi sumant, & adversus solem loquantur.

tionis loco palam omnibus facio, me omnem Photinianam blasphemiam deteſtari, omnem Socinianam impietatem averſari, omnem denique hæreſin aliam cum ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, & ex his deductis Symbolis œcumenicis, itemque Auguſtana confeſſione pugnantem abominari. In cujus rei ſignum, dum de illo Fidei Chriſtianæ capite, quod Photinianos ſeu Socinianos cœtus ab aliis quam maxime a) ſegregat, quodque reliquis ejusdem Fidei capitibus omnibus, de quibus me alibi ſententiam meam probaſſe neſcire non poteſtis, fundamentum ponit, h. e. de VERA & ÆTERNA JESU CHRISTI DIVINITATE, brevem & ſcholaſticam, b) at ex optima conſcientia profectam, diſſertationem inſtituere aggredior; mihi balbutienti potius, quam oratorio modo dicenti audientiam & faventiam veſtram, Auditores Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Reverendi, Conſultiſſimi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, Eruditisſimi, Florentiſſimi, Humaniſſimi, commodare ne quæſo dedignemini.

Atque ut hinc mea proficiſcatur oratio; Credit & confitetur Eccleſia orthodoxa, JESUM NAZARENUM, MARIÆ FILIUM, qui & Chriſtus dicitur, & Redemptor atque Salvator noſter in ſacris literis oſtenditur, non nudum, purum putum, communem & ſimplicem hominem (ut cum Cerintho Ebionæorum genus quoddam docuiſſe auctores ſunt præter Euſebium,* Ignatius,** Irenæus,*** Tertullianus,**** Epiphanius,***** & Auguſtinus******: ſed & in una eademque perſona VERUM ILLUM ET ÆTERNUM DEUM eſſe. Hujus autem Fidei & Confeſſionis fundamentum haudquaquam illa ponit Nicenorum Patrum, c) quam non aſpernatur, auctoritatem; ut

* Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 23. & 24. ** Epiſt. ad Philadelph. 6. *** Lib. 5. c. 2. **** De carne Chriſti. ***** Lib. 1. tom. 2. cont. hæreſ. c. 30. ****** Hæreſ. 10.

a) Recte: Id enim Caput doctrinæ & fidei principatum tenet, ex quo cætera omnia bene quoque aut male, ſi veritatem tuearis aut errorem admittas, limpide item vel turbide promanant.

b) Abſit invidia verbo. Neque enim ſcholaſtica hæc Diſſertatio eo ſenſu dicta eſt, quo nugarum & ſophiſmatum illa aranearum in modum ex ingenii ſpeculationibus contextorum compages, Monachis olim probata, & hodieque inter eos exculta, eo nomine venire conſvevit, ſed propter methodum proponendi ſcholis magis convenientem, cujusmodi aptarum, & ex Script. oraculisque divinis, qualis & hæc eſt, compoſitarum *Orationum* eſſe ſolet habitus: quem ob graves cauſſas huic retractationi atque confeſſioni induere juſſit prudentia Procerum Noribergenſium laudatiſſima.

c) Ita certe Adverſarii olim cavillati ſunt, & adhuc calumniantur, *Athanaſianam* hanc fidem noſtram petulanter cognominantes, & *Ante-Nicænos* Doctores Patres-

ut nec illorum, qui tempore eos antecesserunt, quam veneratur, canitiem sive antiquitatem: sed ipsissimum Verbi Divini canonem, certissimaque Divini Spiritus oracula, ut numero plurima, ita pondere gravissima, ex quibus nunc animus est ea seligere, quæ videntur illustriora.

Merito vero primas tribuimus illi, quod est in primordio Evangelii Johannis, qui doctrinæ Christi dignitatem commendaturus, arcessit eam ab auctoris, h. e. ipsius Christi (quem nomine ex Chaldæa Paraphrasi a) notissimo τόν Λόγον, *Verbum illud*, sive *Sermonem illum* appel-

que prorsus aliter, h. e. Arianorum vel Photinianorum hypothesibus congruenter, ea, quæ nos venditemus, mysteria exposuisse, deque illis etiam in eandem quoque sententiam locutos esse, asseveranter perhibentes. Huc enim digitum intendit *Vogelius*. Ex instituto id saxum volvisse pro Arianismo, quem animo fovebat, ut a Patre edoctus erat, in *Nucleo Hist. Ecclesiast. Sandium*, constat; & passim, pro *Socinismo* seu Photinismo instaurato, his quoque armis pugnantem, inprimis contra *Smiglecium*, videas *Smalcium*; cum quo idem cornu inflavit deinceps, omniumque impudentissime, Dan. *Zwickerus*. Quibus post *Gardinerium*, strenuum *Sandii* Antagonistam, & *J. G. Bajerum nostrum*, *Zwikeri*, post *Comenium*, audacissima asserta solide discutientem, omnium accuratissime & universe satisfecit *G. Bullus* in *Defens. Fidei Nicænæ* Oxon. & Amstelod. 1685. & 1688. excusa, atque in Operibus deinceps, cum aliis hujusmodi, cura & studio *J. E. Grabii A.* 1703. auctius recusa. A quo & *Episcopio*, ipsique adeo *Petavio*, plus, quam fas erat, adversariis largitis, & huic præsertim imprudentissime, idem, quod *Ariani*, Patres Ante *Nicænos* de Filio Dei sensisse, concedenti, in *Præf.* libelli laudati invictis argumentis obviam itum est. De reliquo, formulas loquendi de Deo Sec. II. & III. usitatas, quibus etiam *Praxeæ & Sabellii* Scholæ leguntur abusæ, ὁμουσίαν divinarum personarum exprimentes raro occurrere, cum nemo neget, attamen a sententia ipsa prorsus eadem, quæ & Nicæni Concilii atque Apostolorum fuit, discerni oportere, atque hac sola distinctione rem omnem confici posse, & planum est, & nos quoque jam alibi observavimus. *Whistonio* denique hæc talia nuperrime recoquenti, uti *Angli* plurimi, ita ex nostris b. G. *Olearius* & *M. Gottl. Frid. Gude* vel ex Martyrum effatis satisfecisse, notum est.

c) Hanc & nos τοῦ λόγου originem haud gravatim approbaremus, nisi loca quædam, ubi de meris etiam hominibus eadem vox *Memra*, sensu pronominis reciproci, usurpata est, evidentissima occurrerent. Cujusmodi non solum *Guilh. Henr. Vorstius* in *Bilibra Veritatis*, Rittangelianæ *Libræ* opposita, & Disceptatione eidem præmissa de *Verbo Dei*, collegit plurima, (qui Lib. a Cl. *J. Clerico* non scriptus est, at prælo *Freistadii* A. 1700. submissus cum Præf. nova) sed vel sola in compendio hæc specimina, quæ Ruth. III. 8. & Es. XLII. 1. leguntur, scrupuli plus satis attentis ad hujusmodi argumenta movere queunt. Quibus noster acutissimus in talium argumentorum robore dignoscendo *Hakspanius* addatur, utpote qui de *Usu Libr. Rabb.* §. 104. sqq. haud male ad filium Dei formulam illam subinde quadrare *ex accidenti* scribit, cæterum permultis exemplis nativum usum reciproci Pronominis confirmat. Vtut sit; Nos rectius, & ad præsens institutum convenientius, missa Platonica imitatione, a Sp. S. genio alienis fi-

appellat) præſtantia, quam inter alia his etiam proponit verbis: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος * *Et verbum illud erat Deus.* Sunt enim hæc verba per ſe tam clara tamque perſpicua, ut nihil neceſſe foret, ad lumen eorum oſtendendum, quicquam addere, niſi humani ingenii curioſitas nebulas quasdam obfunderet. Illæ igitur ut facilius diſpellantur, notandum in primis arbitramur Spiritus Sancti morem, quo appellationem Dei aliis etiam, qui VERUS ILLE DEUS non ſunt, puta, ** Angelis & judicibus, *** tribuit ille quidem; at nusquam tamen ſive de uno ſive de pluribus eorum diſerte, citraque omnem limitationem, a) ſeu aliam quamcumque additionem aſſerit, quod Deus aut Dii ſint, ſed hoc honoris ſoli illi VERO & UNI DEO exhibet.**** Etſi enim Salvator illud de Magiſtratibus dictum: *Ego dixi dii eſtis*, pro ſe alleget, ***** habent tamen verba iſta in loco proprio ****** mox limitationem annexam, quando ſubjungitur: *Sed moriemini ut homines*, quæ ſatis indicat, eſſe ibi ſermonem de DIIS, non qui per eſſentiam ſeu naturam tales ſunt, ſed qui ob ſimilitudinem, quam cum VERO DEO habent, hanc ſortiuntur nuncupationem, quam & verba præmiſſa, *Ego dixi*, non obſcure innuunt. Tantum autem abeſt, ut in illis, de quibus agimus, Johannis verbis, hujusmodi aliqua limitatio monſtrari queat, ut potius non nulla ſint documenta, quæ cogunt per θεὸν VERUM ILLUM intelligere. Habentur enim verba iſta in loco proprio h. e. in ipſiſſima doctrinæ de præſtantia & excellentia Chriſti ſede, in qua, ut in omnibus ſcripturæ locis ſimilibus, a verborum ſenſu communiori & proprio (quem nominis θεοῦ hunc eſſe, ut VERUM illum DEUM notet, omnia ſacrarum literarum loca, quæ unum tantum Deum quoquo modo oſtendunt, teſtantur) absque cauſſa graviſſima, eaque ex ſola ſcriptura petita, receden-

* Johan. I. v. 1. ** Pſal. VIII. v. 6. *** Exod. XXII. v. 8.
**** 2. Sam. VII. v. 28. 1. Reg. XVIII. v. 39. Ezech. XXIII. v. 49. c. XXIV. v. 24.
***** Johan. X. v. 34. ****** Pſal. LXXXII. v. 6.

ma, (niſi, ad meliorem ut applicaretur ſenſum id nomen, inde occaſio ſumta ſit,) ipſum Nomen divinum Deoque proprium, *Jehova*, quod *haſchſchem*, *Nomen Dei*, κατ' ἐξοχὴν vocant Judæi, per λόγον coll. Matth. IIX. 8. & Lev. XXIV. 11. ſqq., deſignari & explicari exiſtimamus.

a) *Limitationis* nomenclatura laxius paullo ſumta videtur *Vogelius* h. l. denotare additamenta quælibet, ex quibus, tanquam *prædicatis*, ut vocant, adjectis, qualia ſint *ſubjecta*, colligi poſſit. Cujusmodi ſunt, quæ de morte Magiſtratus Pſalmo LXXXII. leguntur. De *Angelis* autem ubi ſermo eſt, major fortaſſis, quantum ad hoc, difficultas movebitur a *Smalcio* in Præf. ad Orat. hanc repoſita p. p. diſcutienda: ubi & argumenti iſtius Joh. X. adhibiti vim atque robur ſolide, ut ſperamus, vindicabimus, ipſamque Chriſti altiſſimam divinitatem fortius adſtruemus.

cedendum non esse, a) monent Theologi cordatiores omnes. Affirmatur Verbum illud fuisse *in principio*,* non quidem solius Evangelii, (quid enim sic tribueretur Christo, quod ejus testi Johanni, cum quo is ibidem ** confertur, tribui non posset?) sed creationis omnium rerum, ut mox patebit. Explicatur, ubi Verbum in principio illo fuerit, nempe *apud Deum* *** quod de Christo puro puto homine verum esse non posse tum jam constat, tum ulterius hinc colligitur, quod hæc, ut ita loquar, apud Deum existentia, alibi **** manifestationi (quæ facta est quando *Vnigenitus ille Filius a Patre in mundum missus* ***** *natus est, & in mundum venit*, ****** *ut destrueret opera Diaboli*) ceu prius posteriori opponitur; aperte vero probatur ex illis Salvatoris verbis, quibus asserit ******* *se apud* PATREM *habuisse gloriam antequam hic mundus esset*, quod idem est, b) ac si dixisset, ab æterno. Asseritur ******** Verbo huic mundi & omnium rerum effectio, quam ipsissimam primam omnium rerum creationem esse, eo certius est, quo diligentius nota universalis ibidem ampliatur, & ad omnia absolute, c) quæcunque facta sunt, extenditur. Tribuitur ********* Verbo huic hominum vivificatio & illuminatio, ita quidem, ut eam nonnisi a virtute omnipotente (quæ vero solius DEI est, ********** proficisci posse cuivis appareat. Dicuntur

* Joh. I. v. 1. ** v. 6. *** v. 1. 2. **** 1. Joh. I. v. 2. ***** 1. Joh. IV. v. 9. ****** Joh. XVIII. v. 37. ******* Joh. XVII. v. 6. ******** Joh. I. v. 3. 10. ********* v. 4. 9. ********** Apoc. I. v. 8. Gen. XIX. v. 1. Exod VI. v. 2.

a) Plures rationes, quibus *duram & coactam*, ut vocat, *Socini* interpretationem hujus loci, impugnat ex ipsis Remonstrantibus *Limborchius*, in *Theolog. Christiana* ejusdem L. II. c. XVII. §. XV. legantur. In quibus ea primas tenet, qua, orationem identicam fore, si de præsentia Christi, quem adesse *Johannes testatus sit*, heic sermocinaretur Evangelist., ostendit. *Quis enim in dubium vocare posset*, inquit, *Jesum jam adesse, quum Johannes eum adesse* prædicaret? Vt novitatis suspicionem fictam, cui idem obviam eat, Divinitatis item per signa & miracula demonstrationem, quæ tamen non ab initio statim, sed post inchoatum munus publicum edidit, & audacissimam factorum ad triennium adstrictionem taceamus.

b) *Phrasi* Script. S. recepta, eademque *perpetua*, cui ne unum quidem exemplum dissonans adhuc opponi potuit.

c) Vt taceamus, quando de rerum instauratione Oracula divina loquuntur, præsertim in N. T., vix verbum *fieri*, sed τὸ *creare*, aut *creaturæ novæ* nomenclaturam, adhiberi solere; & quidem cum additamentis & descriptionibus ejusmodi, unde non de prima, sed *secunda* creatione seu restitutione sermonem esse evidentissime liqueat. Qualia Eph. II. 10. 2. Cor. V. 17. Jac. I. 18. & alibi reperiuntur. Ad quod accedit, *Johannis* in scriptis quibuscunque, ab ea notione, qua alii utuntur, abstinentia perpetua, ad quem παραλληλισμὸν *ejusdem scriptoris* potissimum respiciendum esse, recte præcipiunt *Hermenevtices Sacræ Magistri*.

tur * Verbi hujus *Proprii* esse Judæi, quos VERI illius DEI populum immo peculium fuisse ex multis veteris instrumenti locis discimus. Cavetur ** tandem aperte, ne quis Verbum hoc, ob id quod dictum erat *** καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, DEUM factum aut nuncupativum tantum existimet, dum mox subjicitur **** *Et vidimus gloriam ejus*, certe non qua caro erat (sic enim ***** *non erat ipsi forma neque decor, nec quicquam habebat pulchritudinis, despectus erat, & contemptissimus virorum)* sed qua erat in eo sublimius quid & excellentius, quod exprimitur satis clare, quando edisseritur, qualis illa gloria fuerit, nimirum ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, hoc est talis, ex qua evidenter conspici potuerit, esse hunc Sermonem, sive hoc Verbum, verum & unicum DEI filium, quippe vere & unice ab ipso genitum. a) Atque hinc est, quod non nude dicitur δόξα μονογενοῦς πατρὸς sed δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, nec tantum δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρὸς sed δόξα ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς. Veritatis siquidem non similitudinis notam esse particulam ὡς omnes hujus loci interpretes unanimi consensu fatentur. Quoniam itaque tot & tanta in eo, quem adduxi, loco veræ Divinitatis b) apparent documenta, insuper deinceps habeamus geminum istum, quo Verbum illud a Vero DEO distingui videtur, modum. Quamvis enim *Verbum* dicatur *fuisse apud* DEUM (Verum scilicet,) eidemque appellatio θεοῦ sine articulo tribuatur: patet tamen ex paullo ante dictis, idem Verbum, h. e. Christum illum DEI viventis filium, alibi ****** dici fuisse apud Patrem, a quo unigenitum istum filium distinctum c) esse credimus, etsi utriusque unam eamdemque essentiam vere divinam confiteamur. Et certum

* Joh. I. v. 11. ** v. 14. *** Ibid. **** Ibid.
***** Esaiæ LIII. v. 2. 3. ****** 1. Joh. I v. 2. Joh. XVII. v. 6.

a) *Non factum*, quo fortassis illam singularem in Mariæ Virginis utero formationem H. N. referre ausint *Sociniani*; quibus solenne est γέννησιν illam Filio Dei toties tributam, & quidem *ante dies hujus mundi*, ut Mich. V. 1. habetur, ex ea Sp. S. ἐπιλεύσει deducere; cum tamen nusquam Sp. Sanctus filii Dei pater dictus sit, & ratio quoque ab Angelo reddita non tam originem illam conceptionis, quam personæ divinæ & humanæ unitatem respiciat, ipsaque *virtus Dei*, quæ primogenitum unigenitumque Dei filium denotat, rationis fundamentum contineat.

b) Et quidem *non datæ precario* post nativitatem aut resurrectionem vel adscensum in cœlos; *neque destinatæ* duntaxat, sed ejus, qui jam ἦν, antequam quicquam existeret, ita, ut per eum cuncta existentiam suam adepta sint, h. e. Patris ὁμουσίαν & continentis natura, & factis demonstrantis.

c) Καθ' ὑπόστασιν seu *personaliter*: quo respectu *alius* est a Patre, & tamen ita alius, ut, *ego & Pater unum* (non unus) *sumus*, dicere identidem potuerit.

certum eſt, divinum noſtrum ſcriptorem iſtud articuli momentum, utut alias non omnino nullum, parum obſervaſſe, quippe qui in hoc ipſo capite * appellationem iſtam de eo, qui extra controverſiam Deus ille verus eſt, ** quater uſurpaverit, nec tamen articulum præpoſuerit, quem nihil erat neceſſe in Chriſti Divinitate exprimenda addere, cum, ut jam, niſi vehementer fallar, demonſtratum eſt, alia indicia, ſatis multa & gravia, adſint, quæ vicem articuli obeunt, ejusque momentum compenſant. a) Quibus annumerari poſſet & hoc, quod D. Johannes, in hoc operis ſui veſtibulo admodum delectatus unius ejusdemque vocis repetitione, eam inſtituto ſuo ita accommodet, ut in repetitione prima, in qua nomen θεȣ̃ loco allegato ponitur, unum eumdemque ſignificatum retineat. Is vero ſignificatus quia nominis hujus in verbis immediate antegreſſis fuit iſte, ut Deum illum verum notarit, vel hinc liqueret, de quonam Deo, noſtrum, quod hactenus tam multis explicuimus, ſit intelligendum oraculum.

Huic ſuccedat nobilis b) Apoſtoli locus, qui eſt in epiſtola ad Rom. ſcripta, *** & ſic habet: ὧν ἡ υἱοθεσία &c. ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ χριςὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας. *Quorum* (eſt) *adoptio &c. quorum* (ſunt) *patres, & ex quibus* (eſt) *Chriſtus, ille exiſtens ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Quanto vero & hoc oraculum eſt illuſtrius, tanto audentius quidam negant, de Chriſto id eſſe accipiendum, qui tamen, quia nimis manifeſte refelluntur articulo ὁ, non habente, quo referatur, niſi χριςὸν, cujus

 pro-

* c. I. ** v. 4. 6. 13. 18. *** c. IX. v. 4. 5.

a) Tricis hiſce de *Articulo, addito interdum, interdum vero omiſſo*, itemque ipſo nomine Dei hac vel illa forma *loco prædicati aut ſubjecti* poſito, opponantur loca ſequentia: Rom. VIII. 33. Luc. II. 14. 40. 52. III. 2. Matth. IV. 4. V. 9. VI. 24. XII. 28. Marc. XI. 22. XIII. 32. in quibus ſine articulo indubitato verus Deus denotatus eſt. Quibus præter alia in epiſt. & Act. Apoſt. plurima addantur *alia nomina*, prorſus eodem modo occurrentia ſubinde, *propria* Act. XII. 10. XIII. 9. 13. 16. 46. XIV. 14. Luc. IV. 48. VII. 43. 47. VIII. 45. 51. Jo. I. 42. &c. Sic quoque promiſcue ſubjecti aut prædicati locum occupat θεὸς ſummi Dei nota Matth. XXII. 32. Act. VII. 32. Hebr. XI. 16. 1. Joh. V. 20. coll in V. T. 1. Reg. XVIII. 39. &c. Conf. Annott. ad *Confeſſ. Dümlerianam*.

b) Vere *nobilis*, quippe qui ſolus, ad conſtringendos *Socinianos*, vel propter notabile additamentum ἐπὶ πάντων, ſufficit: cujus προσθήκης vim cum perſentiſceret *Smalcius*, in citando eodem, ut paullo ante vidimus, illam fraudulenter omiſit? Eam vero quando in *Catechiſmo* gemina forma, quaſi parum, ſive addatur ſive omittatur, ſive item neutro aut maſculino genere de perſonis, rebusque intelligatur, penſi haberet ſubindicaturus, exhibuit, ſane hoc ipſo, quanta ſit vis veritatis, αὐτοκατάκριτος ediſſeruit.

proxime facta fuerat mentio, post verba, τὸ κατὰ σάρκα, a) punctum ponunt, & quæ sequuntur, meram δοξολογίαν, ad DEUM (qui alibi monstretur Pater Domini nostri JESU CHRISTI,) directam, continere contendunt. Sed frustra sunt. Præterquam enim quod res suspicionis & periculi plena sit, in interstinctionibus præsidium quærere, b) repugnant illis emendatiores, qui in manibus Veritatis divinæ studiosorum versantur, codices omnes: quorum fidei nullo jure derogat unius hominis, docti cæteroquin, at in hoc negotio multis haud leviter suspecti, auctoritas, cui opponi possunt complures aliorum, qui in conferendis codicibus vetustioribus fuerunt accuratissimi, & sibi faventem habent consvetudinem geminam. Vnam Apostoli, qui textui continuo quandoque δοξολογίας ejusmodi solet intermiscere, sed non absque prævia illius, ad quem δοξολογίαι istæ respiciunt, aperta mentione, * vel saltem interpositione alicujus voculæ adversativæ, ceu manifesti novæ orationis c) indicis, ** alte-

* Rom. I. v. 25. & c. XI. v. 36. Gal. I. v. 5. 2. Tim. IV. v. 18. Heb. XIII. v. 21.

** Rom. XVI. v. 27. Philip. IV. v. 20. 1. Tim. I. v. 17.

a) Hæc ipsa vero limitatio (perinde uti 1. Joh. V. oppositio *ad testes in terra tres* testes alios in cœlo memoratos esse subindicat,) de alia adhuc natura Christi, quam qua caro est, agere velle Apostolum, simul prodit, & sicuti δοξολογίαν commentitiam ad Patrem h. l. abesse docet, ita de natura divina, non officio Christi, sermonem esse condocefacit. Tantum vero abest, ut obstet, quod κατὰ σάρκα p. p. etiam Judæos sibi cognatos esse Paullus subjicit, atque Abrahamo quoque Rom. IV. 1. eadem formula applicata est, ut potius argumenti hujus virtutem hæc probent firmius: quoniam in cæteris etiam locis hæc ipsa limitatio διακριτικὴ ad alium quendam respectum, σαρκὶ oppositum aut ab ea saltim diversum, Lectorem remittit, & uti l. c. spiritualem regenerationem spectat, ita in hac de Christo oratione expresse naturam naturæ ejusdem Servatoris O. M., humanam puta divinæ, ad dignitatem populi Dei hinc quoque amplificandam & conversionem ejus tanto magis promovendam opponit.

b) Neque codicibus igitur, præsertim vetustis & bonæ notæ suffragantibus; cujusmodi ne unicus quidem adhuc produci potuit: neque etiam ipso orationis contextu talem interpunctionem, ob metuendum alioquin absurdum consequens, efflagitante, mutationem inferre verbis bene jam cohærentibus Socinianos velle pessimæ & desperatæ caussæ præbet indicium. Quare, cum nec *Milliana* etiam aut *Küsteriana* adhuc auctior editiones, ubi lectiones vel ad nauseam & probrum N. T. Librorum undique, non collectæ solum, sed corrasæ etiam reperiuntur, nihil hujusmodi exhibeant, quod momenti aliquid afferat; tanto magis irritus, iste suspectusque elabendi conatus Criticus & ingeniosa vis divinæ a *Socinianis* illata Scripturæ, elucet. Quæ enim de nomine θεὸς alicubi omisso illic annotata leguntur, magna ex parte citationes liberiores sunt, cujusmodi multas pro variis Lectionibus male venditavit *Millius*, partim etiam perexiguæ auctoritatis codd. aut versionibus nituntur.

c) Aut *incidentis* certe, ut Logici appellant, *propositionis*: cujusmodi exemplum

alteram univerſæ ſcripturæ, quæ ſimplex nomen *benedictus*, quando idem ſignificare debet, quod, *benedictus ſit*, (quemadmodum neceſſe foret, ſi verba, *ille exiſtens Deus ſuper omnia benedictus*, a prioribus ſejungi deberent) nuſpiam ſolet poſtponere ei, ad quem refertur, ſed ſemper anteponere, cum tamen hic non iſtud ſed illud fuerit factum.

Sed & fruſtra ſunt alii, qui pro ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς legunt ὢν ὁ ἐπὶ πάντων θεός. Nititur enim lectio iſthæc meris conjecturis, nec poſſunt ejus auctores ullum pro ſe adferre exemplar; immo reſpuit eam vocula καὶ verbis ἐξ ὢν ὁ χριςὸς præmiſſa, quæ non patitur aliam adhuc Gentis Judaicæ prærogativam tribus jam allatis, quarum ipſa, ut quivis ex filo orationis deprehendit, quaſi terminum ponit, ſuperaddi: niſi velimus eam vel prorſus omittere, vel loco ſuo movere, & verbis noviter lectis præponere, vel toties repetere, quoties ὢν iſtud repetitum eſſe putamus. a) Quorum unumquodque, quia non levem textui mutationem infert, adeoque ſuſpicione & periculo non caret, merito lectionem iſtam autoribus ſuis relinquimus, ac ut ſcriptum reperimus, ita credimus, Chriſtum, quantum ad carnem adtinet ex Judæis oriundum, eſſe Deum exiſtentem ſuper omnia, h. e.

 altis-

illud eſt, quod omnium luculentiſſimum & huic noſtro ex aſſe conſentaneum, ſed inter reliqua h. l. omiſſum 2. Cor. XI. 31. habetur, *eademque verborum, articuli* item & *participii conſtructione*, non alium, quam ſummum Deum ipſumque Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec δοξολογικῶς, ſed *affirmate*, & congruenter ad Judæorum הקבה deſignat. Quæ vis veritatis tam perſpicue enunciatæ tanta etiam fuit, ut & *Socinus* anteſignanus ſodalium contra *Wujekum verba hæc ad Chriſtum referenda eſſe facile conceſſerit*, & *Smalcius, de Divin. Chriſti* c. XII. *juſte hoc Domino Jeſu Chriſto competere, quod eum Paullus appellavit* De*um benedictum in ſecula, ſcripſerit.* Vt *Catech ſmum* ipſum *Racovienſem*, & *Verſionem N. T.* Socinianorum nihil prorſus heic, niſi in vocabulo *alle* tricantem, atque *Enjedinianam* iſtam interpunctionem, audaciſſimam negligentem omittamus. Quando enim inutiliter τὸ ἐπὶ πάντων maſculino genere redditur, partim nihil hinc pro *factitia divinitate* efficitur, partim etiam vel ſolo loco æquali Eph. IV. 6., ubi eadem ῥῆσις de Patre uſurpata eſt, effugium malæ cauſſæ forte hinc quæſitum retunditur, aut potius obſtruitur.

a) *Neque* etiam *ſingularis* illa fuiſſet *Judæorum*, ut priores, *prærogativa*; quippe quod cum omnibus gentibus, quarum ſane Deus eſt creatorque & conſervator optimum Maximum Numen cunctarum, commune eſſet. *Gratiæ* enim *peculiaris* promiſſionem *aliter* effert Sp. S., neque, ubi illud fit, hujusmodi epitheta v. g. *benedictus* &c. addit. Quanquam etiam *gratia ad* deploratam illam Judæorum *malitiam*, in qua delineanda occupatus eſt Apoſtolus, perinde uti δοξολογία *minime quadret.* Tantum abeſt, ut tranſpoſitio illa, quicquid etiam ſit de accentuum inſcriptione, *uncialibus litteris* vetuſtioribus uſitatis non conveniente, locum habere poſſit.

altiſſimum illum & benedictum in ſecula, atque ſic VERUM illum & UNUM DEUM, quandoquidem ſcriptura ſemper & univerſe hunc ipſum DEUM intelligit, quoties DEI ſive altiſſimi ſive benedicti meminit: id quod adeo verum eſt, ut eumdem indigitet eadem ſimplici *illius altisſimi*,* *& illius benedicti*** appellatione.

Porro ſi proprium Eliæ ſecundi munus ſive officium eſt, proxime & immediate anteire Meſſiam, ut certe eſſe ſcripturæ novi Fœderis aliquoties *** teſtantur, hinc quoque fidei noſtræ validum habebimus firmamentum. Admodum namque perſpicua ſunt verba Angeli (quorum ſenſum literalem & proprium cur linquamus non videmus, cur vero retineamus cauſſam habemus) de hoc officio Zachariam hunc in modum inſtituentis: **** *Et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum* a) *ſuum. Et ipſe præcedet ante eum in Spiritu & virtute Eliæ.* Apparet enim hinc manifeſte, eum, quem Baptiſta præceſſurus erat, eſſe Dominum Deum filiorum Iſrael. Non eſſe autem more Hebræis uſitato, Relativum, ut in ſcholis loquuntur, poſitum pro antecedente, docet optimus horum verborum interpres Zacharias, qui quod ab Angelo didicerat ita reddit: *Et tu puer*, inquit, ***** *Propheta illius altisſimi* b) *vocaberis.* Qui ſic vero? *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Ecce quis ille, ante quem Angelus Zachariæ filium præceſſurum dixerat; *ille altisſimus; ille Dominus, cujus vias erat paraturus.* Vnde jam etiam conſtat de præcedendi modo, quod is non ſit, qui per ſe ad vitæ pietatem pertineat,

* Luc. I. v. 35. & alibi. ** Marc. XIV. v. 61.

*** Matth. XI. v. 10. Marc. I. v. 1. Luc. III. v. 2. 4. Joh. I. v. 7. 15. 27.

**** Luc. I. v. 16. 17. ***** v. 76.

a) Quis igitur ſit *Dominus* ille, addito nomine *Dei*, explanatur dilucidius, & p. p., quo ſenſu idem *Deus* dicatur, perſpicue explicabitur.

b) Hæc ipſa *Altiſſimi* vox, uti nomen *Dei* addendum ſubaudire jubet, ita quoque omnem ſubordinationem excludit, & vel ſola *Socini* effugia cuncta omnino obſtruit; ea præſertim, quæ ex uſu Gr. vocis κύριος, cum articulo aut ſine eo, vel verum & æternum Deum, vel Chriſtum, Deum etiam factum, in N. T. denotantis comminiſci voluit. Quamvis enim neque ille, quem finxit, uſus hujus nominis perpetuus ſit: quippe cui aſſerto Luc. XX. 42. & 44. refragari videas; hæc ipſa tamen *Altisſimi* nomenclatura, præſertim ſi cum particula *cauſſali* (γάρ) proxime ſequenti eam compares, manifeſtiſſime omnium indicat, non ob aliam cauſſam *ſummi Dei Prophetam*, ſed peculiari modo, & ſecus quam Prophetæ cæteri, atque adeo non ſine ſingulari quadam prærogativa, dictum eſſe *Johannem Baptiſtam: ideo nimirum*, quia Chriſtum illum, tanquam Lucifer Solem, & anteivit, & jam præſentem voce pariter alta atque digitis coram demonſtravit. Plura, ubi *Smalcio* quædam obloquuto reſpondebimus, paullo poſt annotaturi ſumus.

tineat, qualis eſt, quo Abrahamus jubetur ambulare coram Domino, * ſed qui proprie & primo ad munus publicum, quo impletum eſt illud Eſaiæ**: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, rectas facite ſemitas ejus*, & quæ ibi ſequuntur. Innuit eumdem quoque modum Malachiæ vaticinium, ⁎*⁎ ad quod Angelus in ſuis verbis reſpexit: *En ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & ipſe convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres*, & aliud: ⁎**⁎ *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum* (vel potius, ut vox Hebræa Hechal admittit, & textus cohærentia requirit,) *ad Regium palatium ſuum Dominator ille quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis.* Vbi, qui Dominatorem illum ab Angelo teſtamenti diverſum eſſe contendunt, næ illi nec impiorum quæſitum, nec DEI reſponſum, nec Meſſiæ munus regium ſatis videntur adtendere. Raſponſum, proinde eſto, ex allatis Angeli verbis evidenter haberi, Chriſtum Redemptorem noſtrum eſſe Dominum DEUM Iſraelis, hoc eſt, Verum illum & Vnum Deum.

Quem ſe eſſe non obſcure innuit ipſe, quando ſe fuiſſe antequam Abraham fieret, eſſet aut naſceretur, non nude affirmavit, ſed aſſeveratione gemina confirmavit, cum Judæi tempus durationis ſive exiſtentiæ ipſius reſtringerent ad annos nativitatis. Inquiunt enim illi ⁎*⁎* *Tu nondum quinquaginta annos habes, & vidiſti Abraham:* ſed audiunt mox reſponſum ⁎*⁎*⁎*⁎ Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμὶ: quod κατὰ πόδα redditum ſic habet: *Amen amen dico vobis, ante Abraham fieri, eſſe, naſci*, (nihil enim refert ſive hoc, ſive iſto, ſive illo modo græcum verbum vertas) *ego ſum*; ſimpliciſſime autem, proprie, & objecto a) judæorum convenienter, ceu par eſt, (niſi quid

* Gen. XVII. v. 1. ** Cap. XL. v. 3. ⁎*⁎ Cap. IV. v. 6. 7. ⁎**⁎ Cap. III. v. 1.
⁎*⁎* Joh. VIII. v. 57. ⁎*⁎*⁎*⁎ v. 58.

a) Objectioni, inquam, ſeu *difficultati objectæ* congruenter. Cui, ſi *de futuro tempore* reſpondiſſet Chriſtus, &, ſe præſentem jam eſſe, antequam *Abrahami* nominis illius tam illuſtris per acceſſionem ad Eccl. variarum gentium arcana ſignificatio pateſieret, profeſſus eſſet *partim* de cæpis ante loquutis ipſe de alliis quædam repoſuiſſet, (aliter namque, quando *indirecte* interdum reſpondet, rationes diſputandi comparatæ ſunt) *partim* non tam manus ad lapides tollendos, quam riſum & cachinnum moviſſet: qui de ipſius coram exiſtentis præſentia vel non dubitabant, vel, ſi ad *lucis mundi* titulum longe remotiſſimo loco commemoratum antea hæc reſpicere putes, cum *Abrahamo* tamen eum apte cohærere, utcunque τὸ γενέσθαι accipias, vix intelligere poterant. Vt *Abrahami* nomen pro perſona perpetuo in Scr. S. eſſe

quid obstet) acceptum, alium, quam dixi, sensum gignere nequit, hunc inquam: Vere atque iterum vere vobis affirmo, me esse, ante, ut ita dicam, fientiam, existentiam vel nativitatem a) Abraham; quod idem revera exprimit vulgata versio: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Mirum autem est, hanc versionem, huncque sensum verborum Christi, cui omnes tum veteres tum recentiores interpretes favent, ab illis, qui non ignorant, libros N. Fœderis suum & peculiarem habere idiotismum, qui rancida Grammaticorum præcepta non usque quaque observat, immo quandoque ejusmodi loquendi modos admittit, qui viris Græcismo puro assuetis non injuria videantur σωλοικίζειν aut βαρβαρίζειν, rejici, ob solam illam regulam Grammaticam, qua aoristi infiniti certam temporis definitionem accipere traduntur a verbis, quibus cum junguntur: cum nec constet, utrum ea perpetuo obtineat apud eos, qui quam purissime Græce sunt locuti; nec desint etiam in ipso codice sacro exempla, quæ habent contrarium. Ne longe abeamus, videamus illud ipsum, quod alias ipsi pro se adducunt: * ταῦτα νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι. Est namque horum verborum communis & ab omnibus interpretibus probata versio: *Hæc nunc dixi vobis antequam fiant.* Qui vero fit, quod aoristus infinitus γενέσθαι cum præterito εἴρηκα junctus præsentis temporis significationem accipit? An quia sequitur, verbum πιστεύσητε, quod præsens notat respiciens in futurum? Atqui nihil aoristo huic rei est cum verbo isto, sed absolvit ille comma suum cum proprio suo verbo εἴρηκα, & non nisi ex eventu cum sequente ad unam integram periodum constituendam concurrit. Dico ex eventu, maneret siquidem vis & versio verborum istorum eadem, si maxime quæ sequuntur (ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε) vel prorsus abessent, vel hoc modo posita essent πιστεύσετε ὅταν ταῦτα γένηται· εἴρηκα γὰρ ὑμῖν πρὶν γενέσθαι. Limitationem igitur omnino admittit regula ista, quam do hanc; *Si,* scilicet, *res & materia subjecta patiatur,* eamque probo alio adhuc exemplo valde manifesto, quod est apud LXX, vel quicunque alii fuerunt Hebræorum

Biblio-

* Joh. XIV. v. 29.

usurpatum, nusquam vero rem seu eventum isthoc nomine denotatum, si absolute ponatur, taceamus. Quod forte etiam, si ad mysticum significatum respexisset Christus, ut fieri alioquin solet, denuo repetisset.

a) Ita sane vocabulum γενέσθαι reddendum est, ut nativitatem *personarum* signet, prout ex usu Græcæ linguæ Cl. *Raphelius*, & *Xenophonte* nominatim atque *Arriano*, in quorum altero etiam cum πρὶν pari modo & sensu constructum legitur, in *Annott. Philolog. ad N. T.* præstantissimis observavit; quem consulere non pœnitebit.

Bibliorum interpretes: * πρὸ τȣ̃ ὄρη γεννηθῆναι καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν, καὶ τὴν οἰκȣμένην καὶ ἀπὸ τȣ̃ αἰῶνος, καὶ ἕως τȣ̃ αἰῶνος, σὺ εἶ θεός. Exprimitur enim hic perpetuitas sive beneficentiæ sive existentiæ DEI verbis, σὺ εἶ θεὸς, verbo substantivo, quod vocant, in præsenti posito, nec negari tamen potest, aoristos γεννηθῆναι & πλασθῆναι præteriti significationem, quam a re seu materia subjecta accipiunt, retinere. Perpetuitatem autem existentiæ suæ Salvatorem indicasse, quando dixit: *Ante Abraham fieri ego sum*, quid quæso erit absurdi, cum & scopi ratio id ferat, immo requirat, nec quidquam aliud sensum verborum proprium & simplicem, cuivis primo statim intuitu sese ingerentem, relinquere, & ad periculosam tropodædalian, a) quæ multiplex ex Socinianorum versione & interpretatione existit, confugere cogat?

At dicet aliquis Arii b) sectator: Quid tum? fuerit sane Christus ante Abrahamum! num mox inde fiet, quod vis? Immo vero, inquam ego, si unum hoc monuero: nec ex veteri nec ex novo instrumento ullum adferri posse locum, qui Christum secundum id, quod fuit ante Abrahamum, factum aut creatum vel diserte doceat, vel obscure saltem innuat, quod tamen de omnibus creaturis, ne Angelis quidem exceptis, fieri posse constat. c) Nec id adeo mirum. Ostensum enim fuit

Yyy yy supra

* Psal. XC. v. 2.

a) Recte hinc & candide idem, quem supra laudavimus, l. c. *Limborchius explicationem istam Socini utriusque, (Faustus enim patrueli suo Lælio acceptam refert) admodum contortam & violentam vocat, eamque hoc solum nomine merito suspectam esse* ait, multisque id rationibus solidissimis evincit ac demonstrat. Nobis, *acicularum aciem superantem* hanc *explicationem*, semper visum est, inter eas referendam, quæ, cum ingenium auctoris non stupidum sane prodant, ipsa tamen subtilitate sua, *Senecæ* illud: *Nihil acutius arista!* illustrare queant. Vnde etiam assensum vix aliis extorquebit, quam, qui, cum veritatis vinculis constricti sunt, liberos se adhuc esse, bonamque caussam nihilominus tueri, vel ipsis etiam *ingeniosis ineptiis*, simulare conentur.

b) Contra *Socini* enim cohortem hactenus, *Jesum Christum*, antequam Abraham *nasceretur*, jam extitisse, satis fuerat, ex l. c. demonstrasse: quippe cum quo eum in illa disputatione comparaverant hostes, atque, nudius tertius cœpisse, qui tamen *Abrahamum* se conspexisse jactitet, indignabundi objecerant, petulanterque id ipsum, tanquam grandem mendacemque insolentiam exprobratam justo zelotarum ardore, impetuque in ipsum facto, manibus etiam ut coercerent, per conscientiam sibi incumbere existimabant.

c) Quam etiam ob rem Theologi prudentes, non tam copiæ, quam *robori* argumentorum confisi, *tutius a qualicunque illa ad Christum τȣ̃ Dicere* illius divini, in Creatione hujus universi ejusque historia descripta, a Mose adhibiti *applicatione* (nisi forte illustrationis gratia id fiat) abstinere jubent. Quoniam jam *ante hunc mundum* ab omni æternitate τὸν λόγον genitum esse testetur Scriptura, & contra hinc perfacile sub ipsa creationis initia eum *dicendo* demum esse ortum *Arianus* aliquis,

supra, τὸν λόγον h.e. Filium illum unigenitum, qui in ſinu Patris eſt, & Deum inviſibilem enarravit nobis, in principio creationis omnium rerum fuiſſe, & ſic quidem fuiſſe, ut per ipſum ſimpliciter & abſolute omnia & univerſa fuerint facta. Ex quo non poteſt non ſequi, Verbum illud vel per ſeipſum eſſe factum, vel ſi hoc abſurdum, prorſus non eſſe factum, atque ſic primum eſſe omnium rerum Creatorem.

Quod ipſum quantum roboris ad fidem noſtram ſtabiliendam & muniendam ego habere credam, facerem ſane ut intelligeretis, Auditores, niſi me hactenus allatis, a) in quibus me diutius quam ſperabam, detinui, ſatis conſecutum eſſe arbitrarer, quod intendebam, ut videlicet notum facerem, me re altius conſiderata, periculoſis Photinianæ ſectæ placitis & erroribus relictis, meliora monentibus ceſſiſſe, & in veritatis tramitem rediiſſe. Pedem itaque hic figo, & hanc diſſertationem non meis, ſed diſcipuli illius dilecti verbis* concludo: *Scimus quod Filius Dei venit & dedit nobis mentem, ut cognoſcamus illum qui verus eſt, & ſimus in illo vero, in filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt* ILLE VERUS DEUS, *& vita æterna.*

Tibi vero JEHOVAH DEUS *meus confitebor in toto corde, in cœtu rectorum & congregatione. Te celebrabo in populis, & canam tibi in gentibus. Quoniam magna eſt miſericordia tua usque ad cœlos, & usque ad nubes veritas tua. Circumdederunt me dolores mortis, & anguſtiæ inferni invenerunt me. Intraverunt aquæ usque ad animam meam, & undæ obruerunt me. Dilataverunt adverſus me os ſuum divites, & cantiones fui qui bibebant ſechar. Factus fui in contradictionem vicinis meis, & fra-*

* 1. Joh. V. v. 20.

aut hujus ſimilis divinitatis æternæ Chriſti hoſtis, inde fingere poſſit. Vt omittam, ipſam verbi hujus notionem, ex effectu conſequente planiſſime elucentem, non de λόγῳ interno, omniumque minime ὑποςατικῷ, ſed *mandato & juſſu* agere, quo revera *creaturæ* ſunt productæ. Quæ ex Pſalmo etiam XXXIII. 6. coll. 9. & CXLVIII. 5. ſq. lucuientius demonſtrari poſſent, id ſi nunc ageremus. Quantumvis vero ex hoc loco filii Dei, jam tunc cum mundus conderetur, exiſtentis, & ante hunc orbem *non creati, ſed geniti* a Patre, æternitas divinitasque non probatur; aliunde tamen eam ſolidiſſime evinci, & a Sp. S. traditam eſſe, ſufficit: eaque de cauſſa hoc imbecilli ariete facile carere poſſumus.

a) Hæ procul etiam dubio ſunt rationes illæ, quibus *a ſe ipſo*, divina adſpirante gratia, *deprehenſis*, ſe convictum eſſe de veritate, & ad *Sociniſmum* deſerendum penitus adductum, mentem mutaſſe ſupra teſtatus erat *Vogelius*. Conf. Cap. III. Sect. II. Paucarum enim ex harum numero inter diſputandum cum ipſo, ſed aliarum fere, non minus tamen firmarum, aut facta omnino erat mentio, aut plenior certe harum, quam illarum, quæ in Oratione hac urgentur, inſtituta eſt diſcuſſio.

fratribus meis in proverbium. Et dixi quidem in corde meo: Non confundar, quoniam propter te Domine sustinui opprobrium, propter te operuit confusio faciem meam: Sed tu JEHOVAH *novisti insipientiam meam, & delicta mea a te non fuerunt abscondita. Quia caligo obtexit faciem meam, & tenebræ & lubricitates factæ sunt viæ meæ; satiata fuit malis anima mea, & vita mea ad sepulchrum pervenit. Reputatus sum cum descendentibus in foveam, factus sum vir cui non est fortitudo. Lectum doloris mei liquefeci lacrymis meis, elanguit oculus meus præ afflictione. At quam bonum mihi,* JEHOVAH, *quod afflixisti me, ut discerem statuta tua. Dixi enim: Quid gloriaris, o potens in malitia. Confitere adversum te prævaricationes tuas, & iniquitatem tuam ne cela. Clamavi ad* JEHOVAM, *si forte responderet mihi, & remitteret impietatem peccati mei. Vere miserator & clemens* JEHOVAH, *longus ira & multus misericordia. Condonavit mihi omnes iniquitates meas, & infirmitates meas sanavit. Revocavit ab inferis animam meam, & de profundis aquarum eripuit me. Misit Spiritum suum & creavit me, locutus est ad cor meum, & vivificavit me. Revelavit oculos meos & deduxit me in viam rectam. Direxit gressus meos secundum eloquium suum, & sapientiam in occulto scire me fecit. Lucere fecit mecum vultum suum, & mirabilia de lege ejus aspexi.* JEHOVAH, *lux tua & veritas tua ipsa me deduxerunt & adduxerunt ad montem sanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua. Quam amabilia tabernacula tua* JEHOVAH *exercituum, concupiscit & etiam deficit anima mea ad atria* JEHOVÆ. *Beati habitatores domus tuæ. Liberator meus aspice* DEUS, *& respice faciem servi tui. Misericordiam & veritatem diligis. Dabis ergo gratiam & gloriam servo tuo, ut veniat & appareat coram vultu tuo, & habitet in domo tua in longitudinem dierum. Tribue servo tuo, ut vivat & custodiat verbum tuum; ut ambulet perfecte, & quærat te; & custodiat legem tuam semper in seculum seculi. Robora o* DEUS *quod operatus es mihi, & adjiciam super omnem laudem tuam. Os meum annunciabit omnem justitiam tuam, & dicet semper: Benedictus* JEHOVAH *ex Sion, qui habitat in Jerusalem. Hallelu-jah.*

Proximum a DEO in gratiis agendis locum, jure meritissimo tribuo incluto & Nobilissimo Senatui Noribergensi, Magistratui meo benignissimo; in primis vero Magnificis, Amplissimis & Prudentissimis Rei literariæ curatoribus, splendidissimis & gravissimis Senatoribus, Dominis Patronis & Mecœnatibus meis beneficentissimis, quorum liberalitati, benignitati & humanitati totum id, quod sum, me debere profiteor. Etenim illi sunt, qui non solum ab aliquot

retro annis me liberaliſſime aluerunt, ſtipendio honeſto, a) tum in hac, tum in aliis Academiis foverunt, nec quicquam, ad ſtudiorum meorum curſum, ipſorummet quoque felicibus auſpiciis cœptum, promovendum, reliquum fecerunt: verum etiam, cum me præter ſpem & expectationem, enormiter admodum a via regia exorbitantem, & denſis noxiorum errorum tenebris, partim propria, partim aliena culpa, immerſum comprehendiſſent, hoc benignitati & humanitati ſuæ dederunt, ut omni ſtudio, labore atque cura, poſthabitis multis aliis non minus gravibus negotiis publicis, factis etiam impenſis ſane non parvis, b) hoc agerent, ne in tenebris & erroribus relinquerer, ſed ex illis retractus in viam reducerer, & lucido Veritatis Soli reſtituerer. Etſi vero ab heri & nudius tertius, ut habet Moyſis ad DEUM oratio * non ſum vir verborum, ſed gravis lingua & gravis ore, nec proinde huic in me merito, quo vix ullum poteſt eſſe majus, ſatis deprædicando ſufficio: macte tamen animi vos eſſe jubeo, Viri Magnifici & Ampliſſimi, inſigni iſta veſtroque ordini, hoc eſt, Magiſtratui vere Chriſtiano convenientiſſima prudentia, qua, ut multis aliis præclaris animi dotibus, vos præditos eſſe, in hoc religionis & conſcientiæ negotio, oſtendiſtis, dum ſeveritatem iſtam & gravioris animadverſionis ſpeciem, c) quam initio ad teſtan-

* Exod. IV. v. 10.

a) Hæc ergo ut proxima etiam hoc loco nominatur cauſſa, propter quam ad rationem, pro beneficiis, perfide, in oppugnandam Eccleſiam puriorem Evangelicam, quæ ornandæ cauſſa data erant, converſis, reddendam juſta cum indignatione & ſeveritate domum retractus ſit: quam toties ſupra inculcavimus calumniatoribus, & neſcio quid immoderati rigoris, immo ſævitiam quandam, cujusmodi ne in noſtra quidem Eccleſia deſunt, aut olim certe deerant cavillationes, ſomniantibus, atque etiamnum inculcamus notandam.

b) De ſumtibus ingentibus, quos iter ex utraque *Saxonum Elect. & Principum Academia* longinquum requirebat, factis, nihil h. l. repetimus. Suſtentatione vero in cuſtodia honeſta, publicis impenſis, dum in ea detinerentur, continuata, aliisque, ut fieri ſolet, erogationibus, iisdemque non alium in finem, quam ut corruptæ mentis deceptisque juvenibus conſuleretur, profuſis, eos haud parum auctos eſſe, atque hinc quoque benefactorum in ſe collatorum magnitudinem non ſine gravi cauſſa laudabiliter oratorem noſtrum deprædicaſſe, brevisſimis monemus: ne quis inter blandimenta hæc temere referat.

c) Ita profecto eſt: *Speciem* namque ſeveritatis potius, quam graviorem animadverſionem fuiſſe, quicquid in hos apoſtatas ingratosque *cives* ſtatutum eſt, neque aliam, adoleſcentes hoſce *protervos*, præſertim *Peuſchelium*, in litteris reſponſionis ſuæ *Jena Noribergam* perſcriptis, ut ſupra vidimus, ferocientem propemodum, vel coercendi, vel ad rationem reddendam ex peregrinis terris adducendi, rationem iniri potuiſſe, ipſa res, ἄνευ παθῶν conſiderata, condocet, & eventus exoptatus indulgentiſſimusque comprobat. Id-

teſtandum pium veſtrum zelum, & juſtam animorum concitationem, non ſine multorum admiratione, præ vobis ferebatis, tanta lenitate, manſvetudine & comitate temperaſtis, ut non quod mea meique ſimilium culpa merebat & juris legumque a) rigor jubebat: ſed quod moderata æquitas, & Chriſti diſcipulis digna charitas b) monebat, in nos ſtatueritis: non durius nos tractantes, ſed ad erroris agnitionem & confeſſionem, eo, qui Chriſtianos decet, modo c) perducentes; ſacrarum literarum, inquam, fundamentis, & rationum exinde deductarum momentis: non flagrorum, equuleorum, gladiorum, rogorum, aliarumque id genus excarnificationum minis aut terriculamentis, nedum tormentis, ut non nemo πολυπράγμων (qui ſatis habuiſſet quod domi egiſſet, ſi bonas illas horas, quibus caſeum ſuum ollarem ex variis variarum injuriarum, calumniarum & contumeliarum aſis fœtidis confecit, idololatrias, ſuperſtitionum aliarumque humanarum traditionum fermento, quo ſalutarem illum panem e cœlo, hoc eſt, doctrinam Chriſti apud ſuos nimium quam corruptum eſſe, tantus Doctor animadvertere poterat, immo debebat, expurgando impendiſſet.) præcipuum quendam patriæ noſtræ Eccleſiaſten, d) in medium conſulentem aperte, Vos vero conſentientes tacite, inſigni cum impudentia & falſitate, in Satyrico ſuo ſcripto introducit; vel, quod hanc Prudentiæ hujus laudem Vobis invideret, vel, quod veriſimilius videtur, male ipſum haberet, nullam ſibi dari anſam, quam ad ſuæ Romane Catholicæ Eccleſiæ, eum & non alium, quem ipſe accerſi jubet, controverſiarum Theologicarum Diribitorem conſtituentis, tyran-

que tanto æquius fuiſſe decretum, vel inde evidentius redditur, quod ad rationem fidei ſuæ edendam, uti par fuerat, piumque, nunquam ſponte & ultro ſe, accuſati jamjam, obtulerant.

a) *Civilium* puta, atque communium, quarum ſeveriora in homines hujusmodi ſtatuta & nota ſunt, & alibi jam producta in ſcenam.

b) Quæ, uti æquitatem juri rigido præfert, ita doceri potius, quam puniri errantes, at in eos demum, qui cum errore etiam alia vitia, ſeditionem & manifeſtas blaſphemias conjungunt, pœna quoque digna jubet animadverti gravius.

c) *Doctrina* videlicet καὶ νουθεσίᾳ, non coactione καὶ βιασμῷ. Neque enim *vinciendo*, ſed *convincendo* agnoſcitur veritas, quæ, aut confeſſio potius ejusdem, *edenda* eſt, & *ediſſerenda* ex animo, non *extorquenda*. Solus heic ille ἀναγκασμὸς Luc. XIV. 19. a Chriſto commendatus valet, qui alibi σύγχυσις per συμβιβασμὸν Act. IX. 22. & φίμωσις ἐν δυνάμει τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ καὶ τῆς γραφῆς Matth. XXII. 34. audit. Hæc vis *Deo grata* ἐν ἀποδείξει δυνάμεως καὶ πνεύματος ad ſinceram profeſſionem fidei, non ſimulationem opinionis, efficax, ipſisque etiam *victis ſalutaris* eſt.

d) Mitiſſimum nempe moderatiſſimumque *Schrœderum*. Vid. *Caſ. Ollaris* p. 6. ſqq.

nidem & crudelitatem palliandam a) arriperet. JESUS *Christus Rex Regum & Dominus Dominantium, qui spiritu suo consilia vestra rexit, instituta direxit, & ad divini nominis gloriam, Veritatis propagationem & Ecclesiæ commodum flexit, spiritum illum non auferat a Vobis sed corda Vestra in bono stabiliat, Legem suam vos doceat, & justitiam suam ante vos ambulare faciat. Vt judicium Domini judicetis, & pauperem & egenum justificetis, ut manus Domini sit Vobiscum, & brachium ejus roboret Vos, ut sint vectes portarum Vestrarum firmi, & DEVS ipse habitet in medio civitatis Vestræ, ut pax sit in antemurali Vestro, & prosperitas in palatiis Vestris, ut misericordia & pax sibi obvient, & justitia & pax se mutuo osculentur, ut populus vester sciat jubilationem, & ambulet in lumine vultus Domini, ut salus Domini vobis sit propinqua, & gloria ejus habitet in terra vestra, ut inebrientur pinguedine domus vestræ, & de torrente deliciarum vobis potum præbeat Dominus, ut faciat Vobiscum signum in bonum, & videant & pudore afficiantur inimici vestri, ut sustentet vos, & quietos præstet a die mala, donec reddat vobis retributionem justam & sors vestra sit in seculum.*

Sed & gratias, quas mens mea potest concipere, maximas ago & habeo Reverendis, Clarissimis, Excellentissimis, & Doctissimis Dominis Theologis, ut & aliis quibusdam spectatæ eruditionis & humanitatis Viris, qui tam in his quam in aliis locis vel ultro, vel jussi, rogati aut vocati in me errante sive revocando industrii, sive persuadendo seduli, sive informando prompti, sive convincendo dextri, sive denique alio quocunque modo juvando laboriosi b) fuerunt. Quorum omnium & singulorum singularem industriam, sedulitatem, promptitudinem, dexteritatem atque fidelitatem merito apud Vos Auditores omnium ordinum dignissimos (quibus & ipsis, pro insigni benevolentia & attentione mihi hactenus commodata, me plurimum debere agnosco) multis verbis laudare & commendare anniterer, nisi plerosque eorum, immo omnes eo scirem esse ingenio, ut libentius grati animi significationi sint acquieturi, quam affectatam laudum suarum decantationem audituri.

Rependat Dominus operi ipsorum, & merces eorum fiat solida a Domino DEO Israelis. Det ipsis Dominus petitiones cordis eorum, & os eorum suavitate impleat. Misericordia & veritas cum eis sit, & in nomine Domi- ni

a) Caussas cæteras & prorsus *singulares* supra jam adduximus, quas huic *generali* non prorsus negligendæ quidem, sed præcipuum momentum haud continenti, adjungendas adhuc censemus.

b) Cujusmodi & *amanuenses* fuere, qui, quæ disputata fuerant, in commentarios retulere, identidem, si opus esse videretur, prælegendos. Vt alios omittamus.

ni exaltetur cornu eorum. Custodiant labia ipsorum scientiam, & eloquia Domini in corde eorum reponantur. Custodiat ipsos Dominus, & totum stratum eorum commutet in infirmitate eorum. Longitudine dierum saturet eos & recuperet juventam eorum sicut aquilæ. Scribantur cum justis, & e libro vitæ non deleantur. Accipiant benedictionem a Domino, & videant bona Domini in terra viventium.

DIXI.

ORATIO
JOACHIMI PEUSCHELII,
DE SANCTISSIMA D. N. J. CHRISTI SATISFACTIONE.

QVid mihi humani evenerit, hoc est, quomodo mira quorumdam arte & calliditate a) circumventus, in graviorum errorum præcipitia delapsus fuerim, nec quenquam vestrum latere arbitror, nec ego inficias ire volo: dicturus potius cum Regio illo Psalte: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hoc tamen de me profiteri possum, nunquam mihi animum fuisse, quadam ab aliis dissentiendi libidine vel a veritatis tramite discedere, vel opiniones meas a recepta Ecclesiarum Evangelicarum doctrina discrepantes pertinaciter defensare, vel etiam alios, qui mecum non facerent, superbe contemnere: Sed superstitioso quodam zelo, b) & nimis præcoci veritatis inquirendæ c) studio semper hoc egisse, ut ea sequerer, quæ sacris literis & rationi ex his collustratæ atque edoctæ videbantur quam maxime consentanea. Vnde illud per se consecutum est, ut semper paratus essem, aliis, qui errorem aliquem ex DEI verbo commonstrarent, cedere, & ad eos, a quibus antea seorsum abieram, lubenter redire.

a) Vafritiem itaque Sophistarum, quibus in transversum abreptus erat, *Peuschelius* fatetur, quem multo aliter sensisse antehac, vel litteræ ad Illustres *Acad. Altorp. Curatores* datæ edocent: quæ nil nisi protervi-am & suspiciones de calumniis delationibusque spirabant, cunctaque *deliberato consilio* suscepta esse pronunciabant.

b) Hæc facile crediderim vere & ex animo dicta: quoniam tota, quam supra apertam vidimus, scena corruptissimos Eccl. purioris mores pro doctrinæ ad meliores inde formandos inflectenda forma obtentui sumtos esse, & a nobis jam Cap. I. observatum est, & scripta quoque *Socinianorum* pæne omnium confirmant.

c) Ad *rationis* amussim revocandæ ac *reformandæ* studium nuncupare præcocem illum impetum rectius debebat. *Inquirere* enim in veritatem, si genuinam sequaris regulam, nunquam prohibitum est, sed ab *Apostolo* multoties, v. g. Philipp. III, 1. Thess. V. & alibi, imperatum.

re Quod ipſum reapſe tandem præſtiti, dum relicto errorum Photinianorum choragio, eo regreſſus ſum, unde non ſine magna jactura receſſi. Cujus rei gratia placuit Magnifico, Nobiliſſimo & Ampliſſimo Magiſtratui noſtro, Dominis noſtris perpetuo obſervantiæ cultu colendiſſimis, ut retractationis & confeſſionis loco, aliquid a me de ſanctiſſima Salvatoris noſtri, pro peccatis noſtris, Satisfactione in medium proferretur; idque εὐτάκτως & perſapienter. Poſtquam enim, quid de perſona & eſſentia D. N. J. Chriſti ſentiendum nobis & credendum ſit, ex anteceſſoris mei diſſertatione percepimus, pulchro & concinno ordine officii ipſius diviniſſimi explicatio ſubſequitur. Vt enim cognitio perſonæ abſque cognitione ejus officii nihil prodeſt: ita ſi de perſona Chriſti haud probe ex ſacris literis edocti & informati ſumus, fieri vix poteſt, ne in enarrando ejus officio a veritate aberremus. Duas autem hujus meæ diſſertationis partes conſtituam, in quarum prima prædictum Salvatoris noſtri officium ex ſacrarum literarum fontibus, juxta præmonſtrata Dominorum Theologorum fundamenta, explicabo. In ſecunda parte alia quædam ſubjungam, de quibus ſuo loco. Vt vero mihi de hiſce verba facturo faciles & benevolas aures præbeatis, Vos, Auditores Magnifici, Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimi, Humaniſſimi, peramanter & officioſe rogo.

Dum igitur rem ipſam aggredimur, audiamus primo omnium præconem Angelicum, cælitus ad Joſephum in ſomnis, ut ad paſtores, in campis pecoris paſcendi & tutandi gratia pernoctantes, demiſſum, quid ille de Salvatoris noſtri officio Dei nomine ediſſeruerit: *Pariet filium*, inquit, *& vocabis nomen ejus Jeſum; is enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis ipſorum.* * Et: *Ne timete, en ego vobis ingentem nuncio lætitiam, toti populo futuram, quia natus eſt vobis hodie Servator, qui eſt Chriſtus Dominus, in oppido Davidis.* Ex his enim verbis luculenter conſtat, Jeſum Chriſtum eſſe noſtrum Salvatorem. a)

Qua

* Matth. I. v. 21. Luc. II. v. 10. 11.

a) Non male, ut arbitror, promiſcue *Servatoris* atque *Salvatoris*, de Chriſto ſoſpitatore noſtro, *Peuſchelius* uſurpat nomina. Quamvis enim non me lateat, titulum hunc ſplendidisſimum in ſacris litteris Chriſto, Deo ac Domino noſtro, proprium, a Græcis autem Latiniſque communiter maximis Reipubl. Statoribus tributum, quo Σωτὴρ dicitur, cui notabilis ex publicis malis liberatio accepta fertur, ac *proinde* prior duntaxat calamitatum depulſionem, poſterior autem novorum beneficiorum comparationem denotare videatur; non tamen negari poteſt, ipſam vocabuli Græci notionem, quam *uno verbo exprimi non poſſe*, jam pridem conqueſtus eſt *Orat. IV. in Verrem Cicero*, utrumque ſignificare, liberationem puta a damnatio-

Qua vero ratione & modo, de eo hodie ad ravim usque contenditur inter eos, qui Christianorum nomine gaudere volunt. Mihi nunc animus est, pro astruendo modo salutis per Christum partæ, qui hactenus in Ecclesiis, quas Orthodoxas appellant, fuit approbatus & propagatus, pauca quædam, sed solida tamen fundamenta ex sacris literis deprompta, in medium proferre. Is vero modus est, CHRISTUM IDEO IN HUNC MUNDUM VENISSE, UT NOSTER SERVATOR ESSET, NON DOCTRINA TANTUM, quatenus salutis æternæ viam ipse nobis annunciavit: EXEMPLO, quatenus istam viam nobis in sua ipsius persona commonstravit, & a mortuis resurgendo manifeste confirmavit, ET COMMUNICATIONE, quatenus plenissima potestate in cœlo & in terra a Patre accepta, se vitam æternam nobis daturum probavit, & reipsa tandem largiturus est, (id, quod Socinus & ejus asseclæ statuunt:) SED ETIAM SATISFACTIONE, a) qua, mediante morte & passione, peccata nostra expiarit, iram DEI placarit, nosque cum DEO ac vicissim DEUM nobiscum reconciliarit, pœnas nobis ob peccata debitas in se derivando, atque sic, juxta Psalmistam, id, quod non rapuerat, solvendo. b)

Hic igitur pes nobis figendus, & arma militiæ nostræ spiritualia divinipotentia in aciem producenda sunt. Non est autem, Auditores, quod putetis, me omnia illa hoc in loco adducturum, & copiose persecuturum, quibus alias sacratissima Servatoris nostri Satisfactio solet astrui: hoc enim ut faciam, tempus vetat, nec patitur actus hujus ratio. Tangam tamen præcipua, quorum ordinem ducat illud Esa. cap. LIII. v. 11. *Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur,*

ne & felicitatis æternæ donationem. De *Socino* autem, elegantioris latinitatis studioso, tanto minus dubitare fas est, hoc gemino significatu vocem istam eum accepisse, eumque eadem sententia asseclas quoque esse imitatos; quoniam officii Christi pars maxima, quod quidem ille cum affectatoribus suis Liberatori O. M. adscripsit, non tam in pristini status iræ, quam ex *arbitraria* Dei gratia derivat, abrogatione, quam novi *obsequii ad legem perfectiorem & exemplum illustrius* per Christum procuratione, ex ipsius mente, consistere censetur. Nobis *Propitiatoris* nomen, e significantissimo Gr. ἱλαστήριον ab *Hieronymo* ἀναλόγως formatum, omnium commodissimum semper visum est, etsi *Cicero* id, hujus quoque tanti beneficii nescius, ignorarit.

a) *Vicaria* & *plenaria*, quam expletivam nonnulli vocant, Græcaque voce ἰσόῤῥοπον appellant, ἀντὶ πάντων seu πολλῶν præstitam. Ludos enim in satisfactione, etiam per expiationem, agere *Socinianos*, quis nescit?

b) Seu, ut Hebr. vox habet, *restituendo*. Quæ qualis restitutio fuerit, honoris nempe & dignitatis tum legis, tum legislatoris potissimum *infiniti*, impie *violati*, non aliunde rectius, quam ex ipsa læsionis divinæ descriptione Rom. II. 22. 23. addisci potest.

bitur, in ſcientia ſui juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos. ET INIQUITATES EORUM IPSE BAJULABIT. Apparet enim hinc, Chriſtum Salvatorem noſtrum [de quo vaticinium hoc intelligendum eſſe, negari nulla ratione poteſt a)] peccata noſtra portaſſe non nuda ablatione (qualiter DEUS ipſe alicubi peccata ferre b) dicitur) ſed onerofa portatione.* Quam præter impoſitionem illam, qua Propheta JEHOVAM dicit *in eum feciſſe incurrere iniquitates omnium noſtrum*, etiam innuit verbum Hebræum *Sabhal*, quod ſemper ejusmodi portationem ſignificat. Quamvis enim id habeatur in v. 4. loci citati, quem in rem ſuam allegare videtur Matthæus hiſtoriæ ſuæ cap. 8. dum ait, Salvatorem omnes morbidos ſanaſſe, *ut impleretur dictum Eſaiæ: Ipſe infirmitates noſtras tulit, & dolores noſtros portavit;* nihil tamen illud inſtituto noſtro officit. Nec enim per ſanationem miraculoſam proprie Chriſtus implevit, quod dictum erat per Prophetam, ſed oſtendit, ſe eſſe eum, qui ſpirituales noſtras infirmitates ſit portaturus, ex eo, quod corporales, quarum ſcaturigo ſunt illæ, c) aufferret. Si mors, inquit Chryſoſt. hom. 8. in Matth. quæ morborum omnium fons caputque eſt, a radicibus peccati pullulavit: quid mirum eſt, ſi ægrotationes quoque multæ inde naſcantur, unde vel ipſa ægrotandi poteſtas egreſſa eſt. Niſi quis malit dicere, Chriſtum portaſſe dolores eorum, quos ſanavit, per condolentiam, qua commotus ſanavit ægrotos. Notandum vero inprimis in verbis allegatis, quod in iis habeatur reſpectus ad afflictiones ſeu paſſiones. Fit enim mentio *laboris animæ* illius, qui iniquitates multorum bajulaturus eſſe dicitur. Iſte vero labor quis fuerit patet itidem ex hoc ipſo capite, v. ſcil. 5. ubi *vulneratus* eſſe dicitur, *propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra:* unde & pictura, qua eum depingit Propheta v. 3. *deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditum vultum ejus, & deſpectum, ita ut non reputaverimus eum, immo putaverimus eum quaſi leproſum & percuſſum a* DEO. Quam ob cauſſam merito de illo pronunciat idem v. 4. *Vere langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; diſciplina pacis ſuper ipſum, & livore ejus ſanati ſumus.* Quod pronunciatum, ſi quid

* Exod. XXXII. v. 32. c. XXXIV. v. 7. Num. XIV. v. 18.

a) Meminiſti tamen procul dubio, *Peuſcheli*, quid de hoc loco, ex ſententia *Mart. Seidelii*, ad Te ipſum perſcripſerit *Ruarus* tuus, quæ in Epiſt. *Ruari* Cent. IIda f. 114. ſqq. legantur.

b) Non ferre, ſed *aufferre*, uti ſæpius *ſimplex* verbum, & Hebr. *Naſa* cumprimis creberrime, pro *compoſito* uſurpari ſolet.

c) Quarum etiam morbi illi corporis imago erant; & ſanatio contra ſpiritualis

quid aliud, vel maxime iſtum, quem dixi, reſpectum a) indicat. Certum eſt autem, *portare peccata*, quotiescunque reſpectum iſtum habet, nihil aliud eſſe, quam *pœnas peccati luere*, ut oſtendunt omnia hæc loca Levit. V. v. 1. Num. IX v. 13. & cap. XIIX. v. 1. Levit. XIX. v. 17. Thr. V. v. 7. Ezech. IV. v. 5. & cap. XV. v. 19. & cap. XVIII. v. 35.; quibus diſſimilem nemo poterit oſtendere. Quid eſt vero *pœnam peccati luere?* annon idem, quod *pro peccatis ſatisfacere?* b) ita ſane eſt. Quia enim omnis lex requirit vel obedientiam, vel pœnam, tam is legi ſatisfeciſſe dici poteſt, qui obedientiam non præſtitit quidem, at pœnam tamen inobedientiæ a lege requiſitam ſubit, quam alius quispiam, qui fecit prius, h. e. qui activa, quam vocant, obedientia, quod lex jubet, peragit. c) Atque hinc eſt, quod vigore & rigore legis divinæ omnes transgreſſores ſeu peccatores æternæ maledictioni ſubjici neceſſe eſſet, niſi mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, obedientia ſua, qua * *factus eſt patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, *multos juſtos conſtituiſſet*, id quod Phraſi ſcripturæ Propheta dixit *peccata multorum portare vel bajulare.* d)

Hinc progredior ad illa ſcripturæ loca, in quibus Chriſtus nos dicitur *redemiſſe*, Tit. II. v. 14. & quidem *ſanguine ſuo* Eph. I. v. 7. Apoc. V. v. 9.

* Phil. II. v. 8. Rom. V. v. 18. & 19.

liberationis a peccatis luculentam adumbrationem exhibuit, dum orbis hic ſpectabilis durabit, applicando diſpenſandoque per gratiam continuandæ.

a) Satisfactionis nimirum *vicariæ*; quod manifeſtiſſime pronomen, *noſtros*, ſemel iterumque repetitum, demonſtrat, & effectus ſanationis hinc in nos *vicisſim* redundans, (quæ *permutatio* 2. Cor. V. ult. diſerte explanateque traditur,) confirmat.

b) Hoc præſertim in loco, ubi eadem præſtatio tanquam rigido *exactori* debiti comm. 7. exhibita deſcribitur. Quæ vocabuli Hebr. *Nagas* ſignificatio tam exquiſita eſt, ut vel ſola ad eum, quo Chriſtus *pro nobis* aut noſtra *portaſſe* dicitur peccata, *modum* accuratiſſime explanandum ſatis eſſe queat: tametſi a multis noſtratium argumentum hoc, ponderis licet præcipui, cum Jerem. XXX. 31. præſertim comparandum, *verſionum*, ut arbitror, *culpa*, utplurimum negligatur.

c) Pœna enim, quod inobedientia datum eſt damnum auctoritatis contemtæ & *honoris*, qui legislatori debetur, *læſi* ſeu violati *penſatur*, & *injuria* per moralem æquivalentem paſſionem *reparatur*: ut & legis & legislatoris dignitas vel h. m. conſervetur.

d) Non poſſum non mirari, cur ipſius Sp. S. interpretationem, quam 1. Petr. II. 24. per *ἀναφορὰν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ σώματι αὑτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον* ſubminiſtravit, omiſerit. Cum enim his verbis liquido *Chriſtus* delicta noſtra ita portaſſe dicatur, ut in *corpore ſuo ſupra lignum* pendens *vulneratus* noſtram nobis *ſalutem acquiſiviſſe* affirmetur; quis dubitet, de *portatione peccatorum* a Chriſto, ut *reo* noſtras ſubeunte partes, non ut *judice*, facta, ſermonem, eademque explicatione etiam, quidnam illud ſit, quando paullo ante *pro nobis*, (juſtum pro injuſtis Cap. III. 18.) *paſſum* legimus, diſtinctius expoſitum eſſe?

V. v. 9. 1. Pet. I. v. 18. & 19, ubi ſanguis ille admodum emphatice pretioſus dicitur, *emiſſe*, Gal. IV. v. 5. idque non gratis ſed *pretio*, 1. Cor. VI. v. 20. *Eccleſiam ſuo ſanguine acquiſiviſſe*, Act. XX. v. 23 *ſemetipſum aut animam ſuam redemptionis pretium dediſſe* 1. Tim. II. v. 6. Matth. XX. v. 28. & Marc. X. v. 45. quibus omnibus diligenter inter ſe collatis a) & penſitatis, evaneſcat oportet, quicquid contra redemptionem noſtram vere & proprie ſic dictam Adverſariorum excogitavit calliditas: Si enim de propria & nativa ſignificatione vocis *redimendi* dubitas, ecce tibi verbum *emendi* ut & *acquirendi*; ſi de his quoque, ecce *pretium*, & quidem diſerte determinatum; ut nihil adeo ſit, quod juſtam dubitandi anſam relinquat: niſi forte deſideras eum, cui pretium iſtud fuerit perſolutum. Age vero, efficiam quoque ut hunc agnoſcas Deum ipſum ex eo, quod is idem ſit, cui ſe Redemptor, & hoc ipſo Pontifex noſter, obtulit, teſtante Apoſtolo Eph. V. v. 2. & authore Epiſtolæ ad Hebr. cap. IX. v. 14. Neque enim realis aliqua, quam dicunt Philoſophi, inter victimam ſive hoſtiam Chriſti, & ejusdem λύτρον intercedit differentia. Diſtinguuntur illa quidem, ſed ratione tantum & certo quodam reſpectu. Idem namque quod fuit victima ſive hoſtia Chriſti Deo oblata & ab eo acceptata, ſimul etiam fuit iſtud, quod in redemptione noſtra intervenit, pretium. Vnde fit, ut quod de Chriſto Redemptore aſſerit Scriptura, *eum nobis factum eſſe redemptionem*, 1. Cor. I. v. ult. *ſe dediſſe redemptionis pretium*, 1. Tim. II. v. 6. *animam ſuam dediſſe λύτρον*, Matth. XX. v. 28. alibi de eodem Pontifice Chriſto dicat, *eum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris* 1. Joh. II. v. 2. & cap. IV. v. 10. *ſe obtuliſſe* Deo Hebr. IX. v. 14. *ſe tradidiſſe hoſtiam* Deo Eph. V. v. 2. *dediſſe animam ſuam Aſcham*, id eſt, *victimam ſeu hoſtiam piacularem* Eſ. LIII. v. 10. Vt ſilentio jam involvam, alias inter omnes conſtare, paſſionem & mortem Chriſti eſſe ipſiſſimum illud medium, per quod opus redemtionis noſtræ fuerit peractum; quam eandem tamen oblationis etiam Chriſti medium b) conſtituit ſcri-

a) Bene hæc addita ſunt a *Peuſchelio*. Neque enim noſtri ex generali tantum liberationis qualiscunque notione, aut voce, iſtam ſatisfactionem vicariam ſufficientiſſimam divinæque juſtitiæ placandæ æquivalentem exſculpunt, uti calumniantur *Sociniani*, multaque loca contraria, eumque modum excludentia vel non includentia & commemorantia coacervant: Sed *talem*, *qualis*, *collatis* hiſce, quæ adductæ ſunt, deſcriptionibus, Chriſti redemtio dicitur identidem, urgent, atque hinc *expletivam* fuiſſe ſolide probant, invicta ἀντιλύτρου notione ulterius corroborandam.

b) Non tam ego medium redemtionis, aut oblationis potius, *mortem* Chriſti appellare vellem, quam *ipſam oblationem* ſeu *ſacrificium piaculare*. Medium enim, fal-

ſcriptor ad Hebr. cap. IX. v. 26. dum iterationem oblationis hujus negat ex eo, quod *alioquin opus fuiſſet Chriſtum ſæpius pati a condito mundo.* Et v. 28. verbis illis: *Ita & Chriſtus ſemel oblatus*, ſpeciatim ad Chriſtum applicat, quod in verſu præcedenti generatim de omnibus hominibus dixerat, *conſtitutum illis eſſe ſemel mori.* a) Patet igitur ſacras literas veram & proprie ſic dictam redemptionem innuere, quando nos per Chriſtum *redemptos emptos & proprio ſanguine acquiſitos eſſe* dicunt. Quo obtento ſimul etiam obtentum eſt, a Chriſto pro peccatis noſtris vere eſſe ſatisfactum, b) cum omnis vera & proprie ſic dicta redemtio veram ſatisfactionem præſupponat.

Porro in aſtruenda ſententia noſtra non ultimum ſibi locum vendicat egregium illud Johannis enunciatum, quod eſt 1. Joh. I. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Certum enim eſt, haberi in eo & ſimilibus aliis, quale eſt, quod in Epiſtola ad Hebræos* c) *ſanguis Jeſu Chriſti conſcientias noſtras purgare* ſcribitur *ab operibus mortuis*, reſpectum ad ſacrificia veteris teſtamenti, in quibus aliquam ſive emundationem ſive expiationem peccatorum, ex Dei ordinatione, d) ſanguine pecoris ſacrificialis peractam fuiſſe, ex multis Levitici locis rectiſſime colligitur, inprimis vero ex cap. XVII. v. 11. ubi hæc ſunt ipſius Dei verba: *Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi eum vobis ſuper altare ad expiandum pro animabus veſtris*; non declarative tantum (ut Adverſariorum eſt opinio;) ſed ſuo modo e) vere & effective. Tribuitur enim hoc ipſi ſanguini, quod expiet, verbis quæ adjiciuntur, *& ipſe ſanguis expiabit pro anima.* Vnde jam inferimus eo quo auctor ad Hebr. cap. IX. v. 13. infert, modo: Si ſanguis taurorum & hircorum ſuo modo vere emundavit & ſanctificavit inquinatos, h. e. pecca-

* Cap. IX. v. 14.

tim viæa, ut promeriti ſibi ipſi in cœlum ingreſſus, ut iſtic demum ſeſe offerret, nec ipſi *Sociniani* forte, mortem Chriſti fuiſſe, inficiabuntur.

a) Quicquid ergo ipſe Sp. S., ad explicationem *oblationis* τῆς προσφορᾶς, ſubjicit, & per *ſynonymiam* explanationem dilucidat, id per vocabulum oblationis utique intelligendum eſt.

b) Et quidem *in cruce*, hoc ipſo, *dum paſſus* eſt atque *mortuus.*

c) In qua ex inſtituto ſacrificia Vet. Teſt. & Chriſti in Nov. Teſt., quantum ad efficaciam potiſſimum, ἐν τύπῳ καὶ ἀντιτύπῳ invicem reſpondentem, comparantur. Quorſum etiam 1. Joh I. reſpici, vel proxime Cap. II. 1. ſq. commemoratus ἱλασμὸς oſtendit.

d) Atque *relatione* divino fœdere conſtituta *typica*, eaque, quantum ad effectum, non minus, quam ipſum Chriſti ſacrificium eſt, εἰς ἄφεσιν, non πάρεσιν nudæ dilationis, aut meram repræſentationem, efficaciſſima ac præſentanea: quod innumera promiſſæ per ea expiationis & placationis documenta condocefaciunt.

e) Typica videlicet, & ex ἀληθινῷ, quod Filius Dei oblaturus eſſet, ſacrificio, per ſe ſuaque inſita virtute id præſtituro, mutua-

catores, a ſuis peccatis, pro quibus fuit oblatus, a) multo magis id præſtabit ſanguis Chriſti. b) An plus tribuemus umbræ, quam ipſi corpori? plus elementis rerum corruptibilium, quam ipſi imagini c) rerum cœleſtium? Abſit hoc. Quin potius firmiter credamus, pretioſum D. N. J. Chriſti ſanguinem vere d) peccata noſtra expiare, vere conſcientias noſtras mundare, & ab omni impuritate vere lavare. Hoc enim ſuadent, immo jubent prægnantia & ſolatii plena diſcipuli illius dilecti, quæ ponderanda ſumſimus, verba. Quibus maximam affert lucem hypotheſis præmiſſa: *Si in luce ambulaverimus, ſicut ipſe in luce eſt.* Hinc enim evidentiſſimum eſt, non reſpexiſſe Apoſtolum ad nudam declarationem, quæ nude oſtendat, nos a peccatis eſſe mundatos (quam etiam reſpuit ſocietas noſtra cum DEO vera, cujus ibidem fit mentio): ut nec ad Novi Fœderis confirmationem, (quæ alia Adverſariorum gloſſa eſt,) qui enim ad mandatum Chriſti *in luce ambulat, ſicut* DEUS *in luce eſt,** is jam nihil amplius de veritate iſtius fœderis dubitat, nec jam demum opus habet confirmatione, ſed fœderis confirmati applicatione; e) apparet autem, mundationem iſtam, ſanguini tributam, vitæ puritatem conſequi: nec denique ad poteſtatis divinæ reſpectu Chriſti adeptionem, (quæ tertia Adverſariorum exceptio eſt,) ſolatur enim Apoſtolus illos, ad quos ſcribit, atque adeo nos etiam, fore, ut nos ipſi a peccatis noſtris & eorum pœna liberemur, dummodo in luce ambulando, h. e. pietati vitæ ſtudendo, nos ipſos

* 1. Joh. I. v. 7.

titia placandi efficacia, diſpenſationi & œconomiæ Dei innixa, perinde uti lunam a ſole accepto lumine coruſcare nemo negat, etſi nativa luce careat.

a) Quæ enim l. c. comm. 10. δικαιώματα σαρκὸς, tanquam effectus harum Leviticarum cerimoniarum, tribuuntur, & comm. 13. καθαρότης σαρκὸς appellantur, ea non omnem vim iſtarum conſperſionum & ſacrificiorum exhauriunt, ſed, quid per *ſe & naturali virtute*, in Eccleſiæ externa ſocietate, præſtare potuerint, ſignificant, ipſamque ſupernaturalem, ex fœdere Evangelico, jam tunc valente, virtutem, reſpectu Dei h. m. placati, utut hactenus ἐν τύπῳ duntaxat placamentum exhibitum eſſet, non negant, ſed, ipſo Paullo & Moſe multoties idem teſtantibus, includunt, atque externo quoque ritu delinearunt.

b) Τίμιος ideo dictus, quia *Filii Dei ſanguis* eſt, omni pretio auri & argenti copioſiſſime licet expenſi præſtabilior.

c) Rectius forte dixiſſet, rerum cœleſtium *ſubſtantiæ*.

d) Et quidem per *applicatam comparatamque in cruce atque morte* ipſa ἀπολύτρωσιν, ſeu præſtitam iræ divinæ, atque juſtitiæ vindici infinitæ, infinitam æquivalentem ſatisfactionem, juſto pretio dato & expenſo, gratioſeque acceptato, conſtantem. Quo Paulli illud 1. Cor. VI. v. ult. τιμῆς ἠγοράσθητε, pertinet, cum Rom. III. 26. πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης θεοῦ collatum.

e) Per omnem vitam *continuata*: ut, qui juſtificatus eſt, non magis, ſed *porro* etiam juſtificetur, & nunquam gratia illa divini Numinis conciliati excidat; quæ ratio eſt, cur emundatio illa per Chriſti ſanguinem

ipſos purificemus. a) Quo ſenſu alibi quoque a Spiritu ſancto dictum videmus : *reſipiſcite, ut deleantur peccata veſtra,* * Et: *Si converſus fueris toto corde tuo ad Dominum, miſerebitur tui.* **

Sed nec prorſus negligenda videtur iſta etiam ratio, quam pro ſacratiſſimo Chriſti Redemtoris noſtri merito petere poſſumus ex eo, quod is, Chriſtus inquam Redemtor noſter, in ſcripturis non tantum *traditus, paſſus, mortuus,* ſed *pro nobis & propter nos traditus, paſſus & mortuus eſſe*, *** dicitur. Si enim probatum fuerit, iſtud *pro nobis*, vel *propter nos*, non innuere nudam aliquam occaſionem, b) ſed veram ſimul ſubſtitutionem, h. e. ſi oſtenſum fuerit, Chriſtum pro nobis vel propter nos traditum, paſſum & mortuum eſſe, ſignificare non tantum, quod occaſione, ſed etiam vice ſeu loco noſtri c) traditus, paſſus & mortuus fuerit, ſane maximum cauſſæ noſtræ robur accedet. Id vero commodius effectum dari nequit, quam ſi ex tabernaculo poſteriori reſpiciamus ad prius, h. e. ſi intueamur ſacrificia Veteris fœderis, & diſpiciamus, num de illis dici poſſit, quod vice ſeu loco hominum, quorum peccata, per impoſitionem manuum, ſuo modo vere (ceu videre eſt ex immundicie, quæ ex impoſitione illa reſultabat, de qua eſt *Lev.* 16. *v.* 26. 28.) in ſe accipiebant, & pro quibus offerebantur, fuerint mactata. Erant namque illa typi vel umbræ mundisſimi illius agni Dei, qui **** *portaturus erat in corpore ſuo ſuper lignum peccata mundi,* a) quem-

* Act. III. v. 19. ** Deut. XXX. v. 2. 3.
*** Rom. IV. v. 25. c. V. v. 6. 1. Cor. XV. v. 3. Gal. II. v. 20. 1. Pet. II. v. 21. c. III. v. 18. Rom. VIII. v. 32. **** 1. Pet. II. v. 24. Joh. I. v. 29.

parta identidem applicanda, & gratioſa adjudicatione divina, & fidei apprehenſione, *in præſenti tempore*, ambulationi in luce poſtponatur: ſi vel maxime temporis enallagen defugias.

a) Atque h. m. ſanctificationi internæ externæque operam dantes enixam, eum, quem requirit Deus a filiis ſuis emundationis per ſanguinem unigeniti Filii cupidis, *ordinem* non negligamus. Sic namque gratioſe, ſe quoque gratos ejusmodi νεοφύτυς ſuos, fidem ἐν καθαρᾷ συνειδήσει tenentes, ſanguine Chriſti imputataque juſtitia identidem, dum ſpiritus hos regat artus, conſperſurum ornaturumque, tabulis foederis Evangelici, Ebr. X. 22. breviter repetitis, pollicitus eſt. Quemadmodum enim, ut obtineatur fides, & per eam tanta gratia cœlitus ex pleno apparatu Chriſti *donata* per λογισμὸν, regeneratione opus, ita, *ſanctificationis ordo* conſequens ſi exacte obſervetur, eam quoque, etſi *non per & propter* eam, retinendam, neque unquam omittendam, aut ſubtrahendam eſſe, divino conſilio benignisſimo, ut æterna ſit gratia, non caduca, quæ cito fit, cito perit, conſtitutum ac promiſſum eſt.

b) Vel commodum aut emolumentum, quod inde expectandum nobis ſit, qualecunque, uti & *Paullus* pro Eccleſia dicitur perſecutionem paſſus ipſamque mortem; ſic enim illud ὑπὲρ interpretari ſolent *Sociniani.*

c) Vt pateretur, *tanquam vicarius*, quod nobis patiendum fuiſſet, & quidem pari modo, ut pœnam, *explentem*, atque id ipſum

a) quemadmodum totum tabernaculum prius umbra erat, & exemplum posterioris, quod continere debebat ipsum corpus, uti constat ex pluribus Epistolæ ad Hebræos locis. Convertimus igitur oculos nostros inprimis ad locum iam paulo ante laudatum, Levitici inquam cap. 17. v. 11. ubi hæc ipsius DEI verba denuo audire quæso ne pœniteat: *Anima carnis in sanguine est, & ego dedi eum vobis super altare ad expiandum animas vestras. Ipse sanguis est pro anima expiatio*, vel *ipse sanguis expiat animam.* Ex his enim tria habemus, quæ diligenter considerata mox nobis monstrabunt, quod quærimus. Primum enim dicitur, *animam carnis esse in sanguine*, quod nostris verbis si proprie efferamus nullum alium sensum habet, quam, *vitam pecoris esse in sanguine:* b) quod idem exprimitur ibid. v. 14. deinde, DEUM *dedisse sanguinem pecoris*, in quo est ejus anima, *hominibus super altare*, adeoque constituisse ut occidatur pecus in hunc finem, ut expientur illorum animæ. Quomodo vero? an, ut sacerdos fuso, sparso & combusto isto sanguine declaret tantum, homines istos, qui pecus illud pro se adduxerant, esse expiatos apud DEUM, nec amplius ob peccata sua iræ & pœnæ divinæ obnoxios, ipseque sanguis nihil conferat? Minime vero. Audi enim, quod additur, tertium: *ipsum sanguinem*, sive vitam pecoris *pro anima esse expiationem*, vel, quod idem est, *ipsum sanguinem*, animam, vitam pecoris, *expiare animam*, quæ peccaverat, & ob id alioquin, nisi DEUS ex mero beneplacito c) & instituto suo hunc sanguinem hancque animam seu vitam pecoris acceptasset, perdi & consumi debuisset; perinde ut pecoris mactati animam seu vitam perdi, ejusdemque sanguinem fusum & sparsum igni sacrificiali consumi necesse fuerat. Hinc igitur sole meridiano clarius est, pecora sacrificialia loco hominum, pro quibus offerebantur, fuisse mactata, atque sic etiam Jesum Christum, *qui factus fuit pro nobis peccatum & maledictio*, * & a pecoribus

* 2. Cor. V. v. 21. Gal. III. v. 13.

quod reus ipse præstare non poterat, accuratissime præstantem.

a) Cujusmodi *agnus*, quod notandum est probe, *in die expiationis* oblatus *non* fuit, sed *quotidie* Deo exhibebatur, ut piaculum. Vnde, *cætera etiam sacrificia Christi typum* gessisse, liquet. Quem universalem typicum respectum etiam impositio manuum vices suas sacrificio a delinquente traditas innuens, idemque ritus piacularibus in universum cunctis hostiis communis, haud obscure adumbrat.

b) Sanguinemque esse vehiculum animæ, atque id ipsum, quo animantia, per œconomiam divinitus constitutam animalem, vivant.

c) Hunc *modum* nempe si spectes *applicationis*, per *bestiam* loco *Rei* mactatam & immolatam. Qui, quantumlibet sapientissimus fuerit, non tamen naturali quadam ratione, sed solius voluntatis divinæ & æ-

bus ſacrificialibus hac ipſa in re a) præfiguratus eſt, non occaſione tantum, ſed & vice ſeu loco noſtri b) fuiſſe occiſum, & in crucis ara oblatum. Et hæc pro ſententia noſtra dicta ſufficiant: quibus refutationis loco per breves quosdam, ſed per utiles Aphoriſmos c) ſubjungo, quorum primus eſto talis:

I. *Non neceſſe eſt, omnes fidei articulos, licet inſignes ſint, & ad ſalutem ſcitu & creditu præciſe neceſſarii, ad literam in ſacris ſcripturis eſſe expreſſos;* cum nec hoc ipſum ullibi diſerte in ſacris literis dicatur, nec ſufficiens ratio rei iſtius a quoquam proferatur, & ab ipſis Adverſariis, Photinianis inquam, in doctrina de fide, de modo ſalutis per Chriſtum partæ, & aliis Religionis punctis ſimilibus contrarium non leviter ſtabiliatur. d) Nec refert, quod laici & vulgares homines

 conſe-

conomiæ Moſaicæ, qua Patriarchalis elaboratior continebatur, a Deo conſtitutæ, fundamento nitebatur, typoque tantundem efficaciæ, quantum ἀντιτύπῳ, tribuebat. Ad Chriſtum enim ipſum, ejusque placamentum plus quam perfectum ſi reſpicias, tametſi etiam illud procuratum nobis divina εὐδοκίᾳ ſit, mero tamen illius expiatio beneplacito neutiquam, ut *Sociniani* putant, ſed vere præſtita æquivalente omnibusque numeris plena abſolutaque ſatisfactione conſtat. Quæ propter ambiguitatem notanda videbantur. De reliquo, non tantum animam pro anima, beſtiæ videlicet pro homine Deo immolatam, ſed etiam manuum ſolennem impoſitionem præmittendam, iſtam ſurrogationem demonſtrare, jam ſæpius dictum eſt.

a) Qui etiam propterea factus dicitur pro nobis ἁμαρτία 2. Cor. V. ult. Qua voce cum in V. T. *Græca Verſione* piaculare ſacrificium ordinarie exprimi ſoleat, & hinc, quo minus de ea notione dubites, tum vero ipſa etiam corporis cum umbra illa congruentia manifeſtior ſit, paullo diſtinctius porro Chriſtus aliquoties, v. g. Rom. VIII. 3. & Heb. X. 6. etiam περὶ ἁμαρτίας vocetur, victimam ſane eum pari modo pro nobis fuiſſe, cum occideretur, luculentiſſime docetur.

b) Etenim non ſolum ὑπὲρ ἡμῶν, ſed etiam ἀντὶ πολλῶν id omne, quod paſſus eſt, ſuſtinuit, tanquam ἀντίλυτρον ſoluturus perfectiſſimum; ita, ut in ea paſſione εἰς ὀσμὴν εὐωδίας apud Deum, tanquam vera θυσία καταλλαγῆς, (qua factus eſt ſponſor ὑπὲρ ὑμῶν κατάρα) valente, *ira* divina *ſedata* prorſus acquieſceret.

c) Eos nimirum, quibus ad veritatem Evangelii pervertendam comparatis hypotheſibus *Socinianorum* primariis, ad modum prænotionum Polemicarum, ante omnia occurrendum ſit, ſi quis diſputationis cum illis campum feliciter ingredi cupiat, laqueosque ſophiſmatum caute evitare velit. Quos hac potiſſimum de cauſſa h. l. ſubjectos reor, ut, quoniam brevitati ſtudendum erat, generali hocce indicio, quibus armis reliquæ φλυαρίαι omnes diſſipari & dilui poſſent, per compendium enunciaret, neque ad ea quoque diſcutienda ſe imparatum eſſe, ſi tempus pateretur, condocefaceret orator.

d) Certe *Chriſtum*, ac proinde etiam *Caput fidei de Chriſto* ejusque *Perſona & Officio*, idemque pæne ſolum, pro fundamento fidei, & capitali haud dubie dogmate, Scr. ſacra aliquoties venditat, atque h. m. hunc quoque articulum, in quem tamen atrociter impetum faciunt, potiores ejus quoque partes directo negantes, Sociniani, *principem* eſſe & πρῶτον *ſummo gradu*

consequentias capere nequeant. Etsi enim id verum sit de illis, quæ difficiliores sunt, & longiori disquisitione, adeoque acumine opus habent; secus tamen se res habet in aliis, quæ ex scripturæ litera per se fluunt, & cuivis non plane stupido, præsertim vero homini, sacrum codicem assidua manu volventi, quæque in illo scripta reperiuntur, in timore Domini sedulo perpendenti, nec non & opem divinam anxie petenti, sunt obviæ, quæ ipsæ, licet interdum suis difficultatibus non carere videntur, id tamen non tam consequentiis ipsis, quam frigidorum Sophistarum nebulis est asscribendum. Vix enim quicquam adeo clare & perspicue dici potest, quod non Sophistica aliqua possit aliquo modo obscurum reddere.

II. *A via regia in scripturæ interpretatione temere non est declinandum*, h. e. a sensu verborum scripturæ literali & proprio, aut etiam communiori, non facile est recedendum, nisi evidentes suppetant rationes, eæque non ex ratione, quæ mensura fidei nunquam esse potest

1. Cor. XV. 1. sq. docet; at vero *reliquos*, qui cum eo *propius* connexi sunt, tametsi *minori* quodam gradu, *capitales non* esse, quamvis non prorsus nullius momenti videantur, illud est, quod recte nostri hinc consequi inficiantur, *nexumque* contra cum præcipuo illo lapide angulari reliquorum, *proxime* super instructorum, ex ipsa ædificii sacri descriptione Paullina strenue urgent, & *invocationis* insuper genuinæ cum *tranquillitate conscientiæ* rationem habendam potissimum esse simul jubent. Qua in re quando *Paullum* 1. Cor. III. 11. sq. Col. II. 19. & Hebr. IV. 2. itemque Es. XXVIII. 16. & alibi alios Viros Dei præeuntes sequuntur, deinde vero *non minus credenda, quam agenda*, Christianis religiose per universam Scripturam, non frustra certe, sed ut fide sincera approbentur, *injuncta* observant, eaque *potiora* tandem fatentur esse, *quæ diserte* cum respectu ad salutem ut necessaria *definiteque* commendantur; *non cæterorum* tamen, sine quibus illa nec intelligi, nec consistere possunt, vel parem, vel haud multo imparem necessitatem atque excellentiam, Sp. S. *negare*, aut extenuare existimant, sed mitius duntaxat de *errantibus* sentiendum esse jubent, eaque docent, quæ ab ipso Spiritu divino ita docere edocentur. Paucis: Aurea est fidei catena, cujus si vel unicus disrumpatur aut subtrahatur e compage tota annulus, salva illa esse nequit. In his vero primas deberi *Loco de Deo & Patre & Filio & Sp. S.*, vel ipsa *initiatio* in Baptismo ad ejus venerationem & cultum, quem ne quidem sine genuina agnitione animo concipere licet, nisi *ignotum Deum*, more Atheniensium, substituas, omnes condocere potest. De cæteris, si accurate *vocabula Ecclesiastica*, compendii & commoditatis gratia usurpata, & ipsam *Scr. S. loquendi formam*, at recte intellectam, tum vero etiam judicium de *erroribus errantibusque* distinctum, attente discernas, facile conveniri poterit. Vtinam vero *de veritate quam de pondere* mysteriorum divinorum *magis* essent soliciti *Sociniani!* Ita certe major de salute ipsorum promovenda, quam per Theologiam illam *comparativam*, hominum omnium vires excedentem, atque hinc nunquam *certis a Sp. S. limitibus* determinatam, spem concipere liceret.

poteſt aut debet, a) ſed ex eadem ſcriptura petitæ. b) Secus enim ſi fiat, Fidei Chriſtianæ certitudo annihilabitur, & perpetuis dubitationum ventis circumferemur, cum in iis etiam, quæ quam maxime evidentia & perſpicua eſſe creduntur, ſemper hoc dubii remaneat: forte verba hoc in loco non retinent propriam ſuam ſignificationem? Fortaſſe allegorice ea ſunt accipienda? Forte vel in hac vel in illa voce metaphora eſt? Forte metonymia? Forte alia quædam figura? At quid Fidei Chriſtianæ eſſe poteſt capitalius? quid exitioſus? c)

III. *Subordinata ſe mutuo non tollunt, ſed ſæpius ponunt*, ideoque *ab unius incluſione ad alterius excluſionem bona non datur conſecutio.* Quemadmodum igitur non ſequitur: Mulier eſt propter virum, ergo non propter DEUM: ita nulla eſt ſequela: Chriſtus paſſus eſt, ut relinqueret nobis exemplum conſtantiæ, patientiæ &c. Ergo non, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, cui tamen ſequelæ mirum eſt, quantum Adverſarii tribuant. d)

IV. *Nihil abſurdi eſt, quædam eſſe in typo, quæ non ſunt in antitypo, & viciſſim, quædam eſſe in antitypo, quæ non ſunt in typo.* Satis enim eſt, ſi conveniant illi, typus, inquam, & antitypus in re, utut in modo rei diſcrepent, ut eſus agni Paſchalis, Iſaaci nativitas, Salomonis in DEI filium adoptio, populi Iſraelitici ex Ægypto vocatio, & alia complura

a) Quippe ἐχθρᾶς potius in Deum, ipſo Sp. S. digniſſimo judice, ſuſpecta.

b) Quas *analogiæ fidei*, a Paullo commonſtratæ, nomine venire conſtat.

c) Quod reliquum eſt, ſi *regia via*, uti recte h. l. factum eſt, i. e. ſignificationis verborum, *intra contextum* orationis poſitorum, *propriæ* & uſui *loquendi ſimul* conſentaneæ conſectatio urgetur, *linguæ* cujusque *genium*, & utriusque præſertim ſacræ, Græcæ atque Hebraicæ, conſuetudinem non eſſe excludenda, ſed quam maxime indolem earundem intelligi debere, quis neſcit?

d) Hanc regulam idcirco ſigillatim commemoravit noſter, quod, *Gittichium* quondam ſophiſmate contrario miros ludos egiſſe in ipſa *Acad. Altorphina*, meminerat. Nec tamen negat *Peuſchelius*, aliter, ſi particula *excluſiva*, uti in Loco de Juſtificatione, ex operibus aut fide, v. g. Gal. II, 16., adhibita ſit, additaque ea manifeſto pateat, *quo reſpectu* excluſio aliorum locum habeat, quam ubi ea abſit, ſentiendum eſſe. Quæ propterea addimus, ne vel Pontificii, vel ipſi Sociniani, ubi Pater θεὸς μόνος dicitur, in abuſum iſthæc rapiant. Ipſa enim de cætero hæc regula, alia quadam luculentiori, qua, Scripturam S. ſeu *fidei regulam integram accipiendam eſſe*, res ipſa docet, nititur, infinitaque exempla, *non uno in loco omnia* exponi, & vel ſola de *Fine Scr. divinæ*, collatis 2. Tim. III. 16. & Rom. XV. 4. locis, doctrina evincit, totamque fidei *compagem ex omnibus* partibus eſſe conficiendam ſane ipſa *Apoſtolorum diſputandi methodus* per συμβιβασμὸν cum ſtudio ἐρευνήσεως ſolicitæ confirmat. Eamque rationem docendi Sp. S. conſulto elegiſſe, atque catecheticæ ante poſuiſſe, pulchre admodum ipſe *Crellius* in calce *Obſerv. ad varia Scr. S. loca* T. II. *Exeget.* f. 321. ſq. animadvertit.

plura typi rationem habentia, cum suis antitypis collata manifeste docent. a)

V. *Loca scripturæ, quæ gratiam & misericordiam* DEI *in Christo nobis exhibitam commendant, non sunt opponenda aliis, quæ nos per Christum vel per ejus sanguinem ut λύτρον redemptos esse insinuant.* Quando enim scriptura utrumque uno in loco docet, ut apertissimum est ex Rom. III. v. 24. cur non potius Spiritui divino credimus, quam rationis cœcæ judicium audimus, ut vel gratuitam nostri justificationem, vel Christi redemtionem, quam absque satisfactione esse non posse jam superius innuimus, negandam esse statuamus? b)

VI. *A conditionibus rerum humanarum & carnalium, ad rerum divinarum & spiritualium negationem non semper progressum dari legitimum, non effugium est, sed ipsissima veritas.* Quod nec omnino inficiari possunt ipsi Photiniani, qui nobiscum fatentur, Christum generatione vere & proprie sic dicta prognatum esse in hunc mundum, & tamen generationem istam citra omnem viri operam peractam esse, inter omnes hodie Christianos constat. c) Quin & iidem peccata omnia gratis nobis remissum iri statuunt, & tamen pietatis studium, ceu caussam sine qua non, a nobis prærequiri contendunt: quod ipsum quid est aliud quam satisfactionem seu satisdationem qualem qualem d) a nobis postulari, dicere? Annon vero in humanis quævis etiam minima satisdatio cum vera & proprie sic dicta remissione pugnat? e)

VII.

a) Neque ipsimet *Sociniani*, modo anniversarium expiationis festum, quod Typum esse Christi & unicum fere in cultu Levitico quam maxime urgent, expendant, id diffitebuntur.

b) Perinde uti gratia Dei, ubi sola fides nos dicitur δικαιῶν, haud negatur. Eadem profecto gratia in *procurando*, *perficiendo*, & *acceptando* pro nobis merito Christi, ejusque ἱλασμῷ λύτρυ in modum præstito, non minus operosa & efficax fuit, quam in placando & expiando mors Christi ἐνεργὴς esse toties affirmatur. Quodsi vero tantopere gratiam καὶ εὐδοκίαν Dei inculcant *Sociniani*, eccur non in Reformatorum castra pedes movent, quos, multo majori verisimilitudine, Scholæ *Socini* mirum quantum exosum illud absolutum Electionis decretum hinc exsculpere solere, non ignorant?

c) Immo cuncta in universum *miracula*, quibus tamen ipsa Socinianorum de Scr. S. auctoritate divina fides magna ex parte innititur. Vnde sane, uti ex infinita Dei potentia, essentia etiam qualis sit, cognoscere proclive est.

d) Fallor, an hæc ὑπυλόν τι, & profunda, ex *Arminii* schola accepta, & procul dubio, uti supra jam innuimus, jam tunc depromta *Peuschelii* mentis sensa produnt, quæ nemo forte t. t. animadverterat subobscure h. l. insinuari. Conf. quæ supra Cap. IV. de Peuschelio cum Remonstrantibus commercio litterarum observata sunt.

e) Ita est, si *ex nostra parte* qualiscunque præstatio, etiamsi imperfecta cui acceptilatio succurrat, locum habeat; idque et-

VII. *Abusus rei bonæ non damnat rem ipsam, neque id, quod est ex eventu, confundendum est cum eo, quod est per se.* Non magis igitur doctrina Ecclesiarum nostrarum de Satisfactione accusari poterit, quod studium pietatis enervet, a) quam doctrina Adversariorum, quæ nos absoluta DEI misericordia justificari statuit. Quemadmodum enim nec ipsi quenquam misericordiæ istius divinæ participem fieri posse statuunt, nisi resipiscat, adeoque pietati studeat: ita & nos asserimus, fructum satisfactionis Christi ad neminem pertinere, nisi in Christum credat, & per hanc fidem b) satisfactionem istam sibi applicet. Quod quia fieri non posse docemus, nisi quis admissa sua serio detestetur & plangat, & porro * *veterem hominem exuat, novum induat, carnem cum concupiscentiis crucifigat, & secundum spiritum ambulet:* quis non videt, tantum abesse, ut doctrina de satisfactione fræna peccatis laxet, ut potius ea astringat, & homines a peccando absterreat? c)

VIII. *Non licet nobis opera Divina ad nostri judicii normam exigere, multo minus, quid vel sine, vel cum læsione justitiæ facere potuerit, aut non potuerit, extra Dei expressum verbum decernere.* d) Nostri potius est officii,

* Ephes. IV. v. 22. 23. Gal. V. v. 24.

iam spectatur, quando Apostolus multoties *gloriationem* omnem a nobis abesse jubet. Aliter vero res comparata est, si de conditione *applicatrice*, qualis fides est, loquaris: utpote quæ instrumenti mere passive se habentis rationem continet.

a) At nihil est, quod non petulantia mortalium pervertat, & in patrocinium impietatis trahat. Quæ proinde si doctrinæ *mutandæ* sufficiens ratio esset, totam ea Theologiæ compagem aut solvendam aut prorsus abolendam posceret. Quod neque Christus, neque Apostoli, *Paullus* inprimis & *Judas*, qui abusionis hujus disertememinere, jusserunt, sed genuinam potius veritatis ad sanctitatem applicationem, eamque Evangelicam, suo jam pridem nos exemplo nobis præeundo, edocuere.

b) *Fidem* inquam, *cujus anteambulo pœnitentia* est, & *pedissequa indivulsa vitæ sanctimonia*, ἀνυπόκριτον *Paullo* dictam & δι' ἀγάπης ἐνεργυμένην Gal. V. 6. nuncupatam. Secus qui sentiunt, toties moniti, aut nostram Ecclesiam etiam, calumniis, quemadmodum solent præ ceteris Pontificii, onerant, videant, quo pacto Deo O. M. rationem petulantissimæ hujus obtrectationis reddant.

c) Immo non tam absterreat, quam potius *suavissima & nativa* propensione, sanctaque, qualis fructuum ex arboribus procrescentium bonis esse solet, consecutione bonæque mentis συνέχῃ, uti *Paullum*, 2. Cor. V. 14. compellat atque trahat. Quæ sola etiam veri nominis, ex *Spiritu* nimirum orta, Evangelicaque est, h. e. *liberalis*, atque *adoptionis beneficium* per se *consequens* obedientia, toties jam olim prædicta Ps. LI. & CX., atque in Nov. Test. identidem, præsertim ad Philem. comm. 14. coll. Rom. VII. 22, concelebrata.

d) Sin secus, *totum providentiæ divinæ*, tam abstrusum, præsertim erga sceleratos maxima longanimitate tolerandos, & contra pios castigandos, *mysterium*, ejusque singularibus documentis impervia stupenda-

ficii, ſimpliciter in Dei voluntate, quam in verbo ſuo manifeſtavit, acquieſcere. Qui enim nos ſumus, qui reſponſemus Deo, qui tanto jure potuit inſontem noſtro loco plectere, quanto potuit immerentem in noſtrum commodum in mortem tradere? a) Et hæc de prima parte.

Nunc, ut ab initio monui, alia quædam dicenda reſtant, quæ tamen quam fieri poteſt brevisſime complectar. Ac primum quidem, quod pietas & omnis honeſtas urgent, quod gentilium inſtituta & facta comprobant, gratias non quidem tantas, quantas debeo, ſed quales poſſum, agere, habere, & omni tempore pro virium mearum modulo referre decet iis, qui medicam & auxiliarem manum mihi tempore hujus Babylonis b) perbenigne porrexere, & ut in integrum reſtituerer effecere.

Primo igitur ante omnia *oculos meos levabo ad montes, unde venit mihi auxilium. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram. Tribulationem & dolorem inveneram, & mala, quorum non erat numerus, circumdederant me. Comprehenderant me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: Quia collocatus eram in obſcuris, & tenebræ contexerant me. Tranſierant in me iræ Dei, & multiplicatæ erant ſuper capillos capitis mei. Supplantaverant me viri doloſi, & laqueum tetenderant mihi, qui loquuntur vanitatem. Tu vero Domine ſuppoſuiſti manum tuam, ne corruerem, & a filiis alienorum eruiſti me. Docuiſti me juſtificationes tuas, & notas mihi feciſti vias tuas. Direxiſti greſſus meos, & non dominabitur mihi poſthac vanitas. Exaltaſti caput meum, & de calumniis hominum redemiſti me. Benedic igitur anima mea Domino, & noli oblivifci omnium beneficiorum ejus. Benedic anima mea Domino, cujus verbo cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Benedic anima mea Domino, quia viſitavit & fecit ſervo ſuo redemptionem: Domine, eloquium tuum ignitum eſt, & ſervus tuus diligit illud. Lucerna pedibus meis ſit verbum tuum, & lumen ſemitis meis eloquium tuum. Veniant miſerationes*

que majeſtas neganda, & *Lucretianum* illud: *Ignoſcite faſſo: ſolicitor nullos eſſe putare Deos*; approbandum erit. Vt *Origenis* commenta taceamus, ad quæ, ſolius juſtitiæ divinæ, noſtræ rationis decempeda metiendæ, præpoſtera æſtimatione & noſter *Sonerus* ſe abripi paſſus eſt, & alii ex eadem cohorte magnopere inclinant.

a) Præſertim *volentem*, & per ſummam, qua in ſe vitamque ſuam pollet, poteſtatem, *ultro*, ſponſoris, aut *expromiſſoris* potius in modum, *ſeſe offerentem*.

b) *Etymologice* vocabulum iſthoc ad Eccleſiæ ſtatum variis hominum opinionibus mirifice, uti nunc ita tunc temporis concuſſum applicari, dubium non eſt; Ex uſu enim loquendi Prophetico, ad quem cœtum id ſpectet, & qua de cauſſa, nemo eſt, qui neſciat.

nes tuæ, ut lex tua sit meditatio mea. Deficiat anima mea in salutare tuum, & in æternum non obliviscar justificationes tuas. Tibi dicat cor meum, exquisivi faciem tuam: Domine faciem tuam requiram. Audi quæso vocem meam, miserere mei & exaudi, ut cantem tibi, & laus tua semper sit in ore meo, ut offeram tibi holocausta pinguia, & vitulos labiorum adducam ad tabernacula tua. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnium beneficiorum ejus.

Maximas consimiliter & immortales gratias ago & habeo Magnifico, Nobilissimo & Prudentissimo Senatui Noribergensi, inprimis vero Amplissimis Dominis Scholarchis, Patriæ Patribus, Viris qua pietas, qua eruditio, qua generis nobilitas, Clarissimis, Dominis Mecænatibus, jus imperii in me habentibus, omni studio & observantiæ cultu æternum colendis: quod pro sua eximia pietate & spectata prudentia, ut me, velut oviculam in variis errorum & tenebrarum biviis exerrantem, mediis Magistratum Christianum & Catholicum reformatum decentibus illoque dignis, a) in viam cælestem & angustam (*augustam* forte) reducerent, nulli labori, curæ & impensis parcere voluerint. Vtinam mihi, atque iterum utinam, centum essent linguæ, oraque centum, quibus in laudes tantorum virorum erumpere pro dignitate possem. Nunc quia me meo modulo metiri scio, nec mea me fugit balbuties, tantum in deprædicandis ipsorum laudibus facio, quantum possum, non ignorans, me longe majora debere, &, utut desint vires, laudandam tamen esse voluntatem. Quia vero factum infectum fieri nequit, & post culpam commissam nihil nisi ingenua illius confessio & seria emendatio cum anteactæ vitæ detestatione requiritur, supplex ego eundem Magnificum, Nobilissimum & Amplissimum Magistratum meum obsecro & obtestor, ut* *si quæ est illius in Christo consolatio*, quæ non exigua, *si quod charitatis solatium*, quod eximium, *si qua Spiritus communio, si qua viscera & miserationes*, ut, inquam, omnem iram & indignationem, quam ex præposteris & deterioribus in hoc religionis negotio dictis, actis & factis b) meis non injuria adversum me conceperunt, ex animo deponentes,

* Philip. II. v. 1.

a) Nullam ergo, perinde ut *Vogelius*, ita pariter *Peuschelius*, vim sibi illatam esse, sed ex peregrinis terris, sine infamia aut ignominioso comitatu, retracto argumentorum robore ac pondere viam ad veritatem reclusam testatur. Quam etiam ob rem Evangelicam Ecclesiam, ipsum adeo Magistratum suum *Catholicum*, quantum ad hanc quoque hæreticos ad saniorem mentem reducendi methodum, *reformatum* vocavit.

b) Quæ fuerint isthæc dicta factaque, quorum h. l. *Peuschelius* non sine gravi cauſ-

nentes, amore Christi liberaliter condonent. Sic enim ipsius Dei naturam imitabuntur, qui * *multus misericordia*, *& tardus ad iram* esse dicitur. Sic Christi legem implebunt: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Neque vero lenitatis & misericordiæ quenquam pœnituit, at severitatis & immoderati zeli permultos. Ad pœnitentiam enim properat, cito qui judicat, ** *& judicium sine misericordia erit ei, qui misericordiam non præstiterit*, ei præsertim, qui culpam ingenue agnoscit, & vitæ prioris correctionem promittit. Quantum enim imbecillitas mea permittit, divino adjutus Spiritu, hoc operam dabo, ut, quod Dionys. Alexandrinus ad Novatum inquit, illustrior sit ipso lapsu resipiscentia, & ardens post culpam vita gratior sit, quam in securitate torpens innocentia, vobisque ceu agricolis, de quibus Augustinus loquitur, plus placeat ager, qui spinis etiam magnis eradicatis centenum profert, quam qui nullas unquam spinas habuit, & vix ad tricenum pervenit. Nec est, quod vos, Nobilissimi Proceres, fama Academiæ hujus sequior a) ab hoc divino & laudabili instituto retrahat. Cogitandum etenim est vobis, quod sicut Dominus noster Jesus Christus olim vel uno verbo mari tumultuanti & ventorum fluctibus silentium imposuit; ita eundem hodieque id ipsum in componendis Academiæ vestræ fluctibus præstare & posse & velle; si modo omnem salutis nostræ fiduciam in ipsum collocantes, ei ex animo serviamus, & debitam obedientiam præstemus, juxta illud, 1. Joh. III. v. 22. *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & quæ grata ipsi sunt, facimus.* Licet & illud hoc loco non dissimulavero, quod quia major hominum pars cum improbo Chamo pudenda proximi sui, statim atque patescunt, ulterius propalare & aliis monstrare, quam cum pio Sem & Japhet pallio charitatis (*charitas enim*, juxta Petrum, *** *operit multitudinem peccatorum*) integere & obvelare studet, ideo etiam sæpius & celerius fama alicujus sinistra per tot regiones & hominum legiones pervo-

* Exod. XXXIV. Psal. LXXXVI. & CIII. ** Luc. VI. Jacobi II. v. 13.

*** 1. Pet. IV. v. 9.

sa, meminit, ex superioribus repetendum est: ubi non solum asperius quædam pronunciata scriptaque commemoravimus, sed etiam talia, quæ parum a contumelia verborum in Deum ipsum sanctissimum profusa aberant, enunciata a *Peuschelio* fuisse, hac linguæ & calami intemperantia cumprimis laborante, animadversum est.

a) Qua de caussa etiam quædam *cum rigore* statuta fuerant, quibus supersedere, nisi Academiæ salus ea efflagitasset, forte & potuissent *Illustres curatores* & maluissent.

pervolitet, ac per innumeros linguarum & aurium traduces omnium animis ſvaviter ſe inſinuet; quibus omnibus alias liceret eſſe ſepultis, ſi non tam feſtucam proximi, quam propriam in oculis noſtris trabem altius conſideraremus, &, quid illud ſit, γνῶθι σεαυτὸν, exactius perpenderemus.

Deus Opt. Max. qui eſt *vita & longitudo dierum noſtrorum, Nobilisſimo & Amplisſimo Magiſtratui noſtro pacem intra muros ſuos, & proſperitatem in palatiis ſuis concedat; Ille idem eundem etiam ad ſenectutem, ad canitiem ferat, perferat, & adhuc in ſenio pinguem virentemque fœtificet, & ut pupillam oculi ſui conſervet, ſub umbra alarum ſuarum protegat, inque faſciculo viventium perpetuo colligatum habeat, per & propter Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen: Ita Deus faxit, Amen.*

Non etiam ſilentio prætereundi mihi ſunt, viri Reverenda dignitate & doctrina Clariſſimi, Theologi Patriæ noſtræ præſtantiſſimi, veſtri labores & ſudores, curæ item atque vigiliæ, quas, pro mea meæque miſeriæ ſociorum ſalute & converſione procuranda, exantlaſtis. Vos enim ii fuiſtis, qui toto hoc tempore συμπάθειαν veſtram erga nos ſincere declaraſtis, & juxta Apoſtoli monitum verborum altercationibus, quæ non modo nihil proſunt, verum etiam auditores evertunt, valedicto, veritatis orationem recte ſecuiſtis, &, cum divino munere ad docendum (ſi quisquam alius) aptisſimi eſſetis, erga omnes, præſertim erga me tum temporis diſſentientem, mites fuiſtis, cum manſuetudine me erudientes. a) In ſumma; Vbique in hoc negotio fidelis & induſtrii Epiſcopi officio abunde & cum laude functi eſtis. Quod quidem non ideo a me dicitur, quaſi veſtris auribus, Viri Reverendi, dare aliquid velim, aut quod vos aliquem laudum & virtutum veſtrarum præconem expetatis, eove indigeatis (hoc enim omne a vobis (per conſcientiam & veſtram & meam loquor) tam alienum eſt, quam quod alienisſimum): Sed ut oſtendam, jure a vobis contemni poſſe, immo debere ſcriptum illud mordax, quod quidam Caſeum Ollarem inſcripſit, & in vos edidit, in quo ille adeo impudenter ſe geſſit, ut nec timoris Dei, nec pietatis, nec humanitatis, nec honeſtatis, nec etiam veritatis rationem habuiſſe videatur.

a) Ex ipſa certe diſputatione aut colloquio non minus, quam ſcriptis, patet, tantum abeſſe, ut, quod ſcurra iſte, petulanti calamo, evomere non verecundatus eſt, minis errantes territarint, ut ne quidem durius aliquod verbum, aut quod ſpeciem *vehementioris* objurgationis haberet, exciderit, & haud raro vel deprecando rei juſtam magiſtratus indignationem mitigarint.

Certe qui se Christum didicisse, & ab eo se edoctum gloriatur, eum necesse est aliam præ se ferre sapientiam, quæ juxta Jacobum c. 3. *superne oriens, casta est, pacifica, æqua, obsequiosa, pietate bonisque referta fructibus, nec temere de proximo judicans.* Qui se discipulum Christi profitetur, eum necesse est sectari illam Christi discipulis propriam virtutem, charitatem inquam, quæ * *patiens est; non temeraria, non se gerit turpiter, non est irritabilis, non male cogitat, non gaudet injustitia, sed veritate lætatur.* Qui servum Domini se venditat, *non debet pugnare, sed mansuetus esse erga omnes, docibilis, patiens, cum modestia corripiens eos, qui resistunt veritati,* inquit Apostolus 2. Tim. II. v. 24. Videndum talibus, & etiam atque etiam cavendum, ne, specie carnalis & fervidioris zeli fascinati & decepti, conservos suos flagellent, ne, si quando venerit Dominus, & offenderit eos alios verberantes, eandem cum servo nequam pœnam luant: Id quod serio Authori Casei Ollaris ruminandum.

** *Dominus autem, qui, poculum aquæ frigidæ uni ex minimis ipsius datum se remuneraturum, promisit, Vobis, Viri Reverendi, secundum opus vestrum tribuat, & salutari suo Vos, sacerdotes suos, induat, ut tanquam ejus sancti exultatione exultetis, & per Domini Spiritum indies a claritate in claritatem transformemini, ut mundo ore & corde in Nestoreos annos viventes, valentes, Ecclesiæ multa grata dicere scribere & facere possitis.* Ego sane memoriam tanti beneficii ex animo non solum nunquam deponam, sed, prætterquam quod apud alios celebrare & deprædicare idipsum non desistam, etiam illud quovis tempore studiis & officiolis meis pro modulo virium mearum ἀντιπελαργεῖν conabor.

Antequam vero concludam, non possum committere, quin iis, qui communia mecum studia tractant, lectionem librorum Photinianorum dissuadeam, non quidem magnopere ea ratione adductus, quod libri illi sint veneno infecti, a) cum hac ratione nulla secta aut pars alterius libros evolvere deberet, eo quod altera alterius libros aut scri-

* Joh. XIII. v. 35. 1. Cor. XIII. v. 4. 5. 6.

** Matth. X. v. 42. Psal. CXXXII. v. 9. 2. Cor. III. v. 18.

a) Aut me omnia fallunt, aut ob oculos versatus est, hæc cum scripsit atque edisseruit *Peuschelius*, nec ita pridem sub id tempus famosissimus ille *Jac. Gretseri* S. I. libellus, *de Jure & more prohibendi expurgandi & abolendi Libros hæreticos & noxios* adversus Franc. *Junium* & Joh. *Pappum* potissimum A. 1603. *Ingolstadii* forma quarta evulgatus. In hujus enim opusculi L. I. c. XXV. argumentum illud a *venenis*, quæ insint hæreticorum scriptis, magno verborum apparatu inculcatur, mirumque in modum exaggeratur. Quæ librorum prohibitorum indicibus amplius confirmari, & in Bibliothecis Pontificiis, ubi libris hujusmodi separatim positis, locus peculiaris, cum inscriptione haud raro *Orcum* præferente, destinatus est, idemq; contra aditum promiscuum repagulis communitus, ad oculum demonstrari, quis nescit?

ſcripta utplurimum pro veneno habet: Sed motus inprimis auctoritate Epiſtolæ ad Hebræos * quæ ſacrarum literarum ſtudioſos in duas claſſes dividit, quarum prior in ſe continet tyrones, infirmos & ſacris nuper initiatos, qui, *quoniam propter ſenſus inexercitatos bonum a malo adhuc ſatis probe diſcernere nequeunt*, *lacte nutriendi ſunt.* Altera & poſterior claſſis continet eos, qui, *quoniam exercitatos ſenſus*, id eſt, judicium exquiſitum ad diſcretionem boni & mali habent, *ſolido cibo veſcuntur*, quos auctor epiſtolæ illius perfectos vocat. Cum igitur nos Theologiæ ſtudioſi eo tempore, quo ſtudia Theologica in Academiis tractamus, adhuc in prioris claſſis auditorum numero cenſeamur, id quod vos omnes faſſuros puto: non eſt conſultum, ut quidvis pro quovis ad evolvendum arripiamus, præſertim libros graves ac intricatas controverſias continentes, quales ſunt libri Photinianorum, qui lectorem in S. literis exercitatiſſimum, & præter ſubactum judicium alia plurima tum philoſophicæ, tum theologicæ eruditionis adminicula requirunt: quibus nos, qui vix a limine Theologiam ſalutavimus, multum adhuc deſtitui ſentiemus. Vt jam nihil dicam de eo, quod Photinianorum doctrina in omnibus fere articulis innovationem a) quandam inducat, adeoque res, ut videtis, magni periculi ſit, relictis ſolidis Theologorum noſtrorum ſcriptis, ad ſceptica illa ſcripta, quæ lectorem dubium & ſuſpenſum dimittunt, provolare. Nihil enim magis in ſcriptis iſtis exaudias, quam, hanc vocem vel phraſin, aut hunc locum aliter atque aliter intelligi poſſe: rariſſime vero, quid indubie de hoc aut illo ſtatuendum. b) Vnde quidem duplex via, quam ambulare poſſis, tibi oſtenditur; cui autem ut maxime tutæ neceſſario inſiſtas, non commonſtratur. Hoc potius agamus omnes, ut ante omnia ſacrum codicem aſſidua manu verſemus, non tumultuarie & ſuperficialiter, ſed attente & conſiderate. Meminerimus enim, quod Plinius dixit: Non multa, ſed multum legendum eſſe. Bonus textualis eſt bonus Theologus, ajunt vulgo. Hinc certum aliquem librum Catecheticum vel didacticum, puta, Catecheſin Lutheri majorem, locos Theologicos D. Philippi, & B. qui eos commentariis illuſtravit, Che-

* Cap. V. v. 11. 12. 13. 14.

a) De qua judicium ferre vix cuiquam licet, niſi, qui totam ex utraque parte capitum Fidei omnium ἀναλογίαν ſeu compagem accurate teneat, primaque, quæ vocantur, falſa, ab acceſſoriis, unde perfrequens ad illa provocatio eſſe ſolet, petitionis ejus, quod in principio, ſpeciem ſæpenumero mentiens, diſcernere norit.

b) Vnde & *Socinianorum* prope omnium ſcripta in oppugnandis noſtratium hypo-

mnitii, eligamus, quem nobis familiariſſimum reddamus. a) Hoc fundamento jacto, alios quosdam utiles & orthodoxos libros in manus legendos ſumamus, ut ita judicium noſtrum de quibusvis fidei articulis exactius informemus. Quod ſi tandem his peractis polemica ſcripta evolvere placet, fortaſſis id, præmiſſa Dei invocatione, absque fructu non fecerimus.

Interim & illud ſerio cogitemus, ne temere & facile b) a recepta aliqua in Eccleſia Dei ſententia recedamus, utut contraria ſententia ſpecioſa admodum videatur. *Nam cum varia ſint dona & unus Spiritus*,* fieri poteſt, ut quod uni denegatum eſt, alteri datum fuerit, nec dies unus aut hora una omnia ſuggerit, ſed docet dies diem, & horam erudit hora. Notum alias eſt tritum illud: δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι, id eſt, poſteriores cogitationes ſapientiores & meliores. Sicut enim Deus fruges in anno non omnes omni tempore, ſed ſingulas diverſis temporum vicibus creſcere permittit: Ita non omnia omnibus omni tempore revelat, ſed ut ſemper habeant, ubi proficiant, quædam pro ætate & captu hominum, & beneplacito voluntatis ſuæ diverſimode patefacit. Non igitur feſtinandum, ſed prius tum vivi tum muti magiſtri, viri docti & eorum ſcripta diligenter conſulenda, donec vel leviſſimum quid mutes.

Nec eſt, quod quis mihi verba Apoſtoli: ** *Omnia probate &c.* occinat. Non enim, dum hæreticorum librorum lectionem diſſvadeo, id ſimpliciter de quovis tempore intellectum volo, ſed illud ſaltem tempus innuo, quo fundamenta theologiæ in Academiis ponimus.

Alias

* 1. Cor. XII. v. 4.

** 1. Theſſ. V. v. 19. 20. 21.

theſibus magis occupata videas eſſe, quam adſtruendis, quæ ipſi excogitata ſubtiliusque contexta exhibent, placitis: in quibus tamen pleraque etiam ad rationis, revelationi, ut opinantur, refragantis ἐγκλήματα, ſeu ὑψώματα, quæ dudum jam notavit Apoſtolus, redeunt.

a) Ad ductum elegantiſſimæ, quam ipſe *Chemnitius* LL. ſuis Theologicis præfixit, *de Vſu & utilitate LL. Theolog.* Diſſert., cujus breves admodum commonefactiones b. *Schlüſſelburgii* Tom. V. *Catal. Hæret.* inſerta, & *b. Dorſchæi Theologiæ Zachariance* præmiſſa, Orationes geminæ mirifice illuſtrare queunt: Vt alias de Theologia ſyſtematica lucubrationes, & *Fechtianam* inprimis Diſputationem, omne punctum ferentem, taceamus. Ita certe, & quæ vera ſunt recte, atque ordine eo, quem ipſe Sp. S. præſcripſit, ex fonte genuino imbibi, & falſa ex adverſo juſta quoque trutina ſeu δοκιμασίᾳ ad eandem normam expendi, omnisque tam præjudicatis anticipatisque opinionibus, cœca credulitate probandis, quam temerario ac deſultorio rerum novarum ſtudio provehendo, janua occludi poteſt.

b) *Sit ea*, ita ſcite olim Philippus, *modeſtia ingeniorum, ut honeſtas ſententias, & quidem divinitus traditas, modeſte retineant, etiamſi non omnes præſtigias, quæ contra ſtruuntur, deſtruere poſſint.*

Alias enim nullam ſolidam rationem hactenus vidi, quæ lectionem librorum, qui pro hæreticis habentur, in Theologia exercitatis, puta Eccleſiæ miniſtris & doctoribus, aut aliis etiam eruditis viris prohibere poſſit, immo praxis multorum & magnorum tum in Theologia, tum in aliis ſcientiis & artibus virorum, qui illos diligenter legere, hactenus id refutavit. a) Omnia enim ſuum tempus habent, inquit Sapiens.

Tandem vobis eorundem ſtudiorum ſociis margaritæ loco fidele hoc monitum relinquo, ut quia Theologia eſt doctrina practica, & proinde finis ejus non nuda γνῶσις & ſubtilis θεωρία, ſed potius πρᾶξις, verbum Dei ita diſcatis, ut ei obſequamini. Non in verbis, ſed in factis res noſtræ religionis conſiſtunt, dicit Juſtinus, ὃ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ χριστιανοὺς, dicit Ignatius. Summa Chriſtianæ religionis eſt, imitari eum, quem colis, dicit Auguſtinus. τί ἐστι χριστιανισμός· θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει, dicit Baſilius. Qui vult plene & ſapide verba Chriſti intelligere (inquit religioſiſſimus Thomas a Kempis, lib I. de imitat. Chriſti, cap. I.) oportet, ut totam vitam ſuam ſtudeat illi conformare. Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? Si ſcires tota Biblia & omnium Philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet ſine charitate DEI & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire. Finem loquendi pariter omnes audiamus: * TIME DEUM, ET MANDATA EJUS OBSERVA.

D I X I.

VI.

VERBVM CARO FACTVM EST.

JOHANN. I. b)

HUc ſis, huc animos aureiſque adverte fideles,
Cui ſua cumque ſalus cordi eſt, atque imbibe CHRISTUM,

* Eccleſiaſt. XII. v. 13.

a) Et ipſa quoque Polemicæ Theologiæ rite & ſolide tractandæ, ubi ſane ſcriptorum ſymbolicorum & publicorum adverſæ partis fontes conſulere decet, rationes poſtulant; Quoniam in his etiam haud raro, quod vulgo dici ſolet: *Qui facile credit, facile decipitur*, locum habet.

b) Hoc carmen commemorabile idem illud eſt, quod jam ante Cap. II. §. XXXVI. a b. *Piccarto*, quaſi Confesſionis in modum, ut omni ſe ſuſpicione a malevolis concepta exſolveret, conſcriptum fuiſſe obſervavimus. Eſſe id a *Piccarto*, poeta inſigni, adornatum, hoc minus dubitare licet, quo lu-

Non hauſtum e fœdis exſecrandisque lacunis
Arrio-Photini, Socinive inde renati,
Quorum hodie diros revocat veſana juventus a)
Damnatos olim concordi voce furores.
Sed qualem Veri cuſtos præcoque fidelis
JOANNES pinxit nobis, dictante ſuperni
Flaminis eloquio, cujus jam oracula ſancta
Cedere commentis hominum miſerabile fando eſt.
Verum hos, ſi nondum, mox mox ſua peſtis habebit,
Peſtis atrox, metæque expers, finisque modique.
Nos ita de Chriſto verbis animoque loquamur,
Vt præiit nobis Interpres Numinis ille,
Quem præter reliquos calide dilexit JESUS.
Principio ante omnes res & primordia rerum
Verbum erat omnipotens, cœloque habitabat aperto,
Cum nondum cœlorum orbes raperentur in orbem.

Dignum

culentius ex hoc ipſo exemplari, quod typis exprimendum damus, ipſisſima manu ejusdem ſubſcriptum nomen compareт, eum in finem procul dubie adjectum, ut quibuscunque calumniis tanto certius occurreret, ſuamque hanc eſſe in argumento gravisſimo mentem, cui & immorari & immori conſtitutum ſit, teſtificaretur. Cæterum, in ſuſpicionis conſortium de contagio hæreſeos in animum admiſſo, cum de causſis jam alibi indicatis actum ſit, ipſaque adeo Viri optimi innocentia demonſtrata, tractum eſſe b. *Piccartum*, non eſt cur mireris; quandoquidem, ex Patribus etiam Eccleſiæ haud paucos ejusmodi obtrectationibus fuiſſe obnoxios, nemini ignotum eſt, ita, ut de quibusdam v. g. *Euſebio Cæſareenſi*, Arianone an Catholico? adhuc ſub judice lis ſit, propiori vero ætate proximoque ſeculo his fatis, cum *Capitone*, inſons haud dubie *Oecolampadius* talia paſſus ſit: quem ſibi addictum eſſe, ſuæque teterrimæ ſententiæ deditum, ita ſibi firmiter & aliis perſuaſerat miſer *Servetus*, ut vix ea opinio, teſte *in Epiſt.* num CLVI. f. 294. ed. 8vo *Calvino*, niſi oſtenſis contrariis litteris, ex animo impii hominis evelli potuerit, *Capito* autem in *Biblioth. Sandiana* etiamnum agmen ducat. Vt alios taceamus, qui partim ob *Socinifmum* in *Belgio*, *Gallia*, *Anglia*, noſtraque etiam Germania, ejusdemque illuſtri parte *Marchia Brandenburgica* atque *Sileſia* haud disſimilia fata, vel propter mitiora interdum judicia a diſſentientibus & olim & nuper ſubiere, partim etiam ob qualemcunque ἐποχὴν modeſtam, formulas item loquendi inuſitatas, ipſamque denique litterarum conſuetudinem, ut notum eſt, neſcio quid opinionis incommodæ ſibi attraxerunt, & vel Jovem lapidem, quod ajunt, jurando, obteſtandoque omnia ſacra, ſuſpiciones propulſare vix ac ne vix quidem potuerunt. Quæ cum ſint ex parte vulgo cognita, quædam vero recentiori adhuc memoriæ inhæreant, noluimus in præſenti repetere fuſius, optimoque *Piccarto*, vel tandem ambiguæ fidei criminationes eluctato, gratulamur.

a) Vel hinc quorſum ſpectet hæc confeſſio, & qua *occaſione* edita ſit, non obſcure patet.

Dignum unum Jovæ propter confidere dextram,
Et merito. Verbum quando Deus hoc erat ipsum
Progenitum gignente Deo jam tempore in illo,
Quando haud tempus erat, cum nondum illustris Eous
Ambiret cœlum rutila face cuncta colorans.
Hoc verbum Domini, Dominus quoque cum Domino inde
Vsque a principio fuit, ante exordia mundi,
Anticipans, quem post faceret certaque juberet,
A se dispositum, & firma consistere lege:
Cum mensura modum implevit secreta dierum;
Quemque etiam fecit, nutu omnipotente simulque
Omnia, quæ mundum complent, cœlum, æquora, terras;
Quo sine nil factum, per quod facta omnia, quæ sunt
Facta semel. Verbum hoc opifex, lux, vita, creatis
Cuncta suo irradians splendore facemque ministrans
Adversam tenebris contra & pugnantibus atris,
Cuncta vehens, & cuncta regens, & cuncta gubernans;
Verbum hoc ante Deus cœlo defluxit ab alto,
Vt rursum impleta est mensura statuta dierum,
Virginis & teneram sese demisit in alvum,
Fitque caro puro castæ de flore puellæ,
Sanguinis & fit plenus homo, nec desinit esse
Qui fuit ante Deus, qui non erat incipit esse,
Verus homo, frater noster, si crimina tollas,
Passus acerba famemque sitimque dolorum
Mille modos, ut nos Patri placaret & iram
Verteret a nostris cervicibus, ipse recepit.
Hunc qui pro nobis hæc tanta & talia fecit
Cuius opus stupuere polo cecinere soloque
Angelicæ excubiæ, sancti cecinere Prophetæ,
Assensuque pii firmarunt congrege, tandem
Millia multa suo obsignarunt sanguine, lœti
Ne dicam intrepidi, vireis addente Jehovah.
Hunc tamen, o scelus infandum. flammisque piandum
Et pice sulphurea, sunt qui describere nobis
Præsumunt alium, scabiosi nempe Sophistæ,
Nomen Aristotelis a) sine re sine mente crepantes:

Cui

a) Non in solum *Aristotelem* heic sine dubio invehitur *Poëta*, nisi forte in Collegæ, *Soneri*, Aristotelicam Philosophiam, cui nimium quantum ille fuerat addictus, digi-

Cui si nota Prophetarum æque oracla fuissent
Cernuus in terram mox procubuisset adorans;
Sic illi in superos, quos tum commenta vetustas,
Et cultus fuit & cultus reverentia custos. a)
Sed sit, Aristoteles vocet huc; potiorne videtur
Ille tibi, quam vox toties repetita Prophetis b)
Quin ipsi repetita Deo, quem fallere, falli
Nemo unquam dixit, nemo dicetve piorum?
O animæ excordes, quo vestrum insurgit acumen
Quæve magis fisso jecore erumpit caprificus.
Discite, dum haud serum est, per vestram hocoro salutem,
Qua signat scriptura viam, procedere mente,
Non in inaccessas animos immittere abyssos;
Mergentur, quicunque volent huc altius ire,
Aut etiam oppressos tumulabit fœda ruina,
Qui fodere arcanum hoc rationis acumine pergunt.
Sin atque impietas tortis vos strinxit habenis,
Nec vestrum proferre virus cessetis in Orbe,
Te Jovæ gnatum, veneror, gnatumque Mariæ,
Progredere o Heros, ultore accingere ferro c)

Atque

tum intendere videatur; Sed philosophicum supercilium, universe mysteria ad tribunal rationis revocans, carpit, singularisque hominis nomen pro totius Philosophiæ, limites suos excedentis, ambitu ac vitiis positum est. Tametsi etiam, quæ tunc temporis *Philosophia* potissimum *Socinianos* in transversum abripuerit, haud ignoraret, & vel *Crellii* deinceps scripta, si alios taceamus, vere ita sensisse nostrum, comprobarint.

a) Sic noster de *Aristotele* nimis benigne existimavit. Quem alii Atheorum ordini adscribere non dubitarunt, alii saltim de cultu ejus, etiam in Deos, religioso non magnifice senserunt.

b) Hæc quoque, uti paullo ante *Prophetarum* vox pro quibusvis Scriptoribus sacris, totoque sacrarum litterarum Codice, divinam Revelationem supernaturalem complexo, posita est. Cæterum ipse *Piccartus* noster, quæ h. l. recte exposuit de Theologiæ revelatæ dignitate Philosophorum omnium, Judice quoque *Paullo* ad Col. I. 8., speculationes excedente auctoritateque, ita breviter & nervose in *Obs. Hist.* Pol. Dec. IV. Cap. V. enunciavit, ut, *sanctius & reverentius de actis Deorum credere*, *quam scire* velle, ajat, atque sic rationes religionis ineuntes celebret, eos autem, qui *divinæ majestatis arcana*, *voluntatisque non patefactæ* cumprimis *clausa* temerario *ausu rimari tentant*, *vertigine mentis correptos*, *in speculationibus istis misere hærere tandem*, *& hosti generis humani prædæ cedere*, testetur.

c) Ad Psalm. XLV. 4. hæc respectant, ferrumque gladii, quem Christus *ore* prehensum gerit: quæ, ne quis violenta consilia *Piccarto* quoque probata fuisse opinetur, monemus.

Atque triumphalem, Dux inclyte, ſcandito currum.
Oſtende his furiis, Rex, quantum in arma valeſcas,
Fulmineis adigas ad triſtia Tartara telis
Totam progeniem, fœdos cum matribus hœdos,
Qui tibi, quæ nondum ulla gerunt, a) obvertere tentant
Cornua, Doctorum ſtudium quos aſperat in te,
Et furialis amor, blando ſermone procatus,
Laudibus & vanis alitus, b) quibus artibus ætas
Firmius illa omni ferro aut Adamante ligatur.
Sic age, ſic toti te, quis ſis, aſſere mundo.
Quique tibi haud ficto ſenſu pietatis adhærent,
Hos tecum in tua regna voca, transferque volentes
Illo, ubi collectis dicamus vocibus: Eia
Dicta DEO laus ſit, ſit dictaque gloria Patri,
Dictaque ſit Chriſto, Meſsiæ, Gloria ſancto
Sit quoque Spiritui Seclorum in ſecula mille.
At nos felices multum, multumque beatos,
Quorum nulla unquam vitiabit gaudia peſtis,
Nulla ætas minuet, quibus uſque videre licebit
A facie Dominum; Spectaclum auguſtius ullum
Quo non concipiat mens aut exoptet avara;
Quos circumſtabunt lœtum Pæana canentes
Angelicæ excubiæ, Patriarcharum agmina, Vates
Ora oculique DEI, Regum manus inclyta ſumma;
Quotquot vera fides poſt fata invexit Olympo.

M. Mich. Piccartus.

Ccc ccc VII. RE-

a) *Adoleſcentiam* noſtrorum *Neo-Socinianorum* non obſcure pungit.

b) Quorſum & ipſa *teſtimonia* quibusdam nimis largiter data referri queunt. Qualia ſupra Cap. I. & II. producta ſunt, ab ipſo etiam bono *Piccarto* liberalius, ſed bono animo, perſcripta.

VII.

REFVTATIO

ORATIONVM,

JOHANNIS VOGELII, ET JOACHIMI PEVSCHELII,

QVIBVS PHOTINISMVM SE HOC ANNO ALTORFII RETRACTASSE GLORIANTVR. a)

SCRIPTA A

VALENTINO SMALCIO,

COETVS RACOVIENSIS MINISTRO.

RACOVIÆ,

Typis SEBASTIANI STERNACII,

ANNO MDCXVII.

PRAEFATIVNCVLA.

INTER alios ecclesiarum istarum, quæ a Papatu secessionem fecerunt, nævos, hic non postremus est, quod, qui unam Ecclesiam constituere deberent, in tot fere sectas misere discissi sint, quot egregios præ aliis viros illis Deus concesserat. Nam (ut antiquiores omittam) præter Lutherum, sunt qui Philippum Melanchthonem sequuntur, sunt qui Flaccium Illyricum, sunt qui Zvinglium, Calvinum, Schvenckfeldium, Mennonem, & alios pro fidei ducibus agnoscant, & alios præ aliis stre-

a) Non omnino nulla fuit caussa, cur hanc quoque *Refutationem*, ut Auctor nuncupavit, Orationibus ipsis subjiceremus. Etenim Historiæ totius non solum partem aliquam constituit, de qua disseruimus, commemorabilem; sed etiam nemo adhuc, quod sciam, fuit, qui examinandam sibi sumeret. Vnde perfacile suspicio invicti roboris in eam cadere posset. Quæ etiam nos movit ratio, ut non recudi eam curaremus tantum, sed incudi etiam submittendam putaremus: partim, ne speciosæ cuiquam disputationes *Smalcii*, sic satis in erroribus suis incrustandis ingeniosi, fraudi essent; partim etiam, ut, alias fuisse, cur ipsi, quos nominatim aggressus est, *Vogelius* & *Peuschelius* nihil regesserint, caussas, quam arietis hujus oppositi vim & efficaciam invictam, vel ex brevi hac & succincta discussione eluceret. Cæterum, cur ipsimet erroris quondam *Smalciani* socii nihil militi huic glorioso responderint, non aliud fuisse incitamentum scimus, quam jussum Magistratus sui prudentissimi, qui, ne qua latius diffundendi & controversias hasce, & historiæ cum maxime tristis acta, occasio hinc oriretur, curiositati multorum ὀξυπεινων metam generoso contemtu ac silentio poni voluit.

strenue contemnant. a) *Quod ipsorum factum, ut sacris literis repugnat, sic vehementer Pontificios in ipsorum ignorantia confirmare potest; ad promovendum autem divinam gloriam remora est certe non postrema. Sed multo magis deplorandus is est inter alios nævus, quod ii, qui alios amant & colunt, & amicitiam ipsorum fraternitatemque omni ratione captant, non tantum spe sua frustrentur, verum etiam quovis inimicitiarum, adeoque persecutionum genere ab illis ipsis repudientur & premantur. Vt enim natura ab illis abhorremus, qui a nobis diversum sentiunt, si nos ipsimet parum curent: sic ipsa non tantum religio, sed natura & ratio ad eos nos redamandos cogere videtur, qui, qualescumque tandem sint, amicitiam nobis offerunt. A quovis enim homine amari, beneficium est certe non minimum. Quanto ergo majus beneficium censendum est, si ab illis amemur, qui, nulla alia de caussa amare se nos, præ se ferunt, quam quod persvasum habeant, id omnino ita fieri debere, idque ad gloriam Dei, & nostram communem salutem necessario pertinere? Qualem inhumanitatem experti sunt hoc nostro seculo non semel, nec uno in loco, & etiamnum experiuntur Evangelici (qui vulgo Calviniani appellantur) a Lutheranis quos vocant. Nam etiamsi nihil non faciant Calviniani, quo unio fraterna inter eos & Lutheranos succedat: hactenus tamen ita omni fructu carent isti eorum conatus, ut nonnulli Lutheranorum ad Papatum recedere, quam ad Calvinianorum Ecclesiam accedere malint.* b)

a) Eccur vero dissimulat *Smalcius* non minoris momenti ac numero etiam haud pauciora inter suos dissidia? Quis enim nescit, quantæ fuerint in *Transsylvania* æque ac *Polonia* disputationes eorum, qui unanimiter mysterium sanctissimæ Trinitatis impugnarent? Dimidiam fere scriptorum ipsius *Fausti Socini* partem polemica *hujusmodi* opera constituunt, & reliqui etiam sodales semper habent, de quo, quantum ad aliorum dissensum, in opusculis suis querulentur. Noti sunt *Budnæani, Semi Judaizantes, Francisci Davidis* sectatores, etiamnum superstites, schismate a reliquis jam pridem divulsi. Multo vero celebriores erant, tunc temporis adhuc in *Polonia* quoque passim reperti, & integras Ecclesias diu tenentes *Ariani*: ex qua *Farnovianam* factionem infra commemorabimus famosiorem. De *Baptismo*, eoque sive prorsus omittendo, sive adultis, libere aut necessario, conferendo, quæ magna contentione animorum, inter multas distractiones, disquisita fuerint, *Mart.* inprimis *Czechovicio* ad extremum pertinaciter suis inhærente opinionibus, quem fugiunt? Vt antiquiora de eodem argumento litigia silentio prætereamus. Accessisse & *Ostorodianam* a cæteris dissensionem, inferius ad *Diarium Smalcianum* demonstrabimus. De *Bellis* autem, *Jurejurando, Magistratu gerendo* & similibus, ut sint eo tempore permulta inter *Socinianos* agitata, tanto magis urgeri & reponi *Smalcio*, nostris insultanti, posset, quo promtiores in accusandis, immo damnandis etiam, nonnullis, paullo laxiori sententiæ deditis, cæteri rigidiores fuerunt. Tacemus reliqua & minutiora, quæ enumerare nimis longum esset, sententiarum divortia.

b) Si quæ nonnullis exciderunt forte Syncretismi odio σκληρὰ ἀκούσματα, ut sa-

Experimur & nos, qui vulgo Arriani vel Photiniani priori titulo falso, posteriori captiose a) *audimus, parem vel etiam majorem inhumanitatem*, b) *tum a Lutheranis, tum a Calvinianis. Nam nec librum sibi a nobis dedicari utrique ferre possunt, ut exempla Argentinensis Senatus, si ipso-*

cilis est in hisce a via regia declinatio, quando comparationes præsertim instituuntur varii generis; non tamen ea omnibus nostratium promiscue imputanda sunt. Neque etiam *Apostatarum* colores defectioni suæ utcunque illitos pro veris mutatæ sive mentis, sive professionis, caussis habere oportet. Quicquid vero horum sit, (quorsum enim spectet *Smalcius*, non satis liquet,) hoc tamen certum est, ab unione cum *Calvinianis*, vulgo sic dictis, nostros haud injuria abhorruisse, eo videlicet modo nunquam non oblata & adornata ab illis, ut sub *involucris confessionum generalium & ambiguarum* errores Ecclesiæ puriori blande inferrentur. Cujusmodi in ipsa *Polonia* luculentissimum fuit *Consensus Sendomiriensis* documentum, A. 1570. editum; quippe quo, post multas adversæ partis, hyænæ vocem imitantis, tergiversationes, (consulto omittimus alia,) & simulationes nihil aliud effectum est, quam ut *plurimi auditorum Calvini placitis sint infecti, multi ad Papatum redierint, quidam autem jam olim damnatas hæreses, aut noviter excogitatas, approbarint, paucissimi autem sanam doctrinam retinuerint. Quæ* verba sunt *Hist. A.C.* veræ, Apologiæ Form. Conc. contra *Ambros. Wolffium* subjectæ. Vbi porro, *ejusmodi conciliationes semper infelicem & tristem sortiri exitum, & habere solere*, idque *universalem omnium seculorum experientiam testari*, additur. Nobis itaque quibus *doli*, creberrime jam detecti, jure merito suspecti sint, & lucem cum tenebris combinandi studium, cum Paulli verbis 2. Cor. VI. 14. sq. idem cum ἀπίστοις jugum trahere prohibentis, conciliari non posse videtur, vitio id vertendum non est; si in rebus hujusmodi suspenso pede incedamus, utpote quibus neque de veritate divina deserenda, neque aliorum salute periculo vel levissimo temere exponenda, neque etiam totius Ecclesiæ purioris doctrina sana cum corruptelis commutanda, aut inter minutias rejicienda, pacisci licet, sed ἀντέχεσθαι potius πιστοῦ λόγου severe injunctum legitur.

a) De *Arianismo* equidem facile largimur, eum *Socinianis* falso, si accurate dogmata utriusque sectæ expendamus, tribui, etsi παχυλῶς propter negatam utrinque divinitatem Christi summam id fieri posse, nemo etiam temere abnuere possit. At *captiose* Photinismum *Socini* gregi adscribi, vix persuadebit cuiquam *Smalcius*. Quis enim nescit, hunc eadem prorsus, quæ *Photinus* olim de Christo ante suam ex Maria virgine nativitatem, docere; unde non possunt non reliqui errores decumani consequi? Vtut tam dilucida de *Photino* ejusque doctrinæ in capita fidei cætera diffusione præsto non sint, (pauca enim fragmenta citationum superesse constat,) quam systema doctrinæ *Socini* exhibeat: qui tamen antiquorum momentorum defectus, ut *captiose* Photiniani dicantur, postquam mens eadem utriusque partis *summatim* clarissime exposita est & cognita, non sufficit.

b) Quicquid sit de Pontificiis, quorum caussam non agimus; de Lutheranor. certe & Calvinianorum *inhumanitate* injusta est *Smalcii* querimonia, a quibus nulla ipsis unquam vis est illata, si a *Serveti* & *Val. Gentilis* caussa, obscura valde et intricata, discedas. Quæ enim de Ariano homine *flammis ultricibus a Jacob.* I. R. Angl. *tradito Casaubonus* in Dedic. *Exerc. Anti-Baron.* v. 3. *narravit, non satis* intelligimus, neque dijudi-

ipſorum conſenſu, id quod ante annum prodiit, editum eſt a), *& Illuſtriſſimi Principis Landgravii Haſſiæ* b) *docent, quod tamen Pontificii reges & principes, in viris Evangelicis & noſtris, ſæpiſſime non iniquo tulerunt animo:* c) *ubi vero poteſtas ipſis Evangelicis data fuit, aliquem ex noſtris capiendi & duriſſime tractandi, ibi nihil reliquum fecerunt plerique. Nam & Palatinus regni Vngariæ non ita pridem Miniſtrum noſtri cœtus, qui in fines Vngariæ viſitandorum ſuorum gentilium & conſangvineorum cauſſa venerat, &, ut fieri ſolet & debet, cum aliquibus de religione privatim collocutus fuerat, libroſque, certe non multos, illis rogatu illorum dederat, per milites capi, carcere inhoneſto detineri, compedibus ad truncum more Vngarico alligari, libros comburi juſſit, combuſturus fortaſſe, vel alia ra-*

camus. Sed forte inhumanum illud eſſe opinatur *Socini* Schola, quod janua *Socinianis* ad diſſeminanda impia dogmata, ab utriſque, & noſtris præſertim, qui nec *Serveti* ſupplicium ſibi imputari ſinunt, nuſquam fuit aperta. At hanc nobis mentem non inhumanam, ſed pro veritate cœleſti, tanquam depoſito divino, cuſtodienda, vigilantiam ipſum Sp. S. imperare ſciat, quotieſcunque ἐλέγχειν τὺς ἀντιλέγοντας, & quidem ἀποτόμως, atque, ne κενοὶ ac βέβηλοι λόγοι irrepant in Eccleſiam, nos περὶϊςασϑαι jubet. Cum Sp. S. itaque, non cum noſtris, diſceptet, aut errores miſſos faciat.

a) Quorſum hæc ſpectent, ex Cap. II. §. XLV. hujus Hiſtoriæ L. B. addiſcere poterit, ubi ex inſtituto hac de *Dedicatione*, ſcriptaque & eidem oppoſita *Apologia*, diſſeruimus.

b) Etiam hujus Dedicationis *Moſcorovianæ* ſupra l. c. §. XXXI. mentio facta eſt. Sed quis eventus fuerit audacis iſtius inſcriptionis, minime, ut putamus, gratus, nondum diſtincte reſciſcere potuimus: etſi litteris forte ſcriptis Principem ſapientiſſimum, magnopere ſibi Nuncupationes hujusmodi diſplicere, non dubitemus eſſe teſtatum, idque revera factum eſſe, legiſſe alicubi recordemur. Quemadmodum etiam de *Heidelbergenſi* Academia, cui *Smalcius* ipſe obtulit *F. Socini Prælectiones Theol*, & de *Gedanenſi Republ.*, cui nonnihil operum ſuorum idem dedicavit, nihil certi, quo exceperint affectu, conſtat.

c) Non negamus, Regibus etiam quædam inſcripſiſſe & Principibus opuſcula ſua *Socinianos*, v. c. *Catechiſmum Lat. Racovienſem* Angliæ Regi *Jacobo* I., & librum *de Divinitate Chriſti* Smalcii *Sigismundo III.* Polon. R., cui eum *Jacobus Siennius Palatinides Podoliæ* μετὰ πολλῆς φαντασίας dicavit, multaque in ea Epiſtola de *Divinitate Chriſti*, ſed meris ambiguitatibus contecta, declamavit. Sed quemadmodum prior illa *Moſcorovii* audacia execrabilis viſa Regi, *Caſaubono* teſte, & feralibus flammis expiata eſt: ita mirum profecto non erat, *Sigismundum*, Regem licet Pontificium, non ægre tantam impudentiam tuliſſe: quoniam neque de *Socinianis* ille magnopere ſolicitus erat, neque de Diſſidentibus, ut vocant, reliquis, immo nec de Pontificiorum ipſorum ab iſtis diſſenſu, ſed rebus ſuis provehendis ſtudebat enixius, atque hinc varias iſtas de Religione Polonorum opiniones in rem ſuam, & fovendo eas & tolerando haud illubenter, convertebat. Non erat igitur, cur *Smalcius* hanc Regis ſui æquitatem, aliorſum ſpectantem, tantopere deprædicaret. Aliis de reliquo Regibus quæ ſint a *Socinianis* inſcripta, cum cognita nobis haud ſint, non eſt, quod de iſtis magnopere laboremus.

tione vita privaturus, aut in æterno carcere detenturus, ipsum Ministrum, nisi Generosæ nobilitatis polonicæ diligentia & auctoritas vix aliquid clementius impetrasset, ut scilicet spoliatus omnibus rebus suis, a patria relegaretur. a) *Senatus vero Norimbergensis, cujus prudentia hactenus alias Respublicas superare visa est, eo prolapsus est nuper etiam amari & præposteri zeli, ut in paucos quosdam studiosos, quibus Deus id, quod nostræ Ecclesiæ hactenus profitentur, alto suo consilio* b) *revelarat, tam graviter animadverterit, ut nova papalis tyrannis* c) *eos invasisse merito dici possit. Homines enim liberos,* d) *catenis ligatos,* e) *ex Academiis satis remotis Norimbergam deduci curavit, & ibi in carceribus squalidissimis* f) *per non paucos menses conclusos, minis etiam carnificinæ* g) *propositis, tandem eo adegit, ut veritatem abnegarent, & publice etiam retractarent. O Deus, ubinam gentium sumus? Hæccine fieri decet inter eos, qui verum Christi Evangelium præ aliis sibi revelatum gloriantur? En in medio illorum, qui Antichristum deseruerunt, Antichristus regnat? Quis tandem hujus tyrannidis finis futurus est? Num fortasse credunt, hac ratione divinam veritatem suppressum iri? At contrarium eos omnia, quæ hoc seculo elapso in Europæ potissima parte facta sunt, adeoque illorum ipsorum in religione profectus, docere poterant. Veritas* h) *ut palma premi potest, sed nullo oneri tamen cedit. Et videtur quidem ipse Deus calculo suo comprobare, quam vehementer illi istiusmodi omnia displiceant. Nam & Palatinus ille Vngariæ, malam apud plerosque gratiam iniisse dicitur; & ipsemet, qui minas & mortem spirabat, paullo post diem suum obiit; pro nobis vero adversus Noribergenses ipsemet* Deus

a) Quid illud rei fuerit, ignoramus. In *Diario* certe horum nihil, quod miramur, annotavit *Smalcius*. Vbi ergo circumstantiæ desunt, in medio talia relinquere tutius est.

b) Ita *Smalcius* hypothesium suarum amore abreptus. Alii enim aliter judicarunt, & ipsi quoque fascinati antehac deinceps agnoverunt.

c) Quæ tyrannis papalis, si honesta *ob alias caussas* custodia adstricti, ex S. litteris de veritate *libere disputando & colloquendo* informentur? Nonne hæc Christi & Apostolorum methodus fuit? Cætera enim *civili de caussa* facta esse, jam multoties ostendimus.

d) Non erant liberi, sed cives beneficiarii, ad rationes reddendas multis de caussis obligati.

e) Nec alia ligationis, & quidem honestæ, *Syndico* comite & ductore, quam prudens, ne elaberentur de perfidia suspecti, ratio fuit.

f) Ne squalidi quidem fuere carceres, multo minus *squalidissimi*, sed honestissimis civibus, etiam nobilibus, ob varias quoque civiles caussas destinatæ turres. Quod nemo ignorat, qui vel a limine *Noribergam* salutavit.

g) Falsa hæc sunt & ex mendacissimo *Fornero* descripta.

h) Ita est: Sed *Socinismum* pro *veritate* venditare nemo ausit, nisi *Smalcius* & *Smalciani* erroris misere decepti sodales.

Deus a) *eum excitasse dici potest, qui alioquin non minus nos detestatur, atque ipsimet Noribergenses, qui, rei indignitate motus, talem libellum conscripsit, qui satis superque docet, istiusmodi factum, viris judicio saltem sobrio* b) *præditis, minime probari. Sed & ipse cœtus noster non intermittet, pluribus suo tempore docere, quam graviter hic ab iis, quos non pro fratribus habemus,* c) *peccetur, adeo, ut id solum, si nihil aliud esset, sufficere possit ad eos vita æterna privandos, nisi serio resipiscant, & ista male a se facta deplorent.* d) *Ego vero omissis istis omnibus, brevissime nunc docebo, quam vana sit consolatio & spes, quam ex ista duorum studiosorum Johannis Vogelii, & Joachimi Peuschelii revocatione (si qui sint, qui conceperunt) conceperint.*

REFUTATIO EORUM.

Quæ in oratione Johannis Vogelii, de vera & æterna Jesu Christi divinitate, habentur.

PRIMUM, non probatur in orationis tuæ titulo verborum ambiguitas, Vogeli: *Oratio de vera & æterna Jesu Christi divinitate.* Tu enim non potes nescire, veram dari & æternam Jesu Christi divinitatem, quæ tamen non sit ab æterno: e) & dum istam ambiguitatem

a) Itane Deus excitavit, *Smalci*, scurram, si quis alius, petulantissimum insulsissimumque? Hoccine credibile aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam ut sit, quæ id, quod *Smalcius* ait, approbet? Sed forte ad *Simei* istius instar, qui *Davidi* maledixit, hæc intelligi vult *Smalcius*. Ita sane suspenso gradu, *posse id dici*, conscientia forte reclamante, affirmans, subinnuit. At male hæc ad præsens negotium applicari, ipsa *caussæ ingens differentia* ostendit.

b) Aut non legit *Cosci ollaris* impium illud maledici *Forneri* scriptum *Smalcius*, aut ipse non satis ab affectuum intemperie *sobrius*, *hæc dum scripsit*, *fuit.* Provocamus ad Lectorum scurrilis Opusculi illius quorumcunque vel mediocrem æquitatem & judicium sanum, absque omni partium studio, utcunque institutum, ne dicamus, defœcatum: quos adstipulatores nos habituros minime dubitamus, & quovis pretio aut pignore interposito spondemus.

c) Habeant, per nos licet, *Sociniani* pro fratribus, quoscunque volupe est, hoc tam splendido, aut, si malis, suavi & amico nomine dignari. Nobis cum *Paullo* constitutum est, quibuscunque, qui *aliud Evangelium* prædicant, quam ipse annunciaverat olim, *anathema dicere*, insalutatosque, ut *Johannes*, moderatissimus cæteroquin discipulorum Christi, imperavit, res suas sibi ut habeant, jubere, & pro eorum tantisper conversione deprecari.

d) Solita hæc est *Smalcii* ira, in transversum abrepti, prædamque sibi ereptam dolentis jactantia. Nihil certe posthæc eorum, quæ magno hiatu hic promissorum fert & ostentat, in lucem prodiit. Meliora vero errantes *edocere*, tantum abest, ut, vita æterna privandos esse, qui id agunt, hinc consequatur, ut Jac. V. ult. inter primaria pietatis opera connumeretur.

e) Mali ominis exordium a *tricis* manifestis ductum. Quis enim dubitare poterat, de vera, *non* titulari, & æterna, *non precaria*, atque ex gratia, sive ante sive post adscensum in cœlos demum, concessa dignitate, sed *essentia* divina, qua Patri

tatem non detegis, tacite apud incautos nos traducis, quasi de vera & æterna Jesu Christi divinitate dubitemus, quam tamen proram & puppim nostræ religionis agnoscimus. Divinitas enim potissimum in potestate consistit, & vox Deus potissimum, immo proprie, ob potestatem iis, de quibus prædicatur, tribuitur. Cum vero ea sit Christi divina potestas, quæ ad salutem nostram procurandam & perficiendam perfectissime sufficiat, eaque in æternum duratura sit (nemo enim Christo Servatori successurus in gubernatione populi divini est) vere vera & æterna est divinitas, adeoque Christus verus & æternus Deus appellari jure potest.

Deinde priusquam ad ipsam probationem ejus, quod probandum sumsisti, accedis, satisdationis loco palam omnibus vis facere, *quod omnem Photinianam blasphemiam detesteris, omnemque Socinianam impietatem averseris.* Itane satis digni tibi visi sumus, nos & Socinus, in quos ita juvenili æstu involares? Cur nobis nomen affingis, quo nos appellari nolimus, a) quia id non deceat? Vtut enim idem nobiscum

ὁμόχρονος sit, & nunquam non fuerit Christus, orationem institui. Qua notione etiam vox *æternus*, si absolute adhibeatur, ordinarie intelligenda est, h. e. ea, ut durationem etiam *ab omni æternitate*, fine principio æque ac fine, includat. Hoc ergo sensu, quando æternum Deum *Vogelius* appellavit propitiatorem nostrum, sophistarum morem imitatus est *Smalcius*, & cavillationibus indulsit, in alium sensum vocabulum isthoc rapiendo; at hoc ipso documento, quantum sit confessionibus *Socinianorum* de vero & æterno Deo Jesu Christo tribuendum, clare prodidit. Per nos licet *summam* substituant sycophantæ; Sed neque hoc termino, quasi & nos subordinatum verum Deum, eadem voce utentes, perinde ut ipsi, concedamus, abutantur, rogamus, & contra eam calumniam protestamur. Quod reliquum est, utrum *æternam* illam suam, *fine fine* nimirum, tametsi initio non careat, duraturam Jesu Christi divinitatem, cum potestate illa in judicio extremo tradenda & *abdicanda*, & *subjectione* 1. Cor. XV. commemorata, eumque in modum, ut *Sociniani* solent, explicata, conciliare possint, qui disputatorem hunc nostrum sequuntur, ipsi videant.

a) Quicquid sit de *Photini* cæteris hypothesibus, quæ, fatemur, hodiernis temporibus obscuræ sunt, postquam ipsius pariter & antagonistarum pleraque scripta injuria temporum interciderunt; hoc tamen dubitatione caret, præcipuum illud & capitale dogma, unde reliqua omnia promanant: *Jesum ante nativitatem ex Maria virgine matre nullatenus extitisse*; commune *Socino* atque asseclis ejus esse cum *Photino*, ac proinde *a potiori* & πρῶτῳ ψεύδει eos quoque, vel distinctionis gratia, maxime vero omnium, quod *Ariani* nolint appellari, denominari. Non ergo satis caussæ habuit, immo nihil prorsus caussæ fuit, cur tantopere & *Vogelio* & *Peuschelio* propter cognomentum isthoc, in *Socini* scholam optime conveniens, denuo insultaret, iisdemque *juvenilem æstum*, ac *puerile* quiddam impingeret. Vt taceam, a b. quoque *Ittigio* nostro in *Historia*, quam congessit præstantissimam, *Photinium* eadem, quæ *Sociniani*, in reliquis quoque Theologiæ capitibus docuisse, jam sic satis accurate esse ostensum.

biſcum de Chriſti perſona ſenſerit Photinus, tamen nos ea in re non illum ſequimur, ſed una cum illo ipſas ſacras litteras, quæ niſi id diſertiſſime teſtarentur, quod ſenſit Photinus, nulla apud nos eſſet Photini auctoritas. Et puerile ſane eſt, aliquem ab eo appellare, cum quo in una aliqua re conſentit; cum fieri poſſit, ut in alia re, non minus gravi, ab eo diſſentiat, cum alio vero conſentiat, & ſic ab alio eſſet denominandus etiam, cum quo ea in re idem ſentiret. Quemadmodum plane incertum eſt, Photinum idem quod nos, de Chriſti munere, vel modo, quo noſter ſervator ſit, ſenſiſſe; & tamen Peuſchelius nos Photinianos ita appellat, ac ſic conſtaret, Photinum eandem de Chriſti munere nobiſcum ſententiam ſectatum eſſe. Quæ porro blasphemia in eo eſſe poteſt vel impietas, ſi quis confiteatur, Jeſum eſſe ſuum Servatorem, Dominum, & Deum, & omnium hæredem, & judicem, quod Photinum confeſſum eſſe credibile eſt? De Socino vero qui id negare vellet, eum inſigniter impudentem eſſe oporteret. Quidvis aliud, quam blasphemia & impietas, objiciendum eſt, ſi id, quod dixi, de Chriſto publica confeſſione prædicetur, a) etiamſi tandem falſum eſſet, quod quis de Chriſto confitetur, ſed nedum ut blasphemias & impietates (quæ certe convitia ſunt gravia, præſertim in juvene) in confeſſione Photini, (quoad filium Dei) & Socini in omnibus aliis fidei chriſtianæ articulis ha-

Ddd ddd ctenus

a) Inutilis eſt & ad rhombum nihil omnino faciens hæc querimonia. Neque enim illud, quod faſſus erat diſputator, Chriſto *Socinum* tribuere, cauſſa eſt, cur blaſphemia ei cum grege eadem dogmata ſectante adſcribatur; Sed quod longius non progrediantur, & *ſermonibus, injuriam* Propitiatori optimo *inferentibus*, divinitatem inficientur ſummam æternamque, eamque pertinaciter illi denegent, &, quam videntur tribuere θειότητα, *precariam, fictitiam, gratuitam*, ipſi ut *mero homini*, tanquam officii mere prophetici rite peracti præmium, donatam, unde & conſimilis invocatio atque adoratio, ſi qua exhibenda ſit, pendeat, confingant. Quæ ſi cum regia ac ſacerdotali dignitate, geminoque munere, ſive prorſus improprie accepto, ſive vicariis tantum partibus, ad tempus durantibus, circumſcripto, compares, cæteraque ſyſtematis *Sociniani* non meliores, nec honorabiliores Chriſto ac Sp. S. quoque, hypotheſes expendas, profecto *ſine injuria* de ſummo Numine & ſanctiſſimo Soſpitatore atque Conſolatore, eas neutiquam vel mente cogitari, nedum, ut fit in ſcholis *Socinianis*, tam proterve propugnari poſſe liquet. Cæterum & *juvenum* eſſe, cujusmodi *Titus* ac *Timotheus* erant, & virorum, τοῖς ἀντιλέγουσι ἀποτόμως contradicere, & ſcapham ſcapham appellare, immo etiam ἀνάθεμα dicere, non ſolum communis Chriſtianorum pro veritate zelus permittit, & Johannes Cap. II. Epiſt. I. docet expreſſe, ſed *Paullus* etiam multoties diſtricte imperavit. Oſtenſos vero errores eſſe, non tam confeſſio adverſarii externa, quæ raro convictione interna extorquetur, quam argumentorum ipſorum robur & virtus demonſtrant.

ctenus quis ostenderit, nec errorem minimum acutissimi etiam ostendere potuerunt. Jam si etiam considerasses, Vogeli, quid evangelii caussa Socinus reliquerit, & quomodo exul ab illustri patria & familia, in Polonia vitam suam per annos fere triginta traduxerit, ab istis protervis vocibus certo tibi temperasses. Talia enim qui hodie Christi caussa facere vel pati velint, pauci admodum reperiuntur: immo qui levi de caussa a) id, quod semel publice & sponte sua pro veritate salutari professi erant, revocant, & blasphemias deinde atque impietates id appellant, pii haberi volunt. Sed ne erres Vogeli, Deus non irridetur. Dies uniuscujusque opus manifestum faciet. Sed jam hoc Deo & pii lectoris judicio relicto, pergamus ad alia.

Instituis ergo probationem ejus, quod Christus sit verus & æternus Deus, productis primum illis verbis Johannis: *Et sermo ille erat Deus.* Vbi statim videre potes, quam non respondeant tuæ thesi verba Apostoli. Tu enim per Deum verum & æternum, Deum illum unum, & summum intelligis, nisi monstri aliquid alis: Johannes vero tantum simpliciter dicit, sermonem esse Deum, non omnem vero, qui est Deus, esse Deum illum unum & summum, b) res ipsa loquitur, & logica, cujus ductum te sequi fateris, docere te poterat. Et saltem in hoc caussam tuam claudicare agnoscere poteras, quod ne unum, ex tam vasto sacrarum litterarum codice, locum adducere potueris, in quo Christus Deus ille unus vel summus c) appelletur; sed consecutionibus ad id evincendum uti cogaris. Vnde constat, istam opinionem, etiamsi vera tandem esset, (cujus contrarium mox ostendemus) ad salutem tamen minime esse necessariam.

a) *Levi de caussa, an gravi*, deseruerint cives nostri, glaucomate sophismatum antea decepti, hæresin ante approbatam, eamque publice recantarint, æquorum esto, argumentis utrinque bene comparatis, judicium. Adversarii sane pertinacis, ἐν ᾧ ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα, assertis, multa licet contestatione stipatis, temere nemo credet.

b) Præstruit miser, esse præter Deum summum, etiam *subordinatum.* Qua si nostri disputarent methodo, alta voce, peti id, quod sit ἐν ἀρχῇ, exclamarent adversarii. Sufficit hoc loco, illum intelligi Deum, qui, *quæcunque* sunt *facta*, (*non restituta*) cuncta condidit, coll. Hebr. I. 10. cum comm 3. sqq. unde, Deum illum esse creatorem omnium a Deo distinctum creatore, eaque de Christo, sine accommodatione, *non dici tantum* quodammodo *posse*, sed a Sp. S. diserte *dici*, liquido patet.

c) Impudentissime hæc postulas, *Smalci!* perinde ut solebas cum tuis, ipsum tibi Trinitatis vocabulum in Scr. S., ostendi exposcere. De rebus disputamus, Spiritumque S. tanta mysteria clare, sed sua ut intelligeretur, significantissima ῥήσει enunciantem sequimur. Quanquam &, ipsum Jesum Christum θεὸν ἐπὶ πάντων atque ὕψιστον eum appellare, supra jam in ipsa hac oratione demonstratum sit.

riam. a) Omnia enim, quæ ad salutem sunt necessaria, ῥητῶς in sanctis litteris extare, b) jam omnibus constare potest.

Morem tu quidem Spiritus sancti notandum mones, *quo appellationem Dei aliis etiam, qui verus ille Deus non sint, puta angelis & judicibus tribuat ille quidem: at nusquam tamen, sive de uno, sive de pluribus eorum diserte, citra omnem limitationem, seu aliam quamcumque additionem asserat, quod Deus aut dii sint, sed hoc honoris soli illi vero & uni Deo exhibeat.* Sed & hic neminem te habere certum est, ex viris & auctoribus divinis, qui tecum faciat. Immo contrarium diserte testantur sacræ litteræ. Nonne enim diserte citra omnem limitationem seu aliam quamcumque additionem, judices Dii appellantur, teste Davide, & ipso Christo verba Davidis absque ulla additione allegante? nam quod tu pro limitatione addis, *Sed moriemini ut homines*, id nonnisi inepte a te factum est. Hæc enim verba non ad limitationem divinitatis, sed ad declarationem c) naturæ illorum, quos deos Deus appellarat, dicta esse nemo non videt. Jam si hæc limitatio divinitatis censenda esset, Christus etiam non fuit, vel te ipso judice, verus & unus ille Deus, nam & ille cum in terris degeret, & Deus esset reipsa, mortalis fuit, & deinde mortuus. d) Præter hanc ineptiam, nescio an non dolus etiam in oratione tua lateat. De angelis enim, quos Deos appellari ipsemet asseris, non docuisti eos Deos non appellari sine limitatione, vel aliqua alia additione. e) Simplici-

a) De veritate jam disputamus, non momento hujus controversiæ.

b) Μέγα λίαν αἴτημα: Quod nemo, nisi laxæ religionis homo, cui Dei cognitio inter postrema forte rejicienda videtur, totius licet cultus divini fideique inconcussæ hoc fundamentum sit, affirmaverit, aut certe solide nunquam quisquam probabit.

c) *Logomachia* hæc est. Nihil enim aliud per *limitationem* intellexit orator, quam *declarationem* istam illico *subjectam*; unde, quo significatu magistratus dicatur Deus seu potius dii, non proprie videlicet, sed translate, Lectorum quisque colligere queat.

d) *Christus mortuus est*, ut homo, neque tamen necessario, sed *libere*, nostræque salutis promovendæ caussa, aliter vero de hominibus illis, quorum l. c. fit mentio, mors commemoratur, nempe ut *pœna insolentiæ* eorum, qui summa in his terris potestate sua abutantur, ut vel tandem, se moriendo fragiles esse homines, sentiant, infligenda. Quæ conjunctim spectata illam declarationem continent, ad quam digitum intendit *Vogelius*, verborum brevitatem sectatus, & in Christum θεάνθρωπον neutiquam congruit.

e) Nihil hujusmodi de Angelis consulto meminit *Vogelius*, quoniam vel ipsa Angelorum natura toties in Scr. S. descripta, quo sensu Dei aut Deorum forte nomen ipsis tribuatur, condocefacit. Ad hæc vero sine dubio ea caussa accesit, quod incertum prorsus, aut certe valde obscurum est; utrum de Angelis unquam nomen *Elohim* revera usurpatum occurrat. De nomine *Jehovah* profecto res est expedita,

pliciter enim dicitur, Deum hominem paullulum minuiſſe præ diis, ut habetur in Hebræo. a) Jam, ſi verum ſit, quod tu mones, angeli eſſent ille unus Deus, unde conſtare puto, quanti ſit faciendum, quod tu inprimis notandum eſſe monuiſti, &, pro more ſpiritus ſancti, temere venditaſti.

Apponam autem hic, antequam tua amplius examinem, aliqua eorum, quæ vocis *Deus* in verbis Johannis limitatio ſunt, & impediunt, quo minus Chriſtus Deus ille unus ſit, etiamſi ſimpliciter Deus a Johanne appelletur. Vnum eſt, quod ſermo ille, qui Deus dicitur, apud illum Deum, ſcilicet unum, fuiſſe dicatur. Deus autem unus apud Deum unum eſſe dici non poteſt, ſine ingenti abſurditate & contradictione, b) nemo enim apud ſeipſum eſſe poteſt. c) Alterum eſt, quod prius de eo, qui Deus appellatur, dictum ſit,

nusquam illud creaturæ datum reperiri, & ſi quando id videatur factum, vel *Legatum* illum *fœderis divini*, quem vulgo *Angelum increatum* appellant, apparuiſſe, vel nomen Domini, more paſſim recepto, ad præſentiam legati, aut ab ipſo etiam legato, vicem Principis ſui obeunte, adhiberi patet. At de nomine *Elohim* (*El* enim procul dubio validiorem quemque denotat, ex *Ajil* deductum) & nos dubitamus: quoniam Pſ. 97. generatim *Col Elohim*, *quicquid Dei eſt*, ac proinde etiam Angeli, pars divini miniſterii præcipua, Chriſtum adorare jubentur; altero vero in loco Pſ. VIII. ipſe ſummus Deus intelligitur, a quo Chriſtus *ad tempus* deſertus ſit, utpote qui Angelorum quoque miniſterium eidem in ſtatu humilitatis extremo denegaverit: ita, tamen, ut *Paullus* Hebr. II. *non tam verba, quam ſenſum verborum* expreſſerit. Si neque hæc placeat l. c. utriusque explanatio, vel hinc tandem, etiam de Angelis κατὰ χάριν nomen Dei, *minusque proprie* accipi, patebit, quomodo de Angelis ipſe Sp. S. ſe vocabulum illud intelligi velle teſtatur. Cujusmodi de Chriſto translatæ notionis documenta ex Spiritus divini verbo depromi haud poſſunt: quippe cui mere divina eſſentialia (niſi de humana ejus natura manifeſto inſtituatur oratio) ἀυχήματα, tam facta, quam proprietates, atque nomina adhuc luculentiora, eaque communita epithetis ſignificantisſimis, divinamque eſſentiam arguentibus, cum cultu religioſo, & ſimilia conſtanter tributa leguntur.

a) Quocunque modo l. c. vertas, nihil tamen aliud inde exſculpes, quam, quæ *generatim* Pſ. VIII. enunciantur, ea *diſtinctius* in Ep. ad Ebr. explicari, ut *modus* quoque definiatur: quod in eadem Epiſtola, Judæorum more, cum quibus potisſimum diſputatur, ſæpius fieri v. g. ex Cap. XI. 21. & XIII. 15. coll. Gen. XLVII. 31. & Hoſ. XIV. 3. perfacile eſſet oſtendere, ſi longius digredi vellemus. Cæterum conf. b. *Thom. Ittigii* Paullin. in Part. Pſ. VIII. Commentar. expenſ. ſeu exercit. Theolog. ad Hebr. II, 9. opuſcul. ejus var. inſert. p. 56. ſqq.

b) Repetat tantum *Smalcius* de Deo, ſive *perſonaliter* ſive *eſſentialiter* conſiderando, tritisſimam diſtinctionem, Scripturamque præeuntem *obſequio fidei* pio, animoque rationi tumultuanti frænis injectis, morigero ſequatur, & facile ſpondeo, tam abſurditas imaginaria, quam contradictio ficta evaneſcent.

c) At quoties pater *in Filio*, & filius *in patre*, immo pater & filius ſimpliciter *unum*

ſit, eum in principio fuiſſe, & apud Deum fuiſſe, & tunc demum additur, quod Deus fuerit. Jam ſi Chriſtus ab æterno fuiſſet, & apud Deum ab æterno fuiſſet, non opus fuiſſet addi, eum Deum fuiſſe, nemo enim ab æterno eſſe, & eo modo, quem vos confinxiſtis, apud Deum eſſe poſſet, niſi Deus. a) Reliqua mitto, brevitate enim tecum certare propoſitum mihi eſt.

Jam videamus, quænam tu documenta afferas, quæ cogant in loco Joannis per Θεὸν, unum illum Deum intelligere. Et primum quidem, quam infirmum ſit, expende, dum ais: *haberi hæc verba in loco proprio*, & locum proprium explicas, *in ipſiſſima doctrinæ de præſtantia & excellentia Chriſti ſede.* Eſto enim, ita rem ſe habere, ut ais, quænam rogo ratio eſt conſequentiæ? Hæccine, quam addis, *quod in ipſisſima doctrinæ de præſtantia Chriſti ſede, ut in omnibus ſcripturæ locis ſimilibus, a verborum ſenſu communi & proprio, absque cauſſa gravisſima, eaque ex ſola ſcriptura petita, recedendum non eſſe moneant theologi cordatiores omnes?* At quid iſta ratio aliud eſt, præter nudam rei falſiſſimæ aſſertionem? Quinam enim iſti ſunt theologi cordatiores, iique omnes, qui ita moneant? Certe præter eos, qui nobis adverſantur, b) nullos nominabis. At quid eſt aliud opponere adverſario adverſarii auctoritatem, c) quam cauſſam ſuam prodere? Theologorum

eſſe dicuntur? Quæ ſane, niſi illam *eſſentiæ unitatem*, præſertim ſi toties ſimul *alium* dici P. & F. & Sp. S. legas, cum *perſonarum diſtinctione* recte compares, ἀσύςατα videbuntur; comparata vero, ut par eſt, divinum illud, quo τρεῖς ἕν εἰσι, myſterium aperte demonſtrabunt.

a) Ipſemet igitur contradicens vim argumenti ex loco *Johannis* deducti agnoſcit; mirum in modum autem hallucinatur, quando ex præmisſis fundamentis concluſio ut inferatur, neque *Johanni* id facienti, neque *Vogelio* id factum eſſe oſtendenti, concedi poſſe, perperam opinatur.

b) Soli ergo vident *Sociniani*, cæteri omnes in meridie cœcutiunt, qui illis adverſantur, niſi prorſus hi lumine etiam capti videantur. *Vah! quantum ſupercilium!* Certe hoc ipſum valde ſuſpectam reddit *Sociniſmi* cauſſam, quod in explicatione Scr. S. non ab hominum tantum aliorum interpretatione, rationibus hermeneuticis, ex ipſa natura ſermonis cujuscunque deſumtis, innitente, *ſoli* recedunt, ſed etiam huic ſingulari oraculorum divinorum ad præjudicatas ſyſtematis ſui opiniones accommodatæ detorſioni unice confidunt, eamque, utut in *revelatione ſupernaturali myſteriorum* verſentur, rationis, adverſus ea ſeſe efferentis, fere meris ἐγκλήμασι communiunt.

c) Non pugnavit auctoritate hominum *Vogelius*, ſed ipſa potius ſermonis humani, a quo divinus non recedit, in unaquaque lingua indole & univerſali conſuetudine. Hanc itaque oppugnare ſatius fuiſſet, quam phraſin oratoris captare. Liceat de reliquo verba b. *Hæpffneri*, Lipſ. Theol., emunctæ profecto naris vir, h. l. repetere. *Miror*, inquit ille, cum Reform. de S.

logorum auctoritas tunc demum alicujus fortaſſe momenti cenſeri poſſet, ſi in aliqua re omnes, nemine excepto, conſentirent. At ſi theologi diſſentiant in aliqua re, nulla quorumdam autoritas cenſenda eſt. Certe ſi ego theologorum noſtrorum & nobis faventium autoritatem hac ratione vobis objectarem, rideres me procul dubio, nec immerito. Et tamen hactenus nec ipſemet video, nec quisquam probare poteſt, quanam in re, quæ in divinis aliquid valeat, noſtri theologi a veſtris ſuperentur. a) Præterea quam vana ſitiſta theologorum cordatiorum monitio, vel hinc patet, quod Johannem in hoc ipſo loco, dum Chriſtum ſermonem, nempe Dei, appellat, a proprio ſenſu non recedere, hactenus omnes adverſarii docere non potuerint: ipſimet vero, dum vocem ſermonis explicant, a communi ſenſu ita recedant, ut nullus eo quem ſequuntur, magis philoſophicus & metaphyſicus adeoque impropius vel cogitari poſſit, adeoque ex multis millibus vix uni non tantum idiotarum, ſed etiam doctorum ſit bene cognitus. b) Cum enim admodum obvium ſit, quod etiam multos ex patribus antiquioribus ſenſiſſe ipſimet teſtantur adverſarii noſtri, Chriſtum ſermonem, nempe Dei, ideo appellari, quod per eum Dei voluntas ita nobis patefacta ſit, ut per ſermonem hominis voluntas illius patefit, vel quod Chriſtus nomen a re,

Cœnæ verbis diſputans in *Iſagog. ad S. C. ſ. 30. ſq. aut rationem a nobis petere non debent adverſarii; quare non amplectemur ſenſum figuratum, quem illi tradunt, ſed proprium ſenſum verborum Domini teneamus. Ac perinde eſt, ac ſi ex viatore regiam tritamque viam tenente, cur non alia via incedat, quærere velles, aut cur domum ingrediatur per januam & non per feneſtram. Hoc enim nemo ſanus quæret ab eo, quem aliter ire & ingredi non cogit necesſitas. Itaque proprius ſenſus*, ſic ille recte concludit, *verborum Chriſti* (Scripturæ S.) *tenendus eſt, quia figuratum nulla necesſitas poſtulat*, immo, quod addimus, alia de Chriſto Script. teſtimonia omnino prohibent. Vides ergo, *Smalci*, non hominum auctoritate, ſed ſermonis naturali & univerſali conditione, interpretationem Scr. S. noſtræ Eccl. uſitatam niti, & inique *Vogelii* verba exagitari.

a) Superantur utique a noſtris Theologis veſtri, ſed eo modo, uti *Thomas* a cæteris Apoſtolis, qui, cum crederent, quod non viderent, ille ſolus, *niſi manibus etiam palparet*, quod *credendum* eſſet, ſe nunquam aſſenſu ſuo approbaturum, ſine tergiverſatione ediſſerebat, eoque nomine ab ipſo Servatore graviter objurgatus legitur.

b) Aliena hæc ſunt a ſcopo præſenti. Quamcunque enim ob rationem Filius Dei caro factus λόγος appelletur, Deum tamen, & qui ante hunc mundum omnia, quæcunque *facta* ſunt, complexum extiterit, eaque cuncta etiam produxerit, h. e. *Deum ſummum, creatorem cœli & terræ*, eum dici, jam ſatis eſt. Cæterum proprie, an improprie, λόγος dicatur, nemo credo certo intelliget, niſi, qui eum olim in Academia cœleſti, καθὼς ἐστὶ, conſpiciet: etſi, nunc quædam ex Hebr. I. 3. & Col. I. 15. haud vana conjectura ſe aſſequi poſſe, nonnulli exiſtiment.

re, quam revelavit, ſortitus ſit, quo ſenſu alibi creberrime jam lux & janua, jam vita & veritas appellatur, talem nobis in Deo ſermonem, vel potius verbum (ſermo enim hic non quadraret, cum ſermonem talem in Deo nullum agnoſcant) quod intus a Deo ab æterno generatum ſit, & adhuc generetur perpetuo, & in æternum generandum ſit, & quod tandem in perſonam a Deo diſtinctam deſinat, idem tamen cum Deo eſſentia ſit, confinxerunt, quo vix aliquid ineptius & monſtroſius dici poteſt. a) De quo non pauca jam extant cœtus noſtri ſcripta. b) Quid porro illud eſt, *ut in omnibus ſcripturæ locis ſimilibus*. Quinam ſunt iſti omnes alii loci ſimiles, c) in quibus ſit ſedes aliqua doctrinæ de excellentia Chriſti? nonne hic quidvis libere dicitur, quod probatione egebat? & quod procul omni dubio falſiſſimum eſt? nemo enim neſcit, in pleriſque ſcripturæ locis, ubi ſedes eſt (ut ſic loquar cum Vogelio) doctrinæ de excellentia alicujus rei, a proprio ſenſu recedi? d) Quod quia nunc tantum obiter quaſi innuitur a Vogelio, nolo pluribus exagitare. Præterea nonne temetipſum deſeris, & pro nobis ſententiam dicis, Vogeli, dum ais, *absque cauſſa gravisſima, eaque ex ſola ſcriptura petita, a ſenſu communi & proprio recedendum non eſſe.* Nos enim nunquam ulla in re quicquam ſtatuimus absque cauſſa graviſſima, eaque ex ſcriptura [ſobrio ſenſu e)] petita, & hic idem nos facere paullo ante demon-

a) Hæc ſi tam monſtroſa videntur, aut Pſalmum II. 7. ubi *bajjom, unoquoque die*, filium a Patre gigni, explanate affirmatur, ſine vi verbis planisſimis illata interpretentur accuratius: aut ad ſecreta poli altius, quam fas eſt, ſe adſcendere, divinasque infinitas perfectiones finita mente ſua perperam metiri velle agnoſcant: Etenim, ſi quid de ſeipſo clariſſime teſteturDeus, fide dignum & omnibus opinionibus noſtris poſthabendum eſſe, vel tandem verecunde fatebuntur diſſidentes.

b) Extant, fateor, ſed quæ eadem ἀπιςίας, rationisque ferocientis lyra, qua *Smalciana* ſolent, perpetuo oberrant, & veritatis luce, radiisque ſolis cœleſtis, ſatis ſuperque jam diſcuſſa ſunt ſæpiſſime.

c) Vel ſolum, ſi tuis non indulſiſſes perſuaſionibus, *Smalcl*, luculentiſſimum Cap. *ad Ebr.* Imum, idque totum, huic tuæ jactantiæ retundendæ, ſi veritas tibi cordi eſſet, attente perlectum, ſuffeciſſet. Quod quam male habuerit *Oſtorodum*, illum præceptorem tuum, ex magiſtri communis epiſtolis addiſcendum fuerat, ut alieno periculo ſaperes.

d) Audax profecto aſſertum, quod vix de uno alteroque, præſertim in N. T., ſi demonſtrari oporteat, quantus labor ſit, & quam vanus futurus, experietur, quisquis, vera dixiſſe *Smalcium*, vel ſuſpicabitur. Nos ad contraria omnia provocamus, & denuo Epiſt. ad Hebr. totam huic argumento deſtinatam inſtar omnium commendamus, noſtratiumque ejusdem Epiſt. interpretationes, cum argutiis *Crellio-Schlichtingianis* collatas, expendi jubemus.

e) Ad rationis decempedam prius exacto, & humana cum divinis, finita cum infinito Numine, componente. Egregia

monstratum est. Quanquam nimis etiam libere id dictum esse putamus, caussam non nisi ex sacris litteris petendam esse, quam quis affert, cur a proprio & communi (apud alios scilicet) sensu recedat. Satis enim est rationem esse evidentem per se, a) etiamsi tandem in sacris litteris non reperiatur, vel aliunde etiam pendeat, de qua iterum nobis in responsione ad aphorismos Peuschelii dicendum erit. Denique probandum fuit, nos, dum vocem Deus de Christo explicamus, a sensu proprio recedere. Quicunque enim vocem Dei alicui ob divinam potestatem b) tribui concedit & contendit, is proprie eam illi tribuit, licet non æque excellenti modo ei tribuatur, quo aliis tribuitur; is etiam a communi sensu non recedit, si morem sacrarum litterarum attendas: si vero communem sensum intelligas eum, quem alii sequuntur, hunc ob id ipsum sectari non tenentur, quia illum sensum communem erroneum esse statuit. At addis in parenthesi, *hunc sensum nominis Θεῦ esse, ut verum illum Deum notet, omnia sacrarum litterarum loca, quæ unum tantum Deum quoquomodo ostendunt, testari.* Vbi ipsemet vel quid dicas parum intelligere, vel quid sentias non expressisse videris, vel certe prorsus falsum dicis. Quid enim est dicere, nominis Dei hunc sensum esse, ut verum illum Deum notet, omnia loca, quæ unum tantum Deum quoquomodo ostendunt, testari, nisi verba fundere otiosa, c) & ad nugationem quan-

interpretis oraculorum Dei de se talia, quæ nemo etiam, nisi ipse Spiritus Dei τὰ βάθη τῦ θεῦ scrutans, cognita habeat, testantis *sobrietas! Magnum periculum est, res fidei humanis committere rationibus; nihil hoc aliud est, quam ferrum candens, non forcipe, sed digitis contrectare.* Sic magis sobrie Homil. V. in 1. Cor. II. *Chrysostomus.*

a) Immo vero satis non est, quamdiu, *mysteria* in Scr. S. patefacta esse, quæ, quod ad rem, clare proposita sint, qua modum autem nos lateant, rationemque nostram superent aut excedant, (cujusmodi *adhuc in præsenti esse* toties repetitum legitur,) constat. Vt omittam, talia si nulla sint, inanem fuisse *Paulli* de ratione sub obsequium fidei, vinculis quasi injectis, redigenda 2. Cor. X. 4. sq. præceptionem, &, ut caveamus nostrorum διαλογισμῶν ὀχυρώματα, adversus cognitionem Dei insurgentia, commonefactionem, toties & tam sollicite inculcatam.

b) Hoc ipsum est, quod, tanquam κρινόμενον caussæ pessimæ, minus accurate substerni, neutiquam vero probari, querulamur.

c) Est manetque Deus *unus*, sec. *essentiam*; neque etiam nostra Ecclesia alia docet. Vtrum vero illa una Dei natura, sine partitione vel multiplicatione, communis sit *pluribus*, non a nobis, qui hæc *ignoramus*, per rationis sibi relictæ, quantacunque sit, sagacitatem, sed a Deo ipso, quem, sui optimum cognitorem, modeste, in hujusmodi præsertim rebus, nostros limites excedentibus, & venerabundi sequimur, edocemur. Atque illud est, quod sine nugatione innuit *Vogelius*, in Jesu Christi demonstranda una illa ipsa divinitate, cum Patre communi, occupatus.

quandam accedentia? Falſum autem eſſe, nominis Dei hunc eſſe proprium ſenſum, ut Deum illum verum ſignificet, ſupra ipſemet confeſſus es, & nos rationibus etiam comprobavimus.

Secundum documentum facis, *quod Sermo ille in principio fuiſſe dicatur*. Sed primum non video, quomodo ex eo, quod quis in principio creationis rerum omnium fuerit, conſequatur, eum illum unum Deum eſſe. Credebat enim Arius, Chriſtum ante ſecula omnia fuiſſe, & omnia per eum creata eſſe, & tamen idem contendebat, tempus fuiſſe, quando non eſſet Chriſtus, adeoque illum Deum unum eſſe negabat. a) Deus enim unus ſemper fuit. Deinde nec illud video, quomodo probes, Chriſtum in principio creationis rerum omnium fuiſſe. b) Addis, *ut mox patebit*, ſed mox etiam patebit, quomodo erres. Interim nos ſugillas, qui per Principium, evangelii principium intelligendum cenſemus. Sed valde infirme. Ais enim, *quid tribueretur Chriſto, quod ejus teſti Johanni, cum quo is ibidem confertur, tribui non poſſet.* At enim, ſi concedatur, a Johanne Baptiſta initium factum eſſe evangelii (ut ex initio Marci apparet) non a Chriſto, cujus tamen eſt evangelium, & a quo illud denominatur, certe non leve aliquid eſt, ſcire, Chriſtum, etiamſi tunc nondum apparuerit, cum Johannes Beptiſta apparuit, jam tamen extitiſſe, & extitiſſe talem, qualem paullo poſt ſe exhibiturus erat. c) Hac

 enim

a) Ita eſt: Sed quam bene ea cum phraſi Sp. S. concordent, qua non niſi, quod ab omni æternitate fuit, *ante mundum* hunc *extitiſſe* conſtanter dicitur, illud eſt, de quo hic diſputatur. Multos fuiſſe, qui ἀσύστατα docuere & adhuc docent, depravatæ mentis homines, nemo profecto eſt, qui dubitet. Inter hos vero etiam *Arianos*, *Deum verum, at factum creatumque*, ſtatuentes, dudum connumeratos eſſe, parum cauſſam *Socinianam*, eamque multo, quam illa fuit, pejorem, utpote exiſtentiæ Filii Dei ante Mariam Virginem, manifeſtis teſtimoniis Scr. S. comprobatæ, inſuper adverſam, juvabit. Error enim *multiplex* veritatem ſimplicem non tollit, ſed magis dilucidat.

b) Quid vero opus eſt probatione anxia, cum vel ſolum *fuit* (ἦν), jam *tunc, quando omnia exiſtere* inciperent, λόγον hunc *fuiſſe*, neque poſtea demum cœpiſſe, evidentiſſime demonſtret?

c) Hæc forte alicujus ponderis eſſe videri poterant, ſi de mera brevique exiſtentia ſermo h. l. eſſet aliquot forte menſium, quibus *Johannes* Chriſtum ſuperarit. At huc reſpici, nihil omnino occurrit, quod vel leve & obſcurum nobis indicium faciat. Æternam contra & *cum rerum omnium conditu* conjunctam προύπαρξιν illud fuiſſe, in quo comparationis & prærogativæ momentum præcipuum ponatur, & *Johanni* λόγος hactenus cumprimis præferatur, manifeſta utriusque compoſitio oſtendit. Eumque ſcopum Hiſtorici ſacri amplius confirmat, quod, præmiſſis hiſce, & longius repetitis, aliisque pluribus intermixtis, *excellentiæ infinitæ Chriſti præ Johanne* teſtificationibus, poſt ἐνσάρκωσιν hujus divini λόγου ſeu *Jehovæ*, filii Dei unigeniti, non

enim ratione docetur, non debere ob prioritatem temporis, prioritatem etiam præſtantiæ Johanni Baptiſtæ tribui: ſed quia Chriſtus, qui ſermo futurus erat, jam erat re ipſa, eum pro Servatore mundi, Johannem vero pro ipſius præcurſore, agnoſcendum fuiſſe. Quod quidem omnibus ſeculis ſuam Chriſto conſervat eminentiam præ Johanne Baptiſta, maxime vero tunc, cum Johannis Baptiſtæ auctoritas, recens adhuc in animis hominum, qui ipſum pro Meſſia quodammodo habuerant, vigebat, neceſſarium fuiſſe, ut hic innueretur, & deinceps clariſſimis etiam verbis explicaretur, nemo prudens non intelligit. Vnde conſtat, in his verbis non tam Chriſti excellentiam contineri, quam tacite ad id, quod eam apud imperitos minuere poterat, reſponderi a Johanne, ut alibi a noſtris fuſe comprobatum eſt,

Sed tertium tuum documentum expendamus. *Explicari* ais, *ubi ſermo in principio ille fuerit, nempe apud Deum.* Sed nec hic explicas, quomodo ex eo appareat, Chriſtum eſſe Deum illum unum. Nonne enim Arius concedebat, Chriſtum ante omnia ſecula creatum, adeoque apud Deum in principio creationis fuiſſe, & tamen, Deum illum unum, eſſe, ſtrenue negabat? a) nonne etiam hæc ipſa verba produnt cauſſæ tuæ vitioſitatem? cum nimis conſtet, apud Deum, ſcilicet illum unum, eſſe, & Deum ipſum unum eſſe, invicem repugnare. b) Nam & de Angelo quovis jure dici poteſt, eum propterea Deum non eſſe, quia apud Deum ſit. c) Cujus rationis vim alii declinare volentes, non dubitarunt dicere, Chriſtum apud Deum ita eſſe, ut ſunt ejus proprietates. d) Sed quam ſit falſa iſta aſſertio,

ex Mariæ ſed *patris ſinu* orti ac progeniti, atque eatenus etiam ad Hebr. CVII. ἀμήτωρος dicti, oſtenſam maxima hæc omnium eminentia ſubjungitur.

a) Negabat, ſed quo jure? Eo nimirum, quo & Sadducæi errabant, quia Script. S. phraſinque ejus notiſſimam, ignorabant: qua, quicquid *ante mundum* dicitur eſſe aut fuiſſe, uti ſæpe jam oſtenſum fuit, tantundem eſt, qu od *æternum.*

b) Repetantur, quæ de *perſonali* diſtinctione jam ante monita ſunt, & repugnantia evaneſcet.

c) Ita quidem eſt: Sed ſunt etiam Angeli, quemadmodum beati in Domino mortui, ſic apud Deum, ut non ſint ipſe Deus, prout hæc & ſimilia plura h. l. de Chriſto leguntur.

d) Aliud ſane loquendi genus eſt, quando de proprietatibus ſermo inſtituitur, aliud vero, ubi de Perſonis, cujusmodi Chriſtum eſſe nemo inficiatur, agitur. Atenimvero neque de proprietatibus divinis, usquam, eas *apud Deum eſſe* (πρὸς τὸν θεὸν), memini legiſſe. Bene ergo hæc monet *Smalcius*, ſed viciſſim & ipſe monendus erat, ex illa ῥήσει.) *apud Deum eſſe*, noſtratibus nunquam ſimpliciter, Divinitatem Chriſti demonſtrandam, vel viſum, vel dictum ſcriptumque eſſe.

tio, puto omnibus ſenſatis conſtare. Nemo enim, ea, quæ Dei, vel de eſſentia Dei ſunt, apud Deum eſſe, dicere poteſt, quemadmodum nec ea, quæ in nobis ſunt, apud nos eſſe dici poſſunt. Ais tu quidem, *id de puro puto homine dici non poſſe, jam conſtare.* Sed fruſtra. Hoc enim tunc demum verum eſſet, ſi conſtaret, verba *in principio*, de principio creationis omnium rerum intelligenda eſſe. Hoc vero tute confiteris, nondum a te probatum eſſe, ſed in ſequentibus probatum iri. Quomodo igitur ex eo, quod nondum eſt, a) conſtare aliquid poteſt Ais iterum, *id ulterius hinc colligi, quod hæc apud Patrem exiſtentia alibi manifeſtationi, ceu prius poſteriori, opponatur.* Sed certe aqua tibi hæret. Nam 1. Joh. I, 2. de Chriſto ſermonem eſſe probari poſſe plane diffido. De re enim, hoc eſt, de ſermone vitæ ibi Johannem loqui, pronomen, quo res exprimitur, quater repetitum ſatis ſuperque docere videtur. Nec opus eſt, ob verborum quandam ſimilitudinem res ſimiles eſſe ſtatuere. b) Sed eſto, verba Johannis de Chriſto accipi poſſe, & exiſtentiæ apud Deum manifeſtationem opponi, num hinc ſequitur, exiſtentiam apud patrem reſpicere tempus creationis omnium rerum, & manifeſtationem ejusdem tempus ejus nativitatis? c) Quid eſt inepta effutire, ſi hoc non eſt? nondum enim id probare conatus es, nedum ut probaveris, Chriſti apud Deum exiſtentiam ad tempus creationis reſpicere, ſed id probatum iri adhuc promittis. d) Chriſti vero manifeſtationem tunc factam eſſe, *quando unigenitus ille filius, a patre in mundum miſſus, natus eſt, & cum in mundum venit, ut deſtrueret opera diaboli*, pronunciatum eſt priori ſui parte prorſus erroneum, poſteriori vero, in qua aliquid veri ineſt, pro nobis contra te pugnat maxime. Falſum eſt, unigenitum filium Dei tunc in mundum miſſum fuiſſe, cum natus eſt, nam ſacræ litteræ Chriſti miſſionem (vel adventum in mundum, quod idem eſt) non tantum a nativitate illius ſejungunt, verum etiam nativitatem, in mundum miſſioni & adventui, anteponunt, teſte

a) Erat jam probatum, *principium creationis* intelligi, tum quia *abſolute* loquitur *Johannes*, tum vero etiam ex *rebus* ab ipſo hoc λόγῳ *factis omnibus*; at, uberiorem demonſtrationem in ſequentibus ſe daturum, non repugnat, ſi promiſit *Vogelius.*

b) Ergone ſermo vitæ, prædicatum ſcil. verbum Evangelii, *videri, oculis ſpectari, manibus tangi* potuit? Apage has ineptias.

c) Si hoc loco diſtincte hæc non explanantur, alibi tamen planisſime eadem, v. g. Joh. I. 9. 14. 18. & 1. Tim. III. 16., traduntur. Scripturæ igitur συμβιβασμῷ opus eſt, ut, quæ alicubi obſcurius breviusque affirmantur, enucleatius alias clariusque enunciatis dilucidentur.

d) Repetantur, ſi placet, quæ ſunt not. (a.) jam dicta. Nauſea enim me capit coccyſmi *Smalciani*.

Chriſto: * *Ego in hoc natus ſum, & in hoc mundum veni*, a) *ut veritati teſtimonium perhibeam.* Et ſane iſto loquendi modo temerario nimis libere id ſumitur, b) de quo nunc controverſia agitatur, nempe filium Dei antea extitiſſe, quam Jeſus ex virgine naſceretur. Nam ſi filius Dei miſſus eſt in mundum, cum naſceretur vel conciperetur, ut veſtra fert ſententia, jam eum antea extitiſſe hoc ipſo ſumitur. Nam qui nondum eſt, is nec mitti a quoquam poteſt: c) ſed is demum mittitur, qui jam reipſa exiſtit, ut de Prophetis, Johanne Baptiſta, & Apoſtolis legimus, eos miſſos fuiſſe, quando ſcilicet muneribus ſuis a Deo præfecti fuerunt. d) Jam ſi, quod res eſt, dicere velimus, Chriſtum in mundum veniſſe, ut opera diaboli deſtrueret, & hanc deſtructionem operum diaboli, pro re cum adventu vel miſſione Chriſti in mundum conjuncta, accipiamus, ad oculum videre erit, Chriſti in mundum miſſionem tunc demum cœpiſſe, quando Chriſtus evangelium annunciare cœpit. Tunc enim, nec citius ante, Chriſtus opera diaboli, quæ potiſſimum ſunt etiam peccata, deſtruere cæpit. e) Ais tertium, aperte id probari ex illis Salvatoris verbis,

* Joh. XVIII. v. 37.

a) Imbecille profecto a phraſi gemina argumentum. Quis enim ignorat vel primis Scr. S. explicandæ regulis, ex ipſo ſtylo ſacro pasſim obvio deſumtis, imbutus, ἐπεξήγησιν, ſeu phraſeos unius per alteram ſive præpoſitam, ſive ſubjunctam, clariorem explicationem omnem paginam implere, diverſosque actus proinde hinc confici non poſſe.

b) Non ſumitur, ſed *probatur*, quia jam *in principio rerum omnium* factarum *exiſtentis* perſonæ his verbis miſſio & manifeſtatio in utroque loco Johanneo commemoratur.

c) Recte hactenus: Si quidem de miſſione *in mundum* ſermo eſt, & quidem per nativitatem, ut misſio iſthæc nativitati æquivaleat, ejusdemque quaſi συνώνυμον habeatur.

d) Ergo tunc demum videtur miſſus *in mundum* Chriſtus *Smalcio*, quando officium prophetæ eſt aggreſſus. Magnopere vero errat miſer Sophiſta; quandoquidem aperte φράσιν *mittere*, absque additamento, & *mittere in mundum*, quæ nativitatem denotat, commiſcet, fucumque ſub illa fallacia compoſitionis ac diviſionis, ut vocant, abſcondit. *Raptu* autem illo *fictitio in cœlum*, quem, tanquam ante officii prophetici exordium factum, audacter cohors *Socini* ad hæc effugia utcunque muniendа excogitavit, malæ cauſſæ pejus adhuc conſuli, dudum oſtenſum eſt.

e) Non deſtruxit, aut deſtruere cœpit Chriſtus opera Diaboli, Propitiator optimus, *cum munus prophetæ incboaret publicum.* Nam & *natus* eſt *nobis* puer, filiusque *nobis*, quod ait Eſaias, datus, eumque in finem ſine peccato, uti *Ep. ad Ebr.* aliquoties docet, conceptus, ut noſtra hinc commaculata generatio emundaretur. Tacemus unionem cum Deo, fundamento in ipſa unione perſonali utriusque naturæ poſito, illico & ab initio inſtaurari cœptam; quam etiam ob rem ut σωτὴρ natus mox ab Angelis Luc. II. prædicatur. Vt alia omittamus, quæ ex ſubjectione legis Gal. IV. poſita, eaque jam *a nativitate* inchoanda, & *circumciſione* luculenter demonſtrata, deduci poſſent. Neque enim

verbis, quibus asserit, se apud patrem habuisse gloriam antequam hic mundus esset. Voculam *hic* a te additam esse, a) non accuso, sed tantum indico. Hoc vero accuso, quod, cum probandum tibi esset, Christum apud Deum fuisse, tantum ea verba adducas, in quibus Christum aliquid habuisse apud patrem affirmatur. Nemo enim videt, posse aliquem habere aliquid, qui ipse non sit, quatenus prædestinatum id illi est a Deo, b) nam & * fideles dicuntur electi fuisse ante constitutionem mundi,** & gratia illis data esse dicitur ante tempora secularia, qui tamen tunc nondum erant; *** & eosdem habere dicitur jam ædificationem ex Deo, **** jam meliorem substantiam & manentem in cælis, quibus id tantum destinatum est. e) Accuso id etiam alio nomine, quod, cum vix obscure, immo ne obscure quidem, id quod dicis, ex loco citato colligi possit, tu, spem verbis simulans, *aperte* illud ex illis *probari* dicere non dubitaveris. Sed & illud calvum est, *antequam mundus esset, quod idem est, ac si dixisset, ab æterno.* d) Itane nunc loco rationum, quas ex sacris litteris, nec sine logica antea promiseras, solum tuum, *quod idem est, ac si dixisset,* supponere e) non vereris? Certe isto modo dum peroras, istud tu-

 um in-

* Ephes. I. ** 2. Tim. I, 9. *** 2. Cor. V. **** Hebr. X.

his nunc nobis opus est, quoniam l.c. Epist. 1. Joh. c. III. non mera destructio, sed *adventus Christi*, eum in finem, *ut destrueret* opera dæmonis mali, commemoratur, ac proinde, quandocunque demum ista executioni data sit, neutiquam, ex illo tempore tantum adventum quoque, præsertim cum προσθήκη in mundum, inchoari oportere, conficitur, sed *scopus* duntaxat nativitatis exprimitur.

a) Nihil a *Vogelio* additum est, sed quis mundus intelligi debeat, dilucidius explanatum. *Factum* enim, non refectum innui, h. e. creatum ab initio rerum omnium, *quæ præter Deum* existunt, non reparatum, (quanquam nec totus mundus reparationis Christi objectum sit,) ipse *Johannes* disertis verbis docuit.

b) Aliud est prædestinatum aliquid alicui esse a Deo, aliud simpliciter *esse*, & quidem ita, ut *sit fueritque* apud Deum, cunctaque *creaverit seu fecerit*, quæ nemo cum sola destinatione conciliabit unquam. Hæc, non illud, de λόγῳ carne *deinceps demum facto* l. c. Joh. prædicantur.

c) Phrases hæ præter necessitatem cumulatæ toto cœlo a nostris hiscc, ἦν, ἦν πρὸς τὸν θεόν &c. differunt. Aliud namque esse *electum esse, gratiam alicui datam esse, habere mansionem*, & quæ sunt reliqua, atque simpliciter *esse* seu existere, quotusquisque est, qui non intelligat? Recte igitur, *aperte* l.c. filii Dei προὕπαρξιν hinc ostendi, asseveravit *Vogelius*, quia vix frivolis hujusmodi exceptionibus tu ipse, *Smalci*! *obloqui* ausus es.

d) Monstra ergo alium hujus φράσεως ex Scr. S. sensum, & victas dabimus manus. Cavillationes profecto rem non conficere, planum est & confessum.

e) Falsum est, hæc supponi, cum demonstrata sint abunde rationibus invictis, ex ipsis verbis orationis Johanneæ clarissimis & rationibus hermeneuticis solidissime depromtis.

um ingenium prorſus perdidiſti. Si hac ratione ego tecum agerem in ſacris litteris explicandis, quid de me tu & tui jure dicere poſſint, tibimet conſiderandum relinquo.

Sed jam quartum prodeat documentum. *Verbo huic*, ais, *aſſeri mundi & omnium rerum effectionem.* Sed nec vocem *mundi*, nec vocem *omnia* hanc aſpectabilem machinam, quæ cælum & terra alias appellatur, hic ſignificare docuiſti; nec verba *per ipſum* cauſſam efficientem principalem denotare oſtendiſti, nec denique *facta eſſe*, idem eſſe, quod creata eſſe, probare cogitaſti, quæ tamen omnia ad ſententiam tuam obtinendam neceſſario requiruntur. a) Addo nunc, ipſa Johannis verba argumentum validum ſuppeditare, quod non de creatione cæli & terræ ſint accipienda. Ita enim concepta ſunt, ut rerum, de quibus agitur, effectio, partim Chriſto, partim aliis extra Chriſtum tribuatur. Dicit enim Omnia per ipſum eſſe facta, & ſine illo ne unum eſſe factum, quod factum eſt. Quod de veteri creatione dici non poteſt, ea enim a Deo tota creata eſt, nec dici niſi inepte poteſt, ſine Deo nihil creatum eſſe, ſi ſemel dictum ſit, eum omnia creaſſe. b) De nova vero rectiſſime id & eleganter dicitur, quatenus Chriſtus ipſemet, cum in terris degit, omnia ad eam pertinentia fecit; c) Vel quatenus omnia per eum facta ſunt: & ea, quæ non

a) Quid opus erat diffuſa probatione ſenſus, quem nuda, ſimplex & naturalis verborum *Johannis* notio vel mediocriter linguæ Græcæ gnaro Lectori cuivis ingerit?

b) Impia vox, *inepte* ſi affirmes dictum, quod conſultiſſime a Sp. S. hoc modo explanatum eſt. Vt enim taceamus ἀντιθέσεις Scr. S. ad uberiorem perſpicuitatem creberrimas, neque profanis ſcriptoribus inſolitas, etſi minus in his frequentes; hanc in præſenti ἐπεξήγησιν etiam exigebant rationes temporum, quibus hæc ſcripſerat *Johannes*, quibusve, non *ſummam* duntaxat, ſed *unicam* quoque eorum, *quæ præter Deum exiſterent*, omnium cauſſam eſſe, cum Patre & Sp. S. alibi nominatis, τὸν λόγον, oſtendendum erat. *Quod notare*, inquit Cl. *Lampius* ad h. l., *uſu veniebat, cum Simonis Menandrique diſcipuli & duo rerum principia ſtatuerent, & mundum* (materialem) *ab angelis creatum prædicarent.* Aptiſſima ergo fuit, ac propemodum neceſſaria, hæc ipſa loquendi formula. Multoque magis ea necesſitas confirmari poteſt, ſi, *Manichæiſmum etiam ante Manichæos*, quod Cl. *Wolffius* eleganti opuſculo demonſtravit, & ante *Simonem* quoque, inter Philoſophos potiſſimum errores hujusmodi paſſim invaluiſſe, obſerves.

c) Commentitia hæc eſt limitatio, verbis *ad eam*, novam videlicet creationem, *pertinentia*, expreſſa, & ex hypotheſi præjudicata conficta. Ipſe namque *Johannes* liquido teſtatur, *de factis*, ſeu creatis ab initio ſimul, *omnibus, quæ præter Deum* ſunt, h. l. ſermonem eſſe, quæ non niſi fidiculis adhibitis ad nove creata, ſeu reparatum genus humanum, de quo altum hactenus fuit ſilentium, adſtringuntur. Neque vero etiam reparatio, quam ſubſtituit h. l. *Smalcius* cum ſuis creationi, redemtio Chriſti ipſa, ſed *applicatio* per *regenerationem & ſo-*

non per ipſum, ſed per alios, nempe Apoſtolos facta ſunt, immo ne unum quidem factum eſt, ſine Chriſto. Hujus enim opera & ſpiritu perfectum eſt evangelium. Vnde conſtare poteſt, quam ſit infirmum & vanum præſidium, quod tu in voce univerſali ibidem ampliata, & ad omnia abſolute quæcumque facta ſunt, extenſa ponis. Hæc enim ipſa ampliatio, ſi quid aliud, evincit, ibi non de creatione veteri, ſed nova ſermonem eſſe; & ita apparet, nondum patere, quod tu mox conſtiturum dixeras, Chriſtum ſcilicet fuiſſe in principio omnium rerum: & proinde verum manet, Chriſtum, qui ſermo ob munus a) ſuum appellatur, licet ab initio evangelii ſtatim non apparuerit, ſed Johannes Baptiſta initium ejus fecerit, tamen propterea non eſſe poſtponendum Johanni, utpote qui tunc reipſa jam extiterit, & muneri ſuo obeundo deſtinatus fuerit; b) Johannes vero Baptiſta tanquam prodromus ejus miſſus ſit, & pro tali tantum agnoſcendus: eundem Chriſtum, qui ſermo eſt, apud Deum fuiſſe in illo principio, vel quatenus ſoli Deo notus fuit, vel quatenus reipſa etiam apud Deum fuit: eundem Deum etiam fuiſſe ob muneris, quod tum gerebat, amplitudinem & præſtantiam; c) per eundem denique omnia, quæ ad evangelii negotium pertinebant, facta eſſe, & ſi quid alii ad illud complendum attuliſſent (jam enim tunc, cum Johannes ita ſcriberet, Apoſtoli quædam talia attulerant) id

lorum quidem *hominum* in Scr. S. audit. & luculentis ſimul additamentis, de ea ſermonem eſſe, toties, quoties de illa agitur, ſignificatur. Quæ omnia ad h. l. neutiquam congruunt. Quibus poſitis reliqua etiam cuncta, quæ de Apoſtolis quibus illa nova creatio nunquam legitur tributa, artificioſa verborum calumnia a *Smalcio* ſubjiciuntur, corruunt. Cætera autem nugamenta vel ipſa verborum ſeries ſuperficiarie inſpecta refellit.

a) Non inficias eo, ob *munus* forte λόγον eſſe appellatum Chriſtum, ſed utrum hæc *princeps cauſſa* ſit, valde dubito. Plures ex ipſa nativitate æterna, & nomine *Jehovah, haſchſchem* Judæis etiam dicto, cui h. l. vox λόγος reſpondet, jam ante adduximus: quas ex ſuperioribus repetere ſuademus.

b) Non deſtinatus tantum, ſed ut *exiſtens* ante Johannem, immo in principio rerum omnium, h. l. deſcribitur Meſſias. Si vel unicum locum mihi *Socinianus* aliquis, quo τὸ εἶναι, & quidem ita, ut exiſtens ille alia non exiſtentia ut exiſterent, *fecerit*, pro deſtinatione accipiatur, ex univerſa Scr. S. oſtenderit, erit mihi magnus Apollo. Vtrum vero ea quoque notio, ſi obvia eſſet, huc quadraret, nova diſquirendi materia hinc demum exſurgeret. Quicquid ergo hoc eſt commmentorum, *Servetum* olet.

c) Ergo jam a nativitate Chriſtus *Smalcio* Deus videtur *factus*: quæ ut cum *præmio* mortis, qua doctrinam ſuam obſignaſſe putant *ſocii*, atque *nomine* tunc demum dato, uti Phil. II. 9. legitur, conciliare queant, ipſi videant. Nos, de communicatæ humanitati majeſtatis divinæ *uſu plenario* l. c. explicando, facilius omnes hos ſcopulos præternavigaturos ſperamus.

id licet non per illum factum ſit, tamen non ſine illo factum eſſe, quæ veram Chriſti præſtantiam & excellentiam continent. Sed audiamus reliqua.

Quintum igitur documentum habes, *quod huic Verbo tribuatur hominum vivificatio & illuſtratio, & ita quidem, ut eam nonniſi a virtute omnipotente (quæ vero ſolius Dei eſt) proficiſci poſſe cuivis appareat.* Sed quis non intelligit, poſſe id, quod ſolius Dei dicitur, cum alio communicari, & poſſe de eo etiam dici, quod vita in eo ſit, a) & quod ſit lux hominum, qui talis eſt a Deo effectus, & per quem hominibus vita æterna offertur, & donanda eſt, adeoque ipſi hac ratione illuſtrantur? Et a virtute tandem omnipotente id totum profectum eſſe concedi poteſt, quatenus iſta omnipotentia ad Evangelium refertur, b) quæ quidem Dei ſolius propria eſt, quatenus ab eo ſolo profecta eſt, interim tamen nihil prohibet, quominus in Chriſto etiam ſalutis noſtræ procuratore appareat. c) Nam & alia Dei ſolius ſunt propria, & tamen cum aliis d) communicata ſunt, & communicanda.

Pro documento etiam ſexto habes, *quod Judæi proprii hujus Verbi dicantur, quos veri illius Dei populum, immo peculium fuiſſe, ex multis veteris inſtrumenti locis diſcamus.* Sed & hic nullum eſt robur, potuit enim idem populus judaicus, qui antea ſolius Dei fuerat, Chriſti etiam populus fieri, quatenus eum Deus illis præfecit, & ſalutem illorum in manu ejus poſitam eſſe voluit, tamquam ejus, qui non ut Moſes ſervus fidelis in domo Dei, ſed filius futurus erat ſuper

a) Hoc ſenſu autem ſi verba *Johannis* intelligas, quæ tandem Baptiſtæ erit minor dignitas? Nugæ ergo hæc ſunt, & peſſimæ cauſſæ manifeſtisſima documenta.

b) Quid ita vacillas, *Smalci!* Si de Chriſti perſona ſermo antea fuit, cur jam ad Evangelium, eadem licet verborum de uno eodemque λόγῳ agentium ſerie continuata, delaberis? Qui fit, ut Evangelium *omni potenti virtute* inſtructum h. l. fatearis, cui prædicato (Chriſtus enim ipſe non niſi Enthuſiaſtis videtur, diſſentiente Scr. S., dici,) alias non niſi moralem vim totus Socinianorum grex tribuere ſolet? Novum deſperatæ cauſſæ indicium!

c) Apparet ſane plus ſatis in Chriſto, non tamen ut miniſtro mero, ſed quatenus ea omnipotentia *in illo, ut Deo,* creatore omnium rerum, eſt per eſſentiam. De qua prærogativa Baptiſta, ut adminiſter, tanquam de fonte lucis, ipſoque, ut comm. 14. habetur *Filio unigenito Patris*, teſtatus h. l. dicitur, eamque Apoſtoli quoque tot ſpeciminibus deinceps conſpicati admiratique, cum veneratione religioſa, leguntur.

d) Si omnipotentia, Vita, Lux cum *aliis* communicata h. l. intelliguntur, quid erit tandem, quod præter ea præſtabilius in Chriſto ſuperſit, cum *& Apoſtoli miracula,* & majora quidem, quam ipſe Dominus, quemadmodum Chriſtus ipſemet pollicitus eſt Joh. XIV. 12., patrarint?

per domum suam, ut acute loquitur auctor epistolæ ad Hebræos cap. 3, a)

Vltimum documentum, ad probandum, Christum Deum illum unum a Iohanne appellari, affers, *quod aperte caveatur, ne quis verbum hoc, ob id, quod dictum erat, καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, Deum factum aut nuncupativum tantum existimet, dum mox subjicitur, Et vidimus gloriam illius. Certe non qua caro erat, (sic enim non erat ipsi forma nec decor, nec quicquam habebat pulchritudinis, despectus erat & contemtissimus virorum) sed qua erat in eo sublimius & excellentius, quod exprimitur satis clare, quando edisseritur, qualis illa gloria fuerit, nimirum ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, ex qua evidenter conspici potuerit, esse hunc Sermonem, sive hoc Verbum verum & unicum Dei filium, quippe vere & unice ab ipso genitum. Atque hinc esse, quod non nude dicat δόξα μονογενοῦς πατρὸς, sed δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, nec tantum δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, sed δόξα ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς. veritatis siquidem non similitudinis notam esse particulam ὡς omnes hujus loci interpretes unanimi consensu fateri.* Viden', Vogeli, istius tanti tui conatus vanitatem! Primum enim idem dicis, quod nos, Apostolos scilicet gloriam Christi vidisse, non qua caro erat, sed qua aliquid sublimius & excellentius in eo erat; nam & nos sublimius aliquid & excellentius in Christo agnoscere, b) tu non potes

 igno-

a) Non de potentia, aut quid fieri potuerit, disquiritur, sed, quid stylo Sp. S. congruat, constantissime summo Deo hunc populum, tanquam peculium singulare, tribuenti, illud est, de quo *Vogelius* loquitur. Idemque sic quoque peculium Christi rectissime hanc gentem h. l. appellari commonstrat, ut non tunc demum Deum Patrem eidem Christum præfecisse ajat, sed hunc ad eam, tanquam quæ jam pridem *peculium ipsius fuerit*, venisse, & a *suis* tamen diu ante peculiari fœdere particulari Mosaico sibi unitis non esse receptum, cum tanti sceleris detestatione conqueratur. Quod si denique eo sensu super domum suam filius futurus erat Christus, quo *assignatum* fuisse hoc ei peculium *Smalcius* ait; videant *Sociniani*, quo pacto hæc cum Eccl. Judaica, paucis exceptis, rejecta, & domo spirituali Dei *ex gentibus aliis* collecta constructaque, consistere possint. Nobis scopis, hoc quicquid est *Smalcii* effugiorum, dissolutis similius videtur. Potuit enim populus Judaicus Christi etiam populus fieri, sed factum esse cum constet, ad priora hæc tempora divinamque Christi & προϋπαρξιν & naturam humana præeminentiorem respicere, in propatulo est.

b) Ecquid vero illud est, quod excellentius præter carnem in Christo putas jam ante adscensum in cœlos fuisse? Divinitasne? At hanc ipsam tunc demum datam revera (quicquid sit de spe facta,) cum tuis arbitraris? Quare *dignitas filii* tandem illud erit, quod conspectum ab Apostolis existimas. Cur vero Apostolus tantopere generationem ejus, & quidem, tanquam *unigeniti*, neque in Maria virgine, sed παρὰ πατρὸς urget? Nonne hæc sublimiorem originem, præsertim cum & *Spiritui S.*, *non Patri*, *creatio* supernaturalis *Jesu* in utero matris, *neutiquam vero generatio*, tribuatur, manifestissime docent. Quæ omnia *Pauli* Hebr. VII. 3. *Melchisedecum*, quatenus

ignorare. Interim tamen tenendum eſt, nullius alterius gloriam Apoſtolos vidiſſe, quam ejus, qui caro fuit, licet non qua caro fuit. Deinde, nonne tui prorſus oblitus es, cum iſta & ſequentia diſſeris? probandum enim tibi erat, Chriſtum eſſe illum unum Deum: tu vero probas, Chriſtum eſſe filium Dei? Si dicas, idem eſſe, Deum verum & Dei filium eſſe, ego dicam contrarium, nempe Chriſtum, quia Dei filius eſt, non eſſe Deum, cujus eſt filius. nemo enim ſui ipſius filius eſt. a)

Quæ deinceps poſt enumerata hæc documenta, de gemino, quo Verbum iſtud a vero Deo diſtingui videatur, modo addis, ea dici a te non debuiſſe, quivis non imprudens intelligit; per ea enim totum id deſtruitur, quod hactenus extruere conatus es. Nam ſi Chriſtus ita a Deo vero diſtinguitur, ut apud eum fuerit, quis non videt, eum ejusdem numero cum Deo eſſentiæ eſſe non poſſe? b) Quis item non intelligit, ſi quidem prius a Iohanne dictum ſit, Sermonem fuiſſe apud Deum, qui cum articulo deſcribitur, & poſtea additur, eundem Sermonem fuiſſe Deum, nullo addito articulo, c) alio modo Deum a Iohanne appellari illum Deum, apud quem ſermo fuit, & alio illum Deum, qui ſermo fuit. Is enim mos eſt divi Iohannis, quod, quando de re aliqua, vel ipſo Deo loqui incipit, ſine articulo, ut appareat, eum de eadem re, vel eodem Deo ſermonem ſuum proſequi, in ſequentibus articulum apponat. Vt cum hic v. 4. dicit, *In ipſo vita erat*, nullus eſt voci vitæ articulus additus, cum vero addit, *& vita erat lux hominum*, ut appareret, eum de eadem vita, de qua loqui cœperat, agere, articulum voci vitæ addidit. Sic alibi etiam, cum dixiſſet de Chriſto, *ſciens, quod a Deo*

ἀμήτωρ καὶ ἀπάτωρ deſcribitur, cum Chriſto comparantis teſtimonium, apertiſſimumque geminæ naturæ indicium, invicto robore firmant.

a) Recte: Neque enim Jeſus, ut Deus ſeu perſona divina eſt, ſui ipſius, ſed Patris filius eſt, perſonaliter a filio ſuo diſtincti; ita tamen, ut eſſentiam eandem, quæ Patris, per generationem, *ante dies mundi* jam communicatam, quo factum, ut *Deus de Deo* ſit, Filius etiam habeat. Quæ ſi ratio non capit, mirum quoque non eſt, ſi *Smalcius*, cui fides idem eſt, quod *credere* illis, quæ *vides*, tam proterve neget, aliter profecto, ſi Deum de his *myſteriis* teſtificantem audire pio fidei obſequio mallet, judicaturus. Cæterum *Vogelius* non male, Divinitatem Chriſti probaturus, *Filium unigenitum* patris eſſe demonſtravit: utpote quo poſito, nemo non, qui *Filii geniti a Patre* ideam ac definitionem novit, vel eandem ſpecie, vel numero etiam, quod Divinæ naturæ convenit, habere eſſentiam Filium hunc Dei, intelliget.

b) Immo vero contrarium hinc conſequitur, eum nempe, qui apud Deum *ab initio* rerum omnium jam extiterit, & *ipſe Deus fuerit*, ejusdem cum Deo, καθ' ὑπόστασιν a ſe diſtincto, de qua Hebr. I. 3., eſſentiæ non poſſe non eſſe. *Perſonam* enim *divinam* unam *cum alia ita comparari* liquet, ut utriusque divina eſſentia communis ſubſternatur.

c) Miror, & pæne indignor, has de *Arti-*

a Deo exiverit, nullo ad vocem Dei addito articulo, ut conſtaret, eum in ſequentibus verbis, *& ad Deum* * *abiret*, de eodem Deo loqui, articulum ad vocem Dei addidit. a) Cum vero hic de Deo cum articulo loqui cæpiſſet, & deinde Deum nominat ſine articulo, certum eſſe debet, eum vocem Deus diverſimode accipere. Et hæc quidem expendenda tibi & aliis relinquimus. Nam quæ de voce Dei, ſine articulo de Deo vero quater uſurpata, diſſeris, ea nihil huc faciunt, (quamquam & in iſto quaternario numero vel allegatione verſiculi error ſit, nam v. 4. nulla Dei eſt mentio.) cum non id nunc quæratur, an vox Dei ſine articulo poſita Deum illum unum ſignificet, ſed an veriſimile ſit, eadem ratione vocem Dei tributam eſſe Sermoni hoc in loco, quo Deo illi uni, qui pater eſt. b)

Sed jam loco hoc abſoluto ad alterum tranſis, in quo Chriſtus a Paulo ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, appellatur. Hic vero primum, cum aliquid adverſus nos docendum tibi eſſet, alios exagitare conaris, qui diverſum a nobis ſenſum his verbis tribuunt, & aliter etiam, quam nos, ipſa verba Apoſtoli legant, c) quod quo fine factum ſit, tute noſti. Equidem id otioſe d) factum eſſe, jure dicere poſſum. Nam quæ contra Eraſmum tacite affers, ex noſtrorum libris ſunt deprompta, nec ab ullo fortaſſis alio obſervata, & ita noſtra repetens e) tuam apud auditores commendaſti cauſſam, quam quomodo ex hoc loco fulcire coneris, videamus.

Credimus, ais, *Chriſtum eſſe Deum exiſtentem ſuper omnia, hoc eſt, altisſimum illum & benedictum in ſecula, atque ſic unum illum Deum.* Sed oſtendendum erat, eſſe ſuper omnia neceſſario ſignificare altiſſimum, non ve-

* Cap. XIII. 3.

culo nænias, & fundamento ſolido deſtitutas, & contrariis jam revictas exemplis, toties crepari.

a) Hoc ſolo itaque exemplo, quod ipſe ſuppeditat *Smalcius*, eoque *ex Johanne* etiam deſumto, quantum Articulo, ſive addito, variis nominibus, ſive omiſſo, tribui oporteat, demonſtrari poteſt, & ficulnea proinde eſſe, quæcunque de ejus uſu magna animi contentione congeruntur, hinc evidentiſſime patet.

b) Non tantum veriſimile id eſt, ſed certum omnino & indubitatum; quia eidem λόγῳ, eadem, quæ Patri, *æternitas*, & *opus creationis* rerum univerſarum, & *vita*, tanquam fonti, & *generatio* a Patre ἐκ κόλπου αὐτοῦ, *& peculium idem* Judaicum, & προΰπαρξις *ante Joh. Baptiſtam*, ætate naturali ſine dubio ſeniorem, aliaque plura attributa legas.

c) Quaſi vero cum ſolo *Smalcio* diſputandum fuerit. Plures, ex eadem cohorte, aliasque elabendi rimas circumſpicientes, non minus, quam hunc unum oſtentatorem, & nominare, & vias hujusmodi occludere, inſtitutum præſens jubebat.

d) Immo *neceſſario* id faciendum erat, ne quid *diſſimulaſſe* videretur.

e) Fatetur igitur *Smalci us*, pſeudo-critic talia commenta in *Socinianorum* non omni

vero per, *hoc est*, id quod tu sentis, explicandum, a) hujusmodi enim explicationes exsibilari merentur. Potest enim super omnia is etiam esse, cui omnia sunt ab alio subjecta. b) Sic enim alibi Paulus ea de re loquitur : * *Omnia subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicit, quod omnia subjecta sunt, manifestum est, quod præter eum, qui ipsi subjecit omnia.* c) Ad altissimum autem constituendum, non tantum requiritur, ut sit super omnia, verum etiam, ut sit talis a se ipso d) & natura, & a nemine quicquam subjectum habeat. Adde, quod vox Græca πάντων, tam per omnes, quam per omnia converti possit. Vnde magis constat, Christum non esse altissimum. Super omnes enim, nempe homines, is etiam esse potest, qui non sit altissimus. e) Et mirum sane esset, Christum, etiamsi Deus appelletur, nuspiam tamen vel unum, vel altissimum Deum appellari, quod de patre diserte legitur, nisi hac ratione Spiritus S. indicare voluisset, patrem esse Deum natura, Christum Dei beneficio, ob divinum suum munus, & potestatem divinam. Ex eo vero, quod Christus benedictus etiam appellatur ut Deus pater, colligere, Christum

* 1. Cor. XV. 27.

no nullis libris reperiri. Non ergo, *otiose* hæc quoque repetita esse, inficiari ipsemet potuit, suæque ipsius, qua paullo ante in *Vogelium* invectus est, reprehensioni o ntradixit.

a) Quid opus erat, hunc sensum operose ostendere, quem notio vocabulorum, *super omnia*, unde sane ipsa vox *supremus* orta est, non tam offert, quam menti sibi constanti nullisque anticipatis opinionibus indulgenti ingerit?

b) Mitto putidum illud & scepticum, ut dicam, quod res est: *Potest hic esse sensus &c.* effugium, atque, ne concipi quidem posse tanquam *super omnia Deum*, eumque in *æternum* benedictum, cui hæc dignitas *sec. naturam* divinam, *a carne distinctam, phrasi inter Judæos præsertim non nisi de summo Numine* usitata, competat, illum, qui gratuito subjectionem hanc rerum omnium acceperit, plane arbitramur. Vt taceamus, ne syllaba quidem de subjectione rerum precario facta mentionem h. l. fieri, sed ex præjudicata illa *Smalcii* atque sociorum de factitia Christi divinitate eam confingi.

c) Hunc locum quando objicit *Smalcius*, humanæ Christi naturæ donata ἀυχήματα cum congenitis ab æterno i. e. essentialibus proprietatibus, de quibus h. l. *ad Rom.* sermo instituitur, ubi *carni altera natura* opponitur, manifestissime confundit. Vnde nec mirum est, subjectionis a Patre factæ sec. carnem Christi, ad majestatem evectam divinam, illic meminisse *Paullum*, ad Rom. IX. autem silentio eam præteriisse; quia de naturali perfectione & excellentia summæ divinitatis heic loqui instituerat.

d) Est & Christus *Deus a se ipso*, quia eadem, quæ & Patris, communicata licet generando, summa divinitate exsplendescit, atque hactenus cum Patre unum est; *tametsi illam supremam super omnia naturam non habeat a se ipso*, sed per generationem. Ex hac vero *origine personali* non æstimanda est summa θειότητος eminentia, sed ipsius essentiæ rationibus. Quæ cum ita sint, & filius atque Pater, licet diversi sint, *unum* nihilominus maneant, quod toties Christus ipse repetiit, tum natura Deum esse, tum a nemine quicquam, tanquam inferiorem a superiori, eidemque subjectum, habere, atque ut Deum accepisse, manifestum est.

e) Vox πάντων, sine additamento h. loc.

ſtum eſſe eundem Deum, qui pater eſt, unum ſcilicet illum, an ejus ſit, qui artes didicit liberales, tibi relinquo expendendum. Equidem, niſi doceas, de ſolo uno Deo dici, quod ſit benedictus, nihil te agere dico.

Iam tertium locum adducis, verba angeli de Iohanne Baptiſta: *Et multos filiorum Iſraël convertet ad dominum Deum ſuum, & ipſe præcedet ante eum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Et primum leviter ſane rejicis, quod de verbis angeli a noſtris dictum eſt, nempe progredietur vel ambulabit ante illum, nempe Deum, ita accipi poſſe, quod ſit in conſpectu Dei ambulaturus, quæ phraſis eſt hebraica, & ſignificat vitam cum vera pietate traducere. Hoc enim admiſſo, argumentum tuum debilitari ſaltem neceſſe eſt, quod ita verba illa accipit, quaſi de præcedendi modo temporis reſpectu accipienda ſint. Nec quicquam refert, quod tu iſtum modum improprium appellare velle videris. Sæpisſime enim ſenſum verborum improprium proprio præſtare, & ad rem a) accommodatiorem eſſe, nemo theologorum neſcit. Deinde admiſſo iſto verborum ſenſu, nihil tamen proficis, niſi doceas, non, quod Iohannes ante Deum Iſraëlis, & ante Chriſtum præceſſerit, ſed quod ante neminem alium præcedere debuerit, vel præceſſerit, quam ante Deum Iſraëlis; quod ſane nunquam oſtendes. Alias autem conſtat, tunc jure dici potuiſſe, præceſſiſſe ante Deum Iſraëlis Iohannem Baptiſtam, quando ante Chriſtum præceſſit, non quod Chriſtus eſſet Deus Iſraëlis, ſed quod perſonam Dei Iſraëlis gereret. b) Quicquid

currens, eo ſenſu accipienda eſt, quo alia hunc in modum uſurpata adjectiva ſolent, i. e. neutro. Quem & ipſa *Socinianorum* Verſio ſenſum expreſſit, & locus notiſſimus Matth. XXVIII, 18. confirmat.

a) Scripturæ S. ſatis comprobatam veritatem aut dogma aliquod revelatum ſi intelligat, recte hæc affirmantur a *Smalcio*; ſi vero principia rationis præceptasque inde animo perſuaſiones ſubſternat, male h. m. Scripturam ad regulam illam fallacem *inflecti*, nec ipſi adverſæ partis Doctores *modeſtiores* abnuent. Αναλογίαν ſane πίστεως & ipſe Apoſtolus, ut principium interpretationis Scr. S. princeps, commendat, ſed rationis analogiam nuſquam ita cum Fide conjunxit, ut cynoſuram credendorum eſſe juſſerit, ut compedes etiam ei injici, ſi myſteriis patefactis obloqui auſit, diſtricte velit.

b) Etiam hæc a *Smalcio* ad incitas redacto fingi, cum *ſilentium de Legato*, in his locis omnibus, quibus ad Chriſtum *Eſaiæ* illuſtre illud vaticinium applicatur, oſtendit; tum vero etiam *prærogativa*, quam Chriſto ipſe *Johannes*, huic Prophetico teſtimonio innixus, ut *Domino & ſponſo* Eccl. tribuit, confirmat. Huic enim ſola *Legati* a ſupremo Numine dignitas conſtituendæ non ſufficiebat, quam ſane *communem utrique* fuiſſe nemo negaverit. Atque hinc ex his vicariis partibus, falſo Chriſto tributis, verum verborum utriusque Prophetæ ſenſum peti haud poſſe, ſed *ipſum Chriſtum verum ſummumque Deum* fuiſſe, ut eum nuncupat, cujus adventum Baptiſta anteambulo præſignificare, eidemque viam ſternere debuerat, inde recte a *Vogelio* demonſtratum eſt.

quid enim legato exhibetur, id in eum, cujus legatus est, redundat. Atque ex his verus sensus verborum tum Zachariæ, tum etiam Malachiæ peti potest.

Sed ecce ultimum ais, non obscure Christum innuisse, se Deum illum unum esse, *quando se fuisse, antequam Abraham fieret, esset, aut nasceretur, non nude affirmavit, sed asseveratione gemina confirmavit Ioh.* 8. *v.* 58. ubi te statim doli vel erroris accuso, qui ausis affirmare, Christum dixisse, se *fuisse* antequam Abraham fieret, nec enim Christus dixit, Amen amen dico vobis, priusquam Abraham fieret (ut nunc istud admittam) ego fui, sed tantum dixit, Ego sum. Quæ ipsa verba sensum, quem tu Christi verbis affingis, nulla ratione ferunt vel admittunt. Esset enim in Christi verbis talis solœcismus, qualis nullus habetur in universo sacro codice Novi fœderis. a) Quem quidem te observasse video: at quomodo ad illum responderes non invenisti, nisi verba Christi mutares, quod tibi non licere nosti. Solent theologi, dum a nobis ita urgentur, dicere, Christum ita loquendo æternitatem suam expressisse, & ad id colorandum verba ista Dei, *Sum, qui sum*, accommodare. Sed jam (ut ex multis paucissima dicam) pueris notum est, aliter Deum locutum esse, nempe, *Ero qui ero.* Ipsa etiam res loquitur, differre istas locutiones *Ego sum*, & *Sum, qui sum.* Hæc enim perfecta est, licet figurata, locutio, & significat Deum esse sui similem, in promissis scilicet, ut hac de re eleganter super hunc locum disserit Brentius: illa vero prorsus elliptica est, & semper est adimplenda. Quomodo autem hic adimplenda sit ex v. 12. cap. diserte constat, ex 24 vero & 28. colligi potest. b)

Sed te audiamus disserentem: Judæorum verba citas: *Tu nondum quinquaginta annos habes, & vidisti Abraham*, & responsum ad ea Christi

a) Esto, nullumque hujusmodi formæ loquendi in N. V. reperiri exemplum, coll. tamen ante Apoc. IV. 5. concedamus. At Græcis tamen haud inusitata est, etiam profanis, hæc temporum Enallage, cujusmodi passim ab aliis collecta non repetemus exempla, sed unicum jam pridem a *Grotio* ad h. l. ex Psalmo XC. 2., quod ita huic simile est, ut ovum ovo, observatum temeritati *Smalcianæ* opponemus, inque *solœcismis* fingendis parciorem de reliquo esse jubebimus.

b) En! audacissimum hominem, qui, postquam Enallagen præsentis temporis pro Imperfecto aut Perfecto Solœcismi accusaverat, ipse nunc, pro auctoritate & lubitu, in *Futurum* illud mox convertere non verecundatur. Vt taceam, ad remotiora ista hæc asserta neutiquam respicere verbum *εἰμί* posse; quoniam ad alia jam disputantes dudum digressi fuerant, & *de ætate Christi*, atque *existentia*, recentine an prisca? ipsumque adeo Abrahami ævum antevertente, lis tandem mota erat. Ob arrogatam certe *Lucis mundi* dignitatem, non nunc demum, sed *jam ante, lapidandum*, furor sce-

ſti addis, Αμὴν ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, πρὶν Αβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμὶ, & hinc concludis, *ſenſum eſſe horum verborum, vere vobis affirmo, me eſſe ante, ut ita dicam, fientiam, exiſtentiam, vel nativitatem Abraham.* Satis ſane frigide, & ſine omni probatione. Iam enim oſtenſum eſt, Chriſtum ita loqui non potuiſſe, nec ſenſum talem admittendum eſſe, niſi dicatur, Chriſtum aliter locutum eſſe, quam locutus eſt. a) Addo nunc, valde imperite ex eo, quod Chriſtus reſpondiſſe legitur, colligi, eum directe ad id, quod ſibi objiciebatur, reſpondiſſe. Dantur enim multæ reſponſiones obliquæ, quando ſcilicet interrogationes aut objectiones vel parum ſunt appoſitæ, vel, quod majus eſt, captioſæ, adeoque calumnioſæ. b) Exempla habemus in hoc ipſo evangelio Iohannis cap. 12. v. 23. ubi etiam Chriſtum reſpondiſſe legimus, ſed certe nimis indirecte. cum enim eſſent qui ipſum videre volebant Græci, & hoc curioſe ab Apoſtolis Chriſto nunciaretur, Chriſtus ita reſpondit: *Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti lapſum in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert,* & tamen iſta reſponſio plena ſapientia, & vere digna Chriſto fuit. c) Sic etiam verſu 34, 35, 36. aliquid habetur huic noſtro admodum ſimile. Cum enim turba Chriſto objiceret: *nos audivimus ex lege, quod Chriſtus maneat in æternum, & quomodo tu dicis oportet*

leratorum hoſtium juſſiſſet. Qui cum ad hæc verba pronunciata, objectioni ſane ex aſſe reſpondentia, ad extremum erumpat tam ſubito, tamque vehementer, quis non videat, *novum* quiddam & *proximis dubiis*, de ætate Chriſti injectis, *congruens ſublimiusque aſſertum* περὶ τῆς προϋπάρξεως tantæ ſævitiæ anſam dediſſe? Plura ex Annott. ad *Vogelii* orationem repetantur.

a) Immo vero rectiſſime *locutus* eſt, uti *res* ipſa & *interrogatio* objectantium Chriſto nuperrimum exiſtendi initium poſtulabant. Quicquid ſit de illa *Vogelii* in explanatione verbi γενέσθαι ſubtilitate. Supra enim, ita Græcos de exiſtentia atque nativitate, ſi verbi notionem retineas, loqui, oſtendimus.

b) Et *appoſita* erat (ſi Judæorum de *Jeſu Nazareno, mero homine*, nuper ex Maria nato, ſpectes perſuaſionem,) *objectio*, & *clara* atque plana, minimeque captioſa. Quid ergo opus fuerat reſponſione obliqua? Cujus quoque in ipſis verbis, ex mente *Lælii Socini*, qui autor eſt hujus perverſiſſimi obſcuriſſimique ſenſus, nec vola nec veſtigium extat, ſimpliciorem autem illam interpretationem noſtram, & *antecedentia dicta*, &, cum reſponſionis planiſſima uſitatæque vocabulorum omnium ſignificationi conſentanea ſententia, quæ *ſubſequuta* ſunt, *facta* condocefaciunt. Quorum illa non de eo: Vtrum Jeſus Lux mundi eſſet, nec ne? Sed de *recentisſima origine* atque *ætate vix virili*, agebant; hæc autem apertam *blaſphemiam, lapidatione dignam*, pronunciatam, aut certe ita viſum eſſe Judæis, arguunt. Quam niſi ex affectata ut illi opinabantur, divinitate vix exſculpes, eamque contra diſceptationis materiam h. l. fuiſſe, ſi conferas Cap. X. 33-39., inficiari, niſi adverſus ſolem loquaris, vix poteris.

c) Aliter longe comparata erat hæc C. XII. quam noſtra Cap. VIII. reſponſio. Illa

tet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis, ita Christum respondisse legimus: *Adhuc modicum tempus lux vobiscum est. Ambulate, dum lucem habetis, nè tenebræ vos comprehendant, qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis.* Christum vero tali responsione hic uti potuisse, adeoque usum fuisse, objectio Iudæorum, si bene consideretur, docere nos potest. Mera enim erat cavillatio, immo calumnia, nam Christus nec dixerat, se Abrahamum vidisse, nec id, unde id colligi posset. Tantum enim dixerat Christus, Abrahamum exultasse, ut videret diem suum, & vidisse & gavisum esse, vel (nam & hic sensus admitti potest, ut alibi docuimus) Abrahamum exultaturum fuisse, ut videret diem suum, & si vidisset, gavisurum fuisse. a) Si prior sensus admittatur, qui, licet eum plerique sequantur, non est tamen ita ad rem accommodatus atque alter, non dixit Christus, se vidisse Abrahamum, sed Abrahamum vidisse tantum ait, non se, sed diem suum. Poterat autem Abrahamus videre aliquid, quod re ipsa non erat tunc, cum viveret. b) Prophetarum enim (qualis etiam erat Abraham) erat futura videre ut præsentia. Si vero alter sensus admittatur, quem verba Christi, hebraismo in illis, non admodum inusitato, admisso, admittunt, multo magis Iudæorum perversitas apparebit. Quid enim verius, quam Abrahamum exultaturum fuisse, ut videret diem Christi, & si vidisset gavisurum fuisset, adeoque non similem futurum fuisse Iudæorum, qui Christi diem videre nolebant, & tamen Abrahamum patrem suum esse subinde jactitabant

enim manifesto *de futuro tempore*, quo visuri sint Christum Græci in terris ipsorum inposterum prædicandum, loquuntur, & non tam obliquum videtur responsum illud, quam ἐλλειπτικὸν dicendum. Cujusmodi & sequentia sunt, quibus sola hæc adjecta verba: *Tunc intelligetis, quæ de me dixi, deque exaltatione mea &c.* lucem affundunt. At in colloquio Christi cum Judæis priori nostraque illa, de qua hic disceptamus, responsione, nihil prorsus, quod vel ἔλλειψιν, vel obliquam orationem, aut abruptam imperfectamque, quoquo modo indicet, vel ad futurum tempus nos respicere jubeat, occurrit. Quæ aperta sunt τῆς ψευδερμηνείας coactæ & ad præceptam animo interpretationem attemperatæ signa.

a) Nova detorsio, planissimisque Christi verbis, quibus, *vidisse revera diem suum* Abrahamum, diserte inquit, e diametro adversa, novoque documento, *Smalcium*, semel iterumque præsentia & præterita in futurum convertentem, id sibi licere, quod solœcismum nostris justis de caussis enallagen præsentis pro perfecto statuentibus interpretatur, demonstrans. Quis ergo non indignetur tantæ hominis arrogantissimi petulantiæ!

b) Quicquid sit de die alicujus conspecta, quæ vix concipi potest, quin simul & hunc, ab illo spectatum, spectatorem vicissim suum vidisse concedi oporteat; sufficit in præsenti, fieri haud posse, ut, qui conspectus ab altero sit, eo die, quo is natus est, (neq; enim alius hicdies intelligi vix poterit) haud existat. Cæterum, quo pacto diem

tabant. a) Quid vero perversius, quam ei, qui sic loqueretur, ita respondere, quemadmodum Iudæos Christo respondisse legimus? Quæ omnia, & alia non pauca nuper a nostris, & a nobis etiam dicta sunt non uno in loco. b)

Iam, quid post nudas c) tuas assertiones adversus nos dicas, expendendum etiam est, ubi hoc præmonuero, non tam tibi curandum fuisse, quid nos de versione loci dicamus, quam demonstrandum, versionem, quam tu cum vulgata sequeris, esse legitimam, & sine intolerabili solœcismo d) tolerari posse: sensum vero, quem verba illa continent, esse Christo dignum. Nam, ut hoc præterea dicam, nonne Christus, isto sensu admisso, talis a vobis fingitur, quales plerique sunt hodie, qui res tractant divinas, qui, cum de re aliqua controversa disputant, id quod est in controverso sumunt, & ita adversarium ludificant? Christo enim homini objectum erat, quod non haberet quinquaginta annos, & tamen Abrahamum a se visum esse gloriaretur? Iam si Christus dixit, se, qua Deus erat, fuisse antequam Abraham nasceretur, nonne terminos & statum quæstionis mutavit, & jure se ridendum adversariis præbuit? e) Sed nunc id, in quo tibi cum Doctore Frantzio places, videamus. *Mirari te*, ais, *istam versionem & sensum, cui omnes inter-*

Christi viderit Abraham, nunc non disputabimus, neque enim ad præsens institutum multum id refert nosse aut nescire; hoc tamen certum est & indubitatum, *a majori ad minus verisimile* h. e. altius & sublimius mysterium, quod non aliud esse potuit, quam *existentia ante Abrahamum*, Christum progressum esse, eaque asserta lapides in sanctissimum caput suum a lapideis hominibus conjiciendos provocasse.

a) Inepte ad hæc Christi verba Hebraeismum, nescio quem, applicari, vel sola h. l. explanate facta *quinquaginta* annorum mentio commonstrat, quæ, si de conditionata quadam visione sermo esset, prorsus non ad colloquium hoc quadraret. Tantum abest, ut hæc sententia aliis præferenda sit.

b) Dicta sane, sed neutiquam probata, & sic quoque dicta, atque ad nauseam usque repetita, ut vel ipsos *Remonstrantes* tam perspicuæ orationis, offusis dedita opera nebulis, obscuratæ pudeat.

c) Non sunt nudæ *Vogelii* assertiones, sed sermonis clari planique, ex indole nativa orationis, ad προϋπάρξιν Christi ante Abrahamum, nec per decretum, (de quo altum est silentium) sed ipsum εἶναι, seu existentiam veram atque realem applicationes: quas non nisi veram æternamque Christi divinitatem, contra *Socinianum* gregem potissimum, adstruere vel manibus palpari potest.

d) Denuo comminiscitur solœcismum *Smalcius*, quem jam ante vel unico loco Psalmi XC. diluimus. Legitimam contra versionem esse, si non alia, hac sola tamen ratione solidissime evincitur, quod nostra hæc interpretatio interrogationi aut objectioni respondet ex asse, *Smalciana* autem & verbis ipsis planis & scopo disceptantium Christi atque Judæorum vim apertam infert.

e) Ergone status quæstionis mutatur, si a majori ad minus in dignitate præsertim alicujus hominis contumeliose tractati pro-

interpretes favent, a nobis ob ſolam regulam grammaticam de natura aoriſtorum infinitorum, qui ſcilicet temporis definitionem accipiant a verbis, quibus cum junguntur, rejici, & non conſtare, ais, *utrum ea perpetuo obtineat apud eos, qui quam puriſſime græce ſunt locuti; nec deeſſe etiam in ipſo ſacro codice exempla, quæ habeant contrarium.* Ego vero mirari jure poſſum, te iſtud auſum fuiſſe dicere, quod ob ſolam regulam grammaticam iſtam verſionem & ſenſum rejiciamus, cum non neſcire potueris, nos alias easque graviſſimas ejus rei cauſſas habere, quarum nonnullas in hoc ipſo ſcripto expoſui. a) Quamquam & illud, quod de regula ſola grammatica dicimus, non eſt de nihilo. Quæ vero tu contra eam affers, certe non multum valent. Prius enim inaniter dicitur, niſi ex auctoribus Græcis exempla diverſum teſtantia afferantur: poſterius vero admodum infirmum eſt. Nam in citato exemplo Iohannis 14. ſatis manifeſtum eſſe videtur, vocem εἴρηκα præteriti temporis pro præſenti uſurpari. Hoc enim vocula *nunc* illi præpoſita exigit quodammodo, & ita ratione iſtius enallages vocem γενέσθαι per fiat efferendam eſſe. Immo hoc ipſo magis premi poteſtis. Nam ſi tunc etiam aoriſtum, vel vocem γενέσθαι, vel verba πρὶν γενέσθαι, per fiat, vel priusquam fiat, interpretari quandoque poſſumus & cogimur, quando cum præterito junguntur, quanto magis tunc id fieri poſſe & debere cenſendum eſt, quando cum præſenti ponuntur? Quod vero ex Pſal 90. adducitur, id non eſt par huic, de quo agimus. Nam aoriſti iſti γεννηθῆναι καὶ πλασθῆναι diverſi ſunt ab eo, de quo nunc agimus, & ei ſimilibus, b) ideoque iſto modo, quo converſi ſunt, converti poſſunt. Præterea cum de Deo dicere vellet auctor pſalmi, eum ſemper fuiſſe, eſſe, & futurum,

ceditur? Neque vero inſolitum fuiſſe Chriſto, vel ſolus ex Pſalm. LXXXII locus adductus Joh. X. 34 36. oſtendit. Dignam vero eſſe Chriſto hanc ante Abrahamum exiſtentiam, nemo niſi incredulus aliquis *Socini* diſcipulus atque dignitatis Meſſiæ veræ hoſtis negare auſit; Quodſi vero a *Vogelio* ex h. l. Joh. VIII. 58. τὴν θειότητα τοῦ χριστοῦ probante, argumento ſane invicto, id quod in controverſia eſt, ſumi, uti a *Smalcio* eſt factum, dixeris, næ hoc modo per compendium omnem demonſtrationem ex firmiſſimis principiis petitam evertere, & vitii τοῦ ἐν ἀρχῇ inſimulare licebit. Quod utrum ſanæ mentis hominem, nedum diſputandi peritum, arguat, judicent, quibus læva mens non eſt, & vel mediocris etiam naturalis Logices cognitio in pretio adhuc eſſe ſolet.

a) Quæ vero illæ fuerint, jam vidimus; non aliæ videlicet, quam quod ratio Deum a Deo diſtinctum, h. e. filium Patri συναΐδιον & ὁμοούσιον, capere non poſſit, & Sp. S., id affirmanti toties, credere nolit.

b) Ingens profecto differentia inter *Aoriſtum primum & ſecundum!* Mirum homines, tanta Philologicæ eruditionis opinione tumentes, in tantis rebus tam imbecillibus ratiunculis niti, omnesque alios, quaſi qui cornicum oculos ſoli configant, contemnere.

turum, eleganter uno tempore præſenti expreſſo, ad reliqua nempe præteritum & futurum elliptice accommodari debere, docuit. Vt enim nemo accurate loquendo dicere poteſt de Deo, *tu es in ſecula*, ſic cum dicitur, *tu es, antequam montes naſcerentur*, vel *a ſeculis*, intelligendum eſt Deum fuiſſe, vel extitiſſe ante creationem montium, & a ſeculis. a) Qualis oratio prorſus non habetur in loco Iohannis, ut antea docuimus. Quæ deinceps adverſus Arii ſectatores diſſeris, ea ſtudio prætermitto. Nam nihil ad nos pertinent, qui ſimpliciter negamus, Chriſtum ante extitiſſe, quam ex virgine naſceretur. b) Quamquam & illa non magni ſunt momenti aut ponderis. Nam etiamſi non legatur, Chriſtum eſſe factum aut creatum, hinc tamen minime ſequitur, non eſſe factum aut creatum. c) Satis enim eſt id aliunde conſtare poſſe, quod crediderunt Ariani. Nam nec de Angelis legitur in ſacris litteris, quod creati ſint, (quantumvis tu contrarium dicas) & tamen creatos eſſe credere cogimur ob cauſſas valde urgentes. Quæ vero iteras, quod Chriſtus in principio fuerit, & per eum omnia creata fuerint, ea quam falſo dicta ſint, ex ſupra dictis ſatis conſtare puto. Peroras verba Iohannis recitans: *Scimus quod filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoſcamus illum, qui verus eſt, & ſimus in illo vero, in filio ejus Jeſu. Hic eſt ille VERVS DEVS, & VITA æterna.* Sed & vitioſe illa recitas, ſi contextum græcum conſulueris; d) &, quod caput rei eſt nullo verbo doces, verba: e) *Hic eſt verus ille Deus*, ad filium Dei referenda eſ-

a) Immo *eadem prorſus eſt oratio* Chriſti: Qui de reliquo ad ſecula anteriora ipſam ſui ante mundi exiſtentiam, quod l c. Pſalmi factum eſt, proferendo progreſſus non eſt, quia *comparatio* adverſariorum *cum Abrahamo* ad hujus eum ætatem revocaverat, hominemque ante Abrahamum extitiſſe, qui tamen cum Judæis coram colloqueretur, vel ſic ſatis divinitatis ſignificationem faciebat luculentam.

b) Atque illud ipſum eſt, quod *Vogelio* proxime demonſtrandum fuerat, non ignoranti, hanc ſi oſtendiſſet ex l. c. προϋπάρξιν ſuam, aperte & ſine circuitione inde deductam, victas *Socinianis*, ab *Arianiſmo*, eam quoque ob cauſſam, abhorrentibus, manus dandas nobis eſſe.

c) Non ſolum illud hinc conſequitur, ſed etiam, quando omnia per Chriſtum facta dicuntur, *quæcunque facta ſint*, palam id aſſeritur; quia his verbis, *præter* ſolum *conditorem* rerum cunctarum, incluſa ſunt, quæ facta ſunt, *omnia*. Angelos vero nuſquam legi creatos, vix credibile eſt ſerio heic affirmare *Smalcium*, qui, totius *exercitus cælorum ambitu* comprehendi Script. S. phraſi perquam uſitata, quem a Deo conditum eſſe, in ipſa Creationis hiſtoria dictum eſt, neſcire vix potuit. Vt inviſibilium thronorum & poteſtatum &c. creationem per Chriſtum (creationem inquam, *non reſtitutionem*, qua neque Angeli boni indigent) Col. I. 16. teſtatam omittamus.

d) Nihil vitii in hac recitatione hæret, quod ex contextu græco, ſi quid præſto fuiſſet, haud ſilentio prætermiſiſſet *Smalcius*. Novum ergo hoc puto jactantiæ ſpecimen, & lyncei acuminis oſtentatio!

e) Quid opus fuerat hæc operoſe docere, quoniam ad *proxime præcedentia* pro-

ſe: ad patrem autem ea referri poſſe, luculenter non uno in loco a noſtris demonſtratum eſt: Immo etiam, nec ad patrem nec ad filium, ſed ad rem ipſam, de qua antea Iohannes egerat, relata, ſenſum egregium continere, ex commentario Socini, nuper ampliſſimo Senatui Argentinenſi per me dedicato, videre eſt. Et hæc pauca pro tua oratione, Vogeli, refutanda ſufficiant. Quam deinde gratiarum actionem adnectis primum ad Deum directam, ea alio ſenſu a quovis etiam, qui nihil revocet, haberi poſſet: alteram vero ad Senatum Noribergenſem habitam, timor tibi exprimere potuit. a) nimis enim eorum erga te benevolentiam deprædicas, a quibus catenis ligatus & in carcerem ſquallidum conjectus fueras. b) Ego tibi, aut bonam, aut certe meliorem mentem a Deo ex animo precor.

REFVTATIO EORVM,

Quæ in oratione Joachimi Peuſchelii, de ſanctiſſima, ut ille loquitur, Domini noſtri Jeſu Chriſti ſatisfactione continentur.

QVANTA ſit utilitas ſententiæ de Chriſti perſona, qua ſtatuitur, Chriſtum hominem illum, quem Deus ex virgine conceptum & natum, in mundum miſſum, & in mortem traditum reſuſcitavit, & ad dexteram ſuam collocavit; & præter vel ante eum, neminem alium eſſe unigenitum Dei filium & ſervatorem noſtrum; quod ſcilicet per eum vera ſummi Dei gloria aſſeratur, & noſtræ in ea ſalutis firmitudo conſiſtat: quanta item utilitas ejus de Chriſti munere ſententiæ, qua creditur, Deum absque ulla ſatisfactione, ex mera ſua gratia peccata nobis

nomina *relativa*, aut ſenſu ſaltim eo uſurpata demonſtrativa, referenda eſſe, naturalis loquendi conſuetudo expoſcit? Hoc vero inſuper loco, non ad patrem reſpici, ſed *filium*, ipſe *orationis ſcopus*, de quo utrum verus ſit Deus aut Meſſias, diſputabatur, efflagitat. Non de re denique ſed perſona agi, & genus & συνάφεια cum præcedentibus manifeſta evincunt.

a) Quo in pretio ſint hujusmodi, *a poſſe ad eſſe*, ratiocinationes, cum haud ignorarit *Smalcius*, quem & ipſam gratiarum *Vogelii* actionem ſuſpectam reddere non puduit, putidum eſt, denuo illud *poſſe* h. l. ingeminari; quando *timorem* potius hæc expresſiſſe, cujus nulla cauſſa fuit, *debuerat probari*.

b) Cauſſas, *quare* in patriam non libere remeare juſſi, ſed *vincti* utique retracti ſint primipili hi apoſtatæ, multoties jam expoſuimus. Nunc denuo, *ſqualidum* fuiſſe carcerem, uti finxit *Smalcius*, fama a malevolis ſparſa, ut mitiſſime ſentiamus, deceptus, *negantes* & pernegantes, non hanc fuiſſe τῆς εὐχαριστίας cauſſam, ſed curam potius & ſolicitudinem pro veritate legitima informatione recuperanda, commonemus, & *ne ipſum* quidem *rigorem* illum, *dormien-*

nobis remittere, ſi in Chriſtum credamus, quod ſcilicet per eam ab omni vitiorum habitu a) retrahamur, & ad veram ſanctimoniam, ſine qua nemo Dominum videbit, perpetuo extimulemur, plurimis in locis a noſtris diſputatum eſt ſatis ſuſe. Nunc audiamus te, Peuſcheli, quomodo Chriſti ſatisfactionem adſtruas, hoc eſt, quomodo probes, Chriſtum pro peccatis noſtris præteritis, præſentibus, & futuris, juſtitiæ divinæ, quæ peccata non poſſit non punire omnia & ſingula, ita ſatisfeciſſe, ut id, quod nobis luendum erat, ipſemet luerit, adeoque Deum iratum ob peccata propitium nobis effecerit. Hæc enim ſatisfactionis, quam vos ſectamini, natura eſt.

Primum igitur ais, *Chriſtum eſſe noſtrum ſalvatorem*, & ad id probandum ſatis otioſa b) quædam ſs. litterarum loca affers. Quin potius ipſam rem agas, & quod probandum ſuſcepiſti, probes. Producis igitur arma militiæ tuæ, c) ut ais, eaque præcipua. Primum locum habet teſtimonium Eſaiæ, in quo dicitur, *quod iniquitates hominum ipſe* (ſcilicet, Chriſtus) *bajulaturus ſit.* Quid hinc extruis? *Chriſtum peccata noſtra portaſſe non nuda ablatione, ſed oneroſa portatione, quod Deus in eum fecerit incurrere iniquitates omnium noſtrum.* Sed inepte portationem, quæ fit per ablationem, extenuas, eam nudam appellando. Nullus enim modus eſt, quo peccata verius portari dici poſſunt, quam ſi ita portentur, ut etiam ſimul auferantur. d) Deinde contrarius eſt ti-

tibus, ut evigilarent, *commovendis* prudenter adhibitum, gratæ mentis confeſſione indignum fuiſſe, cenſemus.

a) Omiſſa ſcil. juſtitia, quam toties Apoſtolus per fidem, ut inſtrumentum, ἐκ πληρώματος χριςȣ̃, ἐλλογεῖσϑαι ſine operibus teſtatur, eidemque a *peccato liberationi* per imputationem & remiſſionem ad Rom. VI. 22. & alibi virtutis habitum novum, quem in ſanctificatione Sp.S. ingeneret, tanquam *fructum* conſequentem ſubjungit.

b) Minime otioſe locis quibusdam Scr. S. repetitis Chriſtum Servatorem dici probavit, ſed parce & breviter *Peuſchelius*. Hoc enim ordine a re ipſa *ad modum* procedere neceſſe erat. Quem ſi neglexiſſet, haud dubie τῆς ἀπαιδευσίας accuſaſſet eum adverſarius moroſus.

c) Alia itaque ſunt arma militiæ *Sociniana*: Philoſophica nimirum, quod fieri ſane cum *Paullo* dolemus & improbamus, tranſitumque hunc ἐις ἄλλο γένος *Peuſchelium* quoque approbare amplius noluiſſe, *gladioque Sp.S.* h. e. verbo divino pugnare maluiſſe laudamus.

d) Hoc ſi largiatur *Smalcius*, ediſſerat quæſo cum ſuis, quomodo *onus illud peccatorum, & ipſorummet* quidem delictorum noſtrorum non minus *quam pœnarum*, pro delictis impoſitarum, quas nos geſtare debueramus, *Chriſtus* geſtarit bajulando, niſi juſtitiæ, aut iræ, ſi malit, divinæ ſatisfaciendo, & *vices noſtras* paſſionibus tantis receptis *explendo*? Quicquid præter hunc modum comminiſcetur, luculentiſſimis Oraculorum divinorum teſtimoniis, tametſi forte ingenioſis Magiſtri ſui perſvaſionibus & phantaſmatibus, non conſentaneum eſſe, eorumque vim minime exhaurire, evidentiſſime patebit.

biMatthæus, qui tunc a) Chriſtum portaſſe dolores noſtros affirmat, quando morbos abſtulit. Vnde conſtat, tunc etiam dolores ſpirituales a Chriſto portari vere, quando auferuntur. b) Nec quidquam valet, quod tu ex tuo & Chryſoſtomi ſenſu de verbis vel allegatione Matthæi affers, tantum enim rerum nudarum incerta ea eſt aſſertio; Et unius Apoſtoli auctoritas plus valere debet, quam omnium hominum. Sed eſto, peccata portare eſſe oneroſam eorundem portationem, num oneroſa portatio infert ita oneroſam, ut quis pœnas luat? c) nonne ſatis eſt ad efficiendum, ut quis dici poſſit peccata alicujus oneroſe portare, ſi occaſione peccatorum alicujus d) multa ei mala ſint perpetienda, etiamſi pœnas peccatorum nullas luat? Eſto denique, oneroſam portationem peccatorum eſſe, pœnas peccati luere, num idem ſunt peccati pœnas luere & pro peccatis ſatisfacere? nonne peccati pœnas is etiam luere dici poteſt, qui ob peccata alicujus, gravem quidem, ſed nec parem, nec æquivalentem peccatis pœnam ſuſtinet? e) Cum vero ais, *tam eum legi ſatisfeciſſe dici poſſe, qui obedientiam præſtitit quidem, at pœnam tamen inobedientiæ a lege requiſitam ſubit, quam alius quiſpiam, qui fecit prius, hoc eſt, qui activa, quam vocant, obedientia, quod*

a) *Tunc* portaſſe *Matthæus* neutiquam affirmat; etſi Chriſtum tot ægros ſanantem *eum* fuiſſe, qui noſtra crimina, ut ἔγγυος portet, idque vel hoc documento demonſtratum dederit, non negemus l. c. ſubinnui. Liberata igitur ab ambiguitate particula *tunc*, ſive pro ratione formali accepta, ſive de tempore rectius intellecta, ſalva res erit.

b) Ita eſt, ſi de *ſatisfactione in cruce* præſtita ſermo ſit; at de habitu vitiorum extergendo ſi quando loquitur Scr. S, eoque beneficio, quod per ſanctificationem nobis obtingit, h. e. *altero* redemtionis ſeu mortis Chriſti (quem ſolum admittunt *Socini* aſſeclæ,) *effectu*, auferri quidem & exſtirpari intrinſecus delicta concedimus, ſed, cauſſam præſtructam, eamque in ipſa ſatisfactione exhibita poſitam, atque juſtificationem per imputationem antegreſſam, non negligendam eſſe, iterum iterumque monemus, Paullumque Rom. III. IV. V. atque VI. capp. hæc conjungentem ſequimur.

c) At *pœnas* utique luiſſe, *unde pax nobis*, placato Numine, redderetur, de Chriſto teſtatur *Eſaias*; quando *caſtigationem* ipſi, tanquam onus grave, incubuiſſe, & quod nobis præſtandum erat, *exactione rigida* ab ipſo, נַעֲנָה, requiſitum expenſumque fuiſſe, ut officium ſuſtineret *piacularis hoſtiæ*, pro nobis *ſubſtitutæ*, ſemel iterumque affirmat. Vt *reſtitutionem* eorum, quæ nos contraxeramus *debitorum*, patiendo *præſtitam*, & Pſ. LXIX. tam dilucide deſcriptam ſileamus, aliaque vicariam *maledictionis* Gal. III. ſuſceptionem ei tribuentia teſtimonia omittamus.

d) Altum *de occaſione mera* in locis omnibus *ſilentium*, ubi potius perpetuo *ipſa delicta* delictorumque, promeritæ pœnæ commemorantur, variis nominibus v. g. *dolorum*, *caſtigationis*, *vulnerum*, *mortisque ipſius*, quæ peccati ſtipendium ſeu pœna eſt haud dubie, expreſſæ. Immo vero cum rerum adſint teſtimonia, quid opus eſt verbis?

e) Fatemur, eum, qui pœnas pro altero luit, non æquivalentem ſemper, ſed æquitate acceptantis temperatam interdum ſatisfactionem præſtare; at qui δικαίωμα, ſubeundo ipſam pro nobis maledictionem, exhibuit, per pretium τίμιον, ex filii Dei di-

quod lex jubet, peragit, primum obſcure rem explicas. Ita enim loqui videris, ac ſi Chriſtus obedientiam legi non præſtiterit, ſed tantum pœnam inobedientiæ a lege requiſitam ſubierit, vel ſaltem ac ſi quis pœnam inobedientiæ a lege requiſitam ſubire poſſit, qui obedientiam non præſtitit, quod nimis abſurdum eſt; deinde id, quod maxime probandum eſt, tacite pro conceſſo ſumis. Chriſtum ſcilicet pœnam inobedientiæ a lege requiſitam ſubiiſſe, quo nihil falſius dici poteſt. Pœna enim inobedientiæ a lege requiſita eſt æterna maledictio. Chriſtus vero eam tantum maledictionem ſubiit, quæ morte quidem crucis, adeoque maledicta, ſed tantum triduana a) continebatur. Quod noſtrum argumentum validius eſt, quam ut a vobis hactenus everti potuerit.

Progrederis deinde ad ea ſcripturæ loca, in quibus nos Chriſtus redemiſſe dicitur. At non neſciebas, vocem hanc improprie accipi in ſs. litteris plerumque, & nudam tantum liberationem b) ſignificare. Supponis igitur vocem emendi, & acquirendi. Sed & iſta non majoris ſunt momenti. Nam eandem ob cauſſam, ob quam proprie accepta redemtio non conceditur a nobis, propria etiam emtio & acquiſitio non conceditur, quæ eſt, quod nemini quicquam pro nobis datum ſit

gnitate æſtimandum, & quidem ἐν τελειώσει, talem haud præſtitiſſe, dicendum eſt, niſi velimus Scræ S. de Servatore noſtro acceptilatione potiora Rom V. 18. VIII. 4. 1. Petr I. 17. Hebr. X. 14. explanate docenti præfracto animo obloqui.

a) Quaſi vero æternitas pœnarum pro peccatis propter Deum infinitum læſum luendarum ſola duratione contineretur; quæ mora tam longa & nunquam finienda non aliunde niſi ex *imperfectione delinquentium*, luentiumque, cum Deo infinito collatorum, oritur. *Perſonæ* ergo in Chriſto Filio Dei *præſtantia*, quam de induſtria Sp. S. multoties ſimul cum ipſa ἀπολυτρώσει commemorata conjungit, id, quod merorum hominum infirmitati deeſt, ſupplevit, & *infinitam juſtitiam vindicem, infiniti pretii morte* pro toto genere humano ultro ſuſcepta atque tolerata abundantisſime *explevit*. Quæ etiam cauſſa eſt, cur pro divinitate prædis noſtri tam fortiter decertemus, eaque negata in tantas errorum ſyrtes adverſarios præcipites agi, doleamus.

b) Nimis audacter hæc aſſerit *Smalcius*, *plerumque* ita accipi vocabulum præſertim ἀπολυτρώσεως, vel λυτρωτοῦ & ſimilium, affirmans; quibus contraria facile, ſi enumeranda eſſent Scr. S. loca, demonſtrari poſſent. Sed faciamus, ita ſumi haud raro Græca hæc cum nomina tum verba, ex origine ſua procul dubio pretii quandam expenſi notionem complexa, (בררה enim Hebraicum latius videtur patere) inde ne ad reliqua omnia, *ubi pretii* etiam pro liberatione ſoluti *explanata* fit *mentio*, ratiocinari licet? Taceo ea quoque, quæ pro nuda populi Dei in V. T. ex hoſtium poteſtate liberatione adducuntur exempla, tametſi hoſtibus non ſit λύτρον perſolutum, aliam ob cauſſam facta haud eſſe, quam propter Chriſti ſatisfactionem, *voluntate* jam olim firmatam, & *reapſe* ἐν πληρώματι τοῦ χρόνου perficiendam; ad quam tota illa V. T. œconomia reſpexit.

ſit, quod ad proprie acceptam redemtionem, emtionem & acquiſitionem pertinere nemo non videt, & tute non diffiteris. Promittis enim te effecturum, ut cognoſcamus, Deum ipſum eſſe, cui pro nobis pretium ſit datum. Rem magnam præſtabis, Peuſcheli, ſi id effeceris. Legimus enim, ipſum Deum redemtionis auctorem eſſe, immo nos redemiſſe. Quomodo igitur ei pretium perſolvi potuit? a) Sed audiamus te. *Deus*, ais, *eſt is idem, cui ſe redemptor & hoc ipſo pontifex noſter obtulit, teſtante Apoſtolo Eph. 5. 2, & auctore epiſtolæ ad Hebr. 9. 14.* Sed hic nihil recti dicitur. Nam non hoc ipſo Chriſtus pontifex noſter eſt, quod redemptor eſt. redemtor enim etiam eſt propter mortem: at pontifex reipſa & perfecte non niſi poſt exaltationem, propter curam, quam noſtri in cælis gerit in adminiſtranda noſtra ſalute. b) Deinde loci Epheſ. 5. 2. & Hebr. 9. 14. inepte conjunguntur. In hoc enim diſerte dicitur, Chriſtum ſe obtuliſſe Deo, &, ut addit auctor, *inculpatum per ſpiritum æternum:* in illo vero tantum dicitur, Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis. Differunt autem offerre ſe Deo, & tradere ſeipſum pro aliis. Hac enim phraſi, tradere ſeipſum, cum de Chriſto ſermo eſt, perpetuo mors illius exprimitur: adeoque ſine additione vocis Dei, cui ſe tradiderit, uſur-

a) Aut perſona, quæ ſecunda eſt S. Trinitatis, eademque *incarnata*, redemtionis officio perfuncta opponatur perſonæ patris & Sp. S., aut *Officium* τῦ μεσίτυ θεανθρώπυ diſtinguatur a *Dei Trinunius, inprimis Patris, munere*, quo *ut Judex* hujus univerſi fungitur, & ſalva res erit. Deum certe mundum *ſecum ipſo* conciliaſſe, non dubitavit affirmare Apoſtolus 2. Cor V. 19 coll. Col. I. 20. cui, addito vel Senatoris ex Collegio Senatus præſtito toti Senatui placamine haud inſolito, tutius acquieſcimus ajenti, quam omnibus ferocientis rationis, divinam perſonarum œconomiam vix primis digitis attingentis dubiis temere in re ſibi incomperta, ſolaque Dei ipſius revelatione nitente, motis.

b) Permiſcet *Smalcius* hac ipſa reſponſione Pontificis munia conjunctim ſpectata cum redemtionis actu ſeu expiationis cura, quæ primas inter ea tenet, omniumque hinc primo loco præmittenda erat: de qua placatione Dei *per ſacrificium in cruce* peractum h. l. ſermo eſt. Quamvis igitur ad Pontificis officium fateamur pertinere, ut *interpellet* pro *placatis*, eaque *pars altera* ſit muneris ab eo, ipſoque adeo Chriſto, Pontifice ſummo, adminiſtrandi, *non tamen ad ipſum expiationem*, ſed præſtitæ jam antea applicationem ſpectat; atque hinc tantum abeſt, ut Deo ſacrificium, tanquam Pontifex offerre, in his terris non potuerit, ut potius, niſi hoc placamentum per mortem anteceſſiſſet, alter *Deprecationis* actus, conſequutus haud fuiſſet. Eſt itaque Pontifex & propter mortem, tanquam actum hujus officii principem, & propter interceſſionem, ut actum conſequentem, atque falſum proinde eſt, hoc ipſo Chriſtum Pontificem non eſſe, quod Redemtor eſt, quoniam absque hoc actu primario ſacrificii piacularis Deo præſtiti, uti olim ἐν τύπῳ, ita heic ἐν ἀντιτύπῳ ne quidem Pontificis munus animo concipi poteſt.

uſurpatur: At offerre ſe, cum de Chriſto dicitur, perpetuo actionem ſignificat, quæ mortem conſecuta eſt, a) adeoque phraſis iſta nunquam ſine addita, vel ſaltem ſubintellecta voce Dei, intelligi poteſt. Addo, quod phraſi tradendi ſeipſum, res ſemel facta & præterita indicetur: phraſi autem offerendi ſeipſum Deo, præſens etiam exprimitur. Vnde rectiſſime dicitur, Chriſtum & obtuliſſe, & offerre ſe Deo pro nobis: b) at Chriſtum tradere ſe pro nobis, nemo ſanæ mentis dixerit. Verba vero, quæ ſequuntur apud Apoſtolum, *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*, jam non quid Chriſtus fecerit, ſed quam acceptum id, quod fecit, Deo fuerit, docere, ſatis fuiſſe a noſtris, loco prorſus ſimili ex epiſtola ad Philip.* adducto, comprobatum eſt. Ibi enim iisdem plane verbis recte factum Philippenſium etiam commendatur. c) Vnde conſtare puto, quam inepte ex his locis colligatur, Chriſtum Deo pretium pro nobis dediſſe. Iſta enim pretii ſolutio ſemel in cruce facta fuiſſe creditur: hæc vero oblatio hodie etiam fieri dicitur. d) Et tantum abeſt, ut, cum Chriſtus ſe Deo obtulit, Deo pro

* Philip. IV. v. 18.

a) Ingens temeritas, cui *Epiſtola* vel ſola *ad Hebræos* toties, quoties oblationis fit mentio, reclamat, ita, ut non ſolum θυσίαν, παθεῖν & mortem cum προσφορᾷ, tanquam ſynonyma cap. IX. 25. ſqq. conjungat & permutet, ſed luculentiſſime etiam τὸ προσφέρειν, quod in cruce moriendo ſemel factum ſit, *actu tranſeunte*, ἀπὸ τοῦ ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ, *actu continuato adhuc*, diſtinguat. Quemadmodum etiam in cultu Levitico Hebr. *Korban* ab ingreſſu in adytum, nunquam priori hoc nomine deſignato, diſtingui conſuevit, quam etiam ob rem Eph. V. 2. utraque, & προσφορὰ quidem præmiſſa, illico per θυσίαν explicata, junctim de Chriſti morte, cum *traditione hac ipſo, dum mortuus eſt & ſe obtulit*, facta, prædicatur.

b) Quid inde? nihil profecto hinc evincet *Smalcius*, quam, *offerre* ſe Chriſtum, eo ſenſu, quo alias τὸ *ſiſtere* ſeſe uſurpamus, quando coram Deo etiamnum apparet, *dici quodammodo poſſe. At hac notione* in Ep. ad Hebr. *accipi*, nondum opinor eſſe demonſtratum; ubi potius actus ille ἐμφανισμὸς, quam προσφορὰ appellatur, atque huic ille, tanquam antecedenti aut *antegreſſo in terris*, & quidem *in cruce*, ubi ſanguis piacularis, ut ἀντίλυτρον, fuſus eſt, *etiam tempore poſtponitur:* quod liquidiſſime omnium Cap. X. comma 12. coll. c. VII. 27. demonſtrat. Vnde ſimul & vocabuli *offerendi* notionem, in præſenti argumento, non ex qualicunque Latinæ aut Græcæ linguæ uſu, ſed *ſtylo*, ubi de ſacrificiis ſermo eſt, *biblico*, æſtimari debere patet.

c) Ita eſt: generalis hæc phraſis rem omnem per ſe non conficit; at quando, Chriſtum ad odorem ſuavitatis ſuum, quod obtulit, per θυσίαν, ſacrificium tanquam ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων obtuliſſe, Scr. S. inquit, aliam fuiſſe hujus, ut proprie ſic dicti piacularis, noſtri loco, ſacrificii rationem, docetur.

d) Vbinam? Ne unicus quidem locus *Scripturæ* præſto eſt, in quo, adhuc *ſe offerre Chriſtum* Deo, dicatur. De *repræſentatione* enim & *apparatione* coram Deo hic nemo litem movet. Quo ſenſu autem, & *jure*, phraſis iſta τῷ ἐμφανισμῷ accommodari poſſit, jam ante obſervatum eſt.

nobis pretium dediſſe dici poſſit, ut potius tunc præmium illi a Deo datum eſſe dici debeat. a) Tunc b) enim cum Chriſtus ſeſe Deo obtulit, immortalis effectus & ad dexteram Dei collocatus fuit. Quia vero, cum tradidiſſe ſe pro nobis Chriſtus dicitur, nunquam Dei, cui ſe tradiderit pro nobis, ſit mentio, c) pretium a Chriſto pro nobis Deo ſolutum eſſe ne cogitari quidem debet.

Jam quod ais, *Nullam realem inter hoſtiam Chriſti, & λύτρον intercedere differentiam*, rem dicis ab omni veriſimilitudine alienam; dum vero eam ſic probas, *quia idem quod fuit hoſtia Chriſti Deo oblata & ab eo acceptata, ſimul etiam fuit iſtud, quod in redemptione noſtra intervenit pretium*, agnoſce, quæſo, ipſemet, annon incertum per æque incertum probare coneris, vel potius, an non ſit quædam in iſtis verbis nugatio? λύτρον enim Chriſti in morte potiſſimum conſiſtit, quæ in hac terra facta eſt: d) At Chriſti hoſtia, (nempe illa expiatoria) non niſi in cælis e) [quorum typus erant Sancta legalia] fieri potuit, adeoque facta eſt, quemadmodum etiam Chriſtus prius pontifex noſter reipſa nec fuit, nec appellatus eſt, quam in cælis conſedit ad dexteram Dei

a) Præmium hoc ſi ut conſequens exantlatum obſequium ad mortem usque piacularem continuatum, præeunte *Paullo* Phil. II. 9. coll. Luc. 24. 26., non ut promerita merces, ſpectetur, recte ſeſe habet; modo *de exaltatione* ad uſum divinæ Majeſtatis, Chriſto *ut homini* jam ante communicatæ, plenarium, *ſec. eandem naturam*, intelligatur. At pretium pro nobis tunc Deo Chriſtum dediſſe, etſi *repræſentaverit jam datum in cruce*, neque nos docemus; *Stylo* vero *ſcripturæ tunc* etiam ipſum ſe demum obtuliſſe, negamus & pernegamus.

b) Immo vero non *tunc* demum ſe obtulit, ſed poſtquam jam ante oblationem illam ſuam, *cum immolaretur* per modum cruentæ θυσίας in cruce, *obtulerat*, Hebr. X. 12. ad dextram Dei, interveniente inter hos actus adſcenſu ingreſſuque in ſanctuarium ſeu cœlum, conſediſſe dicitur.

c) Niſi frontem perfricuiſſet *Smalcius*, vel ſolus toties inculcatus Eph. V. 2. locus hæc eum docere potuiſſet, ubi *Dativus*, τῷ θεῷ, utrum cum Verbo παρέδωκεν, quam nomine, rectius cohæreat aut connectatur, qui conſtructionis hujusmodi gnari ſunt, judicent. Quod alibi vero hæc ſæpius repetita non ſunt, in cauſſa fuit notiſſima ſacrificiorum ratio, quæ ſoli Deo ea exhiberi debere, nemo ignorabat.

d) Inepte tricatur Adverſarius in vocabulo *Hoſtia*, perinde uti *offerendi* actum ad ἐμφανισμὸν, eumque ſolum, putat rapiendum: cum tamen notiſſimum ſit, hac voce *ſacrificium* ipſum uſitate appellari. Quod porro ſi phyſice ſpectes, utique λύτρον non eſt, ſi vero *morali reſpectu* ſeu officii ratione, in quantum vices peccatoris ſec. diſpoſitionem Dei ſuſtinet, conſideres, quidni & hoſtiam & λύτρον *ſine nugatione* dici poſſe atque oportere conſtet?

e) Hoc vero illud ipſum eſt, quod gratis, utut ſine fronte, affirmatur, refragante tota ſcriptura, quæ hoſtiam, *cum ſanguis funderetur*, πρὸς ἱλασμὸν oblatam ſeu traditam, eoque actu *conciliationem* factam eſſe multoties repetit, & conſummatum id eſſe, quod Col. I. 20. etiam Chriſto Propitiatori tribuitur, ipſe Servator Joh. XIX. 30. pro-

Dei. a) Vnde conſtat, quam inepte redemtionem, quæ facta eſt per Chriſti ſanguinem, cum eo, quod Chriſtus propitiatio eſt pro peccatis noſtris & Deo ſe obtulit, conferas. Quanquam iſta etiam comparatione admiſſa, nihil ex eo, quod te juvare poſſit, colligi poteſt. Nam nulla oblatio ſatisfactionem infert; ea vero omnium minime, quæ veriſſima eſt, utpote quæ in cælo demum facta eſt. In cælo enim nullus ſatisfactioni locus eſt. Ac ita verum manet, ſi quidem probari nequit, alicui pro nobis aliquid ſolutum eſſe, nullam dari proprie acceptam redemtionem, adeoque nec ſatisfactionem. b)

Sed nunc pergis ad verba Johannis: *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Quæ ſane mirum eſt a te, ad probandam ſatisfactionem pro peccatis, afferri potuiſſe. Vt enim me breviter expediam, Johannes in loco citato per peccatum, non peccata ipſa, ut alibi, ſed pœnam peccatorum c) intelligit. Ait enim eos, qui ita in luce ambulant, ut Deus in luce eſt, ſanguinem Chriſti emundare ab omni peccato. Eos vero, qui in luce ita ambulant, ut Deus eſt in luce, jam ab ipſis peccatis liberos eſſe res ipſa loquitur, cum iſta verbis tantum differant, re ipſa vero idem ſint. Vnde patet, parum recte hunc locum, cum al-

clamat. Vt alia teſtimonia 1. Petr. II. 24. Rom. V. 10. Ebr. IX. 24. ſq. omittamus.

a) Novum & temeritatis incredibilis aſſertum, cui *Epiſtol. ad Ebr.*, quanta quanta eſt, refragatur; nuſquam certe Sacerdotis, ſeu Pontificis, quod perinde eſt, ſummi Jeſu Chriſti munia ſacerdotalia cœlo includens, ſed *partim* in cœlo conſequenti repræſentationis actu, cum interpellatione pro nobis perpetua, *partim* in his terris primario peracta ea fuiſſe, in ipſa morte ſuique ipſius victima, docens, nulla prorſus *præparationis* meræ, quæ a *Socinianis* hic fingitur, & ſacrificiis quoque V. T. repugnat, (ubi extra aram ea facta eſt,) mentione facta. Immo tam clare & dilucide Chriſtum ſacerdotem in hoc mundo adhuc viventem & crucifixum appellat *Paullus*, ut Cap. V. ad Ebr. com. 6. ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς ἀυτȣ̃ & immolaſſe ἱκετηρίας, & τελειωθέντα Sacerdotem ſec. ordinem Melchiſedech fuiſſe, cauſſamque ſalutis omnibus ad ipſum acceſſuris, applicatione ſcil. acquiſitorum beneficiorum ſacerdotalium jam ante partorum, factam eſſe affirmet. Quæ Cap. IX. iterum iterumque repetuntur, actusque gemini & hoſtiæ per mortem ſemel *patiendo oblatæ, & oblatam* victimam *repræſentandæ in cælis*, accurate diſtinguuntur, ambo vero ut ſacerdotales, apertiſſima cum V. T. miniſtris & victimis comparatione inſtituta, deſcribuntur. Cap. VIII. autem τὸ ἐπὶ τῆς γῆς vel *terrenum* illum Leviticum *umbratilem modum* ſignificare, vel peracto ſacrificio in *terra manere non debuiſſe*, apertiſſime, ex ipſa corporis cum umbra collatione, conſtat.

b) Inania ergo erunt ſignificantiſſima τȣ̃ ἀντιλύτρȣ pro omnibus ſanguine a Chriſto fuſo dati, τιμῆς, ſeu *pretii*, quo *emti* ſimus, multo quam aurum & argentum eſſe ſolent τιμιωτάτης, δικαιώματος exhibiti, ἱλασμȣ̃ per ἀπολύτρωσιν, maledictionis in cruce pro nobis ſuſceptæ, ſacrificii περὶ ἁμαρτίας &c. nomina.

c) De peccatis ipſis, eorumque reatu tam culpæ, quam pœnæ loquitur *Johannes*

tero Heb. 9. v. 14. quo dicitur sanguinem Christi conscientias nostras purgare ab operibus mortuis, conjungi. Præterea, quænam hæc est consequentia : a) Sanguis Christi nos emundat ab omni peccato. Ergo sanguine Christi pro peccatis nostris Deo satisfactum est. Nonne ista scopæ sunt dissolutæ? Quæ hic de loco Levit. 17. inferis, ea postmodum, ubi de illo ex professo agis, examinabimus.

Nunc ex eo etiam, quod Christus pro nobis, seu propter nos traditus, passus, & mortuus sit, docere satisfactionem anniteris. Sed primum te a proposito detinere id debebat, quod eædem scripturæ, quæ Christum pro nobis traditum, passum, & mortuum esse asserunt, propter nos eundem mortuum esse dicunt. Nam si loco nostri Christus mortuus fuisset, & id per ea verba, quod pro nobis mortuus est, scriptura indicare vellet, nunquam id diceret scriptura de eadem morte, quod istam sententiam priorem in dubium vocare posset. b) Verborum enim, propter nos, longe alius sensus esse potest, quam loco nostri. c) Quod idem etiam ex eo colligi poterat, quod promiscue scriptura, Christum & propter peccata, & pro

illis inquam, de quibus paullo post, confiteri nos debere ἀδικίας istas & ἁμαρτίας, ait: quæ de pœnis tantum interpretari, perabsurdum esset. Cætera distinctione inter acquisitionem & applicationem facile solvuntur.

a) Optima sane : Cum enim neque testificatio, neque confirmatio neque viæ per sanguinem fusum ad gloriam Christi comparatio, verborum Apostoli significatum expressissimum, ipsum καθαρισμὸν *per Filii Dei sanguinem fieri aut factum* esse ajentis, exhauriat ; quoniam & physicæ ex eo puritatis ratio habenda non est: necesse profecto erit, *moralem quandam Deum placandi atque remissionem hinc nobis peccatorum*, ἐκ τῆς ἀπολυτρώσεως seu ἱλαστικοῦ, *salva Dei justitia, concedendi* vim ei inesse. Quam satisfactionem vicariam & piacularem quando appellamus, hujus *emundationis modum*, alibi distinctius paullo explanatum, compendiosius enunciamus, Scripturamque, ut par est, ex Scriptura explicamus, atque a violentis *Socinianorum* sycophantiis, verborum planissimæ perspicuitati inhærentes vindicamus. Quo sensu vero *adhuc* nos sanguis iste Filii Dei *emundet*, jam ante dictum est ; de instrumento autem applicandæ emundationis hujus acquisitæ, inque omnem æternitatem valentissimæ, alibi disserendum est. Heic per τὸ φῶς lucem τῆς ἐπιγνώσεως h.e fidei in Christum, tenebris ignorantiæ & ἀπιστίας passim oppositam, indicari, tribus verbis monuisse satis esto.

b) Quasi vero, quod alibi distincte magis effertur, ut modus paullo pressius definiatur, generatim enunciare haud liceat! Cujusmodi discrimen cum inter phrases hasce existat, quid obstat, quo minus modo hac, modo ista Sp S. uti placuerit?

c) Quæ ergo, quando de Christo usurpatur, sententia subsit, vel ex ipsa *Servatoris* dignitate & *officio*, vel locis aliis, ubi, *quo modo* pro nobis mortuus sit, explicatius disseritur, cognoscere oportet. Qui cum *surrogatione* ἀντὶ πάντων, ut λύτρον, tanta cum efficacia, *ac si omnes mortui essent*, pro quibus mortem occubuit, 2. Cor. V. 14. Tim. II. 6. & Matth. XX. 28. teste Sp. S. contineatur, ineptissime per speciem, ut vocant generis, seu formulæ generalis dilucidatio carpitur.

pro peccatis mortuum vel traditum eſſe, affirmat, non affirmatura, ſi pro peccatis, ſignificaret loco peccatorum, quod per ſe ridiculum eſt. a) Sed nunc attendamus, quo modo probes, pro nobis, idem valere, quod loco noſtri. *Ex tabernaculo*, ais, *poſteriori reſpiciamus ad prius, hoc eſt, intueamur ſacrificia veteris fœderis, & diſpiciamus, num de illis dici posſit, quod vice ſeu loco hominum, quorum peccata in ſe accipiebant, & pro quibus offerebantur, fuerint mactata.* Inſpiciamus ſane, ſiquidem ita tibi videtur ex umbra rem ipſam eruere. b) Affers iterum verba Levitici 17. quæ ſic habent: *Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi eum vobis ſuper altare ad expiandum animas veſtras. Ipſe ſanguis eſt pro anima expiatio, vel ipſe ſanguis expiat animam.* Hinc tria iterum otioſe ponis. Quid enim ad rem facit, 1. quod vita pecoris ſit in ſanguine, & 2. quod Deus conſtituerit ut pecus occidatur, in hunc finem, ut expientur animæ illorum, cum probandum eſt, pro hominibus aliquid factum eſſe, ſignificare, vice vel loco illorum factum id eſſe; c) etiamſi tandem ſcriptum extaret, pro hominibus id factum eſſe. Sed præterea, quæ hæc eſt probandi ratio, ex loco, ubi, vi hebraici textus, non habetur quicquam de re pro aliquo facta, probare velle, quid verba pro aliquo ſignificent? Sic enim tantum verba habent, *& ego dedi eum ad expiandum animas veſtras. Sanguis enim animam expiabit.* Quid etiam ineptius dici poteſt, quam cum legitur, ſanguinem expiare animam, dicere, hoc idem valere, ac ſi ſcriptum eſſet, ſanguinem pro anima expiare, d) & rurſus pro anima idem eſſe, quod loco animæ? Vide-

a) Ridicula hæc ſunt, qui ea mentis imbecillitate laborant, ut, rem univerſe expreſſam per modum adjectum dilucidari haud poſſe, non intelligant, vel ea impietate agitantur, qua gentibus crucem Chriſti μωρίαν eſſe, jam pridem cum gemitu queſtus eſt Apoſtolus. Hoccine, an illo animi morbo cum *Socino* ſuo implicitus affligatur *Smalcius*, an denique utroque, determinare proclive eſt.

b) Ex umbra recte eruitur expiationis, quæ per victimam Chriſti, quatenus ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη, nobis acquiſita eſt, modus, quoniam hactenus ita corpus & umbra concordant, ut hæc ſola mutuatitia ex corpore, corpus autem ſibi inſita perfectione placandi peccatorem cum Deo conciliet, utrinque vero placamentum iræ divinæ vere præſtitum locum habeat.

c) Id vero demonſtravit *Peuſchelius*, quando animam pro anima l. c. a Deo poſtulari docuit; alibi vero multoties pro על adhibitum תחת in Levitico adhuc evidentius oſtendit.

d) Cœcus fuit, aut impius *Smalcius*, qui, cum explanatis verbis l. c. Lev. XVII. 11. addatur; *Ego dedi vobis ſanguinem beſtiarum, ut pro animabus veſtris expiationi inſerviat* &c. hæc vel oſcitantia abreptus non animadvertit, vel, dedita opera, verba Moſis male in latinam linguam convertit, immo pervertit. *Pro alio* certe *ad expiationis uſum* dari, idem eſſe, quod *loco ejus* immolandum concedi, præter *confesſionem peccatorum*, cum manibus rei, & ſacrificium pro ſe offerentis, impoſitis, editam,

deat igitur, cui oculi mentis non ſunt eruti, quibus iſta de ſatisfactione Chriſti fundamentis nitatur opinatio, ego nunc aliud proſequor.

Ad multa, quæ a noſtris ſparſim dicuntur, elevanda, aphoriſmos annectis, qui quanti ſint momenti, operæ precium eſt expendere. Dicimus primum, neceſſe eſſe, ut omnes articuli fidei in ſs. litteris expreſſe extent. Tu id neceſſe eſſe, negas, triplici motus cauſſa: 1. quod hoc nullibi in ſs. litteris dicatur. & 2. quod ſufficiens ratio rei iſtius a nemine proferatur. 3. & a nobis ipſis in doctrina de fide, de modo ſalutis per Chriſtum partæ, & aliis religionis punctis ſimilibus, contrarium non leviter ſtabiliatur. Prima hic nominari non debuit. Nec enim neceſſe eſt, omnia in ſs. litteris extare, quæ vera ſunt: ſed ſatis eſt, ea ſic ſe habere, aliunde a) conſtare. Hac ratione Pontificii recte vos premerent, qui dicitis, Miſſam non eſſe ſacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum, quum id nuſpiam in ſs. litteris dicatur. b) Altera injuria nobis objicitur. Probamus enim id, quod affirmamus, dum dicimus, ea, quæ ad ſalutem præciſe ſunt neceſſaria, ita comparata eſſe debere, ut omnes, etiam ſimplices, ea capere poſſint, cum nemo ſine ſcientia eorum, quæ ad ſalutem præciſe ſunt neceſſaria, ſervari poſſit. c) Quam rationem tu quidem vellicas, ſed fruſtra. Immo te ipſum jugulas, dum ais, *id verum eſſe de illis, quæ difficiliores ſunt, & longiori diſquiſitio-*

ipſa particulæ על notio in hunc ſenſum perfrequens & rebus ipſis conſentanea, alteriusque dilucidioris תחת non minus creberrimus uſus evincit. Vt proinde cauſſæ nihil habuerit *Smalcius*, cur ſanctiſſimam de ſatisfactione J. C., pro nobis victimæ piacularis facti, doctrinam *opinationis* exili titulo contemtim, ſuoque haud dubio, quod expertus jam novit, malo, capropter, immo univerſe traduceret.

a) Vnde vero? Ex revelatione, an ratione? Ediſſerendum id fuerat clarius. Ad illam, quo minus credamus, hanc aſſertionem reſpicere, in cauſſa eſt, quod neque hic, neque alibi locum ex Scr. S. produxit antagoniſta. Hæc vero, in præſenti argumento, quanti ſit habenda, multoties jam oſtenſum eſt; etſi, neque inde id, quod perperam jactitatur, demonſtrari poſſe, certum ſit.

b) Immo ſatis perſpicue, Miſſam non eſſe ſacrificium proprie ſic dictum, in Scr. S. dicitur, quoties, *unico ſacrificio* εἰς διηνεκὲς conſummaſſe Chriſtum omnes & omnia, dicitur. Eodemque etiam modo per legitimam pronamque conſecutionem *articulos fidei* neceſſarios cognitos eſſe ſufficit.

c) At horum quoque omnium ex Scriptura cognitionem, ſive ῥητῶς dictorum, ſive per facilem & naturalem conſequentiam ex clariſſimis Scripturæ S. verbis deductorum, hauriri poſſe, indubitatum eſt, ut nec ſimpliciores, qui ratione utcunque pollent naturali, de obſcuritate conqueri poſſint. *Difficiliora* autem cognitu eſſe, quæ noſtri pro neceſſariis venditant, dogmata, *temere* magis a parte adverſa *affirmatur*, quam probatur: præſertim ſi *de rebus ipſis*, *non vocabulis* compendioſis & ſubſidiariis, diſquiſitio inſtituatur, quorum circa illas fides communis omnibus occupata eſt; hæc ſcholis & Theologis πρὸς παιδίαν commodiorem relinquit.

ſitione, adeoque acumine opus habent. Tales enim ſunt pleræque, quas vos ad ſalutem tamen neceſſarias eſſe creditis. Vt, in una numero eſſentia plures eſſe perſonas; vel, tres eſſe, quorum unusquisque ſit Deus, nec tamen tres eſſe, Deos, ſed unum eſſe Deum: Chriſtum ab omni æternitate ex eſſentia Dei patris generatum eſſe, generari, & generandum eſſe in æternum. In Chriſto duas eſſe naturas, quarum altera ſit perſona, altera neſcio, quid, nam nec perſona eſt, nec accidens: & tantum abeſt, ut, quantumvis longa diſquiſitione accedente, intelligi ea poſſint, ut tandem dicere neceſſe habeatis, ea credenda eſſe, etiamſi intelligere non posſimus: & vulgus hominum, licet jam a non paucis ſeculis doceatur iſta, tamen ſponte ſua fatetur, ſe ea non capere. a) Quod idem etiam evenit in hoc ſatisfactionis articulo. Non enim ſine longa diſquiſitione aſſequi aliquis id poteſt, quod Chriſtus Deo pro univerſis univerſi mundi peccatis ſatisfecerit, cum nimis multa obſtent, b) quæ iſtam opinationem non admittant. Vnde conſtat, neceſſe eſſe, ut ea, quæ ad ſalutem præciſe ſunt neceſſaria, ita ſint comparata, ut quivis ea, ſine ulla disquiſitione, dummodo mentis ſit compos, capere poſſit. c) Quæ vero ejus ſunt generis, ut ab homine ſacrum codicem aſſidua manu volvente, quæque in illo ſcripta reperiuntur, in timore Domini ſedulo perpendente, nec non & opem divinam anxie petente, intelligi tandem poſſint, ut tute ſcribis, ea ad ſalutem non præciſe neceſſaria, ſed utilia tantum, & potius ad religionem d) quam ad ſalutem pertinere cenſenda ſunt. Adeo, ut jure dici pos-

a) Hæc ad invidiam clarisſimæ, *ſi revelationem conſecteris*, de Chriſto θεανθρώπῳ doctrinæ movendam perperam effutiit *Smalcius*. Quotusquisque enim eſt, qui non *capiat*, aut intelligat, Chriſtum Deum eſſe & hominem, una perſona geminam hanc naturam, quarum illa, natura τῦ λόγυ, ſeu ipſe potius λόγος, hanc, humanam puta naturam aſſumtam, σωματικῶς, hoc eſt, perſonaliter ſuſtentet, complexum; etſi modum de reliquo, unionisque illius perſonalis rationem *diſtinctam* ratio non *comprehendat*, ſed tanquam ὁμολογυμένως μέγα μυςήριον, quo nomine ab ipſo Sp. S. inſignitur 1. Tim. III., admiretur.

b) Quæ qualia ſint & quam levia, jam ante audivimus, & multis modis diſcuſſimus. Nunc longe ea intricatiora eſſe, quam quæ noſtri de vicaria Chriſti propitiatione e clarisſimis Scr. S. verbis docent, paucis addimus.

c) Applicentur hæc ad noſtræ Eccleſiæ doctrinam ſimplicem, & non tam per diſquiſitionem longam, quam verborum perſpicuitatem obtutui cujusvis, cui ſana mens eſt, propoſitam; & facile, ſpondemus, hanc quoque *Smalcii* regulam in ea, quæ *modeſtiores e noſtris* neceſſaria creditu eſſe ſtatuunt, convenire apparebit.

d) Ad *peritiam* forte *fidei*, dicere voluit, non ipſam *fidem* conſtituendam; etiamſi ad explicandam, firmandam, defendendam, illuſtrandam etiam eſſe, nemo neget. *Religio* latius patet, quam fides.

ci possit, non eo fine potissimum ss. litteras legendas, ut quæ ad salutem necessaria sint discamus. Hæc enim semel audivisse satis est. Sed ideo tantum leguntur, ut in iis paucis, quæ ad salutem necessaria esse scimus & credimus, confirmemur; ea vero, quæ ad salutem utilia sunt, quorum infinitus prope est numerus, quotidie magis magisque, quisque pro captu suo a) addiscat. Jam tertium quod affers, plane falsum est. Quantumvis enim nos ab aliis in doctrina de fide, de modo salutis per Christum partæ, & aliis religionis punctis b) similibus diversum sentiamus, & hactenus ea vera esse, non sine successu [Deo est laus c)] comprobemus: nihil tamen eorum ad salutem præcise necessarium esse statuimus, & hæc caussa est, cur omnes, qui hac in re a nobis dissentiunt, si nihil aliud obstet, quod salutem concernat, d) pro fratribus agnoscamus, non agnituri, si id, quod tu de nobis affirmas, persuasum haberemus.

Secundus aphorismus accurata etiam eget censura. Vt enim verum est, quod dicis, *a via regia in scripturæ interpretatione temere non esse declinandum*, ita valde dubium est, e) *an via regia sit sensus scripturæ litteralis*

a) Ita tamen, ut in his quoque multa sint, quæ, ut fides *consistat*, *negare* haud licet temere; non tantum, si contra conscientiam novaturienti ac petulanti animo id fiat, sed etiam ne *primaria* illa *fidei capita*, sine quibus aut *fides existere* nequit, aut MinisteriumEcclesiasticum, quo minus officio suo satisfacere possit, impeditur, labefactentur. Vnde errores, quos vocant haud paullo leviores, quam qui *hæresin pressius dictam* gignunt, *secundi ordinis*, uti b. *Dürrius* noster appellare consuevit, oriuntur. Quæ monere visum est, quia nimis jejune & exiliter de his noster disputat.

b) *Modum* inprimis *percipiendi* istam *gratiam per Christum partam* per *Fidem* tantum, sed recte explanatam, & cum sanctitate vitæ atque operum, contra Sp. S. mentem, hanc ab illa perpetuo, ut consequentem distinguentis, neutiquam, ut *Socini grex* solet, commixtam. Quæ profecto tam necessaria sunt, ut ex ignorantia illius modi & repudiatione proxime tristis pernicies totius syangogæ Judaicæ, paucissimis exceptis, nata sit, & *Antichristianismi* etiamnum *animam* spiritumque infelicem, quem trahit, in his erroribus quærendum esse, palam sit. Et tamen hæc leviora esse censet *Smalcius*? quæ inter præcipua Gal. V. 4. coll. comm. 9. numerat *Paullus*. Nempe & *Racovia Romam* olet & ubi non placet, odit.

c) Conf. cum hac benedictione Dei Psalmus X. comm. 3.

d) Quidnam vero obstat? Sola haud dubie obedientia, præceptis Christi, quæ perfectiora ac nova insuper finguntur, præstita. Ita scil. ut *Socinismus* vel tandem in *Naturalismum*, *exemplo Christi* utcunque, &, ad modum Socraticæ disciplinæ, *dilutum* desinat. Cujusmodi vitium jam pridem in *Pelagianismo*, qui totus a *Socinianis* sua jam civitate donatus est, *Enarrat. in Job.* b. *Phil. Melanchthon* notavit.

e) Quidni? *Regium* namque in hujusmodi argumentum non est, quod elegans & ornatum dicitur, quo Tropi verborum & flosculi sententiarum referuntur, sed *nativa* significatio, quæ & princeps jure

ralis & proprius, ut tu affirmas. Qui enim nescit, dimidium fere ss. litterarum esse allegoricum & figuratum, is theologi nomen tueri nullo modo potest. Cum Christus sermones tales affectasse a) quodammodo videatur, & diserte alicubi dicatur, eum Dei consilio os suum in parabolis aperuisse, & abscondita ab origine mundi enarrasse. Vnde etiam virorum in Ecclesia insignium omnibus fere ætatibus libri extant de tropis ss. litterarum, quibus vix aliquid utilius b) cogitari potest. Quod vero addis, *non esse recedendum etiam a communiori sensu*, ridiculum sane censeri potest. Vnde enim constat, quid sit communior ille sensus. Nam si quod tu cum tuis sentis, communiorem sensum appelles, nonne te ridere possunt omnes, qui tibi adversantur? & jure quidem. Nam & vos jure rideretis alios quosvis, si communiorem sensum eum appellarent, quem ipsimet sequuntur. c) Porro ipsemet hunc aphorismum destruis, & nos egregie excusas, dum addis ea verba: *nisi evidentes suppetant rationes*. Hoc enim nemo se non facere credit, & nos id semper d) accuratissimo observare jure videmur gloriari

meritoque audit. Hoc enim *sermonis indoles*, phaleris fucoque opposita, efflagitat, & Scripturæ S. *simplicitas* cum *scopo docendi* etiam simpliciores, quos inprimis sapientes reddit Ps. XIX. 8. sq., expostcit. Aliud postulat admittitque genus loquendi Prophetarum stylus.

a) Ita tamen, ut, quæ ad diligentiam inquirendi Judæorum periclitandam hoc modo, inter Judæos perquam trito, ac proinde faciliori, proposita sunt, vel illico interrogantibus explanaret, vel alibi clarius & evoluta magis repeteret, ab Apostolis deinceps *e tectis*, quasi mira perspicuitate sine ullo involucri genere nota, &, ut pueris, veluti præmansa, ulterius inculcanda: ex quorum scriptis summa potissimum mysteria ad oculum demonstrari a nostris solent.

b) Ad loca v. g. *poetica* aut *prophetica*, ubi styli potissimum locum habet granditas schematibus expolita, & ob graves caussas usurpata, Rhetorum has observationes si applices, recte hæc congruentia dicuntur: *ubique* vero *talia*, ubi styli etiam rationes ea nec postulant nec permittunt, crepare ineptum est, & hominem arguunt, qui ita sentiat, sine caussa obscuram orationem reddentem, quam planam & claram esse, ipse dictionis tenor nativus sua luce, qua radiat, demonstrat.

c) Calumnia hæc est. Neque enim ex sensu animo nostro *præconcepto* eum verbis Scripturæ inferimus, ut *Sociniani* solent, ad systema Theologiæ suæ a mysteriis liberæ (quod πρῶτον ψεῦδος erat ejus extruendæ,) dicta & verba Oraculorum divinorum, quemadmodum supra *Smalcius* ajebat, *accommodantes*; Sed *propositum* pia & simplici veneratione, fide que sincera *sumimus* accipimusque. Qua via id, quod in Theologia *tutum* est, quam maxime contineri, tam diu persuasi sumus, dum contraria solidis argumentis stabiliantur.

d) Ita est; si rationes ex principiis philosophiæ seu rationis noster intelligat, quas potiores esse revelatione, inprimis *Smalcio*, non injuria toties conquerimur. At hujusmodi rationes, nisi forte eas excipias, ubi haud commentitia varii generis rerum

posse, nec contrarium unquam a vestris probabitur. a) Non necesse est autem, rationes semper esse evidentes, sed satis est esse veras, quanquam studendum est, ut, quantum ejus fieri potest, quam evidentissimæ b) afferantur. Quæ vero sequuntur verba: *eaque non ex ratione, quæ mensura fidei nunquam esse potest aut debet, sed ex eadem scriptura petitæ*, quam inepte sint dicta, expendat cordatus lector. Vtut enim optimas esse rationes, quæ ex scriptura petuntur, confiteamur, alias tamen, quæ ex ipsa ratione petuntur, repudiandas minime esse jure contendimus. c) Ratio enim recta Dei donum est, & aliqua in re religionem ei contrariam d) esse, doceri potest minime; immo sacra scriptura ipsa est ratio. Vndecunque igitur ratio sumatur, modo sit evidens vel saltem vera, pro legitima, & dummodo ss. litteris non contradicat,

a) suffici-

permixtarum, sed meridiana luce clarior contradictio locum habeat, neutiquam intellexit *Peuschelius*; utpote qui *ad fidei* potius *analogiam*, & Script. S. testimonia, alibi occurrentia, & cum locis obscurioribus, per justum συμβιβασμὸν, componenda respexit. Quo sensu evidentissimas etiam in revelatione demonstrationes dari, & quod *videamus*, claris verbis a Deo revelatum esse, credendum nobis esse, non male contra *Maresium* defendit, in *Theologia pacifica*, acutissimus *Wittichius*.

a) Immo toties jam probatum a nostris est, quoties etiam in *simplicissimo orationis genere* non aliam ob caussam, quam quia *rationis principiis* mysteria *non omnino congruunt*, (a quibus tamen, quod *mysteria* sunt non possunt non discrepare seu *disconvenire*) tropos a *Socinianis* perperam confingi, & sermoni lucuiento affingi, ostensum est. Tale quid etiam illud est, quod absque hujusmodi etiam caussa, scepticorum illud refugium: *Potest ita explicari &c.* quasi hoc in *Hermeneutica* etiam *profana* sufficiat, obtendunt.

b) Aut ludit ambiguo hoc vocabulo, & *evidentiam rei seu idearum, & testimonii* denotante, antagonista: aut per *veras* intelligit, quæ sunt syntagmati artificiose, aranearum ut telæ solent, a *Socino* demum post crassiores *Serveti* ductus, texto consenteneæ: Huic enim *accommodanda* esse omnia, alibi nec profiteri veretur noster.

c) Neque nos rationes ex ratione petitas, & justo loco positas spernimus; Sed quisnam cœtus, nosterne, an *Socinianus* eas obsequio fidei *subjiciat*, aut *præferat*, judices, quoscunque velint adversarii, a partium studio alienos, deposcimus. Quo *jure* vero id fiat, ipse Sp. S. docet, quem jussisse equidem νοεῖν in Scr. S. lectione, & ut φρονίμως nos κρίνειν sæpius novimus; at vero eundem *fidei imperium* tribuisse, rationique *in revelatis* divinitus derogasse, ex 1. Cor. II. 14. & 2. Cor. X. 5. bene etiam scimus.

d) Etiam nostratium eadem mens est, qui, cum *unicam veritatem* interprete *Grauero* profiteantur esse, & *Hoffmanni* duplicem illam veritatem, ambiguitatibus vocabulorum revera obvolutam, (sic enim inspecto *Hoffmanni* opusculo deprehendi) rejiciunt, eamque ob rem, nuper admodum, rationem *contradicere* reapse *mysteriis*, neque *ullatenus conciliari* cum illis posse, in *Apparatu* quodam *litterario* defensum esse, mirati sumus. At, ex principiis rationis mysteria hinc dijudicanda esse, nequaquam existimamus, sed justis limitibus, intraque ambitum rerum finitarum atque creatarum (ubi multum etiam adhuc est, quod ignoramus,) coerceri volumus.

a) sufficiens censenda est. Christus resurrectionem demonstraturus ex verbis Dei, *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi*, quanam, quæso, ratione usus est? Vtrum ex ipsis ss. litteris petita? certe minime. Nuspiam enim legitur in scripturis, Deum non esse Deum mortuorum sed viventium, & tamen ratio Christi, ex ipsa ratione b) desumpta, firmissima est. Paulus probaturus in illis verbis: *Subjecit ei omnia sub pedibus ejus*, Deum non includi, *dicit manifestum esse, quod excepto eo, qui illi omnia subjecit*, ratione satis firma, non tamen ex ipsis ss. litteris, sed ex ipsa ratione, c) idque non satis clare deprompta. Et non aliter rem se habere, quivis confitebitur, qui ss. litteras diligenter legere voluerit. Importune autem illud obtruditur, *rationem fidei mensuram esse nec posse, nec debere*. Quasi vero id mensura fidei dici debeat, quod cum fide tantum convenit, & fidei non dominatur, sed perpetuo ancillatur. d) Mensura fidei est revelatio divina in verbo ipsius, præsertim vero in Evangelio proposita, quæ omnem quidem rationem superat, at eidem nullatenus adversatur, sed perpetuo cum illa conspirat. e) Et hinc apparet, quam otiose sunt illata ista: *secus si fiat, fidei Christianæ rectitudinem mutilatum iri: & perpetuis nos dubitationum ventis circumferendos*. Jam enim ostensum est, Christianam religionem, si non potiori, saltem bona ex parte, in sensu allegorico & figurato fundatam esse, f) & rationes,

Iii iii 2

Ipsam vero Scripturam esse rationem, nisi ab attendentibus ad verba, ad quæ etiam Christus nos jussit νοεῖν, intelligi posse putet *Smalcius*, incommode saltim dictum arbitramur.

a) Ergo litteris sacris *primas* deberi fatetur *adversarius*; quem pariter in singulis controversiis hujus asserti memorem fuisse, optandum erat. Parum autem abest, quin ipse, *undecunque ratio sumatur* &c. h. l. affirmans, sibi ipsi contradixerit.

b) En sophistam! qui cum antea de principiis rationis seu regulis, axiomatibus & thesibus, unde aliæ conclusiones deducuntur, locutus esset, jam subito hæc ad *consecutiones* applicat: de quibus aliter profecto, quam istis, sentiendum est, nec *fundamenta* cum *instrumentis* demonstrationum theologicarum confundere decet.

c) Rectius per rationem, qua firmiter, eum, qui alteri omnia subjecit, ab ipsa subjectione illa, *passiva* quam vocant, eximi concluditur. Cæterum, Patrem filio omnia subjecisse, ex ratione innotescere, non autumo, tam impudentem fuisse *Smalcium*, ut statuerit.

d) Ita quidem universe *Smalcius* h. l. non male docet; Sed ubi ad rem ipsam & singulares quæstiones de Deo Christoque accedendum, quam egregie patiantur rationem revelationi ancillari *Sociniani*, infinitis documentis constat.

e) Conspirare h. l. *Smalcio* idem est, quod ex asse convenire, ut neque, quod supra rationem sit, quicquam remaneat. Quam Theologiam nuper Anglus aliquis, *Smalcii* similis, *Evangelium nudum* h. e. omnibus mysteriis exutum, & in Philosophiam paullo magis dilutam conversum impie appellavit.

f) Falsissima hæc sunt, si ab ἀνθρωποπαθείᾳ crebriori, etiam in Evangelicis scriptis occurrente, discedas, & credenda sane

ones, quibus tum Christus tum Apostoli usi sunt, aliunde etiam interdum saltem quam ex ss. litteris petitas. a) Et certe præstat, prudenter in omnia ss. litterarum dicta inquirere, & an figuram aliquam, sive ea sit allegoria, sive metaphora, sive metonymia, contineant, dispicere, & ita tandem verum earum sensum eruere, quam in litterali & proprio, &, quod ait Peuschelius, communiori acquiescere, b) & ita in varios, eosque absurdos errores, seipsum præcipitem agere.

Tertius etiam aphorismus, *subordinata se mutuo non tollere, sed sæpius ponere, ideoque ab unius inclusione ad alterius exclusionem bonam non dari consecutionem,* verus quidem est, sed non ostensum, subordinata illa esse: Christus pro nobis, (quæ verba injuria omisit Peuschelius) passus est, ut c) relinqueret nobis exemplum cnnstantiæ, patientiæ: Ergo non ut pro peccatis nostris satisfaceret. Nam, si Christus pro nobis, hoc est, vice nostri pro peccatis nostris omnibus, tam præteritis quam futuris, satisfecit, nonne ipsa res loquitur, frustra a nobis requiri, vi passionis & mortis ejus, ut peccatis mortui justitiæ vivamus? d) Contraria

omnia, si non ubique, in scriptis tamen Apostolorum, & potiori sede, verbis propriis & simplicibus efferri ac doceri, manifestissimum est.

a) Aliter *Paullus* Act. XXVI. 22. Immo & ipse Christus, qui, cum Sadducæis disputans, non nisi ad Scr. S. provocavit.

b) Vtcunque forte res sit, sive morum honestas, sive fidei veritas, sive denique *ratio arrogans* & superba, quæ *Socinianorum* solet esse latibula hujusmodi quærendi caussa, jubeat. Hoc vero illud est, quod nostri, suffragantibus cum linguarum omnium indole sanioribus cunctis, ægre ferunt. Tutius, nisi priores rationes eædemque genuinæ obstent, verbis planis & perspicuis inhærent, qui doctam etiam in divinis cum Paullo ignorantiam profitentur, &, Deum talem esse, qualem nos fateamur, investigare non posse, id ubi ipse testatur, credunt. Certe, *si licet tropos pro lubitu fingere, non erit Script. S. nisi arundo a ventis agitata, aut vertumnus aliquis,* ut olim L. de Serv. Arbitr. scripsit *Lutherus*, ita nunc quoque repetendum esset.

c) Pessime hæc, quæ *Participii* forma (ὑπολιμπάνων) e *Petro* efferuntur, per particulam *ut* explicantur, quæ, ut mos fert omnium prope linguarum, inprimis vero Græcæ, per *et* rectius reddenda erant, ut, *&* *vicariæ* satisfactionis *&* *exempli* subministrandi genuinæ patientiæ finem fuisse passionis Christi, doceretur. Quod etiam καὶ præcedentis commatis, (καὶ Χριστὸς ἔπαθεν) subindicat, & *scopum geminum* fuisse, cur ita pateretur Christus, *principem* alterum, alterum *secundarium*, significat, & subjuncta uberior vicariæ pro nobis mortis toleratæ, proque alienis delictis passionis tam diræ in cruce exantlatæ explicatio confirmat. Quæ caussa, quoniam ærumnarum, quas Christus, ut sponsor noster, sustinuerit, magnitudo longe superet & qualescunque servorum calamitates ab iniquis heris illatas, non tantum efficacissime patientiam adversorum promovere poterat, sed etiam ipsam crucifixionis Christi plenam rationem penitus exhaurit, &, ne quis in unico illo secundario fine hareret, h. l. addenda fuerat. Quam etiam ob rem alibi ut plurimum, primario commemorato, accessorius iste, cui institutum *Petri* in hac consolatione ansam dederat, prorsus omittitur.

d) Immo res ipsa loquitur, eos, qui per

traria enim prorſus ſunt, pro peccatis alicujus omnibus morte Chriſti ſatisfactum eſſe: &, mortem Chriſti in eum finem factam eſſe, ut nosmet ipſi peccatis moriamur. a) Jure igitur iſti rationi multum tribuimus, & vos, quomodo nos refutetis, nunquam eſtis inventuri.

Quartus aphoriſmus, *quædam eſſe in typo, quæ non ſunt in antitypo, & viciſſim, quædam eſſe in antitypo, quæ non ſunt in typo, & ſatis eſſe, ſi conveniant typus & antitypus in re, utut in modo rei diſcrepent*, quantumvis ſobrio ſenſu concedi poſſit, nihil tamen cauſſam Peuſchelii, & aliorum in juſtificationis negotio juvat. Dummodo enim firmum ſtet, in re typum cum antitypo convenire debere, jam id quod volumus, obtinuimus, & omnes adverſarii cauſſa ceciderunt. Miror autem Peuſchelium in re tanti momenti, tam brevem & obſcurum fuiſſe. Nam ſi, quid velit, latius expoſuiſſet, & exemplis illuſtraſſet, ſtatim ad oculum apparuiſſet, quam otioſe iſte aphoriſmus appoſitus ſit. b)

Non minus etiam otioſus eſt quintus aphoriſmus: immo calumniæ aliquid in ſe continet. Nec enim nos loca ſcripturæ, quæ gratiam & miſericordiam Dei in Chriſto nobis exhibitam commendant, opponi-

Chriſti ſanguinem cum Deo placato *conciliati* ſunt, præter beneficium creationis, per hanc gratioſe ſuſceptam a Chriſto & inter tot perpeſſiones peractam ἀπολύτρωσιν h. e. *jure redemtionis multo magis* Domino huic tam benigno & evergetæ ad perpetuum *obſequium obſtrictos*, & ne quidem amplius ſui juris, ſed quaſi *ſoldurios* ejus eſſe, qui non ſibi, ſed ad nutum & arbitratum hujus tanti tamque dulci nos beneficio juſtitiæ ſuæ donatæ afficientis Domini, ut *Paullus* teſtatur 2. Cor. V. 15., in ſolidum vivant, eidemque per omnem vitam liberati gratæ mentis inſtinctu, quicquid agant, habeantque virium ad urnam usque conſecrent. Quæ multoties etiam in ipſo Codice divino Pſ. CXXX. 4. XXII. 27. & 31. ſq. Eſ. LIII. 10. ſq. coll. Pſ. CX. 3. Luc. I. 74. Rom. VI. per tot. Hebr. IX. 14. XII. 28. 1 Petr. II. 21. Tit. II. 14. & Luc. VII. 40. ſqq. cumprimis luculentiſſime demonſtrantur: tametſi animo non ſervili, ſed filiorum amorem ſubſtruente, obedientiam hanc fieri *debere*, itidem diligenter inculcetur

a) Ita eſſet, ſi nobismet ipſis ſanctitatis ſtudium, ad mortem usque porrectum, &, ſi ita ferret divina voluntas, morte quoque, ut habetur Hebr. XII. 3. ſqq., obſignandum, *tanquam ſatisfactio aut meritum* injunctum eſſet. At hunc in finem, non tantum nusquam docet Sp. S., id Chriſtianos decere, ſed etiam, ſi quis cum Chriſti merito & juſtitia, unice coram Deo ad juſtificationem valente, vel conjungat, eum gratia Dei Evangelica Chriſtique participatione excidere, aſſeveranter Gal. V. 4. ait. Quæ vero *genuinæ* ſint univerſæ ſanctificationis, ut *fructus* conſequentis, ipſorumque adeo bonorum operum *in via ad ſalutem plenam* contendentibus neceſſariorum cauſſæ, non opus eſt, ut h. l. repetamus; quoniam paſſim, præſertim 2. Petri I. 3 ſqq. longa ſerie enumeratas, & ſatis ſuperque definitas eſſe conſtat.

b) Quæ cauſſa fuerit, cur hunc quoque Aphoriſmum inter cæteros, ubi de ſacrificiis typicis & Antitypico Chriſti actum erat, adduxerit in medium, ſi neſcivit *Smalcius*, aut diſſimulavit, non potuiſſet eam compendioſius inveſtigare, quam ſi b.

mus aliis, quæ nos per Christum, vel, per ejus sanguinem ut λύτρον redemtos esse insinuant, quod nobis affingit Peuschelius: sed loca de gratia & misericordia Dei in Christo nobis exhibita, opponimus sententiæ Peuschelii, & aliorum de redemptione per sanguinem Christi facta, quæ est, quod per sanguinem Christi pro peccatis nostris satisfactum sit. a) Redemtio per sanguinem Christi, ut per λύτρον optime cum gratia & misericordia Dei convenit. Nam redemtio per sanguinem Christi ut per λύτρον, gratiæ illius auctio est & confirmatio: b) At gratiam Dei, eamque, ut Paulus loquitur, gratuitam, cum redemtione tali, quæ satisfactionem eamque perfectam includat, consistere nullo modo posse ipsa res loquitur, & ipsimet adversarii sagaciores non diffitentur, dum præter gratiam vel clementiam liberalem, aliam clementiam, hoc est, inclementiam c) excogitarunt. Qua de re nuper non pauca scripsimus in Refutatione libelli Smiglecii Jesuitæ de satisfactione Christi.

Sextus aphorismus, quo affirmatur, *ipsissimam esse veritatem, a conditionibus rerum humanarum & carnalium, ad rerum divinarum & spiritualium negationem, non semper progressum dari legitimum*, quem sensum habeat, equidem non percipio, & , an satis recte propositus sit, dubito. a) Quid

Wolffg. Franzii de *Sacrificiis Tract.* integrum, ipsissimis *Smalcii* næniis oppositum, consuluisset, superiori A. 1616. primum in lucem datum: in quo, quam *non otiosa* fuerit hæc *Peuschelii* commonefactio, Dispp. omnino XX. ostenditur.

a) Quo sensu λύτρον proprie dictum, (quippe ut τίμιον & τιμιώτερον, quam aurum sit & argentum, a Petro descriptum,) appellet h. l. sanguinem Christi, illico ab ipso *Smalcio* cum stupore audiemus. Nunc misso hoc fuco, iterum iterumque repetimus, gratiam illam Dei, quæ in Christi *passione satisfactoria* patefacta est, non merito in universum omni, sed *nostro, nostro* inquam, opponi, cui alienum substituendum fuerit. Quod cum a Deo ipso substitutum sit sapientissime, & jam procuratum indulgentissime, & applicatum clementissime, & ad vitam denique æternam usque per illud *fide* nobiscum misericorditer communicatum, εἰς σωτηρίαν quoque efficacissime, nisi spernamus aut abjiciamus petulanter, valeat; profecto ita simul gratiam Dei extollit, ut nihil possit magis.

b) Peregregia profecto τοῦ λύτρου καὶ ἀντιλύτρου, quod adhuc significantius est, & 1. Tim. III. 6. habetur, explicatio! Quam si vel unico Græcæ linguæ probato scriptore probasset, coronandus esset *Smalcius*; Sin minus, quod in aprico positum, ridendus, immo petulantia hæc, ex quolibet quodlibet fingendi, ipsasque vocabulorum notiones receptas pro lubitu, in sacro hoc potissimum argumento, immutandi, detestanda est.

c) Justam Dei judicis adversus peccata commissa & connata *iram* sycophantice *inclementiam* vocat antagonista, & hoc ipso, quid sit *justitia* Dei, ejusque cum *misericordia* temperamentum, se nescire miser prodit: Cunctasque adeo divinarum proprietatum essentialium rationes, quibus, Deum *Ens harmonicum* esse, dudum demonstratum est, cum ignoret, quid mirum, si ubique, cœcorum instar, impingit. Quæ

a) Quid enim ad hujus aphorismi explicationem facere potest id, quod de Christi generatione, vere & proprie sic dicta, quæ tamen citra viri operam peracta sit, adducitur? b) Illud vero alterum, *quod nos, dum pietatis studium* (vel potius ipsam pietatem) *ab hominibus, qui salutem æternam expetunt, exigi contendimus, hac ratione satisfactionem qualem qualem a nobis postulari, dicamus*, nescio quid continere videtur contrarium ejus, quod hactenus asseruisse visus est Peuschelius, qui scilicet omne illud, quod nos ad consequendum aliquid facere tenemur, satisfactionem appellare non dubitat. c) Quæ pontificiorum hactenus sententia habita est, & ab omnibus Evangelicis repudiata, vel certe jure repudianda. Nec enim ut pro peccatis præteritis Deus placetur, vel ei satisfiat, sed ut Deo & Christo, cum quo victuri sumus, similes, & ad vitam illam futuram, quam Deus nobis præparavit, apti reddamur, pietas a nobis pro singulari Dei sapientia, quam in omnibus suis actionibus, in primis vero in distributione præmiorum exprimit, exigitur. Quanquam & illud valde puerile est, qualem qualem satisdationem comparari cum ea, de qua nunc in negotio justificationis nostræ contentio est, hoc est, cum absolutissima & perfectissima. d)

In

hoc minus toleranda aut laudanda in *Socini* schola est oscitantia, cum in ea plerique, perinde ut C. *Vorstio* visum est, ipsa illa attributa *ex parte ipsius Dei*, cum inter se, tum etiam a Dei essentia, tanquam veri nominis accidentia, *reapse* distincta esse, doceant.

a) Mirum elabendi artificium, quæ refutare nequeas, ut, te non intelligere aut percipere, ajas? Quotusquisque enim est, qui, linguæ saltim latinæ mediocriter gnarus, verborum hujus *Aphorismi: Non licere a rebus finitis & creatis ad infinitum Numen*, quod toto cœlo & amplius perfectius est rebus a se productis finitisque, pro arbitratu suo, accurate *ratiocinari*; sensum esse, non videat, eumque etiam ab ipso Sp. S. tradi Hiob. XI. 7. sqq. Eph. III. 20. & alibi tradi, ignoret?

b) Huc ea faciunt, ut insulsa *Socinianorum* objectio, contra veram & *proprie dictam generationem Filii Dei* a Patre cœlesti, ex *materiali* rerum corporalium propagatione desumta, infringatur, neque, a *veritate* ad *modi* ejusdem rationes argumentari licere ostendatur. Quod sane tanto minus licitum est, quo certius constat, neque generationem animæ ex anima, per traducem spiritibus consentaneum, ad liquidum, sive affirmetur, sive negetur, adhuc perductum esse, dubiaque non spernenda multis videri, quæ contra creationem, cui ipse alioquin addictus erat, *L. I. Retract. c. I.* ex commixtionibus hominum cum bestiis præcipue, observavit *Augustinus*, aliique de generatione quoque Angelorum vel possibili disputant.

c) Non memini *Peuschelium* Christianorum sanctitatem satisfactionem appellasse. Quodsi vero id factum sit ab ipso, aut aliis potius, *non* satisfactionem ad iram Dei *placandam*, quæ & meritoria ad beneficia Dei jure quodam nostro consequenda, dici possit, intelligi a nostris, sed, quæ *voluntatem Dei præstare* studet, seu ad *placendum*, nemo dubitat, & toties repetitæ cum Pontificiorum disceptationes condoce faciunt.

d) Fatemur & ipsi, obscurius paullo hæc

In septimo aphorismo recte dicitur, *Non damnare rem ipsam abusum rei, nec id quod est ex eventu confundendum esse cum eo, quod est per se*: Sed male illud tum ad propositum Peuschelii, tum ad nostram sententiam accommodatur. Doctrina enim Lutheranorum de Christi satisfactione talis est, quæ per se efficere potest, a) ut homines vel de vera pietate nihil cogitent, vel saltem non ita cogitent ut par est, b) nempe sine ea neminem servari posse, quod disertissime affirmat scriptura. c) Hinc etiam omnes Lutherani, una cum aliis Evangelicis, constanter negant, opera bona ad salutem esse necessaria: immo inventi sunt, qui dicere non verentur, eadem ad salutem esse noxia. Qua de re insultant etiam vehementer illis pontificii, & ex parte saltem non immerito. d) Videat, qui velit, quid nuper Frantzius in thesibus de bonis operibus scripserit, & experietur, doctrinam Lutheranorum, quantumvis id illi negent, ita esse comparatam, ut nemo, qui vim illius atten-

pronunciasse *Peuschelium*; at si caussam hujus obscuritatis, quam supra ad ipsam *Orationem* quædam commentati exposuimus, animo expendas, haud dubie majorem, quam antea, lucem ex iterata verborum ejus lectione tibi affulsuram experieris.

a) *Non quid fieri quoquo modo possit*, sed quid doctrina aliqua *per se efficiat*, disquiritur. Neque vero etiam hanc nostram, ipsiusque adeo Sp. S. de Satisfactione I. C. sententiam veram & Evangelicam *per se*, si *recte* quis eam atque *integram* teneat, *efficere posse* corruptionem morum concedimus, contrariaque potius omnia hinc profluere consectaria, veram nimirum ex his principiis demum pietatem gignentia & *Evangelicam obedientiam*, cum *Apostolo* ex Cap. VI. 1. sqq. ad *Romanos* paullo ante ad oculum demonstravimus, calumniasque has disjectas jam esse a Sp. S. monuimus.

b) Immo, *substrata satisfactione* Christi *& fidei fundamento* ei innitente, tunc demum de *genuina* pietate & cogitari potest, & de ea quoque cogitant, *ut par est*, & sanctificationis necessitas atque ordo postulat, regeniti atque justificati; uti l. c. & alias sæpius, cum *Christo* magistro, *Paullus* inculcat discipulus.

c) Ita est: Sic enim Hebr. XII. 14. coll. comm. 28. & Cap. X. 36. coll. Rom. X. 10. atque 2. Cor. IV. 17. legimus. At necessitas *ordinis* a Deo constituti, justificationem jam impetratam cum salute gratiæ consequentis, cum *caussæ* necessitate & *respectu* ad salutem *caussali*, non confundenda est. Quo sensu etiam, si qui vocabulo *medii* utantur, itemque *viæ* regni, & similibus, intelligendi omnes sunt. Scriptura namque S. quotiescunque & justitiam & salutem credentibus tribuit, ita fidei nostra ex parte soli adscribit, ut ab ea *caussæ dignitate* opera, etiam a regenitis patrata, constanter excludat, etsi ut necessaria consequentia seu fructus, aliasque ob rationes *necessitatis*, sedulo urgeat, atque ita urgeat, ut opera seu novam obedientiam a *fide*, in Christi satisfactione recumbente, ejusque natura seu ratione formali diligentissime distinguat.

d) Non erat, cur *Pontificiorum* cavillationes vel *ex parte* approbaret *Smalcius*; quippe qui haud ignoravit, qualem illi necessitatem B. O. commendent, meriti videlicet dignitate exsplendescentem; etsi inter scopulos adhuc *de congruo aut condigno* hæreant. Quam hypothesin tamen, Scr. S. oraculis e diametro repugnantem, nec ipsi *Sociniani* videri volunt sibi proba-

tendat, unquam pie ſit victurus, a) & ſi tamen aliqui, quod nos non negamus, pie vivant, id aliis de cauſſis fieri dicendum eſt. Fit ſcilicet ſæpe, ut Deus non permittat doctrinas iſtas erroneas vim ſuam, in hominibus probæ mentis, exerere, ſed efficit, ut homines magis verbum Dei, quod bona opera perpetuo requirit, quam iſtas parum religioſas de bonis operibus gloſſas, b) attendant. Non neſcimus Lutheranos ſtatuere, neminem Chriſti ſatisfactionis, quam aſſerunt, participem futurum, niſi in Chriſtum credat, & per hanc fidem ſatisfactionem iſtam Chriſti ſibi applicet: ſed hæc fieri non poſſe, niſi quis novum hominem induat, carnem cum concupiſcentiis crucifigat, & ſecundum ſpiritum ambulet, non facile, ut porro ait Peuſchelius, perſuaſerit ei, qui libros Lutheranorum ea de re unquam legit. c) Vel, ſi tamen id ve-

ri, neque, etiam ſi candide nobiſcum agant, diffiteri poſſunt, noſtrates, dum in oppugnanda illa phraſi: *Neceſſaria eſſe B. O. ad ſalutem*, uti antehac, ita poſt *L. Interim* eam callide admodum incruſtantem paullo, vehementius laborarunt, & adhuc occupantur, *ſenſum Pontificium* duntaxat, aut qualemcunque *cauſſæ* reſpectum notare, eaque de cauſſa a formula *ambigua* abſtinere ſuos jubere. Quod enim non omnem neceſſitatem eorum inficientur, inde patet; quia & *ſalvandis* & *ante ſalutem* (gloriæ puta) immo, ut *partem etiam ordinis divini*, ipſiusque *ſalutis gratiæ*, jamque inchoatæ quodammodo gloriæ, ea neceſſaria eſſe, quia *debitores* ſumus Dei, largiuntur, eosque etiam, qui paullo præcipitantius: *Nullo modo ad ſalutem neceſſaria eſſe:* affirmarunt, plerique palam reprehenderunt. Vt omittam, neque ipſam illam phraſin, de qua primario diſputatur, in omnibus Eccleſiis, præter eas, quæ *Formulam Concord.* receperunt, quo minus uſurpetur cum interpretatione ſana, prohibitam eſſe. *Amsdorffium* de reliquo meliori ſententia, quam verborum adhibitorum prudentia: Noxia ſeu *pernicioſa* eſſe *ad ſalutem* B. O., aliquando pronunciantem, ſed illico a formula illa, cum monitus eſſet, abſtinentem, tanto minus objicere decebat, quo certius eſt & in vulgus notum, neminem unquam eidem ſuffragatum eſſe, ſed a forma illa loquendi *offendiculo* plena cunctos abhorruiſſe, eamque adhuc horrere atque deteſtari.

a) Audaciſſimum hoc obtrectatoris aſſertum jam ante rejecimus, oſtendentes, ne poſſe quidem, niſi qui doctrinam *Lutheranorum*, quæ Apoſtolorum & Chriſti ipſius eſt, teneat, *veram* pietatem, quæ *ex Fide* oritur, conſequi, neque fuco qualicunque, *Paullo* judice 2. Tim. III. 5. coll. Rom. XIV. 23., rem confici.

b) Quo ſenſu religioſæ ſint, aut *parum religioſæ* gloſſæ quorundam, de B. O. neceſſitate rigidius diſſerentium, jam ante dictum eſt. Nunc illud adjiciendum putamus, ſi parum religioſas gloſſas eam noſtræ Eccleſiæ ſolicitudinem appellet, qua, de *Juſtificatione* χωρὶς ἔργων, Apoſtolo præeunte, primum, tum vero de *Sanctificatione* ſincera *ex fide* per operum continuum exercitium deducta diſtincte agendum, atque utrumque beneficium Dei diverſimode conſectandum eſſe, recte docet; ipſum profecto parum religioſum, & genuinæ Evangelicæ religionis ſimul oppido ignarum eſſe, hinc liquido elucere.

c) Craſſiſſima calumnia, quam *de Fide & B. O.*, quotquot extant, *Lutheranorum libri* practici, ipſiusque adeo b. *Lutheri* ſcripta, ex quibus nuper huc pertinentia præ-

rum esse censendum sit, talem istarum phrasium explicationem audiet, quæ non tantum multas infirmitates, verum etiam peccata, adeoque peccatum habitus a) in renatis restare, usque ad ipsum vitæ finem permittet. Nihil nunc dico de eo, quod parum recte phrases istæ, veterem hominem exuere, & novum induere, & carnem cum concupiscentiis crucifigere, jungantur cum illa, secundum spiritum ambulare. Nam secundum spiritum ambulare is vere dicitur, qui jam superatis omnibus vitiorum habitibus, semet ipsum custodit, & bonam conscientiam conservare studet, vel, ut Christus * ait, vestes suas custodit: at qui veterem hominem in præsenti exuit, & novum induit, & qui carnem cum concupiscentiis crucifigit, is nondum ad virtutis habitum pervenit, sed in eo acquirendo tantum versatur quod ad veram pietatem, & ad salutem consequendam parum omnino esse vel hinc constat, quod Paulus diserte scribit; *Qui sunt Christi, carnem cum concupiscentiis & cupiditatibus* non crucifigunt, sed *crucifixerunt.* b) Recte quidem fit, & saluti proximum est, si quis novum hominem induere satagat, & carnem cum concupiscentiis crucifigat; c) & hinc ad ea jugiter nos commonefaciunt ss. litteræ: sed nisi, antequam ex hac vita discedamus, veterem hominem ita exuerimus & novum induerimus, & carnem cum concupiscentiis ita crucifixerimus, ut a peccati habitu prorsus d) simus liberi, actum est de salute nostra, si vis novi fœderis sola attendatur. Quod vero ad nostram sententiam attinet, ea huc referri minime debuit. Ea enim per se veram pietatem necessariam ad salutem esse statuit, & nihil tale continet, quod homines in pietate e) segnes effi-

* Apoc. XVI. v. 15.

stantissima, quæque collegit Cl. *Rambachius*, retundunt: quippe in quibus *distinctio* cum necessaria *conjunctione* ubique inculcatur.

a) Res omnis ad Pecc. Orig. redit, cujus *radicem* omnino per pœnitentiam, uti a Socinianis quoque describitur, evelli, probandum fuerat, non simpliciter affirmandum aut ponendum. De habitu vero qualicunque *acquisito*, magis magisque in renovatione continua, ne *dominetur*, eradicando, ea, nostri docent, quæ, cum sint Scr. S. conformia, nec ipsi *Sociniani* negare queunt, utpote qui & ipsi talem exstirpationem docent esse necessariam.

b) In vocabulis phrasibusque variis, sed diversimode acceptis, cum *Smalcius* heic oberret, & pæne ipsas *Paulli* loquendi formulas carpat, in illis certe tricas varias nectat, non videtur operæ pretium cum eo operose disputare.

c) Quid ergo opus fuit, in verbis p. a. ex Ep. ad Gal. excitatis, & tempore *præterito*, ubi de *initio* jam *facto* renovationis sermo erat, aliquid captare?

d) Aliter *Paullus* Rom. VII. de se jam *regenito* & longius progresso loquutus sentit, qui non nisi per mortem a radice peccati in se *habitantis*, sed *non dominantis*, liberatum iri sperat, eaque de caussa mortem optat coll. Ebr. XII. 1. Gal. V. 17.

e) Sed *spuria*, h. e. ea, quæ ex fide in Christi merito posita non profluit, etiamsi valde speciosa.

efficere queat. Licet enim ſtatuamus, nos miſericordia Dei juſtificari, tamen diſerte docemus, iſtam juſtificationem ad effectum perductum non iri, niſi veram ſanctimoniam, quæ fidei eſt anima, a) ſectemur, & licet non pro principali ſalutis cauſſa pietatem habeamus, habemus eam tamen pro tali, ſine qua ſalus nullo modo b) contingere poteſt. Quod dicere Lutheranis religio eſt.

Octavus & ultimus aphoriſmus otioſus etiam prorſus eſt. Fatemur enim, non licere nobis opera divina ad noſtri judicii normam exigere, multo minus, quod vel ſine vel cum læſione juſtitiæ ſuæ facere potuerit, aut non potuerit, extra expreſſum Dei verbum decernere, & dum iſtud ita ſimpliciter pro aphoriſmo venditat Peuſchelius, iterum nos calumnia premere velle videtur, quaſi ſcilicet nos ſimus, qui opera divina ad normam judicii noſtri exigamus, c) vel quid Deus facere potuerit aut non potuerit in nobis ſervandis, extra expreſſum Dei verbum decernamus, quo vix aliquid dici poteſt iniquius. Ipſimet enim adverſarii fatentur, dogma ſatisfactionis d) expreſſum in verbo Dei non extare: nos vero nec ex illo deduci id poſſe, quod adverſarii contendunt, docemus firmiſſime, refutatis omnibus, quæcunque ad iſtam ſententiam comprobandam afferri ſolent. e) Quanquam, etiamſi dogma illud ex ſcripturis deduci poſſet, tantum conſtaret, verum id eſſe, ſed tamen non conſtaret, ad ſalutem eſſe etiam neceſſarium, cum, ut antea dictum eſt, omnia, quæ ad ſalutem ſunt præciſe neceſſaria, expreſſa ut ſint in verbo Dei, prorſus ſit neceſſe. f) Acquieſcimus igitur nos in Dei voluntate, quam in verbo ſuo manifeſtavit; vos vero illo non contenti, conſequentias ex illo nectitis in Deum injurias ſimul & perniciofas, quas, non vero verbum Dei, nos perpetuo impugnamus, & expugnatas, tum ob gloriam Dei aſſerendam, tum ob ſalutis viam expeditiorem reddendam, cupimus. Et hæc cauſſa eſt, cur negemus inſontem loco ſontis, præſertim ſi is præſens ſit, Deum plectere poſſe, aut ſolere; Vrgeamus autem, inſontem in noſtrum commodum g) in mor-

a) Non anima, niſi quatenus Jac. I. ult. anima pro *halitu* ſumitur, vitam præſentem adhuc demonſtrante; ſed *fructus* Gal. V. 6.

b) Et quidem ex noſtra parte unica contra *Paullum*, qui novam obedientiam ſeu ἔργα a juſtificatione & ſalute, quatenus cauſſæ eſſe perhibentur, χωρίζει atque excludit Eph II. 8. ſq. & alibi conſtanter.

c) Proteſtatio factis contraria.

d) Aliud eſt vocabulum, aliud dogma & res ipſa; quanquam δικαίωμα ex aſſe haud dubie reſpondeat.

e) Jactantia!

f) Si fides neceſſaria, quidni etiam objectum cognitum, in quo recumbit fides, quæ ne quidem ſine eo animo concipi poteſt?

g) At Scr. S. etiam modum determinat *vicarium*: qui negligendus haud eſt.

tem traditum esse. Vt enim illud, tanquam cum justitia & rectitudine divina pugnans, se non facturum clarissime Deus in verbo suo pronunciavit: ita hoc, tanquam sapientiæ & misericordiæ divinæ a) admodum congruum, eum fecisse, disertissime idem Dei verbum testificatur.

Post aphorismos istos duo restant, breviter perstringenda potius, quam exagitanda prolixius. Alterum est, quod gratias agis tum Magistratui, *quod te mediis Magistratum christianum & catholicum reformatum* (hæc tua sunt verba) *decentibus, illoque dignis, in viam cælestem reduxerit*, tum theologis, *quod in conversione tui procuranda curas & vigilias exantlarint, & erga vos dissentientes mites fuerint & mansueti.* Ergo magistratus Christiani officium est, dissentientes a se, idque non ex animo, sed tantum discendi aliquid caussa (ut tu de te profiteris) catenis ligare, per urbes ligatos ostentare, in carcere squalido per menses non paucos detinere, &, si sententiam mutare nolint, in perpetuum ei addicere? b) Et theologi mites sunt & mansueti, dum ista permittunt, & quos verbo Dei solo expugnare debebant, adhibitis carceribus & metu tormentorum c) expugnant? Quid igitur, dum adversus vos Papatus ita se gerit, reprehenditis ista tamquam ab Antichristi spiritu profecta? Nonne videtis, novam tyrannidem papalem inter eos, qui Evangelici audire gaudent, mutatis tantum personis, jam obtinuisse? d) Et frustra sane autorem libelli, quem titulo *CASEI OLLARIS* inscripsit, nec timoris Dei, nec pietatis, nec veritatis rationem habuisse, verbose quereris, si ita, ut antea commemoravi, a magistratu & theologis tractati fuistis. e) Quod si factum esse negare etiam velis, deploranda certe est ista servitus, qua magistratus vester & theologi tantum vobis incussere terrorem. Alterum est, quod lectionem librorum nostrorum studiosæ juventuti dissuasurus, argumento usus sis valde infirmo, &

a) Omissa est justitia Deo naturalis, ut *judici mundi*, qui se abnegare haud potest.

b) Crambe multoties cocta, heic denuo apposita, ne digna quidem est, quæ attingatur: Vt exaggerationes & αὐξήσεις, si mollissime loquamur, taceamus. Postremum etiam falsissimum est. Vel superiora enim docent, *non de* sententiæ *mutatione*, quam *testificatione, per jusjurandum* actum esse.

c) Cur custodiæ dati miseri hi *Cives Norinbergenses*, & perfidi *beneficiarii*, sæpius jam dictum est, metu autem tormentorum expugnatos, ignoscet *Smalcius*, si mendacium esse dicamus.

d) Caussas *civiles* commiscet calumniator cum *Ecclesiasticis*, & conscientiam fidemque attinentibus: quanquam neque istas satis intellexisse videatur.

e) Sed ita tractatos ess[e], & putido *casei Ollaris scriptori* & *Smalcio* nunquam concedimus.

mo, & dissuasionem tuam ipsemet refutaris. Nam, quod quidam lacte nutriendi essent, non solido cibo, id tanquam factum non tanquam jus recenset, & reprehendit auctor ille divinus: tu vero id tanquam rem sacram aliis commendas, & præcipere quodammodo videris. Deinde vero, si tandem lectionem librorum nostrorum liberam esse dicas, præsertim illis, qui prius ss. litteras assidua manu versarunt, jam frustra erit, quicquid ante dissuaseris. Nam quicunque ss. litteras assidua manu versat, quantumvis nescio quos catechismos, vel locos communes, & commentarios, quam familiarissimos sibi reddiderit, is statim, cum nostrorum libros vel semel inspexerit, si animo sit a pietate non alieno, & non tam in γνώσει, quam in πράξει theologiæ consistere, (quod tu persuadere etiam aliis conaris,) persuasum habeat, intelliget, quantum distent æra lupinis: a) immo quo quis perfectius istos catechismos & locos communes tenuerit, tanto citius, lectis nostrorum libris, ad eos amplectendos incitabitur. b) Nam, ut Paulus de lege alicubi argute ait, se per legem * legi mortuum esse, sic etiam per istas catecheses & locos communes, quam rectissime homines sensatos & probos, c) a catechesibus & locis illis communibus avocari posse, & avocatos esse, experientia rerum magistra nos docuit. Et hæc pauca tuæ orationi opponere hoc tempore ipsa veritas coegit. Faxit Deus, ut ii, qui errant, errores suos agnoscant & corrigant, error enim omnis peccati fomes est; veritas autem pietatis genitrix, & veritas nos a morte liberabit.

LAUS DEO & CHRISTO.

* Gal. II. 19.

a) Quasi vero soli ad praxin pietatis discipulos suos manuducerent *Sociniani*! Mira profecto & audax arrogantia, atque ostentationi Pharisæi illius, alios omnes præ se contemnentis, Luc. XVIII., haud multum absimilis. Vt omittam, *quid distent æra lupinis*, qui norunt, facile intellecturos, ad pietatem *Socinianam*, ab ingenua quippe quæ *ex fide vera* oritur, longe remotam, neutiquam, sed nostram Ecclesiam, istorum cœtui præferendam, rect us quadrare, quicquid unquam de praxi Christiana in Scr. S. docetur.

b) Contraria omnia experientia docet. Si qui vero sunt, qui lectis hisce sophismatis desciscant nihilominus a veritate, inter eos referendi erunt procul dubio, quos ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι Petr. 2. Ep. III. 16. significantissime vocat. Tales autem a quovis vento doctrinæ in alteram partem commoveri, quis mirabitur?

c) Omnes ergo alii, præter *Socinianos*, *insensati* & improbi sunt? Vah! quanta hominis impudentia. Certe vel hinc quis *Smalcius* fuerit, intelligi potest, ut vel verbum addere tot tantisque hujus Thrasonis turpissimæ ostentationis documentis, jam ante datis, atque in fine denique tam impudenti assertione obsignatis, pigeat.

VIII.

JOACHIMI PEVSCHELII, Norimbergenſis
CONFESSIO FIDEI

INTEGRA, QVAM, VT EAM REDDERET JVSSVS, *NORIBERGAM*, A. 1615. INCLINATO, *JENA* MISIT, ANNOTATIONIBVS ET *SCHROEDERIANIS & NOSTRIS* NECESSARIIS SED PERBREVIBVS CONFVTATA.

Reſponſio a) *generalis ad* 12. *quæſtiones M. M. N.N. & A. A. Dominorum Scholarcharum.*

Hieron. adverſus errores Johannis Hieroſolymit. tomo 2.

Quæso, Lector, ut memor tribunalis Domini & de judicio tuo te intelligens judicandum, non perſonas loquentium, ſed cauſam conſideres.

Quæſtio I.

An utraque Symbola, Nicenum & Athanaſii, ſacris litteris in omnibus ſint conformia.

Reſp.

Reſponſio ad hoc ex litteris generalibus b) patet. Nunc duo adhuc addam. 1. quid *Auguſtinus* & *Calvinus* de Symbolo iſto priore, Niceno puta, ſenſerint c) 2. quid in eo deſiderari adhuc jure poſſit. Primum quod attinet, Calvinus d) de eo ſic ſcribit: Quid ſi negem, inquit, hanc formulam, quam mihi obtrudis, a Synodo Nicena profectam eſſe?

a) Cum qua comparentur Cap. III. *Sect.* I. §. VII. VII & XIII. Vbi paucula quædam ex his decerpta, cum integra reſponſoria ante Confeſſionem Epiſtola ad Curatores *Acad. Altorphinæ* Perilluſtres perſcripta, ipſaque cumprimis *Interrogata*, ad quæ ſigillatim quædam heic regeſſit *Peuſchelius*, reperias.

b) In quibus multa de innocentia ſua querulatus, & utrumque horum ſymbolorum falſa profiteri pleraque, jam ediſſeruerat.

c) Ad hæc, quæ b. *Schröderus* notaverat, ſupra jam adduximus. Quibus nunc reliqua, quæ ad marginem noſtri exemplaris ſua ipſe manu alleverat, ſuccedent, addito præter characterem alium, quem curſivum vocant, ipſo nomine SCHR. ſignanda, & a noſtris h. m. diſcernenda.

d) Diu multumque fruſtra revolutis *Calvini* ſcriptis, locum hunc perquam notabilem, ab *Andrea Dudithio*, ὑστέρῳ, in Epiſt. ad *Joh. Laſicium*, Eq Polon., primum protractum in lucem, animadverti; Vnde vero eum depromſerit, cum l. c. (ut habetur epiſtola illa *in Bibl. Frr. Polon.* Tom. I. f. 513.

ctam esse? Neque enim credibile est, cum patres, quam maxima possent brevitate, complecti vellent formulam compositam ex rebus apprime necessariis, lusisse superuacuo verborum circuitu. Vides autem in his verbis esse *battologiam:* Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quorsum ista repetitio? an vel emphasin habet ullam vel majorem expressionem? Vides ergo, carmen esse magis cantilando aptum, quam formulam confessionis, *in qua syllabam unam abundare absurdum est.* Quid quod Augustinus, qui valde religiosus fuit cultor synodi Nicenæ, fortiter impugnavit particulam illam: Credo in a) sanctam Ecclesiam. Vitiosam enim locutionem esse contendit. An hoc faceret saltem absque honoris præfatione, *si putaret*

(a)] non distincte indicarit *Dudithius*, ignorans, in *Lib.* tandem *adversus Valent. Gentilem* edito eum reperiri, deprehendi; Sed Calvini etiam amicos atque asseclas jam in nodo hocce solvendo, aut ictu certe declinando, elaborasse observavi, *Samuelem* inprimis *Maresium*, *Junium* item & *Chamierium.* Quorum ille ex professo in *Biga Fanaticorum eversa* (cujus prior Dissertatio *Epistolæ* istius *Dudithianæ* totius Examen κατὰ πόδα exhibet,) A. 1647. 12. *Græningæ* evulgata, verba hæc discussit, reliqui autem obiter ejusdem objectionis meminere. Vt ut sit, nihil certe caussam *Peuschelii* hæc juvare poterant. Vt enim taceam, *Calvinum* non fuisse, quo præceptore uti vel debebat, vel consueverat, in Ecclesia patria, ipsa quoque verba *Calvini* contra *Val. Gentilem* ejusmodi sunt, ut non multum Symboli istius verba identidem ea objicientem adversarium caussamque ejus juvare posse, recte commonstrent; quippe quæ humana sint, solaque Ecclesiastica auctoritate præ cæteris valeant, atque Filium Dei quoque esse αὐτόθεον *significantissime* doceant. Quodsi vero & de auctoribus, ipsis videlicet Nicænis Patribus, utrum his verbis illud conscripserint, dubitavit *Calvinus*, ut videtur subinnui, *historicus* ille fuit *error* & memoriæ lapsum prodens: Ita certe & his ipsis verborum formulis consulto conscriptum id esse, & in hanc, qua nunc quoque extat, compagem redactam, præter additamenta ad Art. III. *Constantinopoli* deinceps adjecta, post *Ruffinum Socrates Hist. Eccl. L. I. c.* 8. clarissime testatur. Ad sententiam vero quod attinet, non tantum ipse l. c., ad *Athanasium* provocans, veritati subscripsit *Calvinus*, sed alibi etiam eandem contra *Servetum*, inque *Institut. Theol.* ex instituto ita accurate explanat ac tuetur ut, quamvis L. I. c. XIII. §. 5. de vocabulo ὁμοούσιος & similibus scribat: *Vtinam sepulta essent, constaret modo hæc inter omnes fides &c.* illico tamen, *quia temere non sint inventa illa nomina, cavendum esse, ne temere repudiando superbæ temeritatis arguamur,* moneat, atque alias de summo hoc mysterio, ubicunque de eo disseruit, honorifice ac reverenter senserit & loquutus sit. Quæcunque ergo fervidius disputanti, &, humana divinis adversario isthæc nimium quantum urgenti posthabenda esse non sine excessu demonstraturo, exciderunt, perinde uti *Lutherus*, ὁμοούσιον in L. contra Latomum T. II. Jen. lat. f 407. *si odisset, se hæreticum* ea propter *non fore*, scripsit; *Socinianis* minime prosunt, sed Symboli utriusque, de qua interrogatus erat *Peuschelius*, sententiam intemeratam relinquunt, eamque sancta veneratione prosequendam tanquam eminentissimam veritatem jubent. De qua h. l. dispiciendum fuerat.

a) Quicquid sit de *Exemplaribus* quibusdam priscis, hodierna certe nec Præpositionem illam exhibent, nec Synodo Nicænæ

ret a talibus auctoribus manasse? a) Quin etiam inscitiæ arguit eos, qui sic loquuntur. Hæc Calvinus. Notum est, quid Augustinus illi Synodo tribui velit: Ne pendeamus nos, inquit, a concilio Niceno, quod tamen antiquissimum & probatissimum est: nec nos concilio Ariminensi, sed sacris litteris nitamur, & in his conquiescamus. b) Et notius est, quam ut probari debeat, quam in eo ambitio, quam alia ejus generis vitia regnarint, ut quidvis potius, quam Dei verbum Episcopos illos moverit, cum inter se magnis odiis atque inimicitiis dissiderent? c) Sed his missis ad Symbolum ipsum deveniamus, in quo sunt quædam, quæ reprehensionem atque animadversionem justam effugere non posse videntur, qualis est phrasis illa, Deum de Deo, Deum verum de vero Deo, quæ in Calvino in Epistola ad Polonos & contra Valentinum Gentilem ut dura, impropria, catachrestica & periodicam scribendam permitterent, quoniam non ab ea hoc, quicquid est, sed Constantinop. Patribus profectum esse constat.

a) *An putarit Augustinus Symbolum Nicænum a Patribus Nicænis non prodiisse.* Hæc ad marg. *Schr.* adscripsit; Vtrum vero Lemmatis tantum usum habere voluerit verba illa, an *interrogative* cum admiratione intelligenda sint, non assequor. Hoc tamen affirmo, nec mihi, de symb. hujus auctoribus *Nicæno-Constantinopolitanis* Patribus dubitare potuisse *Augustinum*, probabile videri, credibilius autem esse, de *Præpositionis* istius additamento, quod impugnat, dubitasse. Quæ si ita sint, nec *Peuschelii* caussæ, neque *Calvini* etiam scrupulo hinc orto multum commodi afferrent; ad præsens certe institutum parum facerent.

b) Quid inde? Neque nos a se *Augustinus* habet dissentientes: quos neque divinam ulli Synodo, neque parem omnibus auctoritatem tribuere, sed earum quoque decreta ad Scr. S. normam examinanda esse, constat, docere; tametsi forte ex Ecclesiæ approbatione singularis quædam *Oecumenicis*, quam *Ecclesiasticam* vocant, & hoc sensu quasi *mediam* appellandam censent, ex nonnullorum opinione videatur adscribenda. Quicquid vero horum sit, non de auctoritate sive conciliorum sive symbolorum, & num sint *Nicænum* atque Athanasianum, sed anne sint, quæ ita nuncupantur, *sacris litteris conformia?* quæsitum fuerat. Ad quæ directo respondere, satius fuisset, quam de auctoritate, dispositione atque origine eorum declamare.

c) Neque hæc ad rhombum pertinent, *hominumque* vitia plus justo exaggerata cum *doctrina* commiscent. Cæterum quanta fuerint vitia illa & dissidia, aliorsum, quam præsens, de quo h. l. agitur, negotium spectantia, & quæ tandem inter disputationes concordia, exclusis hæreticis, per principia Scr. S. puriora rite applicata coaluerit, cum ipsa historia *Concilii Nicæni* accurate ab *Eusebio Ruffino, Socrate, Sozomeno*, cæterisque fide dignissimis Historicis descripta condocet, tum vero etiam *Vindiciæ nostratium* jam tunc demonstraverant pluribus; at deinceps porro a *Gesnero, Menzero, Dorscheo, Calovio, J. Meisnero, Danhauero*, inprimis vero a b. *Bajero* contra *Sandium* & *Zwikerum*, atque omnium plenissime adversus recentissimas ejusdem Concilii *criminationes* earumque auctores maledicos a b. *Fechtio* in de *Concil. Nicæni Innocentia* Tr. exquisitissimo ostensum est: Vt alios extra Ecclesiam nostram sileamus.

periculosa a) *rejicitur.* Et tam non sine ratione: Si enim Deus numero unus est, (ut certe est) quomodo b) idem proprie loquendo de seipso esse dicetur! Si enim *Deus verus proprie & per se* Divinitatem ipsam, seu divinam Essentiam declarat, sique Deus a Deo est, iterum proprie loquendo: *annon sequetur*, c) *duas esse horum Deitates*, & porro unius Deitatem ab alterius Deitate propagatam, d) & quasi mutuo sumptam esse, puta, sicut lumen a lumine propagatur? e) & quia impossibile est, duos esse Deos pariter æternos, annon amplius hinc efficietur eorum unum in tempore, f) ab altero Deum esse factum. g) At

a) Sit ita, dixisse *Calvinum* & scripsisse ad Polonos, *duram* sibi videri phrasin istam: *Deum de Deo* &c. immo & *periculosam*, solius ne *Calvini* præcipitato, & ex abusu harum phrasium *Valentini Gentilis* orto judicio standum erit? Quid si verbis hisce tam solicite in Symbolo expressis ingeminatisque studiose ad *formulas Arianorum* contrarias, quorum pauca tantum fragmenta supersunt, spectasse Confessores, divinamque non ἐξ οὐκ ὄντων, sed Patris ὑποστάσει originem filii ὁμουσίας semel iterumque quam significantissime explanare, quoad liceret, voluisse dicamus? Nihil certe periculosi, omnibus licet fidiculis adhibitis, quicquid etiam ausus sit *Gentilis* ille, obscurissimis de Deo ideis perplexisque conturbatus homo, exsculpes, nisi ipsum mysterium S. Trinitatis inficiari velis. Cætera ex Dispp. notissimis, proprie ne an improprie Deus *lumen* vocetur? & superioribus ad verba *Calvini*, quæ *Dudithio* accepta tulit procul dubio *Peuscbelius*, observationibus perfacile dilui possunt, modo *ad rem* potius *quam verba*, eademque ab hominibus, haud certe θεοπνεύστοις, adhibita, respiciendum esse animo reputes.

b) *Potest sane: Quia Deus ita est numero unus, ratione essentiæ, ut nihilominus Filius, qui est Deus ille unus, sit de patre, qui est idem Deus ille unus, distinctus à filio, non ratione essentiæ, sed* PERSONÆ. *Schr. Nihil* ergo heic *improprii*, sed *mysterium* duntaxat, omnium rerum finitarum rationes excedens, deprehendunt, qui revelationis ductum modeste sequuntur.

c) *Non hoc sequitur, sed istud: Vnam Deitatem a duobus diversimode haberi, seu unam & eandem Deitatem in duabus esse personis. Schr.*

d) Ἀνακόλουθα. *Schr.*

e) *Similitudo* est, *non* omnimoda *æqualitas*, quod pari modo, qui animæ ex anima parentum traducem defendunt, eademque similitudine etiam, ubi de rebus creatis, quæ multiplicari possunt, utuntur, ne decerpendi aut partiendi quædam idea immisceatur, diligentissime monent, in divinis autem multo magis observandum est: ubi *infinita* perfectio etiam *multiplicationem*, sed *non communicationem*, excludit.

f) Male hoc inde efficitur, quoniam a Deo Deum etiam ab æterno natum esse, non solum, per Dei *infinitam* perfectionem impossibile haud esse, vel ratio intelligit, aut *certe, se nihil definire posse*, tanquam de re, captum suum longe excedente, *modeste* fatetur; sed *revelatio* etiam ita revera rem comparatam esse, quoties de filii æterna a Patre nativitate sermocinatur, clarissime *docet*. Quorsum sane tota hæc Disputatio, quæ de *Mysterio fidei* agit, eodemque rationi sibi relictæ neutiquam cognito revocanda est.

g) Neutrum sequitur, neque *in tempore*, neque *factum*, sed, infinite perfecto quodam modo *naturam* eandem *communicando* per generationem

dices : filius est Deus. Filius est a patre. Deus igitur a patre est. Sed respondeo, hic statim *tacite tropum* a) agnosci, dum verba illa, Deus de Deo, explicantur per sequentia ista, Deus filius de Deo patre. Sic enim aperte judicatur, *illa priora non absolute, sed relate*, b) *non essentialiter, sed personaliter accipienda esse.* Atque vox ista Deus, *si proprie* de æterno veroque Deo sumatur, *absolute semper & essentialiter accipienda est*, c) quia per se primo numen illud æternum declarat, d) quod essentiam divinam in se continet. In summa : Vox Deus in propria quidem significatione sua, vel essentialiter & absolute hic capienda est, vel personaliter & relate. At non isto modo est capienda, quia sic *proprie loquendo* e) plures Dii essent, prout plures sunt personæ. Ergo illo modo, & consequenter, quando altero modo sumitur, improprie sumitur. *Non* enim *potest una vox plures habere significationes omnino proprias, sed necessario unam tantum habet propriam, cæteras omnes improprias.* f) Verba illa : Et in Spiritum S., scilicet credo, quidam, g) sup-

hunc filium *ante tempora seculi*, ac proinde ante tempus, *natum* seu genitum esse. Si quæras, quare? non aliter, quam, αὐτὸς ἔφα, respondemus, Deoque eum honorem, ut, mendacem non esse, sed veracem, firmiter statuamus, etiam in illis, quæ fateamur nos, *qua modum*, intelligere non posse, habemus. *Michas* certe Cap. V. *exitum* Christi, eumque non vulgarem sed *eminentiorem*, jam ab initio, immo *ante dies hujus mundi* fuisse, explanate affirmat. Cui *de unigenito* filio Dei hæc cum ipso Patre de cœlo testato potius, quam omni Philosophorum choro, fidem habere par est.

a) *Falsum* : Schr. Forte id tropicum putavit *Peuschelius*, quod rebus creatis non est conveniens. Quasi vero *in Deo* generatio *perfectior* esse nequeat, quam in creaturis, & quicquid *eminentius* in ipso est, improprie tale censeri debeat! Ἄτοπον.

b) *Recte* : Schr. Ita sane ipso *Peuschelio* monente difficultas omnis, quoad in mysteriis fieri potest, tollenda est.

c) *Negatur. Sive enim absolute sive relate accipiatur, semper proprie accipitur.* Schr. Posterius enim cum priori tantum subsistentiam relativam priori addit, quæ tamen, quod mysterii hujus apex est, *ad essentiam si respicias*, cum ea prorsus *eadem* est, etsi *inter se invicem* comparatæ ὑποστάσεις realiter *differant*, personasque pari modo distinctas constituant.

d) *Hoc etiam tum fit, cum relate accipitur; etsi non essentiam tantum, sed & relationem significet. Schr.*

e) *Negatur : quia relate accepta potest quidem aliam atque aliam significare relationem, semper tamen eandem essentiam.* Schr.

f) *Potest tamen vox una proprie significare eandem rem diverso modo. Sicuti pater in homonymis, quæ dicuntur ἀφ' ἑνός. Item in iis, quæ modo ample, modo stricte accipiuntur. Item in iis, quæ de Deo & creaturis diversimode dicuntur : ut vivere, intelligere &c.* Schr. Brevius : confunduntur τὸ eminentius & improprium, si creaturas & Deum compares; intra divinitatem autem, *modus habendi infinitus* pariter, in generante atque genito aut procedente, cum *translationibus in rebus finitis* usitatis, (in quibus tamen ipsis non omne discrimen improprietatem parit,) commiscetur.

a) *Quinam sunt illi?* Schr.

suppositititiam esse præpositionem *in* dicentes, reprehendunt, eo quod in *symbolo Apostolico*, quod Niceno & tempore & auctoritate prius est, *ea vox olim omissa fuerit*, & tantum dictum, Credo Spiritum Sanctum. a) Vel, si ea vocabula relinquenda, b) *non aliter hoc fieri, quam quo sensu dicamus, nos credere in unam, sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*, c) in sanctorum communionem, in carnis resurrectionem. Ex hoc autem Spiritum nec Deum, nec personam Divinitatis esse, concludi posse, quemadmodum de Ecclesia & aliis non valet. *Ajunt*, d) nullum in scripturis exemplum vel mandatum fidei in Spiritum S. reperiri. Dicere quidem Christum Joh. 14. Credite in Deum, patrem intelligi debere, tum ex sequentibus verbis patere: In domo patris mei mansiones multæ sunt; tum ex illis Joh. 12. qui *credit in me*, non in me credit, sed in illum, qui misit me, hic autem est e) pater. Hoc igitur *sibi proferri* f) *petunt*. Sequitur in Symbolo: Qui cum patre & filio simul adoratur. Quæ verba *ingentem* g) *difficultatem*, si ad lydium scripturæ lapidem examinentur, patiuntur, quod ex dicendis patebit.

a) *Unde istud? Contrarium apparet e symbolo ab Irenæo recitato.* Schr. Cæterum Formula hæc in Symb. *Irenæi* L. I. adv. hæres. c. II. legitur; cui addi potest *Origenes*, qui in L. περὶ ἀρχῶν proœmio amplius: Tum deinde, *honore ac dignitate patri ac filio sociatum* sanctos Apostolos tradidisse Spiritum S., quando ejusdem Symbol. recitat argumentum, addit.

b) *Quasi vero par possit esse ratio Sp. S., etiamsi significetur virtus Dei, & Ecclesiæ. Item: textus Apostolici & Ecclesiastici!* Schr. Notandum autem est, quando Apostolicus & Ecclesiasticus textus distinguuntur a *Schrædero*, quia, uti supra jam observatum, Apostolicum symbolum ab ipsis Apostolis conscriptum esse perperam existimavit.

c) *Cur hic particula εἰς non potius pro supposititia habetur, aut juxta tenorem symboli Apostolici eliminatur?* Schr. Alia certe & meliora exemplaria præpositionem istam etiam in Symb. *Nicæno-Constantinopolitano* omittunt.

d) *Enallage personæ & numeri: ajunt pro ajo.* Schr. Enimvero videtur hoc vocabulo ad quosdam, de quibus antea, respicere, aut ex mente *Socinianorum* loqui. Ego certe parum hæc attendenda arbitror, de veritate, non hominum opinionibus, solicitus.

e) *Non tamen solus pater: siquidem & Sp. S. misit eum.* Schr. Notum enim plus satis est, quamobrem Patrem suum Christus fere semper in Oeconomia officii sui nominet: quæ alibi jam sunt adductæ rationes.

f) *Non est necessarium; 1) Quia sufficit mandatum baptismi, 2) quia præscriptio symboli æquipollet mandato, 3) quia sufficit mandatum de credendo in Deum.* Schr.

g) *Tanta ne difficultas in quotidiana nostra δοξολογίᾳ, qua clauduntur Psalmi: Et quam vetustissimam esse probat Basilius testimoniis antiquissimorum Patrum?* Schr. Nos alibi b. *Gottfr. Olearii* Differt. *de Sp. S. Adoratione & glorificatione* adversus *Guilh. Whistonum* commendavimus, in qua, præter argumenta ex Scr. S. petita, inprimis angelica illa invocatione Es. VI. descripta, atque *Simeonis* Luc. II. deprædicata, antiquitatis Ecclesiæ præclarissima selectissimaque testimonia collecta reperias, & quorsum etiam adhibita particula *in*, seu

Erasmus a) cum in aliis locis, tum in suo Ecclesiaste de trium personarum Divinitate differens, ait: Dei nomen aliquando *toti triadi* competere, ut cum dicitur esse Omnipotens, æternus, Creator. *Aliquando personæ*, idque vel patri, vel filio. De patre, ut cum dicitur: Deus filio suo non pepercit. De filio, ut cum dicitur: Dominus meus & Deus meus. De Spiritu Sancto non esse *perinde* in promptu Exemplum: idque etiam fateri Greg. Nazianz. in libris Theologiæ: Et quanquam inquit, certissimis argumentis colligitur, Spiritum esse Deum, nunquam tamen b) aperte vocatur Deus. Idem Erasmus de Hilario scribit, nusquam eum in libris, quos de trinitate duodecim scripsit, scripsisse, c) adorandum esse Spirit. S. sed promerendum. Nusquam ei nomen DEI tribuisse, nec aliud ausum de Spiritu Sancto pronunciasse, nisi quod Spiritus Dei est. d) Idem Erasmus in libello de orando Deum: Videmus, inquit, solennes Ecclesiæ preces a priscis nobis traditas (de iis sentio, quas collectas vocant) plerasque dirigi ad patrem, nonnullas ad filium, nullas ad Spiritum Sanctum. e) In omnibus tamen trium personarum fieri mentionem, idque tanta religione videmus a veteribus observari, ut ne in iis quidem, quibus multis utimur in feriis pentecostes, ulla sit, quæ Spiritum S. appellet. f) Hoc duntaxat in iis, quæ Sacerdos pro toto populo pronunciabat. Cæterum in cantionibus, quas populus decantabat, non videtur invocatio Sp. S. ve-

formula *in Sp. S.*, spectet, solide condocetur.

a) *Erasmi auctoritas nec apud Pontificios, nec apud Lutheranos magna est. Præsertim in articulo Trinitatis admodum est exigua.* Schr. Vid. Annott. ad Confess. *Dümleri.*

b) *Scilicet, hunc in modum: Spiritus S. est verus Deus.* Schr. Perinde nimirum, uti supra, mysterium Trinitatis *totidem syllabis* sibi demonstrari in Cod. sacro, experierant.

c) *Ex libro de Synodis deprehenditur, Hilarium fuisse amicum pnevmatomachis, qui de Filio recte sentientes aliquandiu se conjunxerunt orthodoxis. Præfert enim ibi Eleusium Cyzici Episc. Macedonii sectatorem aliis: Et Macedonianam* ὁμοιούσιος *interpretationem excusat. Opponimus Hilario Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, qui omnes Sp. S. Deum vocant.* Schr. Quos nævos, tanto minus caussæ habemus, cur miremur, cum & alios errores de Christo ipso probaverit, quos nunquam purior Ecclesia suos fecit. Vt styli singularis granditatem & Gallicos cothurnos, scripta viri de reliquo solertissimi obscuriora haud raro reddentes, taceamus. Vtut sit, *Hilarius* & *Paullus* non pari passu ambulant. Et sancti quidam suos passi sunt manes.

d) *Negat tamen, illum creaturam esse, Libr. XII.* Schröd.

e) *Argumentum ab auctoritate negative sumptum est frivolum aut infirmum.* Schr. *Antiquissimis Ecclesiæ temporibus invocatum fuisse Sp. S., ostenditur testimoniis Justini & Athenagoræ. Cypriani orationem ad Sp. S. vid. Anti Soc.* 508. Schr. Qui quando alias sæpius citat *Anti-Soc.*, videtur *LL. Communes suos* allegare, ut, si forte his de locis colloquendum esset, statim invenire testimonia illa Patrum posset.

f) *Contra in Collecta octava Pentecostes ac*

S. velut in profis hymnis, antiphonis. a) Tanta erat antiquis religio, ne quid auderent, quod divinis litteris non eſſet expreſſum. Ideo fere precationes omnium diriguntur ad patrem, quia palam & crebro legunt Apoſtolos admonitos, ut b) patrem cæleſtem orarent, ſed in nomine filii. Et filius in Evangeliis frequenter orans, c) patrem alloquitur, Spiritum promittit, non orat. Idem annotavit *in Symbolo patrum*, quod canitur in ſacro, filius pronunciatur d) Deus verus de Deo vero. Spiritus S. tantum dicitur Dominus e) una, & una glorificandus & adorandus. Cum in poſteriore Symbolo, quod Athanaſii putatur, aperte pronuncietur Spiritus Deus, æqualis patri & filio. Addit Eraſmus, *non eſſe dubitandum, quin Spiritus S. ſit Deus & posſit invocari.* Se f) autem ea commemoraſſe, ut declararet religioſum timorem veterum, in loquendo de rebus ineffabilibus: qui, cum nec in S. litteris locus extaret, ubi Spiritus S. Deus diceretur, aut invocandus*: nec id ex collatione ſcripturarum eſſet expreſſum*, non auſi ſunt id g) pronunciare, quod definitum non eſſet &c. Et hæc de Nicæno. Athanaſii

Sanctisſima Trinitate: Adſpira S. Spiritus & ducito nos in portum voluntatis tuæ &c. Schr.

a) Contraria multis idem, quem laudavimus, *Olearius Whiſtono* demonſtravit. Quibus *Petri King.*, Hiſt. Symb. Apoſt. auctoris, ab eodem b. *Oleario* latine redd., verba ſubjicimus, qui, poſtquam *mirum fortasſis videri* poſſe *nonnullis, multis adeo de Patre & filio in Symbolo allatis in medium, tam pauca de Sp. S. afferri* dixit*: Sed ejus rei,* reſpondet, *luculenta nobis ſuppetit ratio. Nempe in primitiva illa Eccleſia non adeo multum de divinitate & perſonali Sp. S. ſubſiſtentia diſceptabatur. Vtut enim Gnoſtici juxta cum aliis quibusdam injurios in eum ſeſe oſtenderent, maximo tamen impetu atque furore adverſus Patrem & filium ferebantur, quo ipſo neceſſitas Eccleſiis fuit impoſita, ut potiorem curam in ea parte, quæ inſultibus eorum maxime pateret, defendenda ponerent.* Quam etiam ob rem cæteris diſtinctius magis, quam ante, expreſſis additamentis, & *hoc Symbolum* & ipſum quoque *Nicænum*, quantum ad Perſonam atque Majeſtatem Sp. S. dilucidius deſcribendam, paullatim locupletatum eſſe conſtat. Eademque, ad *hymnos* ſi applices, quorum perpauci ante Sec. IV. ſuperſunt, ſi qui habentur, genuini, poſtremo huic ſcrupulo removendo ſufficiet obſervatio.

b) *Cum jubemur orare patrem, qui in cœlis eſt, nomen patris eſt eſſentiale, patrem cum filio & Sp. S. indefinite ſignificans.* Schr.

c) *Tanquam omnium conſiliorum & operum divinorum fontem.* Schr. Adde Oeconomiam δικαστικὴν, in qua cum Patre, judicis partes tenente, ipſi, ut pacificatori, potiſſimum res erat, & Sp. S. τοῦ παρακλήτου atque præconis munia gerebat.

d) *Scil. quia de Filii divinitate tum erat quæſtio.* Schr.

e) Neque hæc Domini vox alium, quam rerum omnium Dominum ſupremum denotabat, atque hinc quoque adorandus erat.

f) Nimirum, ut in hac quoque doctrinæ ſanctioris parte ſe flare ſimul & ſorbere poſſe demonſtraret. Apage hæc; Eraſmiana enim ſunt, & *Criticam fidem* ſapiunt!

g) *Quod non factum eſt, ante controverſiam de Sp. S. motam, id poſtmodum abunde fa-*

ſii ſymbolum quod attinet, ut nihil dicam de eo, quod Camerarius doctiſſimus *non ab Athanaſio, ſed ab otioſo potius monacho* aliquo ſcriptum fuiſſe autumat, a) præter datam reſponſionem in litteris generalibus, hanc brevem cenſuram addo. Dicitur ibidem, non tres Deos & Dominos eſſe, ſed unum Deum & Dominum, poſtea ſubjungitur: Quia ſicut ſingulatim unamquamque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Dominos aut Deos dicere, catholica religione prohibemur. Quæ b) *non obſcure contradictionem involvunt.* Si enim tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur, quomodo ſingulatim c) [nota ſingulatim, prout quælibet perſona per ſe conſideratur) unamquamque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur? rurſus: ſi Chriſtiana veritate unamquamque perſonam Deum ac Dominum ſingulatim (nota ſingulatim) confiteri compellimur, quomodo tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur? d) quomodo non potius tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione jubebimur, & Chriſtiana veritate compellemur? Et ſi ſingulatim unamquamque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: e) Cur ille prius dixit, & tamen non tres Dii

ctum eſt. Schr. Quæ ratio etiam fuit, cur in ipſa Synodo Nicæna confeſſione de Sp. S. perbrevi defungerentur Patres, pluribus autem eam explanandam, cum *Macedoniani* turbas dediſſent, deinceps Eccleſia cenſeret.

a) *Vbi ita cenſet Camerarius?* Schr. Etiam hæc, ſicuti ſupra *Calvini* de Symb. Nicæno judicium præcipitantius paulo pronunciatur, depromta ſunt *ex Epiſtola Dudithiana*, ſed inique *Camerario* (*Joachimo* videlicet ſen.) ea imputari, non ſolum conqueſti ſunt ſæpenumero tam parens ipſe, quam *Philippus* & *Ludovicus*, Filius atque nepos. Et filius quidem, *contraria a parente ſuo ſe audiviſſe*, teſtatus eſt manu ſua ad *Dudithianæ epiſtolæ* marginem adſcripta. Pater vero, quo ſuperſtite jam hæc fama emanaverat, integra epiſtola ad *Eboronium, Caſtell. Cracovienſem*, perſcripta A. 1563. calumniam ex profeſſo diluit, immo ad ipſummet *Dudithium* datis litteris dolorem ſuum de cavillatione iſthac expoſuit. Tertius denique *nepos, Coronæ Suecicæ t. t. Exlegatus & Conſiliarius*, ante hac vero *Palatinæ aulæ Miniſter* primarius, injuriam avo ſuo fieri *Mareſio*, ipſiſmet protographis, quam ægre hoc quicquid eſt fabulæ ſparſæ tota familia tulerit, ſemel iterumque demonſtravit. Quæ cum non potuerint, certe non debuerint, incognita eſſe *Penſchelio*, (jam vero etiam in laudata ſuperius S. Mareſii *Biga Fanaticorum everſa*, typis excuſa f. 28. ſeqq leguntur) miramur hoc loco repetita eſſe. Vtrum denique Athanaſius Symboli hujus ſcriptor ſit nec ne? quorum illud *Schrœderus* noſter videtur crediſiſſe, *Camerarius* non item, in medio h. l. relinqui poteſt.

b) *Nec obſcure, nec aperte.* Schr.

c) *Quia unaquæque perſona unam & eandem Deitatem, alio atque alio atque alio modo obtinet.* Schr.

d) *Quia non niſi una numero Deitas in ſingulis eſt perſonis. Ad multiplicandum nomen ſubſtantivum requiritur, ut multiplicentur ſuppoſita & perſonæ.* Schr.

e) *Quia Deitas non multiplicatur, etſi ſup-*

Dii vel Domini? an tres personæ singulatim [iterum nota singulatim a)] *Domini & Dii vocati*, & qui proinde revera tales singulatim sunt (alias eos tales vel confiteri non possemus, vel falsa esset nostra confessio) non sunt tres Dii & Domini? rursus, si Catholica religione tres Deos aut Dominos dicere prohibemur, cur prius, & quidem de una persona singulatim, dixit: ita Deus & Dominus pater, Deus & Dominus filius, Deus & Dominus Spiritus Sanctus? an Deus, Deus, Deus: b) Dominus, Dominus. Dominus, non sunt tres Dei vel Domini? aut, c) an tres personæ non sunt revera, tres personæ, sed d) nuda tantum nomina, uni personæ pro diversa consideratione & diverso officiorum respectu attributa, quod Sabellius voluit? aut si revera sunt tres personæ, e) *non tamen quælibet ex æquo* est Dominus & Deus, sed f) *una ex se*, primo & per naturam, reliquæ hujus g) beneficio, h) secundario & per i) gratiam? an vero una est reipsa & vere Dominus ac Deus, k) reliquæ *prorsus non, vel nuncupative saltem & falso?* Conciliet hanc, qui potest, ἀντίφασιν, l) Davus sum, non Oedipus. Dicis scriptura hoc habet, ratio igitur captivanda: profer igitur

posita multiplicentur; Seu: quia una tantum est Deitas in tribus personis; Seu: quia nomina substantiva tribui Deo in plurali non possunt sine præjudicio unius essentiæ. Schr. Quæ tamen de immediata prædicatione intelligenda sunt; mediate enim propter communem tribus personis unam eandemque essentiam, omnino, *tres esse personas divinas*, dici potest, atque solet.

a) *At singulatim Domini & Dii non sunt vocati, sed singulatim unaquæque vocata est Deus ac Dominus.* Schr.

b) *Non sunt: Quia idem significatur Deus, idemque Dominus; cum enim Filius dicitur Deus, sicut pater dicebatur Deus, non dicitur Deus alius a Patre aut Sp. S. Sed idem Deus cum illis.* Schr. Paucioribus: Non numeratur Deus nec Dii, sed numerantur personæ, quæ habent, distinctæ quidem ut personæ, unam tamen θειότητα. De tribus Elohim, utrum ita loqui liceat, alibi jam disseruimus, mentemque *Martinii* atque *Zanchii* explanavimus.

c) *Tres personæ revera sunt, quia tres sunt relationes, seu, quia triplex est personalitas; non autem sunt tres Dii, quia nec triplex est Deitas.* Schr.

d) *Ineptiæ.* Schr.

e) *Immo quælibet ex æquo est Dominus & Deus, quia quælibet per naturam est Deus & Dominus. Etsi enim Filius naturam divinam accipit a Patre, non tamen minus est Deus, sicut Isaacus non est minus homo, quam pater Abraham, etsi &c.* Schr.

f) *Non una, sed omnes ex se: una tamen a nullo.* Schr.

g) *Non hujus beneficio: ne productio personarum, quæ est necessaria, videatur voluntaria. Dicendum igitur: Reliquæ ab illa.* Schr.

h) *Non secundario: quia naturale est divinæ naturæ, esse in pluribus personis.* Schr.

i) *Non per gratiam: quia productio personarum non est voluntaria, sed naturalis.* Schr.

k) *Immo, quod est una, idem est altera, puta verus Deus. Deum nuncupandum & falsum relinquimus Arianis, Photinianis &c.* Schr.

l) *Certe, aut Davus es, aut nequam.* Schr. Forte per jocum.

tur a) *scripturam apertam*, aut *consequentiam legitimam*, validam & cogentem, *non insulsam*, *infirmam*, & crinibus, quod dicitur, huc tractam, & statim veritati plene me assensurum (quod etiam tamen non usquequaque nego, b) sed cum Hilario & piis veteribus non ita temere ἄτερ γραφῆς asserere volo) tibi sancte per conscientiam meam, quæ instar mille testium, promitto. Et vides hic Athanasium dicere, nos Christiana veritate compelli id credere, puta *Spiritum S. singulatim Deum confiteri*, quod Hilarius c) & pii veteres nec aperte in scripturis extare, *nec ex collatione scripturarum expressum* d) esse fatentur. Aut igitur Athanasius fallitur, aut illi falluntur egregie, & fallunt, dum id, ad quod credendum cogimur Christiana veritate, illi nec quoad literam, neque *quod consequentiam extare*, dicere e) non verentur. *Crediderim* f) tamen, Hilarium tam probe in lectione S. litterarum versatum & exercitatum fuisse, quam Athanasium, qui quidem *nulla* g) *scripturæ dicta adducit*, cum talem confessionis formulam *ex nudis scripturæ verbis* extructam esse & h) *oporteret*, & deceret. Sed pergamus. Ex eodem Symbolo contra ipsum Symbolum sic argumentor: *Qualis* i) *pater, talis filius, talis Spiritus S.* At inferius dicitur: pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Ergo talis etiam filius, k) & proinde ex Symboli sententia falsum, quod Athanasius dicit infra: Deus ex substantia patris ante secula genitus. Aut igitur hoc falsum, aut superius, aut male Athanasius l) *sine limitatione* hoc proferens, locutus est.

Por-

a) *Profertur aperta, nullis troporum & figurarum involucris operienda.* Schr.

b) Interposita hæc videntur, ut, *dubitare* se adhuc & quodammodo fluctuare, significaret, atque, docilem hinc etiam se præbere velle meliora edoctum, profiteretur *Peuschelius.*

c) *De Hilario dictum est supra.* Schr.

d) *Vbi hoc fatentur? Aut quid tibi dicitur ex Scripturarum collatione expressum esse?* Schr.

e) *Vbi?* Schr.

f) *Credas, quod voles: Christianus orbis secus credit.* Schr.

g) *Vbi igitur in Symbolo Apostolico adducuntur Scripturæ dicta?* Schr. Symboli est confessionem fidei breviter complecti, non probare, quæ ad ejus confirmationem pertinent, neque etiam utrobique deest.

h) *Qua lege? Quis fixit? Satis est omnino ταῖς γραφαῖς σύμφωνα esse: Præsertim si Athanasius in illo symbolo agere voluit interpretem.* Schr. Sanam verborum formam commendat Apostolus, non verba syllabatim e Script. depromta. Alioquin non alia, quam Hebraica & Græca (forte intermixta) adhibenda essent; si verbis duntaxat, quibus Sp. S. usus est, uti oporteret.

i) *Loquitur de qualitate non personali, sed essentiali: Cujusmodi sunt, increatum, immensum, omnipotentem esse &c. ut patet.* Schr.

k) Personales *proprietates*, cum essentialibus commiscentur. Illæ personas invicem distinguunt, hæ Deum ab omnibus, quæcunque Deitatem non habent, discernendum docent.

l) Non sine limitatione: Limitatio enim

Porro dicit Athanaſius: Et *in hac Trinitate nihil majus aut minus.* a) Hoc vero quomodo convenit cum eo, quod *Irenæus, Juſtinus, Lactantius, Tertullianus,* Eraſmus, Calvinus, Sohnius, Zanchius, Deum κατ' ἐξοχὴν b) patrem vocant: Certe Eraſmus & Calvinus cum prædictis patribus, illa verba Joh. 17., ut agnoſcant te ſolum verum Deum, ad patrem tantum referunt, non quidem ſimpliciter, qua Deus eſt, *ſed reſpectu principatus* c) *illius, quem in Deitate obtinet.* Vide Eraſmum in apolog. tomo 9. (præſertim contra Eduardum Leum, & Jacobum Stunicam Hiſpanum) ubi non ſemel hunc locum ita declarat, & ſententiæ ſuæ aſtipulatores Chryſoſtomum, Hilarium, d) Ambroſium plures veteres etiam e) de ipſa Divinitate Chriſti illud Joh. 14. *pater major me eſt,* ita olim interpretatos eſſe, ut patri ſuam in ipſa ὑπεροχὴν, prærogativam & præeminentiam diſerte aſcripſerint, tanquam ei, qui prorſus ἄναρχος & ἀγέννητος, a nullo principio & ingenitus ſit, Divinitatemque ſuam a ſeipſo, hoc eſt, a nulla alia perſona habeat. Itaque eminentiam f) *illam in modo habendi ſeu ratione originis patres conſtituunt.* Quod ſi quis dixerit, modum illum habendi, id eſt, quod pater eſſentiam a ſeipſo habet, *nullam ei ὑπεροχὴν* g) conciliare poſſe: in eo non modo patribus ſupra citatis, ſed & rationi manifeſtæ omnino contradicit. Quis enim negare poteſt, *excellentius* h) quiddam eſſe, aliquid

 a ſe

ſatis exprimitur iis, quæ immediate ſubjiciuntur. Schr.

a) *Loquitur Athanaſius de majori aut minori, quod opponitur æqualitati, ut patet e verbis proxime ſequentibus. Quam vero equalitatem v. 6. expoſuerat hiſce: Sed Patris, Filii & Sp. S. una divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.* Schr.

b) *Loquuntur illi de ἐξοχῇ originis (non eſſentiæ, non gloriæ, non majeſtatis) quam propter inter perſonas Trinitatis ordine eſt prima.* Schr. Quid ſi etiam dicamus, nec ſatis commodam eſſe formulam? Quod enim ordine primum eſt, uſu loquendi recepto prærogativam *ſimpliciter* non dicitur habere, niſi forte vocem *ordinis* addas.

c) *Qui principatus* (πρωτεῖα forte rectius) *non eſt eſſentialis, in quo perſonæ ſunt æquales, ſed perſonalis & ordinis.* Schr.

d) *Hilarius L. IX. de Trinit. Pater major me eſt, ſed filius minor non eſt, cui idem eſſe donatur.* Schr.

e) *Non de ipſa Divinitate, ſed de filio, ut Deo.* Schr. An bene, quod nobis non videtur, illud eſt, de quo diſceptandum eſt.

f) *Scholaſtici vocant autoritatem principii & originis.* Schr. Ego πρωτεῖαν malim nuncupari minus ambigue!

g) *Autoritas* (πρωτεῖα rectius) *principii & originis conceditur: Sed quæ non tollit æqualitatem inter perſonas. Quia quicquid hæc ipſa autoritatis dicit perfectionis & dignitatis, id totum eſt in filio, cui eadem communicatur eſſentia, quam habet pater. Eſſentia enim divina omnem omnino perfectionem & dignitatem comprehendit.* Schr. Si vocabulum πρωτείας ſubſtituas, forte perſonalis reſpectus clarius exprimitur. Quo generans generato & ſpirato quoque utique præponendus eſt.

h) *Qualiscunque ſit illa excellentia, ſi tamen alter ille, quod habet, non habet per gratiam, ſed naturam, non tollitur æqualitas.* Schr.

a ſe ipſo, quam ab alio habere? annon ipſo Chriſto teſtante, (Act. 20.) beatius eſt dare, a) quam accipere? At pater divinitatem filio dedit, & filius eandem a patre accepit, omnibus theologis fatentibus. *Aliquam* igitur patris eminentiam b) agnoſcere nos oportet. Sed accedit & altera ὑπεροχῆς paternæ ratio, fundata tamen in illa priore jam dicta, nempe *diverſitas ſive* c) *inæqualitas officii*, quod hinc pater, inde filius, in negotio ſalutis æternæ *per* d) *gratioſam liberæ voluntatis œconomiam* hactenus adminiſtrant. Hic enim filius, *ut Mediator & legatus*, omnino e) *inferior eſt patre legante*, & Servatorem illum nobis ex gratia donante. Sic enim ipſe Chriſtus Matth. 20. v. 26. 27. 28. Vter major eſt, inquit, legatus, an qui ipſum legavit? Et præterea ratio ipſa docet: Omnem Mediatorem, interceſſorem, ſacerdotem &c. *qua talis eſt*, f) *inferiorem eſſe eo*, apud quem intercedit, & cujus legatum agit &c. (Vide Piſcat. in animadverſ. ad collat: amicam D. Vorſtii, item Bellarm. in peculiari libello, quo cenſuram ſuam in librum Concordiæ contra impugnationem Würtenberg. theolog. defendit.) Denique *omne* g) *donum, qua donum, donatore ſuo inferius ſeu minus eſſe oportet:* ſiquidem de vero & principali donatore loquamur. Quare & Chriſtum Deo patre ſuo hoc reſpectu minorem eſſe oportet. Hæc adeo h) clara & perſpicua ſunt, ut, qui ea negare velit, haud immerito cum omni ratione & veritate

a) *Loquitur de δώσει, quæ fit per gratiam, non quæ fit per naturam. Sermo enim eſt, de operibus miſericordiæ.*

Forma dat eſſe rei, non tamen excellentior eſt reipſa. Sol dat lucem homini, non tamen præſtantior eſt homine.

Auguſt. L. III. c. Max. c. 24. Beatius eſt dare &c. ſed in hac vita, ubi inopia eſt, qua utique melior eſt copia.

Bellarm. Beatius eſt dare, quando, qui recipit, eſt in potentia ad recipiendum, & proinde eſt indigens & imperfectus. Filius Dei ſic accipit vitam, ut tamen nunquam fuerit non vivens &c. Accepit enim naſcendo: ab æterno autem natus eſt, & perfectus natus eſt.

Pater genuit filium exiſtentem. Genuit enim talem, qualis ipſe erat. Epiph. hær. 69. Schr.

b) Πρωτεῖαν, non eminentiam, quæ præſtantiam ex uſu loquendi dignitatis denotat.

c) *At inæqualitas officii non tollit æqualitatem perſonarum. Ratio: cum, quia σχέσις officii eſt externa, ideoque rationis tantum relatio; tum, quia quod fit per œconomiam, non minuit naturam ſed commendat gratiam.* Schr.

d) *Quod nectit, ipſe ſolvit.* Schr.

e) *κατά τι puta, ratione officii οἰκονομικῶς ſuſcepti.* Schr.

f) *Dubito: Poteſt enim Cæſar pro Comite intercedere apud Comitem; An inferior* (eſt) *Comite?* Schr.

g) *Falſum, quia quis ſeipſum donare poteſt. Nihil eſt tam tuum, quam tu, inquit Auguſtinus. Sic tota Trinitus donat ſe fruendam beatis.* Schr.

h) *Vt quid horum perſpicuum ſit, ἀπρoσδιόνυσον tamen eſt.* Schr. De œconomia enim conſilii divini communis, ſeu pacti inter patrem & filium quoque initi, Zach. VI. 13.

ritate quaſi bellum gerere velle dicendus ſit. Accedit, quod ex regula theologica, a) *filius agit per ſe, ſed non a ſe: pater vero, & per ſe, & a ſe agit.* Hæc vero omnia quomodo cum verbis Athanaſii: In trinitate nihil majus aut minus eſt, ſtare & conciliari poſſint, b) nondum video. Qui poteſt, quantum poteſt, *conciliet*, c) aut ſi conciliari non poſſunt, alteram partem falſam ſolide refutet. Vlterius dicit Athanas. totæ tres perſonæ ſunt ſibi coæternæ. Si hoc verum eſt, d) quomodo ſupra dixit, *non tres æternos, ſed unum æternum eſſe?* e) Si unus æternus, quomodo perſonæ ſibi ſunt coæternæ? aut, ſi ſunt coæternæ, quomodo unus tantum eſt æternus? an fortasſis tres perſonæ ſunt una perſona? f) aut *idem ſibi ipſi coæternum?* g) Annon tres ſunt perſonæ, quarum quælibet eſt æterna juxta Athanas. æternus pater, æternus filius, æternus Spiritus S. Jam h) ſi res ita ſe habet in prædicatione, ut ſe habet in eſſe, (quod omnes veriſſimum eſſe fatentur) i] cur, ſi ſunt tres perſonæ, quarum quælibet æterna, & ſi, ut ipſe loquitur, propterea ſibi ſunt coæternæ, non tres erunt æterni? quomodo unus

Mmm mmm 2 tan-

hic ſermo, atque eatenus pacificator ſeu μεσίτης judice inferior cenſetur: ita tamen, ut naturæ perfectioni & dignitati nihil derogetur.

a) *Idem docet Athanaſius, ubi dicit: Pater eſt a nullo. Filius eſt a Patre.* Schr.

b) Diſtinguatur *dependentia* ab *origine*, *terminus* ab *effectu*, *communicatio ejusdem numero eſſentiæ infinitæ*, quæ nec majus nec minus admittit, *& ſpeciei*, quæ in multiplicabilibus tantum locum habet, ac denique perſona non confundatur cum eſſentia, quarum hæc non habet originem, ſed illa, per generationem, & ſic gignendo eandem eſſentiam infinitam, infinito quodam modo communicatam, habens, & conciliatio in animo verbo Dei credente, neque ſe di- divina penitus intelligere faſſo, proclivis erit. Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω.

c) *Pulcherrime conciliantur omnia.* Schr.

d) *Recte dicitur, perſonæ ſunt coæternæ; cum quia nomen coæternæ eſt relativum, tum quia eſt adjectivum Non autem recte dicitur, tres æterni; cum quia nomen æterni eſt abſolutum, tum quia fungitur vice ſubſtantivi, & perinde valet ac neutrum: Tria æterna. Reg. Subſtantivum non poteſt Deo tribui in plurali ſine præjudicio unius eſſentiæ.* Schr. At ſi dicatur: Tres ſunt perſonæ æternæ perinde eſt, ac ſi tres eſſe perſonas, quæ habent unam æternam eſſentiam, affirmes.

e) *Vnus eſt æternus, quia una tantum in Deo æternitas: tres perſonæ coæternæ, quia ſingulæ earum per illam unam æternitatem æterna eſt.* Schr. Eſt enim una eſſentia infinita, æterna, & in tribus perſonis talis eſt ac manet.

f) Neutiquam; Sed unam communem eſſentiam numero eandem habentes, quæ æterna eſt.

g) Neque hoc conſequitur, quia de una eſſentia ſermo eſt. Perſonæ autem non ſunt eædem h. e. inter ſe ſunt revera diſtinctæ, ſed communem eſſentiam habentes. *Tres unum ſunt* ait *Johannes*, & *Chriſtus* ipſe multoties de ſe & Patre loquitur.

h) *Regula bona, accommodatio mala.* Schr.

i) *Ratio manifeſta eſt; Quia una eſt tantum æternitas, ſicut una eſt Deitas, a qua quælibet perſona habet, ut ſit æterna, ſicuti eſt Deus: Vnde licet unaquæque perſona poſſit dici*

tantum æternus? an *tres personæ æternæ* a) *non sunt tres æterni, vel tria æterna?* an vero tres personæ non sunt tres personæ, sed vel una persona, vel nihil, vel nuda nomina? omnia absurda. b) Sed regeret quis: Sic pari ratione culpandum, quod dixerit infra Athanas. æqualis patri secundum Divinitatem, cum æqualitas sit inter duo vel duos, ipse autem supra dixerit, c) unam esse Divinitatem patris & filii. Ad quod respondeo, si vere, proprie & exacte loqui velimus, sique *Athanasii superior de una patris & filii Deitate assertio sarta tecta manere debet, phrasin hanc posteriorem subsistere prorsus non posse:* Cum omnis æqualitas semper vel ad minimum sit inter duo, vel duas res, inter duos d) vel duas personas. Cum autem filius hic dicatur patri æqualis, non secundum personam, quæ duplex (alia enim est persona patris, alia filii, ut supra dixit) sed secundum Divinitatem, quæ una est numero & simplicissima, e) *non æqualis, sed idem patri, vel cum patre* dicendus est, f) nisi obscure, improprie & nimis καταχρηστικῶς loquendo, infirmis scandalum, hostibus autem nostris nos & nostra ridendi & sugillandi occasionem subministrare velimus. Quanquam hæc exceptio nihil etiam ad rem facit. Sicut enim, quia una est Divinitas, non possum dicere, g) hæc persona est alteri quoad Divinitatem æqualis: ita, quia præter Essentiam æternam, juxta Athanas. plures, nimirum tres personæ h) sunt æternæ, optime & citra ἀκυρολογίαν dicere possum, i) *plures*

æterna, & tres personæ possint dici coæternæ, quatenus habent eandem numero Deitatem; attamen tres æterni non possunt dici: sicut nec tres Dii, etsi ὁμοούσιοι dici possint. Schr.

a) *Non sunt: quia non est nisi una numero æternitas, per quam quælibet est æterna.* Schr.

b) *Sed quæ ex iis, quæ Athanasius proponit, neutiquam consequuntur.* Schr.

c) *At non dixit; Vnam esse personam: Sed; Alia est persona Patris, alia Filii, alia Sp. Sancti.* Schr.

d. *Quos vides & audis, ubi Athanasius, Patri Filium æqualem esse, dicit.* Schr.

e) *Quasi vero hæc inter se pugnent; Esse idem cum Patre, & esse, æqualem Patri: Immo vero quo major identitas seu unitas, eo major seu exquisitior æqualitas. Quippe unitas similitudinis & æqualitatis est fundamentum.* Schr.

f) *Inanis formido.* Schr.

g) *Quid obstat? An forte unitas numerica non potest esse fundamentum æqualitatis, specifica potest? Annon potest idem sibi ipsi dici semper similis & æqualis? Quanto magis alter alteri?* Schr. Si habeant ambo unam eandemque essentiam.

h) *Sunt coæternæ, non æternæ.* Schr. Immo vero etiam æternæ, perinde ut omnipotentes, quia communis est tribus essentia una æterna, ita ut tres eam sine multiplicatione habeant & tamen in tribus personis eadem existat æqualiter, immo unissime, ut ita loquar, una.

i) *Si maxime dixisset Tres personas æternas, non tamen tres æterni essent dicendi, quia fieret μετάβασις ab adjectivo ad id, quod habet rationem substantivi:* Schr.

res uno tres videlicet esse *æternos*, a) *vel sibi invicem coæternos*, & sic non unum esse æternum b) Si quis ulterius objiciat, hac ratione ipsum Paulum reprehendi, ut qui idem dicat Philipp. 2., Christum non rapinam arbitratum, se esse æqualem, vel æqualia Deo (ut in græco legitur, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ) quod Athanas. dixit: æqualis patri secundum Divinitatem. Sed respondeo, verba illa, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, eadem vel æquipollentia esse cum illis: in forma Dei esse, fatentibus omnibus Theologis, eaque a viris minime suspectis, Ambrosio, Erasmo, Luca Osiandro, Christiano Sledano, *ad Christum qua hominem, sive secundum humanam* c) naturam referri, id quod etiam ratio solidissima & invicta suadet, quam mox referam, quæ, si solide ab aliquo diluetur, *una ego litura* d) *omnia, quæ hoc loco scripsi, expungere paratissimus sum.* Obiter hic & in transcursu dico, vocem latinam æqualis, & græcam ἴσος, pro *simili* e) etiam accipi, apud omnes probatos auctores notissimum esse. Consulat, qui velit thesauros utriusque linguæ, & vera me dixisse comperiet. Ratio invicta est hæc, quod Apostolus dicit, *illud* φρόνημα, illum sensum vel affectum, qui fuit in Christo, f) quod videlicet in forma Dei, ac proinde æqualis vel similis fuit: illum, inquam, sensum vel affectum Christum permovisse. & hoc in ipso effecisse, ut se ut in sequentibus ait Apostolus, exinanierit, „ dass er sich hat geeussert, pro-" ut Luth. vertit, *nehmblich* der Gœttlichen gestalt, g) dass er sich hat zu nicht gemacht oder ausgelæret, juxta latinam & Piscatoris versionem. Quid autem, quæso, magis absurdum, ut lenissime dicam, quam de *Deo* (cujus majestas adoranda est, & tremenda) dicere, h) *quod naturam seu Essentiam suam Divinam pro rapina vel rapto non habuerit*, (quasi unquam vel factum fuerit, vel fieri potuerit, i) ut pro rapina

 eam

a) *Eadem est ratio de tribus coæternis.* Schr.

b) Quidni? Vnum in neutro genere. Est enim una plurium seu trium essentia.

c) *Atqui Christus secundum humanam naturam non potest dici æqualis Deo Si qui igitur referunt* (ad eam.) *illis æqualem esse, idem est, quod æqualem gloriam cum Deo habere. Ita vero receditur a littera.* Schr.

d) *Ingens pollicitatio.* Schr.

e) *At non hoc loco: Opponitur enim non dissimili sed humili, & postmodum exaltationi.* Schr.

f) *Immo vero affectus humilitatis & in humilitate obediendi Patri: ut patet ex antecedd. & conseqq.*

g) *Non forma, sed magnifica illius ostensione in & per assumptam humanam naturam se exinanivit.* Schr. Ambiguitas nominis *forma* quicquid hoc est obscurat, & evoluta dilucidat. Ipse certe Apostolus vocabulo hoc μορφὴ utitur, quæ formam non tam internam quam externam denotat.

h) *Non hoc absurdum: Quia, pro rapina formam Dei seu æqualitatem cum Deo non habere, hic idem est, quod se non magnifice ostentare more eorum, qui Divinitatem sibi rapiunt, seu qui Dii esse volunt* Schr.

i) *Etsi proprie pro rapina eum habere non potuit, potuit tamen more eorum, qui pro rapina habent, magnifice se in assumpta natura o-*

eam haberet) ideo ſe exinanierit, vel evacuarit, cum hoc non tantum ipſum non decuerit facere, ſed etiam *nulla ratione fieri potuerit*, ut altisſimus omniumque rerum ſupremus Dominus ſe exinaniret, a) ſiquidem Deus ſe (proprie loquendo & vere) neque humiliare, b) neque exaltare poteſt. Sin autem de Chriſto ſecundum naturam humanam explicemus, (quod prædicti viri citra conſcientiæ ſcrupulum fecere) omnia erunt plana & pulcherrima: quod nimirum *Chriſtus, qua homo,* c) *cum in forma Dei eſſet,* quatenus, in corpore humano obambulans, magna edidit argumenta majeſtatis ſibi ſecundum carnem communicatæ, *leproſos nimirum mundando, cæcis viſum, ſurdis auditum reſtituendo, morbos curando, mortuos excitando.* Breviter: quatenus docuit *velut poteſtatem habens,* d) non ſicut Scribæ & Phariſæi, eandemque doctrinam ſtupendis miraculis confirmavit, hanc ſuam majeſtatem aliis, nempe diſcipulis, demonſtravit, & propterea a pluribus adoratus fuit: cum, inquam, ſic ſecundum carnem eſſet in forma Dei, ac proinde æqualis *vel* e) *ſimilis* Deo (quatenus homines ad hunc hominem Jeſum in neceſſitatibus ſuis, velut ad Deum ipſum, confugerunt) illud f) ipſum pro rapina non eſt arbitratus, id eſt, illam carnis g) ſuæ gloriam & æqualitatem cum Deo (ut Oſiander explicat) non tam arcte, ſtricte, & firmiter retinuit, aut eam h) *non ambitioſe & ſuperbe oſtentavit*

ſtentare; quod non fecit, ſed (ſe) *exinanivit.* Schr.

a) *Quid obſtat? 1) ſi intelligatur* κατ' οἰκονομίαν *agere: 2) ſi intelligatur non forma Dei ſe exinaniiſſe, ſed formæ illius* (majeſtatis) *magnifica oſtenſione; ſaltem in aſſumpta natura.* Schr.

b) *Quærendum: Quid dicat proprie humiliare aut exaltare? Nam & ipſe ſupra agnoſcit* οἰκονομίαν *liberam.* Schr.

c) *Chriſtus, qua homo, nunquam erat in forma Dei, ita, ut eſſet æqualis Deo; Sed potius inde a Virginis utero erat in forma ſervi, quæ formæ Dei opponitur.* Schr. In forma quidem Dei fuiſſe Chriſtum hominem *Paullus* ait, ſed *poſſesſionem* majeſtatis communicatæ his verbis deſignat, & ab *uſu plenario* diſtinguit. Sic forte rectius reſpondetur, quam ſi prorſus neges, in forma Dei, qua hominem, fuiſſe. *Peuſchelius* enim de forma Dei finita & potentia eximia, ejusdemque etiam uſu, uti ſequentia docent, loquitur, cum *Paullus* de infinita, ſed ex unione perſonali deducenda, qua ordinarie uſus non ſit, ſermocinetur. Ita quoque æqualitas illa, ſeu τὸ εἶναι h. e. *adeſſe* communicataque eſſe ἴσα θεῷ, explicata nodum omnem commodius ſolvet, & quicquid ambigui eſt, evolvet.

d) *Non erat hoc in forma Dei eſſe: ſiquidem per iſtud non erat æqualis Deo: Sed formam Dei particulariter & fruſtillatim, ceu radiis quibusdam, exerere.* Schr.

e) *De ſimili ſupra dictum.* Schr.

f) *Immo, antequam horum quicquam faceret eive accideret, erat in forma Dei, & non duxit pro rapina æqualem eſſe Deo.* Schr.

g) *Non quam habebat, ſed quam habere poterat, ſi filius Dei majeſtatem ſuam per carnem voluiſſet exerere.* Schr.

h) *Optime.* Schr.

tavit, quemadmodum raptores cum præda ſua facere ſolent: Sed eam pro gratuito Dei dono agnovit, &, poſtquam Deo placuit, ſponte ſe ea gloria a) abdicavit, *eam quaſi depoſuit*, *&* ita ſe geſſit, ac ſi eam non haberea, quod expimit Apoſtolus illis verbis, ſed exinanivit ſe, aſſumens formam ſervi, id eſt, *habitum* b) *& conditionem ſervilem* (non humanam naturam: de *Jeſu Chriſto* c) enim loquitur, quod nomen ipſi ut Mediatori, eoque homini jam nato & facto competit) *dum ſe ut mancipium* (quid autem hoc vilius & abjectius?) tempore paſſionis d) tractari, id eſt accuſari, conſpui, cædi, ludibrio haberi, flagellari, crucifigi &c. permiſit, ita quidem, ut tum temporis nullum inter ipſum & alium quemvis viliſſimum & abjectiſſimum hominem diſcrimen apparuerit: quod Apoſtolus exprimit illis, factus in ſimilitudinem hominum, e) & ſchemate inventus ut homo, *non quod tum factus homo ſit, ſed quod is, qui jam homo erat, ſed omnium præſtantiſſimus propter majeſtatem communicatam* f) *& unionem cum Deo, ſit factus velut alius abjectus & vilis homo*, quemadmodum vox homo in ſacris ita uſurpatur Pſ. 82. Ego dixi, Dii eſtis &c. ſed moriemini, ut homo, id eſt, quia vos, qui eſtis filii altiſſimi, iccirco hoc munere divino abutimini, ideo moriemini, ut homo, ita ut nullum in morte, inter alios communes g) & viles homines, ac vos altiſſimi filios, diſcrimen ſit futurum. Sic Samſon inquit ad Delilam: Si crines mei promiſſi & prolixi mihi demerentur, forem ſicut cæteri homines, Jud. 16. v. 17. non quod tum homo futurus eſſet, ſed quod is, qui jam homo erat, ſed aliis longe excellentior,

a) *Scil. in aſſumta natura, per quam illam noluit exerere: nam in divina natura formam retinuit Dei, ut docet participium* ὑπάρχων, (immo etiam in humana, qua poſſeſſionem & habere.) *Proprie tamen non depoſuit; cum quia, ut Deus, operabatur æqualiter patri Jo. V. tum quia in aſſumta natura non habuit*, (ſcil. ut actu ſecundo exeruerit plenarie, habuiſſe enim εἰς κτῆσιν, quis neget?) Schr.

b) *Agnoſco.* Schr. Germ. dixeris Aufführung. Hoc ipſo vero fatendum eſt, de majeſtatis χρήσει & κτήσει heic agi, non de æqualitate naturæ. Etſi in humana natura æqualis Deo Patri filius habitarit; cui alias ἴσα θεῷ communicari non potuiſſent.

c) *Agnoſco.* Schr.

d) *Extremus* gradus, ipſo Paullo quoque hæc docente, ἕως &c. talis tantusque conceditur, ſed ideo *præcedens ſtatus ſervilis per omnem vitam*, ut ſolent *Sociniani*, & *Peuſchelius* huc etiam his verbis ſpectat, non negandus eſt.

e) *Immo vero, quando homo factus eſt, factus eſt in ſimilitudinem hominum.* Schr. Ex priori nota hæc dilucidanda ſunt.

f) *Habere majeſtatem communicatam, & Deo unitum eſſe, non pugnant cum ſimilitudine hominum, ſed uſurpare & præ ſe ferre majeſtatem.* Schr.

g) Ita rectius hic locus explicatur, quam ſi ad vilitatem reſpici dicas, neque enim viles tantum, ſed & honoratiores homines, ut homines moriuntur; Ac proinde locus iſte Pſalmi parum in præſenti argumento probat.

cellentior, raſo ſuo capite, futurus eſſet, ut alius quivis communis a) & abjectus homo, explicante ita hæc verba D. b) Kœnig. in prælect. in cap. I. ad Hebr. Pro confirmatione explicationis illorum verborum facit, quod *æqualitas iſta talis fuit, quam Chriſtus deponere, & qua ſe ipſum ad tempus privare potuit.* At Deus tantus, quantus eſt, *non eſſe* nullo modo c) poteſt: alioqui Deus eſſe deſineret. Pro tota explicatione facit, quod nos ad humilitatem hortatur argumento ſalutaris effectus, *qui in ipſo Chriſto conſpiciatur*, & proinde *non agit hic Apoſtolus de humiliatione τοῦ λόγου, qua pure Deus eſt*, d) ſed de ea tantum, quæ ipſi ut homini competit, ut quæ ſola & *vera*, & nobis *conſpicua*, & per ſe *imitabilis* ſit, cum contra neque Deus, qua talis, proprie ac vere e) humiliare ſe poſſit, (utpote per *naturam* f) *altisſimus & immutabilis*) neque nos exemplum illud Dei vere conſpicere vereque imitari ullo modo poſſimus. Et hanc ſane humilitatem per *partes & gradus poſtea ita deſcribit, ut Deo tribui non poſſit*, præſertim cum tandem quoque divinum ejusdem *præmium exprimatur*, quod in Deum nullo modo cadit. g) Videantur Zanch. Piſcator, præſertim in ſcholiis ad cap. 2. Philipp., Eraſm. Roter., Lutherus, Chemnit., Oſiand., Hunn. & alii Augu-

a) Neque hic locus, quod inſtituit *Peuſchelius*, comprobat, quia de *potentia* communi & *ordinaria virium corporis* utique, ſed non de vili homine loquitur, & præterea, viliſſimos ſæpe homines robuſtiores eſſe excellentiſſimis aliis quibusque, ſatis compertum eſt.

b) *Si Dnus. König* (Prof. Theol. Altorph.) *ita loquitur, dextre eſt explicandum: Scil. deponere eam potuit non ſimpliciter* (ſic enim etiam unio perſonalis ſolvenda fuiſſet,) ſed *κατά τι, non ratione κτήσεως, ſed ratione χρήσεως.* Schr.

c) *Poteſt tamen eſſe, ubi majeſtatem ſuam non exerat, aut manifeſtet.* Schr. Scilicet per humanam naturam. Hoc enim liberrimum Chriſto erat, & ad œconomiæ redemtionis noſtræ rationes accommodatum.

d) *Aſſentior. Loquitur non de humiliatione incarnationis, ſed paſſionis.* Schr. Addo: Et ſervilis conditionis, qua inde ab incarnatione ad paſſionem usque & mortem cum ſepultura humilitas illa continuata fuit. Quod monere viſum eſt, ne videretur a b. *Schrœdero* his verbis, in *ſola* paſſione extrema humiliationem illam locum habere, (quæ faſtigium utique ſummum aut imum potius gradum continebat,) concedi.

e) *Quid igitur συγκατάβασις? Quid ἀνθρωποπάθεια? Quid Dei miſeratio? Quid quod ſe a Jacobo paſſus eſt vinci?* Schr. Nobis videtur *Peuſchelius* de interna abdicatione loqui.

f) *Voluntaria diſpenſatio, non eſt naturæ proſcriptio.* Schr.

g) Facile hæc conceduntur. Sed quid inde exſculpere velit *Peuſchelius*, non videmus. Certe divinitati Chriſti, ad quam oppugnandam, & ipſum myſterium Trinitatis evertendum, ea in medium adduxit, nihil id obſtat, ut potius habere majeſtatem Dei, qua non uſus ſit perpetuo Chriſtus, (ut homo,) in ipſo *plenitudinem Deitatis*, qua æqualis Patri fuit & adhuc eſt, etiam quantum ad eſſentiam, non gloriam tantum, habitare perſonaliter, efficaciſſi-

Augustanæ confessionis Theologi. Sed longius fortassis, quam debui, evagatus sum. a) Vnicum ex Athanasio restat, ubi dicit: *Deus ex substantia patris genitus.* Quæ phrasis ex substantia, ut impropria & admodum periculosa, ab iis *rejicitur*, b) qui plenis copiis contra Neo-Arianos scripsere, velut a Francis. Junio in scripto contra Gratianum, Alberto Grawero, quem *vide in 4ta disp. illustr. theolog. quæst. quæst.* 9. item D. Sohnio in exer. Aug. Confess. Keckerm. in systems. theo. Hæc, & alia plura brevitatis studio omissa, *me movent, ut facile cum Camerario, hoc symbolum non ab Athanasio, sed ab otioso monacho aliquo scriptum esse statuam*: c) vel bonum Athanasium tum temporis dormitasse, juxta illud: bonus quandoque dormitat Homerus. Nec proinde & ille nimis exagitandus, qui illud verbo Dei *non usquequaque conforme esse dicit*, d) & proinde pro fidei *regula* e) infallibili non statim agnoscit. Nec ingenii

Nnn nnn

me demonstratur; quoniam alioqui *talis tantaque*, ipsa, inquam, *infinita majestas*, ut haberet semper, &, quando vellet, etiam ut homo, uteretur, communicari non potuisset.

g) Ita est. Et quidem ita imprudenter, ut quemadmodum modo dictum est, sua hac ipsa digressione vineta cæderet.

b) *Non rejicienda, sed dextre explicanda erat. Cum enim ita loquuntur Patres, nihil aliud significare volunt, quam Filium Patri esse consubstantialem, & ab eo productum, seu esse consubstantialiter ab eo productum.* Schr. Alii malunt dicere, *de substantia* Patris. Est enim in hac phrasi ambiguitas delitescens. Non docemus, quod Deus Pater ex substantia, tanquam ex materia, genuerit filium: Sed rectius dicitur, Pater *in essentiæ unitate* genuit filium, persona personam. Si autem improprie sumatur terminus ille, *ex substantia*, non, ut ponatur aliqua materia, cum Deus sit immateriatus; Sed potius, ut excludatur materialis, (generatio) admitti potest. Ita *Grawerus*, præceptor *Peuschelii* & monitor perfrequens, in *Examin. Sophist. Photin.*, *sigillatim*, & *Polem. Sacr.* f. 361. Vnde quoque, non simpliciter ab eo rejici hanc phrasin, uti p. p. asseritur, elucet.

c) *Symboli Athanasiani autorem statuit otiosum monachum.* Schr. Nescio, an per admirationem, an indignationem. Vtut sit, supra tamen hæc in *Camerarium* sparsa calumnia jam fuit eversa ac diluta. Vtrum vero *Athanasius* ipse id, uti nunc quidem habetur, composuerit, an recentiori cuidam sive *monacho*, sive *Episcopo*, nominatim *Eusebio Vercellensi, Anastasio, Athanasio Spirensi, Vigilio Tapsensi, Vincentio Lirinensi*, aut cuicunque tandem alii, *Gallo* homini vel *Hispano*, acceptum sit ferendum, cum *Tenzelio* nostro aliisque disputari poterit, quoad volupe erit. Nobis non de vocabulis, vel auctore compositionis, sed sententia diviniori h. l. agendum est, præsertim postquam universa Ecclesia suo assensu Symbolum hoc tesseræ instar sanctæ approbavit.

d) Immo est exagitandus, h. e. ut hæreseos sive auctor sive fautor notandus, si quis dogmata ipsa aggrediatur, ut impugnet atque neget, quæ divina sunt, a symboli hujus auctore compendiose repetita, brevique idea distincte, qua formam etiam loquendi saniorem, explanata, atque circumscripta.

e) *Symbolum Athanasii nobis est regula non infallibilis & primaria, sed regulata & secundaria.* Schr.

genii petulantia eſt, ſed vera *prudentia ſerpentina cum columbina ſimplicitate conjuncta*, ſi quis non omnia indiſcriminatim pro fidei articulis, & iis, quæ neceſſario credenda ſunt, recipit: Sed inſtituto ad lydium ſcripturæ lapidem examine a) & proba diligenti, omnia juxta Apoſtoli præceptum probat, quod bonum eſt, retinet. Hoc ipſum Lutherani Calvinianis in articulo de perſona Chriſti & ubiquitate, & hi vicisſim illis in articulo de prædeſtinatione, (quod Beza Caſtellioni fecit,) & Pontificii his utriusque in articulo de tranſubſtantiatione, Miſſa & aliis ſuis ineptiis objiciunt, nec tamen Evangelici hoc agnoſcunt, vel, ut agnoſcant, neceſſe habent. Nec ulla major *peſtis eſt in Eccleſia & doctrina, quam quid pro quo* b) *inter fidei articulos recipere.* Et hæc hoc loco ſufficiant.

Quæſtio II.

An in unica, æterna & indiviſa Dei eſſentia tres diſtinctæ ſint perſonæ?

Reſp.

Ad hanc etiam in litteris generalibus reſpondi. Nunc addo, variare hic in delectu c) argumentorum theologos, & ſæpius *mutuo vineta cædere*, & ita non levem altius inquirendi & dubitandi cauſam præbere. Exempli gratia, illud Gen. I. Creavit Dii &c. Hunnius vocat *illuſtris-*

a) *Ad quod examen hic homo aptior non eſt, quam aſinus ad lyram. Requiritur enim ad hanc rem maturitas judicii, quæ in illo non eſt.* Schr. Ætas ad judicandum de divinis myſteriis parum confert aut refert. Νήπιοι enim, naturalem quoque annorum maturitatem nondum aſſecuti, ſæpe aptiores ſunt viris ſapientia humana, quales Judæorum magiſtri fuerant, turgentes. Rectius igitur forte objecta eſſet, quod eventus etiam comprobavit, quam maxime obfuiſſe bono *Peuſchelio præjudicatarum* ex novaturienti animo *opinionum ſtudium*, ab eo, qui examen pie & cum *obſequio fidei* ſimplici, modeſte verbo Dei præbendo, inſtituere, rationemque ferocientem coercere velit, abdicandum, aut certe tantiſper ſeponendum. Sed utraque forte cauſſa, quo minus veritatem noſter aſſecutus eſſet, multum licet in examine hoc operæ ſibi poſuiſſe viſus, prohibuit, quam præter eum, quem *Paullus* de occœcatione alibi 2. Cor. IV. 4. accuſat, animi perverſitatem *corruptorum* χρηστολογία mirifice promovit.

b) Recte, ſi hominum auctoritate ſola id fiat; Aliter vero ſentiendum eſt, ſi Scripturæ & Sp. S. effata pro fundamento ſubſternantur. Idque cum inter nos atque *Socinianos* ſit, quod diſputetur, procaci *ore*, *quid pro quo* inter fidei articulos a nobis recipi, affirmatur.

c) *Manifeſtum eſt, non eſſe vim parem in omnibus dictis: ideoque & inde deductis argumentis. Quædam ſunt primaria, quædam ſecundaria. Quædam ἀποδεικτικά, quædam ἔνδοξα. Quædam demonſtrantia, quædam illuſtrantia. Quædam οἰκεῖα, quædam accommodatitia.* Schr. Prudentia igitur opus eſt, ne iisdem ſemper armis pari modo rem confici putes, & veritatem ipſam ludibrio exponas.

lustrissimum a) Trinitatis testimonium, quo Christiani interpretes usi sint. Calvinus & Paræus plane, ut violentum & periculosum, repudiant. Et *Hunnium non potuisse ex patribus* b) *adducere unum, qui illo usus fuerit, testatur & gloriatur Paræus in Comment.* in Genes. Nam quod *Lombardum* adducit, nihil ad rem facit. Et Paræus dicto loco omnes rationes pro & contra adducit, & negativam suam pro virili confirmat. Sic locum 1 Joh. 5., quem principem constituunt, Lutherus, ut & *Latina versio vetus*, nec Syrus c) habent. Nec legitur ab Athanas. d) Nazianz. Didymo, Chrysost. Cyrillo, August. Hilar. Be-

 da.

a) ὑπερβολικῶς: *Si vera hic narrat.* Schr. Benigne de Præceptore olim & hospite suo ita judicat *Schrœderus*. Nobis ne illustre quidem id semper visum est, & quoties de ejusmodi argumentis, Ebrææ linguæ indolem sæpe posthabentibus, pugnatur, toties mihi præclara *G. Calixti Dissertatio, de S. Trinit. mysterio* A. 1645. Respondente *Joh. Latermanno* proposita, in mentem venit, in qua, quid de ejusmodi ex V. T. desumtis ratiociniis habendum sit, accurate edisseruit: quæ Filius quoque *Frid. Vlricus*, ab aliis impugnata & lacessita, mascule defendit. Eamque hac quoque occasione data L. B., quicquid aliis videatur, commendamus.

b) *Quid tum? Non sequitur, Patres non usurparunt, ergo argumentum nihili est?* Schr. Forte & ratio facile reddi potest; quia Patres, uno alteroque forte excepto, nec Hebraica intellexerunt, ex cujus linguæ constructione isthæc petita sunt.

c) *At Syri & Arabes legunt: Hi tres Pha de num in unum sunt.* Schr. In quibus partim, fateor, quid illud *Pha de num* sibi velit, me non intelligere, partim etiam falsum esse, quod de lectione hujus loci in utraque versione testatur. Neque enim in codice ullo, sive MSto sive impresso, ante se eum reperiri, palam & candide profitentur tam *Guthierius*, quam *Schaafius*: quorum tamen uterque ex *Tremellii* editione, ubi ad marginem adscriptus erat, suis eum exemplaribus inseruerunt, idque in additis *Var. Lect.* ad h. l. ipsimet annotarunt. Auctoritati vero hujus insignis testimonii nihil exinde decedit, quoniam utraque versio, secus, quam vulgo existimatur, recentiorem ætatem prodit, &, ut sileam, Nestoriani hominis vestigia in priori occurrere, mentionem autem ejus vix ante sec. sextum reperiri, ita porro *Arabicam* translationem ex *Syriaca* demum adornatam, utramque vero ex mutilatis Codd. depromtam esse, luculenter patet, atque inter Philologos satis constat. Ac proinde parum hæ versiones Socinianos juvant, nec nostris magnopere, si locum exhiberent, prodessent.

d) *Athanasius L. I ad Theophil de unita Deitate legit. Cyprianus in Lib. de Vnit. Eccl. legit. Hieronym. in Præf. Epist. Canonic. diserte dicit: In Græco haberi, sed a Latinis interpretibus esse omissa. Complutensis editio, & alia probatæ fidei exemplaria legunt.* Schr. Quæ citavit b. *Schrœderus* ex Patribus testimonia, excepto *Cypriano*, (cujus, quamvis etiam Libell. *de Vnitate Eccles* videatur alicubi interpolatus, ideo tamen maximæ auctoritatis est hujus loci allegatio, quia & *Fulgentius* ad eum provocat,) tanti non sunt, ut adversario pervicaci Criticesque perito artis satisfacere possint. Ambo enim *Athanasii* scripta, in quibus hæc verba inveniuntur adducta, quorum alterum duntaxat nominavit *Schrœderus*, alterum vero *Disp. est in Conc. Nicæn. cum Ario instituta*, pro ὑποβολιμαίοις omnium fere consensu haberi constat. De *Hieronymi* autem *Præf. in Epist. Canon.* quæ disputantur,

da. Erasmus, Calvinus, Beza, Hemming. unum *non ad essentiam, sed* a) *ad testimonii unitatem* b) referunt, prout tres testes in terra unum esse dicuntur. Memini disputationis, ubi rogabatur, ut ex baptismo Christi Matth. 3. quem locum Theologi pro palmario agnoscunt, probaretur Trinitas, id autem tum temporis, neque a præside, c) neque a respondente fieri potuit, & respondens quidem aperte professus est, quod

ejusmodi sunt, ut, licet, quod liquido etiam ostendit en *Dissert. critique sur le verset 7. du chap. V. de la 1. Ep. de S. Jean Ms. Martin* adversus *R. Simonium*, multo sint firmiores rationes pro ejus ingenuitate, propter stylum ab *Erasmo* & *Socino* etiam agnita, quam νοθεία, tamen non multum ei confidendum videatur; Quanquam etiam his dubiæ fidei testibus ne quidem opus sit, cum fundamentis multo pluribus & solidioribus, præter *Cypriani* istam citationem, hunc ipsum locum genuinum esse, ab aliis, v. g. *J. Gerbardo* nostro, J.H. *Majo* Sen., & plenissime a F. E. *Kettnero*, (qui & rationes, cur Patres Sec. priorum IV. eum non produxerint in medium, reddidit) a Cl. J. Laur. *Mosheim* autem compendiosissime, itemque a Dav. *Martinio* & similibus evictum sit, exemplaribus etiam MSctis tam Gr. quam Lat. jam multo pluribus, quam ab initio renatarum litterarum, eadem sententia confirmatior habeatur. Mihi fortissimum omnium pro hujus loci αὐθεντίᾳ illud videtur esse probandi robur, quod Catholicis h. e. orthodoxis, uti nec opus habuere malis hisce artibus, nunquam corruptio codicis sacri legitur imputata; hæretici autem, & nominatim *S. Trinit. hostes Artemonitæ*, jam Sec. II. inclinato hujus impietatis & insimulati, &, teste *Euseb.* H. E L. V. c 28. etiam, cum ignominia, convicti sunt.

a) *Argumentum tamen manet : Si filius est testis divinus E. Deus est. Antecedens probatur; Quia est testis in cælo: quia ibidem testimonium ejus vocatur testimonium Dei.* Schr. Mihi non videtur deserenda phrasis : *Vnum sunt.* Hanc enim & non aliam *Cyprian.* jam sua ætate in Cod. Sacro præ oculis habuit, & hodieq; eam paucissimis exceptis, iisdem non melioribus, eandem lectionem exemplaria fere omnia exhibent. Nec obstat, quod Joh. XVII. unitas fidelium talis, qualis Patris & filii sit, esse jubetur; Hæc enim comparatio, perinde ut Matth. V. ult. perfectio etiam fidelium atque patris, non tanquam in totum, sed *in tantum* talis, non ut æqualis, sed *ut similis* describitur, &, ut ejusmodi sit, præcipitur atque rogatur. De se & Patre contra aliter Christus : *Qui me videt*, inquiens, *videt & Patrem; Nihil potest operari Pater, quod non operatur & Filius &c.* itemque Joh. X. *Ego & Pater unum sumus* &c. Vnde quemadmodum necessario consequi, Christum esse Dei filium, atque adeo revera Deum, ipsi hostes Judæi agnoverunt: ita revera etiam Christus non refragaturus, sed ex operibus potius id confirmaturus vindiciis suis amplius verba sua l. c. explanavit: qui, si formula loquendi in calumniam rapta fuisset, procul dubio aliter calumniatoribus obviam ivisset.

b) *Sed temere : quia distincte loquitur Joh. de testibus in cælo, quos dicit esse unum, & testibus in terra, quos dicit esse in unum.* Schr. Certe præstantissimi codices hanc differentiam exacte tuentur, ita ut inter XV. exemplaria MScta, quibus usus est *Rob. Stephanus* in præclara illa ed. N.T. A. 1550. fol. non nisi unicum discrepantem, si citationi ad marginem adscriptæ fides habenda sit, (de qua sunt qui dubitant.) invenerit. Vtcunque vero ista citatio comparata sit, de qua *le Long.* in Bibl S. conferri potest, reliqua tamen MScta cum vulgari lectione, uti collectanea *Millii* atque *Küsteri* edocent, prorsus consentiunt pleraque.

c) *Sugillat præceptorem suum.* Schr. To-

quod a) non ex hoc loco ſolo, ſed juncto cum aliis, probatio ſumi poſſit. Quis non miretur? ſi enim hic *locus clariſſimus & primarius* ſolus b) non probat, quid alii obſcuriores & infirmiores efficient? D. Schop. in theſ. de Trinitate locum Gen. 18. de 3 viris Abrahamo viſis, pro *manifeſtisſima* c) *trinitatis patefactione* accipit. *Luth.* vero inquit: Quod ſi alia trinitatis probatio non eſſet, d) quam hæ tres ſpecies, ego ſane eam non crederem. Calvinus: Quod autem patres hinc trinitatis myſterium eliciunt, *frivolum eſt*, & ſannis calumniisque obnoxium. Auguſt. *de tribus angelis interpretatur.* Muſc. in comment. in Gen. ex profeſſo refutat, inquiens: *talia officia Abrahamum illis exhibuiſſe, quæ nemo Deo* e) *exhiberet, niſi inſanus.* Quod autem in ſingulari numero eos compellat, (in quo vis probationis Schopperianæ) id fieri, vel *quia ratione legationis* f) *unus erant, vel quia unus ex illis*

 a) *præ-*

ta hæc digreſſio ad Diſputationem ſupra toties memoratam de S. Trinit., præſide *Schoppero* & Reſpondente *Sauberto* habitam reſpicit, de qua nihil repetimus.

a) *Nec mirum, cum ſit articulus multimembris: qui non niſi operoſe inde demonſtrari poſſit.* Schr. De his ſimiliter jam ſupra plus ſatis dictum eſt.

b) *Si non probat omnia, probat tamen aliqua.* Schr.

c) *Loquitur de patefactione ad viſionem, non ad demonſtrationem.* Schr.

d) *Ita eſt, ut Lutherus ſcribit.* Schr. Cui & nos aſſentimur.

e) *Niſi in aſſumpto corpore apparenti.* Schr. Cujusmodi viſa vere divina non omnia ſane *Sociniani* negare poterunt, utut *de perſonis divinis* hactenus diſputatio ſeponatur.

f) *At quis unquam audivit, tres legatos compellari ſingulari numero?* Schr. Ego rectius & compendioſe magis reſpondendum exiſtimem, non propter legationis tribusque commune munus ſingulari numero interdum loqui *Abrahamum*, ſed quia unum inter eos, quacunque demum ex nota, præ cæteris, diviniori & Patriarchæ noto charactere, *eminere animadvertiſſet; cum* quo etiam pari modo parique de cauſſa colloquium, duobus jam longius progreſſis, poſt eorum diſceſſum, continuavit. Nam qui diſceſſerant, Angelos fuiſſe, *Lothum* deinceps inviſentes & e periculo liberantes, vix dubitari poteſt. Ac proinde, *typicum* licet hinc petere liceat (quæ qualia ſint, notum eſt, niſi Sp. S. ipſe typum explicet) pro S. Trinitate argumentum, ſed illuſtrans magis, quam probans; non tamen nimium urgendum videtur. Vtut de reliquo, Deum ipſum apparuiſſe, ex nomine divino ſatis clare colligi queat. Quod de *Abrahamo* tam promte adhibitum eſſe, tanto minus miramur, quoniam, apparitionibus hujusmodi divinis adſvetum fuiſſe, ex integra vitæ ejus hiſtoria ſatis ſuperque cognitum habemus. Paucis, ſi, quod ſentimus, candide pronunciandum ſit, cum b. *Hakſpanio* noſtro in *Not. Philol. in h. l.* ita nos ſentire profitemur: *In terminis hic Jehova apparuiſſe dicitur. Ergo divina fuit hæc apparitio, ſed non immediata, qualis erat Gen. XVII.* 1., *neque ſolum mediata, qualis Gen. XVI.* 12. *ſqq. per angelum facta; Sed mixta, ubi Deus ipſe Angelis ſe conjunxit.* Vnde ſimul, quantum ad Trinit. myſterium inde demonſtratum, robur argumentum hoc contineat, non obſcure patet. Quo ſi forte plane abſtinuiſſet *Schopperus*, ſatius

a) *præſtantior reliquis duobus*, quem Abrahamus compellarit: cum quo ſolo etiam, reliquis duobus Sodomam deſcendentibus, tanquam judice terræ, *utpote illius legato* b) loquitur Abraham. Et author ad Hebr. 13. cap. hoſpitalitatem commendaturus, utitur argumento hoc, quod quidam *inſcii angelos exceperint*, c) argumento alio & quidem fortiori uſurus, quod quidam filium Dei, vel totam trinitatem inſcii hoſpitio exceperint, ſi trinitas vel filius Dei hic affuiſſet. Plura Muſcul. in comment. ad h. l. Locus Eſ. 48. Dominus miſit me, & Spiritus ejus, pro inſigni teſtimonio habetur, qui tamen a *Zwinglio*, *Calvino*, *Vatablo*, *Gualth. Tremell. Bulling. Caſtellione* d) in bibliis, ita eſt explicatus, ut pro probanda trinitate nil quicquam amplius faciat. Summa reſponſionis ipſorum eſt, *quod ſit Enallage perſonarum*, e) & Propheta nunc in Dei ipſius perſona, nunc in propria perſona verba faciat, quæ perſonarum mutationes ex iis agnoſcuntur, quæ dicit is, qui loquens inducitur. v. 12.

fuiſſe, facile eſt exiſtimare. Cætera in alium locum rejicimus.

a) *Non præſtantior tantum, ſed & ipſe Jehova erat.* Schr. Bene, at quid inde pro S. Trinitate colligas? Pugnandum eſt firmioribus argumentis.

b) Hoc demonſtrandum, non affirmandum fuiſſet. Certe, coram Deo ſtetiſſe, & ſimul eum ipſum *Jehovam* allocutum eſſe *Abrahamum*, quando dicitur nullaque prorſus legationis nota vel per verbulum expreſſa eſt, plus & divinius quiddam in receſſu habet. Neque exempla aliorum legatorum, verba alibi nomine Dominorum facientium, huc quadrant, ubi aliæ notabiliores circumſtantiæ illuſtrius quid condocent. Quam Dei ipſius præſentis patefactionem ſingularem quando tuemur, non tamen, infirmitatem argumenti hujus pro S. Trinitate & nos agnoſcere, diſſimulamus.

c) Neque hoc argumentum *Peuſchelii* ſpernendum eſt. Quamvis enim ad Angelos, apud *Lotbum* divertentes, reſpici putes, illud tamen (præſertim ſi *numerum plurium* animo recte repute s,) hinc conſequitur, *pro S. Trinitate* inde non poſſe admodum firmam deduci demonſtrationem. Quod autem ſolorum angelorum mentio fit, non aliam procul dubio ob cauſſam factum eſt quam quia, ſepoſita hactenus divina, inter angelos comites, præſentia, de utroque *Paullus* loqui volebat exemplo, quorum tamen alterum, Gen. nempe XIX. deſcriptum, de divina ſingulari apparitione tacet.

d) *Non quæritur, quid ab iſtis ſit factum, ſed quid fieri debuerit.* Schr. In quo me conſentientem habet *Schrœderus.* Manifeſto enim de pluribus divina poteſtate præditis l. c. *Eſaiæ* ſermo eſt, atque hactenus ſua deducto inde argumento, pro perſona in Deo non una, vis conſtat indubia.

e) *At temere & ſine ratione cogente, quæ nulla hic affertur, non eſt decurrendum ad enallagas & figuras.* Schr. Neque etiam integra orationis ſeries, tametſi modo prophetam, modo Deum loqui concedas, id permittit, utpote quæ luculenter ſaltim *Deum & Spiritum Dei*, & non minus hunc quam illum, qui Deus antea, a Spiritu Dei (perſonaliter) diſtinctus, dicebatur, in eadem legatione divina (ſi vel maxime Meſſiam hic non ſermocinari fateamur,) occupatos conjungit.

12. & 13. Deus, v. 14. Propheta, v. 15. Deus, & mox ibidem mutatur persona, & v. 16. Propheta citata verba loquitur. Quod Vatablus interpres & Hebræus a) doctissimus ultro agnoscit. Nec hæc responsio & explicatio impudens *diaboli κυβεία est, & studium omnia incerta reddendi*, b) ut quidem ἀλόγως contra Christianam charitatem pronunciat. Negari enim non potest ab eo, qui mediocri diligentia in S. litteris versatus est, *hunc morem* c) *Spiritui S. usitatum, & non diaboli inventum esse.* Quem & doctissimi hebræi & jurati Arrianorum hostes agnoscunt, & recipiunt. Cum argumentis destituimur, d) ad convicia confugimus, sed *quid non facit desperatio?* e) Vide insignem locum Ps. 2., ubi a v. 1. usque ad 6. David, v. vero 6. Deus Pater, v. 7. filius loquens introducitur. Vide etiam biblia Castellionis & Vatabli in Esaiam. Summa: *Non argumentorum* f) *numero, sed pondere vincendum*, nec g) *loca, sed argumenta ex locis afferenda sunt*: ociose quidam congerunt loca, ubi Patris, Filii, & Spiritus S. fit mentio, quæ nemo, ne ipsi quidem adversarii, negat, sed *argumenta ex locis afferenda sunt, quibus probatur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres esse personas unius essentiæ*, hoc est κρινόμενον, *ubi & mihi* h) *aqua hæret.* Deinde *illa infirma prorsus rejicienda,*

a) Forte, *interpres in Hebræis seu Hebraicis doctissimus*, aut Hebrææ linguæ gnarus, dicere voluit. Parum enim Hebræo alicui, a Trinitate omni modo abhorrenti, tribuendum esset auctoritatis, quibus loca de Deo trino in alienum sensum detorquere tritum est; gente autem Hebræum fuisse, nemo unquam, inter eos quoque, qui alios tales commenti sunt ipsumque adeo *Lyranum*, somniavit.

b) *Quis ille? rogandum.* Schr. Ex hisce aliisque formulis in his notis subinde repetitis, quicquid heic annotatum est a b. *Schrœdero* cum primum Confessionem hanc perlegisset, ad marginem adjectum, colligo, ut collocuturo deinceps cum *Peuscbelio* memoriam refricarent, & interrogandi de quibusdam materiam præberent.

c) *At non sequitur: Sp. S. alicubi enallagen usurpat: E. & isto in loco.* Schr. Judex itaque totius rationis συνάφεια, cum analogia fidei conjuncta, esto, ut alibi, ita etiam in *propheticis* libris, ubi *frequentiores* quidem esse *figuras*, sed non ubique crepandas, qui de Exegesi sacra modestiori præcipiunt, solicite monent.

d) *Quasi vero illico destituatur argumentis, cujus unum vel alterum argumentum sive bene sive male solvitur.* Schr. Interim prudentiam in illis seligendis hæc suadere possunt atque debent, ne batuatores videamur esse, non gladiatores, & cœcis offendiculum objiciamus.

e) *Facit autem istud justa indignatio.* Schr. Præsertim si cum Thrasonibus sermo est, qui unius forte argumenti aut loci Scr. S. V. T. illustrantis magis, quam probantis, & *insinuantis* mysterium potius, quam aperte & plene *demonstrantis*, imbecillitate hactenus ostensa, triumphum ante victoriam canunt, uniusque cohortis propulsatione, jam lauream imponendam sibi deposcunt.

f) *Et numero & pondere vincere, est laudabile.* Schr.

g) *Immo & loci, (& quidem præcipue) & argumenta sunt afferenda.* Schr.

h) *Non, si tibi, & aliis, qui majori judicio & meliori pietate istam caussam tractant*

enda, velut illud ex*terna* a) *iteratione* nominis Dei vel Sancti, quibus & sexcentæ instantiæ & alia iterationis causa, puta *constans rei assertio*, item *perfectionis denotatio* opponi potest. Similis farinæ est illud: *Ex ipso in ipso, & per ipsum.* Quibus verbis nihil aliud innuitur, quam b) *Deum sibi sufficientissimum esse, nec ulla re externa indigere.* Cogitemus illud D. Thomæ: c) Cum quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem d) infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.

Quæst. III.

Annon Photinianum argumentum, ubi tres sunt personæ, ibi tres sunt essentiæ, quia persona nihil aliud est, quam Essentia singularis intellectu prædita, &c. sit mere sophisticum, & quid ad id respondendum?

Resp.

Quæritur ex me, annon hoc argumentum sit plane sophisticum, & quid respondere ad illud velim. Etsi vero ego is sum, qui audire e) potius aliorum sententiam, quam meam proferre, discere potius, quam dicere aliquid in ardua hac controversia velim: dicam tamen, quantum possum & videtur, nimirum hoc argumentum *non sophisticum, sed veritati proximum videri*, f) cum & theologi nostri, g) ii etiam

Schr. Adde: & sine nebulis præjudiciorum anticipatæque, nescio cujus, de S. Trinitatis dogmate erroneo, opinionis.

a) *Infirma ut hæc sint ad demonstrandum, sunt tamen idonea ad declarandum. Non igitur rejicienda.* Schr. Scilicet, si justo ordine proponantur, & solidis, præsertim ex N. T., demonstrationibus subjungantur.

b) *Esto, non tamen sequitur, nihil aliud innui.* Schr.

c) *Bene Thomas: Non tamen ideo, ne quidem apud fideles, majoris lucis gratia, non licet inducere rationes non cogentes.* Schr. At de probatione, non illustratione, & quidem contra pertinacem adversarium pugna si sit ineunda, loquitur *Peuschelius*. Cujus idcirco etiam monitum hoc saluberrimum, supra quoque a nobis approbatum, tantopere placuit viris, cum zelo justo *prudentem* etiam *circumspectionem in methodo disputandi* conjungentibus, ut neque cum Judæis ex V. T. sive ἀμέσως sive primum, (uti aliis visum est) de S. Trinitatis mysterio agendum arbitrentur, sed præmittere pro Messia, qui *Jesus Nazarenus* sit, solidissima evidentissimaq; argumenta jubeant, eoque facto ex N. T. librorum veritate hinc simul evicta, mysterium illud demonstrari, demonstratumque deinceps ex V. T. locis amplius confirmari, locaque istic occurrentia obscuriora ex hac luce ante accensa illustrari suadeant.

d) *An tales quoque Photiniani?* Schr.

e) *Hic non audiendi, sed dicendi* (confitendi) *locus est.* Schr.

f) *Ita vero aut personarum Trinitas, aut essentiæ Vnitas neganda videbitur.* Schr.

g) Mirum, *nostros* vocare Theologos, quorum jam castra deseruerat, fratresque *Socini* cohortem, tessera & data & accepta, agnoverat.

iam, qui jurati ſunt Arrianorum hoſtes, ſubinde ea dixerint, illisque ea exciderint, quibus hoc argumentum abunde confirmari poteſt. D. Gerh. tomo 1. loc. theol. fol. 234. Definitur perſona, quod ſit ſubſtantia individua, intelligens, incommunicabilis, quæ non ſuſtentatur in alio vel ab alio. Proinde ὑπόστασις *non eſt ſaltem* a) *tropus* ὑπάρξεως, *modus ſubſiſtendi*, ut Sohn. & Keckerm. definiunt, *ſed eſt ſubſtantia certo charactere, ſive ſubſiſtendi modo inſignita.* Ergo b) quot perſonæ, tot ſubſtantiæ ſubſiſtendi modo inſignitæ. Idem ibidem Zanch. adducit lib. 1. de trin. cap. 2. qui dicit: perſona eſt ipſa eſſentia Divina, proprio ſubſiſtendi modo diſtincta. Perſona patris ſeu pater, ipſa eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, intelligens, volens. &c. Et tandem ſubjungit Gerhardus: Hactenus Zanchius rectiſſime. Eadem habet Zanch. lib. 8. de 3. Elohim, operis conjuncti in fol. p. 340-341. *Eſſentia per generationem communicata filio, nihil aliud eſt, quam ipſe filius genitus.* c) *Perſona in Deo nihil aliud eſt* τῷ εἶναι, *quam eſſentia. Quare in definitione perſonæ nomen eſſentiæ & poteſt & debet loco generis poni.* Idem lib. I. cap. 13. intellexit *Tertullianus*, in divinis perſonam eſſe ſubſtantiam individuam, per ſe ſubſiſtentem & incommunicabilem. Proinde definitio perſonæ, quam afferre ſolent viri docti, retinenda eſt, ut pia, vera & ſcripturæ conſentanea, totique Eccleſiæ probata, quæ hæc eſt: *Perſona eſt* ſubſtantia individua, intelligens, incommunicabilis. Franciſ. Suaretz lib. 3. de Trinitat. cap. 5. aperte *tres eſſentias relativas*, d) nominat tres trinitatis perſonas. Hilarius *tres ſubſtantias* e) dixit. Adde, quod ex Evangelicis theologis, non pauci ſic loquuntur: f) Eſſentiam divinam in patre eſſe ingenitam, filii genitam, Spiritus S. procedentem. Hunnius

Ooo ooo de

a) *Aſſentior.* Schr. *Si* ipſa nimirum perſona hoc nomine denotetur, quæ per hypoſtaſin ſubſiſtit.

b) *Neg. Conſequentia. Sequitur enim alterutrum: Ergo aut tot ſunt ſubſtantiæ, quot perſonæ, aut ſubſtantia una tribus modis ſubſiſtendi eſt inſignita, adeoque una ſubſtantia in tribus eſt perſonis. Quod in divinis non eſt mirum; Quia ibi hypoſtaſeos nomen non eſt aliquid abſolutum, ſed relatio, quæ multiplicari poteſt, non multiplicata eſſentia.* Schr.

c) *Aſſentior.* Schr.

d) *Hunc valere jubemus. Tres relationes dicimus, ſed non tres relativas eſſentias: quia a trinitate ad unitatem eſſentiæ eſt redeundum.* Schr.

e) *Tres ſubſtantias, pro tribus ſubſiſtentiis;* Schr. Ita enim vox ſubſtantiæ t. t. præſertim in Gallicanæ Eccl. ſcriptoribus ſæpenumero legitur uſurpata. Quemadmodum & Græc. ὑπόστασις diu ambigue accipiebatur.

f) *Dicunt eſſentiam genitam, non quod per generationem ſit producta, ſed quod per generationem ſit communicata filio. Nec ſequitur, quod alia atque alia eſſentia ſit in Patre & filio, ſed quod eadem eſſentia aliter ſit in Patre, aliter in filio: In Patre* ἀγεννήτως, *in Filio* γεννητῶς. Schr.

de Trinitate: *quælibet persona est tota Deitas.* Gregor. de Valentia tres personas *fatetur* a) *esse tres substantias*, tres res, tria supposita. Et quomodo verum ens, aut vera hypostasis seu vera persona & substantia, b) sine aliqua vera essentia, seu mavis entitate, vel esse, vel cogitari potest? Distinguunt inter essentiam relativam & absolutam, & ita difficultatem, quæ oriri posset, tollunt. Ita hoc argumentum, stantibus iis, quæ modo ex theologis nostris commemoravi, *irrefutabile videtur* c)

Quarta Quæstio.

An in Christo duæ distinctæ naturæ, divinitas & humanitas, in una persona sint unitæ?

Resp.

Eadem responsio in generalibus litteris: Hic mihi saltem contra testimonium aliquod ad hoc *probandum usitatum* excipere liceat. Est illud 1. Joh. IV. v. 3. Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est. Hic ajunt, dicere Evangelistam, filium Dei assumpsisse humanam naturam. Atqui *non filius Dei*, qui nudum Deum denotat, sed Christus Jesus, d) (quod nomen ei ut mediatori, eoque homini jam nato, convenit,) dicitur in carne venisse. Erit igitur hic sensus: e) Jesus Christus Deus & homo, vel Deus incarnatus, homo factus est, incarnatus est. Absurdum. Alia igitur explicatio quærenda, quam nobis f) suggerit Thomas, Naogeorgus Ecclesiæ Calensis (quod oppidulum Jenæ est vicinum,) olim pastor, qui sic locum explicat: g) Ego, sine aliorum præjudicio, *ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα*, vertere

a) *Contra morem scholarum.* Schr.

b) *Non potest. Nec tamen sequitur, ut vera illa essentia sit trina, sicut personæ tres sunt.* Schr.

c) *Videtur solvitur per Non videtur.* Schr. Quod superest, nobis quicquid de his controverti solet, commodissime solvi & explanari posse verisimile est, si in *definitione* suppositi aut personæ, nec personalitatem in casu recto, nec naturam seu essentiam denotari dicas, sed, personam in casu recto designare aliquid ex natura & personalitate seu subsistentia conflatum, affirmes, atque reliqua ex divinæ naturæ, quemadmodum de proprietatibus etiam essentialibus docetur, tam simplicitate, quam revelationis de tribus relationibus in ea *invicem* distinctis veritate sola æstimes, de cætero, Deum talem esse, qualem nos fateamur investigare haud posse, humillime fatearis.

d) *De JEsu CHristo loquitur (Johannes,) quia istud scribebat post incarnationem. At quod de illo enunciat, competit ei Filio, qui venit in carne, scil. assumpta.* Schr.

e) *Quasi vero non possit dari alius, v. g. Christus, Deus & homo, qua Deus, venit in carne: non qua homo, alias quilibet homo posset dici venisse in carne.* Schr.

f) *Ostorodus, qui hunc Naogeorgum allegat.* Schr.

g) *Vna hirundo non facit ver.* Schr. Obiter notandum, hunc Naogeorgum, Com-

tere mallem: Qui venit in carne, quam in carne venisse, & nihil foret in sensu absurdi: Qui confitetur eum Jesum esse Christum, qui venit in carne, a) hoc est, qui conspectus est in carne, qui inter homines conversatus est: ne quem ejus crux & b) humilitas & servile schema offendat, quominus credat & confiteatur, eum esse expectatum a patribus Messiam. Matth. XI. Beatus, qui non fuerit offensus in me. Judicent periti; inquiro, non definio.

Quinta Quæstio.

Annon Photinianum argumentum: Si in Christo duæ naturæ essent, tunc etiam juxta Nestorium duæ forent personæ, siquidem nulla natura intelligens absque sua persona consistere possit: sit pure sophisticum, & quid respondendum?

Resp.

Præter datum generale responsum, dico, nihil me hactenus vidisse aliud responsionis loco datum, quam *in aliis hoc valere, in mysterio* autem *Vnionis non item.* Quam responsionem Photiniani & Nestoriani *rident,* c) & crasse id, quod in *principio petere,* d) ajunt. Pezel. e) in exam. Theolog. & Zach. Vrsinus in catech. movent similia de personalitate naturæ in Christo humanæ argumenta: Sed annon in illis solvendis id, quod in principio petant, vel *aliam aliquam* ἀσυλλογισίαν f) committant, judicent eruditi, præjudiciis vacui, & artis disputandi probe gnari. Et memoria in recenti adhuc habeo, *me magno cuidam* g) *Theologo* talia quædam argumenta proposuisse, insufficientia responsionum ostensa, quodque majora robora illis responsionibus, si aliquid

ment. in 1. Epist. Joh. auctorem, Straubingensem patria fuisse, ejusdemque opusculum, quod citatur, A. 1544. 8vo lucem vidisse, semperque in pretio hominibus id genus habitum esse, cujus etiam haud pauca in rem suam convertit *Minus* ille *Celsus* Senensis (Lælius forte Socinus) in *de Hæreticis coërcendis, quatenus progredi liceat* libello, constat.

a) *Scilicet assumpta.* Schr.

b) *Si per carnem intelligatur carnis humilitas, temere provolatur ad tropum.* Schr. Immo vero etiam hæc ipsa humilitas substantiam simul assumtam connotat, & superior illa nostratium de incarnatione explicatio hujus loci accuratissima redit.

c) *Rideant, sed videant, ne in æternum fleant.* Schr.

d) *Quasi vero in responsione petatur principium: aut non potius petant principium, qui a creatis rebus ad increatas argumentantur.* Schr.

e) *Quid Pezelius & Vrsinus respondeant, solicite non inquirimus: nos nostros corymbos nectimus.* Schr.

f) *Scil. Vrsinus ignoravit artem disputandi, quam hic sibi arrogat.* Schr.

g) *Indicandum, quis ille sit.* Schr. Quisquis vero fuit, hominem fuisse, a quo nihil humani alienum, indubitatum est.

quid valere debeant, sint addenda. Mihi sane, ut ingenue fateor, plene *non satisfaciunt*, a) nec ego iis, si melius quid non haberem, in disputationis conflictu confidere vellem.

Quæstio Sexta.

An in Christo Domino nostro, vera sit Deitas, secundum quam unius cum patre essentiæ & ab æterno sit?

Resp.

Eadem, quæ ad priorem, generalis responsio: Hic illud attendi velim, multa argumenta nobis Herculea videri, quæ in conflictu straminеus fiunt & sunt Achilles. Paucis hic, quid aliquando pro disputatione moverim, exponam. Contra verba Ps. 110 Dixit Dominus Domino meo, ex quibus divinam Christi naturam evincunt, sic opposui 1. In hebræo non extare *Jehova vel Adonai, sed Adoni*, quæ vox creaturis passim, vel etiam vilissima dominatione præditis, tribuitur, b) 2. illum vocari Dominum Davidis, cui dictum sit, sede a dextris meis. Atqui c) *homini, non Deo æterno* hoc dictum. Matth. 26. v. 64. a modo videbitis filium hominis, d) sedentem a dextris virtutis Dei &c. Eph. I. Deus pater resuscitavit Christum, & fecit eum sedere ad dexteram suam &c. Act. 2. Dextera igitur Dei exaltatus. Item 5. cap. Hunc Jesum Deus exaltavit dextera sua. 3. Vocem D*omini* e) non inferre aliam naturam præter humanam, sed sufficere ad hoc excellentiam aliquam Christi hominis præ Davide: quemadmodum Saul & David f) reges creati & proclamati, *respectu dignitatis regiæ patrum suorum Domini fuerunt*,

a) *Non sufficit dicere: Hoc valet in aliis, sed non in mysterio Unionis: Sed quis sic respondet, nisi prius mysterii rationem diversam ostenderit, aut ostendat.* Schr. De reliquo repetantur, quæ supra & ad calcem præcedentis quæst. de definitione personæ observata & commonita sunt: unde, rem omnem ad communicationem tandem essentiæ divinæ unius infinitæ, non obstantibus pluribus personis, devolvi, atque hinc hæ si demonstratæ sint ex Scr. S., dubia isthæc cuncta in fumos abire, constabit.

b) In hoc loco autem spectanda est, quod & Christus innuit, prout summo Israelitarum *Rege Davide*, idem, qui *Dominus* ejus nuncupatur, *superior* vocatur; quem non alium, nisi Deum, se superiorem agnovisse expeditum est.

c) *Non tamen homini ψιλῷ, sed homini Deo. Nam ψιλὸς homo non potest esse Dominus, sedens ad dexteram Dei.* Schr. Conf. omnino *Esaiæ* Cap. XLII. 8.

d) Qui quamvis se filium hominis appellet, ad Dan. VII. 13. sine dubio respiciens, non tamen, se, in eadem persona, Deum esse, negat.

e) *Adde, Domini ad dextram Dei sedentis.* Schr.

f) *Exempla dissimilia.* Schr. Namque & patres ipsorum neque ad dextram Dei unquam dicuntur consedisse, neque Domini, sed patres vocantur, Conf. Ps. XXVII. 10

erunt, *licet illorum* filii, qui tamen unicam habuerunt naturam. Nec obstare, quod David in præterito loquitur, dixit Dominus Domino, non vero, dicet Dominus: & quod Christus homo tamen nondum fuerit. Hoc enim more scripturæ fiat, quæ *propter certitudinem rei futuræ, partim in præsenti, partim in præterito loquatur:* a) sicut verbi gratia in hoc psalmo ad dexteram Dei sedere jussus est, quod tamen longo tempore post b) factum est, puta post ejus resurrectionem. Sic Esai. 9. dicitur: Puer natus est nobis &c. Ad hoc responsum mihi est (puta ad tertium membrum, nomen Domini in Christo non inferre aliam naturam, sicut in Saule & Davide appareat) hoc procedere in nudis hominibus, in Christo Deo & homine non item. Quod quanti momenti sit, quilibet videt. Probanda ex eo, quod Christus est Dominus Davidis, alia, puta divina in Christo natura, & tamen hoc non potest obtineri, *nisi Christus Deus & homo esse præsupponatur*, vel talem eum esse constet. Quo quid magis ridiculum c) Probetur igitur saltem, Christum esse Deum & hominem, hicque circuitus omittatur: Melius ergo hoc argumentum considerandum & muniendum. Interim placet hic notare id, quod nuper *in autore quodam* d) observavi. Is sic scribit: Non novum quidem & incredibile est, filium vivum parentis vivi esse Dominum, sed *parentis jam pridem mortui filium Dominum* esse, nulla unquam ætas aut vidit, aut audivit, nec ulla hujus rei instantia dari potest in universo hoc orbe terrarum. *Mortui* enim *non sunt*. e) Quomodo igitur Dominus eorum reipsa esse potest, *nisi quatenus efficere potest, ut ii, qui esse desierant, & nulli erant, iterum existant & resurgant.* f) Hanc autem potestatem resuscitandi mortuos Christo, *qua homini*, datam esse, probat Joh.

a) Non negamus, hunc esse Hebr. linguæ in propheticis scriptis idiotismum. Quod si vero animo simul consideremus, quemadmodum Ps. II. tales jam promissiones filii Dei *hodie* geniti descriptioni adjunctæ legantur, & de hisce, *ut futuris*, ipsemet Christus, interprete *Davide*, Ps. XL. sermocinetur; neque h. l. præteritum omnino negligendum esse, atque τὸ *dixit* de æterno inter patrem & filium pacto agere, verisimillimum est.

b) Quod ad executionem, non decretum seu *dictum*, coll. Act. II. 36.

c) *Argumentum tale: Quicunque Dominus per increatam Dei potentiam regnat, illum oportet esse Deum æternum. Atqui Deus per increatam potentiam regnat. Ergo &c. Propositio probatur: Quia increata potentia, fatentibus* (omnibus,) *nulli convenit, nisi quod sit per essentiam Deus, vel eidem sit* καθ' ὑπόστασιν *unitum. Assumtio probatur: Quia ad dextram Dei sedere est pari potentia cum Deo Patre regnare.* Schr.

d) *Cedo, quis ille auctor?* Schr.

e) *Falsum.* Schr. Aliter Christus Luc XX. 38.

f) *Vel potius; nisi talis sit filius, qui non solum post mortem, sed & ante mortem extiterit.* Schr.

Joh.5.Sicut pater habet vitam in ſeipſo, id eſt, *virtutem viſicandi* mortuos, ſic & filio *dedit* a) vitam habere in ſeipſo, & *dedit* b) ei poteſtatem judicii, quia filius hominis eſt. Conferantur hæc cum v. 21. 22., ubi eadem ſententia mutatis verbis reperitur. Locum Pſ. II. Ego hodie genui te &c. *firmisſimum* c) *quidam eſſe putant* pro generatione æterna filii aſtruenda: ſed quem Chryſoſt. Hilar. Theodoretus, Antiochenus, Calvinus, Muſculus, Bulling. Marloratus, Vatablus, Hemmg. *Bugenhagius*, multique ex Pontificiis aliter explicuerunt, d) puta, de Chriſti reſuſcitatione ex mortuis Act. XIII. & generatione ad ſacerdotium æternum Heb. V. vel Chriſti glorificatione, Hebr. I. Calvinus gloſſam Auguſtini, hodie, id eſt ab æterno, *frivolam argutiam* vocat. Bugenhagius hanc explicationem dicit eſſe e) *præter conſuetudinem ſcripturæ, & argutam magis, quam theologicam.* Vatablus hodie ſimpliciter *de die reſurrectionis* interpretatur. Locum Joh. 10., præterquam quod *Calvinus rejecit*, non ita pridem etiam *magnum theologum* f) in diſputatione quadam in præſentia ſuorum collegarum ad unitatem eſſentiæ probandam *inſufficientem agnoviſſe*, g) inaudivi. Quidam multa in hac materia loca coacervant, interim *quomodo argumenta inde ſumantur, non monſtrant*, h) quo tamen ſæpe nil difficilius. Deinde ex *nudis verbis, vel phraſibus* argumentantur, exempli gratia, Chriſtus vocatur *Deus, filius Dei, imago Dei*, dicitur, unum eſſe cum patre, in patre eſſe, in mundum venire, miracula facere, abſentia noſſe. Ergo, concludunt quidam, habet naturam Divinam. Quid autem ad hæc Photiniani? nil minus, dicunt, inde concludi. Nam *nomen Dei non eſſe proprium, ſed appellativum*, i) & tribui magiſtratui, Moyſi, qui dicitur

a) *Hæc δόσις facta eſt per generationem æternam.* Schr.

b) *Hæc vero per communicationem realem in tempore.* Schr. Illud enim addita ipſius Chriſti verba condocent.

c) *Nec ſine ratione. Qualis enim eſt Filius, talis generatio Filii: Filius eſt æternus; Ergo &c. Aſſumptio probatur:* 1) *Cui competit poteſtas æterna, ille eſt æternus. At Filio competit poteſtas æterna Joh. XVII. Phil. II. Ergo &c.* 2) *Quia in eo eſt ſperandum* (confidendum,) *Ibidem: Ergo. &c.* Schr. Pro ibidem mallem ſubſtitui Jerem. XVII. 5.

d) *Non videndum, quid multi faciant, ſed quid facere debeant.* Schr.

e) *Bugenhagius non dicit eſſe, ſed videri.* Schr.

f) *Quærendum, quis ille?* Schr. Jenenſem videtur indigitare, & forte Grauerum.

g) Judicium de hujusmodi dictis ferre non licet, niſi occaſione etiam dicendi talia prorſus perſpecta. Hoc loco de generatione filii Dei, ex patris ὑποςάσει ſermo eſt.

h) *Quidam vero etiam monſtrant. Conſulat igitur hoſce.* Schr.

i) *Dicunt hoc illi: Sed perperam probant. Quibus enim hoc nomen præter Deum tribuitur, eis tribuitur metaphorice & æquivoce. Quare ſi forte non eſt penitus nomen proprium* (uti Jehova,) *magis tamen eſt proprium, quam*

tur Deus Aaronis & Pharaonis, Cyro, qui Deus Jraelis apud Es. vocatur: Vni autem illi Deo κατ' ἐξοχήν. Deinde Adamum Luc. 3. dici *Dei filium*, a) item angelos, credentes, & populum Israelis vocari b) *primogenitum Dei*, qui tamen non sint ejusdem essentiæ. Credentes dici c) filios Dei, quia filii resurrectionis, & tamen ἑτερέσιοι. *Virum dici imaginem Dei* d) 1. Cor. XI. credentes Joh. XVII. & Gal. III. dici unum e) in Deo & Christo futuros, & Christum in nobis. Joh. I. *omnes homines in mundum venire*, f) item pseudoprophetæ *in mundum exire* dicuntur in Epist. Johan. Apostoli miracula faciunt: Elisæus absentia cognoscit. Si quis jam dicat, diversa ratione & modo de filio Dei, & nobis credentibus, sive angelis, dici hoc vel illud, *is jam vel principium petit, vel jam non amplius ex verbis, sed ex rebus argumentatur, quod est aliam instituere disputationem.* Tela igitur hæc ab initio prævidenda, ut postea minus noceant.

Quæstio Septima.

An Photinianum argumentum: Si filius Dei ex virgine Maria natus & conceptus est. Ergo ipse vel ejus persona ante eam non fuit, & proinde non ab æterno: siquidem quælibet persona tunc esse & fieri incipiat, quando concipiatur & nascatur &c. sit merum sophisma, & quid ad illud respondendum?

Resp.

Ad hoc argumentum, quod *Christoph. Ostorodus* Goslariensis in Insti-

appellativum. Schr. Eo videlicet sensu, quia nemini, nisi summo Deo per essentiam, seu, ut *nomen naturam ejus infinitam* designans, proprie tribui solet, ita ut quicquid non habeat eam *naturam*, ab illo, tanquam *solo & uno Deo*, semper distinguatur, eorum vero, quibus per metaphoram forte applicatur, participationis nominis, ob similitudinem quandam, manifestissime vel ex circumstantiis caussa pateat, ipsaque adeo additamenta translationis rationem subministrent.

a) *Nomen filii ibi non legis.* Schr. Sane rectius ad *Christum* vox illa postrema *Dei* refertur, qui, cum etiam filius sit, neposque & pronepos atque arnepos &c Patriarcharum, ordine enumeratorum, quorum posteri omnes stylo Hebræorum (coll. Gen. 36. &c.) filii appellantur, tanquam filius Dei proprie dictus heic tandem celebratur: uti pluribus id in Tr. exasciatissimo S. R. D. *J. M. Langii* de *Genealogia Christi* demonstratum est.

b) *Vocatur* μεταφορικῶς. Schr. Omnium consensu. Inde vero a pari ad Christum non valet consecutio.

c) *Scil. Adoptione; Contra quam Christus dicitur unigenitus & proprius Dei filius.* Schr. Hæc ergo epitheta, quo sensu filius dicatur Christus, explanant.

d) *Sed non talis, qualis describitur Col. I. Hebr. I.* Schr.

e) *Sed non ita unum, ut unitas illa determinatur Joh. X.* Schr. Confer, quæ nos supra ad 1. Joh. V. observavimus.

f) Aliter Christus, qui jam fuerat *ab initio*, *antequam Johannes* erat &c. Cætera ejusmodi sunt, ut multum ab argumentis

ſtitut. monet, reſpondet *Jacobus ad Portum* diſtinguendo inter generationem naturalem & ſuppoſitum naturale, & inter generationem ſupernaturalem ac ſuppoſitum ſupernaturale. a) Sed in reſponſione hac pro argumento aſſumit Jacobus ad Portum id, quod eſt in quæſtione, quod a tanto viro abeſſe (debebat;) hoc ipſum enim, quod in Chriſto ſit ſuppoſitum ſupernaturale, quod divinam naturam eſſe dicit, negatur ab Oſtrorodo, & hoc eſt, quod diſputatur, quod eſt κρινόμενον, quod ille in conflictu pro conceſſo & confeſſo ſumit, quod tamen fieri non debet. *Non* enim *ex controverſis, ſed ex iis, quæ utrinque in confeſſo ſunt, reſpondendum.* b) Davus ſum, non Oedipus. Solvat, qui melius poteſt. Reſponſio tamen generalis in litteris huc pertinet.

Quæſtio octava & nona.

An in Chriſto Domino noſtro jam in ſtatu gloriæ vera ſit humanitas, ſecundum quam veram carnem & ſanguinem, quæ in Cœna participamus, habeat. Item: Annon Photinianum argumentum, caro & ſanguis regnum Dei non

noſtratium pro divinitate Chriſti ſumma atque æterna differant; eamque ob rem, peculiari reſponſione ut excutiantur, neceſſe non eſt.

a) *Reſpondeo planius: Negatur connexum; Ratio, quia filius Dei e Maria natus & conceptus eſt non in natura propria, per quam eſt Filius Dei, ſed in natura aſſumpta, per quam eſt homo. Seu: quia Filius Dei dicitur conceptus & natus non regulariter, ſed per communicationem idiomatum; ubi videndum eſt, ſec. quam naturam hæc ei competant, & ubi locum habet Regula: Mutato genere prædicationis &c. Ad rationem connexi dicendum: Verum eſſe, quod dicitur de perſona unius naturæ, ſeu de perſona creata, non autem de perſona increata, in qua eſt alia atque alia natura: Item, verum eſſe de perſona, quæ dicitur naſci regulariter & abſolute, non autem, quæ dicitur naſci ſecundum quid & per communicationem idiomatum. Ex. Homo dicitur quotidie naſci ſecundum partes per nutritionem adnaſcentes.* Schr. Mihi, ſi, quod res eſt, ediſſerendum ſit, parum hæc, præterquam quod perſpicua magis ſunt, a reſponſ. *Jac. ad Portum* videntur differre. Quod autem ſubſterni κρινόμενον cauſſatur cum *Oſtorodo* ſuo *Peuſchelius*, more horum hominum fit, ſed illaudabili, quo, ubicunque e re ſua eſſe videtur, modo reſpondentium modo opponentium, & fere ſemper defendentium tantum partes perperam ſibi ſumunt, noſtrisque contra onus probandi, perinde ut *Pontificii*, nova arte eam in rem excogitata, ſolent, imponunt. Cui effugio non alia, rite & juſto ordine cum fructu diſputandi, atque ſophiſtarum ictus declinandi, ratione obviam iri poteſt, quam ſi πρῶτον illud ψεῦδος *Socinianorum*, quo Chriſtum verum h. e. ſummum & æternum Deum eſſe inficiantur, *primum* & ante omnes controverſias alias aggrediaris, veritatemque dignitatis τȢ̃ θεανθρώπȢ ſolide comprobes. Hoc enim facto, quicquid porro diſquirendum ſupererit, felicius procedet, adverſariorum autem machinæ, quotquot ſtruunt, ſine ambagibus, per ea, quæ jam expedita & tranſacta ſunt, concident.

b) *Lex* ἄλογος. *Si enim ex controverſis argumentari licet, modo poſſint probari; multo magis licebit e controverſis reſpondere, quæ, licet nondum ſint probata, probari tamen poſſunt. Alias enim ſequeretur, Chriſtum & Apoſtolos vitioſe ſæpe reſpondiſſe.* Schr. Mihi

non posſidebunt. Ergo, quia Chriſtus ſit jam in regno Dei, eum non habere carnem & ſanguinem: ſit purum Sophiſma, & quid reſpondendum?

Reſp.

Fateor, me hic negativæ ſententiæ, quæ videlicet nos, carnem & ſanguinem habituros eſſe, negat, magis accedere & favere, idque propter graviſſimas & prægnantiſſimas rationes, in ſcriptura probe fundatas. Vos quæſo, viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi, qua me benevolentia hactenus differentem audiviſtis, eadem me & jam, non privato auſu, ſed publico veſtro juſſu dicentem audiatis: Initium facio a cap. 6. prioris ad Corinth. ubi Apoſtolus v. 12. & 13. ſic inquit: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; omnia mihi licent, ſed ego ſub cujusquam poteſtatem non redigor. Jam attendatur, quid ſubjungat: τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασι. Cibi ventri (ſcilicet expediunt & inſerviunt) & viciſſim venter cibis. ὁ θεὸς δὲ καὶ ταύτην (ſcilicet κοιλίαν) καὶ ταῦτα (id eſt τὰ βρώματα) καταργήσει· Deus vero hunc (id eſt ventrem & illos (id eſt cibos) abolebit & deſtruet. GOtt wirdt dieſen (verſteh den Bauch) und jene (die Speiſe) abtilgen, abthun: hoc enim ſignificat καταργεῖν. Lutherus vertit, *hinrichten*. Quomodo vero hoc convenit cum eo, quod vulgo ajunt, *idem numero corpus cum omnibus ſuis membris reſurrecturum? an datur corpus absque ventre* a)? vel, an venter, & eæ, quarum receptaculum eſt, partes, velut cor, pulmo, jecur, lien, ſtomachus &c. non ſunt de corporis eſſentia, vel ejus partes aut eſſentiales, aut integrales? Imo monſtrum potius corporis humani, vel corpus phantaſticum & Marcioniticum, quam verum corpus cenſendum, quod ventre b) caret. Et dempto ac abolito ventre, quid reliquis membris fiet? an & illa abolebuntur? c) ſic ſane perſua-

 ſum

conſultius videtur, eo ordine diſputare, ut controverſiæ non omnes pari cenſu habeantur, ſed *acceſſoriæ* & ſubſidiariæ, a *primariis* & principalibus diſtinctæ, ſubjungantur, atque hæ iſtis præmiſſæ evolutæque poſterioribus lucem accendant. Sic enim fieri commodisſime poterit, ut rimæ hujusmodi omnes, ſerium certamen fugientibus, & quadrata rotundis miſcentibus, obſtruantur.

a) *Ineptiæ: Loquitur enim Apoſtolus non de ſolo ventre, ſed de operationibus ejus circa τὰ βρώματα, quæ in altera vita ceſſabunt.* Schr.

Quam etiam ob rem ſolius ventris, cujus eſt, recipere cibum & digerere, non corporis totius, meminit. Immortale enim in vita æterna fore corpus, non immortalitate ordinata & animali, qualis fuerat in ſtatu integritatis, ſed ſpirituale, non ſpiritum, ratione modi *etiam* conſervationis, alibi teſtatur Apoſtolus,

b) Ita eſt, ſi de ſubſtantia loquaris, non de uſu, officio & œconomia animali, quæ adjunctum eſt divina potentia ſeparabile.

c) Neutiquam: Sed ut uſum priſtinum haud præſtent, v. g. ad generationem li-

ſum mihi habeo. Aut, ſi manebunt, quomodo illa inter ſe cohærebunt & jungentur? *Mirabilis* ſane *homo*, qui manibus, pedibus, auribus, oculis, capite &c. præditus, ventre tamen a) caret. Sed miſſo hoc teſtimonio δυνατῷ ſatis b) πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων contrariorum, accedamus ad caput 15. 1. ad Cor. illuſtre, & nativam hujus materiæ ſedem. Vbi me ad v. 35. confero, ubi ait Apoſtolus: Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgent mortui, qualive c) corpore provenient, ex ſepulchris ſcilicet? reſpondet Apoſtolus: Stulte, tu quod ſeminas, non vivificatur, ſi non moriatur &c. Ex quibus verbis ſcopus totius ſequentis tractationis apoſtolicæ apparet, quem ſibi D. Paulus per occupationem objectionis format & præfigit, ad quem reliqua dicenda omnia collineant. Is autem eſt, demonſtrare, *non qui qualesve homines* d) ſint reſurrecturi, & regnum cælorum intraturi, puta, vel carnales, vel impii, & ſpirituales, qui ſecundum ſpiritum in his terris ambularunt: non, inquam, hic eſt apoſtoli ſcopus, ſic enim de allio quæſitus de cæpis reſpondiſſet. e) Sed hic eſt verus & genuinus apoſtoli ſcopus, demonſtrare, *quibus &* qualibus corporibus, *ſubſtantiæ puta, vel eſſentiæ* f) & qualitatum ratione, ſint reſurrecturi mortui, vel, *quæ &* qualia ſint habituri corpora. Hoc ex verbis Apoſtoli tam clarum eſt, g) ac ſi ſolis radiis ſcriptum eſſet. Quæ, quia magnam ſequentibus lucem afferent, ſemel adhuc repetam: Dicet aliquis, quomodo reſurgent mortui, qualive corpore venient? ſtulte, tu quid ſeminas &c. Apoſtolus igitur, ut manifeſtiſſimum eſt, ad interrogationem illam reſpondens: Quomodo ſurgunt mortui? quali autem corpore veniunt? atque inſcitiæ redarguens, quicunque eo modo interrogaſſet, (quaſi vero dubitandum ſit, quin in reſurrectione noſtra alterius

terius

berorum, quam ceſſaturam Chriſtus ipſe diſerte ait, atque h. m. ἰσαγγελότητα, incolumi corporis ejusdem ſubſtantia, qualis ſit, explicat.

a) Non carebimus ventre, ſed κοιλία ad cibum relata, cui digerendo non amplius inſerviet, atque *hactenus*, non omnino, i. e. non ut non ſit, ſed ut ad hunc finem non amplius proſit, καταργήσεται. Quod & ipſa hæc vox ſubinnuit, quæ, non amplius *opus* (officium) priſcum peracturum eſſe, docet.

b) Immo maxime imbecilli.

c) *De qualitate* (*ſeu de ποίῳ*) *igitur eſt quæſtio.* Schr. Atque huc etiam ſubſequens reſpicit reſponſio.

d) *Quid igitur inquit Apoſtolus: οἱ νεκροὶ ποίῳ σώματι ἔρχονται?* Schr.

e) *Quaſi vero, quæ reſpondet Apoſtolus, non omnia ad qualitatem referri poſſint: cujusmodi ſunt incorruptibilitas, gloria, potentia, ſpiritualitas, ſcil. quæ opponitur animalitati.* Schr.

f) *Ποιότης non ſignificat ſubſtantiam, ſed qualitatem.* Schr.

g) *De qualitatibus clarum eſt.* Schr. Quicquid de eſſentia additur, fingitur.

terius ac præstantioris *formæ* a) & qualitatis corpora, quam nunc habeamus, habituri simus, & id unicuique persuasissimum esse non debeat) similitudine seu comparatione sati grani ostendit, longe præstantiora futura corpora nostra in resurrectione, quam in hoc præsenti sunt sæculo: quemadmodum nasciturum corpus nudo grano, quod seritur, longe *præstantius* est: b) & sicut granum mori debet, ut nascatur corpus illud, ita nostrum hoc corpus *delendum* c) esse demonstrat, si futurum est, ut resurrectionis corpus existat. Grani, quod seritur, & ejus, quod ex eo nascitur, similitudine allata, qua potissimum in tota hac re explicanda utitur, subjicit apostolus alias similitudines & comparationes, ex quibus *differentia inter utrumque corpus ostendi ac persuaderi queat:* d) & non secus atque superiorem illam comparationem, absque ulla similitudinis nota, attulerat, inquiens simpliciter: tu quoque seminas &c. posteriores quoque nulla similitudinis nota adhibita, sic afferre constituit: Non omnis &c. ac si diceret: Quemadmodum videmus, aliam esse carnem hominum, & aliam pecorum &c. cum tamen omnes peræque carnes sunt: sic mirum cuipiam esse non debet, si *aliud erit* e) *corpus, quod in resurrectione* habebimus, & aliud id, quod nunc habemus: & non aliter, atque caro una alia præstantior est, illud futurum corpus hoc præsenti præstantius erit. Deinde accommodatiore similitudine, ad illud ipsum suadendum, utens, & ad rem ipsam (ut dicitur) propius accedens, ait, neminem ignorare, corporum alia f) esse cælestia, alia terrestria, atque aliam esse cælestium corporum clari-

a) *Falsum, si intelligas de forma substantiali; nisi forte aliam animam in resurrectione datum iri putes.* Schr.

b) Eatenus sane, quatenus ex putrefacto integrum, magis profecto illo priori præstans, prognascitur. Ad granum namque numero a putrefacto, quod producitur, distinctum, non respicere in comparatione *Paullum*, hinc elucet, quod de ποίῳ quæstionem, illustrandi, quod docendum esset, gratia, formaverat, &, si omnino similitudo urgenda esset omnimoda, *multiplicatio* quoque eorum, qui resuscitandi sunt, perinde, uti plura grana ex uno sato proveniunt, admittenda esset. Subsistendum ergo, quemadmodum de carne postea qualitatibus variis distincta dilucidius id explanatur, ἐν τῇ ποιότητι, neque longius evagandum: uti nec *Paullus* in distincta enumeratione alius rei, quam qualitatum variarum, mentionem facit.

c) *Cur non retinetur phrasis Pauli, qui loquitur de corpore non delendo, sed morituro.* Schr.

d) Immo vero, prout paullo ante dictum est, hæc similia nostram de qualitate sententiam magis confirmant: Est enim in carnibus hisce diversis ποιότης magis conspicua.

e) *Aliud vero non per substantiam aliam atque aliam, sed per præstantiam, quæ in resuscitato major erit, quam in mortali.* Schr.

f) Quasi vero *aliud esse* necessario aliam substantiam requireret. Præsertim, *ubi non simpliciter* illud vocabulum usurpatur, sed statim, quo *respectu* usurpatum sit, subjici-

claritatem, aliam terrestrium. Vnde constare potest, nihil absurdi in ea sententia, quam ipse confirmare conabatur, contineri, *diversi* scilicet *generis* a) futurum esse illud novum corpus, & alterius claritatis, quam hoc vetus sit? Neque hoc contentus, postremo addit, inter ipsa quoque corpora cælestia multum interesse, cum alia sit claritas solis, alia lunæ, & alia stellarum: quin & ipsæ *stellæ differant inter se claritate,* b) ut incredibilis nemini videri possit futura hujus corporis, quo in hac vita animali & terrestri utimur, ab eo, quo in illa cælesti ac spirituali utemur, differentia: Cum videamus ejusdem generis & naturæ corpora ita inter se differre. Quibus similitudinibus & comparationibus explicatis, ut, qua ratione ita locutus fuisset, liquido appareret, &, quid demum ad *propositam quæstionem decidendam* concludere vellet, dilucide ostenderet, ait: Sic etiam resurrectio mortuorum seminatur. Itaque mira elegantia & dexteritate quadam præcipuam illam seminis similitudinem una cum aliis comparationibus tacite illis annexis, quæ in illa explicanda animadverti possunt, aptissime ad institutum suum accommodat. Quasi dicat: Quomodo se res habet in disseminatione, quod videlicet semen in terram projectum non provenit & vivificatur, nisi moriatur & computrescat, c) ita nemo poterit resurgere, vivificari & vitam ingredi æternam, nisi prius moriatur, & in terram, unde sumptus ac formatus est, revertatur ac computrescat: vel simile quid huic morti & analogum, subitam nimirum immutationem, perpetiatur, qualis iis continget, quos vivos ultimus offendet dies, ut Apostolus infra v. 51. loquitur, *qualemque E-no-*

atur, & *solæ qualitates nominentur*, idemque fore τὸ φθαρτὸν, quod ἀφθαρσίαν induat, explanate (ut postea fit,) asseratur.

a) *Non diversi generis, sed diversæ qualitatis, & conditionis. Non enim in substantia, sed in qualitatibus fit collatio. Alias posset concludi: Sicut cælestia & terrestria differunt formis, ita etiam corpus mortale & gloriosum.* Schr.

b) *Atqui stella a stella non differt substantia, sed, ut Apostolus inquit, claritate. Apparet igitur vel inde, comparationem institui e qualitatis categoria, non substantiæ.* Schr. Cæterum & postremum hoc simile, quemadmodum priora intelligenda sint, clarius commonstrat.

c) Comparationis *tertium*, ut vocant, non in eo positum esse, palam docet Apostolus; Sed in *qualitate* ejus, quod ex grano nascitur, grani. De sparsione in terram, ut moriatur, *ex accidenti*, ideo, ut, quemadmodum ad meliorem statum proveniens granum h. m. promoveatur, perinde etiam corpora nostra post putrefactionem resuscitanda esse, ordine demonstret, agit. At *primarius* is *scopus* non est, sed *qualitatum perfectiorum*, post imperfectas in hac vita, *successio* utrinque locum habens. Quorsum ergahæ ambages?

nocho & Eliæ contigiſſe, non immerito quis ſtatuere poteſt: ſicut idem, quod ſeminatur, non eſt corpus illarum, quæ ex terris excreſcunt, frugum, ſed illis Deus proprium *pro beneplacito ſuo* a) corpus indit: ita, inquit apoſtolus, *non idem*, b) quod terræ mandatum eſt, ſed longe aliud, diverſum, glorioſius & excellentius corpus eſt reſurrecturum, quod in ſequentibus verbis aſtruit, ubi *συνωνυμίαν & æquipollentiam* phraſium ac verborum notari velim, verbi gratia, eadem ſunt: ſeminari in ignominia, infirmitate, item corpus *animale*, c) quia nimirum primus Adam in animam viventem eſt factus: Sicut econtrario idem & illa valent: Corpus incorruptum, incorruptibile, vel quod in incorruptione ſurgit, glorioſum, virtute aut potentia præditum, ſpirituale, quia *ſecundus Adam* factus eſt d) in ſpiritum vivificantem, *non quia alia vivificet*, ſed quia ſeipſum vi ſibi a Deo tributa vivificet, nec, ut vivat, aliena amplius ope indigeat, & ita nunquam mori poſſit, cum vitæ ſuæ indeficientem cauſam in ſeipſo habeat, quum antea e) in vita animali *nutritione* ad perditæ ſubſtantiæ, per intrinſecus aſſumpta alimenta, reſtitutionem f) opus habuerit. Ex hac autem phraſium & verborum æquipollentium antitheſi & collatione magis eluceſcit veritas illius, quod prius ex cap. 6. 1. ad Cor. de abolitione ventris aſſerui: *omnino enim hinc & irrefragabiliter* g) efficitur, hoc præſens corpus animale cum omnibus membris ac partibus, velut carne, ſanguine, cute, oſſibus &c. prorſus abolitum, & aliud h) novum & longe nobilius corpus

a) *Seu, ut loquitur Apoſtolus, prout voluit, nempe in prima creatione. Vid. Geneſ. I.* Schr.

b) *Puta, quoad qualitates; idem tamen, quoad* οὐσίαν Schr. Erit enim τὸ φθαρτὸν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο &c. comm. 53. quod tantum *reſuſcitatione* opus habebit, ut ἀφθαρσίαν, quæ ſane non eſt nova ſubſtantia, ſed perfectio accidentalis, *induat.*

c) *Animale tamen corpus non dicitur hic, quod animam viventem habet: Niſi dicere velis, in altera vita corpora noſtra fore* ἄψυχα: *quod eſt abſurdum; Sed quod animales operationes ſeu infirmitates habet.* Schr. Sic enim ipſe *Paullus* l. ſupra cit. explicat, ubi de cibo, quo venter non amplius opus habeat, diſſerit, *Chriſtusque*, de generatione non continuanda hæc diſtinctius intelligi oportere, pari modo docet.

d) *Quis ſecundus Adam ſit in v. 45., apparet e verſ. 47., ubi dicitur Dominus de cœlo. Qui certe factus eſt in ſpiritum vivificantem, quo non ſolum ſeipſum, ſed & alia vivificet.* Schr.

e) *Eandem eſſentiam Chriſtus etiam ante mortem habuit. Et tamen mori potuit, quia* ἐνέργειαν *illius voluntarie ſuſpendit.* Schr. Habuit certe corpus, immo naturam humanam ad mortem ſubeundam, ſi vellet, aptam, atque hoc ſenſu, non tamen proxima potentia, mortalem.

f) *Hæc enim eſt animalis operatio, quæ ceſſabit in altera vita.* Schr.

g) *Vaniſſima collectio, ſi per corpus aliud intelligitur, quod aliud eſt ſubſtantia.* Schr.

h) Ἀλλοῖον *non* ἄλλον. Schr.

pus, spirituale nimirum, incorruptum, gloriosum, cæleste &c. a) substitutum iri. Neque hic valet effugium tritum, corpora nostra spiritualia fore, quoad qualitates, *non quoad substantiam*. b) Dicit enim expresse Apostolus, seminari corpus corruptibile, resurrecturum vero corpus incorruptibile. *Corruptibile* c) autem & *incorruptibile* non specie, sed genere, id est materia & forma differunt, teste Philosopho 10. metaph. cap. 10. præsertim si consideremus, quod inter corruptibile & incorruptibile non tantum est contrarietas *secundum formam & actum*, d) sed etiam secundum potentiam & materiam, quia incorruptibile est talis *privatio*, ut aliquid non tantum re ipsa non corrumpatur, sed etiam *potentia*, ut non possit e) corrumpi, quia est determinata impotentia scilicet corruptibilitatis, adeo, ut etiam sit contrarietas materiæ, *potentia* enim *materiam significat*. f) Breviter: Corruptibilitas, aut substantia est uniuscujusque corruptibilis, aut in ejus substantia ita est, ut, *non nisi mutata rei substantia, mutari possit*, g) rem comitetur, quamdiu est, & non desinat esse, nisi re ipsa desinente esse, id quod est. Eadem est ratio incorruptibilis: ambo enim sunt ex iis, quæ *necessario rebus secundum substantiam conveniunt*, h) non secundum accidens, ut albedo & nigredo. Hinc jam difficultas exurgit: Dicit Philosophus, idem *non posse succesive fieri* i) corruptibile & incorruptibile, quia genere differant, & *quia non sint ex accidentibus*, k) sed quæ substantiam oc-

a) Quantum ad qualitates & proprietates seu adjuncta.

b) *Non hoc effugium est; Sed luculentissima Christianorum*, (Paullo præeunte,) *confessio & fides*. Schr.

c) *Non audimus hic Philosophos, sed Apostolos. Si tamen libet, distingue inter id, quod est incorruptibile per naturam, & quod incorruptibile est per gratiam aut gloriam*. Schr.

d) *Ergo substantia substantiæ per se erit contraria? Si quidem hic de forma substantiali sit sermo? Contrarietas in materia, quæ habet δύναμιν ἀντιφάσεων, unde? Incorruptibile non dicit privationem, sed potius negationem*. Schr.

e) *Vel quia per se & natura est incorruptibile, vel quia per gloriam est incorruptibile; & si in se corruptibile est. Sicuti homo in altera vita erit immortalis per gloriam, etiamsi, quatenus constabit corpore & anima, possit forte dici mortalis natura, seu potentia remota. Breviter: Non possit* (mori) *potentia propinqua, sed forte potentia remota*. Schr.

f) *Nempe illa, quæ reducitur ad categoriam substantiæ, non quæ pertinet ad categoriam qualitatis*. Schr.

g) *Adde: Nisi per divinam potentiam. Quanquam alias substantia nostra mutatur in sepulchro, ut cesset corruptibilitas: non autem, ut una cum substantia redeat corruptibilitas, cujus in locum succedit incorruptibilitas*. Schr.

h) *Non tamen sunt substantiæ, aut de substantia, sed ἐχουσιώδη*. Schr.

i) *Scilicet per potentiam naturæ, at per potentiam ejus, qui est Dominus naturæ: Alias nec idem posset fieri dissolubile & indissolubile successive*. Schr.

k) Sunt ex accidentibus, quia a substantia abesse possunt, vel per potentiam super-

occupent, & in ea *immutabiliter* a) radicentur. Quod si verum eſt, homines, qui reſurrecturi ſunt, tum non amplius erunt homines, quia erunt incorruptibiles, cum nunc ſint corruptibiles? Reſp. ſi id, quod maxime eſt homo, eſſet corruptibili aut incorruptibili natura radicatum, verum hoc futurum: Sed *quia id, quod maxime homo eſt, eſt divinum & immortale, nempe forma :* b) & identitas aut *diverſitas ex forma* ſumitur, ut ipſe dixit ſuperiori capite, & ſi alia foret materia equi & hominis, aut etiam eadem, perinde ac ſi uterque eſſet albus, nihilominus equum & hominem fore diverſa ſpecie, quia formæ diverſæ: iccirco non ſequitur, hominem eum, qui futurus eſt immortalis, *ſpecie aut genere diverſum fore ab eo, qualis nunc eſt : Sed illud tantum eſt verum, corpus aut materiam illius aut hujus hominis genere inter ſe differre, diverſitas autem materiæ ſecundum genus non tantum non affert diverſitatem genericam rei compoſitæ, ſed neque ſpecificam,* quemadmodum triangulus, ſive ex lana fiat, ſive ex cera, ſive ex ligno, ſive ex carne, c) quæ ſunt materiæ genere differentes, nihilominus manet eadem trianguli ſpecies, ut ipſe ſupra dixit. Si enim ultima forma hominis radicata eſſet in illa materia corruptibili, eſſetque ejus conſequens quoddam ſecundum ſubſtantiam, aut paſſio ejus, quemadmodum *mas & fœmina ſunt paſſiones* animalis, aut *quemadmodum forma carnis ſecundum ſubſtantiam eſt radicata in ſua materia,* tunc mutata materia ſecundum genus, oriretur diverſa ſpecies, aut diverſum genus hominis: verum hæc forma hominis alioqui per ſe talis eſt, ut *extrinſecus accedat* 2. de gen. anim. Cap. 3. *nec radicetur in materia.* Quare cum illa det eſſe rei ſpecificum, non mutatur ſpecies humana, *illa exiſtente eadem.* Breviter attendatur, quod Paulus *antitheſin inter utrumque Adamum & loci & originis ratione inſtituat :* primus homo de terra terrenus, id eſt, ex luto formatus & proinde mortalis eſt: alter eſt Dominus e cælo. Nota in græco, *δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος*, ubi jam comma fiat, & poſtea ſequentia legantur, *ἐξ οὐρανοῦ*, ſcilicet *ὤν*, quemadmodum in antitheſi terreni Adami idem ſubauditur, *πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς* ſcilicet *ἔστι*, vel *ὤν*, *χοϊκὸς ἔστι*. Ideo mox ſubjungit: ſicut *portavimus imaginem terreni, ita & imaginem cæleſtis portabimus* Adami, id eſt, ſicut mortales fuimus, ut olim Adam, quatenus ab eo prognati ſumus, ita immortales futuri

naturalem: cujus præludium jam in ſtatu integritatis erat, ut *mori non poſſet homo.*

a) *Niſi aliter velit Dominus, qui radicavit, & eradicare poteſt.* Schr.

b) *At paulo ante dictum eſt, corruptibile & incorruptibile differre forma & materia.* Schr.

c) *Μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Non enim ſermo eſt de forma accidentali, ſed ſubſtantiali.* Schr.

futuri sumus, ut *nunc Dominus Jesus* est immortalis & gloriosus, a) quatenus spiritualiter per fidem ex eo nati sumus. Denique subjungit: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Vbi carnem & sanguinem *vitia & peccata, vel homines talibus inquinatos significare non posse,* b) patet ex scopo supra indicato, quem sibi in hoc cap. a v. 35. præfixum habet. Deinde ex eo, quod & *Jesus Christus carnem & sanguinem participavit,* c) & tamen blasphemum est, eum vitiis pollutum fuisse dicere. Denique verba sequentia, *quæ præcedentium explicatio sunt:* neque *corruptibilitas* hæreditabit incorruptionem. d) Corruptio autem significat non hominum vitia, sed eorum naturalem imperfectionem & mortalitatem, cui etiam Dominum Jesum obnoxium e) fuisse hinc colligi potest, *quod non dedit, hoc est, non permisit Deus, ut eam videret, hoc est, experiretur.* Hic propter temporis angustiam subsisto. Quæ contra de Jobo, Christo resurgente & ossa habente, ossibus apud Ezech. afferuntur, ad ea omnia & alia, quæ D. Meisnerus in Philosophia sua sobria attulit, peculiariter & copiose respondi, quod alio tempore mittere cogar. f) Doctrinam de satisfactione quod attinet, eatenus eam recipio, quatenus *Pareus, Grawerus, Sibrandus, Casmannus inprimis in Antisoc. fol. 225. & 226. Christum per acceptilationem satisfecisse dicunt.* a)

a) Recte; Indene autem consequitur, differentiam fore, qua substantiam? Immo potius, uti Christus post resurrectionem idem corpus habuit, etsi glorificatum: ita nostra quoque talia, & hoc sensu, non alio, *alia* futura sunt. Quod Phil. III. ult. Apostolus luculentissime ostendit.

b) *Potest tamen illis significari corruptibilitas a peccato orta, sicuti in verbis immediate sequentibus explicatur.* Schr.

c) Quando Christus dicitur carnem & sanguinem participasse, de substantia naturæ humanæ hæc phrasis intelligenda est, &, formulam duntaxat diversimode hinc in diversis locis accipi in Scr. S., consequitur. Ebr. II. eadem phrasis per *semen Abrahæ,* & alibi per *fructum ventris Mariæ,* aliisque modis explicatur. Infirmitates sponte & ultro Christus suscepit, tanquam accessorias.

d) Recte: Ergo corruptibilitas, ex peccato orta, ejusque fructus, ut supra intelligendus erit.

e) *Obnoxium* fuisse, *non* commode dici potest, *aptum* vero, si vellet, per naturam dissolubilem, nemo negat. Neque enim, corpus & animam, quantum ad naturale vinculum, (salvo personali, ut tamen *eatenus* maneret θεάνθρωπος,) dissoluta esse, & corpus denique dissolvi absoluta potentia potuisse, quisquam dubitat. Ad præsens autem institutum, præterquam quod ex Christi resuscitatione gloriosa, nostra quoque pendet, parum hæc faciunt.

f) Nihil horum deinceps missum legitur: Neque etiam opus fuerat hac discussione uberiori, cum Ezech. c. XXXVII. ne quidem de proprie sic dicta resurrectione in extremo die loquatur, sed totum emblematicum sit, & populi Israelitici ex captivitate restitutionem, atque Politiæ cum Ecclesia in Palæstina instaurationem vix credibilem adumbret; *Jobæus* autem locus ab aliis jam abunde satis, si vel maxime de resuscitatione in extremo die agat, (de quo sunt, qui dubitant,) vindicatus sit.

cunt. a) Pareus declarat simili: debet aliquis 100000 coronatos, creditor de suo jure multum remittit, & 100 coronatos accipit: sic commode declaratam non repudio. Quæritur etiam, *an Christus gratiam Dei acquisiverit* ? Si de *oblatione gratiæ* agatur, *dico non*, quia gratia Dei est caussa λύτρε, b) nostris theologis fatentibus. Sin autem de ejus *effectu & salutari fructu* loquamur, respondeo affirmate. Videatur responsum ad XI. quæst. c) Duodecimum quæsitum quod attinet, responsio est in litteris generalibus. Huc pertinent, quæ in responsione ad primam quæstionem occasione Niceni Symboli movi.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.
Si quid verbo DEI scripto repugnat, indictum esto.

*
* *

Cum hac I. Parte *Peuschelianæ* Confessionis Annotationes Schrœderianæ, quas nostris interpositas hactenus exhibuimus, finiuntur. Neque enim in MSčto, cui ἀυτόγραφα hæc annotamenta ad marginem adjecta fuere, in sequentibus quidquam invenimus amplius. Quæ igitur inposterum ad L. B. a sophismatum fuco, ne decipiatur per glaucomata objecta, præmuniendum adspergemus, ea nobis visa sunt ad imitationem Schrœderi addenda esse, ne vera dixisse, quæ plausibilia sæpenumero pronunciant, *Neo-Sociniani* nostri putentur. Breviores autem erimus utplurimum, quia pleraque, jam ante discussa, haud alia, quam succincta, ad incidendum nervum objectorum, commonefactione vel repetitione opus habebunt.

VNDECIMVM QVÆSITVM.

AN *argumentum Photinianum, Deus nos dilexit, antequam filium suum in mortem pro nobis dedit. Ergo, filius Dei passione & morte sua iram Dei*

atque hæc denique, quæ hucusque fuse admodum edisseruerat *Peuschelius*, confessioni editæ, & requisitæ ea propter, sufficiebant.

a) Hac de quæstione paullo post uberrime declamantem audiemus Confessorem nostrum. Nunc ambiguum esse, quo hic utitur, vocabulum, aut non omnes eodem sensu illud accipere, paucis monendum est. Quanquam etiam h. l. pro hominibus non pugnandum nobis sit, sed pro veritate.

b) De eo, tanquam primario validissimoque ariete *Peuscheliano*, p. p. dispiciemus.

c) Quæ tamen, quare a cæteris sejuncta sit, non perspicio; Sero tamen & paullo post hæc priora ad illam, quæ p. p. sequetur, hujus quæstionis longiorem, ex mente

Dei tum demum non placavit, sit mere sophisticum, & quid ad id respondendum.

Resp.

Cum quæritur, an Deus per Christum placatione indiguerit, eo quod hominibus ob peccata iratus fuerit, non hoc quæritur, an unquam Deus hominibus propter peccata iratus fuerit, hoc enim nemo, nec etiam ipsi *Photiniani* negant, ac proinde frustra & otiose aliqui id probant ex dicto Esaiæ: peccata vestra vos & Deum sequestrant: Sed hoc est κρινόμενον, an tempore Novi Testamenti, a) quando Deus Christum in hunc mundum misit, ipseque Evangelium ex sinu patris annunciavit, passus ac mortuus est: an, inquam, tum temporis Deus hominibus ita infensus fuerit, ut non nisi per mortem & post eam hominibus placari vel potuerit vel voluerit? id quod illi διαῤῥήδην negant, dicentes, tantum abesse, ut mors & passio Christi Deum placatum & propitium effecerint, ut potius ex passione & morte, tanquam ex effectu & signo, ardentissimus Dei erga genus humanum amor, eumque placatum & propitium se ultro exhibuisse, apparuerit. Id quod aliquot dictis probant. Johan. III. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Vbi causa dilectionis Dei non est, quod filius unigenitus se dedit, vel datus est in mortem, sed potius, quia Deus dilexit mundum, b) ideo filium dedit pro nobis in mortem. Item Rom. V. Commendat Deus charitatem suam in eo, quod Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc inimici c) ejus essemus, non vero, quod Deus inimicus noster esset. 1. Joh. IV. In hoc apparuit

---

Peuschelii, explicationem suspicor esse missam.

a) Ergone alius t. t. fuit *Deus*, atque ab illo, quo, ut judex mundi, peccatum non potest non odisse, tanquam ignis consumens, mutatus? Ipsum certe peccatum & peccatores sub id tempus immutata, tantum abest, fuisse, ut nunquam pejori, quam cum *Christus* in mundum veniret, loco ea extitisse, vel ipsa crucifixio Filii Dei sceleratissima demonstraverit.

b) Distinguatur inter *amorem* erga genus humanum *communem*, quali cuncta opera sua & singulatim quidem homines, tanquam *creaturam* cæteris, conspicuis certe, præstantiorem prosequitur; atque *gratiam* dilectionemque *paternam* & *specialem*, qua *placatos* sibi, credentesque in Christum & sanctos, tanquam ἐν τῷ ἀγαπητῷ κεχαριτωμένους, complectitur. Ille caussa est posterioris beneficii; hæc effectus, remediis divinis per gratiam illam & voluntatem antecedentem paratis, benevole partus: Quemadmodum idem quoque *Principum* subditis suis, sed incolumi justitia, benigne prospicientium, & haud raro inter lacrymas fusas sontes plectentium, aliosque, interveniente conciliatione, eademque sæpenumero admodum operose procurata, in gratiam recipientium, exemplis confirmari atque illustrari videas.

c) Si *inimici*, ergo nondum *placati* nec

ruit charitas Dei, quoniam filium ſuum miſit in mundum, ut per eum vivamus, vide etiam Eph. I. v. 4.

Ego hic ſententiam dicturus, ajo, ex eo, quod Deo per acceptilationem a) Chriſtus ſatisfecit, nec id omne Deus a Chriſto exegit, quod nos propter peccata noſtra debebamus, puta æternam mortem, cum deſperatione conjunctam, b) ultro & neceſſario ſequi id, quod argumentum propoſitum intendit. Et ſane ingenue fateor, me poſt diligentem hujus rei conſiderationem, perlectis iis, quæ D. Gerh. tomo 3. loc. theol. Lucius contra Gittichium, Jacobus ad Portum contra Oſtorod. Caſmannus contra Socin. ſcripſere, fateor, inquam, me iis perlectis, nihil vidiſſe, quod hoc objectamentum ſolide & ſufficienter diluat. Quin potius illis ea interdum excidunt, quæ hoc abunde confirmant, id quod mox oſtendam. Si quis tamen cogentes aliquot rationes ex Dei verbo protulerit, vel eas ego offendero, ultro, ut in aliis, ita & hic manus dabo. Caſmannus in Antiſocino, fol. pag. 228. ita ſcribit: Gratuita peccatorum noſtrorum remiſſio manet ideo, quia nulla proficiſcitur a nobis ſatisfactio, "*ſed mera eſt, & benigna Dei*" *acceptilatio*, c) quippe qui ſuum illud donum, quod nobis largitus" eſt, loco pleniſſimæ ſatisfactionis acceptat &c." Quomodo vero iratus

placentes Deo fueramus. Deum vero non minus nobis, quam nos Deo *conciliandos* per Chriſtum fuiſſe, uti Hebr. V. 1. clarisſime omnium, ita toties etiam alibi aſſeritur, quoties Deo pro nobis εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, perinde uti a ſacerdotibus typicis olim fieri conſuevit, ſacrificium ſuum, & quidem ἐν θυσίᾳ, h. e. cum immolaretur ſeu *mactaretur*, Eph. V. 2. Hebr. IX. 24. ſqq X. 12. 14. ſqq. Sacerdos noſter obtuliſſe dicitur. Quæ nemo ſanæ mentis homo, vel mediocriter attentus, ſine præſtatione aliqua, qua ille, qui nobis infenſus fuerat, accepta, h. e. Deus peccatori, poſita ira, denuo conciliatus ſit, concipere poterit.

a) Hanc acceptilationem, quæ tantopere arriſit *Peuſchelio*, ut, cum ad frugem rediiſſet, eam videatur adhuc probaſſe ſenſu Remonſtrantium, vocabula Sp. S. varia, v. g. δικαίωμα, maledictio eadem, quæ nobis injuncta, a Chriſto recepta, ἀντίλυτρον cum permutatione, τελείωσις Hebr. X. 14., ipſiusque perſonæ Chriſti infinita dignitas evertunt. De quibus jam ſupra pluribus dictum eſt.

b) Deſperatio hæc *accidens* erit mortis æternæ damnatorum, qui nunquam ſe exaſſe ſatisfacturos Deo, æternum licet pœnas patiendo, haud ignorant. De Chriſti deguſtatione mortis æternæ pro nobis tolerata contra, propter Prædis *perfectam* infinitamque dignitatem, aliter ſentiendum.

c) Verba hæc *Caſmanni* (*Ottonis*, Eccleſ. *Stadenſis* V. D. M. A. 1607. pie defuncti) ex *Anti-Socino* ejus, a *Joach. Vrſino* Ambergæ A. 1612. edito, & vicinis molitionibus, quas ſubodorabatur ille, dubio procul oppoſito deſumta, f. 225. ſq habentur, ſed ita, ut, prouti ſcopus auctoris docet, *acceptilatio* non imperfectam placationem, aut ſolutionem potius, quæ notio alias in Jure Civili uſitata eſt, deſignet, verum *plenisſimam*, quo ipſe *Caſmannus* vocabulo utitur, & per *ſolutionem ad ultimum usque quadrantem* explicat a Deo probatam. Vnde terminum hunc ita a Viro optimo, utut

tus eſt is, qui dat eum, per quem ſatisfiat ſibi. a) Si enim ita iratus eſt, ut nolit ſibi ſuum debitorem reconciliari, niſi debitor vel ipſe ſatisfaciat, vel alium offerat & ſubſtituat, qui plene hoc præſtet, non ipſe vel eam pecuniam, qua ſatisfieri debet, ſuppeditabit, vel eum, qui hoc præſtet, offeret. b) Sin autem ipſe vel vadem offert, vel donum, quod pleniſſimæ ſatisfactionis loco acceptare vult, largitur, annon vel meridiana luce clarius inde patet, eum jam debitori amplius non iraſci, vel certe plurimum de ira ſua remiſiſſe? c) Jacobus ad Portum, p. 492. ait: Deus λύτρον illud, quo ſibi ſatisfieri voluit, *nobis gratis dedit.* Quæ vero parum conveniunt cum iis, quæ p. 482. ſcribit: Deum nobis iratum d) fuiſſe, patet ex Eſaiæ loco, ubi ait, peccata hominum diſterminaſſe inter illos atque Deum ipſorum, & facere, ut occultet faciem ſuam ab ipſis, ne exaudiat. Quibus verbis docet propheta (inquit Jac. ad Portum,) peccata noſtra eſſe velut parietem inter Deum & nos interjectum, eaque nos Dei gratia privare, & benignitatis illius januam nobis occludere &c. Adduxit item Pſ. V. : Odiſti omnes operantes iniquitatem &c. Candide ſane, ſed admodum inconſtanter. Quomodo enim, ſi peccata noſtra inter Deum & nos divortium, & quidem tempore miſſi Chriſti e) fecere, ita, ut benignitatis

minus accurate, accipi, ut *acceptationem* alienæ præſtationis *pro noſtra & propria*, quam nos ipſi præſtare debuiſſemus, denotet, planiſſime patet. Quæ acceptatio, ſicut gratiam Dei ſolide confirmat, ita ἰσόῤῥοπον ſatisfactionem ἐν τελειώσει pari modo comprobat, & quo pacto miſericordia cum juſtitia, & hæc viciſſim cum gratia temperatæ, & in ſanctiſſimo hoc actu unitæ ſint, quem Sp. Sanctus multoties utrique divinæ proprietati cum ſapientia h. m. illuſtratæ etiam tribuit, liquido oſtendit.

a) Commiſcetur animus iratus cum *implacabili.* Huic repugnat procuratio & *acceptatio*, alienæ præſertim, ſatisfactionis, non illi.

b) Ergo iram cum gratia Dei, & juſti ſimul & miſericordis, ſibique non repugnantis, ſed ſemper diviniſſima *harmonia*, per *naturalem* perfectionem optime ſibi conſtantis, *temperamento* quodam *ſapientiſſimo*, conjunctim hoc opus ſtupendum perfeciſſe, quod Sp. S. ipſe multis in locis, inprimis Rom. III. 25. 26. explanate docet, hinc diſcere potius, quam alterutrum attributorum divinorum ab hoc ſanctiſſimo opere excludere decet.

c) Non remiſiſſe, ſed ad remiſſionem, ſi *juſtitiæ ſatisfactum ſit*, honorique judicis infiniti infiniteque juſti improbe læſi conſultum, proclivem eſſe.

d) Iræ hæc non repugnant, ſed implacabilitati & ſummo a *nobis ipſis* exigendæ ſatisfactionis rigori : quem Lex expoſcebat, Evangelium autem in ἔγγυον transferendo temperabat atque emolliebat.

e) Idem fuit, qui olim; ſicuti nec peccatum reatus ſui, tam culpæ quam pœnæ, cum relatione ad Deum judicem, tempore labente mutavit. Eſſentialia enim hæc ſunt delictorum, præſertim ad Deum, judicem mundi, per eſſentiam, *ut ignis comburens*, peccata deteſtantis, relatorum conſectaria; quæ, niſi compenſatio ſacrilegii admiſſi fiat & intercedat, ubi a peccatore utique tolli poſſunt, haud ſane mutantur;

tatis ſuæ janua occluſa faciem ſuam ille a nobis abſconderit, Deus nobis *λύτρον* pro peccatis donavit? a) An is creditor, qui ita debitori iraſcitur, ut faciem ſuam ab eo abſcondat, benignitatem ſuam ei denegans, debitori pecuniam pro ſatisfactione donabit? Conciliet hanc *ἀντίφασιν*, qui poteſt. Fons erroris (quod pace ipſius dixerim,) eſt, quod, cum probare deberet, Deum tempore b) miſſi & patientis Chriſti hominibus iratum fuiſſe, ille ea tantum dicta affert, quæ Deum olim, aliquando & in V. teſtamento iratum fuiſſe teſtantur, quod eſt, *ἁμαρτάνειν τῆς θύρας*. Alia plura brevitatis ſtudio prætereo. Nunc pauca, quæ contrarium ſvadere videntur, diluam. Rom. III. v. 24. Chriſtus dicitur *ἱλαστήριον*, propitiatorium, *der Gnaden-Stuel*, ut vertit Luth. Vbi reſpondent, hoc fieri allegorice ad exemplum operculi, quod erat ſuper arcam fœderis, quod ita etiam vocatum fuit, non quaſi Deus per hoc operculum, populo ſuo placatus fuerit, ſed potius, quia in eo, vel ſupra id Deus ſe populo propitium exhibuit, c) dum illis reſponſa dabat, & quid fieri ab illis vellet, per Moſen indicabat. Vide Exod. XXV. v. 22. Ita etiam Paullum Chriſto hoc nomen tribuiſſe, quia Deus per illum non ſolum ſe nobis placatum & propitium exhibuit,

 (ego

Ex hominum injuſtorum & torpidorum vero indulgentia, ſeu negligentia potius in adminiſtranda juſtitia, hæc æſtimanda non eſſe, in confeſſo eſt: quemadmodum etiam, infinito odio eos haud proſequi ſcelera, adverſus Deum quoque commiſſa, præcipue poſt funeſtum lapſum, proh dolor ſatis ſuperque conſtat.

a) Præter officium judicis & propitiatoris, *θεανθρώπου*, heic commixta, & œconomiæ *δικαστικὴν* in negotio ſalutis noſtræ inter perſonas divinas liquidam demonſtrationem h. m. impugnatam, ſane neque in humanis rebus inuſitatum eſſe novimus, ut creditor, iratus licet indignansque debitori, eidem tamen modum, quo per alium ſibi ſatisfacere poſſit, oſtendat, indigitet atque procuret, etſi pecuniam ipſe non donet. Cætera ejusmodi ſunt, quemadmodum conſilia divina omnia, ut *myſterium hoc crucis*, quam phraſin Paullus 1. Cor. I. ſæpius repetit, impervium quid prodant: quæ proinde noſtrum eſt non rimari, ſed adorare, ne in *μωροσοφίαν* ethnicorum, aut *σημειομανίαν* Judæorum, vel his omnibus deteriorem morbum animi, quem *ἀδόκιμον νοῦν* vocat Sp. S., incidamus, noſtræque rationis ſomniis conſopiti æternum, cum neglectu hujus mirificæ gratiæ, ſomnum dormiamus.

b) Coccyſmus. Cui priores reſponſiones opponendæ.

c) Sed quare? Non aliam ob cauſſam, quam quia *operculum* illud, hinc ſolido etiam auro conſtans, & inprimis, ſupra omnia vaſa tabernaculi ſacra, maxime *τίμιον*, *Legis* in arca jacentis *fulmina*, ſeu maledictionis peccatorum denunciationes, continuas contegebat. Eaque etiam ratio fuit, cur *ex hoc loco definite* reſponſa *tantum* gratioſa expectari debuerant. Quare nec reſponſionem, ſed operculum *ratione typici officii* ſpectatum, *Paullus* l. c. commemoravit, *Peuſchelius* autem nudo in meridiana luce oculo ad typum hunc minime attendens, & de oraculis datis duntaxat cogitans, a janua magnopere aberravit.

(ego addo, quia per illum pretium redemptionis nobis donando, illudque postea plenæ satisfactionis loco a) acceptando, iram suam deposuisse, & multum de iure suo remisisse declaravit,) sed etiam omnia, quæ nobis scire voluit, per eum nobis revelavit. Quod vero Ephesios II. legitur, Christum reconciliasse Judæos & gentes in uno corpore per crucem Deo, peremptis inimicitiis per eam. b) Respondent, ibi non agi de inimicitia aliqua inter Deum & homines, sed eo, quod erat inter gentes & Judæos, dissidio. Siquidem gentes neque fœdus, neque promissionem, neque *verum* Dei cultum habebant. Judæi vero hæc omnia, qui per legem & præsertim per ceremonias ab omnibus populis distingvebantur, ita, ut propterea dissidium inter utrosque aliquod vigeret. Christus vero venit, & postquam mandata vel dogmata, prout apostolus vocat, nempe ceremonias sustulit, utrisque salutarem Dei gratiam & eadem mandata, nempe charitatis, annunciavit vel annunciari curavit, & ita c) ex utrisque unum populum fecit, vel ut ibi loquitur in unum novum hominem condidit, quatenus nunc ambo renovati, juxta unam eandemque novæ creaturæ d) regulam, ambulare debent. Quod etiam Colofs. I. dicitur, Christum per sanguinem in cruce per seipsum pacem fecisse, ut quidam objiciunt; Respondent, quod Apostolus non Christum, sed Deum e) hanc pacem fecisse dicat. Deinde eum non dicere per seipsum il-
lum

a) Novum vacillantis mentis, & *acceptationem* alieni meriti pro hominibus ipsis, quibus id incubuerat, cum *acceptilatione* absoluta putide permiscentis documentum.

b) *Per seipsum* reddatur. In Græco enim fonte τὸ ἐν ἑαυτῷ legitur. Idque non in cœlo demum, sed in *cruce, in carne, patiendo*, factum esse, ut non solum inter se omnium gentium homines, sed *Deo quoque* conciliarentur, expresse semel iterumque affirmatur. Geminus autem finis atque *effectus, primarius*, qui Deum placandum cum mortalibus respicit, & *secundarius*, qui homines invicem ἐν ἑνὶ σώματι deinde conjungendos, ille *ut fundamentum antecedens*, hic, ut *consequens*, neque heic etiam commisceri debuerat.

c) Non per hæc sola, h. l. & paullo ante enumerata, quæ *capitalia* non erant, sed *accessoria* & fructus, verum per καταλλαγὴν τῷ θεῷ ἐν τῷ αἵματι χριστοῦ, ἐν σαρκὶ αὐτοῦ, ante omnia procuratam, qua impetrata, uno eodemque modo, h. e. *una fide* omnibus ad Patrem, per ἱλασμὸν & ἀρχιερέα communem accedere etiam ἀμέσως licet.

d) *Novæ creaturæ*, ad præcepta forte nova formatæ. At *Paullus* hac nova creatura cumprimis *fidem*, coll. Gal. VI. 5 cum V. 6., complexus est, eamque cæteris omnibus ejus partibus, *fructibus* potissimum, in negotio principe *justificationis*, per modum *instrumenti* Christum recipientem, esse anteferendam, immo unice, quantum ad istum effectum, ἰσχύειν, diserte inquit. De præceptis Christi si nova intellexit *Peuschelius*, alia deinceps edoctus est, & mentem ipse mutavit.

e) At *per Christum*, spectatum ut μεσίτην θεάνθρωπον. Perinde ergo illud est, sive Deus per Christum, sive Christus cum Deo conciliationem effecisse dicatur.

lum eo, quod vocula ἀυτȣ̃ in græco non habeat ſpiritum aſperum, ſed tenuem accentum. a) Licet igitur concederetur, ajunt, Apoſtolum de ea pace loqui, quam apud Deum per Chriſtum habemus, ex his tamen verbis nihil concludi poteſt, ſiquidem, ſi Deus ipſe per Chriſtum hanc pacem fecit, nulla iræ ſuæ placatione opus habuit. Alias non ipſe nos, ſed nos potius per Chriſtum eum quærere & placare neceſſe habuiſſemus. b) Verba Apoſtoli ita habent: quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Quæ Caſtellio ita explicat: Quoniam complacuit Deo patri in ipſo, id eſt, per ipſum [ἐν ἀυτῷ pro δι' ἀυτȣ̃, quis enim neſcit ἐν pro διὰ ſæpius uſurpari? c)] Chriſtum puta, inhabitare totam plenitudinem, id eſt, Eccleſiam. d) quæ Eph. I. verſu ultim. dicitur corpus & plenitudo ejus (h. e. Chriſti,) qui omnia in omnibus implet. Id autem nihil aliud eſſe, quam ſpiritualiter regere, gubernare & donis implere. e) Et per eum (ſcil Deo patri complacuit) reconciliare omnia in ipſum, id eſt, recapitulare, vel ad unum caput reducere omnia in Chriſto, vel per Chriſtum Eph. I. v. 10. Quid autem hoc ſit, ex dicendis patebit. Pergunt igitur illi, & dicunt, quod illa reconciliatio & pacificatio, de qua hic agatur, non ſit illa, per quam Dei amici facti ſumus, ſed ea, per quam omnia, quæ in cœlo & in terra ſunt, ut Apoſtolus ipſe teſtatur, in ſe vel inter ſe ſunt reconciliata &

a) At tamen δι' ἀυτȣ̃ *per ſe ipſum*, (uti Eph. II. ἐν ἑαυτῷ,) Chriſtus hanc expiationem, i. e. per mortem ſuam ἐν ςαυρῷ, comparaſſe, mox affirmari videas. Quæ, placamentum non *in cœlo* demum factum eſſe, ſed in terris, demonſtrant. Quod autem *Deus Pater*, qui ut *judex* hic ſpectatur, ipſe hanc conciliationem procuravit, non ſane, haud iratum eum fuiſſe peccatis & peccatoribus, innuit, ſed miſericordiam juſtitiæ interceſſiſſe, atque illam, ut huic ſatisfieret, paraſſe, quibus opus erat, Deumque ſibi ipſi non repugnare, ſeu, uti Paullus 2. Tim. II. 13. loquitur, ſe *non poſſe negare*, iterum his ipſis condocetur.

b) Id vero, quia nunquam per nos vel inveniri vel præſtari potuit, denuo divinam gratiam, *excluſa omni gloriatione noſtra*, luculentiſſime declarat, at divinam ſimul *juſtitiam*, eamque non arbitrariam, ſed *naturalem*, quam maxime conſtabiliri oſtendit.

c) Quid opus eſt hac particularum permutatione, niſi ad pervertendam Apoſtoli ſententiam? In Chriſto enim plenitudinem divinitatis σωματικῶς habitare, cum Cap. II. 9. dicatur, ſane mirum non eſt, ſi hæc perſonæ *ejusdem* tanquam θεανθρώπȣ *præſtantia officio redemtionis* ſubſternatur? Certe niſi a *tali tantoque* Soſpitatore noſtra *cum Deo conciliatio* proficiſci haud potuiſſet, eamque ob rem opera ejus divina tantopere jam ante exaggeravit Apoſtolus.

d) Egregia profecto interpretatio & cedro digna! In Chriſto habitat omnis plenitudo i. e. *in Chriſto habitat Eccleſia*. Quotusquisque eſt qui tam nefandam verborum calumniam ſine bile legat? Apage nugas e ſacris. Procul hinc, procul eſte profani.

e) Sic ergo *in cruce*, ubi hæc facta dicitur reconciliatio *per mortem*, ſpiritualiter gubernavit omnia? Bella Exegeſis præſertim

& pacificata a) Etenim, quæ in terra ſunt, homines videlicet, tam gentes, quam Judæi, unus Dei populus ſunt facti, & ambo b) ſumma concordia eundem Deum eadem prorſus ratione colunt, eandemque ab ipſo ſalutem expectant. Quæ autem in cælis ſunt (angeli,) non quidem inter ſe, ſed cum iis, quæ in terris ſunt, pacificata fuere, quatenus ſcilicet angeli Dei, qui ante divini decreti per Chriſtum factam promulgationem, hominibus, utpote Dei & Domini ipſorum inimicis, infenſi erant, cum iis, Dei voluntate deinde perſpecta (de quo vide inſignem locum Eph. III. v. 10. 11.) in gratiam quodammodo rediere, & illis ad tantam Dei ſalutem capeſſendam, ex Dei ordinatione inſerviunt. c) Hebr. I. v. ult. ubi miniſtratorii ſpiritus propter ſalvandos emiſſi dicuntur. Hæc omnia *Grawerus* vera eſſe fatetur in ſua contra *Oſtorod.* diſſertatione, dum ait: *Hæc ego cum Socino & Oſtorodo vera eſſe fateor.* Quid tamen contra afferat, ut non tantum hanc, ſed etiam alteram illam, Dei videlicet cum hominibus factam reconciliationem, evincere conetur, paucis poſtea diſpiciam. Nunc dico, me his explicationibus eatenus accedere cum *Socino* & *Oſtorodo*, quatenus iram Dei erga homines, tunc, cum Chriſtus Dei fœdus nobiſcum pepigit,

ad Sociniani Syntagmatis doctrinæ analogiam egregie congruens. Ad Eph. I. 10. de *effectu* conſequente reconciliationis ſermo eſt, atque locus proinde iſte male ad hunc de *cauſſa* agentem, ut παράλληλος, applicatur.

a) Male, quæ de *acquiſita* benevolentia Dei paterna agunt, iterum cum *applicatione* de qua poſtea diſſerit *Paullus*, confunduntur.

b) At præſtructa, utpote quæ fundamentum eſt amicitiæ inter homines, inſtaurata ante cum Deo pace & concordia: Vti ſupra jam obſervavimus. Quid enim prodeſſet hominum conciliatio inter ſe, ingenti ſtudio licet inſtituta, niſi Deus antea utrique genti amicus factus eſſet? Εἰς αὐτὸν igitur ἀποκαταλλαγὴν, &c, ut ſiſteremur ἄμωμοι καὶ ἀνέγκλητοι κατενώπιον αὐτοῦ h. e. coram Deo, hoc, quicquid eſt, ærumnarum Chriſtum paſſione ſua atque morte ſubiiſſe, docet Apoſtolus. Cætera, ut *conſequentia*, vel prorſus h. l. non attingit, vel certe *primario* haud quaquam tractavit.

c) Ita vulgo hunc locum explicari notum eſt. Neque ea interpretatio ingrata *Socinianis* videtur, utpote quorum conciliatio absque λύτρῳ proprie dicto, quo nec Angeli opus habent boni, inde magis firmari poſſe, ipſis certe, videtur. *Mihi*, ſi quid judico, rectius Angelis, (inter creaturas, ſed ob aliam cauſſam, ante connumeratis) probabile nunquam non fuit, ſubſtituendos eſſe *homines jam in V. T. demortuos*, quorum peccata Chriſtus non minus, uti Hebr. IX. 15. perſpicue docetur, quam *ſequentis ævi mortalium*, expiavit, atque hos adeo ſolos intelligi oportere, eo ſenſu, quod cum in *cælis jam ſint*, *non* tamen, *niſi per* καταλλαγὴν hanc, *Chriſti* in eam ingreſſum conſequi potuerint. Quam etiam ob rem alios ſub terra, mortuos videlicet & qua corpora ſub terra adhuc abditi videas cum iſtis, qui in cœlo ſunt, qua animam conjungi Quam tamen ſententiam nemini obtrudimus. Si quis enim *indirecte*, ex conciliatione hominum atque Dei, profluentem conſecutamque amicitiam angelorum

pigit, inconceptam, a) & placationem hujus iræ per mortem faciendam excludunt. Contra vero eatenus nostris theologis accedere, quatenus plenam satisfactionem per acceptilationem factam, id est, cum respectu æquivalentiæ & gratiosæ Dei acceptationis, minime hinc excludi contra *Socinum* & *Ostorodum* statuunt. b) Quomodo vero hæc simul stare possint, id est, ut creditor satisfactionem accipiat, & tamen iram c) deponat, antequam illa fiat, postea videbimus. Nunc pergo. Ajunt porro, reconciliationem hanc Deum fecisse, cum nos, qui abalienati ab ipso eramus, inimicumque animum, mala & peccata multa perpetrantes, adversus eum gerebamus, ab iniquitatibus nostris retrahendo, & ita coram se, pro ineffabili sua benignitate, sanctos atque inculpatos reddendo. d) Quod verum est, si modo addatur, non retrahendo solum a peccatis, sed etiam donum suum, quod nobis largitus est, loco plenissimæ e) satisfactionis acceptando, quæ mera est ac benigna Dei acceptilatio, ut recte loquitur *Casmannus* f) in Antisocino fol. 225. Huc pertinent illa dicta, Rom. V. v. 8. Commen-

cum hominibus beatitatis consortibus, & de mortalium quoque pœnitentia, uti Christus inquit, mirum in modum lætantibus, ut fit, isthæc interpretur, nihil dixerit, quod fidei analogiæ adversetur.

a) Non inconceptam statuunt iram Dei, sed misericordia & clementia curandæ expiationis sufficientis temperatam.

b) Prodit his verbis sententiam suam, quam postea quoque videtur approbasse, dum viveret, de *acceptilatione* satisfactionis *imperfectæ pro perfecta* a Deo (*wie man mit einer bœsen Schuld zu thun pflegt*) acceptæ, proque toto debito hoc modo delendo benigne valere jussæ. Quemadmodum vero, uti semel iterumque a nobis jam observatum est supra, *acceptationem* cum *acceptilatione* male confundit, & Scr. S. testimoniis ipsa hæc doctrina quoque refragatur, ita inique hunc nostris Theologis errorem (quicquid sit de *Socinianis* quibusdam,) imputat; a quibus hæc hypothesis ex instituto sæpius, omniumque solidissime *a Frid. Spanhemio*, & *Matth. Zimmermanno* nostro, peculiari *de Acceptilatione* libello, confutata est.

c) Falsum est, *iram deposuisse* Deum, antequam satisfactio præstita esset. Charitas namque generalis illa, & *gratia paratrix* iram justam adversus peccata severe puniendа non tollit: Quemadmodum omnis *voluntas antecedens ordinata* ordinem hoc ipso, quod ordinata est, haud excludit, sed stabilit.

d) Hæc consequuntur. Dicta autem allegata, inprimis Col. I., de *comparata* per καταλλαγὴν divina *speciali paternaque* erga filios jam redditos, seu jure ad hanc dignitatem redeundi donatos, gratia loquuntur, quam *applicatio* illa particularis (eventu) ex universali acquisitione deducta excipit. Vid. 2. Cor. V. 18. & 20. coll. Rom. V. 10. & 11.

e) Immo plenissimæ revera, sed *alienæ*, h. e. a sponsore atque *expromissore* exhibitæ, sed *pro nostra*, quasi ipsi passi ea essemus omnia, 2. Cor. V. 14. a Deo judice perbenevole receptæ, & rigori *legalis* exactionis non inhærentis.

f) Cujus vero mentem perverti, & in pejorem sensum rapi, jam ante monuimus.

dat Deus charitatem suam in eo erga nos, quod Christus, cum adhuc peccatores, & proinde inimici ejus, ut mox ex v. 10. audiemus, essemus pro nobis mortuus est. Et v. 10. Si enim, cum inimici essemus, (puta in delictis vel per delicta, ut mox dicam,) reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus. Col. II. 13. a) Et vos, cum essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, convivificavit vos cum illo, puta Christum, naturaliter & corporaliter resuscitando ex mortuis per gloriam suam. Rom. VI. Nos vero spiritualiter, quatenus idem Deus & pater Domini nostri J. Christi secundum multam suam misericordiam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, 1. Petr. I. v. 3. vel ut Col. I. 21. dicit: Et vos aliquando cum essetis alienati & inimici sensu vel mente in malis operibus. Nunc autem reconciliavit in *corpore carnis* b) ejus per mortem, *ut sisteret* vos sanctos, & inmaculatos & inculpatos coram ipso, si tamen permanetis in fide fundati &c. Pergunt & dicunt Actor. X. v. 36. legi, quod Deus per Jesum Christum pacem evangelizaverit, vel annunciaverit, ex quibus verbis nullam iræ Dei placationem sequi dicunt, sed potius contrarium, propterea, quod Christus pacem annunciavit, antequam mortuus fuit. c) Si autem Deus absque morte Christi voluisset nobis peccata nostræ condonare, non ante mortem Christi pacem annunciari curasset. Hoc corrigo, ita enim scribere volebam: Si autem Deus ante Christi mortem iratus nobis fuisset, ita, ut non, nisi per mortem ira, ejus

a) Inutilis est hæc fusa dictorum Scr. S., quibus Dei charitas *paratrix* prædicatur, recensio & congeries. Nemo enim nostratium eam negat; at *propterea* satisfactionem prorsus *æquivalentem non* esse a Christo præstitam, sed qualemcunque eum passionem, ad demonstrandam peccatorum turpitudinem, Deique sanctitatis violationem, (quam tamen ipse Deus non tantopere amplius curet,) sustinuisse; hoc probandum fuisset. Contraria certe omnia vel hæc ipsa loca, in quibus *interdum* ordine cuncta *acquisitionis & applicationis beneficia, alias per se distincta, simul conjuncta* comparere utique fatemur, condocefaciunt, & locus Rom. V. 10. evidentissime omnium evincit.

b) Si *in corpore* carnis *per mortem*; ergo non demum in cœlo. Vnde *applicatio* heic quoque ut *finis reconciliationis*, ab hac distincta, consequitur.

c) Annunciavit tamen simul, se moriturum, & animam vitamque ἀντὶ πολλῶν traditurum esse. *Antrorsum* vero & *retrorsum* valere, *fide interposita* sincere licet tantum nixas, præstationes & applicationes morales, nemini incognitum est, qui vel a limine scientiam morum salutavit, idemque Epist. ad Hebr. X. 10. comprobat. Atque hæc illa *pax* est, quam Christus annunciavit, certo videlicet, uti per promissa jam facta, ita per satisfactionem morte præstitam facienda, aut executioni danda.

jus placari potuisset, pacem annunciari ante mortem non curasset, a) vel ipse per Christum non annunciasset. Remissio enim peccatorum, quoad effectum, sine morte Christi fieri non potest, licet quoad oblationem eam antecedat, b) ut postea dicam. Quod etiam apostolus Rom. V. dicit, justificatos nos fide vel ex fide pacem habere apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, non tamen dicit, quod ideo pacem habeamus per Christum, quod iram Dei placaverit (hujus enim contrarium v. 8. & 10. dicit, ut superius vidimus) sed propterea, quod in Christum credimus, ut hic scriptum. Nam sic Deus ordinavit & promisit, se omnibus credentibus in Christum peccata remissurum, & vitam æternam donaturum: c) Hæc enim est pax illa, quam per Christum apud Deum habemus. d) In summa; quatenus per agnitionem Jesu Christi Domini nostri effugimus inquinamenta mundi, id est, opera mala vel carnis, quibus a Deo abalienati eramus, & ita a peccatis nostris retrahimur, ut ante dictum est, eatenus justificati pacem habemus apud Deum; quis enim est, qui accusabit justos & electos, quos Deus justificat, & pro quibus Christus intercedit, Rom. VIII. cum impii alias, quatenus tales sunt & manent, pacem vel quietem (ob conscientiam videlicet malefactorum) non habeant, e) ut alicubi dicit Psalmista. Obvertunt etiam locum. 1. Joh. II. Christus est ἱλασμὸς, propitiatio pro peccatis; Ergo ex Deo irato propitium effecit. Sed & hic locus ὀυδὲν πρὸς ἔπος. Aliud enim est, Deum ante Christi mortem nobis ob peccata iratum fuisse, cumque adhuc inimici ejus fuimus: Aliud vero, quando Deus post mortem

 Chri-

a) Quidni? tam certo quippe restituendam, ac si jam reddita omnino esset. Quam rem quotidianæ solutiones post liberationem e carcere exhibitæ, data ante dextra firmatæ, illustrant.

b) Eadem chorda cum oberret *Peuschelius*, eadem quoque responsio iterum iterumque repetatur.

c) Vtrumque Sp. S. & l. c. & alibi sæpius, ubi καταλλαγῆς cum Deo propter inimicitiam utrinque ex peccato ortam, fit mentio, docet; ita tamen, ut impellens seu Deum movens caussa *principalis* virtute sua *meritoria* perfectissima, Christi ἱλασμὸς sive ἀπολύτρωσις, & *fides*, tanquam applicationis *instrumentum* morale, seu movens *minus principalis* caussa, quatenus videlicet illud meritum cum fiducia sec. pactum Evangelicum apprehendit atque sumit, conjungantur, neutiquam vero, quæ *subordinata* sunt, invicem sibi opponantur.

d) *Habent* pacem acquisitam oblatamque *omnes*, *habent* vero tantum, ut ea reapse *fruantur*, *non nisi credentes* & regeniti, qui soli *comparatam* universe omnium *acceperunt*, ut Paullus loquitur l. c. Ep. ad Rom. V. 10. & 2. Cor. V. 18. atque 20.

e) Vt fruantur reapse, etsi habeant acquisitam, ut frui sec. ordinem œconomiæ Evangelicæ & ipsi debeant. Alioquin propter contemtum non tam graviter, uti Joh. III. ult. habetur, puniendi, & *proxime* ob ἀπιστίαν æternum damnandi.

Christi & datum ab ipso λύτρον, alicui jam converso & renato, iterum in peccata labenti, irascitur. Distinguendum etiam accurate inter incogitantias & fragilitates, ac peccata graviora voluntarie a renatis admissa. De priori vero non loquitur Apostolus, sed de posteriori. a) Locus enim accipiendus est de renatis, & ad Christum conversis ministerio Johannis, qui ad Christum accesserunt quidem, interim nondum omnes peccatorum vitiosos habitus deposuerunt. Hos adhortatur D. Johannes, ne peccent, hoc est, ne in peccato hæreant. Nam qui peccant, æternam salutem consequi non possunt, ne vero desperent, qui, propter novitatem suæ ad Deum conversionis, iugum peccati, vel unius, vel etiam plurium, nondum excusserunt, solatur eos, futurum scilicet, ut, si ad Deum serio sese convertant, peccata illis, in quibus adhuc hærebant, remittantur, quia Christus sit noster advocatus apud patrem, & sit justus, & propitiatio pro peccatis, non tantum eorum, qui in ipsum credere inceperunt, sed etiam pro peccatis totius mundi, si resipisceret. Quæ quidem consolatio valde insignis est, sed ad eos non pertinet, qui, jugo peccati semel excusso, iterum peccato aliquo mancipantur. His enim *impossibile est* renovari ad pœnitentiam. Ebr. VI. b) Sicut igitur Deus ante Christi mortem, cum peccati servi, vel in illo mortui essemus, tamen *non fuit iratus*, c) sed nos ita

a) Vniverse loquitur Apostolus & generatim. Sed faciamus, de peccatoribus per infirmitatem sermonem esse, ex proximis Cap. I. ult. verbis occasione forte ad eum sic instituendum data; ratio tamen reddita exhortationis ad pœnitentiam generalis est, ad quoscunque peccatores applicanda: dummodo vera & sincera pœnitentia, *cujus primaria fides*, in Christi ἱλασμῷ recumbens, *pars est*, interveniat. Qua etiam de caussa hic ipse ἱλασμὸς, tanquam pro totius mundi peccatis præstitus & *rite* applicandus cunctis, si *conditionem applicatricem* ipsamque adeo ἀπολύτρωσιν seu ἱλαστήριον propositum non repudient, describitur. Male igitur hæc ad placatos, h. e. Christi jam participes per fidem, in qua adhuc ἑστήκασι, adstringuntur, quæ & hic & alibi luculentius ad quoscunque porriguntur, &, ut hoc ἱλασμῷ justo ordine Evangelico fruantur, ab ipso Christo, nemine excluso & indefinite, quamdiu τὸ σήμερον vitæ durat, invitantur.

b) Quidni etiam ad hos? Nullum Scr. S., quoties pœnitentiam prædicat, discrimen usquam constituit, sed *indeterminatim* cunctos ad Christum accedere jubet, & divino jurejurando confirmat: etsi, difficilem, non propter Dei limitatam ad certum tempus omnimodam gratiam, sed humanæ mentis per Satanæ impietatem & justam indurationis, gradu tamen distinctæ, pœnam, atque obfirmationem insuperabilem, adeoque *eventu* etiam *raram* esse *veram* illam sceleratorum, & sæpius in peccata, eadem præsertim, petulanter relapsorum *conversionem*, facile concedatur. *Extraordinarium* itaque *casu* seu eventu, (ex parte hominum enim obstacula obsunt plurima,) & *caussa*, (neque enim alia Dei, quam una Evangelii æterni, œconomia, peccatis omnibus abundantiori, opus est,) si distinguas, res expedita erit.

c) Antiqua cantilena, cum fastidio iterum repetita.

ita dilexit, ut filium ſuum pro nobis dederit in mortem, inque ea charitatem ſuam erga nos, ejus *inimicos* a) declaravit. Joh. III. Rom. V. ita, ſi quis jam Chriſti morte peracta, & gratia Dei per Evangelium, ac fidei & pœnitentiæ conditionibus oblatis, tamen adhuc peccet, illi Deus non poteſt non iraſci, b) cum gratiam ipſius aliquatenus talis aſpernetur, ita tamen, ut ſi ex infirmitate, ignorantia aut fragilitate peccet, ſtatimque agnito errore a peccato reſurgat, is Deum iterum clementem & propitium ſit experturus, cum talem apud eum pontificem habeamus, qui infirmitatibus noſtris ipſe per omnia tentatus, compati & ſuccurrere poteſt. Et de eo ipſo hoc loco agit Johannes id eſt, de renatis, qui poſt Chriſti mortem peractam, & gratiam omnibus annunciatam & oblatam, iterum ex fragilitate peccant. Voluntarie enim peccantes hoſtiam pro peccato non habere, ait epiſtola ad Hebræos. c) In ſumma: Chriſtus variis modis d) eſt propitiatio, partim, quia Deus charitatem ſuam erga nos, ejus inimicos declarando,

 Rom.

a) Sic tamen, ut & ipſe nobis, tanquam juſtus judex orbis, & vindex legis ſuæ, iraſceretur.

b) Ita eſt: Et quidem iraſcitur Deus denuo & gravius, propter contemtum gratiæ in Chriſto partæ, non tamen ſine ſpe recuperandæ gratiæ, ſi id fiat ἐκ προαιρέσεως; Sin minus, & ſi forte obrepat hallucinatio, quo *Peuſchelius* videtur reſpicere, nemo erit, qui ei, quantum ad hæc, contradicat. Miramur autem, tantopere iram adverſus hos ceſpitantes magno conatu exaggerari, cum tamen erga univerſi humani generis infinita delicta eadem ira divina omni ſtudio hactenus extenuata fuerit.

c) De *alia* hoſtia, quæ *relicta ſit*, (οὐκ ἀπολείπεται) ſermocinatur Apoſtolus cum Hebræis, qui identidem hoſtias hoſtiis ſubjicere, aliamque ex alia offerre in templo poterant; idque in Oeconomia Evangel. pacti Chriſtiana, ſeu N. T, locum non amplius habere, ut olim ſub Moſaica, monet, ita, ut, qui Chriſtum repudiet, & ab eo deſciſcat, non niſi πυρὸς ζῆλον expectare neceſſe habeat. Hæc *Paullus l. c. ad Judæos ſcribens*, & cum *Judæorum præjudicatis opinionibus depugnans*, qui tamen, ad idem ſacrificium Chriſti pœnitentia non fucata redire peccatores, etiam apoſtatas, poſſe, haud inficiatur, immo ex profeſſo cap. III. omnes cohortatus eſt; perinde ut Cap. VI. non, impoſſibilem omnino renovationem eſſe ad pœnitenti:m, docuerat, ſed, per *frequentisſimas, uti ab impuritate Levitica*, varii generis διὰ τῶν βαπτισμῶν h. e. *lotiones* & ablutiones iterum iterumque repetitas, atque adeo eo *modo*, tamque facili crebraque eluendi hos nævos morales *vicisſitudine*, fieri haud poſſe, demonſtravit. In quo loco, non minus, quam in hoc altero, ex Cap. X. depromto, permultos impingere interpretes, & neſcio de quo Novatiano auctore hujus epiſtolæ ſuſpicionis concipiendæ occaſionem dediſſe, ſæpe mirati, immo propemodum indignati ſumus. De peccato autem in Sp.S. commiſſo qui cogitant, cum Apoſtolus generatim de apoſtaſia loquatur, videant, quo pacto dubiis exinde ortis occurrere queant.

d) His variis modis Chriſtum eſſe propitiationem l. c. non dicitur, ſed ſola expiatione, eaque, ut *acquiſita* in terra διὰ θανάτου & nunquam non efficaciſſima, ita *repræſentata* Deo in cœlis, per modum realis *depre-*

Rom V. propitium se in eo exhibuit, & λύτρον gratis dedit, quod pro satisfactione acceptare vellet: partim quia Christus ipse λύτρον pro nobis dedit, & fidem ac pœnitentiam in nobis efficiendo, nos a peccatis retrahit, unde salutaris λύτρȣ fructus in nos redundat, & nos ita Deo reconciliamur. Notetur etiam, ἱλασμὸν significare expiationem. Atqui expiare peccata est eorum reatum auferre & ipsa purgare; peccata autem auferuntur & purgantur, tum Dei gratia, tum Christi ἀντιλύτρῳ, quod Deus nos diligens gratis ex mera liberalitate & misericordia dedit, a) tum etiam fide & pœnitentia. Quæ omnia non a Deo irato, sed propitio b) proficiscuntur. Objicitur etiam, nos fuisse filios iræ Eph. II. Ergo Deum nobis fuisse iratum. Sed errant quod putant, quia Paulus dixit, quod Judæi, qui in Christum credebant, etiam filii iræ fuerint, ideo Deum nobis iratum fuisse. Nam hic elenchus consequentis ex eo refellitur, quod verbum Dei ubique testatur, Deum tardum esse ad iram, c) neque peccata semper imputet, ut ait David Ps. CXXX. Et possunt sane homines digni esse ira divina & rei iræ Dei, nec tamen Deus irasci potest, quod quidem maxime per Christum ostendit. d) Nam, etiamsi nos omnes filii iræ, id est, iræ divinæ obnoxii eramus, non tamen nos, sed Christum, p univit, e) idque non omnes

cationis, nostris eum mederi delictis, ait *Johannes*; Conjuncta igitur denuo *Peuschelius* cum *formali ratione* ἱλασμȣ̃ & παρακλήσεως commiscet. Quæ autem de acceptatione addit, *acceptilationem* iterum, jam ante licet rejectam, commendare videntur.

a) Adde vel maxime: Christus ipse per modum sacrificii ad iram Dei *placandam* & satisfaciendum ei *ex asse* obtulit in cruce atque morte. De reliquo varia caussarum concurrentium in sanctissimo hoc negotio, quod οἰκονομίαν prisci Eccl. Græcæ Doctores nuncupare non male solebant, genera hic rursus temere confundi, præcipuo licet & capitali actu omisso, dolendum est.

b) *Benigno* rectius dixeris. Filium enim unigenitum Pater ideo *benigne* creaturæ, a Satana *seductæ* & corruptæ, (nullam contra *deceptori* & *seductori* malitiosissimo cum suis gratiam impertiens) præstantiori de reliquo cæteris, largitus est, ut hoc modo sapientissimo, cui neque excogitando mortales pares fuissent, patefaciendæ clementiæ simul & justitiæ caussa *propitiatio* demum procuraretur.

c) Filium iræ esse, non idem est denotatque, quod tardum ad iram, sed, uti *filius mortis* appellatur 2. Sam. XII. *David* adulter & homicida, ita quoque hæc φράσις, iræ divinæ, & quidem per naturam *corruptam* ac propter eam, *obnoxium* ac revera *subjectum* esse, docet. Quod autem *non* semper *imputet*, *ex Fide*, credentibus solis propria, qualis Ps. 130. etiam David describitur, derivandum est.

d) Repugnant propemodum, dignum, seu potius, *obnoxium* iræ Dei esse, ita tamen, ut Deus ejusmodi homini *non irascatur*. Qualem vero *benignitatem* Christum mittendo Pater ostenderit, jam sæpius explanate dictum est.

e) Idque gratiæ, charitatis atque benignitatis rigorem temperantis erat documentum, quemadmodum *pœna* ipsa iræ & justitiæ vindicis effectus fuit. Etenim *in*

omnes pœnas, quas nos meriti eramus, ab ipso repetendo, sed leviores in genere tantum, puta temporalem & triduanam, non æternam a) mortem. Nihil vero aliud voluit dicere Apostolus, quam quod Judæi æque ac gentes, propter peccata sua & cupiditates, in quibus aliquando ambularunt, pœna digni fuissent, si Deus secundum rigorem justitiæ cum illis agere voluisset, b) & non potius misericordia usus fuisset, quam illis per Jesum Christum exhibuit. Imo contrarium ibi extat: dicuntur enim illi filii iræ fuisse: At Deus illis non iratus fuisse, sed pro divite sua misericordia spiritualiter vivificasse cum Christo c) & salvasse, id quod cum vera ira d) non magis consistit, quam ignis cum aqua. Objicitur Ps. XXII. Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Vnde aliqui dicunt, patrem tunc omnem suam iram plenis quasi amphoris & doliis in eum effudisse. Sed non vident se Apostolo in faciem & os contradicere, qui Deum tunc charitatem suam e) declarasse

ἔνδειξιν δικαιωσύνης Dei sanguinem Christi effusum esse, Rom. III 25. clarissime docetur.

a) Sic ergo, quo spectat *acceptilatio* illa, quam toties hactenus crepaverat, tandem aperit. Fallitur autem, quando *leviores* tantum pœnas, quæ ut gravissimæ in Scr. S. jam que olim in *Psalmis* passim descriptæ sunt, & ab ipso Christo atque Apostolis ita repræsentantur, *ad mortem videlicet usque crucis* exporrectæ, toleratas esse a Propitiatore fingit. Ad mortem triduanam quod attinet, vera sane illa, etsi triduana, fuit, si quidem naturalem consideres, quæ itidem peccati est ὀψώνιον, at, mortem æternam non gustasse Christum, hinc non efficitur, quoniam non solum contrarium Hebr. II. 9. *generatim* loquendo affirmatur, sed ipsa quoque *desertio* illa, quam ad tempus *in cruce sine inhabitantis Divinitatis*, aut, si malint *Sociniani*, Patris *solatio* sensit, reapse eam demonstrat. Quæ profecto *mors ipsa æterna*, privatio, inquam, omnis gratiæ & solatii divini, fuit, quantumvis non æternum duraverit, utpote quæ duratio ex imperfectorum hominum *damnatorum imbecillitate* satisfaciendi (ubi contra *in Christo infiniti prædis dignitas* omnia vel uno momento *explevit*,) exsurget: uti jam superius ad oculum ostendimus.

b) Simpliciter dicitur iræ *subjectos* fuisse Judæos, pariter ut gentes cæteras, quæ adhuc, non conversæ videlicet, filii iræ appellantur l c., nec non Cap. IV. Quemadmodum etiam alibi τὸ *esse sub lege & ira*, atque *sub gratia* vicissim esse, distinguuntur. Quod superest, non solum dignos ira cunctos ait Apostolus, atque hinc *damnandos revera* fuisse, inquit, nisi gratia intervenisset; verum etiam omnem illam vivificationis atque salutis gratiam, misericordia Dei creaturarum suarum miserentis procuratam, perfecto merito Christi soli *Apostolus* adscribit, ac proinde gratiam, de qua loquimur, *specialem* soli liberatori Filio attribuit, eamque per fidem nostram fieri, absque qua *ira in non credentibus maneat*, evincit.

c) Et *propter Christum*, ἐν χριστῷ Ἰησοῦ tanquam conciliatos Deo ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, uti comm. 16. hæc explicantur dilucidius.

d) Cum ira consistit misericordia Dei *parantis* remedium satisfactionis, at cum *implacabilitate* minime: quod sæpissime jam animadversum est, confessorem nostrum negligere, nos vero pæne tædet toties repetere.

e) Charitatem, *erga nos*, *generalem*, ut creaturas, quas, perinde ut dæmones, perire noluit, sed reconciliari voluit. Vnde *ma-*

rasse ait, quando filium pro nobis in mortem crucis tradidit. Joh. III. Rom. V. Aut igitur Apostolus falsum dixit aut illi. Sed prius blasphemum. Ergo falsum posterius, & juxta eos dicendum quidem fuisset paullo: Commendat Deus iram & furorem suum in eo, quod Christus pro nobis a) mortuus est: Johanni vero: Sic Deus iratus & offensus fuit mundo, ut filium pro eo in mortem dederit. Ita non vident illi, se ex Deo, qui multus est misericordia, & ipsa charitas, Neronem, Caracallam & Herodem quendam facere. b) Sed cur ita clamavit? Quasi vero hæc caussa fuerit, & alia non possit dari. Immo quia hæc ratio Apostolo c) reclamat, ideo potius alia quærenda. Est autem desertio Dei, de qua Christus conqueritur, non aliter, quam de traditione ipsius Christi in acerbissimam & maledictam crucis mortem intelligenda: Et ita locutus est Christus, ut ad opem sibi ferendam, hoc est, ad liberationem a cruciatibus & morte dandam Deum adduceret. d) Quod si quis recte percipere velit, legat psalmum 22., unde ea verba Christi de Deo conquerentis sumpta sunt. Vbi sub Davidis, qui in magna aliqua calamitate constitutus erat, persona, e) quum ex animo Christus in media morte mediisque, cruciatibus Deo confideret, f) ejusque opem jam præsentem intueretur, apertissime explicatur. Id quod ipse Christus abundantissime verbis suis comprobavit, cum non solum moriens in manus patris commendavit sive deposuit spiritum suum, sed etiam jam crucifixus latroni, ejus misericordiam & benignitatem imploranti, & se in paradiso omnino futurum dixit, & illi ean-

jorem saltim *in dæmones iram* fuisse, quam homines, ab illis *deceptos*, colligas; *iram* vero negare *omnem infiniti judicis* læsi, nimis temerarium esset. Videtur etiam *Peuschelius* benignitatem Patris *in tradendo* eo ad mortem, quæ libera sane divini Numinis erat actio, & *in eo excruciando*, tanquam vicario nostro, more suo permiscuisse.

a) Hac una voce *pro nobis* solvitur dubium. Furorem autem nollem cum ira Dei, etsi infinita, permutasse. *Justus* enim ad infernum usque infimum hujus & alius cujuscunque judicis, severi licet, *rigor furor dici non potest* sine injuria, nisi magna & notabilis catachresis concedatur.

b) Tyranni hi fuere, non justi judices, irascentes supra modum & implacabiliter vel, ubi ira etiam promerita non erat, insontibus. Quæ omnia, absit a nobis, de Deo vel suspicari.

c) Non reclamat *Apostolo*, utpote qui non de *passione* Christi, sed *procuratione* reparationis nostræ per Christum, & *applicatione* ad nos regenerandos seu vivificandos Eph. II. 4. loquitur.

d) Eccur vero? Non aliam ob caussam, quam, quia exquisitissimum etiam, qua animam æternæ (æternum licet non toleratæ, qua in hoc *tanto expromissore non* opus erat *mora*,) mortis dolorem persentiscebat.

e) Non sub Davidis persona, sed ore ejus atque calamo; In Davidem enim paucissima hujus *Psalmi* verba conveniunt.

f) Hinc vero nihil aliud probari potest, quam Christum, dum mortem æternam

li eandem felicitatem conſtanter polliceri non dubitavit. De ea igitur deſertione loquitur, qua pater filium ſuum Scribis & Phariſæis, itemque Herodi & Pontio Pilato flagellandum, verberandum, ludibrio habendum, conſpuendum, crucifigendum, & omnibus modis pro animi malitia & excæcato in eum odio nequiter tractandum ad tempus permiſit. a) Interim plane non deſeruit, b) ſed angelum, qui ei robur in mediis angoribus adderet, miſit, item preces illius exaudivit, c) Ebræ. V. Imo eo magis dilexit filium, quo fortius & alacrius propter gaudium ſibi propoſitum is omnia, etiam acerbisſimam mortis crucem, ſuſtinuit. d) Propterea diligit me pater, quia animam pono pro ovibus. Joh. X. Annon autem ſæpius Deus chariſſimos ſuos in graviſſimas calamitates conjicit, & quidem non ut iratus ob peccata, ſed eos velut aurum e) in igni explorandi gratia? & annon illi interdum, quia carnem & humanos affectus habent, f) quia item natura ſui deſtructionem refugit, interdum exclamant: Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti? cum tamen Deus nil minus tunc faciat, quam ut illis iraſcatur, immo ſumme eos tunc propter ſummam conſtantiam & in Deum fiduciam diligat. Idem de Chriſto g) etiam cogita. Tandem, quod Chriſtus Mediator dicitur Dei & hominum, ad id dico, ex voce Mediatoris nihil concludi, quia Moſes etiam mediator inter Deum & populum fuerit, quod plerique interpretes ultro de internuncio h) divinæ voluntatis intelligunt. Sic autem dicam, Chri-

 ſtum

noſtro loco, ſenſit, non deſperaſſe: Quod malum itidem non eſt eſſentiale vel conſtituens ejusdem vel conſequens formale, ſed adjunctum & *accidens*, ex hominum, ſe ſatisfacere ipſos non poſſe, proſpicientium & ſcientium conditione & imperfectione profluens.

a) Hæc *traditio* dicitur a Sp. S., *non deſertio*, quam *in cruce* demum ſe ſentire queſtus eſt.

b) Ante, cum ſanguinem ſudaret in morte oliveti, ubi nondum fuerat paſſionum terminus & ἀκμὴ, ſed initium & prægustus.

c) Recte. Nam in deſertionis illius ſenſu non diu reliquit, ſed mox ex eo omnis paſſionis apice liberavit.

d) Amavit ut filium, iram autem ſentire voluit ut ἔγγυον, præſtitaque ſatisfactione tanto magis amplexus eſt dilectione intima, eademque erga eum, ut hominem, reapſe demonſtrata efficaciſſima.

e) Aliud calamitatis παιδεία & δοκιμασία, aliud λύτρον & in prædem exercita τιμωρία. Paſſio ſæpe eadem, cauſſa diverſa.

f) Non decet hominum fide imbecilla laborantium, aut impatientia vexatorum querimoniam cum Chriſti ſincera profesſione eorum, quæ revera ſentiebat, malorum comparare. Duo ergo quum iisdem verbis de adverſis conqueruntur, aut faciunt quoque idem, non eſt idem.

g) Immo multo altiora atque ſublimiora: cujus etiam paſſio plus in receſſu, quam meram δοκιμασίαν aut martyrium, (quo tandem *Socini* opinio redit,) habuit.

h) Bene: Diſcrimen itaque inter μεσίτην *internuncium*, atque propitiatorem *ad expi-*

ſtum eſſe Mediatorem, quia clementisſimi Dei, qui iram depoſuit, &, λύτρον a) nobis per Chriſtum donando, propitium ſe exhibuit, benignam voluntatem tanquam illius internuncius & legatus expoſuit, nosque per mortem ſuam a peccatis retractos b) Deo reconciliavit. His abſolutis, revertor ad primum ab initio poſitum argumentum, ad quod D. Alb. Grawerus reſpondet, non eſſe meram in eo ſophiſticationem, ſed ſimul apertam falſitatem & mendacium. Quam vere & ſolide hoc probet, diſpiciamus. Diſtingvit igitur inter varios gradus dilectionis Dei, itemque inter dilectionem univerſalem & particularem. Vniverſalem dicit eſſe, qua nobis offert ſuam gratiam, & modum reconciliationis per Chriſtum, & hanc eſſe priorem morte Chriſti; alteram particularem vel ſpecialem, qua nos Deus in gratiam recipit, diligendo ut filios, & hæredes vitæ æternæ, & hac Deum tantum juſtos & bonos diligere. Sed hæc diſtinctio nodum non ſolvit. Eſto enim, dari talem charitatis divinæ conſiderationem, niſi probet D. Grawerus, talem charitatem cum ira ſiſtere poſſe, nihil efficit. Offerre enim ſuam gratiam & modum reconciliationis, contrarium eſt veræ iræ, c) ut ſenſus communis docet. Nam, qui iraſcitur, is aut punit, aut punire ſaltem cogitat. Qui gratiam offert & modum reconciliationis, is iram abjicit, imo reconciliatus eſt, hoc eſt, non iratus eſt. d) Quod ipſum aliqui confitentur, dum ajunt, iſtam generalem charitatem efficere, ut Deus peccata remittere velit, ſi media ab ipſo oblata non negligantur. e) Hoc autem illud ipſum eſt, quod volo,

ationem, εἰς ἀπολύτρωσιν καὶ ἀντίλυτρον &c., conſtituatur maxime neceſſarium.

a) Egregie hæc cohærent: Iram omnem *depoſuit*, & tamen λύτρον, (quod ne quidem proprie, niſi de ſatisfactione, irato Deo exhibita, animo concipi poteſt,) ut iram deponeret, requiſivit atque accepit cum rigidiſſima exactione, de qua res ipſa & Eſ. cap. LIII teſtantur, perficiendam, ut nobiſcum Deus, & nos contra etiam cum Deo conciliaremur. Ratio eſt, quia & clementia & juſtitia demonſtrari debebant.

b) *Redemtio* facta eſt per mortem, dato ἀντιλύτρῳ, pretioque ejus immenſo; *Retractio* fit per converſionem & juſtificationem atque ſanctificationem in applicatione, ad finem usque vitæ continuata, ita tamen, ut diverſorum horum effectuum diverſa quoque, ad gratiam ipſam Dei impetrandam, retinendamque, atque ipſam adeo ſalutem, ſit relatio.

c) Neutiquam; Sed tantum *implacabili* iræ adverſatur, quod multoties jam inculcatum eſt, etſi a Theologis noſtris, fateor, raro in Reſponſ. ad object. *Socinianorum* perſpicue urgeatur.

d) Adde: Aut, iram non tantam & tam implacabilem eſſe, quin velit, aut patiatur, eam ſedari, teſtatur. Seu brevius: aut, temperari poſſe eam, intercedente miſericordia, ſignificat.

e) Inconveniens ab iræ placandæ remedio ad applicationem ſaltus. Illud præcedit, hæc ſuccedit. De priori nos in præſentia agimus.

lo. Qui enim peccata remittere vult, ſi media ab ipſo oblata non negligantur, is jam nullo modo iratus a) eſt, ſed iratus demum fiet, ſi ſcilicet tam benigna ejus voluntas ſpernatur. Quanquam hæc diſtinctio charitatis divinæ non eſt uſquequaque recta, & ſacris litteris conformis. Revera enim una tantum eſt Dei charitas, b) qua ordinarie erga homines utitur, ex qua id fluit, quod vult Deus & deſiderat, ut omnes homines ſerventur, & porro etiam id, quod varia variis temporibus media parat, quibus homines uſi, ſalutem conſequantur, quorum perfectiſſimum fuit Jeſus Chriſtus, & ejus ſacroſanctum Evangelium. Hæc porro charitas duplici modo conſiderari poteſt, vel ratione oblationis, vel ratione effectus. c) Ratione oblationis, ad omnes in univerſum ſpectat: omnes enim vult ſervari, nemine excepto. Ratione vero effectus, ad obedientes tantum pertinet, quia charitatem ſuam Deus nemini abſolute & abſque conditione offert, ſed ab omnibus, quibus eam offert, requirit aliquid, quod niſi accedat, oblata illa charitas effectum ſuam non ſortitur, ſed in locum illius ſuccedit ira Dei, quæ antea, cum charitatem ſuam offerret, plane erat depoſita. d) Quæ omnia cum analogia univerſæ ſcripturæ ſacræ ita conveniunt, ut nihil magis. Vnde conſtat, quandocunque Deus hominibus charitatem ſuam offert, jam nullam in eo amplius iram eſſe, ſed ea depoſita miſericordiam ſucceſſiſſe. e) Sed objicitur, Deo peccata, antequam remittantur, exoſa eſſe, & odio ab eo haberi. Sed nihil efficitur. Poteſt enim Deus peccata odio habere, & deteſtari, & tamen eis non iraſci. f) Vel, ſi tamen iraſcatur, poteſt iram deponere g) ſponte ſua, abſque ulla placatione. h) Nam & Chriſtiani, qui pec-

a) Scil. per ἀπολύτρωσιν & καταλλαγὴν infinitam mortemque Filii Dei jam placatus. Sophiſmata hæc ſunt aperta.

b) Vna, utpote Dei proprietas, ſed *objecta diverſimode*, & hac quidem in re homines, modo ut creaturas, modo ut peccatores, *ſpectans*, a nobis, *ut diverſa*, ſicut & *voluntas antecedens*, *concomitans* & *conſequens* diſtinguuntur, non poteſt non concipi. Quemadmodum etiam a Sp. S. ita deſcribi ſolet.

c) Si ratione *effectus*, quidni etiam ratione *objectorum*, *non uno modo* Deo obverſantium & *conſideratorum*?

d) Non plane depoſita, ſed per Chriſtum ſedata, ita tamen, ut voluntate conſequente nemo ea fruatur, atque ira *quaſi*, quantum ad ſingulos, *ut fruantur gratia paterna*, non plane deponatur, niſi erga eos, qui in Chriſtum liberatorem credunt.

e) Acquiſitam; Sed quæ tamen, ut *applicata* quisque ea *fruatur*, *inſtrumentum applicationis* adhuc ex *ordinatione pacti Evangelici* deſideret. Quod eventus ἀπιστίας & damnationis eorum, qui, cum alienam adſpernati ſint, ipſi ad ſatisfactionem rapiuntur, condocet.

f) Repugnant hæc.

g) Temperare potius gratia, aliena ſcil. ſatisfactione procurata, & acceptata tanquam noſtra.

h) Hoc eſt, quod negamus, &, aliud Judi-

cata detestari debent, jubentur aut non irasci, aut certe deponere iram, quam ex offensis aliorum, a) quæ certe peccata sunt, concipere possunt, & hac in re Deum eos imitari dicitur, qui hac ratione nobis per Christum peccata remisisse prædicatur. „ Deinde non de eo, „quod olim interdum factum sit, vel etiam hodie fiat & fieri possit, ser„mo est. Nemo enim negat, Deum peccatis olim iratum fuisse, & „hodie etiam irasci, cum hujus iræ divinæ nimis extent manifesta in„dicia & argumenta: Sed, an Deus tunc, b) cum per Christum fœ„dus c) nobiscum pepigit, iratus fuerit, & placatione opus habuerit? „hoc in quæstione est:„ an, inquam, tunc, cum Deus sponte sua, misso ad eam rem peculiari legato, hominibus, nulla iræ mentione vel levissime facta, d) summam benignitatem, inauditam φιλανθρωπίαν, divitias bonitatis offert, donum illud, quod plenissimæ satisfactionis loco e) acceptare vult, largitur, ut Casmannus inquit: tunc, inquam, eum iratum esse, aut placatione vel reconciliatione opus habere, negatur. Quod vero Deus illis irascatur, vel eos puniat, qui post ictum fœdus peccant, vel in peccato manent, id non fit vi iræ alicujus, quam Deus adversus illos antea conceperat, quam fœdus per Christum pangeret; f) hanc enim Deus prorsus abiecerat, sed fit vi novæ conditi-onis a)

cis mundi officium essentiale, odiumque in peccata infinitum, Deoque *naturale*, quo ut ignis comburit, exposcere, ipsamque Dei sanctitatem id addocere monstramus. Conf. Ps. V. 5. Habuc. I. 13. & Rom. I. ult. Vbi natura, unde vero, nisi, tanquam ex natura Dei profluentem, naturalemque proinde, justitiam Dei, *etiam ex sana ratione* eam scire gentiles, dicitur.

a) Nos jubemur absque satisfactione condonare nostras offensas, quæ cum Dei offensis ne comparandæ quidem sunt, vid. Matth. XVIII. 24. & 28. & quia officii nostri non est, punire, sed Dei, cui vindicta competit. Itaque imitatio non omni ex parte, sed hactenus tantum, locum habet, quatenus eadem, quæ Deo, misericordia nobis convenit. Eaque de caussa etiam de Judicibus, Dei vices gerentibus, aliter sentiendum.

b) Idem semper Deus est, nunquam alius, neque in N. T. mutatus; quippe qui etiam in V. T. eadem fœderis Evangelici beneficia, etsi *aliter*, quam in N. T. dispensavit.

c) Fœdus ante omnia cum ipso Christo de *conciliatione comparanda*. Ergo dissidium iraque antea locum habuere, quum alioquin pace inter utramque partem, læsam ac lædentem, in concordiam redigendas, per ἱλασμὸν, opus non fuisset.

d) Quorsum ergo *filii iræ* communiter omnes, Judæi & Gentiles, dicti, nisi, quod iræ divinæ a natura & nativitate obnoxii atque rei? Eph. II. 3. Omnium vero luculentissime hujus iræ fit mentio Joh. III. 36., ubi Christus ipse, *manere* super his, qui in ipsum non credunt, iram Dei, atque adeo antea omnibus jam incubuisse, quamdiu *extra & ante Christum* Deo obversabantur, docet.

e) Præstita nimirum expiatione, & aliena quidem, pro nostra a Deo recepta. De hac enim *acceptatione* loquitur *Casmannus*, non alia.

f) Hæc vero quomodo cum *conciliatio-*

onis, a) ſub qua Deus fœdus illud cum hominibus pepigit, quæ eſt, quod omnes eos, qui in peccatis hæſituri eſſent, non tam ob olim præterita, b) quam ob recens ab illis commiſſa peccara punire velit. Et ſane ſcimus, Deum fuiſſe offenſum, nos offendiſſe, & ita neceſſe eſſe, ut nos reconciliari cum Deo velimus, hoc eſt, pœnitentiam agamus, & in Chriſtum credamus, ſi peccatorum noſtrorum veniam cupiamus. c) At non hoc quæritur, ſed, an Deus ille, quem nos offenderamus peccatis noſtris, voluerit & exegerit hoc, ut vel nos vel, alius quis noſtro nomine eum commoveret, ut offenſam ſuam deponeret, & ita eum reconciliaret nobis, d) an vero ipſe ſponte ſua eam depoſuerit, & reconciliatum, hoc eſt, propitium ſe nobis obtulerit? Nam noſtra cum Deo reconciliatio non eſt cauſa efficiens divinæ erga nos dilectionis. e) Dilexit enim nos Deus, antequam de reconciliatione noſtri cum eo vel cogitaremus: Sed poſtquam Deus ſe nobis reconciliatum, hoc eſt, propitium exhibuit, neceſſe eſt, ut nos etiam animum Deum offendendi, & omnia peccata, quibus Deus offenditur, f) abjiciamus, quod eſt cum Deo reconciliari, & ita noſtri cum Deo reconciliatio cauſa tantum (ut loquuntur) ſine qua non eſt g) remiſſi-

ne conſpirent, toties, præter δικαίωμα præſtitum, inculcata, & quidem *mutua* inter Deum & homines, *per mortem crucis*, ego ſane tam perſpicax non ſum, ut intelligam. Vt tot Sp. S. teſtimonia de *dicaſterio divino*, in quo hæc a Chriſto, *coram judice*, exquiſitiſſimas paſſiones ſubeunte, ἀντὶ πάντων peracta ſunt, & quidem ut ſacrificio ἱλαστικῷ & εἰς ἱλασμὸν, omittam.

a) De hac nova conditione altum eſt ſilentium. Sp. S. potius, eum, qui peccet, relabi in priſtinum ſtatum legalem, tot fulminibus ex monte Sinai delineatum, iræ puta & condemnationis, teſtatur, eaque de cauſſa, eum, *qui non credit*, Joh. III. 18. *jam judicatum* h. e. damnatum eſſe, certe non a benevolo, ſed *ab irato judice*, ut non nova ſit opus acceſſione, ait: etſi, per ἀπιστίαν accedentem iram accendi magis, non neget, ſed confirmet.

b) Si etiam ob præterita; ergo propter ea quoque peccata ira cuivis peccatori, *extra Chriſtum poſito*, quam diu per fidem hujus ἱλαστηρίου ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ non eſt *particeps* factus, incumbit atque imminet: cui quam maxime nondum converſi, quovis tempore, (Legis enim maledictio, qua *iram operatur*, ſemper eadem eſt) ſubſunt.

c) Ita eſt, ſed *nemini aditus* ad Patrem patet, *niſi* antea *placatum*, h. e. poſtquam iræ quoque ejus in peccata & peccatores ſatisfactum fuerit. Alias vana eſſet, ſine hac antegreſſa expiatione atque placamento, pœnitentia.

d) Falſum: Eſt enim Chriſtus erga Deum pro hominibus, ut μεσίτης inter utroſque, uti in Epiſt. ad Hebr. V. docetur, poſitus, Deoque dedit ſanguinem, ut eum nobis conciliaret tanquam per ἱλασμὸν. Eph. II. 16.

e) Non g neralis, at ſpecialis & paternæ, qua nos diligit Eph. I. 6. in dilecto filio.

f) Priorane ergo peccata eum non offenderunt? Diſtinguatur *plus & minus*, & res erit confecta. Vnius affirmatio enim non eſt alterius negatio.

g) Quem ergo locum obtinebit Dei nobiſcum per Chriſtum reconciliatio? Fruſtranea certe non fuit εἰς ἔνδειξιν non noſtræ

miſſionis peccatorum, quam Deus cum λύτρῳ ſponte ſua nobis obtulit perChriſtum. Totum hoc peregregie Paullus docet,dum. 2.Cor. V.19. 20.ait:Deus erat inChriſto,mundum ſibi reconcilians,non imputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis Verbum reconciliationis; pro Chriſto igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini cum Deo. Vnde conſtat, Deum ſe propitium hominibus obtuliſſe prius, a) quam ipſi Deo reconciliarentur: Poſt reconciliationem autem a Deo oblatam demum requiri, ut nos Deo reconciliemur, hoc eſt, ut conditionibus, quas Deus, ſi gratiæ illius nobis oblatæ participes eſſe velimus, propoſuit, ſatisfaciamus. b) Firmum igitur manet, quia ſcriptura teſtatur, nos Deo reconciliatos eſſe, non vero Deum nobis, in nobis efficiendum fuiſſe, ut amici Dei fieremus, non vero in Deo, ut amicus nobis fieret. c) At inſtet aliquis, quamdiu non reconciliamur, neque Deum nobis reconciliari. Hoc vero falſum eſt, ſi reconciliari, pro propitium fieri, accipiatur. Deus enim, cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtum pro nobis non tantum in mundum miſit, verum etiam in mortem tradidit. Rom. V. At neutrum ſine ſumma charitate d) facere potuit. Vbi vero eſt charitas, ibi nulla reconciliatione eſt opus. Et ad demonſtrandum, Deum non fuiſſe iratum, ſed propitium, e) cum Chriſtum in mundum mitteret, non neceſſe eſt, eum reipſa offenſas remiſiſſe, ſed ſatis fuit, eum remiſſionem offenſæ obtuliſſe. Nam qui hoc facit, is reconciliationem ſui non quærit, f) nec quærere poteſt. Hoc vero Deum

pœnitentiæ procuratæ per eum, ſed τῆς θυσίας καὶ προσφορᾶς h. e. oblationis per immolationem præſtatio. Eph. V. 2.

a) Ita profecto res comparata eſt; Sed *Paullus* l. c. diſſerit *de applicatione* per miniſterium Eccl., cum antea de parta per Chriſtum conciliatione Dei & hominum, atque rurſus, jam diſſeruiſſet, eamque præſtruxiſſet.

b) Omittatur ambigua hæc vox. Neque enim *per fidem* quiſquam, accurate loquendo, Deo ſatisfacit, ſed, qui credunt in Chriſtum, *ſatisfactionis* Servatoris & ἱλασμοῦ ejusdem, tanquam per ὄργανον divinitus conſtitutum, *fiunt* reapſe *participes*.

c) Cui Chriſtus εἰς εὐωδίαν ſe pro nobis obtulit, eum nobis conciliavit. At Patri θυσίαν ſuam &c. Ergo &c.

d) Erga creaturam corruptam, per ſe conſideratam; quæ tamen ratione corruptionis moralis ſeu peccati maxime exoſa eidem fuit, atque hinc reconciliari Deo, præſtita ei per ἀντίλυτρον ſatisfactione, debuit. Ita Paullus Judæos, ut conſanguineos ſuos, ſec. carnem amabat, qui eosdem etiam ſec. Evangelium ejusque contemtum juſta ira atque indignatione proſequebatur, immo damnabat.

e) Non propitium, h. e. omni ex parte hominibus, utut peccatoribus, faventem, ſed *placabilem*. Crambe recocta!

f) Falſiſſimum. Hoc enim duntaxat hinc colligere neceſſe eſt, eum, ſine gratia & conciliationis ſufficienti remedio admiſſo, *non velle* reum *abſoluta* voluntate *rejicere*, *ſed iram miſericordia temperare*.

Deum fecisse, sacre litteræ copiose testantur. Excipiat porro quis, Deum non nisi tunc iram deponere, quando offensam remittit. At hoc infirmum. Potest enim aliquis iram plane a) deponere, tunc etiam, cum remissionem offensæ offert, etiamsi eam reipsa nondum remittat. Quia scilicet velit, aliquid intercedere inter istam remissionis oblationem & ejus effectum, nempe reconciliationem ejus, quem sibi reconciliare studet. Hoc vero, quia non est causa efficiens istius oblationis remissionis, sed tantum tale quid est, sine quo ad effectum perduci oblationem remissionis Deus noluit, non potest ita considerari, quod Deus sine illa non reconcilietur nobis, hoc est, propitius non sit. Nostra cum Deo reconciliatio, hoc est, pœnitentia & fides in Christum, consequens est reconciliationis illius, quam Deus per Christum b) nobis obtulit. Ergo Deus prius reconciliatus, hoc est, ut nos loquimur, prius propitius fuit, c) quam nos ipsi reconciliaremur. Immo, potest reconciliari hominibus, vel reconciliatum esse, & se propitium præbere, etiamsi nemo cum ipso reconcilietur reipsa. d) Quemadmodum rex subditis, qui in se peccarunt, offensam remittere potest, & eis suam benevolentiam offerre, & tamen possunt omnes ab eo profugere, vel spernere regem, idque interdum ob hoc ipsum, quod eis, quos punire posset, gratiam offert: Nam licentia omnes sumus deteriores. Falsum igitur est, eo ipso, quod nos per Christum sumus reconciliati Deo, hoc est, e) eo, quod nos pœnitentiam egimus, & in Christum credidimus, factum esse, ut Deus nobis esset reconciliatus, hoc est, propitius. Nam priusquam nos de pœnitentia cogitaremus, Deus

a) Multoties ad hæc quoque respondimus. *Iram temperare*, & a summo rigore aliquid remittere, id quod facit, ut satisfactionem alienam & procuret & acceptet, largimur, (quod etiam Evangelicum pactum docet ac jubet) at *plane iram eum deponere*, nimis audax est assertum: a quo abhorremus, tanquam in passionem Christi injuria hypothesi.

b) Sed ut ἱλαστήριον spectandum, hoc est *expletiva* satisfactione ira Dei consopita & placata eam nobis impetrantem.

c) *Factus* est *per Christi meritum, non ante* fuit, etsi in eo merito procurando valde benignus fuerit. Conciliatio enim nostra cum Deo, & Dei nobiscum, ut *correlata* simul sunt natura, atque inepte de alterutro, quin alterius simul habeatur ratio, disputatur.

d) Rectius hæc Paullus *reconciliationem accipere* Rom. V. 11. nuncupat. *Oblata* enim & *collata*, quorum hæc τὴν λαβὴν per fidem postulant, differunt.

e) Additum illud, *hoc est*, grandis verborum calumnia est. Nostri enim de *acquisito* Dei paterno favore, quem consequitur justificatio & adoptio cum ipso hæreditatis jure, per Christi satisfactionem impetrato, conciliationem illam primario intelligunt, & cum *Paullo* 2. Cor. V. *applicationem* subsequentem, quam heic solam urget *Peuschelius*, a priori, tanquam caussa, ita distinguunt, ut hanc ei subjungant.

Deus nobis fuit reconciliatus, hoc eſt, propitius, & iſtam ſuam gratiam nobis obtulit. a) Diſtingvatur ſaltem reconciliationis oblatio b) & ejus effectum, & res erit plana: Simulque notetur, non tantum illum placatum vel propitium eſſe, qui reipſa peccata & offenſam remittit, hoc eſt, qui nullam vel perexiguam pœnam infert ob peccata, verum etiam is, qui remiſſionem peccatorum & offenſæ ſuæ offert. c) Et remiſſionem peccatorum hoc duplici d) modo intelligendam eſſe, ſacræ litteræ & ipſa ratio docet. Hic duo ſuccurrunt dicta, quibus doceri poſſe videtur, Deum nobis ob peccata Chriſti tempore iratum fuiſſe. Prius eſt Rom. V. v. 8. & 9. Commendat Deus charitatem ſuam in eo, quod Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis juſtificati nunc per ſanguinem ejus, ſervabimur per ipſum ab ira, ſcilicet Dei. e) Et in 1. Theſ. I. cap. v. ult dicitur nos Jeſus ab ira ventura Dei ſervare. Sed Reſp. ad prius, per iram illam abſolute & indefinite poſitam non intelligi præſentem aliquam iram, quam Deus tempore Chriſti, ante ejus paſſionem, adverſus homines conceperit, ſed, ut in loco ad Theſſ. cap. I. ep. prioris recte explicatur, futuram, f) quæ quid ſit, mox dicam. Patet hoc ex eo, quia Deus ante mortem & in morte Chriſti charitatem ſuam ardentiſſimam g) erga genus humanum teſtatam fecit. Talis autem immenſa charitas cum vera ira nullatenus conſiſtere poteſt. Deinde illi, ad quos Paullus ſcribit, eos juſtificatos ſervatum iri ab ira, h) erant Romani converſi: Atqui illi poſt Chriſti aſcen-

a) Non obtulit, ſed *paravit*, paratamque demum offert. *Es iſt alles bereit, kommt zur Hochzeit*; ita verba habent legatorum Domini & Patris familias. Matth. XXII. 1. ſqq.

b) Plenius: *Procuratio, Acquiſitio* & *Applicatio* cum effectu, niſi reluctentur ἄπιστοι, conjuncta. Ita demum res erit non hiulca, ſed integra & plana.

c) *Procurat*, dicere voluit, aut certe debuit. Propitium vero proprie loquendo non vocamus, qui ita benignus eſt, & tamen ſimul erga offenſas indignabundus atque iratus, ſed *placabilem*.

d) *Remiſſio* peccatorum eſt duplex, at altera (proprie impetratio remiſſionis peccatorum,) *non antecedit* meritum Chriſti, *ſed* ex ea *provenit* & profluit. Conf. Col. II. 13.

e) Poſtquam per Chriſtum charitate (paterna, ſpeciali) recuperata reconciliationem (per fidem in regeneratione accenſam,) accepimus. *Sanguis* ergo Chriſti, non abſoluta Dei voluntas & arbitrarius favor, illud eſt, unde reconciliatio orta ac derivanda eſt.

f) Futura & præſens ira non differunt, niſi ut propoſitum animi & executio. Inane ergo hoc eſt effugium.

g) Noſtram ſalutem, ſed *intemerata juſtitia* ſua *vindice*, & ſibi quidem naturali, promovendi.

h) Ira repugnat *implacabilis*, non omnis, & vehementiſſima quoque cum placabilitate conſiſtere poteſt, præſertim ſi conciliatio ſingulariter æqua atque pretioſa ſapienter procuretur, & ſine difficultate admittatur.

aſcenſionem, longeque poſt ejus mortem ad fidem Chriſti converſi ſunt. Quid, quod juſtificatos ſervatum iri dicit ab ira. a) Atqui ante mortem & in morte Chriſti, tantum abeſt, ut juſtificati fuerint, ut potius, teſte Paullo, ejus inimici, Dei puta, inque peccatis mortui fuerint. Vt autem percipiamus, quid ſit ira ventura, hoc attendamus. Deus in Chriſto propitium b) ſe exhibuit, offerendo remiſſionem peccatorum omnibus hominibus per Chriſtum, quam illis, interveniente Chriſti λύτρῳ, c) per fidem & pœnitentiam, tanquam requiſitas conditiones, d) communicare vult. Juſſit igitur Evangelium ubique annunciari, & omnes homines pœnitentiam agere, ac in Chriſtum credere mandavit, non obſtantibus præcedentibus peccatis, quæ ipſis effecturis, interventu ἀντιλύτρου e) Chriſti, remittere velit. Jam qui hoc negligit & contemnit, ille iram venturam Dei in ſe concitat, quæ venit ſuper omnes ſuperbos contemptores gratiæ divinæ, in Chriſto f) oblatæ, & per Evangelium ubique publicatæ. Qui autem juſtificatus eſt per fidem in Chriſtum, ille ſervabitur ab ira ventura, puta, quatenus & quamdiu talis eſt & manet. Si enim ad priſtinum ſterquilinium peccatorum regrediatur, fiunt poſteriora deteriora g) primis, 2. Petr. II. Sed dicat tandem adhuc aliquis: Si Deus nobis Chriſti tempore non fuit iratus, ſed iram ſe depoſuiſſe, & nos amare teſtatus

 eſt,

a) De *Applicatione* ergo ſermocinatur Apoſtolus.

b) Ambiguum vocabulum. Subſtituatur *benignum, placabilem* &c. ſalva nimirum juſtitia, cui ſatisfieri oportebat.

c) Si interveniente λύτρῳ εἰς ἱλασμὸν; Ergo conciliatio per illum demum expiationis actum nobis contigit.

d) Et *conditionis* vocabulum, niſi de *applicatrice* loquaris, non ſatis commodum eſt, certe ambiguum. Chriſti vero meritum ſine dubio non niſi latiſſime conditio appellari poteſt, quia ἰσόῤῥοπον pretium pro nobis expiandis exhibitum, ut cauſſam ejusdem *per ſe ſufficientem*, continet.

e) Tanquam *ejus, per quod* conciliatio facta, atque *ira* Dei *placata* eſt, non ſolum teſtata, aut utcunque demonſtrata. *Paullum* vero in his audire oportet, non *Socinum*, ingenioſe verba Sp. S. & Apoſtolorum in alienum ſenſum detorquentem, ipſumque λύτρον virtute ſua λυτρωτικῇ privantem atque enervantem.

f) Ejusque ſatisfactione *expletiva*.

g) Salva tamen redeundi ad priſtinam gratiam, per pœnitentiam veram fidemque in Chriſtum ejusque meritum, *eadem* ſcil. *qua antea, via & libertate*, ad quam etiam gratia illa *per idem verbum Evangelici pacti*, cum lege conterente & h. m. excitante efficax, & per Sacramenta ad renovandum fœdus in Baptiſmo initum, atque ex parte Dei immotum, operantia perpetuo invitat. Si qua *difficultas* intercedit, & major quidem, quam in prima converſione, ea non ex rupti fœderis violatique valore ſublato, quaſi nova aut extraordinaria gratia, præter illam per Chriſtum partam, requireretur, ſed ex animi majore ut plurimum, variis de cauſſis, ſubſequuta *obfirmatione*, & metuenda hinc *pervicaciori obluctatione*, oritur. *Hinc deteriora* fiunt *prioribus*, quæ

eſt, quomodo vera erunt ea, quæ cap. 53. Eſaiæ dicuntur, ubi propter peccata noſtra caſtigatus eſſe dicitur, itemque vulneratus propter ea. Item: Dominus voluit eum conterere. Quomodo hoc cum eo convertit, quod dicis & urges, Deum nobis non iratum fuiſſe, ſed impenſe nos dilexiſſe? Reſp. gravis quæſtio, & digniſſima, ad quam reſpondeamus. Primum autem ſimile proponam, & poſtea applicabo, tuum erit attendere. Sit rex aliquis potentisſimus, Ahasverus aliquis, qui ſubditos habeat perditiſſimos, & omnibus ſceleribus inquinatisſimos. Is huic malo ut medeatur, ſerio dies noctesque cogitat, tandemque illis ſignificat, etiamſi ipſi hactenus pesſime vixerint, & ipſam necem, aut gravisſima quæque ſupplicia meriti fuerint, ſe tamen ſtricte cum illis non acturum, ſed gratiam ſuam abunde erga eos demonſtraturum. Sumit igitur aliquem a) ex medio illorum, quem ſcit eſſe inculpatisſimum, illum reliquorum loco plectit & punit, non pro gravitate ſcelerum, quæ ſubditi commiſerant, ſed multum de jure ſuo remittendo, leviores & viliores quasdam pœnas ab eo ſumit. Interim ipſi promittit, ſi fortiter & patienter ſe in hac levicula pœna perferenda gerat, & virtutibus ac vitæ inculpatæ exemplo ſubditis ſuis profligatæ vitæ præeat, & a vitiorum & ſcelerum tramite, in regiam omnium virtutum viam reducat vel pelliciat, ſe illum ad proximam a rege dignitatem evecturum, ita, ut ceu regius vicarius omnibus populis ſuis præſit, leges & præmia ac pœnas conſtituat & præſcribat. Subditus hoc facit, amplisſimo illo præmio excitatus, &, ſuperata illa pœna levicula, & aſpera virtutum via, evehitur a rege ad proximam ab ipſo dignitatem, & clementisſimam regis voluntatem ac munificentiam in ſe evehendo, miſericordiam in mitigatione pœnarum ac juris remisſione, curam

divinæ gratiæ in Chriſto per Sp. S. apud multos nihilominus felici ſucceſſu tandem ſuperatur, ut propterea quædam nova & extraordinaria ſalvandi ratio aut methodus fingenda non ſit.

a) Affabre hæc eſt ad ingenii humani ſeu *Fauſti* potius phantaſmata *Socini* excogitata ſimilitudo, quæ nulla ſcil. deſtituitur alia cum Oeconomia ſalutis noſtræ partæ per Chriſtum convenientiæ parte, quam Scripturæ S. conſenſione. Vtpote in qua *aliter* omnino & ante ſatisfactionem Dei erga hominum peccata *animus, aliter* ipſa *ſatisfactio* Chriſti, profecto non levicula, *aliter* denique poſt eam præſtitam *conſequens exaltatio* deſcribuntur. Quemadmodum clariſſime jam dudum a noſtris demonſtratum eſt. Quicquid ergo heic ſimilitudinis expoſitum eſt artificioſe & ingenioſe ex rebus *humanis*, id ad *ideam* quidem de Chriſto a *Socino* ſibi fictam efformatamque illuſtrandam facit, a *veritate* vero *Evangelici* pacti *diviniori* & ſublimiori tantum abeſt, quantum cœlum & terra diſtant, infinitisque paraſangis hiſce non, niſi ſolida horum omnium probatione ex oraculis divinis, quam nondum vidimus, datam, conſuli poteſt.

ram ac providentiam in procuranda ſubditorum ſalute plus quam paternam, ubique inter ſubditos per præcones annunciari jubet, addito eo: regem levicula hac pœna de ſe ſumpta contentum fore, & iram omnem depoſuiſſe, ſi modo ipſi inpoſterum honeſtius & melius vivant: Fore enim, ut ſi ſe in perferendis malis ac injuriis, & calcanda via virtutum aſpera æmulentur & pro virili imitentur, pariter ad tantos, vel magnos alios honores & dignitates evehantur: Simul etiam leges & præmia hoc facientibus, pœnas autem hoc negligentibus, conſtituit. Ita a) etiam (ut corporalia ſpiritualibus applicemus,) ſe res habet cum Chriſti actionibus & paſſionibus in ſalutis noſtræ negotio: ibi triplex paſſionis, imo totius humiliationis finis. Duo noſtri reſpectu, puta ſatisfactio per acceptilationem, alter exemplaris, ut Chriſtum imitemur: Denique, ut Chriſtus per obedientiam ſuam uſque ad mortem crucis, ad cæleſtem gloriam, tanquam per viam & medium, perveniret, eamque ſibi b) compararet. Vide Philipp. II. v. 8. 9. Luc. XXIV. v. 26. Joh. XVII., v. 4. 5. Pſ. CX. vers. ult. Sic autem fiat applicatio: Scriptum eſt Act. XIV. v. 21. per multas tribulationes ingredi in regnum Dei nos oportere. Hinc Dominus ipſe dixit, viam, quæ ad cœlum ducat, arctam ac anguſtam eſſe portam, paucosque inveniri, qui eam ambulent. Difficile enim eſt homini creditu, quod probra, ignominiæ, miſeriæ, & tandem deterrima ac violenta mors, quæ omnia Chriſti cauſa pati & perferre nos oportet, ad ſalutem & vitam æternam nos deducant. Immo Apoſtolus dicit 1. Cor. II. v. 14. quod animali homini nil niſi ſtultitia ſit, c) & proinde jugum Chriſti in ſe ſuſcipere detrectat & reformidat. Talis igitur incredulitas ut tolleretur, & certo cer-

 tius

a) Immo longe aliter hæc comparata ſunt: prout & myſteria divina ab humanis conſiliis, *Deus* item & *θεάνθρωπος* a Rege imbecilli & præde infirmo, *paſſio* denique qualiscunque a morte *piaculari* etiam æterna, ut Majeſtatem Chriſti ad dextram Dei evecti taceamus, infinitis modis (coll. Eſ. LV. 8.) differunt. Cætera ex ſuperioribus particulatim diſcuſſis, & docentibus, quantum diſtent æra lupinis, humanaque a cæleſtibus myſteriis a Sp. S. patefactis, h. l. repetita magis eluceſcent.

b) Non ſibi, ſed nobis: quicquid ſit de *conſequente* exaltatione, *ordine* divinitus conſtituto, poſt *fundamentum in ipſa unione* perſonali poſitum, ad *plenum* majeſtatis jam ante poſſeſſæ exercitium, ſubjuncta, & exinanitioni *ſuccedente*. Χάρισμα a Paullo Phil. II. exaltatio illa reſpectu Chriſti dicitur, ut hominis ſpectati.

c) Non hæc tantum calamitatum divinitus ad fidem probandam exercendamque tolerantia eſt, (de qua Apoſtolus l. c. *directo* non diſſerit,) ſed omnium, *quæ Spiritus Dei* ſunt, h. e. myſteriorum, etiam revelatorum a Deo, approbatio & *genuina* cognitio: quod ſuo comprobant, cum *Peuſchelio, Sociniani* exemplo quam luculentiſſime; in omnes quippe partes potius ſe convertentes, quam fide ſincera vicariam Chriſti exactiſ-

tius homines, quo via, quam Christus ambulare jussit, duceret, experirentur, voluit Deus, & hoc Christo injunxit, Joh. X. v. 18. Actor II. v. 23. ut dolores, miserias, & mortem ignominiosissimam in se reciperet, quod etiam fecit: patri enim obediens, usque ad mortem crucis, Philip. II. a) Quo tempore is erat status ac conditio Christi, quasi b) omnium infelicissimus, imo a Deo rejectus & reprobus esset. Postquam autem Deus illum ex mortuis excitavit, & cœlo sublimiorem fecit, imo super omnia exaltavit & dominum c) fecit: tunc innotuit, quorsum angusta illa via, quam Christus inambulavit, & qua ipsum imitari debemus, ducat, & ita in cordibus illorum, qui hoc experti sunt, fides & spes in Deum enata est, ut postea d) non solum jugum Christi in se receperint, ipsumque secuti & imitati sint, sed omnia etiam Christi causa libenter & cum gaudio perpessi fuerint & pertulerint: Quoniam certi erant, quod Christus veritatem dixisset, e) & quod sibi ea omnia, quæ prædixerat, per eum danda essent. Hinc est, quod Petrus Apostolus dicit, quod Deus Christum a mortuis excitaverit, eique gloriam dederit, ut fides & spes nostra in Deum fixa f) esset, 1. Petr. I. v. 3. & 21. Addantur nunc reliqua, puta, quod ipse pacem Dei nomine annunciarit, id est, Deum hominibus propitium esse proclamarit, eumque, leviore g) de se pœna sumpta, cætera omnia hominibus condonaturum, si mo-

simamque satisfactionem Deo pro nobis præstitam ratihabentes. Qui proinde, quo spiritu ducantur, sapientumne hujus seculi, de quibus l.c. ex professo actum, an eo, qui ex Deo est, aperte etiam h. m. produnt.

a) Finis *secundarius* ita propugnandus est, ut *primarius* ἱλαστικὸς, quo maledictio pro nobis factus est ἔγγυος, haud negetur, &, quod Deus conjunxit, non separetur.

b) Non *quasi*, sed *revera* se a Deo *ad tempus* omni solatio destitutum *desertumque esse*, clamavit in cruce suspensus.

c) *Plenissimo* imperio, *actu secundo* sec. *humanam etiam naturam* regnantem, qui tamen Rex, uti coram Pilato testatur, jam natus erat, eoque nomine diu ante insignitus fuerat. Quo sensu etiam ibidem Act. II. Christus dicitur factus.

d) Postquam ad Christum *venerunt*, h. e. crediderunt, omniumque ejus meritorum participes facti sunt. Quid namque sit, *venire ad Christum*, ipse docet Joh. VI. 36. sq. VII. 37. 38. dilucide.

e) Adde; Nempe, Deum, omnes ob peccata alias justissime damnaturum, pretiosissimo ἀντιλύτρῳ dato & acceptato, ut Judicem, εἰς ἐνωδίαν exactissime placatum, & οὐδὲν κατάκριμα hinc esse in illis, qui in Christo Jesu per fidem sunt, ejusque communione partorum beneficiorum, ἐκ πληρώματος αὐτοῦ sumtorum, fruuntur. Hæc enim *dixit* prædicavitque inprimis Christus, nec omittenda fuerant.

f) Neque hæc quisquam negat; at, *solum* hunc resurrectionis quoque finem fuisse, loca Scr. S. Rom. IV. ult. VI. 4. sq. Eph. II. 5. sq. 1. Petr. III. 21. Joh. XIV. 19. Cor. XV. 21. sqq. *probibent.*

g) Immo non leviori, sed *gravissima*, quæ *infinitæ* Dei *majestatis bonori reparando*, & a nobis commisso adversus eum *sacrilegio* compensando responderet, truculentissi-

ſi modo in poſterum reſipiſcerent,& in Chriſtum, ſalutis ipſorum inchoatorem & conſummatorem a), crederent, & in vitam Chriſti, tanquam vivum omnium virtutum Chriſtianarum exemplar, reſpicientes, veſtigiis illius pro virili inſiſtere ſtudeant, fixa & roborata ſpe b) in cordibus ſuis, fore, ut, ſi ſe purificent, & ambulent, ſicut ipſe hic ambulavit, & omnia mala gravisſima, etiam horribilem mortem, propter nomen Dei & Chriſti gloriam,perferant,& ita vincant, fore inquam,ut cum Chriſto conſideant in throno ſuo, quemadmodum ipſe vicit, & cum patre ſuo conſedit in throno ſuo, Apoc.V.&utChriſto in paſſionibus,ſic etiam in gloria conformes fiant.Rom.VIII.Adde etiamChriſtum Matth. V. v. 67. immediate,& poſtea mediate per Apoſtolos, præcones ſuos, mandata omnibus gentibus præſcripſiſſe, & additis præmiis ac pœnis promulgaſſe: & ſic habebis miniſterium. Hinc jam vides plagas & pœnas illas, quas Eſaias eum ſuſtinuiſſe dicit, ad æternas pœnas noſtris peccatis ſecundum rigorem juſtitiæ Dei debitas, leves ſane eſſe, & velut torrentem ad oceanum comparatum, licet in ſe ſpectatæ multæ & graves fuerint: c) Vides etiam, o Theophile, d) cauſſas &,

moque hinc & viliſſimorum hominum mortis genere etiam ad oculos demonſtrata, ut interna mala ſileamus.

a) Tanquam ἱλαςήριον, ἐν τῷ αἵματι αὐτῦ εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης θεῦ effuſo, poſita fiducia animi, ſpectandum. Hæc enim ſemper tranſiliunt *Sociniani*, ut Socratica philoſophia paullo magis dilutam Ethicam Chriſtianam, immo totum, quantus quantus eſt,Chriſtianiſmum ejusmodi conſtruant.

b) Sed e fiducia in Chriſto,tanquam ἐγγύῳ & ἀντιλύτρῳ ejus juſtitiæ Dei dato, recumbente orta, neque *ſolis* promiſſionibus legis nixa, aut ad vitæ ſanctæ ſtudium ſec. leges Chriſti, præſertim novas, inſtitutum ſeſe referente. Quippe quas leges Sp. S. neſcit, ſanctitatem autem e cauſſis ſalutis, & juſtificationis ſeu gratiæ, & gloriæ,ſemper quoque excludit; etſi ad *ordinem* hunc, quo Deus inchoatum opus ſuum in nobis perficere velit & jubeat, nos graviter adſtringat obſervandum, Deique miſericordiam, *aliena juſtitia parta & nobis donata* demonſtratam,verbis non minus,quam factis, ad aliorum inſuper emendationem comparatis, glorificare præcipiat. Quemadmodum ipſi etiam juſtificati,nova hac Evangelicaque juſtitia per λογισμὸν fide ſibi data & impertita, ejusque *beneficii dulcedine æque ac magnitudine* cognita, ſeſe ad hanc gratam mentem declarandam obſtrictos ſentiunt,alacresque præſtant.

c) Non ſolum in ſe ſpectata παθήματα Chriſti gravia fuere, ſed etiam ad rigorem juſtitiæ Dei (quam vel tandem h. l. confitetur *Peuſchelius*) congruentia; quia ea ipſa fuerunt, quæ nos miſeri ſuſtinere propter peccata εἰς τιμωρίαν debueramus. Quæ etiam nemo niſi infinitæ majeſtatis dignitatisque ἔγγυος, ſeu θεάνθρωπος, exantlare potuiſſet:qui &,*brachio ſuo ſe ſuſtentatum* eſſe,apud Prophetam hinc teſtatus legitur.

d) Non dubium eſt, quin hæc, quæ de Chriſti, pro nobis paſſi, œconomia ad *Theophilum*, quem vocat, h. e., amicum quendam ſcripſerat paullo ante *Peuſchelius*, iisdem verbis, quibus,alia licet occaſione ſibi ſubminiſtrata, jam perſcripta erant, ille nunc, ut confeſſionem redderet, invitatus,

& fines, cur eos ſuſtinuerit, varios & multos eſſe. Det nobis Deus & pater Domini N. J. C. ſpiritum ſapientiæ & fortitudinis, ut myſterium hoc pietatis magnum meditantes in ſuccum & ſanguinem vertamus noſtrum, omiſſoque contentionis ſermone ad perfectionem feramur, Hebr. VI., mutuo nos in charitate erudiamus, tandemq; digni fiamus, qui mundum futurum & reſurrectionem ex mortuis aſſequamur. Amen.

Corollarium.

Deus nobis ante paſſionem & mortem Chriſti iratus non fuit, ſed propitius, quatenus remiſſionem peccatorum & donum illud ſuum, quod nobis largitus eſt, & plenæ ſatisfactionis loco acceptavit, obtulit, licet reipſa remittere, niſi interveniente Chriſti λύτρῳ, fide ac pœnitentia noſtra, nondum voluit.

Appendix.

Ad Graweri replicationem a) in hac parte me aliquid reſponſurum promiſi, quod tamen, temporis anguſtia excluſus, non præſtiti, alio tempore, ſi præſertim opus fuerit, id præſtiturus: Fateor autem, me nihil in eo reperiſſe, ob quod ſententiam mutare debeam: multa autem, ob quæ non mutare oportet. Chriſto ſit laus in æternum.

IX.

ad XI. quæſitum reſponſionis loco eſſe voluerit. Atque hanc forte cauſſam fuiſſe exiſtimes, cur hæc pars Confeſſionis potiſſima ſupra a cæteris, poſtquam vix primis digitis argumentum hoc antea attigerat, appendicis in modum, ſejunctum ſubjunctumque fuerit. Vtcunque vero hæc ſint, mentem tamen eamque corruptam doctiſſimi juvenis, & quare in oratione, *Sociniſmo* recantando deſtinata, eadem doctrinæ pars illi præter alias explicanda rectius data fuerit, luculentius ex his quoque patet. In qua tamen palinodia *acceptilationis* aliquid, eum non temperare ſibi potuiſſe, quin admiſceret, jam ſupra obſervavimus, mentemque *Peuſchelianam* ex Cap. IV. amplius dilucidiusque pernoſcendam L. B. commendamus.

a) Quæ *Graweri* hæc fuerit *replicatio*, ut vocatur, nondum, inveſtigantes quam diligentiſſime, reperire potuimus. Illud vero ex his verbis colligo, non ſolum publice, ac privatim quoque, cum *Grawero* ſæpius de rebus *Socinianorum* Jenæ diſputaſſe *Peuſchelium*, ſed etiam ad aliorum informationem, qui *Graweriana* reſponſa, in libris jam prælo evulgatis data, objectabant, ſolicite amicis, quid regerendum ſibi videretur, ſuppeditaſſe. Inter quos cum *Cornelium Marcium* præcipue familiarem & harum rerum curioſum habuerit indagatorem, non dubium nobis videtur, *Theophilum* illum, ad quem hæc perſcripta t. t. fuerant, ipſum illum *Marcium* fuiſſe; a quo, veluti ſupplementum Confeſſionis ſuæ, non invitus deinceps permiſerit, verboſam hanc Diſſertationem *Illuſtribus Proceribus Noriberg. Reipubl. atque Paſtoribus* Eccl., ad negotium hoc pertractandum deſignatis deſtinatisque, inprimis vero b. *Schrædero* & *Joh. Fabritio*, tradi atque communicari, ut una opella & inſtitutioni *Marcii* & confeſſioni plenius edendæ ſatisfieri poſſet.

IX.

JOHANNIS VOGELII Norimbergensis

PROFESSIO FIDEI

PLENIOR, QVAM, AD RATIONEM REDDENDAM VOCATVS,

WITTEBERGA NORIBERGAM, A. 1615. FERE FINITO, CVM EPISTOLA SVPRA EXSCRIPTA, MISIT:

BREVIBVS ANNOTATIONIBVS SIMILITER DISPVNCTA ET DILVTA.

RESPONSIO AD SINGVLAS QVÆSTIONES:

Primum quæsitum quod attinet, ingenue fateor, me duorum istorum Symbolorum, Niceni, inquam, & Athanasiani, omnimodam cum Sacris scripturis convenientiam hactenus quidem videre non potuisse, idque tum alias ob causas, ad quæsitum II. IV. VI. & XII. exponendas, tum ob hanc: quod utrumque illorum, inprimis vero posterius, vulgo quidem Athanasio, a nonnemine vero, viro in re litteraria eximio a), otioso cuidam monacho tributum, neminem salutem consequi posse statuat, nisi eo, quo ipsa explicant, modo de Dei Christique essentia, sive natura sentiat, & fideliter firmiterque credat. Certe ex quali quali, cui hucusque institi, sacrarum litterarum lectione, nusquam ego scriptum deprehendere potui, fidem Christianam, quam procul omni dubio Athanasianum illud per fidem Catholicam intelligit, in ejusmodi mere imaginaria persvasione, essentiæque Dei, & Christi otiosa contemplatione, seu mavis, scrupulosa vestigatione b) consistere. Legi quidem apud Johannem Cap. XVII. v. 3. Hanc esse vitam æternam, ut cognoscamus Patrem illum solum verum Deum, & quem misit

a) Joachimo *Camerario*, de qua insimulatione hujus Critici & Litteratoris eximii, liberiori interdum ore & calamo usi, supra jam dictum est pluribus.

b) De terminis Ecclesiasticis, & per eos descriptione distincta ac circumspecta mysterii S. S. Trinitatis atque Personæ Christi, videbatur nobis primum locutus *Vogelius*; ex sequentibus vero de rebus etiam ipsis, seu cognitione *dogmatis* ipsius sermonem ipsi esse, & duriora hæc pronunciari inteleximus. Quam bene autem, illico ostendemus. Nunc, *meram* & *imaginariam otiosamque* persuasionem ac contemplationem inique Ecclesiæ diviniori imputari, brevibus monemus: utpote quæ & hanc

sit ille, Jesum Christum : Sed & hoc simul observavi, cognitionem istam nequaquam ad illorum essentiam esse referendam; Siquidem alioqui *sequeretur, ut quicunque theoricam ejusmodi scientiam, quæ haut raro hominibus maxime impiis* a) *tribuenda videtur, haberet, vitam æternam essent adepturus*, quod neminem dicturum crediderim, qui vel minimum pietatis sensum præ se tulerit. Longe igitur aliam b) cognitionem esse oportet, in qua Servator noster citato loco salutem collocat. Hanc vero Spiritus Sanctus satis evidenter expressit illis loquendi formulis, quibus omnes eos a Dei Christique cognitione alienos esse pronunciat, qui licet alias essentiæ divinæ notitia non vulgari sint præditi, Dei tamen voluntatem nulla ratione præstant, sed in peccatis conscientiam vastantibus & improbitate voluntaria perseverant. c) Sic enim Apostolus ille dilectus 1 Joh. II. v. 4. *Si quis dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax* est. Et c. III. v. 3. *Qui peccat, nec novit eum: neque vidit eum.* Sic & gentium doctor: 2. Thess. I. v. 6. Christus ultionem infliget iis, qui Deum non noverunt, d) neque Evangelio obediunt. Et, Tit. I. v. 16. Improbi dicunt quidem, se Deum nosse, sed factis negant. Sic denique talibus locutionibus sacræ litteræ ubique sunt refertæ, quæ tantum non clamant, veram & saluta-

partem *credendorum* practicam esse, uti Theologiam universam, constanter docet; quemadmodum etiam in ipso symbolo Athanasiano ad extremum praxis vitæ necessaria non est neglecta, quantumvis non sit ex instituto, quod nec permittebat symboli brevitas, ex capitibus his fidei *explanate* & explicite deducta.

a) Impiorum hominum fides non est fides salvifica, sed *spectrum* & larva *fidei*. Tit. I. 16. 2. Tim. III. 8. Quicquid sit de *ideis*, cum vere fidelium & per divinam Sp. S. convictionem divina ἀνυποκρίτῳ fide credentium notitia, hactenus *convenientibus*; utpote quibus nisi vividius lumen Dei in animum, etiam post perceptionem veritatis, *vere & modo genuino* per verbum idem prædicatum, tamen non Enthusiasmum quendam, *recipiant*, gravius etiam damnantur.

b) Non alia est necessaria *ratione doctrinæ* seu veritatis dogmatum divinitus revelatorum, alia tamen est, quam impiorum, etsi circa sacra hæc valde exercitatorum & humana quoque fide illa approbantium, *ratione cordis & animi*; ubi requiritur, teste Paullo 1. Cor. VIII. 1. sqq., ut quisque mysteria hujusmodi cognitu necessaria, sine quibus alioqui verus Dei cultus in humani ingenii somniorum & idolorum admirationem & venerationem, (ut fit extra Ecclesiam veram) degeneraret, cognoscat καθὼς δεῖ, h. e., ut divina Sp. S. virtute immotaque simul conjuncta fiducia & approbentur assensu firmo, & ad praxin referantur ingenuam, timore inprimis Dei hujus cogniti & amore sincero demonstratam.

c) Quis autem nostratium talem fidem veram simpliciter, aut, si veram forte *objective*, tamen *genuinam* h. e. *subjective* veram appellavit? Mortuam, & Diabolorum fidei eam similem esse, præeunte Jac. cap. Ep. IIdo passim audias & recte appellari otiosam illam notitiam & assensum sterilem.

d) Hoc loco videtur τὸ nosse intellectus

salutarem Dei Christique notitiam potissimum divinam voluntatem perChristum revelatam,ejusdemque piam & religiosam præstationem respicere,quam etiam unicam salutis viam Christus facit, quando apud Matth. c. VII. v. 25. inquit: Non omnis, qui dicturus est Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei cœlestis; Itemque Paullus, qui 1. Timoth. I. v. 3. τὸ τέλος τῆς παραγγελίας statuit in charitate ex corde puro, & bona conscientia, fideque non simulata, sicut etiam Gal. V. v. 6. totius Evangelicæ doctrinæ (quam modo mysterium pietatis 1. Timoth. III. v. 16. modo doctrinam secundam pietatem, 1. Tim. VI. v. 3. modo cognitionem veritatis secundum pietatem Tit. I. v. 1. valde emphatice appellat) summam in fide per charitatem operante. Non diffiteor quidem, ne quis forte excipiat, masculam hanc vereque practicam cognitionem, *aliquid istius theoricæ præexigere :* a) at vero tam obstrusum id esse, tantisque difficultatibus expositum, quantis septa sunt sunt pleraque, b) quæ

Uuu uuu sym-

ab obedientia consequente, utut reapse in vere credentibus sint conjuncta, distingui; ita ut locus iste pro nobis, & τὸ nosse vera & ad usum vitæ eadem referre, *simul*, sed *distincte*, exposcentibus cum universa Scriptura, præsertim Eph. I. 17. seqq. coll. Joh. XIII. 17. & Luc. XII. 47. sq. nobis suffragante, faciat.

a) Idque ipsa etiam hæc, quæ allegata & recitata sunt, testimonia Script. S. postulant, quæ cuncta fere simul *fidei*, unde charitas profluat, circa credenda certe occupatæ, & *doctrinæ* & *cognitionis* veritatis &c. mentionem diserte faciunt. Neque profecto aliter fieri potuit, quin utraque combinarentur. *Ea enim est quorundam* (verbis utimur S. R. Abb. *Moshemii* in Vindic. antiq; Christian. discipl. contra Tolandi Nazarenum Sect. II. Cap. I. f. 255. sq.) *dogmatum natura, ut sine eorum cognitione mores inculpati ac labe vacui esse nequeant, &c.* Quibus porro addit: *Quum Libri illi, quos divina sapientia nobis concessit, non modo morum præcepta nobis inculcent, verum etiam dogmata plurima disertis verbis tradant, nullo modo fieri potest, ut is, qui a Deo volumina ista profecta esse credit, ad illa quidem sese adstrictum esse fateatur, hæc vero negligat.* Immo vero *Deus*, ita pergit ille, *quum præter leges, quæ vitam dirigunt, alia quædam hominibus aperuerit, hoc ipso declaravit, se omnino velle, ut ea ipsa, & non alia mortales credant. Si enim nihil aliud, quam sanctam vitam postularet, omittere ea potuisset, & omisisset certe, regulasque morum tantum sanxisset.* Huc vero, quæ de Deo ipso ejusque natura, personis & perfectione agunt, cum sit princeps cultus religiosi, immo unicum, objectum, & personam τοῦ μεσίτου, per quem solum nobis ad eum patet accessus, spectare, quis sanæ mentis suique compos dubitet? Credenda ergo & ipsam quoque credendorum fidem cultus divini honorisque *præcipuam partem* constituere, manifestum est; *Absolvere* autem ea cultum omnium omnem, *nemo* est, qui tueatur.

b) Dubio huic, quod jam dudum movit, (post *Socinianos*, aliud tamen spectantes, ipsaque dogmata eversum euntes,) Steph. *Curcellæus*, breviter ita occurrit b. noster *Dürrius*, in Isagog. ad *LL. Norm.* Noriberg. f 38 sq. hunc in modum ad prima Symboli verba commentatus: *Ita cordate & sincere autor Symboli* (quisquis fuit) *præfatur.* Sed

ſymbola illa continent, hoc eſt, quod valde vehementer dubium eſſe credo. Immo ad veram ſalvificamque hanc cognitionem obtinendam ſufficere, *ſi quis Deum eſſe ſciat, itemque Jeſum illum Nazarenum, qui ſub Pontio Pilato Hieroſolymis fuit crucifixus, Chriſtum, illum filium Dei credat, teſtes ſunt, ni fallor, ſatis graves*, auctor epiſtolæ ad Hebræos c XI. v. 6. & Johan. in Evang. c. XX. vers. ult. Saltem ex dictis conſtat, Fidei Catholicæ, quæ ad ſalutis adeptionem ſimpliciter & abſolute neceſſaria eſt, ſubſtantiam in eſſentia Dei & Chriſti ſpeculatione aut ſcrutatione a) *nec tantum, nec præcipue ſitam* b) eſſe; quorum tamen, ſi non prius, at poſterius tamen tacite quidem innuit Nicænum, aperte vero aſſerit Athanaſianum Symbolum.

Ad quæſitum ſecundum itidem candide & ingenue dico: me tres illas, quas modo dicta Symbola orbi Chriſtiano, in una individuaque divina eſſentia venerandas proponunt hypoſtaſes ſeu perſonas, hactenus quidem in conſcientia mea agnoſcere non poſſe. Miramini forte, Viri Ampliſſimi, & exſecramini inſperatum hoc & audax meum reſpon-

eam præfationem *merito arrogantem dici debere, ſcribit Steph. Curcellæus Diſſ. I. de Vocib Trinit. Perſonæ &c. Quia ſic multas Chriſtianorum myriades, qui iſta non intelligunt, ac perinde credere nequeunt, orco damnari ſit neceſſe. Id vero ſi de terminis difficilioribus, quibus utendi contra adverſarios & articulos fidei explicandi etiam veteribus ſæpe neceſſitas impoſita fuit, accipiatur, largimur: ſin de ipſis dogmatibus in noſtro ſymbolo, ſive his verbis ſive æquipollentibus, etiam paullo conciſius propoſitis, & ad captum ſimplicis popelli, intellectu minus valentis, accommodatis intelligatur, certum ſane & pro Chriſtianæ fidei criterio firmiſſimo tenendum eſt, neminem poſſe ſalvari, niſi qui profiteatur & credat Divinitatem earum perſonarum, in quarum nomine eſt baptizatus, & remiſſionem peccatorum in merito & paſſione Chriſti ſperet. Verbis quid opus eſt? Ipſa Scr. S. haud Paullo diſertius adjudicat iis vitam æternam, qui non credunt in filium Joh. III. ult. coll. 1. Joh. V. 12. Act. IV. 12. &c. Atque non aliam fuiſſe mentem totius Vet. Eccl. inde conſtat, quod eos tantum in fidelium numerum recipiendos, adeoque juris vitæ æternæ participes eſſe ſtatuerunt, qui doctrinam in Symb. comprehenſam & memoriæ mandatam interroganti fideliter reddere poſſent.* Hæc ille. Quibus nihil addimus, quam ex ipſa inſcriptione Symboli Athanaſiani, explicationibus compluribus dilucidati, ut *formæ ſanorum verborum*, etiam *docentibus* obſervandæ, inſervirent, non niſi *Fidem* hanc *Catholicam*, minime omnium vero phraſes ſingulas, a cunctis requiri, elucere.

a) Quæ revelata ſunt credere, non eſt curioſitate improba, qua rimantur, quæ mirari debebant in res novas avidi, explorare, ſed grata mente veritates de Deo patefactas fide modeſta amplecti, Deumque ea fide captu noſtro etiam ſublimiora proponentem pie ſec. 1. Joh. V. 10. honorare. Speculationes autem qui appellant ea dogmata, ſine quibus cognitis nec fides nec invocatio genuina exiſtere aut conſiſtere queunt, vel ingrati ſunt in divinam ad verum ſui cultum manuductionem, ſapientiæ primigeniæ inſtaurandæ deſtinatam, vel, quid ſit fides aut ſpeculatio, ambiguitate vocis decepti, non intelligunt.

b) Immo præcipue in his ſitam eſſe ſalu-

ſponſum. At quæſo ego vos, & per unum illum Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti rogo, oro & obteſtor, ut cauſas hujus reſponſi, quas jam exponere aggredior, attendatis, & eo, quo ſoletis, animo, h. e. ſedato & ab affectibus libero, juxta mecum perpendatis. Illarum prima eſt, quod, confitentibus etiam Theologis, *nullus in toto ſacro codice locus reperiri posſit*, qui vel unum Deum in Trinitate, vel Trinitatem in unitate, vel tres perſonas in una divina eſſentia, vel unam divinam eſſentiam in tribus perſonis, *vel tandem ſimile quid*, terminis, ut loquuntur, terminantibus, a) ſeu, quod idem eſt, ad litteram doceat. Hæc cauſa, tametſi a plerisque hodie negligatur, & pro nihilo fere habeatur, tanto apud me plus habet ponderis, quanto certius jam a multis retro ſeculis exiſtimatum fuit, verti in hoc uno, quem volunt, fidei articulo ipſum Chriſtianæ religionis cardinem, totumque fundamentum, cujusmodi quod eſt, an non alicubi in ſacris ſcripturis diſertis & perſpicuis verbis b) debeat eſſe expreſſum, hinc vobis, Viri Prudentisſimi, æſtimandum propono, quod certum ſit, & ab omnibus, qui Romano nuncium miſerunt Papiſmo, conſtitutum principium, *tantam eſſe ſacrarum literarum ſufficientiam, claritatem & perſpicuitatem, & quicquid ad ſalutem ſcitu vel obſervatu ſit neceſſarium, cuique etiam vulgari & ſimplici homini diligenter eas legenti, & in timore Domini meditanti, quam facilime*

 li-

tem, inde patet, quod & cauſſa vitæ æternæ a Chriſto Joh. XVII. dicitur hæ ἐπίγνωσις, &, quod ad Chriſtum ejusque perſonam non minus quam officium attinet, ipſe Propitiator O. M. eam cognitionem veritatemque cognitam *Petram* appellavit Matth. XVI., cui Eccleſia inædificata nunquam corruere & everti a portis etiam inferorum posſit: Vt ipſam inaugurationem ad hanc fidem tuendam in Baptiſmo taceamus, ponderis hujus doctrinæ maximi ſingularem & principem teſtem.

a) Aut intelligit *Vogelius* terminos Eccleſiaſticos, *Trinitas*, *Hypoſtaſis*, *Perſonas* tres, *unam individuam eſſentiam*, ὁμοούσιος &c. aut rem ipſam aliis vocabulis expreſſam. Si *priori ſenſu* terminos terminantes, ut, loquitur, accipiat, vel iniqua petit, atque de vocabulis his ad commoditatem myſterium hoc per compendium enunciandi facientibus litem movet, vel terminos etiam quosdam expreſſe in Scr. S. hoc de myſterio a Sp. S. adhibitos temere negat. Sin de *ſenſu verborum & rebus ipſis*, non extare in Script. ullum locum de S. Trinitate, affirmat, immo neque *ſimile quid*; adverſus ſolem loquitur; cum, *Deum unum* eſſe, eumque non *Patrem* tantum, ſed *filium* quoque & *Sp. S.*, qui tamen *tres alius atque alius* & nihilominus unus ille ſummus religioſe colendus & invocandus Deus ſint, paſſim iſtic doceri jam ſæpius & infinities noſtri demonſtratum dederint. Quam *veritatem tribus partibus* potiſſimum *conſtantem*, atque hinc diverſis etiam in locis Scr. S. traditam, quisquis fide ſincera approbat, etſi reliquos terminos nec norit nec uſurpet, hactenus pro *fideli* a nobis habebitur; cætera autem Eccleſiæ, huic myſterio ea ab hoſtibus ejus vindicando adhibenti, facile relinquentur.

b) Eſt hic religionis cardo perſpicue non

liquere queat. Hujus vero principii quomodo ſalva manebit veritas, ſi quod dicitur, non aliquo modo aut ex eventu, ſed primo, abſolute, per ſe & præcipue ad ſalutem neceſſarium, nullibi aperte, perſpicue, & ad litteram in ſacris litteris ſit traditum, ſed ita indicatum, ut *demum ad conſequentias* a) ſit recurrendum? *conſequentias capere, & deductiones intelligere, non cuivis* b) *datum eſſe, ipſa docet ratio, & abunde comprobat experientia:* cujus exemplum, dum cauſam alteram adfero, me vobis ſiſto ipſe. Adeo, ſiquidem tardum & hebetem me fateor, ut quantumvis jam diu multumque laboraverim, inque conſequentiis illis, quibus tres in una eſſentia divina perſonæ vulgo oſtendi ſolent, intelligendis quam maxime occupatus fuerim: c) tamen ne unam quidem illarum ſatis aſſequi potuerim, quod quia vobis, Domini & Patroni ſubmiſſe colendi, teſtatiſſimum eſſe cupio, unam alteramve illarum in medium propono, quidque, quo minus eas capiam, impediat, paucis expono: Ita ergo *ratiocinantur* d) quidam: Deus eſt tantum unus,

ſemel, ſed crebrius propoſitus & conjunctim & multo frequentius partito, quæ expoſitio diſtincta per partes & membra ſingula repetita omnium maxime claritati inſervit.

a) Non ad conſequentias recurrendum eſt, ſed συμβιβασμὸν Act. IX. 22. Paullinum, & legitimum illud totius corporis Script. S. bene contexendæ ἐρευνᾷν, quod Chriſtus ipſe præcepit, &, quemadmodum ex methodo ejus docendi per parabolas conſtat, eodem inquirendi exercitio fidem ſinceram ſtudiumque veritatis cognoſcendæ exploravit. Tantoque minus cauſſæ eſt, cur ſcrupulum illa partita expoſitio, quæ tamen Matth. XXVIII. 1. Joh. V. 2. Cor. XIII. & alibi unita occurrit, moveat, quoniam vix ullum dogma fidei, aut præceptum morum, ita in unico loco Script. propoſitum facile legas, quin aliunde ejus pleniorem explicationem petere neceſſe ſit. Quod etiam Script. S. totius *textura*, ſucceſſu temporis perfecta, & acceſſionibus magis magisque locupletata, nec ſcholaſticam methodum, ſed liberiorem diſpoſitionem, hiſtoriarumque, precationum, parænesium, epiſtolarum, vaticiniorum in corpus unum redactorum, &, ut occaſio divina ferebat, conſcriptorum, *ſingulare ſyntagma* referens, luculentius confirmat. Vt alia, quæ jam ante de conſecutionibus dicta ſunt, τὸ νοεῖν, a Chriſto ipſo in lectione ſcripturæ injunctum, expoſcentibus, non repetamus.

b) Quibus tamen Miniſterium Eccl ſuccurrit, & liberam piamque nihilominus, poſt manuductionem, perinde uti ea *Camerario* a *Philippo* data eſt, ἀνάγνωσιν & ἀνάκρισιν cunctis relinquit, atque commendat. Negligentia igitur hujus officii accuſanda fuerat, cum Pontificia, verbi divini legendi interdicto iniquiſſimo, non attentorum & ſolicitorum de ſalute ſua impotentia, ſi quid contrarii experientia doceat.

c) Non tam hebes fueras, *venerande Vogeli*, ſed vacuas nimis aures, quod ipſe deinceps faſſus es, *Ruaro Peuſchelioque*, atque *Richtero* cum cæteris fiſtula dulce rationi, recalcitranti fidei & novaturienti, canentibus præjudicatisque ſophiſmatum decipulis, mentem tuam opplentibus, præbueras. Hinc illæ lacrymæ.

d) Non tam ita ratiocinantur noſtri, quam veritatem *tribus membris* conſtantem ex

nus, ut ex multis ſcripturæ dictis conſtat. Atque Pater in ſacris litteris dicitur Deus, Filius item & Spiritus Sanctus dicitur Deus. E. Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unus Deus. Et conſequenter *Deus* unus, quidem *eſt eſſentia*, *ſed* trinus perſonis. Hanc ratiocinationem, dico, mihi non ſatisfacere, ob rationem triplicem. *Primum* falſa aliquatenus eſt aſſumtio, (Minor.) Secundo ambigua eſt. Tertio *id, quod ex concluſione educitur, non eſt neceſſarium.* Dixi, aliquatenus falſam eſſe aſſumtionem. Verum me dixiſſe, patebit inferius, ad quæſitum XII., ubi demonſtrare conabor, nusquam ad litteram Spiritum Sanctum in Sacris litteris dici Deum. a) Dixi ſecundo aſſumtionem eandem ambiguam. *Duplicem* enim *uſum vocis* b) *Deus* in ſacra ſcriptura reperio, quorum unus eſt, quando ſingnificat eum, qui in cœlo & in terra ita aliis præeſt & dominatur, rerumque cauſa eſt & origo, ut neminem ſuperiorem habeat, aque nullo alio dependeat. c) Atqui hoc modo Deus eſt unus. Alter, quando notat illum, qui ſummum d) aliquod imperium, vim aut poteſtatem ab uno illo Deo habet, vel alia *quapiam ratione divinitatis illius unius Dei eſt particeps*. e) Hoc modo Deus ille unus Jehovah Deus Deorum dicitur Pſ. L. v. 1. Quamvis ergo non tantum Pater, ſed etiam filius in ſcripturis dicatur Deus, non tamen hinc ſequitur, filium etiam eſſe illum unum Deum. Quid enim, ſi *Deus eſſet modo poſteriore?* (f) Sane *docet hoc ipſe filius*, quando ſe contra Judæos ex Pſ. LXXXII. v. 6. his verbis defendit Joh. X. v. 35. Si, inquit, illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura, quem pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas

pluribus Scr. S. locis *conjunctim* ita perſpicue *componunt &, proponunt* in compendio.

a) *De conatu* teſtabitur reſponſio; de *ſucceſſu* noſtra ad eos conatus fruſtraneos reſponſio.

b *Proprie, an improprie* ſumto vocabulo? Hoc igitur addendum fuiſſet. In ſequenti enim explanatione, non de rei duplici & propria notione, ſed de vocis hujus *homonymia* evolvenda ſolicitus es, *Vogeli!*

c) Hoc eſt, *ſummum*, uti alias κατ' ἐξοχὴν loquuntur, & *æternum* Deum.

d) *Summum* imperium negamus quenquam habere poſſe, quippe quod *infinitum* eſt, niſi ſit natura aut per *eſſentiam* Deus. Impoſſibilis ergo dicenda erit illa ſummi imperii communicatio, ac proinde commentitium hoc fundamentum a limine repellendum.

e) Aut potius propter *ſimilitudinem* quandam, vel *opinionem* hominum, at improprie, nomen illud auguſtum gerit.

f) Immo vero non poſteriori: Quia idem verus, magnus, *ſuper omnia* Deus in ſecula dicitur, eademque perfectio eſſentiæ divinæ porro ex *generatione* a patre, nomine *Jehova*, Deo ſummo proprio, *operationibus* item & *Proprietatibus*, adoratione denique & *invocatione* divinis &c. confirmantur. Quæ omnia in conſpectu quaſi vel unum Cap. I. *Epiſt. ad Ebræos* exhibet.

mas, quia dixi, Filius Dei ſum. g) *Simplex* igitur *appellatio Dei filio tributa non evincit*, filium eſſe unum illum Deum, niſi idoneo aliquo medio probetur, b) eum ita dici Deum, ut non poſſit non eſſe ille unus Deus: quod quam difficile ſit, norunt illi, qui nec nomen Jehovæ ſoli illi uni Deo c) tributum, *nec filium umquam ſubjective aut appoſito articulo Deum appellatum dudum animadverterunt.* d) Quod enim ad Rom. c. IX. v. 5. de Deo ſuper omnia benedicto in ſecula ſcriptum exſtat, id vel de Deo patre accipiendum eſſe cum Eraſmo, qui varias ibidem notat interpretationes, e) dici poteſt, vel ſi omnino de Chriſto intelligi debeat, ad eum, qui ex patribus eſt ſecundum carnem, hoc eſt, ad Chriſtum hominem dextra Dei exaltatum, & ſummo rerum imperio donatum, f) referendum. Dixi tertio, *non neceſſarium eſſe*, quod ex concluſione argumenti propoſiti educitur. Eſto enim, ſit concluſio iſta firma, h. e. ſint Pater Filius & S. S. ille unus Deus: neque tamen hinc neceſſario confici poterit: Deum unum eſſe eſſentia, trinum vero perſonis. Vt maxime enim daretur, unum in ſacris literis non dici, niſi reſpectu aut eſſentiæ aut perſonæ, (quod tamen falſum eſſe patet ex Joh. XVII. v. 11. 21. 22. g) *non minus tamen concludi poſſet, Deum tri-*

a) Non eſt ea Chriſti demonſtratio ex loco Pſalmi *a pari* deſumta, ſed, uti verba ejus clariſſima docent, & opera deinceps inculcata iterum iterumque ſtabiliunt, *argumentum a minori ad majus* auditores ſolide & perſpicue deducens, & ab errore ſapienter abducens.

b) Ejus eſt probare, qui, ſi non a proprio, vocabuli alicujus uſu, ſaltim ab *uſitatiori* recedit. Vſitatiorem autem eſſe notionem Dei, pro ſummo rerum omnium conditore & conſervatore, nec ipſi *Sociniani*, credo, inficias ire poſſunt.

c) Adverſantur Eſ. XLII. 8. & Pſalm. LXXXIII. 19. Cætera tam abſurda ſunt, quæ in contrarium adducuntur, exempla, ut & *Theophilos* quosque, & qui *Quod vult Deus* dicuntur, homines, cujusmodi nomen is habuit, ad quem *Auguſtinus LL. de hæreſibus* ſcripſit, in Deorum cenſum referre oporteret, ſi *Socinianorum* ad præſens inſtitutum applicationi fidendum eſſet.

d) Ad hoc dubium quoniam ipſe reſpondit in Orat. *Vogelius*, eo L. B. ablegamus.

e) Varias ſane notat, ſed frivolas & ineptas, certe coactas.

f) Ipſa *caro* Chriſti ante commemorata, ut de qua natura ſermo ſit, quando de nativitate ex patribus agebatur antea, ad aliam naturam ſequentia pertinere oſtendit. Neque enim fruſtra illa adjecta eſt. Clarius autem idem pateſcit, quando ὁ ὢν θεὸς (per ἐξοχὴν) non γενόμενος aut γεννηθεὶς h. e. *factus* Deus dicitur. Vt reliqua prædicata, quemadmodum jam ſupra commonſtratum eſt, non niſi ad ſolum ſummum Deum congruentia, ſileamus. Quæ tanti ſunt ponderis rationes, ut & ipſe *Vogelius* ſtringens quam maxime argumentum pro divinitate Chriſti eſſentiali ex h. l. in *Oratione* ſua dehinc, meliora edoctus, petierit.

g) Fateor, unionem myſticam membrorum corporis Chriſti (ſeu Eccleſiæ) myſtici cum concordia animorum hic deſcribi; at ductam *ſimilitudinem* a Deo, non eſſe cum *æqualitate* confundendam, inde efficitur, quod alibi *ita unum* cum Patre

trinum esse essentia, & unum persona, quam, unum essentia, & trinum persona. Si dicant Theologi, Scripturam obstare, quæ ita loquatur, ut *alium* esse Patrem, *alium* filium, *alium* Spiritum Sanctum ostendat, quod non possit non inferre distinctionem personalem: quæsitum ex ipsis velim, cur non potius distinctionem essentialem a) agnoscant? si responderint, *distinctionem essentialem inferre pluralitatem Deorum*, iterum quæram, unde hoc habeant? Certe nunquam, ut videtur, se expedient, *nisi ad tribunal rationis provocent*, b) quod si fecerint, ut certe tandem facere habent necesse, omnibus simul constabit, non tantum mysterii fidei huic de Trinitate inesse, quantum illi vulgo tribuitur, quippe *quæ non ex sacra scriptura tantum probari queat, sed rationis etiam subsidio, quo mysteriis ejusmodi nihil est capitalius, opus habeat.* c) Sed satis de hac ratiocinatione prima, pergo ad alteram, quæ petitur ex 1. Joh. V. v. 7. ubi ita Apostolus: Quia tres sunt, qui testantur in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Quia enim in his verbis tribuitur Spiritui Sancto, quod testetur, & cum Patre & verbo, de quibus nemo dubitat, quin personæ sint, conjungitur, primum, personam eum esse, colligitur, deinde, quia dicitur, quod tres isti, qui testantur, unum sint, tres personas unam essentiam habere, concluditur: Sed neque hæc consequentia omni videtur carere dubio. Primum enim deducitur ex *loco controverso*, d) & nimium quantum suspecto, quippe qui *nec*

filium dicitur (ut reliqua jam non repetam,) qua, quod Pater facit, idem & filius faciat, neque alter sine altero quicquam operari possit. Joh. V. 19. Quod quo sensu accipi debeat, ipsi Judæi l. c. hæc interpretati, & Christus, eorum interpretationi haud refragatus, sed in ea potius ex honore æquali Patris & filii amplius confirmanda occupatus, addocent.

a) Ratio hæc est, quia non solum Scr. S. *unum* esse Deum constanter testatur, sed etiam plures essentia, etiam numero distinctos, Deos qui statuit, *repugnantia* loquitur; qui plures sine multiplicatione divinæ essentiæ Personas, non item: Cui sententiæ etiam Scr. S. suffragatur.

b) Non opus est huc recurrere, quanquam vera, quantum ad hanc multiplicationem, contradictio ad oculum demonstrari possit, Scripturæ nobis testimonia contraria sufficiant.

c) Quid si *subsidium* accessorium concedamus? Hinc ne *fundamentum* id esse, quemadmodum *Socinian* inficiandæ Trinitatis argumenta solent, effici poterit? *Usum* certe principiorum rationis in Theol. *non rejicimus, sed* abusum & *dominium*. Audiatur Dominus, *ancilla* obtemperet, atque subserviat, si quando ejus opella uti placeat, quoad licet & fas est, rerumque rationes & & sphæræ ac docendi methodi permittunt.

d) Controversus est locus, sed Criticis fulcimentis jam satis, & magis quam ab initio de ejus ingenuitate disputationis ortæ, communitus. Quemadmodum etiam omnes fatentur, *per oscitantiam* quoque (quicquid sit de hæreticorum malitia, jam supra ad *Peuschelii* confessionem notata,) facilius aliquid omitti potuisse, quam integrum comma, immo periodum inseri. De qua etiam fraude vel incuria nunquam contra Catholicos, tanquam crimine ab

nec in Latina vulgari verſione a) habetur,nec in *Syra*,nec legitur etiam *ab Athanaſio, nec a Nazianzeno* neque a Didymo, neque a Chryſoſtomo, neque a Cyrillo, neque ab Auguſtino, neque ab Hilario, neque a Beda: ut multis teſtatur in annotationibus ad N. T. Eraſmus, b) & fatetur, præter Calvinum & Bezam, Paræus in Calvino Orthodoxo Lib. II. c. 17. pag. 148. Itemque *Pelargus in admonitione de Arianis*, pag. 31. & 32. defendens contra Poſſeuinum, Jeſuitam, Lutherum, qui nec ipſe locum hunc in Germanica ſua verſione c) agnoſcit. Deinde ſit ſane, legatur locus hic conſtanter, tamen nondum video, quomodo id, quod intenditur, firmiter hinc concludatur. Quod enim Spiritus Sanctus teſtari dicitur, id, *perſonam* eum eſſe, non evincit, *cum non minus res, quam perſona teſtari* posſit, ut videre eſt in verſu ſtatim ſequente, ubi in terra teſtari dicuntur ſpiritus, ſanguis & aqua, cum tamen certum ſit, nec ſpiritum, (ut quidem hoc loco ſumitur) nec ſanguinem, nec aquam, eſſe perſonam. d) Et Chriſtus Joh. V. v. 36. ad *teſtimonium operum*, e) quod teſtimonio Johannis (Baptiſtæ) majus eſſe fatetur, & paullo poſt v. 39. ad *teſtimonium Scripturæ provocat:* Sed nec illud etiam, quod Spiritus Sanctus cum perſonis, nempe Patre & Verbo conjungitur, quidquam roboris habere videtur. *Solet* enim *Scriptura* ſæpius in *una eademque re, res cum perſonis non minus conjungere, quam res cum rebus, aut perſonas cum perſonis:* ut Eph. VI. v. 10. Phil. III. v. 10. 2. Theſſ. I. v. 9. f) Et inſignis eſt locus Actor. XX. v. 32. ubi D. Paullus ſeniores

ipſis admiſſo, olim leguntur conqueſti adverſarii, ad inſimulationes cæteroqui paratiſſimi.

a) Cauſas hujus ſilentii aut omiſſionis redditas jam alibi, non eſt, cur in præſenti repetamus.

b) At alios, melioribus codicibus utentes, & in ipſis quidem cum Arianis Diſpp. occupatos, eum allegaſſe, plurimi, nominatim laudatus ſupra *Martinius*, docuere, nec ea, quæ *Emlynius* repoſuit, tanti ſunt, ut quisquam ideo γνησιότητα hujus teſtimonii in dubium vocare debeat; utpote quæ nihil aliud probant, quam a multis Græcis codicibus id abfuiſſe: de quorum tamen auctoritate cum cæteris, qui exhibent, comparata amplus adhuc diſputandi campus ſupereſt.

c) Nec mirum, cum in Exemplaribus ſuis Aldino & Eraſmianis, vel Gerbeliano etiam, (ſi quidem id quoque cum prioribus inſpexit) id non reperit, tutiusque ei omittere viſum eſt, ne quam calumniandi anſam daret, donec controverſia ſec. Criticas regulas, quemadmodum deinceps factum eſt, diſcuteretur.

d) Magna eſt differentia: Hic enim res & organa gratiæ, Verbum & Sacramenta, conjuncta ſunt, ibi perſonæ. Priores namque tales eſſe, ipſe paullo ante eſt largitus Confeſſor noſter.

e) Hoc ipſo vero, *Operibus*, a ſe diſtinctis, *improprie* teſtimonium, *ſibi* vero *proprie* tribuendum eſſe, planiſſime docet.

f) Ingens eſt diſcrimen. Etenim partim particula *&*, v. g. Eph. VI., luculentisſime explicationis notionem ſuſtinet, atque pro *& quidem* poſita eſt, partim diſtincta

res Ecclesiæ Ephesinæ commendat Deo & verbo gratiæ a) ejus. Tandem quod attinet ad verba: Et hi tres unum sunt, dico, ex iis non magis essentiæ unitatem posse concludi, quam ex alteris, quæ posita sunt in versu sequenti, ubi de spiritu, sanguine, aqua dicitur, quod hi tres in unum sint. Quamvis enim sint, qui dicant, *aliud esse, unum esse, & aliud in unum esse*, tamen nullum hoc esse discrimen, primum patet ex eo, quod quidam b) codices, etiam in v.7., de quo agimus, legant: καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Vid. Cod. Hispan. & Antuerp. Deinde ex illo etiam, quod *præpositio* εἰς *idiotismo Hebræo, ex quo sine dubio hic loquendi modus est desumtus, sæpissime abundet*, non secus atque apud Hebræos particula ל, cum qua eleganter verbum הָיָה construitur: idemque sit non raro: Esse aliquid, & esse in aliquid, quod multis docere possem exemplis, si foret opus, & cuiquam ignotæ essent sententiæ istæ: Ego ero ipsi in patrem, & ipse erit mihi in filium 1. Sam. VII. v. 24. Et Hebr. c. I. v. 5. Erunt duo in carnem unam Gen. II. v. 24. Et Matth. XIX. v. 5. Et 1. Cor. VI. v. 16. c) Videtis, credo, viri prudentissimi, qui fiat, quod consequentias hasce nondum assequar, & istam, quæ per eam probari solet, Trinitatem nondum agnoscam. Sunt enim hæ consequentiæ plerorumque confessione potissimæ & manifestissimæ,

Xxx xxx

tantum ubique *objecta*, non *actionum*, cujusmodi testimonium est pronunciatum, *subjecta* (si ita loqui fas est,) nominantur; quæ magnopere differunt. Ibi propria verbi notio retineri poteſt; hic non item.

a) Neque hic actio commemoratur, sed *objectum* commendantis *Paulli* diversum, & in sequentibus quoque differentia notabiliter, per *singularem* numerum ῷ, indicatur, non οἷς: quemadmodum etiam b. *Lutherus: der euch behüten kan* &c. reddidit.

b) Nec multi, nec boni. Quemadmodum etiam in Bibliis *Antwerpiensibus* præstantissimos esse Codd., præsertim MSctos, adhibitos ab *Aria Montano*, præcipuo ejus operis pretiosissimi gubernatore, nemo temere credit. Plerique certe, *Grammaticum* meliorem eum fuisse, quam *Criticum*, haud injuria opinantur. Et quanquam maximam partem secutus est *Ximenii* editionem, ex MSctis illustribus expressam, ut præ se fert inscriptio; nondum tamen, qualia fuerint illa MSta, & quantæ auctoritatis, satis constat, neque etiam, quam ἀκριβῶς eadem dijudicaverit *Cardinalis* iste, pecuniosus quidem at minime rerum Criticarum satis peritus, exploratum est.

c) Dissimilia hæc sunt exempla. In omnibus enim, quæ recitata sunt, qualitas aliqua aut status moralis exprimuntur. Hoc loco vero de uno eodemque *fine*, *ad quem collineet testimonium* illud, sive *organorum gratiæ*, sive χαρισμάτων extraordinariorum cum martyrio, ut quidam, sed minus versimiliter, opinantur, sive denique effluentium e latere Christi liquorum, agi, cœcus sit, quisquis non ex cohærentia totius orationis intelligat. Quanquam vero ex utraque explicatione, essentiam non esse unam, evinci posse, existimaverit confessor noster; non tamen simpliciter, ubi *tres unum esse* dicuntur, præsertim deficientibus N. T. exemplis, horum sensuum aliquem locum habere exsculpet, sed *ex unitate potius* essentiæ, tanto magis indubitatum trium in cœlo, seu cœlestium illorum

mæ,a) ex quibus facile eſt judicium ferre de aliis. Non mirum eſt autem, has mihi conſequentias adeo imbecillas videri & infirmas: hactenus ſiquidem perſvaſum mihi habeo, tantum abeſſe, ut Deus ille trinus ex ſcripturis colligatur, ut potius contrarium (& hæc tertia reſponſi mei cauſſa eſt,) facili negotio ex iisdem demonſtretur, idque vel ex eo ſolo, quod *toties illa unum Deum* inculcet. Videatur Deut. VI. v. 4. Matth. XIX. v. 17. Marci II. v. 7. X v. 18. Lucæ XVIII. v. 19. Rom. III. v. 30. Gal III. v. 20. 1. Timoth. II. v. 6. Hinc namque neceſſario ſequitur, quantum ego quidem intelligo, quod non ſit binus aut trinus. b) *Oppoſita* enim *ſunt inter ſe: Vnus & Trinus*, ſive unus & binus: ita ut, ſi Deus unus ſit, jam non binus ſit aut trinus: Sin binus aut trinus, jam non ſit unus. Videor autem jam audire Theologos, dicentes, hoc non eſſe argumentari ex ſcriptura, ſed potius ex ratione tela torquere in ſcripturam. Dico viciſsim, nihil magis argumentum hoc habere rationis, quam ipſorum diſtinctionem, quando nimirum Deum unum docent eſſentia, trinum vero perſonis. Cur enim ita diſtinguunt? Annon, quia *fieri non poſſe ſciunt, ut oppoſita prædicata, de uno, & eodem reſpectu ejusdem enuncientur.* Atqui & hoc ipſum eſt, quo mediante ego ex illis ſcripturæ locis, quæ Deum unum eſſe expreſſa litera tradunt, concludo, non poſſe eundem binum eſſe, aut trinum. c) *Cur, quod ipſis* licet in affirmando, aliis non licet in negan-

teſtium conſenſum infallibilem inferendum eſſe, & a Johanne deduci, colligere neceſſe habebit.

a) Nec potisſimæ nec manifeſtiſſimæ. Ego cunctis aliis *Baptiſmi formulam* anteferendam cenſeo. Vt alia omittam.

b) Quantum ad *eſſentiam*, ſeu triplex, ut *multi* ſint *Dii*. At non eſſe *plures*, quibus etiam *ſine multiplicatione eadem communis* una ſit eſſentia, hinc neutiquam conſequitur.

c) Non innituntur noſtri rationi, ſed ſolis Script. divinæ teſtimoniis, quæ, *unum eſſe Deum*, & tamen *Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, & Sp. S. eſſe Deum*, perſpicuis verbis docent, indeque etiam, ut in cultu pariter religioſe conjungant, edocti, quo ſenſu hæc, quæ repugnantia aliis videntur, conciliant. Atque, id ut faciant, cumprimis adducuntur, quando, *alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Sp*, S. ibidem affirmari, *bosque tres* in Baptiſmi formula per conjunctionis particulam *&* disjungi, & tamen ad unum perpetuum cultum in ipſa initiatione etiam conjungi obſervant. Tantoque magis in ea ſententia amplius confirmantur, quod animadverterunt, in illis locis, ubi unitas Dei urgetur, Deum rebus inter creaturas pro Diis venditatis opponi, &, quando de Patre reſp. Filii ex ipſo geniti ſermo eſt, ὑπόστασιν ei peculiarem, filioque pariter nomen προσώπου peculiaris tribui, in Hebræa vero lingva τῶν פנים in Deo in ipſa præfatione Decalogi clariſſime mentionem fieri. Quæ ſane vocabula idem, quod nos *perſonas* vocamus, alioquin denotare ſolent: ſicut etiam, quando de Eſſentia Dei ſermo eſt, θεότητος, καὶ φύσεως, oppoſite ad ea, quæ non ſunt φύσει Deus, eadem oracula Dei, de ſe omni-

gando? a) Sed inquiunt, periculum non esse, ne, si Deus unus & trinus credatur, in principium istud impingatur, cum manifestus sit diversus respectus, quo unus dicitur essentia, trinus vero personis. Ad hoc respondeo I. non satis esse, diversum ejusmodi respectum adferre; Sed *necesse esse*, *ut idem etiam probetur*, & quidem apertissimis scripturæ verbis. b) Cum negari non possit, esse hoc in omni ratione absurdum, c) ut una essentia numero in tribus numero distinctis subsistat personis. At enim, *nunquam eos hoc posse*, tam certum est, quam quod certissimum. Non diffitentur enim ipsi, ideoque ad tot, tamque varias consequentias d) recurrunt, qua in re frustra ipsos esse, inde putaverim, quod *nunquam recta ratio sibi contradicat ipsa*: *omnis* vero *consequentia deducta ex scripturis etiam nihil aliud sit, quam recta ratio illuminata*; qua de re prolixius disserendi locus jam non est. Quin tollunt II. hunc respectum diversum ipsæ scripturæ, quoties vel solum Jesu Christi Patrem verum Deum, e) vel illum, qui sit ille unus Deus, esse Patrem omnium, id quod de solo Jesu Christi patre dici potest: vel denique illum unum nostrum Deum esse Patrem, ex quo omnia, & nos in illum: quod similiter nemini convenire potest, nisi Patri f) Domini nostri Jesu Christi, diserte asserunt. Vnde sic concludo: *Pater Domini nostri Jesu Christi est unus, non tantum essentia, sed etiam persona. Pa-*

um haud dubie planissime locuti, meminerunt. Ergo non rationem consultam, immo in hisce inconsultam, sequimur, sed verbi divini de Deo effata rite combinamus & explicamus.

a) Immo vero, duo cum faciunt, aut potius facere videntur, idem, non est idem.

b) Probatus est a nostris, quando proprietates personales, paternitas, filiatio, spiratio passiva, ut vocant, *grammatice* ex actionibus personarum, quarum tamen unaquæque Deus dicitur, demonstratæ sunt, & ut *relativæ oppositiones* explanate propositæ.

c) In rebus finitis & creatis. In Deo, Ente *infinito*, quod comprehendere non possumus, fateamur nos *definire nihil posse*, sed ipsi de se talia ac tanta *revelanti tantum credere* oportere.

d) Non consequentias, sed *Scripturæ dictorum combinationem* genuinam inprimis urgemus: quo facto demum ex *operationibus etiam*, *dictis V. & N. T. comparatis*, *cultu religioso*, *attributis divinis* plura argumenta subjicimus, eaque consecutiones apertas pronasque, non distortas, sistentia atque continentia.

e) Male pervertuntur verba. Etenim non solus Jesu Christi Pater Deus dicitur, sed Pater Jesu Christi *solus ille verus* Deus (opposite ad ficta idola, aut, uti 1. Cor. VIII. loquitur Apostolus, λεγομένους θεοὺς) appellatur. Quanquam etiam sint, qui hæc tanquam in respectu ad *Christi* peculiare *officium*, quo & Dominus noster singulari quodam modo est, referre, ac nomen proinde Patris *essentialiter* accipi malint, quorum sententia digna est, quæ diligentius excutiatur.

f) Sit ita, at simul *œconomiæ salutis nostræ δικαστικῆς* in hac muniorum divinorum distributione ratio habetur, & semper habenda est.

ter Domini nostri Jesu Christi est ille unus Deus. Ergo ille unus Deus unus est non tantum essentia, sed etiam persona. a) Propositio est veritatis apud omnes confessæ: Assumtio probatur I. ex ipsius Filii Dei ad patrem precibus Joh. XVII. v. 3. ubi sic habent verba Græca: ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστόν, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Priora enim verba ita accipienda esse, ac si scriptum foret, *ut cognoscant te, qui solus es verus Deus:* evincit ipsa vis locutionis Græcæ, quæ apparet etiam ex loco plane simili 1. Tim. VI. v. 16., ubi cum, Græca verba ita sonent, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, ille solus habens immortalitatem, interpretes tamen pene omnes legunt, qui solus habet immortalitatem; b) ut ita Christus in istis verbis dixerit, non modo patrem esse illum solum verum Deum, ut quidam hoc tantum ex ipsius verbis colligi contendunt, sed ipsum solum, nec videlicet præterea alium (adeoque non tantum idola & Deos fictitios, sed nec ipsum etiam Jesum Christum, qui insuper, quamvis in cognitione, quæ vita æterna est, cum illo, qui solus est verus Deus, conjungatur, ab eodem tamen ut missus a mittente aperte c) distinguitur; nec etiam Spiritum Sanctum) esse verum Deum. d) II. ex verbis epistolæ ad Ephesios Cap. IV. v. 6. *unus Deus & pater omnium:* Atque sic præter illum, qui omnium sit pater, nullum esse Deum: ex quo necessario sequitur, ne ipsum quidem Jesum Christum esse illum Deum. Neque *enim Jesus Christus est pater omnium, immo ipse patrem habet*, nempe illum, qui est pater omnium, & proinde ille Deus; nec etiam Spiritum Sanctum, qui itidem non est pater omnium. e) Neque enim est Jesu Christi pater, nec in sacris literis

a) Sophisma id est manifestissimum. Vt enim alia taceam, quæ Logicorum filii urgere possint; nihil aliud certe hinc consequitur, quam: Ergo *Quidam*, qui est unus ille verus Deus, est Deus non tantum essentia, sed etiam persona, h. e. est persona divina, quæ habet unam essentiam Dei. Quid inde? Quis hoc negat?

b) Et hoc loco Pater dicitur esse ille, qui solus habeat immortalitatem, h. e. Deus immortalis, cum Deastri omnes sint, vel homines morte perituri, vel trunci alio modo φθαρτοί. *Exclusio* itaque hæc itidem *ad prædicatum* pertinet, non subjectum. Quanquam etiam, hæc de *dominio Christi*, ratione officii, *œconomico* si explices, nihil erit, quod explanari accuratissime haud possit.

c) Ratione personæ & officii.

d) Hujus non meminit, quia in precibus *ad Patrem* occupatus fuit. Quod tamen, qui nomen Patris essentialiter accipiunt, ne quidem, ut concedant, necesse esse, sed Sp. S. quoque hoc nomine comprehendi, putabunt. *Non* ubique omnium personarum enumerationem necessariam fuisse, certissimum est. Taceo, nec præceptorum Christi, nec promissorum simul his verbis plenam descriptionem contineri. At hæc quam maxime necessaria esse ad salutem, *Sociniani* contendunt.

e) Essentialiter si nomen Patris accipias,

teris patris nomine appellatur. a) III. ex 1. Cor. VIII. v. 6. ubi inquit Apostolus: Nobis unus est Deus, pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Clarissime enim hinc patet, b) eum, qui non sit pater ille, ex quo omnia & nos in illum, non esse illum, qui nobis est Deus; quare ne ipse quidem Jesus Christus est noster ille unus Deus, sed filius ipsius, qui ab illo ad nos venerit, Joh. XVI. v. 18. & ab ipso omnia acceperit, c) quæ nobiscum jam vel communicavit, vel umquam communicaturus est. Matth. XI. v. 27. Joh. III. v. 35. & Cap. XIII. v. 3. Cap. XVII. v. 2. 7. 8. 14. 22. Act. II. v. 33. nec etiam Spiritus Sanctus, qui nec ipse auctor est eorum, quæ nobis annunciavit, Joh. XVI. v. 13. & 15. d) Verissima igitur est propositi argumenti assumtio; qua stante subsistit etiam conclusio, nempe Deum non tantum unum esse essentia, sed etiam persona. e) Non patitur IIItio diversum illum respectum *absolutissima Dei simplicitas, quæ nihil aliud est, quam simplicissima ejusdem in se spectati unitas.* Quicquid enim absolutissime simplex est, absolutissime etiam unum est. Quod autem absolutissime unum est, nullo modo f) binum aut trinum est. Contradictionem enim involvit, *absolutissime esse unum, & ullo modo esse multum.* Est autem binum aut trinum multum. Nam ubi duæ aut tres unitates sunt, g) ibi numerus est, ubi numerus

 est,

tota hæc ratiocinatio concidet; si personaliter, Patrem esse illum unum Deum (ἁ λεγομένοις distinctissimum) affirmat Christus; de se autem & Sp. S., *quod alibi* etiam expresse *asseritur*, idem non h. l. negat.

a) Appellatur ita, quando æque ac Pater Jesu Christi, ipsumque adeo Verbum seu λόγος, *cuncta condidisse & conservare* dicitur. Vt generalem paterni nominis de Deo usum omittamus.

b) Imo in his verbis Paulli adhuc luculentior illa *oppositio ad Deos λεγομένους*, (uti dictum est paullo ante,) quo sensu ita Pater solus ille Deus vocetur, patefacit, & *Domini* quoque nomen aliorum sententiam de *essentiali Patris notione* videtur confirmare, ad *Regnum* quippe Christi œconomicum & in propitiatione ut acquisita, ita per fidem dispensanda, occupatum, sec. 1. Cor. XV. respiciens.

c) *Accepit*, sed *non gratuito*, verum per essentiæ *in generatione* communicationem ejusdem, quæ *communi consilio*, non secundum imperium, in assumta humana natura, cum qua ea personaliter communicavit, cumprimis annunciavit & dispensavit.

d) Non ex ingenio Sp. S., quasi propria quædam *ab ipso excogitata*, ac commentitia, quemadmodum & Christum *a se loqui* accusabant & calumniabantur Judæi, ea fore, Christus ait; at *hoc ipso eadem*, quæ & Pater & filius volunt, sentiunt atque judicant, *propter essentiæ & consilii unitatem ab ipso esse annuncianda*, magis confirmat.

e) Contrarium potius hinc sequi, aut certe, quando Patri summa divinitas pluries attributa legitur, reliquas personas non excludi, a nobis ante demonstratum est.

f) *Absolutissime unum* dici Deum, *& ratione personarum & ratione essentiæ*, nusquam reperio; contrarium autem *tres*, quibus *eadem numero θειότης* adscribitur, multoties invenio testari Scripturam divinam.

g) Vnitates tres esse non sequitur, sed *tres, quibus unitas illa* indivisibilis & haud

est, ibi multitudo est. Numerus enim multitudo est ex unitatibus collecta. Simul ac igitur Deus ullo modo binus aut trinus dicitur, statim dicitur multus: a) *Si multus, quomodo unus? Si unus & multus simul, quomodo jam simplicissimus*, b) *aut, quod* eodem redit, quomodo simplicissime seu absolutissime unus? Cum omnis, *etiam rationis, diversitas*, si in re fundata sit, (ut certe diversus iste, quem Theologi docent, respectus in ipso Deo fundatus c) esse dicitur) *necessario importet multitudinem propterea, quod diversitas esse nequeat, nisi inter plura*, d) *& contradictio in adjecto sit, idem qua idem* e) *a seipso esse diversum*; Ita me colligo: Quicunque in seipso simplicissime & absolutissime est unus, is nullo modo potest esse multus. At Deus in se simplicissime & absolutissime est unus: f) Ergo Deus nullo modo potest esse multus. Porro: Qui *nullo modo potest esse multus, is nullo modo potest esse binus aut trinus*. At Deus nullo modo potest esse multus. g) Ergo Deus nullo modo potest esse binus aut trinus. Tandem: *Qui nullo modo potest esse binus aut trinus, is nec subsistentiis seu personis potest esse binus aut trinus.* At Deus nullo modo potest esse binus aut trinus. h) Ergo nec subsistentiis seu personis; id quod erat demonstrandum. Atque hæc ad quæsitum secundum. Sequitur tertium.

Ad quod respondeo, me pro puro puto, ut quæsitum loquitur, sophismate habere non posse, quod legitime ex sana ratione video deductum. Verum quidem est, non niti argumentum illud principio aliquo in Scriptura Sacra alicubi aperte tradito, sed *solo rationis discursu*; non-

multiplicabilis divina *communis* est. *Numerus*, qui hinc exsurgit, *personarum* est; *unitas essentiæ*.

a) Multus (si ita loqui fas est) ratione *personarum*, non naturæ aut essentiæ.

b) Simplicitas *compositionem negat* in Deo esse, non personarum pluralitatem, seu multitudinem, si commode ita loqui liceat. Compositum autem ex tribus personis Deum esse, nemo nostratium docet.

c) Vtique: Est enim realis inter personas distinctio, cujus fundamentum *relativa* oppositio actionibus & proprietatibus personalibus innixa.

d) Non plura (est namque & manet una eademque numero essentia) sed *plures*.

e) Qua idem: In Deo autem plures sunt, & illi tres distincti *personaliter*, non diversum quid ratione *essentiæ* ejusdem: quod utrumque scriptura docet.

f) Negatur minor: *absolutissime* enim unum esse Deum & *ratione personarum*, jam ante ostendimus, falso affirmari. De simplicitate in præced. annotatione (b) aliquid observatum est, quod si repetas, etiam majorem propositionem laborare nævo deprehendes.

g) Et hanc minorem falsam esse, jam dictum. Tres enim personæ certo sensu vocabuli multæ sunt, si ad unam referas. *Distinctionem* autem personalem, seu *personarum*, distinctionis, unde plures exsurgunt, *aliquem* esse *modum* liquet.

h) Hæc quoque ex prioribus falsis profluit falsa propositio, & rejicienda est.

nondum tamen perſpicio, quomodo hanc ob cauſam procedere non poſſit. Nam ſi dicant Theologi, *rationem nihil præjudicare ſcripturæ;* fateor, rem ita ſe habere, ſed & hoc ſedulo *cavendum* arbitror, *ne quid pro ſcriptura habeatur, quod ipſa ſcriptura nullibi perſpicue tradit.* Tum vero demum ceſſat ratio, quando manifeſta incipit revelatio: Hæc ubi nulla eſt, ut ego hic nullam eſſe exiſtimo, nimis credulus aut ſuperſtitioſus ſit, qui rationis præſidium deſerat. Quin immo ſi, ut *ea, quæ rationi refragantur, admittamus, ipſius divini Spiritus verbis clarisſimis adduci nec poſſumus nec debemus, quid nobis* faciendum putabimus in iis, quæ ab hominibus præter ejusdem ſpiritus certisſima evidentiſſimaque teſtimonia contra rationem a) proponuntur? Quoties in ſacris literis legimus; Deum pœnituiſſe, in furorem exarſiſſe, contriſtatum fuiſſe, deſcendiſſe, aſcendiſſe, recesſiſſe, accesſiſſe, & hujusmodi alia quam plurima; quis tamen noſtrum eſt, qui id proprie dictum accipiat? *Annon a propria & uſitata* ſignificatione deflectimus omnes, *eam ſolum ob cauſſam, quod firmis rationibus ſimus* b) *perſuaſi, nihil horum in Deum vere & proprie cadere poſſe?* Cur igitur, ſi in his rationi aliquid damus, idem non facimus in aliis? Sed deſino plura hac de re verba facere; cum illi, qui hoc reſponſo ſolent uti, ſatis refutent ipſi, quando contra Pontificiorum transſubſtantiationem egregie *axioma iſtud philoſophicum, quo accidentia absque ſubjectis eſſe non poſſe ſancitur, urgere ſolent,* c) quicquid tandem ipſi Pontificii de myſterio, quod fingunt, dicant, aut dicendum eſſe contendant. Qui in hujus argumenti ſolutione finitatem & infinitatem perſonæ adferunt, nihil agunt

a) Myſterium Trinitatis *& tradi* in Ser. S., utut non his ipſis verborum apicibus, quantum ad rem tamen diſtincte tribus, ut conſtat, propoſitionibus, *& contra rationem non eſſe,* quantumvis ejus captum & limites *excedat,* jam ſæpe demonſtratum eſt. Male ergo hæc, tanquam incerta, immo ut talia, de quibus contraria notisſima ſint, ſubſternuntur ferocienti adverſus Sp. S., qui hanc veritatem teſtatiſſimam reddidit, rationi.

b) Rationibus, ſed non ex ratione, verum ex *revelatione*, cum qua ſane ratio hactenus conſpirat, potiſſimum deſumtis. Quare iſthæc exempla ad præſentem controverſiam non quadrant.

c) Qui urgent, ut ſecundarium & *ſubſidiarium* urgent. *Fundamentum* noſtrum in doctrina de S. Cœna haud aliud ponimus, quam *verba inſtitutionis* clariſſima & ſenſum *propoſitionum exhibentium*, quæ, quando res geminæ ſiſtuntur, non transſubſtantiationem, ſed κοινωνίαν, uti *Paullus* etiam explicat, deſignant. Multi certe ex noſtris, cum Pontificiis diſputantes, hoc argumento philoſophico prorſus non utuntur, ſed ipſos adverſarios mutuis de modo transſubſtantiationis, & eo quidem potiſſimum, qui cum corporis natura conciliandus ſit, ambiguis digladiationibus ſe conficientes, deque ficto hoc myſterio ex ratione mirifice diſceptantes æquanimiter ſpectant.

agunt. Non enim argumentum illud ducitur a personæ finitate aut infinitate, sed ex ejusdem cum essentia individua intellectu prædita, identitate, a) quam in infinitis negare non possunt, nisi in his aliam rationem personæ esse ostendant. Qui vero tam in finitis quam in infinitis istam personæ & essentiæ individuæ intellectu præditæ identitatem negant, propterea, quod essentia communicabilis sit, persona non sit, *contradictionem implicant*. *Essentiam enim individuam* dicunt, & tamen *incommunicabilem negant? Quæ vero essentia individua est, quæ non sit incommunicabilis?* Quid enim est individuum, nisi quod indivisibiliter subsistit? Quid *vero indivisibiliter subsistit, nisi quod incommunicabile est? Annon enim omne divisibile communicabile, & omne communicabile divisibile? Quid enim communicatur nisi quod multiplicatur? quod autem multiplicatur nisi quod dividitur.* b) Ad quartum quid respondere possim, iam credo constat. Si enim plures in divina essentia personas agnoscere nequeo, ipsum vero Domini nostri Jesu Christi patrem cum Christo homine personaliter unitum dicere nefas duco: Consequens est, ut, *quidquid Symbola ista œcumenica, quæ vocant, de unione duarum in Christo naturarum personali dicant & definiant, extra & præter sacras literas fieri, hactenus quidem statuam.* Et sane si unquam miranda isthæc unio contigisset, seu quod idem est, si unquam Deus ille æternus, ille Jehova homo factus fuisset, impendio mirum est, nusquam apertis verbis c) in sacris literis id extare scriptum; præsertim cum ab omni ratione illud abhorreat. Si enim alia, quæ paullo creditu difficilia sunt, ut sunt, cœli terræque creatio, divina humanarum rerum absoluta Dei cura, mortuorum resurrectio, vita æterna hominibus Christo fidentibus danda, & hujusmodi quædam alia, vel etiam aliquanto leviora, quæ nos

a) De hac identitate supra jam animadvertimus, male eam asseri: cum persona aut suppositum, nec essentia sit, nec subsistentia in *casu recto*, sed ex utroque aliquid constans. Vnde profecto essentiam infinitam communicari pluribus posse aut non posse suppositis, seu intellectu præditis personis, rationem non determinare patet, sed, tanquam rem imperviam sibi (quippe quæ finita est,) in medio relinquere, & ex revelatione decisionem expectare, constat, aut certe id officium ejus, nisi plus justo sibi arroget, liquet.

b) Hoc est, quod negamus, in *re infinita* necessario consequi. Quam ipsam communicari potius posse & sine divisione, & sine multiplicatione, atque adeo essentiam *individuam* non esse etiam *incommunicabilem*, contrarium præsertim testante per *revelationem de se ipso Deo, optime sibi ipsi cognito*, affirmamus. Ratio autem nunquam, nisi a finitis rebus argumento insulse ducto, communicationem talis naturæ fieri haud posse, evincet. Ac proinde, quicquid est hujus argumenti, sophisma est, & μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, sophistico disputandi genere multo putidior.

c) Quid igitur est, *apertis verbis extare in*

nos vel credere necesse sit, vel saltem expediat, in sacris oraculis tam sunt clara, tam perspicua, tamque crebro repetita, quid futurum fuisse censendum est, in exprimendo mysterio tanto, a) quod non modo rationi penitus adversatur, sed & ad salutem consequendam prorsus necessarium tum ipsi Theologi confitentur, tum ratione manifesta probatur. Fieri enim non potuisset, ut in salutis nostræ mysterio æternus ipse & immortalis Deus omnium creator & Dominus se eo usque demisisset, & humanas calamitates & mortem ipsam, eamque acerbissimam sentire voluisset, nisi in hac via nos servare destinasset, & propterea id nos scire debere omnino constituisset; ut & illi debitas gratias de tam admirabili benignitate ageremus, & viam salutis nostræ certam tenere possemus. At vero tantum abest, ut stupenda hæc Dei demissio a sacris auctoribus identidem nobis aperte prædicata fuerit, ut ne uno quidem loco obscure b) saltem significata deprehendatur. Quo fit, ut ejus assertores non claris divinarum literarum testimoniis, immo ne testimoniis quidem ullis, sed potius variis consecutionibus sententiam suam astruere conentur. c) Describunt Matthæus & Lucas, præsertim vero Lucas exacte admodum nativitatem D. N. JESV Christi. At Matthæus cum illa verba præmisisset: JEsu vero nativitas talis erat; nihil antiquius vel excellentius, quod ad vitam adtinet, de eo narrat, quam Mariam ejus matrem, priusquam ipsa & Josephus, vir ejus, convenissent, inventam esse gravidam e Spiritu Sancto. Lucas autem, qui paullo altius rem repetit, & diligentissime in ea versatur, initium hujus nativitatis & ortus sumit ab eadem Spiritus Sancti virtute, dicente apud eum Gabriele: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. Certe, si usquam aliquid clare de Deo homine facto, qui Christus Jesus sit, dictum fuisset, id in his duobus locis scriptum legeretur, ubi ex-

S. *litteris?* Hæccine postulant *Sociniani: Deus est incarnatus;* aut *Deus est homo factus &c.* Iniqui sunt, si Deo hoc mysterium enuncianti verba ipse præscribere & quasi annumerare velint, & gnaviter impudentes. Nonne idem prorsus sonant verba: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, aut: Deus est manifestatus in carne. His ergo acquiescant, neque ad detorquenda ea in alienum sensum operam omnem studiumque contra conscientiam, vel ob solam rationem itidem recalcitrandam, conferant.

a) Immo vero illud quoque non minori *perspicuitate verborum* patefactum est. Quod si non vident id *Sociniani*, aut nolunt perspicere, ipsimet *velum*, non Mosis, uti Judæi solent, sed *Aristotelis*, sibi imponentes, h. e. cum ratione, hisce dijudicandis impari, male consultantes, in caussa sunt: Quæ præjudicia solicite τὸ πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, ut faciant τὰ θελήματα τῶν διανοιῶν, corroborat.

b) Audax assertum!

c) Contraria, quæ paullo ante citavimus, loca luculentissime demonstrant. Quibus alia plura facile, si opus esset, adjici possent.

preſſe ea de re agitur, in qua & per quam hoc plus quam divinum myſterium peractum fuiſſe volunt, hoc eſt, de ipſa Jeſu Chriſti conceptione in utero virginis. a) Etenim quemadmodum de admirabili hac divina operatione totius naturæ limitis exſuperante aperta fit mentio: ita de hypoſtatica illa, quam vocant, Dei cum carne unione meminiſſe debuerant Evangeliſtæ, b) idque adeo diſerte, ut nec quisquam in futurum de ea ambigere poſſet, & Jeſu Chriſti nativitas, ad quam peragendam unio hæc tanquam formalis & præcipua cauſa concurriſſe creditur, imperfecte c) prorſus ab ipſis tradita non videretur. Alioqui vel unicam ſalutis noſtræ viam nobis invidiſſe, vel tanti myſterii ignaros ſe fuiſſe ipſimet declaraſſent. Vtrumque autem cum longe abſurdisſimum ſit, intelligi facile poteſt, nusquam hujusce rei apertam in ſacris litteris mentionem d) factam eſſe. Nec valet, quod quidam dicunt, partem hanc ab aliis omiſſam poſt aliquot annos demum Johannem, quaſi Jeſu Chriſti hiſtoriam ſupplentem, addidiſſe. e) Abſurdum enim eſt, viros iſtos præſtantiſſimos, quorum unus ex duodecim Apoſtolorum numero fuit, alii vero, Lucam intellige & Mar-

a) Falſum eſt, *Lucam* nihil hac de ἐνσαρκώσει Filii Dei unigeniti commemoraſſe, quem & Angeli, annunciantis conceptum Chriſti humanum, verba Cap. I. 35. huc ſpectantia, & chori numeroſisſimi Angelici nativitatem Cap. II. 11. deprædicantis, Filii item ad Patris ſui domum, in qua eſſe ſe oporteat, provocantis aſſerta, dedita opera, cum aliis non diſſimilibus, recitaſſe, inque ipſa genealogia tandem eum Filium Dei ad extremum nominaſſe Cap. III. quis neſcit? Quod autem neque *Matthæus* iſthæc diſtinctius explicarit, neque *Lucas* ex profeſſo divinitatem illam Chriſti fuſius explanarit, *ſcopus utriusque*, inprimis vero Matthæi, in cauſſa fuit, quem, ex familia Davidis natum eſſe Jeſum Nazarenum *Regem Judæorum*, commonſtrare potiſſimum voluiſſe, indicio eſt perquam luculento, quod eandem veritatem, Judæis ob oculos ponendam, *ex adoptionis jure*, & cum Patre non naturali etiam, ſed *legitimo* nexuque legali, ejus non tam genus, quam cognationem deduxit. Sufficit ergo a Sp. S. hoc myſterium, ubiubi placuit, revelatum eſſe. Nativitati certe in tempore & Chriſti hominis ex homine neceſſario id omne (utut, commode fieri potuiſſe, non negemus, & factum quoque eſſe a Luca, oſtenderimus,) adjiciendum fuiſſe, quicquid ac divinitatem Chriſti quoquo modo pertinet, præſertim verbis a Socinianis præſcriptis, nondum aſſequimur.

b) Si *Evangeliſtas* nominat, cur *Johannem* Cap. I. 13. non inſpexit?

c) Quaſi vero *imperfecte* doceat, qui non *ſimul* omnia tradit. Sufficit, aut ipſum alibi, aut σύνεργον tradidiſſe perſpicue.

d) Si negaſſe ſatis eſt, quæ via ad veritatem inveſtigandam per hominum petulantiam ſupererit?

e) Negamus, alios hanc partem doctrinæ omiſiſſe. *Johannem* autem, quando dilucidius eam expreſſiſſe affirmamus, & cæteros, & hunc Evangeliſtam *ſcopo* ſuo congruenter ſcripſiſſe, præſertim contra hæreticos, divinitatem J. C. jam tunc improbe & aperte oppugnantes, recte defendimus.

Marcum, quorum hic prorſus de nativitate tacet, a) Petro & Paullo dictantibus ſeu approbantibus id feciſſe dicuntur, filii Dei ſalutarem hiſtoriam conſcribere aggreſſos, & eam partem intactam reliquiſſe, ſine qua nihil veræ ſalutis inde ad nos manare poſſit, idque, quod totius hiſtoriæ tanquam caput & fundamentum eſt, ſilentio b) prætetiiſſe. At quartus, ſi omnino ſuppleviſſe credendus eſt, nullum debuerat in ea re dubitationi c) locum relinquere; id vero non modo non fecit, ſed quam plurima in ſua hiſtoria recenſuit, quæ contrariam ſententiam confirmare creduntur. d) Mirum vero eſt, etiam in Actis Apoſtolorum a Luca conſcriptis, in quibus tot tantæque occaſiones hujus rei offeruntur, immo potius rem ediſſerendi neceſſitates deprehenduntur, nihil tale non modo reperiri, ſed contrarium ſæpius doceri & inculcari. Legantur Conciones Petri Act. II. 3. 4. 5. 10. 15. Paulli Cap. XVII. 26. Imprimis vero conſideretur illa Paulli Act. XVII. Nulla enim unquam commodior occaſio hujuſce admirabilis & penitus abſtruſæ Theanthropopœiæ patefaciendæ data e) alicui fuit, quam ea, quam Paullus ipſe ad prædicandum Evangelium Athenis arripuit, ignoti videlicet Dei, cui ara in ea civitate dicata extabat, declaratio. f) Atqui tantum abeſt, ut ignotum illum Deum, quem ille ibi

 crea-

a) Ergone *Marcus* etiam *imperfecte* Evangelium ſuum ſcripſit? Immo ſatis bene pro ratione *finis* propoſiti, miraculis potiſſimum brevi compendio percenſendis deſtinati.

b) Inutiles has repetitiones tanto minus diſcutiemus operoſe, quanto diligentius tota hæc objectio in ipſo colloquio ventilata atque diluta eſt ſolidiſſime, ut victas tandem etiam *Vogelius* manus dederit.

c) Neque etiam dubitandi locus revera cuiquam relictus eſt, niſi *Socinianis*, quibus *adverſus ſolem loqui* honorificum videtur, omniaque vel manifeſtiſſima Scripturæ teſtimonia σκεπτικῶς in dubium adducere ſolemne eſt.

d) At quibus? Illis forte, qui *humana* Chriſti *cum divinis confundunt*, aut ſtatum exinanitionis ejusque rationes haud intelligunt, vel œconomiam denique Chriſtianam ſalutis noſtræ, *ad Socraticæ ſcholæ* diſciplinam legesque, diluta duntaxat paullo ſtudioſius Philoſophia morali, revocant.

e) Neque *Petri* illa concio id neceſſario requirebat, quia Judæis ante omnia, *Jeſum illum crucifixum verum eſſe Meſſiam*, eumque necandum & reſuſcitandum, ut pro nobis ſatisfaceret, demonſtrandum erat; Neque *Paullus* id primario agebat, cujus labor ad idololatriam ſtultitiæ revincendam tendebat: unde neuter porro ad cætera myſteria progredi, & *prudenti ordine* ea tradere deinceps neglexit. Neque enim in una concione ſimul tradi cuncta poterant, pluraque etiam ſacro tinctis lavacro, uti ſymboli compendium docet, inſtillanda, antequam initiarentur, ſervabantur.

f) Ecqui vero potuit de Chriſtianæ religionis vel primis principiis aut rudimentis, quæ ſummatim etiam tandem propoſuit *Apoſtolus*, diſſeri, niſi ſtolidiſſime ante Deorum commentitiorum cultu deſtructo, & ignoti Dei, Creatoris cœli & terræ, contra genuina ex naturali Theologia, eidemque convenienter primum tum, & ex revelatione, deſcriptione data?

creatorem cœli & terræ, unicum illum Jehovam oſtendit, Chriſtum dicat, a) ut potius hunc ab illo, quod ad naturam & ſubſtantiam attinet, adeo ſeparet & ſejungat, ut Jeſum ipſum non niſi virum appellaverit, ab illo Deo e mortuis excitatum, & mundi judicem decretum & declaratum. b) Et tamen is eſt Paullus, qui ab ipſo Jeſu nominatim ad hoc delectus fuerat, ut portaret nomen ſuum c) coram gentibus & filiis Iſrael. Act. IX. v. 15. Quid, quod idem Apoſtolus, & alii, tam ſæpe, tam præclare, in epiſtolis ſuis Dei in hominum genus admirabilem charitatem benignitatemque commendant, & prædicant in Jeſu Chriſto exhibitam & patefactam, neque tamen verbum ullum apponunt, de ipſo Deo hac ratione propter ſalutem noſtram homine facto? d) Quod certe præcipuum & præſtantisſimum tantæ bonitatis argumentum & opus fuiſſet, nec ſine piaculo ab illis in ea explicanda potuiſſet prætermitti. Videatur Rom. V. VIII. 2. Cor. V. Epheſ. II. Coloſs. I. 1. Tim. II. 2. Tim. I. Tit. II. 3. 1. Pet. I. 2. 3. 2. Pet. I. 1. Joh. III. IV. e)

Non ſophiſticum, ſed admodum probabile puto argumentum quæſito quinto propoſitum, ex eo, quod per rerum naturam fieri nequeat, ut ulla ſubſtantia completa ſeu perfecta propria ſua ſubſiſtentia careat, cum ipſum ſubſtantiæ eſſe conſiſtat in eo, quod per ſe ſubſiſtat. f) At vero quis eſt, qui ullam naturam intelligentem ſubſtantiam completam ſeu perfectam eſſe neget? g) Nulla igitur natura intelligens pro-

a) Ratio in promtu eſt. De Dei eſſentia prius agendum erat. In hanc enim impegerant putide Deorum manufactorum cultores.

b) Tantum videlicet ad prima tyrocinia Chriſtianiſmi, ne gravioribus offenderentur myſteriis, impoſterum quoque ſubjiciendis, ſufficere cenſebat *Paullus*, ad Magiſtri exemplum docens, qui nec ipſe alia Apoſtolis ſuis, quam quæ *portare* hactenus poterant, exponebat dilucidius, cætera in futurum tempus ſenſim tradenda, quo & minus obſtaculorum objectum iri prævidebat, rejiciens. Joh. XVI. 12.

c) Ordine prudenti explicandum: quod ab eo quoque factum eſſe, & conciones primæ, & ſecundæ inſtructiones, cum epiſtolis, addocent.

d) Novum temeritatis ſpecimen, cui epiſtolæ Paullinæ e diametro repugnant; prout ipſe poſtea in oratione ſua noſter profeſſus eſt, & in colloquio etiam locus 1. Tim. III. 16. diligentisſime examinatus vindicatusque edocere poteſt.

e) Probetur, quicquid de Chriſto doceri potuit, id ubique *plene*, & qua ſingulas partes *cumulatim*, una, h. e. una propoſitione vel periodo ex profeſſo & quaſi catechetice, exponi, & vel centies patri modo ita repeti; atque inculcari debuiſſe. Scriptura ſcrutantibus & νοοῦσι, eamque comparantibus, juſtamque ad analogiam fidei contendentibus, data eſt.

f) Falſum: Subſiſtentiæ enim *modus* eſt *incommunicabiliter* exiſtendi &c. & ſubſtantiæ adjunctum.

g) Mitto, quæ de anima humana rationali, ſeu mente noſtra moneri poſſunt ac ſolent, &, nihil hinc aliud effici, quam ſubſtantiam unamquamque perfectum ſuum

propria ſua carebit ſubſiſtentia. a) Hoc probato, jam non video, quod argumento propoſito deſit. Vbi enim duæ ſunt naturæ intelligentes, ibi duæ ſunt perfectæ ſubſtantiæ. b) At in Chriſto, ſi credimus Theologis, ſunt duæ naturæ intelligentes. Ergo in Chriſto, juxta Theologos, erunt duæ perfectæ ſubſtantiæ. Porro ubi duæ ſunt ſubſtantiæ, ibi duæ ſunt ſubſiſtentiæ. Sic hoc jam habeo, quod argumentum contendit, nempe duas in Chriſto fore perſonas, cum ſubſiſtentia in natura intelligente nihil aliud ſit quam perſona. c) Nihil, quod ſciam, hic Theologi reſpondent aliud, quam quod præmiſſas quidem concedant, concluſionem vero negent, idque ob magnitudinem myſterii, quod ſub rationis judicium non cadat. At vero, quod paullo ſuperius reponebam ad reſponſum quoddam ſimile, idem & hic reponere, quæſo, mihi liceat. Oſtendant illi myſterium ſuum d) ex ſacro Dei verbo, & tum forte aliquid obtinebunt. At, inquam, manifeſtum eſt, humanam Chriſti naturam perſonam eſſe non poſſe, cum nunquam a λόγῳ ſeparatim, ſed in λόγῳ ſubſiſtat. e) Monſtretur ergo locus, oſtendatur litera, quin, addam etiam, nectatur firma ex ſacris literis conſequentia. Chriſtum enim perfectum hominem credo, eumque humana ſua perſonalitate non privo, quam diu verum erit, perfectum hominem perfectam eſſe ſubſtantiam, & perfectam ſubſtantiam propriam ſuam habere ſubſiſtentiam. f) Si vero omnino hic ſit agnoſcendum aliquod myſterium, quæram ex Theologis, cur non potius divi-

 nam

eſſe habere, animadverti volo. De ſubſiſtentia, jam dictum eſt, aliter judicium ferri oportere.

a) At anima noſtra ea caret, quæ tamen ſine dubio ſubſtantia eſt intelligens, utpote quæ totius ſuppoſiti humani ὑποςάσει ſubſiſtit.

b) Neque hæc vera ſunt, ſi ſubſtantiæ vox pro ſubſiſtentia accipiatur. Quia *modus*, τρόπος inquam ὑπάρξεως, a natura, ea tamen incolumi, abeſſe poteſt.

c) Immo potius ſubſiſtentia eſt *modus*, quo perſona, quæ ex eſſentia rationali & ſubſiſtentia conflatur, *incommunicabiliter* ſubſiſtit.

d) Et oſtenſum eſt creberrime, & ab ipſo tandem *Vogelio* agnitum.

e) Quid inde? Niſi quod humanam Chriſti naturam ἐνυπόςατον, non ἀνυπόςατον aut ἀνθυπόςατον eſſe patet. Illud vero quis in *homine ſine exemplo*, & ab utraque natura, ac perſonæ ſimul unitate indiviſa, deſcripto miretur; niſi qui, in Chriſti perſona nullum ὁμολογουμένως μέγα myſterium agnoſcendo, *Paullo*, hoc affirmanti, obloqui non verecundetur?

f) Non propria neceſſaria eſt, ſed *aliqua*, *etiam communicata*; præſertim in tam arcta unione, ubi veritas hæc: Tu fili Dei es filius hominis, aut contra: Tu fili hominis es filius Dei, inconcuſſa non ſolum, ſed etiam petra & immobile fundamentum Eccleſiæ eſt, Chriſto ipſo id pronunciante, & Paullo inſuper de myſterio, quod ſubſit, ὁμολογουμένως magno teſtante 1. Tim. III. 13 qui & ipſe pro ἑδραιώματι veritatis habuit.

nam naturam perſonam eſſe negent, quam humanam. Dicere non audebunt, divinam naturam unquam ſeparatim ab humana ſubſiſtere. Quod enim ſemel aſſumſit λόγος, nunquam deponit, ut Patres jam olim tradiderunt, ſed inquiunt; humana natura ſuſtentatur a divina, non contra divina ab humana. Vnde vero hoc? certe non ex ſcriptura, a) ſed ex ratione, quæ abſurdum eſſe docet, creatorem ſuſtentari a creatura. Vbi igitur jam myſterium? Sed eſto: ſuſtentetur humana natura a divina: An propterea ceſſabit illa eſſe perſona? Quæ intelligens natura eſt, quæ non ſuſtentetur a Deo: eritne proinde omnis perſonalitas e mundo ſublata? Nihil minus. Sed longe aliam rationem eſſe reſpondent ſuſtentationis generalis, quam alterius iſtius ſpecialioris, immo plane ſingularis. Sit ſane, quid tum? niſi doceant ex ſcriptura, ſuſtentationem hanc ejusmodi eſſe, ut neceſſario perſonalitatem tollat, nihil ad tutandum myſterium ſuum dicunt, quod cur non in duarum perſonarum in unam coalitione ponant, docere non poſſunt, niſi iterum ad judicium rationis confugiant, ſecundum quod b) ejusmodi coalitionem fieri non poſſe, aſſerant: unde tandem apparebit, hoc, quod myſterium illi vocant, ex ſacris litteris non eſſe deductum. Aggredior quæſitum ſextum, cui quamvis ſatisfactum ſit in reſponſo ad quæſitum ſecundum, paucis tamen locum illum ex 1. Cor. VIII. v. 6. reſumam, ex quo hujusmodi concluſionem propono: Ille unus Deus eſt pater, ex quo omnia, & nos in illum. Jeſus Chriſtus non eſt Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Ergo JEſus Chriſtus non eſt ille unus Deus. c) Propoſitionem habent ipſa Apoſtoli verba, d) quæ definiunt, quis ſit ille unus Chriſtianorum Deus, nem-

a) Immo vel maxime ex Scriptura, in qua nuſquam, carnem λόγον eſſe factum, ſed contra; nec *filium Dei* aſſumtum, ſed *aſſumſiſſe* humanam naturam. Ebr. II., dicitur. Aſſumentis autem eſt dare, ei præſertim naturæ, quæ *ſola perfici* poteſt.

b) Nequaquam. Sed aſſertis ſcripturæ nitimur, in quibus *propoſitiones*, *ut vocantur*, *perſonales*, v. g. Filius Dei eſt filius hominis, & contra, diverſis licet verbis, hinc inde ita occurrunt, ut non tantum *unus idemque* dicatur, expreſſis etiam verbis, idem, qui utramque habet naturam, ſed *etiam idiomata* promiſcue, tam divina quam humana, de eodem enuncientur. Εἷς μεσίτης, εἷς κύριος &c. ſæpe dicitur. *Chriſtum* præterea novit ſcriptura, non *Chriſtos*, neque unquam de eo, quem eundem modo ſecundum *carnem*, modo ſec. *Spiritum*, id eſt, divinam naturam, in eadem oratione creberrime deſcribit, *ut pluribus* loquitur.

c) Manifeſtum ſophiſma, vitio etiam, qua formam, in ſecunda figura laborans. Quodſi autem *Majori* ſeu Propoſitioni, ut *Vogelius* appellat, quæ univerſalis eſſe, aut eidem æquivalere debet, ſignum illud: *Quisquis* eſt unus ille Deus, eſt pater &c. addas, falſam eam eſſe, atque hinc, cur concluſio falſa inferatur, clariſſime etiam apparebit.

d) Immo non habent. Quanquam enim, Patrem eſſe unum illum Deum, affirmet Apoſtolus, non tamen, ſolum Patrem eum eſſe, aut quisquis ſit unus ille Deus, eſſe Pa-

nempe pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Aſſumptio probatur etiam ex eo, quod idem Apoſtolus Jeſum Chriſtum ut unum Dominum aperta deſcriptione ab illo uno Deo diſtinguat, quæ deſcriptio in eo conſiſtit, quod ipſe ſit is, per quem omnia, & nos per illum. Communis Theologorum ad hanc concluſionem reſponſio hæc eſt, quod verba Apoſtoli: Vnus nobis eſt Deus, definitive accipi non poſſint, ac ſi nemo alius eſſet ille noſter Deus, niſi ſolus pater ille: Sed ita ea accipienda eſſe, ac ſi dictum eſſet, patrem illum, ex quo omnia & nos in illum, eſſe illum unum noſtrum Deum; id quod ex eo conſtet, quod alioqui ſecuturum eſſet, quod pater non eſſet noſter Dominus, ſed Jeſus Chriſtus tantum. Verum hæc reſponſi difficultatem non tollit. Verba enim Apoſtoli ſunt clariſſima, & manifeſtam vim ipſis inferunt, qui ea invertunt, hoc eſt, qui ex prædicato ſubjectum, & ex ſubjecto prædicatum faciunt. Ratio vero, qua reſponſio nititur, locum non habet. Neque enim abſurdum eſt, quod Theologi pro abſurdo habent. Eſt quidem pater ille noſter Dominus, ſed non tamen ille Deus, qui hoc in loco ab Apoſtolo intelligitur, ille nempe, qui ab illo uno Deo contradiſtinguitur. a) Eſt enim Deus ille is, per quem omnia, & in quem nos, quod de patre hoc ſenſu dici nequit, quippe qui eſt is, ex quo omnia, & in quem nos. Tametſi autem de ipſo quoque patre dicitur, quod per ipſum ſint omnia; Rom. IX. v. 31. Hebr. II. v. 10. hinc tamen nondum æqualitas patris & Jeſu Chriſti conſtituitur, cum longe alio ſenſu id dicatur de patre, quam de Jeſu Chriſto; nunquam ſiquidem per patrem dicuntur omnia, ita ut per ipſum aliquis omnia aut ſaltem aliquid fecerit, quanquam id de Jeſu Chriſto dicitur Eph. III. v. 9. Et Heb. I. v. 2. unde etiam manifeſta eſt hoc loco particularum, Ex & Per, itemque In & Per oppoſitio, quæ ſatis indicat: Patrem illum eſſe non tantum initium, ſed etiam finem noſtræ felicitatis, Filium vero cauſam mediam, per quam ad felicitatem tantum adducimur, non tamen finem ipſum, quod evidentiſſimum eſt ex 1. Cor. XV. v. 28. ubi filius dicitur traditurus regnum patri, ut Deus (nempe is, cui regnum tradet

trem & non alium, inquit. Adde nequidem omnes concedere de Patris perſona h. l. ſermonem eſſe; cum non obſcura Dei eſſentialiter ſpectati, a quo omnia, & Chriſti, ut *Mediatoris* ac Propitiatoris, *per quem* omnia Deo ſcil. conciliata ſint, judicia in ipſis formulis oppoſitis additisque deprehendantur.

a) Hinc vero aliter Chriſtum ſec. officium μεσίτου h. l. conſiderari; patris autem vocem vel eſſentialiter accipi, vel ſec. œconomiam δικαστικὴν patrem ſpectari, non autem ad perſonarum diſtinctionem, qua naturam, reſpici quidam non male colligunt.

tradet,) sit omnia in omnibus. Adde, quod etiam eam ob caussam dici possit, a) Patrem non esse illum nostrum Dominum, quod ipse nunquam ad dextram illius unius Dei sedere est jussus: quod nunquam ab illo uno Deo sit Dominus & Christus factus; quod nunquam nomine super omne nomen sit donatus: quæ omnia tamen de Jesu Christo testatur scriptura Ps. CX. v. 10. Act. II. v. 33. 34. 35. 36. Eph. I. v. 20. 21. 1. Cor. XV. v. 27. Heb. II. v. 8 quæ omnia loca tantum non clamant, Jesum Christum non esse illum unum Deum. b) Ille enim unus Deus quomodo ab alio possit Christus & Dominus constitui? & quomodo ad alterius dextram collocari? quomodo ab alio exaltari? quomodo ab alio ulla re donari? Annon ille Deus est a seipso Rex regum, Dominus dominantium, 1 ad Tim. VI. v. 15. altissimus, Luc. II. v. 35. At omnia isthæc, ut modo dictum, scriptura de Jesu Christo docet. c) Quomodo igitur Jesus Christus erit ille unus Deus? Hic nodus non ita facile solvitur, distinctione duarum in Christo naturarum, d) quam plerique adhibent etiam in multis locis aliis, ut, cum ille Deus Christi Deus dicitur Matth. XXVII. v. 46. Joh. XX. v. 17. Eph. I. v. 17. Heb. I. v. 9. Apoc. III. v. 12. Mich. V. v. 4. caput Christi 1. Cor. IX. v. 13. major Christo Joh. XIV. v. 28. Manifeste enim id, quod in principio, distinctio ista petit: quippe quæ divinam in Christo naturam præsupponat, ad quam negandam omnes isti loci adducuntur, & videtur distinctio hæc non absimilis illi Pontificiorum, qua in disputatione de sacrificio distin-

a) Bene: At vel ex hoc solo loco, qui cæterorum omnium ante citatorum clavis esse potest, patet, non definite de personarum distinctione hic sermonem esse, qua, ut *Sociniani* putant, alia Deus sit, alia non sit; sed *de œconomia*, qua ad nostram salutem instaurandam filius Dei propitiatoris munere fungitur, quoniam tandem Deus omnia in omnibus, *non per fidem* amplius in Christum, sed immediate, sublata videlicet œconomia illa δικαστικῇ, regnoque gratiæ seu mediatorio eidem innixo, dicitur futurus. Inde enim genuina ratio, cur *a Patre* omnia, & *per filium* cuncta esse dicantur, atque huic *Domini* dignitas, illi, tanquam *Judici*, *unius Dei majestas* adscribatur, cæteræ personæ autem ab illa essentiali communione non excludantur, reddi potest.

b) Ratione *officii*. Sic enim inter Deum & homines μεσίτης est. Tametsi hujus officii administrandi respectu non possit non illa natura divina conjunctim cum humana ad communia ἀποτελέσματα perficienda substerni.

c) Hæc utique docet Scriptura, sed uti partim ad statum exinanitionis liberum & exaltationis in respectu ad humanam naturam referenda sunt, ita eandem sapientem Dei Triunius œconomiam, liberrime sapientissimeque ita constitutam communi divinitatis consilio, complectuntur & substruunt.

d) At solvitur *œconomia* illa divinitus sapienter *disposita*, interque personas pari dignitate divinas, ita uti cujusque etiam origini conveniebat, partita.

ſtinguere ſolent inter ſacrificium cruentum & incruentum, a) cum tamen ipſum Miſſæ ſacrificium plane unum idemque ſit, cum altero diſtinctionis illius membro, nempe cum ſacrificio incruento, ut ita diſtinctio hæc illud ipſum ſumat, de quo adhuc controvertitur. Nec refert, quod quidam dicunt, ſe ex diſtinctione iſta reſpondere, non vero argumentari, ideoque principii petitionem ſibi impingi non poſſe. b) Omnis ſiquidem reſponſio ad ſyllogiſmum tandem ſi non affirmativum, ſaltem negativum, deducitur, qui ſimul ac falſa aliqua, aut controverſa, hypotheſi nititur, falſus erit aut controverſus, ſeu id, quod in principio, petens: Sed videntur hoc vitium quidam animadvertere, ideoque in ſimplici diſtinctione non acquieſcunt, ſed ad ejus quoque probationem deſcendunt, quam, præſuppoſita humana natura, vel maxime inde deſumunt, quod Jeſus Chriſtus toties in ſcripturis dicatur Dei filius, quod fieri non poſſe contendunt, c) niſi ex ſubſtantia Dei genitus eſſet, atque ſic cum patre eandem, hoc eſt, divinam naturam haberet. Cum autem nimis manifeſtum ſit probationis hujus vitium, propterea quod omnes etiam fideles ſint filii Dei, & quidem ex Deo nati ſeu a Deo generati, Joh. I. v. 12. 13. Jac. I. v. 18. 1. Joh. III. v. 9. 10. aliisque locis compluribus, nec tamen hinc ſequitur, eos ex ſubſtantia Dei natos eſſe, aut eandem cum Deo naturam habere; confugiunt ad illa loca, in quibus ipſe Chriſtus Filius Dei unigenitus d) (Joh. I. v. 14. 18. cap. III. v. 16. 18. 1. Joh. IV. v. 9.) & proprius (Rom. VIII. v. 32.) dicitur, & ibi maximum cauſæ ſuæ præſidium paratum exiſtimant. Verum

a) Magna eſt inter hanc noſtram de Chriſti gemina natura diſtinctionem & immanis pæne dixerim differentia, ſi cum ea, qua ſacrificium ex mente Pontificiorum in cruentum atque incruentum diſpeſcitur, contendatur. Incruentum enim ſacrificium proprie dictum & piaculare tota ſcriptura neſcit; divinam naturam Jeſu Chriſti (de humana namque res expedita eſt,) non item. Duo ergo cum faciunt idem, non eſt idem.

b) Et tanto quidem minus, quo clarius eſt ex ſcriptis & diſputationibus *Socinianorum*, eos in oppugnandis potius theſibus noſtris occupatos eſſe, quam adſtruendis ſuis. Ubi vel vulgares diſputandi leges diſtinctione opponentibus occurrere licere ex ipſa theſi integra petita, ſi a controverſiæ ſtatu præſertim aberrent tela, notum eſt, & probationem a reſpondente poſtulare velle, inter inconvenientes petitiones in tali certamine refertur.

c) Proprie accepto vocabulo, a qua notione propria tanto minus ſibi diſcedendum eſſe, noſtri haud injuria arbitrantur, quod idem filius *unigenitus* & *proprius* ἴδιος Patris dicatur. Proprie autem patrem in generatione *univoca*, ut vocant, ſui ſimile, & ejuſdem, vel ſpecie ſaltim, naturæ gignere, tralatitium, hoc eſt, ab omnibus in confeſſo poſitum, recte credunt.

d) Adoptivi enim per gratiam regenerationis innumeri ſunt Dei filii.

rum non tantum præsidii hic esse, quantum illi putant, constare videtur ex I. cap. Epist. ad Heb. v. 5. ubi ad probandam propriissimam illam & singularissimam Christi filiationem adducitur classicus ille locus ex Psalm. II. v. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te: qui tamen locus Act. XIII. v. 33. a Paullo ad Christi resurrectionem refertur, & in eadem epistola ad Hebræos cap. V. v. 5. ad Christi sacerdotium sempiternum, ad quod Deus illum vocavit, quam appositissime accommodatur. a)

Ad VII. Respondeo. Nisi velimus duos Filios Dei statuere, quorum unus quidem ante conceptionem & partum Mariæ virginis extiterit, alter vero post conceptionem & partum ejusdem esse cœperit, non video, quid desit huic, b) quod quæsito septimo habetur, argumento; præsertim si concedatur, ipsum Dei filium conceptum & natum, quod concedendum esse non modo ratio, quæ actiones & passiones suppositas tribuendas esse suadet, c) sed etiam ipse Angelus ad Mariam missus, qui illud ipsum, quod ex virgine nasciturum erat, Filium Dei vocatum iri, testatur apud Lucam c. I. v. 32. & 35. qui eidem etiam

a) Si accommodatur eo, alius ergo sensus erit litteralis. Quis autem quæso, nisi generationis proprie dictæ & quidem ab æterno ex substantia Patris? Sed neque *accommodatione* hac *ficta* opus est, quæ nusquam in citatione dictorum V. T. in N. T. sed τὸ *impleri &c.* locum habet: quoniam in utroque horum locorum neque Act. XIII. *resuscitatio* ex Psalmo cit. probatur, neque ad Hebr. V. *sacerdotium* Christi, verum personam eandem esse, quæ & sacerdos & resuscitata sit, quam filium quoque suum *David* l. c. appellet, ostenditur, uti verba ipsa & formulæ, quibus Script. sacri usi sunt, in hujus dicti applicatione docent. Singulatim Act. XIII. non de resuscitatione quæ seq. comm. 34. sq. demum demonstratur & explicatur, sed de *excitatione* h. e. *missione filii in carnem* ad Ecclesiam & redimendam & colligendam, coll. com. 23., agitur, & *prima tantum verba* Psalmi IIdi *allegantur*, more Paulli, utut *potior adhuc nervus probandi* in sequentibus, quæ compendii gratia reticuit & noluit integra repetere Paullus, reperiatur. Aliud igitur si Apostolus hoc loco adducto demonstrare voluit de *Persona illa a Patre missa*, quam *Sacerdotem* quoque *constituit* & resuscitavit, *ipsum sane Sacerdotium* atque *Resuscitationem* ex mortuis verba hujus *Psalmi* non denotare, & generationem filii Dei salvam esse, liquet.

b) Hoc deest, quod ex duabus naturis, quarum altera (divina) jam ante extitit, & altera (humana) initium in Maria virgine per supernaturalem Sp. S. operationem habuit, duo Filii confinguntur; cum unum filium, ex duabus naturis constantem, hinc potius, eum, qui ita natus est, fuisse concludendum sit.

c) Est *filius Dei* utique *conceptus*, sed *non ut filius Dei* & sec. eam naturam, qua Dei est filius. Vnitas personæ ergo duabus naturis constantis, altera assumente τοῦ λόγου, altera assumta, non jubet negare, filium Dei esse natum, sed ex doctrina de *communicatione idiomatum*, e personali unione & communione profluente, recte & dextre explicare. Quam etiam ob rem Angelus, nasciturum filium Dei *vocari*, h. e. stylo Hebræorum *esse*, inquit.

iam talia d.l. tribuit, quæ non poſſunt non toti perſonæ competere. a) Nec refert, quod iterum excipiunt Theologi, hoc argumentum ex ſola ratione deductum eſſe, (quod aliquatenus falſum eſſe, quilibet allegata angeli verba conſiderans deprehendit) nec perinde militare poſſe contra ſcripturam, quæ Chriſti æternitatem doceat. Quicquid enim illi dicant, ego tamen hactenus nullum ſcripturæ locum invenire potui, qui æternitatem iſtam apodictice demonſtraret, b) quod oſtendere non eſſet difficile, niſi nimis me vobis, viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi, moleſtum viderem. Obiter ſaltem monebo, locum Eſaiæ IX. v. 6. de patre æternitatis, de æternitate a poſteriori ſive de futuris ſeculis accipi a LXX. Interpret. Hieronymo, Chaldæo Paraphraſte, (qui reddidit, Vir permanens in æternum) Luthero, Calvino, Melanchthone, Vatablo, Tremellio, Junio, Pellicano; Vaticinium vero Micheæ (cap. V.) non neceſſario de æterna aliqua generatione intelligendum eſſe propter vocem קֶדֶם, quod nusquam æternitatem abſolutam notat, aut mentionem dierum ſeculi quia alibi quoque, nempe Eſ. LXIII. v. 9. & 11. & Malach. III. v. 4. dies non abſolute æternos, ſed antiquos notant, etiam verbum יֵצֵא, quæ futuri temporis eſt, & ad egreſſum, qui notione plurali מוֹצָאוֹת ſignificatur, reſpectum habet, evincit; c) Denique verba Chriſti, Joh. VIII. v. 58. non neceſſario ante Abrahamum Salvatoris exiſtentiam importare facile advertet, qui modo alio, quam vulgo ſolent, ea verti poſſe, immo debere, ex vi græci ſermonis intelliget. d)

a) *Toti* perſonæ, ſed *non* formaliter *ſecundum totum ejus*. Neque enim alia perſona eſt, quam *hæc ipſa* σύνθετος; ipſa vero nativitas *non quoad utramque naturam* ei tribuenda eſt, ſed tantum humanam, cujus τὸ naſci idioma eſt.

b) Satis eam demonſtrant Pſalmus II. Michæ Cap. V. Joh. XVII. Ebr. I. 4. ſqq & alia; tametſi Prov. VIII. 22. tantiſper omittamus.

c) Res omnis ad particulam Hebr. מ præfixam redit, quam ſi reddas *a*, ut vulgo fit, ſed male, probare fortaſſis parum, aut non niſi exiſtentiam inde a mundo condito, dixeris; Sed ſi vertas, uti vertenda eſt, *ante* initium (abſolute ſcil. rerum omnium) *ante dies hujus mundi, & temporis*, cum mundo inchoati, manifeſta erit æternitatis, quæ ſola ante hunc mundum fuit, deſcriptio, coll. Eſ. XLIII. 13. ubi Dei æternitas hac ipſa formula *Mijjom* legitur expreſſa. Cætera, cum futurum h. l. ad nativitatem humanam proſpicere conſtet, & quæ ſunt hujus ſimilia, reſponſione non digna ſunt, quia a nobis ad *æternam generationem* confirmandam non adhibentur. Ad pluralem vero *Mozaoth* quod attinet, tantum abeſt, ut ex eo nomine verboque *Jeze* collatis ea obſcuretur, ut potius, quia generatio cum generatione, eodem vocabulo παρωνύμως applicato, comparatur, illam *humanam futuram ab alia*, ante dies mundi jam *facta*, diſtinguendam eſſe, & hanc æternam fuiſſe, magis pateat.

d) Diſcuſſa hæc eſſe ſupra in *Refutatione Smalciani ſcripti* cum meminerimus, non

De conditione, seu qualitate corporis Christi, nunc in gloria constituti, ita judico, ut me scriptura jubet. Ea vero ipsi Christo jam non animale, quod caro est, & absque sanguine esse nequit, (anima enim carnis in sanguine est, Lev. XVII. v. 11.) sed spirituale corpus tribuit, immo eundem in spiritum vivificum factum a) disertis verbis asserit, 1. Cor. XV. v. 44 45. Spiritus b) autem carnem & ossa (adeoque etiam sanguinem) non habet. Luc. XXIV. v. 39. Proinde verba Apostoli, quibus ille d. l. dissertationem suam de corporibus resurgentium, concludens carnem & sanguinem regnum Dei possidere non posse, affirmat proprie, & ut sonant, c) accipio, h. e. per carnem & sanguinem non affectus & concupiscentias carnales, sed corpus ejusmodi carneum & sanguineum, cujusmodi nunc circumferimus omnes, quodque corruptioni (quam & ipsam ibidem ex regno Dei excludit Apostolus idem) variisque mutationibus & alterationibus obnoxium est, intelligo: praesertim cum sanguinis vocem nusquam eo sensu, quo eam hoc loco Theologi accipiunt, usurpatam sciam, d) nec quicquam videam, quod me a proprietate verborum discedere cogat. Quae enim hic objici solent, ea vel Philosophica sunt, & ex ipsa etiam Philosophia, quae subjecti unitatem non a materiae, sed a formae unitate pendere novit, expli-

opus est, cur in hac graeci sermonis indoli minime convenienti detorsione & calumnia verborum moremur. Quorsum enim *Vogelius* digitum intenderit, jam cognitum est.

a) *Non de Christi corpore resuscitato* heic loquitur Apostolus, sed, quemadmodum antea Adamum, cum crearetur, descripserat, ita nunc *Christi incarnationem* describit, atque hinc & *ordinem* resuscitationis, post hanc vitam naturalem praecedentem secuturae, & *originem ejus ex Christi carne* per inhabitantem σωματικῶς divinitatem vivifica derivat.

b) Ergo etiam *Spiritus* vox non spirituale corpus absque carnis & sanguinis substantia, sed *divinam virtutem* h. l. denotat, carni scil. Christi per unionem personalem communicatam.

c) Praeter *Paulli* morem; qui corruptam *moraliter* naturam & per peccatum & peccata consequentem *physicam* corruptibilitatem atque corruptionem intelligit. Vbique alias (res mira!) improprias notiones crepant Sociniani; heic vero proprietatem vocabulorum, sed contra usum loquendi *Paullo* receptum, non alia de caussa, quam ut hypothesi suae inserviant, tandem, sed infeliciter, urgent.

d) Conf. Matth. XVI. 17. Gal. I. 16. & cumprimis Eph VI 12. ubi clarissime omnium corruptibiles homines & mortales Daemonibus, qui spiritus sunt impii & scelerati, opponuntur, atque adeo ad moralem corruptionem simpliciter respici non potest, sed *physicam* cum morali conjunctam & ex ea ortam. Vt taceamus perpetuum in *Hebraica lingua* tunc temporis usitata *Hebraica* hujus *formulae usum*, exemplis a *Ligtfooto*, aliisque, jam *Vogelii* aetate, commentatoribus Philologicis illustratum; quo *peccatum* quidem ea hominum *connotat*, *infirmitatem* vero *&* *corruptibilitatem* seu mortalitatem maxime omnium & praecipue *denotat*. Quam & ipsi *Sociniani* quando in pervertendis locis Scripturae, ubi Deus caro dici-

catu facilia: vel si Theologica, vix tamen ea adeo efficacia a) esse credo, ut quenquam a sententia hac, quæ in litera scripturæ fundata, & ipsi scopo Apostolico quam maxime consentanea est, dimovere queant. Progredior nunc ad alia magis ardua magisque necessaria, nempe ad nobilissimam illam quæstionem: Vtrum Jesus Christus mediator noster passione & morte sua pro peccatis nostris satisfecerit, iram Dei placaverit, & gratiam Dei promeruerit? Ad istam igitur quæstionem respondens dico, me nihil eorum, quorum ea mentionem facit, in sacris litteris diserte scriptum reperire: nec hactenus ullam consequentiam, qua affirmativa apodictice probetur, videre: immo fundamenta negativæ non levia animadvertere. Nihil eorum, quæ quæstio proponit, diserte in sacris litteris tradi, certum est, adstipulantes etiam hac in parte habeo theologos, qui hic quoque, perspicuitatis & claritatis, quam alias verbo Dei scripto tribuere, & contra Pontificios asserere solent, non admodum memores, ad phrases æquipollentes, b) seu potius ad consecutiones provocant, quas ex illis potissimum locis, in quibus Christus vel nos redemisse, vel pro nobis passus aut mortuus esse, vel peccata nostra portasse, vel tandem se pro nobis obtulisse, dicitur, probabiliter magis quam irrefragabiliter ducunt. Quod enim attinet illa loca, in quibus Christus nos redemisse scribitur, dico, solidam probationem exinde duci non posse, nisi ostendatur, *redimendi* verbum ibi proprie & haud quaquam figurate esse accipiendum. c) Figuratum enim hujus verbi usum in sacris litteris frequentissimum esse, ostendunt inter alia hæc loca: Ex. XV. v. 13 Deut. VII. v. 8. IX. v. 26. XIII. v. 5. XXI. v. 3. 2. Sam. VII. v. 23. Nehem. I. v. 10. Ps. LXXVII. v. 16. Es. XXIX. v. 22. XLIII. v. 1. XLVIII. v. 20. LII. v. 3. in quibus omnibus est vel verbum פרה vel גאל d) quorum illud alias veram redemptionem, hoc est dato & ac-

tur factus, urgent operose, in h. l. autem 1. Cor. XV. interpretatione dissimulant atque impugnant.

a) Imo tantæ, ut si modo *singularia*, quæ *Paullus* priusquam hæc subjunxit, jam *enumeravit*, spectes, & sec. leges Hermeneuticas ad *sequentia applices*, non de alia mutatione, quam qualitatum eum sermocinari, meridiana luce clarius patescat.

b) Quasi vero de Latino vocabulo *satisfacere* disputetur, & non alia Hebraica Græcaque idem prorsus, sive sola, sive cum periphrasi quadam, enunciantia, præsto sint tam verba quam nomina. Si unquam alias, in hoc certe argumento, petulantia *Socinianorum* indignatione dignissima est.

c) Illud ipsum vero, præter alia, additum quoque expressumque sæpenumero ἀντίλυτρον vel λύτρον, Patri εἰς εὐωδίαν datum, ut ab ira nos liberaremur, comprobat.

d) Eccur his duobus generalibus vocabulis tertium כפר non addit? Adhæc cur additamentorum, quibus istorum verborum generalium significatus ad redemtionem per λύτρον solutum hinc inde etiam limitatus est, non meminit?

cepto pretio liberationem significare testis est Ps. XLIX. v. 8. Ex. XXXIV. v. 20. hoc vero Lev. XXV. v. 25. 30. Sed & in novo fœdere verba λυτρῶν, λυτρῶσθαι, ἀπολυτρῶν, quæ Hebræis istis radicibus a) respondent, translate accipiuntur, ut videre est Luc. II. v. 38. XXI. v. 28. XXIV. v. 21. Rom. VIII. v. 23. Ep. IV. v. 3. Col. IV. v. 5. Heb. XI. v. 35. Nec sufficit ad proprietatem istam obtinendam, quod alicubi diserte pretii, quod in liberatione nostri intercesserit, nempe animæ Christi, vel ipsius Christi, fiat mentio. Nam quis ita hebes est, qui non intelligat, eadem ratione, qua redimendi & redemptionis verbum figurate sumitur, pretii quoque redemptionis appellationem figurate sumi posse, cum hoc ipsius linguæ sanctæ consuetudo ferat, ut, quicquid in quavis liberatione intervenit, quod pretio alicui commode respondere queat, pretii nomine indigitetur, quod discere licet ex Es. XLIII. v. 3. & Amos. V. v. 12. b) Vtut vero multa requisita veræ redemtionis in hac nostra per Christum liberatione reperiantur, monstrari tamen nequit id, quod principale est, nempe quis sit, cui pretium illud sit persolutum. c) Hunc enim ipsum Deum esse non posse, inde constat, quod ipse Deus liberationis hujus fuerit auctor, d) nec is sit, a quo sumus redemti, sed cui e) sumus redemti. Luc. I. v. 68. Apoc. V. v. 9. Deinde nec illa etiam loca, quæ Christum pro nobis passum & mortuum esse tradunt, eundem passione & morte sua pro nobis satisfecisse evincunt. Istud enim *pro nobis* idem f) significare, quod loco, seu vice nostri, hactenus a nemine,

a) Non ex asse, sed ut כּוֹפֶר seu כַּפָּרָה simul complectuntur, *eo nimirum casu*, quo *persoluto pretio* fit redemtio, *aut* illud certe *substernitur*, ut jam ante solutum vel certo persolvendum. Cujusmodi populo Israelitico redemtio ex captivitate non una, respiciendo simul ad Christum ejusque meritum, jam ante præcognitum validumque, aliquoties contigit.

b) Faciamus, aliquoties, sed rarius certe, improprie accipi, *permutationis* tamen notio (vulgo *Auslæsung* Germ. dicta,) salva erit, persoluto quasi pretio in pœnis his aliisque illatis, aliis vero singulari gratia ab iisdem immunibus præstitis expressa. Quemadmodum ex c. I. Es. luculenter patet.

c) *Is, cui se obtulit*: quod multis modis & locis repetitum legitur.

d) Hinc supra jam ostensum est, illud tantum colligi posse, *placabilem* irati judicis, Dei, fuisse iram, quod creaturam nobilissimam misere seductam perire in universum & æternum noluerit, tum vero *etiam clementiam suam juxta cum justitia*, aut ira vindice, *patefacere* sapienter maluerit.

e) *Vtrumque verum* est. Etenim *ab ira justa redemti* jam nunc *demum* eidem *fide vera* conciliati *per Christum* servire possunt, *ut* grati sint & *placeant* tanquam filii.

f) Id nemo affirmat semper fieri, & vel sola *Paulli* verba de se *pro Colos.* passo i. e. *propter eos* & in eorum commodum Cap. I. 24. condocent. At secus de formula ἀντὶ, quæ cum illa ὑπὲρ ὑμῶν generali, ubi de Christi passione pro peccatoribus sermo est, commutatur, & quæ illam explicat, atque ad proprie dictum satisfactionis vicariæ

ne, quod ego sciam, est demonstratum, quod tamen omnino ad rationem ex locis hisce deductam foret necessarium; cum certum sit, phrasin illam, pati aut mori pro aliquo, per se nihil tale inferre, quod substitutionem illius unius pro altero necessario a) requirat: ut perspicuum esse potest, tum ex aliis sacrarum literarum locis, b) tum cumprimis ex collatione versus 24. cap. I. ad Colos. cum versu 10. posterioris ad Tim. c. II. quæ satis evidenter docet, particulam *pro* notare caussam finalem, & eandem vim habere, cum voce propter, c) quæ etiam in ipsa de passione & morte Christi materia occurrit, 1 Cor. VIII. v. 11. & Rom. IV. v. 24. qui locus posterior indicat, quid sit, Christum esse passum pro peccatis nostris, quæ locutio occurrit Gal. I. v. 4. Tertio, ex eo, quod Christus peccata nostra portaverit, non puto firmum pro satisfactione Christi duci posse argumentum, nisi velimus, ipsi Christo peccata nostra vere, subjective & formaliter, d) ut Scholastici loquuntur, esse imposita; aut saltem pœnas peccatorum nostrorum in eundem esse conjectas, quorum neutrum factum esse, testis sufficientissimus est S. Matthæus, qui verba Esaiæ, ex quibus, quicquid in hanc rem adferri potest, desumitur, non de ejusmodi onerosa portatione, sed de simplici & nuda ablatione intelligenda esse docuit, e) dum ea ad infirmitates seu languores corporis accommodavit historiæ suæ cap. VIII. f) Neque id injuria; quamvis enim verbum portandi per se ablationem

expletivæ genus adstringit, est sentiendum. Vt ipsum *pretium datum* atque sæpiuscule *commemoratum*, tanquam ἀντίλυτρον, taceamus.

a) Ita est. Generalis enim phrasis est, at de Christo pro nobis passo quando usurpatur, vicarias ejus partes designare, plura sunt, ex quibus intelligitur. De quibus paullo ante & supra quoque jam plus satis disputatum est adversus *Peuschelium*.

b) Largimur, generalem ejus esse notionem. Sed ad *specialem, de Christi passione* pro nobis ubi sermo est, adstringi, *alia* sunt, quæ demonstrant. Quid ergo opus his ambagibus?

c) Interdum, sed non semper. Sæpius enim *vicariam* substitutionem denotare, & quidem *ordinarie* ap. Latinos Græcosque, nec ipsi negant *Sociniani*. *Aliunde* ergo, *qualis* in hac de Christi pro nobis passione locum habeat significatio, addiscendum. *Genus*, & propter aliquem mori, *non excludit speciem*, vice nimirum alterius pati atque mortem eundem quoque subire posse. Vbi vero id factum sit, descriptiones speciales, sicuti de Christo, determinant.

d) Ambigua sunt hæc vocabula. Substituatur *per imputationem*, quæ moralis est, eaque ex cultu sacrificiorum Leviticorum illustretur.

e) Vbinam, & quibus verbis?

f) *Non accommodavit*, (si vocem hanc vulgari applicationis, neglecto litterali genuino, accipias sensu,) sed *accurate explicavit*, quando, partim *eum ipsum esse*, qui sanavit morbidos, *quem* etiam ut *animarum nostrarum redemtorem* a peccatis colere oporteat, partim morbos hosce sanatos *spiritualem nostram sanationem*, 1 Petr. III. 24. descriptam, *sublimiori figura & typi* repræsentatione, ad-

nem significare nequeat; tamen quia nemo vel parum Hebraice doctus nescit, Hebræis, qui composita verba non agnoscunt, usitatum esse simplicia ponere pro compositis, nihil is peccasse dici poterit, a) qui Hebræo verbo נָשָׂא (quod cum nomine peccati perinde ut apud Esaiam, junctum etiam de ipso Dei usurpatum reperitur Exod. XXXII. v. 32. 34. v. 7. Num. XIV. v. 18.) ut alteri verbo סָבַל [quamvis hoc alias in veteri fœdere nunquam significatum istum habeat, b)] auferendi significationem tribuerit. Quarto denique, quod Christus semetipsum obtulisse aliquoties in sacris litteris legitur, illud nullam satisfactionem arguere hinc existimo, quod ex iisdem litteris sacris probari non potuit, oblationem istam fuisse peractam in cruce, c) in qua omnia, quæ ad satisfactionem istam pertinent, finem sortita esse, Theologi credunt; immo contrarium, h. e., Christum in cœlis, quamvis non absque prævia sanguinis fusione & morte, oblationem istam peregisse, aperte probetur ex multis locis Epistolæ ad Hebræos, maxime vero ex versu 24. c. IX. ubi auctor ille hunc in modum loquitur: non enim in manu factum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens: Sed in ipsum cœlum, ut appareat d) nunc in conspectu

umbrasse, hac ipsa allegatione docuit. Quæ caussa etiam fuit, cur pauca alia, præter sanationes ægrorum varii generis, miracula Servator sapientissimus patrarit. *Nucleum* ergo horum *miraculorum* quando *Matthæus* demonstravit, & isthæc quoque beneficia corporalia non nisi ex satisfactione Christi provenire, eique accepta ferenda esse, ostendit, *sensum* amplissimum verborum *Esaiæ* accuratissime *explanavit*.

a) Potest quidem ita reddi per linguæ Hebraicæ indolem, utrum vero sic reddendum sit, *ex ipsa re substrata* demum dijudicandum est. Vbi non solum, quo minus in præsenti hanc notionem compositam pro simpliciori admittamus, prohibet *rarior hujus significatus*, quam simplicis, usus; Sed etiam ipsa passionis Christi descriptio, in qua quod alibi per *nasa* enunciatur, alias per *sabbal*, cujus non alius, quam oneris gestandi, sensus est, redditur; atque adeo simplicem illam significationem τοῦ *nasa* in Christi passione pro peccatis nostris locum habere, hinc manifestum fit & valde liquidum, aut certe, si τὸ *aufferre* urgeas, eam actionem *consequentem*, sine præstructa gestatione, & satisfactione, tanquam *antecedente caussa* & piaculo, concipi haud posse.

b) At gestandi & *bajulandi* in *Esaiæ* illustri Cap. LIII. notionem habere, & quidem in eo loco, de quo tanquam classico inprimis disquiritur, negari non potest. Quam si in N. T. significationem per τὸ ἄιρειν, *ut sacrificia solebant* olim typice, explicari videas, quo sensu Græcum quoque hoc verbum accipi oporteat, facile intelligi poterit.

c) Impudens assertum, cum toties conciliatio, (quæ sine oblatione illa εἰς εὐωδίαν Patris ne concipi quidem potest,) aut si malis, placatio cum conciliatione Dei, in cruce per sanguinem effusum iterum iterumque facta dicatur.

d) *Apparere* ergo *dicitur* in sacrario, seu cœlo, pro nobis, sed *non offerri*; nisi, *etymologice* & generali quadam vocis προσφέρειν notione ad illam apparitionem etiam oblationem quodammodo applicari posse, dixeris:

ſpectu Dei pro nobis. Et hactenus de Theologorum pro ſatisfactione Chriſti conſequentiis, quas ſi non omnes, tamen pleraſque & præcipuas, extremo potius digito attingere, quam perſequi, & copioſe explicare volui, eam ſolummodo ob cauſſam, ut manifeſtum evaderet, non ſine cauſſa factum eſſe, quod hactenus ſententiæ, quæ Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe aſſerit, ſubſcribere non potuerim. Reſtat, ut exponam fundamenta negativæ quam breviſſime: Eorum primum eſt: Si pro peccatis noſtris ſatisfacere idem eſt, quod debitum peccatis noſtris contractum ſolvere, ſeu pœnas peccatis noſtris debitas perferre: Pœna vero peccatis noſtris debita eſt mors a) æterna: Rom. VI. v. 23. omnino ſequi videtur, Chriſtum, qui mortem æternam b) nec ſubiit, nec ſubire potuit, Act. II. v. 24. Juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris nec ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere potuiſſe. Si dicatur: Sufficere, quod Chriſtus æquivalentem ſuſtinuerit pœnam, c) regero, 1.) hoc cum ipſo juris rigore conſiſtere non poſſe, quippe in quo non ſatisfactio quævis, ſed ea, quam lex ipſa requirit, ſpectatur: Deinde nec æquivalentiam iſtam probari poſſe. Nec enim aſſumere hic licet dignitatem perſonæ; eſt namque illa controverſa, d) &, ſi maxime ex utraque parte conceſſa, in hoc tamen negotio divino, in quo nullus perſonarum reſpectus locum habere poteſt, e) mirum quantum ſuſpecta. II) Sacræ literæ clare & perſpicue, idque non uno, ſed pluribus in locis teſtantur, Deum per viſcera miſericordiæ ſuæ nobis remiſiſſe & condonaſſe peccata: Satisfactio autem plena & perfecta cum vera & gratuita remiſſione ſtare f) nequit. Iterum igi-

 tur

quo nemini litem movebimus. Primam autem & piacularem illam oblationem, ſeu ſacrificium, expiationis cauſſa in cruce factum eſſe, hoc eſt, quod nos, Sp. S. conſtanter docere aſſeveramus, & oblationem cum paſſione etiam, tanquam idem prorſus denotante, eam ob rem ſubinde permutare, præſertim Hebr. IX. 27. ſq., monemus & inculcamus.

a) Et temporalis & ſpiritualis certo modo & æterna.

b) *Æternum durantem*, *concedimus*; *æternam formaliter* talem, cujus duratio adjunctum eſt ex perſonarum eam patientium imperfectione coortum, *negamus*, & locum citatum non ad hanc, ſed priorem pertinere, monemus.

c) Eſt fuitque *ipſa illa pœna*, quam *ſec. rigorem legis homines* ſuſtinere debuiſſent, ſolo *accidenti durationis* perpetuæ a reipſa *ſeparabili* deſtituta.

d) Quicquid ſit de controverſa ex mente *Socinianorum* divinitate ἐγγύȣ; Nos eam ſubſtruimus, quia de ſatisfactione non diſputamus, niſi poſtquam illa perſonæ dignitas ſatis demonſtrata eſt; neque adeo illam confuſam controverſiarum tractationem probamus.

e) Quamvis nullus perſonarum reſpectus locum habeat, *temperamentum* tamen *juſtitiæ* & *miſericordiæ* admittendum eſt, ex quo *libera* prædis ſeu expromiſſoris alienæ pœnæ, ultro & peramanter ſuſceptæ, præſtatio utique locum quoque habere poteſt.

f) Stare omnino cum ea poteſt, partim

tur ſequitur; Chriſtum pro peccatis noſtris plene & perfecte non ſatisfeciſſe. Si adferatur diverſus reſpectus Chriſti & noſtri, quo alias ſolet pugna hæc conciliari: dico, eum difficultatem rei non tollere. Vtraque enim, & remiſſio, & ſolutio, ipſum debitum, non vero perſonas, quæ debent, reſpicit. a) Hoc igitur debitum ſi ſolvatur, a quocunque tandem ſolvatur, locum habere nequit remisſio. b) Si gratis condonetur, jam excluſa eſt ſolutio. c) Si igitur debitum noſtrum Deo eſt ſolutum, ſive id a nobis, ſive a Chriſto tanquam noſtro ſponſore ſolutum ſit, jam nullo modo poteſt dici remiſſum. d) Si vero eſt remiſſum, jam nullo modo pro eo dici poteſt ſatisfactum. III.) Si jam paſſo & mortuo Chriſto tamen adhuc eſſemus in peccatis, niſi idem etiam reſurrexiſſet, ſequitur, Chriſtum paſſione & morte ſua pro peccatis noſtris non ſatisfeciſſe. At verum illud ex 1 Cor. XV. v. 17., ubi Chriſti reſurrectionem ita probat Apoſtolus: Si Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Certe hæc probatio nulla eſſet, ſi ipſa paſſione & morte Chriſti pro peccatis noſtris eſſet ſatisfactum. e) Simul

ſi ſatisfactio admittitur, (quod ſane gratiæ eſt,) *etiamſi ipſe eam præſtiterit reus*. Quid ſi enim judex iratus & implacabilis in omnem æternitatem, aut quamdiu ſaltim poſſit, delinquentem excruciet, neque *compenſationem* recipere velit, æqualem licet delicto? *Cum Chriſti* autem ſatisfactione *tanto magis* miſericordia Dei conſiſtit, quanto magis ipſum Numen ſapientiſſimum & *inveniſſe* hoc remedium, & *procuraſſe*, (placabilem hoc modo iram ſuam eſſe, utut graviſſimam demonſtrando,) & *compenſationem*, ne quidem *ab* ipſo reo, ſed ἐγγύῳ ejusdem atque *Expromiſſore* exhibitam, *acceptaſſe*. Quo temperamento rectiſſime, & non ſine ſtupore agnitæ ſapientiæ divinæ, tam juſtitia quam miſericordia, divinæ ambæ proprietates, ſalvæ & incolumes manent. Quas ipſum etiam ſanctiſſimum Numen eapropter Rom. III. 24. 25. ſq. conjungit. Quem locum ideo iterum h. l. præ ceteris notari jubemus, ne temperamentum hocce ex ratione noſtra excogitatum eſſe, adverſarii heic quoque, uti alias cavillentur.

a) Vtrumque horum reſpicit remiſſio debiti & ſolutio, ut præſtatio ſit *per ſe rigida, reſpectu perſonarum* autem, *quibus eſt deſtinata, gratuita*. Hinc Chriſti etiam meritum per particulam *propter*, & *ſolutionem*, *quæ* non rapuerit, ad τετέλεσται usque, celebratur; nobis contra omnino denegatur, & in ipſa *applicatione* fidei ſolum *per*, ordoque inſtrumentalis cum *paſſiva*, ut *juſtificapa* eſt fides, vi juſtificandi & ſalvandi, aliunde accepta, gaudens tribuitur: ne quis glorietur.

b) Quidni? Si is, cui obtingit remiſſio, nihil præſtitit, ſed tanquam *donum* a præſtante accipit. Hinc χάρισμα cum δικαιώματι Rom. V. 16 combinari videas.

c) *Propria*, non aliena, eademque etiam gratuito donata & applicata.

d) Eſt nihilominus remiſſum gratis, quia ex *alieno* apparatu (πληρώματι) nobis imputatum; & eſt ſatisfactio, quia & quatenus pro nobis & noſtri loco ab ἐγγύῳ *plene* data eſt atque præſtita.

e) Satisfactio per reſurrectionem proprie loquendo ad expiationem noſtram facta non eſt; at meritum tamen beneficiorum aliorum ſpiritualium exinde, cum te-

mul ac enim Christus fuisset passus & mortuus, jam essemus a peccatis nostris liberati, nec ad liberationem illam demum a) opus esset resurrectione Christi, quippe in qua Deo nihil est a Christo datum, sed ipse potius Christus ingens quoddam beneficium a Deo accepit. IV.) Si sacræ literæ, inprimis vero N. T. libri non tantum pietatem ubique inculcant, immo mediatorem nostrum Christum, ut nos redimeret ex omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem studiosum bonorum operum, passum & mortuum esse, disertis verbis testantur: Sed etiam gravissimas pœnas impiis denunciant, eosque a regno Dei excludunt: falsum omnino videtur, Christum, eo modo, quo hactenus docent Theologi, pro peccatis nostris satisfecisse. Cui enim bono esset pietas? b) aut cui noceret impietas? c) pari enim censu pietas & impietas haberetur, nec vel maxime impius ullam contraheret culpam. d) Neque enim tantum pro omnibus præteritis, sed etiam pro omnibus futuris peccatis Christus plene & perfecte Deo satisfecisse dicitur; idque non tantum passive, h. e., omnia illa patiendo, quæ nos alias propter peccata nostra pati tenebamur: Sed etiam active, h.e. omnia illa agendo, & legi Dei præstando, quæ nos agere & præstare te-

stificatione satisfactionis plenæ & præstitæ & acceptatæ exsurgit, eademque continetur.

a) Non ad liberationem per satisfactionem patiendorum opus ea demum fuit; Opus autem fuit ad *vincendam mortem* & testificationem satisfactionis, seu *ad judicis placationem* efficacem, (qui etiam propterea ἔγγυον de carcere liberum dimisit) *demonstrandam*, ac denique εἰς δικαίωσιν ἡμῶν, ut nobis *cum justitia & salute positiva*, sublata jam ante promerita pœna, quicquid præstitum est, tanquam vivus & exaltatus redemtor, *applicaret*, non in hac tantum vita justificando & sanctificando, sed in æternam etiam vitam, qua animam, quave corpus similiter per virtutem suam resuscitatum, amboque unita introducendo.

b) Ad *fidem demonstrandam*, *gratumque* pro tantis beneficiis gratuito & procuratis, divinitus & acquisitis a Christo, & donatis denique in Christo, *animum testandum*, *nostram electionem atque vocationem firmam reddendam*, eoque *ordine*, quem Deus præscripsit, ipsam beatitudinem gloriæ adeundam: de quibus 2 Petr. I. 4. sqq. & alibi sæpius disseritur, omneque meritum bene operantibus pariter atque operibus bonis, immo (comparate cum aliis) optimis denegatur.

c) Nocet, quia vel *ad fidem*, si pergant in ea, magis magisque *inepti* (impedimento scil. malitiose posito,) redduntur, vel *fidem* jam impetratam, per divinam gratiam applicatricem, ex demerito *excutiunt*, atque hinc, quia aliena destituuntur satisfactione *applicata*, repudiata quippe, suæ a se ipsis præstandæ ad obolum usque sese obnoxios reddunt, & ob contemtum istum etiam tanto gravius secundum Joh. III. 18. & 36. (præter relapsum in pristinum fœdus operum & jura violationis ejusdem,) plectuntur.

d) Immo, propter contemtum & *repudiationem meriti Christi* oblati benignissime, omnium *gravissimam, proximamque* damnationis caussam.

nebamur. a) Quemadmodum enim nemini, ne quidem improbissimo, quicquam ob peccata admissa esset patiendum, propterea, quod jam omnia illa Christus sustinuerit: ita nemini etiam quidquam boni esset agendum, propterea, quod ipse Christus omnia bona nostro loco egerit. b) Si dixerint Theologi; vera hæc fore omnia, nisi applicatione hujus satisfactionis esset opus: interrogabo: utrum, si quis sibi satisfactionem istam non applicet, peccet, nec ne? si non peccat, damnatio erit propter id, quod peccatum non est: sin peccat; peccato hoc nullam culpam contrahit. Si enim pro omnibus peccatis a Christo est satisfactum, satisfactum erit pro hoc quoque peccato. c) Vbi autem plena & perfecta satisfactio, ibi nullum amplius est debitum aut culpa. Si iterum dicant: esse quidem pro hoc etiam peccato satisfactum, sed opus esse applicatione: aut nihil novi dicunt, & in circulum redeunt, aut in infinitum abeunt, aut denique ipsum Christum summæ vel stultitiæ vel inscitiæ arguunt, quippe qui id conatus esset, aut saltem conari præ se tulisset, quod nullo modo fieri potest, quod dico propter eos, qui docent, Christum etiam pro finaliter in peccatis perseverantibus satisfecisse, quos tamen illius Christi meriti per applicationem participes fieri non posse, d) nemo est, qui non intelligat. Et hæc de quæstione, utrum Mediator noster Christus pro peccatis nostris satisfecerit, ex quibus jam facile videre est, quid sentiendum putem de quæstione annexa: Vtrum scilicet idem noster Mediator Christus, Dei iram placaverit, ejusque gratiam nobis promeruerit? Pro ejus negativa parte argumentum proponit *Quæsitum undecimum*, quod ego hactenus quidem sophisticum agnoscere non possum. Qui enim

a) Ratio est, quia, ut fruamur, per sapientiam Dei etiam *applicatione* ex nostra quoque parte per fidem opus est, qua deficiente, turbataque & neglecta adeo œconomia Dei omnimoda, nemini, qui *applicationis* hoc *organo*, sua culpa, caret, illa satisfactio *reapse prodest*.

b) Immo contra hinc sequitur; quemadmodum nemini, *ut bene agat, propter satisfactionem* nunc demum acquirendam, (a Christo quippe jam partam,) sed ob alias caussas, incumbit: ita, *qui repudiat* illam satisfactionem *gratuito* & serio *oblatam*, ipsum pro se & de suo (tanquam alienam adspernatum) *justitiæ divinæ* & propter *contemtum* illum, atque *ob* tanto hinc *majorem* auctumque multum hoc ipso *reatum*, satisfacere debere.

c) Sed neque pro hoc peccato satisfactio prodest, nisi applicetur. Esse vero pro hoc quoque peccato satisfactum, inde patet, quod etiam diuturnus contemtus, vel tandem per seram conversionem superatus, ea propter, non tamen, nisi interveniente fidei organo, condonatur.

d) Non est ἀδύνατον absolute tale, sed *ex hypothesi*, cujus omnis *culpa* neque *in* Deo judice, neque Christo redemtore, sed *homine* contemtore hæret.

enim aliquem diligit, is eidem non male cupit: a) Qui vero non male alicui cupit, is eidem iratus esse b) dici nequit. Qui vero iratus esse dici nequit, quomodo demum placatus dici poterit? Si igitur testatur scriptura, Deum nos dilexisse ante mortem Christi, & ita quidem testatur, ut mortem Christi ex dilectione ista fluxisse non obscure ostendat, quemadmodum patet ex verbis salvatoris Johan. III. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: vel eandem ejusdem dilectionis argumentum seu documentum manifestissimum faciat, ut apparet ex verbis Apostoli Rom. V. v. 8. ego quidem perspicere non possum, quomodo mors Christi demum dilectionis istius c) sit caussa. Distinctio enim amoris Dei generalis & specialis nodum solvere non videtur, nisi ostendatur, generalem illam, quam dicunt, charitatem Dei cum vera ejusdem ira d) posse consistere. Offerre enim suam gratiam, & modum reconciliationis, (in hoc autem generalis iste amor Dei consistit,) contrarium est veræ iræ, e) ut communis sensus docet. Nam qui irascitur, is aut punit, aut punire saltem cupit. Qui vero gratiam suam offert, & modum reconciliationis, is iram jam abiecit, f) immo reconciliatus est, h. e. non est iratus. Quare si Deus gratiam suam nobis ante mortem Christi obtulit, & modum reconciliationis ostendit, quod nemo pius inficiari potest: jam ante mortem etiam Christi, iram suam abjecit, & ante mortem Christi reconciliatus, hoc est, non iratus fuit. g)

Restat *Quæsitum duodecimum*, quod est de Sp. Sancto, quem Deum in sacris literis nusquam appellari, supra ad quæsitum secundum asserui, assertionisque illius probationem huc rejeci. Loci scripturæ, in quibus Spiritum Deum appellari Theologi credunt, potissimum h) duo sunt. Vnus quidem Act. V. v. 3. alter 1. Cor. III. v. 16. In priori juxta vulgatam versionem latinam legitur: Ananias mentitus S. Sancto; cum

 tamen

a) *Absolute eodemque respectu*, quatenus male cupit aut odit.

b) *Omni modo* & *implacabili* odio.

c) Istius generalis non est, sed *specialis* & *paternæ*.

d) Cum ira vera consistit, sed non cum *implacabili*.

e) Implacabili, (repeto) non veræ adversatur.

f) Non abjecit, nec reconciliatus jam fuit, sed *ad reconciliationem* admittendam se *haud difficilem*, immo *paratum* ostendit, seque non esse *implacabiliter* iratum.

g) Eadem repetuntur, & consecutio a nobis negatur.

h) Potissimum. Nam & loca præsto sunt, ubi non solum Sp. S cum Patre & filio in caussa divina conjungitur, sed etiam Deus, a Patre & filio distincte, v. g. Col. I. 2. 2. Thess. II. 16. &c. commemoratur.

tamen paulo poſt verſu 5. idem Ananias dicatur a) mentitus eſſe Deo. Verum quis eſt adeo hebes, qui non animadvertat, pro clara litera adferri conſequentiam, b) deductam ex collatione verſus 5ti cum verſu 3tio? quæ quamvis alias valde infirma ſit, (cum Ananias ſimul dici poſſit mentitus eſſe Deo, & mentitus eſſe S. Sancto, nec tamen ſequeretur ſtatim, S. Sanctum eſſe Deum, cum, ut norunt eruditi, ex unitate attributi non c) mox ſequatur unitas ſubjecti) tota tamen corruit, ſi verba inſpiciantur græca, quæ non habent ψεύσαϑάι σε τω πνέυματι τῷ ἁγίῳ caſu ſcilicet dandi; Sed ψεύσαϑάι σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον caſu accuſandi; qui loquendi modus longe alium ſenſum præ ſe fert, quam ille alter eſt, quem vulgo eliciunt. Aliud enim eſſe mentiri aliquid, & mentiri alicui, ipſe ſonus verborum indicat. d) Alter locus eſt, ut dixi, 1 Cor. III. v. 16. ubi ita habetur: An neſcitis, quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? & paulo poſt v. 17. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Perpendite, viri præſtantiſſimi, utrum hic ad literam Spiritus Sanctus dicatur Deus. Eſto enim, colligatur hinc, ipſum Spiritum S. eſſe Deum, an tamen protinus verum erit, Spiritum Sanctum eundem diſerte & ad literam hoc in loco vocari Deum, ut Theologi contendunt? Quis non animadvertat conſequentiam? quæ nec ipſa tamen bona eſt. Deus enim in nobis habitare ſive manere dicitur propterea, quia de Spiritu ſuo dat nobis 1. Joh. III. v. 24. & IV. 14., id quod etiam perſpicuum eſt ex 1 Cor. VI. v. 19. ubi poſtquam Apoſtolus dixiſſet: An neſcitis, membra veſtra eſſe templum Spiritus Sancti, qui in vobis eſt? ſtatim ſubjungit: quem habetis a Deo; unde jam manifeſtum evadit, non idcirco dici, Deum in nobis habitare, quia ipſe Spiritus Dei, quo præditi ſumus, Deus ſit, ſed quia ipſe ille Deus, cujus Spiritus S., in nobis per Spiritum ſuum maneat. e) Patere hinc

a) *Hoc ipſo*, (nota) quod Sp. Sancto mentitus erat.

b) Non eſt proprie conſequentia, ſed *duorum aſſertorum* de eodem *combinatio*.

c) Niſi idem ſubjectum eſſe, de quo geminum attributum prædicetur, diſerte affirmetur.

d) Vana hæc ſunt effugia. Quemadmodum enim in Græca lingua eodem ſenſu τὸ ψένδεσϑαι modo in caſu tertio modo quarto conſtruitur, (cujusmodi Exempla ad h. l. inprimis *Eraſmus Schmidius*, & alii pluſima jam t. t. collegerunt,) ita comm. 4. idem caſus Dativus adhibetur, & comm. 3. (ut peccatum, non ſimulando, ſed decipiendo & ludificando commiſſum, tanto dilucidius deſcriberetur,) per πειϱάσαι τὸ πνεῦμα ἅγιον explicatur.

e) Sufficit 1. Cor. III. 16. *immediate* non aliam, quam quia Sp. S. in ipſis habitet, ejus dignitatis, qua templum Dei ſint, cauſſam reddi, & *de alia divina perſona h. l.* (utut alibi id factum ſit unionis perſonarum divinarum demonſtrandæ gratia,) *nihil* commemorari.

hinc puto, verum esse, quod superius asserui, nempe Spiritum Sanctum nusquam in Scriptura diserte a) & ad literam apellari Deum. si enim id non fit in illis locis, in quibus maxime id fieri creditur; quid statuendum erit de aliis? Ex quo jam sponte sequitur alterum: me Spiritum S. pro uno illo Deo hactenus agnoscere non posse. Qui enim illum unum Deum agnoscam, quem nusquam in sacris literis Deum appellatum b) credam? Quem etiam illius unius Dei Spiritum esse sciam? quem denique personam non esse, ex multis, quæ de ipso dicta & scripta reperiuntur, & personis nullo modo convenire possunt, c) non iniuria colligam. Si quis dicat; vicissim Spiritui Sancto multa tribui in sacris literis, quæ personæ tantum conveniant; non est hæc res nova in scriptura sacra, non minus, quam in aliis scriptis, & in ipso quotidiano sermone, de iis, quæ personæ non sunt, ea dici, quæ personarum sunt propria. d) Hinc legimus in ipso N. Testamento, exempli gratia scripturam prævidere Gal. III. v. 8. legem loqui Rom. III. v. 19. peccatum seducere seu decipere Rom. VII. v. 11. Dei gratiam laborare 1 Cor. XV. v. 10. & alia ejusmodi. e) Charitati vero in uno cap. XIII. prioris epist. ad Corinth. eæ fere omnes bonæ actiones tribuuntur, quæ ex persona, nec aliunde, proficisci possunt. Est autem in his, ut quilibet facile agnoscit, Metonymiæ aut Prosopopœiæ locus, at vero ut

a) Coccysmus pristinus & indigna Christiano petitio: quasi ipsis verbis, quibus quisque velit, v. g. *Sp. S. est Deus idemque summus & æternus*, (nam de novo alias tricandi ansam arrepturi essent,) summa mysteria proponenda essent. Revelata ea sunt, ut placuit Sp. S., de se ipso ita, & non aliter, locuturo atque locuto.

b) Ad Socinianorum scil. impudentissime Deo, loquendi artifici, leges, quo pacto de se loqui ipse debeat, ponentium nutum & arbitrium. Pudeat te, *Vogeli*, hujus immodestiæ.

c) Forte ubi *de donis* ejus sermo est. Uti quidem perfrequenter Spiritum accipi nemo inficiatur, sed tamen *ex ipso etiam contextu & prædicatis*, simul id colligi & intelligi posse palam est. Perinde ut *Christi* nomen subinde *pro Evangelio* de Christo usurpatur, nec tamen idcirco, personam esse Servatorem optimum, negatur.

d) Sed illud fieri etiam *improprie* omnes norunt, atque id norunt quidem *ex aliis Sacrarum litterarum locis clarioribus*, has easdem res non esse personas, docentibus. De Sp. *S.* autem contraria omnia testantur innumera Scr. S. testimonia, actiones non solum & passiones v. g. tentationes illi tribuentia, *aliumque* a Patre & filio diserte appellantia, sed vel solum etiam *Cap. XII.* 1. *Ep ad Corinth.* rem conficere potest: in quo partim pro lubitu *donorum, a quibus luculenter distinguitur*, distributio cum *operationibus variis* ei adscribitur, partim etiam cum cæteris personis divinis *pari modo* universæ Ecclesiæ regimen *per universum orbem* ab eo geri, sine ulla metonymiæ nota, identidem legitur assertum.

e) Quæ cuncta vero ejusmodi sunt, ut *aliunde* satis & meridiana luce clarius (quod etiam ipsa harum rerum natura docet,) *haud esse personas constet.*

ut contra personis tribuantur, quæ tantum competunt rebus, id per nullam figuram, nullumve loquendi modum, ut quidem hactenus credo, potest excusari. a)

X.

Summarische Relation von der Præliminar - Conferentz, welche zwey abgeordnete Nürnbergische Herren Prediger mit dem zum Socinismo verführten NICOLAO DUMLER, Noribergensi, zu Altdorff gehalten, worauf er seine Confession übergeben und die Flucht genommen.

EDle, Ehrnveste und Fürsichtige Grossgünstige Gebietende Herrn und Patroni, E. E. und H. von unserm mit Dümlero gehaltenen Collation, nach deren Erforderung, zu berichten: Ist damahls unser Fürhaben nicht gewesen, denn allein ein Tentamen anzustellen, und zu vernehmen, was hinter ihme stecken mœge, und was man in künfftiger Disputation bey ihme mœgte zu gewarten haben. Der Verlauff aber, so viel wir davon eingedenck, verhælt sich also: Anfangs hat Er, Dümlerus, eine kurze Oratiunculam gethan, darinnen er unter andern angezeigt, wie er seine darvor übergebene argumenta b) in der Eyl, und ein Theil derselben e scriptis c) Gittichii hab zusammen geschrieben, hab aber seithero dieselbe dilatiret und vermehret. Vbergab damit eine neue Schrifft, die fast so viel Bœgen lang als die vorige Blætter gehabt, mit Erwehnung, dass Er aus derselben mit uns zu reden bedacht wære. Da er nun das seine gesagt hatte, haben wir svasorie mit ihm angefangen zu reden, und erinnert, dass Er ihme selbsten und seinem Ingenio nicht zu viel wolle trauen, es seyen hohe Sachen, damit vornehme Leuthe zu schaffen haben. Er aber sey noch

a) *Abi ad baptismum*, tam Christi quam nostrum, (paucis enim multa complecti placet) *& videbis*, utrum Sp. S. per metonymiam, tanquam persona describatur, nec ne? Ostendant mihi virtutem aliquam aut attributum Dei ἐν εἴδει σωματικῷ apparentia, si viri sunt, *Sociniani*.

b) Sind die ersten Argumenta gewesen, worauf die hier nechst stehende vœlligere Confession gefolget. Man hat sie aber biss dato noch nicht zu Hand bringen können.

c) Dadurch er ohne Zweiffel MSta verstanden; Dieweil ausser den mit Lucio gewechselten Briefen, so aber lediglich von der Satisfactione Christi handeln, noch nichts von ihm in den Druck war gekommen: Wie denn Gittichius überhaupts nichts sonderliches edirt hat.

noch ein junger Menſch, und hab ſich zu bedencken, daſs er nicht um liederlicher Vrſachen willen, ſich von der Confeſſion, welche die allgemeine Chriſtenheit ſo viel 100. jahr geführet, abwende. Dumlerus excipirte darauf, das argumentum ab antiquitate halte den Stich nicht, ſonſten würde man denen Pontificiis müſſen zu ihren Sachen recht geben, iſt ihme aber zur Antwort worden, daſs wir auch zu dieſem End der Antiquitæt nicht gedencken etwas damit zu behaupten a) doch ſolle er auch das wiſſen, wann ſich die Pontificii auf antiquitatem beruffen, daſs ſolches ohne Grund geſchehe, und ſolle Er einen einzigen articul anzeigen, welcher zwiſchen ihnen und uns ſtrittig ſey, der von ihnen mit dem Zeugnus der allgemeinen Chriſtenheit von der Apoſtel Zeit an kœnne beſtættiget werden, wie der Articul von der H. Dreyfaltigkeit ſolch Zeugnuſs der Chriſtenheit zu allen Zeiten gehabt habe. Nach dieſem trat Dumlerus ab, und wurden wir ræthig, weil ſeine neue Schrifft b) weitlæufftig, und uns unbekannt wære, würde zu dieſemmahl nit viel mit ihme zu handeln ſeyn, es wœlle von nœthen ſeyn, daſs er 2. Exemplar abſchriebe, jedem eines zuſtelle, und ihme ein anderer Tag geſezt werde, daran aus der neuen Schrifft mit ihme zu conferiren: Jedoch damit man nicht vergeblich beyſammen ſey, wolle man ihn ein Stuck laſsen davon ableſen, ſeinen profectum in Theologicis zu exploriren, welches auch alſo geſchehen. Als er nun den erſten Theil c) ſeiner Schrifft abgeleſen, und unter andern im Exordio ſich hat hœren laſſen, mit dieſem Connexo: Wann der Articul von der H. Dreyfaltigkeit zur Seeligkeit nothwendig zu glauben wære, ſo würde derſelbe in H. Schrifft mit ausgedruckten Worten beſchrieben ſeyn, das aber finde ſich nirgend,

a) Die Vmſtænde ſelbſt geben es deutlich, daſs man ſolches bloſs deſswegen angeführet, um dieſen jungen verführten Menſchen zur Behutſamkeit und Fürſichtigkeit in ſo wichtigen Dingen zu vermahnen. Denn ſonſt freylich antiquitas ſine veritate antiquitas erroris iſt, und zu der Sache Bewæhrung eben wenig dienet; als daſs ſie den, der eine ſolche Lehre anfechten will, mit ſoliden Gründen und bedachtſam dieſes Werck anzugreiffen, abſonderlich aber durch die bey der Jugend ſo gar gefæhrliche Neugierigkeit ſich nicht ſo leicht bethœren zu laſſen, erinnert.

b) Dieſes war eben diejenige Confeſſion, die ſo gleich nach unſerer gegenwærtigen Relation Num. XI. zu leſen, welche ſpitzig genug aufgeſetzet iſt.

c) Die hier angeführten Contenta zeugen, daſs vorgedachte übergebene Schrifft keine andere, als die hernachſtehende ſo genannte Confeſſio Dümleri geweſen ſeye; worinnen die Argumenta Philoſophica den Anfang und Mittel ſamt dem Ende ausmachen, und dieſer gemeine Einwurff voran ſtehet.

dafs in einem einzigen Gœttl. Wefen 3. Perfonen feyen. E. Wenn die Lehre von der H. Dreyfaltigkeit ein fo hohes Geheimnufs fey, warum denn die Scholaftici und andere Theologi fo fpizig davon gefchrieben, und difputirt hætten? Ift ihme dagegen fürgehalten worden: Erftlich, dafs man fein Argument habe angehœrt, von denen er wiffen follen, dafs man allda nichts überall vernohmen habe, welches wir nicht vorlængften gehœrt, gelefen und meditirt hætten. a) Vnd ob fie wohl jungen Leuten mœgten bedencklich vorfallen, jedoch weil fie mehrentheils Philofophifch feyen, feyn fie der Wichtigkeit bey uns nie gewefen, dafs wir derentwegen von dem Glauben und Bekanntnus der allgemeinen Chriftenheit abzuweichen hætten gedencken kœnnen. Darnach wann etwan Theologi acute von dem Articul der H. Dreyfaltigkeit difputiren, werde damit ratio myfterii nicht aufgehoben, fondern es gehe nach dem alten Verficul: ibant quo poterant, quo non poterant, ibi ftabant. Doch wolle man nicht in Ab-Rede feyn, dafs die Scholaftici ihren Speculationibus zuviel nachgehengt, und bifsweilen fehr fpinofe von denen Sachen gefchrieben haben: Welches aber der Sach felbften und der Warheit nicht kœnne nachtheilig feyn. b) Folgends und zwar allermeift ift gehandelt worden, von dem oberwehnten Connexo, dargegen wir ihm ein ander Connexum fürgelegt haben, alfo lautend: Wenn der Sohn GOttes in H. Schrifft warhafftiger GOtt, und der H. Geift warhafftiger GOtt genannt werden, fo feye der Articul von der H. Dreyfaltigkeit fchon genugfam in H. Schrifft exprimirt und ausgedruckt. Antece-

a) Herrn Schrœders feel. hier gegebene Antwort wolle man nicht für eine Jactantiam anfehen, da er den Adverfarium mit feiner Auctoritæt, wie bisweilen von anfehnlichen Mænnern nicht zum lœblichften gefchiehet, abweifen wollen; fondern es wird diefe Exception des Düml. und feiner Conforten Prahlerey, die von lauter neuen und unüberwindlichen Argumentis fchwatzten, entgegen gefetzet, und folgendes der betrogene Düml nicht nur die Ratiunculas der Socinianer, fondern auch der unfrigen fchon længft dargegen geftellte Auflœfungen zu conferiren angewiefen.

b) So wenig als anderes verkehrtes Wefen, welches diefe überwitzige und müffige Leute, auffer der Vermengung der natürlichen, oder der Vernunfft bekannten, und von GOtt offenbahrten Wahrheiten, auf mancherley Weife ein- und von GOttes Wort zugleich abgeführet haben, davon man fchon von der Reformation her Klage geführet, der feel. *Tribbechovius* aber das meifte in feinem fchœnen Tract. de Doctoribus Scholafticis, den Herr Heuman A. 1719 wieder mit einer Præf. in Jena auflegen laffen, kurtz zufammen gefaffet; allwo diefe Vermeffenheit in dem Cap. II. und anderswo, bemercket und beftraffet ift.

tecedens verum, E. Ratio Connexi war, weil in H. Schrifft niemand wahrer GOtt genennet werde, Er ſeye dann eines waren Gœttlichen Weſens. Dümlerus wollte hierauf von der aſſumtione handeln, wir aber wollten von ihme wiſſen, ob Er dann mit der Propoſition a) zufrieden ſey. Darauf ſeine Antwort war, er concedire ſie etlicher maſſen, und etlicher maſſen concedire er ſie nicht. Vrſach ſey dieſe, weil auch andere Gœtter genennet werden in H. Schrifft, die doch von Natur nicht Gœtter ſeyen, und weil es auch anderſt kœnne ausgelegt werden, wenn der Sohn GOttes wahrer GOtt genennet werde, nemlich er werde darum alſo genennet, weil ihme Gœttliche Macht und Herrlichkeit communiciret und mitgetheilt ſey. b) Vnſere Antwort dargegen war, 1.) ob wohl in H. Schrifft andere auch Gœtter genennet werden, jedoch werde in H. Schrifft niemand ein wahrer GOtt genennet, es ſey denn, daſs er von Natur und des Weſens halber GOtt ſey, 2.) daſs er aber ſage, wenn der Sohn GOttes wahrer c) GOtt genennet werde, ſo kœnne es auch anderſt ausgelegt werden, ſo hab es dargegen dieſe Meynung, daſs man jzt nicht frage, wie er oder ein anderer ſolches per hanc vel illam figuram oder Metaphoram wolle auslegen, ſondern wie mans auslegen ſolle, und was der Buchſtab mit ſich bringe; darum wir von ihm fordern, daſs er ſeine Metaphoram, wann er ſagen wolle, der Sohn GOttes werde Metaphorice DEVS genennet, probiren ſolle, und als Dümlerus hinwiederum excipirte, wir ſollten zuvor beweiſen, daſs man es proprie und nach dem Buchſtaben verſtehen ſollte, war unſere Antwort: wir ſeyen es nicht ſchuldig zu thun, ſondern halten uns an die regulam Theologicam, daſs man in Glaubens-Articuln bey dem Buchſtaben ſo lang Fuſshalten müſſe, biſs man mit apodicticis, und zwar nicht philoſophiſchen, ſondern Theologiſchen, d) Argumenten davon abgedrungen wer-

a) Oder Majore, nach der alten Redens-Art, wo Aſſumtio Minor hieſs.

b) Welches ſich ferner auf die falſche Hypotheſin gründet, ſo doch gerad wider Paullum Gal. IV. 8. ſtreitet, daſs das Wort und Nahme Gottes eigentlich kein Weeſen und Natur, ſondern nur ein Amt und Würde, bedeute.

c) Man ſehe, nebſt andern dazugeſetzten und weiter hinaus ſehenden Epithetis 1. Joh. V. 20., da von dem Vatter die Rede nicht ſeyn kan, dieweil von demſelben nicht geſtritten worden, und alſo Johannes auch nicht Vrſach hatte, ſo ſtarck und eyfrig, das ἀληθινὸν εἶναι, ingleichen θεὸν und ζωὴν αἰώνιον zu behaupten: welches hingegen von andern angefochten wurde, ſo ferne Chriſto ſolche Ehre ſollte und muſte vindiciret werden. Anderer Schrifftſtelle, ſo damit übereinſtimmen, und dem Herrn Jeſu noch deutlicher die ewige und hœchſte Gottheit zuſchreiben, jetzt nicht zu gedencken.

d) In einer Sache, die ohnſtreitig zu der

werde: Beruffeten uns auch dabey ad judicium omnium bene & theologice disputantium, a) die sollten es erkennen, ob nicht Er seine Metaphoram, nicht wir unsern litteram zu probiren schuldig seyen. Drittens belangend seine Auslegung von der mitgetheilten Gœttlichen Macht und Herrlichkeit sey es an dem, dafs solche Mittheilung nicht kœnne bestehen, wann man die Persœhnliche Vereinigung beeder Naturen in Christo, b) als das fundament derselben verlæugne, wie von ihme und seines gleichen geschehe; sondern es würde aus solcher Mittheilung erfolgen, dafs 2. Omnipotentiæ oder Allmachten, und also 2. infinita seyen, eine in GOtt, die andere in Christo, der nach seiner Meynung mit GOtt weder im Wesen noch in Person sey, gleichwie es zween Calores seyen, einer im Feuer, das im Ofen liegt, der andere in der Lufft, welche in der Stuben von jenem gewærmet wird. c) Immittels gieng die Zeit fürüber, dafs jeder wieder an seinen Orth kehren sollt. Da wir ihme befohlen, einem jeden ein exemplar seiner neuen Schrifft abzucopeyen, und bey Zeit anhero zuschicken, er selbsten aber sollte innerhalb 10. Tagen wieder allhier erscheinen, da alsdann von seinen argumentis sollte gehandelt werden. Vnterdefsen sollte er denen Sachen in der Furcht GOttes besser

Theologia und zwar Revelata gehœret: Wo ohnstreitig GOtt, der in einem Licht wohnet, da niemand zukommen kan, und den kein Mensch gesehen hat &c von sich mehr offenbahren kan, als alle Vernunfft ausforschen, oder auch begreiffen mag.

a) Auch die Notiones nativas: Die zum wenigsten, wo nicht gar die gemeinste, doch so bewandt sind, dafs man eher auf derselbigen ersten Gebrauch, als die translatas und secundas fællt; zumahl in solchen Sachen, deren Natur, wie die Geheimnusse gœttl. Dinge sind, eine solche deutliche und ungekünstelte Rede-Form erfodern.

b) Wo in einer Persohn sodann nothwendig auch eine solche Gemeinschafft, und Mittheilung der gœttlichen Majestæt, zum bestændigen Besitz oder Haben, und willkührlichen Gebrauch statt hat; von einem blossen Menschen aber solches zu sagen, die allerschlimsten Vngereimbtheiten nach sich ziehet: ausser dem, dafs GOttes Wort selbst davon keine Nachricht gegeben hat. Welches hingegen von dem selbstændigen Wort, das GOtt sey, das schon im Anfang gewesen, und in der Zeit Mensch worden, so gar offt also redet, dafs es auch fleifsig, wie Rom. IX. 5., das, was aus den Vættern an derselbigen Persohn ist (σάρκα,) und die allerhœchste Gottheit (τὸ εἶναι θεὸν ὑπὲρ πάντα,) klar unterscheidet.

c) Wie denn auch in Christo Krafft der persœhnlichen Vereinigung nicht zweyerley Allmacht, Allwissenheii und f. f. sich befindet, sondern eine einige, die da dem Weesen nach, oder als eine weesentliche Eigenschafft der gœttlichen Natur Christi, nach der Mittheilungs-Gnade, und also in Ansehen des modi habendi nur anderst, und dannoch wahrhafftig, (jedoch auch ohne Verrückung aus jener in diese,) der menschlichen Natur wegen der persœhnlichen Einigkeit zukommt.

ſer nachſinnen, und dieſes zuvoran wiſſen, daſs wir denen Photinianis den Muthwillen zugeſtatten a) nicht bedacht ſeyn, daſs ſie in Glaubens-Articuln von dem Bubſtaben abſpringen, und einen tropum oder Figur vorweiſen, wanns ihnen gefalle, damit die ganze H. Schrifft ungewiſs, und auf Schrauben würde geſezet werden, ſondern es würde heiſſen: Proba. Damit wir den Abſchied genommen, und von ihm gangen, in Hofnung, weil er in Gottslæſterlichen opinionibus ſchecht b) fundirt, er würde deſto leichter zugewinnen ſeyn, wann er ſich zu beſtimmter Zeit würde einſtellen, welches aber nicht c) geſchehen. Die beede Exemplaria hat er zwar über 8. Tage hernach geſchickt, aber er ſelbſten hat ſich aus dem Staub d) gemacht. Welches alſo unſer Bericht wære, von dem, was ſich zwiſchen uns und Dümlero verloffen hat, dabey wir nicht mœgen unvermeld laſſen, daſs uns nach ſeinem Abzug allerhand verdrieſsliche Reden forgekommen, als ſollten wir ihme nit haben gnug thun kœnnen, e) da man doch zur Sache noch nicht kommen war, oder als ſollte man auf ſeine Philoſophica nicht haben antworten kœnnen, da er doch keines proponirt, ausgenommen, was in ſeiner Schrifft verfaſſet war, davon aber künfftiglich hætte ſollen gehandelt werden, und als ſolte einer unter uns geſagt haben: Es hætten vornehme Leute mit dem Articul der H. Dreyfaltigkeit zuſchaffen gehabt, und doch nichts gewiſſes f) ſchlieſſen kœnnen, welches falſch und ertichtet iſt &c. Derowegen

Bbbb bbb 3 wir

a) So wenig als andern Irr-Lehrern, die ſich dergleichen auch in andern Myſter., z. e. vom heiligen Abendm., anmaſſen. Bevorab, da die Schrifft ſelbſt der Vernunfft, nicht im Verſtehen, ſondern Begreiffen, den Kappen-Zaum, ſo zu reden, anleget, und ſelbige gefangen nehmen heiſt, wann ſie feindlich oder hochmüthig ſich über diejenigen Dinge, die über ihren Horizont gehen und ſind, ein Vrtheil zu ſprechen erheben will.

b) Theologice: Wie auch die folgende Confeſſio ausweiſet, die faſt auf lauter Vernunfft-Schlüſſe und die Philoſophie treibt, davon ſchon Paullus Col. II. 8., als einer loſen Verführung, einen ſcharffen Ausſpruch geſtellet.

c) Indem er inzwiſchen den Reiſsaus, aus lauter Eigenſinn und Halsſtarrigkeit, wie ſchon oben angeführt, genommen.

d) Man erſiehet aber hieraus, wie gütig man ſich gegen ihm erzeiget, und wie bœslich die Widerſacher hernach über Gewalt geſchrien. Denn dieſes war die Frucht des ſo liebreichen Verfahrens, und der gütigſt-gelaſſenen Freyheit; welche der verleitete Dümler zur frechen Vnbændigkeit gemiſsbrauchet hat.

e) War eine gemeine Groſsſprecherey der Widrigen, welche von andern bœſen Mæulern gewœhnlicher maſſen unterſtützet wurde. Wie es denn noch immer alſo zuzugehen pfleget, ut jactent victoriam, qui maximo jure victi ſuperatique dicendi eſſent. Wozu anderer malevolorum Plauderey vielfæltig mit einſtimmet.

f) Vielleicht war (wann dergleichen gefallen,) die Rede von der Vernunfft, da bewuſt, wie viele von denen, ſo diſs Ge-

wir auch nicht geſinnet ſeyn, hinführo uns mit ſolchen Geſellen privatim oder ſine arbitris einzulaſſen, a) ſondern dahin zu gedencken, wo es die Nothdurfft erfordert, daſs ein ordentlich Colloquium angeſtellet werde, in Beyſeyn anderer Leute, die den Ausſchlag geben, wenn ein argumentum ſufficienter beantwortet ſey oder nicht. Davon zu ſeiner Zeit weiter zu gereden ſeyn wird. Empfehlen hiemit E. E. E. und H. H. dem Allerhœchſten in ſeinen vætterlichen Schutz, zu langwieriger Geſundheit, und zu einen wohlfæhrigen von GOtt wohlgeſeegneten N. Jahre. Signatum 5. Jan. 1616.

E. E. E. und H. H.

Vnterthænige Prediger

M. JOH FABRITIVS AD D. SEBALDI.

M. JOH. SCHROEDERVS AD D. LAVRENTII.

heimnuſs daher führen wollen, entweder zu Narren worden, oder eine ganz andere ſelbſtgemachte Einbildung und Grille für die Wahrheit, als hievon die Epiſtolæ des Liberii a S. Amore und d. m. zeugen, ſubſtituiret und untergeſchoben. Paullus nennets Rom. IV. 20. διακρίνεσθαι τῇ ἀπιστίᾳ.

a) Dieſe Reſolution war lœblich, und hat auch der Ausgang nachdeme erwieſen, wie viel ſie gefruchtet. Deme man noch heut zu Tag nachfolgen ſollte; ſo doch, daſs es beſſer wære, alles kurtz in die Feder zu dictiren, als mit hin und herſchreyen einander irre oder wild zu machen. Wodurch von Anbeginn aller Nutz der Colloquiorum verderbet worden, daſs man itziger Zeit weder Concilia noch Colloquia mehr anzuſtellen getrauet, und dadurch, nebſt der allzugroſſen Drucker-Freyheit, und garſtigen Schmæhſucht, die Zerrüttungen allenthalben mehr überhand nehmen. Welchen Chriſtus alleine mit ſeinem Concilio vere Oecumenico ein Ende machen wird und wolle.

XI.

CONFESSIO FIDEI
NICOLAI DVMLERI, Norimbergensis,
QVI, POSTQVAM EAM VIX EDIDERAT, *
CONTRA FIDEM DATAM,
EXCESSIT, EVASIT, ERVPIT.

*
* *

Gratiam & salutem a Deo Patre, per Jesum Christum ejus Filium, Salvatorem nostrum. Cum debita observantia & officiis &c.

EAs, quas nuper in proximo colloquio a) vobis prælegi de sacrosancta Trinitate rationes, Viri Reverendi & clarissimi, b) en scriptas etiam bona fide, secundum jussum vestrum ad vos remitto. Quas (sic vos per veritatem oro & obtestor) serena fronte accipite, legite, perpendite: Responsionibus solidis, si fieri potest, evertite; meliora monstrate. Sic facietis rem Deo gratam, officiique vestri partes probe procurantes, animam meam, quam in densissimis nunc erroribus palpitare putatis, maximo cum beatarum c) mentium applausu, supremo rerum arbitro redimetis. Sed valeant ambages, ad rem accedo.

Primum autem quæsitum inter nos est de Trinitate, h. e. de unitate essentiæ & Trinitate Personarum in Deo. Resp. Quanquam ego aliquid, & illud ipsum quidem certo quodammodo, in S. literis de Trinitate legam, d) de illa tamen, qualem communiter intelligunt, qualem-

* Quæ tanto etiam dignior est lectu, quanto brevius & compendiosius sophismata pleraque, quibus alter alterum propositis in casses suas & Socinismum vel omnino pellexit, uti postea misere decepti fassi sunt, vel id actum est, ut, fide sincera utcunque dubia reddita, aliis deinceps argumentis in hæresin abducerentur.

a) Conf. de hoc Colloquio Cap. III. Hist. Sect. I.

b) *Fabricio* ergo atque *Schrœdero* hanc mentis suæ uberiorem declarationem, ut jussus erat, transmisit.

c) Parum abest, quin verbis hisce *sarcasmum* amarulentum subesse suspicer. Ab animo certe *Dümleri* hos ludos, in re seria licet sanctaque, non admodum alienos fuisse, ejus in hæresi obstinatissima pervicacia nos credere patitur.

d) Patris nimirum, summi Dei, Christi hominis natura, Deique factitii, & Sp. S. virtutis divinæ in hominibus efficacis: quæ

lemque in quæſtionem vocatam eſſe dixi, fateor, me nequicquam hactenus reperire potuiſſe: multa vero invenio, quæ pugnant cum illa, & longe aliud loquuntur, ut ex ſubnexis conſtabit.

Primum enim, quod me inprimis movet, ſi ita certum eſſet & indubitatum, imo, quod magis eſt, & rei caput, ſi ita omnino (ut perhibetur,) ad ſalutem hominum neceſſarium eſſet illud de Trinitate dogma, ejusque cognitio; deberet ſaltem ſemel atque iterum (ſi non ſœpiſſime, quod tamen neceſſarium videri poſſit,) expreſſe a) ejus mentio fieri; quemadmodum videmus aliarum rerum b) factam ab Apoſtolis eſſe, quas ad ſalutem noſtram omnino neceſſarias, aut paululum modo ad credendum difficiles eſſe putarunt: Etenim cœli & terræ divina creatio; & humanarum rerum abſoluta Dei cura & providentia; & mortuorum reſurrectio; & vita æterna, hominibus Chriſto fidentibus danda; & ſi quæ ſunt hujusmodi, vel aliquanto & leviora, quæ nos credere neceſſe ſit, vel ſaltem expediat, etiam ſœpius repetita, & clariſſimis verbis in divinis oraculis expoſita cernuntur. Expreſſam autem mentionem eam voco: DEVS eſt unus in eſſentia, ſed trinus in perſonis. c) Sic quoque de aliis, puta: Dei Filius Jeſus Chriſtus eſt unus in perſona, ſed duo in naturis. Tantum vero abeſt, ut hæc aperte d) ſcripta vel ſemel reperiantur, ut neque etiam obſcure oſtendi posſint. Quorſum enim tot conſequentiæ & collectiones, e) quibus iſta oſtendi ac doceri debeant, ſi res apertæ ſunt, & claris verbis certisve principiis in S. ſcriptura nitantur? Loci quidam illi, qui interdum afferuntur, ita obſcuri ſunt & dubii, ut inter ipſosmet harum rerum Doctores & propugnatores nondum de iis f) conveniat. Exempla ſatis multa

Socinianorum egregie adornata eſt Trinitas.

a) Expreſſe, i. e. totidem ſyllabis, *Deus eſt Trinus*, ſeu *Pater, Filius & Sp. S. ſunt tres perſonæ divinæ, & unus ille ſummus æternus Deus*. Sufficit aliis verbis, idem ſignificantibus, idem fieri.

b) Quarum tamen haud paucas, v. g. reſurrectionem eorundem numero corporum, noſtramque per Chriſti in cruce ſacrificium cum Deo placationem, in dubium nihilominus vocant, non aliam ob cauſſam, quam, quia cum ratione non convenire ſua inſana putant.

c) Sic ergo ipſe, immodeſtam petitionem ſuam exponere, non verecundatur: quaſi philoſophici termini neceſſario etiam a Sp. S. adhibendi fuerint, quibus ne noſtri quidem aliter, quam compendii & commoditatis gratia, utuntur, & pro ea *libertate* propugnant.

d) His ſyllabis & apicibus ſi fateamur non legi, quid inde?

e) Ad ea, quæ ſparſim dicta ſunt, combinanda, & fundamenta jam poſita eo modo, quo Sp. S. hoc myſterium exponere *ſcrutantibus* ſcripturam placuit, colluſtranda, atque magis magisque conſtabilienda.

f) Pauci ſunt, & maximam partem quæſtionem illam, dudum vexatam, attinent: V.

multa afferri possent, nisi res hæc *Rever. vestris dignitat.* multo notior esset quam mihi. Deinde, quid magni momenti habet, quod dicitur: Nos credere hæc omnia oportere, non rimari, cum sint mysteria, quæ nos nostra, h.e. ratione humana, nullo modo assequi valeamus? Nam primum non quæritur impræsentiarum, an Trinitatis dogma sit mysterium? Sed hoc quæritur: An illud ex S. fontibus demonstrari queat? Si enim hoc esset firmum & indubitatum, non amplius forte quærendum vel potius rixandum ita esset de modo, quo sit vel esse possit. Secundo, si omnino concedendum est, dogma istud, de unitate essentiæ & personarum trinitate maximum esse mysterium & prorsus inpervestigabile, cur igitur non pauci SS. literarum Doctores docere illud, ejusque modum exponere, sunt conati? a) Sub quorum vexillo reperiuntur *Thomas*, *Durandus*, *Scotus*, *Ockam* & fortasſis alii. Annon enim satius fuisset, plane nunquam conari rem talem, vires & ingenii humani captum excedentem? b) Quod si tamen conatus iste in quibusdam est repertus, cur non potius in ipso Christo veritatis magistro unico & doctore fidelissimo reperiri debuit? Cur non etiam in ipsius Apostolis & ministris? in illis enim, nisi vehementer fallor, locum habere non potest istud, quasi captum istorum hæc res excesserit: Christus enim ab ipso Deo erat edoctus, quem nihil latere poterat; Discipuli vero a Christo. Multo autem minus invidia aliqua fecisse vel Christum vel Apostolos ipsius existimandum est, quo minus nobis talem & tam necessariam ad salutem nostram rem, summo studio & verbis apertissimis, inculcarent & persvaderent; utpote sine cujus cognitione & scientia facile eventurum esse conjicere poterant, ut ho-

 mi-

trum in V. T. jam clare satis hoc mysterium revelatum sit, an insinuatum? De cæteris vix quisquam dubitat; tametsi, aliud testimonium alio *luculentius* esse, sine veritatis detrimento, omnes fateantur.

a) Vel illaudabiliter id factum est a *curiosulis*, ingeniique sui ostentatoribus Scholasticis, vel ab inficiatoribus ejusdem adacti etiam id quidam *conati* sunt, (quo successu, non pronunciamus,) ut vel sic tandem, non tam a ratione alienam esse hanc veritatem, utcunque ostenderent. Neutrius partis caussam suscipere volumus, neque unquam etiam sibi suscipiendam putarunt nostri, ut potius de ea nigro carbone notanda integris dissertationibus limitibusque rationi positis fuerint soliciti.

b) Ita est. Nisi *illustrationi* utcunque id inservire posse censeas. Hanc enim, si *modeste* applicetur, quicquid in rebus creatis *simile* videatur, nemo temere negabit locum habere posse; uti contra nemo etiam nostratium (quicquid sit de *Reformatis* quibusdam,) simillima nonnulla in mente humana pro *demonstratione* venditaverit, aut, quando *Filius imago Patris* appellatur aliquoties in Cod S., eapropter, modum generationis hisce determinari & in aprico prorsus poni, asseveranter pronunciaverit.

mines ex obſcuritate & ignorantia in dubitationem, ex dubitatione in incredulitatem, ex incredulitate æternum in exitium ac diſpendium ſalutis ſuæ turpiter prolaberentur. Verum his ita generaliter dictis, a) nunc ad ſpecialiora deſcendamus. Et primum quidem generalia quædam argumenta de Trinitate perſonarum in unitate eſſentiæ perquiramus, poſtea ad illa, in quibus ſolus Deus pater ille unus Deus Iſraelis eſſe demonſtratur, devenientes. Ac primum quidem ita inferri poteſt. b) *Quæcunque eadem ſunt uni tertio, illa inter ſe quoque eadem eſſe neceſſe eſt. Atqui perſonæ divinæ ſunt eædem uni tertio, vel, ſi una vis, quarto, h. e. perſonæ divinæ ſunt eſſentia eædem. Ergo inter ſe quoque eædem erunt.* Ac per conſequens, vel multiplicatis perſonis, eſſentia multiplicabitur; vel eſſentiæ unitate retenta, & perſonæ unitatem retineri oportebit.

Majoris firmitatem quod attinet, eam non impugnari exiſtimo; ſi quidem eam tanti faciunt Magiſtri Scholarum omnium, ut, ea convulſa, omnium ſyllogiſmorum fundamentum ruere neceſſe eſſe putent. c) Ad minorem quod dicitur: Perſonarum unitatem ex eſſentiæ unitate aliam concludi non poſſe, quam eſſentialem, ſi quidem perſonæ, de quibus ſermo eſt, non cum aliqua perſona ſint eædem, ſed cum eſſentia. Quæro, quomodo hæc conſiſtere poſſint cum ſumma

a) Atque *a nobis vicisſim rejectis;* eatenus videlicet, quatenus prorſus non aperte & perſpicue ſatis hoc myſterium, in Scr. S., per Chriſtum præſertim & Apoſtolos, patefactum eſſe *Dümlerus* negavit.

b) Argumentum hoc, quod princeps exiſtimavit *Dümlerus*, & *Crellio* quoque *de Vno Deo Patre* L. II. Sect. I. c. 3. viſum eſt inſuperabile, utut minime novum ſit, ſed *Thomæ Aquinati*, & *Scholaſticis* aliis pridem uſurpatum, miramur cæteris præmiſſum, cum tamen non ſit imbecillius aliud: Quamvis enim varii variis modis (uti nuperrime contra *Bælium* Diſſ. I. f. 15. ſqq. ex inſtituto S. Rev. Acad. Tubing. Cancell. D. C. M. *Pfaffius* oſtendit,) ad illud minus feliciter reſponderint, facillime tamen totum hoc, quantum quantum eſt, ſophiſma ſolvitur, ſi *eatenus, quatenus* unum ſunt, non eſſe diſtincta, & contra, *in quantum diſtinguuntur*, unum non eſſe, obſerves, atque hinc porro, limitatione juſta addita, cujus virtute tandem hæc concluſio conſequetur: *Ergo inter ſe quoque certo reſpectu* (nempe eſſentiæ ratione,) *eadem ſunt:* totum ratiocinium concedas. Neque aliter id fieri poterit, niſi ipſum Trinitatis myſterium neges. Fluctus ergo hi ſunt in ſimpulo, &, ſi *tertium* ſimul *communicabile* eſſe, de quo hic utique ſermo eſt, eſſentia puta divina tribus perſonis communi, notes, non male a mediocri (le moindre Ecolier) ſcholæ alumno reſponderi ad hoc dubium poſſe, ipſum *Clericum* in *Bibl. ſelecta* T. X A. 1706. f. 389. ſcripſiſſe ſine jactantia, nemo non intelliget.

c) Retinent utique hunc canonem Magiſtri Scholarum & Metaphyſici doctores cuncti, ſed cuncti etiam, quod equidem ſciam, eundem juſta limitatione: *Quæ ſunt eadem uni tertio incommunicabili, illa eatenus* quoque inter ſe eadem ſunt &c. temperant.

ma ſimplicitate Dei, quandoquidem in eo nulla videatur diſtinctio eſſe re ipſa inter naturam & perſonam. a) Certe ſi aliqua eſt, erit vel actu, vel potentia, vel ſaltem per mentis noſtræ conceptum. Non primum. Sic enim, ut modo dictum, daretur aliqua in Deo compoſitio, quæ cum ſumma & perfectisſima ſimplicitate b) ejus omnino conſiſtere nequit. Non ſecundum. Nam omnia in Deo ſunt actu, nihil potentia. Et præterea, quamvis potentia quicquam eſſe poſſet, reduceretur tamen aliquando in actum, & ita convelleretur ſimplicitas. Non tertium. Nam ille conceptus noſter vel verus erit vel falſus. Si verus: omnino conformem rebus ipſis eſſe oportebit, c) & ſic, quod animus noſter concipit, revera erit in re, concipit autem tale quippiam in Deo, quod compoſitionem d) inducit, & ſic res redit ad priorem diſputationem. Si falſus: tanti profecto eſſe non debet, ut id perſvadeat, quod contra omnem ſanam rationem e) currit. Taceo, quod intellectus, ſicut & voces, accommodandæ ſint rebus; non res trahendæ ad voces, & intelligendi rationem. Illud equidem vere videor poſſe adjungere. Vbi plura f) ſunt in aliquo uno ſuppoſito, quæ iidem g) non ſint, ibi vitari nequit, quin ſit compoſitio aliqua. h) Equidem omnes fatentur; eſſentiam divinam in ſe eſſe indiviſam & indiſtinctam; perſonas vero, & perſonales notiones, quæ ſunt: Paternitas, Filiatio, & Proceſſio, inter ſe diſtinctas eſſe, & quidem realiter: jam igitur, ſi eſſentia cum paternitate conſtituunt Patrem, quomodo non etiam component? i) Non video etiam, quid ad hoc dilem-

a) Confunduntur *compoſitio*, & *pluralitas*, non naturæ ſeu eſſentiæ, ſed perſonarum, eandem numero ſimplicisſimam eſſentiam habentium.

b) Realis eſt perſonarum inter ſe diſtinctio, relativa oppoſitione nixa, ac proinde etiam perſonalis, quæ ſimplicitati Dei, tanquam *eſſentiali proprietati*, cum perſonæ ab eſſentia non diſtinguantur, nec eſſentia multiplicetur, non obſtat.

c) Verus utique, quia revelationi conformis.

d) Non inducit compoſitionem, ſed perſonarum pluralitatem, ſalva eſſentiæ unius, tribusque communis, ſine multiplicatione, ſimplicisſima identitate.

e) Audienda eſt revelatio, non ratio, cujus principia & anguſtos limites Dei majeſtas infinita longe excedit. Ex qua proinde ſola hæc controverſia decidenda eſt. Piſcatoribus enim credimus, non Dialecticis.

f) Non dicimus, cum Scriptura, *plura* eſſe in una eſſentia divina, ſed tres, aut *plures*.

g) Qui *iidem* non ſint, etſi ſint *idem*, vel unum, ſeu habeant potius eandem naturam.

h) *Compoſitio*, quæ *ad eſſentiam* pertinet, vitatur utique, ſed *pluralitatem* (perſonarum) vitare Script. S. nos adeo non jubet, ut *credere* & ſtatuere potius *jubeat*.

i) Non componunt, quia paternitas, cum eſſentia eadem eſt, ſed ad alias perſonas relata, relativæ diſtinctionis perſonalis fundamentum conſtituit. Certe *alius* pa-

ma reponi queat: Si una persona distinguitur realiter ab alia, aut distinguitur in tota, aut non in tota. Si in tota; igitur ut relatione, ita & essentia, atque ita una cum alia non erit idem essentia. Si non in tota, igitur per aliquid sui est distincta, ut per aliquid sui est eadem alteri, a) atque ita in persona sunt duo, dualitate in re; est igitur & compositio; at ubi compositio est, ibi & partes sunt, quarum altera habeat se quasi materia vel quasi potentia, altera ut actus. Et hæc ita sint dicta b) ad primum argumentum: Quod memoriæ caussa paucis repeto & dico. Si eadem numero est essentia personarum, quomodo, illa una existente, istæ erunt tres, citra compositionem aliquam. Cui corollarii vicem & hoc addatur. In eo, quod est simplicissimum, non datur talis compositio, cujus altera pars originem aliquam habeat, altera sit omnis originis expers. Atqui in Deo datur talis compositio; dum dicitur filius, qua DEVS, nullam habere originem: qua autem persona ab aliis distincta, originem habere a Patre. Ergo non est simplicissimum quid. c)

Si Filii essentia eadem est numero, cum essentia Patris & S. Sancti. Ergo

ter, *ut pater*, & alius *filius*, *ut filius*, & sic quoque *alius Sp. S. ut talis*, seu ut procedens, a Deo ipso nobis adorandi proponuntur. Cui humili fidei obsequio obtemperamus, reliqua, uti Angeli Es. VI. alis suis contecti, miramur, non rimamur.

a) Ita est: Non tamen sequitur, sunt duæ res, sed duæ, immo *tres relationes*, in una essentia. Res essentiam denotant, *relationes* modi sunt: qui *invicem* collatis personis, oppositisque sec. eas, differentiam pariunt, sed *ad essentiam relati* cum illa *idem* manent, nec diversa quid sunt, atque hinc adeo compositio cessat. Cætera, quæ capere non possumus, revelationi nos accepta ferre, & in Deo esse, quæ nos *comprehendere* nequeamus, fateri humiliter oportet. Idque tanto magis nos decet, quanto clarius idem illud Numen infinitum, *lumen se inhabitare* ἀπρόσιτον, 1. Tim. VI. testatur.

b) Satis adversus Deum ἀκατάληπτον petulanter, eaque minutiarum, clarissimæ Dei, uti seipsum patefecit, testificationi oppositarum captatione, ut dubitem, anne ipse *Dümlerus* Metaphysicas illas distinctiones ideis satis lucidis clarisque perspectas habuerit, quanta protervitate ad summa rationique, corruptæ præsertim, impervia mysteria applicare ausus est.

c) Non opus fuerat hoc corollario. Quandoquidem in eo, ut priora fere repetuntur, ad solum filium applicata, ita similiter *personalis relatio*, cujus respectu filius originem habet, tanquam genitus a Patre, cum *essentiæ ejusdem*, quæ originem non habet, filioque generando *communicata* est, *simplicitate*, *h. e. unitate* unissima (ut ita loquar,) commiscetur. Quemadmodum itaque, *simplicitatem essentiæ* esse *attributum*, paullo ante ostensum est, qua *una* manente & ipsa incolumis est; sic etiam personæ secundæ & tertiæ origo eidem non obest, quippe cui tantum personarum *inter se* distinctio innititur, essentia autem eadem semper (communicata scil. infinito quodam modo, non producta per illam originem) retinetur. Quæ reliqua

Ergo ea in filio incarnata, Patris quoque & S. Sancti eſſentiam incarnatam eſſe ſequetur. a) Sed verum prius. Ergo. Jam ſi Patris eſſentia nunquam eſt b) extra Patris perſonam, utique eſſentia Patris incarnata perſonam Patris incarnari concedi oportet; & quod de incarnatione dictum eſt, idem de aliis actionibus, quæ Chriſto tribuuntur, dici neceſſe erit. Itaque & Pater in terras miſſus eſt, & eſuriit, & calamitates mortemque ipſam perpeſſus eſt, & reſurrexit, & in cœlum aſcendit: hæc enim affert ſecum eſſentia, quæ una ſit Patri cum filio. Et quæ de Patre jam diximus, eadem etiam de S. Sancto dicenda erunt. Majorem propoſitionem clariorem eſſe puto, quam ut eludi debeat. Quod ſi tamen dicas, ad evitandum abſurdum: Perſonam divinam, nempe Filium Dei, primo & propriiſſime c) aſſumſiſſe naturam humanam; Secundario autem naturam quoque h.e. eſſentiam divinam aſſumſiſſe eandem naturam humanam ad ſui perſonam. Regero: Quocunque tandem modo, ſive primario, ſive ſecundario eſſentiam divinam aſſumſiſſe naturam humanam dicas, aſſumſit tamen, & quia tota eſſentia eſt in filio, igitur tota aſſumpſit, non pro parte tantum filii, ſed etiam quatenus & Patris & S. Sancti eſſentia perhibetur. Deinde, quomodo intelligam ego hoc: Primo & propriiſſime quidem Filium Dei naturam humanam aſſumſiſſe: Secundario vero eſſentiam divinam? Quis enim eſt ille Filius Dei, annon is, qui ex natura divina, & (ut loquar ita) ex relatione filiationis conſtat: Si hoc, & filius Dei nunquam ſine divina ſua natura conſiderari poteſt, annon ſequetur, tum,

ſunt, ex ſanctiſſimo illo: *Αυτὸς ἔφα*, etiamſi penitus aſſequi non poſſimus, pendent, victoriaque fidei confutantur.

a) Id quidem neutiquam, ſed hoc tantum: Ergo *eandem eſſe* incarnati filii & procedentis Sp. S. *eſſentiam, quæ & patris eſt*; inde conſequetur. Ac proinde in hoc ſyllogiſmo, ſi integer formetur, neganda eſt conſequentia.

b) De tempore hic non diſputatur. *Nullatenus* igitur rectius dicendum fuiſſet. Nullatenus autem patris eſſentiam eſſe extra Patris perſonam ambigue dicitur. Si enim *privative* ſumatur, conceditur hæc propoſitio; ſi vero *cumulative*, ut ita loquar, ſeu potius, *communicative*, petitur id, quod eſt in principio. Cæterum *neque eſſentiam commode dici incarnatam, ſed λόγον* ſeu filium Dei, qui habet eſſentiam, quæ etiam patris eſt, habetque per generationem paſſivam; *neque* etiam *abſolute* & *communiter* in hac origine perſonarum, nominatim vero in generatione filii, ſpectari, verum relate, ut *charactere filii determinata* eſt, ſatis conſtat. Quod reliquum eſt, ſufficit, τὸν λόγον σάρκα factum, nunquam Patrem, & tamen filium eſſe in Patre, patremque in filio, divina teſtari oracula: quæ contra rationem oggannientem inconcuſſa perſiſtent, omnesque ejus objectiones hac ſola reſponſione: *Finita de infinitis judicium ſibi ſumere non debent*, proſternent.

c) Equidem, qui ita difficultatem hanc ſolvere velint, mihi cogniti non ſunt; niſi quod *immediate & per ſe* Filium Dei, ut filium, incarnatum eſſe memini aliquos

cum FiliusDei primo & principaliter naturam humanam assumpsit, divinam quoque ejus naturam primo & principaliter eandem naturam humanam assumsisse (etenim profecto, nuda illa filiationis & distinctæ personalitatis χέσις, sine fundamento divinæ naturæ nunquam naturam humanam assumsisse, dicenda erit,) & hæc natura divina, quia est eadem numero in omnibus personis, tunc quoque humanam naturam primo & principaliter assumsisse, putari debet. a) Quod si jam eadem natura divina (juxta alterum instantiæ membrum) naturam humanam secundario quoque assumsit, Ergo, uno & eodem tempore, & uno & eodem actu (non enim aliquando assumpsit, & aliquando non,) & primario & secundario assumpsit, illa vero, quæ est Patris & S. Sancti, non primario, jam non una amplius numero erit natura illa, sed divisa aut diversa. b) Dicas porro & aliter instes : Atqui natura dicitur incarnata, sicut & assumpta ratione personæ, ad quam terminata est unio; non autem, prout communis est tribus personis. c) Quid autem, quæso, volunt sibi hæc verba ? Nonne essentiam faciunt duplicem

dixisse. Cum quibus litigent, si volupe est, *Sociniani*, commodene an incommode, hæ an illæ formulæ rem abstrusam melius explicent, aut *nodum* solvunt. Nostri *naturam characterizatam charactere personali filii Dei*, aut ipsum potius λόγον, assumsisse humanam naturam rectius ajunt. Quo pacto (ubi revelationem sequimur, cum ratio sibi relicta horum nihil quicquam alias nosset) nihil aliud ex integra hac objectione sequetur, quam, *Eum assumsisse humanam naturam, qui habeat eandem naturam divinam, sibi per generationem communicatam, quæ etiam Patris est. Ad Patrem* autem, utrum illa assumtio & unio *terminetur hypostatice an filium*, illud, tanquam omni ratione sublimius, ex sola revelatione addiscendum, eidemque, quæ incarnatam esse naturam divinam, seu habitare totam in Christo σωματικῶς, quatenus *in una suarum hypostasium tantum*, non reliquarum, nominatim autem in Filio est, asseveranter docet, credendum. Totam namque hanc Dei patefactionem in carne, nisi revelata fuisset, etiam Sociniano sensu, nemini unquam innotuisse, conceditur. Cur igitur eidem, personam determinanti, nempe λόγον, fidem denegemus ? aut, si modum non distincte evoluteque capiamus, obloquamur?

a) *Quicquid sit* de distinctione illa, inter *principaliter & secundario*; hoc tamen certum est, revelatione ita docente, naturam illam, quæ communis unaque, Patris, & filii humanam naturam assumentis, non esse unitam cum humana natura, ut Patris est, sed ut Filii charactere hoc personali insignitam. Cæterum eandem esse naturam ejus, qui incarnatus est, filii, & patris, qui incarnatus nunquam dicitur, quod quidem solum perplexa hæc objectio probat, quis negat?

b) Non divisa aut diversa, sed una; at non spectata in hac incarnatione absolute, verum cum relatione & charactere personali secundæ personæ proprio.

c) Bene: Ita certe enunciantur terminis utcunque huic mysterio accommodatis, quæ simplicius verbis: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, Sp. S. effatur.

cem a) in divinis? alteram alicui personæ propriam, alteram communem omnibus? & illam quidem incarnatam esse, ut est in Filio, istam minime? Quod si hæc non est sententia verborum oppositorum; profecto rem omnem ad considerationem intellectus referre videntur, ut nimirum essentia, uno modo considerata, incarnetur, alio autem modo b) non incarnetur. Quid autem absurdius, quam ex varia intellectus consideratione c) alicujus rei unius varia illi prædicata attribuere, & quidem realia, aut certum alterutrum reale? Verum omissis circuitionibus amplioribus, alterutrum horum necesse est: aut distingui naturam a persona re ipsa, d) aut unum & idem utrumque esse re ipsa; tertium certe, quod dicendum sit, non apparet. Si idem sunt re: quomodo uno incarnato alterum non incarnatur? e) sin re distincta: non erit simplicitas in Deo omni carens compositione, f) quod primum argumentum, tanquam absurdum, deducebat. Addatur & hoc, perspicuitatis caussa: Essentia Filii incarnatur. Essentia Patris non incarnatur. E. essentia Patris, non est essentia Filii. g) Vel ita: Deitas in Filii persona assumpsit carnem. Deitas in Patris

a) Non duplicem faciunt essentiam, sed ejusdem modum habendi duplicem, per generationem nempe in filio, sine generatione in Patre. Qua ratione etiam, quomodo essentia hæc & propria & communis esse possit, atque diversimode ita spectanda sit, liquet.

b) Non uno aliove modo, sed *prout hoc aliove modo Patris aut filii est*, hoc aut illo charactere personali determinata.

c) Non varia intellectus consideratio fundamentum est, sed realis, at personalis, non essentialis differentia. Eamque etiam ob rem non patri, sed filio soli, τὸ carnem factum esse, tribuitur. Quod alias promiscue fieret, aut factum legeretur. Huic principio securi tutique innitimur, immorimur.

d) Non distinguitur realiter natura a persona ulla in Deo. At *personæ inter se*, ut revelatio nos docet, *alium atque alium in Deo* nominans, distinguuntur.

e) Ratio, quia non incarnata natura, *ut communis* est omnibus, etsi eadem, quæ communis, sed ut filio per generationem propria est atque Filii natura.

f) Statuimus *distinctionem personarum inter se relativam*, at veram tamen & realem personalem, sed *distinctionem ab essentia* & personarum & relationum istarum personalium *non* docemus. Cessat igitur omnis compositio simplicissimæ essentiæ divinæ, ad quam ea proprietas, essentialis hinc etiam dicta, pertinet. Reliqua revelationi accepta ferimus, cum qua *Dünlerus* tumultuans, sed ut modestiæ erga Deum, de se testantem tanquam *infinito* ente, ipse *finitus* memor sit, transigat.

g) Conclusio non alia, quam hæc inde profluit, si vel maxime Major, quæ Vniversali æquivalere deberet, etiam in secunda figura, mittatur: Ergo *essentia Patris, quatenus est Patris, non est incarnata*; vel clarius: Ergo aliquid, quod non est ut essentia patris, incarnatum, est ut essentia filii (hæc enim determinatio etiam in præmissis addenda est,) incarnatum. Quod concedimus.

tris persona non assumpsit carnem.a) Igitur Deitas in Patris persona non est Deitas in filii persona. Sunt igitur Deitates istæ diversæ, aut certe modi essendi earum in personis diversis diversi sunt. b)

Si Christus, seu Filius Dei ex substantia Patris est vel ex tota, vel parte ejus erit. Non posterius; Quia substantia Dei cum sit simplicissima, nullo modo dividitur. Cum perfectissima; nec augetur, nec minuitur. Ex tota igitur substantia Patris natus erit Filius. Si hoc; Aut Pater ita dedit substantiam filio, ut ipse eam amiserit; vel retinuit eandem. Non primum. Nam amissa Dei substantia seu essentia, Deus esse desineret. Retinuit igitur Pater substantiam totam, quam tamen totam, eandemque numero, filio dedit. Retinuit vero, & dedit tamen? At hoc est ex numero illorum, quæ simpliciter, ac proinde Deo quoque, sunt impossibilia. c) Non quidem, quod is omnia facere non possit, sed quod quædam reperiantur, nec non interdum excogitentur, quæ potentiam aliquam non admittunt. Nec vero rem conficit simile illud, quod solet hinc afferri de candela ardente, a qua aliam accendi quidam putant, ita, ut & totam ignis substantiam ab illa priore accipiat, & illi tamen interim nihil omnino decedat. Nam I. utique decedit aliquid, etiamsi nos non ita accurate istud sentiamus, & propter materiæ præsentiam seu ignis nutrimentum fit, ut iste defectus, qui propter accensam alteram candelam existit, statim in momento iterum compleatur, itaque celeriter, ut visus nostri imbecillitatem fugiat. Sed si quis pertinaciter instare velit, (quamvis similia nihil

a) Similiter ita potius inferendum est. Ergo Deitas, ut est in persona Patris, neutiquam, sed, ut in Filio s. Filii est, assumsit carnem.

b) Non modi essendi, sed *modi eandem essentiam habendi*, *diversi* sunt, h. e. diversæ sunt, ex actionibus personalibus, generationis & spirationis, resultantes relationes & proprietates. Quod utique verissimum, est &, *Dümlerum* mera sophismata in re tam seria proposuisse, palam, sed etiam turpissimum est.

c) Commiscet in hoc argumento *Dümlerus* productionem atque communicationem divinæ naturæ. Illa consistere cum unitate numerica haud potest, & repugnat sane, produci idem numero, quod jam fuit. At *communicatio* illam *multiplicationem necessario haud infert*. Cujus etiam in rebus finitis, v. g. vita corpori nostro communicata eadem profecto, quæ animæ est, & igne, communicante seipsum cum ferro ignito, (ut a candela petita similitudine opus non sit,) occurrit, multoque adeo magis *in infinita divina essentia*, quæ ne quidem multiplicari potest, locum habere potest, locumque habere, Deo, de se id ipsum testanti, credere par est. Communicari igitur *nullatenus* pluribus posse divinam naturam, ut una numero sit maneatque, neque demonstratum est hactenus neque etiam unquam demonstrari potest, totumque proin hoc argumentum corruit.

nihil probent,) & dicere, quod nihil omnino decedat igni prioris candelæ,& nos ideo rem ad ſenſus noſtros minus perſpicaces deferre, cum aliter effugium non detur; Regero : Si omnino nihil decedit, Ergo nec totum decedit; unde igitur candela accenditur? aut ſi totum decedit, & alteri candelæ accedit, cur non ſtatim igitur ignis in tanta quantitate in candela accenſa apparet,in quanta fuit in priori candela? Annon hoc ipſum argumento eſt, partem ſaltem aliquam priori decedere, & huic accedere, quæ poſtea paulatim nutrimento nimirum liquefacto creſcat, & in convenientem magnitudinem evadat : quemadmodum puſillum iſtud in priori candela, quod deceſſerat, ſtatim propter materiæ aptitudinem & nutrimentum fluidum iterum adjicitur. a) Ex quo apparet, longe diſſimillimam eſſe hanc ſimilitudinem, cum illa æterna Filii Dei generatione; in illa enim natura manet utrinque numero una: hic ſunt ignes numero diſtincti, tam ratione generationis, qua primum unus ex altero gignitur, (non manet enim idem numero, qui diſceſſit,ſed alius, ut dixi, in ejus locum ſtatim ſufficitur,) quam ratione exiſtentiæ: quemadmodum enim ſunt duæ candelæ, ita & duo ignes. Deinde in igne iſto partem tantum decedere demonſtravi. At in divina eſſentia nihil minus habet locum, quam hoc; ubi enim partes, ibi diviſio & compoſitio, ibique nulla ſimpliciſſima, qualis in Deo eſt, ſimplicitas. Tertio demum in candela accenſa ignis iſta ſubſtantia paulatim creſcit, & ad convenientem magnitudinem deducitur; Contra, natura divina, quam Filius a Patre ſemel accepit, nunquam augetur, nunquam perficitur, ſed perfectiſſimo modo ſemel accepta, perfectisſima manet, ex hypotheſi. Nunc promiſſi noſtri memores, deſcendamus tandem ad alia argumenta, nempe ad illa, per quæ probari poſſe diximus, ſolum DEUM Patrem illum unum Deum Iſraelis eſſe, & non alium præter illum. Sit autem primum hoc:

Ille unus DEVS eſt Pater, ex quo omnia. 1. Cor. VIII. v. 6.
Chriſtus non eſt Pater, ex quo omnia.
Ergo Chriſtus non eſt ille unus Deus.

Reſpondent quidam: etiamſi hic Apoſtolus ſolum Patrem dicat il-

 lum

a) Ambages hæ ſunt, quas forte in Diſputatione de *origine animæ* rationalis, ſeu mentis humanæ, *traducis* alicujus defenſoribus objicias. Ad originem ex Patre filii Deo vel non applicantur ea, niſi κατ' ἀναλογίαν & ſalva diſſimilitudine, illuſtrationis gratia, vel non quadrant; cum alio modo dubium ab adverſariis motum ſolvi poſſit.

lum unum Deum, non tamen ipsum propterea excludere Christum. a) Dico: Si Christus includitur, aut fit illud propter divinam ejus naturam; quam illum cum Deo Patre eandem habere b) dicunt: aut propter σχέσιν illam, seu relationem propriæ personalitatis seu filiationis: aut denique fit propter utrumque, h. e., propter totam & integram Filii personam. Non primum, quia primo natura, in se considerata, non est persona, c) quod vel eo apparet; quod natura est communicabilis, persona vero minime. Jam, si non est persona, d) multo minus erit Deus; e) Deinde sequeretur exinde, Christum esse DEVM, & non esse. Esse quoad naturam; non esse quoad σχέσιν propriæ personalitatis, secundum enim σχέσιν illam non est is, qui Pater. f) Jam porro idem etiam de Patre dicendum esset, nimirum & illum tantum DEVM esse propter naturam illam communem cum filio ac S. Spiritu. g) Quia, qua ratione filius includitur in unitatem Deitatis, ea ratione & Patrem Deum vocatum esse oportet. Atque ita natura harum trium personarum, per se considerata, sine relatione ulla aut paternitatis, aut filiationis, constitueret illum unum Deum, & sic Deus plane extra personas h) esset. Cum vero natura, in se considerata, non sit persona, utique nec Deus erit persona: i) aut si natura illa una est DEVS, DEVS autem persona, utique ex unitate naturæ

a) Et rectissime quidem; Neque enim l. c., uti Major habebat, dicitur: *Ille unus Deus est Pater, ex quo omnia*, & quidem solus, si vel maxime & nomen Patris personaliter accipiatur, de quo supra observatum est, quosdam, nec immerito, dubitare; Sed *Pater est unus ille Deus, ex quo omnia.* Vnde conclusio tantum hæc profluit ex vitiosa forma primæ figuræ, quæ Minorem non negantem, sed affirmantem desiderat. Si vero secundam figuram retineas, & Majorem universalem ita instruas: *Quisquis est unus ille Deus &c. est Pater, ex quo omnia*; novus hinc nævus novumque vitium luculentissime patebit. Quorum sophismatum miror thrasonem hunc non puduisse.

b) Ita est.

c) Quid inde? dummodo persona habeat illam naturam. Est enim persona aliquid ex natura & subsistentia conflatum, uti sæpe jam observatum est.

d) Negare ergo ausit *Dümlerus*, Christum esse personam? Non credo. Quorsum autem, si Christum fateatur personam esse, & naturam communicari posse, hæc effugia?

e) Immo, si persona est, *communicatam naturam divinam habens*, sane erit Deus.

f) Quorsum hæc? Relatio personalis hic non in quæstionem vocatur, sed naturæ communio. Et quamvis Christus non sit is, qui Pater, est tamen id, quod Pater, i. e. eandem habet naturam. Vnde & ipse: Ego & Pater *unum, non unus*, sumus, semel iterumque affirmavit.

g) Ita puto. Personalitas enim ex Paternitate & est & cognoscitur.

h) Aut extra personas, *aut in tribus*. Posterius verum est.

i) Vtique. Nam, Deus non est persona, sed *personæ*, seu natura in tribus personis suprema, omnipotens &c.

ræ unitas quoque perſonæ ſequetur. a) Denique unus ille Deus hic dicitur, non natura quædam, ſed tota & completa perſona. b) Si igitur filius etiam ille ipſe Deus, non ſaltem propter naturam, non etiam propter quamcunque perſonalitatem, ſed tantum propter illam ipſam, quæ una ſit numero cum perſonalitate Patris, Deus dicendus erit, & ſic filius erit Pater, & Pater erit Filius, etiam quoad perſonam. c) Abſurdum. Secundum membrum ideo non conceditur, quia alias ſequerentur tres Dii. Nam ut quælibet perſona ab altera & tertia reipſa per χέσιν ſuam ac relationem eſt diſtincta, nec quicquam cum altera, quoad iſtam χέσιν, habet commune, ita nec communis earum erit Deitas, & per conſequens unus indiſtinctus, ſed tres diſtincti Dii. d) Taceo, quod, ſi tres perſonæ iſtæ, qua perſonæ, eſſent unus & idem DEVS, jam Deus ſe ipſo prior & poſterior eſſet. Prior, qua Pater; poſterior, qua filius & S. Sanctus. Eſt enim Pater fundamentum relationis, & terminus a quo. e) Non etiam tertium membrum conſiſtere poteſt, ut ex jam dictis conſtat. Si quidem Perſona filii non eſt perſona Patris; quid enim alias tres perſonas docere neceſſe ſit? Addatur coronidis loco hæc ratio ex majore propoſitione præſentis ſyllogiſmi deſumpta.

Ille unus DEVS eſt unus in eſſentia, & trinus in perſonis, ex hypotheſ.

Atqui Deus Pater, ex quo omnia, eſt ille unus Deus.

E. Deus Pater eſt unus in eſſentia, & trinus in perſonis. f)

a) Falſa ex falſis deducuntur.

b) Quia de *perſona una* quidem (ſi perſonaliter vox Patris ſumatur,) ſermo eſt, ſed *non excluſis aliis in eadem Divinitate perſonis*; cum excludantur tantum λεγόμενοι θεοὶ, & excluſiva ad prædicatum, non ſubjectum, referatur. Quæ tamen multo ſunt clariora, ſi, hoc inprimis in loco, ubi generatim de Deo ſermocinatur *Paullus*, Pater, ex quo omnia, comparate ad *dominium*, Chriſto ut θεανθρώπῳ competens ſingulari quodam, & 1 Cor. XV. explanato, modo, Patrem rerum omnium denotet: perinde uti Eph. IV. 6. & III. 14 deſcribitur.

c) Minime omnium hæc inde ſequuntur, ſed, quia perſona habet naturam (non autem, accurate loquendo, in caſu recto per naturam, ut genus definitur,) filiusque etiam habet Patris naturam, eandem utriusque naturam, atque utrumque verum ſummumque Deum eſſe: ſalva & incolumi ſubſiſtentia relativa, quæ perſonarum diſtinctarum inter ſe fundamentum eſt.

d) Non tres Dii, ſed tres perſonæ. χέσις enim illa perſonalis eſt diverſa, natura eadem.

e) De vocabulis his concinnis, an inconcinnis, jam non diſceptabimus. Hoc tamen certum eſt, Patrem eſſe priorem, filiumque & Sp. S. poſteriores, ſed non naturæ perfectione, tempore, dignitate & ſimilibus, verum *origine emanationis* unius perſonæ ab alia, & poſteriorum a prima, quæ rectius *fons* Trinitatis, quam terminus a quo, ſeu fundamentum, audit.

f) Novum & tritum inter ſodales hoſce

Et ſic una perſona erit tres perſonæ, & quia etiam de Filio & S Sancto dicitur, quod ſint ille unus Deus, E. tres erunt trini, & ita novem erunt perſonæ in uno Deo a) Dura, fateor, hæc ſunt dictu, & auribus piis moleſta, b) ſed quid faciendum? toleranda hæc ſunt & audienda, quia aliter fieri non poteſt, dum veritatem perveſtigamus.

His ita pertractatis, cum nullo modo filius includi queat, neceſſitate urgente dicendum eſt, illam naturam divinam, quæ eſt terminata in perſona Dei Patris, non aliam præter illam, pro uno vero Deo Iſraelis invocandam & colendam eſſe. c) Ex quibus ſimul etiam hoc apparet, quomodo accipiendum ſit, quando Chriſtus in S. literis Deus vocatur; nimirum illud non fieri propter eſſentiæ unitatem aliquam cum Deo Patre, ſed propter aliud aliquid, d) nempe I) ideo. Quia Chriſtus ex S. Sancto, h. e., ex virtute Dei altiſſimi, conceptus eſt, & ita, ſimulatque natus eſt, e) filius Dei fuit, ut bene dici poſſit, illum natura filium Dei eſſe, reliquos autem pios homines non ſic, qui potius filii Dei adoptati, quam nati dicendi ſint. Luc. I. v. 35. f) II.) Propter ſanctificationem

ſophiſma, cujus fraus omnis in Majori latet. Ea namque, ſi, quod primæ figuræ leges prorſus naturales poſtulant, univerſalis ut ſit, formetur, atque h. m. enuncietur: *Quisquis eſt unus ille Deus, ille eſt unus in eſſentia & trinus in perſonis*, falſa erit. Quodſi vero ad hunc modum, ut vera ſit, inſtruatur: *Quisquis eſt unus ille verus Deus, ille Deus eſt vel unus in eſſentia &c., vel habens naturam unius Dei, qui eſt unus in eſſentia & trinus in perſonis;* totum argumentum, quod ad poſterius membrum, concedendum erit.

a) Hoc tantum hinc efficitur: Ergo *una perſona habet Deitatem, quæ eſt tribus perſonis communis, & tres habent eandem naturam*, quæ eſt unius Dei, qui unus eſt eſſentia & trinus perſonis.

b) Moleſta ſane, quia apprime ſophiſtica, & ad pervertendam veritatem ἐκ προαιρέσεως impie inſtructa.

c) Corruentibus autem ficulneis rationibus ſophiſticis, hæc quoque concluſio collabetur.

d) Quidſi & hic quæramus: Vbinam aperte, h. e. tot ſyllabis, in S. literis legatur: *Chriſtum natura merum hominem factum eſſe Deum, ſeu munus tantum vicariæ divinitatis accepiſſe?* Quicquid reſpondebunt *Sociniani*, eadem & nos, ubi apertam Trinitatis deſcriptionem expoſcunt, regerenda, haud injuria, putabimus.

e) *Simul atque natus*, concedimus. Quia ex ipſo momento conceptionis, quo ἅμα σὰρξ ἅμα λόγȣ σὰρξ fuit, *unio perſonalis* Filii, ſed ab æterno jam nati, cœpit, atque θεάνθρωπος dici potuit ac debuit. Si vero *per nativitatem* illam in tempore id factum putet *Dümlerus*, ut formaliter filius Dei diceretur, negamus.

f) Hoc ipſum comma 35. rationem genuinam, cur natus ex Maria filius Dei dicendus ſit, continet, nimirum non conceptionem, aut potius ex parte Dei formationem humanæ naturæ Chriſti extraordinariam & ſupernaturalem, quæ ex parte Sp. S generatio proprie dicta non fuit, ſed creatio; Verum *unionem perſonalem* δυνάμεως τȣ͂ θεȣ͂ (h. e. primogeniti & unigeniti filii Dei, jam ante & ab æterno exiſtentis,) quæ a Sp. S. h. l. diſtinguitur, & alibi ſæpius de Filio uſurpatur. Cæterum adoptio & *gratia* (qualis & hæc fuit formatio,) rem non

nem Dei & in mundum miſſionem Joh. X. v. 36 a) III.) Propter reſurrectionem a mortuis Act. XIII. v. 33. b) Rom. I. v. 3. 4. IV.) Denique & ultimo, propter æternum ejus ſacerdotium & regnum. Heb. V. v. 5. c) Quod autem quidam ad principalem ſyllogiſmum proxime allatum etiam hæc regerunt, quod, ſi conſequentia illius ſalva deberet eſſe, etiam talis concluſio ſequeretur: Patrem nimirum non eſſe Dominum; Quia ſolus Chriſtus ab Apoſtolo in citato loco Dominus dicatur. Reſpondeo: Hoc effugium, in fallacia conſequentis fundatum, nihil valere. Quicunque enim Deus dicitur, eſt etiam Dominus, etiamſi prorſus de ejus dominio taceatur; d) Deitas namque præſupponit dominium, ſed non contra. Deinde dico: Omnino heic Patrem a dominio, de quo ſermo eſt, excludi, non enim heic ſimpliciter de domino, ſed de illo uno Domino, per quem omnia, de cauſa, inquam, inſtrumentali, verba fiunt: Patet id ex particulis, per quem omnia, oppoſitis ſuperioribus particulis, principalem cauſam exprimentibus: Ex quo omnia. e) Tertio dico: Et Chriſtum a Deitate Patri tributa, & Patrem a dominio Chriſto addito, excludi: Patet id ex

 voce

conficit, ſed *generatio* ex patre, quæ Filio Dei μονογενῆ paſſim tribuitur, cum præexiſtentia ante Mariam virginem reali, non ideali tantum, aut decreta, ex innumeris Scr. S. locis patente ac demonſtrata.

a) Non filius Dei l. c. vocatur Chriſtus, ſed, Filium *ſine blaſphemia Deum* appellari, contra Judæos ex loco Pſalmi oſtenditur, quia, cum homines iſtic improprie, propter vicariam poteſtatem & analogiam, eo titulo inſigniti ſint, *tanto majori jure eum*, quem Pater in mundum miſerit, filium nempe ejus ex ſe genitum, ita nuncupare non ſolum liceat, ſed oporteat: utpote *qui cum Patre unum* ſit, eandemque naturam communem habeat, quod operibus divinis, propria virtute patratis, ſatis ſuperque demonſtratum dederit, & porro demonſtraturus ſit.

b) Ad hunc quoque locum jam reſponſum eſt, &, de *Perſona eadem* excitata, h. e. populo Dei ſec. promisſiones miſſa, filio nimirum ex Patre æternum genito, & ut mittendo a Davide l. c. *porro deſcripto*, commate 33. *Paullum* loqui, de reſuſcitatione autem, & *quod illa ipſa perſona tam illuſtris e mortuis ſuſcitata ſit*, comm. demum 34. ſermocinari, alibi jam oſtenſum.

c) Huic quoque ratiunculæ ſupra itidem reſpondimus: ubi, nihil aliud, quam *eundem illum, qui genuerit filium, eum quoque ſacerdotem conſtituiſſe*, ex conjunctis locis Pſ. II. & X. l. c. doceri, & dignitatem hinc ſacerdotis Jeſu Chriſti humana longe majorem adſtrui, evicimus. Quibus in præſenti nihil addimus, quam, ſi a prima forte diſcedas, de cæteris valde arduum fore *Socinianis*, ſi ἀναλογία harum rationum cum filii nomine & relatione, præſertim παραλλήλοις Script. S. locis adductis, oſtendenda eſſet.

d) At l. c. ad Corinth. quando *unus* etiam dicitur Dominus, *pari jure* nobis excluſiva particula, aut vox urgenda ex mente Socinianorum non includeret, ſed *excluderet* Patrem.

e) Quid ſi igitur noſtri reſpondeant viciſſim, *Patrem* quoque hic ſumi *eſſentialiter*, & primam *creationem*, omnibus perſonis *communem*, atque ſecundam, ſeu reſtitu-

voce unus exclusiva bis posita. a) Addi potest et hoc: Quod omnino talis Dominus, qualis est Deus, Christus esse non potest, quia unus tantum est talis, Marc. XII. v. 29. & is sine controversia est Pater. b)

Ille unus DEVS est ultimus finis fidei nostræ.

Christus non est ultimus finis fidei nostræ. Ergo. Dicit enim ipse Joh. XII. v. 44. Qui credit in me, non in me credit, c) sed in eum, qui misit me. Et Petrus I. Epist. c. I. v. 21. per Christum nos credere in DEVM, ait, ideoque illum a Deo Patre suscitatum & gloria exornatum, ut fides & spes nostra in Deo sit d) Posset quidem & hoc argumentum, sicut & omnia sequentia, latius per membra sua deduci, sed quia res tota posita est in simplicitate Dei, de illa autem jam nonnulla, &, pro ratione quidem instituti nostri, satis multa e) dicta sint in prioribus, plura heic adscribere super sedemus.

Ille unus Deus nullum habet supra se DEVM.

Christus, quatenus DEVS, habet supra se DEVM Heb I. v. 8. 9. Sic enim verba habent: Thronus tuus, DEVS, in seculum seculi. Virga rectitudinis, virga regni tui, dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propter hoc unxit te, DEVS, DEVS tuus f) oleo exultationis, præ participibus tuis &c.

Ille unus DEVS scit omnia.

Chri-

tionem, filio ut Θεανθρώπῳ ratione officii propriam, describi? Fac tamen personaliter accipi, satis erit, a creatione prima, & divinitate creatoris Dei, quæ Patri adscripta est, *cæteras Personas divinas* h. l. *non excludi, sed eos duntaxat, qui nomen sine re ὁμωνύμως vel gerant vel affectent.*

a) Excluditur, quod λεγομένως tantum tale est, & vere esse, cum non sit, Deus aut Dominus videtur.

b) Inde vero tanto clarius & perspicue magis elucet, non personas divinas, sed eos *excludi*, quos toties in V. T. *Deos peregrinos*, κατὰ ψεῦδος aut χάριν sic dictos, appellari constat: a quibus l. c. ut populus Dei *præter personas suas*, (*Al panai*) Ex. XX. 3. abstinere unus ille Dominus Israelis præcepit, idemque mandatum identidem repetiit.

c) Mira res, tanto ostentatori Philosophici acuminis philologicam regulam & idiotismum Hebrææ atque Hebraizantis in N. T. linguæ non fuisse nota: quibus in hujusmodi constructione particula *non* idem quod *non solum* denotare, nemo nescit, exemplisque paullo post a b. *Glassio*, Grammat. S. *de Adverbiis* Can XXII. abunde comprobatum est. Quoties enim, quæso, ut *in se credant* fideles Deo salutisque suæ cupidi, jussit? Quod autem fides *per ipsum* ad Deum judicem tendat, *Oeconomia salutis* nostræ toties inculcata, & *Mediatoris* officium, salva Divinitate personæ ipsius, requirunt.

d) Recte. Illud enim rationes μεσίτε postulabant, *per quem accedendum ad Deum* esse, Sp. S. passim cum Christo ipso docet. *Officium* itaque a *persona* distincte considerretur, ex œconomia liberrimi & communis consilii divini ortum & constitutum, & res salva erit.

e) Sed subtilia magis, quam solida.

f) Ergo quatenus Deus? Nego consecutionem. Ad Ebr. cap. I. certe hæc dicta

Christus non omnia scit. Marc. XIII. v. 32. De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli, qui in cœlo, neque filius, nisi Pater. Ergo non est ille unus Deus. Effugium illud: Scit secundum divinam, nescit secundum humanam naturam, nihil valet. Scire enim & nescire, ut & omnes aliæ actiones & passiones, non sunt naturarum, sed personarum. a) Respectu quoque personarum heic verba fieri, ex vocibus filii & Patris, quæ personas significant, manifestum est. b) Particula autem exclusiva, nisi, adjuncta voci Patris, quæ personam significat, ostendit omnes alias personas, quæ Pater non sunt, a cognitione diei judicii excludi. Cum enim dicitur: nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater, perinde est, ac si scriptum fuisset: Tantum solus Pater scit diem judicii, & nullus alius præterea, quicunque ille fuerit. c) Si quis objiciat locum Joh. XVI. v. 30. ubi de Christo dicitur: Nunc scimus, quia scis omnia. Resp. locos generaliores ex strictioribus esse limitandos, d) & explicandos, non contra. Et propterea heic, quia apud Marcum ipse Christus negat, se, quatenus filius Dei Patris est, scire diem judicii, per vocem omnia illa tantum, quæ ad munus Christi requirebantur, intelligi, talis autem non est cognitio diei judicii. Ita 1. Joh. II. v. 20. de Christianis, qui etiam diem judicii ignorant, dicitur: Scitis omnia e) &c.

Vnus est Deus, testante pluribus in locis S. Scriptura.

Ergo consistere nequit, in ipso esse tres personas: Sequeretur enim, in

esse, aut respicere primogenitum, (jam ante scil. natum,) *cum in mundum introduceretur*, explanate affirmatur.

a) Sed tales etiam proprietates, aut idiomata talia sunt, quibus *communicatis* sibi a divinitate, ut homini, ad communem possessionem & usum, ipse *libere, quando* & *quomodo* voluit, *uti* reapse potuit. Omniscientia autem unionis tunc temporis si sapienter uti noluit, prout revera, *tanquam homo*, naturaliter nescivit diem judicii, ita quoque eum se ignorare Christus dicere potuit.

b) Personas utique denotant, sed, quod ad Christum attinet, Θεάνθρωπον ab ea natura, ut sæpe fit, h. l. ejus persona denominata est, sec.. quam ei prædicatum aut idioma non formaliter, at per communicationem in eadem persona, competit.

c) *Eodem* modo ac *jure Pater* hic *solus* nominatur, quemadmodum alias ordinarie Christus propter *statum*, in quo tunc existebat, & *officium suum*, propterque *oeconomiam divinam* singularem, ad eum cuncta referre solet: salva essentiæ ejusdem cum eo ac Sp. S. communitate, ad quam h. l. in officio suo constitutus prophetico humillimus attendere, aut se referre noluit.

d) Quemadmodum analogia fidei (sed perversæ) hanc limitationem ut excogitaret, suasit, ita veræ fidei συνάφεια, sibi semper constans, Christo, *ut homini*, ignorantiam illam, quam utique *cum prophetico officio* conveniebat, vel profiteri vel negare, tribui jubet.

e) Manifestum est, l. c. *de rebus ad salutem necessariis* sermonem esse.

in una perſona plures eſſe perſonas, a) quod abſurdum eſt. Ratio conſequentiæ: Quia, quotiescunque vox adjectiva unus, ut & quævis alia numerum exprimens alicui ſubſtantivo, (ſi illud intelligens ſit,) jungitur, nunquam unitas eſſentialis, h. e. illa pluribus communis, ſed perſonalis ſignificatur. b) Ita, cum dicimus unum Regem, unum Cæſarem, unum hominem, unum Angelum, nunquam eſſentiam aliquam pluribus communem, ſed perſonam exprimimus: c) & huc etiam pertinet locus ille inſignis Joh. cap. XVII. v. 3. ubi Chriſtus ipſe dicit: Patrem ſuum eſſe illum unum ſolum d) verum Deum, etiam reſpectu ſui, ſe ipſum namque ibidem nominat, atque a Patre diſtinguit, & quidem ita, ut non poſſit dici, illum loqui de ſe ſecundum humanam naturam tantum, nam eatenus ſe nominat, quatenus ipſo cognoſcendo vita æterna continetur, quod ad totum Chriſtum, e) quantus quantus eſt, referendum omnino eſſe, nemo non videt.

Ex quacunque doctrina ſequitur, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, illa eſt erronea, & humano generi peſtifera. Ex doctrina de Chriſto, conſtante ex duabus naturis in una divina perſona, ſequitur, Chriſtum non fuiſſe verum hominem. Ergo eſt erronea. f) Majorem declaro. Si Chriſtus non fuit verus homo, non etiam vere mortuus eſt, ſi non eſt vere mortuus, nec vere reſurrexit, ſi non vere reſurrexit, periimus, vana eſt fides noſtra, & adhuc ſumus in peccatis noſtris, teſte Apoſt. 1. Cor. XV. v. 17. Minor probatur. Doctrina enim iſta, ne videatur aperte contra S. literas duos Chriſtos aſſerere, negat Chriſtum habuiſſe perſonam humanam. g) Jam ſi Chriſtus non habuit

a) Neutiquam, ſed unam eſſe eſſentiam in tribus perſonis, aut unum Deum in tribus, qui tres ſint ille unus Deus.

b) Nec plures *infiniti* ſunt, ſed *unus.* Quid mirum ergo, ſi *ſingulari prorſus modo*, & ab eo, qui in finitis rebus cæteris omnibus deprehenditur, plane diſtincto idem unus plures, aut plures illi unus infinitus Deus ſint? Cæterum non tantum nomen numerale unus de una ſubſtantia, ſed etiam *actu* & ſimilibus uſurpari notum eſt.

c) Ratio, quia hæc omnia *finita* ſunt, tam phyſica quam moralia, entia, quæ *multiplicari* utique *poſſunt*; at *divina eſſentia non poteſt*, etſi poſſit pluribus communicari, teſte ipſo Deo; quo ſi deſtitueremur teſtimonio, id quoque ignoraremus.

d) Excluſis, uti jam ſæpius monitum eſt, non perſonis reliquis, ſed deaſtris aut diis λεγομένοις.

e) Ita eſt. Loquitur autem de ſe Chriſtus, ſec. *officium* conſiderato.

f) Validum profecto & maximi momenti ratiocinium, ſi ſolidum eſſet. Contrarium autem illico apparebit.

g) Non negant noſtri, Chriſtum eſſe perſonam humanam, (etſi propter ambiguitatem habere perſonam humanam, non temere invenias, dici,) at *peculiarem & a divina natura, ſeu λόγῳ potius, diſtinctam perſonam humanam*, atque adeo duas eſſe in Chriſto perſonas, illud eſt, quod inficiantur. Unam perſonam & hypoſtaſin equidem in Chriſto admittimus, ſed ita, præ-

it personam humanam, non fuit verus homo. Omnis enim homo est persona, est enim substantia individua, intelligens, quæ est personæ definitio.

Ultimo demum ad probandum, quod Pater tantum sit ille unus DEUS, inexpugnabilis ratio videtur, quod nullius simplici Dei nomine, quando substantiam ipsam significat, DEUS tantum Pater certissime intelligitur, quemadmodum omnes fateri coguntur: nunquam autem, cum prædicta ratione simplex Dei nomen est positum, solus Christus, seu Filius, solusve S. Sanctus aperte et citra omnem controversiam significatur, nam etsi Christus nonnunquam Deus appellatur, tamen tunc Dei nomen subsistentiam ipsam non significat, sed substantiæ tantum attributum, seu mavis, tunc Dei nomen non subjecti, sed prædicati locum obtinet. a) Nusquam enim, quantum ego scio, in divinis literis invenitur scriptum, DEUM aliquid vel fecisse vel dixisse, aut de Deo aliud quippiam affirmari, quod ad Christum a Patre distinctum sit omnino ac necessario referendum.

DE PERSONA CHRISTI.

JAm si ad personam Filii deveniamus, & in illo conjunctionem divinæ essentiæ cum humana natura consideremus, quanta, DEUS bone!

Eeee eee

eunte, quantum ad rem, Scriptura S., ut *propriam filio* Dei & *communicatam humanæ naturæ subsistentiam eandem* statuamus esse, personamque & humanam & divinam in una persona, quæ humana simul & divina sit, Deusque & homo doceamus. Quorsum ergo hæ argutiæ, & pæne dixerim difficiles nugæ?

a) Obscure hoc propositum est dubium. Aut enim eo tendit *Dümlerus*, ut evincat, nusquam Christum & Sp. S. dici *unum illum* (μόνον) Deum, quemadmodum Pater: Aut vulgare illud axioma subest: Nusquam de Filio aut Sp. S. nomen Dei usurpatum legi, quando subjecti locum in propositionibus occupat, sed prædicati tantum. Si prius est, in quod collineat objectio, partim repetendum putamus monitum illud, jam aliquoties iteratum: Videri quibusdam in locis, ubi de Patre hæc formula occurrit, præsertim 1. Cor. VIII. non personaliter Patris nomen accipi, sed *essentialiter*; quo sensu etiam filius & Sp. S. hoc nomine communi comprehenderentur: Partim, si personalem sensum retineas, *eodem modo* de Filio & Sp. S. alicubi *necessario* loquendum fuisse, quando divinitas eorum prædicanda, quid, quæso, sit, quod cogat, ut id statuamus, rescire vellemus. *Sufficit, Deum utrumque*, non semel, sed sæpius, & sine nota impropriæ notionis *appellari*, atque ab actionibus, attributis &c. porro, describi divinis. Si denique nusquam, ubi subjecti loco hoc nomen reperiatur, de Christo id posse intelligi arbitratus est opponens, ante omnia, ut hæc regula probata ab ipso fuisset, potius quam præstructa, optavissemus. Evidentia namque sua, ex ipsis terminis ideisque connexis, insita, uti prima Meta-

ne! heic iterum difficultatum maximarum ſeges! quanta ſanæ rationis a) pugna & conflictus! Liceat heic mihi iterum eadem verba dicere, quæ ſupra dixi, cum de Trinitate perſonarum in unitate Eſſentiæ ſermo erat. Ecquid enim magis adducebat divinæ veritatis Doctores atque ſcriptores, quam hoc, ut, cum ſcirent, proram & puppim ſalutis noſtræ in vera & perfecta perſonæ Chriſti cognitione conſiſtere, illam ejusque admirandam ex divina eſſentia & natura humana, ut ita dicam, compoſitionem b) apertiſſimis & clariſſimis c) verbis nobis demonſtrarent. Quid quod eam, multoque minus ejus modum, non tantum non demonſtrarunt, verum ne verbulo quidem, neque obſcuro ſaltem, mentionem ejus fecerunt. Deſcribunt quippe Lucas & Matthæus, præſertim vero Lucas, d) exacte admodum nativitatem Dom. noſtri Jeſu Chriſti, & Matthæus, cum illa verba præmiſiſſet: Jeſu vero Chriſti nativitas talis erat &c. nihil antiquius vel excellentius, quod ad illam attinet, de ea narrat, quam, Mariam ejus matrem, priusquam ipſa & Joſephus vir ejus conveniſſent, inventam fuiſſe gravidam e Sp. Sancto. e) Lucas vero, qui paullo altius rem repetit, & diligentisſime in ea verſatur, ab eadem S. Sancti virtute initium hujus f) nativi-

phyſicorum principia ſolent, non radiat: inprimis, ſi nomen Dei non muneris & dignitatis, ſed naturæ nomen ſit, quod locus Gal. IV. 8. omnino evincit. Quodſi vero etiam contraria exempla præſto ſint, ex quibus promiſcue ſubjecti & prædicati loco nomen Dei adhibeatur, eodem ſenſu de Patre æque ac filio, v. g. Matth. XXII. 32. Act. VII. 32. 2. Cor. VI. 16. 1. Tim. III. 16. ad Hebr. I. 8. & XI. 16. 1. Joh. V. 20. 1. Reg. XIIX. 39., additis ſimul locis ex V. T. in Novo allegatis, præcipue Pſalm LXVIII. 18. ſeq. coll. Eph. IV. 8. fundamenti hujus lubrica, quæ *Socino* maxima videbatur, firmitas tanto luculentius patebit.

a) In limine igitur ſtatim prodit adverſarius, quibus armis ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον impugnare conſtituerit præpoſtere.

b) Conjunctionem ſeu unionem maluiſſet ipſe, conſcientia exſtimulante, vocare, ſi non per contemtum hujus myſterii, id ipſum ſuaſiſſet tumultuans ratio.

c) His forte Sp. Sancto præſcriptis: Filius Dei ab æterno ex ſubſtantia Patris genitus ita in tempore formatam in Maria virgine humanam naturam ſecum univit perſonaliter, ut jam ſit nec merus Deus, nec merus homo, ſed in una perſona Θεάνθρωπος, ex utraque natura conſtans, καὶ σύνθετος. Perinde ſcil. uti *Thomas* olim: Niſi impoſuero manus meas vulneribus, eaque contingam digitis meis, nullatenus credam. Nobis *æquivalentia ſufficiunt* abunde.

d) Quid ſi Lucas & Matthæus ſiluiſſent, totamne Scripturam hanc veritatem nullatenus, & nuſquam docere, hinc conſequetur?

e) Ideo hujus originis æternæ non meminit *Matthæus*, quia *de humana*, etſi ſupernaturali, *conceptione & nativitate* diſſerere inſtituebat: Cætera ex miraculis aliisque teſtimoniis demonſtraturus. Regem enim Judæorum ex Davidico ſtemmate natum eſſe Jeſum, inprimis oſtendere volebat.

f) Si *hujus*, ergo alterius præcipuam ratio-

nativitatis & ortus sumit, dicente apud eum Gabriele Angelo Mariæ: S. Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque a) quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Certe si uspiam aliquid clare & expresse de Deo homine facto, qui Jesus Christus sit, dictum fuisset, id in his duobus locis scriptum legeretur, ubi expresse ea de re tractatur, in qua & per quam hoc plus quam divinum mysterium peractum fuisse dicitur, h. e., de ipsa Jesu Christi conceptione in virginis utero. b) Etenim quemadmodum de admirabili hac divina operatione, totius naturæ limites exsuperante, aperta fit mentio, ita de hypostatica illa, quam vocant, Dei cum humana natura assumpta unione meminisse debuerant c) hi Evangelistæ, idque adeo exserte, ut ne quisque in futurum de ea ambigere posset, d) & ne Jesu Christi nativitas, ad quam peragendam unio hæc tanquam formalis & præcipua causa concurrisse creditur, imperfecte prorsus ab ipsis e) tradita videretur, alioquin vel unicam salutis nostræ viam nobis invidisse, vel tanti mysterii se ignaros fuisse, (qui tamen per spiritum Dei, qui omnia scit, edocti erant,) ipsimet non obscure declarassent. Vtrumque autem cum longe absurdissimum videri possit, intelligitur, in quantas difficultates f) & dubitationes illius rei assertores propterea merito conji-

nem non habuit, nec tamen Angelicum illud testimonium præteriit silentio.

a) *Ideoque* illud ad *virtutem Dei substantialem*, uti paullo ante ostensum, h. e. ad *primogenitum Dei*, personali operatione in utero matris suæ, id, quod ex ipsa erat, assumentem, si referas, (quemadmodum Hebr. sub *Chuppa* fit copulatio maritandorum,) illustrissimum habebis personæ, quæ substantiæ geminæ heros sit, testimonium.

b) Quodsi autem illud h. l. *Lucæ* expresse traditum sit, (*Matthæi* enim brevitas & scopus id necessario haud exposcebat,) contrarium patet.

c) *Non debuerunt* hoc loco *absoluta* necessitate, & tamen a *Luca* illud, seu *Angelo* potius, cujus verba *Lucas* repetiit, id factum est.

d) Vix ego credo tam *exserte* dici potuisse, quin ratio, cui τὰ τοῦ πνεύματος Θεοῦ stultitia videatur, cornua obvertens nihilominus repugnasset. Quod vel suo exemplo, tantæ luci *Johannis* & *Paulli* testimoniorum recalcitrantes, & obloquuti, testantur *Sociniani*.

e) Imperfecte sane, si & a reliquis Scr. S. libris omissa fuissent: Perinde igitur, uti *Johannes* quædam siluit, quæ cæteri descripsere, ita reliqui omiserunt, quæ ipse supplevit. Quæ alias *quatuor Evangelistarum*, in conscribenda *Historia Christi*, ratio fuisset, nisi, ex integra eorum *harmonia* eam contextam cognosci plene, optimum sapientissimumque Numen voluisset?

f) Nulla difficultas, si quod alter, consulto ita jubente Sp. Sancto, tacuit, alter, eodem consilio sapientissimo, supplevit. Cujusmodi plura occurrunt, ex omnibus conjunctis petenda. Paucis quam ob rem Marcus nativitatem Christi plane omisit, eandem ob causam alii æternæ ejusdem ex patre generationis, aliunde & alibi tradendæ, non meminerunt.

ciantur. Atque ita ex quatuor Evangeliſtis duo, qui etiam Jeſu Chriſti Filii Dei nativitatem & in matris utero conceptionem diligenter nobis exponunt, nihil penitus de Deo, in ea ſeu per eam homine facto, tradiderunt. Ex duobus autem reliquis, alter quidem in tota hiſtoria omnino hac de re tacet, alter vero manifeſtis minimeque dubiis verbis eam certe non docet, quamvis quidem eam partem hanc ab aliis omiſſam poſt aliquot annos quaſi Jeſu Chriſti hiſtoriam ſupplentem a) addidiſſe affirmant. Omiſſam vero? Tres viri præſtantiſſimi, divino etiam, ut credere par eſt, Spiritu impellente (quorum unus ex 12. Apoſtolorum numero fuit, alii Paullo & Petro Apoſtolis dictantibus ſeu approbantibus id feciſſe creduntur,) Filii Dei ſalutarem hiſtoriam conſcribere aggreſſi fuerint, & eam partem intactam b) reliquerint, ſine qua nihil veræ ſalutis inde nobis manare poſſit, idque quod totius hiſtoriæ tanquam caput & fundamentum eſt, prætererint, neſcio ſane, quo jure, quave præſumtione hoc de illis dicatur. At quartus ſaltem, qui poſtmodum errorem tam novum quaſi emendaturus ſucceſſerit, nullum in ea re dubitationi locum relinquere debuerat: Id vero non modo non fecit, c) ſed quam plurima in ſua hiſtoria recenſet, quæ contrariam ſententiam confirmare poſſunt. d) Quid quod neque in ſymbolo quoque, quod Apoſtolicum vocatur, ulla æternæ illius atque hujus admirabilis nativitatis, e) qua divina eſſentia cum humana natura unita f) dicitur, mentio reperiatur? Sed illius tantum, qua is, qui ex Maria virgine g) natus erat, Filius Dei vocatus eſt. Sic enim lego: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. (Ecce heic DEVS Pater, unica illa perſona, creator cœli & terræ, Deus perhibetur, non

a) Si ſupplementorum ratio habenda, *Johanni* potius id vindicari officium debere, res ipſa oſtendit; Lucæ certe repetitio magis curæ fuit, & eorum, quæ ab aliis dicta jam fuere, confirmatio, atque illuſtratio: quemadmodum & initialia ejus verba præfationis condocefaciunt.

b) Quippe jam ſatis cognitam: quoniam nemo de Meſſia, utrum filius Dei eſſet, ex Patre genitus, ſed utrum Jeſus iſte Meſſias eſſet dubitabat; qua controverſia mota luculentiores hujus quoque partis doctrinæ acceſſere explanationes & vindiciæ.

c) Fecit, & luculentiſſime quidem, Joh. I. 13.

d) Hæc vellem diſtinctius expreſſiſſet temerarius in aſſerendo, inque probando parciſſimus, *Dümlerus*.

e) Quid ergo ſibi volunt verba, quibus *Filius Patris unicus* vocatur?

f) Non opus fuerat, in breviſſimo ſymbolo illud addere explanate, quia de eo, qui filius Dei Patris & Mariæ *ſimul* eſſet, id quisque facile, ſi ſanæ mentis eſſet, cogitare & exiſtimare poterat.

g) Ergone filium Patris absque generatione Patris concipere quis poſſit?

non alia a)] Sequitur: Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de S. Sancto, natus ex Maria virgine, passus, crucifixus, mortuus, sepultus &c. Nonne his verbis vocat Filium Dei unicum illum eundem, b) qui de S. Sancto conceptus sit, & ex virgine Maria natus? Cum igitur tantæ autoritatis & omnium, ut ita loquar, symbolorum symbolum, rem, de qua disputatur, alto silentio c) involvat, quo jure accusandi erunt illi, qui propterea assensum suum suspendunt? Quod summam d) doctrinæ cœlestis comprehendat symbolum istud, de quo loquimur, ideo appellatum est tam articulorum fidei Christianæ, quam symboli Apostolici nomine: Jn quo scil. in totum orbem terrarum ad prædicandum Evangelium a Jesu Christo missi consensionem prius fecerint, e) quam singuli in singulas provincias discederent. Vbi igitur vel generationis illius æternæ, de qua ante, vel copulationis illius admirabilis, mentio magis facienda erat, quam in ea collectione, & sententiarum enumeratione, quæ fundamentum esset doctrinæ Apostolicæ? f) Quod si in S. literis locus, ab auctoritate negative usurpatus, firmus est, non sit profecto statim execrandus ille, cui aliquid credere, quod in S. literis non habeatur, g) religio est. Quid porro, si ista Dei ἐνσάρκωσις nulla ratione fieri potuisse, ostendatur? At illud quidem satis in promtu esse videtur. Primum enim, si illud verum est, quod Theologi omnes passim affir-

 mant

a) Describuntur personæ ab operibus, quæ vocantur, ad extra, quibus se, ut distinctas, invicem manifestarunt.

b) Unicum sane, *qui*, sed *non* eatenus, *quatenus ex Maria* natus erat, *Dei filium* appellari video.

c) Non est altum silentium generationis & nativitatis æternæ, si Christus Jesus *Dei filius* distincte a nativitate ex Maria matre appellatur.

d) Summam si comprehendit, non opus fuit, neque ab eo expectanda tam diffusa explicatio, quantam *Dümlerus* cum suis inique postulat.

e) Dubito, utrum hæc serio proponat *Dümlerus*. Quod si tamen in ea sit aut fuit opinione, (quam & *Schrödero* arrisisse propemodum, jam alibi observatum est,) paucos reperiet, nisi Pontificios his ineptiis fidem habentes, qui adstipulentur. Neque ego, fateor, a contrariis argumentis invictis me patiar dimoveri, nisi, præter traditionem sublestam, rationibus solidissimis, ut id credam, prorsus conuincar.

f) Sufficit ejus, *qui filius & Dei & Mariæ* sit, factam mentionem esse dilucidam. Tantum necessarium erat, ut existeret fides, credentibus breviter præsertim fidei confessionem edituris, cui usui hoc Symbolum multo ab initio, quam nunc est, brevius inserviebat.

g) At filium Dei ex patre haud esse genitum, qui tamen sit ex Maria natus, in Scriptura S. *universa* non haberi, falsissimum est. Cogitet Lector vel descriptionem Christi Hebr. VII., qua ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, diversæ profecto respectu naturæ, dicitur, & dubiis protinus, si veritatem amet, non tricas, exsolvendum pollicemur.

mant; DEVM verum esse immensum & substantia infinitum: certe cum homo mortalis, & suis dimensionibus constet, & substantia finitus sit, rei autem finitæ ad infinitam, inducitur, nulla sit proportio, nemo non videt, DEVM cum mortali homine nullo pacto ita conjungi potuisse, a) ut ex utroque unum, ut vocant, suppositum fieret, oportet enim vel mortalem hominem immensum & substantia infinitum evasisse, vel DEVM dimensionibus obnoxium, & substantia finitum factum fuisse; b) quæ, nemo non videt (communi, quam dixi, Theologorum sententia posita,) quam non absurda modo, verum etiam prorsus impossibilia c) sint. Substantiam enim infinitam & substantiam finitam in unam coaluisse aut coalescere potuisse, d) quis, nisi certissimis argumentis e) victus, facile unquam dixerit, utraque naturam & proprietatem retinendo, quæ invicem penitus diffident, nec ulla ratione f) convenire possunt. At dicas: Quid mihi clamas absurditatem? Quid impossibilitatem objicis? An nescis, nefas esse dicere, Deo quicquam esse impossibile? An nescis etiam, rationem nostram captivam esse ducendam sub obedientiam fidei? Scio equidem, de illis S. Sanctum hæc locutum esse, quæ sunt vel fiunt, non quidem contra omnem naturam, sed præter naturam saltem: de illis vero, quæ simpliciter & omni modo sunt impossibilia, g) nequaquam verba ista protulisse. Quam enim amplius haberemus certitudinem in omni scientia & cognitione, si prima illa omnium principiorum principia & fundamenta nobis evertantur, quæ sunt: Quidlibet est aut non est. Et: Quacunque de re vera est affirmatio vel negatio. At hoc utique fieret, si diceremus, humanam naturam seu hominem cum divina essentia in unam personam coaluisse; si enim vere coaluit, aut mansit homo, aut non mansit. Po-

a) Satis nobis est, si voluit, & se voluisse pronunciavit.

b) Aut unum ὑφιστάμενον duabus naturis per divinam voluntatem constare, atque id ipsum θεάνθρωπον, ipsamque unionem ὁμολογουμένως μέγα, ut Apostolus addit, mysterium esse.

c) Non impossibilia, sed *incomprehensibilia.*

d) De aliis modis non disputamus, quam de *personali* unione.

e) Cujusmodi innumera præsto sunt, quibus λόγος (qui & ipse Deus paullo ante vocatus erat,) caro factus, Deus idem manifestatus in carne, nec non Filius hominis filius Dei esse dicitur. Et quæ sunt reliqua horum similia.

f) Rationem unionis jam sæpius, Script. S. præeunte, nominavimus genuinam.

g) At hoc ipsum præsertim de infinita Dei potentia demonstrare finitæ menti, non solum impossibile mihi videtur, quam, *supra id, quod scimus & intelligimus,* Deum facere posse, certum sit, &, de unione divinæ naturæ cum humana in Christo personali id demonstratum esse nego ac pernego.

Posterius neminem dicturum puto. Si mansit, aliter sane fieri non potuit (cum divina essentia sit immutabilis,) quam ut illa humana natura mutata, ac ita immensa & substantia infinita facta, cum divina essentia coadunita fuerit. a) Si hoc, non amplius erit vere humana natura, aut homo: ad hominis enim essentiam pertinet, ut sit circumscriptus loco, terminatus superficie: dicere autem, non esse circumscriptum loco, non terminari superficie, est dicere, hominem non esse hominem, & sic natura negatur esse natura, & proinde omnis scientia destruitur & convellitur, primis principiis destructis. b) Quod, an fieri debeat, aut, an DEVS etiam hoc fieri velit, ego aliter non possum, quam vehementer dubitare, sunt enim hæc contraria, ut omnes vident: DEVM autem nec posse nec velle contraria, etiam in Theologia verissimum & in proprium (forte, *indubium*) est. Et hoc principio c) nititur omnis reconciliatio locorum in speciem repugnantium in S. Theologia: & contradictionis d) impossibilitas est principium nulli scientiæ proprium, sed omnibus commune: Et hæc necessitas impossibilitatis causa est necessariæ existentiæ & æternitatis Dei. Quia enim Deus est ens simpliciter; idcirco nunquam potest non esse, ne simul sint contradictoria: Ens, & non ens. Sed quid multis opus est ambagibus? Annon enim omnes e) fatentur, ubi de satisfactione Christi pro peccatis nostris sermo est: Deum sine satisfactione illa, quam ni Christus præstiterit, non potuisse ignoscere hominibus, impediente nimirum ejus justitia? f) Aut igitur hac ratione, injuria fiet omnipotentiæ Dei; aut debet concedi, omnipotentiam Dei non

a) Non mutata dicitur a Sp S., sed *assumta* & cum divina unita. Facta enim est non filius Dei, sed filii Dei personaliter conjuncta, atque hoc sensu coadunita natura. Idque fieri potuisse, si filius Dei se ultro cum illa natura tam arcte unire, eamque conservare integram voluit, quid prohibeat, non perspicio. Glaucomata igitur hæc sunt pueris objicienda; quæ tamen vel illos etiam repudiaturos puto, qui nondum ære lavantur, dummodo dicta illa classica Ebr. II. & Joh. I. (quæ sane a teneris ediscuntur,) cognita habeant.

b) Quid opus his ambagibus? Cum Eutychianis hæc disputanda fuerant homuncioni huic, rationis indomitæ argumentis tam invictis, ut putat, instructo. Nostros aliter sentire noverat sane, aut, si non novit, mirum haud erat, eum in tam tetros errores *Socini*, ignorantia veritatis, nondum penitius & solide ex Scripturis divinis cognitæ, juvenili impetu *sub primam lanuginem* (vid. supra Cap. II. §. 14.) descivisse.

c) Satis firmo & inconcusso divinissimoque *oeconomiæ salutis nostræ* fulcro, quod ne labefactavit quidem *Dümlerus* his argutiis, tantum abest, ut destruxerit.

d) *Nunquam* ostensa est, nec *ostendetur contradictio* vera.

e) Ita certe *nostri*, & recte quidem.

f) Essentiali & naturali, h. e. ipsa Dei natura. Neque enim est arbitraria.

non ita absolute esse accipiendam, sed esse quædam, quæ Deus non possit, a) etiam Theologice loquendo. Non pertinet autem huc, nec quicquam officit exemplum Christi ex virgine nati, pro asserenda illa duorum contrariorum mutua inter sese, ut ita dicam, compatientia. Non enim idcirco violatur illud; Hominem nasci ex conjugio maris & fœminæ, quia Christus natus est ex virgine. Et non sunt contradictoria: plerosque nasci, aut ordine naturæ omnes nasci ex semine virili: Et Christum, ita gubernante superiori causa, b) non esse natum ex conjugio maris & fœminæ. Contradictoria autem essent, Christum natum esse ex conjugio; Christum non esse natum ex conjugio. Aut: Christum naturaliter non esse natum ex conjugio, Christum non naturaliter non esse natum ex conjugio, naturaliter vero nasci ex conjugio, & non naturaliter non nasci ex conjugio, non sunt contradicentia. Fateor, præter naturam h. e. præter naturæ ordinem & cursum multa fieri posse a caussa superiori: Vt est: ambulatio corporis gravis super aquis, & similia; Sed ea contradictionem non implicant. Petrus ambulavit super aquis, non virtute sui corporis, sed mersus potius est virtute corporis sui. At vis naturæ fuit prohibita a causa potentiori; & ipsum esse corporis gravis non fuit destructum, neque necesse fuit simpliciter, ut desineret esse grave, si aliena virtute super aquis sustentari deberet, sed hoc necesse foret, si propria virtute super aquis sustentari diceretur. Ergo si sua natura ambulasset, & sua natura fuisset mersus Petrus, jam fuisset simul gravis & non gravis, & ita hoc contradictionem implicaret. Igitur, ut hoc tandem concludam, si præter naturam aliquid fieri aut factum esse verbum divinum afferat, illud ambabus manibus erit apprehendendum, quia naturam non evertit, sed tantum impeditam aut cohibitam significat. Contra naturam autem (h. e. ut aliquid simul suam naturam retineat & exerat, & tamen id ei tribuatur, quod eandem plane exuisse cogat,) aliquid fieri vel factum esse S. Scripturas asseverare, non credere possum; &, si asseverare viderentur, aliter sane explicandæ essent. Hæc igitur impossibilitas absurditatem, hæc absurditas dubitatio-

a) Quin se ipsum abneget: Sibi enim ipsi, cum sit *Ens harmonicum*, nunquam contraria agit, & agere potest, per infinitam sui ipsius perfectionem, non legem externam.

b) *Abi & fac* (seu judica de cæteris mysteriis, a *Socinianis* impetitis, rerumque finitarum natura oppugnatis divinis infinitæ potentiæ, scientiæ, præsentiæ ipsiusque adeo essentiæ veritatibus atque documentis,) *similiter*.

tationem & horrendam de divinis literis diffidentiam inducit. a) Nec verisimile est, sanctissimam & sapientissimam Jesu Christi religionem ejusmodi esse, quæ absurda plane & cum ratione vera ac sana in totum pugnantia contineat. Et bene mihi heic incidit, quod propterea *potissimum* b) papistica sententia de carne Domini ab orthodoxis rejiciatur, quod absurda sit & rationi omnino repugnet, & hoc quidem satis recte. Quod si hoc ibi valet, quidni etiam valeat in aliis ejusdem farinæ? Sed revertamur ad propositum, & amplius de ista Dei incarnatione videamus. Constat autem inter omnes Philosophos & Theologos, eum esse Deum, eamque ipsius substantiam, cui nihil unquam accidere possit, alioqui nec primus, solus & sempiternus motor, nec omnis prorsus alterationis & corruptionis expers suapte natura c) foret: Denique summus omnium rerum Princeps DEUS non esset. At vero Deum humanam naturam ita induisse, vel assumsisse, ut una cum ea indissolubiliter junctus fuerit, adeo, ut ita consideratus, in tertium d) quid evaserit, non solum esset aliquid ei ejusque substantiæ accidisse, e) sed maximi momenti rem amisisse. Nam & de Deo id nunc vere prædicari posset, quod antea nullo modo poterat, videlicet, illum esse hominem h. e. rem ab ipsius natura alioqui penitus disjunctam & abhorrentem; & substantiæ divinæ post infinita secula alia substantia, & quidem in personali unione, ut fatentur, accidisset, ejusque consors illa facta fuisset. Addatur; quod isthæc conjunctio inanis etiam & super vacanea videri possit; vel etiam illud efficiat, quod, & cogitare saltem, horrendum est; DEUM scil. vere & reipsa, non

a) Multa hisce declamat de contradictoriis, quæ fieri non possint, *Dümlerus;* qualia tamen esse, quæ ad Christi *incarnationem* personamque atque officium ejus pertinent, nondum probavit.

b) Falsum id est. Sunt enim e nostris, qui argumento hoc vel plane non utuntur, vel, quod plerisque usu venit, inter postrema rejiciunt: de qua re supra jam ad Vogelianam Confessionem quædam annotata sunt.

c) Nec alterata nec corrupta est divina per incarnationem Filii Dei natura, quia assumsit, humanæque naturæ *communionem* hypostaseos suæ, cum idiomatibus, personaliter itidem & per unionis gratiam dedit. Hanc vero *perfici* potuisse, *illam perficere*, quis dubitet? *Reciproce* autem id factum ita esse, tametsi *terminus* unionis utramque naturam attineat, nemo inquit. Cum larvis itaque luctatur *Dümlerus*.

d) Non tertium quid (proprie) hinc ortum, sicut ex unione inter corpus & animam nostram. Hæc enim in hominibus unio essentialis est, partium incompletarum per se, & ad hanc compositionem per naturam suam destinatarum. Illa personalis.

e) Falsum, si de *accidente intrinsecus perficiente* loquatur adversarius. Unio enim hæc *subjective* in humana natura est; divinam autem ut *terminum* respicit. Hæc *dat*, illa *accipit*, & tamen manet personalis relatio mutua, qua rem, non qua modum.

autem per idiomatum communicationem tantum a) [ut loquuntur] paſſum fuiſſe, & humanas miſerias mortemque ipſam expertum eſſe. De hoc poſteriori primum ſic videamus. Fateri certe oportet, ſi iſtam ſubſtantiæ divinæ cum humana conjunctionem fruſtra omnino factam fuiſſe nolimus, fateri, inquam, oportet, per eam aliquid effectum fuiſſe in alterutra, b) ſive in utraque earum ſubſtantiarum. Sed quia in humana nihil hac ratione effectum eſt, ut ſtatim dicetur, ſequitur, ut in divina id contigiſſe dicamus. Illud vero aliud eſſe non poteſt, quam humanæ ſubſtantiæ ſive naturæ qualitates c) eam ſuſcepiſſe, adeo, ut ſaltem aliqua ex parte vel alterari vel corrumpi d) potuerit, quod quidem horribile penitus eſt. Et hoc ipſum ſatis probant Theologi, quando quidem DEVM ipſum Cœli & terræ conditorem & eſurire & ſitire, & defatigari & frigere & calere & dolere & affici, & mori denique noſtrum cauſa voluiſſe dicunt, ſed addunt, hæc vere & proprie dici non poſſe, divina ſubſtantia ea omnia penitus refugiente, ſed verbotenus tantum & per ἀλλοίωσιν, e) ſive, ut vocant, idiomatum communicationem, (quam ipſam tamen mihi non ſimpliciter aſſeri, ſed probari ex ſcripturis ſacris f) velim.) Intelligi itaque poteſt, non ſolum per ejusmodi conjunctionem nihil in natura ſeu ſubſtantia divina effectum g) fuiſſe, ſed etiam omnes hac de re altercationes prorſus inanes h) eſſe. Nunc ne in humana quidem natura ſeu ſubſtantia, aliquid

Es haben beede daran theil, ſed diverſo modo. Cæterum μυϛήριον id eſſe σιωπῇ, ut *Ignatius* inquit, honorandum, cum fateamur, fatemur ſimul, omnes ejus rationes diſtincte nos enumerare aut evolvere haud poſſe in hac mortalitate.

a) Immo, quia per idiomatum communicationem, reapſe. Eſt enim *eadem perſona, quæ Deus & quæ mortua*, liceat non ſec. eam naturam, ſec. quam Deus eſt, mortua ſit. Ipſa Scr. S. Dominum gloriæ & Principem vitæ eſſe crucifixum, ſed ſimul mortificatum *in carne*, cum reſtrictione & explicatione, inquit.

b) Et quidem definite in humana, *quæ perfici potuit.*

c) Non qualitates &c. ſuſcepiſſe tantum, ſed aſſumſiſſe *perſonaliter*, ut & ipſe homo eſſet, παραπλησίως nobis ſimilis, dicitur.

d) Nihil alterationis acceſſit, quia in Deo divinaque Filii Dei natura intrinſecus, præter *relationem & terminum unionis perſonalis*, nihil ei additum eſt. Corruptio autem locum non habuit, quia nihil accepit, ſed per unionem dedit humanæ naturæ h. m. perficiendæ, & perfectionis unice capaci.

e) Seponatur tantiſper ἀλλοίωσις ambigua, & in communicatione idomatum unitateque perſonæ, (illa enim ex hac profluit unione,) ſubſiſtatur.

f) Probatur iisdem Scripturæ dictis, quibus unio perſonalis & formulis loquendi Scripturæ notiſſimis, quas repetere, nihil attinet.

g) At eam tamen, ſeu Filium Dei potius, humanam naturam ſibi univiſſe aſſumtam certiſſimum manet.

h) Dümlerianas ſane, qui, neſcio quam, alterationem in Deo factam h. m. ſibi finxit.

aliquid per se, per conjunctionem istam cum divina, effectum quoque fuisse ex eo manifeste apparet, quod in homine illo Jesu Christo nihil, excellentissimum licet & divinissimum & humanam naturam longe transgrediens, reperiri potest, quod ab ipsius Patre, cujus personam minime ea ratione cum homine conjunctam fuisse, omnes fatentur, illi datum a) non legamus, (sive enim sanctitatem vitæque innocentiam spectes; vide Joh. X. v. 35. Rom. VIII. v. 3. sive rerum humanarum & divinarum scientiam Joh. III. v. ult. Matth. XI. v. 27. Luc. X. v. 22. Joh. VIII. v. 28. & cap. XV. v. 8. sive admiranda faciendi potestatem Joh. V. v. 36. sive dominationem atque Imperium in universa Heb. II. Philip. II. Matth: XXVIII. sive demum, quod omnium maximum est adorationem & invocationem. Joh. V. v. 22. 23. b) Nihil autem præterea in eo homine, quod humanam conditionem exuperet, inveniri posse certum est.) Quod si igitur omnis ista dignitas ex Dei Patris beneficio in Christum redundavit; Ergo non habuit illam propter conjunctionem c) istam divinæ personæ admirabilem, & sic nec satisfacere potuit conjunctionis illius beneficio. Prætereaque (quod alterum est membrum proxime antegressæ assertionis) supervacanea prorsus fuit ista divinæ substantiæ sive naturæ cum humana copulatio, si humana a divina natura nihil, sed omnia a Deo Patre, d) qui ei hypostatice junctus non fuit, accepit; quando quidem omnia commodiori & compendiaria quadam via effici potuissent, e) DEUS autem & natura nihil superfluum aut frustra facere soleant. Nam si illa persona aut potius natura, ut volunt, humana Christi omnia omnia præstantiora, quæ habuit, ex sola divina virtute & potentia, Sanctique Spiritus operatione accipere potuit, sicut eam accepisse modo demonstravi-

a) Ita est, sed *cum unione & per unionem* datum id esse, ad quam etiam Pater cum Sp. S. concurrit, *efficienter*, (etsi terminative & *hypostatice* filii sit,) fatentur.

b) Putide perfectiones *habituales* & *unionis* confunduntur. Illæ naturales sunt, hæ *communicatæ*, per id, quod tota plenitudo in Christi humana natura habitat σωματικῶς. Col. II.

c) Imo *ita* habuit & accepit *diviniora* illa *idiomata*, quia *per unionis gratiam* consecutus est, ad communem in una persona θεανθρωπικῇ possessionem, &, quæ sunt ἐνεργητικὰ, usurpationem, sapienter, sec. oeconomiam consiliorum Dei, quando & quomodo ei placeret, atque e re nostra esset, exercendam. *Patri* autem accepta hæc, sæpius jam dictum est, *cur* Christus retulerit, neque ea, ne actum agamus, repetere necesse est.

d) Et a Patre & a filio & Sp. S. (cujus etiam *unctio* interdum dicitur,) accepit *efficienter*, a Filio solo *hypostatice*: qui solus in subsistentiam suam H. N. assumsit.

e) Scil. si *Dümlerus* a Deo in consilium de nostra conciliatione cum Deo adhibitus fuisset. Impia audacia!

ſtravimus, quid opus a) fuit, Deum ipſum ineffabili quadam ratione illi conjungi? & ſiquidem iſtæ duæ naturæ in Chriſto ita fuerunt conjunctæ, ut neutra tamen cum altera miſta vel confuſa fuerit, ne minima quidem ex parte, quid igitur per conjunctionem illam eſt effectum, quod absque ea, ſola Dei vi & gratia, effici non b) potuerit? Quanquam quid ex illa miſtione & confuſione, (ſi fuiſſet facta) conſecutum fuiſſet, præter id, quod Deus ipſe ſola potentia & favore ſuo c) præſtare potuiſſet, nec videam, nec quemque oſtendere poſſe perſvaſum habeam. Sed videamus, ſi facta omnino fuiſſet, quantam utilitatem miſeris peccatoribus præſtitiſſet. Et oportuit ſane, ut dicitur, divinæ juſtitiæ de humanis ſceleribus cumulate ſatisfieri? Concedamus. An propterea ipſemet Deus iſtas d) pœnas perſolvere debuit? Abſurdum. Nam I.) id fieri nullo pacto e) potuit. Deus enim, ut jam dictum eſt, neque dolore affici, neque paſſiones aliquas f) experiri poteſt. Deinde, nemo ſibi ipſi aliquid ſolvit; neceſſe eſt enim omnino ſatisfacientis perſonam ab eo, cui ſatis fit, diſtingui & ſeparari, alioqui nemo, veram ſatisfactionem factam fuiſſe, ſibi ipſi penitus perſuadere poterit. g) Nec eſt, quod aliquis dicat heic: In divinis aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filii, & iccirco Patri a Filio vere & plene ſatisfieri potuiſſe, utpote qui ſolus humanæ naturæ hypoſtatice junctus fuerit. Nam, ut nihil de iis, quæ ſupra fuſe ad hanc rem dicta ſunt, nunc repetam, quæro

a) Immo opus erat, quia *vel non potuit* divina illa ipſiſſima idiomata accipere, quibus ad opera communia θεανδρικὰ opus fuit, *vel noluit Deus aliter*, quam interveniente tali unione, ſalutem noſtram, propter comminationem fœderi operum annexam, procurare. Prius (notum enim eſt, quosdam diſſentire,) & nos approbamus.

b) Id quod noſtri κοινοποίησιν vocant, qua ex hac unione ἀποτελέσματα, h. e. officiorum Chriſti actiones & beneficia ſalutaria nobis orta ſunt, ſine quibus, conferente utraque natura, quod ſuum erat, *conjunctis* nunquam ea expectari potuiſſent. Sanguis enim filii Dei, non meri hominis, emundare nos a peccatis & poterat ſolum, & debebat, & niſi Deus ipſe ſanguine ſuo redemiſſet Eccleſiam, ut Paullus docet Act. XX. nunquam ea redemta pretio modoque ſufficienti fuiſſet.

c) Arbitrario videlicet, quod negamus, & juſtitiæ ejus eſſentiali repugnare, oſtendimus alibi.

d) Utique; quia infinitæ, Deoque infinito placando, compenſandæque ei illatæ injuriæ ex objecto æſtimatæ, æquivalentes requirebantur.

e) Falſum, in aſſumta unitaque perſonaliter humana natura (ἐν σαρκὶ αὐτοῦ) & incarnatus poteſt.

f) Ut Deus formaliter, idem tamen, qui Deus perſonaliter & per communicationem idiomatum, ex unione illa perſonali fluentem.

g) Hæc ad oeconomiam δικαστικὴν divinam, de qua Scriptura pasſim, referenda & ex ea explicanda ſunt; unde & ſibi ipſi & Patri, judicis partes ſuſtinenti, ſec. illam οἰκονομίαν, ſatisfeciſſe dicitur.

quæro ſaltem, annon & Filii perſonæ ſecundum hanc doctrinam ſatisfaciendum fuerit, in quam ſcil. non minus, a) ac in perſonam Patris, homines peccaſſent? Nonne enim (ex hypotheſi loquor) JeſusChriſtus eſt ille unicus Deus noſter, cujus majeſtatem, quantum in nobis fuerat, ſceleribus noſtris fœde imminueramus? b) Sed (hisce paucis indigitaſſe potius rem, quam explanaſſe contenti) procedamus ad alia. Et operæ pretium quidem valde videtur, Chriſti vitam per continuos quosdam ætatum ſucceſſus, & per actiones ejus præcipuas inſpicere, declarationis uberioris cauſa. Sumamus igitur initium a præconio nativitatis ejus Luc. I. Pater cœleſtis legavit Angelum, nunciaturum virgini nativitatem Filii ſui. Angelus virgini rationem pariendi ſciſcitanti exponit. S. Sanctum nimirum ſuperventurum in eam, & virtutem altiſſimi inumbraturam illi, de Filii illius æterni, qui ex Patre ab æterno natus eſſet, operatione aut cooperatione nulla c) heic mentio. Quod ſi erat jam aliquis ejus nominis, nonne oportuit in legatione exponi, quid & ille operaturus eſſet? nam duorum muneribus expoſitis, ſi quis tertius ejus ordinis eſſet, ipſius quoque munus exponendum fuerat. Atqui de illo tertio non aliud d) dicitur, quam eſſe naſciturum, non igitur tum Filius Dei fuerat, ſed tunc primum apparuit mundo, cum ex virgine natus eſt, quem quidem nuncius dixit in futuro vocandum eſſe e) Filium Dei, non ob eam cauſam, ut eo loco apparet, & ſupra ego monui, quaſi Filius Dei ab æterno natus uniendus ei eſſet, ſed quod naſciturus eſſet virtute altiſſimi obumbrante, f) & S. Sancto ſuperveniente. Jam quid illud eſt huc? II.) Cum Chriſtus in templo inter Magiſtros ſedens, Matri & Patri expoſtulantibus ob ſui deſertionem, ſic reſpondet. Quorſum, inquiens, me quærebatis? an

 neſci-

a) Ita eſt.

b) Quid vero hinc abſurdi elicies? Ipſe *Paullus* hoc aſſerit. 2. Cor. V. 18. Cum hoc ergo in cœlis talia edocto tranſigas, *Dümlere!* Nec difficile id erit, modo perſonam & officium Chriſti diſtincte, cum oeconomia, ut diximus, divina & judicii divini, rite conſideres, diſtincteque de ſingulis judices, & vel Senatus Collegio a Collega placato, quod ſæpe jam monitum eſt rem ſatis dilucidare, illuſtres. Ut alia taceamus.

c) Eſt mentio facta; *Virtus* enim *altisſimi* eſt ipſe Filius Dei, primogenitus & unigenitus. Quæ operatio filii tanto minus negari poteſt, quo clarius etiam Hebr. II. 14. ſeq. *aſſumſiſſe*, & *participem* factum eſſe carnis ſeminisque Abraham dicitur.

d) Et hoc, & prius, ut, quis ille eſſet, quem naſciturum prædiceret Angelus, intelligi poſſet.

e) Notisſimum eſt tritisſimumque, τὸ *vocari* ſtylo Script. S. idem denotare creberrime, quod *eſſe*.

f) Obumbratio hæc ſeu ἐπισκιασμὸς nihil aliud eſt, quam *illapſus* ille *divinisſimus*, quo *Filius Dei*, clam & nemine advertente, uterum matris ſingulari operatione in-

nesciebatis, mihi agenda esse Patris mei negotia? Cur Patris tantum a) meminit? an non & ipsiusmet negotia illa fuere? siquidem persona illa, quæ cum Patre unitate essentiæ conjuncta est, in illo erat? An vero forte Patris vocabulum hoc loco denotat totam Trinitatem? b) alibi aliud; & iterum aliud? sane, nisi hoc est confundere, nescio, quid sit: Patris personam, personam dico, non essentiam, pro Filii & S. Sancti persona poni? Porro resurrectionem Christi a morte Deus effecisse memoratur multis in locis scripturæ. Galat. I. Paullus (inquit ipse) Apostolus per Jesum Christum & Deum Patrem, qui eum excitavit a mortuis, cujus nos omnes sumus testes, & alibi sæpius, &c. Cur in omnibus istis locis, aut saltem in aliquibus, non se quoque Christus excitasse dicitur, c) siquidem natura illa Patri consubstantialis unita est in eo humanitati? Et dicit quidem Christus Joh. X. Potestatem se habere ponendi animam suam, & rursum eam sumendi, sed mox addit: Hoc præceptum se accepisse a Patre suo; Significans, potestatem hanc se accepisse a Patre. d) Quid multa? Paullus non alium novit Christum, quam illum, qui passus est, mortuus, sepultus, a morte suscitatus: e) eundemque illum hominem esse affirmat 1. Cor. XV. Inspiciamus etiam orationem illam Christi, vel potius, conquestionem aut expostulationem cum Deo in passione sua. Deus meus (inquit in cruce) cur me dereliquisti? An vero competunt hæc verba

gressus, illæsa ea, ejusque virginitate, naturam suam humanam assumsit, sibique copulavit. Neque enim ἐπεξήγησις h. l. admittenda est, &, quia alibi hujus operationis, uti p. a. dictum, sit mentio, heic filii assumentis nullam omnino memoriam occurrere, vix credibile est.

a) Eam ob caussam, quod sæpicule jam observatum est, ut *oeconomiæ divinæ* in *statu* præsertim *humilitatis* haberetur ratio. Alibi certe templum illud ipsius *Angeli fœderis*, Malach. III. 1. seq., dicitur esse.

b) Hoc qui affirmant, (quod in præsenti non tuebimur ex instituto,) nihil profecto absurdi docent. Non raro enim nomen Patris ita accipitur, v. g. Eph. III. 14. sq. & Christum, ut hominem, eo respicere potuisse, qui & *Deum suum* interdum illum nuncupat, minime absonum est.

c) Ratio hæc est, quia ἔγγυον, seu expromissorem, *a judice e carcere dimitti* oportebat, idque necesse erat Sp. S. testari, ut satisfactionem & *præstitam plene* atque ex asse, *&* *acceptatam*, judicemque per eam placatum esse, h. m. palam omnibus innotesceret. Conf. Es. III. 8.

d) Quanquam hæc verba epilogus sint, totius orationis antegressæ, si tamen ad postrema etiam referantur, satis ea demonstrant, Christum, quando vitam & posuerit ἀφ' ἑαυτοῦ, & pari modo receperit seu resumserit, id equidem *non sine patris voluntate*, sed ejus, totiusque Trinitatis, communi consilio factum, factum tamen ita esse, ut *vis atque potentia*, (a *potestate* hic notabiliter distincta,) Christi ipsius, h. e. non *adventitia*, *sed* essentialis seu propria & *insita* fuerit.

e) Neque nos alium, sed geminæ substantiæ heroem, quod sæpe jam inculcatum, agnoscimus.

ba ei, in quo eſt divina natura a) Deo Patri conſubſtantialis? Cum enim Chriſtus ad hunc modum expoſtulat b) cum Deo Patre, cum ſua quoque divinitate expoſtularet: a qua quidem divinitate ſua quomodo deſereretur? Quid, quod perſona Chriſti una eſt, & ea quidem, ut dicunt, divina: Cum autem actiones perſonis tribuantur, non naturis; ſequitur, ut hæc expoſtulatio tribuenda ſit naturæ divinæ: c) hæc autem quomodo a natura divina, ſeu ſua, ſeu paterna, deſerta d) eſſe intelligetur? Porro, quod Chriſtus uni Deo Patri gratias agit; quod ad ſolum illum preces fundit: quod filius illius opem implorat: annon ſatis oſtendit, ſe illum ſolum e) Deum agnoſcere? nec ſibi quicquam eſſentiæ divinæ tribuere? Oratio etiam illa a Chriſto ter repetita Luc. XXII. Pater ſi vis, transfer a me calicem iſtum, quid ſibi vult? Annon his verbis aperte Chriſtus fatetur, ſe totum f) a Patre pendere? addit enim: Verumtamen, o Pater, non quod ego volo, ſed quod tu, id fiat. Si in Chriſto eſt divina natura Patri conſubſtantialis, cur non viciſſim audit a Patre: Tui eſt hoc arbitratus. Fili, fiat id, quod tibi libeat g) cunque? Et quid multa? Nonne Chriſtus totum id, quicquid eſt, & quicquid facit, Deo Patri fert acceptum; nullam interea faciens mentionem Deitatis ſibi unitæ? Sed dicas; te omnia hæc uno quaſi

a) Competunt ei, ſed ſec. illam naturam, ſec. quam non eſt Deus, verum in eadem perſona ſimul homo.

b) Non expoſtulat cum Patre, ſed ab inhabitante divinitate, Patreque adeo etiam ſuo, ſe non ſentire conſolationem ullam, ipſumque illud, *quod æternæ mortis apex eſt*, teſtatur.

c) Imo hoc ipſo non naturæ, ſed *perſonæ* tribuenda erit; ſec. quam vero naturam *formaliter* id paſſus ſit, aliunde, & ex ipſa quoque naturarum conditione, explicandum.

d) Non eſt ea deſerta, ſed ut homo ſenſit hanc iram Dei ſummam: Senſit autem θεάνθρωπος, at ſec. naturam humanam: Et tamen deſertio piacularis fuit, quia is, qui Deus eſt, etſi non ut Deus, illam pro nobis paſſus. pondus infinitum, ut vim expiatricem haberet, addidit. Perſonæ enim κοινὰ hæc ἀποτελέσματα, conferente qualibet natura, quod ſuum (eidemque congruens) eſt, accepta feruntur.

e) Chriſtum ergo *tanquam* θεάνθρωπον, & ut *in officio* μεσίτȣ peragendo *occupatum*, hic ſpectari ſpectandumque eſſe, hinc potius efficiatur, & *oeconomia officiorum*, in dicaſterio hoc divino perpetuo obſervanda, non negligatur.

f) In his quoque de Chriſto, *ut homine*, ubi de *morte* agebatur, & *conſilio* ſimul divino communi, collata *oeconomia* modo commendata *ſingulari*, cuncta intelligi & explicari debere palam eſt.

g) Erat hoc arbitratus Chriſti, h. e. conſilii cum Patre, ſec. divinitatem ſi filius conſideraretur, communis, ſed, ut Deum eum h. l. non loqui, verum ut hominem, non ſolum deprecatio mortis, & miſerrimæ quidem, quæ inſtabat, *hypothetica* tamen *voluntate* in *ſtatu exinanitionis* propoſita, ſed & aliæ circumſtantiæ evidentiſſime teſtantur. Quæ omnia ne fieri ex defectu virium exiſtimarentur, divinam ipſemet virtutem ſuam ſibi inhabitantem perſonaliter, per eandem naturam, miraculis inter hæc luculentis demonſtratam dedit.

quasi ictu velle subvertere, distinguendo inter tempora exinanitionis & exaltationis Christi. At quæ ista est exinanitio? Deusne reipsa a) ac vere se exinanire potest? Sane, nisi hoc ad b) oculum mihi demonstretur, assentiri nunquam potero. Quodsi exinanitionem istam concedam, ubinam vero probatum est, in Christo eam evenisse, & quidem in Christo c) tantum? Recurrendum sane erit ad priora. Ac ea quidem vis est ac virtus veritatis, ut in se, tanquam in circulum, d) semper recurrat.

Et hæc quidem aliquanto fusius pertractavimus, materia crescente sub manu. Nunc ea, quæ de Christo dicta sunt, in pauca veluti conferamus; postea de Sp. Sancto nonnihil adtexturi. Dico. Nullo modo fieri potest, ut is, qui vere ex fœmina natus, & postea mortuus fuit, idem ab æterno sit. At quis nescit, Christum Dei Filium vere ex fœmina, nempe virgine Maria, natum, & postea mortuum fuisse? fieri igitur nequit, ut Christus Dei Filius ab æterno fuerit. Si respondetur: non simpliciter, sed secundum quid, nempe secundum humanam naturam e) de Dei Filio id accipiendum esse, quando S. literæ dicunt, eum natum & mortuum fuisse. Ego, omissis illis, quæ jam disputata sunt, hoc adjungo. Quod, hoc stante, Dei Filius eodem tempore f) natus & non natus, mortuus & non mortuus dicendus fuerit; quod contradictionem implicat. Nec vero rem expediunt istæ duæ naturæ, nisi etiam duæ personæ in Filio Dei constituantur. Cum enim quis nascitur, aut moritur, ipsa illius persona nascitur aut moritur; g) ita, ut necesse sit, cum quis nascitur, personam existere, quæ antea non erat, h) id enim aliquem nasci est. Et cum quis moritur, per-

so-

a) Vrique; sed *non quatenus Deus*, verum qua homo. *Idem* tamen *qui Deus*, non alius.

b) Vox *Thomæ*, verbis Scripturæ & vel *Paulli* Phil. II. 3. seqq. revincenda.

c) In Christo sane, eoque solo, quia solus λόγος caro factus est, cui etiam soli, & quidem ut homini, l. c. & alibi illa ἀσθένεια (2. Cor. XIII. 4.) a Sp. S. adscribitur.

d) Non in circulum, sed ad primum incarnationis principium omnia redire, potius asserendum fuisset: quam qui negat, uti *Dümlerus*, perpetuo gyro non potest non circumagi.

e) Non æternam, sed *in tempore ad divinam τȢ λόγȢ naturam assumtam.* Non video, quid obstet, si Scriptura S. de una persona, uti quidem fit sæpiuscule, id testetur.

f) Adde *eodem respectu*, & sec. eandem naturam. Solum enim tempus rem non conficit, quanquam neque illud negligendum sit, ubi de vera contradictione agitur.

g) Recte; sed non sec. utramque naturam.

h) Sec. illam naturam, sec. quam nascitur. *Vt homo* autem Christus in tempore cœpit esse.

ſonam ejus deſinere, quæ antea erat: a) id enim eſt aliquem mori. Cum igitur non duæ, ſed una tantum Filii Dei perſona ſit, quis non videt, nullo modo fieri poſſe, ut Dei Filius eodem tempore natus & non natus, mortuus & non mortuus fuerit. Itaque ſi Filius Dei & natus & mortuus fuit aliquando; eodem illo tempore, b) eum nec natum nec mortuum fuiſſe, nulla prorſus ratione dici poteſt. Si iterum excipiatur: Divinæ naturæ reſpectu verum eſſe, quod illa tunc eſſe non cœperit, nec unquam eſſe deſierit. Ego ad hunc modum, ex iis, quæ modo concluſi, urgeo. Aut iſta divina natura eſt ipſius Dei Filii perſona, aut non eſt. c) Si eſt, & illa tunc eſſe non cœpit, cum Chriſtus Jeſus ex virgine Maria eſt natus, tunc etiam Filii Dei nunquam eſſe deſiit. d) Ergo Filius Dei nunquam eſt mortuus; e) Cujus tamen contrarium S. literæ apertiſſime teſtantur. Sin autem divina iſta natura non eſt perſona, nihil ipſius tantum reſpectu, de nativitate aut morte Filii Dei affirmari aut negari poteſt, cum certiſſimum ſit, Filium Dei eſſe perſonam. f) Quamobrem concludendum eſt, divinæ naturæ reſpectu ullo, dici non poſſe; Dei Filium ex fœmina non eſſe natum, vel non eſſe mortuum. Quod ſi Dei Filius omnino ex fœmina eſt natus, & eſt mortuus, idque veriſſimum eſt, veriſſimum etiam erit, Dei Filium omnino, id eſt, omni reſpectu, g) ab æterno minime reipſa fuiſſe. Verum ſi Filius Dei ab æterno non fuit, quomodo ex ſubſtantia Patris ab æterno generari h) potuit? Et hæc ita diſputavimus, ac ſi jam certum & indubitatum eſſet, in Chriſto duas naturas fuiſſe. Quod ſi, eo conceſ-

 ſo,

a) Eadem repetenda; non tamen in Chriſto utriusque naturæ unio perſonalis, & intra eam quoque ſoluto licet vinculo naturali, duarum partium ſolutarum & disjunctarum, tanquam in tertio quodam, conjunctio negligenda. Neque enim ut ψιλάνθρωπος, ſed ut θεάνθρωπος ſpectari debet.

b) Adde: & reſpectu ejusdem naturæ, at aliis, qua itidem, ut perſona σύνθετος, conſtat.

c) Natura eſt perſonæ natura, non perſona, ad quam & ſubſiſtentia requiritur.

d) Ita eſt.

e) Bene: *Ut filius* Dei, attamen ille, *qui filius* Dei. Vertigine perpetua laboras, Dümlere. Hoc teſtatur, poſterius inquam, Scr. S. non prius.

f) Eſt perſona, ſed non ſola divina, qua filius Dei eſt, verum etiam humana natura, qua filius Mariæ eſt, prædita. Prædicata hinc diverſa & diſparata diverſo reſpectu de eadem perſona συνθέτῳ enunciari poſſunt.

g) Hoc eſt, quod negamus inde conſequi, ſed tantum reſpectu ejus naturæ, ab æterno minime *eundem* fuiſſe, quo homo & natus eſt, nativitateque hac ſua cœpit eſſe.

h) Et fuit & genitus eſt ab æterno. Negata itaque priori falſa hypotheſi, aſſertoque priori, & hæc concluſio inſulſa corruet.

ſo, Chriſtum Dei Filium ab æterno fuiſſe, obtineri a) nequit, multo minus id obtinebitur, ſi iſtæ duæ naturæ in Chriſto non concedantur, ſicuti, per rationes ſupra allatas non concedendum, apparere poteſt.

DE SPIRITV SANCTO.

De S. Sancto, præter ea, quæ ſupra de ſimplicitate Dei allata fuere, b) hæc notaſſe ſufficiat. Primum. Quod is nunquam diſerte c) atque ad literam in Scriptura S. Deus appelletur, ſed tantum haud raro ea illi tribuantur, quæ Dei ſunt propria; vel, quod S. Sancto alicubi tribuitur, id aut ibidem aut alibi Deo tributum d) inveniatur. Cujus rei cauſa eſt, quod Spiritus S. virtus eſt atque efficacia Dei. Quod enim virtuti atque efficaciæ Dei tribuitur, id ſine dubio ipſi Deo tribuitur. Sed non eſt propterea Dei virtus & efficacia perſona aliqua divina: e) Sicut nec Dei bonitas, aut juſtitia, aut miſericordia, aliique Dei effectus aut proprietates ſunt perſonæ divinæ; alioqui multo plures etiam quam tres, eas eſſe oporteret. Sed ne nudum hoc, & ſine omni doctiorum conſenſu aſſerere videamur, repetamus quædam ex veteri memoria. Eraſmus, cum in aliis locis, tum in ſuo Eccleſiaſte lib. 4. de trium perſonarum divinitate diſſerens, ait: Dei nomen aliquando toti Triadi competere: aliquando perſonæ; idque vel Patri, vel Filio; affert ibidem exempla. Sed de S. Sancto non eſſe perinde in promtu exemplum, f) refert: idque etiam fateri Gregorium Nazianzenum in libris Theologiæ, dicentem. Nunquam

S. San-

a) Ex his non obtineri poteſt, filium Dei eſſe æternum; ſed ex locis, quibus eadem perſona habere naturam æternam, filiumque Dei eſſe æternum reſpectu iſtius naturæ, quam ei pater generando ab æterno communicavit, demonſtratur: quæ in præſentia repetere nihil attinet.

b) Vbi ſimul *compoſitio* a *pluritate perſonarum*, quæ in Deo uno non ſunt, ut eum componant, tanquam partes, diſtincta fuit.

c) Eo ſcil. modo loquendi, quem *Dümlerus* ſupra de S. Trinitate, ut eam eloqueretur, Script. S. præſcripſit petulanter. Eo modo ita diſerte appellari, uti Sp. S ipſi collubitum eſt, perſpicue nobis ſufficit.

d) Quæ ſi ſint eſſentialia Deo, quidni etiam communem Sp. S. divinam eſſentiam eſſe condocefaciant?

e) Niſi alibi & in his locis, ubi de virtute hac Dei ſermo eſt, doceatur eſſe virtutem ὑποςατικὴν ſeu perſonam, non meram proprietatem. Quod actiones Sp. S. demonſtrant.

f) Non ſtabit nec cadet *Eraſmi* auctoritate S. Trinitatis myſterium, quem virum multæ eruditionis fuiſſe & facundiæ, ſed religionis eclecticæ, i. e. vagæ & variæ, quis dubitet? Viam equidem hæreſibus, nominatim Arianiſmo, ſtraviſſe, affirmat *Maximilianus Sandæus*, cujus in *Grammatico profano* Vol. I. Comment. XIII. f. 488. multa reperias hujusmodi elogia; ſed quia id genus hominum judicia parum penſi

S. Sanctum aperte vocari Deum. Idem Erasmus de S. Hilario scribit; nunquam eum in libris, quos de Trinitate duodecim reliquit, scripsisse; adorandum esse Spiritum S., sed promerendum: a) nusquam ei nomen Dei tribuisse, nec aliud ausum de S. Sancto pronunciasse, nisi, quod Spiritus Dei sit. b) Idem Erasmus in libello de orando Deum, inter alia, ubi de precibus (collectas, quas vocant, intellige) ad Patrem & ad Filium, nunquam vero ad S. Sanctum directis, loquitur, sic inquit: Et Filius (intellige Christum) in Evangeliis frequenter orans, patrem alloquitur, Spiritum promittit, non orat. c) Quod si igitur I) Dei nomen nusquam S. Sancto tribuitur; nec DEVS, sed Dei Spiritus tantum vocatur. d) II) nullibi dicitur, invocandum e) illum esse aut adorandum, sed promerendum. III) Filius quoque, cum oraret, Patrem tantum appellavit; non oravit Spiritum, f) sed promisit. Quod si, inquam, hæc ita se habent, apparet utique, verum esse, quod in præsenti diximus. Et vero etiam constat; quod dubitatio de propria personalitate S. Sancti haud parum firmetur. Nolo autem heic prolixus esse, in multis argumentis afferendis & refellendis; ad loca enim ex quibus rationes pro S. Sancti Deitate ducuntur, si perventum fuerit, apparebit, quid cuique virium & roboris insit.

Nunc hoc etiam (quod secundum est) paucis probemus, S. S. Personam etiam nec vocari in S. literis, g) nec personam esse posse. Personam non vocari, tum per se apertum est, tum ex eo manifestius apparet: Quod non raro h) talia in scripturis sanctis illi tribuantur, quæ personæ neutiquam tribui possunt. Vt cum dicitur; Illum su-

habeo, Criticum fuisse meliorem ego dixerim, quam Theologum, atque hinc accedente insuper methodo Theologiam per jocum tractandi sane illaudabili, parum ejus auctoritati semper in hujusmodi argumentis tribuendum censui.

a) Ad hæc discutienda, repeti, quæ supra jam sunt *Peuschelio* eadem objectanti responsa, volumus.

b) Nobis ipse Sp. S. de se sublimiora testatus, potior est Erasmo atque Hilario.

c) Et hujus consuetudinis ratio supra reddita est. Sicuti etiam ex una officina hæc argumenta conquisita prodiisse patet.

d) Falsum: Reclamat Act. V.

e) Falsum: Refragatur cum clausula cap. XIII 2. Cor. epistolæ, ipsa nostra ad eum colendum, dum vivimus, perinde ut Patrem & Filium, in Baptismo, initiatio.

f) Conf. not. c. ne actum agendum sit.

g) Concedimus (quanquam Panim in V. T. non sint negligendi Deo tributi, & in benedictione quoque Ecclesiastica distincte nominati,) quantum ad has syllabas, qua *rem* ipsam, negamus. Quorsum enim spectat vox *alius*, qua Sp. S., ut a Patre & filio distinctus, appellatur. Ut tres Johannis testes sileam.

h) Immo frequentissime & fere semper, nisi quando de donis ejus sermo est, atque manifesta sunt metonymiæ indicia.

per aliquo manere; a) super aliquem effundi; de illo effundi. b) Cum dicitur datus esse; aut aliquid de illo, vel etiam non secundum mensuram datus; Et similia. c) Quæ, sicuti de rebus, tam in quotidiano sermone, quam in S. literis usurpantur, ita de personis eadem proferre, d) ἄτοπον videtur & inconveniens. Sed demonstremus tamen firmiter, personam illum non esse. Dico igitur, ex eo, quod S. Sanctus Dei Spiritus est, apparere manifeste, illum personam non esse. Nam propterea S. Sanctus Dei Spiritus est, quod naturaliter e) in Deo est. Et Paulus 1. Cor. II. v. 10. Dei Spiritum cum Spiritu confert, qui in homine est, nempe naturaliter; quod facere non posset, nisi similiter Dei Spiritus in ipso Deo naturaliter f) esset. Jam vero, cum Deus, cujus g) S. Sanctus est Spiritus, persona sit, eaque ab ipso S. Sancto distincta (alioqui esset S. Sanctus sui ipsius Spiritus) necessario sequitur, S. Sanctum personam non esse: aliter enim una persona in alia naturaliter h) esset, quod nulla ratione fieri potest. Id quod (quatenus ad postrema hæc verba) etiam illi ipsi, qui secus sentiunt, satis luculenter verum esse ostendunt, dum personas in essentia divina, aliam ab alia gigni, spirari docent, & generatione aut spiratione illarum essentiam, quatenus personæ sunt, consistere, aliamque ab alia una cum ipsarum operationibus, ab intra (ut loquuntur) manifeste distinguunt. i)

Et

a) Manere Sp. S. ratione personæ omnipræsentis, sed *singulari gratia constanter uniri* sanctis, quid prohibet?

b) Dona his verbis, connotata tamen simul præsentia Sp. S. substantiali, hisce designari, in confesso est.

c) Quis negat metonymiam interdum locum habere?

d) Eadem tamen dona personæ sunt, de qua alibi, ut personæ, sermo est dilucide. Distinguantur igitur *notiones diversæ*, & res erit in vado.

e) Non ut virtus proprietatis in modum, sed ut *persona* a *Patre & filio spirando* orta, sic n. Christus ipse testatur.

f) Similia non omnino, sed qua *tertium comparationis*, quod h. l dicitur esse, *nosse intimos Dei & hominum recessus*, conveniunt. Qua cætera possunt esse & solent dissimillima. Aliud certe de Sp. S. ipse Deus alibi docet.

g) Si, Dei Spiritum esse, idem sit, quod Spiritum esse in Deo, aut divinam eamque, ordine originis, tertiam personam, atque adeo vocabulum Dei *personaliter* accipiatur, tunc expedita erit difficultas, neque etiam, cur Sp. S. non sit sui ipsius Spiritus, deinceps arduum erit intelligere. Personam vero non esse, tantum abest, hinc ut consequatur, ut potius hæc ipsa origo, cum origine generationis comparata, (ab ea licet alioquin distincta,) personam esse arguat.

h) Ambigua vox, quæ de unitate naturæ verissime id dici posse permittit; modo quodam naturali non item; nisi forte liberæ & arbitrariæ origini naturalem opponas.

i) *Personaliter*, salva essentiæ communicatæ & communis unitate.

Et hæc hactenus ita disputata sint de eo : An Deus ille noster, Deus Israelis, sit unus in Essentia, & trinus in personis. Vbi primum in genere, postea etiam de Filio & S. Sancto in specie, quædam locutus sum, quæ (fateor ingenue) ita me vincunt, intus & in animo meo, ut hactenus contra tam apparentem a) veritatem, sacrarum literarum auctoritate, b) ac sanæ rationis satellitio c) stipatam, nihil vel dicere vel credere ausus sim. Quod si tamen est alia verior firmiorque sententia (quam sane non nisi unam esse, omnes fatentur) & illa mihi pariter demonstrata fuerit, næ ego palinodiam lubens canam, & hanc meam, quam hactenus retinui, tanquam erroneam, exultabundus d) valere jubebo.

Vos Reverend. & Clariss. viri, qui ætate, autoritate, doctrina & munere docendi Ecclesiam Dei demandato valetis, hæc mea qualia cunque, sereno vultu ac voluntate a me accipite, legite, perpendite. e) Si quid in ordine forte peccatum, pro vestra humanitate condonate; fuerunt interdum nonnulla necessario reassumenda. De satisfactione autem peculiariter heic addere nolui, præter ea, quæ intermista sunt in illis de persona Christi. Ecquid adeo erat necesse? Siquidem ruente uno, ruet & alterum : stante priori, posterius forte citius expedietur. f) Sic mihi Reverend. & Clariss. viri, bene & feliciter valete. Quibus a Deo Patre nostro, & Jesu Christo ejus Filio, omnia fausta & beata precor. Datæ Altorfii. 27. Novemb. An. salutiferi partus. 1615.

Vestris Reverend. Dignitat.
omni studio & observantia deditus
NICOLAVS DVMLERVS &c.

a) Reveta apparentem tantum, non ἀληθῶς talem.

b) Parum Scripturæ, eorumque male de tortorum, plurimum me rationis & metaphysicarum ex rebus finitis speculationum audire memini.

c) Non satellitio, sed dominio, imperio ac magisterio, male supra & contra Script. S. ei tributo.

d) Immo fugitivus & perfidus homo, si serio hæc scripsisset, responsionem expectasset, neque ex angulo illo Poloniæ, quo se abdidit miser, suo malo corvos delusisset hiantes.

e) Verba sesamo consperſa, sed vapidam sub pectore vulpem, cum pertinacia conjunctam incredibili, ut tegerent excogitata.

f) Quod quidem unicum assertum *Dümleri* probamus, eidemque, si quidem resipuit, de quo magnopere dubitamus, ut ex his dubiis omnibus expeditus salutis compos sit factus, toto pectore precamur. Sin minus, misericordiam decepto ab aliis homini in die judicii optamus quidem, at impetraturum, vel ob S. *Johannis* verba: Qui filium non habet, (uti patefactus nobis est,) nec Patrem habebit propitium,

SVM

VALENTINI SMALCII. a)

ANNVS FATALIS BELLI GOTHANI CONTINETVR VOCABVLO DILVVIVM M. D. LXVII.

EX AVTOGRAPHO. b)

NAtus ſum *Gothæ*, quæ eſt urbs Provinciæ Thuringiæ celeberrima A. 1572. die Lunæ duabus ante Feſtum Pentecoſtes ſeptimanis, quin-

vix ſperamus. Tu, Domine, Deusque Trinune conſerva nos in veritate tua, quia verbum tuum veritas eſt.

a) Hujus libelli non ſolum eo nomine integrum, ut S. Reverend. Polyhiſtor, *Th. Creenius*, eum perbenigne nobiscum communicavit, viſum eſt typis denique ſubjicere contextum, quod, fidem ejus rei facientibus cunctis, quæ *Diario* hoc continentur, in privatum uſum, memoriæ juvandæ cauſſa, narrationibus, aut, ſi malis, annotationibus, non ſolum evidentiſſime Scriptoris ſinceritas, quem profecto ſibi ipſi fucum non voluiſſe facere, credibile eſt quam maxime, apparet; ſed etiam, quæ ſint inter *Socinian.* geſta, inde ab incrementis hujus cœtus luculentioribus, usque ad decrementa paullatim imminentia, pleraque compendioſe idem exhibet: ea potiſſimum, quibus ipſe *Smalcius* mirum in modum ac præter cæteros ſedulitatem ſuam, in provehendis rebus *Sociniani* cœtus utcunque ſtabilitis, approbavit ſodalibus. Etenim vix *Synodus* aliqua commemorabilis celebrata fuit, aut Viſitatio Eccleſiæ inſtituta, cui non interfuerit ipſe, immo præfuerit etiam, nulla ſive tempeſtatis incommoda, ſive valetudinis & inſidiarum diſcrimina, formidans, ſed pertinaci ſtudio pro errore in animo ſuo altiſſime defixo moleſtias innumeras, cum periculo vitæ præſentiſſimo ſæpenumero conjunctas, alacriter ſuperans, ac pæne dixerim devorans. Vnde, quanta ipſe pervicacia hæreſin hanc, quam tueri inſtituerat olim, ad extremum usque vitæ halitum defendere, & pro ea propugnare laborarit, non ſolum effici poteſt, ſed etiam, quæ fuerit veneni iſtius, animis rerum novarum cupidis, & rationi ferocienti indulgentibus inſtillati vis, blanda pariter ac fatalis, intelligitur. Quod ſupereſt, *Adverſariorum* quoque *Smalcii Lubienicius* in *Hiſt. Reform. Polon.* L. III. c. XI. meminit, ex quibus de Eccleſiis *Photini* placita conſectatis in *Dacia*, eorumque ingenti copia, decerpta quædam ad A. 1678. exhibet, quæ, hiſtorici ea potiſſimum argumenti fuiſſe, fidem faciunt. Sed quorſum iſta pervenerint, aut ubi etiamnum lateant, neſcitur. A noſtro certe hoc *Diario* diverſa fuiſſe collectanea illa & miſcellanea, manifeſtum eſt. Nobis, eorum memoriam conſervare aut refricare, potius videbatur hac occaſione percommodum, ut, ſi quis in illa forte incidat, de liberando ab interitu, quorum nec *Sandius* meminit, rariori monimento ſolicitudo adhibeatur. Quam pari modo in exquirenda *Hiſtoria Synodorum Socinianarum* ab *Andr. Lubieniecio* inchoata, & a genero ejus *Joach. Rupnovio* ad A. 1668. continuata, commendamus.

b) Quod Celeberr. Th. *Creenius* optimarum artium decus poſſidet, idque nobis-

quinto *post bellum Gothanum* a) anno. Dies fuit 12. mensis Martii, Novilunium, sol in Tauro, luna in Geminis.

Patre *Nicolao* b) *Schmaltz* & matre *Catharina Reuchin.* c) Hoc autem ex matris dictis collegi, & aliorum consanguineorum & ipsius etiam, quem vocant, compatris testimonio.

Pater meus multum valebat apud Cives & Senatum Gothanum ob juris scientiam, & candorem, quo in omnibus actionibus utebatur. Liberalissimus erat: ideoque & parum facultatum nobis reliquerat.

Pater me puero trium annorum mortuus est. Is duas uxores habuit. Ex priori genuerat (quos ego quidem novi)

Filios, *Valentinum* & *Johannem*.

Filias, *Elisabetham, Catharinam.*

Johannes insignis fuerat artifex, in parandis scriniis, mensis & aliis hujusmodi. In bello Gothano vexillifer fuerat, (procerus enim erat) deinde profectus ex patria in Daniam pervenit: Vbi *Hafniæ* (quæ est regni metropolis) sedem fixerat; Vxorem duxerat cujusdam Ministri, uno ab urbe milliari degentis, filiam. Ex ea progenuerat sex liberos, ut deinde me adolescente *Gotham* perscripsit, sed an nunc vivat, nunquam rescire potui.

Valentinus patre mortuo cœlebs mansit per annos plus decem; dein-

scum benevole, quemadmodum publice h. l. prædicare fas est, communicavit: cui vetustior quædam manus hæc verba adscripsit.

a) Infelix nimirum illud, cujus, cum *Christ. Pontano* jun., *Wilhelmus* ille *Grumbachius*, *Melch. Zobel.* Episcopi Herbip. parricida, fax & incentor celebratur, justa animadversione, cum complicibus cæteris plectendus: Quodque in A. 1567. potissimum incidit, & auspiciis *Maximil. II.*, Cæsaris Augusti, maximi Evangelii purius prædicati Patroni, atque *Augusti*, Septemviri Imperii R. Germ., armis, quibus exequebatur proscriptionem publicatam, severissime adhibitis gestum est, atque arci *Grimmensteiniæ* inprimis fatale fuit.

b) Vnde *Theophili Nicolaidis* nomen Filio interdum assumere placuit; præsertim in Lib., quo A. 1614. Tr *de Eccl. & Missione Ministrorum* cujusdam *Alb. Borkowskii* refutate conatus est: quem male nonnulli Joh. *Volkelio* tribuerunt.

c) De cognomento hinc a *Smalcio* assumto supra jam dictum est: Vbi etiam, nisi fallimur, cur alterum, de quo paullo ante, interdum cognomentum, a patre videlicet, assumserit, ratio invenietur reddita. Nunc præter ista *Smalcii* & aliorum nomina mutata, etiam *Caprum* juniorem, *Joh.* illius *Capri*, famosi Smiglensis Ministri, ut videtur, filium, cum præceptoris in Gymnasio *Racoviensi* munia susciperet, nomen quoque suum gentilitium, incertum qua de caussa, missum fecisse, & *Kozelscii* novum adoptasse, ex *Crellii* epistola in Cl. *Creenii* P. V. Animadv. excusa observamus. Cujus idcirco mentionem heic facere visum, quia, & hujus nomenclaturæ novæ originem ex materna familia repetendam esse, admodum probabile putamus.

deinde uxorem ex pago *Dietleben* duxit. Ex ea XIII. liberos ſuſceperat, ſed omnes, præter unum filium *Johannem*, mortui. a)

Ex altera quam pater meus bene ſenex (annorum fortaſſis 82 vel 84) duxerat, mater mea ſuſcepit filiam unam Oſannam: Filios duos, me *Valentinum* & *Johannem*.

Poſt mortem Patris habitavimus nos liberi & mater noſtra, cum fratre *Valentino*, b) donec cœlebs eſſet. Deinde cum uxorem duxiſſet, pro parte pecuniarum, quas nobis debebat, competenti, emimus domum.

Ætatem puerilem, ſcholam patriam c) frequentando, conſumſi, usque ad annum ætatis 17.

Amabar a plerisque plurimum, & inter ſtudioſos, quos ſchola patria habebat, fere ſesquimille, ingenio & memoria videbar, judicio præſertim Rectoris Viri clariſſimi Dn. *Johannis Dinckelii* d) [qui deinde e) aulicus Concionator Coburgi, & totius Ducatus ſupremus Superintendens evaſit, f)] ſummi mei Fautoris, alios ſuperare. Is ſæpe de me puero dicere ſolebat: *Tu evades alter Lutherus*.

Accidit autem, neſcio quo fato, ut poſt diſceſſum ex patria *Dinckelii* perpetuo cum ejus ſucceſſore M. Johanne Helter, g) &, eo inſtigante, cum concionatoribus concertandum mihi eſſet.

Erat is Rector paulo rudior, & tamen deceſſore imperioſior: Carpebant ejus ruditatem alii, carpebam interdum & ego. h) Hoc homi-

a) Et hunc *Valentinum* ad fratrem ſuum, *Socini* aſſeclam, in Polonia tandem abiiſſe jam octogenarium, inferius A. 1615., & A. 1620. diem illic quoque ſuum obiiſſe, commemorabitur. Tantum autem h. l. obiter monuiſſe ſatis erit.

b) Seniore illo, ex priori conjugio nato, fratre.

c) Cujus hiſtoriam b. D. *Ludovicum* P. I. f. 18. ſeqq. deſcripſiſſe conſtat. Quo etiam auctore, ab initio M. *Joh. Meierum* Rectoris munus ad A. 1580. adminiſtraſſe, & huic A. eodem *Dinkelium* demum ſucceſſiſſe, cum adoleviſſet magis *Smalcius*, cognitum habemus, eumque proinde conferri ad hæc juvenilia *Smalcii* fata pernoſcenda ſuademus.

d) *Truchtelbornenſis* Thuringi, Profeſſoris antehac Hebrææ Linguæ *Erfurtenſis*.

e) Poſtquam & *Archidiaconum Gothanum* ad tempus ab A. 1583. egerat.

f) Vbi diem tandem ſuum A. 1604. d. XXIV. Decemb. pie obiit.

g) *Erfurtenſi*, qui præfuit Rectoris officio, usque ad A. 1592., quo hac ſparta & ſcholaſtica functione univerſim ipſe ſe ultro abdicavit. Impar ne fuerit huic muneri, uti *Smalcius* h. l. teſtatur οὐκ ἄνευ παθῶν, an alia de cauſſa, ignoramus. Quemadmodum etiam, hiccine, an alius *Paſtor Waltershuſanus* atque Superintendens denique Gothanus creatus ſit, *Joh. Helderus*, qui A. 1621. ex hac vita exceſſit, non definimus.

h) Hic ergo procul dubio fuit, quem, ut vulgo fertur: *Tu eris aliquando Peſtis Eccleſiæ*; Smalcio diſcipulo dixiſſe ajunt. *Joh. Wilkii* enim vitæ rationibus a *Clarmunde*

hominem urebat, nec tamen quomodo id prohiberet, habebat.

Concionatores, homines vitæ diſſolutæ, me præſente (eram enim unus & primus ex illis, qui conviviis adeſſe & Muſicam exercere ſolebant) multa ſuo munere indigna faciebant. Hoc ego viſo, credebam mihi etiam licere luſus quosdam pueriles (ſtudioſis tamen interdictos) tractare: Monitus ab illis dicebam, me hoc ab eis didiciſſe. a) Hinc fiebat, ut me odio habere inciperent. - - - Quando in Schola argumenta quædam Theologica (conſvetudine ſic ferente,) objiciebam, &, ut mos eſt, ea paulo vehementius urgebam, b) cœperunt de me musſitare, *me fore aliquem novum hæreticum.* Itaque deſperata illorum gratiæ recuperatione diſcesſi e patria cum συμπατριότῃ meo, *Valentino Brotkorp*, Lipſiam æſtate, Anno 1589. *Lipſiæ* commoratus aliquantulum, in Autumno diſceſſi Vittebergam, An. 1589. c) ibidem commorans annum & quadrantem anni.

Anno 1590. domum redii. Deinde *Coburgum* ad iſtum meum Fautorem d) profectus ſum, qui cum mihi de honeſto loco proſpicere nunc non poſſet (nam, quam Cantoris in pago ampliſſimo & opulentiſſimo *Frimar* offerebat conditionem, plane repudiabam) diſceſſi *Jenam.* Ibidem aliquantum commoratus in patriam reverſus, & hinc

Anno 1591. *Argentinam* me contuli primo vere; Ibi forte incidi in D. *Andream Voidovium*, qui mihi de facie *Vittebergæ* notus e) fuerat.

P. V. deſcriptis ea minime congruunt: utpote qui poſt abdicationem *Helderi* A. 1592. *Scholæ Gothanæ* regimen ſuſcepit, eaque tempeſtate, qua *Smalcius* jam diu in Academiis vixerat. Hujus autem informationi in claſſe quadam inferiori eum præfuiſſe, neutiquam conſtat.

a) Novum ſpecimen, quo ſenſim, ſi non inducti ſunt, certe, inductos ſe eſſe videri volebant, ad mutandam animi de religione ſententiam, *Socinianorum* plerique: cujusmodi quid & noſtri prætexebant, & nuperrime obtentui ſumtum eſſe bene conſtat ab illis, qui res novas in Eccleſia moliebantur. Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων!

b) Ergo jam tunc ſcrupulis ſe mature vexatum eſſe variis, iisdemque, vel ad exagitandos alios, indulſiſſe, fatetur noſter. Vrticam hinc urentem fore, jam tum præſignificatum eſt.

c) Quam Vniverſitatem cum tam diu, ut civis ejusdem, incoluiſſet, mirum tamen ſemper nobis viſum eſt, cur in *Dedicatione* gemina tam Catechiſmi, A. 1608. niſi me fallit memoria, quam *Refutationis Theſium Wolffg. Franzii* A. 1614. *Racoviæ* 4to publicatæ, eidemque Academiæ inſcriptæ, ejus rei nullam mentionem injecerit.

d) *Dinkelium*, ut puto, Eccl. Antiſtitem.

e) Vagabundi hujus & ad alios in caſſes pelliciendos mirum in modum comparati emiſſarii in his Academiis ſtudia quæ fuerint, tum *Viri juvenis* adhuc, jam ſupra expoſuimus. Nunc A. 1583. annis *adole-*

rat. qui multa mecum collocutus, in templo illius urbis primario, deinde mecum & conversatus, de religione non nihil sua patefacere cœpit, ostensis mihi *Ochini* a) Dialogis.

Revocatus ille in Poloniam a fratribus suis, rogavit me, ut secum eo me conferrem. Quod equidem non renuebam, tum ipsius, tum etiam *Zachariæ Krokierii*, Lublinensis, cujus is Præceptor erat, causa; Sed morbo impeditus, promissum præstare non potui.

Anno 1592. orto inter Argentoratenses & Lotharingum bello, ob Episcopatum Argentinensem, quem 9. Canonici Brandeburgico detulerant; reliqui quinque Duci Lotharingiæ; cum, clauso collegio, plerique Studiosi discederent, & periculum etiam urbi imminere videretur; ego etiam navigio vectus discessi mense Julio, die, ni fallor, 2do. Patriam visitavi: Hinc recta Lipsiam me contuli, ubi in *Gregorium Cygnæum*, & ejus discipulos *Cyrenbergios*, Proconsulis *Gedanensis* filios, Johannum & Casparum, quos *Argentinæ* etiam noveram, incidi. A quo dimissus patriam ejus *Crosnam*, tribus a Francofurto, quod est ad Oderam, milliaribus dissitam, visitavi: Hinc deinde profectus 18. Septem-

scentem a Præceptore *Socino* eum appellari Tom. I. Op. f. 470. a. & 471. b. &, ne nimis diu humanioribus studiis, quibus tunc deditus erat magnopere, immoretur, aut in illis consenescat, sed ex superioribus disciplinis aliquam eligat, commonefieri, ipsumque *ab infantia* in *vera pietate* educatum esse, perhiberi, porro annotamus breviter. Hoc tempore quorum fuerit juvenum in studiis & moribus Moderator, dicere equidem certo non possumus; ex iisdem tamen litteris ad eum a *Socino* datis vel *Paulicovii* vel *Buccellæ*, Socini evergetæ filiorum gubernandorum curam gessisse conjicimus: quorum loco deinceps *Argentorati*, *Krokieri* ephorus factus est; ejus ne vero, qui postea *Rector Racoviensis* fuit, an alius, incertum. Ex cujus *Socini* Epistolis etiam, *Witteb.* Saxonum A. 1590. d. 25. Aprilis, & forte jam antea longe diutius cum iisdem discipulis vixisse, atque deinceps quoque reversum in Poloniam, & *Zakroviæ* ac *Lublini* degentem, *Germaniam*, ut illic commorari diutius liceret, denuo cogitasse, nominatim ex Ep. V. f. 473. (a) didicimus. Cujus testimonio denique, quando in *Belgium*, *Ostorodo* comite, cum nobilibus *Polonis* sibi creditis, excurrebat, in matrimonio jam vixisse, innotuit. Post hæc tempora *Lublinensi* illum cœtui & *Racoviensi* denique præfuisse notissimum est, & post seros annos grandævum, ac prope septuagenarium, ex hac vita excessisse, (ita tamen, ut annus definitus lateat,) aliunde cognitum habemus. Quorum omnium distincte enarrandorum non alia nobis caussa fuit, quam maxima hujus hominis in proselytis conquirendis, & omnium pæne aliorum curas superans industria: quibus etiam, quæ Cap. I. superius jam sunt adducta, porro illustrari posse speramus. In præsenti ergo nihil addimus, quam *Matthæi Radecii* fuisse generum, ex hac ipsa vita ad A. 1621. patere.

a) De his *Bernh. Ochini* Dialogis (quos *Diabolos Hottingerus* vocavit,) plurima, quæ collecta in *Observ. Halens.* & Vener. *Lauterbachii Ariano Socinismo olim in Polonia* n. XIV. Cap. I. exposita habentur, non repetimus. Illud vero omittere non

Septembris tandem Smigliam perveni. Ibi enim per literas mihi significaverat D. *Voidovius*, me se inventurum. a)

In absentia tunc temporis D. *Voidovii* & *Ostorodi* receptus fui perquam humanissime a Dn. *Christophoro Lubinecio*, b) & comiter per aliquot dies tractatus.

Reverso Dn. *Voidovio* tradita mihi fuit functio Scholastica, quam usque ad annum 98. administravi. c)

Interim ego in veritate investiganda totus fui, d) & tandem satis superque re considerata, nomen meum cœtui Domini professus sum, & ipso die Natalitiorum, quem vocant, Christi, 25. Decembris, per morem baptizandi tunc receptum, e) cœtui aggregatus fui.

Dum vero de sede figenda in *Polonia* cogito, unica me fere matris meæ, viduæ, quæ suam paupertatem spe promotionis meæ solabatur antea, cura anxium semper habuit, nec prius acquievi, quam eam ex ipsa patria *Smigliam* adducerem.

27. Decembr. igitur die iter ingressus, *Gotham* profectus, absque omni labore matri persvasi, ut mecum iret in *Poloniam*. Imo, quod mirum videri debet alicui, mater mea, quæ nocte præterita somniarat

potuimus, quin paucis moneremus, vel ex his, quibus primum usus est *Voidovius*, ad *Smalcium* sibi suisque hypothesibus conciliandum, instrumentis, non obscure colligi posse, Dialogos istos *SS. Trinitatis & Satisfact. J. C. vicariæ* mysteriis oppugnandis destinatos fuisse, certe a *Socinianis* ad credentes ad ea collabefactanda, tanquam primum & præcipuum arietem, admotos esse. Vt frustra sint, qui pro excusandis illis magna animi contentione laborant. Non male hinc etiam *Theod. Beza*, qui ejus ac sociorum indolem bene exploratam habuit, in Præf. ad *Valent. Gentilis teterrimi hæretici impietatem ac triplicis perfidiæ & perjurii explicationem*, A. 1567. Genev. ed. f. 15. *Gentili callidiorem* vocat *Ochinum, qui dubitare de singulis, Academicorum more, videatur maluisse, quam quicquam definire.* Qui porro, sed paullo ante, postquam quid de *Blandrata, Gribaldo* & reliquis sentiret, edisseruit, breviter, sed significanter, *Ochinum impurissimum hypocritam* appellavit.

a) Quibus laboribus privatis interea perfunctus sit, ex sequentibus, ipsiusque adeo *Smalcii*, de his testantis, Epistola elucebit.

b) Quis ille fuerit, vide ad A. 1598. annotatum.

c) Videlicet *Smiglienſis Scholæ* gubernationem. Sic enim inscriptio habet epistolæ *Fausti Socini* ad *Smalcium* nostrum A. 1595. d. 14. Febr. datæ. *Pietate atque eruditione ornatissimo Juveni* (erat namque t. t. annos 23. natus,) *Domino Valentino Smalcio, Smiglensis Scholæ Rectori, amico & fratri in Christo charissimo &c.* T. I Opp. Socini f. 459. seq. Quemadmodum vero Eccl. *Lublinensis* deinceps Minister fuerit, constitutus ad A. 1598. ipse retulit.

d) Id ut faceret ab ipso *Socino* exstimulatus: Cujus verba l. c., in epist. A. 1593. ad illum scripta, digna sunt, quæ conferantur.

e) Non sine caussa hæc addidit verba *Smalcius*. Quemadmodum qui sec. XVI. inter *Anti-Trinitarios* valde receptus erat mos sacro iterum, adultos videlicet, &

meum adventum; eo ipſo die, quo Gotham veni, omnibus conſanguineis & ſororibus Germanis jam valedixerat, cujus rei cauſa ab omnibus deridebatur. Cum vero audirent, me adveniſſe, in ſtuporem quodammodo rapti ſunt.

Anno 1593 tertio climacterico.

Volui autem omnino Miniſtris patriæ innoteſcere meam confesſionem. Itaque omnes adivi, & cum illis de ea conferre aliquid verborum volui. Sed repulſus ſum ſatis inhumaniter a Superintendente, Joh. *Eckharto.* a) Proinde ſtatim de Itinere aggrediendo cogitavi (6. Januar. ſtylo veteri.) Accidit autem, ut tunc tanta nix decideret, ut nemo omnium me *Erphordiam*, metropolin *Thuringiæ*, urbium totius Germaniæ maximam, tribus a patria diſtantem milliaribus, vehere vellet; donec tandem civis quidam primarius *Joh. Sorge*, qui media nocte equos cum curru vacuo eo mittebat, ſuam mihi & matri operam in vectura offerert. Quam benevolentiam ego ultro oblatam arripui, & dia nocte cum matre patria egreſſus, ſummo mane *Erphordiam* permeveni.

Vbi ſtatim ex meo curru conſcendi alium, qui recta ibat *Lipſiam* ad nundinas, & ſic perendie ejus diei *Lipſiam* perveni.

Vbi diverti ad *Cyrenbergios*, quos tranſiens antea *Lipſiam*, nempe *Smiglia Gotham* proficiſcens, viſitaram, & quos, narrando illis ea, quæ *Smigliæ* nova in negotio religionis didiceram, eo perduxeram, ut ſacroſancte pollicerentur, ſe mecum in *Poloniam* diſceſſuros, ſi intra ſpatium octo dierum *Gotha* ad ſe reverterem.

Hi

quid rerum ageretur, gnaros fonte tingendi νεοφύτας, ipſomet *Socino* tandem, ut ſupra oſtendimus, eo propendente, & σκεπτικῶς hoc de ritu, neceſſariusne an indifferens ſit, interrogantibus reſpondente, ſenſim ita exolevit, ut pauci poſt initium ſec. XVII., huic ſectæ addicti, de eo videantur fuiſſe ſoliciti. Conf. & *Lubienicii hiſt. Reform. Pol.* fol. 190. & de cardine controverſiæ rite ponendo ipſum *Socinum* in Epiſt. ad Smalc. data, quæ habetur Opp. T. I. f. 467., adde.

a) Non dubium eſt, recte hujus *Antiſtidis Gothani* nomen tenuiſſe σύγχρονον, & rerum, quæ patriam attinebant, bene gnarum *Smalcium.* Tanto igitur magis miramur, altum, de *Ekhardo* hoc, in ſerie *Superintendentium* ejus Eccleſiæ, ut vocant, ſilentium; utpote in qua, prout in *Recenſ. Nov-Antiq.* A. 1717. f. 798. ſeq. exhibita legitur, *M. Joh. Meſſerſchmidt* A. 1588. fatis defuncto, ἀμέσως D. *Joh. Wolffram* A. 1598. mortuus, & huic demum M. *Mich. Julius*, ille ex illuſtratis quibusdam *Canticis* Eccleſiaſticis inprimis clarus, ſucceſſiſſe dicitur. De *Henr* enim *Ekhardo*, Altenb. Eccl. Præſule, non eſt quod cogitemus; hunc namque & recentiorem, atque ad ſec. XVII. initium referendum eſſe, neque *Gothanam* Eccl., a qua *Altenburgenſis* tunc temporis regimine Principum familiæ peculiaris ex *Joh. Wilhelmo*, *Joh. Friderici II.* fr., ortæ ſejuncta fuit, gubernaſſe conſtat.

Hi igitur ingresſi mecum iter, *Croſnam* usque, in patriam Præceptoris,ſui diverterunt. Ego vero recta cum matre mea *Smigliam* profectus, eos anteverti, & d. 31 Januar. una cum matre mea, bene ſana & incolumi, tantum iter emenſus, ad fratres *Smiglienſes* reverſus ſum.

Matrem meam recepit Illuſtris Domina *Elizabetha de Zborow Dudithia*, benefactrix mea, & eam tractavit humanisſime tum Chriſti,tum etiam mea cauſa. Eram enim præceptor filiorum illius, *Alexandri, Danielis & Hieronymi.* a)

Menſe ſequenti Aprili profectus ſum iterum *Lipſiam*, profecturus etiam in ipſam patriam, adducendæ etiam ſororis Germanæ *Oſannæ* cauſa. Sed *Lipſiæ* a quibusdam civibus Gothanis,qui eo ad mercatum venerant, monitus pedem retuli. Retulerant enim, me, ea ipſa

a)Non poſſumus,quin h. l. ,ubi percommoda eſt quædam ex ſuperioribus & præſenti rerum *Smalcianarum* ſtatu illuſtrandi occaſio, Epiſtolam illam, quæ in *Recenſ. Nov- Antiq.* A.1722. ex MSC. excuſa eſt, recuſam demus, quippe in qua *Dudithianorum* filiorum ſuæ fidei t. t.commiſſorum expreſſam mentionem fecit *Smalcius*, aliaque notatu digna commemoravit.

„A Deo ſalutem: Quando ita vis, fiat: „Habe potius hæc pauca, quam nulla,pro„miſſis meis debeo multum: autoritati „tuæ plurimum. Confeci iter. Non opus „fuerat coram noſtro Senatu in tantum „me ob tantillam pecuniam abjeciſſe: pe„cunia, quam Argentinæ: quam domi „ſperabam, occurrit in via. Multa tuli, „ſed tamen pertuli. Quæris ubi nunc ſim? „Vide parietem tuum Muſæi; ſum Smi„gliæ in Polonia, ut vocant, Majori: Quid „agam? id quod dixi tunc. Doceo gene„roſi & Magnifici Domini Duditii Epiſ. & „Conſil. Cæſ. (noſti, ni fallor, eum) ge„neroſos filios tres & his adjunctos aliquot „nobiles. Plura jam de me non poſſum, „doleo. Fratrem hic alo: brevi adhibi„turus ipſum ad artem mechanicam. No„varum ſi quid eſt rerum haberes: hoc ha„be unicum, Regis Poloniæ ſoror, (ſi fiet, „quod vulgus ex Comitiis Varſavienſibus „attulit) nubet Electori Palatino. Provocavi te præire litteris: non litteras vo-“ lui: ſi non prolixiores litteras mihi mi-“ ſeris, non legam: proliXiſſimas expecto:“ optime de me ſperare cum omnibus non“ deſinas. Res in vado. Cum iterum ſcri-“ pſero (ſcripſero autem non niſi ad litte-“ ras tuas reſponſum) multa eaque feria.“ Dominum *Hellerum* ſaluta, *qui ſi me odit:*“ *dic me alium eſſe: ſi tum quoque: perſo-*“ *nam ipſum odiſſe: non vitia: hominem eſ-*“ *ſe: non Chriſtianum dicas.* Vno verbo“ Dn. Beringerum & Dn. Quintum (aliud“ nomen neſcio) Litteras ipſorum me ex-“ pectare referes. Dab. 6. Id. Nov. Smigliæ“ An. 1592.“

A tui amantiſſimo & obſervantisſimo“

Valentino Schmalzio Gothano.“

P. S. Litteras ſic perferes: Mercato-“ rum noſtrorum alicui ituro Lipſiam con-“ cede, deferri roga in ædes Dn. zur gulden“ Roſen ad ſtudioſum ibi habentem Grego-“ rium Gyneum.“

Doctiſſimo Viro Dn. *M. Guiperto,*“

Scholæ Goth. Con-Rectori.“

*) Cum multa ſint, quæ epiſtolam hanc typis iterum ſubjiciendam ſuaderent, tum vero maxime, id ut faceremus, in cauſſa fuit, quod ex ea nunc demum, collata vita *Smalcii* ſcholaſtica, quid ſimultatis inter *Smalcium* & *Helterum* (qui male *Hellerus*

nocte, qua discesseram antea, 6to Januar. summo sequentis diei mane a lictoribus, jussu & instinctu istius obesi Superintendentis, quæsitum ad carcerem fuisse.

II. Octobris Dn. *Moscorovius* a) nuptias celebravit secundas cum *Regina* ex *Horechovicza Dudithia.*

Anno. 1594.

Septima die Martii uxorem duxi virginem nobilem, *Aganetham Blechoviam*, quæ tunc famulabatur D. *Dudithiæ* [☉ in piscibus, plenilunium; ☽ in virgine. b)

Pater uxoris cognominatus alias *Wotowsky* ex Masovia circa *Pultowsky* ex pago *Wotowa*. Sed a prædio, quod tenuit & prodegit, *Blechow*, sic fuit cognominatus.

Mortuus est *Vresiciæ*, anno, ni fallor, 1602.

Sorores habet uxor mea tres: Vna nupsit Dn. *Nicolao Herluttorio* non procul ab urbe *Javorow* in Russia.

Altera Germano cuidam Gedanensi *Emmanueli Pavoni.*

Tertia civi & Scabino vel Proconsuli *Veliciensi*, *Johanni Foltino.*

Frater

in priori exemplari impresso vocatur,) intercesserit, intelligi potest. Vt taceamus animi characterem & temperamenti cholerici luculenta indicia, quæ ex ea ὀφθαλμοφανερῶς elucent, & forte etiam, cur ad *Socinismum* defecerit, homo novarum rerum ambitiose cupidus atque oppido præceps, non obscure produnt.

a) *Hieronymus* hic est *Moscorovius*, de quo a nobis supra Cap. II. §. XXXI. copiosius dictum. Ex his vero *Smalcii* verbis, *Reginam*, hanc uxorem ejus secundam, *Andr. Dudithii*, cujus etiam gener frequentissime audit, filiam fuisse, distinctius cognosces. Vnde &, senio atque ætate valde fuisse profectum, hanc cum duceret conjugem alteram, intelliges. Quod ad *Dudithium* de reliquo attinet, non est, cur mireris, conjugiis eum cum aliorum nobilissimorum Polonorum filiabus, tum filiarum quoque elocatione inter eos, arctius fuisse innexum affinitate; quandoquidem cum ipse Hungarica nobilitate spectabilis esset, tum vero A. 1565. ob maxima merita in *Comitiis Petricoviensibus* inter regni Polonici indigenas receptus fuerat, ac proinde cæteris indigenis æquiparabatur. Quem de reliquo in religione cum illustri *Boineburgio* non pro puro Sociniano, sed eclectico habendum putamus.

b) Cum prima h. l. detur occasio, *Smalcianam*, in notando syderum positu, si quid singulare de se suisque commemorandum occurreret, notandi diligentiam, hanc ex schola & a discipulis *Philippi* ortam esse superstitionem, quam *Lutherus* haud raro & risit, & improbavit, animadvertimus, tantamque t. t. eam fuisse pæne deploramus, ut insigne illud Eccl. nostræ ornamentum, *Mart. Chemnitius*, ex eadem officina ipsius *Melanchthonis* & Collegarum ita edoctus, cum de erigenda Vniversitate *Helmstadiensi* cogitaret Serenissimus Princeps *Julius*, D. Br. & L., felicem & auspicatam ante, quam id exequeretur, constellationem expectandam suaderet. Quod haud ita pridem non sine admiratione ac risu in *Rethmeieriana* Hist. Eccl. Brunswic. legere memini. Quæ tamen superstitio longe modestior fuit, quam ea, qua abeun-

Frater germanus unus in bello interiit, adverſus *Mihayto*, Vojevodam *Moldaviæ*, ſuſcepto.

Alter fuit natus ex ſecunda uxore, *Jacobus*. Is adhuc vivit, & ſervit cuidam Lithuano.

Ad me venit 17. Maji anno 1607. quem a) M. D. Palatini di tradidi & ſumma tandem indulgentia & labore indefeſſo Chriſto D. lucratus ſum.

Hoc anno Turca *Jaurunum* cepit 9. Octobris. *Smigliæ* celebrata Synodus.

Johannes Preclavius, adoleſcens inſignis, diſcipulus meus, Lipſiæ mortuus 28. Novembr. Venit ad me *Fridericus Cuel*, & *Johannes Lippe*, Gothani. Renunciavi *Smigliæ* cum matre jus civitatis *Gothanæ*, donata parte mea ſorori. In *Lipa*, prædio Dn. *Moſcorovii*, conventus miniſtrorum celebris habitus.

Anno 1595.

14. Febr. *Petricoviam* cum filiis *Dn. Dudithiæ* ad tribunalitia judicia profectus ſum.

8. Maji. d. ☉ circa ipſum crepuſculum veſpertinum nata eſt mihi filia *Chriſtina*. Sol in Geminis, luna in Scorpione, 1. Lunæ quadratura.

16. Julii *Joh. Oſtorodus* diem ſuum obiit. b)

Hiems & frigus intenſiſſimum 26. Novembris A. 1594. usque ad 7. Martii continue duravit.

Anno 1596.

4. Januar: Affinis meus, *Conradus Zinck*, Gotha ad nos venit. Cui donavi die 27. Januar. partem patrimonii mihi competentem. c)

27. Januarii *Gedanum* profectus ſum, ubi una vehes (*Laſt* vocant,) frumenti 114. thaleris vendebatur. In Hiſpania uni homini panis duobus florenis vix in unum diem ſufficiebat.

Germani arcem *Hatwan* ceperunt: præſidiariis omnibus deletis.

6. Auguſti tanta fuit tempeſtas, ut terra moveretur, & a fulguribus domos conflagraturas crederetur.

Hoc

ti ad Comitia Auguſtana ipſi *Philippo Melancht.* a Mathematicis *prædictum* is eſſe ſcripſit *Camerario* ſuo, *ſub autumnum ſydera fore magis propitia diſputationibus Eccleſiaſticis* Epp. f. 136.

a) *Magnifici* hæc littera ſignum eſt, quo ſub id tempus Proceres in Polonia inſigniti appellabantur.

b) De quo videatur ſupra Cap. II. §. 33. med. ubi, a fratre *Chriſtophoro* in eadem Socinianorum caſtra abreptum eſſe, commemoravimus.

c) Cujus ſe compotem fore, ſine dubio jam dudum deſperaverat.

Hoc anno Turca *Agriam* cepit. Legatus ad Turcam fuerat *D. Petrus Ostrovius* a) summus meus Amicus. Comes meus D. *Petrus Statorius* b) Minister, & D. *Petrus Schoman*, c) qui postea D Medicinæ factus est.

Cum essem *Gedani*, dixit mihi D. *Mathæus Radecius*, d) Secretarius istius Civitatis: in bello ad *Gedanum* per *Stephanum* Regem gesto globos lapideos 152. librarum in mænia jactos fuisse. *Gedanenses* solos pro rebellione regi solvisse 200000 florenos: ordines vero, quos vocant, 100000 florenos, idque spatio quatridui A. 1577.

Anno 1597.

10 Junii h. pom. 2. (alia 18) d. ♂ natus est filius *Theophilus*, *Smigliæ*. (☉ in Geminis, ☽ in Tauro, ult. lunæ quadratura.)

Anno 1599.

18 Septembris hora noctis quarta die ♄ mortuus est, vixerat annos duos, menses tres, septimanas duas, dies quatuor, horas decem. Ad

a) Fuit hic *Ostrovius* Aulicus regius, *Jacobi Ostrovii*, Dapiferi Lublinensis, filius, quem a comitate & rerum gerendarum dexteritate mirifice laudat *Lubienicius* f. 254. Vbi & Legationis hujus, inter alias, Constantinopolitanæ meminit, & partibus *Socini* adhæsisse non obscure simul innuit. E grege autem *Socini* etiam fuisse hinc efficitur, quod in matris ædibus, ex *Suchodolia* gente ortæ, sub initium, Ecclesia *Socinianorum* ejus loci civium (quos enumerat f. 253. *Lubienicius*) congregata dicitur, in domum deinceps *A. Lasotæ* & *Stanislai Orichovii* translata.

b) Haud dubie *medius*, Petri, *Thionvillani*, Sen., filius, A. 1605. præmaturo fato defunctus. Atque ex hoc demum itinere, quemadmodum verba in vita *Wissowatii* f. 228. med., ubi *in ipsa Byzantina arce veritati præbuisse* dicitur *testimonium*, intelligenda sint, cæteroquin admodum obscura, pernosces.

c) Filius *Georgii Schomanni*, cujus etiam in Patris Testamento ap. *Sandium*, tanquam A. 1574. nati, f. 195. facta est mentio. Etsi de fatis ejus reliquis parum innotuerit,

c) Hospitabatur adhuc *Gedani*, aut in vicinia certe urbis tunc temporis morabatur, hac tempestate *Radecius* senior; tametsi jam inde ab A. 1583. *Socini* placitis, uti ex epistolis *Socini* ad eum perscriptis evidens est, favere, & de coitionibus etiam clandestinis cogitare, atque nova moliri quædam vehementius cœpisset. Vtut enim hæc clam agitata essent diutius, non tamen in nervum, nisi, postquam hæresin ille professus esset palam, A. 1592. erupere; quo facto, post moram aliquot annorum demum ex urbe egressus, & *Buskovii* primum, (unde ad *Voidovium* A. 1598. ineunte scripsit,) dehinc *Smigliæ*, atque *Racoviæ* denique, ubi A. 1612. d. 29. Martii an. æt. 73. ex hac vita excessit, Ecclesiis seu cœtibus *Socinianæ* sectæ præfuit. Vtrum vero, quando cum *Smalcio* heic *Gedani* collocutus dicitur, adhuc officio suo in urbe ipsa perfunctus sit, an *Buskovio*, ubi jam A. 1597. degebat, in urbem ea libertate, qua & *Ruarus*, t. t. ingressus, sermones istic cum advena novo miscuerit, definiri haud potest: Vtut fateamur posterius hoc ex sequentibus colligi facilius posse.

24. Julii ♃ h. 4. noctis, mortuus est *Samuel Wilkovius*, discipulus meus, febri epidemica extinctus. Contemtor erat veritatis, quam aliquo modo perceperat.

Pestis grassata est in Germania gravissima. Nulla multis in locis messis fuit. *Coloniæ Agrippinæ* uno die, ut ex D. Monavio Wratislaviæ audivi, 1500. obierunt.

12 Novembr. Soror nostra, virgo nobilis, *Margaretha in Barthin*, uno a *Smiglia* milliari, febri epidemica extincta est. Speculum omnium virginum Christianarum.

Anno 1598.

19. & 20. Jan. nix sesquiulnam alta cecidit.

11. Julii Fr. *Christophorus Ostorodus* in Belgium iter suscepit.

3. Julii *Lublinum* commigravi: cum uxore & liberis, d. 14. eo perveni.

Fueram antea in *Synodo Lublinensi* cum fratre *Ostorodo*: Ibi cum mortuo D. *Niemoevio* a) (8. Martii) multus sermo esset, de removendo *Lublino Czechovicio*, b) tandem stetit sententia, ut ei remoto sufficeretur D. *Christophorus Lubienicius*, c) qui ante *Levartoviæ* d) Minister fuerat. Is ea se conditione provinciam oblatam accepturum promit-

Iiii iii te-

a) Corrigendus ex hoc loco *Sandius*, qui anno eodem quidem, sed d. 5. Maji., *Joh. Niemojovium* hunc, ad quem Epistolæ Socini extant lectu haud indignæ, diem supremum obiisse scripsit: quas vide *T. I. Opp. Socini* f. 397. seqq. ordine exhibitas excusasque.

b) *Martini Czechovicii* nomen huic homini erat, lites autem, postquam *Vilnæ* jam A. 1561., ubi minister erat Ducis Radzivilii, Vilnensis Palatini, & *Cujaviæ* deinceps publice docuerat, *Lublini* tandem hoc ei fatum attraxere, quas pro *Arianis* & Anabaptismo subinde moverat. Defunctum esse Lublini A. 1608. male *Sandius* affirmat. Conf. A. 1613. hujus *Diarii*. Cætera obscura sunt.

c) *Christophorus Lubienicius*, Stanislai, Quæstoris Satrapiæ Lublinensis, & ad Judicia in Satrapia Sendomiriensi ac Lublinensi deputati, *filius*, *Andr. & Stanislai* frater, is erat, Senior dictus, & a juniore, *Christophori filio*, Lublinensi itidem, postquam aliquantisper *Racoviæ* docuerat, Ministro Eccl., distinguendus; cujus posterioris, non prioris, filius fuit vagabundus ille, & misera tandem morte *Hamburgi* extinctus, *Historiæ Reform. Polon.* & vasti de Cometis operis scriptor, *Stanislaus Lubienicius*. Caussa vero, cur ille *Czechovicius* (Martinus prænomine,) hoc munere, quod administraverat, suo sacro abdicaretur, non alia haud dubie fuit, quam quod ad *Arianas* partes nonnihil propendere, & de Baptismo aliter, quam Socinus, sentire quibusdam videretur, cum *Socini* hypotheses contra ex asse propugnaret *Lubienicius*; cui tamen, tanquam minus adhuc exercitato in proferenda tuendaque hæresi, adjunctus est *Smalcius*. Conferri de his potest epistola ad hunc *Lubienicium* a *Socino* data, quæ Opp. *Socini* Tom. I. f. 469. legitur, & lucis nonnihil huic historiæ, coll. *Lauterbachii Socin. Polon.* f. 253. seqq., accendit.

d) Vicinum *Lublino* id oppidum est: de quo & Scholæ atque Cœtus istius Gubernatoribus, *Socini* partibus addictis, vid.

tebat, si me collaboratorem habere possit. Delatus igitur mihi fuit judicio universi cœtus locus in Lublinensi cœtu.

Ibi degens in aula Illustris Dn. *Petri Ostrovii*, a) summa cum eo junctus familiaritate vixi, & quid ibi præstiterim, quid etiam perpessus sim, dicent alii. Quanquam utrumque fere nihil est.

Hoc unum tamen tuto dicere possum, me, licet multorum ab initio calumniis premerer, & tantum non obruerer, qui sc. *Czechovicio* favebant, tamen ista omnia ita superasse, ut tandem omnium fere animos ita mihi devinxerim, ut ab eis amarer & colerer.

Ab insidiis *Jesuitarum* perpetuis, mira providentia sua, Deus me semper incolumem servavit.

29. Martii. *Jaurunum* a Germanis captum.

In *Lithuania* grando ad magnitudinem capitis equini cecidit. Pars una etiam glaciei, quatuor ulnas longa & lata, cœlo delapsa omnem segetem funditus perdidit. Ex corticibus quercineis panis paratus multos interemit. Sex rustici *Septiranum* Vicinum virum interfecerunt & assatum devorarunt: de quibus supplicium sumtum.

Vid. Fr. noster *Blasius* minister *Kiedanensis* ex *Samogitia*.

Rustici armentis partim fame, partim ab hominibus, consumtis, ipsi jugum subire, & aratrum trahere coacti sunt.

In minori *Polonia*, vicina *Russia*, oppidis plurimis domus quædam, præsertim vero cauponæ, noctu ejusmodi signo notata fuerant, ac si aliquis ingenti silice ea perstrinxisset, quod nulla etiam ratione deleri potuit.

Die Ascensionis. B. F. *Socinus* Cracoviæ ludibrio expositus, crudeliter tractatus, a nebulonibus, tandem ipse vivus evasit. Librorum vero omnium jacturam fecit. b)

Rex in Sueciam profectus a *Carolo Duce Sudermanniæ* profligatus tempore induciarum navem conscendit, & *Gedanum* appulit.

Jesuiticarum artium una.

Men-

Lubienicius L. III. Hist. *Reform. Polon.* L. III. C. XIII. f. 255. Quod reliquum, hanc ipsam, cum Lublinensi, Ecclesiam A. 1627. disturbatam esse idem l. c. commemorat.

a) Conf. A. 1596.

b) Digna est lectu, quæ ad hanc *Socini*, mi[illegible]re sane habiti, calamitatem accuratius pernoscendam facit, epistola *Matthæi Radecii*, a Secretis quondam Reipubl. Gedanens., sed in Socinianorum castra deinceps, ut p. a. dictum est, transgressi, quam typis subjecit Cl. *Th. Creenius*, Animadv. Philolog. Histor. P. IV. f. 233. seqq. & haud multo post, quam hæc gesta sunt, d. XVIII. mens. Junii ad *Corn. Daems*, Bruxellensem, *Goudam* in *Batavis* data missaque est. Vbi &, quæ de Librorum, præsertim Nov. Test. *Syriaci*, jactura h. l. memorantur, ibidem f. 238. distincte explanata reperies.

Menſe Novembri *Alexander Zborovius*, *Samuelis* decollati a) filius, inſidias ſtruxit *Cancellario Zamoiſcio*, ſed fruſtra.

Rex Hiſpaniarum *Philippus*, *Caroli V filius*, crudeliſſimus Chriſtiani ſanguinis per annos circiter 50 effuſor, obiit. Vitæ genus Deo exoſum fuit. Vitæ finis talis: Pediculi pectus ejus exeſerunt 13. Septembris.

Anno 1599.

29. Januar. F. *Oſtorodus* ex *Belgio* reverſus. b)

25. Auguſt. c) d. ♀ duabus ante ortum ſolis inter ſeptimam & octavam, ſecundum horologium majus, horam, tertia vero ſecundum minus, nata eſt filia *Elizabetha* Lublini (☉ in virgine, ☽ in libra, tertia lunæ quadratura) A. 1600. 3. Septembr. hor. ☉ obiit : Vixerat annum unum, ſeptim. unam.

Regina Anna mortua eſt. Peſtis Cracoviam invaſit vehementiſſima.

13. Novembr. diſputatio *Racoviæ* habita, inter noſtros & Evangelicos. Ea fuit cauſa converſionis ad noſtrum cœtum maxima D. *Jacobi Sieninii*, Palatinidis Podoliæ, hæredis in *Racow*. d)

Iiii iii 2 An-

a) Fata viri hujus triſtia, fratris de reliquo ſecundæ uxoris *Andr. Dudithii*, & cauſſas infortunati hujus vitæ exitus nemo brevius accuratiusque deſcripſit, quam *Joh. Prætorius* noſter, Mathemat. in Acad. Altorph. PP. ord., qui & ipſe inter domeſticos *Dudithianos* quondam locum habuit. Cujus hac de re epiſtolam in *Monumentis Piet. & litterar. Palatin.* P. II. f. 121. perluſtrare, non pœnitendum erit operæ pretium. Qua occaſione, quia vulgo fertur, mortem ſuam ex ſiderum poſitu *Dudithium* ſibi ipſi prædixiſſe, idque præſagium ad laudatum ante Prætorium, domeſticum quondam liberorum ſuorum Præceptorem, perſcripſiſſe, αὐτόγραφον hujus Epiſtolæ adhuc ſupereſſe, &, a S. Rev. Collega D. *Jo. Guilb. Bajero* Theol. D. & PP. Altorph. aſſervari, L. B. moneo.

b) Proſcriptus publico decreto, poſteaquam aliquantiſper adhuc *Franequeræ* latuerat cum ſocio *Voidovio*. De quibus rebus Cap. I. noſtræ hujus Hiſtor. actum eſt.

c) Omiſit h. l. *Zarſinienſis* Fratrum congregationis mentionem facere noſter; forte, quod ad eam nec invitatus erat, nec comparuerat. Ejus vero, & *Statorii*, qui ei interfuit, meminit, tanquam paullo ante celebratæ, ipſe *Socinus* in Epiſt. ad Joh. Krzeſſ. A. 1509. d. 20. Martii exarata, & Celeberr. *Creenio* P. VII. Animadv. Philol. Hiſt. f. 216. ſeqq. typis ſubjecta. Vbi tamen pro agro *Luctlacuciano*, unde epiſtola ſcripta dicitur, *Luclaviciano Blonſcii*, de qua poſtrema *Socini* ſede alibi jam diſſeruimus, legendum eſſe monemus. Hoc loco enim, tanquam in *nido* ſuo, ut ipſe *Lubienicius* vocat, (quem in *Hiſt. Ref. Polon.* L. III. c. XV. conferri ſuademus,) deinceps conſtanter vixit ille ſectæ coryphæus, ſcholamque iſtic inſtituit. De quibus omnibus, & de ſchola cumprimis iſtic erecta, atque ab *Hungaris* potiſſimum frequentata, l. c. plura habentur. Cum quibus Auctorem *Hiſtoire du Socinisme* Gallum P. I. Cap. XXIV. f. 105. comparare non pœnitebit.

d) Evangelici hi non Lutherani fuere,

Anno 1600.

18. Junii in *Lithuaniam* miſſus ſum, cum *D. Chriſtoph. Lubienicio* collega meo, & D. *Chriſtoph Rudnicio* Miniſtro *Suraſienſi*, ad Synodum *Neogardienſem*: Vt iſta blaſphemia, quæ quorundam animos occupaverat de non invocando Chriſto, a) eradicari funditus poſſet. Vocatus erat anteſignanus iſtorum blaſphemorum *Domanowſky* quidam; Sed non comparuit. Confirmatis igitur tunc fratribus diſceſſimus, dilata diſputatione cum iſtis hominibus in annum ſequentem.

20. Menſe Decembri mater mea in *Vola Moſcoroviana* diem ſuum obiit, ſepulta in *Kraſſow*, prædio Dd. *Goslaviorum*, uno a *Vola* milliari.

Religioſa fuerat ſemper, & vere religioſe mortua. Mei præ cæteris erat amantiſſima, &, abſentis licet, maxime & perpetuo memor. Vnde factum eſſe credo, quod, cum an. 89. *Vittembergæ* graviter decumberem, illa hoc ita plane, ut res erat, *Gothæ* ſenſerat. Deinde, quod pridie ejus diei, quo *Gotham Smiglia* veni, omnes ſuos conſanguineos viſitaverat, & eis valedixerat, affirmans, ſe ſomniaſſe, me perendie e Polonia venturum & ſe abducturum, ideoque etiam ipſis omnibus inſalutatis denuo mecum diſceſſit. Denique cum an. 98. iviſſem in *Volam*

ſed Calvino-Reformati; a quorum partibus antea ſteterat *Jac. Sieninius, Johannis Sieninii, Palatini Podoliæ,* filius; de quo a *Joh. Securinio*, ut *veram pœnitentiam* ageret, & *Socini* dogmata ſectaretur, *flexanima eloquentia* permoto *Lubienicius* legi poteſt, L. III. Cap. III. f. 191. Qui etiam L. III. c. XII. f. 241. *Stanislai Lubienicii*, quo olim amico in aula *Stephani Regis* uſus erat, ad id faciendum, atque ſcholam inſuper & typographiam iſtic fundandam inductum eſſe, teſtatur.

a) Horrida illa inter oppugnatores τῆς Θειότητος τοῦ χριστοῦ *Franc. Davidis* hæreſis (hypotheſibus tamen *Socini* & aſſeclarum primariis magis, quam ipſa *Socini* inſulſa de invocando eo, qui non ſit Deus, niſi factitius, conſentanea) non altas in *Polonia*, nec tantas, quantas in *Tranſylvania* radices egit. Ita tamen eam infeſtavit ſubinde, ut magnopere capiti etiam cæterorum, *F. Socino* privatis & publicis diſputationibus, (cujusmodi fuit, quam cum *Chriſtiano Frankio* habuit,) contra eam laborandum eſſet. Non tam propter ipſam dignitatem & honorem Jeſu Chriſti aſſerendum, quam, denegata ei *ſumma divinitate*, collabefactare omni ope nitebantur, quam ne nimis abominabilis hæc doctrina cæteris videretur, & Scripturæ quibusdam dictis, nimis clare invocationem hanc requirentibus, aliquo ſic ſaltim modo conſuleretur. Quibus tamen ita conſulere ſtudebant impoſtores, ut, honorem illum invocationis *religioſæ non ultimum* eſſe, ſed *intermedium* quodammodo, qui per Chriſtum ad Patrem ad extremum tenderet, callide perhiberent. Qua ratione, quod altera manu largiri videbantur, altera ſubdole & impie Servatori O. M. ſubtrahebant. Vt tricas *Socini* inter adorationem & invocationem meris & difficilibus ambiguitatibus involutas taceamus. Cæte-

lam Moſcorovianam, adductam eam ad me *Lublinum* eo ipſo die mane, antequam illuc veni, dixit omnibus: Meus filius *Valentinus* venit, me abducturus &c.

Eodem anni tempore, iterum cum iisdem Collegis miſſus fui in *Lithuaniam* ad componendas iſtas controverſias. *Domanovius* iſte detrectavit colloquium, & ad Synodum non venit. Itaque re diu multumque agitata, tandem omnium conſenſu excommunicatus eſt. Reliqui omnes ad frugem rediere ſua ſponte, auditis noſtris de Jeſu Chriſti divinitate probationibus. a)

Feliciſſime pugnavit *Mauricius* Vraniæ Princeps cum *Alberto Archiduce*. Bellum in *Moldavia* adv. *Michaelem* Principem motum.

Carolus Sudermanniæ Dux totam fere *Livoniam* cepit, in quem anno ſequenti bellum ſuſceptum.

Turca *Caniſium* cepit. b)

Hoc anno, qui fuit 4. climactericus ſeptenarius, calveſcere cæpi.

Anno 1601.

13. Junii hora fere noctis prima febri laborare cæpi tertiana duplici vehementiſſima, & melancholica hypochondriaca, quæ duravit usque ad 31 Julii.

8. Auguſti recurrit priori multo auctior, ſed & hanc, Deo juvante, tandem ſuperavi 28. Auguſti.

Interim menſe Julio ad me venerunt duo ſororis *Marthæ* filii, *Valentinus* & *Johannes Fiſcher*. c)

Iiii iii 3 Raco-

rum *Budneanos*, qui cum Franc. Davidis ſentirent, in Polonia appellatos eſſe a *Sim. Budnæo*, Klecenſis ac dein Loſcenſis Eccl. Miniſtro, ea propter e miniſterio ſacro depoſito, & A. 1584. excommunicato, ut *Bibl. Verſione Polonica* inclaruerit; ſed aſſeclæ ejus non ſint pro fratribus a cæteris *Socinianis* agniti, aliunde compertum eſt.

a) Ea ſcil. divinitate, quæ ex mera gratia hominis nudi & factitia eſt, cum qua invocatio genuina religioſa neutiquam, ſec. Ef. XLII. 8., communicari poteſt. Concilient hæc, quicunque poterunt, cum Script. S. & ſana ratione, quod acumen ſibi non conceſſum eſſe, alii ſagacitate non minori pollentes fatentur.

b) Proditione, ut fama erat. Certe non ſine Præfecti, cui a *Paradiſo* nomen fuit, capitis periculo.

c) Nihil de his eorumque ſuccedente tempore fatis nobis innotuit ſingulare. Ad *Socini* tamen gregem alterutrum horum pertractum, pellectum certe, fuiſſe, conſilia videntur ſubinnuere, quæ de ſororis filio *Smalcio* ſuo ſeſe ſuppeditaſſe, ipſe ſcripſit *Socinus*, ſub initium epiſtolæ ad eum perſcriptæ, quæ habetur in *Opp. Socini* Part. I. f. 467. (a). De reliquo conf. ad A. 1616. annotata.

Racoviæ Synodus habita eſt miniſtrorum celebris. Extat Epitome eorum, quæ tunc tractata fuerant, a me conſcripta. a)

Aderant F. *Socinus* H. *Moſcorovius*, P. *Statorius*, C. *Oſtorodus* A. S. & C. *Lubienicii*, P. *Brelius*, Joh. *Volkelius*. I. *Franconius*. V. b) *Stodolius*. P. *Przybylovius* & Ego. Duravit 3. ſeptimanas integras.

Menſ. Octobr. D. *Dudithia* c) mortua eſt. Matrona pientiſſima, pudentisſima, 10. Decembr. in Czarakow ſepulta.

Bellum in *Livonia* ſuſceptum: Rex eodem profectus eſt.

25. Decembr. ♂ hora noctis matutina, quæ erat in horologio dimidiato tertia matutina, nata eſt filia *Helena* (☉ in Capricorno, ☽ in Capricorno, 1. Lun. quadr.) Vivat Deo & Jeſu Chriſto.

Anno 1602.

18. Aug. d. ☉ Illuſtris D. *Petrus Oſtrovius* mortuus eſt; Extinctus dolore calculi. Anno ætatis ſuæ 46. climacterico, novenario quinto.

19. Jan. a Senatu Drosdenſi (forte *Croſnenſi*) literas accepi in negotio *Cygnæi* defuncti.

In expugnatione arcis *Felini*, *Farensbach*, Dux belli periit.

Rex domum reverſus. *Sigiſm. Batthori* Tranſylvania expulſus in *Sileſia* obſcurus vixit, neſcio quam diu.

19. Maji ſuburbium *Lublinenſe*, *Cracovium* verſus, totum fere conflagravit. Aula, in qua degebam, cum dimidio rerum mearum periit. 3. Julii incendiarius crematus.

Ludovicus Leuchſnerus, nobilis Francus, *Lublinum* venit, cum eo &

a) Hæc illa eadem eſt Synodus, quam C. *Sandius* inter ſcripta unitariorum commemorat f. 174., & *Colloquium Racovienſe primum* nominat, eosdemque, quos noſter h. l. enumeravit, fratres præſentes rationesque conferentes recenſet. Nec male conjecit, quando acta hujus colloquii a *Smalcio* conſcripta eſſe ſuſpicatus eſt. Idem enim heic ipſe *Valentinus* de ſe ſine tergiverſatione teſtatur; etſi κατ' ἐπιτομὴν ea a ſe fuiſſe conſignata litteris addat.

b) A *Sandio* l. c. *Stodolius* iſte *Chriſtophorus* dicitur.

c) Altera hæc *Andr. Dudithii* de *Horebovicza* in *Smigla*, A. 1579. ab eo in matrimonium ducta, conjux fuit, cui *Eliſabethæ* nomen, gentis autem origo ex illuſtri *Zboroviorum* familia erat. Ea proinde poſt annorum XII. viduitatem vivendi finem fecit, & quanquam, uti ex pl. rev. *Lauterbachii Ariano-Sociniſmo olim in Polon.* Cap. II. f. 246. patet, juxta maritum *Vratislaviæ* ſepeliri antehac voluerit, non tamen hujus voti compos facta eſt, ſed *Czarkoviæ* oſſa depoſuit. Ex his itaque lacuna illa exhibiti l. c. monumenti *Dudithiani*, A. 1589. poſiti, quo defunctus eſt maritus, expleri & explicari poterit. Conf. A. 1612. & de *Zborovianæ* gentis ſplendore *Lubienicium* Hiſt. Ref. Pol. fol. 226. atque alibi.

& cum *Paulo Krokiero* discessi *Lublino* ad D. *Solinum* a) 5. Jul.

Hoc anno pestis in *Prussia* grassata est vehementissime. *Gedani* 18000. desiderati sunt. In reliqua *Prussia* 50000. b)

5. Decembris ex summo & præsentissimo periculo liberatus sum. Concitaverat *J. Twardochleb* studiosos collegii *Lublinensis*, eo, quod puerum quendam domi suæ detinuerat, volentem quidem, sed tamen profugum ex ipsorum schola, qui una cum eo in *Podoliam* discessurus erat. Concurrerant ad eum eripiendum aliquot centum studiosi, & jam jam domum meam invasuri erant, & eam eversuri, nisi singulari Dei providentia *Jesuita* accurrisset, & eos profligasset.

Hoc anno 31. Octobris Generosus Dn. *Joh. Gorscovius*, (A. ætatis suæ 23.) filius ex sorore Illustris D. *Petri Ostrovii* somniavit hoc somnium, quod sæpius deinde mihi exposuit; anno vero 1610. manu suam Calendario conscriptum exhibuit: Anjota widziat zobtokow, Ktory miat taystre sistow y pisni yezyki pisanych, ktora secare most przed soba, opadt na jakynisi polu, gdzie byto zyto sians y preknie wzesle, Tamem ja byt y p. Walenty Smalcius Minister zbora Lubelskiego, jdysmy przystapili, owe listy dawat B. Walentemu Benedictus

a) Quis ille *Solinus?* Neminem inter *Socinianos* ita cognominatum novimus, præter *Crellium*. Eum vero hoc loco intelligi non posse, indubitatum est; utpote qui A. 1602. vix annum ætatis puerilem attigerat, & de *Socinianorum* consuetudine atque *Polonia* adeunda nec per somnium cogitaverat. Quid si suspicemur, ipsum *Sonerum*, quem *Sonnerum* & scribere consuevisse hosce erroris sodales, & cum sole comparasse, alibi jam animadversum est, in *Poloniam*, *Noriberga* digressum, clam excurrisse? Nihil definimus, at sagacioribus hanc non vanam profecto conjecturam expendendam accuratius commendamus, & si vere contigit illa digressio, quid de ipso quoque *Sonero* sentiendum sit, ejusque in fratres affectu, hinc præcipue efficiendum colligendumque putamus atque suademus. Quæ dum scribimus, monendus est L. B., de mendo typographico, in *Historia Reform. Polon. Lubieniciana* f. 199. med., ubi *Soneri*, tanquam Cracoviam jam A. 1560. circiter delati, fit mentio, quod nomen male exscriptum *Joh. Sommeri* nomen substitui, per temporum rationes, jubet. Cæterum, cur de *Sonero* hæc in mentem venerint, *Leuchsneri*, de quo Cap. II., cognatio in caussa fuit.

b) Hoc tempore d. 7. Octobr. alteram synodum solenniorem, seu colloquium, ut vocat, *Racoviense* secundum, inchoatum, & XXII. sessionibus d. 19. ejusdem mensis finitum esse, *Sandius* inter libros anonymos, *Biblioth. Vnitar.* f. 174. seq. narrat. Quod, mirari satis non possum, omisisse *Smalcium*, qui tamen & ipse cum *Socino*, *Statorio*, *Ostorodo*, *Volkelio*, *Czechovicio*, *Lubieniciis*, *Moroscoviis* & aliis obscurioribus fratribus, eidem interfuit. Et hujus colloquii acta conscripta esse, ex *Sandiana* narratione efficimus; quamvis nemini eadem, ut priora, ille tribuat: unde forte, eidem *Smalcio* accepta ista ferenda esse, non obscure colligitur. De pestilentia h. t. Gedani & in Borussia grassata *Hartknochius* conferatur L. III. H. E. Boruss. Cap. V. f. 774.

dictus Antonius (imie, to Anjita byto) y poniedziat: Bogci to kazat oddai.

Anno 1603.

D. 28. Junii discessi *Lublino Racoviam* versus. Vbi perfuncti communione a) 3. Jul. deinde discessi, cum D. *Stanislao Lubienicio* in *Przyzorze*, in districtu *Lencicienſi*. Vbi etiam ejusdem mensis communione celebrata in *Zakwzew*, & inde *Gedanum*, visitandorum fratrum causa, quos Angli quidam a veritate seducere conati fuerant, profecti sumus. d. 20. in *Buſkow* venimus; 24. Jan. cœnam Domini celebravimus. Die 1. Aug. *Gedano* domum versus retrogressi sumus. 18. Aug. *Lublinum* reversus.

Gedani cum D. *Fabritio* b) totum diem de controversis Christianæ religionis partibus, præsentibus D. *Stanislao Lubienicio D. Andr. Voidovio*, & D. *Mich. Fabricio*, adolescente, fratre nostro, Consulis Regiomontani filio, collocutus, finem satis optatum obtinui. Nam amicissime nos excepit, tractavit & dimisit. Sed paulo post filius *Fr. Matthæi Radecii, Matthæus*, calumniis suis omnia obscuraverat, & fortassis delevit in animo istius Doctoris.

(*Matthæum Radecium* alumnum factum *Civitatis Gedanenſis*, Deus *Paduæ* in Italia interemit 4. Martii 1607.) c)

Po

a) Sic enim more receptum fuit inter *Socinianos*, ut collecta subinde aliqua ex vicinia suorum multitudine, invitatisque etiam longius interdum dissitis, S. Cœnam solennius celebrarent, novoque vinculo unionis fraternæ, sese mutuo frequentes obstringerent; qui ritus etiam fratribus, si quos recens adjunctos cœtui haberent, devinciendis pari solennitate cum sodalitate universa destinatus erat. De reliquo, ad menses fere singulos, atque festis præsertim diebus, ὡς ἐν κύκλῳ, conventus istos ambulatorios celebratos esse, ex variis narrationibus colligitur.

b) D. *Jac. Fabritius*, vulgo *Schmidt* etiam dictus, ille fuit, cum quo hic sermo dicitur habitus, & spes concepta, ad partes *Socini* eum pelliciendi: Vir doctissimus equidem, sed sententiis *Calvino Reformatorum* mirum in modum deditus, ac postremus eorum, qui hæc placita tuebantur, *Gymnasii Dantiscani Rector*, concionatoris insuper officio perfunctus, & A. 1629. demum demortuus. Cujus historia fataque cum collegis sive eadem sive diversa sentientibus fuse ab *Hartknochio* in *Hiſt. Eccl. Boruſſ.* præcipue L. III. Cap. IV. V. & VI. sunt descripta: ubi & libri, quos inter, hoc præsertim anno, den kurzen Bericht &c. publicavit, doctrinæ non vulgaris testes, commemorantur. Hæc vel ideo distincte annotare visum est necessarium, quoniam facilis alioquin M. *Laurentii Fabricii*, Prof. Ebr. L. Witteb., h. t. adolescentis, & patria quoque *Dantiſcani*, cum *Jacobo*, notissimi illius *Barth. Kekermanni* amico & collega, commixtio metuenda esset. Plura ex Cl. *Charitii Vitis Gedanenſium* de utroque haurienda L. B. commendamus: qui & Concionum *Jacobi* de *S. Cœna* A. 1699. *Steinfurti, C. Vorſtii* haud dubie opera, impressarum mentionem fecit.

c) Occasione hoc loco data, duos habuisse *Matth. Radecium*, Sen., filios, filias-

Po dobna poniedziat mi wkilka lut polym wRakowie P. Stanislav Lubienieki ze we ſine nidziat zamek sliczny, do ktore in osnorzyt B. Smalcius yukazat im gmachy nimin slicze. Poniedziat bey, ze mi nie wsytkych otworzyt Panie Jezu, day zelymſies codzien pomnozyt ws. twojey Prawdzic a przezto cos mi dat, zclym ſreſpoſobit do zywota poboznego ywicznego.

Anno 1604.

3. Martii h. 17. Lux Theologorum noſtri ſeculi extincta eſt, amicorum meorum intimorum ſummus, Illuſtris & reverendus Vir, *Fauſtus Sozzinus*, Senenſis. a) Anno ætatis ſuæ 65. in *Luclavicæ*, ubi iam ſepultus jacet.

O anime, o divine anime; o anima, o mea, nulla es?
Hæc anima exanima eſt Te ſine: nulla mea:
Vox, animus, facies; mutata occalluit, hæſit,
Cœpta mori trux Te miſcuit omnia vox.

* * *

Sozzinus moritur: fugit alta ſcientia rerum.
Vix inter denos portio dena latet.
Sozzinus moritur: Sapere absque labore perit ſpes,
Et dubito, an magno deinde labore datur.
Sozzinus moritur: Raſorum cornua ſumet
Concilium: Vivo hoc mitius illud erat. b)

Kkkk kkk 17. April

que item duas monemus. Filiorum alter, *Claudiopolitanus* factus eſt, *Socini* ad mentem formati cœtus, Paſtor, de quo ſæpius noſter in hoc Diario diſſerit, dictus *Valentinus*; alter degener ille, ut judicat *Smalcius*, noſtra autem ſententia in veritatis Evangelicæ profeſſione cum laude, etſi ingratiis patris fratrisque, conſtans, patri cognominis. Quanquam, obſcurluſcula hæc verba eſſe, ut non ſatis certum videatur, filiusne fuerit, an patruelis Matthæi, fateamur: tametſi prius veriſimilius ex verborum tenore colligamus. E filiabus natu major *Jac. Frencelio* cuidam, Elbingenſi, ſed apud *Lublinenſes* habitanti, Chirurgo, *Socini* itidem ſententiam profeſſo, nupſit; (quod ex epiſtola ipſius patris a *Vener. Creenio* P. IV. Animadv. fin. typis ſubjecta didicimus,) altera vero, minor ætate, cum famoſo illo *Voidovio* in matrimonio vixit. Quæ quia ad vitam celebris iſtius *Radecii* illuſtrandam nonnihil faciunt, diſtincte annotare viſum eſt.

a) Conf. ſupra Cap. II. §. XLVI. & h. l. *Sozzini* nomen recte atque accurate ad Italorum morem exſcriptum eſſe obſerva, ac de reliquo, quo morbo perierit *Sozzinus*, ex loco a nobis citato repete.

b) Quæ de obitu *Fauſti Socini* annotemus, præter ea, quæ Cap. II. jam dicta ſunt, non occurrunt alia. Quemadmodum etiam ſatis ſuperque conſtat, in eodem pago *Luclaviciano* ampliſſimo geminoque tumulatum eum fuiſſe; unica filia, de cujus educatione *in otio* ipſe in epiſtolis alicubi conqueſtus eſt, relicta, quæ, *Agnes* nominata, *Stanislao Wiſſowatio*, Philipovienſis ſatrapiæ Vice-Præfecto, deinceps nupſit,

17. April convenerant me nomine Epiſcopi Cracovienſis, *Bernhardi Macicovienſis*, a) duo Canonici: Habito mecum de variis de Eccleſia pertinentibus rebus colloquio, tandem juſſerunt, ut me Epiſcopo ſiſterem, & ne perendie, die ſc. Paſchatos, docerem.

28. April. Rumor ſpargebatur, Epiſcopum cogitare de me capiendo: dixerat enim inter cœnandum, ſe omnino velle eum Germanum, qui tantopere commendaretur, videre.

29. ☽ Rumor iſte augebatur; Suadentibus igitur fratribus diſcesſi *Lublino* cum D. *Pſsinka*. Interim Monachi clamare, me eſſe captum.

1. Maji reverſus *Lublinum*, 2. Maji publice docui.

22. & ſeqq. ſex habita Synodus *Racoviæ* ſatis frequens, recepti in cœtum 36. b)

Hinc in *Lithuaniam* cum D. *Stanislao Lubinecio* ablegatus ſum ad Synodum *Novogrodienſem*. Ibi rebus bene confectis, & negotio de baptiſmo fratribus optime commendato reddito, & explicato, in Podlachiam reverſi ſumus, & ibidem etiam fratres cohortati, tandem d. 9. Jul. *Lublinum* reverſi ſumus, egresſi domo 15. Junii. Interim me abſente uxor d. 24. Junii, d. *S. Johanni* dicato, hora matutina octava paulo ante nonam, ſextam in horologium majus, peperit filiam *Catharinam Bogamitam*, Deus eam conſervet. ☉ in Cancro, ☽ in Tauro, ult. ☽ quadratura.

Hoc

& *Andreæ Wiſſowatii, Biblioth. Frr Polonorum* unitariorum editoris, genitrix fuit, fatoque, ut in vita filii habetur, A. 1654. d. 20. Januarii *Robcoviæ* functa eſt. Vnde vixerit *Sozzinus*, cum, in re lauta & bene aucta non fuiſſe, nemo neſciat, definiri vix poteſt. At liberalitate tamen aliorum, idem, quod ipſe, eoque duce & magiſtro, ſentientium, illum ſuſtentatum maximam partem vixiſſe, præſertim conſeneſcentem, ex epiſtolis ejus patet: in quarum una A. 1595. ad *Voidovium Zakrzoviam Cracovia* e ſuburbio data, cum munuſculum offerretur, illud generoſa deprecatione ſe remiſſurum, ait, *quia, per Dei gratiam, nihil ſibi rerum neceſſariarum deſit, NB. ex eo tempore, quo* D. *Philippi Bucellæ menſa, dum ipſe adſit, gratis utatur.* T. I. Opp. f. 473. (a) Eadem autem conditione & *Luclavii* tandem vixiſſe, alibi docuimus.

a) *Bernhardum* iſtum non multo poſt Card. Eccl. Rom. creatum, & A. 1605. ineunte in ipſis Comitiis Warſovienſibus *Archiepiſc. Gneſnenſem* deſignatum eſſe, obiter notamus.

b) Hinc vero ſatis luculenter efficitur, *Synodos* haſce, præter S. Cœnæ frequentiſſimam convocatorum e vicinia celebrationem, de qua paullo ante, fratribus quoque novis, (cujusmodi quid etiam de *Vogelio* noſtro Cap. III. annotavimus,) recipiendis in ſocietatem cœtus unitariorum deſtinatas, atque ea propter creberrime h. m. ordinarie & extra ordinem quoque coactas fuiſſe. Cui confœderationi ſacra ſymbola, una participata, inſerviebant multo magis, poſtquam baptiſmus ſolennis, olim ſuſcipiendus, jam in deſuetudinem abire cœperat: Vt pore quem neque utilem, nedum neceſſarium eſſe, pauci amplius ſibi perſuadebant.

Hoc anno filius *Johannis Basilii*, Ducis Moſcoviæ, *Demetrius* a) innotuit, qui per annos 7. delituerat in Monaſteriis Ruthenicis.

Duo Palatini, uterque Princeps, mortui, *Radzivilius*, Vilnenſis religione Evangel. *Oſtrovius*, Volihnienſis Ruthenus.

Epiſcopus Cracovienſis *Macicovius* creatus Cardinalis, deinde Archi Epiſcopus Gneſnenſis, Primas Regni.

Anno 1605.

25. April. cœpimus Catecheſin componere, *Ego*, *Statorius*, *Moſcorovius* & *Volkielius*. b)

9. Maji mortuus eſt *Statorius*. c) Nona DIes MaII præfIca StatorIo.

15. Maji *Chriſtophorus Brockayius*, d) Rector Scholæ Racovienſis.

19. Maji ſepultus uterque *Racoviæ*, me eis parentante.

a) Quatuor numerari *Pſeudo-Demetrios*, ſeu uno potius nomine illum *Joh. Baſilidis* filium & nepotem, quartum, larva aſſumta nova, apparuiſſe, in vulgus cognitum eſt, neque quisquam, qui vel a limine Hiſt. Polon. & Moſcovicam ſalutavit, fata eorum omnium ignorat. Hoc loco primus intelligendus eſt, qui ſcenam aperuit, ſive a Poloniæ R. *Sigism. III.*, uti *Sueci* perhibebant, fuerit ſubornatus, ſive ultro, ſuisque commodis ſtudens hanc fabulam ſit exorſus; cui alias *Gregorii Ottreprovitii* (Griska Uttrepreja) nomen, & *Gereslavia* patria tribuitur. Vt feliciter primum, ope Polonorum, contra *Borisl. Godenavium* pugnavit, ſed a *Baſilio Joh. Zuskio*, A. 1606. d. 17. Maji in ipſa *Moſcoviæ* metropoli, cum nuptias cum *Polona Ux.* celebraret, ſubito impetu facto deinde trucidatus ſit, non enarrabimus, a ſcriptoribus jam pluribus, qui de Pſeudo-Principibus, aut ſubdititiis, egere, expoſita; hoc tamen tacere non poſſumus, *Smalcium*, noſtrum primum hunc pro genuino *Demetrio*, favore erga ſocerum, patronum Socinianorum, inductum, habuiſſe videri, reliquos autem inter impoſtores & ipſum connumeraſſe.

b) Poſtquam jam ante fundamenta poſuerat, aut delineationem, certe atque ideam quandam ſuis ipſe ſubminiſtraverat, F. *Sozinus*: quemadmodum ex epiſt. ad *Val. Radecium*, paullo ante morte exarata, Opp. P. I. f. 492. med. colligi poteſt. Hinc vero, quinam ſint ejus, quæ vulgo *Racovienſis* dicitur, (antequam plures forte aliquid hujusmodi *privatim* moliti ſunt,) Catecheſeis auctores patet; de quibus, uti ex S. R. *J. A. Schmidii* Programmate patet, in varias opiniones Hiſtorici diſtracti fuere.

c) *Petrus*, de quo ſupra, filius: ætate virili & vix quadragenarius; *Sozino* autem amiciſſimus, &, ſi quis alius, filii loco, dilectus.

d) Primus Gymnaſii *Racovienſis* Rector, cui G. *Manlius*, Sam. *Nieciecius*, P. *Crokierius*, J. *Crellius*, M. *Ruarus*, J. *Stegmannus*, *Francus*, (Adam) Sileſius, P. *Teichmannus*, G. *Nigrinus*, & *Laurentius Stegmannus*, cum ipſa ſchola ſublata inde pulſus, ordine ſucceſſere. De reliquo error vegrandis, quibus pæne innumerabilibus ſcatet, *Hiſtor Reform. Polon. Lubienicii*, ex hoc Diario corrigendus eſt, quippe in qua male *Chriſtophorus* hic *Brokhayus*, cum *Martino Borrhao*, *Cellario* etiam dicto, Anabaptiſtarum

3. Junii *Joh. Zamoiscius*, Regni Cancellarius, mortuus est. a)
30. Sepultus *Zamoiscii*.
25. Septembris Synodus Ministrorum habita.
2. Octobris Synodus Ecclesiæ generalis.
Valent. Radecius Claudiopolitanæ Eccl. destinatus, ego Racoviensi.
19. Iter *Racoviam* versus cum uxore & liberis ingressus.
21. *Racoviam* veni, quod felix faustumque sit. b)

7. Novembris iter in *Moscoviam* ingressi ad *Demetrium* J. J. *Morscovius* & *Twardochleb* c) cum D. d) *Rostek* & *Lubczovio*.

24. Novembris Legatus *Demetrii Moschi* sponsalia e) celebravit *Cracoviæ* cum filia Palatini Sendomiriensis, *Mnistek*, *Marianna*.

11. Decembris Regina nova, defunctæ soror germana, *Cracoviam* ingressa est, *Constantia*.

Anno 1606.

27. Jan. Deus me conservavit ab ebriosorum rusticorum in itinere *Czarakoviensi* insania. 19. Febr.

partes primum sequuto, sed ad saniorem mentem tandem reducto, & *Prof. ac Doct. Theologo Basileensi*, (quem *Sandius* inter Antitrinitarios connumerare, incertum quo jure, non dubitavit,) confusus commixtusque est, præter nomen multum ab hoc *Brokhayii* appellatione etiam ætate, qua claruit, distinctus, & jam pridem A. 1564. defunctus. Concionis, quam *Smalcius* in funere hujus *Brokhaji* & *Petr. Statorii*, medii, habuerit, superstitis, sed MSCtæ, meminit in Bibl. Unit. *Sandius*.

a) Archicancellarius & Dux Exercitus Regni, A. æt. 63. paralysi, aut occultiori, ut quidam perhibebant, morbo subito abreptus. Vir armis litterisque clarus.

b) Ex quo tempore *Jacobus* etiam *Siennius Palatinides* eum, uti in Ded. *Tr. Smalciani de Divinitate Christi* animadvertimus, *Pastorem suum* vocare consuevit.

c) *Matthiæ* huic nomen fuit, qui vir *raræ pietatis*, *tam in victu*, *quam amictu parcus*, & *in egenos munificus Lubieniecio* L. III. c. XIII. audit, interque *operarios non segnes in Lublinensi Eccl.* numeratur, &, nisi me omnia fallunt, *Smalcio* inde *Racoviam* evocato successor datus est, a *Jacobo Twardochlebio*, de quo supra, discernendus. Idem ergo *Twardochlebius* hic fuit, qui postea *Kisselinum* translatus, post triginta annorum officium Ministri Eccl. illic administratum, diem obiit.

d) Qui *Nicolaus* dictus; cæterum obscurus.

e) Desponsationem h. l. commemorat per legatum, sponsi vices demandatas hactenus subeuntem, quam deinceps in ipsa urbe *Moscovia* sequuta fuit lugubris illa, de qua paullo ante, nuptiarum solennitas. Quod reliquum est, *Mariam Georgiam*, a patre *Georgio*, vel Annam Mariam, aliis appellari, quæ Polonico idiomati congruentius *Marianna Smalcio* nuncupata est, sponsam, eamque, prout adornata erat a Polonis fabula, *Pseudo-Demetrium secundum* etiam pro marito agnovisse, atque huic quoque ad Tartaros profugo, & a *Mursa* quodam interfecto, supervixisse, filiumque patri substituisse, ac denique *Caluga* urbe occupata, a *Michaele Fœderowizio*, novo Czaario electo, cum filio A. 1613. captam & perpetuo carceri inclusam esse, cum satis nota ea sint, copiose nolumus h. l. recitare, & per compendium cuncta repetentis *S. R. D. Joh. Schmidii* Lips. Theol. *Pseudo-Principes* conferri suademus.

19. Febr. convenimus ad correctionem a) Novi Teſtamenti Polonici, *Moſcorovius*, *Licinius* & ego, eamque poſt aliquot ſeptimanas, Dei beneficio, feliciter abſolvimus.

30. April. Synodus *Racoviæ* habita.

9. April. Conventus *Stezycienſis*.

4. Jun. Conventus *Lublinenſis*.

6. Aug. Conventus *Sendomirienſis*; Rokoſs. b)

Hoc anno nobilitas pertæſa inſolentiarum Regis, quibus eos libertatibus (ut illis videbatur,) privare, & dominium ſibi abſolutum ſternere agitabat, Duce Palatino Cracovienſi, *Nicolao Zebridovio*, c) conſilia iniit, quomodo libertates avitas aſſerere, & Regis Regiorumque conatus reprimere poſſet. Itaque decretum fuit in Comitiis provincialibus, ut nobilitas, miſſis ad *Comitia Warſavienſia* legatis, ſub finem eorundem *Stezicia* convenirent, &, ſi, quod metuebatur, petita non obtinerent, de rebus ſuis ulterius promovendis conſultarent. Illic, quia non omnino multi convenerant, viſum illis fuit, etiam conventum indicere *Lublini*. Ad hunc frequens confluit nobilitas, & inter alios *Johannes Radzivilius*, Pocillator, M. D. Lithuaniæ, & *Stanislaus Studnicius*, Capitaneus Zygwolsky, uterque Evangelicus, ſatis ca-

a) Falſum ergo eſt, quod vulgo tradunt, autorem *Verſionis N. T. Polonicæ Smalcium* eſſe, cujus traditionis non aliam cauſſam eſſe cenſemus, quam *Sandium*, qui in *Biblioth. Anti-Trinit.* eidem, tanquam e Græco in Polonicum translatum hoc N. Teſt. fol. 104. ſine dubitatione tribuit. Quamvis enim neutiquam dubitemus, ultimam eum huic labori manum adjeciſſe, ipſamque editionem, poſt longam moram & expolitionem diligentiſſime adhibitam, A. 1620. demum procuraſſe, hac tamen ſua manu ipſe teſtatus eſt, communem hanc ſibi cum *Hieron. Moſcorovio* A. 1625. demum demortuo, & *Joh. Licinio*, Paſtore Novogrodenſi, eousque etiam ſuperſtite, operam fuiſſe, ac præterea non novam verſionem, ab his ſociis opellæ ſuſceptæ, ſed *recognitionem* duntaxat ejus, quam *Mart. Czechovicius* A. 1577. jam publicaverat, adornatam eſſe. Cujus tamen cur tam diu dilata fuerit impreſſio, perinde ut N. T. Germanice redditi, difficile eſt inveſtigatu.

b) Quid hoc nominis ſit, bene norunt, quibus res Polonicæ vel mediocriter cognitæ ſunt. *Teſſeram* vocat *Piaſecius gentis, qua in tumultu aliquo audita omnis, qui cenſetur Nobilis, licet ſit alligatus obſequio alicujus Principis vel Nobilis, relicto eo ad communem concurrentis Nobilitatis cœtum venire pœnis gravioribus obligatur.* Quibus *Hartknochius* in *Republ. Polon.*, petitam hanc vocem eſſe ab Hungaris, L. II. c. IX. addit. Nobis hæc paucis, quia *Rokosſianorum* pro libertate ſua, contra Regem Sigismund. III., confœderatorum in ſequenti narratione ſæpius fit mentio, annotaſſe ſufficiat. Cætera enim ex rerum Polon. ſcriptoribus addiſcenda commendamus, quæ ad inſtitutum noſtrum haud ſpectant.

c) Conf. A. 1620. d. 16. Junii.

tervati. Hic iterum de frequentiori & universali conventu fuit habita consultatio, & tandem ita fuit conclusum, ut ad *Sendomiriam* non procul a *Pokrzynaice* universa nobilitas conveniret, ad quem conventum Rex etiam fuit invitatus, redditurus rationem regiminis sui. Rex *Vislitiam* profectus cum satis magno exercitu, missis ultro citroque legatis, promissis nobilitatem lactavit, donec tandem nobilitas moræ pertæsa difflueret domum quisque suam. Interim qui ad Regem convenerant, articulos quosdam ad *Rokossanos* miserunt, postulantes, ut, si illis Rex satisfaceret, contenti essent. *Rokossani* missis etiam suis ad Regem legatis, multo plura ab eo postularunt. Quos Rex repudiavit, & motis castris Palatinum cum aliis insecutus ad *Janoviciam Palatinum* cum *Radzivilio cepit*, *Studnicio* elapso; Ita tumultus isto anno sedatus fuit.

12. Maji in Koto iterum fuit decretum, ut cœptus *Rokos* interficeretur. * Convenere nonnulli ad *Andreoviam*. Sed literis & legatis Regis moti, nihil tunc moliti sunt. Rex ad comitia profectus, nihil postulata nobilitatis in Comitiis curavit. Comitia pro suo & suorum arbitratu finivit. Interim nobilitas ad *Varsauiam* confluxerat, vi rem prosecutura, si Rex postulata non acciperet. Comitiis finitis nobilitas Regi obedientiam renunciavit. Rex cum suis copiis eos insecutus usque ad oppidum *Skrzynno*, ad pagum *Cpizow* conflixit cum illis & dissipavit. Cæsa hominum mille & ducenti. Duces omnes salvi evasere. Deinde mense Septembri ad *Varsaviam* iterum confluxerunt nobiles, rem suam persecuturi.

Episcopi *Petricoviæ* hinc congregati, rogare, ne vi rem agerent, sed consiliis; Suam nobilitati operam ea in re promittentes. Acquievit nobilitas, & renunciationem etiam obedientiæ irritam esse voluerunt, si Rex postulatis satisfaceret. Sed neque Archi-Episcopus *Macicovius*, nec eo mortuo Episcopi *Cracoviensis* & *Cujaviensis* efficere quicquam potuerunt. Interim hyeme cessatum est.

Anno 1607.

23. Febr. ♀ hora matutina in ipso diluculo, post duos quadrantes horæ sextæ, secundum dimidiatum horologium, & paulo post undecimam, secundum integrum, natus est filius meus secundo genitus *Samuel Christophilus*. Sol in piscibus, luna in Capricorno, quinta die ultimæ quadrantis lunæ.

12. Maji Conventus in *Koto*.

28. *Rokoss* ad *Andreoviam*.

28. Maji

* Forte *continuaretur*.

28. Maji conventus ad *Varſaviam* ad concludendum *Rokoſs.*

7. Maji Comitia.

24. Junii renunciavit Regi obedientiam nobilitas.

5. Jul. Conflictus Regis cum nobilitate: pridie hujus conflictus ſomniavit uxor, ſe videre domi meæ ingentem Gallorum numerum ſemimactatorum, & ad terram ruentium. Deinde infinitum muſcarum numerum, *Racoviam* quaſi obtenebrantium. a)

Die Stephani natus erat Regi filius *Fridericus*, ſed paucis diebus poſt mortuus.

Oppavia ab exercitu *Epiſcopi Olomucenſis* capta, & non pauci ſenatores contrucidati fuerunt, quod, cum iſthic eſſet, ab artificibus & pueris luto fuiſſet petitus. Exemplar patientiæ Epiſcopalis.

Anno 1608.

17. Decembr. hyems & frigus cœpit intenſiſſimum, & duravit absque ulla intermisſione integras undecim ſeptimanas. Quæ res omnium hominum memoriam excesſit. Deinde facta aliqua reſolutione, usque in 3tium diem, frigus continuum & vehemens duravit tres adhuc ſeptimanas.

Menſe Januario mortuus eſt Archi-Epiſcopus *Gneſnenſis, Bernhardus Macicovius.* b)

Mortuus eſt etiam *Palatinus, Braclavienſis* princeps, & *Palatinus Kyovienſis* princeps *Oſtrogius.*

Fama confirmata eſt de Moſcho *Demetrio* vivo, c) & ad principatum iterum aſpirante.

na-

a) Extra oleas vagaremur, ſi hiſce, quæ ad bellum illud inteſtinum, perquam celebre, pertinent, illuſtrandis operam daremus. Hoc tamen facere non poſſumus, quin paucis moneamus, has ipſam in rem ſuam turbas, a partibus Regis, ſi qua fieri poſſet, ſtando, & omni tamen ſtudio id diſſimulando, callide convertiſſe *Socinianos*; Certe, quemadmodum ſupra jam animadverſum eſt, nunquam latius cœtus ſuos atque inſtituta propagaſſe, quam ſub *Sigismundo III.* Pol. R.; quo mortuo notabiliter eorum machinationes artificioſas contra concidiſſe, jam dudum obſervavimus. De reliquo, ſi qui ſint, qui plura de bello hoc civili, & Nobilium adverſus Regem ſuum fœdere, deſiderent noſſe, eos, præter *Piaſecium, Paſtorium,* aliosque ſimiles, *Stanislai* potiſſimum *Lubieniecii* (Lubiensky,) Epiſc. Plocenſis, *Opera poſthumæ* Antwerp. A. 1643. ed., in quibus motus hi A. 1606. concitati, & A. 1608. demum finiti, fuſe deſcribuntur, atque *Alex. Cillii* eorundem ex profeſſo, ac ſeparatim *Piſtojæ* 1627., publicatam enarrationem, Italicaque lingua conſcriptam, conſulere jubemus.

b) Vid. ſupra A. 1604. d. 17. April.

c) *Demetrio II.* vulgo dicto, cui genuinum *Gregorii Schacopsky* nomen erat, cædem nuperam ſe evaſiſſe, aliumque ſuo loco trucidatum, perhibente. Quem a *Po-*

26. Febr. obiit nobilissimus vir *Georgius Otwinowsky*.

24. April. Convocatio *Cracoviæ* habita Senatorum. Ibi *Palatinus* a) cum Rege 6. Junii in gratiam rediit. Eodem die sepultus *Palat. Kyoviensis*, Ruthenus religione, princeps illustrissimus *Ostrovianus*. *Morscovius* junior minister Hoystrensis b) mortuus est. In locum ejus succesit D. *Andr. Lubinecius*.

31. Julii venerunt *Racoviam* Claudiopoli *D. Valentinus Radecius* cum tribus istius civitatis primariis senatoribus *Emmerico Bognero Stephano* - - - Vngaro. *Joh. Beuschel*, alias *Stentzel*: Saxonibus. Exorato a cœtu *D. Radecio*, iterum discesserunt. c)

In *Synodo Lublinensi* missus sum una cum Magnifico Dn. *Palatinide Podoliensi*, visitatum Ecclesias *majoris*, quam vocant, *Poloniæ*. Iter igitur ingressi 2. Septembris venimus ad cœtum *Lencicienſem*, 7. ad *Cujaviensem*, 14. *Toruniam* etiam visitavimus; Ad Smigliensem d. 21. Septembr. Hinc per *Silesiam* iter facientes transivimus *Wratislaviam*, *Brigam*, *Opoliam*, d) & deinde rursus in *Poloniam* reversi sumus 3. Octobris, rebus ubique feliciſſime peractis.

24. Octobr. D. *Franconii* e) uxor pientissima, *Marianna*, obiit. Hoc

lonis porro armis, successu ab initio haud destitutis, adjutum, & a *Maria* illa *Sendomiriensi*, pro marito agnitum, sed a *Basilio Joh. Zuskio*, Suecorum auxilia implorante tandem ad incitas redactum & interfectum esse, partim jam ante dictum est, partim aliunde satis constat. Noster de altero hoc *Demetrio* magis, quam de priori, videtur, impostor ne fuerit, an ingenuus *Joh. Basilidis* filius, dubitasse.

a) Cracoviensis, ut puto, *Nicol. Zebridovius*, fœderis contra Regem initi moderator princeps.

b) *Hoysiam* Sandius in *Andr. Lubienicii* vitæ & scriptorum enarratione appellat oppidulum illud, de quo h. l. *Smalcius* mentionem fecit. Cæterum *Morscovius* iste junior, quo prænomine insignitus fuerit, investigare nondum potuimus. A *Petro* autem *Morscovio*, auditore *Crellii* sedulo, & *Jacobi Siennii* post fata A. 1639. parentatore, distinguendum esse, vel ipsa ætas utriusque condocet.

c) Quoniam jam ante *Claudiopolin Racovia* abierat *Valent. Radecius*, per legatos hosce, non tam de eo arcessendo, quam retinendo in *Transylvania*, tanquam ordinario Pastore, aut *Plebano*, uti vocare consueverant, videtur actum esse. In quo etiam munere ad vitæ usque finem perstitisse, Virum perquam facundum, & A. 1630. diem obiisse, *Sandius* refert: quem diem tamen mortis, si quid judico, rectius venerab. Dn. *Lauterbachius* longius porrigendum censet.

d) Nam & in *Silesia* hinc inde quidam sparsim habitabant fratres, tametsi cœtus nondum collectos haberent, nisi domesticos, & hos quoque minus frequentes ac rariores. Quos *Smalcium* quoque cum sociis invisere ὡς ἐν παρόδῳ interdum consuevisse, jam alibi observatum est.

e) Vid. ad seq. annum annotata.

Hoc anno murium fuit tanta copia, ut magnam omnium frugum partem in *Palatinatu Cracoviensi* consumerent. Hinc consecuta est annonæ charitas.

Legatus Regis in *Moscoviam* missus, *Castellanus Malagostensis*, *D. Olesnicius*, domum reversus est, biennium ibi detentus in carcere.

Hoc anno tanta fuit vini in *Hungaria*, & in *Transylvania* nominatim, copia, ut integrum vas, 80. quas vocant ollarum capax, uno floreno Hungarico h. e. 100. solidis veniret. Et hoc ad me scripsit Minister Claudiopolitanus D. *Valent. Radecius*.

Anno 1609.

29 Maji *Rex* cum *Regina*, sorore & filio utroque, & cum universa aula sua *Cracovia* discessit, *Vilnam* versus, ad continuandum bellum *Livonicum*, vel etiam ad *capiendam Moscoviam*, incerto tunc principe vagantem.

6. Junii *Lublinum* ingressus est. Ego fratribus ita jubentibus *Lublino* discessi ad 10. Jun. Deinde reversus Synodo interfui, in qua omnia peracta felicissime. Inter alia mihi cum *Magnif. Dn. Palatinide*, & *Generoso D. Morstinio, Christophoro*, Capitaneo Philippoviensi, cum ministris item D. *Christoph. Rudnicio & Josepho Domanievio* cura visitandi cœtus *Lithuanicos*, in Synodo *Neogardiensi* d. 4to Octobr celebranda commissa fuit.

18. Julii ♄ hora noctis semitertia secundum integrum; undecima vero sec. dimidiatum horologium, natus est filius meus *Theodorus* tertia lunæ quadratura, ☉ in cancro, ☽ in aquario.

Vivat Deo & Jesu Christo.

Huic & *Samueli*, biennio ante nato, hoc Eteostichon canebat frater in Dn. charissimus, vir industrius, D. *Daniel Franconius*, a) collega Scholasticus.

Læta DIes SaMVeLI orta est, resonate Parentes 1607.
IaM Theodore tIbI. { Protege ChrIste tVos / ChrIste tege hos pVeros } 1609.

21. Septembr. iter illud *Lithuanicum* cum assignatis sociis ingres-

a) Gymnasii Racoviensis σύνεργος iste *Franconius*, a *Lubieniecio* quoque in *Hist. Ref. Polon.*, tanquam *Poeta celeberrimus*, f. 249. laudatur, atque *Vir pius* nuncupatur, ingentia vero ejus ex priore uxoris marito *Crausio* nati privigni scelera ita l. c. narrantur, ut non obscure patris, seu vitrici potius, hinc orta domestica quoque calamitas deploretut. Cæterum & hunc *Danielem* Franconiam nostram patriam habuisse, atque hinc cognomentum illud adeptum esse, perquam dilucide videtur

ſus in *Pokioniow* in *Podlachia* apud viduam *Caſimiriam* certiores demum facti de meticuloſitate fratrum *Lithuanicorum* e medio itinere domum reverſi ſumus.

In *Podlachia* perſuaſi nobiliſſimo juveni D. *Johanni Krotkovio*, ut munus miniſterii ſuſciperet. a) Deus ei benedicat.

9. Novembris Illuſtris ex familia *Freilegiana Sophia Samotulia* diem ſuum obiit.

7. Decembr. pientisſimus Fr. D. *Severinus Martini*, Danus, obiit.

Omnia quæ de *Demetrio Moſcho* ſparſa erant, quod ſc. in vivis eſſet, vana fuere. Noluit nimirum Deus, eum in vivis eſſe, qui agnitam veritatem tam ſuperciliose reſpuebat, b) & qui ipſisſima ſuperbia ſuperior eſſe cupiebat. Alius vero quis, c) ejus nomine, *Moſcoviam* vaſtare, & imperium in ea affectare cœpit. Ad hunc multa *Polonorum* millia confluxerant, & ei militarunt non infeliciter. Sed *Rege* ſuperveniente An. 1610. eundem deſeruerunt. Hic collectis iterum copiis viriliter ſe geſſit, & Polonos Equites ad ſe pellexit, & ita res in dubio manſit.

Rex *Smolenſcum* obſedit, ſed hoc anno nihil profecit.

Anno 1610.

1. Maji Magnificus D. *Palatinides* rogavit me, nomine D. *Johannis Grotcovii*, d) ut filiam meam *Chriſtinam* e) ſibi in matrimonium collocarem. Re deliberata, & conſilio ab amicis petito,

d. 2. Jun. in *Luclavice* eam illi promiſi.

d. 30. Jun. nuptiæ celebratæ ſunt.

l. c. innui: utut, qua occaſione in *Poloniam*, & cœtum Socini dogmata probantem tranſierit, nihil omnino legatur annotatum.

a) *Luclavianæ* Eccleſiæ, ut videtur, in *Provincia Cracovienſi*, quæ F. *Socino* extremam ſedem & ſepulchrum quoque, ut notum eſt, præbuit, & Gymnaſio etiam, ab exteris diu multumque frequentato, claruit, cujus aliquando *Valent. Baumgartius*, antequam *Claudiopolitanus* fieret Paſtor, Rector fuit.

b) Vel hinc patet, pro genuino *Joh. Baſilidis* filio primum illum *Demetrium* a *Socinianis* fuiſſe habitum. Quorſum vero ea ſpectent, quæ *agnitam* huic Plano *veritatem* tribuunt, verba, non aſſequor. Pontificiam enim vulgo fertur, conjugii non minus, quam auxilii a Polonis impetrandi ſpe, approbaſſe religionem. Hanccine vero a *Smalcio* veritatem dictam putes, an *Socinismum* (conf. ſupra Cap. II.) non liquet. Mirum profecto, ſi Socini placita *Demetrius* iſte, quod ex hoc loco colligi non temere poteſt, ſectatus eſt, aut ſe conſectari certe ſimulavit.

c) *Demetrius* vulgo Illus appellatus; de quo plura diſſerere nihil attinet.

d) Ejusdem, de quo paulo ante dictum eſt, Miniſtrum Eccl. *Luclavianæ* nuperrime conſtitutum eſſe.

e) Quam natam ſibi ſupra commemoravit primogenitam A. 1595. d. 8. Maji.

O Deus, qui Deus meus hactenus fuisti: Esto &
horum meorum, novorum conjugum Deus.

Hoc anno m. Aug. d. 20. occisus fuit *Stanislaus Stadnicius*, qui annos integros tres vel quatuor belligeratus erat, cum D. *Opalinio* Capitaneo *Lezaiſcenſi*, ob leviſſimam offenſam; perierunt iſtis bellis civilibus aliquot hominum millia. Ipſe *Stadnicius* a quodam famulo, vel equite levis armaturæ (*Kozak*) capite fuit truncatus. Vxor ipſius paulo ante capta fuerat ab eodem Capitaneo: Sed poſt mortem mariti dimiſſa eſt.

Hoc anno Fr. Dn. *Oſtorodi* moroſitas a) eo usque proceſſerat, ut ſententiam univerſi cœtus carpere, & in libros omnium conſenſu editos animadverſiones, easque rigidas & iniquas, ſcribere non dubitaret. Qua de re fratres a me ſæpe moniti, decreverunt tandem in Synodo primum *Lublinenſi*. (quæ ſub Feſtum *Pentecoſtes* celebrata eſt, ſed non finita fuit) deinde in Synodo *Racovienſi*, (3. Octobr. habita,) ut fratres eo mitterentur, qui re penitus inſpecta tanto morbo medicamentum afferrent.

Legati erant

Illuſtris D. *Palatinides*, *Jacobus Sienienius*.

Magnif. D. *Hieronymus Moſcorovius*.

Generoſ. D. *Adamus Goslavius*. b)

Miniſtri D. *Joh. Volkelius* Smiglienſis, c)

D. *Andreas Voidovius*, Lenciczenſis. d)

Ego cum *Genero meo*, e) & D. *Johanne Cpiliovio*, Racovienſes.

 Iter

a) *Buskovii* adhuc cœtum *Socini* dogmata tenentem gubernantis. Non ſine cauſſa, *moroſum* fuiſſe, h. l. ſcripſit *Smalcius*. Ex quo namque tempore iſtic ſedem fixam conſtituit, ſemper cum eo cæteris ſodalibus dimicandum fuit, non tantum ſuper ea quæſtione, quam noſter p. p. commemorat recens motam & in controverſiam vocatam, ſed ob alias quoque cauſſas, inter quas rigor maximus, de *bellis*, *magiſtratu gerendo*, de *actionibus forenſibus*, *jurejurando*, *divitiarum poſſeſſione* & ſimilibus penitus rejiciendis, & cum Chriſtianiſmo nullo modo conciliandis, *Oſtorodo* nunquam non probatus eſt magis, quam cæterorum mitior ſententia. Acceſſit ad hæc ingens in urgenda *diſciplina Eccl.* & *proſcriptione* ſacra, ſeu delinquentium e cœtu ſuo exterminatione, rigor; ex quo diſtractio periculoſa metuebatur.

b) Nobiles Poloni & miniſterio ſacro non perfuncti.

c) Ex *Philipovienſi* cœtu nuper huc translatus.

d) Explenda ex hoc loco eſt *Biblioth. Sandiana*, in qua, poſt *Lublinenſis* cœtus gubernationem, *Racoviam* commeaſſe *Voidovium* perhibetur, hinc autem *Lenciczia-no* cœtui (quæ urbs medio loco inter *Ravam* & *Gneſnam*, Archiepiſcopi primatis ſedem, in *Polonia majore* interjacet,) ad tempus aliquod præfuiſſe elucet.

e) *Grotkovio* paullo ante memorato.

Iter ingreſſi 12. Octobris pervenimus in cœtum *Lencicienſem* 16. Octobris. Ibi fratribus ſalutatis, & iis, quæ ad cultum Dei pertinebant, perfuncti, diſceſſimus recta *Gedanum*. Venerant eo fratres omnes *Medzicicenſes*, Generoſus Dn. *Caſp. Sack.* a)

Nobilis Vir *D. Trebiecki*

Famoſus *Nicolaus Hofman.* b)

In horum præſentia, & aliorum fratrum ſeniorum *Buſcovienſis* cœtus, actum eſt cum fratre. Qui, ut breviſſime rem exponam, offenſus eo, quod affirmabam: *Non omnia Chriſti & Apoſtolorum præcepta eſſe neceſſaria ad ſalutem*, fraternitatem nobis renunciare cogitabat. Sed agnito errore ſuo veniam deprecatus eſt, & valde indoluit, quod ita duriter nos tractaſſet. Ita reliquis intactis diſceſſum eſt invicem.

Fratres etiam *Gedanenſes* viſitavimus.

Senatus *Gedanenſis* Illuſtrem Dn. *Palatinidem* honeſtiſſime excepit.

Mariæburgi fratrem captivum viſitavimus *Georgium Hœllenium*, pro quo fratres apud D. Palatinidem *Kœska* interceſſerunt.

In reditu 4. Decembris Dn. *Philippum Zboznego Zrkzevium* ſepelivimus.

Rex *Smolenſcianam* obſidionem urſit, ſed fruſtra.

Anno 1611.

1. Jan. diem ſuum obiit Magnifica *Catharina Niemeriana, Caſimiria, Lublini.*

20. Jan. D. *Andreas Voidovius*, Miniſter, amicus meus ſummus, *Cracoviæ* a ſtudioſis *Cracovienſibus* in ſuburbio *Clepavienſi* captus, cæſus, in fluvio

a) Pluribus jam de *Sakio* illo, ejusque in finibus extremis *Poloniæ* & partim in *Pomeraniæ* atque *Marchiæ Brandenb.* confiniis ſitis, valde multis ac locupletibus prædiis, ipſiusque horum Toparchæ in *Germanos* recens adventantes patrocinio & liberalitate ſupra jam actum eſt; cæteri autem *Trebickius* & *Hoffmannus* nobis ignoti ſunt, utut, hunc quoque Germanum fuiſſe, nomen tritiſſimum inter noſtros prodat. Cæterum quos *Medzicicenſes* heic *Smalcius* nominat *Polonica* voce, Germanice *Meſericenſes* vulgo appellari conſtat. Quod, ne quam inter legendum hæc, & ſuperiora quoque, in itinere *Vogelii*, atque epiſtolarum iſtuc miſſarum occaſione ſubinde memorata, remoram injiciant, nomina loci diverſa, h. l. iterum monendum duximus.

b) Hic idem ille *Hofmannus* eſt, cujus etiam, tanquam fratris, in quem cum lætitia inciderit *Vogelius*, cum *Poloniam* a limine ſalutaſſet, b. *Hutterus* in Epiſt. Cap. III. §. 2. producta meminit: Qui procul dubio Germanus fuit, at de reliquo obſcuriſſimus manſit. *Georgii* equidem *Hoffmanni* civis *Smiglenſis*, in cujus gratiam *adverſus Hutterianos ſeu Moravianos Anabaptiſtas* libellum A. 1606. germanice *Smalcius* ſcripſit, memoria tanquam Germani natione con-

fluvio *Rudava* aliquoties immersus, & omnibus exutus, vix tandem divina providentia servatus est. a)

24. 25. 26. Tanti fragores extitere, ut pro terræ motu haberentur.

8. Maji Synodus *Racoviæ* habita. Ad cœtum in ea admissi 30.

Ad sacram Synaxim 400. accesserunt. In hac decretum est, ut ego cum M. D. *Palatinide Sienienio*, D. *Morstinio*, Capitaneo Philippoviensi, G. D. *Stanislao Moscorovio*, RR. DD. *Christophoro Lubieniecio*, & *Christophoro Rudnicio* ad Synodum *Lithuanicam*, 29. Jun. celebrandam, proficisceremur.

Interim 19. Maji diem suum obiit D. ille *Moscorovius*.

Ego cum reliquis iter ingressus, felicissime illud absolvimus, visitato etiam cœtu *Podlachiensi*.

Mense Julio Illustris, ex *Frilejorum* b) familia, *Suenatia*, soror nostra, obiit.

servata est, at *Nicolaum* hunc filium ejus aut fratrem fuisse, non ausim temere pronunciare: utut alterutrum horum credibile sit.

a) Ingens protervitas & petulantia nefanda; sed inter discipulos ejus ordinis, qui *Societatis Jesu* nomen singulariter affectat, haud infrequens, præsertim in *Polonia*. Neque in *Anti-trinitarios* duntaxat exercita sæpissime, sed adversus dissidentes, quos vocant, cujuscunque generis, maxime omnium *Cracoviæ* sæpe numero commissa legitur. Vbi, quid *Evangelico-Lutheranis* acciderit haud raro, brevi compendio, ex *Diario Eccl. Cracoviens.* excerpto, narratur, in *Recens. Nov-Antiq.* A. 1717. f. 50. seqq. & inter alia id genus specimina, hoc eodem fere tempore edita, etiam funerum, si quando mortui efferrentur, aggressiones inhumanæ, nec impar *Voidovianæ* calamitas, quæ Dn. *Lyskowizio* Med. D., Evangelicæ religioni addicto, accidit A. 1617., commemorantur. Haud dissimilia fata *Socini* alibi jam narravimus a *Radecio* amicissimo descripta. Cum quibus ea, quæ idem *Socinus* adversa A. 1594. in ipsa urbe hac *Cracovia*, & in publica quidem platea, a *Wiernekio* quodam, cum comitibus ad ipsum exagitantibus concitatis, luto inter alia ore ejusdem oppleto, passus sit, conferantur, ipsiusmet *Socini* calamo ad *Voidovium* perdilectum p. p. perscripta. Vid. T. I. Opp. *Socini* fol. 473. seq.

b) *Firlejam* hanc gentem sæpius, & quoties ejus meminit, nominat *Lubienicius*. Bene an male, non pronuncio. Multis namque scatere ejus *Hist. Ref. Polon.* mendis, in nominibus præsertim hominum Polonicis, quacunque demum manu aut oscitantia commissis, notum est. Vtut in hoc nomine rectius exscripto, & alibi sæpius occurrente, videatur nostro MSto præferendus. Cæterum, utrum soror hæc *Andreæ Firleji* Castellani *Belsensis* primum ac deinceps *Palatini Sondomiriensis* soror fuerit, nec ne, dicere non possum. Cognatam certe, & consanguinitate ei junctam fuisse, haud dubitamus. Eaque occasione per fœmellas hujusmodi commoda sua mirum in modum promovisse *Socinum* cum affectatoribus observamus. Cujusmodi plures paullo post, & a *Lubienicio* passim, laudantur.

15. Julii Illuſtris *Sophia Zielenia*, *Orechovia*, Succamerarii Lublinenſis uxor, a) ſoror noſtra, obiit.

8. Auguſti h. 7. veſpertina mortuus eſt *Gedani* D. *Chriſtophorus Oſtorodus*, Eccleſ. *Buſcovienſis* Miniſter, b) ſummus meus amicus, & pater quodammodo ſecundum fidem. Nam ab eo initia veritatis didici *Smigliæ*.

Hoc anno ſpes affulſerat, concordiam iniri poſſe cum Evangelicis, ſed comitiis intervenientibus omnia omiſſa ſunt.

Comitia 26. Septembr. cœperunt Varſaviæ.

10. Octobr. Generoſa *Sophia ex Biberſtein, Jaroſſovia*, diem obiit *Racoviæ*. c)

11. Junii *Smolenſcum* vi Rex expugnavit; quod a *Moſcho* annos centum, minus tribus, retentum fuerat. d)

19. Jun. Vrbs Regia *Sandecz* tota conflagravit cum muris quibusdam & templis muratis tribus.

Hic annus Protomartyrii in *Polonia* fuit initium. Primum enim *Vilnæ* in quatuor partes diſſectus fuit Italus quidam *Francus Franci*, e) nobilitatus a Rege, propterea quod die, quem Chriſti corporis vocant, in

a) *Zelenia* hæc dicitur *Lubienicio*, & ſupra jam ejus, tanquam matronæ, quæ in plurium *Librorum Socinianorum* impreſſionem ſumtus expenderit, mentio facta eſt. Nunc, *Lublini* vixiſſe, & *Stanislani Orichovii*, *Archicamerarii* tandem *Lublinenſis*, uxorem fuiſſe, paucis addimus.

b) Sic ergo cum anno adhuc obſcuriori etiam dies tandem extremus vitæ *Oſtorodi* ex hoc *Diario* cognitus eſt, quem & noſtri *Noribergenſes* interrogati ignorarunt, & *Sandius* quoque omiſit, hinc ſupplendus. Fata Germani hujus, & inter omnes *Socini* aſſeclas *rigidisſimi*, ſupra jam deſcripta, non eſt, cur h. l. repetamus. Quod reliquum eſt, acta *Oſtorodiana* cum *Goslarienſi* Miniſterio Eccleſiaſtico, quæ b. *Heineccius* ex MScto, a Cl. Viro *Juſto a Dransfeld* ſecum communicato, loco ſupra citato (Cap. II. §. 34.) produxit, typisque exprimi curavit, cur ſuſpecta quodammodo redderentur in *Recenſ. Nov. Antiq.* A. 1704. f. 457. eo nomine, quod in *Goslarienſis Miniſterii* S. monumentis aſſervatis illa haud reperiantur, cauſſæ nihil fuit. Quoniam multa hujusmodi, perinde ut *Noribergenſia* hæc noſtra, clam haberi ſolent, & quæ ſolenniter ac publice agitantur, fere ſola, neque ea quoque, ob varias cauſſas, cuncta, litteris quoque conſignata ad poſteritatem transmittuntur, in tabulariis recondita. Sufficit ea, ut narrantur, ita geſta haberi, ut hiſtoria *Socinifmi* cum perſonis, tam accurate enumeratis, & circumſtantiis omnibus exacte conveniat, & *Smalcianis* aliisque in patria actis pulchre reſpondeat.

c) De *Sophia* hac *Biberſtenia* nihil hucdum innotuit nobis. Ex ea tamen gente, quam deſcribit L. III. c. XIII. f. 255. *Lubienicius*, ortam, &, ſi conjectura nos haud fallit, *Nicolai Caſimirſcii* gente *Biberſtenii*, patroni *Socinianorum* maximi, ſororem fuiſſe, veriſimillime colligimus.

d) Poſt *biennem* fere obſidionem hanc urbis expugnationem tandem eſſe ſequutam, non ſine ingenti *Moſcorum* ſtrage, notiſſimum eſt.

e) *Francum de Franco* nuncupat *Lubie-*

in ſuggeſto ad Idololatriam exercendam eo die extructo ſtans, populum clara voce monuerit, ne rebus mortuis eum tribuerent honorem, qui ſoli Deo debetur, metuentes horrenda Dei judicia. Tormentis ſubjectus, aliud nihil faſſus eſt, quam ſe conſcientiæ ſtimulis adactum id feciſſe. Hæc fuit Jeſuitarum & Reginæ a) prima laniena. Nam Rege abſente id factum eſt.

Deinde *Varſaviæ* frater noſter, civis *Bielcenſis* ex *Podlachia*, *Iwanko Tyskowicz*, horrenda morte ob ſolam religionem extinctus eſt. Nam & lingua ei exſecta, manus & pes amputata, caput detruncatum, & ipſe tandem in foro publice combuſtus eſt. Occaſio tanti facinoris hæc fuit. b)

Fuerat huic fratri noſtro avunculus dives valde, cujus opes omnes ad *Iwanckum* ſpectabant. Erat etiam *Conſul Bielscenſis* conſanguineus ejusdem avunculi *Iwanckoviani*, ſed remotior illo. Is quia patrimonium ambiebat, & juſtis modis potiri illo non poſſet, hac fraude uſus eſt. Curavit, ut ipſius conſanguineo *Iwancko* cura urbis & ejus proventuum annuaria committeretur. Qua *Iwancko* perfunctus, juſſus deinde fuit, juramento confirmare, ſe fidelem in ea functione fuiſſe. *Iwancko* primum recuſare, deinde vero aſſentiri. Juraturo allatus fuit crucifixus, per hunc jurare noluit. Juſſus jurare per Trinitatem, itidem recuſavit: preſſus rigido decreto, ſuaſu & conſilio nobilitatis, citavit ejus oppidi Conſules ad Tribunal, c) hinc remiſſus ad

nicius L. III. c. II. extremo *Hiſt. Ref. Polon.*, cujus brevitatem nimis conciſam ex hac *Smalciana* narratione paullo uberiori dilucidare juvabit.

a) Auſtriacæ, *Conſtantiæ* nomine, *Caroli* Auſtriaci, *Græciæ* habitantis, filiæ, & *Ferdin. II.* Imperat., dehinc Cæſ. Auguſti, ſororis, quam *Sigism. III. Pol. R.* A. exeunte 1605. uxorem ſecundis votis duxerat A. 1631. defunctam. Eam cum ob alias cauſſas, tum vero ideo minime Polonis gratam fuiſſe conſtat, quod prioris *Sigismundi III.* Conjugis *Annæ*, Auſtriacæ, germana eſſet. Cætera ad noſtrum inſtitutum non pertinent.

b) Hujus quoque rei, quam *Tiſcovicio*, *incolæ Bielſcenſi*, ut vocat, accidiſſe ait breviſſimis meminit l. c. *Lubienicius*, quibus Smalcianæ hæ circumſtantiæ diſtinctius enarratæ multum lucis affundunt. Cauſſas enim triſtiſſimi hujus eventus cæteri omnes ſiluerunt.

c) Non *Dei*: quantumvis hujusmodi quid (de quo, anne licitum ſit, eo provocare, alias disquiritur,) h. l. videatur intelligendum; ſed ſupremum, ni fallor, Lublinenſe, a quo & paucis ſimilibus in *Polonia* cauſſæ graviores dijudicantur, unde, cum pro *Iwanko* pronunciatum eſſet, porro ad *Reginam*, a qua *Bielſcenſis* præfectura dependebat, adverſarii ejus provocaſſe dicuntur, quæ tandem ad primos Judices, Tribunalis ſententia infirmata, rem omnem revocavit. Quo etiam tandem factum eſt, ut rigidum tandem illud ſupplicium decerneretur, & executioni mandaretur. Pluribus hæc Auctor *Gallicæ Hiſt. Socinismi* P. I. Cap. XXV. recenſuit, & fa-

ad oppidum, vocatus fuit mandato ad aulam. Ibi post Comitia, instigante *Legato Papæ Romani*, accedentibus calumniis adversariorum, tam atroci morti adjudicatus fuit. Quia enim per Crucifixum & Trinitatem jurare noluit, traductus fuit, quod Crucifixum in terram projectum pede conculcarit, & Deum blasphemarit. Et propterea lingua, ut blasphemo, exsecta, ut Crucifixi projectori & conculcatori manus altera, & pes alter amputatus: Quia ad tribunal citarit, tanquam contumax decollatus: Quia denique hæreticus, combustus.

Hujus hominis simplicis & idiotæ tanta fuit constantia, tantus zelus, ut omnes, qui morti ejus interfuerint, satis utrumque prædicare non possent. Nullis enim Jesuitarum & Monachorum persuasionibus & minis a proposito deterreri potuit. De innocentia sua prolixe testatus est. Adversariorum calumnias populo exposuit, se ideo mori, quia noluerit Pontificiam religionem impiam amplecti, & quia facultates ei adversarius invideat. Pro hostibus suis Deum deprecatus, summa cum alacritate tam diram mortem subiit.

Deus largire mihi talem animum!

Legatus Pontificius *Varsaviæ* paullo post mortuus est.

Anno 1612.

1. Jan. rediens ex congregatione *Petricoviensi* frigore nimio fractus incidi in morbum fere lethalem. Cum quo conflictatus duos integros menses, tandem eum superavi, Dei beneficio: Cui sit honor & gloria, Amen.

Post obitum D. *Ostorodi* compertum est, eum id molitum fuisse, quod fratribus sæpe prædixeram, nempe ut Ecclesiolam illam, ex meris plebejis collectam, adversus omnes *Ecclesias Polonicas* inflaret, & irritaret. a) Quia vero nonnulli erant, qui id deprehenderent, hinc schisma, ipso adhuc vivente ortum, post mortem ejus vehementer con-

ces quoque tubasque reliquorum, post prima initia, de quibus h. l. *Smalcius*, actorum prodidit: quem consulere non pœnitebit.

a) Hæc *Ostorodi* morositas sine dubio in caussa fuit, cur in obscuro illo remotiorique a sodalibus cæteris loco *Buscow* ad mortem usque relinqueretur, neque aliis majoribus cœtibus *Socinianis* præficeretur; immo vero vix unquam, nisi ab initio, ad Synodos coactas, ubi de rebus totius societatis, aut singularium locorum ac personarum, deliberandum esset, adhiberetur. Eo namque erat ingenio, ut, nisi quod ipse faceretque sentiretque, rectum putaret, & ad extrema quæque, ubi aliquando cespitatum esset, provolaret. Eo prorsus modo, quo in *Belgio* & *Frisia* vicina tot inter Anabaptistas, per præcipitatas austerasque quorumcunque, a cæteris discrepantium, aut peccantium, ejectiones e cœtu reliquorum, innumerabiles distractiones ortas esse constat. Cum quibus tamen ipsis *Mennonitis* non satis bene *Ostorodo* convenit.

confirmatum fuit, accedente nimirum negotio quodam matrimoniali, in qua ſententiam ſuam D. *Oſtorodus* nimis libere pronunciaverat.

Decretum igitur fuit in Synodo *Racoviæ* habita anno 1611., ut ego cum Domino *Chriſtophoro Lubiniecio* a) iſthuc proficiſceremur, ſi ſentiremus, iſtas turbas per literas mutuas componi non poſſe. Compertum etiam, quod, quo diutius durabant, tanto fierent acerbiores. Tandem ſerio anno 1612. ea de re conſultare cœpimus, & ego quidem, omnibus aliis de itinere ſuſcipiendo, vel conficiendo, tum ob ſumtuum magnitudinem, tum ob comitum aſſumendorum, & ipſius itineris, tempore verno, difficultatem deſperantibus, effeci, ut *D. Lubieniecius* mecum iter ſuſcipere non detrectaret. Interim *D. Moſcorovius*, rei magnitudine intellecta, facile paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut una mecum iret, etiamſi D. *Lubieniecius* venturus fuiſſet. Sed cum paulo diutius moraretur, ego cum D. *Moſcorovio*, adhibito nobis comite *genero* meo, b) 3. April. iter ingreſſi, fratribus *Lencicienſis* cœtus viſitatis, in *Buskow* pervenimus 13. April., ubi fratribus convocatis tractavimus, & effecimus, 1) ut omnes ſimultates ſepelirentur, 2) ut D. *Vlricus* pius *Herwart.* Fr. pro Miniſtro ab omnibus reciperetur. Hinc *Gedanum* profecti, a cœtu ſegregatos nimis rigide, c) vel dimiſſos leviter, (α) ad eundem reduximus non paucos, (β) cum perverſis quibusdam colloquium habuimus (λ) cum *Mennonitis* d) de ratione conjungendarum Eccleſiarum ipſorum, & noſtræ egimus; quæ res deinde literis a Synodo ad iſtos fratres datis, confirmata eſt, (δ) fratribus quotidie familiariſſime uſi ſumus, & eorum nos animis penitiſſime inſinuavimus.

Tandem 24. Apr. inde digreſſi in itinere d. 1. Maj. interfuimus ſe-

a) *Senior* ille dici ſolet, *Stanislao* patre prognatus, qui Miniſter t. t. Eccl. *Racovienſis* ad A. 1624. usque, quo diem obiit ſuum, fuit, & *Chriſtophorum* genuit, *juniorem* vulgo appellatum, A. 1648. Lublinenſis cœtus Miniſtrum, a quo Senioris iſtius nepos *Stanislaus*, *Reform. Polon. Hiſt.* ſcriptor, genitus eſt; quem *Hamburgi* A. 1675. veneno, ut ferunt, cum filiabus, incertum, quo caſu, periiſſe nemo ignorat, pluribusque vitæ ejus hiſt. p. a memoratæ ante poſita condocet.

b) *Grotkovio*, de quo ſupra.

c) En *Oſtorodianæ* aſperitatis documenta! de quibus potiſſimum cæteri ex eodem grege ſæpenumero & jam diutiſſime conqueſti ſunt; quorum & nos ſuperius memineramus. Cum quibus ejusdem *Inſtit. German.* (*Racoviæ* impreſſæ; unde vero, longius etiam, quam iſtic docuerat, deinceps progreſſum eſſe, conjicimus,) Cap. XXIX. comparari poſſunt.

d) Hoc de conſilio jam diu agitato nos Cap. II. §. 5. & 32. diſſeruimus. Quis autem fuerit eventus, is nimirum, ut nominatim cum *Socinianis* etiam *Mennoniſtæ* & *Anabaptiſtæ* cuncti tandem e *Polonia* univerſa exterminarentur, Decreta, quæ proſtant, Regum poſthac ſequutorum omnium, jurejurando firmata, commonſtrant.

ſepulturæ filii D. *Alberti Zerzerii*, *Conſtantini.* Ibi ſermone Domini annunciato inter extraneos non paucos domum verſus recta properavimus, & tandem 7mo Maji pervenimus. Laus ſit Deo & Jeſu Chriſto Domino noſtro perpetua. Amen.

21. Junii cum D. *Moſcorovio* iter ingreſſus *Lublinum* venimus: ibi, quod anno ſuperiori cum Evangelicis cœperamus, unionis Chriſtianæ a) negotium redintegravimus in Synodo ipſorum. Sed fruſtra; Primum enim ſpe nos lactarunt inaniſſima. Deinde ſatis impudenter nos repudiarunt. Deus illorum (ut fere deploratorum,) clementer miſereatur. Nec perſuaderi illis potuit, nos hoc ſolo divinæ veritatis & ſalutis ipſorum ſtudio facere. Sed partim ſperabant, nos aliquot confeſſionis noſtræ articulos abnegaturos, ut ab illis reciperemur nos, qui eos recipere parati eramus: partim credebant, nos ipſorum tutelam potius, quam fraternitatem hoc nomine captare. Quod utrumque prodidit ipſorum magnam ſtupiditatem & præſumtionem.

Vltimo *Junii* domum reverſi ſumus.

Anno 1612.

Hoc anno ad nos venerunt extranei juvenes *Wildebrandus Forkenbecius*, *Monaſterienſis Weſtphalus*, 23. Decembris.

Jo-

Quorum ſummam in elegantiſſima *Biblioth. Philol-Hiſt. Bremenſi* Claſſ. VIII. Faſcic II. n. 2. videre eſt.

a) Notabilis hic præ cæteris locus eſt, & narratio tentatæ inter *Evangelicos* & *Vnitarios* unionis, digna dilucidatione, brevi quidem, ſed neceſſaria. Etenim non ſolum ex vano illo conatu, revera eo ſpectante, ut *Calvino-Reformatis*, (qui Evangelicorum nomine h. l. potiſſimum veniunt,) *Sociniana* βδελύγματα obtruderentur, ſubnatus eſt famoſiſſimus ille Libellus, *Polonica* lingua ſcriptus, cui tit. *Ignis cum aqua*, a *Jacobo Zaborovio*, Eccl. Ref. Concionatore & Miniſtro *Kotſcovienſi*, hac occaſione p. p. evulgatus, & a *Smalcio* ſub incudem miſſus, examine brevi lingua eadem adornato; ſed etiam in ipſa Synodo illa *Lublinenſi* tanta animi præſentia repugnatum eſt *Socinianis* impudentiſſimis, & cornua adverſus partem alteram, patronorum favore, ſumentibus, ut, (quod *Zaborovius* l. c. explicate enarravit,) poſtquam ſcriptis etiam aliquantiſper actum inter *Smalcium* & *Raphaelem Comitem Leſzieczinium*, diſputatumque acriter fuerat, (quibus *Petri Goraiſcii* mox altera reſponſio ſucceſſit,) patientia læſus *Chriſtophorus* tandem *Krainſcius* in Synodo, *Belzicii* denuo ſuper eodem negotio convocata, faceſſere hinc falſos iſtos fratres coram juberet, alioſque, ut idem facerent, e templo excedens, cohortaretur. Quem in pomeridiano conſeſſu, cum iterum inſtarent *Sociniani*, idem ille, de quo ante dictum, *Leſzicziníus* pari modo & fortitudine ſimili diſcedens ſequutus eſt, carpendoque inſidens abiit, imperioſoſque *Socinianorum* errorum propugnatores miſſos fecit. Vnde, quid hæc ſibi velit longa *Smalcii*, hominis profecto in peſſima cauſſa arrogantiſſimi, querimonia, intelligi rectius poterit. Ad quod illuſtrandum conciliationis importunæ & quæſitæ & repudiatæ ſtudi-

Johannes Cuçus a) vel Gallus, Gallus *Rothomagiensis*. Hic discessit tertio Junii. Homo levior, quam religiosior. Venerat huc veritatis addiscendæ causa, & tamen in sua pertinacia *Ariana* hærens discessit.

Forkenbecius ante festum *Barthol.* fratribus fere insalutatis. Homo taciturnus & subdolus.

Mens. Januar. circiter 20. die nobilissimus Vir, frater optimus, cœtus *Czarkoviensis* Senior, *Prosper Lypy*, mortuus est.

Mens. Febr. *Rudolphus* II. Imper. Rom. Pragæ mortuus est.

Hac hyeme maxima fuit nivium copia, adeo ut itinera nemini paterent.

5. Martii D. *Valentinus Radecius*, Eccl. ap. Claudiopol. in Transylv. German. vel Saxon. Minister, *Racoviam* venit, & aliquot nobiscum dies commoratus, ante resolutionem hyemis discessit.

21. Martii Illustris D. *Paulus Orechovius*, Succamerarius Chelmensis, Surasiensis Capitan. in *Krupe* mortuus est.

29. Martii hora matutina octava, sec. horologium dimidiatum, *Matthæus Radecius*, vir integerrimus & pientissimus, civitatis Gedanensis per annos 26. Secretarius, qui eodem, quo ego, anno & mense, 1592. Septembri mense, *Gedano*, quasi profugus, veritatis addiscendæ & vitam quietius transigendi causa, *Smigliam* venerat, *Racoviæ*, ubi annos decem, post habitationem in *Buskow*, ubi, posteaquam *Smigliam* eo

 ve-

um, quod ad *Belzicienfia* acta attinet, A. 1617. d. 7. Septembr. inferius comparare necesse est. Hoc autem loco totam historiam irenicam, successu a Socinianis sperato carentem, commemorare consentaneum erat; quoniam liber iste, quem citavimus, non tantum occasione primi hujus congressus in lucem datus, sed a *Smalcio* quoque responsione ad eum Polonice itidem adornata jam A. 1612. 4to exceptus legitur.

a) Non alius *Coquus* iste (sic enim nomen potius scribendum, quam *Cucus*,) procul dubio fuit, quam qui cum *Ruaro* commercium litterarum post annum 1630. adhuc coluit, cujus ad eum perscriptæ amicissimæ epistolæ fragmentum in Cent. II. Epist. *Ruarian.* nobis exhibuit filius f. 421 eq. Vbi vero locorum vixerit, & utrum mentem mutaverit, nec ne? juxta cum ignarissimis scimus: utut post annum ante dictum per litteras hunc cum illo collocutum esse, ex *Volkelii* LL. de *Vera Religione*, in lucem jam *Racoviæ* A. 1630. editis publicam, & citatis & vindicatis, bene nos conjicere haud dubitemus. Tantum de Coquo. De *Forkenbecio* autem nihil adhuc nobis innotuit. Quamvis enim, inter discipulos *Vorstii*, quidam *Bernhardus Forkenbeccius* ab *Hornbekio* numeretur, qui Lib. *F. Socini: Quod Regni Poloniæ subditi*, Evangelici dicti, *debeant se adjungere illorum cœtui, qui Ariani, falso vocentur &c.* titulo de *Officio hominis Christiani* præscripto, *Franequeræ* A. 1610. recudi curarint, non tamen eundem fuisse, sed fratrem fortassis & discipulum *Vorstianum*, inde colligi potest, ac reliqua obscura manent.

venerat, 9. annos ministerio functus erat, placide in Domino obdormivit: Anno ætatis 73. & dimidio. Natus enim erat ipso die æquinoctii autumnalis a)

Iter *Gedanense* 3tio April susceptum, & 7mo Maji absolutum.

14. April. urbs tota *Petricovia* conflagravit, ne una domo salua relicta.

11. Maji tota urbs *Sendomiria* incendio periit. Tota urbs *Krasnik* conflagravit. Dimidium urbis *Opatoviæ*, in quo Judæi degebant.

27. Maji Synodus *Racoviæ* habita & celebrata frequens. Imposita mihi duo itinera. Altera *Lublinum*, altera in terram *Lencicienfem*; utrisque suo tempore perfunctus sum. Priori 24. Jun. cum D. *Moscorovio* & D. *Grokovio* genero meo. Posteriori ad 4. Octobris cum D. *Glavinio*. Nam nec D. *Palatinidi*, nec D. *Moscorovio*, per valetudinem, nec D. *Goslavio* & D. *Viscio* per occupationes domesticas, licuit.

8. Julii in Congregatione *Chmeloviensi* decretum, ut cum M. D. *Palatinide* ad Congregationem *Zarsinensem*, per 11. Aug. proficiscerer; quod etiam feci.

Militis *Moscoviensis* magna pars adversus Regem ob non soluta stipendia conspiravit, & deinde sub finem autumni omnia Regis & Spiritualium bona & prædia occupavit.

7. Julii in *Czarkow* b) mortuus est *Hieron. Dudithius*, Illustris olim *Andreæ de Horechovicza*, liberi Baronis, filius, frater noster.

13. Julii *Racoviam* venit Nobilissimus vir, *Thomas Segethus*, Scotus, veritatis divinæ, cujus gustum quendam *Lublini* conceperat, amplius investigandæ causa: d. 19. Julii discessit a nobis.

19. Ju-

a) Explenda ergo hinc lacuna est, & error non unus corrigendus, C. *Sandii*, (*Hartknochius* enim *Rudecios* prorsus siluit,) quem, cum S. Rev. *Lauterbachio* eum secuto partim Pastorem *Smigliæ* fuisse, partim *Gedani* docuisse, commisit affirmando, annum autem & natalem & emortualem omnino omisit. Quandoquidem ex hoc jam loco perquam luculenter, *Matthæum* illum A. 1540 *Gedani* medio Septembri natum, & A. 1612. denatum, ac *Smigliam* tantum, cum A. 1592. errorem profiteretur suum, eque patria excedere inde jussus esset, receptus quærendi caussa, divertisse, post *Buskoviensem* autem moram ac habitationem, non procul *Gedano*, in *Arcisseviensi* prædio, atque Ministerium Eccl. ibidem peractum, succedente sibi *Ostorodo*, *Racoviam* denique commigrasse, ibidemque animam exhalasse, patet.

b) Amœnissimum illud oppidum fuit, quod *Hier. Moscorovium* possessorem dominumque venerabatur, & encomiis immensis prædicatur, ac pæne cœlo æquatur P. II. Epist. n. XIII. fol. 73. a *Mart. Ruaro.* Cæterum *Hieronymus* iste, natu minimus, ex altero conjugio, *Dudithii* filius, in affinis *Moscorovii* prædio, *cælebs*, ex hac mortalitate excessisse videtur, ubi etiam mater vitam cum morte commutaverat. vid. A. 1601.

19. Julii in *Valachia*, inter flumina *Prutum* & *Dziezam*, quindecim *Polonorum* millia, a *Tartaris*, *Valachis* & *Turcis* miserabiliter cœsa, vix quinque nobilitatis & fecis hominum ad 300. elapsa. *Potockius*, Capitaneus Felinensis, dux belli, cum duobus sororiis captus.

27. Augusti D. *Gr*[illegible]*kovius* gener meus ad cœtum *Zarsinensem* profectus est cum uxore. Cui Deus benedicat clementissime.

1. Septembr. Generos. D. *Nicolaus Przybcovius* cœtus *Luclaviensis* senior mortuus est.

9. Novembris 200. equites *Racoviam* occuparunt. Quarto die discesserunt. Quidam *Rozachonski* mortem mihi minatus cum jurejurando fuerat. Sed me Deus ex manu illius eripuit.

14. Novembris. Vxor ad generum discessit.

8. Decembris obiit nobilissimus vir D. *Joh. Paulovius*.

12. Decembris venit *Altorfio* ad nos juvenis egregius D. *Johannes Crellius*, a) allato nuntio tristissimo de obitu incomparabilis Philosophi & Medici *Ern. Soneri*, fratris nostri in Domino charissimi, qui ult. 7bris obierat. b)

22. Novembr. d. ♄ horæ post quartam matutinam dimidio secundum horologium dimidiatum, sesqui hora ante Novilunium, cum ingrederetur sol in Capricornum, Luna etiam in Capricorno esset, filia mea, primogenita liberorum meorum, annos nata 18. septimanas 26. dies 5. horas 8. peperit filium *Johannem*, in *Bukowsko*, villa tunc M. D. *Palatinidis* nostri D. *Jacobi Sienienii a Sienno* in terra *Sanocensi*. c)

Deus, qui mei & meorum omnium liberorum clementissimus pater hactenus fuisti, hujus tertiæ a me generationis primitias, tibi & commendatas habe, & esto misericors ei. Fac ut Te agnoscat, & Tibi

 una

a) Quo pacto, quove tempore & quibus de caussis *Altorphio* abierit, cum supra jam dictum sit, nihil caussæ est, cur hoc loco jam vel verbum addamus, & vita quoque copiosius descripta, ut labore hoc supersedeamus, facit atque jubet.

b) De *Sonero* nostro plus satis supra disseruimus, ipsumque adeo hunc locum, unde profecto, quis *Socinianis* visus sit, qui eum amicissimum fratremque habebant, pateat, excitavimus. Nov isse autem eos Medicum hunc atque Philosophum eximium familiariter, vel commercium illud, quod cum signiferis eorum coluit, cujus H. *Moscorovius* P. II. Epist. Ruari f. 263. meminit, addocet. Ex qua etiam epistola propagandæ hæresi diligenter, at tecte clam & callide, incubuisse, ut substituendus videretur mortuo *Ruarus*, manifestissime apparet. Quanto vero plura, si superessent, litteræ illæ de *Soneri* mente nos edocerent, tanto magis, hæc κειμήλια, historica certe, interiisse, & ab amicis, ne quid emanaret, deleta esse, quotiescunque in memoriam ejus rei venit, dolemus.

c) Quæ *Russiæ* nigræ, ut vulgo vocant, pars est, *Vngariæ* contermina.

una mecum, & cum patre suo *Joh. Grokovio* in Evangelii annunciatione serviat.

Anno 1613.

2. Jan. hora noctis 1. antelucana secundum horologium dimidiatum obiit in *Bukowsko* a) filia mea primogenita charissima, *Christina Grokovia* Ministri Vxor, pie in Domino extincta 12mo post partum die, vehementia flatuum Melancholicorum. Desiderium mei, matris & suorum, quibus cum vixerat, explere non poterat: Deserta ab omnibus, in solo solitario & ab omnibus remoto misera sensim exaruit, & tandem cum ingenti cruciatu & dolore expiravit. O mi Deus, qui tam paucis diebus tam singulari me pariter beneficio, & tam acerbo dolore affecisti, & animum meum tantum non confecisti: Miserere mei, consolare me, erige me, esto mihi propitius, peccatorum meorum obliviscere. Tibi me & meos omnes, & mea omnia commendo. Spero, Te, per Jesum Christum, istam meam filiolam charissimam ex mortuis resuscitaturum.

Dederas mihi filiam, nec imprudentem nec irreligiosam, adjeceras alias corporis non minimas dotes. Exornaveras eam, & commendaveras multis. Ea omnia simul mihi a Te, qui ea dederas, abrepta sunt. Effice, ut quod alios docui, ipsemet reipsa præstem. Doce me, ut nomen Tuum benedicam.

O filia charissima, suavissima, anima mea. Jam nulla es.

Paucas ante obitum filiæ hujus meæ septimanas, fragor terribilis a familia mea in uno, & a puero, mecum dormiente, *Melchiore Grokovio*, in altero, h. e. meo hypocausto, auditus fuerat. Puer quidem dicebat, se in somno ita perterritum isto fragore fuisse ut exclamaret; ego vero neutrum audivi, somno primo fractus. Mulier vero & ancilla iterato illo fragore ita perterritæ fuerant, ut nec proferre verbum, nec hypocausto prodire auderent primum, donec animo recuperato, utraque in hortulum exivere, visum, quid nam tale esset, sed nihil viderunt. Sequenti die custodes me conducere oportuit, ne familia metu exanimata profugeret. Puero visum est, vi summa aliquem fores vel fenestram ligneam perrupturum familiæ trabem avulsam in unum hypocausti angulum primum, deinde in alterum procidere, Mihimet vero ipsi, ni fallor, nam non recte diem memini, aut illo ipso die, quo

a) Quis locus ille fuerit, paullo ante ad A. 1612. d. 22. Decembr. dictum est. *Zabavianæ* autem genti oppidum illud patrimonii jure subjectum fuisse, ex sequentibus, nominatim ad A. 1614. d. 31. Januarii, annotationibus patescet.

quo mortua fuerat, & illa ipſa hora, qua exſpiravit, non dormienti, ſed vigilanti, & Deum oranti, viſus eſt ventus fores poſtibus affixas ſumma vi eripere, & procul ab illis projicere. Qua re ita fui perterritus, ut e lectulo provolverer invitus. Surrexi, & famulum Magci. a) qui in altero hypocauſto dormiebat, excitatum rogavi, ut prodiret, viſum, quid rei ageretur. Sed nihil nec ille tunc, nec ego poſtea, cum dies adveniſſet, perſpicere potui.

Requieſcat mi Deus ira Tua, & favore me Tuo deinceps proſequi dignare.

14. Januarii *Samuel. Nieciecius* Eccleſ. *Hoyſcenſis* in *Volibinia* paſtor, ſpes miniſtrorum gregis magna, febri epidemica extinctus eſt, & octavo poſt die uxor illius.

27. Jan. nobilisſima fœmina *Borkowa* obiit. Hæc jamjam moritura dixerat, ſe nihil magis dolere, quam quod nondum omnes actiones carnis mortificarit, quæ via eſt immortalitatis.

22. Febr. nobiliſſimus D. *Caſparus Otwinovius Racoviæ* obiit.

16. Martii Generoſus D. *Joh. Bapt. Cetis*, Italus, omnium advenarum tutor & patronus, *Igolonnæ* obiit. b)

9. Maji obiit, ſepultus fuit honorificentiſſime *Barthol. Rzeczyca*, qui annos plures quadraginta Miniſter fuerat Evangelicus, c) paucos ante mortem menſes profeſſus apud Eccleſ. nomen ſuum, & receptus.

12. Maji Synodus celebris & frequens *Racoviæ* habita. Ibi decretum fuit inter alia, 1) ut cum Generoſo D. *Adamo Goslavio* & D. *Chriſtophoro Lubienecio* cœtus *Lithuanicos* ad 29. Junii viſitarem. 2) ut ad colloquium cum *Mennonitis* d) habendum paratus eſſem, cum G. G. D. *Mos-*

a) Forte: *Magnifici*, Palatinidis videlicet *Jac. Sieninii*; ita ut colligi ex hoc loco haud obſcure poſſit, in arce ejusdem *Smalcium* habitaſſe: cujus etiam unius beneficiis & munificentia hic ſuſtentabatur.

b) Non procul *Cracovia*. Obitus hujus viri, ut pii & nobilis, etiam H. *Moſcorovius* meminit, in *Epiſt. ad Ruarum* P. II. f. 263., ubi, eum fuiſſe, dum viveret, qui litteras Socinianorum *Polonorum Noribergam* & *Altorphium* transferri curaverit, ſcribit. Quo de officio in vita etiam *Crelliana* mentio facta eſt. Vnde, cur tutor advenarum quoque & patronus dicatur, magis elucet. Cæterum matura admodum & virili adhuc ætate mortalitatem eum expleviſſe, *Moſcorovius* l. c. explanate affirmavit.

c) *Reformatarum*, quas vocant, partium. Sic enim obſervare hucusque licuit, eos hoc nomine ita *Smalcio* utplurimum appellari, & ab eo pariter atque *Lubienicio Lutheranos* ordinarie diſcerni. Quemadmodum etiam *Sociniana* fere hiſtoria condocet, pleroſque, qui *Socini* ſeſe cohorti aſſociarunt, a Reformatorum cœtu, raro a *Lutheranis* aut *Pontificiis*, ad eam in Polonia tranſiiſſe.

d) De quibus cum Sociniano grege conjungendis omnino jam diu actum eſt, *Smalcio* imprimis in id incumbente, & ſpem cæteris luculentam faciente, quæ

Moſcorovio, Goslavio, Lubienecio. 3) ut cum illuſtri *Palatinide* ad 15. Septembr. cœtum *Lencicienſem* viſitarem.

Iter *Lithuanicum* cum D. *Goslavio* & *Rudnicio*, qui vices D. C. *Lubienecii* ſupplevit, ſatis feliciter abſolvi.

Colloquium cum *Mennonitis* non ſucceſſit.

Iter *Lencicienſe* ſucceſſit etiam, & in eo nuptias meus gener ſecundas cum *Barthima Sophia* celebravit.

13. Maji ſepulta fuit *Racoviæ* Generoſa *Goslavia Cikoviana*, Germana noſtri *Chriſtophori* a) & Succamerarii *Cracovienſis*. Cum eſſem in *Lithuania* D. *Biechoroski* diem ſuum obiit.

Colloquium cum Succamerario habui, quod eum ita permovit, ut in literis ad fratrem datis, menſ. Decembri, quibus ſe Eccleſiæ commendabat, meis etiam nominatim ſe commendaret.

8. Julii colloquium cum nobili viro D. *Makowski Kurovii* in arce illuſtris D. *Zlaski* habui feliciter.

20. Julii nobiliſſimus Dn. *Sniacovius* ſenex obiit.

Hoc anno locuſtæ in *Podolia* & *Volihinia* horrenda copia apparuere. Menſ. Novembri obiit *Mart. Czechovicius*, ſchiſmatis ob negotium baptiſmi aquæ autor. Vix aliquis ei adhæſit omnium usque ad ipſius obitum. b) 7. 8. 9. 10. Decembr. *Petrikoviæ* diſcordia inter D. *Caſp. Breznicium* & D. *Eliam Arciſſevium* per me, D. *Moſcorovium* & B. *Wyſſowatium* c) compoſita.

Anno 1614.

26. Jan. Generoſus Dn. *Engelbertus a Meugden*, qui anno 1613. ex Comitiis ad nos venerat *Racoviam* cum illuſtri D. *Palatinide*, diſceſſit

Stein-

tamen ipſum, ut eventus demonſtravit, fruſtrata eſt.

a) Sine dubio *Chriſtophori Lubienicii*, de quo paullo ante. Neque enim alius occurrit, cui, tanquam notiſſimo *Racovienſium* collegæ, id prænomen ſimpliciter tribui potuiſſet.

b) Emendandus eſt iterum, uti ſæpius jam uſu venit, ex *Smalcii* narratione error *C. Sandii*, & S. Rev. *Lauterbachii*, qui, A. 1608. ſibi videri eum obiiſſe, in *Biblioth. Antitrinit.* f. 50. atque *Polon. Sociniſm.* Cap. II. f. 255. tradunt. Conf. de reliquo, quod ad Diſputationem ejus contra Pædobaptiſmum vehementiorem attinet, *Lubienicium Hiſt. Ref. Polon.* L. III. c. III. f. 192. Vbi morti vicinus ille adhuc ſequaces ad perſeverandum in *Eccl. minori* (ſua, *Socinianis* reliquis oppoſita, ſecus atque *Lubienicius* interpretatur,) admonuiſſe dicitur.

c) Cum cæteri noti ſint, quorum memoria h. l. incidit, *Wiſſowatium* ſolum *Benedicti* prænomen geſſiſſe & *Hieronymi* iſtius celeberrimi *Moſcorovii* filii, Andreæ (ex quo *Hier. Gratus de Moſcorow* nepos natus eſt.) ſocerum fuiſſe obſervamus, idque ex vita *Andr. Wiſſowatii* didicimus.

Steinfurtum a) ad noſtros, a quibus veritatem didicerat, ut eos de ſtatu noſtro certiores redderet. Reverſus ſub initium Maji in ipſa Synodo.

31. Januar. cum Illuſtri Dn. *Palatinide* profectus ſum *Zarſiniam* ad colloquium cum *Farnovio*, miniſtro *Ariano*, b) habendum. Sed irrito ſucceſſu. Nam eo die, qua in *Bukowsko* veni, 3. Febr. D. *Zabavius* ſenior, dominus illius oppidi, diem ſuum obiit. Allocutus ſum tamen *Farnovium*, & pudefeci. 18. Febr. ſepultus D. *Zabavius*. Catholicos & Evangelicos non paucos habui placidisſimos.

4. Maji Synodus ſatis frequens celebrata. In ea decretum, ut cum quibus dum aliis viſitarem cœtus, *Lazinienſem* in Lencicienſi, *Smiglienſem* & *Miedziricenſem*, in Poſnanienſi Palatinatu, *Gedanenſem* & *Cujavienſem*. Quod & factum eſt ſequenti autumno, & feliciter ſucceſſit. Comites fuerunt. M. D. *Chriſtophorus Morſtin* Capitaneus Philippovienſis, N. D. *Chriſtopherus Lubienecius*, it. N. D. *Joh. Grokovius*.

23. Maji filiolus meus longe charisſimus, *Samuel*, diem ſuum obiit, extinctus febri maligna, anno ætatis 8vo. Vixerat annos 7. & 3. menſ. Nam. 23. Febr. natus erat. Puer longiori vita dignus, ſi Domino ita viſum fuiſſet. Ingenium divinum ipſi contigerat, cujus argumenta extabant non minima. Sed enumerare ea piget.

Sponte ſua anno ætatis quarto legere, & literas ſcribere cœpit. Omnia, quæ unquam viderat, ad vivum exprimere & imitari norat. Con-

Nnnn nnn ſu-

a) Vel hinc tandem, quis ſtatus fuerit *Steinfurtenſis Gymnaſii*, & quantopere id fuerit veneno *Socinianiſmi* infectum corruptumque, evidentiſſimum eſt. Quamvis enim ipſe *Vorſtius*, inde p. a. evocatus, ad quem primo vere hujus anni, mellitisſimas illas omnibusque blandimentis conditas dederat litteras, quæ in *Epiſt. Remonſtrant.* leguntur, nondum, uti *Reſponſio* l. c. condocefacit, ſic ſatis cordata, & forte nunquam, in caſtra *Socini* tranſierit; fuiſſe tamen iſtic non paucos, qui eadem prorſus, quod ille, ſentirent, quis dubitet? Quod iter p. p. eo ſuſcipiendum, & jam tum a *Jac. Siennio*, uti ex h. l. apparet, peractum, & quidem ad confirmandos fratres, amplius comprobat. Cæterum de *Engelberto* hoc, inter primos haud dubie ejus factionis ſigniferos numerando, ſupra ad Cap. II. lit. E. pluribus jam dictum eſt.

b) *Stanislaus Farnovius* dictus eſt is, quem indigitat h. l. *Smalcius*, & nomen ejus, ſecus atque *Regenvolſcius* ſolet, rectiusque ſine dubio, tanquam ei notiſſimus, exprimit; Homo famoſus, & ex *Arianæ* in Polonia ſectæ priſtinæ reliquiis fere unicus ſuperſtes; qui jam A. 1568. a *Pinczovianis* Photinianis ea de cauſſa ſeceſſionem fecerat, & pertinaciter ad finem usque vitæ ſententiæ ſuæ, de Filii Dei ante Mariam exiſtentia, atque baptiſmi adultorum neceſſitate, inhæſerat. Quando obierit diem ſuum, incertum eſt. *Sandius* equidem A. 1614. determinavit, & *Lauterbachius* conjectando A. 1615. nominavit. Nobis autem diutius adhuc, & poſt mortem etiam *Smalcii*

ſumto uno in Schola menſe, non habebat, quod amplius diſceret. Nam, quæ pro captu illius erant, jam abjecerat, quæ vero majori profectu egebant, ea præ tenuitate annorum capere non poterat.

Signa mortis nuncia fuerunt:

1. In meo Muſeo me vigilante & decumbente, auditus eſt fragor talis, ac ſi aliquid ad menſam appactum vel affixum ſumma vi abrumperetur.

2. Familia in ipſis ædibus aliquoties ruinas audivit.

3. D. B. *Wyſowatius* fragorem transverſæ trabis ea nocte, qua obiit, domi ſuæ audivit.

4. Poma granata & cytrina omnia repente computruerunt.

Dominus ejus miſereatur, & mei afflictisſimi.

15. Junii tempus colloquio cum *Farnovio* tertium deſtinatum, nec tamen ſucceſſit, ob *Farnovii* & D. *Zabaviæ* a) inconſtantiam.

Circa finem hujus menſis obiit N. D. *Otwinowski* anno ætat. 85. vel, ut poſtea ſcriptum, 90. qui ante 50. annos Deum cruſtaceum e manibus ſacrificuli ereptum *Lublini* pedibus in luto contriverat.

17. Julii G. D. *Jacobus Zielenski* phreneſi extinctus fuit; noſtræ religionis, ſed excommunicatus ob quædam flagitia. Jactitabat is, ſe eſſe ex familia Vitelliorum, quorum unus Cæſar Romanus fuerat.

21. Aug. iter iſtud, quod in Synodo decretum fuit, ingreſſus ſum.

24. in *Bychnow* prope *Seceninium* in domo b) D. *Stanislai Czrzarſtowski* communio habita.

30. in *Lazyn.*

7. Septembr. *Smigliæ.*

14. in *Bobowicko* M. D. Caſparis Sack, hæredis Meſticii.

21. *Gedani* vel in pago *Schönfeld.*

28. in

ipſius, ſuperfuiſſe grandævus ſenex videtur. Neque enim, in hujusmodi rebus oppido alioquin ſedulus annotandis, mortis ejusdem, ut aliorum hujusmodi, usquam in hoc *Diario* mentionem feciſſe noſtrum, legitur. *Sandeciæ* in finibus *Hungariæ* vixiſſe atque docuiſſe, aliunde conſtat: unde fortaſſis Zarſiniam deinde migravit.

a) Fœmina hæc erat nobilis iſtius, de quo ante, *Zabawsky*, unde *Zabaviæ* ei nomen, vidua, *Farnovio* ejusque opinionibus deditiſſima, & *Libello Precum Polonicarum* in ludem edito nomen celebre adepta.

b) In privatis enim, nobilium utplurimum, ædibus ſacra ſua, ſi ita appellare fas eſt, peragere, mos erat *Socinianis*, qui vix alibi, quam *Racoviæ*, & forte *Luclaviciis*, incertum an & *Philippoviæ*, publice magis cultum exercebant ſuum minime divinum. Vnde & qui Miniſtri vocari ſolent Eccleſiarum, excepta *Racovia*, atque tandem etiam *Kiſſelino*, domeſtici fuere, nobilium liberalitate, donisque datis ſuſtentati.

28. in *Bolicinko*, ubi minister fuit constitutus D. *Petrus Teichmann*, Borussus. In *Bobowiko* a) vel *Miedziriciæ* venerunt ad nos ex Germania, evocati inde, D. *Martinus Ruarus*, Holsatus, & *Joh. Vogelius*. Quorum hic inde rediit *Jenam*; ille *Racoviam* usque profectus, & ibidem commoratus semestre, *Noribergam* rediit. b)

14. Octobris mortuus est nobilis *Adamus Matstewski*.

Anno 1615.

In Synodo 24. Maji demandatum mihi, D. *Goslavio* & *Grokovio*, fuit iter ad Synodum *Lithuanicam* pro 29. Junii, quod etiam feliciter absolvi. In ea truculenta morte periit nobilis *Vniechowski*. Receptus in cœtum D. *Kdultowski* & D. *Zichovicius*.

In vere hujus anni scripserat ad nos *Christophorus Brimovius* c) Gymn. Steinfurt. Rector, *Fratres Belgicos* summopere contendere, ut a nobis visitentur. Decretum igitur fuit, ut ego cum *D. Volkelio* istud negotium perficeremus. Egressi domo celeri itinere ingressi sumus *Germaniam*, transgressi *Marchionatum*, urbes *Francofurt*, *Berlinum* & *Brandenburgum*; Venimus in Saxoniam. *Magdeburgum*, *Halberstadiam* & *Hildesheimum*, non sine metu summo ob motus bellicos, qui tunc inter Principem Brunswicens. & urbem ipsam Brunsvicum exorti fuerant. Vix enim tuto urbes istas transire potuimus. Sed deinde *Hildesheimo* egressuri, Monasterium versus, duobus ab *Hildesheimo* milliaribus sub arce *poppenborg* capti fuimus a præfecto arcis. Deus vero nos per vexilliferum Principis, qui ex illis urbibus, quæ nobis transeundæ erant, cum peditatu ibidem collecto, redibat, præter opinionem nostram liberavit, & retro *Hildesheimium* deduxit: unde summa contentione *Lipsiam* reversi, inde *Francofurtum*, & tandem ad nostros in finibus *Poloniæ* salvi pervenimus. *Hildesheimii* pridie ejus diei, quo in istam calamitatem incidimus, somniavi, d) nos ad ingen-

 tem

a) *Bobovicum* fuisse, supra jam observatum est. *Smalcius* itaque negotiorum mole obrutus, & loci utriusque, sed in quonam horum aut alterutro convenerint, non satis certus ac memor hæc videtur, quasi subdubitans, scripsisse. Quemadmodum etiam, falsum esse, quando memoria deceptum *Jenam* rediisse *Vogelium* scripsit, mox annotabimus.

b) Hoc de itinere legatur epistola, *Smiglia* scripta, quæ num. X. & XI. inprimis Cent. II. Epist. reperiuntur positæ, cum paucis aliis, quæ ibidem p. p. habentur, & A. 1614. atque ineunte 1615. omnes usque ad XIVtam exaratæ sunt.

c) En fratrem *Steinfurtensem*, eumque forte inter cæteros principem! Ex quo uno haud difficulter, qui qualesque reliqui fuerint, existimare fas est. Certe non paucos illic delituisse, hinc luce meridiana clarius est.

d) Sæpe miratus sum, qui fieri potuerit, ut revocantes alioquin cuncta, summmaq; etiam fidei mysteria, ad rationis trutinam *Sociniani*, in somniis tam creduli & pæne superstitiosi essent. Nisi forte in eos quo-

tem montem venire, ſed ſatis tum proclivem. Ibi cum paulo quieſceremus, uno deinde tractu ſuperaturi montem, audivi adoleſcentem clara voce clamantem: Tymi Konini na tegore niewyiedziecie, h. e. His equis in montem hunc non aſcendetis. Quod cum fratres non audirent, & ego illis id referre vellem, iterum dixit eadem vox, quæ procul abeſſe a nobis videbatur: Trzebo juſsyli koin na tegore, h. e. Aliis in hunc montem opus eſt equis. D. *Volkelius* ſomniavit, nos in hypocauſtum cum equis & curru ingreſſos, non potuiſſe illa ratione inde regredi. Ille ſuum ſomnium non expoſuit, niſi poſt calamitatem, ego vero ante. Sed noluimus tantum tribuere ſomniis, ut milliaria plus quam centum emenſi domum reverteremur rebus infectis.

Ex itinere, cum *Halæ* eſſem, miſi D. *Joannem Lunkwitz Gotham*, adductum fratrem meum octogenarium, a) qui id a me multis precibus impetrarat. Qui ſecutus *D. Lunkwitz*, deſerta patria ad me venit in *Moſtki*, prædium D. *Sack*, inde eum *Smigliam*, *Smiglia Racoviam* mecum avexi, una cum uxore & filio.

Anno 1616.

21. April. filius Magnifici b) cum D. *Slichtink* in Germaniam profectus.

26. Maji

que quadret, quod 2. Theſſ. II. 10. & 11. legitur, aut, Deum ſingulari gratia ac dono in ſe eſſe, quo agitante talia divinationis in modum patefacta noverint, ipſi ſibi perſuaſerint. *Smalcium* certe noſtrum multa veneratione hujusmodi noctis ac phantaſiæ, ex curis & cogitationibus diurnis orta, ludibria amplexum eſſe, plurima hujus Diarii exempla oſtendunt. Neque vero ſolum fuiſſe, qui fidem id genus repræſentationibus ſingularem habuerit, inde patet, quod, *Volkelium* quoque in ea fuiſſe ſententia, h. l. narrat, ſed, *Joach.* quoque *Rupnovium* ſomnia ſua, quæ de Racovienſis ſcholæ & Eccl. ruina habuerit, litteris conſignaſſe ſcriptoque complexum eſſe, conſtat. Forte & hæc in ſcholis diſcipulorum *Philippi Witteberga* quidam didicerunt. Hunc enim communem Germaniæ præceptorem in ſomniorum interpretatione, præſertim in epiſtolis ad Camerarium ſuum, & alibi quoque, oppido liberalem fuiſſe, ſputum autem ejus auditores lambere conſueviſſe, quis neſcit?

a) *Valentinum* ſine dubio, ſeniorem, ex priori conjugio patris natum: a quo ſe cum matre beneficia quædam diu poſt patris mortem accepiſſe, ſupra commemoraverat.

b) *Jacobi* nimirum *Sieninii*, *Racoviæ* Toparchæ, cui, *Zbigneo* dicto, *Jonas Schlichtingius* comes & ſtudiorum ephorus datus eſt. *Altorphium* autem αὐτοῖς eos abiiſſe, rationes temporum, ex indicibus Academicis cognitæ, quibus adventantes illic cum popularibus comitibus reliquis inſcripti ſunt, dilucidius nos edocuerunt. Idque factum eſt ex more ſolito. *Racovienſe* namque *Gymnaſium*, unde diſceſſere, ea fuiſſe inſtructum docentium & diſciplinarum copia, ut in ſcholas Academicas hinc αὐτοῖς evolarint plerique, vel hoc indicium præbet luculentum, quod permulti etiam, ſtudiis litterarum iſtic unice per-

26. Maji Solis ardore in ipso meridie perustus in sepultura *D. Rasciæ* aliquot dies ex oculis laboravi. Deinde in Melancholiam hypochondriacam incidi, quæ me gravissime, sed non diu afflixit.

Hoc anno frumenti acervos in campis mense Junio 24. d. videre fuit passim in campis, quod nemo fortassis unquam viderat.

4. Aug. sororis filius, *Valentinus Fischer*, a) alias *Ibenhain*, qui ad me ante annos 15. venerat cum fratre, *Lublini* mortuus.

Hoc anno tanta fuit siccitas, ut *Vistulam* fluvium passim transire equiti, & curru etiam, rebus in eo positis illæsis, licuerit. Fluvius etiam *Nida* e regione *Zorawniki*, pagi D. *Petri Golecii*, prope *Visliciam*, ita exaruerat, ut etiam currus per eum transirent, quod hominum memoria factum non fuerat.

21. Obiit *Stephanus Kazimierski* b)
30. *Abrah. Blonski* c)
10. Decembr. *Hieronymus Bogussia Kosielec* d)
} valde nobiles viri, sed parum religiosi.

Hoc anno tanta fuit febrium quartanarum copia, ut vix domus esset, in quibusdam regionibus, in qua non aliquot ea laborarent. Res prorsus inaudita. Non multi tamen ea extincti fuerunt. Causam Medici dicebant fuisse nimios anni hujus ardores.

(A. 1618. audivi a rusticis, terram hoc anno exustam inventam fuisse, quæ per integrum biennium salvari ab incendio solis non potuit.)

21. Jun. uxor D. *Korross. Jarossovia* in puerperio obiit.

Nota.

Hoc anno persecutionem passa est *Ecclesiola* e) *Norimbergensis* vel

tractatis, officiis varii generis, sine ulteriori excursione in universitates, præfecti leguntur. Quod reliquum est, Generosissimum illum *Zbignæum Sieninium* improlem obiisse, nec provectum admodum ætate, cum supra jam observatum sit, nunc ex epistola *Jo. Crellii* A. 1624. exarata, uxorem eum duxisse, sed post sterile breveque conjugium, mature ac p. p. sine dubio obiisse, addimus. Quam epistolam, T. V. *Animad. Phil. Histor.* Cl. *Creenii* f. 252. seqq. excusam, integram perlegere, ob caussas etiam alias operæ erit pretium, ita tamen, ut de male converso cognomento *Sienienium* in *Sicnicnum* L. B. commonendus sit.

a) Vide supra A. 1601.

b) *Ductorem militum strenuum* hunc prædicat Auct. *Vindic. Vnitariorum* fol. 285.

c) *Abrahamus* iste *Blonscius* Bibersteinius haud dubie Evergeta fuit *Socini*, & *Luclavicianæ* Eccl. stator.

d) Tertius hic, procul dubio miles, distinctius, quis fuerit, investigari a nobis haud potuit.

e) In eum ergo locum statumque rem deductam opinabantur Poloni, ut de Ecclesia aliqua *Altorphi* plantata somniarent: quam, quia nonnulli, ut supra animadvertimus, etiam *Noribergæ* vivebant, v. c. Leuchsnerus, *Noribergensem* quoque appellare non dubitavit, sed non sine caussa stylum quoque correxit *Smalcius*. De universo autem negotio inopinatoque e-

vel *Altdorfiana*. Cum enim Fratres veriti, ne, si omnes in uno loco commorarentur, ab aliquo proderentur, id consilium cepissent, ut in diversas profecti Academias tutius vivere, & propagationi veritatis operam simul dare possent; a) deprehensus fuit unus Witembergæ *Peuschelius*, alter Jenæ *Vogelius* in colloquiis vel disputationibus publicis. Captus uterque, missus *Noribergam*, compedibus & catenis ligatus. Interim alii etiam ibidem capti, postea dimissi, datis vadibus. Hi duo detenti in carcere squalidissimo. b) Cœtus nostri prius misso tabellario, perquem statum illorum fratrum explorarunt, deinde 17. Septembris nuncium D. *Petrum Statorium* cum D. *Joh. Lunkwitz* miserunt cum literis ad Senatum, quibus captivitatem illorum deprecabantur. Sed tardius venerant. Jam enim dimissi fuerant, sed iniquissimis conditionibus. c) Dominus illorum miseratur, & cœtus sui conatum & studia sine fructu esse non patiatur.

Hæc persecutio etiam relegationis nostrorum, d) qui aperte coram illis religionem suam confessi fuerant, occasio extitit.

Mira fuit hujus autumni & hyemis sequentis constitutio. Nam circa initium Novembris tantum frigus cœpit, ut omnia stagna & flumina conglaciarent, & per integrum mensem nive delapsa, omnes carpentis uterentur. Deinde elapso mense integrum hyemis tempus absque frigore, nive & nebulis transiit, ut mense Januar. & sementis fieret, & omnia, quæ ipso vere peragi solent, peragerentur, & hoc usque ad æquinoctium vernum duravit.

An-

ventu, quem persecutionem vocat, quam ægre hanc vicissitudinem rerum tulerit, & quam tristis hic fuerit de cuniculis dolisque detectis, luculentissimum his verbis testimonium edidit.

a) Consilium hoc, quod *Smalcius* ἐκ πληρώματος τῆς καρδίας enunciavit, supra jam annotavimus; nunc vero, quum divina providentia mature illud patefecerit, & interverterit, gratias humillimas pro tanto beneficio machinationum in irritum redactarum, e quorum successu maximum universæ Ecclesiæ puriori imminebat discrimen, iterum iterumque agimus.

b) Falsa hæc esse, quoniam supra jam demonstratum est, nihil est, quod h. l. addamus.

c) Neque veritati consentanea esse, quæ de iniquis conditionibus *Smalcius* scribit, ipsa res loquitur, neque etiam in tanti momenti negotio, jurejurando confirmare, quæ te ex animo meliora edocto credere profitearis, *iniquum* esse, nisi qui gnaviter impudens sit, quisquam dixerit. Cætera ex historia rerum gestarum repetere juvabit, cum observationibus, quas supra ad *Refutat. Orationis Peuschelii* atque *Vogelii Smalcianam* adjecimus, comparata.

d) Aut deceptus fabulosis narrationibus hæc scripsit *Smalcius*, aut calumniatus est strenue. Vt enim *Dümlerum* taceam, de quo plus satis dictum, quam ob rem e societate Academica Altorphi exclusus sit; cæterorum profecto neminem relegatum novimus memoriæ proditum, ipsique etiam Poloni, hæresi *Sociniana* infecti, eam-

Anno 1617.

14. Martii h. matut. 3tia obiit filiolus meus ultimus, *Theodorus*, qui probus appellari jure meruit. Nunquam nec me, nec matrem offendit, religionis non ignarus, ad preces fundendas ſemper quoque ardens. Domine Jeſu, miſerere illius, me autem conſolare. Quamdiu vixerit, ex anno & die nativitatis illius, ſupra adſcriptis, computabis. Dignus ſane longiori vita, ſi Deus voluiſſet.

13. April. obiit G. *Philippovia*, *Golecia*, 9. Maji ſepulta.

21. vere nobilis (Palatinus Eccleſiaſticus) *Stanislaus Myzycki* ætatis anno 61.

15. Maji G. *Benarowa*, vidua.

30. April. Synodus *Racoviæ* habita. In qua decretum fuit, ut ego cum Illuſtri D. *Palatinide*, & *Chriſtoph. Lubienecio* & D. *Joh. Stoinio* a) primum cœtus *Lithuanicos*, deinde *Volihinenſes* viſitarem.

22. Maji Colloquium inter nos & Evangelicos *Gorlitiis* in regione ſubmontana, non procul ab Hungariæ finibus, habitum fuit, collocutoribus, *Petro*, qui *Lombardus* audire gaudebat, (ſic appellatus a ſuo Magiſtro *Chriſtophoro Krainski* dicto,) & me. Frequentia noſtrorum fuit major, quam Evangelicorum. Præcipui ex noſtris aderant D. *Moskorovius*, Capitaneus Philippovienſis D. *Morſtinius*, D. Stanisl. *Lubienecius*, D. *Rupnovius*, & alii non pauci. Ex parte Evangelicorum erant nobiles circiter viginti, ſed nemo ſingularis. Miniſtri quatuor præter iſtum *Petrum*, *Stancary* & *Plachta*, ſeniores duo, & quidam *Procopius*, D. *Mecinii* Miniſter. Ceſſit colloquium feliciſſime, Chriſto juvante, adſtipulantibus nobis duobus Præpoſitis Biecenſibus; alteri nomen erat *Nowoduwski*, & ſacrificulo uno, & D. *Wielopetski*, qui ab ipſis

que profeſſi, *honorifice* ſane ex hac Muſarum ſede dimiſſi abiere. Quod etiam, uti quorundam dignitas ſpectata deſiderabat, ita prudentiæ rationibus, ne qua infamiæ Academiæ inurendæ occaſio ſupereſſet, attemperata vigilantia imperaverat.

a) Jo. hic *Stoinius* nepos fuit *Petri Statorii*, *Thionvillani*, *Petri IIdi* ex *Gregorii Pauli* filia genitus filius, atque *Petri III.*, de quo Cap. III. Sect. IIa extrema diſſeruimus, frater. Cujus jam ſupa Cap. II. mentio facta, & quibus dotibus antecellere alios viſus ſit, expoſitum eſt. Ordinarii Eccl. ea tempeſtate cum *Smalcio* & *Lubienicio*, heic quoque nominatis, miniſtri munere functus eſt *Racoviæ*, & infamiæ nota tactus, proſcriptusque ex hoc nido tum demum evolavit, cum ille A. 1638. publico decreto, quemadmodum ſæpius jam dictum, disjectus fuit. Ex quo tempore hinc inde vagatus, tandem in oppido *Sterſznie*, ſub patrocinio *Stephani Woinarovii*, cum *Andrea Wiſſowatio* docuit in *Vkrainia*. *Czarkoviis* deinceps, in *Moſcoroviano prædio*, rebus *Socinianorum* utcunque inſtaurandis cum eodem *Wiſſowatio* operam dediſſe, & A. 1654. denique mortalitatem expleviſſe, collatis variis librorum a

ipſis Evangelicis vocati fuerant. Duravit iſtud colloquium horas 6. Continuatio illius dilata fuit *Ozaroviam*, oppidum ad *Viſtulam* ſitum, pro 24. Septembris.

2. Junii obiit G. *Bobovia*, *Kolboviana*.

26. Jun. obiit *Paulus Schomannus*, Scholæ Racovienſis tertius Præceptor, *Georgii* iſtius filius. a)

Synodus Lithuanienſis ad d. 7. Septembr. deſtinata erat, ſed propter expulſionem fratrum ex urbe Novogrodeck non ſucceſſit.

Synodus Evangelicorum, quæ *Ozaroviæ* celebrari debuit, *Belziziam* translata fuit. Ad quam ego cum D. *Moſcorovio* ex cœtu *Racovienſi*, & D. *Stoinski* cum D. D. *Lubienicio Paulo* & *Joanne* & D. *Suihodolski*, *Abrahamo* & aliis profecti, repulſam turpiter tulimus. Nam ad templum admiſſi non fuimus ante ipſam noctem, ut neminem illorum agnoſcere poſſemus. Cum ego templum ingrederer, *Chriſtophorus Krainski* Senior, hæc verba, b) ab aliis ſeſe ſeparans, dixit: *kwrzy ſies boicie Bogà, pwjdzice Jkosciota.* Ad quæ unus ex Miniſtris, quorum circiter viginti erant, reſpondit: *Boimi ſis Brga ale vie pwyclzieng Ikosciota.* D. *Moſcorovius* cauſam adventus noſtri breviter expoſuit, ſtudium conciliandæ religionis. Reſpondit Illuſtris tunc Caſtellanus *Viſlicienſis*, ſe ſperaſſe aliam adventus noſtri cauſam, hanc vero non cogitaſſe. Sed iſtud ſimulabant. Nam cauſam noſtri adventus Miniſtris non fuiſſe incognitam, itemque Patronis Eccleſiarum, ab ipſis poſtea miniſtris nobis relatum fuit, ſe imparatos eſſe ad colloquium. Vrſit D. *Moſcorovius*, ut aliud tempus aliumque locum nobis deſignarent. Cum tergiverſaretur Caſtellanus Viſlicienſis *Raphael Leszczynki*, interim tamen ſe cupere fingeret, ut tandem colloquium ſuper ea re inſtitueretur; Ego me continere non potui, quin hæc pauca dicerem: Wierze ſer M. Ravis ze w M. raczyſs pragnic ſey crznovy: Ale nye

Sandio collectorum narrationibus edocti ſcimus: a quo etiam *Sandio* ſcripta ejusdem longa ſerie enarrata ſunt.

a) Primogenitus *Georgii Schomanni*, Sileſii famoſiſſimi, cujus vita ac teſtamentum *Bibl. Anti-Trinitat. Sandii* ſubtexta leguntur, qui vel poſt varias functiones Eccleſ. Pinczoviæ, Xianzii, Chmielniciæ, Luclaviciis & alibi adminiſtratas A. 1591. diem ſuum obiit, filius iſte fuit, A. 1562. natus, ac proinde poſt exactos annos 55. & labente medio 56. denatus, nullo alias ſcripto cognitus.

b) De contentione hac e præpoſtero pacis ſtudio coorta, & Reformatorum maſculam fortitudinem adverſus peſſimorum hominum inſidias teſtante, cum explicatione verborum, quæ h. l. Polonica leguntur, ſupra jam pluribus actum eſt ad A. 1611. extremum. Illum ergo locum cum hac *Smalcii* narratione comparare neceſſe eſt.

nye niſtiſtici ſen tabico amyzla Boſſny ſleſſeli wezolzoce Koſciot. Je Jedem Iſtarſsich w. M. monit ktorzy boicie pnydzcie Ikoſciota:

Tum ille occaſione ex meis verbis arrepta dixit. *Wſiſci ſis Boga boiany pnydzmy Ikoſciota :* Atque ita diſceſſum eſt, ex angulo murmurante iſto *Krainski*, & D. *Moſcorovio* peroranti ſtrenue obſtrepente. Et ipſorum inhumanitas plus illis obfuit, quam nobis. Plerique enim ipſorum Miniſtri & nobiles iſtam illorum incivilitatem deteſtati ſunt. Ego interim apud noſtros in *Wyſokie*, *Zaporze* & *Piasky* commoratus ſum dies quinque.

1. Octobris in *Piasky* communione ſacra perfuncti.

Cum Illuſtris Dn. *Palatinides* ob negotia ſua iter *Volibinenſe* deſerere cogeretur, & D. *Chriſtoph. Lubienecius* male valeret, cum Fratre illius D. *Joanne* & D. *Joan. Stoinio*, iter illud ingreſſi die nono pervenimus *Hoyscam*, perfuncti rebus ſacris 10. & 11. diſceſſimus in *Oſtrog*, 12. & 13. *Lachovecias* pervenimus. Vbi ſacris perfuncti 14. & 15. mirum in modum exhilarati fuimus acceſsione ad cœtum noſtrum G. D. *Chriſtophori Sieniuta*; quæ res ſic habet. a)

Natus erat iſte *D. Sieniuta* ex patre & matre fideli. In Germania & alibi annos commoratus non paucos, cum fratre *Abrahamo*. Matre mortua *Abrahamus* ad Evangelicos, *Chriſtophorus* perſuaſionibus in morbo ſibi adhibitis motus ad Pontificios tranſierat, & noſtros omnes, una cum Miniſtro D. *Chriſtoph. Stoinio*, ex oppido ſuo uno die ejecerat. Deinde exploraturus Religionis Pontificiæ ſoliditatem, *Romam* ſe contulit, expiaturus ſimul peccata parentum, ubi perſpecta incredibili ſuperſtitione, idolatria & impietate Pontificia, de deſerenda iſta religione cogitare cœpit, & reverſus in patriam eam deſeruit, & tunc temporis, facta peccati ſui confeſsione cum ingenti devotione, cœtui ſeſe iterum inſinuavit.

Hanc noſtram conſolationem auxit ſpes acceſsionis ad cœtum ſocrus illius, M. D. *Hoysciæ* & M. D. Succamerarii Wlidzimirienſis, D. *Hoyscii*, quæ etiam ante feſtum Nativitatis Chriſti ad exitum feliciter perducta fuit. b)

Oooo ooo *La-*

a) Dedicavit huic Patrono ſuo, præſcripto titulo: Generoſo Domino D. *Chriſtophoro Sieniuta, Domino & hæredi in Lachowce* &c. L. *de Chriſto vero & naturali Dei filio, Mart. Smiglecio* oppoſitum, cum *Append.* adverſus eundem *de Satisfact. Chriſti*, Racov. A. 1616. 4to. In qua dedicatione d. 1. Aprilis h. a. ſcripta hujus eventus, de quo h. l. fuſius agit, breviter meminit, & eum ad *cœtum* Socinianum (*noſtrum*) *non ſine divino fato accedenti, hac ratione gratulari* voluiſſe, *atque in veritate confirmare & corroborare*, ait. Conf. quæ p. p. ad A. 1618. d. 20. Maji annotaturi ſumus.

b) Quis *Hoyſcius* ille fuerit, certo non audemus definire. *Gabrielem & Romanum*

Lachoveciis discessimus, ibi aere parum tuto, per ipsos Podoliæ fines *Constantinoviam*. Ibi 17. perfuncti Cœna Domini apud D. *Zaborovium* in satis frequenti cœtu a) d. 20. *Czerniechoviam* pervenimus. Vbi etiam rebus sacris peractis, Hero istius loci peregre absente, discessimus retro *Hoysciam*, spe colloquii cum Judæis habendi. Sed spes nos fefellit. Nec enim ausi sunt Judæi nobiscum congredi, quantumvis in *Rorzec*, *Ostrovy* & *Miedzyrcez* urbibus collocutores quæsivissent. b)

Hinc *Kisielinum* 29. pervenimus, ibi etiam cultu divino absoluto reversus sum *Lublinum* 3. Novembr.

Accidit interim, ut mortuus esset Minister Krupensis, *Petrus Przybytowicz*. Diversi in *Krupe* moti precibus D. *Stanislai Orechovii* recens nomen suum cœtui professi. Decrevimus, ut ego ad aliquod cum illo tempus commorarer; Quidam & D. *Joannes Steinski Lachoveciis* relictus erat ad tempus ap. Dn. *Sieniutam*. Reversus igitur *Lublino* in *Krupe*, mansi ibi aliquot dies a 10 - 18. Discessit enim una cum uxore ad nuptias filiæ D. *Pauli Lubienecii*. Inde quia *Lublinum* se contulit, ego recta me in *Piasky* recepi ad congregationem, quæ 26. habita fuit. Hinc iterum in *Krupe* cum D. *Christophoro Lubienecio* reversus, a D. *Orechovio* impetravi, ut ipsemet occupatissimus debitis exsolvendis me occupatissimum etiam dimitteret, atque ita dimissus 6. Decembris *Racoviam* veni. Laus Deo.

13. in *Luclavice* discessi.

An-

Hoyscios, patrem & filium, celebrat *Lubienicius* L. III. c. XVI. Verisimilius tamen est, *Romanum* innui *Hoysky*, Dominum in *Hosczca*, Castell. Kyoviens. & Capit. Volodomiriensem, quem Auctor *Vindiciarum Vnitar.* f. 283. in not. una cum *Constantino*, *Duce in Ostrog*, Palatino Kyoviensi, religionem Vnitariorum in corde amplexum, sed aperte non professum esse, ait, at fautorem & patronum eorum fuisse, addit. De hujusmodi enim clandestino favore, ad maturitatem perducendo, hic agi, liquet. *Hoysciæ* de reliquo oppidum ad *Horinam* fl. in *Volhinia* situm esse, notum est & supra jam dictum.

a) In margine additum erat in MSc̃to: *Erant autem plures centum.*

b) Non est, cur mireris, si, Judæos cum *Socinianis* colloquendi occasionem quæsivisse, hoc loco & alibi sæpius legas. Etenim hi ipsi sunt, quos inter omnes, qui Christi nomen, sive jure sive injuria, gerunt, maximi præ cæteris illi faciunt, &, (ut taceam *Ganzium*, qui *Servetum* in *Zemach David* seu Chronologia sua, חכם מופלג h. e. *eximium sapientem* nominavit,) tanti æstimant, ut primas illis deferant. Notissima est, quam de *Deo Synagogæ* Nic. *Vedelio* Daventriensi t. t. Profess. Casp. *Barlæus* carmine, nimis amico Menassi ben Israel dicato, scribendi occasionem dederit, neque quisquam, quid de illa consensione judicarint eruditi, ignorat. Eadem vero, quæ Remonstrantium Medicus ille, Historicus item & Poeta, protulit aperte, e *Socini* quoque grege sentire permultos, ex eo tempore sunt nonnulli suspicati. Quæ, verane sint an falsa, quando in medio re-

Anno 1618.

11. Maji obiit *Ernestus Kalb*, a) Livo Rigensis, Minister cœtus *Lasnizensis* in prædio D. *Cyriaci Lazinski*. Extinctus morbo crudeli, quem scorbutum appellant, & quem ex quartana febri contraxerat.

20. Synodus frequentior, quam unquam antea, celebrata *Racoviæ*. Ad mensam Domini accesserunt 459., desideratis non paucis ex cœtu *Racoviensi*. Ibi decretum fuit, ut cum D. *Adamo Goslavio* cœtum *Gozdoviensem* & *Volibnienses* omnes visitarem, & D. *Joach. Rupnovium* traderem, & commendarem D. Sieniutæ. b)

1. Junii discessit *Lambertus a Maische*, Gallus levis, apud nos omnia strenue simulavit, deinde ad Evangelicos transiisse dicitur, & *Belzicii* Rectoratum Scholæ suscepit.

22. Obiit *Georg. Abrah. Sczepanowski*, judex olim Novomieskii.

28. *Laurentius Zakozenski* annos natus 95. obiit.

16. Septembris Iter Volihniense ingressus.

 23. Se-

linquendum opinamur, & in negantem partem magis propendemus, hoc tamen scimus, Judæos contra ita modeste de *Socinianis* sentire, ut fere solis spem salutis æternæ relinquant. Cognita certe non solum nobis sunt quædam hac de re Judæorum mollissima judicia, sed b. *Wulfferus* etiam noster in *Animadv. ad Theriac. Jud. Salom. Zebbi* Cap. IV. §. 3. ex *Archisynagogi Judaici Amstelod.* ore se audivisse testatur. Iis quidem omnibus & singulis, qui gravem hanc idololatriam committant, cultumque divinum Jesu, mero homini, præstent, eumque pro Deo colant, nullam salutis æternæ spem relictam esse: At de Socinianis & Arianis mitiorem sententiam ferri oportere, *quos solos æternæ beatitudinis participes fore*, affirmandum putet. Quem in rebus Judæorum versatissimum, dum viveret, Theologum p. p. §. 13. f. 269. de Judæis quoque argumenta ex *Socinianis* contra nos depromentibus differentem conferre non pœnitebit.

a) Antehac vero A. 1614. *Smiglensis* cœtus Minister, cujus, tanquam instrumenti ad alios quoque in errorem consimilem pertrahendos idonei, meminit etiam *Ruarus* Cent. II. Epist. n. XVII. f. 95.

b) *Christophorus* hic *Sieniuta*, nobilissima editus familia, atque divitiis Principibus comparandus, postquam *Romæ* aliam mentem induit, & Pontificiam religionem deserere, perinde ut *Daniel Rudnicius*, (qui publice etiam istic docuit,) constituit, sed horrendam vitiorum ibidem grassantium molem & impietatem cum cultu commentitio sanctorum & simulacrorum, aliaque, quæ displicerent, detestatus, præpostere ad *Socinianum* iterum, quem parentes olim jam instillaverant, animum appulit errorem, ideo h. l. commemoratur, tanquam is, cui *Rupnovius*, *Racoviæ* adhuc, sed ex hoc tempore *Berefci* docens, (ubi A. 1643. mortuus, sed post mortem etiam infamis declaratus est,) commendandus esset; quoniam in prædiis suis *Lachovecienfibus* & *Sieniutoviensibus* Ecclesias nuper admodum fundaverat, impensisque ingentibus sumtibus Patronum earum multis jam modis se probaverat. Quo nomine etiam a *Lubienicio* atque aliis sodalibus mirifice concelebratur. Conf. quæ supra ad A. 1617. observata & narrata sunt.

c) Et hic & superiores *Galli*, non fuisse *Polonos Socinianos*, in *Galliam* peregrina-

23. Septembr. Synaxin S. *Gozdoviæ* abſolvimus.

24. Inde profecti *Kreloviam* 4. m. *Sokalim* 4. m.

25. *Spezarowicas* 7. m.

26. *Krzemieneciam* pervenimus, ubi fama increbuit de incurſu *Tartarorum*. Dabatur quidem ſignum exploſione tormenti, ſed noſtri, panicum illum terrorem eſſe rati, effecerunt, ut nihil metuentes iter perendie ſuſciperemus. Profecti ſesqui-milliare, axis fracta eſt. Vix per integrum diem ſub dio commorati, tandem *Jampolum* pervenimus. Jam *Tartari* irruptionem fecerant. Sed eo die, cum nos ita ſub dio verſabamur, caſtra regni aggreſſi (quo etiam periit Illuſtris adolescens noſtræ confeſſionis *Procopius Hoscki*, Vexilli feri filius) non poterant iter ſuum perficere. Quod ſi perfeciſſent, nos in campo iſto offendiſſent.

27. *Lachovecias* noctu venimus. Ibi commorati per d. 28. & 29. abſolvimus, quæ ad diſponendum populum Chriſti ad cultum divinum pertinent, die

30. paramus nos ad S. Synaxin. Interim hora diei 2da incurſus *Tartarorum*, qui duobus a *Lachoveciis* milliaribus caſtra metati fuerant, factus eſt tantus, ut nobis aſpectantibus plures arcem tranſierint, quam duo mille, nobis interim in arce omnibus ſalvis. Quot hominum millia capti & abducti, quot clades incolis & illuſtri Dn. *Sieniutæ* illatæ fuerint, dici vix poteſt, credi autem minime. Itaque rebus infectis ibi, tanquam in carcere, incluſi manſimus per 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Septembris, neglecta communione non tantum *Lachovecienſi*, ſed & *Czernichovienſi*, quæ ad 7. Septembris deſtinata fuerat. Tandem excuſſo aliquantulum metu, *Lachoveciis* egreſſi, 9. *Oſtrogiam* h. m. pervenimus; Hinc 10. *Hoskiam* 3. mill. Ibi nos terror iterum inſecutus eſt, ſed vanus.

13. Communione S. perfuncti.

14 diſceſſimus

15. cum Magn. D. *Hoscki* vexillifero Kijovienſi in arcem illius, *Krupam*.

16. *Olicium*, urbem Ducis *Radzivilii* pervenimus, ubi iterum motus exortus per 17. Octobris, ibidem nos detinuit.

18. In *Kiſselin* a) pervenimus, oppidum Magn. Dn. *Georg. Czaplic.* Hic

tos cum ſuis, præcepti a Magiſtris inculcati & moris antiqui, ἵνα προσηλύτους ποιῶσι, immemores; inprimis vero *Ruarum*, hoc ipſum, ubicunque licuit, ſtrenue egiſſe negotium, condocefaciunt. Vnde fortaſſis, cur etiam *Gallia* a noſtris inter confabulationes amicas κρυπτικῶς nominata ſubinde fuerit, liquet.

a) Alii *Kiſſelin* nominant. Quod oppidulum in extrema pæne, qua *Rusſiam* nibram & Palatinatum *Belzenſem* tangit, *Volbinia* ſitum ſero nidum Antitrinitariis præbuit, atque ſchola inprimis celebri, & Præceptoribus in ea docentibus eruditis, ſub patrocinio non tantum *Georgii* hujus *Czaplicii*, & *Martini* Czaplic de Szpanow

Hic iterum territi metu, vix mansimus, usque ad d. 22. sacram ibidem peragentes Synaxin. Hinc retro *Gozdoviam*, in *Sienieska*, *Piasky*, *Kraswiciam*, *Janicoviam*, in *Lesickow*, & tandem *Racoviam* reversi sumus d. Octobris 28. Illic omnia mœrore repleta offendimus.

21. enim, circa dimidium noctis, suum diem obierat, vita longissima digna, Illustris Dn. Palatinidis nostri Racoviensis, Illustris & pientissima conjux, *Anna de Bielsko*; matre mihi charior, & matre mei plus amans.

7. Novembr. sepulta fuit.

23. Novembr. M. D. *Andreæ Chrustowski* filia natu major lue Hungarica extincta.

26. Nuptiæ novæ Ill. Dn. Palatin. finitæ, cum filia Magnifici D. *Stanislai Chrestovii*, *Dorothea*.

Hoc tempore Cometa visus est, non procul ab ursa minore, caudatus admodum, ab oriente occidentem versus. Duravit ad duos menses.

Fama de mortuo insigni Jesuita Polono, Antagonista meo, percrebuit, *Martino Smigletio*, Th. Doctore. a)

Anno 1619.

Lues Hungarica, quam febrim pestilentialem, vel Petecias nominant, passim grassata est.

Hiems mens. Novembri anni præteriti gravis cœperat: Mense De-

Beresti Domini, (fratris ejusdem,) atque filiorum deinceps videlicet *Andreæ* & utriusque *Alexandri*, amplissimarum possessionum hæredum, fundatorumque variarum Eccles. Vnitariarum, floruit, sed mature etiam, & non multo post *Racoviam* in ordinem redactam, *Socinianisque* ereptam, A. nimirum 1644. ab his sordibus perpurgatum est; quippe quo *Georgius* ille *Czaplicius*, superstes adhuc, ob *Arianismum* (h. e. *Socinismum* a *Polonis* cum illo semper commixtum) in jus vocatus, Præceptores scholæ ad tribunal comparere jussi, & cum illi subduxissent sese, Patronus ipse aliquot aureorum millibus multatus, Ecclesiæ denique & schola *Berestenses* atque *Kisselinenses* per sententiam *Lublinensem* disjectæ ac funditus eversæ sunt. De quibus *Lubienicius* l. c. L. III. c. XVI. & Auctor *Vitæ Wissowatii* f. 236. seq. consuli possunt. Cæterum, quantopere fratres istos *Czaplicios*, *Georgium* & *Martinum*, postquam A. 1614. circiter Eccl. & scholas fundaverant, sibi devincire officiis, omnique observantia colere laborarint, vel Dedicatio illa demonstrat, qua *Smalcius* noster *Refutationem Mart. Smigletii* librorum, quos de *Erroribus novorum Arianorum* evulgaverat, ipsis inscripsit, inque ea ardorem eorundem pro *confessione, quam pridem agnoverint*, *pro virili amplificanda*, admodum prædicat, laudibusque ingentibus extollit.

a) Sic rumorem t. t. ortum esse, noster inquit. Sed nec vanum eum fuisse, *Alegambe* in *Biblioth. Soc. Jesu* confirmat, revera diem suum obiisse hunc strenuum contra *Socinianos* militem hoc ipso anno

Decembri cessavit, per Jan. Febr. nulla fuit. In Martio demum sævissima occurrit, & usque ad finem April. fere duravit.

Dux Ostrogiensis *Constantinus*, & semestri post frater ejus *Janussius*, filii Palatini Volihniensis *Alexandri*, Constantini Palat. Kijov. filii, cœlibes moriuntur.

17. Adamus *Zink Gotha* ad me venit, abiit vestitus & donatus.

21. Septembris iter *Volihniense* tertium ingressus perfeci feliciter.

31. Octobris ventus monstrosus & horrendus, conflictus inter Exercitus *Ferdinandi* Cæsaris, & *Friderici Bohemorum Regis* prodromus, in quo non paucis millibus prostratis Rex victor evasit. 12000. ex parte Cæsaris 4000 ex parte Regis. a)

21. Novembr. *Lissovius*, b) in Hungariam irruptione facta, loca non pauca depopulatus est, & multos innocentes contrucidavit.

29. Novembr. *Racovia* oppidum miraculosissime ab *Oporoviana* cohorte salvata fuit. Cum jam perendie eam invasuri essent, venit insperato Cubicularius Regis, cum mandatis eis, (forte ejus, scil. Regis) qui mira arte & minis eos dissipavit. c)

Anno 1620.

30. April. *Eberhardus Spangenberg*, Antwerpianus, *Racoviæ* obiit, æt. 69.

14.

exeunte testatus. Cur autem Antagonistam suum noster h. l. vocarit, non alia caussa fuit, quam quia nemo acrius, quam *Smalcius*, cum eodem dimicavit; Vtpote, qui solus *octo omnino* libros, quos enumerare nihil attinet, eidem opposuit, ab A. 1613. usque ad A. 1616. *Racoviæ* 4to impressos: ut Moscorovianas ejusdem impugnationes, & aliorum alia schediasmata taceamus, & breviora & pauciora. Cætera jam supra Cap. II. subinde commemorata sunt: quæ, ne actum agamus, repetere non convenit.

a) Aut fama mendaci deceptus hæc scripsit *Smalcius*, aut error in scribendo commissus est. Ipsum enim conflictum hoc anno factum non esse, sed anno 1620., autumno jam adulto, ac proinde, quæ de prodromo heic annotantur, de vento & turbine A. 1619. coorto intelligi oportere, manifestum est. Quicquid vero horum sit, *Rex* certe victor non evasit, sed Cæsar. De numero autem utrinque cæsorum, alii, qui hoc ex professo descripsere bellum, consulantur, qui, nisi fallor, omnes aliter rationes inire solent.

b) Quis *Lissovius* ille fuerit, & quæ *Lissoviana factio*, unde denique illa exorta sit, exposuit *Lubienicius* Hist. Ref. Pol. L. III. c. XII. f. 242. seqq.

c) Quanto sigillatim in *Sieninium* odio flagrarit *Oporovius* ille, inter Tribunos militum istorum fœderatorum haud postremus, & quemadmodum *Elias* quoque *Arcissevius*, ore, ubi commodum videbatur, *Socinismo* addictus, sed moribus alienus, inter commilitones ejus fuerit, ac *Racovienses* de imminente periculo clam monuerit, idem *Lubienicius* l. c. distincte narrat: qui &, Cubicularium illum Regis e *Grussinia* gente nobili fuisse, addidit, pluribusque circumstantiis cuncta exornavit, atque in-

14. Maji Frater meus germanus, *Valentinus*, a) ætatis anno 88. sola senectute extinctus obiit. Nam ad ipsam usque agonem rationis compos fuit. Vixerat mecum in Polonia annos quatuor cum dimidio.

16. Junii Palatinus Cracoviensis, *Nicolaus Zebrzydowski*, infelix Rokosii b) Dux, in vivis esse desiit.

1. Julii filiam meam *Helenam* despondi Generoso Dn. *Nicol. Lyczko de Ruglic*, ambienti eam per Illustr. D. Palatinidem *Siennienium* & Magn. D. *Adamum Goslavium de Bebelno*.

12. Julii nuptiæ celebratæ *Racoviæ*.

6. Septembris quarti itineris *Volibnensis* tempus, sed ob metum impressionis *Tartarorum* neglecti.

Circa hujus mensis medium obiit etiam Castellanus Cracoviensis Dux Ostrogiensis, *Janussius*, sepultus *Tarnoviæ* 2. Novembr.

17. Septembr. conflictus inter *Polonos*, & *Tartaros Turcis* mixtos, c) qui duravit usque ad 19. Hic retrocedere coacti Poloni, in castra antiqua circa *Ciceram* sese contulerunt. Sed partim fœtore cadaverum, partim defectu rerum ad defensionem sui necessariarum, partim metu irritati hostis, inde etiam cessere, *Niestrum* versus, insequentibus eos Tartaris, quibus quotidie fortiter sese opponentes *Poloni* usque ad VI. Octobris, vim eorum sustinuerant, donec tandem, exercitu attrito, Dux belli supremus *Zolkiewski* interemtus, una cum plurimis aliis. Dux belli Campestris *Koniecpolsky* captus; cum non paucis, *Korecki*, *Strus*, *Fawersbek*, *Dunow*, duo *Zolkievii* alter filius, alter ex fratre filius supremi Ducis; desiderati ad 12. millia. Omnes *Rothomagistri* d) perierunt, vel capti fuerunt, præter duos *Rogalski*, & *Mnistek*. Nihil tale

ter alia, cubicularium illum voluntatis regiæ nuncium a *Racoviensibus* deinde permultis officiis cohonestatum, nec indonatum discessisse, ait.

a) Cum plerique in Transsylvaniam tandem abiisse, ibidemque etiam vitam cum morte commutasse opinentur aut scribant, hoc loco annotatus dies locusque mortis *Ariani hujus hominis*, & sine dubio in eadem sententia perseverantis, dum viveret, notanda sunt. Cætera enim & cujas forte fuerit, supra jam ad Cap. II. ubi de Præceptore ejus *Erasmo Johannis* commentati sumus, disputata sunt.

b) Repete, quæ A. 1606. jam observata sunt.

c) *Bellum* hoc vulgo *Walachicum* audit, & a scriptoribus rerum Polonicarum passim descriptum est. Ex quibus etiam, *Stanislaum* illum *Zolkievium* septuagenarium fuisse, cum trucidaretur, cognitum est: quanquam nonnulla etiam *Smalcius* hic addat, quibus lacunæ fortassis historicorum expleri queant.

d) Tribuni militum, Germ. olim *Rottmeister*, quia cohortes ducebant, hodie *Chiliarchæ*, Εκατοντάρχαι, & quæ sunt alia hujusmodi nomina, vulgo audiunt.

tale unquam gens Polona a Barbaris perpessa. Sed hoc fortasse initium erit belli Turcici.

15. Novembris in Comitiis nobilis quidam, *Caspar* a) *Piekarski*, malleo, quem Polonice *Czekan* vocant, regem inter duos Episcopos medium euntem in templum adortus, prostravit, & vulnera aliquot inflixit. Mira autem Dei providentia Rex conservatus fuit. b) Facinorosus forcipibus candentibus laceratus, manus exusta, quadrigis discerptus: combustus, & in Vistulam cinis projectus; ut libello publice impresso id descriptum extat. Et hoc in gente Polona facinus inauditum. In his Comitiis decretum fuit bellum adversus *Turcam*.

22. Decembris circa ipsam meridiem obiit G. *Lazarus Wyssowaty*.

Anno 1621.

Mense Martio auditum fuit, Principem *Korecki* a Turca ex unco Turcico more suspensum fuisse: Quod mortis genus est vere barbarum, & longe crudelissimum.

Auditum etiam fuit, *Scinderbassam*, ducem belli Imperatoris Turcici, a Galga, duce belli Tartarico, interemtum: Sed compertum deinde fuit, eum morte naturali extinctum fuisse.

Hac hieme incredibile, & ab annis retro plusquam centum, (ut *Herlicius*, Astronomus, annotarat,) inauditum frigus fuit. Fluvii ad tres ulnas conglaciarunt, & putei profundi, & molendina fere omnia.

23. Febr. G. D. *Rusiecki* obiit.

2. Martii G. D. *Dorothea Goslavia*, duorum *Goslaviorum* fratrum fidelium, c) *Philippoviana* obiit.

18.

a) *Michaelem* alii vocant, hominemque mente fuisse motum referunt. Conferatur, si placet, *Piasecius* in Chron. ad h. a. f. 404., qui & supplicium illud fusius enarravit. Malleus, quo usus est, nostris ein *Spizhammer* dicitur, cujusmodi inter murariorum fabrorum instrumenta numerantur.

b) Quippe in genis vulnus jam acceperat, & bis humero malleo isthoc percussus fuerat, haud dubie enecandus trucidandusque, nisi tertium ad verticem directum lethalem ictum avertisset *Lucas Opalinscius*, Curiæ Mareschallus, Regi inter comites proximus. *Johanni Kalinscio*, qui primus humi jacentem Regem sublevaverat, a Regina torqes aureus & 30000. sestertium donata, a Senatu vero bona percussoris eidem adjudicata feruntur.

c) Omissa est, incertum inter describendum ne, an in ipso etiam αὐτογράφῳ? vox *Mater*. Genitrix certe utriusque illa fuit, quæ, ex *Philippovia* gente pervetusta natalibus clara, utrumque *Goslavium* peperit, *Adamum* videlicet, scriptis celebrem, de quo supra Cap. II. ad elementum G. di-

18. Martii *Racoviam* venit G. D. *Weyrach*, Silesius, Ducis Pranscensis a) tertius oculus.

1. Maji ingens æstus & siccitas cœpit, quæ omnia exussit, & duravit usque ad 4. Junii. Ab hoc tempore mutata est siccitas & æstus in pluvias, quæ integros duos menses durarunt, & exundationis quinquies repetitæ caussa extiterunt. Exundationis argumenta accipe: *Tarawia Opatovecium* usque h. e. integra tria milliaria trajicere oportuit Alii retulerunt, *Rzessovia Polanecium* usque h. e. septem milliaria transvexisse. Domus multæ, & casa una cum hominibus in fluvio *Vistula*, pecora item & feræ, denique lepores & vulpes, reperta fuerunt.

15. Septembris D. *Andr. Voidovii* uxor pientissima, *Radecii* filia, obiit. b)

18. Septembris Insignis Chirurgus Racoviensis, *Jac. Rudkowiez* obiit.

24. Octobr. Vidua *Rasicia*, Diaconi olim vidua, obiit.

Bellum Turcicum.

Primo vere miles *Poloniæ* finibus egressus in *Valachia* castra fixit, circa *Chocimum* arcem, quæ in mediis castris fuit. Dux exercitus supremus Illustriss. Palatinus Vilnensis, *Chodkiewicz*, Dux Campestris, Capitaneus Sendomiriensis, *Lubomierski*. Caput belli, *Vladislaus*, Regis filius.

12. Septembr. horrendum chasma castrorum, & tabernaculi extensi formam referens, visum fuit. Quo tempore exercitus Turcicus cum Polono congressus fuit.

Velitationes utraque ex parte habitæ per integrum mensem, sed prælium generale nullum commissum est. Tandem mira Dei providentia factum est, ut *Poloni* pacem a *Turca* impetrarint, acceptis conditionibus, quæ summo studio tectæ manserunt. Fœdus antiquum

Pppp ppp con-

ctum est uberius, & *Andream*, qui e *Scepanovia* familia *Cyrilli Tasicii* viduam in matrimonio habuit, & *Luclavianum* ad tempus jure matrimonii cum uxore tenuit. Vtrumque cum matre *Socini* partes & castra sequutum esse, alias satis superque constat: quam etiam ob rem eorum h. l. potissimum facta est tam amica & honorifica mentio. Commune de reliquo horum *Goslaviorum fratrum*, (quorum uterque Senioris in cœtu Sociniano partibus perfunctus, multisque ambo itineribus defuncti sunt, promovendæ Eccles. Socinianæ impensis,) prædium fuisse *Crassow*, & quando diem supremum obierint, jam alibi, nisi fallor, commemoratum est.

a) Quis ille Pranscensis Dux? non intelligo. Forte *Briegensis* substitui debet, aut Polonus aliquis est, in quem digitum *Smalcius* intendit.

b) *Lenczizii*, an Racoviæ, incertum; at prius verisimillimum est. De Patre *Rade-*

confirmatum. In caſtris Polonorum tanta fuerat rerum omnium egeſtas, ut, ſi inſolens hoſtis ad unam ſeptimanam ferendus fuiſſet, omnes deditione ipſa ſalvare ſeſe coacti eſſent.

Rex nobilitati expeditionem publicam ad *Leopolim* indixit, ſed tardius & ipſemet Rex, & nobilitas convenit, quam ut militem Valachienſem juvare poſſet: Interim pacis conditiones allatæ, & 18. Octobris dimiſſa publica expeditio.

Triginta millia equorum perierunt.

Ipſemet ſupremus Dux exercitus *Chodkiewicz* in arce *Chocimo* 24. Septembris diem ultimam clauſit. *Hactenus Smalcius ſua ipſius manu.* a)

Anno 1622.

Hoc anno, langueſcente haud dubie valetudine, elanguit & manus ſcribentis, atque continuatio Diarii cum robore (corporis calamoque Smalzi) deſiit, donec d. 8. Decembris, uti ex Epiſt. Crellii ad Ruarum MSta notavit Sandius, vitam cum morte commutaret, vitaque cum gemitu fugeret indignata ſub umbras, aut, ſi malis, Athleta hic, ſi quis alius, pro Socini placitis, vehementisſimus ἐις τὸν τόπον τὸν ἴδιον *abiret.*

cio ſeniore ſupra plus ſatis dictum, neque etiam fata *Voidovii* indicta alibi prætermiſſa ſunt.

a) Quem libros quoque a ſe in publicam lucem paullatim emiſſos, qui plurimi ſunt, & tria fere Volumina quarta forma maximam partem procuſa conſtituunt, non particulatim commemoraſſe, & ſuo quidem unumquemque nomine cum occaſione data, quod plurimum refert noſſe, haud recenſuiſſe, non tam miramur, quam dolemus. Quamvis enim de reliquis in aprico ſint omnia poſita, tamen de primo & ultimo nobis aqua valde hæret. Quorum ille contra *Tradelium* tam obſcuræ eſt originis, ut ſupra jam dubia quædam a nobis non injuria mota ſint. Hic vero, cum dubio procul *Novi Teſtam. Polonica Verſio* fuerit A. 1620. typis *Racovienſibus* 12mo excuſa, vel ideo peculiari memoria dignus fuerat; quoniam, ſolusne, an cum aliis, in ea quoque adornanda elaboraverit, dubitatur. Cætera autem, quoniam *Sandius* recenſuit opera multum, fateor, doctrinam olentia, & perſpicuitate atque dictionis quoque nitore haud vulgari commendabilia, noluimus attingere: quia facile ad annos ſingulos, quibus prodierunt, annotari poterunt.

ANA-

ANALECTA PERBREVIA HISTORIAE CRYPTO-SOCINISMI AB A. S. ADIECTA.

Ad Cap. I.

Pag. 6. lin. penult.) Quæ de *Matth. Vogelio* obiter heic dicta sunt, non sine justa caussa videntur ita scripta: Quamvis enim Ecclesiæ & Academiæ Regiomontanæ inserviisse, aut eo accitum esse, passim tradatur; nihil tamen de Profess. munere in ipsius scriptis adhuc observare licuit commemoratum, neque etiam repugnat, e suggestu eum laudatæ huic Vniversitati Pastoris operam præstitisse: quippe quæ & ipsæ societates Ecclesiæ cujusque loci, ubi conditæ florent, pars sunt spectatissima. *Hartknochius* certe, Vir accuratissimus, nihil, unde colligi queat dignitas Professoris ei collata, annotavit, & quando de recantatione, quæ pro *Osiandro* mitius tantum sentiendo, non assentiendo, dixerat *Vogelius*, actum esse copiose narrat, non nisi de suggestu, unde id fieri debere postulatum fuerit, mentionem facit. Taceo in *Joach. Mörlini* exauctorati a Principe locum, qui nunquam Professor fuit, ex oppido *Velaviensi* in *Kniphofiense* templum civitatis primarium evocatum esse. *Prussiam illustratam* parum quantum ad hoc moramur; utpote cujus auctorem, cætera doctissimum, fama duntaxat niti, cætera, præsertim temporum rationes, non bene istic cohærentes, produnt. Quod vel ex tempore definito, quo Lobiaviæ atque Velaviæ & utrobique quidem annos quatuor antehac docuisse dicitur, collatos cum Mörlini abitu, sub finitum A. 1553. facto, demonstrari potest: ut alia omittamus.

Pag. 7. not. a. lin. 5.) Verba hæc, quæ de *Waldnero* in locum *Schallingii* suffecto agunt, transposita sunt a Typothetis, signum, quo referenda essent, ad marginem notatum negligentibus, & participio *evocato* lin. 12. postponi debent. Qua de re satisque adeo *Waldneri* ipsius, animosissimi pro veritate Evangelii conservanda athletæ, agere & quæ gesta sunt exponere, scriptaque ipsius & controversias, *Ratisbonæ* etiam continuatas, percensere ex instituto operæ pretium esset.

Fol. 18. lin. 1.) *Liguelli* nomen male exscriptum est, & in *Lignelli* seu *Ligelli* potius, Germanico, puta *Hölzlin*, magis consentaneum commutandum. Qua occasione non possumus non ὡς ἐν παρόδῳ b. *Creenii*, Philologi & Literatoris, quem superiori A. 1728. d. 29. Martii e vita excessisse constat, eximii, cespitationem notare, *Holsatum* eum

 fuisse,

fuiſſe, in *Animadverſ. Philolog. & Hiſtor.* Part. XIV. f. 43. poſt *Morhoſium*, idem prorſus alibi aſſerentem, perhibentis. Quem tamen errorem, ut alia plurima, ita quoque Index Civium Academ. Academiæ Altorph. (cui A. 1600. d. 27. Aprilis nomen dedit,) & *Noribergenſem* ſe appellavit, ac præterea multæ Diſputationes, quibus nomini ſuo ipſemet patriam ſemper *Noribergam* adſcripſit, refellere poſſunt perquam luculenter. Vt mirum hinc ſit, in ipſa *Vniverſitat. Lugdun. Batav.* viventem virum præſtantiſſimum, inque hujusmodi alias minutiis præ ceteris & accuratiſſimum & exercitatiſſimum, tantopere hallucinatum eſſe. Mirari tamen non minus ſubiit, quando Præfatione ad *Apollonii Rhodii Argonautica* A. 1641. 8vo iſtic evulgata & commentariis illuſtrata, attente perlecta, ne verbo quidem patriæ ſuæ eum meminiſſe animadvertimus. Neque enim, unde adventarit, aliis verbis in *Dedicat.* * 5. Patronos edocuit, quam, *poſtquam navicula exilii ſui ſtationem & ἄπιςον λιμένα eſſet* (*Tremonæ* fortasſis) *nacta, ea penitus deſerta, in Bataviam concedere ſe decreviſſe &c.* Ceterum *Tremonæ* ſcholaſtico illum, antequam *Profeſſ. Græcæ Ling. Lugdunenſem* aggrederetur, ſatis diu perfunctum eſſe officio, ex *Hexaëtia*, quam ibidem edidit, *Scholica* A. 1625. excuſa, & ab eodem *Creenio* valde laudata, colligitur. *Lugduni* vero, illico poſt abſolutum Commentarium ſupra memoratum, ex hydropico morbo diem ſupremum obiiſſe, aliunde & ex ipſa *Argonauticorum* illa editione cognitum eſt. Hæc de Præceptore *J. Vogelii* explanatius tradere, & ad b. *Ludovici* Annott. ad *Hiſt. Scholæ Amberg.* paullo magis illuſtrandas, ſupplere viſum eſt.

Fol. 19. l. 2. ſeqq.) Profeſſorum Philoſophiæ, quos ſtrictim heic attingimus, Vitas, interea, dum hæc ante aliquot annos perſcripta ſunt, in lucem publicam a Clariſſimo Viro Dn. S. J. Apino datas, nunc conferre haud pœnitebit, ut, quibus luminibus ſub id tempus *Altorphium* exſplenduerit, quantisque eruditionis dotibus excelluerint, affatim inde diſcas. Quibus nonnulla perfacile eſſet in præſenti addere, ſi id ageremus. Dignas tamen inprimis Epiſtolas, *Vitæ Prætorianæ* attextas, cenſemus lectu, ut ſingularia quædam *Dudithiana*, & ipſam quoque fatalem horam extremam, accurate eidem fuiſſe præcognitam, eventuique divinationem Aſtronomicam reſpondiſſe, ex illis addiſcas. Quæ vel ideo, quod in nota e) nonnihil horum commemoratum eſt, tacenda non videbantur.

Pag. 26. not. a) Parum equidem, quemadmodum nomen expreſſerit ſcripſeritque ſuum *Sonerus*, anxie diſquirere refert. Poſtquam vero aliud agendo in Conſanguineos, an Fratres, Indici Studioſorum

Academ. alicujus A. 1608. d. 30 Augusti inscriptos, *Marcum Andream Sonerum*, & *Joh. Georg. Sonerum* incidere datum est, nihilque gemi-nati N. observatum, tanto jam magis in simplici illa scriptione, Epistola insuper comprobata, quæ inter *Supplementa* primo statim loco comparet, & ex ipsiusmet *Ernesti* manu descripta habetur, ac-quiescendum esse censemus. Supersedere omnino equidem hisce perexigui momenti disquisitionibus potuisset Auctor, si per aliorum mutationes temere susceptas licuisset. Quibus tamen, cum aliquid lucis accendere conati jam simus, *Sonneri* contra nomen pari modo, ut alii quidam, exscripsisse etiam S. R. D. *Weismannum* in Memorab. P. II. f. 803. uno verbo observamus.

Pag. 27. *not.* a) Quod ad hæc addamus nihil succurrit, præter-quam hallucinatio levior in *Lexico Erud. Lips.* commissa, & ex homo-nymia, ut fieri solet, orta; ea nimirum, *qua Itinerarium* hoc elegan-tissimum Perillustris *Füreri* Senioris atque Patris, filio de reliquo non minus, quam Pater erat, illustribus dotibus meritisque conspicuo, male tribuitur. Quemadmodum etiam (hi enim testes l. c. allegan-tur,) Patris tantum Vitam breviter attigit *Königius*, atque *Itinerarii* recte ab eo conscripti meminit, filii autem fata plenius *Freherus* enar-ravit, nullamque hic scripti istius præstantissimi mentionem fecit. Quos igitur quando, tanquam de uno eodemque agentes, citari animadvertimus, ad distinctam potius de diversis notitiam inde hau-riendam eos consuli posse ac debere, *Lectorem* commonefacere vo-luimus.

Pag. ead. not. e) Ipse *Sonerus*, antequam discessit Altorphio, A. 1597., Theses *de Febribus* A. 1596. Præs. Scherbio d. 7. Junii elaboratas a se, & Norib. typis *Pauli Kauffmanni* impressas, disputandas propo-suit, & A. 1597. d. 3. Martii, paullo ante abitum, eodem præside iterum *de Sanguinis missione in genere* Dissert., in cujus titulo *Authorem & Respondentem* se vocavit, idque in Dedicat. ad Illustrem Dn. *Christo-phorum Fürerum* ab Hammendorff, paullo ante laudatum, denuo repe-tiit, exercitii atque speciminis Academici loco publicavit. Quæ, nisi in *Vitis Medicorum Altorph.*, elegantissime conscriptis, omissa essent opu-scula, facile & heic præteriri potuissent, addita vero cæteris non in-grata erunt.

Pag. 37. *not.* b) Plus satis de *Theodoro Simone* seu Simonis potius dictum est h. l.; addendum tamen, eundem vagæ fidei hominem, tametsi perdoctum atque inprimis ἑλληνικώτατον, *Gedani*, quod ex Dedicat. *Georgii Fhelavii* V. D. M. Dantiscani, *Christ. Angeli Statui &*

Ritibus Ecclesf. Græcæ A. 1655. præmissa, nobis innotuit, aliquandiu vixisse, præceptoremque ipsius *Ihelavii* domesticum A. circiter 1638. seq. fuisse. Vnde porro, eum sub id tempus, quo *Crusius* & *Ruarus* in propaganda hæresi sua potissimum ibidem desudabant, in devia tandem ab iisdem abreptum esse, non vana conjectura suspicari possis.

Pag. 57. *not.* c) Idem, quod *Creenius* de *Sonero* quasi insonte sensit, quemque immunem a Socinismi labe fuisse l. c. existimavit, Venerandus quoque, dum viveret, νῦν ἐν ἁγίοις, *Jo. Fabritius*, approbavit, mitius judicium, quando P. V. *Histor. Bibl.* suæ fol. 512. *Fama*, scripsit, *equidem tulit Socinianis eum* (Sonerum) *sententiis addictum fuisse, iisque doctiores imbuisse studiosos, quorum aliqui Witteberga vocati & tam diu Noribergæ custoditi sunt, donec recantarent; sed D Jac. Schopper, qui Viri Collega fuit, & moribundo solatiis præivit, testatur, eum verbum Dei præ cunctis scriptis amasse & æstimasse, atque in hac confessione Christum esse verum Deum & hominem, ac se totum Christum, tanquam Deum & hominem, secundum utramque naturam, in una persona, adorare; eos vero ex animo detestari, qui majestatem filii Dei quoquo modo imminuerent, cui colendo & adorando nulla satis devotio mortalium esse possit.* Quanti vero roboris adductæ pro excusando Philosopho illo atque Medico perdocto sint rationes, ex observationibus ab Auctore heic subjectis facile, ut putamus, intelligi poterit, ut repetitione opus haud sit. Hoc tamen demireris, sagacissimo *Dno. Abbati* argumentum pro *Soneri* innocentia visum esse validum, verbi Dei insignem amorem; quem ad unum omnes *Sociniani* nunquam præ se tulerunt: etsi subinde explicationes ejus ad incudem rationis revocare consueverint, aliaque effugia quæsiverint, quibus vim verbi Divini, summa quoque mysteria tradentis, obtentu cultus Dei *rationalis* eludere laborarint. Accedit ad hæc imperfecta, de quibusdam *Witteberga* tantum retractis narratio, in Cap. III. emendata & expleta. Vnde ex rumoribus quoque hæc hausta atque consignata esse, ut ferebatur, litteris elucet. Quæ necesse fuerat in præsenti notare, ne tanti Viri patria *Noribergensis* immo *Altorphini* relatio hæc universa, mitiusque de *Sonero* judicium, fraudi cuiquam esse posset.

Pag. 60. *not.* a) Extat percelebris illa *Quistorpii* Epistola non solum in *Remonstr. Epist.* ad N. N. data, sed alibi quoque sæpenumero typis recusa legitur, eademque ab eruditissimo *Grotii Manium* etiam vindice nuper admodum A. 1727. a fol. 481. seqq. usque ad f. 502. & porro solidis argumentis communita est adversus calumniatorum multi-

multiplices insultus. Heic nihil cæteris addendum est observationibus, quam ad se ipsum a *Quistorpio* isthæc de *Grotio* perscripta esse, *Calovium* l. c. sed edit. Bibl. illustr. majoris in fol. pag. 195. seq. & *Præfationis Grotianæ Exam.* §. IX. videri affirmare: Quod laudato ante *Manium Grotii* vindici idem quoque sentiendi occasionem dedit. At postquam verba Epistolæ istius cum illis, quæ *Calovius* ex alia ad se exarata l. c. exhibet, collata sunt diligentius, alias fuisse a *Quistorpio* eadem de re ad *Calovium* datas litteras, & de argumento eodem a prioribus diversas deprehensum est. Quis autem ille fuerit N. N. in notis ad *Ruari* Epist. Cent. I. n. 66. fol. ed. prioris 292., si nosse cupias, reperitur explanatius definitum: quanquam etiam sint, qui *Eliam Taddelium* substitui velint.

Ad pag. eandem lin. ult.) Male pro *Franc.* h. e. *Francisci* nomine *Frid.* seu *Friderici* prænomen, quod nunquam *Franc. Davidis* fuit, excusum legitur, ac proinde corrigendum, h. l. incertum cujus oscitantia, at Typothetæ haud dubie, admissum grande est mendum. Ad rem ipsam quod attinet, quam credulus fuerit, quando hac sibi confessione ambigua imponi passus est *Schopperus*, ex simulato consensu haud absimili, *Crellianæ* vafritiei teste, inferius §. XXIII. narrato L. B. addiscere poterit: quam cum hac catastrophe contendere operæ pretium erit. Aliter de *Sonero*, *Frid. Vlr. Calixtus* in Orat. de *Vberrimo sectarum proventu &c.* A. 1695. *Helmstadii* habita editaque sensit; quippe in qua *initio Crypto-Socinianum* & *apertum tandem perduellem* (perinde ut nuper admodum S. R. *Weismannus* in *Memorabil. Hist. Eccl. multorum eo tempore ingeniorum depravatorem,*) eum appellare non veritus est, Vir de reliquo supra modum, ut aliis videbatur, moderatus, & rerum etiam non procul a juventute sua gestarum haud ignarus.

Fol. 63. *not.* f) *lin.* 11. *sqq.* Postrema fuit *Matthiæ Bergii*, quod obiter notandum, Professio Philosophiæ Moralis. Etenim latinas etiam Græcasque litteras antehac & ab initio *Altorphi*, tametsi non diu, docuit. Quod ex subscriptione *Strenæ Altorphinæ* Acad. A. 1584. 4to typis Gerlachianis impressæ, ac ipso *Bergio* addita patet. Ejus de cetero vitæ pleniorem enarrationem, quam quæ in *Vitis Philosoph. Altorph.* & apud *Rethmejerum* extat, in Recens. Nov-Antiq. continuatis A. 1728. Part. III. fol. 337. sqq. reperiri, occasione heic data, monere, harum rerum curiosis non ingratum erit.

Fol. 73. *not.* c) De *Neuseri* defectione ad Turcas dubitandum non est. At sponte eum Turcicæ religioni nomen dedisse h. e. *ultro* ad

illos

illos transiisse. *Sociniani* præsertim dogmatis occasione, id ut faceret, instigante, multis verisimile haud videtur, idque *Ruarum* & b. *Fabritium* l. c. innuere forte opinari licet. Ceterum ut in Turcarum potestatem venerit, omnium procul dubio rectissime docuit *Stephan. Gerlachius*, qui eodem tempore, quo isthæc contigerunt, sæpius *Constantinopoli* cum *Neusero* ipso collocutus, in Epist. ad *Mart. Crusium* A. 1575. illic scripta, & b. *Chytræi* orat. de *Statu Eccles. Græc.* attexta, ubi de Typographeis in oriente disseruit, tandem: *Habent*, inquit, *Judæi prælum* (Constantinopoli puta,) *sed utplurimum cessans. Habuerunt quoque in Themeswar Ungariæ novi Ariani Typographiam: cujus gratia cum Adam Neuserus eo Claudiopoli profectus esset, a Bassa Temeswariensi tanquam explorator captus, Constantinopolin missus est.* Quæ si ita sint, omnis jam de Apostasia *Neuseri* scena detecta, &, quam ob rem, vitæ nimirum conservandæ gratia, Christiana sacra ejuraverit, facilius effici poterit, ita ut argumento ad invidiam movendam excogitato fortasſis opus non sit. Non tamen ad hæc illustranda b. *Heineccii Append.* ad Descript. Eccl. Græcæ f. 27. sq. cum his comparare pœnitebit.

Fol. 92. *not.* f) De *Polæro* illo conjecturam Auctor in *Notis* ad *Epist. Ruari* Cent. II. n. 2 f. 7. marg. proposuit, quam conferre, si volupe est, licet.

Fol. 114. *not.* b) De *Crusio* forte (neque enim id satis certum est,) *Argentorati* in partes pejores abrepto comparari poterit Cap. IV. §. XIII. fol. 800. not. e) A *Crusio* autem si discedas, nemo cognitus est præter Cl. Polyhistorem *Matth. Berneggerum*, cum quo vel amicitiam illic cœptam continuata litterarum consuetudine absens deinceps aluerit idem *Ruarus*; etsi omni ea res suspicione concordiæ in erroribus huic familiaribus caruerit. Ut Epistolæ vero ejusdem ad hunc datæ complures furto sint a *Biblioclepte* quodam initialibus literis l. c. subindicato subtractæ conquerentem, ipsum *Berneggerum* in Celeberr. *Heumanni Pœcil.* Tom. II. L. II. fol. 206. videre & audire non pœnitebit. Ubi tamen vel unius conservatæ fragmentum A. circiter 1618. *Lugd. Bat.* scriptæ, dignum erit quod perlegatur.

Fol. 119. *l.* 13.) Verba Germanica latinis interposita aliis typis rectius fuissent exscripta. Utut sit, non tamen fuisse *Altorphl*, qui de *Ruaro* mala mente & ad hæresin suggestionibus illic commilitonibus datis suspicaretur, hinc liquidum est: quorsum etiam verba hæc spectant. Multo vero magis ex Academia hac, ut alibi assertum est identidem, ex integro hoc testimonio perhonorifico patet.

Fol. 123. *not.* d) Pro *Kœnigii* excusatione quæ heic & deinceps scripta

ſcripta ſunt, nemo temere in dubium vocabit. Enim vero neque Auctoris etiam præclare de *Manibus Grotii vindicandis* ſoliciti meritique ſententiam facile aliquis improbaverit, qua l. c. fol. 523. de *Epiſtolis Ruari* univerſe differens: *Multæ quoque ſunt*, inquit, *illic ad Grotium Epiſtolæ, multæ ad alios Theologos, quas illi forte abeſſe inde malint.*

Fol. 130. §. 37. *tot.*) Si quis forte hanc *Oſtorodi* vehementiori, ut ſolebat, animi impetu ſcriptam ad ſuos cohortationem Eccleſiæque inprimis Evangelicæ criminationes exiſtimet prorſus omitti debuiſſe, huic, non ſatis cauſſæ fuiſſe, cur mutilaretur hiſtoria, quod ſcriptiunculæ iſtius horrere alii queant argumentum, reſponderi poteſt; ſi præſertim animo tecum expendas, omnem in ceterorum Socinianorum operibus elencticis haud disſimilia paginam facere. Ipſius certe *Fauſti Socini* de neglecta hinc inde diſciplina Eccleſiaſtica querelæ in Libello notisſimo, eoque jam A. 1599. concinnato, & Polonice primum, atque Latine etiam poſthac, alio tamen titulo, apud Belgas, edito, cujus argumentum eſt: *Quod Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ homines omnino deberent ſe illorum cœtui, qui falſo dicuntur Ariani &c. adjungere*, huc tandem tendit. Integra profecto ejusdem *Appendix* defectum Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſſam eſſe primariam, *cur Evangelicorum cœtus minueretur, Arianorum vero (quos vocent) creſceret*, vel in ipſa inſcriptione jactari, ac fuſe & vehementer tractari etiam, iſtic videas. Ceterum neque auctorem hujus hiſtoriæ, quæ obelo digna erant, pleraque, quantum per anguſtiam ſpatii licuit, notare piguiſſe, obſervabis. Quod ſupereſt, ſibi quoque procul dubio *Ciceronis* illud ingenuum L. II. de Oratore f. m. 127. effatum dictum laudabiliter putavit: *Prima hiſtoriæ Lex ſit, ne quid falſi dicere audeas; deinde, ne quid veri non audeas.* Quantum de cetero ex hoc documento momenti pendeat, in præſenti argumento & initiis *Crypto-Socinianarum* machinationum, *Altorphium* cum *Sonero* transductarum, deſcribendis, nemine monente omnes intelligent. Ubi vero modum aliquando excesſit *Oſtorodus*, ita, ut a contumeliis etiam verborum non abſtineret, ea viros bonos, qui ingenium hujus hominis præfervidum cognitum habent, non morabuntur.

Fol. 141. *not.* d) Specimen harum ad *Doldium* literarum, quarum plures ſe posſidere Illuſtri dignitate non una Spectabilis *Bajerus*, in Vita *Soneri* inter *Medicorum Altorph. Vitas* delineata ad calcem denique teſtari animadvertimus, omnium luculentisſimum inter *Supplementa* primo ſtatim loco exhibitum eſt.

Fol. 147. *not.* d) Non dubitamus, quin eo quoque ipſi *Sociniani*, Patrum Eccleſiæ primitivæ ceteroquin auctoritatem non magnifaci-

 entes,

entes, nisi ubi in rem suam eos facere arbitrentur, provocaverint; alii vero *Tertulliani* verbis notissimis, quæ & *Grotius* Libello p.p. citato substravit, abusi sint. Quemadmodum autem confœderata illa primæ ætatis disciplina ad solius Ecclesiæ a Principibus sub id tempus desertæ & indignis insuper modis vexatæ regimen externum, neutiquam vero ad ministerii Ecclesiastici officium, a quibuscunque & quandocunque placeret, obeundum promiscue, ut *Socini* asseclæ fingunt, spectabat, hinc rectius etiam deinde & maturrime sine mora, quam primum rationes rerum externæ mutatæ fuerant, dispositum: ita *Tertullianeum* illud obscurum, ex more Viri argutiis sæpe abstrusis plus justo dediti effatum ad abusionem potius discriminis inter Doctores atque Auditores, ac sensim invalescentem tunc temporis graduum dignitatis Clericorum insolentiam collineare, nuper admodum S. R. *Moshemius* perquam solide, *in diss. de distinct. inter Clericos & Laicos* A. 1725. proposita, videtur ostendisse. Imo tantum abest, ut *Socinianorum*, qui ordinem in hisce & ipsi agnoscunt necessarium, hæc caussam juvent, vel etiam petulantium juvenum horum opitulata sint, ut ab ipsomet *Tertulliano* jam limitibus extremæ necessitatis legantur l. c. circumscripta.

Ad Cap. II.

Pag. 153. *lin.* 16.) Satius fuisset, hæc si a *Cl. Möllero* ceteris, aliunde acceptis, addita non essent, quæ sola eum fama, sed sæpenumero mendax, docuit. Non errabit tamen, quisquis Doctores Athenæi hujus Socinismum docentes, atque a *Sonero* edoctos, & hos quidem non jam tunc, sed multo post in Doctorum numerum receptos, sed ab omni hæresi jam dudum liberatos, heic commixtos dixerit. Ita sane mollissime hæc interpretari æquum est, & in ipso quoque §. IV. idem subinnui ab Autore, si recte judicamus, videtur.

Fol. 164. §. IV. *init.*) Digna sunt hæc super nominum crypticorum usu monita, quæ contendantur cum elegantissima *C. S. Liebii* Diatrib. *de Pseudonymia Calvini* A. 1723. Amstelod. 8va forma impressa, in qua de nominibus potissimum sive tributis *Jo. Calvino* ab aliis, sive ab ipsomet ultro adscitis v. g. *Deparcan, de Happeville, d' Espeville, Alcuini, Calidæni, Passelii* & similium, cum indagatione caussarum denique, justarum an injustarum, modeste disquiritur, ac denique adjectis variis, ex *Serenissimi Principis Saxo-Gothani Biblioth.* Epistolis, quæ dicta erant, illustrantur. Quæ dum commemorantur ab ingenuitate Eccl. Evangelicæ sibi vix temperabit laudanda Lector attentus, vel eo nomine quod, si a scriptis Pseudonymis forte discedas, non ita multis, & ludicris quibus-

busdam sub initium a *Philippo* privatim usurpatis datisque cognomentis, vix unquam legas, in terras quascunque, larva hujusmodi assumta, irrepere, aut clam aliquid alicubi moliri, pro veritate etiam docenda, sub adhibito hujusmodi subsidio voluisse; sed optimæ solius caussæ fiducia fretos, candide rem omnem egisse, eo scilicet modo, ut a Spiritu Sancto multoties præceptum & Ecclesiæ divinioris usu jam olim comprobatum est.

Fol. 167. *lin.* 1. *sq.*) Consilium hoc non male constitutum animo, Typothetarum oscitantia valde videtur aut interversum omnino aut quodammodo certe conturbatum esse. His enim majoribus characteribus litterarum non solum *Pompeji* insontis profecto & ab hac labe prorsus immunis, sed etiam aliorum innocentissimorum Virorum *Wolffgang. Franzii, Alb. Graueri, Sibr. Lubberti, Lud. Lucii, Jac. Martini, Mart. Smiglecii*, & si quæ alia etiam *urbium* nomina occurrunt expressa, secus atque h. l. definitum erat. Indicta ergo hæc velle Auctorem facile conjicimus, atque hac de caussa, ne cui fraudi sint, L. B. dedita opera monemus.

Fol. 182. *fin.*) Plura quidem alia de *Bertio* commemorari potuissent, ipseque mortis annus, quem attigit sexagesimum quartum, quo nondum omnino expleto A. 1629. vivere desiit *Parisiis*: ubi post apostasiam turpiter commissam constanter perseveravit. Silentio autem videntur isthæc præterita, partim quod ad scopum præfixum per se non facerent, partim etiam ea propter, quia spes erat, alibi de similibus nonnullis ad Epist. *Ruari* differi posse: quas idcirco L. B. consulat. Integram de reliquo vitam compendiose descriptam dedit tritissimus *Freherus*. Ad Pontificios ideo, quod officio *Lugdunensi* abdicatus fuerat, defecisse, prout alicubi dictum est, vix concedi, aut commode explicari poterit; nisi forte occasionem hinc penuriæ natam esse, & caussam veluti *remotam* a genuina & *proxima*, qua utique factum est, ut rebus suis desperabundus quodammodo in his terris consuleret, distinguendam observes.

Pag. 197. *lin.* 20. *sqq.*) Multa hic suppeterent, quibus *Samuelis Crellii*, Viri doctissimi sane, aut certe ingeniosissimi, fata illustrari possent. Sed cum brevitati studendum sit, paucissimis Nepotem hunc *Jo. Crellii, Joh.* vero *Preussii* generum, e *Borussia Berolinum* venisse, atque hinc in *Belgium*, ex *Belgio* vero in *Angliam*, iterumque mox in *Germaniam*, mox ad Anglos *Batavosque* migrasse, scriptisque Libris variis inclaruisse, & forte vitam etiam hoc adminiculo sustentasse, atque etiamnum vitam h. m. illic agere, iterum iterumque heic monuisse contenti,

cetera, ut ex S. Rev. Abb. *Moshemii* eruditisſima diſſert. *de Raptu Chriſti in cœlum* hoc A. 1729. Helmſtadii eidem oppoſita petant, harum rerum cupidis ſvademus. In ea enim poſtremum Crellii hujus Libellum, qui *Initium Evangelii S. Joh. Apoſtoli ex antiquitate Eccleſiaſtica reſtitutum*, inſcribitur, & A. 1726. 8vo 2. Voll. apud Anglos prodiit, examinandum ſibi ſumſit atque terſe non minus quam ſolide confutavit. Tanto dignius eſt ſchediasma hoc Academicum lectione attenta, quanto luculentius ipſo hoc Opuſculo recentiori iſtic examinato, multam eruditionem *Crellii*, ſed perverſe applicatam, olente, *L. M.* h. e. *Lucæ Mellierii* nomen ἀναγραμματικὸν ejusdem ſcriptorem adhuc retinere, ſed *Artemonium* h. e. *Artemonis*, Chriſti divinitatem jam Sec. II. exeunte cum *Theodoto* Byzantino inficiati, ſe ſectatorem haud dubitaſſe profiteri, conſtat. Quæ quidem ſufficere pro inſtituti præſentis rationibus poſſunt. Quamvis enim eodem cognomento præfixo *Georgii* quoque *Bulli defenſionem fidei Nicænæ* oppoſita *Fide primorum Chriſtianorum &c.* & London. 1697. 8vo impreſſa eundem Evangelii veritatem, ut oppugnaret, jam ante laboraſſe amplius moneri poſſet; noluntus tamen in his diutius morari. Quibus de reliquo patronis, in Anglia potisſimum atque Belgio, Comite videlicet *Schafitsburio* & Bibliopola *Reinierio Leers*, huc usque uſus ſit, ibidem legatur expoſitum.

Pag. 202. *not.* e) *lin.* 3. *ſqq.*) Verba *Socini* de *Franciſci Davidis* lugubri morte hæc ſunt: *Addit Wujekus narrationem de Franc. Davidis ejusque ad perpetuum carcerem damnationis; & addit, illum paullo poſt in mentis furorem incidiſſe - - - - Atqui certum eſt, carceri illum in ipſo initio menſis Junii incluſum fuiſſe, & vixiſſe, niſi vehementer fallor usque ad menſem Novembrem, quo extinctus eſt. Quod profecto, cum ſpatium quinque integrorum menſium contineat, oſtendit, iſtos haud ſatis recte tempus iſtud indicaſſe. Quemadmodum manifeſte in eo ſunt decepti, quod hæc A.* 1580. *accidiſſe ſcribunt, cum certiſſimum ſit, ea facta fuiſſe uno anno ante, hoc eſt, anno* 1579. *eo anni tempore, quod paulo ante dixi. De phreneſi iſta, in quam inciderit, aliquid ſane auditum eſt: ſed non quod biduo tantum ante mortem, verum plurimis diebus. Sciendum autem eſt, illum, antequam in cuſtodiam eſt datus, morbo illo Tranſylvanico, quem colicam vulgo vocant, quo alias laboraverat, & manibus debilitatus fuerat, denuo laborare cœpiſſe, eoque ante mortem nunquam liberatum eſſe: & propterea veriſimillimum eſſe, eum non alio, quam morbo iſto interiiſſe.* Addi hiſce de *Blandrata* quædam poſſent, cujus tanquam Archiatri ea tempeſtate multæ in aula auctoritatis patrocinio & *Franc. Davidis & Fauſtus* quoque *Socinus* apud Joh. Sigism. Tranſylvaniæ Principem uſi ſunt; ſed ſatius erit, ea l. c. legere, quam

quam huc transſcribere. Hoc tamen paucis annotare haud inutile erit, in nuper admodum typis ſubjecta *Eccleſ. Hungar. Reform. Hiſtoria* quædam extare, ex quibus levis eum fuiſſe & deſultorii ingenii hominem pateat; quippe qui, ubi, poſtquam multa intricaverat, in reſpondendo deinde aqua hæreret, hoc uno effugio, *ſe non eſſe Theologum, ſed Medicum*, onus probandi, aut defendendi male ante implexa, non tam declinare, quam abjicere conſveverit. Quam in rem, ſi L.B. l. c. L. II. fol. 170. inſtar omnium, conſulere non gravabitur, inter alia quoque *raucedinis* etiam obtentu interdum elabi maluiſſe, quam veritati manus dare, obſervabit.

Pag. 221. §. *XIX l.* 3. *& l.* 5. *ſq.*) Non obſtante hoc conſilio hæc per Typothetæ errorem majoribus literis excuſa comparere, quæ minoribus ſecundum §. V. & L. debuiſſent imprimi, denuo monetur, idque rem ipſam quoque ſatis demonſtrare liquet.

Pag. 236. *not* b) Latisſimus heic apertus eſſet campus pro *Grotio* quædam jam ante breviter dictis addendi. Quia vero non ita pridem, quæ ſparſim alii de tanto Viro, vere, ſi eruditionem ſpectes, incomparabili, collegerant, in *Manibus Grotii vindicatis* Delphis Batav. (ſeu Germanorum potius) A. 1727 plene & copioſisſime orbi erudito propoſuit Scriptor, quisquis eſt, non vulgariter doctus, hujus potius L. B. uti apologia, quam laciniis qualibusque heic ei attextis poterit. Etſi valde mirabuntur Lectores ejus tam egregii operis, qui factum ſit, ut ſcripti præ cæteris omnem bilem in *Grotium* effundentis, & Illuſtrisſimo Com. *Axelio Oxenſtirnio* dedicati, quod ſupra jam *Jo. Seyffertum* quendam Theol. Candid. contra eum, vivum adhuc, edidiſſe, in nota hac dictum eſt, nusquam, quantum quidem obſervatum eſt, meminerit, inſcripti neque examine aliquo dignum judicarit. Quod tamen cum hoc ipſo A. 1729. incertum quo conſilio, *Halæ Magdeb.* prælo jam tertium ſubjectum, & *Præfat.* loco *Grotii* religionem atque ſcripta quoque varia illuſtrante Diſſertatione haud ſpernenda ab H. H. *Engelbrechto*, auctum ſit, disquiſitione brevi haud indignum fuiſſet. Sed tranſeant iſta, & de novo cognomento potius, nova hoc loco conjectura ceteris forte aliquid lucis ſubminiſtrans addatur, qua, cur *Suffranius* appellatus ſit a *Fratribus Altorphinis*, quid videatur, poſt conatus paullo difficiliores, jam ab Auctore adhibitos exponatur. In mentem enim venit, annon, quod ſæpius commiſſum eſſe, jam aliquoties animadverſum eſt, pro Suffranei voce *Sophronii* nomen ut ſubſtituatur, ſignificatione ex Græca notione, in N. T. quoque ſtylo haud inuſitata, & *moderationem animi* ſæpius deſignante, petita. Nihil certe quod conveniat in *Gro-*

tium, moderata consilia sub id tempus jam svadentem, eaque de caussa mature apud suos & exteros inclarescentem, aptius excogitari potuisset; cum quo ipsius quoque nominis hujus proprii usus non infrequens olim, eodemque forte sensu nonnullis inditi concordat. De *Grotii* tandem in rebus Theologicis sententia, qui consuli possint nuperrime, *in Selectis literar.* n. VIII. fol. 306. condocefecit Cl. *J. H. Seelen.* Plerique Domino suo eum stetisse atque cecidisse existimant, neque longius procedendum esse omnium rectissime arbitrantur.

Pag. 247. *lin.* 22.) Nullum Auctori cum hæc scriberet adhuc cognitum erat. Vtrum vero *Czenadii* hujus illud, quod *Sinadium* quendam istic in lucem publicam de *Providentia Dei* dedisse *Mersennus* ait, opusculum fuerit necne? in notis ad *Epistolas Ruari* disputatum esse videmus. Vbi Cent. I. f. marg. 268. conferri, si placet, poterit; ad quem locum etiam de eo obscurissimo libello, utrum extet, disquiritur. Hoc certum est, probabilius multo videri, *Czenadii* hujus ob scriptum aliquod mentionem inter fratres fieri consvevisse in Epistolis, quam propter aliam incognitam prorsus & leviorem caussam. Quemadmodum etiam de Libris subinde consulendis alias quoque inter eos actum esse, satis constat.

Pag. 284. *not.* d) Comparanda est cum hoc *Ostorodianæ* illius in patria litis historiæque compendio *Relatio de Disp. Minist. Goslar. cum Chr. Ostorodo e Cod. MSto emendata* a Celeb. Polyhistore *C. A. Heumanno*, atque *Bibliothecæ Theol. Philologicæ Bremensis* Clas. V. Fasc. V. f. 948. sqq. inserta: ubi non solum adversus scrupulos suspiciosorum id communitum legitur, sed variis quoque Lectionibus e MSto unico depromtis aliquot mendis expurgatum recognitumque reperies. Ex qua perutili opella, quando, qui postremum in nota hac commemoratus est, *Joh. Laurentium Katzenverslin a Biberstein*, non duos sed unum fuisse hominem ex MSto illo cognitum est, error idem ab Auctore b. Heineccium secuto quoque admissus deleta particula & corrigendus erit.

Pag. 285. *not.* e) Obiter hic notandum est, male Georgium *Tradelium* illum, cum quo dimicavit *Ostorodus*, ut *Calvinismi* suspectum audivisse quibusdam *Augustanorum* Civium, incertum qua de causa. Duriora certe, quædam propter *Fastos* a P. R. commendatos, tanquam emendatiores recipiendos, eosque repudiatos a se in patria sua passus *Georgius Mylius* in den *Augsburgischen Händeln*, contra eum pronunciavit; quippe in quorum descriptione illum *einen Calvinischen Advocaten* non sine stomacho appellavit. Honorificentius autem *Virdungus*

gus de eodem ſenſit, cujus in obitum hujus Jurisconſulti *Scazontes* inter *Poematia, Tragœdiis* tribus A. 1609. 8va forma excuſis H. 7. legere non pœnitebit.

Pag. 315. *lin.* 3. *& not.* b) *fin.*) Modeſtius & ſolidius de *G. Richtero*, Viro ſine controverſia in omni doctrinæ genere excellentiſſimo, judicium ex literis amice ad familiares datis fortaſſis ferre licebit, ſi modo eas, animi utplurimum characteres dilucidos, conſulere placeat. In his vero, quando poſtremo anno fatali ad *Chriſtoph. Arnoldum* hunc in modum candide, paullo ante mortem ac forte poſtrema omnium Epiſtola a ſe concinnata ſcripſit: D. (fortaſſis *De*) *Duræo, Viro incomparabili, cujus amicitia frui tibi contigit, gaudeo Tibique gratulor animitus, cum quo ego ante annos XVIII. in Legatione Heilbronnæ,* (forte add. *&*) *primum Francofurti, ubi cum Magnæ Britanniæ Regis Legato erat, familiariter vixi, ad quem etiam ſemel iterumque amice ſcripſi; quem ut quam officioſiſſime a me ſalutes, etiam atque etiam Te rogatum volo. Vidiſti ſine dubio, ſcripta illius divina, pietatis, pacis, prudentiæ laude eximia, & ſtudium concordiæ in controverſiis religionis pium & ſincerum amabis; quicquid nonnulli male feriati, maleque ſani (qualis eſt vitilitigator ille ſine nucleo,) ſiniſtri de illo judicent: Quos patientia vincere optimum vincendi genus eſt &c.* aperte ſatis demonſtratum dedit, *Duræi* inſtitutum εἰρηνικὸν ſibi magis quam aliis, & plus quidem juſto probari. Qua forte in re, cum ea tempeſtate haud paucos habuerit ὁμοψήφους alios, impune Viro huic etiam optimo meritiſſimoque de inclyta *Republica Noribergenſi* ſperare licuiſſe, quod alii ſine ſpe certa optaverant, licuit. Tantoque minus noxium dixeris illud fuiſſe votum, quo luculentius eventus omni id ſucceſſu caruiſſe docuit.

Pag. 324. *l.* 15.) Grandis ergo eſt, a b. *Andr. Caroli* in *Memorabil. Eccl. Sec. XVII.* parachroniſmus, quando mortem *Mart. Ruari*, quem *in Academ. Altorphina factum eſſe Socinianum* recte ait, A. 1676. demum e vita hac emigraſſe confidenter ſcribit, eodemque loco atque anno obitum ejus inter cetera, revera hoc anno geſta quaſi rem compertam commemorat.

Pag. 335. *not.* b) Quoscunque demum *Sociniani* per *Semi-Judaizantes* intellexerint, ſive *Seidelianos* craſſiores, ſive ſubtiliores *Franc. Davidis* aſſeclas, κατ' ἀναλογίαν propter denegatam Optimo Servatori invocationem religioſam procul dubio etiam ita dictos; ambo tamen probe diſcernendi ſunt a *Judaizantibus* quibusdam *Hungaris*, cum quibus de reliquo Reformatæ Eccleſiæ addictis, ſed Sabbathum quoque obſervantibus, & a lardo, ſuffocato atque ſanguine abſtinentibus ac deni-

denique Chiliasmum tuentibus Alstedianum, certandum fuisse circa A. 1653. in *Hist. Hungar. Eccl. Reform.* L. II. f. 426. sqq. narratur.

Pag. 346. *l.* 5.) Quia patria *Mart. Smiglecii*, ut ex Epistolis *Ruari* patet, & cognomen quoque Jesuitæ hujus aliquo modo prodit, dubia est, neque tamen in hac circumstantia extricanda, diu laborare jam convenit, has ipsas Epist. P. II. f. marg. 96. ut consulat L. B. svadere, ipsam autem hanc liticulam aliis, nisi per distinctionem forte, inter nativitatem & educationem, diversis in locis factas, definienda sit, tanquam sagacioribus, modo operæ pretium esse putent, commendare decet.

Pag 352. *lin.* 1.) Si quo inter alia plura additamento opus fuit, heic loci profecto necesse est L. B. commonefacere, male rationes subductas esse, quando in Germania jam *Sommerum* hæreseos Photinianæ imbibisse virus heic videas, conjiciendo tamen magis, quam asseverando, dictum. Vtpote ex qua prorsus ab ea immunem in *Pannoniam* eum abiisse, si *Vitam Jac. Despotæ, Moldaviæ Reguli, ab hoc ipso Jo. Sommero descriptam, & cum Petri Albini Commentatiuncula de Wallachia Wittebergæ* A. 1587. 4ta forma evulgatam consulas, rectius intelliges. In hoc namque Libello, perexiguæ molis sed valde raro, explanate narratur, *Sommerum* hunc, tanquam Studiosum bonarum artium, & quidem militiam, ut sectaretur, cum *Jacobo illo, Despota* deinceps, sed *Jac. Heraclide* antehac nuncupato, postquam is, finita expeditione Carol. V. in Belgio A. 1555. postrema, & missione hinc ipsi aliisque commilitonibus data, Wittebergæ studiorum excolendorum caussa aliquandiu vixerat, ultro in *Hungariam* demigrasse, ibidemque *Jacobi* istius, miro interim fato ad Principis *Moldaviæ* dignitatem evecti, patrocinio scholasticum officium impetrasse, atque eo tandem A. 1563. trucidato fugitivum *Bistritium* Transylvaniæ concessisse, ubi demum, ut *Albinus* l. c. docet, *vocibus blandis captus & tenuis victus amore lucri* in Photiniani erroris societatem, quem tamen & ipse pluribus aliis postea admixtis interpolavit, abreptus sit. Quæ si ita comparata sint, (de quibus dubitandi nulla satis prægnans caussa præsto est,) non erit, cur de Præceptore in hæresi, diu postquam inde discessit & alibi quam in patria hausta atque approbata solicitus sis, multo vero magis, cur defectionem Viri hujus eruditi, & in Græca lingua carminibusque pangendis inprimis exercitati doleas, hinc ratio non una apparebit. Cujus ipsius dum mentio heic facienda est facultatis *poeticæ* insignis, qua idem *Sommerus* excelluerit, tribus simul verbis, non a Cl. *Czwittingero* tantum, cui tamen jam aliquid hujus rei suboluit, sed etiam a diligentissimo *Lex. Erud. Au-*

ctore

ctore ex uno duos *Joh. Sommeros* factos esse, obiter monere licebit.

Pag. ead. ad fin. not. a) Plura de *Campano* isthoc haberemus, quæ annotatione digna essent, nisi angustia *Analectorum* horum aliæque causæ id prohiberent, neque Vitam hujus vagabundi hominis, & oppido, quod animi vitium Scripta sane luculenter produnt, superciliosi, propediem ad carceres usque feramque diu post Seculum XVI. medium in carcere mortem continuatam a Viro quodam in re litteraria expeditissimo descriptum iri, spes facta esset. Hanc ergo dum avide expectamus inter opuscula ejusdem, quorum alterius Latina lingua concinnati, & a Germanico distincti *Lutherus* in *Colloquiis ad mensam habitis*, (ubi ejus quoque argumentum in *Rebenstockiana* lat. edit. f. P. II. p.31. sqq. recensetur,) atque *Philippus* in Epistolis hinc inde meminerunt, titulumque illi: *Contra totum post Apostolos mundum*, tribuerunt, hoc loco Germanicum duntaxat, quod: *Göttlicher und heiliger Schrifft vor vielen Jahren - verdunckelt, - Restitution und Besserung* A. 1532. inscribitur, editumque est in 12. *a Nic. Franc. von Stetten*, commemorare placet. Ex eo vero, quando non *Serveti* sententiam intricatissimam illum probasse, sed *Filii Dei* ex substantia Patris ortum, atque inter utramque unitatem talem, qualis inter uxorem & maritum sit, sic tamen ut inferior dignitate sit patre, cum Spir. S. Virtus tantum Dei sit, statuisse, liquido patet; singularem ejus fuisse opinionem, ceterisque portentosiorem, palam est. Quando vero de *Baptismo* etiam (ut omittamus monstra alia,) observare licuit, eadem hominem hunc docuisse, quæ non ita pridem nonnemo nostratium propugnavit, credendo videlicet verba εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς κ. τ. λ. Matth. XXVIII. 19. de imbuendis, qui sacro hoc lavacro tingantur, diviniori mente atque indole divina accipi oportere, *S. Cœnæ* denique mysteria non aliter interpretari, quam de mere Symbolica repræsentatione similique commemoratione &c. hæresin ejus per universum Theologiæ corpus se diffudisse, manifestum est. Ad supercilium autem *Campani* hujus quod attinet, non aliunde luculentius id cognosci potest, quam ex *Appendice* paullo ante memorati Germanici opusculi, cui titulum *vom Sizer-Recht* fecit; quippe in quo, ut alias quoque creberrime, non solum verborum contumeliis in supra memoratos Doctores Acad. Witteb. præcipuos acerbe invehitur, sed rejecta etiam omni scriptione, non nisi ea methodo, qua in consessu Ecclesiæ solenni, cujusmodi 1. Cor. XIV. describatur, coram ut audiatur, quo sententiam suam dicere, & objecta sibi discutere possit, ita importune petit, ut parum absit, quin vi injecta extorquere

ab adverſariis illud auſit. Hæc de *Campano* vix potuerunt præteriri ſilentio, cujus fata reliqua heic attingere animus non eſt.

Pag. 353. *not.* b) Quemadmodum ſub adſcititio nomine *Glirii* vix dubium amplius ſupereſt, latitare *Vehium* ob cauſſam in *Palatinatu ad Rhenum* peſſimam olim actam & poſt fugam quoque adhuc periculoſam voluiſſe: ita de *Jacobo Palæologo* aqua etiamnum hæret, donec ex *Dominicano ordine* tranſitus ejus fugaque ex Italia in Germaniam, ut vulgo traditur, certioribus documentis probetur. Fraudibus de reliquo ſimilibus tunc operam datam eſſe, fictasque origines variorum ex orientalibus familiis illuſtribus ſub id tempus perfrequentes fuiſſe, uti ſupra exemplo *Jac. Heraclidis* oſtenſum, ita a doctiſſimo *Rocolio* (Gallo) integro Libro *de Inſignibus Impoſtoribus* exemplis pluribus demonſtratum eſt. Altum de *Jac. Sutero* cum *Vehio* in exilium ejecto, ejusdemque perpetuo alias comite, & inter cæteros fugitivos latitante, eoque haud indocto, ſilentium, hanc conjecturam Auctori ſuppeditare potuiſſe, nemo certe facile neget, commentaque hujusmodi nominum, vel *Sommerum* excogitaſſe, porro ſuſpicanti nemo vitio vertat. Quibus omnibus, quando temporum etiam æqualitas, prout a *Sandio* quoque conjunctos hinc in Biblioth. omnes reperies, ſuffragantur, quid mirum, ſi animus divinantium in his confirmetur? Quid de ejus tandem ad Pontificios defectione & vitæ exitu judicaverit *Socinus in Reſp. ad Wujeckum* Tom I. Opp. fol. 338. a) ab initio videre, ſi volupe eſt, licet. Quem, de reliquo & ipſum ex gente *Palæologorum* ortum fuiſſe, ſive crediſſe, ſive id ſimulaſſe, ex *Præfat. ad Diſput.* cum eo habitam patet.

Pag 359. *not.* b) Copioſius haud ita pridem de ſtatu recentiori Sociniani cœtus in *Tranſylvania* & *Siculia* adhuc ſuperſtitis, diſſeruit S.Rev. D. *Cyprianus* in Continuat. *Compend. Hiſt. Eccleſ. Gothani* L. III. cap. VI. f. 214. atque ex *Hiſt. diplomatica Hungariæ* A. 1691. iterumque A. 1702. pactis ſolemnibus publicos eorum conventus, qui nunc tamen dicuntur arctioribus limitibus adſtricti, confirmatos teſtatur. Vnde, ſi quæ in ipſa nota ex Cl. *Schmeizelio* obſervata jam ſunt, addas, non niſi in his terris exercitio cultus ſui libero, neutiquam vero publico amplius, *Anti-Trinitarios* noſtra hac ætate frui, elucet.

Pag. 368. *l.* 19. *ſeq.*) Quando *litterarum majorum adhibitarum* h. l. fit mentio, idem quod ad fol. 167. ſupra jam datum fuit monitum, denuo heic procul dubio repetendum eſt.

Pag. 373. *not.* c) Quod, cum hæc ſcriberet, latebat Auctorem, compertum eſt deinceps, quando non rediiſſe *M. Conr. Huswedelium* in pa-

in patriam, eamque etiam non fuisse *Hamburgum*, sed *Boizeburgum*, sed heic forte natum, & *Hamburgi* educatum, *Rostochii* autem, postquam in Saxon. inferiorem reversus est, constantem in Ministerio Ecclesiastico functionem circa A. 1618. & 1619. adeptum esse, ex b. *Zach. Grapii Rostochio Evangelico* innotuit. Quippe in quo fol. 210. primum quidem in *æde ad Spiritum S.* extra urbis mœnia Evangelium docuisse, templo autem isthoc belli sub id tempus ingruentibus turbis destructo in *ædem S. Johannis* intra civitatem sitam translatum esse narrat. Eaque tempestate porro utrumque templum *S. Georgii & Johannis* conjunctim verbi divini prædicationi ab iisdem, ut videtur, Ministris istic obeundæ destinatum esse, diserte legitur. Qua dum inde breviter excerpta damus, simul, quando denatus sit, cur nusquam, quod sciamus, meminerit laudatus, & in his cum primis alias peraccuratus Theologus iste, valde miramur; cum tamen alterius M. *Joh. Huswedelii* Rectoris primum scholæ, atque hinc *Profess. Ethices*, A. 1635. vita defuncti mentionem semel iterumque fecerit. Diutius sane *Conradum*, hoc *Johanne*, superstitem fuisse, Epistolæ *Ruari* condocent, cujus familiaritas cum Remonstrantibus nimis amice culta, quæ mens ejus in religionis dissidiis fuerit, paullo laxior, aut æquior certe *Socini* sectatoribus, quam *Altorphi* quondam videri volebat, non obscure prodit. Quo cognationis gradu Hamburgensem Rectorem attigerit, nunc, posteaquam priora cognita sunt, dubium magis est, & quæ not. h) dicta ea de re sunt, tutius in medio relinquuntur.

Ad Cap. III.

Pag. 383. *not.* b) Quoniam ex hisce, quæ sub initium hujus Cap. III. & superioribus duobus, commemoratæ sunt, circumstantiis, ipsisque adeo Epistolis *Ruari*, earumque inprimis Cent. IIda, qualia fuerint *Crypto-Socinianorum* in Germania, hoc tempore propagationi hæreseos operam strenue navantium, & capitum hujus cœtus quoque in Polonia suppetias eminus ferentium, consilia, clarissime elucet, non potest non atro carbone, quod ajunt, b. *Andr. Caroli* in *Memorab. Eccles. Sec. XVII.* ἀβλεψία hoc ipso in loco notari. Is namque *Crypto-Socinismum*, hunc Germaniæ subrepentem, de quo, ut fit in rebus hujusmodi, obscuriusculos tantum rumores acceperat, ad A. 1614. L. II. c. XVIII fol. 354. hæc commentatus est: *Sociniani postquam Polonicas, Lituanicas, Transsylvanicas, aliasque remotiores Ecclesias diu afflixerant, viresque & hospitium inibi obtinuerant, nunc in Germanicas nostras magno & aperto cum impetu immiscere se ac ingerere allaborabant, pri-*

mas in opere tenentibus in Thuringia & alibi passim Valentino Smalzio, Gothano; In Misnia, Joh. Sommero, Pirnensi, & Joh. Volkelio, Grimmensi; Christophoro Ostorodo, Goslariensi, in Saxonia inferiori &c. Quibus nisi ab orthodoxis Theologis vigili cura & calamo mature obviam itum esset, novitatis avida fluxique ingenii juventus inauditum majoribus Christianismum imbibisset; immo tota Germania grassantibus istorum hominum erroribus inundata, fœdoque Neo-Photinianorum & recentium Arianorum luto contaminata fuisset. Quam in rem porro *Cluverum, Hornbeckium* & *Kromajerum* testes citat. Quemadmodum vero generatim Historici illi tantum de *Socinianis* agunt errores disseminantibus suos, ita prorsus verisimile est, optimum, deque Ecclesia Christi alias meritissimum hunc Theologum, hæc dum scripsit, & hoc ipso quidem anno, periculum tantum Ecclesiam subiisse conquestus est, quæ fando forte tentata esse a quibusdam Photinianorum asseclis ex Acad. Altorphina, & quidem *Smalzio* potissimum, per litteras, consultore emissis, audiverat, in ipsos *Socinismi* primipilos ante nominatos quasi per Germaniam ipsimet, αὐτοπροσώπως oberrarint, transtulisse, idque ut faceret, maxime omnium occasione ex patria eorum arrepta, quam Germaniam habuerant, & ex qua dudum jam superiori Seculo effugerant, deceptum esse. Quippe in quam illi, ex eo tempore, quo in *Poloniam* abierant, vel nunquam, vel vix unus alterque dudum alio consilio, si *Ostorodum* excipias, clam olim rediere. Vt taceam, hac ætate annoque h. l. definito præsentem in *Misnia* se ingessisse rebus Socinianis promovendis *Sommerum*, male affirmari, qui Seculo jam XVI. adulto quidem, sed tamen nondum finito, ex vivis in *Transylvania* excesserat. Quo fato etiam suo *Ostorodus* jam ante hunc annum 1614. post turbas quondam, ut supra docuimus, in patria datas, defunctus erat. Equidem parum hæc, falsa licet, curanda essent, & silentio præteriri hinc potuissent; Si vero animo tecum repútes, Lectori narrationem hanc mirum in modum a rebus vere gestis discrepare, atque *Socinianis* adscribere *Polonis*, quæ per alios *Germanos* proh dolor! acta sunt, ne cui erroris occasio existerent, heic, ubi rectiora de discrimine illo, divina tamen providentia superato, tradenda fuerant, brevibus attingere & corrigere videbatur e re Ecclesiæ præsentisque instituti esse.

Fol. 387. *not.* b) Corrigendus est in hac observatione ordo verborum. Neque enim *Swinfurto* in Comitatum *Wolffsteinensem* evocatus est *Kauffmannus*, sed hinc potius (quo, abdicatus *Brunswigensi* Coadjutoris functione & *Noribergæ* deinceps brevi tempore moratus,

vene-

venerat,) *Swinfurtum Schrödero* A. 1611. suffectus, A. 1616. ibidem fatis concessit.

Pag. 406. *lin.* 10.) Mutatum est consilium, quod *Supplementa* docent, ubi ea integra exhibetur, ideo, quod satis existimatum est *cum Refutatione* totam confessionem exscriptam dare, quam speciem suppressionis propter invictum ejus & insuperabile robur præbere. Nec male ea mutatio videtur suscepta.

Pag. 413. *not.* a) Plurima, quibus *Socini* & eorum, qui cum eo faciunt, laxior illa, de dogmatibus fidei perpaucis, sententia confirmari possit, testimonia congesta, non sine exquisito delectu, exhibet *Hornbeckius* in *Socinism. Confut.* L. I. c. 9. fol. 196. sqq. Quibus nihil addendum est hoc loco, ubi aliud agitur, quam hypothesi huic insignem dolum subesse, eum nempe, quo, ut dissensionis inter Evangelicos & Socinianos momento extenuato, credulis tanto facilius ratiociniorum, aut sophismatum potius, ope persuaderi horribiles, de Deo Christoque Servatore errores queant, blandimentisque rationis, adversus revelationem dimicantis, dolose adhibitis, quæ mira quadam probabilitate carni corruptæ arrident, vel validissima pectora expugnentur. Quis enim talia vel tandem approbare vereatur, quæ ad summam rei parum faciunt, præcipue si sanctitatis quadam specie ad partem alteram animus vacillans simul allici possit, aut commodi spes aliqua splendida opimioris sortis cupidos ad id faciendum invitet & læto quasi vultu affulgeat. Quæ caussa etiam fuit, quod *Acontius* iste, nescio quæ *Strategemata Satanæ* Lectoribus suis venditans, rigidioresque veritatis propugnatores hunc in modum, si pergant, iniquitatis ac duritiei morosæ obtentu percellens, tot adstipulatores non solum inter *Remonstrantes*, sed similes horum alios hinc inde passim invenerit. Vt proinde mirum non sit, si nostra hac tempestate eadem methodo ipsos quoque illos, ad *προσηλύτες*, nobiliores præsertim, conquirendos, utantur, quibus Romanæ Ecclesiæ amplificandæ studium præter ceteros commendatum est. Est namque indifferentia credendi, vel etiam credendorum, Religionis eclecticæ fœcunda mater & apostasiæ expeditissima obstetrix: quæ fœtui sive in lucem edito, sive mente adhuc concepto, modo animus in alteram partem quodammodo inflexus sit, refingendo aut exornando conveniens remedium excogitare deinceps haud difficulter solet.

Pag. 424. *lin.* 12.) His, quæ coram acta sunt *AltorphI*, successere postea, de quibus in *Supplem.* n. X. exponitur, nova cum *Dümlero* tentamina. Quibus omnibus peractis ille fugam corripuit.

Pag. 459. *lin. ult. & not.* a) Nimis audacem hanc forte dixeris conjecturam, qua *Acontii* nomen in dubium vocatur, ejusque nativa tanquam Tridentini hominis ingenuitas. Sed mitius procul dubio non sine caussa, tametsi a nomine obscuri hujus hominis valde profecto suspecto discedas, censebunt, quicunque *Nic. Gallasii*, Profess. Theol. posthæc Genev. non incelebris, verba animo expendent, quibus in Epist. ad Calvinum A. 1561. Londino perscripta, & a Cl. *Liebio* inter ceteras Pseudonymiæ *Calvini* testes A. 1723. Amstelod. editas n. VIII. posita, *Acontium* illum describit: *Scripseram ad Macarium,* inquiens l. c. fol. 52. *nostrum paulo ante ejus obitum, ut inquireret ex D. Marchione & senioribus Ecclesiæ Italicæ, quisnam esset Tridentinus quidam Acontius. Quod enim novarum opinionum fautorem se præbeat, veritus sum, ne ex eorum numero esset, qui illic Ecclesiam Italicam turbarunt* (S. Trinitatis hostes, de quibus *Lubienicius* Hist. Eccl. Polon. L. II. c. I.) *Et sane mihi non parum adfuit Dominus, quod id suspicans non protinus in cœtum nostrum admittendum duxerim. Nihil rescripsit Macarius, nec scivi, an ei litteræ meæ redditæ fuissent. Verum Acontius ipse satis postea sese suo indicio prodidit. Addixit enim se palam caussæ Hadriani Hamstedii, in qua, veluti patronus, subtilior & acutior ceteris videri voluit. - - - Vt finem faciam, mihi videtur multa sub litterarum & methodi, quam videtur fuco, monstra alere.* Non obscure enim hinc patet, non solum pro homine larva quadam fraudulenter tecto, *Acontium* illum recentem advenam habuisse *Gallasium,* sed ex societate intimiore cum *Hamstedio* notissimo Anabaptista, (quem neque de Christo Deo etiam recte docuisse, vel ex *Bezæ* scriptis constat,) ejusdemque caussa tam operose acta prudenter collegisse, ex eorum numero eum fuisse, qui Italiam propter res in religione istic actitatas fugiens, cum ceteri in Turciam partim evasissent, alibi tecto nomine latebras quæsiverit. In qua sententia tanto magis confirmari, animus talia subolfaciens possit, quo rariores tunc fuere Tridentini humanioribus litteris h. t., ut *Acontius* iste, exculti, & nisi, quæ ipse de se jactitavit obscurissimus Pacis præco comperta, ceteroquin nemini fuere. Cui porro conjectura *Lubienicii* narratio suffragatur, utpote qui ex illo sodalitio Italico, ceteros, ad Turcas haud profugos, *silentio tempestivo tectos, nec tamen satis in patria tutos in Helvetia,* (quam *Acontius* primum quoque adiit,) *Moravia ac tandem in Polonia refugium invenisse*, explanate testatur. Vt omittam ætatem *Lælii Socini*, qui ex eadem officina prodierat, mentemque etiam *Acontianæ* prorsus consentaneam, aliaque plura hujusmodi, unde originem hujus hominis veram dedita opera

fuisse

fuiſſe obvelatam, demonſtrari queat, & cauſſæ malæ hoc modo tegumentum quærendum fuiſſe eluceat.

Pag. 513. *not.* c) Denuo h. l. mentio fit L. *de Obedientia*, ita ut a *Catecheſi Soneri* diſtinguatur. Vnde non ſolum Catecheſin illam, cujus idea ſupra data eſt, ab eo profectam eſſe liquet; ſed etiam priorem ab hac diſtinctam atque aliud prorſus opuſculum morale fuiſſe diſpaleſcit. Quæ cauſſæ Auctorem ſine dubio moverunt, ut in *Annott. ad Epiſtol. Ruari*, ubi ſuum (*meum* inquiens,) ipſe *Ruarus* vocavit, pro fœtu *Ruariano* habendum exiſtimaverit; eo modo, quo *Wiſſowatii de Virtutibus & Vitiis* ſchediaſma & aliæ ſimiles *Socinianorum* extant ad vitam recte inſtituendam ſatis ſpecioſæ Manuductiones. Quem proinde in carcere adhuc, uti ex Epiſtola inde ſcripta Cap. III. Sect. II. excuſa manifeſtum eſt, nemine contradicente, *Peuſchelius* adhuc laudavit. Nunquam autem typis eſſe impreſſum tanto minus eſt, cur mireris, quanto certius inter omnes conſtat, *Ruarum*, dum viveret, a lucubrationum ſuarum publicatione, typorum ope procuranda, pertinaciter abſtinuiſſe.

Pag. 544. §. *XXIX. tot.*) Cum non prorſus exhauriat difficultates motas Reſponſum b. *Fabritii*, Avi ejus, qui nuper mortalis eſſe deſiit Celeb. Abbatis Regiæ Lutteræ, aut obſcurius certe ſit, quam ut dubiis a *Marcio* olim concitatis plene ſatisfaciat, non inconveniens erit, his Analectis *Marcii* ipſius hoc eodem de argumento dilucidiorem Epiſtolam ad *Metrophanem Critopolum*, illum ſub initium ſuperioris Seculi *Altorphi* & *Helmſtadii* inprimis moratum e Græcia hoſpitem, atque Patriarcham tandem poſt reditum Alexandrinum, datam eamque non multo poſt, quam ad ſaniorem mentem ſcriptor ejus redierat, exaratam, interponere, quæ ſequentem in modum de præſenti negotio diſſerit.

SALVTEM A SOTERE NOSTRO.

Venerabilis Pater, Vir Eruditione admodum Præcellens Dn. Metrophanes, Amice ſingularis & plurimum dilecte, &c.

Petito tuo ſatisfaciens ob negotia, quibus me diſtrictum noſti, ἀμυστὶ fere pellegi tuam ad ἀπορίαν N.N de loco illo Galat. V. 5. reſponſionem: deque ea, meum ſi qua eſt, judicium, liberius forte, quam rei gravitas poſtulat, penes te depono, fretus humanitate eximia, quæ in te cum reliquo virtutum choro certare videtur. Quantum autem ex puro & ſublimi tuo genere dicendi Græco capere poſſum; duo ſunt attendenda in reſponſione tua, ὀνοματολογία & πραγματολογία, ut vulgata utar hac diſtinctione.

Ὀνομα-

Ονοματολογία explicat, cum voces τȣ̃ πνεύματος καὶ τῆς σαρκὸς, carnis & ſpiritus, tum phraſes, πνεύματι περιπατεῖν καὶ κατὰ σάρκα περιπατεῖν, in ſpiritu ambulare & ſecundum carnem ambulare. In quibus explicandis orthodoxus mihi videris. Noſtratium enim eadem plane eſt doctrina: vocabulum nempe SPIRITVS, quando carni opponitur (ἄνευ προσθέσεως, nude & absque ulla appendice,) ſignificare motus & qualitates ſpirituales, quas ſanctus Spiritus in hominibus producit: & vocabulum CARNIS ſignificare motus & qualitates carnales, quas caro efficit; ut conſtat, præter multa alia, ex Johannis cap. III. 6. cap. VI. 63. Rom. III. 6. Hinc apud Paullum phraſis hæc in Spiritu ambulare, eſt Spiritus imperium ſequi, & concupiſcentias carnis non perficere: Secundum carnem ambulare eſt carnis cupiditates ſequi, neglecto Spiritus imperio.

Πραγματολογία duo præcipue aſſerit. Primo hominem ob luctam, quam ſentit, carnis & ſpiritus, non eſſe in duos dividendum, in regeneratum & non regeneratum, ut quidam volunt; ſed dicendum, ipſum in hac vita nondum perfectum exiſtere. Vere ſane, pie & Scripturæ convenienter. Nam, ut conſenſum noſtrum exemplo declarem, ipſe Apoſtolus Paullus Rom. VII. loquitur de ſe, ut homine renato, quod oſtendit 1. clara litera, 2. perſona prima & tempus præſens, in quo querelam per totos decem verſus continuat: Ego ſum carnalis, &c. 3. proprietates renatorum, quas ſibi hic tribuit, velle bonum, odiſſe peccatum, conſentire legi quod bona ſit, & ſpirituali ejus obedientia delectari, & quidem, quod probe notandum, κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, *ſecundum interiorem hominem.* Quæ certe non niſi renatorum propria ſunt, ut conſtat ex Rom. VIII. 5. Pſ. I. 2. Epheſ. III. 16. Plane autem diverſa ibidem de ſe dicit: videlicet ſe eſſe carnalem, Rom. VII. 14. & ſe non amplius eſſe in carne, Rom. VII. 5. VIII. 8. 9. ſe eſſe venundatum ſub peccatum, Rom. VII. 10. &: ſe eſſe liberatum a peccato, Rom. VI. 8. 21. & quæ ſunt ejusmodi alia. Attamen ideo minime dividendus eſt Paullus in hominem renatum, & ſimul non renatum: ſed attendenda ſunt diverſa principia, quæ in homine renato ſunt, & imperfectionem ſatis arguunt, caro nempe & Spiritus Gal. V. 17. Horum reſpectu quidem unus idemque homo renatus *ſpiritualis* dicitur & *carnalis:* non autem renatus & ſimul non renatus. Spiritualis eſt, quoad novitatem inchoatam, ſive novitatis primitias; Carnalis, quoad vetuſtatem reſiduam ſive vetuſtatis reliquias. Vt enim maxime caro mortificetur, non tamen radicitus evellitur, aut omnis carnis ſenſus exuitur, ut in tota vita præter cœleſtem perfectionem nihil redoleat. Hinc illæ

illæ lachrymæ & querelæ de hominis post lapsum imperfectione, *Hierosolymitani Concilii* concludentis: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus: sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus, nos servatum iri, quemadmodum & illi*, Act. XV. 10. 11. Davidis: *Errores quis intelligit?* Ps. XIX. 11. Salomonis: *Quis potest dicere, mundus sum a peccato?* Prov. XX. 9. Johannis: *Si dixerimus, nos non habere peccata, nos ipsos fallimus*, 1. Epist. c. I. v. 8. *Omnium* quotidie precantium: Dimitte nobis debita nostra, Matth. VI. 12. Et Paulli: *Neminem posse ex lege justificari*, Gal. III. 21. Rom. III. 20. Act. XIII. 38. (dicentis) Quod tamen fieret, si perfecti essemus, & legem perfecte impleremus Luc. X. 28. Lev. XVIII. 5. Ezech. II. 11.

Dicat quis: Quale ergo discrimen erit inter renatum & non renatum? Respondeo: Maximum. *In renato* enim est quidem caro; attamen virtute Spiritus supprimitur, ne dominetur, aut desideria perficiat; *In non renato*, caro dominatur. *Ille* igitur carnalis est ob sensum duntaxat carnis; *hic* ob servitium: *Ille* peccatum sentit; hic consentit: *Ille* peccat venialiter; *hic* mortaliter, &c.

Ex quibus liquido liquet, ob diversa principia, carnem & Spiritum, quæ in homine renato sunt & luctantur, eum non esse dividendum in renatum & non renatum: sed dicendum orthodoxe, in hac vita nondum perfectum existere, ut tu, Optime mi Domine Metrophanes, elegantissime hanc rem illustras, similibus a crepusculo & hominis generatione sumptis.

Secundo causas ponis, Vir Reverende, ob quas sensus carnalis in renatis manserit residuus. Et has approbo. Sentientes enim carnis stimulos & concupiscentiæ pruritum sancti student *humilitati*, ut infirmitatem suam agnoscere discant: *precationi*, ut pro remissione peccatorum quotidie suspirent: *fiduciæ*, & ad solum DEUM confugiunt: *charitati* ut proximo ignoscant, quum a labe immunem neminem sciant: *contritioni*, ut in carne sua peccatum habitare fateantur: *timori* filiali, ut de nulla perfectione glorientur: *pietati*, ut carnis titillationem supprimere annitantur: *spei* vitæ æternæ, ad quam anhelant exclamantes cum Paullo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. VII. 24.

Tantum igitur abest, Vir Doctissime, ut hac in re a te dissentiam, ut potius Tibi gratuler veritatis jubar, pariter atque constantiam precer. Sic enim vere eris Μητροφάνης, hoc est, Lux MATRIS, patriæ nempe tuæ, Græciæ, CHRISTO JESU nostro Archipastori mul-

tas oviculas adducturus. Eja Jehovah, serva age! Eja Jehovah fave age! Psal. CXVI. 15.

Salve plurimum, Vir omni laude conspicue, amice singularis, Domine honorande, & amare perge

Tuum Cornelium, qui te æternum.

En! luculentam arduæ quæstionis declarationem, ex qua præter solutionem dubiorum, ab ipso scrupulis ante vexato Juvene datam, elucet simul, quam candide, quamque ingenue & constanter Optimus *Marcius* perinde, ut ceteri prava olim sententia imbuti erroris pessimi sodales, pro veritate deinceps propugnarint, nec sine caussa ad officia haud proletaria adhibiti sint: utpote de quorum animi & doctrinæ integritate satis superque constiterat.

Pag. 754. *not.* a) Aliter *A. Windhorn*, nuperrimus *Introd. in Theol. Aethiop.* scriptor perdiligens, qui f. 25. L. c. *An heimlichen Socinianern*, inquit, *mag zwar so wenig Pohlen als Deutschland Mangel leyden: Jedoch darff die Sache nicht ohne grosse Gefahr zum Ausbruch kommen, und wiewohl dieses Gifft vor dem zu Altdorff, wie auch in der Nieder-Pfalz aus der Asche herfür schimmern wollte, wurde es doch bey Zeiten unterdruckt* &c. Nam, postquam hæc ita brevibus & formula quidem loquendi adhibita, rebus *AltorphI* gestis non admodum conveniente, (neque enim *ex cineribus olim gliscere hæresis* illa potuit, cujus nec vola nec vestigium istic antea unquam fuerat,) enunciaverat, conferri not. 6) *Præfat. J. Fr. Mayeri ad Artic. Homolog.* &c. jussit, atque in ea historiæ hujus aliquid reperiri h. m. subinnuit. Quemadmodum vero ipsa Præfatiuncula, ut solebat in hujusmodi Dissertatt. brevis esse *Mayerus*, desiderium Lectoris minime exsatiabit, ita non dubitamus alia, quam generalia, eademque non satis defæcata in ista narrari: quod supra jam documento aliquo Cap. II. f. 311. not. a) aliunde petito demonstratum est.

Cap. IV.

Pag. 771. *lin.* 17.) Id vero prudentia & inquirendi in sinceritatem aliter se sentire jam profitentium suspectorum quorumcunque postulabat, & in futurum prospiciendi Ecclesiæ pia solicitudo efflagitasse videtur: de qua sub finem colloquii Cap. III. Sect. II. actum esse constat. Neque vero etiam jurisjurandi religio sacro-sancta veritatem cœlestem dedecet, ita quidem, ut præter exempla a Sp. S. in divinis litteris commemorata nec singularia ob periculum haud dissimile inter socios ejusdem fidei a *Socinismo* præmuniendos & clandestinos simulato-

mulatores detegendos superiori ævo desint adhibita hujusmodi remedia. Cujusmodi ab *Hungaris Wittebergæ* studiis operam navantibus legitur sistiturque in *Hist. Reform. Ecclesiæ Hungaricæ*, non ita pridem in lucem data, ubi L. II. fol. 257. seqq. inter alia domi acta hæc inprimis formula jurisjurandi digna est visa, quæ integra hic typis repetatur: *Ego N. N. fide bona, conscientia Deo debita, sine ullo fuco vel dolo malo, in conspectu sacro-sanctæ Trinitatis, citra etiam omnem tergiversationem aut prætextum, simpliciter, ut verba ipsa sonant, hisce Thesibus de Deo in Essentia uno, in personis trino, Patre, Filio & Spiritu Sancto, totique doctrinæ cœlesti in Scriptis Propheticis & Apostolicis & tribus Symbolis comprehensæ subscribo, ac in eorundem confessione iisdem conditionibus, me ad ultimum usque vitæ spiritum perduraturum, neque in castra Arianorum, Pontificiorum vel aliorum hæreticorum transiturum sancte polliceor, quod qui violaverit, tanquam perjurus Ethnicus & hæreticus simul atque impostor blasphemus sciat, se judicium terribile olim non effugiturum, Amen!* Eamque formulam A. 1568. in alma *Leucorea* conceptam, atque a popularibus illis sedecim omnino primum subscriptam, & ab aliis deinceps simili modo comprobatam, tanto lubentius visum est h. l. exhibere, quanto magis, quod nationi integræ gravibus de caussis vel metuenti aliquid contagii licuit, auctoritate tamen Magistratus Academici communitæ, idem, ubi anguis non amplius in herba latebat, sed jam apparuerat, consulto adhibitum fuisse luculentius inde patet, & vel aliena formula, lacuna illa, ubi heic deesse verba *Noribergensis* istius animadversum est, quodammodo expleri potest.

Pag. 806. *lin.* 7.) De *vera voluntatis libertate* a *Crusio* conscripti libelli mentionem fecit *Sandius*, qui sine dubio, nisi titulum generalem magis deinceps ipse præfixit, ex hoc loco corrigendus est.

Pag. ead. not. c) Caussæ non optimæ indicium est, has Epistolas omnes *Peuschelianas* disparuisse, ipsaque etiam hæc consuetudo *Crusii* nimis amica monstri aliquid quibusdam alere videbitur: quemadmodum nec *Ruari nostri* commemoratio suspicione omni caret. Erit aliquando, qui, quæ sunt τὰ κρυπτὰ τȣ̃ σκότȣς, φωτίσει dies, in quem hæc quoque differre, atque interim πάντα ἐλπίζειν satius est. Certe non semel, sed aliquoties ad *Remonstrantes Peuschelium* (vid. f. 812. lin. 12.) litteras ultro dedisse, suspicandi varia eaque haud levia adhuc dubia, quibus etiam locum dederit, animum ejus occupasse arguit, ipsumque illud commercium non plane nullum vel moderati nimis de dissentientibus judicii argumentum præbet.

Pag. ead. lin. 17.) Quantum ex hac *Cupi* Epistola elucet, *Versio* illa *Confess. Remonstr. Peuschelianа* ad prælum parata tantum fuit, eidemque, ut subiret, destinata. Longius autem progressus est S. R. D. D. *Sal. Ern. Cyprianus* Eccles. Evang. singulare ornamentum, utpote qui in *Contin. Hist. Eccl. Compendii Gothani* L. III. c. V. f. 217. *Plenior* (Remonstrantium puta,) *confessio*, scribit, *Simonis Episcopii studio conscripta & in Synodis Antwerpiæ, Roterodami ac Vltrajecti approbata, quam deinde reliqui Remonstrantium Pastores ad unum omnes ratam habuere lingua Batava A.* 1621., *Latina* 1622. *& paullo post per Joachimum Peuschelium Ecclesiæ Norimbergensis Ministrum Germanica publicata est, qua pleraque Reformatorum dogmata, præter quinque Articulos videri volunt retinuisse.* Et citatur in hanc rem *Brandtius* in *Hist. Reform.* P. IV. p. 649. Quando vero omni studio adhibito Editionis hujus Conf. in vernaculam nostram versæ, nihil unquam cuiquam, quod sciamus, conspectum est, rectius faciunt, qui, nisi forte paucissima tantum apud *Batavos* exempla excusa istic delitescant, hæc pro incertis habent. Parum certe ea, si domi innotuissent, *Peuschelio* ipsi profuissent.

Pag. 814. *lin.* 15. *seqq.*) Et sane ex eo quoque tempore nec auditum quidem est, sive hanc sive alias a serpente passim alias clandestino hoc veneno infestatas esse Academias Germanicas. Digna tamen arbitramur notatu, quæ non ita pridem in *Philocalia Epist.* a Cl. Viro *J. H. a Seelen* publicam in lucem data n. 82. fol. 344. seq. in Epistola *Justi Jac. Mülleri*, Past. posthæc ad D. Joh. Norimb. ad b. *Bebelium* scripta aliud agendo observare licuit; quippe in qua *Dan. Zwickerum* & *Jeremiam Felbingerum*, Socinianarum hypothesium, sed ἀνωμάλως propugnatores, *per Dn. Oelhafium*, (Past. deinceps Lauffensem,) *qui ipse cum illis collocutus fuerit in Belgio, litteras ad venerandam Facultatem Theologicam Altorphinam quidem dedisse, cum opusculis quibusdam a se editis, hac occasione transmissis, quibus rogaverant, ut attente & sine præjudicio hæc legere, considerare, & quod bonum in iis fuerit, retinere velint, quin & curare, ne convitiis, calumniis & persecutionibus opprimerentur*, narratum est, animosque Theologorum etiam in eadem Vniversitate tentatos. Sed tantum abfuit, ut responsione hos errores dignarentur *Theologi Altorphini*, ut b. *Dürrius* potius ex instituto potiora in *Dispp. Anti-Soc.* & *Append.* cum primis non una tanto diligentius & solide refutarit, atque h. m. quid statueret cum Collegis de hujusmodi amicitiæ ingrato ambitu, modeste quidem, ut humanitatis jura postulant, sed serio tamen demonstrarit. Quæ, quoniam ab ipso quoque *Dürrio* Disp. de *Magistratu Christiano*, quæ cap. XIII. constituit, ejusdemque §. 13. commemorata sunt, ubi & *Josiam N. T.* inter Libros a *Zwickero* missos fuisse docetur, calamumque Felbingerum in scribendis litteris duxisse testatum legitur, ad finem denique non videbantur prætereunda silentio. Faxit Deus, ut quem *Altorphenses* pariter ac ceteræ Evangelicæ Ecclesiæ & Academiæ contra hoc lethiferum virus pium adhibuerunt zelum, eodem Vniversitates omnes divinitus correptæ constanter hæc similiaque impietatis genera valide animoseque oppugnent; donec æternum ἐπινίκιον in cœlesti Academia, cuncti aliquando optima quæque plenius edocti, sine intermissione concinamus, Deumque Trinunum cum θεανθρώπῳ servatore nostro coram contemplati omni virium contentione prædicemus!

)o(

MARTINI

MARTINI RVARI
ALIORVMQVE VIRORVM DOCTORVM

EPISTOLARVM SELECTARVM

CENTVRIAE DVAE
NOTIS IDONEIS ILLVSTRATAE
PER
GVSTAVVM GEORGIVM ZELTNERVM
D. P. P. ET P.

INDEX EORUM
QVORVM EPISTOLAE IN VTRAQVE CENTVRIA LEGVNTVR.

R.

MARTINI

MARTINI RVARI, ALIORVMQVE VIRORVM DOCTORVM EPISTOLÆ. a)

LECTORI CANDIDO J. RVARVS b) S.

M*Vlti fuerunt, & fortasſis etiam tu inter illos, qui* parentis noſtri *in publico aliquid extare voluerunt, cujus hæ nunc primum epiſtolæ in lucem & conſpectum hominum prodeunt: quem ſine dubio melius ferre potuiſſent, ſi ab ipſo fuiſſent editæ. Ille vero tantum abeſt, ut id unquam facere voluerit, ut neque curaverit, quo id poſt mortem ſuam commodius fieret. Nam quædam ejus ſcripta ita diſperſa ut ſcopas diſſolutas reperimus, quædam vero minus accurate deſcripta, ſine capite & calce: ita*

 ut

a) Extant quidem & aliæ epiſtolæ *Ruari*, hinc inde ſparſim editæ, rariores tamen; cujusmodi in *epiſt. Remonſtr. Richterianis & Gudianis*, alibi vero vix una alteraque, habentur; ſed quia pleræque, ſi a binis *Richteri* inter epiſtolas excuſis diſcedas, ad noſtrum hoc inſtitutum parum afferunt momenti, hos ſolos a filiis evulgatos faſciculos, quorum altera pars prorſus fere diſparuit, recuſas dare, & ſubinde *annotatiunculis* dilucidare viſum eſt, ut, quem *uſum* in *Hiſtoria* potisſimum Eccleſiæ ſuperioris ævi præſtent, ex Chronologia quoque rectius, quam ab editoribus filiis factum eſt, obſervata, conſtare posſit. Quam opellam tanto lubentius recepimus, quo major etiam obſervationum ac diſputationum variarum, bonarum æque ac malarum, atque hinc breviter diſpungendarum, aut illuſtrandarum, copia abundant, nec rerum, ut de *Manutianis* dici ſolet, inanes ſunt, verbisque tantum (qua laude vero etiam hæ cumprimis celebrantur) canoræ. Cæterum ex primis ab auctore lineis ductis eas deſcriptas impresſasque eſſe, & in ipſis epiſtolis, ad amicos datis, ſubinde quædam auctori addere atque demere viſum eſſe, jam alibi annotavimus, exemplisque luculentis probavimus.

b) *Joachimi* nomen huic, cum fratre *Davide*, epiſtolarum editori fuit, a fratre fortasſis *Martini* adoptatum. Filios curam harum epiſtolarum prælo ſubjectarum gesſiſſe, vel ſola, identidem in Præfa-

ut ne quidem in mentem ei veniſſe videatur, hæc unquam edenda a) *fore: quod partim modeſtiæ ejus tribuendum eſt ſua non valde amantis, partim incommodis quibusdam non permittentibus ea perfici, quæ majorem animi & corporis quietem poſtulant. Etſi vero multa in his epiſtolis deſiderantur, quæ ipſe optime ſupplere & mutare potuiſſet; tamen maluimus eas edere, quam perpetuis damnare tenebris, in quibus tot res egregiæ, jucundæ, utiles ſcitu continentur. Addidimus nonnullas aliorum ad illum epiſtolas, ut eo melius res hic tractatæ intelligantur, & ut præter utilitatem delectationem aliquam lectores capiant ex varietate rerum & ingeniorum, quæ in literis cujusque quaſi imaginibus expreſſa ſunt. Etenim ſi jucundum eſt, & nonnunquam etiam utile, videre tabulas, ubi pictores clarorum hominum formam corporis delinearunt; quanto jucundius & utilius eſt, ſcripta illorum legere, in quibus ipſi animi ſui ſimilitudinem ad vivum expreſſerunt? Hinc etiam apparebit, quæ* noſtri parentis *fuerit in religionis negocio ſententia, quæ modeſtia, & quam minime propterea invidiam hominum, aut, quod proverbio jactatur, odium theologicum meritus ſit. Sed cui ignotum eſt, quo majori fere quisquam virtute præditus fuit, eo majori eum etiam invidia laboraſſe? quemadmodum olim Ariſtides Athenis non alia de cauſa exilio dignus eſt judicatus, quam quod cupide elaboraſſet (verba ſunt Cornelii Nepotis) ut præter cæteros juſtus appellaretur. Equidem omnes magni & præſtantes viri cum Ariſtide ita ſolent vivere, quaſi laudis percupidi ſint, at rurſus ita laudes ſuas excipere, quaſi antea nihil de illis cogitaſſent.* Parentis *vero* noſtri *etiam hæc nonnulla laus fuit, quod cum tot viris egregiis & doctis, quibus illa ætas abundabat, non ſolum amicitiam, ſed etiam literarum commercium coluit; idque non de negociis tan-*

tione hac repetita, *Parentis noſtri*, verba comprobant. Quod genus autem vitæ, & quæ rationes Typographei fuerint, unde hæ prodierunt, aut certe prodiiſſe dicuntur, *Centuriæ*, alibi exponendum cenſemus. Eadem denique mente, quæ patris erat, in religionis negotio utrumque fuiſſe, vel ipſum *Præfationis* hujus argumentum condocet.

a) Cujus hinc alia, præter has epiſtolas, ſcripta non proſtant, & ſolis propemodum *Annotat. ad Catecheſin Eccl. Polon.*, quæ ſemel iterumque cum cæterorum, *Crellii*, *Slichtingii*, *Wiſſowatiorum* & *F. C.* (*Floriani* forte *Cruſii*,) additamentis publicatæ ſunt, exceptis, nihil omnino in lucem publicam datum eſt: Etſi plurimi lucubrationes Viri non minus docti, quam in ſententia dicenda liberi, atque ἐκλογὴν amantis, enixe expetierint. Quos inter cumprimis *Marin. Merſennum*, cujus epiſtolæ id ſæpiuſcule urgent, numeramus.

tantum privatis aut de nugis, quæ noſtra ſcire nihil intereſt, ſed de rebus magni in religione momenti, a) *deque earum veritate* τῇ κατ' εὐσέβειαν.* *Porro ea ſimplicitate fidei Chriſtianæ fuit contentus, quæ clarisſimis S. Scripturæ teſtimoniis confirmata eſt, atque Symbolo illo, quod Apoſtolicum vocamus: præterea nihil ut ad ſalutem neceſſarium urſit, niſi vitam* b) *ad mandata Chriſti pro viribus exactam. Reliquis aliorum erroribus facilius quam ſuis ignovit: eandemque nunc æquitatem ab aliis in ſcriptis ſuis exſpectat. Quod eum in his quidem epiſtolis tanto impetrare æquius eſt, quanto major in illis libertas locum habet, quæ ad privatos & ad familiares ſcribimus, quam quæ ipſi publici juris eſſe volumus. Non tamen utilitate ſua carebunt, etiam quæ mendis non carent: ita habebit, & quod diſcat & quod ignoſcat benevolus & prudens lector. Quis enim eſt hominum, qui non erret aliquando? Quam vero injuriam infert alteri, qui ſimpliciter errat, nec errorem ſuum cuiquam obtrudere conatur? quod nunc multi faciunt, qui omnes homines quacunque ratione eo adigendos putant, ut ſuas opiniones amplectantur; veras ſcilicet, quia ipſis ita viſum eſt. Quaſi vero ſoli hominum privilegium iſtud a Deo habeant, ut errare* c) *non posſint; aut quaſi jus & regnum in aliorum conſcientiam ab*

* Quæ ſecundum pietatem eſt.

a) Ita eſt: Nec defuere, qui plures epiſtolis familiaribus, itemque colloquiis amabilibus & jucundis, in partes ſuas traxiſſe perhibent *Ruarum*, quam ſcriptis forte magnis voluminibus ab aliis præſtitum ſit. Qua de re ad Cap. II. *Hiſt. Crypto-Socin.* lit. R. nonnihil dictum eſt.

b) Quæ quidem anima modeſtioris *Socinismi* fuit, cum *Remonſtrantium* placitis, quibus tandem magis *Ruarus*, quam *Socinianis* favere viſus eſt, haud difficulter hoc modo conciliandi. Quis enim neſcit, apud hos rem omnem, totiusque religionis ambitum, promiſſorum Dei veritate ac fide, ſanctitate item præceptorum, eorundemque obedientia, & debita Scripturæ Sacræ reverentia conficere, cætera vero tanti non haberi, quin liberum cuivis de illis ſentiendi relictum arbitrium cenſeatur? Bene, an male? *Paullus* Gal. I, 8. ſeq. V, 4. 1 Tim. VI, 3. cum Joh. II. Ep. v. 10. definiat.

c) Male. Diverſa enim ſunt, *errare* a vera cujuscunque generis ſententia, & *ſine periculo errare*, quocunque etiam modo a *veritate ſalutifera*, quæ *fidem format* noſtram, aberretur. Neque vero etiam, quisquis de *diſcrimine* tanto alios cum Chriſto Matth. VII, 15. XVI, 6. monet, aut *ab homine* aliquo *Plano* cum Apoſtolo cavere jubet, tyrannidem exercet. Sunt militiæ noſtræ arma utique non *carnalia*, non tamen inertia & otioſa, ſed δυνατά, quibus non minus pro credendis fidei dogmatibus, quam agendis morum præceptionibus εἰς καθαίρεσιν pugnare oportet. Levis armaturæ milites neque in militia ſpirituali probantur, quoties περιΐστασθαι, h. e. non occidere, ſed vitare & coërcere aliorum ἑτεροδιδασκαλίας, inque erroribus ſpargendis petulantiam, jubentur.

ab illo acceperint. Imo id genus hominum est iniquissimum, qui nil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt, qui nil sentiendum, credendum, loquendum putant, nisi quod ipsi sentiunt, credunt, loquuntur. Alia fuit hominum sapientissimorum sententia, qui fidem nec debere nec posse cogi putarunt: quibus se etiam parens noster *libenter adjunxit, sedulo vitans societatem eorum, quos tyrannidem in conscientias hominum affectare vidit. Sub hac tyrannide ipse olim gemens ad amicum scripsit:* O libertas aurea, quando nos tandem soluto jugo respicis, ut sentire liceat, quod verum est, & quod sentimus eloqui! Tu Domine Jesu Christe, qui servi formam accepisti, ut ab inferni Busiridis dominatu animas nostras assereres, impone quoque, si tibi placet, corpori pileum, linguasque nostras tuo Parentisque tui imperio vendica, cui soli parere libertas est. *Huic* parentis nostri *voto aliud ipsi votum addimus: O utinam plures Christianæ pacis amatores* a) *& pacis instrumenta Deus excitet, qui regnum ejus, quod est regnum pacis, in hoc mundo proferant, qui homines magis inter se amare quam disputare doceant, qui exemplo etiam suo, non modo verbis excitent eos & confirment, ut simplicissimæ religioni Christianæ, vitæque pietati, non factionibus perpetuis studeant! Vale, lector, & nobiscum precare Deum, ut id ratum esse velit jubeatque. Amstelodami,* cIↄIↄcLXXVII.

Nomina eorum, quorum in hoc libro ad M. Ruarum ordine sequuntur Epistolæ.

V. Grunewaldus.	*Mich. Gittichius Venecianus.*
Petrus Bertius.	*Franciscus Limburgius.*
C. Bergius.	*Daniel Zwickerus.*
Hugo Grotius.	*Samuel Næranus.*
Abrahamus Calovius.	*Johannes Næranus.*
Marinus Mersennus.	*Stephanus Curcellæus.*

Ad calcem libri Index locupletior omnium epistolarum & argumentorum est additus.

a) Tales vero, qui laudabili *connubio cum pace veritatem* conjungant. *Neque enim ludum patitur fama, fides, oculus.* Titum certe non minus ἀντέχειν jubet Apostolus τῷ κατὰ τὴν διδαχὴν λόγῳ κ. τ. λ. quam τύπον καλῶν ἔργων sese aliis sistere præcipit: perinde ut alibi τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, doctoribus & auditoribus promiscue idem commendat, veramque alias in Christi corpore pacem & concordiam haud agnoscit; pro qua & ipse ad *salubrem* usque *austeritatem atque clementem sævitiam*, ut *Erasmo* observatum est, passim, & in epistola potissimum ad *Galatas* scripta, concitatiori stylo animoque, tum vero etiam in ea, quæ ad *Philippens.* data est, c. III. 1. seqq. atque alibi, decertavit.

EPISTOLA I.

M. RVARVS ERNESTO LVDOVICO BVRGSTORPHIO a) EQVITI MARCHICO.

Recreavit epiſtola me tua a ſolicitudine, qua prius nonnihil tenebar, cum in hac affectum tuum tam calidum, nec ullis malevolorum ſuſurris delibatum, ex intervallo reguſtarem. Quamobrem gratias tibi mirificas ago, ſperoque, te poſthac etiam non aliam opinionem aliturum de me, quam de homine, qui propriam ſalutem, ut quisquam, habet cordi, nec ſua voluntate malus aut invidus erit in aliena. Notari ſolet fatuitas Philoſophorum quorundam, qui divitias, quibus uti neſciebant, *matutino* ſupercilio ſpreverunt aut abjecerunt. Quid vero, mi Burgſtorphi, ſunt omnes picorum theſauri, cum æternæ beatitudinis poſſesſione collati? quam ego tanto mentis ardore perſequor, ut pene tædeat aliarum quoque rerum curis, quibus hæc vita tanquam æſtu quodam exagitatur, ſpes amplius & vota conſumere; quanquam alias non exiſtimem, tam novercam mihi fuiſſe naturam, ut uni negarit ingenium ad artes, quibus fortunæ gratiam peterem. Habeant alii quisque, quo cupidinem indomitam inter ſtudiorum divortia fatigent: ego non melius, quam in veritatis ſpeculatione conquieſco: quam cum tot opinionum venti huc illuc jactent, ſic tamen in anchora divinarum literarum ſtare conor, ut nullis præjudiciorum fluctibus, quibus humanæ vitæ oceanus utplurimum intumeſcit, abripi velim. In hoc Dei beneficio glorior, quod nondum in cujusquam ego doctoris, præterquam Chriſti, verba juraverim: atque ne ipſius quidem Lutheri ſummi viri, cujus doctrinam cum lacte matris imbibi, auctoritatem mihi pro lege eſſe, ſcis quam non obſcure præ me tulerim, cum ſemel atque iterum dicerem, ſententiam illius de bonis ope-

p. 7 8

a) Conferenda eſt cum hac prima epiſtola ea, quæ Cent. II. n. 7. poſita legitur. Ex qua, *Burgſtorphii* hujus fratris ſtudia tunc moderatum eſſe *Ruarum*, patet, ipſumque hunc generoſum Virum, niſi fallor, in Vniverſitate *Helmſtadienſi* ſub id tempus ſtudiis operam dediſſe, aut certe in vicinia vixiſſe, ex eadem porro colligitur. Excuſationi de reliquo, ut ab impacto *Sociniſmo* ſe purgaret *Ruarus*, deſtinatam eſſe, ipſum argumentum, vel obiter ſpectatum, demonſtrat. Quam candide vero cum eo, cui innocentiam ſuam probare laboravit, egerit noſter, eventus luculentisſime docuit. Pluribus ea de re dictum eſt in *Hiſt. C. S.* Cap. II. lit. R. ubi annotatumne ſit, nec ne (MStum enim noſtrum inſpicere jam non licet) *Erneſtum* hunc *Ludovicum a Burgsdorph* Lugduni Batavorum medio hoc anno diem ſuum obi-

operibus, a) & humani arbitrii ſervitute, b) videri mihi nimis rigidam, cum ex ea præſertim Calviniani ſuum dogma de Prædeſtinatione ſane quam horrendum non omnino frigide deducant. Hæc tamen dum dico, tantum abeſt, ut alios, licet a me diverſum ſentiant, intemperie fere jam epidemica condemnem, ut cenſeam, ſi quis ſumma fidei noſtræ capita, quæ non multa ſunt, bene perſuaſa habeat, in quibus nullum magis, quam pietas ſeu innocentia vitæ, commendatur a ſacris Scriptoribus, poſſe quem in cæteris impune, modo ne cum pertinaci pro-

iſſe, *Heinſium*que ei parentaſſe, haud recordamur.

a) Non erat, cur *Lutheri* de *Bonis Operibus* doctrina offendiculo eſſet *Ruaro*; qui, quicquid duriorum aſſertionum, perinde uti etiam de *Moſe* ejusque lege, de his pronunciavit, non aliter, quam comparate ad Evangelium & Juſtificationis beneficium, χωρὶς ἔργων nobis per fidem promiſſum, accipi voluit, totoque, qui huc potiſſimum ſpectat, in *Epiſtol. ad Galat. Commentario* fuſe explanavit; ubi vero ad ſanctificationis, ſanctitatisque ipſius genuinæ ac DEO probatæ, exercitium, cum fide arctiſſimo nexu conjunctum, ejusdemque fructum, deſcendendum erat, tam magnifice de illis ſenſit, ut vix quisquam cum eo comparari poſſit. Sed cum *Socini*, de Fide, obedientia DEI conſtante, Chriſti item negata vicaria pro nobis expiatione, & juſtitia noſtra, non aliena, in juſtificatione hominum, ut cauſſa ſalutis noſtræ, noſtra ex parte ſpectata, eademque, non merito quidem, ſed ſola DEI optimi ἐπιεικείᾳ ſuffulta, placere cœpiſſent hypotheſes, non poterat non iſte *Lutheri*, at *Paulli* auctoritatem ſequuti, rigor diſplicere. Hinc illæ querelæ!

b) En novum faſtidii veritatis Evangelicæ obtentum. Cui difficultati jam tunc obviam iverat *Quæſt. de Provid. & Prædeſtinat.* editis An. 1596. ſumma perſpicuitate *Ægid. Hunnius.* Quem deinceps in hujus libelli vindiciis ſimiliter occupati *Jac. Martini*, *Seb. Schmid* & *J. J. Zentgravius* ſecuti ſunt. Ut breviter, quod res eſt, dicamus, non diſſimulabimus, eſſe in hoc opuſculo *Lutheri*, An. 1525. edito, quædam *incommode* ſcripta, ex adverſarii *Eraſmi*, pro viribus in converſione hominum naturalibus Scholaſticorum ſenſu & ex philoſophica pharetra certantis, contraria oppugnatione, notiſſimaque ἀμετρίᾳ ἀνθολκῆς, nata, ſed eadem tamen interpretationem bonam, ſi a ſcopo non aberres, haud reſpuentia: quam optime omnium diſtinctio *infallibilitatis*, ſeu hypotheticæ neceſſitatis, ut vocant, atque ex adverſo determinationis internæ, phyſicæ & inſuperabilis, hinc *neceſſitatis abſolutæ* dictæ, accuratior conſideratio ſuppeditat Vt verba potius Viro bono, quod ipſe in eodem libro teſtatus eſt, quam mentem rectam, defuiſſe videntur. De reliquo, uti *revelationem*, ſeu DEVM revelatum, potius, quam *rationem*, in his rebus, ſeu non abſconditum, ſed patefactum DEVM conſulendum eſſe, ipſe conſtanter docuit: Ita porro non male *Guilh. Burnetius* Tract. de Prædeſtinat. *Lutherus*, dixit, *quum eſſet ex* Luther *adeo-* *eo ordine, qui ab Auguſtino nomen tulit, adeoque a multis annis ſcriptis ejus cum veneratione legendis aſſuetus; non mirum, ſi ſine accuratiori rei examine magiſtri ſententias adoptavit*, aut, ſi malis, ab illis prorſus liberari haud facile potuit. Neque etiam, credo, *Ruarum* hæc difficulter agniturum fuiſſe, niſi Pelagiana *Socini* placita eum in transverſum jam ante abripuiſſent. Genuina certe, deferendi veritatem, hæc cauſſa non fuit.

proposito id fiat, hallucinari: qua de re doctissime, ceu solet, disseruit Jacobus Acontius Tridentinus jurisconsultus, theologus & philosophus excellens. Vale. a)

II. 9

M. RVARVS JOANNI CRELLIO. b)

NUnc illud te rogatum velim, ut firmissimis mihi rationibus evincas, *Pontificios*, quamdiu suis placitis inhærent, ad genuinam Christi Ecclesiam non pertinere, ac proinde nec salutis æternæ participes futuros: novi enim virum eruditione ac pietate minime vulgari, qui id etiam de severioribus illis, quales imprimis sunt *Jesuitæ*, aliique zelotæ (nam de vulgo inerudito aut Cassandri c) gregalibus facilius aliquid fortasse concedi potest) dummodo nihil contra conscientiam delinquerent, affirmare non dubitaret. Nondum mihi, ut verum fatear, decretoria cum illo homine pugna, ad quam libenter tuis cum armis venirem, sed velitatio tantum hactenus fuit: in qua cum opponerem illi divinum crustuli consecrati cultum, quo potissimum inter *Pontificios* peccari, ut vix inter paganos fœdiorem fuisse putem; non eam *Pontificiorum* mentem respondit esse, ut ipsum crustulum, sed ut Christi corpus ex illo factum, religiosa adoratione prosequerentur, nec eos in objecto, ut scholæ loquuntur, cultus, sed in illius præsentia hallucinari: qui error cum pio divinarum literarum prætextu speciose pallietur, & quantumvis alias sat gravis, multo tamen sit aliis minor inter illos, quos pro fratribus in Christo nos admittimus, regnantibus, prohibere nequaquam debeat, quo minus eadem judicii lance charitatisque mensura erga hos, d) qua erga alios longissime in religione dissentientes utamur. a. d. xv. Kal. Nov. cIↃIↃcxvI. 10

III. V.

a) Scripta videtur hæc epistola A. 1616. & priori, quæ Cent. II. n. 7. legitur, successisse, verisimile est.

b) Amico & fratri quondam Altorphino, & nuper admodum, postquam beneficiis *Jac. Sienienii*, Palatinidæ, aliquantisper sustentatus erat, in *Krokierii* locum ad *Rectoris Gymnasii Racoviensis* munus tandem evecto: ut vitæ descriptio Pistoriana nos edocet.

c) Quos nonnulli *Semi-Pontificios* appellare solent, atque minus prudenter conciliationis, immo ipsius quoque Pontificiæ doctrinæ fundamenta ex illis peti a quibusdam solere, recte monent. Quos inter haud ita pridem b. *Fechtius* in Diss. *de Cultu Imagin.* § 5. & de *Origin. ac Superstit. Missæ* L. II. c. I. f. 656. seq. numerandus est. De *Cassandro* nominatim quid senserint ipsi Pontificii, b. *Calovius in Histor. Syncret.* L. III. f. 749. seq. testimoniis variis diligenter congestis ostendit, & *Librorum prohibitorum* quoque *Indices* demonstrant ad oculum. De salute vero hujusmodi hominum quid existimandum, nihil definio, sed Christo judicium Apoc. III, 15. sqq. explorationi conscientiæ cujusque omnium maxime idoneo, relinquo.

d) Rectissime omnium sentiunt, qui a Deo olim dicendam expectare sententiam

III.

V. GRVNEWALDVS a) M. RVARO.

CLarisſime ac dilectisſime D. Ruare, conſtitui jam ſufficienter ad literas tuas reſpondere, ideoque rogo te obnixe, da veniam, ſi quædam prolixius deduxero, ſi etiam tumultuarie, prout mens dictat, ſcripſero. Confido amori & amicitiæ tuæ, ideoque circa latiniſmum minus ero anxius. Calamitoſisſima veſtra tempora b) ex animo doleo. Deus Eccleſiæ ſuæ clementer ſuccurrat, ac funeſta conſilia avertat. Me quod attinet, per amorem noſtrum te oro, ne mihi ſuccenſeas, quod tam raro ad te ſcribo, quodque nuper tam breviter. Hoc vero, mi frater, me non parum affligit, quod novorum ſcriptionem a me omiſſam tam moleſte fers, cum ſcias me vita ſolitaria maxime delectari, nec in nova ſolere inquirere. Quod me obnixe rogas & mones, ne ullis rationibus nimium avocari me patiar a divinarum rerum meditationibus, pro tam ſalutari admonitione maximas tibi ago gratias, & quantum in me erit, operam dabo, ut & tibi & aliis, maxime vero meæ ipſius conſcientiæ ſatisfaciam. Sed dubito, an id tam cito, & eo modo, quo plerique arbitrantur, ſit futurum. Adhuc enim animo meo alte infixum

malunt, quam pronunciare; præſertim cum & noſtri *errores* in cultu non minus, quam doctrina, atque *errantes* diſtinguant laudabiliter. Cæterum minus olim periculi fuiſſe, antequam lux Evangelii denuo refulſit in Eccleſia, omnes fatentur; ſummo autem diſcrimine adhuc, omniumque maxime Apoſtatas, Romanenſis cœtus cives expoſitos eſſe, quicunque Gal. V, 6. 2 Theſſ. II, 9-12. 1 Tim. IV, 1-3. & cumprimis Apoc. XIV, 9. ſqq. animo reputant, affirmant.

a) Cujas ille fuerit *Grunewaldus*, juxta cum ignarisſimis ſcio. Germanum fuiſſe, non eſt, cur dubitem. Fuit aliquando tempus, quo *Lubecenſem* dicendum ſuſpicabar; ſed hæſitat animus, quo minus illud auſim aſſeverare. *Valentini* prænomine uſum eſſe, ex *Epiſt. Remonſtr.* ubi n. 515. med. edit. ad eum breves An. 1632. a *Ruaro* noſtro litteræ datæ habentur, palam eſt. Sed patriam & fata cætera explorare penitus, ut dictum eſt, nondum licuit. Theologiæ ſtudia excoluiſſe, ac tandem ad *Chymiæ* culturam deflexiſſe, hæ ipſæ *epiſtolæ* docent. Quæ etiam, quo animo fuerit, & quam laxa, in rebus ad religionem pertinentibus, ſententia, ut pæne omnia ad ſanctitatem vitæ revocaverit, addocent. B. *Groſchuphius* libellum illi ingenioſum atque facetum *de Germania milite deſtituta & eruditis ſua ceu mole laborante* An. 1677. Cosmopoli evulgatum, & in *Nova Libror. variorum Collectione* recuſum, per conjecturam adſcripſit: Quem tamen, ſi quidem in *Placciano opere* recte rationes initæ ſunt, diverſum ab hoc noſtro, *Ruari* amico, eſſe arbitror, & temporum quoque intervallum, paullo longius intercedens, ita ſentire omnino jubet.

b) Non alia puto intelligi, quam quæ ſentiebant ſub id tempus (eſt enim hæc epiſtola ſcripta An. 1618.) *Remonſtrantes* in *Belgio*, ubi & inter quos, tanquam fratres, amiciſſimosque fautores, tunc *Ruarus* quoque vixerat.

xum hæret exemplum Tauleri, qui antequam in notitiam illius laici venisset, magnus doctor & Theologus, atque in concionibus etiam sa- 11 tis & sibi & aliis felix videbatur. Sed cum a suo isto laico edoctus, quam frigide concionaretur, illius consilium secutus esset & biennium intra cellam suam assiduis jejuniis & precibus vacasset, tandem in Spiritus Sancti schola eruditus, tam fervidas & vivas conciones habere potuit, ut etiam auditores suos extra sese raperet, & in ecstasin conjiceret. Tum demum corda hominum permovere potuit. Considero & illud, quod, quamdiu adhuc vel scintilla superbiæ menti ejus inhærebat, concionari *sæpe* non potuit, imo lachrymis etiam, suspiriis, & precibus in suggesto jam constitutus, a Deo dicendi facultatem impetrare non potuit; adeo, ut re infecta non sine maximo aliorum ludibrio (cui Deus ad reliquias superbiæ extirpandas eum tunc subjiciebat) de suggesto descendere coactus fuerit. Credo, mi frater, te adhuc meminisse historiam, a) nec puto te pro fabula habere: memini enim te hæc non sine lachrymis me præsente legisse. Hoc igitur exemplo motus, mecum constitui, ministerii functionem non subire, priusquam a Deo in Spiritus Sancti schola sufficienter & pro tam sancti & ardui officii dignitate institutus fuero. Tales enim homines, quos Deus ipse ad hoc munus idoneos reddiderit, una concione plus emolumenti suis auditoribus afferre possunt, quam per omnem vitam omnibus suis concionibus præstare possunt ii, qui nullo divino instinctu tracti, nec sufficientibus dotibus a Deo instructi, sola aliorum persuasione & nutu 12 moti, ad ministerium accedunt, & ea tantum subsidia ad illius functionem afferunt, quæ ipsi propria industria ex autorum lectione & hujus vel illius hominis imitatione, sine singulari & speciali b) Dei auxilio,

 sibi

a) Hæc, quæ *Taulero*, *Johanni* nempe illi Coloniensi & Argentoratensi monacho, A. 1379. pie defuncto, & a nostris quoque, inprimis vero b. *Luthero*, præ Scholasticis, atque ad hos comparate, celebrato, contigisse dicuntur, vulgo *Tauleri vitæ* nomine, in ipsa etiam Francofurt. illa editione, An. 1692. seqq. evulgata, sub finem tomi posterioris leguntur, cum fere in modum recitata, quo *Paullus* 2 Cor. XII, 2 sqq. fata sua prorsus singularia enarrat. Vnde forte fabulæ suspicio orta est; cujus alias nulla prorsus in ista narratione vestigia reperiuntur.

b) Supernaturale haud dubie in animum receptum admissumque, quo Verbum DEI ἐνεργὲς semper gaudet, intelligitur. Illud certe, quod natura firmat genus Theologorum Ecclesiæ plus nocet, quam prodest, eo quod gloriam DEI plerumque in postremis habet, sua vero, quibus trahatur, emolumenta, sive ambitioni litet, sive otio aut voluptati deditum sit, sive denique opibus inhiet, in acie collocat. *Vivendo, immo moriendo & damnando*, ajente Luthero, *fit Theologus, non legendo & speculando*. Hæc si mens fuit *Grunewaldi*, non male de *genuino* Theologiæ

ſibi compararunt. Qui quantum ſuis concionibus in vera Dei gloria, & auditorum ſalute promovenda, deinde præſtent, tibi ut homini ſatis oculato (modo ipſe tibi nimio perſonarum ſtudio oculos non perſtringas) ex ipſa experientia ignotum eſſe non poteſt. Plura non addo: conſidera quæ ſcribo: ſi hæc vera eſſe agnoſces, veritatem non diſſimula, nec te ipſum cum aliis decipe. Deum oro, ut oculos tibi & mihi magis magisque aperiat, ut videre poſſimus, ubi vitium ſit. Hæc perpende, veram & ſolidam Dei gloriam non a) in eo conſiſtere, ut homines a quibusdam erroneis in religione opinionibus ad ſaniores, (quæ tamen & ipſæ interdum dubiæ veritatis ſunt) quasdam ſententias abducamus; ſed ut eos ad veram pietatem, hoc eſt, ardentem Dei & proximi charitatem, ad ſalutis ſuæ ſtudium cum timore & tremore exercendum, perducamus. Hoc ſine ſingulari Spiritus Sancti gratia (quæ, ut in Taulero, cujus exemplum libenter repeto, videre eſt, ſine ſerio jejuniorum, precum, cæterorumque Chriſtianæ pietatis officiorum diuturno exercitio acquiri non poteſt) nemo præſtabit, utut millies ab aliis quibuscunque ad miniſterium aptus judicatus fuerit. Temere in re tam ardua nihil eſt tentandum. Non hic videndum, quid alii de nobis judicent, quid de noſtra eruditione, pietate, ad miniſterium aptitudine ſtatuant & pronuncient. Homines ſunt, falli poſſunt. Nemo patiatur ſibi perſuaderi, quod ipſe divinitus ſibi datum non deprehendit. Poſſumus interdum indefeſſo ſtudio, improbo labore, propria induſtria, etiam invita naturæ Minerva, aliqualem rerum gerendarum dexteritatem nobis comparare, & talia etiam in rebus divinis præſtare, quæ non quivis præſtaret. Sed hæc non ſtatim ſunt divina, hoc eſt, a Deo profecta, etiamſi circa res divinas b) & ad religionem ſpectantes, verſentur. Tandem (licet ſero) tempus doce-

Candidato judicavit. Cætera Enthuſiaſmo ſimiliora viderentur: quem tamen in ſequenti epiſtola ipſemet a ſe amolitus eſt ſolicite.

a) *Non tantum*, dicere voluiſſe noſtrum, exiſtimarem, niſi paullo longius, quam par erat, de rebus dogmaticis iniquius cenſendo, progreſſum eſſe, ſequentia condocefacerent.

b) *Divina* enim, ita recte ſentitur, *divine*, hoc eſt, divino modo, uti νομικὰ νομίμως, tractanda ſunt; ſin ſecus, vappa *tibi* erit, quod per ſe ſuaque ſibi inſita divina virtute vinum ſaluberrimum erat, & eſſe poterat, divinaque gratia ſincere oblata debebat, ſanctisſimum Dei verbum. Πνευματικὰ πνευματικῶς dijudicanda eſſe, ita, ut, qui ſpiritualia tractat, ipſe ex Spiritu Spiritus reddatur natus, cum magiſtro ſuo *Paullus* conſtanter tuetur. Qui aliter ſentiunt, ipſimet, quid dicant aut defendant, ſine dubio neſciunt, & Theologiæ *veræ*, hoc eſt, *ingenuæ*, rationes ex *Ariſtotelis* ideis, formatisque hinc definitionibus, æſtimant, Spiritus autem divini ſtylum negligunt.

docebit, quæ plantatio a Patre cœlesti plantata fuerit, quæ vero non. Quicquid a Deo venit, permanet, & utilitatem veram spiritualem adfert, charitatem, gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, temperantiam, veros & infallibiles Spiritus Sancti fructus. Quicquid autem homines per se ipsos proprio arbitrio suo, absque instinctu, tractu, vel jussu divino sibi in rebus divinis proponunt, in eo nihil est laudandum præter bonam intentionem; opus per se ipsum diu consistere non potest, nam non est a Deo. Consule tuum Belgium, utere tuo ipsius satis alioqui perspicaci judicio, & de rei natura non judica secundum externam speciem plausibilem, veritatem mox videbis. Nos hodie putamus, religionem Christianam consistere in scribendis libellis catecheticis, institutionibus, apologiis, refutationibus &c. Omnes laborant circa reformandam & 14 inculcandam theoriam, nec considerant, quam periculosum (si Dei singularis instructio desit) hoc totum sit negotium. Homines sumus: theologiam & theoriam nostram petimus ex ratiocinationibus, disputationibus, propriis meditationibus, interdum sine accurata veritatis inquisitione. Quam proclivis hic lapsus? quantum hic periculum? Si enim nos in ratiocinando, meditando &c. (quod facile fieri potest) erramus, si autores etiam, ex quibus nostra depromimus, errarunt, & deinde theoriam nostram auditoribus nostris persuademus, obtrudimus, &, ut ea salva maneant, omnes ingenii nervos intendimus, vah quam male nobiscum re ipsa agitur, etiamsi nos id non sentiamus! Vtinam unus ille articulus a) de vera in Deum & proximum charitate

 homi-

a) Multa sunt in his, quæ de *frigida* variorum Theologorum tractatione controversiarum bene monentur; at falsum est, unicum de *Charitate articulum*, tametsi in practicis, seu virtutum moralium serie, primarius sit, inculcandum, & cæteros, quos *theoreticos* vocat, seu fidei dogmata, negligentius urgendos: Cum tamen utrumque genus doctrinæ sacræ, *credenda* videlicet *&* *agenda*, scriptura sacra æque diligenter urgeat, & a falsis prophetis, doctoribusque perversis, ut lupis, non minus quam impiis, qua vitam, tanquam Ecclesiæ propudiis, cavere jubeat. Quod vel *epistolæ Pastorales ad Timotheum atque Titum* scriptæ, luculentissime comprobant. Pulchre hinc non ita pridem adversus *J. Tolandum*, eadem propemodum sentientem, S. Rev. *Moshemius*: *Si nihil aliud, quam sanctam vitam postularet* DEVS, *omittere ea* (fidei mysteria & credenda) *potuisset, & omisisset certe, regulasque morum tantum sanxisset. Denique quomodo cum suprema illa* DEI *sapientia & justitia congruat, ut, licet homines ratione præditos condiderit, parum tamen, quid illi de se sentiant, dicant, cogitent, curet modo puriores vitæ rationes sequantur, non video. Augustiorem ego de* DEO *opinionem concepi, quam ut mihi persuadeam, perinde ipsi esse, num quis in errore versetur, aut veritate sit imbutus &c.* Vt omittam, eam esse quorundam, capitalium nempe, dogmatum naturam, ut sine eorum cognitione mores inculpati

hominibus probe inculcaretur, & ut in praxi apud omnes floreret, opera daretur! quanto melius nunc haberet Respublica Christiana! Cur tantos sumptus in scripta nostra promulganda, & placita aliorum refutanda, nostraque defendenda quotidie profundimus, qui in longe diviniores & præstantiores usus impendi possent? Quando tandem disputationum, refutationum, apologiarum, finis est futurus? Vitam omnem in hujusmodi rebus, cum nullo, aut exiguo (ut experientia testatur) vere spirituali fructu conjunctis, terimus; vera interim pietas sepulta jacet, illamque restaurandi, conservandi, propagandi tempus 15 & occasio, dum leviora tractamus, labitur: & sic cum hora mortis aderit, multos quidem libros scripserimus, vix autem unum hominem (utinam vero nos ipsos) ad verum Dei timorem & proximi charitatem converterimus, multaque destruxerimus, parum aut nihil Deo dignum exstruxerimus. Cur non potius sumptibus illis, quos in libros edendos insumimus, quosque ægre ac difficulter interdum ab aliis emendicamus, parcimus, & homines ad sedulam & solam Sacrarum literarum lectionem relegamus, eosque docemus, ut seriis & assiduis precibus veram illarum intelligentiam a Deo impetrent, missis interim nostris in illas commentationibus? a) Si quid nobis præ aliis Deus revelat, nobis & Deo, & si cum fructu, & absque tumultu fieri potest, paucis cordatis sapiamus. Si volet Deus, alios hæc eadem scire, eodem, quo nobis patefecit modo, ipsis quoque, etiam nostra non accedente opera, patefacere poterit. Alia est ratio, si Deus ipse publice docere vel scribere aliquid jubeat: tum enim Deo parendum est etiam præsentissima morte imminente. Sine Dei consilio & jussu si quid in reformanda religione, præsertim vero in theoria, tentamus, semper metuendum est, ne is sequatur exitus, quem omnes pii Belgæ jam b) dolent.

ac labe vacui, hoc est, genuina sanctitas, quæ ex fide oritur, nec esse possit.

a) Hæc si ita sint, cur *Paullus* prophetias non contemnere jubet 1 Thess. V.? cur idem donum, sive scriptis, sive oretenus in usum Ecclesiæ adhibendum, præ cæteris toto 1 Cor. XIV. commendat atque prædicat? *Magisterium* hominum in rebus fidei abesse a Christianis ille jubet, at *ministerium* tanto diligentius celebrat & commendat. Videtur autem abusionum tædio *auctor epistolæ* hujus a recta via declinasse, & errorem suum in altera responsione agnovisse. Nobis hæc addere visum est, ne quid offendiculo hinc cuiquam oriatur, nostro præsertim hoc ævo, ubi eadem fabula hinc illinc luditur mutatis personis.

b) Ea tempestate, qua *Remonstrantes*, a parte adversa male habiti, partim a muneribus publicis removebantur, partim in vincula conjiciebantur, immo & capite plectebantur, atque in exilium denique, quotquot fere supererant, ejiciebantur. Hoc enim tempore & proxime ante *Synodum Dordracenam* scriptam hanc esse epistolam, responsiones paullo post securæ edocebunt.

lent. Ne putes, mi frater, velle me afflictis istis, qui jam in vinculis detinentur, insultare: absit a me tam profanus animus! Deum ex animo oro, ut eos liberet: ideo tantum hæc de Belgio addo, ut diligenter ob oculos tibi ponam, quam nunquam satis tutum sit vel fructuosum, sine 16 speciali Dei jussu, circa reformandas hominum de religione opiniones occupari, utque evincam, debere Theologos omnes, ne nostris quidem exceptis, calamum ponere, nihil amplius de rebus ad solam theoriam (nam de edendis exhortationibus ad pietatem nunquam locutus sum) pertinentibus scribere, nihil refutare, nisi quod cum certissimo ac præsentissimo animarum periculo conjunctum est, & in talibus etiam refutandis non suæ eruditioni ac consilio confidere, sed sapientiam ac successus a Deo petere. Quamdiu hoc non fit, quamdiu ultro citroque Theologi scribunt, refutant, defendunt, tamdiu vera pietas ex hominum animis exulabit, & membra Christi, hoc est, pie simplices homines, nunquam in unum corpus coalescent, sed ad finem usque mundi a) manebit Ecclesia in sectas distracta. Si volumus Ecclesiæ pomœria dilatare, atque nos cum aliis cœtibus, quos pro Christianis agnoscimus, conjungere, aliter nobis agendum erit, quam hactenus egimus. Non debemus propter solam professionem quosdam appellare fratres, alios vero (qui æque pii sunt, ac nos) non item: neque debemus certis ceremoniis ac ritibus homines obstringere: omnia factiosa b) ac schismatica nomina (qualia sunt Pontificii, Lutherani, Calvinistæ, Evangelici, Reformati &c.) sunt intermittenda, vel nunquam sine excusatione, animique ab hujusmodi appellationibus abhorrentis declaratione usurpanda, si quando sermonis circumstantiæ 17 ita videntur necessario requirere: pro suggesto nemo, ne illi ipsi quidem, quos Pontificios c) vocant, multo minus alii refutandi: ine-

a) Neque vero id est absurdum, cum *Christus*, ut probentur puriores & ingenui animi Ecclesiæ cives, hæc permissurum se esse per Apostolum suum affirmet 1 Cor. XI. Qui & lolium in hoc agro, nonnisi in extremo demum die, penitus exstirpandum esse, in notissima illa, quæ Matth. XIII. habetur, parabola, clarissimis verbis prædixit.

b) Non sunt confundenda nomina *discretiva* & *factiosa*. *Illa* nec Spiritus Sanctus improbat Apoc. II, 15. qui & *Christianorum* nomenclaturam haud respuit primitivæ Ecclesiæ civibus impositam. Vt taceamus *Sadducæorum* & *Pharisæorum* διακριτικοὺς titulos, passim a Christo & discipulis ejus usurpatos. *Hæc* in eodem cœtu, de reliquo consentiente, ob leves caussas, cujusmodi a Doctoribus assumta erant, cognomenta, recte a *Paullo* olim 1 Cor. I, 12. coll. IV, 6. seqq. rejecta esse, & nunc quoque, ob easdem rationes, repudiari, facile conceditur.

c) *Via* hæc *silentii*, ut vocant, ad concordiam Ecclesiasticam instaurandam toties commendata, e diametro *elenchi* justi,

ptum enim eſt, velle alios ferre, & tamen ſummo ſtudio eos publice refutare. O beatum iſtud primævæ Eccleſiæ ſeculum, ubi pia ſimplicitas, & tamen fructuoſa (multitudinis enim credentium erat cor unum & anima una) eruditio vigebat! Hæc ideo, mi frater, apud te tam prolixe, ut me bene intelligas, nec putes me abſque rationibus diligenter perpenſis hic agere. Summa hæc eſt. Si Deus ad munus eccleſiaſticum me deſtinaverit, rogabo eum, ut ipſe me ſufficienter idoneum reddat, & exſpectabo, donec ipſe in meſſem ſuam me extrudat. Ego nec ipſe me intrudam, nec ab aliis intrudi patiar. Fruſtra homo hominem in meſſem Domini ſine hujus juſſu provocat: neque Chriſtus hoc uſpiam juſſit, ſed potius præcepit, ut rogemus Dominum meſſis, ut ipſe operarios extrudat. Huic igitur Domini Jeſu præcepto omnes obtemperemus & noctes dieſque Dominum invocemus, ut aliquos Spiritus ſui robore inſtruat, qui orbem Chriſtianum, tam miſere hactenus Antichriſti fraudibus (licet alibi plus, alibi minus) deluſum reforment. Hoc ſi fecerimus, res erit ſalva: etſi non a Deo exauditi fuerimus (quis enim ſcit, num Deus, & quando iterum mundi tam inſigniter flagitioſi miſereri, & ad frugem eum reducere velit) tamen 18 præcepto Chriſti ſatisfactum erit. Conſidera, ſuaviſſime Ruare, quod arduum ſit negotium, quia ſacrum: ſi igitur aliorum de me judicio magis, quam interno propriæ conſcientiæ dictamini credens, temere vel imprudenter hic quicquam egero, metuendum mihi, ne loco divinæ benedictionis iram Dei in me provocem: & tunc de meo agetur corio, nemo pro me luet: ſed Deus meliora. Hic ſi erro, ſancte affirmo, me ex ſimplicitate tantum errare: omnino enim ita, ut ſcribo, in animo ſum perſuaſus: nihil fingo, nihil prætendo, nec (ut tu exiſtimare videris) nimia mei abjectione ſuperbire volo. Si igitur rectius quid hac in parte me docueris (modo fraterne & placide, id quod te facturum ſpero) facies rem Deo gratam, homine Chriſtiano dignam, mihi utilem. Sin ſententiam meam, & propoſitum meum errore vacare agnoveris, rogo te per amorem noſtrum, noli me turbare, ſed potius literis tuis me confirma, & precibus perpetuo juva. Vtinam in profundiſſimum nihilum noſtrum (cum Taulero loquor) nos immergeremus, nullitatem a) noſtram ex animo agnoſceremus, deploraremus, & Dei gratiam

& ἀποτόμως exercendi, *dogmatici* videlicet, officio, a Spiritu Sancto ſerio, miniſtris Eccleſiæ præſertim, injuncto *repugnat*, & ſi ad Pontificios, tam errores, quam errantes, & præcipue quidem Doctores, exporrigatur, tanto plus noxæ habet, quanto gravius, *Spiritu oris Chriſti* conficiendum eſſe Anti-Chriſtum, 2 Theſſ. II, 8 Apoſtolus præcipit ſimul atque prædicit.

a) Cujus in libro præſtantiſſimo *vom ar-*

tiam imploraremus, utique noſtri miſereretur Pater ille miſericordiæ, ſicut Tauleri (qui integrum biennium a) pro divina iſta gratia impetranda impendit) eſt miſertus, & in tales concionatores (ſi quando concionatores nos eſſe volet) nos transformaret, qui ſaxea hominum corda in carnea, divina ipſius cooperante gratia, convertere, & ita ve- 19 ram Dei gloriam promovere poſſemus. Hanc Dei miſericordiam & tibi, & mihi, & omnibus, qui illam deſiderant, ex animo precor. Eundem quoque oro, ut illorum quoque miſereatur, qui arbitrantur, ſe eſſe divites & ditatos, & nullius egere, & neſciunt, quod ſint miſeri & miſerabiles, & cæci, & nudi: oro, inquam, Deum, ut ipſis oculos aperiat, ut agnoſcant ſuam miſeriam, & a Domino Jeſu aurum igne purgatum, veras divitias, alba veſtimenta, ſalutare collyrium, precibus ardentibus emant, ad paupertatem, nuditatem, cæcitatem ſuam ſarciendam. b) De ſtudio Hermetico ita habe, me vehementer gaudere de illa occaſione, quam benigniſſimus Deus, cui notum fuit, me ex animo ſemper deſideraſſe aliquid diſcere, quo vel Eccleſiæ, vel, ſi Deo hoc non videretur (hic enim non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei) proximo cuique privato prodeſſe poſſem, mihi obtulit: imo cuperem tibi, ut dulcedinem hujus ſtudii (non loquor autem de vulgaribus alchymiſtis) c) atque utilitatem, vel leviter deguſtaſſes, & beatum te dicerem, ſi tale otium & talis occaſio in medicina Hermetica proficiendi tibi obtingeret. Vale, mi frater, nimiæ prolixitati da veniam, & ad omnia in his contenta ſufficienter reſponde, & quicquid novi habueris, mecum communica.

IV.

V. G. M. RVARO. 20

DVlcisſime frater, binas brevi interjecto ſpatio ad te dedi: ſpero utrasque tibi eſſe redditas. Nunc per D. Weſtenbergum reſponſum

men Leben Chriſti, qui primum in Francofurtenſi editione tomo IIdo locum tenet, hæc verba pasſim repetuntur, ejusdemque præcipuum etiam argumentum conſtituunt.

a) Confer, quæ ſupra ea de re dicta ſunt.

b) Apoc. III, 17. ſeqq.

c) Sine dubio ad eos hac diſtinctione reſpicit h. l. *Grunewaldus*, qui *Chemiæ* ſtudio, lapidem Philoſophorum quærendo, aurum argentumque dilapidant; de quibus non inutiliter inſtituta: *Vtrum in republica tolerandi ſint?* disquiſitio Viri Celeberr. D. D. *Jo. Franc. Buddei*, extat pulcherrima. *Chemiæ medicæ* autem, quando ſe ſectari, arcana, ait, eaque magnis effert laudibus, aliorum forte diſputationes, quibus ſimplicia permulti medicamenta, hiſce arte ſpagyrica parandis, longe præferre ſolent, vel ignoravit, vel certe earum non meminit, aut, ſi notæ fuerunt, ſine ſuffragio meliorum quorumcunque, univerſalis illius medicamenti amore, ſprevit.

ſum exſpecto, teque rogo ut prolixe ad omnia reſpondeas, quæ in meis continentur. Magiſter meus a) nondum rediit: ſi quid literarum ad eum dederis, facies illi gratisſimum. Si quid de fratribus R.C. b) interea notabile accepiſti, mihi quoque ſignifica, tuumque de illis judicium mihi expone. Ego per Dei gratiam bene valeo, quoad corpus quidem: animus multis gravibusque diſtinetur ſcrupulis. Cum enim mecum habito, video quam nihil mihi ſit Chriſtianæ ſupellectilis. Sed ab hoc morbo liberationem ab animarum medico Chriſto Jeſu quotidie peto, ut & myſteriorum in Sacris literis contentorum revelationem: quippe perſuaſus, in nullius hominis ſcriptis acquieſcendum eſſe quin meliora & veriora ab ipſa veritate ſint impetranda. Plane ejus ſum ſententiæ, in ſolis tantum verbis S. Scripturæ acquieſcendum eſſe, & nullas in eam hominum explicationes conſulendas, ſed tantum a Deo & ejus filio Jeſu Chriſto Domino noſtro ſapientiam & intelligentiam eſſe petendam; quia ipſe dicit Luc. X, 22. *Nemo cognoſcit, quis ſit* 21 *Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Si ergo æterna ſalus in Patris, &, quem miſit, Chriſti Jeſu cognitione conſiſtit, hæc vero cognitio ex Filii revelatione pendet, quis non videt tutiſſimum eſſe, ab ipſo Filio cognitionem iſtam precibus c) impetrare? Revocare tibi poteris in memoriam, te ipſum aliquando coram me dixiſſe, doctrinam

a) Magiſter ille quis fuerit, non liquet: ſi quid per conjecturam aſſequi licet, *Nollium* intelligi ſuſpicor, Profeſſorem illum Bentheimenſem, de quo ad epiſt. V. quædam annotabimus. Vnde & epiſtolam hanc ad Ruarum Steinfurto Amſtelodamum perſcriptam eſſe, ſunt, quæ videantur ſuadere.

b) Quod genus hominum illud fuerit, notum eſt. Hac tempeſtate eos, ſocietate quaſi quadam conjunctos, innoteſcere, aut certe inclareſcere, magis magisque cœpiſſe, rationes temporum condocent. Ea profecto, quæ, (neſcio, an ab ipſis illis ſodalibus, ſi qui fuere, nec ne) promulgata fuit epiſtola ſeu *Admonitio*, & quam lucifugæ iſti thraſones his verbis obſignaverant: *Datum die XVI. Martii ex inviſibili noſtro domicilio in agro Damaſceno An. MDCXIX.*, proxime ſequenti anno comparuit; *fama* autem illorum famoſisſima cum *Confesſione Fraternit.* jam anno MDCXIV atque hinc porro MDCXV. MDCXVI. &c. ſemel iterumque *Caſſellis*, *Francofurti*, *Marpurgi*, *Dantiſci* &c. lucem viderat. Vtut ipſum Fr. *Chriſtianum Roſencreutzium* ducem nobilem inter Germanos, ut jactant, & grandævum monachum, anno MCCCLXXXVIII. natum, & pæne Neſtorem denatum eſſe, ſtrenue mentiantur. Noſter cur eorum meminerit, non alia cauſſa fuit, quam ſtudium Chemiæ, cui ſe deditum eſſe paullo ante ſcripſerat; quibus laboribus & hos fratres inſudaſſe ad jactantiam usque, quis neſcit? Reliqua ad reſponſionem *Ruari* rejiciemus.

c) Precibus ſane, ſed doctrina, lectione, meditatione, ſcriptis (coll. 1 Tim. IV, 13. ſeqq.) ut inſtrumentis, non neglectis, neque ipſis Doctoribus puris probisque ſpretis. 2 Cor. III, 2. ſeq.

nam de morte Christi, a) quam Socinus in scriptis suis tradit, videri tibi nemus Pelium. Ipse ita sentio, & tibi libere fateor, quod mysterium de persona & officio Christi nondum intelligam; ideo Sacras literas solas legam, & Deum ac Dominum Jesum rogabo, ut cœlestem & salutarem veritatem (quæ non tam facile obvia est, ut multi putant) per Spiritum Sanctum me edoceat. Illa enim, quæ hactenus sensi, mihi per omnia non satisfaciunt. Et per Dei gratiam video, hunc solum verum esse modum ad salutarem rerum divinarum cognitionem perveniendi, ut ab ipso Deo (lectione tamen Sacrarum literarum non exclusa) eam impetremus. O si Spiritum Sanctum haberemus, non opus haberemus ullo homine doctore in rebus divinis. Hunc Spiritum Deus mihi & omnibus, qui eum rogant, largiatur. Amen. Vale. xvj. Octob. cIↄIↄCXVIII.

V.
M. RVARVS V. G.

QVod literis tuis tardius respondeo, non alia de causa fit, amicissime G. quam quod morosis occupationibus, quibus distineor, tantum hactenus temporis subducere nequiverim, quod iis digne excutiendis, censendis, remunerandisque sufficeret: multa enim in iis narras, mones, doces, disputas, redarguis, ita denique sacra tua commoves, ut totum videaris hominem requirere, quique ociose singula ponderet, non obiter percurrat, aut perfunctorie delibet. Quanquam autem ne nunc quidem satis mihi vacet, prout vellem, obstrepentibus ingratis semper negotiis, ad quæ natus mihi videor: ne tamen diuturniori silentio ansam sequius tibi de me suspicandi præbeam, tentabo nonnihil præcipuis literarum tuarum capitibus reponere: nam ut singula 22

 gula

a) Ita certe est: Si quid enim in doctrina *Socini* universa intricatum est, ea profecto, quæ de morte & passione Christi agit (cum cætera in Systemate illo errorum melius cohæreant, ex negata videlicet divinitate Christi summa & æterna deducta) pars sane totius Theologiæ potissima, pessime comparata recte censetur. Non solum, quod substitutionem Christi pro nobis vicariam inficiatur, & τὴν προσφορὰν seu sacrificium illud in cœlum demum rejicit, atque ipsum hinc sacerdotium metaphoricum fingit, totiusque *Epistolæ* adeo *ad Hebræos* præcipuum robur infringit; sed etiam ideo, quia expurgationem per sanguinem Christi, toties a Spiritu Sancto assertam, vel in *præparationem* meram, ad regnum novum adeundum, ibidemque munditiem illam efficiendo, in nobis procurandam, vel nudam *demonstrationem* violenter rapit. Quæ sane coacta esse, & ex hypothesi jam posita, ingenii ad incitas redacti abusione fabricata atque excogitata, nemo non intelligit. Quæ caussa & haud dubie fuit, cur & ipse *Ruarus* tandem *Socinum* deseruerit, & *Remonstrantium* opinionem Socinianæ antepofuerit.

gula curiose resumam, operæ non videtur, neque tu ipse, sat scio, requires. Priusquam autem ad illa progrediar, de duobus te monitum ac rogatum velim; quorum prius est, ne sermonis elegantiam, quam ita fidenter mihi injungis, ab his literis exspectes; eam enim licet exactam nunquam possim, si tamen pro meo modulo qualemcunque præstare vellem, cogerer haud paulo diutius scriptionem hanc suspendere, quam utrique nostrum gratum esset: alterum est, ut libere me nonnunquam a te dissentientem æquo animo feras, neque tanquam desperatum relinquas, etiamsi prima vice rationes tuas non capiam, si modo ipsemet aliquid iis imposterum tributurus es, multo minus amicum abdices, etiamsi nunquam; assentiri enim volo, quousque tu veritati, 23 lubens, assentari vero neque debeo, neque tu pro æquitate tua unquam postulabis. Nunc ad rem: in qua, ut minus aberrem, persequar, quantum potero, literarum tuarum ordinem. Primum autem transmitto illud de errore a) circa hospitium meum designandum; undecunque enim natus hic sit, sufficit eum velut in herba jam extinctum. De Joanne Geldro b) monitum id te velim, si quas ad ipsum literas mihi inscriptas destinaveris, ut addas inscriptioni, Amstelodamum ad Episcopium c) illas mittendas: nisi enim id fiat, vix unquam me invenerint. Adventum tuum serio mihi promissum, jure quodam meo flagitare possem: (scis enim illud vetus, quod promissum cadat in debitum) nunc tamen, ut anni tempus video, sperare desino, at nondum optare: nec enim insignem modo voluptatem, sed etiam fructum in isto mihi propositum video, tum ad vitam, tum ad studia mea: quæ quod adeo tibi cordi habeas, est quod eo nomine gratias agam maximas. Hoc autem scias, vix substiturum me d) in Batavia ultra hanc hyemem, & cum vere in Britanniam, atque inde in Galliam σὺν θεῷ * moturum: ante quod tempus si possim adhuc te præsentem complecti,

* Cum DEO.

a) Error hic in epistola non comparet præcedenti; unde in litterarum, quo deferendæ essent, inscriptione commissum reor.

b) Quis ille fuerit, ignoramus.

c) *Rembertum Episcopium*, fratrem *Simonis*, quippe qui posterior Professor tunc erat *Lugdunensis*, ibidemque & hoc tempore habitabat, fratrem *Ruarus* indigitat, ubi hospitatus sit. Cujus quæ fuerit in religione sententia, eaque propter fata multiplicia, inprimis vero quam truculenter paullo ante ædes ejusdem a plebe direptæ sint, in *Simonis Episcopii* vita, a *Limborchio* adornata, copiose legitur narratum; ubi quoque, anno MDCXXV. demum ex hac vita eum Amstelodami excessisse, annotatum est.

d) Cum *comitibus*, quorum dux & ephorus *Ruarus* erat, adolescentibus *Polonis*. Conf. *Histor. Crypto-Socin.* Cap. II. lit. R.

cti, feram deinde patientius tot interruptam terris consuetudinem nostram, o quando tandem ad votorum meorum satietatem repetendam! Navim vestram tam imperito rectori credendam valde doleo: imperitum voco, non quod eruditionem illius sugillem, quæ quanta sit, nescio, sed quod annos non plures habeat; qui si unquam, in eo certe re- 24 quiruntur, qui clavum in tam undoso mari cursumque recte tenere velit. Vtinam vivat Palinurus a) ille noster; cujus obitum tanto magis deploro, quod ejusmodi turbas post ipsum consecutas narras. Cum istinc discesseris, velim scire, quo tendas, ubive castra tua fixurus sis, annon in Liberia? b) Ita quidem ego suaserim, licet tu videaris aliud, nescio quid, animo volvere: quem quid tam diu ab illis nostris suavissimis amicis abstrahat, quam in tuis ad G. Lucam præ te fers, exputare nondum queo. Si te veterum studiorum transfugium ita delectat, ut abdicata Theologi professione in Medicina posthac habitare velis, scis tu neque istic deesse, qui vota conatusque tuos insigniter provehere possint: quibus quos eruditione, & istarum rerum, quas tu nunc sectaris, notitia præponas, paucos fortassis habebis, quos amore erga te, fidelium doctorum affectu, cum a Nollio, c) rarissimo candoris & inge-

 nuita-

a) Ad quem hæc respiciant *gubernatorem navis*, procul dubio Ecclesiasticæ, obscurum est. E nostris, præter *Sigwartum* atque *Jacob. Hailbrunnerum*, vix alius, quam *Conradus Schüsselburgius*, qui Stetini vivere desiisse hoc anno MDCXVIII. inter Theologos legitur, mihi succurrit. Quorum neutrum tanto elogio, ex libro III. *Martialis* Epigrammat. desumto, mactasse videtur *Ruarus*. Hæc ergo, nisi aliquis sacrorum Antistes scriptis haud cognitus, vel sectæ alius hoc loco intelligendus sit, in medio relinquemus. Ad politicum enim virum principem hæc spectare, quo minus cogitemus, eruditio, inter dotes successoris requisitas commemorata, fere prohibet. Quid si per rectorem navis, cum classis *Æneæ* gubernatore h. l. comparatum, recens constitutus *Gymnasii Bentheimensis*, unde epistolam *Grunewaldi* scriptam esse, supra conjecimus, & paullo post ex *Nollii* laudibus atque amicitia cum *Grunewaldo* confirmabimus, Rector intelligatur? Magnam certe istic cum multis, postquam *Vorstius Socino* favere cœperat, intercessisse id genus hominibus amicitiam, abunde constat. Hæc interim notanda videbantur, ne quis *Palinuri* nomen, ut proprium homini cuidam istius ævi, h. l. usurpatum, existimaret.

b) Sic *Galliam* esse *Socinianis* dictam, ex Indice Cap. II. *Histor. Crypto-Socin.* illustrato constat.

c) Non alius hic procul dubio fuit *Nollius*, quam *Henricus Nollius*, *Professor Gymnasii Bentheimensis*, hoc est, *Steinfurtensis*, a Comitibus Bentheimensibus liberaliter conditi, & huc usque valde frequentati. Hoc enim officio se fungi ipsemet in *Theoriæ* suæ *Philosophiæ Hermeticæ*, Hanov. 1617. editæ, titulo professus est. Ex quo simul, a quo *Grunewaldus* amore Chemiæ imbutus sit, & ubi locorum, quod paullo ante conjecimus, sub id tempus vixerit, patet. De reliquo, utrum, quod *Arnoldus* in *Histor. Hær. & Eccles.* perhibet, postea *Darmstad. Eccl. Minister.* factus sit, necne? quæve alia ejus scripta extent,

nuitatis exemplo, discesseris, fere neminem. Quanquam, ut verum fatear, in eo tibi nondum accedam, quod animum a Theologiæ professione ita fere penitus abducas: scilicet quia nemo concionem ad populum habere debeat, nisi qui in Spiritus Sancti schola eruditus, singulari illius instinctu ad concionandum agatur: quo quid velles, vix satis intellexissem, nisi Tauleri exemplum toties in hanc rem allegasses.

25 Nec enim pium ullum concionatorem, licet Academias & Collegia virorum doctorum diu frequentaverit, multos libros imprimisque sacros diurna nocturnaque manu versaverit, ingenium meditationibus crebris exercuerit & subegerit, aliunde quam ex Spiritus Sancti schola divinarum se rerum hausisse notitiam professurum credo; utpote cujus opem, ut ista sibi omnia feliciter cederent, cœlo semper advocaverit, atque etiamnum imploret: ejusdem idem instinctum sine dubio interpretabitur, quo se ad alios de religione instituendos, divinumque cultum promovendum propugnandumque, excitari atque inflammari sentit. Sed tu ista omnia longe aliter accipis, Taulerique exemplo raptus animi subitos, extraordinarios, ac propemodum violentos exspectandos censes, quibus in suggestum protrudamur: de quibus priusquam penitus aperiam, quid sentiam, ipsum illud Tauleri exemplum nonnihil excutiam, ut cum, quantum illi tribuendum sit, patuerit, reliqua tanto certius deducam. Non afferam autem hic in medium, quod alii non pauci, quanquam animo meo temere, & fronte nimis dura, totum hoc, quod de Taulero jactatur, ambitiose excogitatum, & otiosorum monachorum de gregali suo purum putum commentum a) esse: aliter profecto me, cum ista legerem, affectum sensi; nec ea mihi ridiculo fuisse aut leviter habita, testes esse mihi poterunt lacrumæ calide profusæ; quas tu hic ipsemet allegas. An tamen omnia,

26 quæ ibidem narrantur, prout verba sonant, & secundum literam, ut vocant, vera tunc existimaverim, non recordor, neque nunc, an sint, ambigere religioni mihi duco: tuamque ipsius fidem appello, mi frater, itane crude hæc accipias, ut nihil allegoriarum subesse, vel subesse saltem

quibus denique *Theoria* illa partibus constet, l. c. L. XVII. Part. II. c. 18. §. 26. videre licet. Quibus nihil addimus, quam inter eos hunc quoque *Nollium* fuisse, qui, cæterorum *Rosæcrucianorum* more, fumos vendiderit, utpote qui medicinam balsamicam, qua quis vitam in mille annos protrahere possit, jactarit conficiendam, & Patriarchas ante diluvium hoc beneficio philosophico donatos fuisse affirmare ausus sit.

a) Modeste ad negationem progreditur auctor. Quod enim, se *non allaturum*, inquit, in sequentibus studiose urget, & comprobare sedulo laborat.

ſaltem poſſe, ſuſpiceris, nullam hyperbolen, nullam proſopopœiam, nullam denique figuram hic agnoſcas, qua res veræ per fictionem quandam graphice repræſentari, & velut ob oculos ſine mendacii crimine depingi ſolent. a) Niſi ita cenſeas, plus certe Taulero, quam divinis Apoſtolis, & primis Eccleſiæ ſanctæ doctoribus, atque conditoribus, quos Spiritu Dei palam actos certo nobis liquet, imo quam ipſi Domino & Servatori noſtro Jeſu Chriſto, ex cujus plenitudine omnes accepimus, quicquid hic habemus, tribues. Nolo jam ipſam Tauleri ecſtaſin ſub examen ſolicite vocare: de qua cur ei quiſquam poſt tot jejunia, preces, cæteraque pietatis ardentis exercitia, difficilis ſit, non invenio. At ubi unquam fando auditum eſt, tantum hominum una concione veram in ecſtaſin raptos, & pro mortuis ſine ullo ſenſu hinc inde jacuiſſe? De Domino Jeſu legimus, quod docuerit ὡς ἐξȣσίαν ἔχων, * non autem, ut ſcribæ: quo factum, ut in admirationem & ſtuporem omnes adduxerit, adeo quidem, ut etiam, qui ab hoſtibus ad illum capiendum emisſi fuerant, conſternato animo reverſi, fasſique ſint, nunquam mortalium quenquam ita docuiſſe. Apoſtolorum ſermoni ſimilem quandam efficaciam atque vim adfuiſſe, dubium non 27 eſt, cum una concione tria aliquando hominum millia ad fidem in Dominum converterint. At ecſtaticos nunquam ibi legimus, & veriſimile tamen eſt, Evangeliſtas rem tam inſignem, ſi familiare concionum effectum fuiſſet, non taciturος, ſed vel verbo ſemel tantum indicaturos fuiſſe. Vnde jam & illud mirari ſubit, qui factum, ut, ſi in Tauleri concionibus tot auditores divino mentis deliquio correpti fuiſſent, nullis id hiſtoricorum b) monumentis ad nos transmiſſum ſit, cum

 neque

* Tanquam poteſtatem habens.

a) Ita quidem fit nonnunquam, ſed *Poëtis*, ſive ligata utantur oratione, ſive prorſa; cujusmodi vel in *fabulis Romanenſibus* obvia ſunt exempla longe plurima: At de ſcriptore fatorum *Tauleri* talia cogitare, vix per ſtyli ſimplicitatem, qua conſcripta eſt, minime fucata illa vitæ delineatio, fieri poteſt, ut credamus. A quo tam rudi penicillo, candorem animi prorſus eximium ſpirante, fictorum illorum longe abeſſe inſtituta, & impoſtoris characterem hujusmodi ſcribendi modum non referre, nemo ignorat.

b) Non mirum eſt, tale quiddam, quod contigiſſe l. c. narratur, litterarum monumentis non legi conſignatum: quoniam ipſius *Tauleri* pauci, & vix aliter, quam ὡς ἐν παρόδῳ, meminere, & ipſum quoque *Taulerum*, virum modeſtiſſimum, ea propalaſſe, cum jactantia, ut alii ſolent, neutiquam credibile eſt. Hinc illud ſilentium. De monachis cæteris tanto minus erat, cur hujusmodi oſtentationem expectares, utpote quos odiſſe potius ſodalem rigidum & ſeverum Catonem, quam ornando eidem operam dediſſe, jam ſatis exploratum eſt. Neſcio, utrum *Matthiæ Lauterwaldi: Judicium, quid de illuminati Tauleri Revela-*

neque clam esse potuerit factum tam insigne, sæpiusque, ut credere par est, repetitum, neque credibile sit, illo sæculo, quo multa quoque levia, aut arte subdole composita, in miraculum ab hominibus credulis rapiebantur, rem tam insolentem alias & mirificam negligenter habitam, aut contemptam fuisse, præsertim cum hæc non parum facerent ad religionem monasterio isti conciliandam, cui tum temporis monachi nimium quantum invigilabant. Quæres, quo pertineant hæc, quæ de Taulero hucusque disputavi? non eo, mi frater, quod illius laudibus, aut virtutibus quicquam derogatum velim, quas in ipso juxta tecum præclaras agnosco, sed ut te, qui illius exemplo totus nunc stupes, admoneam, ne nimis supine & inconsiderate, quæ de illo legis, accipias omnia, aliosque propterea, quorum in concionibus ecstaticos 28 nullos vides, censoria virga proscribas, & velut sexagenarios olim senes de ponte, sic hos de suggestu a) dejicias. Ego enim non invitus concesserim, Taulerum, cum illius laici admonitu (de quo tamen quid sentiam, nondum penitus constitutum habeo) intra se ipsum reductus omnibus mundi curis valedixisset, inque castigandis cupiditatibus suis, & ad normam legum Christi exigendis diu occupatus fuisset, tandem etiam ultimam & fere indivisam sublimioris indolis comitem superbiam abdicasse, multo quam antea ferventiores ac plane vivas ad populum conciones habuisse, quibus velut fulmine quodam afflaret auditorum animos, & inflammaret, ut animo externato pene pro mortuis decumberent, ac tandem Spiritu recreati divino instar novarum creaturarum resurgerent: idque ὑπερβολικῶς * revera designatum suspicor, cum in ecstasin delapsi ab eo, qui vitam Tauleri descripsit, narrantur. Ergo nihilominus habeo, dices, quod volo, eos demum ad conciones, cum fructu habendas, idoneos, qui ad modum Tauleri divinitus de mysteriis cœlestibus eruditi fuerint: hicque jam incipies calide declamare in jejunas aliorum conciones, easque merito Gallica nive

* Per Hyperbolen.

tionibus, Ecstasibus & illuminatione sentiendum &c. An. 1553. Wittebergæ editum, cognitum fuerit *Ruaro.* Vnde plura forte de hisce discere licuisset, neque ipsi *Arnoldo*, suspicacissimo alias, improbata. Vtcunque sit; nobis hæc ita, uti venditantur, evenisse verisimilius est, & a seculi istius quoque moribus, atque mysticæ Theologiæ cultoribus alienas haud fuisse, vel vehementes imaginationis commotiones, quæ ecstasin imitarentur, norunt, quibus *historiam mysticorum* penitius introspicere licet.

a) Hunc enim, nisi eodem quoque modo, hoc est, divinitus agitatus, incalesceret, supra dixerat *Grunewaldus*, se conscendere nolle: Sic certe animum se induxisse suum verbis præ se ferebat.

nive aut Neronianis thermis frigidiores dixeris. Neque tales ego defendo, utpote quos scio sæpe nullo gloriæ Dei aut humanæ salutis studio in suggestum prodire, sed Theologiam ut artificium a) aliquod habere quæstus aut honoris caussa, quos vere dixit Apostolus *καπηλεύειν τὸν λόγον.* * Illud nequaquam concoquere possum, ut omnes, 29 qui nulla quidem extraordinaria cœlestis numinis inspiratione, sed optimo tamen animo, synceraque fide res divinas tractant, populoque poscenti communicant, atro mihi carbone notes, concionesque eorum, tanquam vanas & inutiles pipulo differas. Quicquid enim tu contradicas, experientia mihi testis est, reperiri nonnunquam tales, ex quorum concionibus vix quisquam nisi religiosior abeat, idque in me ipso Dei gratia non raro sum expertus: si iidem tamen id non semper, nec apud omnes assequuntur, quid mirum? nunquid ipsius Jesu Christi & Apostolorum conciones eo semper fructu exceptæ fuerunt, quo debebant? quæ concionatorum culpa, si vel nullatenus, vel sinistre capiunt perversi mortales, quod dextre ab illis effertur? Si modo dextre: quod ego non in eo præcipue pono, si doctrina varia refertas, si commode dispositas, si verborum sententiarumque luminibus ardentes b) ad populum orationes habeant, quod industria & exercitatione comparari potest: sed si affectu serio sanctaque conscientia verba sua prosequantur, ut appareat non in ore nata, sed e pio pectore c) hausta esse, (si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi, inquit Poëta) si deinde precibus humilibus invocaverint messis Dominum, ut, cum

* Cauponari verbum.

a) Recte hæc monet *Ruarus*, & inter alia offendicula jam tunc *artificiorum* hujusmodi *in concionibus formandis habendisque* confectationes, immensum in modum deinceps auctas, numerari consuevisse, quibus Ecclesia purior exosa, verbumque DEI ipsum vile quodammodo, sive profanis hominibus, sive rerum novarum cupidis, redderetur, hinc patet. Vtinam recentiores, vel tandem, *Paullum* potius, talia aversantem, & in *Epist. ad Corinth. prima* pæne detestantem, sequerentur, quam homileticos illos, qui hodieque *artem concionandi* profitentur, λογοδαιδάλους!

b) Apostolo scilicet suffragante 1 Cor. IV, 20. coll. Gal. I, 10. cum tamen, non quid bene *sonet*, sed quid *sanet*, spectandum sit. Sacram alias non male *Torneuticam*, non *Oratoriam*, quisquis dixit, recte eam artis affectationem dixit.

c) Optima hæc omnium concionandi methodus est, quæ a *Davide* etiam, immo ipso Spiritu Sancto, proposita, & a *Paullo* consulto repetita, brevique compendio: πιστεύω, διὸ ἐλάλησα, comprehensa, 2 Cor. IV, 13. legitur. Cætera enim, quæ ad *ordinem* attinent, ibidem, & sigillatim 1 Cor. XIV, ult. commendata, atque 2 Tim. II, 15. distinctius explanata, justa ad verba & res attentio, auditoriique status accurata cognitio, qualia esse debeant, vel mediocri ingenio præditum quemque non difficulter edocebunt.

cum ipsi divinum illius semen in animis hominum jecerint, cum ja-
ctum rigaverint, ille, qui solus hoc potest, incrementum felix præstare
30 dignetur. Non hic exspectandum putaverim, donec velut stimulis
admotis a Domino ad colendum illius agrum protrudamur: sufficit, si
ipse nos ἐκβάλλῃ sive emittat: (sic enim in illo loco, ad quem hic allu-
dis, verbum istud cum plerisque interpretibus vertere malo, quam
tecum *extrudat.*) Immo vero, quidni occupemus ipsi ultro, a) ubi
sine turbis possumus, & divinæ gloriæ ratio id requirit, tam sanctum
officium, nihil attendentes, utrum hoc nominatim injungat nobis Do-
minus, nec ne? An metuendum forsan, ne alacritati nostræ succen-
seat, qui voluntarium sacrificium maximi semper æstimavit? an non
sufficit Christianos esse nos, quibus charitas a Magistro unice semper
commendata fuit? cujus nescio, an sit ullum magis eximium officium,
quam si alii alios pie moneamus, adhortemur, erudiamus, castigemus,
solemur, corrigamus, & si quid aliud est, quod ad utilitatem & salutem
proximi nostri conducere putamus. Nec refert, pluribus hoc, prout
concionatores, an unus uni præstemus: imo tanto illustrior sit nostra
charitas, quanto plures fructum illius sentiunt. Hoc tantum cavea-
mus sedulo, ne confusionem Reipublicæ & ἀταξίαν * inducamus, cu-
jus, ut inquit Apostolus, Deus non est auctor. Itaque nec suggesta
templorum conscendamus invitis iis, quibus in ista jus, nec cœtus in
publico per tumultum cogamus, immo nec istam in concionibus pas-
31 sim habendis libertatem facile usurpemus, quam Christus & ipsius
Apostoli; quibus, utpote illi a Deo, his ab isto nominatim singulari
ratione missis, sine dubio plus licuit, quam nobis. At si magistratus,
aut populus, publicam in Ecclesia operam nostram legitime requirat,
quidni pareamus invitati, & velut Dei nos vocantis vocem hanc inter-
pretemur? hoc modo demus operam, ut virtutes illas studiose secte-
mur, quas in Episcopo Paulus Apostolus requirit: tum enim tantum
abest,

* Confusionem seu ordinis desertionem.

a) *Socini* hæc scholam olent, nisi forte, quod tamen nec loco convenit, nec scopo præsenti, ad privata colloquia respiciant. Hunc enim, cum asseclis, ad *decora* tantum retulisse modum illum vocandi, æque ac ordinandi ministros Ecclesiæ, constituta Republica Christiana, opinatum esse, at *necessarium* sibi haud videri, sæpenumero scripsisse constat; invito licet Spiritu Sancto, qui Jac. III, 1. seq. Rom. X, 15. & Hebr. V, 4. coll. Tit. I, 5. &c. sacerdotio spirituali justos limites posuit, *publicumque munus* à *privatis charitatis*, si res ita feret, *exercitiis* probe distinxit, rerumque in Ecclesia, quæ cœtus est εὔτακτος, perturbationi obviam, hac quoque ex parte, ivit. Quod, conscientiæ religione convictus, & ipse paullo post agnovit *Ruarus*, & non *facile* libertatem illam usurpare suasit.

abeſt, ut reprehendi debeamus, quod oblatam de multis bene merendi occaſionem hanc admittamus, ut etiam tanquam præclarum opus, appetere poſſimus. Relege, mi frater, quæ noſtri homines a) de miſſione miniſtrorum copioſe hactenus diſputarunt, & ſine præjudicio perpende: Senties, ut ſpero, argumenta gravia, non minus contra tuam hanc ſententiam, quam contra Pontificiorum, quibus potiſſimum oppoſita ſunt, directa; tuam dico ſententiam, de extraordinaria divini Spiritus agitatione: quam ego, ne erres, minime quidem vili pendendam, imo vero optandam & jejuniis ac precibus apud Deum quærendam, nec tamen unicuique eccleſiæ miniſtro præciſe neceſſariam duco. Lege etiam, quæ de eccleſiæ conſtitutione contra eos, qui Eliam hic aliquando exſpectandum cenſebant, Socinus in epiſtola quadam diſſerit, nec parum te, adminiculante Dei Spiritu, in hoc negotio juvabunt: quæ, ut huc tranſcriberem, ſupervacaneum mihi viſum eſt. At regeres, orare tamen juſſit diſcipulos Chriſtus Dominum meſſis, ut ipſe operarios in meſſem ſive extrudat, ſive emittat, non autem quosvis in illam ultro procurrere. Non juſſit hic, fateor: ſed an vetat tamen, quod Apoſtoli toties alibi jubent, aliis alios omni ſtudio atque officio ad communem οἰκοδομὴν * occurrere? Certum autem eſt, ſæpe nos orare Deum, & recte quidem, ac ſecundum ipſius voluntatem, ut ille vel in nobis, vel in aliis, ſingulari ratione quædam efficiat, quæ noſtrum & illorum fuerat ultro facere: non excluditur ergo vel damnatur humanum ſtudium & opera, cum Deum, ut illam excitet, rogamus. Quanquam & hoc in conſiderationem merito venit, qualis tunc temporis fuerit Evangelii annunciandi ratio; quæ ſi diverſa fuerit a noſtra, quid mirum, præcones illius diverſimode inſtructos eſſe? Enimvero cum adhuc in cunabulis eſſet Evangelium, nec mundo hactenus inauditum, erat utique neceſſarium, ut nominatim quidam deligerentur, qui reliquis illud annunciarent, imo vero ut extruderentur ad meſſem tum laborioſam & periculoſam, tum ita amplam, ut pau-

D ci,

* Ædificationem.

a) Quinam illi? Non alii, puto, quam in ſchola *Socini* enutriti; quos de miſſione miniſtrorum Eccleſiæ copioſe utique diſputaſſe, ſed, ut ſingulari aliqua ratione mittantur, delecti ſolenniter, opus non habere, immo *nullo modo* habere, *niſi novam doctrinam, atque inauditam antea*, afferant, in ipſa *Catecheſi* ſua de Eccl. c. 2. f. 305. aſſerere novimus: Nos autem contra nec *Paullum* Rom X, 15. ad hæc ſolum docenda neceſſariam illam vocationem adſtrinxiſſe, neque prima tantum Eccleſiæ plantandæ tempora ſpectaſſe, ſed juſte conſtitutos per Eccleſiam, &, qui vices ejus obeunt, gubernatores diſtricte requiſiviſſe, quoad corpus Chriſti ædificandum in his terris durabit, ex Epiſtol. ad Epheſ. IV, 11. ſeqq. ſcimus.

ci, qui suam ad eam operam molliter appellati sponte obtulissent, nequaquam sufficerent. Quod si, diffuso postea Evangelio per totum terrarum orbem, passim sint, qui illud & amplectantur, & cum aliis libenter communicare cupiant, quid opus tum a) istuc extrudere voluntarios? Sed nec necessarium erit, extraordinaria quenquam ratio-
53 ne hic instrui, sive ea sit inspiratio animi impetuosa, sive miraculorum edendorum potestas, sive cæterorum quid visibilium Dei donorum, quæ nascenti Ecclesiæ indulta fuerunt. Cui enim fini? an ad ipsum in munere suo confirmandum? an ad fidem apud auditores conciliandam? crediderim profecto, cum nullum sit aliud Evangelium, quam quod a Paulo, cæterisque Apostolis, ipsoque Domino nostro Jesu Christo semel prædicatum est, utrosque merito acquiescere iis debere, quæ ad illius fidem inter mortales sanciendam semel patrata sunt. Sed non hoc, inquies, quæritur, ut confirmetur denuo nobis Evangelium: sed ut cum fructu agnoscatur, hoc, quod prædico, verum esse Jesu Christi Evangelium, vehementi quodam spiritu opus est, qui, ubi me intus prius agitaverit, tandem foras prodeat, aliorumque mentes divino quodam furore agitare incipiat: & hic commemorabis mihi jam quoque Belgium meum, in quo cum reformatio sine tali spiritu tentata fuerit, hinc exiguus nimirum fructus, & tantæ turbæ nunc extiterunt, quas omnes pii merito dolent. Vt de Belgio tibi meo b) primum respondeam, quæro an exiguus hic tibi videatur fructus, quod intra paucissimos annos, ad centena hominum millia c) (ut leviter dicam) de præcipuo fere religionis capite, d) quodque male intellectum

a) Etiamnum opus est: *partim*, quia messis adhuc durat, ad quam sane operarii hi requiruntur, quorumve adeo, quia nonnisi cum mundo Matth. XIII, 39. illa finietur, opera constanter etiam opus erit: *partim* propter munus hoc Ecclesiasticum, ne nunc quidem, si recte gerendum sit, admodum lætum & acceptabile, immo tanto minus suave atque dulce, quo pejora ad finem mundi tempora passim, atque solicitudinem proinde etiam de animabus majorem ac difficiliorem fore, vaticinatus est Spiritus Sanctus.

b) Sic videtur *Ruaro*, quod hospitium tam benignum ipsi his annis præbuerat, esse dictum.

c) Quanta fuerat hominum, *Arminianam* sententiam amplexorum, proximo ante *Synodum Dordracenam* anno, copia, hinc intelliges, Lector benevole. Nec est, quod mireris, cum jamdudum etiam alibi horridi illius absoluti decreti tædium plurimos ceperit, & hodieque sint non pauci, qui in Ecclesia Reformata idem abhorreant.

d) *Absolutum* vel τακτικὸν seu *respectivum* decretum de salute aut damnatione hominum indigitare *Ruarum*, liquet. Huic enim cumprimis infensi sunt & *Sociniani*: etsi non tam veritatis studio, ut factam esse electionem aut reprobationem *intuitu fidei; aut ἀπιστίας præcognitæ*, ab æterno (hanc enim DEI præscientiam rerum actionumque contingentium, specialem

ctum tantam habet vim ad impietatem in animis hominum fovendam, rectius instituti sunt? ego profecto pace tua aliter sentio, qui cœlestis gratiæ a) indulgentiam palam hic agnosco, nec unquam satis digne 34 laudes illius dici posse fateor. Me privatim quod attinet, non possum satis amplas immortali Deo gratias agere, quod per tantum temporis spatium, quod hic sum, tam insignes mihi conciones de divinis rebus audire licuerit, in quibus cum multa forent, quæ meum animum partim erudirent, partim in pietatis cursu plurimum juvarent, tum nihil fere falsi, quod alibi se passim offert, conscientia mea, quam tu nosti, reprehendere posset. De turbis nihil mirum, cum ipsemet Jesus Christus aperte prædixerit, non venisse se, mittere pacem, sed gladium, idque non ipsius tantum historia doceat, qui fere semper fuit εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, * ut S. Simeon adhuc puero ominatus fuerat, sed etiam Apostolorum, qui tanquam ἀναστατῶντες τὴν οἰκουμένην ** passim accusabantur; a quibus suam Reformatores nostri fortunam utique segregatam nollent. Hoc tamen intrepide affirmo, decies majores futuras hic turbas, in tanta multorum insolentia & injuriis, quibus boni viri b) præter meritum afficiuntur, nisi modis omnibus nostri illi plebem suam in officio continerent, & ad mansuetudinem, tolerantiam, patientiam, tum verbis, tum exemplo suo deducerent, ut agnoscere debeas, non eruditione tantum nudaque veritatis cognitione, sed & vita plurimos hic profecisse: quod tanto magis diceres, si præsens adesses, & co-

 ram,

* In signum, cui contradicitur.

** Conturbantes orbem terrarum.

præsertim, illi prorsus negant) sed ut *Pelagianismo* suo, quo ducuntur, velificentur. A quo quam longe absint *Remonstrantes*, disquirant, quibus otium est. Nostræ certe Ecclesiæ cum errore illo tetrico nihil est commercii, quæ impediri tantum posse conversionem nostram *malitiosa reluctatione* plus peccando, nequaquam vero de nostro promoveri, sive inchoando, sive perficiendo eam, posse, præeunte Scriptura Sacra docet.

a) Ejus nimirum, quam & *Pelagius* quondam approbavit, in verbi divini prædicatione sola consistentem; ad cujus tamen applicationem salutarem non *supernaturali* gratiæ operatione, sed dilucida tantum explicatione, inculcatione & commendatione, præceptorum item ac promissionum, itemque comminationum, repræsentatione, cum mere morali animorum commotione, opus sit. Ita certe illico ipse mentem suam *Ruarus* planissime aperuit.

b) *Remonstrantes*, quos inter erant, qui cum *Socino* non obscure, sed palam, faciebant: etsi hos ad certamen admissos haud esse, in *Synodo* subeundum, nimis mature insuper, a potentioribus auctoritate adversariis, abruptum, non ignorem. *Adolphum* certe *Venatorem*, de *Divinitate Christi* non magnifice sentientem, cum suis connumerare ipsi *Remonstrantes* dubitarunt, & quæ alii moliti sint, clam cæteris, palamve, non latent.

ram, quæ passim aguntur, & fiunt, attentis oculis intuereris. Redeo jam
35 ad spiritum; quo si quis Evangelium agnosci genuinum optime putet, ille ne speciosa sibi imaginatione a) imponat, & ita Lesbiam habeat regulam, etiam atque etiam videat. Nimis fæcundum est sæculum nostrum exemplis eorum, qui cum spiritus, nescio cujus, ductum secuti essent, in varios nihilominus errores delapsi sunt, & eodem alios præcipitaverunt: quod ex eo satis patuit, quia multis sibi modis ipsi sunt adversati, cum tamen una sit tantum veritas: ne quid dicam nunc de impuris bipedibus, qui cum inter fœdas libidines & quotidiana flagitia volutarentur, spiritum nihilominus & familiare cum Deo commercium magnifice crepabant. Noli, mi frater, existimare, invidiam me tibi cum tua sententia per has pecudes conflare velle, quem scio nihil in religione, quod cupiditates terrenas sapiat, nihil nisi sanctum ac cœleste cogitare: sed hoc tantum monitum te volui, quam nequiter multis sæpe spiritus suus imponat, aliis quidem, qui elephanti corio circumtecti sunt, crasse, aliis emunctioris naris subtiliter, imo etiam sub sanctitatis quadam specie, quod inter monachos non raro visum est: qui postea, nescio, quæ opinationum monstra nobis pepererunt. Quod si tamen Dominus eousque te evehere dignabitur, ut divino Spiritus sui motu te palam in modum Tauleri, aliorumque nonnullorum sanctissimorum hominum, agitare velit, & in cœlesti schola sine magistro
36 de mysteriis suis erudire, quis ego sum, qui summæ illius benignitati limites ponam, aut illius opes & amplitudinem indigner? quin potius ex animo tibi gratulabor, & supra mortalium conditionem felicitatem tuam efferam, & prædicabo: cujus & mihi votum quidem est, veruntamen spem intercipit indignitas mea. Qui enim tantam præ multis sanctis hominibus indulgentiam apud cœleste numen mihi polliceri ausim, quod variis meis delictis & flagitiis (proh dolor!) præ multis aliis sæpius offendi? Interim pergam nihilominus in hoc sanctorum studiorum genere, quod exorsus sum alacri mente, & quoniam ista me sublimiori ratione, quam tu sectaris, profecturum sperare non audeo, insistam modeste vulgarem viam, & post privatam sacrarum literarum lectionem, religiosamque commentationem, audiam & le-

gam

a) *Enthusiasmi matre* a nonnullis eapropter dicta, tantoque fœcundiori, quo vehementior & qualibuscunque ratiunculis firmata atque imprægnata est. Quæ caussa etiam est, cur nisi normam Verbi divini, scriptis comprehensi, aliquo modo sequantur, qui tales patiuntur assultus, modo in ignem, modo in aquam, qualia σεληνιακὸς ille passus legitur συμπτώματα, hoc est, in formas opinionum innumeras, infinitaque ipsosmet id genus homines dissidia rapiat atque conjiciat.

gam ſolicito ſuſpenſoque judicio doctores, quibus ſuſpicari potero Deum aliquid cœleſtis gratiæ impertiviſſe, ipſumque ſimul ardentibus votis ſolicitabo, ut vel hac ratione conatus meos promovere, & in laudem nominis ſui, meamque ſimul & aliorum ſalutem & commodum perficere dignetur, nec ullius hominis auctoritate a) in errorem me perniciofum abripi patiatur. Verum quidem eſt, quod in poſtremis tuis literis, quas dum in his exarandis jam eram, accepi, objicis, quod Filium nemo noverit niſi Pater, neque Patrem quisquam niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Sed hoc tamen non ita putaverim acci- 37 piendum, quaſi neceſſe ſit, omnem hanc notitiam ſuperne nobis a Filio immediate (ut vocant) infundi; cum ea quoque ab ipſo revelata cenſeri posſint, quæ in ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quibus coram aperuit omnia, tradita, vel ipſemet illius ope reperio, vel reperiri alii ſufficientibus mihi argumentis probare poterunt. Quare noli quæſo, mi frater, ſine gravioribus argumentis, quam hactenus attuliſti, a me requirere, ut omnem alienam eruditionem, in inveſtiganda veritate non modo ducem, ſed & comitem averſer, totumque hoc vel docendi vel ſcribendi res divinas ſtudium penitus tecum damnem & explodam. Peccari quidem variis hic modis fateor, dum & abſtruſiſſima quæque tanquam divinorum ſecretorum conſcii ſecure profitemur, incerta temere definimus, ob non neceſſaria b) lites intempeſtive ſerimus, contraque ſentientes nigro theta ſuperbe jugulamus, & ea quoque ipſa, quæ veriſſima ſcituque utiliſſima ſunt, non eo modo proponimus, quo ſervos Chriſti decet: ſed an propterea totum hoc in populo Chriſtiano neceſſarium inſtitutionis genus proſcribemus?

 quo

a) Bene h. l. præjudicium, quod vocant, auctoritatis, & *Magiſterii*, quæ Chriſto ſoli competit dignitas, Matth. XXIII, 8. ſeqq. excluſis aliis omnibus, aſſerta, repudiatur; at *Miniſterium* ſervorum DEI, 1 Cor. IV, 1. confirmatum, tanto ſolidius adſtruitur. Vtinam neque hoc contemnerent *Enthuſiaſtæ*, neque illud nimium exaggerarent, aut certe reapſe etiamnum ſectarentur *Cathedrarii*, hinc inde in Papatu & crasſiori & ſubtiliori Theologi!

b) Neque hæc improbanda eſſent, niſi ea quoque inter non neceſſaria, quæ revera capitalia ſunt, referret, & vix alia, quam quæ ipſo *necesſitatis charactere expreſſo* determinata a Spiritu Sancto ſint, creditu neceſſaria exiſtimaret, ſigillatim h. l. haud percenſenda. Quæ dum monemus, inter *neceſſaria* quoque *gradu* alia ab aliis diſtingui, erroresque *plus minus periculoſos* eſſe, ac fidei *conſtituendæ*, *confirmandæ* & *illuſtrandæ*, ſeu explanandæ denique, ſive utilitatem ſive perniciem majorem minoremque nonnulla afferre, non negamus. Ipſa enim Scriptura quædam πρῶτα nominat, & *veneno* atque *fermento*, noxia quæ ſunt, diſtincte comparat, ita tamen ut, quando illa *ſubito*, hæc *lente* fidem & ſalutem ſubvertere docet, & hæc & iſta fugere, veritatesque oppoſitas hinc tanto diligentius conſectari atque tueri jubeat.

quo pone nos vel annum destitutos, & mirabilem ubique rerum faciem cogita. Nunc autem illud perpendas velim, si quis hodie veniat ad te homo simplex, & obscurioris alicujus loci sententiam a te cum lachrymis petat, qualem non ita pridem vidi fœminam quandam apud 38 amicum meum ecclesiasten de prædestinatione satagentem, quid faceres tu? an redire domum juberes, & cœleste numen de illorum intellectu solicitare? pie tu quidem, & modeste: sed quid si jam fusas ille sibi preces, seque sic quoque exauditum se putare diceret, si quid per te sibi tandem aperiretur; quod quidem si a Deo non esset, iterum rogaturum se, ne pateretur id menti suæ hærere? Obsequereris credo tandem instanti, mentisque tuæ sententiam religiose aperires; addito tamen, non vetare te, quo minus aliter sentiret, si quid illi melius sive per spiritum, sive per alium hominem aperiret Deus, quem ut etiamnum invocaret serio moneres. Recte! quid si per literas idem a te nonnemo peteret, scriberes ad illum utique pari ratione. Sed quid si plures, & vel integer populus eodem te modo vel coram, vel per literas adiret? an vero recusares tunc operam tuam, quæ a pluribus expeteretur, pluribus usui futura esset? non putaverim. Hæc profecto ejusmodi sunt, ut excutere nondum possim opinionem, quam prolixe tuis literis oppugnas, institutumque studiorum meorum mutare, nisi fortiores machinas & arietes mihi admoveas: quos si habes, ut adducas tandem, etiam atque etiam rogo, idque sic, ut sententiam tuam, si fortassis eam nondum exacte perspexisse videor, clarissime proponas, subtexas deinde argumenta ordine, quibus eam firmari posse putas, ut eorum ro- 39 bur & vim vel admittam tanto melius, vel tanto fortius repercutiam. Ipsemet enim facile agnoscis, quam confuse pleraque, adeoque prout in solum forte venerunt, in literas hactenus ad me missas conjeceris: ut mirum non sit, si nonnulla me fugerint, quibus hac vice minime satisfecerim: ego autem sic animatus sum, ut recte vel mecum te, vel ipse tecum sentire cupiam atque desiderem. Ad chymica quod me vocas, gratiam habeo: ego illa jam a multis annis æstimo, consilioque, quod ad illa mihi das, lubenter utar, non alia tamen de caussa, quam ut per hæc naturæ miracula in auctoris omnium Dei venerationem tanto altius ascendam, & quædam etiam circa illius naturam, & nostrum ipsorum statum, animæ præsertim, quantum fieri potest, tanto rectius intelligam. Si dabitur, ut aliquando tecum conjunctus ea, quæ tu magno nunc studio discis, bona fide excipere possim, digito cœlum attingere me putabo: meo enim Marte ut multum hic proficiam, valde vereor;

reor; & occasiones ejusmodi, qualem istic tibi natam gaudes, valde raræ sunt, & magno plerumque redimendæ, cum mihi argentum, ut nosti, non multum affluat. Præfationem illam Crollianam, a) quam tantopere dilaudas, diu est quod legerim, & erant, quantum recordor, in ea, quæ gustui meo mirifice placebant, erant, in quibus hærebat aqua, erant etiam, quæ palam improbabam: relegam tamen monitu tuo accuratius omnia, & sine præjudicio vel ad aurificis stateram expendam. Laudat ibi Crollius tres Theologos, Braunium, *Winzium*, b) 40 & Weigelium: quorum postremi nonnulla habeo, plura vidi, quæ tantis encomiis illi digna fuisse visa, valde miror, cum, quæ sunt hic insignia, communia fere sint illi cum non paucis piis scriptoribus: cæterorum vero non adeo magnum apud me sit precium. Cupiam tamen scire, si quid cæteri præclarius habeant, & occasionem quoque illa nanciscendi, si quam noveris commodam. De fratribus Roseæ crucis c) judicium meum libenter suspendo, donec adultior ætas uberiora

a) *Oswaldi*, procul dubio, *Crollii*, notissimi illius Germanorum Chemicorum Patriarchæ, in *Wetteravia* & nati, & Hebornæ, nisi fallor, hospitati, *Basilicæ Chymicæ*, An. 1609. *Francofurti* atque *Coloniæ* forma 4ta impressæ, intelligit præfationem; sed ubi eum laudaverit *Ruaro*, cum in præcedentibus epistolis non legatur, ad plures h. l. una opera responsum reddi, & nonnullas periisse, hinc colligimus.

b) Non sine caussa aliis litteris hunc exprimi jusserunt filii *Ruari* Theologum, qui, fateor, nec mihi notus est. Jo. *Weitsium* namque indigitari, scriptis Chemico-Theologicis clarum, de quo P. III. *Hist. Hær. & Eccl.* c. VI. §. 26. *Arnoldus*, caussas dubitandi habeo.

c) De sectæ hujus sub id tempus initiis, hoc certe nomine tunc inclarescentis, superius quædam jam sunt observata; quibus in præsenti, quoniam *Ruarus* de origine ejus disseruit, mentemque suam exposuit, nonnulla addere volupe est. Et primum quidem non male a faceto homine eam esse confictam, ut *Ruarus* suspicatus est, etiam ipsi credimus; at quis iste fuerit, nisi *Sperberus* ipse (*Julius* ille, tot scriptis & larvis assumtis clarissimus agyrta) videatur dicendus, non definimus. Quæ tamen quando affirmamus, non de rebus & methodo, seu Chemica studia cum Theologicis miscendi, horum hominum more loquimur: Hæc enim jam superiori seculo XVI. *Ægidio Guthmanno* potissimum duce, & primo omnium *Theophrasto Paracelso* patre, cognita fuit; sed de *nomine* & *fama* publicata, peculiarique societate efficta, agimus. Ac proinde nec *Theologos tres*, quod *Brellerus* asseruit perperam, neque b. *J. Val. Andreæ*, ineptos hos homines, ut notos jam tum, commemorantem & ridentem, neque etiam *Illustrissimum quendam Principem*, quod *Ruarus* putavit, neque denique *J. Jungium* Hamb. Prof. auctores arbitramur fuisse, sed ex ipsis sodalibus nugivendulis nugas has ortas, ad aliorum animos ad hæc studia accendendos magis, censemus. Quæ quando breviter exponimus, ad uberiorem hujus sodalitatis notitiam b. *Christ. Steph. Kazaueri*, nobis quondam amici, & præmatura morte in parochia Noribergensi *Rükersdorffensi* An 1722. pie defuncti, *de Rosæcrucianis* diss. Witteb. An. 1715. publicatam, perdoctam & diligentissime scriptam, L. B. ablegamus. In ea certe, quicquid

riora nobis de illis pandat. Fui diu primum in ista sententia, hominem quendam facetum, ut evocaret curiosa nostri seculi ingenia, fabulam hanc in vulgus sparsisse: neque deerant, qui choragium illius ad illustrissimum quendam in Germania principem a) speciose referebant. Nihil autem ab hac opinione me magis abduxit, quam illa à Multero b) edita historia, a te modo mihi missa: pro qua gratias, quas possum maximas ago, quamvis illam legerim jam pridem, & sciverim etiam, priusquam typis emitteretur, adeoque mirer, vel non narrasse me tibi illa, quæ toties aliis retuli, vel illorum te non recordari. Successerunt alia deinde argumenta, quibus persuadeor, ut credam hoc hominum genus hinc inde sparsum delitescere, & mirabilium rerum notitia atque editione præcellere, an omnium tamen, quæ de illis passim jactantur, De-
41 us novit, & dies veritatis mater aperiet. Mihi quidem illud Epicharmi alte sedet μεμνᾶσ' ἀπιςεῖν. * Neque sum tamen ex illorum hominum genere, qui testem ἐκ τῶν διὸς δέλτων, ** ut est in proverbio, semper requirunt. Librum, quem cognominis tibi Grunevaldus noster misisse scripsit, hactenus nullus vidi. Suspicor autem, eum adhuc in itinere hærere cum aliis quibusdam, quorum nunc quoque exemplaria a me petivisti, quo fine nescio, cum totum hoc scriptorum theologicorum genus ipse damnes. Cunæum de republica Hebræorum c) legi, neque parum inde, quod fateor, profeci: quanquam intercurrunt

* Memento diffidere, id est, nemini facile credas.

** Ex tabulis aut codice Jovis, id est, divina autoritate.

propemodum ad Historiam tenebrionum horum pertinet, cum scriptis etiam enumeratis, plene enarratum est.

a) Fallor, an *Mauritium*, *Landgravium Hassiæ*, in Medicina quoque & Chemicis studiis doctissimum, subinnuit noster. Quam sententiam, cum nemini hucusque, neque *Kazauero* etiam, in hæc sedulo inquirenti, cognita fuerit, visum est, distinctius paullo explanare: Ita tamen, ut injuriam fieri, curioso, fateor, harum aliarumque rerum, Principi putaverim, cumque plura & seria magis, quæ ageret, quam nugas hujusmodi, existimem.

b) Nemo mihi harum rerum scriptor huc usque innotuit, neque ab aliis mentionem ejus factam esse, observavi. Quid si male exscriptum nomen *Dav. Mederi*, Nebræ in Thuringia Pastoris, auctorisque *Judicii Theologici* de Rosæcrucianis, A. 1616. editi, corruptum referre dicas?

c) Libellum istum bonæ frugis, & ex fontibus rectius, quam a *Menochio* & *Sigonio* factum, tunc primum An. 1617. evulgatum, ex merito laudat *Ruarus*. Cæterum nec injuria opinionem illam de *Melchisedeco*, qui fuerit ipse Christus, quam operose ille L. III. c. III. adstruxit, &, nisi fallor, in *Vate* suo etiam defendere conatus est *Molinæus*, ridet. Quis enim non animadvertat, ab *Epistolæ ad Hebræos* scriptore divino eum assimilatum esse Christo, certe *non sibi ipsi* dici, & typum sacerdotis summi appellari? De disputatione quod superest ipsa, & quisnam *Rex* ille *idem Annius atque sacerdos* fuerit, hoc loco disserere non convenit.

runt nonnulla, quæ malim judicii severioris lima ab illo admorsa fuisse, quædam etiam, in quibus lauro tibi opus esset, cujus esu risum coërceres; quale est hoc, quod ex epistola ad Hebræos probare conatur, Melchisedecum ipsum fuisse Christum; in quo sane mirifice sibi placet, cum nihil in toto libro frigidius & ineptius mihi videatur. Nova quæ hic agantur, non est, quod a literis meis exspectes. Habebis ea non modio, neque trimodio, sed ipso horreo a Westenbergero a) nostro, ad vos reduce: quem suadeo, ut in chymicis nonnihil excutias: existimo enim manuscripta quædam in illius manibus esse, quæ te vidisse non pœniteat. Nactus sum non ita pridem duos libellos chymicos, qui mihi quidem insignes visi sunt, itaque statim eos tibi destinavi: rogo, ut eos æqui bonique consulere velis, & si quid ex iis præclarum didiceris, id mecum aliquando communicare. Video chartam mihi defuturam, si longius pergam. Conatus sum, ut institueram, præcipuis literarum tuarum capitibus satisfacere: quod si assecutus sum, lætor: si quid neglectum, aut omissum, aut non satis commode dictum est, id, si me monueris, imposterum corrigam. Vale dulcissimum mihi caput, & salve, tum a discipulis meis, tum ab aliis quibusdam amicis tibi notis. Eid. Nov. cIↄIↄcxvIII. Lugduni Batavorum.

VI.

V. G. b) M. RVARO.

CLarissime ac dilectissime D. Ruare, ut tuis literis breviter, quantum quidem per otium licet, respondeam, primo omnium maximas tibi gratias ago, quod par pari referre, meique causa tantum temporis gravissimis occupationibus tuis subtrahere volueris, ut prolixe scriberes. Plurimum certe hoc nomine tibi debeo: solvam autem quodcunque potero.

A Theologiæ professione animum me abduxisse fateor, si addideris *spontanea & ultronea;* hanc enim plane abdicavi, non autem (ne erres) ipsam Theologiam, a cujus studio ne latum quidem unguem discedere unquam volui, imo nunc eo minus volo, quo magis illius tum necessi-

E

a) Cent. II. Ep. 18. extrema *Johannes Westenbergius* vocatur, & *Westphalus* patria dicitur fuisse.

b) Epistolæ hujus auctor idem est, qui superiorum, *Valent. Grunewaldus:* qua ad præcedentem *Ruari* iterum respondet, novaque dubia movet; in cæteris vero mentis suæ prioribus exposita sensa dilucidius explicat; ubique autem valde *laxam* in rebus sacris, & *comparativa*, ut nonnulli vocant, *Theologia* sententiam animo ejus insedisse produnt.

necessitatem, tum utilitatem perspicio. a) Quæ de Taulero injeceram, quod tam operose excusseris, in eo laudo tuam, mi frater, industriam, imo & gratias tibi hoc nomine ago, quia scilicet agnosco, te ex pio erga me affectu laborem hunc suscepisse. Interim quæ contra me affers, parum me movent. Conjecturis enim tantum, non rationibus illius historiæ veritatem in dubium vocas. Nam quod ipsius Domini Jesu ejusque Apostolorum exemplum mihi proponis, ex quorum scilicet concionibus non constet ullos in ecstasin raptos esse, non video, quam apposite abs te factum sit. Si enim hoc argumento ostendere conaris, non esse verisimile, Tauleri concionibus hoc effectum esse, quod nec ipsius Domini Jesu, nec Apostolorum concionibus effectum sit, (ut scilicet jam supponam, certo constare, hoc Christi & Apostolorum concionibus effectum nunquam esse) vide, annon eodem argumento quispiam uti potuisset, qui, si Christi miracula vidisset, interim nescivisset, Apostolis majora etiam faciendi facultatem a Deo datam fuisse, postea vel auditione, vel lectione accepisset, majora ab Apostolis b) miracula facta fuisse iis, quæ Christus ipse edidisset. Sin illo argumento tuo vis evincere, non esse necesse, ut tales hodie sint ecclesiastæ, qui concionibus suis auditorum animos ad deliquium usque permovere possint, quia scilicet nec Christi, nec Apostolorum concionibus tale quid factum sit, jam non pugnas contra me: neque enim unquam ita ego sensi, neque in meis literis affirmavi, tales esse debere concionatores, qui ad exemplum Tauleri animos auditorum percellant: sed tantum asserui, si in Spiritus Sancti schola (ex qua Sacrarum literarum studium non exclusi) eruditi essemus, neque scriptis hominum, c) qui testimonium infallibilis veritatis non habent, Theologi nostri incumberent, tales etiam conciones haberemus, quales Taulerus habuit. Hæc fuit mens mea in alleganda illa Tauleri historia, cujus veritatem apud te tunc præsupponebam, & nunc quoque (cum nihil

a) Forte ex præceptis Chemicis, quæ animum purum, DEIque veneratione singulari imbutum, ex mente pæne omnium, exposcunt, cognitam. Ita certe, quæ disputata jam ante fuerant, credere jubent.

b) Agnosco & ego vim hujus responsionis, atque dubiis, a *Ruaro* motis contra *Tauleri* fata virtutemque in dicendo singularem, illis parum roboris inesse, & si infringere ea hac ratiuncula ille velit, satisfacere posse plane credo.

c) Adde: *Cæco obsequio, ut Sectarii solent;* sic enim cum *Paulli* pronunciata sententia 1 Cor. VII, 23. conveniunt. Neque etiam aliter vaticinium Jer. XXXI, 34. quam de *inculcatione* operosa & *superciliosa Magistrorum* atque *Dictatorum* sacrorum auctoritate sua, quasi dominantium, ut solebant sacrorum Judaicorum Præsules, neutiquam vero de *opera* interveniente hominum, ut *Ministrorum*, quod eventus etiam docuit, intelligenda sunt.

hil absurdi vel impii contineat) credere malo, quam undique conjecturas conquirere, quibus eam impugnem: interim salvo amicitiæ nostræ jure sensu tuo hic te abundare libenter patior. De missione ministrorum prolixe tecum disputare, non est animus. Vt enim concedo, posse aliquem, qui divinitus missus non sit, alios erudire, monere, solari &c. ex solo charitatis præscripto, ita nego, hoc esse operari in messe Domini: operarios enim in messe Domini cum Sacris literis nullos alios agnosco, quam quos ipse Dominus in eam vel extrusit, (ut Erasmus & Tremellius in Syriaca versione a) habent) vel emisit (ut Beza.) Quod vero inquis, si magistratus aut populus publicam in ecclesia operam nostram legitime requirat, velut Dei nos vocantis vocem hanc interpretandam esse, vide, an non etiam hoc modo febriculosos illos ecclesiastas, b) qui Theologiam ut artificium aliquod quæstus aut honoris causa habent, quales hodie multos dari ipse fateris, quasi a Deo vocatos esse innuas, quippe quorum ipsorum quoque publicam operam magistratus aut populus requisiverit. Ministerium ecclesiasticum sublatum non volo: facile enim mirabilem ubique rerum faciem cogito, si eo vel annum populus destitueretur. Sed an statim, mi frater, sequitur, defuturos ministros, nisi vel ipsi operam suam offerrent, vel a magistratu populove ea requireretur? Nimis anxii sumus, ne messis Domini inculta jaceat, nisi vicem ipsius in emittendis operariis obeamus. Itaque plane non statuo, tollendum esse S. ministerium, sed tantum contendo, majorem exinde ad Deum gloriam redundaturam, si, quod facere jussi sumus, ipsum oraremus, ut operarios in messem suam ipse extruderet vel emitteret. Multis spiritum suum imposuisse non nego: interim tu quoque non negabis, dari & impetrari a Deo posse spiritum, a quo, ne nobis imponat, metuendum non sit: alioqui frustra monuisset D. Johannes eos, ad quos scribit, ut sicut unctio, c) quam accepissent, eos doceret, in ea manerent. Hanc igitur 45

 unctio-

a) *Latine* nempe *reddita*, quæ in *Hanoviensi Bibliorum Junio - Tremelliana* editione præstantiori, forma 4to majori A. 1602. excusa, & e Græco fonte a *Beza* adornatæ opposita, rarius autem seorsim, comparet: Memini tamen locorum ab aliis excerptorum, testimoniorum, quibus τὸ ἐκβάλλειν generatim pro *ablegatione* qualicunque Græci leguntur usi.

b) *Vitia animorum* hominumque & *instituta Ecclesiæ*, *illa* quidem ad conscientiam cujusque, *hæc* ad ordinem in cœtu diviniori observandum spectantia, heic commisceri liquet.

c) Quasi vero de *unctione*, ἀμέσως nobis obtingente, sermo esset optimo *Johanni!* De ea certe, qua per prædicatum DEI verbum potimur, loqui Apostolum, vel ex epistolæ hujus c. I, 1-5. sqq. & c. V, 13. sq. manifestissime elucet.

unctionem sive hunc spiritum qui habet, facile eum discernet ab illo, qui aliis imposuit. Et in hujus spiritus schola divina mysteria de persona, officio, morte Christi, & aliis, de quibus tam multum hodie scribitur ac disputatur, addiscenda esse statuo. Licet enim ista omnia in Sacris literis consignata sint, non tamen ita plene explicata sunt, quin suus quoque Spiritui sancto in nobis erudiendis locus a) maneat: alio-
46 quin tam bonis, quam impiis divina mysteria essent exposita, contra ipsius Domini Jesu doctrinam, qui margaritas porcis objici noluit. Vnde etiam constare potest, quantopere illi errent, qui ita ad amussim divina illa mysteria (non loquor de rebus scitu ad salutem necessariis, quæ potissimum in praxi b) consistunt, & omnibus proponendæ sunt, ut impii quoque sese convertendi occasionem habeant) toti mundo proponunt, vel se proponere autumant, ut nihil, de quo dubitandum sit, restet. Vnde vitio mihi dari non debet, quod sentiam, libros de jam nominatis similibusque mysteriis Theologicis edendos nullos esse, non tantum, ne alii per nos, si forte erremus, in errores conjiciantur, sed etiam ut eo commodius omnes Christianorum cœtus in Christiana charitate coalescere c) queant: quod certe fieri non potest, quam-

a) Est Spiritui Sancto in nobis erudiendis utique locus, immo etiam princeps; sed utrum præter & extra verbum scriptum prædicatumque, in rebus fidem & salutem nostram attinentibus, quemquam erudiat, illud est, de quo disceptatur. Subjunctis ergo sibi, quibus alias utitur Numen optimum, instrumentis, hæc eum haud operari, atque seorsim in animos hominum ingredi, probandum fuerat.

b) De praxi si sermo sit, ad quam & credenda nos deducunt, bene; de præceptis ipsis moralibus autem si loquatur *Grünewaldus*, male censuit. Neque enim hæc *scitu*, ad salutem potissimum, esse necessaria, sed dogmata de DEO Christoque, & cætera fidem constituentia, Verbum DEI multoties testatur; quibus τὰ πρακτικὰ proxime subjicit, atque ex credendis, ipsisque adeo fundamentis *fidei* deinde elicit Scriptura passim; inprimis *Paullus*, in omnibus fere epistolis regulas vitæ mysteriis fidei subtexens. Quod si & præcepta morum, ut faciamus, quæ sancta sunt, necessaria ideo existimavit, quia, nisi cognita divina voluntate recte agere non possimus, perspicuis magis verbis & sine vilipendio credendorum id mallemus dictum.

c) En mysterium horridæ illius, quanta quanta est, in dogmatibus fidei *indifferentiæ!* Aliter *Paullus*, qui *genuinam* nonnisi ex fide recta *charitatem* profluere, Gal. V, 6. docet, & alibi *agnitionem veritatis secundum pietatem* justo ordine rectius conjungit, eosque etiam, qui puram doctrinam non tuentur, anathemate ferit. Vt omittam, quicquid ex fide, eo sensu, quo alias in epistola ad Romanos tota hoc vocabulo utitur, ingenua non ortum est, pro peccato potius, quam vera sanctitate ab eodem Rom. XIV, 23. haberi, solam certe persuasionem, verbo DEI haud innitentem, quocunque etiam fuco ornata sit, superstitionem potius, quam pietatem veram parere, quis nescit? Tantum abest, ut sola *dilectio* rem omnem in Christianismo conficiat. Rectissime in Cant. Cant. *Bernhardus*: *Quid facit sine dilectione eruditio?*

quamdiu disputationes illæ, ubi una pars alteram pro adversaria semper habet, manent. Interim tantum abest, ut doctas & pias aliorum commentationes in Sacras literas, quatenus scilicet historiam & phrasin illustrant, rejiciam, ut ipsemet autores ejusmodi desiderem, sicut tu ipse nosti: immensa tantum illa volumina de persona Christi & officio, de essentia Dei, & similibus, quæ in mysteriis sunt ponenda, &, si sufficienter ex Sacris literis agnosci nequeunt, a solo Deo (qui ipse sese optime nobis revelare potest) sunt petenda, improbo, tum quod veram Dei & Domini nostri Jesu Christi gloriam parum promoveant, tum quod obstaculo sint, quo minus diffidia illa, quibus ecclesia Christiana hodie misere lacerata est, cessent, veraque charitas postliminio redeat. Quod vero miraris, in quem igitur usum ipse libros illos desiderem, hoc ipsum ego vehementer miror. An non perspicis, posse me libros aliquos, postquam scilicet jam publice prostant, ob privatum aliquem usum cupere, interim, habito utilitatis publicæ respectu, malle, ne unquam hujusmodi libri deinceps ederentur, vel etiam editi essent? Postquam vero jam editi sunt, quid obstat, quo minus eos mihi comparem, præsertim cum non simpliciter illos damnaverim (fateor enim ex animo, in multis utiliter legi posse) sed eatenus tantum, quatenus tum ad ecclesiæ unitatem conciliandam sunt obstaculo, tum impediunt, quo minus notitia mysteriorum divinorum, in Sacris literis contentorum, ex divina Spiritus sancti patefactione a) nobis innotescat: quis enim a Deo sibi revelari petet id, quod in hominum scriptis jam perfecte explicatum esse credit? De fructu isto, quem commemoras, reformationis, Belgio ego quoque gratularer, nisi ex altera parte tantum ex eadem damnum illi obtigisset. Etsi enim illic plura, quam centena hominum millia, ad saniorem de prædestinationis dogmate opinionem sunt conversa, tamen plura quoque vicissim, quam totidem millia, occasione reformationis istius in peccata varia inciderunt,

47

nempe

Inflat: Quid sine eruditione dilectio! Errat. Quæ per experientiam quotidianam, his nostris præsertim temporibus, confirmata esse, non tam scimus, quam dolemus.

a) Denuo *externa* adminicula cum *interna* veritatis patefactione, hoc est, per illa eandem nobis veritatem proponentia, animoque efficaciter ingerentia, intus in recessibus mentis profundissimis orta, & producta cognitione, confunduntur, & vitia hominum *ideali notitia* contentorum *veræ atque reali* cognitioni regenitorum, qua corrigenda illa essent, opponuntur. Neque vero ista obstaculo sunt unioni conciliandæ *genuinæ*, quæ unam fidem fundamenti loco substernit, etsi forte *commixtioni veritatis* doctrinæ *cum erroribus*, lucisque cum tenebris officiant. Quod ut fiat, a Spiritu divino serio 2 Cor VI, 14. injunctum, atque toties, quoties falsis doctoribus resistere & obloqui jubemur, explanate magis confirmatum est.

48 nempe in odium fratrum, calumnias, perſecutiones &c. qui eventus reformatores (quorum alioquin omnium & ſingulorum exiſtimationem ob pietatem ſalvam eſſe volo) in anteceſſu latere non potuit, quippe qui ſimilia jam ante, ob cauſas leviores, in cauſa Colhaſii, Cornherdi, & aliorum, a) accidiſſe norant. Etſi vero charitas Chriſtiana omnes ab erroribus abſtrahi jubet, tamen eadem quoque tumultus, ſcandala, odia &c. excitari b) vetat. Vnde, cum ſatis conſtare poterat, reformationem talem ſine hujuscemodi ſymptomatis fieri non poſſe, totum negotium ita attemperandum fuiſſet, ne in alterutrum Chriſtianæ charitatis officium peccaretur: quod facile fortaſſe effectum fuiſſet, ſi illi omnes, quotquot rem rectius intellexerunt, nullam hujus dogmatis mentionem apud populum deinceps feciſſent: ita ſponte ſua tandem in animis hominum obliteratum fuiſſet. Exemplum Chriſti & Apoſtolorum huc non facit: illi enim ex mandato divino doctrinam ſuam mundo propoſuerunt: quo in caſu antea faſſus ſum, etiam cum præſentiſſimo mortis periculo Deo obtemperandum eſſe: quale mandatum ſi in hac noſtra cauſa quoque acceſſit, in illa dijudicanda me erraſſe lubens fateor. Priusquam te in hac materia dimittam, paucis ad verba illa tua huc tranſcripta reſpondendum duxi: ſic enim ſcribis: *Quod ſi tamen Dominus eousque te evehere dignabitur, ut divino Spiritus ſui motu te palam, in modum Tauleri aliorumque non-* 49 *nullorum ſanctiſſimorum hominum agitare velit, & in cœleſti ſchola ſine magiſtro de myſteriis ſuis erudire; quis ego ſum, qui ſummæ illius benignitati limites ponam, aut illius opes & amplitudinem indigner? quin potius ex animo tibi gratulabor, & ſupra mortalium conditionem felicitatem tuam efferam, & deprædicabo; cujus & mihi votum quidem eſt, veruntamen*

a) Quæ fuerint per hos turbæ in *Belgio* ortæ, quantæque ſuperiori jam ſeculo XVI. inclinato lites agitatæ, non vacat ediſſerere fuſe. Conf. qui vitam, dogmata & ſcripta *Dieterici Volckarti Cornberti*, A. 1522. Amſtel. nati, apud Harlemenſes autem deinde Secretarii munere perfuncti, & An. 1590. denati, *Caſp.* item *Coolhaes*, Paſt. Lugdun. ſententiam, & ſimilium, ad quos etiam *Corn. Wiggers* pertinet, conatus deſcripſit P. III. c. VI. Hiſt. Hær. & Eccl. *Arnoldus*. Ex quo itidem, præpoſtero pacificandi ſtudio hos omnes operam cumprimis dediſſe, viamque *Remonſtrantibus* quodammodo ſtratam paraſſe, comparatis ad hæc *Wigeri* inter *Remonſtr. Epp.* extantibus litteris, n. V. ſeqq. collocatis, patet. *Coornhaertium* autem ſigillatim, remedium pacis Eccleſiaſticæ, inter disſidentes inſtaurandæ, optimum præſentisſimumque id unicum fore, docuiſſe, ſi ex ſuggeſtu ſine explicatione ſolus prælegeretur Scripturæ Sacræ textus, ita ut ſenſu hinc quisque ſuo, quæ lecta ſint, intelligat, aliunde conſtat.

b) Vetat utique; ſed, quo minus oriantur, impedire charitatem haud poſſe, ipſe Soſpitator optimus jamdudum Matth. X, 34. ſeqq. præſignificavit.

men ſpem intercipit indignitas mea: qui enim tantam præ multis ſanctis hominibus indulgentiam apud cœleſte numen mihi polliceri auſim, quod variis meis delictis & flagitiis (proh dolor!) præ multis aliis ſæpe offendi &c. Quæ verba quo animo abs te ſcripta ſint, etſi ego plane affirmare non poſſim, facile tamen quivis animadvertet, ita concepta eſſe, ut aculeo non careant. Quæſo enim te, quando unquam mihi præſumpſi, me eousque a Domino evectum iri, ut divino Spiritus ſui motu me palam in modum Tauleri, aliorumque nonnullorum ſanctiſſimorum hominum ſit agitaturus, & in cœleſti ſchola ſine magiſtro de myſteriis ſuis erudíturus? Volui tantum impugnare opinionem illam hodie paſſim receptam, nolle ſcilicet Deum hoc noſtro ſeculo divina ſua myſteria immediate a) per Spiritum Sanctum nos docere, ejusdemque Spiritus chariſmata orantibus ſeſe impertiri, ſicut in primævis illis Chriſtianis eveniſſe legimus: addidique, me miniſterii functionem prius non ſubiturum, quam a Deo ſufficienter inſtructus & juſſus fuero: an vero hanc tantam Dei gratiam (quam ab omnibus pie, idque vera fide, ad Dei gloriam, & proximi ſalutem eam quærentibus impetrari hodieque poſſe conſtanter ſtatuo & affirmo) ego ipſe unquam aliquando ſim obtenturus, ne per ſpeciem quidem in literis meis aſſeveravi. Poſito autem, nunquam me hanc Dei benignitatem conſecuturum, num propterea falſa eſt mea ſententia? Nonne Deus poſſet uni alicui ob cauſas ſibi notas denegare id, quod tamen abſolute omnibus negare non conſtituiſſet? Quorſum vero humilitas illa tua, qua peccatorem te coram Deo fateris, niſi ut tacite me accuſes, quaſi ex numero eorum, qui cœleſte numen peccatis graviter præ aliis ſæpius offendiſſent, me eximerem? quod quam immerito mihi tribuas, multis tibi oſtenderem, niſi crederem, te etiam me tacente agnoſcere, hæc hujus loci non fuiſſe. Interim ſic habe: peccatores ſumus omnes, ideoque digni, quos in æternum a facie ſua Deus rejiciat: me quod attinet, hoc non tantum credo, ſed ſæpe etiam ſentio: quod ſi tibi notum eſſet, mihi pepercisſes, nec dolorem dolori meo addidiſſes. Verumenimvero an peccatores non erant, Deumve nunquam offenderant, quibus Chriſtus dixit: *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum rogantibus ſe?* An item peccatores non fuerunt, qui hanc, de qua loquor, Spiritus Sancti gratiam in primi-

a) De *voluntate* ſi ſermo fuerat, recte id velle DEVM, quod nunquam promiſit, ſed ad Scripturam contra perſcrutandam nos ablegavit perpetuo, monuit *Ruarus.* De *potentia* vero diſceptare, inutile eſt.

primitiva Eccleſia a Deo obtinuerunt? Igitur ſi veram cauſam, cur con-
51 ſilium meum ſusque deque habueris, & tam ironica reſponſione di-
gnum cenſueris, aſſignare voluiſſes, utique non peccata tua, (quæ ſi
Deus nobis clementer non remitteret, ne panem quidem quotidia-
num ab ipſo ſperare poſſemus) ſed incredulitatem tuam afferre debuiſ-
ſes, quia ſcilicet non credis, eam eſſe erga homines etiamnum Dei be-
nignitatem, ut cœleſtem ſapientiam in Sacris literis abſconditam im-
mediata Spiritus Sancti illuminatione eos docere velit. Tam alte ſci-
licet tibi ſedet illud Epicharmi *μεμνᾶσ' ἀπιστεῖν.* * Magis itaque te mo-
vent verba Epicharmi, quam ejus, qui dixit: *Omnia, quæcunque petieri-
tis* a) *in deprecatione credentes, accipietis.* Atque hæc pauca, amiciſ-
ſime D. Ruare, ad ea, quæ contra me diſputaſti, reponere volui. De-
inceps vero neque tecum, neque cum ullo mortalium de rebus Theo-
logicis tam facile conferre volo: video enim, & in me ipſo experior,
ſæpe nocere locutum eſſe, tacuiſſe vero nunquam. Rogo te autem, &
quidem ex animo, ne id adſcribas proterviæ meæ, putesve me ſcien-
tem volentem in errore verſari velle: aliam enim per Dei gratiam in-
veni viam, b) qua me ab omnibus circa religionem erroribus extrica-
re queam, etiamſi in ſolita diſputationum palæſtra me non exerceam.
Crede mihi, mi frater, tam mihi curæ eſſe, ne errem, quam alii cuiquam.
Quod ſi viderem, ejusmodi diſceptationibus & collationibus, quæ ha-
ctenus inter Theologos viguerunt, myſteriorum divinorum cognitio-
52 nem acquiri poſſe, certe contra conſcientiam hoc ſtudiorum genus
non improbarem, neque apud te tam cito receptui canerem. Proin-
de iterum te obnixe oro, ne putes, me quicquam hac in parte pertina-
citer agere, dum conflictum hunc noſtrum perſequi nolo. Amo te
ex animo, ideoque maxime mihi volupe eſſet, de materiis Theologicis
plura conferre, ſi quem ſolidum fructum inde perciperem. Ad chy-
mica non alio fine te vocavi, niſi ut per hæc naturæ miracula in aucto-
ris omnium Dei venerationem tanto altius aſcenderes: ſi aliter me in-
tellexiſti, mentem meam non es aſſecutus. Pudet me vero vehemen-
ter,

* Memento diffidere, id eſt, nemini facile credas.

a) Vellem, additamentum, quod Spi-
ritus Sanctus multoties adjecit: *Secundum
voluntatem ipſius*; non omiſiſſet *Grune-
waldus.*

b) Non aliam, puto, quam dogmatum
ſacræ doctrinæ peræque omnium, ſolo
charitatis ſervato ſtudio, putidiſſimum
contemtum: aut, ſi malis, inter minima
religionis, quæ non magnopere curet Chri-
ſtianus, datum illis, modo ſit aliquis, qua-
lemcunque locum. Quem non ita pri-
dem non nemo definivit, quando πρὸς τὸ
εὖ εἶναι & commoditatem aliquam in nego-
tio religionis facere poſſe, affirmavit.

ter, quod ſus minervam: neſcivi enim, te unquam lectioni librorum chymicorum operam dediſſe, alioqui te ad eos exhortatus non fuisſem: ſimiliter nunquam aliquid de hiſtorica illa relatione Multeri ex te audivi. Pro autoribus a te misſis gratias ago maximas. Libenter vicisſim te munere aliquo afficerem, ſi ſcirem, quomodo tibi gratum facerem: interea, dum hoc non licet, & hoc & alia tua beneficia in me collata, grati animi memoria proſequar. Vale. Dabam XVIII. Novembris cIɔIɔcXVIII.

VII.

M. RVARVS V. G.

GAudeo, me tandem aliquid a te literarum accepiſſe, idque tanto magis, quod brevi cogitem, hinc in Britanniam a) trajicere, ut, niſi nunc illæ veniſſent, vix me poſtea inventuræ fuiſſent. Vellem tamen priores illas tuas juſto mihi tempore redditas, dum, ſi quid ad illa reſponderem, & tibi ſpatium reſtaret, illa excutiendi, ventilandique: quamvis enim præſcindas hoc mihi theologicarum diſputationum filum, non deſtitiſſem tamen te vellicare, & fortasſis denuo elicuiſſem in palæſtram. Nunc ſi maxime illa refutem, quæ fulciendæ tuæ ſententiæ attuliſti, cum reſponſum tuum hic manſurus non ſim, quid aliud facere videbor, quam quod timidi quidam gladiatores; qui, quem æquo marte aggredi non audebant, ei tum demum tragulam aliquam injiciunt, ubi commodam ſe ſubducendi occaſionem nacti fuerint, ut ita ultimo ictu victores diſcedere videantur? Mihi quidem de victoria hic non agitur, ſed de veritate, idque non tam tua (licet & tua) quam mei ipſius cauſa: cupio enim penitus pervidere, quid in illa cauſa tua momenti poſitum ſit, cum exiſtimem, non ſine gravi te ratione ad illam accesſiſſe. Interim tamen hoc tibi, mi charisſime frater, bona fide affirmo, te nupero tuo reſponſo minime mihi ſatisfeciſſe, ac multo magis nunc ſuſpicari me, quam pridem, non admodum eſſe ſolida, quæ tam infirmis præſidiis defendenda ſuſceperis. Præcipua literarum mearum priorum capita vix attingis: quæ convellenda ſuſcipis, ea primum mutilas, ut tanto magis habeas, quod perſtringas aliqua ſpecie: alicubi adverſarium me tibi fingis, ubi conſenſum tibi meum aperte teſtatus fueram: quædam prioribus tuis literis ſerio affirmata plane tollis, & ita tua vineta incidis: cætera quibusdam argutiis eludis verius, quam elidis, quæ me non multum de ſtatu prioris ſententiæ movent.

53 54

F

a) Quo etiam trajeciſſe, & quali eventu atque ſucceſſu, ſequentes, inprimis Ep. X., addocebunt.

vent. Singula hæc ſatis evidenter me tibi oſtenſurum ſpero, cum melior ad eam rem occaſio erit, & ſi tu admittas: nunc iſta tibi condono, quem ſcio optimo animo & pio quodam ſtudio iſtæc egiſſe, neque magis de iſtis, quæ tibi nunc objeci, ita, ut ego pro meo ſenſu interpretor, cogitaſſe, quam ego nunc contra ſuſpicari poſſum, quæ tu contra meam hanc aſſertionem fortasſis jam meditaris. Illud tamen ſine reprehenſiuncula transmittere nequeo, quod nimis ſuſpicioſus mihi videaris, & ubi paulo liberius more meo ſtilum ſtrinxi, ſtatim aculeis te peti, & mordaciter lancinari putes. Tacitam ſuperbiam, & fictam humilitatem a me tibi objectam quereris. Egone tibi iſta, mi frater? Si feci, en jam ingenue recanto, quæ dixi: & utinam ab omnibus ego peccatis tam liber forem, quam ab iſtis te immunem credo. Tua tamen pace, mi charisſime, non recordor unquam me tam in te dentatum fuiſſe: & quamvis literarum mearum exemplum non ſervaverim, exiſtimo tamen, non me tibi iſta impegiſſe, ſed metum eſſe poſſe, ne alii faciant, qui te tam exacte non norunt, affirmaſſe, quod tam operoſe familiarem Domini appellationem averſatus fuiſſes, imo cum ſtomacho te illam

55 legiſſe, measque literas cum hoc emblemate, nulla impoſterum apud te gratia futuras aſſeruiſſes. Nimirum eo hoc ſpectabat, ut iſto te argumento dehortarer, ne apud alios pari vehementia communi te conſuetudini opponeres, quos id non optimam in partem interpretaturos novi: neque tamen vetabam tunc, neque etiamnum veto, quo minus placide depreceris, quod deberi tibi non agnoſcis, præſertim ſi extra ordinem tibi tribuatur: id quod nunc ad excuſandum te præter rem affers. In alteris tuis literis ægre fers, hoc a me tibi attribui, quaſi tibi, ut tu loqueris, præſumas, te Tauleri in modum extra ordinem divini ſpiritus motu agitatum iri, & ex eorum te numero eximas, qui cœleſte numen ſuis peccatis graviter offenderint. Hic quoque, mi frater, nimis ſuſpicioſus es, ac neſcio, quibus tu fidiculis hanc ex meis verbis ſententiam extraxeris: ſaltem non deerat alia multo planior, eaque obvia; quam cur tu relinquere, & iſtam tibi gravem, mihi invidioſam pene per vim inde potius extorquere malueris neſcio, niſi ita me fortasſis nigrum arbitraris, ut ſub ſingulis verbis velut ſub herba anguem aliquem abſcondam. Quod tu a te præſumi me dicere ais, id vovere te quidem exiſtimo, non minus, quam me ipſum faſſus eram, ſectari quoque literæ tuæ ſatis docent: quod autem aſſecutum id te tibi præſumas, id neque ex literis tuis unquam colligere potui, neque vero ad-

56 ſcribere tibi auſim, qui modeſtiam animi tui pene nimiam ſatis exploratam

ratam

ſtatam habeo. Cæterum miror, cur, quia me peccatorum conſcientia mihi polliceri non audere dixerim, quod tu fortaſſe conſectaris, inde concludas, me tibi peccatorum agnitionem adimere. Quid enim? an non ſine læſione tua exiſtimare ipſe poteram, ut etiamnum revera exiſtimo, te magis integræ vitæ, quam ego fuerim hactenus, & proinde minus mihi cœleſtis indulgentiæ me polliceri, quam tu fortaſſe ſperas? an non etiam, licet æque nos graviter ex delictis decumbere putaſſem, credere poteram ſine tua noxa, te fortasſis in ea opinione eſſe, peccata iſta tua non impeditura gratiæ divinæ influxum, (ut certe in proximis quoque literis tuis profiteris) & ego tamen formidare, ne mihi obſtaculo eſſent, ideoque iterum mihi non polliceri, quod te ſectari dixerim? Vides, mi frater, nihil fuiſſe cauſæ, cur innocentibus meis verbis tam iniquum in te ſenſum imperares. Quid ſi eadem moroſitate tuas vellem excutere literas? non longe mihi quærendi, neque ſolicite indagandi eſſent aculei, quibus tu me pungis, ac tantum non jugulas. Incredulitatem mihi palam objicis: durum ſane verbum, ſed quod præcipiti calori facile ignoſco. De re tamen iſta ſic habe; nuſpiam hactenus dixi, non credere me, eam eſſe Dei erga homines etiamnum benignitatem, ut cœleſtem ſapientiam, in Sacris literis abſconditam, immediate Spiritus Sancti illuminatione eos docere velit: a) imo de Taulero hoc tibi non obſcure conceſſeram: b) & in illis ipſis verbis, 57 quæ ex literis meis in tuas tranſcripſiſti, cum inquio, me tantam præ multis ſanctis hominibus indulgentiam apud cœleſte numen mihi non audere polliceri, an non tacite concedo, quibusdam hoc ſanctis hominibus contingere? Addis, magis ergo moveri me Epicharmi verbis, quam ejus, qui dixit: *Omnia, quæcunque petieritis, in deprecatione credentes, accipietis.* Ecce, quam mihi invidioſa ſit iſta Epicharmi cum Jeſu Chriſto Domino ac Deo meo comparatio, quam ego toto pectore abominor: & vide mihi quæſo, cui fundamento innitatur. Scripſeram

a) *Poſſit*, fortasſis dicere voluit. Velle enim ſe ita cum quoquam, poſtquam Canonem divinum, addita Apocalypſi, obſignavit, agere, ut *immediate* illuminetur, nemini promiſſum eſt: Nihil certe ex divina in Scripturis Sacris revelatione, unde, quæ ſit divina voluntas, diſcendum eſt, ea de re cognitum habemus.

b) Neque illud neceſſarium eſt concedere. Quoniam, ſi vera ſit, ut putamus, ea, de ſingulari quodam illuminationis *Tauleri* actu raptuque, bono illi viro divinitus indulto extra ordinem, hiſtoria, vix tamen alium quam acceſſorium uſum *excitationis* ad officium alacrius promtiusque faciendum habuit. Vt Myſticorum perfrequentes imaginationis vehementioris, ex contemplatione fortiori ortos, motus, inſolitos quidem, ſed naturales tamen, *ſupernaturalem* haud raro *illuminationem mentientes*, ipſiusque adeo naturæ illuſiones taceamus.

ram ego, an fratres R. C. omnium iſtorum mirabilium rerum, quæ de illis paſſim jactantur, notitia ac editione præcellerent, Deum noſſe, & diem veritatis matrem aperturam: a) mihi quidem alte ſedere illud Epicharmi *μεμνᾶσ' ἀπιστεῖν.* * neque eſſe me tamen ex illorum hominum genere, qui teſtem *ἐκ τῶν διὸς δέλτων* ** ſemper requirant. Hinc tu extruis, ergo me plus Epicharmo, quam Servatori meo Jeſu Chriſto fidei habere. Deus tibi, mi frater, remittat tam malignam concluſionem. Ego nihil Epicharmo credo, niſi quod & experientia, & omnium ſapientum doctrina approbatum: neque quicquam hic ei Servator noſter contrarium unquam dixit, cujus verba mihi alias pro oraculis ſunt: imo vero annon ipſæ quoque Sacræ literæ Epicharmo concinunt, quæ eandem in vita cautelam, quam Epicharmus, non uno no-

58 bis loco inculcant. Quæ tu vero Servatoris noſtri verba contra me allegas, ea quam parum cauſam tuam juvent, alias oſtendam, ſi quando dabitur hoc mihi argumentum copioſius tractare. Interim hoc tibi de me perſuaſum velim, me etiamſi tibi in hac re nondum accedam, animo tamen junctisſimum eſſe, neque acricula quædam dicta tua vel hilum de meo erga te affectu delibaſſe: quin potius irritatum eſſe me, ad te tanto flagrantius amandum, cum videam, amoris quadam fiducia tantum in me te tibi permiſiſſe. Velim ut pari mihi lance benevolentiam tuam expendas, &, ſi calamo præcipiti paulo acrius in te invectus ſum, libertatem meam boni conſulas, meque nihilominus veteris noſtræ necesſitudinis fructu gaudere patiaris. Libros, quos prioribus tuis literis petiveras, lubens tibi gratificarer, niſi ipſemet petitionem tuam in poſterioribus revocaſſes, aut ſi huic, cui literas meas credo, tantum oneris imponere auderem. Interim mitto hic tibi nummum aliquem aureum, quem tu ſive tanquam debitum accipias, ſi quid priori ſupputatione tua peccaveris, ſive tanquam munus, ſin minus: de eo enim nolo jam tecum contentionis funem ducere. Vale. b)

VIII.

* Memento diffidere, id eſt, nemini facile credas.

** Ex tabulis aut codice Jovis, id eſt, divina autoritate.

a) Quæ non multo etiam poſt, dum ſtrenue interea per annos perpaucos ineptiis hiſce operam dediſſent, & ſplendidis non minus, quam nugacisſimis titulis, larvisque identidem aſſumtis, ac promisſionibus inanibus propinatis largiter, orbem univerſum deluſiſſent, quid ſubeſſet divini, aperuit. *Poſt annum* certe ſeculi XVIImi *triceſimum* parum amplius hac de fabula inauditum eſt, & *Roberti* denique *Fluddii* ex hac vita exceſſu, qui in annum 1637. incidit, ea propemodum tota evanuit.

b) Vt ſcripta eſt epiſtola hæc eodem anno 1618. aut certe ſub initium proximi anni 1619: ita *Grünewaldum* hunc opinionibus præceptoris ſui, *Nollii* illius puta, *Philoſophiæ Hermeticæ* doctoris præcipui, prorſus imbutum, & altiora quædam, quam

VIII.

M. RVARVS CVIDAM ANONYMO. a)

QVas a nundinis b) Francofurtanis litteras ad te dedi, eas te jampridem accepiſſe credo, atque inde intellexiſſe, cur ſtatim non reſponderim ad illa omnia, quæ in tuis mihi proponis: temporis quippe defectus in cauſſa fuit, non voluntatis; quam nunc, occaſione mittendis ad te literis denuo præbita, reſumere placuit. Quanquam & nunc verear propemodum, ut ſatis mihi ſit ocii ad illa omnia, quæ tu voluiſti, ac prout velles, explicanda; præſertim cum ita tumultuarie ea proponas. Sed quicquid ſit, tentabo progredi quouſque potero, idque eo ordine, quo tu præiviſti, id eſt nullo. De Grotio recte ſentis, neminem hactenus eruditius contra Socinum c) ſcripſiſſe. Sed, ut opinor, Eſernium Pacidianus invenit, Bithum Bacchius, ut eſt in proverbio: id quod ex libro Crellii, quo illi reſpondit, d) quemque una cum his literis, ut ſpero habebis, ipſemet agnoſces. Voſſio e)

 Lugduni

hominum fert conditio, ſpirantem, miſſum deinceps ad tempus *Ruarum* feciſſe, non obſcure ex ipſo hujus reſponſionis tenore colligimus. Nihil certe litterarum, ex hoc tempore ad illum datarum, occurrit, præter eas, quæ in *Epiſt. Remonſtr.* n.515. poſitæ, & anno 1632. exaratæ, leguntur breviſſimæ.

a) Incertum eſt, quis ille fuerit; etſi *Noribergenſem*, ad quem hæc data eſt epiſtola, fuiſſe, neutiquam dubitandum ſit; quod verba: *Altorphium veſtrum teſtis eſſe poteſt*; perſpicue produnt. Si quid conjectando aſſequi licet, *Peuſchelius* ille fuit, ſed jam liberatus a *Socinismi* contagio: cui tamen nondum fuiſſe cognitam *Vorſtii* mortem, poſt aliquot jam elapſos annos, vix credibile videtur. Quid ſi Joh.Cobio, aut C. Marcio, aut alii veterum in his oris amicorum inſcripta dicatur? Sed ſatius eſt, hæc in medio relinquere, quam temere definire.

b) Obſcure: Senſum equidem eſſe, *Francofurti* in nundinis has fuiſſe litteras exaratas, ſequentia addocent. Francofurtum vero quodnam ſit intelligendum, ad *Mœnum*ne, an ad *Oderam?* dubium eſt. Nobis poſterius videtur veriſimilius. In hujus namque viciniam ex itinere nuper admodum redux commeaverat, & ſubinde e nidis illis Socinianorum, *Mœſtichio* & *Bobevicio*, eo diverterat *Ruarus*.

c) *Defenſionem fidei Catholicæ de ſatisfactione Chriſti*, jam anno 1617. in lucem a *Grotio* datam, intelligi, palam eſt. Huic namque *Crellius* librum ejusdem argumenti oppoſuiſſe, notum eſt. Cætera alibi jam annotata ſunt. Quibus in præſens *Colomeſii Bibliothecam ſelectam* addi volumus, ubi editiones hujus Operis f. 475. recenſuit.

d) Neque hujus Operis titulus, qui: *Reſponſio ad L. Hug. Grotii, quem de ſatisfactione Chriſti adverſus F. Socinum, Senenſem, ſcripſit &c.* audit, incognitus eſt; ipſum autem hunc librum *Racoviæ* anno 1623. primum eſſe publicatum, conſtat.

e) *Gerb. Joh. Voſſio*, *Iſaaci* patre, qui hac tempeſtate, inter varias fortunæ viciſſitudines, *Lugduni Batavorum* docebat, *Remonſtrantium* cauſſam, ſed perquam circumſpecte, & pæne dixerim callide, agens, evocandus diu poſt *Amſtelodamum*, ut Gymnaſio hujus urbis præeſſet. Quæ fa-

Lugduni Batavorum familiariter usus sum, eodemque fere tempore, quo ad te, literas Francofurto ad illum dedi: ad quas priusquam responsum accepero, non habeo quicquam de illius statu dicere. De eruditione illius judicio tuo accedo; idque tanto magis, quod virum illum non e scriptis tantum, sed & colloquiis nostris mutuis æstimem. 60 Vorstius jam eo est loco, ubi nihil illi a) amplius obesse poterit impotens adversariorum libido: aut utut famam illius infestent, ipse tamen id non curat, peracta enim vitæ fabula scenam rerum humanarum reliquit, & censuram magni illius Editoris, b) cujus jussu personam, quam gessit, deposuit, jam exspectat, qui fortassis aliter, atque Bogermannus c) cum Dordraceno suo concilio de eo judicabit. Remonstrantes graviter hodieque in patria a Stoicis d) affliguntur, neque desinunt tamen privatos conventus clam celebrare summo cum periculo: in quo nonnulli e concionatoribus jam aliquoties intercepti infelicem pietatem æterno carcere luunt. In Holsatia mea permissu Principis novam aliquam Trojam moliuntur, cui Fridericopoli e) fecere nomen: quam ante annum vidi non vulgaribus auspiciis surgentem, & in ea tumulum boni Vorstii: qui tamen duabus inde leucis Tonningæ f) mortem obiit in arce ipsa, in qua domicilium illi princeps tantisper concesserat, donec Fridericopoli, ubi professor theologiæ renunciatus fuerat, sedem sibi commode constitueret. Alii ex Remonstrantibus per Germaniam, Gallias, fortassis & Sueciam, ac Daniam sparsi, post nubila Phœbum aliquem exspectant, undecunque tandem is affulgeat. De Barneveldio g) sententiam dicere res est invidiæ plena:

ta autem interea fuerint *Vossii*, Vita *Episcopii* f. 251. seq. addocebit.

a) *Conrado Vorstio*, tot antea hostium vexationibus exagitato.

b) DEI, quem antiquo vocabuli hujus sensu Romano *Editorem* ludi & munerum vocat, quia præmium ab eo post pugnam peractam jam in cœlis expectet aut acceperit.

c) Præses *Synodi Dordracenæ* ex asperitate erga *Remonstrantes*, absentemque etiam & latitantem adhuc *Vorstium*, nemini incognitus.

d) Sic moris erat inter fratres hosce, *Calvino-Reformatos*, propter decretum absolutum, quod cum similibus quibusdam ex præscientia DEI, ut fatale quid tuentur, appellare. Vnde denuo patet *Noribergensem* fuisse, ad quem hæc scripta sunt, *cryptici* hujus nominis, ut reliquorum, de quibus in *Hist. Crypto-Socin.* c. II. inprimis gnarum.

e) Plura de hac urbe in gratiam potissimum exulum *Arminianorum* recens condita, privilegiisque singularibus ornata, disseruimus in *Hist. Crypto-Socin.* c. IV.

f) Qua de maritima urbe munitissima & obitu *Vorstii* supra quoque ad c. II. lit. V. annotata conferri possunt.

g) *Johannem ab Oldenbarnevelt*, Advocatum Holland. & Westfrisiæ indigitat, senem annorum 72., An. 1618. d. 13. Maji capite plexum, ex primis Arminianis illis motibus notissimum, & durissima passum.

plena: videor tamen id tuto affirmare poſſe, quod illius judices publico ſcripto faſſi ſunt, conjurationis cum Hiſpanis eum non potuiſſe convinci. Quid quod ne quidem in ſententia illa, qua capitis eum 61 damnarunt, aliud ei objicere ſunt auſi, quam mutatum alicubi religionis ſtatum, illiusque mutationis defendendæ cauſa varia agitata conſilia, ac milites lectos: quaſi ſcilicet id non licuiſſet ſummo magiſtratui, cui ille a conſiliis, contra turbones, & libertatis tanto impendio emptæ invaſores. Filii pesſimi a) nihil officere debent famæ innoxii patris; quos ne tum quidem bonæ frugis fuiſſe conſtat, cum parentem omnes tanquam ancile aliquod cœlo delapſum adorarent: cujus rei vel Altorphium veſtrum teſtis eſſe poteſt. Sed ſi exacte Barneveldii, & cæterorum, quos una cum ipſo eadem ruina involvit, cauſam cognoſcere voles, da operam, ut habeas librum quendam Hugonis Grotii, quem Apologiam, b) ſi recte memini, inſcripſit, & in Gallia, poſtquam e carcere eruperat, c) edidit: qui quantopere adverſarios urat, eo ſatis fecerunt teſtatum, quod in omnibus ſuis provinciis eum haberi aut legi gravisſime interdixerunt. De Steinfurtenſibus d) nihil aliud ſcio, quam in ſummo periculo, ac velut ſub cultro hactenus fere eos vixiſſe, exercitu Bavarico non modo per viciniam ſuſpectam circumvolitante, ſed & in ipſum oppidum aliquando ad hibernandum admiſſo. Reformatio Marchica e) lentum eſt opus. Francofurti nuper demum duo creati ſunt eccleſiaſtæ, qui ſingulis ſeptimanis concionem in collegio habeant: nam antehac id nonniſi poſt trimeſtre intervallum, quo tempore ad ſacram cœnam ſimul conveniebant, fieri 62 conſuevit. Pelargum f) aliud quid ſentire, quam compendio theologico

a) *Ejusdem Barneveldii* videlicet, qui *AltorphI* paullo ante patris necem Ephoro *J. Meurſio* ſtudiis operam dederant; quæ cauſſa eſt, cur eorum h. l. ad amicum *Noribergenſem*, cui noti illi fuerant, ſcribens, mentionem fecerit *Ruarus*. Qua de re ſuperius quoque aliquid dictum eſt.

b) *Apologeticus* dicitur, *eorum, qui Hollandiæ Weſtfriſiæque & vicinis quibusdam nationibus ex legibus præfuerunt ante mutationem, quæ evenit An.* 1618. *ſcriptus &c.* & primum anno 1622. *Pariſiis* publicatus eſt.

c) Vxoris, ut vulgo notum eſt, pia fraude: quod contigit anno 1621. menſe Martio.

d) Fautoribus nimirum, ut *Vorſtianæ*, ita quoque *Socinianæ* cauſſæ, lupum tunc auribus, quod ajunt, tenentibus, cum belli, ex *Bohemica*, *Friderici Palatini*, clade longius diffuſi, huc usque jam porrecta eſſet pertriſtis alea. Cauſſam autem *Bavarum* tunc egiſſe Cæſaris, exploratum ſatis eſt.

e) Poſt tranſitum An. 1614. Electoris, *Johannis Sigismundi*, ad partes *Reformatorum*, inchoata, & paullatim continuata, ſed in ritibus, potiſſimum ad Eccleſiam hanc ejusque mores accommodatis, occupata.

f) Vti ſupra de hoc *Francofurt. Academiæ*, qui *Reformatorum* cauſſæ clam ſervire dicebatur, Doctore Theologo, jam actum

logico ante paucos annos edito testatus est, mihi exacte non constat, ac diu est, quod sermonem cum illo non conserui. Regnat is in concionibus etiamnum apud populum, quia de pristinis ritibus nihil in templo mutat, & ipse vulgari modo cum civibus Synaxin sacram celebrat, nisi quod crustulum illud rotundum, quam hostiam vocant, frangi a) sibi jubet. Vtinam illius viri prudentiam imitari alii maluissent! ita minori cum strepitu terrarum orbis ad Evangelium converti potuisset. De aliis, qui puriorem veritatis haustum in his oris imbiberunt, non est tutum multa scribere: sufficit eos scriptos in libro vitæ; cujus arcana patebunt aliquando, cum omnia, quæ nunc in obscuro fiunt, in lucem protrahentur. Crameri illam Apologiam, b) & alterum ejus scriptum, quod memoras, nuper in bibliopoliis Francofurtanis frustra

est in *Histor. Crypto-Socin.*: ita nunc paucis *Compendii* illius, anno 1603. sensu prorsus *Lutherano* primum, sed anno 1617. ad *Calvini* mentem inflexo, evulgati, mentionem ideo fecisse *Ruarum* monemus, quod litibus inde ortis, iis præsertim, quæ inter *Pelargum* atque *Balduinum*, Theologum Wittebergensem, agitabantur, omnia tunc temporis personarent, atque iste jam omnino a parte pristina, ad novam illam, in *Marchia* invalescentem, defecisse, vulgo & pæne in triviis dicebatur. Cum qua brevi observatione, quæ ad verba epistolæ hujus illustranda sufficit, b. *Kortholti Prodromus Ingen. Theol. Cult.* Francofurti anno 1704. libellus sane egregius, sed mendose admodum editus, §. 3. conferatur: ubi plura de lite super *Compendio* illo, a *Locis communibus*, jam anno 1602. ab eodem *Pelargo* in lucem datis, discernendo, annotata habentur.

a) De hoc enim ritu introducendo, mox ab *Electoris* ad *Reformatos* transitu, vehementissime omnium actum erat. Et quanquam pro eo libere, tam usurpando, quam omittendo, producto ex ipsis *Calvini* asseclis non uno testimonio, diu pugnasset *Pelargus* (*quemadmodum ex Epist. ad Elect. Joh. Sigism.* An. 1613. jam data, atque *Recens. Nov - Antiqu.* An. 1724. f. 186. seqq. inserta, elucet) tamen succubuisse tandem, ex hoc ipso loco, aliisque aliorum testimoniis patet. Quæ res, quantam invidiam Viro, de reliquo non vulgariter erudito, sed paullo meticulosiori, & angustam rem domi pejorem adhuc fore formidanti, atque hinc jussibus ex aula datis sese attemperanti, attraxerit, quantasque turbas hinc illinc dederit, hoc loco dici non potest. Digna interim sunt, quæ in Recens. Nov-Antiqu. l. c. f. 192. seqq. narrata leguntur.

b) Non comparet inter scripta Latina *Danielis Crameri*, Antistitis & Prof. Stetinensis, qui præter *Balduinum* & *Schlüsselburgium* operosissime omnium cum *Pelargo* dimicavit, hunc ipsum titulum præ se ferens liber ullus, si a quibusdam *Anti-Pontificiis* discedas. Intelligi ergo h. l. opinamur *Ejusdem* sive *Epistolas ad Pelargum* datas, anno 1615. impressas, sive *Narrationem pleniorem de Colloquio* cum eo Francofurti ad Oderam habito, cui *Rettung der Episteln* subjuncta est, Wittebergæ anno 1615. excusam. Quæ quidem Appendix procul dubio designatur heic, a *Ruaro* latinis verbis expressa. Vtrum vero *alterum scriptum*, cujus paullo post idem meminit, frustra a se in bibliopoliis quæsitum esse, sit ejusdem *Crameri*: *Christliches Bedencken auf D. Pelargi teutsche Confession*, etsi verisimile esse arbitramur, non tamen audemus definire.

fruſtra quæſivi: ſi poſt illic futura ſunt, niſi ea jam aliunde nactus es, dabo operam, ut data occaſione ad te mittam. Tauleri & Arndi ſcripta tibi aliisque nonnullis mirifice probari gaudeo, eo quod ad pietatem egregie ducant: quam tamen ſine pompa, ſine tumultu habendam cenſeo. Vnum eſt, quod nollem ita peregrino a) eos dicendi genere nonnunquam fuiſſe uſos, quod neque divinis literis, neque ſermoni vulgari quadrat, ac proinde magis ad intricandam, quam ad explicandam rem aptum eſt. Rathmanni b) librum, quem narras, non vidi, 63 ut nec apologiam illius. De re ipſa ſic ſentio, facile me concedere, ut nec quenquam eſſe opinor, qui id neget, Deum Prophetarum, ac Dominum Jeſum Apoſtolorum animos multarum maximarumque rerum notitia, ſine ullo ſermone externo, ſolo Spiritus ſui afflatu, imbuiſſe, quam illi aliis deinde & voce & ſcriptis expoſuerint; nec repugnare me, quo minus modus ille, quo Deus, aut Dominus Jeſus cum illis egerit, ſermo ſive verbum internum vocetur, quo autem illi cum aliis, externum. Quæ de voluntate antecedente, & conſequente huc accommodas, non intelligo: Davus enim ſum non Oedipus. Externum & internum auditum qui inculcant, id, niſi fallor, non ad illos cœli interpretes, atque nos, tanquam diverſo modo divinorum myſteriorum participes referunt, ſed ad nos, qui eundem illum ſermonem

G divi-

a) De *Taulero* cauſſæ nihil eſt, cur miremur, ſtylo tali illum eſſe uſum, utpote quem ſtudium Myſticæ Theologiæ & ætas, qua vixit, ſalebroſa eum docuit. De *Arndtio* autem, ſi a *Weigelii* illa lacinia diſcedas, non erat, cur querularetur *Ruarus*; niſi heic quoque illud *Bernhardi: Vox amoris non amanti barbara eſt*, repetendum exiſtimes.

b) Incertum eſt, quem librum deſignet *Ruarus*, cum plures poſt litem a *D. Jo. Corvino* temere (quis enim hoc neget?) primum *Rathmanno*, Lubecenſi patria, ſed V. D. apud Gedanenſes ad D. Mariæ Miniſtro, motam extent, & jam anno 1621. princeps illud *de Regno Chriſti* pomum Eridos, hinc *Reſponſ. ad XI. Quæſt. Corvini, Demonſtratio* item, *das wohlgegründete Bedencken* &c. prodierint; Apologiæ autem, quod ſciam, ne unus quidem eorum geſſerit. Quemadmodum vero hæc in medio relinquimus, & ad argumenta potius horum librorum, quam inſcriptionem reſpici putamus: Ita disquiſitionem ipſam, occaſione librorum b. *Arndtii de Vero Chriſtianiſmo* natam, atque eum in modum etiam ventilatam eſſe dolemus, ut plurimum turbarum inde Eccleſia paſſa ſit, & poſt plerarumque Academiarum, aliorumque Collegiorum Theologicorum, judicia conquiſita, apparuerit ſuſpicionibus iniquis, atque de vocabulis magis, quam rebus ipſis, diſputationibus, veritatem, ut fit altercando, intricatam magis, quam extricatam fuiſſe. Certe cum de eo concors eſſet ſententia, DEVM converſionis cauſſam principalem, verbum autem DEI, ſcriptura ſacra comprehenſum, inſtrumentum divina virtute præditum eſſe, in ea ſimplicitate acquieſcere omnes & potuiſſe & debuiſſe, ipſe etiam *Balduinus* alicubi profeſſus eſt.

divinum a Prophetis ac Apoſtolis nobis traditum, & externis ſenſibus, oculis quippe vel auribus, & interna mente percipiamus. Quod ſi huc quoque diſtinctionem illam interni & externi verbi adhibere volet Rathmannus, ne id quidem repugno, dummodo nobis conſtet, alia jam notione eas voces hic uſurpari, quam paulo ante: quæ dum improvide confunduntur, inde ſcilicet τὸ πρῶτον ψεῦδος, * ut vocat Ariſtoteles, in hac cauſa exoritur. Ex eo enim, quod quivis facile conceſſerit, Prophetis ac Apoſtolis interna quadam ratione ſine externo ſermone multarum rerum notitiam obveniſſe, male infertur, in nobis quoque, ſine externæ ſive vocis ſive ſcripturæ adminiculo, internum aliquod Dei verbum ſuperna inſpiratione exiſtere, quo convertantur animi noſtri, cuique externus ille ſermo tantum teſtimonium veritatis perhibeat. At primum alia ratio eſt hac in parte Prophetarum & Apoſtolorum, alia noſtra, in quibus locum habet illud Apoſtoli: *Quomodo credent, de quo non audierunt?* Deinde, qui poteſt externus ſermo interno teſtimonium perhibere, ſi per ipſum nil niſi literarum ac ſyllabarum picturas, aut tinnitum illum vocum a) in auribus intelligas? Idem dico de eo, quod Scripturam Rathmannus ſecuri comparat, aut quod eam cauſam fidei cum Spiritus Sancti gratia concurrentem facit; nec enim vel ſecuri aſſimilari, vel cauſa fidei reputari debent characteres, ſoni aliquot ſine mente ac ſenſu, ut quivis facile intelligit. Bene autem tu illa tria in divinis literis diſtinguis, characteres ſive ſonum vocum, ſenſum ſermonis, denique res ipſas aut perſonas, earumque qualitates aut actiones. Porro, ut characteres ſive vocum ſonus ſenſum aliquem, ita ſenſus ſermonis res ipſas aut perſonas imaginationi meæ repræſentat; eaque ratione & notitia rerum divinarum in mente mea gignitur, & voluntas ad obſequium divinorum præceptorum flectitur. Cur enim minus intelligam, aut credam,

64

* Prima maximaque falſitas, caput erroris.

a) Vti bene hæc *Enthuſiaſtis* opponuntur: Ita dubito, in ea, quæ tum *Gedani* agitabatur, cauſſa, ſi ab iniquis imputationibus & calumniis abhorreas, cuiquam ſententiam illam tribui poſſe; Vtut incommode quoſdam, & ipſum *Rathmannum*, cum *Movio* ſubinde locutos eſſe, nemo inficias iverit. Cæterum male *Fanaticos* quosque, qui ex Prophetarum & Apoſtolorum illuſtratione divina, extra ordinem & ἀμέσως facta, ad ordinariam, finita jam conſtitutaque regula fidei, ratiocinantur, rationes inire ſuas, facile *Ruaro* largimur, & turpiter etiam verbum *internum*, ſed, quod ab externo per auditum in animum demiſſum, inque illum impreſſum, hoc eſt, quod revera cum eo idem prorſus eſt, & non niſi ratione modi differt, ac contra, ab Enthuſiaſtis ex *immediata inſpiratione* expectandum eſſe, fingitur, rectiusque hinc *immediatum*, quam internum, dicitur, confundi monemus.

credam, exempli gratia, Jesum Christum violenta morte sublatum fuisse, & postea revixisse, quod Scriptura clare affirmat, quam si quid 65 de Annibale, aut Pyrrho mihi narret Livius; præsertim cum illius auctoritas pluribus ac melioribus indiciis mihi sit perspecta, quam hujus, atque alia extent etiam argumenta, quibus rei illi gestæ fides adstruatur extra Scripturam? Cur item minus moveat a) ad agendum ex virtute, si Scriptura vitam mihi omnibus bonis affluentem spondeat, quam si vel parens vel præceptor, vel herus, vel magistratus denique præmio me aliquo invitet? Neque video, cur ad hæc alio mihi adminiculo, nisi extra ordinem communem aliquid incidat, sit opus, quam quod in Scriptura, aut per ipsam Deus omnibus suppeditat: quam qui non jejune aut frigide legerit, næ ille vim illius sentiet, haud paulo etiam validius, quam ullius humanæ eloquentiæ, utut in optima causa, quæ tamen quantum in animis hominum possit, & historiæ loquuntur, & ipsi non raro vidimus, imo experti sumus. Comparatio oculorum & mentis humanæ, prout a te instituitur, non est satis concinna: ut enim oculis recte utar, collustrari lumine aliquo necesse est, non oculos, b) quibus id officit potius, sed rem oculis objectam: at tu, ut Scripturæ vim percipiam, non Scripturam, sed mentem meam lumine aliquo collustrari vis: in quo similitudo tua claudicat, cum tamen ob id ipsum sit allata. Quanquam utut etiam hoc tibi concederetur, nihil tamen esset opus, aliud lumen menti nostræ affundere, præter id, 66 quod natura c) nobis insitum est; quo, si perversitate nostra non sit corruptum, & vera intelligimus, & bona quæ sunt approbamus.

 Locus

a) Quam paullo ante omiserat, ubi cætera recensuit, *virtutem DEI* cum verbo *intrinsecus*, etiam extra usum, intime *conjunctam* unitamque cum eo supernaturalem, hoc quoque loco negligens, ut inepte hanc quæstionem proponeret, *Ruarus* ipse in caussa fuit: aliter profecto judicaturus, si, quæ de *homine* ψυχικῷ, & naturæ in rebus *spiritualibus* impotentia omnimoda, animo reputasset, vel cum sodalibus suis non negasset.

b) Immo vero & oculos, per conjectos ex objecta re radios, ut videamus, collustrari debere, vel tenebræ addocent, & cœcorum in luce maxima & splendidissima obambulantium misera conditio confirmat. Ita vero etiam ex Scriptura & per eam divinam in nos illustrationem transire, mentemque lucidam reddere, non male, quisquis ille fuit, ad quem hoc loco *Ruarus* scribit, effecit.

c) Aliter *Paullus*, qui ante conversionem ad DEVM *tenebras* hominem sine discrimine unumquemque, hoc est, totum tenebris obsitum, & DEO simul *inimicum*, cui *nec assentiri nec obsequi* possit, Eph. V, 8. atqui Rom. VIII, 7. appellat. Vt 1 Cor. II, 14. assertum perquam luculentum, ubi de eo intellectus statu, quando *jam mysteria revelata*, & tantum *dijudicanda* seu approbanda a nobis *sint*, sermocinatus, eadem tradit Apostolus, taceamus.

Locus ex Pſalmo xxxvi, quem allegas, & habere poteſt, &, niſi fallor, habet alium longe ſenſum, quam quem tu illi imponis. Lumen enim in ſacris & favorem Dei, & felicitatem non raro deſignat, ut viri docti jam pridem obſervarunt, qui & hoc Pſalmi dictum ſic interpretantur, quod ſpem ſibi faciat David, ſe divino favore ad felicitatem veram aliquando perventurum. Interim non nego, Deum etiamnum ſine externo ſermone mirifico Spiritus ſui afflatu homines & ſapientia rerum abſtruſarum, & fortitudine atque alacritate ad agendum res præclaras inſtruere: ſed nego tamen, id paſſim & ſemper fieri, aut, ut fiat ad ſalutem noſtram, præciſe neceſſarium eſſe, niſi ſingularis aliqua ratio aut caſus extraordinarium a) auxilium, ac veluti Deum aliquem e machina requirat. Hæc habui, quæ de iſto argumento in præſenti diſſererem: in quo ſi minus tibi ſatisfeci, nihil miror, cum hæc ex tempore nihil admodum meditatus ſcribam: dabo tamen operam, ſi me amplius hic exercere voles, aut nodos aliquos nectere, ut explicatius, cum plus erit ocii, tecum agam. Petitione ejus, quod in principio, an a reſpondente peccari poſſit, deinde ex me quæris: ego vero ſic ſentio, hactenus (cedam tamen lubenter rectiora docenti) quam diu 67 reſpondens vel concedit vel negat ſimpliciter, id quod in principio eum non petere: at dum negationi rationem ſubdit, ſive illam per diſtinctionem explicet, ſive per ἔνστασιν * ſuffulciat, poſſe eum in hoc ſophiſma incurrere. Ratio, cur ita ſentiam, hæc eſt, quod tum defeerat quodammodo reſpondentis partes, aſſertoriſque perſonam induat, quem nemo negat huic vitio, de quo quæris, obnoxium. De loco ad Coloſſenſes II, 9. neſcio, an videris, quæ Eraſmus in Annotationibus, & poſt eum Vorſtius in amica collatione cum Piſcatore ſectione quinquageſima erudite diſſeruerunt: quorum verba exſcriberem, niſi exiſtimarem, illos ipſos auctores tibi ad manum eſſe. Ne tamen hos bonos viros tanquam in hac cauſa ſuſpectos rejicias, citat Eraſmus pro ſua ſententia gloſſam ordinariam & Auguſtinum Epiſtola LIX, cujus hæc

* I[...]antiam.

a) [...]cut non omnino improbandam etiam noſtri, inter quos b. *Geierus* numeratur, cenſeant illam de loco Pſ. XXXVI. interpretationem; plura tamen ſunt Spiritus Sancti teſtimonia, maxime perſpicua, quibus lucis ſupernaturalis & ordinarii gratiæ auxilii uſus atque neceſſitas adſtruitur, ex locis jam citatis atque ſimilibus, v. g. ad Epheſ. II, 1. 2. & 3. IV, 18. Phil. II, 13. 2 Cor. III, 5. &c. depromta. Quorum etiam vim facile agnoſcerent *Sociniani*, ſi peccati genialis, quod vulgo originale vocamus, teterrimam turpitudinem, & corruptelam inde in omnes hominum omnium facultates illatam, rectius expenderent.

hæc ſunt verba: *Ita corpus hic non ſumitur, ut a ſpiritu diſtinguitur, ſed ut opponitur umbræ & figuræ?* a) Quibus addo celebrem noſtri ſeculi Jeſuitam Johannem Marianam Hiſpanum, cujus in ſcholiis ad hunc locum iſta ſunt verba: *non ut in umbra, qualis erat lex, ſed vere & ſubſtantialiter:* quibus deinde ſubjungit Auguſtini verba, quæ habes paulo ante. Quod exemplum requiras, ubi σῶμα * veritatem ſive ſubſtantiam rei ſignificet umbræ oppoſitam, miror, cum id ipſe ex eodem capite attuleris: in quo, quid deſideres, non video. Σώματα ** perſonas aliquando ſignificare, non nego: ſed primum, quantum recordor, contemptim id fere dici ſolet, ut cum σώματα αἰχμάλωτα *** dicimus, aut mancipia σώματα appellamus: deinde quod aliquando fit, non tamen hic fieri neceſſe eſt. b) Denique & hoc conſiderandum, ſecundum tuam explicationem σῶμα illud ad divinitatem Chriſti referendum (humana enim ejus natura perſona non eſt) quam dure & abſone, ipſimet illi dijudicent, quibus interpretationem tuam refers acceptam. c)

68

Reliqua deſiderantur.

IX.
EX M. RVARI AD J. PEVSCHELIVM EPISTOLA.

VErbum ſive Sermo Dei proprie ſignificat illam ipſam orationem, qua Deus animi ſui ſenſa hominibus aperuit; ſive id fecerit per ſe &

* Corpus. ** Corpora. *** Corpora captiva.

a) Neque hactenus male; at *qualis* & quanta illa ſit, quæ umbratilem olim jam ſuperet præſentia & *inhabitatio* divinitatis in Chriſto, eadem verba docent. Talis nimirum eſt, ubi *Verbum*, quod *ipſe* dicitur *DEVS*, *caro factum eſt* Joh. I, 14. & qui *filius Mariæ* eſt, recte etiam atque vere *filius vivi DEI* appellatur Matth. XVI, 13. & 16. filius, inquam, ut Mich. V, 1. habetur, non per gratiam tantum talis factus, ſed *ante dies orbis hujus* natus atque μονογενής, hoc eſt, unigenitus. Quæ omnia, ſicut & plura alia, unionem duarum naturarum, atque inhabitationem etiam ejusmodi, hoc eſt, perſonalem evincunt, ita per ſacrum, quo *Paullus* Judæos mature errorum convicit, συμβιβασμὸν eruendam, nec ita temere negandam, docent.

b) Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. Quid enim tritum magis in *Socini* ſcholis, quam locum aliquem *poſſe* ex parallelis formulis, aut verbis ſingulis, aliter, quam noſtri, cæteris interpretandi legitimis regulis adhibitis, ſolent, identidem crepare?

c) Scripta eſt hæc epiſtola e vicinia *Francofurti ad Oderam*, cujus aliquoties fit in ea mentio, & forte in *Mæſtichiano C. Sacci.* Annus præterea circiter MDCXXIVmus, quo exarata ſit, determinari videtur ex circumſtantiis quibusdam poſſe. Nuper enim jam prodiiſſe dicitur *Crelliana Grotii de Satisfactione* Refutatio. Idemque etiam *Rathmannianarum* controverſiarum chronologia confirmat.

& immediate, ut loquuntur, sive per angelos hominesve ipsius Spiritu afflatos, idque sive voce, sive scripto, quanquam illa magis proprie. Quæ oratio deinde & concipi a nobis mente potest, & verbis vel iisdem, vel diversis, idem tamen valentibus, repeti, & literis denique in papyro exprimi. Vnde fit, ut non incommode illa divini sermonis repræsentatio, sive per conceptum mentis, sive per vocem, sive per scriptionem, Dei verbum sive sermo appelletur. Imo cum quæstio hic sit instituta de verbo Dei, quatenus id nunc facit ad conversionem nostri, quibus datum non est, vel ipsum Deum ejusve angelos homines que interpretes loquentes audire, vel scripta horum manibus ef-69 formata videre; apparet hic intelligi per verbum Dei tres illos, quos dixi, modos fideliter repræsentantes vocem scriptumve Dei, illorumve, qui Dei partes hic gesserunt. De his ergo distincte dicendum, quomodo ad conversionem hominis concurrant. Conversio hominis, quæ est reformatio intellectus approbantis Evangelium, & voluntatis statuentis illi obsequi, aut etiam revera obsequentis, proxime fit a conceptu, quem quis habet in mente de Deo & Christo, rebusque ad religionem pertinentibus, itemque argumentis, quibus intellectus flecti potest ad approbationem, & voluntas ad obsequium. Conceptus autem ille ex verbi vel prædicati auditione vel scripti lectione in mente gignitur: unde fit, ut verbum sive voce sive scripto expressum conversionis causa quædam sit remotior, sed ea tamen, quæ necessario præcedere debeat, &, si modo attente audiatur vel legatur, ordinarie sufficiat ad conversionem auspicandam in omnibus illis, qui non sunt bardo ingenio, aut non habent mentem pravis opinionibus nimis infectam, voluntatemque vitiorum consuetudine plane distortam. a) Dixi ad conversionem auspicandam sufficere, quia non nego, succedere deinde Spiritus divini auxilium, quo vires in nobis ad absolvendam conversionem augentur, postquam facultatibus naturalibus recte usi b) fuerimus: quibus tamen ipsis nescivissemus uti ad tam pium finem, nisi a Deo

a) Eccur vero naturalis seu congenita, non consuetudine tantum contracta, & paucorum forte, ex *Ruari* certe mente, distorsio callide omittitur? Toties assertam in V. T. gravissimam illam & universalem labem, *tenebras* & *mortem*, atque *rebellionem* denique adversus DEVM ab ipso Spiritu Sancto dictam, tam impudenter dissimulare non decebat.

b) Non agnoscit facultates, seu vires potius, naturales, in conversione hominis Spiritus Sanctus, quibus mortales recte uti possint; sed omnimodam, ut supra ostendimus, ἀδυναμίαν miseris, ut *spiritualiter mortuis*, palam adscribit, DEOque & *velle* & *perficere* Phil. II, 13. acceptum refert *Paullus*, eodem Spiritu actus. Cætera *Pelagium*, vel *Cassianum Massiliensem* olent.

a Deo præventi verboque illius excitati fuissemus. Ex quo apparet, 70
Deum quidem efficere in nobis ut velimus, & ut perficiamus, illud, dum Evangelii commemoratione a) nos invitat, hoc, dum Spiritus sui afflatu nos fovet: b) sic tamen, ut relinquat virtuti & improbitati nostræ, atque ita etiam præmio pœnæque locum. Illud addo, si quis ipsam notitiam in mente nostra, quæ assensum præcedit, velit conversionis nostræ potius partem, quam causam facere, nolle me cum illo contentionis serram reciprocare. Sed tum verbum Dei, quatenus vel auditur vel legitur, jam non mediata, sed immediata conversionis nostræ causa fuerit. c)

X.

M. RVARVS NICOLAO DVMLERO. d)

NOn recordor, mi frater, an literis tuis, quas in Batavia ante discessum nostrum accepi, responderim, multo minus, quæ capita illorum fuerint: (nec enim quicquam meorum schediasmatum huc asportavi) quocirca si quid fortassis ibi fuerit, ad quod nominatim mihi respondendum erat, id ut hac vice mihi condones, etiam atque etiam rogo. De communi nostro statu nihil ad te scribere habeo, præter ea, quæ in literis ad herum nostrum e) datis legere potes: ut enim particu-

a) Est necessaria utique commemoratio seu prædicatio, sed ea sola, nisi insitam simul *virtutem DEI* haberet, eamque ipsam, qua Christum ex mortuis excitavit Pater, non certe moralem, sed plusquam physicam, simul in animos per verbum prædicatum ingredientem, in tam corruptis natura hominibus ac facultatibus *ex morte resuscitandis & de novo creandis*, rem tantam, quæ nova creatio est, non conficeret.

b) Bene; si de fomentis seu φορεᾷ sermo esset gratiæ *inhabitantis*, quæ si prævenientem & operantem, sine qua conversio ne inchoari quidem potest, ut Phil. IV, 7. & 1 Petr. I, 8. docet Spiritus Sanctus, consequitur. Male; si *suppetiis* tantum *naturæ ferendis* destinatus afflatus dicatur. Quo *Ruarus* spectat.

c) Quo anno hæc epistola, unde exceptum hoc aut fragmentum superest, ad *Peuschelium*, pejora adhuc, an meliora jam sentientem, perscripta sit, dici vix potest. Heic ei videtur locus datus, quia de Verbo divino a priori epistola parum diversa contineret.

d) De amicissimo hoc inter paucos *Ruari* amicos, *Noribergensi*, profugo in *Poloniam*, ibidemque adhuc, in extremis juxta Marchiam oris, delitescente, plus satis dictum est in *Hist. Crypto-Socin.* Cap. II. lit. D. In præsenti nihil succurrit, quod addamus, quam *responsionem* ad litteras hasce Cent. II. n. 22. inveniri, minus bene in eum locum a filiis rejectam. Ex qua etiam inter describendum quædam esse mutata, ut solebat facere *Ruarus*, præter alia, quæ de titulo monuit *Dümlerus*, demonstrant.

e) *Casp. Saccum*, cujus tum in itinere filiorum Ephorus erat *Ruarus*; *Dümlerum* autem a sacris patris fuisse, alibi observatum est.

particularem ſingulorum narrationem ingrediar, quæ vel viſu vel ex-
71 periendo bona malave nobis cognita ſunt, nimis prolixum ſit, nec epiſtolæ, ſed libri res, cui ad vos deportando vix decem floreni ſuffecerint. De me tamen privatim hoc habe, difficilem in Anglia a) conflictum mihi fuiſſe contra tam validas preces, tot aurea promiſſa, quibus iſtic attinebar, ac propemodum deligabar. Puto intellexiſſe te, quam ſplendida illic profeſſio in Academia Cantabrigienſi b) mihi fuerit oblata: ejus conditiones augebantur ſupra modum, cum intellectum eſſet, me difficulter animum ad eam adjicere: nam ultra centum librarum ſtipendium promittebatur mihi locus in aliquo Collegio honeſtiſſimus; unde tota vitæ ratio mihi gratis conſtitura erat: addebatur, ſi privatam adoleſcentium quorundam ἐπισκοπὴν * ſuſcipere vellem, poſſe me inde ad minimum circiter alias centum libras colligere: ita ut ultra victum & cultum & cætera, quæ hominis literati vita requirit omnia, quotannis ad cIↃcccc. florenos veſtrates reditus meos redigere potuerim. Non mentiar, mi Dumlere: gravis hæc fuit machina ad oppugnandam conſtantiam hominis egeni, & qui fortunæ benignitatem vix unquam hactenus guſtavit: præſertim cum aliqua monſtraretur ratio, qua conſcientiam animi, c) cui non obſcure metuebam, quomodocunque ſalvam mihi tuerer. Vicit tandem in me libertatis amor, cui quodammodo compedes illic parari videbam, ſeu potius ipſius Dei ter optimi maximi, cui ingenue ſer-
72 vire ſtatui, nec ſuffurari d) pietatem, quæ cœlo teſte exerceri debet: vicit & veſtri, quotquot iſtic veritatis veſtigia propius premitis, ſtudium, quibus in perpetuum valedicere debebam, ſi vitam illic ſalvus trahere vellem. Quod meo nomine illis renuncies velim, qui metuere poterant, ne fortaſſis tantis fortunæ blanditiis ineſcatus, & vetera mea promiſſa, & ipſorum de me deſtinationem ſubverterem. De Bataviæ ſtatu & piget & pudet ſcribere, ita iſtic ſurſum deorſum aguntur

* Inſpectionem, curam.

a) Eo digreſſo nuper cum comitibus e *Belgio*, (uti ſupra Ep. 7. ab initio *Grünewaldo* ſcripſerat,) & hinc in *Galliam* per *Belgium Hiſpanicum* transgreſſo, reverſo non multo poſt in *Poloniam*: de quo reditu plura ſequentes epiſtolæ addocebunt.

b) Qualis tamen fuerit, non liquet; niſi ea forte, cui per *humanitatis ſtudia* inprimis idoneus fuerat, & ad docenda quoque haud inhabilis.

c) Quantum ad diverſam ab Anglicana Eccleſia, *Socino* applaudentem, ſententiam. Aliter tamen ea ſpes nuper cecidit *Whiſtono* ob placita hujusmodi, ſed imprudentius paullo, luci expoſita, loco ſuo, quem ornabat, honeſtiſſimo ibidem moto.

d) *Diſſimulando* fortaſſis, quæ vera eſſe, falſa tamen conſcientiæ religione perſuaſus, credidit.

aguntur feruntur omnia. Miniſtri Remonſtrantes omnes exauctorati a) ſunt: quorum ex præcipuis non paucos in Brabantia ex Anglia reverſus ſalutavi, quos triſtis ſententia in exilium iſtuc egerat, ob magnum ſcilicet crimen, quia polliceri noluerunt, ſe ne privatim quidem ulli mortalium quicquam ſuorum dogmatum, quæ ſacroſancta Synodus damnaſſet, inſtillaturos amplius aut inculcaturos: viros profecto ὧν ὐκ ἔςιν ἄξιος ὁ κόσμος· * qui mihi de cæterorum quoque fratrum partim exiliis, partim periculis minime grata narrabant. Impetraverunt illi quoddam ab Archiducibus aſylum in pago Walvico, b) admodum Hollandiæ vicino: unde velut e ſpecula aliorum eventus ſpectare poſſunt, & bonam cauſſam, quantum licet, promovere non deſinunt. Interea populus illis addictus & fervore & conſtantia indies proficit: adeo ut nonnulli & bombardarum & haſtarum præferratarum ictus excipere & ſuſtinere maluerint, quam concionem ſacram deſerere: quanquam non defuerint homines militaribus animis, qui vim vi opponere voluerunt: quod mirum in illis videri non debet, qui tam ſevera lege nondum profecerunt, ut ex diſciplina Servatoris omnia patiendo vincere velint, ablatis præſertim modeſtiæ cuſtodibus ac magiſtris. Jam ex Profeſſoribus præter Vorſtium & Epiſcopium abdicatos quoque audio Bertium & Voſſium & Barlæum, c) idque cum hac appendice, ut neque ſcholas diſcipulis privatim aperire, neque menſas convictoribus inſtruere poſſint; quod perinde valet, ac ſi ſolum vertere juberentur, interceptis nimirum omnibus vitæ ſubſidiis. Goddæus & Jacchæus d) a munere ſuo ſuſpenſi ſunt: idem pericu-

73

H

* Quibus dignus non eſt mundus.

a) *Synodi Dordracenæ decreto*, quæ hoc anno medio idem illud, quod promulgaverat, etiam executioni ut daret, ſedulo laboravit.

b) Quo undecim omnino curribus eo avecti *Remonſtrantium* doctores præcipui, comitibus apparitoribus, & *Epiſcopius* cumprimis, abierant a domino hujus vici *Joh. a Leefdael* benigne excepti, & a *Sylvæ-Ducenſi* Epiſcopo convivio etiam honorati, in quo *Jeſuitæ*, cum *Dominicanis* commiſſi, novis propemodum turbis occaſionem dedere, cauſſamque eorum, quam *Dominicani*, *Calvini* placitis faventiores, oppugnabant, acrius defendendo, hos, ut in ſuggeſtum provolarent, concitarunt. De quibus, & abitu hinc conſequuto *Antwerpiam*, Vitam *Epiſcopii* ad h. a. f. 247. ſqq. conſulere, operæ pretium putamus.

c) De his virorum doctiſſimorum fatis vid. eadem *Epiſcopii* Vita, a *Limborchio* plenius anno 1701. forma 8va deſcripta & publicata, f. 251. ſeq. *Barlæi* autem, Medici & Poëtæ feliciſſimi, fortuna quæ ſigillatim fuerit, & quis denique lugubris vitæ exitus, aliunde notum eſt.

d) Conf. l. c. f. 252. Cæterum *Goddæum*, qui heic commemoratur, rectius *Coddeum* (*Guilhelmum* nimirum, *Hebr. Ling* & Chald. *Lugdun. Batav.* publ. *Profeſſorem*) ſcribi, monemus. *Jacchæum* autem Philoſophiam, ac, niſi fallor, *Phyſicam* docuiſſe conſtat.

periculum Meurſio adhuc intentatur, niſi intra ſex menſes ad frugem a) redeat; quod tamen Sylvius Juriſconſultus ultro adiit & præcepit. Erpenium defectus ſucceſſoris adhuc defendit: quem interea honeſta quadam legatione b) ſemoverunt. Miſſus enim huc, adeoque eodem ipſo curru nobiscum Bruxellas usque profectus eſt, ut Molinæum c) ambiat, & in Academiam Lugdunenſem accerſat: in quo tamen hactenus fruſtra eſt: & fortaſſis brevi Montaubanum hinc abibit, ut Chamierum pariter tentet. Quos in cæterorum locum ſuffecturi ſint, hactenus me latet: hoc tamen pro certo habeo, non facile alibi reperturos, qui Academiæ modo florentis famam cum dignitate pari ſuſtineant. Sed hoc illi parum curant, modo boni ſint Stoici: d) id enim unum nunc agitur, ut ſecta Zenonis terras regat, & fato tem-74peret orbem: ſed meo animo nimis calide; quod ipſum forſan eos præcipitabit. An enim illi poterunt, quod potentisſimo regum ἀδύνατον * fuit, ut conſcientiarum imperium involent, & religionem vi ſanciant. Aut ego parum perſpexi populi Belgici ingenium, aut illi vehementer ſpe ſua fallentur. De quo videat ille, qui omnia: cui te jam ad extremum, mi frater, cum omnibus tuis, ſeu potius noſtris, ex animo commendo. Dab. Lutetiæ Pariſ. a. d. Cal. Oct. cIↃIↃcxix.

XI.

M. RVARVS PETRO BERTIO. e)

VAriis primum itinerum jactationibus, quæ a vobis diſcedentem exce-

* Impoſſibile.

a) Ibidem, librorum ſcriptione ut abſtineret, & prælectionibus diligentius vacaret Græcæ, quam profitebatur, linguæ, *Meurſio* imperatum eſſe, narratur. Cui mandato non ſolum paucitas auditorum, vix unius alteriusque, occaſionem dedit, ſed etiam *Barneveldii* patrocinium, cujus commendatione hanc Profeſſoris dignitatem erat conſequutus. Add. ad hæc illuſtranda Epiſt. *Elmenhorſtii*, quæ *Novæ Librorum Conlect. Lipſienſi* Faſc. III. f. 594. ſeq. eſt, cum cæteris, attexta.

b) Deſcriptum eſt hoc iter fuſius in *Memoria Erpeniana*, quam *Wittius* inter Memor. Philoſophorum &c. recuſam dedit *Decad. II.* f. 156. ſeq & h. l. conſuluiſſe haud pœnitebit.

c) *Petrum* videlicet, ex *Arminianismi Anatome* clarisſimum, atque Remonſtrantibus inprimis inviſum, qui hoc tempore Eccl. Reform. Pariſienſ. miniſtrum agebat, maximaque jam tunc & tanta inter ſuos auctoritate pollebat, ut plurimis Synodis in Gallia celebratis, quod *Æmonii* Collectio nitidisſima docet, præeſſet.

d) Hoc eſt, modo abſolutum decretum ſuum conſtanter tueantur, & præſto ſint, qui docendo ſaxum illud diligenter volvant.

e) Pluribus jam de *Bertio* in *Hiſt. Crypto-Socin.* Cap. II. actum eſt. In præſenti *Ethices* fuiſſe hoc tempore *Lugduni Batavorum* Profeſſorem, ſed cum *Barlæo*, qui *Logicam* docuerat, ab officio iſthoc remotum eſſe, jam annotaſſe ſufficiat.

exceperunt, deinde secessu meo Blesensi, a) unde non tam commoda ad vos tabellariorum copia, denique occupationibus quibusdam meis factum est, ut promisso minus steterim, neque quas debebam literas hactenus ad te scripserim, Clarissime Berti. Interea neque de te non cogitavi sæpissime, prout id non modo virtus atque eruditio tua summa, sed & singularis illa erga me benevolentia requirit: neque, ut deesset, quod loqueremur de te, quotquot hic te colimus, permiserunt illi, qui hoc unice istic agere nunc videntur, ut per quotidianas injurias exerceant morosum seculum celebrentque grandibus patientiæ exemplis. b) Infesta profecto sunt hæc virtutibus tempora, quæ non tantum bonos viros præmiis spoliant, sed & debitas vitiis pœnas in eosdem a merentibus transferunt. Et si fatum est, quod nobis hæc instituit tropica, aliena a primis moribus, (ut est profecto, sed non illud in cœlo ab æterno fixum, ἀλλὰ χθὲς ἢ πρώην * in Zenonis c) schola natum) facile inducor, ut credam posthac, quod eruditissimis tuis scriptis valide hactenus negasti, nihil esse tam iniquum, quod fato non fiat. Et quis tandem horum malorum finis aut remedium? ego quidem id nondum video, neque tamen despero, Deum optimum maximum, postquam satisfeceritis constantiæ examini, exauditurum tandem preces tot millium, *qui clamant ad eum nocte & die*, mitigaturumque disciplinæ acrimoniam, quæ mollioribus sine dubio lachrymas, fortioribus gemitum etiam invitis sæpe jam exprimit. Illi vero, qui per innocentiæ ludibrium regnum sibi jam struunt, videant sane, ut fortunam reverenter habeant, quæ, utcunque splendeat instar vitri, facile frangitur, neque secundarum rerum fiducia Nemesin irritent, quæ laneos quidem habet pedes, sed indignationis tarditatem gravitate sæpenumero compensat. Interim sui illos mores egregie jam ulciscuntur, quamvis id minime sentiant, hoc ipso miseriores: &, si omnia alia evadant, instabit tamen ipsis generis humani conscientia, quæ, si quis adhuc restat libertatis vigor, quæ vestræ quidem genti vernacula semper fuit, memoriam eorum ad posteritatis tribunal persequetur.

75 76

H 2 Ignosce

* Sed heri aut nudius tertius: proverbialiter dicitur de re nuper nata.

a) *Blois*, ad *Ligurim* urbem amœnissimam, se cum comitibus adiisse innuit *Ruarus*.

b) *Dordracenos Patres*, cum *Proceribus*, *Anti-Remonstrantium* parti addictis, inprimis *Bogermannum*, *Gomarum* & reliquos subindicari, facile est intelligere.

c) Iterum ad Stoicam *absoluti decreti* patronorum sententiam quasi fatalem, ad instar *Stoicorum*, quod statuunt, *fati*, comparatam, hæc respiciunt. *Stoicos* enim ex *Zenonis* schola prodiisse tritum est in Histor. Philosoph. neque ulli hominum, qui vel a limine eam salutarunt, ignotum.

Ignosce quæso, Vir amicissime, justo dolori, qui indignationem hanc expressit miti meo pectori, quod alias ne illis quidem male vult, quorum vitia nonnulla nisi odissem, amicitia tua indignus forem. Privatæ meæ res (εἰ καὶ τούτων φροντὶς *) sic satis commode se habent, neque studia mea (quod sine jactantia dixerim) ut nunc quidem est, infeliciter procedunt, quæ linguarum fere sunt, Gallicæ, Hebraicæ, a) Arabicæ, ad quas omnes magistros satis commodos, unum post alium nactus sum. Si patronus meus voto meo subscribat, hac æstate σὺν θεῷ ** Italiam adhuc salutaturus sum: ut imposito peregrinationibus velut colophone, fixam fortunæ meæ sedem inde jam expeditus quærere possim: quam ubi tandem inventurus sim, θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. *** Britannicam quidem illam conditionem, b) quam nosti, alto animo graves ob causas respui, semelque decrevi, fugere posthac omnem invidiosæ pompæ ambitum, fortunamque ut vestem eam potissimum eligere, quæ apta mihi sit potius, quam quæ amplitudine me sua oneret, in qua neque potentiorum libidini ingenuitas mea prostet, & cum sola mihi sint sapientia rationes, quam omnibus ego istis longe præfero, quibus plerique inhiantes spes & vota sua lente consumunt. Relinquendus est magnatibus ambitionis æstus, neque plebejæ miscendus fortunæ: cujus in simpulo fluctus quis sine risu conspiciat? Illorum 77 vero, quia major plerumque res agitur, morbus excusatior est, quanquam haud paulo etiam periculosior, quia contagio quamplurimos trahit ac involvit: quod utinam ne nimis doceret jam dulcissima nostra patria, c) cujus nobilissimæ quædam provinciæ inter calida procantium desideria tam misere jam differuntur. Dicitur illi Christianissimus Rex aliquid destinare remedii, missa eo splendidissima legatione, cujus caput est Arverniæ Comes, quæ pacem diffidentibus partibus suadeat; quæ utinam tolerabilibus tandem conditionibus conficiatur. Metuebamus etiam propemodum in hoc regno nonnihil turbarum

* Si tibi & horum cura est. ** Cum DEO.

*** DEO ante genua aut pedes situm est: proverbialiter, pro: Deus optime novit.

a) Harum enim linguarum fundamenta se *Rostochii* jam posuisse, alibi docet. Vid. Cent. I. Epist. 17. ubi & quibus Magistris, *Erpenio* videlicet Lugd. Batav. & *Maronitis Parisiensibus*, *Lutetiæ* usus sit, explanate magis exponit.

b) De qua supra Epist. 10.

c) Germaniam puto subinnui, ubi post alios motus clandestinos & fœdera, ex utraque parte inita, *Friderici V.* Palatini electio & forte etiam coronatio, ut *Regis Bohemiæ*, immensa mala portendebat. De clade enim, eidem a Cæsareanis illata, hæc nondum intelligi posse, temporum rationes ostendunt. Paucis: Belli tricennalis sive præludia sive initia subindicat, quæ optat in herba opprimi *Ruarus*.

barum ob conventum, quem Reformatarum ecclesiarum legati Lauduni a) agebant, & contra Regis voluntatem protrahebant: atque sunt, ut audio, calidiores nonnulli, qui eum ne nunc quidem dissolvendum, & fortassis alio transferendum putent, quamvis rex læsæ majestatis crimine eos damnaverit, nisi intra certum diem, qui jamjam præfinitus est, ad suos quisque discedant. Si Bearnense b) negotium, quod tantis utrimque animis geritur, blande transigi posset, de cæteris credo facilior res esset; quod tamen & ipsum clementissimus Deus, in cujus manu sunt corda regum, ita, ut spero, gubernabit, prout ecclesiæ reique publicæ expedire novit. Aguntur jam quoque per provincias Synodi a Theologis: de quibus, quod tibi referam, aliud non habeo: consiliorum enim secreta nobis pullatis, qui nec in orchestra, nec in quatuordecim spectamus, parum constant. Salutavi nuper 78 hic Danielem Tilenum, c) virum eruditione etiam apud illos venerabilem, quibus alias invisa est illius moderatio; magno seculi vitio, quod virtutem, quæ inesse omnibus debebat, ne in Theologo quidem ferre potest. Transtulit huc ille rerum suarum sedem, ut fortunæ injuriam d) privato otio concoquat, & quodammodo in oculis præcipui sui adversarii e) ulciscatur: quod, utut cætera se habeant, mihi, qui tanti viri consuetudinem ambitiosis votis diu jam appeto, non incommode cecidit. Ad extremum (properat enim jam ad finem pagina) hoc te, mi Berti, oro, ut pristinam mihi benevolentiam tuam perpetuo conserves, teque contra a me, si non æstimari quantum meH 3 reris,

a) Non Synodi celebrandæ gratia, quæ paullo post *Alectæ* coivit, *Petro Molinæo* præside, sed de rebus ad Ecclesiam Reformatam pertinentibus, utcunque stabiliendis consultaturi.

b) Id quale fuerit, & quanti motus hinc orti sint, cum bona Ecclesiastica occupata *Bearnenses* restituere juberentur Reformati, & ipsis quoque, ex eo agro ut emigrarent, imperatum esset, hoc obtentu præcipue, quod *Nannetensis Edicti* libertate gaudere, tanquam ad *Navarræ regnum* spectantes, haud possent, Historici rerum in Gallia hoc tempore gestarum cuncti fere testantur, & copiose narrant.

c) Propter *Remonstrantium* caussam, quam impugnaverat primum, tandem vero propugnatam *Lutetiam*, e *Sedanensi Academia*, ubi Theologiam publice docuerat, ejectum, nuperrimum ergo ibidem advenam.

d) Munere enim publico, quod *Sedani* administraverat, exauctoratus & exutus eo advenerat.

e) *Petri* illius, de quo antea, *Molinæi*, hostis *Remonstrantium* pæne dixerim jurati. Cæterum istic inter commercia litterarum cum *Arminii* asseclis continuata, inter varios trucesque podagræ dolores, *Tilenum* ad annum usque 1633., quo obiit, perstitisse, *Epistolæ*, quas vocant, *Remonstrantium* edocent; in quibus ad *Episcopium*, *Vytenbogardum*, *Grotium* aliosque perscriptæ, ipsæque voluntatis ultimæ quæ fuerint tabulæ, enarratum legitur.

reris, (hoc enim ingenii mei imbecillitas prohibet) amari tamen etiam ultra quam æstimare possum, certissime tibi persuadeas. Vale, & clarissimo Vossio per occasionem plurimam a me salutem. Dabam Lutetiæ Parisiorum. a)

XII.

P. BERTIUS b) M. RUARO.

Redditæ sunt mihi literæ tuæ, amicissime Ruare, in quibus spirantia veteris modestiæ tuæ & pietatis jampridem mihi cognitæ lineamenta, cum eximio in me affectus tui testimonio, exosculatus sum. De me ita est. Synodus Hollandica, in qua confessionem veritatis publice edidi *coram multis testibus*, me Cœna Domini abercuit, comminata insuper excommunicationis ultimum telum, ni revocem sententiam, & Synodo Dordrechtanæ subscribam. Eadem quoque me detulit ad Illustres Ordines: qui me exutum dignitate omni, c) & necessariis vitæ præsidiis orbatum per D. Curatores, vetuerunt etiam adolescentes bonarum artium studiosos domi alere, d) aut collegia scholasque aperire iis, qui vel linguarum, vel historiæ, vel philosophiæ & eloquentiæ rudimenta ex me vellent discere. Sic nunc vivo, mi Ruare. Interea non desino cœtus publicos frequentare, vel in id, ut intelligant omnes, non me divortii istius ac secessionis caussam esse, sed eos ipsos, qui, quos comitate & benevolentia sibi poterant adjungere, gaudent a se removere, fracta mutuæ fraternitatis contesseratione. Miseret me interea reipublicæ & ecclesiæ, & liberorum meorum, quos video paterna privatos commendatione, difficilius posthac in patria adsurgere & promoveri posse. Sed curas istas Deo committo, qui neque me, neque ipsos destituet. Certe per me non stabit, (ita spondeo Dei fretus virtute) quin exemplum saltem posteritati dem constantiæ & moderationis, serio illud meditans Servatoris nostri, atque etiam meis instillans, *in patientia vestra possidete animas vestras*. Quæ de nobis illic sint judicia, gaudebo ex te intelligere, priusquam (quod forte futurum est) e) ipse illuc excurram. Hic enim dici vix potest, quibus artibus

79

a) Exarata est hæc epistola, uti ex sequenti patet, sub initium anni 1620.

b) Responsio hæc est ad proxime præcedentes litteras reddita.

c) Collegii Regentis & Prof. Ethices.

d) Convictores videlicet: qua potestate & libertate etiam *Vossio* tunc interdictum fuit; ita tamen, ut huic, clandestinum magis, quam publicum, *Arminii* cum discipulis patrocinium præ se ferenti, stipendium octingentorum florenorum ad tempus, & quousque Curatoribus placeret, concessum sit.

e) Et factum etiam, quod, rebus angustis domi ipsum prementibus, animo constituerat; sed ita proh dolor! factum id

artibus in nos insurgat mundus, concionibus, scriptis, edictis, carceribus, proscriptionibus, cantilenis, picturis, famosis libellis: quibus ita in nos plebis animi concitantur, ut in καθάρματα & περιψήματα τȣ̃ κόσμȣ.* Sed bene habet: *civitas nostra est in cœlis*: nobisque, quum hinc excesserimus, patebunt sedes illæ, in quas mundo nullum jus est. Tibi vero gratulor, quod illic Tilenum habeas, cujus sermonibus & exemplo possis veram pietatem exercere. Rogo illum meis verbis salutes, moneasque, ut, si consilio juvare me possit, juvet, hoc est, sicubi forte judicet me non ὀρθοποδεῖν,** revocet in viam. Velim quoque ex te scire, quomodo ipsi cum D. Molinæo & ecclesia Parisiensi conveniat, a) ut, si contingat me illuc evolare, sciam jam ante, quomodo illic tuto possim vivere, & ad quos me debeam adjungere. Vereor enim, ne discedentem antevertant judicia illorum, qui de nostris capitibus soli hodie suis in comitiis deliberant, statuuntque prout volunt, procuduntque formam quam cupiunt, quamque suis rebus profuturam putant. Hæc aliaque ad me perscribas velim, certus nihil mihi tuis literis gratius hoc tempore posse contingere. Vale. Lugduni Batavorum, VI Aprilis CIϽCXX. 80

Hanc 14 & sequentem 15 epistolam oportuit omnium fere primas b) *fuisse; sed per errorem hic insertæ sunt.* 81

XIV.
M. RVARVS, JOACHIMO ET PETRO RVARO FRATRIBVS. c)

Binas a te, mi Joachime, literas accepi: quarum illæ, quas priores suspicor (nam tu neutris diem addideras) erant aliquanto stomachosiores, quod suppellectilem tibi tuam nondum misissem; quam tamen te posterioribus jam accepisse significas: quocirca non ero multus in excusanda illa culpa, quam tu non apud me residere suspicari debebas,

* Purgamenta & rejectamenta mundi.
** Recto gressu sive recta via incedere.

est, ut cum *Belgio* etiam sacra mutaret priora, & ad *Pontificios* deficeret. Qua de re in *Hist. Crypto-Socin.* Cap. II. lit. B. dictum est plus satis.

a) Male, quod ad *Molinæum* attinet, quem supra jam, ut adversarium *Tileni*, descripsisse *Ruarum*, miror, haud esse a *Bertio* animadversum.

b) Male ita rationes inivisse *Ruari* filios, ex eadem & pleniori quidem Epistola, quæ Cent. II. n. 8. reperitur, patet.

c) Alteri, *Joachimo*, *Medicinæ*, alteri, *Petro*, *Theologiæ*, Studiosis: De *Joachimo* res est extra dubitationem posita. De *Petro* autem cur ita sentiam, *Asselmanni* Collegia frequentata, & ipsius *Candidati Theologiæ* in Epistolarum harum altera nomenclatura, credere jubent.

debebas, ſed apud eos, a quibus emendos mihi libros injunxeras; quorum moras ignorare non potes. In utriſque autem multa ſcribis de rumore hæreſeos, a) quem de me tum apud parentes cognatosque, tum apud omnes fere amicos meos ſparſerint homines ii, quos ego nunquam ullo maleficio læſi. Quod quanquam mihi ſane perquam grave luctusque plenum accidit, cum ſentiam eo me crimine & dolorem & odium illorum concitaſſe, quibus & gaudio meo fortaſſis merito & amori eſſe debebam; novum tamen non fuit, cum non neſciam, quam gravi infamia malevolorum vocibus conflata multi etiam innocentiſſimi ſanctisſimique viri ſæpe laboraverint. Si hæreſis eſt, credere, quicquid in ſacris literis perſcriptum eſt, aut bonis inde con-82 ſequentiis deduci poteſt, fateor me nominis iſtius crimen, quod mihi cum Paulo ſanctisſimo Apoſtolo commune eſt, non aſpernari. Sin autem hoc nonnullos male habet, quod aliquanto liberius in ſententias variarum ſectarum inquiram, nec Theologos quosdam tanquam ancilia cœlo delapſa adorem, aut reſponſa illorum pro oraculis meris habeam; b) in eo tantum abeſt, ut me peccare putem, ut in altero ipſum eundem Paulum habeam pro auctore, qui ſpiritus non extingui, prophetias non ſperni, ſed probari juſſit, in altero diſcipulos ipſius, qui dicta ipſius, tanti Apoſtoli, cum Scripturis tamen conferre non dubitabant, priusquam illis fidem adhiberent. Hanc mihi libertatem qui volunt eripere, vereor ne eo ipſo cauſæ ſuæ infirmitatem imprudentes prodant, quam non patiuntur tractari, cenſeri, ponderari: veritas enim judicia non reformidat, cum ſciat nunquam ſe pulchriorem apparere, quam cum verſando niteſcit, nunquam rectiorem, quam cum ad normam exigitur, nunquam graviorem, quam cum appenditur. Olim hæc fuit tyrannis, cum antichriſtus adhuc omnia ditione ſua premeret, ut, ſi fortaſſis monachus aliquis, dum ſeptem penulis in cella coopertus ſedet, neſcio in quæ Epicuri intermundia abreptus, fumos & nebulas aliquot collegiſſet, febriculoſi capitis ſomnia pro divinis reſponſis nobis venditaret. Has epulas cum putarem majores noſtros

a) *Socinianæ* nimirum, nec injuria, ut jam ſuperius demonſtratum eſt in *Hiſt. Crypto-Socin.* & res ipſa cum factis ſcriptisque teſtatur. Cujus & ipſum *Joachimum* tandem labe infectum fuiſſe, cum *Altorphium* advolaret, ibidem oſtendimus.

b) Eſt media quoque via, a qua cum aberraret *Ruarus*, rationi curioſæ magis, quam reverentia verbi divini pia & modeſta permittit, indulgens, in barathrum illud errorum, quos neque ipſe, deinceps occœcatus, ſuique quodammodo impos, agnoſcere voluit, incidit, aliosque ſecum, quod inprimis dolendum, haud paucos abripuit.

ſtros ſemel evaſiſſe, video proh dolor! reliquias adhuc poſteris in de- 83 glutiendo negotium faceſſere: quas tamen ne ſine condimento nobis obtrudant, amabile libertatis a) nomen, cujus temeratores videri nolunt, in hæreſeos crimen vertunt. At hoc artificium valeat apud ſimpliciores, quibus fucus nondum ſuboluit: me, qui æra lupinis diſcernere didici, nihil umbratilis larva terrere poteſt, quæ fixius inſpiciendo ſenſim evaneſcit. *Ad populum phaleras.* Vos autem, meæ animæ, fratres mei, quorum ipſum nomen in ore meo dulceſcit, per ſanctum illud ſanguinis vinculum, quo natura nos colligavit, oro & obteſtor, primum ne hac mea juſtisſima libertate quicquam offendamini, aut de veſtro in me amore remittatis, certisſimeque vobis perſuadeatis, me nihil, quod ad religionem attinet, temere aut præcipitanter agere, ſed in ſententia ſacrarum literarum, quam accurata lectione ardentisſimis juncta precibus indagare b) ſoleo, libenter acquieſcere, nulla nec ingenii mei fiducia, nec alienorum contemptu: c) quæ tamen nonnunquam doleo ignea ſua vi ita attolli, ut dum cœlos ſcrutari, & rationis ſuæ decempeda, quam præjudiciis inflexerunt, metiri volunt, Theologiam, quam Chriſtus vivendi normam eſſe voluit, in ſcholaſticam rixandi d) libidinem transforment. Deinde precor, ut, quoniam parentes & cognatos hoc ſtudiorum meorum inſtituto, cui maximi criminis infamiam aſperſerunt alii, graviter ad dolorem commoviſſe nec leviter abalienaſſe videor, literis veſtris ſubveniatis, & mihi quidem 84 parentum cognatorumque favorem & amorem, illis vero diſpulſis inutilis mœſtitiæ nebulis tranquillitatem animi lætitiamque reſtituatis. Ego quidem, quicquid a me literis fieri potuit, efficere conatus ſum. Sin illis nihil hactenus profeci, video non literis meis amplius, ſed me

a) Libertatis nomen *licentiæ* petulanti, luxuriantis nimirum & *tumultuantis adverſus fidei ſanctisſimæ ſimplicitatem*, rationis obtenditur. Sed ita fit, ubi, dum libertatem meram cogitamus, & ipſum divinæ revelationis ἐλαφρὸν illud & nobilisſimum jugum vinculaque dulcia Chriſti repudiamus, veritatem non altercando tantum, ſed & ratiocinando amittamus.

b) *Præceptis* tamen jam animo *opinionibus*, quas *Sonerus* ſuggeſſerat, occupatus. *Vnde* & *convictio imaginaria* oriri ſolet, quæ *Martyres* etiam non Chriſti, ſed *ſectæ*, pariat.

c) Dubito; ſi modo, quid de *Schoppero* optimo ſenſerint ſodales illi novarum rerum *Altorphini*, recordari ex ſuperioribus placeat.

d) *Non* ſunt *rixæ*, ubi περιΐστασθαι, ne quid errorum in Eccleſiam obrepat, ſolent, & pii veritatis piæ doctores pro *depoſito* Chriſti ſervando vigilant atque laborant: Etſi illis tales forte videantur, qui *Chriſtianiſmum omnium myſteriorum expertem*, ut *Lockio* viſum eſt, ſomniant.

ipso præsente, a) ibi opus esse: qua de re serio cogito, ut si aliter non potest, in patriam me deportem, ac sedem fluctus illos, quos non aliter in simpulo excitatos sentio, ac si Ægæum mare concitatione ventorum totum erueretur. Tertio rogo vos, & quam cara vobis est animarum salus (debet autem omnium rerum esse carissima) cohortor, ut & ipsi tam precibus ad Deum fundendis, quam sacris literis legendis diligenter incumbatis, & tum sententias, tum verba, quibus illæ vestitæ sunt, religiose semper observetis, nec ullis sentiendi & loquendi formulis facile credatis, quæ non aut ad verbum in illis extent, aut evidentissimis consequentiis sint deductæ: quanquam ego fere persuasus sum, vix aliquid ad salutem scitu necessarium b) esse, quod non disertis verbis in divino codice legatur, cum consequentias acutas, quas ego quidem, ut ad eruditionis profectum valde fructuosas, non aspernor, rudiores vix intelligant; quorum rationem Deum non minorem, quam hominum eruditorum in iis, quæ præcise necessaria sunt, habuisse, plusquam verisimile est. Cum autem non dubitem, quin vel 85 sexcenties ibi lecturi sitis, ei, qui felicitatem æternam consequi velit, opus esse fide viva, quæ non tam in scientia, c) quam in observatione mandatorum Dei consistit, siquidem non quisquis Domino Jesu dicit, *Domine, Domine*, in regnum cœleste intrabit, sed qui fecerit, quod vult Pater ejus, qui in cœlis est; proinde moneo vos, & tanquam fraterni amoris pignus vocem vobis hanc commendo, ut innoxios vos & immunes præstetis ab omni flagitiorum scelerumque macula, ut imprimis

a) Quod propositum, nescio, seriumne fuerit, an simulatum; quia non multo post discedens *Altorphio*, prætexensque iter in patriam, *Poloniam* ingressus est, eoque subito evolavit, neque inde, nisi nova, quam præceperat, sententia, bene confirmata, in has terras rediit. Cum qua observatione conferatur Cent. II. Epist. 10. & 11.

b) Antiqua hæc est cantilena, disertis verbis, ita, ut *Sociniani* velint, omnia in Script. S. expressa esse oportere: cui vel sola Christi cum Sadducæis disputatio Matth. XXII. refellendæ sufficit.

c) Ecquid vero statuebas, *Ruare*, de *fide* quam maxime salutifera? Omnine illa *notitia* (quicquid sit de vocabulo *scientiæ* ambiguo) destituta, ac DEI unius, qui sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, cui in Baptismo definire consecramur, & Christi quoque, ut liberatoris nostri per sanguinem piacularem loco nostrum fusum, aliorumque fidei capitum cognitionum expers est? Non puto, & *Christus* ipse, salutem æternam Joh. XVII, 2. ex ἐπιγνώσει illa deducens, quo minus id fieri possit, prohibet. Videris ergo, *sterilem notitiam*, cum ipsa fidei sincera, *ingenua vividaque cognitione*, quam utique ex fructibus piis cognoscere jubet 1 Joh. II, 5. sqq. Apostolus, commiscere. Certe, quæ de actu *dicendi* tantum, non *noscendi*, agunt verba *Christi* Matth. VII. parum huc quadrant, & 2 Joh. Epist. comm. 11. coll. 2 Cor. XI, 13. *doctrinam* quoque ad ea, quæ bene vel male fiant, referri, certum est.

mis cupiditatibus vestris fibulam imponatis, ut nuncium remittatis omnibus, quibus plerique nimis inhiant, ut omne voluptatum obsequium ejuretis, ut academicum aut potius epidemicum gulæ morbum cane pejus & angue fugiatis, ut omne nepotum otiosorumque balatronum sodalitium aversemini. Pauci, mihi credite, in hoc ætatis flexu, quo nos sumus, ita currum suæ juventutis egerunt, ut non ad metas adhærescerent: quo magis nobis conandum est, ne numerosa potius vestigia, quam tuta sequamur; cum frequentia sit infelicitatis indicium, & quidem veluti character. a)

Reliqua desiderantur.

XV.
MARTINUS RUARUS, JOACHIMO ET PETRO RUARO FRATRIBUS. b)

QVod de literarum mearum raritate conqueramini, fratres carissimi, non miror, si tanto temporis spatio, quod significatis, nullas accepistis: illud magis miror, nullas vos accepisse, cum ego non unas dederim; quas quoniam periisse suspicor, hoc ipsum magis me retardat, quo minus crebro scribam: nec enim sunt ejus generis epistolæ meæ, quas vobis mitto, ut in aliorum manibus sine meo dispendio c) versari possint. Nimis autem prolixum foret, si, quæ scripseram alias, omnia repetere vellem, nec est, ut opinor, necesse. Convertor ad proximas vestras a. d. XVII. Cal. Jun. datas, quas post menses plus quatuor demum accepi: ut ne miremini, si meæ quoque tanto locorum intervallo, quo disjungimur, nonnunquam paulo serius ad vos perveniant. Repetitis autem veterem cantilenam, de hæresi mea, quæ in omnium ore versetur, de infamia, quam apud notos ignotosque, maximos, minimos conflaverim, de dictis quorundam aculeatis, quibus innocentiam meam perstringant, de cognatorum, affinium & amicorum commiseratione, qua calamitatem æternam meam persequantur, ac imprimis de luctu carissimæ matris, d) quæ tantum non effletis oculis vix persuaderi possit, ut vitam amplius ducere velit. Quid dicam, mei fratres,

a) Scriptam hanc esse epistolam anno MDCXV. ex Centuria II. n. 8. patet, ubi integra ea typis exscripta legitur, quæ hoc loco mutila comparet.

b) *Rostochii* sine dubio studiis litterarum operam hoc tempore dantibus.

c) Eam ipsam ob caussam, qua caussam suam in pessima caussa male profecto dixerat atque pinxerat.

d) Vnde forte, patrem interea mortuum esse, cujus in superiori epistola non obscura erat injecta mentio, colligas. Quam tamen conjecturam sequentia quædam in hac & sequenti epist. 24. collabefactant.

fratres, hæc mihi non acerba accidere? non ſum adeo Stoicus, nec ferrum circa pectus habeo, ut affectibus quantumcunque reſiſtam, humanitus non agar, cum hæc talia ad nauſeam, ſed nondum ad ravim audio dici: præſertim autem excruciat me matris intolerabilis dolor; quem 87 ego quovis meo vulnere, atque adeo morte, ſi pie fieri poſſet, redimere vellem. Sed quid faciam? non poſſum præſtare, quid alii de me ſentiant, aut loquantur: hoc vero præſtare poſſum & præſto, quantum ſpero, Dei immortalis ope, ne cuiquam merito de me male ſentiendi aut loquendi anſam præbeam. Neſcio, an poſſim æquis auribus veſtris, ſed rogo tamen, ut liceat dicere, quod ſentio, & conſcientiæ ſecretum in ſinum veſtrum exonerare. Videntur mihi nonnihil mortalium conditionis obliti, qui nos tanquam in hoc juratos, a Lutheri a) noſtri veſtigiis ne transverſum unguem in latus abire, nec ubi ſubſtitit ille, vel punctum progredi permittunt: quaſi veritas non eſſet, niſi quæ divinis ejus pedibus calcari meruiſſet. Ego vero, quantumvis Lutherum ut magnum virum & Dei ſpiritu ſingulariter agitatum ſuſpiciam, hominem tamen eum fuiſſe memini, nec triſti humanitatis privilegio excludendum; tanto minus, quod poſt aſperrimam hiemem, cum veritas in orbe refrixiſſet, primam glaciem ipſe fregerit, haud mirum ſi non omnem. b) Sic enim natura comparatum eſt, ut magnarum rerum lenta ſint incrementa: nec unius hominis ævo, multo minus ingenio, curari morbus, qui mille *annis* invaluerat, tam perfecte potuit, ut ex eo ne languor quidem ullus ſupereſſet. Quin ne nunc quidem poſt tot præclaros viros, qui corpus hoc, quod Lutheri medicina quodammodo ſanum præſtitit, ut aliptæ ad vires priſtinas, & illam nativi 88 coloris purpuram reducere conati ſunt, quenquam tam eſſe confidentem oportere cenſeo, ut exiſtimet nihil amplius a poſterorum ingeniis in excolenda religione exſpectari poſſe. Nec enim ſterileſcit benignitas divina, quæ multa prioribus concedendo velut exhauſta, ſequentium votis nihil ſuppeditare queat. Dederit hoc antiquitas Apelli, ut

Coæ

a) Non de *Lutheri*, bone vir! ſed Spiritus Sancti in ſcriptura ſacra veſtigiis, agitur, quando de myſteriis DEI Chriſtique, fidei item & juſtificationis per imputata.n Chriſti juſtitiam, de Sacramentis denique & reſurrectione eorundem, quibus mortui tumulantur, corporum, tametſi glorioſorum, agitur.

b) Vel hinc itaque calumnia illa retunditur, qua ex b. *Lutheri* pio ſane *repurgandi Eccleſiam* ſtudio *Socinismum* ortum, nuper admodum nonnemo temere effutivit; cum hinc de eo deſerendo & emendando, quem adhærere ſanctiſſimo labori illi credebant, nævo non uno, nec levibus erroribus, ſed notabilibus, &, quæ caput rei attinerent, vitiis corrigendis, male ſanos hos homines fuiſſe ſolitos, luculenter appareat.

Coæ tabulæ dimidium admirari, quam perfectionem integræ moliri maluerit. Nos Luthero caput & ſumma pectoris, adde etiam media & ima, denique ventrem & femur, id eſt, omnia, in quibus vita religionis conſiſtit, deberi fatemur: nec reliquis tamen invidebimus, ſi quid in pedibus penicillo laborarunt, & ea, quæ non quidem ſumme neceſſaria, ſed utilia tamen ſcitu fuerant, divina nobis ope perpoliverunt. Sic ego, mei fratres, ſentio, quod vobis dictum velim, & ne libertatem hanc juſtiſſimam vitio mihi vertatis rogo. Doctorem ego religionis Lutherum primum habui, nec alium temere ſequor, nec quenquam tamen aſpernor, qui veritatem omnibus in medio propoſitam afferat: magiſtros autem & dominos ferre nequeo, præter Jeſum Chriſtum, qui titulum hunc ſibi ſoli vendicavit, non Lutherum, non Calvinum, non illum denique, cujus mihi nomen a) tanta cum invidia paſſim objicitur. Veruntamen omnis illa fabula, quæ nunc tam tragice agitur, nec cataſtrophen ullam hactenus invenire poteſt, ἐκ τινὸς προτάσεως * cœperit, tu, mi Joachime, non ignoras. Hanc gratiam mihi reponit Livonus ille, b) quod nonnulla paulo familiarius inveſtigandæ veritatis cauſſa ſub ſilentii fide cum illo communicaverim: ubi cum ſua ipſius confeſſione ſatisfacere non poſſet argumentis, qui ſe tamen Theologum non hordearium ferebat, hinc illi ſatis cauſæ, ut non meum tantum caput famæ vitæque diſcrimini objiciat, ſed omnes, qui vel ſanguine, vel amore, vel utroque nos attingunt, ſqualore luctuque compleat. His ſyllogismis diſputatur ſcilicet: his enthymematis nos metuendos facimus: hac ego via ab errore revocandus eram, etiamſi eſſem, ut veſtri putant, omnium hæreticorum hæreticiſſimus, ut non agnoſcerem ducem itineris, ſed lictorem ſequi cogerer. Hæc cum tu, mi Joachime, ſcias, & aliis absque dubio retuleris, quid ſibi tandem 89

* Ex quo initio ſeu primo actu fabulæ.

a) *Fauſti Socini.* De *Sonero* enim præceptore, adhuc nemini, præſertim apud exteros, ſuſpicio, quod ſciam, ſuborta erat.

b) In quem digitum intendat non ſine ſtomacho, dici facile non poteſt. Iterum quidem ejus cum querela haud diſſimili meminit Cent. II. n. 1. ſed pari obſcuritate. Viſum eſt aliquando, *Paullum Demetrovitium* innui; at *Lithuanum* cum ſciam eum fuiſſe, & vix credibile ſit, errorem hunc bis a *Ruaro* commiſſum, neque etiam in exſcribenda epiſtola, quoniam καλλίγραφος idem fuit, illum temere admiſſum dici poſſit, malim hæc in medio relinquere. Ad *Piccartum* memini in epiſtola quadam ſcripſiſſe *Kirchmannum*, eundem *Livonum* ἀνόνυμον, juſſu Profeſſoris cujusdam Academiæ Regiomontanæ, argumenta *Socinianorum* conquirenda deſiderantis, a *Ruaro* ea accepiſſe, atque ea occaſione hunc ipſum infamiam hanc ſibi inuſtam conqueſtum eſſe. Sed neque hæc rem omnem in aprico ſatis ponunt.

volunt ii, qui non desinunt absentem rodere, totque convitiis instar Penthei lancinare? An ut publico scripto me purgem? scilicet ut volatico schedio suspicionem hanc apud eos, ad quos famæ vox pertingere nequit, propagem, & ignem paucis adhuc locis inclusum, per universam, quam late patet, Germaniam diffundam; ut ubique per ardentes prunas incedere cogar: nec enim ignoro seculi mores, cui vix quinquagenario sacramento meam innocentiam persuasurus essem, postquam semel obtinuit, Deo me fidem fregisse. Quis Pelargum a) suspectum non habuit, postquam is de Calvinianismo, quem vocant, se purgavit? Quis Vorstium ex iis, quibus antea ne nomine quidem notus erat, Socinianarum partium esse negavit, postquam has editis libris tantum non abjuravit? b) Vulpem aliena vestigia terrebant: & ego exemplo quam periculo sapere malo. Sed optaretis tamen vos, ut stilum in eos distringerem, quorum insimulor socius? At ne sic quidem aliquid mihi profecturus videor, nisi & omnia illorum damnem, quod nequaquam facere possum, nisi simul pietatem vitæ, quam illi nonnullis sententiis vehementer promovent, quantum in me est, exscindere velim, & id faciens maledictis & convitiis c) crudelibus harum me partium probem, quibus proh dolor! nimis usitatum est, si paucos excipias, his armis hostes suos persequi. Nam licet haberem fortassis nonnulla contra eos, quorum sententiæ juratus dicor, quæ nec illis omnia nota credo, qui tanto supercilio hæreticos proscribunt, tamen, si ea more Christiano modeste proponerem, nihil agerem, & tepidi tantum disputatoris nomen auferrem, quem illi frigido deteriorem clamarent, & ex ore Domini evomendum. Cum omnia circumspicio, rationesque subduco cogitationum mearum, illud tandem sedere cœpit, patientia & taciturnitate incontinentium linguarum libertatem ulcisci;

a) Repete superius jam de eo ad Epist. 8. observata, & ne nunc quidem deesse, qui *Lutheranum Theologum in Lexicis Historicis*, certatim haud ita pridem editis, appellari querulentur, nota.

b) In epistola præcipue ad *Patres Dordracenos* anno MDCXIX. d. 27. Aprilis data, quæ inter *Epist.* ut vocari solent, *Remonstrantium* n, 251. ed. med. legitur typis expressa, digna sane, quæ iterum iterumque relegatur.

c) Quasi vero non alia, quam hac, improba utique, via confessionem veritatis edere licuerit, quam rusticitatem nostrates jam tunc improbarunt pæne omnes. De *pietate* vero *Socinianorum*, a *Ruaro* hoc loco tam studiose deprædicata, & sancte, ne quid adversus eam committeret, habenda, quid sentiendum sit, nemo ignorat, qui quid distent æra lupinis, hoc est, *ex fide vera* orta *sanctitas* & qualiscunque *honestatis*, splendidæ licet, *species*, probe, Christo & Apostolis præeuntibus Matth. VII, 15. Rom. XIV, 23. 2 Cor. XI, 14. 2 Tim. III, 5. 1 Joh. II, 27. 2 Epist. comm. 7. seqq. intelligunt.

ulcisci; quæ postquam blaterando defatigatæ fuerint, aliquando tamen consilescent, & brevius, ut spero, quam si eas obloquendo irritarem. Flamma fortius furit, si resistitur; si permittis liberam, in aerem mox exspirat: canes quoque latrare desinunt, si eas non modo voce, sed ne 91 aspectu quidem digneris. Tubingæ idem de me, qui Rostochii, sparsus erat rumor, ut Voglerus a) inde mihi rescripserat: cum autem istac in itinere, quod Argentinam b) habui, transirem, & nec professoribus nec studiosis ignotus laterem, omnes mihi Pythagoræ silentium professi videbantur: quod non existimo auctoritatis meæ, quam nullam, ibi præsertim, habeo, præsentia factum, sed quia nemine resistente paulatim languescens rumor in auras evanuerat. Istic quoque minus jam vulgatum, ut puto, circulorum argumentum essem, nisi dolore vestro & invidia præsentiæ sermones alerentur. De matre tamen potissimum angor, quomodo illius levem aut leniam ægritudinem. Reditum in patriam, quem illa fortassis requirit, libens adhuc aliquandiu differrem, si fieri possit, non tantum quia rerum id mearum status hic suadet, sed etiam quia invitus in hanc undam necessariarum litium & contentionum, a quibus natura mea abhorret, præsertim dum primo impetu nondum consumto exsultat, immergor. Literis bis aut ter conatus sum eam consolari: quid profecerim, nescio, cum post tuum, mi Joachime, discessum schedam a parentibus non viderim. Est illa sane, ut neuter ignoratis, nimis luctui dedita, nimisque felicitati suæ infesta. Quot illa mei caussa lacrumas profudit, cum nonnemo versus meos, quos quidam amoris in me prodigi (quod sine jactantia 92 dictum velim) laudibus in cœlum ferebant, cœlo scilicet decidisse & pedem cum Vulcano fregisse criminaretur, aut cum vanior alius vulneribus me ob superbiam incessus ad mortem concisum mentiretur? Propemodum tunc satis habere caussæ videbatur, ut fata vivendi votis anticiparet. An toties mori volet, quoties hominibus maleferiatis aut pessi-

a) *Heino Voglerus*, Hamburgensis, de quo paullo post n. 16. & Cent. II. n. 1 &c.

b) Vnde, quando scripta sit hæc epistola, & ex quo loco, effici potest. Sed illud quoque hinc luculenter, ut puto, apparet, nec fratrem *Joachimum*, præsertim in eadem Academia *Altorphina* cum *Martino* viventem, nisi optima quæque opinatum existimasse, ut proinde vel solo hoc indicio pateat, clam & per cuniculos inter sodales *Altorphi* agitatam esse illam *Socinismi* serpentis pestem, ut nec fratres germani, quid sentirent manipularii illi apostatæ, persentiscere aut rescire saltem possent. Ipsumque adeo *Joachimum Ruarum* postea demum ab aliis, quam fratre suo, corruptum, iisdem erroribus approbandis manus dedisse, secus, quam supra factum a nobis est, conjicimus. Pertractum enim esse in illam societatem, multa sunt, quæ dubitare nos haud sinant, & epistola Cent. II. n. 11. addocet.

pesſimum me poetam, aut ſuperbum grallatorem, aut perverſum hæreticum falſo proclamare lubet? Vos, mea corcula, ſubvenite infelici fratri, literisque parentem afflictam refocillate, & audacter ſpondete, nullam me, quod vobis conſtet, hæreſin damnabilem a) animo fovere: ego fidem veſtram ſciens nunquam fallam; cum (ut hoc de ſuo mihi largiatur Auguſtinus,) errare poſſim, hæreticus eſſe non poſſim, quamdiu Deus hunc animum mihi ſervabit. Piget me in hoc argumento diutius morari, de quo antea non exiguam vobis chartam implevi.

De ſtatu veſtro varia mihi ſcripſiſtis, grata & ingrata, prout in rebus humanis uſu venire ſolet, in quibus nullum bonum adeo merum, quod non calamitatis alicujus lacrimoſæ ſucco temperetur. Valetudinem vobis iſtam perpetuam ſane gratulor: vos mihi quoque meam gratulamini, ſed renatam; ante menſes enim aliquot cum febri tertiana ſatis acuta conflictatus, & per dies quamplurimos lecto pertinaciter affixus fui. Nunc aliquomodo melius habeo, niſi quatenus cum reli-93 quiis negocium adhuc conficio, lentum ſane mihique nuper parum decorum: tanta enim copia capilli circa occiput & tempora mihi defluunt, ut deforme propemodum calvicium verear: quod ego Syneſio b) laudandum relinquere malo. Vertigo etiam, quæ mihi jam aliquot annis, quoties caput reclino, familiaris fuit, fortasſis ex vigiliis Hamburgenſibus c) nata, paulo vehementius cerebrum turbare cœperat, ut fere poſt febrim ſolet: nunc autem in antiquos limites rediit; hactenus tamen ſatis moleſta, non tantum quia cum ipſa dolor quidam circa os ventriculi, ſive in ipſo, ſive in alio vicino viſcere, cujus cauſſam exputare nequeo, fere ſemper conjungitur, quem horror imi ventris interdum comitatur, ſed etiam, quia gravioris eam morbi nonnunquam prodromum audio; quem Deus Opt. Max. clementer avertere

a) Largiter enim ſolet hæreticorum nomen id genus hominum accipere, & in ſola tantum errantium melioraque edoctorum, ſed ſpernentium, pertinacia conſtituere. Vt vitium proinde voluntatis potius corruptæ eſſe, quam intellectus, credant, *complementum*que adeo triſtisſimi hujus animi ſtatus cum ipſa ejus natura ac forma confundant, & *ſenſum* præterea *Scripturæ Sacræ* dictorum cum *Eccleſiaſtico* uſu vocabuli commiſcere. Quæ quoniam integro de *definitione Hæretici*, materialiter, ut ſolent nonnulli βαρβαρίζειν, libello pereruditо ſane, b. *Zeidlerus*, Auguſtino potisſimum conſultò, explanavit, noſtrum non eſt, demonſtrare uberius: quibus, quid monſtri hic alat, pro innocentia ſua tam operoſe, propugnans *Ruarus*, oſtendiſſe ſatis eſt.

b) *Ptolomaidis in Ægypto Epiſcopo* ineunte ſeculo V. ob varias cauſſas celebri, ſed propter librum, quo *Calvitii Encomium* ad poſteritatem transmiſit, hoc loco notato.

c) Quando Gymnaſii illius, jam tunc celeberrimi, adhuc alumnus erat.

tere velit. Tuum, mi Joachime, consilium a) hic requirerem: nam ut alieno medico, qui me cum pharmacopola satis feliciter emunxit, curam iterum committam, quanquam vellem sane, bulga b) mea tot impensis exhausta vix permittit: cujus tamen calamitas non adeo molesta mihi accidit, quam quod audio, eandem vos quoque, mei fratres, experiri. Sed feramus sane, quod mutare non possumus, & cum fortunam nobis fingere non detur, quod sapienti non semper est possibile, licet id Plautus cum juramento affirmet, vincamus animo super ipsam exsurgente. Aliis aliud malum, nobis bonæ mentis soror paupertas 94 obvenit, sed nequaquam hactenus tanta, ut aut cum status nostri qualitate muliebriter rixari, aut aliis hac parte fortunatioribus miseriam nostram invidiose exprobrare debeamus. Vivamus in diem, aut si mavultis, in horam præsentibus læti. *Sufficit sua diei afflictio,* Servatore nostro dicente, qui nobis non in crastinum tantum, sed in perpetuum prospiciet, si modo nos ad voluntatem illius componamus, &, quod a nobis requisivit, præstemus. *Nam pietas ad omnia utilis est, promissionem habens præsentis & futuræ vitæ.* Tibi vero, mi Joachime, ne res ad incitas magis, quam cuiquam nostrum redeat, vereor, qui longam studiorum telam exorsus es, cui detexendæ licia raro foris accedunt: quomodo ego, cum juris civilis non imperitus habear, alieni erroris c) benignitate sumptum nunc exerceo. Petrus vero nec parentum, ut opinor, imperio peregrinas academias diu colet, & fortassis aliquas a sponsa suppetias impensarum habet; quibus tamen optarem illum carere posse. Itaque si quid meis usibus de patrimonio superest, lubens tibi, mi Joachime, permitto. Te quoque, mi Petre, cohortor, ut, cum res tuas in portum subduxeris, periclitanti fratri ne desis: erit, ut spero, cum ille completis τῆς μαθήσεως * annis lucrosam artem d) factitare cœperit, ut sortem cum fœnore nobis refundere non tantum possit, sed etiam velit, si bene eum novi. Si enim, ut est in Græcorum proverbio, communia amicorum sunt omnia, quanto magis fratrum? Valeat hoc inter homines ferreos, quod inquit 95 poeta,

* Tyrocinii.

a) Tanquam Medicinæ studiosi. Huic enim illum operam dedisse, alibi ostendimus.

b) Rarum vocabulum, & *Lucilio* usurpatum, quod crumenam, sed paullo spatiosiorem, denotat.

c) Videtur vocabulum hoc pro peregrinatione heic adhiberi, & ad ejus, cujus studia tunc moderabatur, in itinere liberalitatem respici.

d) Medicam putat: quod præsagium etiam eventus comprobavit. Vid. *Hist. Crypto-Soc.* Cap. II. lit. R.

poeta, fratrum quoque gratiam raram eſſe: nos autem, qui non fornace chymica, ſed Chriſti diſciplina in generoſius metallum recocti ſumus, non tantum gratia nos mutua complectemur, ſed ipſas etiam gratias ut numero, ſic benevolentia conſertis animis æmulabimur. De ſtudiis veſtris oppido quædam jucunda retuliſtis. Faxit Deus immortalis, ut commodiſſima ſemper occaſione gaudeatis erudiendi dociles animos cum ſcholarum, tum maxime vitæ præceptis; quo tandem in ipſius honorem & utilitatem reipublicæ Chriſtianæ lætiſſimis ſucceſſibus ſpes veſtri, quæ nunc eſt in herba, effloreſcat. Quoniam autem de quibusdam, quæ ſtudia tua attinent, meum, mi Petre, conſilium requiris, breviter habe, quantum pro tempore ſatis erit: nam ſi quid reſtat, id vel alias indicabo, cum habebo plus ocii, vel ab aliis hauries, qui luculentis operibus candidatum Theologiæ, a) cui nomen me nec ſuadente, nec reluctante dediſti, efformarunt, inter quos primas tribuo Eraſmo Roterodamo, & Andreæ Hyperio. b) Quæris, quænam Bibliorum exemplaria ſive Latina, ſive Hebraica maxime mihi probentur? Miror, cur non addideris etiam de Græcis: ſic enim proclive fuiſſet nominare Comelinianam c) editionem, quæ textui Hebraico Græcam & Latinam verſionem duplicem cum doctiſſimis Fr. Vatabli notis conjunxit. Nam illa Biblia omnium optima Regia Antverpienſia, & 96 his proxima d) Complutenſia, Craſſis & Liciniis relinquamus, qui nummos modio metiuntur. Latina ſola cum Hebraicis in veteri Fœdere & Græcis in Novo Arias Montanus conjunxit appoſite pro tyronibus, præſertim ſegnioribus, cum verbum verbo non modo reſpondeat, ſed etiam incumbat: e) ſed nullas ibi notas habes, quas in Veteri

a) En clarum de *Petri Ruari* ſtudiis Theologicis teſtimonium! Cujus tamen fata, poſt academica præexercitamenta, alta ignorantiæ nocte contecta manſerunt: ut ne mentio quidem poſthac facta in omnibus epiſtolis occurrat.

b) Moderatioribus nimirum & concordiæ Eccleſiaſticæ ſtudioſis, & utrique, prope dixerim, οὐδετέρῳ. Vt cauſſæ etiam ſuæ nonnihil inſerviret, ita viſum eſt ſuadere *Ruaro*.

c) Seu, ut ſubſcribere libris a ſe impresſis *Hier. Commelinus* creberrime ſolebat: *Ex officina Sanctandreana*. Quæ quidem editio lucem vidit anno MDLXXXVI. MDXCIX. & MDCXVI. quas tamen ἐκδόσεις unam eſſe eandemque, titulis forte Bibliopolarum arte innovatis, ſunt, qui non vana conjectura opinentur. Volumin. IIbus in fol. hoc opus conſtat, & raro hodie conſpicitur.

d) Pretio, ut arbitror, non ætate, proxima vocat. Multo quippe, tempus ſi ſpectes, antiquiora ſunt *Complutenſia*, anno MDXVII. perfecta, Regiis *Antwerpienſibus*, anno MDLXXII. demum abſolutis, & e *Plantini* præſtantiſſima officina evulgatis.

e) Interlinearia videtur indigitare, quibus *Arias Montanus* tyronibus conſulere voluit.

teri præsertim Fœdere propter cognoscendum idiotismum Hebraicæ phraseos nobis inter alias linguas enutritis necessarias duco. Itaque suaserim, ut separatim Hebraicum exemplar tibi compares, sive Venetiis Judæis advigilantibus proditum, seu Antverpiæ, quale mihi Tarnovius a) aliquando commendavit, seu quod aliud istic haberi potest: de quo Tarnovium eundem harum rerum optimum æstimatorem in re præsenti consulendum censeo per Voglerum b) nostrum, si tibi cum illo non est notitia. Latinum autem exemplar præ aliis tibi commendo, quod Vatabli c) nomine audit, cujus notæ, quas supra doctissimas merito vocavi, habentur in margine, cum versionum e regione positarum una sit vetus vulgata, quam propterea, quod ex Hebraismo plurimum retineat, & a doctis viris omnium maxime allegetur, in disputationibus habendam puto, altera nova Tigurinorum paulo elegantior, & inter alias satis fidelis. Junii, Tremellii, & Bezæ opera erudita laudari mereretur, nisi factionum d) studio contaminatum decus crebro destrueret. Castellio magis Paraphrastæ docti, quam interpretis religiosi e) munus præstitisse videtur: nec propterea tamen, 97 ut nonnulli faciunt, convitiis exagitandus, cum, etiamsi verba non adnumeret, sensum tamen ut plurimum fidelissime reddat, ut ab iis, qui Latine tantum sciunt, intelligi possit. Quæris deinde, quos tibi Theologos tum veteres tum recentes comparare debeas? Liberalis quæstio, nisi marsupii angustiis restringeretur. Sed nos pro nostris opibus extruamus mœnia. Priusquam autem de autoribus quicquam attingam,

K 2 hoc

a) *Paullus*, Prof. Theolog. *Rostochiensis*, de quo conf. Ep. 17. Huc ergo concessisse *fratres Ruari*, postquam *Altorphio* abierant, vel sola hæc epistola condocet.

b) Eundem, de quo paullo ante dictum est, *Hamburgensem*.

c) Recte, ut vulgo audiunt; etsi sint, qui *Roberto Stephano*, vel interpolationem certe ejus laboris, tribuant. Quam nostram non facimus litem. *Vatablum* Parisiensem fuisse *Prof. Hebr. lingu. regium*, nemo nescit, & vix etiam quisquam ex prælectionibus ejus notas fuisse collectas dubitat; sed utrum sit aliquid deinceps mutatum vel interpositum, inter incerta habebitur, donec alii, quam *Genebrardus Fronto Ducæus*, similesque testes id confirment solidius.

d) Non tantum *Calvino-Reformatarum*, sed quas ipsi etiam aluerant Critici; unde non una versionum harum editio, identidem immutata, prodiit; cum præsertim post obitum *Tremellii* plus justo sibi *Junius* in communem illum laborem vindicaret auctoritatis, & annotationes ad suum sæpius ingenium accommodaret.

e) Notatur his verbis *styli* in hac versione, quem vocant, *Ethnicismus*; quo factum, ut elegantiæ dictionis latinioris studio ne quidem a deorum nominibus & *Plauti* ineptiis abstinuerit *Castellio*, seu, uti appellari maluit, *Castalio*, Professor Basileensis, vir doctus quidem, sed *Ciceronis* Thesauri plus, quam *Crœsi* divitiarum possidens.

hoc tibi ſuadeo, ne nimis inhies libris adhuc a typis calentibus, a) quorum annonam bibliopolæ ſupra modum flagellare ſolent; des autem operam, ut apud ſcrutarios, aut ubicunque vetus bibliotheca venditur, uſui tuo maxime neceſſarios deligas, quos ibi non tantum dimidio minoris, ſed etiam tales interdum invenies, ut in bibliopoliis haberi nullo plane pretio posſint. Hac ego cura nuper integram antiqui Fœderis verſionem Græcam tribus grosſis, & Paraphraſin Erasmi in Epiſtolas omnes ſacras tantidem, & ejusdem commentarium in Novum Fœdus duodecim grosſis, & alios quosdam libros alias, magno ſumptuum compendio coemi. Cum autem totum hoc ab occaſione pendeat, quam, cum divinus non ſim, prævidere nequeo, difficile mihi futurum eſt, incerta merce certam emptionem præſcribere. Ne tamen plane ſine reſponſo te dimittam, univerſe judicium meum de theologicis 98 ſcriptis aperiam, paucisque digito commonſtratis, de cæteris ſimilem ex occaſione tibi ferendam ſententiam relinquam. Sunt autem quatuor fere generum, ut arbitror, omnia, quæ pii doctique viri ad rem theologicam ſpectantia literis prodiderunt: aut enim verba ſacrorum Scriptorum explicant, aut certa methodo tractant Eccleſiæ dogma ſive unum ſive plura, idque vel aſtruendo ſuam ſententiam, vel adverſariorum errores rationibus & Scripturæ teſtimoniis caſtigando, aut vitæ pietatem virtutesque Chriſtianas hortando promovent, aut denique ritus & hiſtoriam rerum in Eccleſia geſtarum deſcribunt.

Quod ad hiſtorias attinet, (ut a genere poſtremo incipiam ὕστερον πρότερον ὡμηρικῶς *) cum præter fructum, tum in vita, tum ad intelligendos autores ſacros non exiguum, ingenuam habeant delectationem, ſuaſerim poſt prandium aut cœnam horis ſubceſivis legendum ſive Joſephum ſive Philonem, b) qui poſt Sacras literas de Judaicis rebus optime ſcripſerunt, aut Euſebium, Socratem & reliquos, uno opere conjungi ſolitos, qui de primis Chriſtianis. Ex recentioribus poteris, ſi placet, Platinam aut Onuphrium, qui Pontificum vitas ſcripſerunt, Sixtum Senenſem, qui ſacrorum ſcriptorum bibliothecam inſignem

* Poſterius priori loco, ut Homerus fecit.

a) Perquam ſalubre conſilium, præſertim ſi noſtros mores ſpectes, quibus locupletiores editiones, prioribus crebro ſubjunctæ, has non ſine notabili detrimento prorſus rejectaneas faciunt.

b) Parum in *Philone* hiſtoriarum reperias, ſi legationem ad *Cajum*, & de *Therapeutis*, obſcuram, ad Chriſtianos, nondum ſatis bene fortasſis cognitos, ſpectantem illam narratiunculam, excipias. Vt mirum ſit, hunc tantopere in hiſtoricis fuiſſe commendatum Judæum, & Allegoriis excogitandis ſcriptorem magis, quam hiſtoriis enarrandis idoneum.

gnem exhibuit, nisi fortasſis illius loco Poſſevinum a) malis, quem mihi nondum videre contigit, Sleidanum, qui religionis ſtatum ævo patrum in Germania mutatum magna fide retulit, Caſaubonum, qui nuper exercitationes ad operoſas Baronii Cardinalis Annales edere cœpit: a quo fortasſis alius aliquis hanc lampada, luctuoſa tanti viri b) morte traditam, accipiet. c)

Παραινετικὰ * maxime pie tractaverunt veteres; quibus non male Beza plus conſcientiæ, quam recentioribus plerisque ſcientiæ d) minus tribuit, ac meo quidem judicio Græci melius quam Latini. Tu cum alienæ virtutis curam nondum geras, quæ hodie ſolis Eccleſiæ publicis doctoribus remittitur, privatæ pietatis aliud incentivum vix requiras, quam quod ipſe Deus, cujus imperium nemo ſanus contemnat, hanc a nobis ſub capitalis exitii pœna flagitat, & ne virium noſtrarum deſperatione magnæ rei conatum abdicemus, præſentem ſui Spiritus opem implorantibus promittit multis Sacrarum literarum paginis: a quibus ſi nondum ſatis incaleſcere cœpiſti, ſuadeo cum Erasmi te Chriſtiano milite nonnihil exerceas, qui te frigere non patietur, aut de imitatione Chriſti Thomam a Kempis audias, cujus exiguum libellum Lutherus in præfatione omnium antiquorum præterquam Auguſtini ſcriptis anteponit. Illos autem Baſilios, Chryſoſtomos, Nazianzenos ad eccleſiaſticæ functionis auxilia reſervare potes, ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. **

Libros, quibus Eccleſiæ dogmata tractantur, magna cautione legendos puto, præſertim eos, quibus in adverſarios itur, cum affectibus

 pluſcu-

* Adhortatoria ſcilicet ſcripta.

** Alia vita, alia vivendi ratio.

a) *Apparatus*ne ſit *ſacer*, quem *Ruarus* heic laudat, an *Bibliotheca ſelecta*, vel utrumque denique opus, in quo plerumque non alios laudat, quam ſuos, incertum eſt.

b) Anno MDCXIV. defuncti.

c) Ea ſpes in hunc usque diem decollavit. Quotquot enim *Exercitationes* illas *Caſauboni Anti-Baronianas* continuare conati ſunt, non cauſſæ quidem invictæ, quam *Baronius* ita feliciter egerit, at laboris amplitudine & vitæ brevitate atque otio neceſſario, quo per omnem vitam impenſam ille abundavit, defecerunt: ut *Montacutii*, *Tribbechovii*, *Kortholti*, *Blondelli* & *Magendei*, *Ottii* item & *Sam. Basnagii* exemplis confirmari poteſt. Sigillatim interim & ipſos *Pontificiorum criticos*, nominatim *Pagios*, tantum, quantum ſatis eſt, ad præcipua momenta diſcutienda præſtitiſſe, quis neſcit?

d) *Eruditionis* forte dicere voluit, tam *Philoſophicæ*, quam *Theologicæ*; ad quam inprimis Scripturæ Sacræ ex fontibus genuina explicatio requiritur: ut parænеſes ſint non morales tantum, & ratione modi demonſtrandi rationales, ſed verbo etiam divino voluntatique DEI certa πληροφορίας innixæ. Quos Græcos innuat, ipſe *Ruarus* paullo poſt docuit, quibus nunc *Macarius* addi poterit.

plusculum indulgetur, &, quicquid ad manum est, pro telo in obstantem vibratur. Nec ipse quenquam hic audeo laudare, præcipue cum meo te judicio in re tanta stare nolim. Recentiores Theologi, qui Pontificis jugum excusserunt, vix quenquam a) antiquorum ex omni parte sanum esse dicunt. Sed quis mihi præstabit, ipsorum plerosque, nedum omnes τούτοις ἕλκεσι βρύειν, * cum & homines sint, & errare se posse b) ipsi fateantur, fateri certe debeant? Hoc tamen de Patribus, quos vocant, ausim affirmare, quanto quisque Apostolorum ævo propior vixit, tanto eum expressiora c) divinæ veritatis vestigia servare, quæ succrescentis Antichristi ingressus paulatim confudit, licet id negent, qui solum Augustinum instar totius antiquitatis censent, & priores posterioribus incautius locutos dicunt, hæresibus quibusdam nondum exortis; quis scit, annon cum illis, quos hi pro hæreticis habent, quam cum ipsis potius sensuros, si ætatem illorum attigissent? Interea moneo, ne controversiis te multum misceas primis theologici tyrocinii annis, qui specie veri facile decipi possunt, nisi fortassis iis, quæ propter nimis crassum sequioris partis errorem etiam ab his, qui nondum ære lavantur, dijudicari possunt, quales sunt de indulgentiis, de invocatione sanctorum, de adoratione crustuli consecrati, de Ecclesiæ & Pontificis autoritate, & similibus Pontificiis dogmatis: de quibus, si me audis, leges Martinum Chemnitium, fortiter contra Tridentini Concilii decreta pugnantem: & si adversæ partis rationes apud Bellarmi-

* His ulceribus scatere, id est, hujusmodi vitiis obnoxios esse.

a) De medii ævi scriptoribus neque ipse, puto, *Ruarus* dubitavit, præsertim de Scholasticis Papatus erroribus & superstitionibus incrustandis mirifice intentis. Patres vero, quos vocant, quinque priorum seculorum, ab omni nævo immunes fuisse, neque ipsi Pontificii negant, & integro ipsorum testimoniis collecto libello *Botsaccus* in πατρολογίᾳ seu *Libertate veterum Doctorum scripta judicandi* &c. anno MDCLXIII. publicato, ut alios omittamus, demonstravit: quod paullo post laudabimus opusculum.

b) Non super ea re disputatur, quid fieri possit, sed contendendo varias mortalium opiniones cum legitima verbi divina norma, sanisque interpretationis bonæ adhibitis regulis, quid a singulis fiat, dispiciendum est: nisi ad *Scepticos*, cum tamen certa in Theologia sententia, cui fides firmiter ἐν ὑποστάσει innitatur, & quam genuina πληροφορίᾳ maxime omnium exposcere oportet, transitum faciamus.

c) Fallor; an vestigia ejus opinionis heic subsunt, qua de *S. Trinitate* & *Divinitate Christi* æterna summaque eam seculo demum quarto excogitatam esse, vulgo ajunt, & *Athanasianam* hinc fidem illam esse, cavillantur *Sociniani*: Quod *Sandius* deinceps ex instituto in *Histor. Eccles. Nucleo* tueri ausus est, a *Gardinerio* atque *Bullo* solidissime confutatus. De formulis & phrasibus autem non disputari, sed de re ipsa, jam ante constanter tradita & propugnata, si observes, res confecta erit.

larminum attingere voles, Antibellarminum Vorstianum conjunges. 101 His addes mysterium iniquitatis a Philippo Mornæo retectum, Wittackerum de Ecclesia, & alios, prout sese dabunt. Posses etiam absque ullo propemodum erroris discrimine legere, quæ pii Patres Justinus, Tertullianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Arnobius, Lactantius, Minutius Felix, Augustinus & alii contra paganas superstitiones a) ediderunt; nisi quod, aliis adhuc magis necessariis, de quibus postea mentionem injiciam, in his impetum tuum morari nolim. Si tamen Dominici Lopesii librum de auctoritate sacræ Scripturæ, quem alii Fausto Socino b) tribuunt, habere posses, (posses autem Dantisco fortassis, ad quod asseclæ Socini cœtum habere dicuntur: nam exemplar Hispalense vix amplius haberi potest, Steinfurtense c) nescio an suppressum sit, Basileense Gallicum tu non intelliges) enchiridio uno contra atheos, paganos, Judæos, & quosvis Christianæ religionis hostes instructus esses: nec invisum auctoris nomen a lectione te deberet absterrere, cum, quod sciam, nullum ipsius dogma contineat, quod non omnibus, qui Christi nomen profitentur, sit commune. Inter difficiliores vero controversias maxime profuerit eas potissimum excutere, in quibus cum erratur, pietas nostra si non subverti, saltem aliquatenus impediri potest: qualis est de destinatione seu consilio divino circa servandos aut perdendos mortales: de quo meo judicio melius Hunnius & cæteri Lutherani, quam ipse Lutherus d) sentit: de 102 vi

a) Pro veritate religionis Christianæ. Huc enim collineat inprimis *Ruarus*. Nec imprudenter postponi necessariis debere monet, quoniam non solum frequentior cum hæreticis, quam ἀπίστοις seu τοῖς ἔξω decertandi occasio est, sed etiam haud pauci in scriptoribus antiquis delectum argumentorum, ordinem majorem, itemque perspicuitatem, & similia desiderant.

b) Cujus etiam fœtum esse hunc *de Auctoritate Scripturæ Sacræ* libellum, non dubitatur amplius, interque opera ejus jam locum etiam invenit. Cujus argumentum quidem non contemnendum est, sed eo tamen modo pertractatum, fateor, ut præter difficultates alias, a *divinæ fidei* immota confirmatione, quam ex ipsius Scripturæ Sacræ virtute diviniori insita, Spiritusque adeo Sancti ipsius operatione supernaturali expectamus & opus habemus, prorsus abstineat, lectoremque proinde fundamento *fidei genuinæ*, cui immori tuto possis, male privet.

c) Illud nimirum, quod *Conr. Vorstio*, de opusculo hoc istic prælo iterum subjiciendo tantopere solicito, tantam invidiam deinceps conciliavit. Qua de re vid. in *Histor. Crypto-Socin*. Cap. II. lit. V.

d) Olim certe, cum de his philosophice disputaret: Etsi deinceps videatur pristinum rigorem correxisse, non aliam ob caussam, quam ut vitaret *Pelagianismum*, cum *Augustino* suo probatum, aut potius distinctione inter DEVM *absconditum* & *patefactum* conciliare sententiam suam, quam Scripturæ Sacræ refragari, omnemque moralitatem actionum humanarum tollere, animadvertebat, voluisse, proba-

vi & natura fidei, quam nonnulli sine anima, quam D. Jacobus vocat, ponunt nimis periculose: de viribus humanis, de quibus legere potes ἀμοιβαῖα * Lutheri & Erasmi a) scripta, & illi Calvinum, huic Castellionem b) succenturiare. Quod si tamen, cum omnes academiæ disputationibus varie perstrepant, indecorum tibi ducas, in academiis viventi nescire, quid hi vel illi, quibusque rationibus moti dicant, poteris & cæteras controversias tanquam historiam cognoscere, sed, nisi recitantium fide decipi vis, ex ipsis præcipuis uniuscujusque sententiæ auctoribus. Et cum fieri non possit, quin huic vel illi parti, si non addictus, æquior tamen inter legendum evadas, hanc tibi judicii juvenilis amussim habe, ut attendas, utra pars loquendi formulis in Scriptura positis utatur, & utra novum sermonis genus acutis conclusionibus defendat: videris enim tutius id sequi posse, quod homines simplices, c) quibus Deus sapientiam suam revelare voluit, statim capiant, quam quod nemo, nisi scholis innutritus ac pene immortuus, ullo modo intelligere possit. Nec tamen phrases omnes damno, quæ per consequentiam e divinis monumentis probantur, dummodo perspicuam, ut Delio natatore non sit opus, imo ne quidem, si per obscuriorem paulo. Sed harum judicium ætatis & eruditionis ἀκμῆ ** modeste reservandum existimo. Omnia probate, inquit Paulus, quod 103 bonum est, tenete. Quomodo autem tenebimus, quod non intelligimus? quomodo probabimus, cum quibus omnia probantur, non exacte callemus? Scilicet priusquam mordicus sententiam aliquam apprehendas, dum animus a factionibus adhuc est paulo liberior, ad Scripturam

* Alterna, controversa, quibus alter alteri respondet. ** Maturitati.

bilius sit. Hunnius de reliquo recte hoc loco præfertur, perspicuitate saltim prioribus omnibus seculi XVI. Theologis, ipsique adeo *Formulæ Concordiæ*, quantum ad hoc argumentum valde perplexæ, anteponendus.

a) De *libero & servo arbitrio*, jam anno MDXXV. edita.

b) Cujus de *Prædestinatione & Justificatione ad Cap. IX. Rom.* libellus, *Bezæ* oppositus, prodierat paullo ante. *Calvini* enim scripta, quæ laudat hoc loco *Ruarus*, in quibus *Institutiones* primas tenent, notissima sunt, ut nihil prorsus de libro illo, cætera elegantissimo, sed ad *Decretum Electionis absolutum* pingendum commendandumque destinato, addere opus sit.

c) *Catecheticam* docendi methodum intelligi, non est dubium, quam & præstantiores quique prædicant, & vernaculam hinc linguam subinde in docendo adhiscendam suadent, ut quemadmodum lacte puro, καὶ ἀδόλῳ, rudiores sint erudiendi, Studiosis Theologiæ in Academiis ostendatur. *Scholasticam* enim terminorum *stribliginem* priori opponi simplicitati, manifestum est. Idque tanto credibilius censemus, quod eo tempore illam per posticum intromitti, & in Ecclesia Evangelica quoque illam instaurari cœpisse, dudum observatum est.

pturam sacram statim eundem est, ut inde potius opiniones tuas haurias, quam ad has illam, velut Lesbiam regulam, seu vi seu dolo, quod vulgo faciunt, inflectas. Cum autem divinarum rerum nucleus sub putaminibus verborum nobis exhibeatur, veteri proverbio frangat nucem oportet, qui vult esse nucleum, & putamina, quæ nec ipsa in fructu tam cœlesti fructum nullum habent, diligenter excutiat. Quocirca non tantum Hebraicæ Græcæque linguæ, qua Fœdus utrumque primitus descriptum est, cognitionem mediocrem a) habere necesse est, verum etiam profuerit eos consulere, qui doctissimis commentariis aliorum intelligentiam adjuvare voluerunt. Proinde cum omnes illi, qui Sacras literas interpretationibus illustrarunt, (& hoc erat primum genus scriptorum, quos supra proposui, de quo nunc ultimo paucis agendum) cum, inquam, omnes illi vel verborum textum explicent, obscurioresque locutiones ex proprietate linguæ, & similium comparatione locorum, illuminent, historias & ritus tractent, qua forma philologi b) libros commentari solent, vel sententias disputationibus eruant, argumentis confirment, contraria dogmata evertant, quomodo in Aristotele suo interpretes fere versari solent; eos, qui priorem viam ingressi sunt, diligenter tibi hoc tempore commendo, tum quia per putamina, ut dixi, ad nucleum itur, tum quia minus hic est a partium studio periculi. Nominabo tibi quosdam, qui in novo Fœdere, cujus nobis Christianis est potissima cura, meo judicio non contemnendam operam præstiterunt: habes hic Laurentium Vallam, habes Drusium, habes Casaubonum, habes Bezam, sed qui tamen, cum non raro pauca sublimiora suæ Theologiæ miscuerit, non sine nota transmittendus est, habes etiam saltem quoad Evangelistas summum virum Martinum Chemnitium, cui, si quid ego intelligo, inter omnes Theo-

104

a) Immo plus quam mediocrem. Quis enim DEI cum sit, aut videri tantum velit, legati atque interpretis officium administraturus, Domini sui linguam ignorare impune possit?

b) Recte hoc loco *philologici Commentarii* potius, quam disputationibus referri & *polemici* commendantur. Tametsi enim horum quoque, si moderate id agant, ut a corruptelis & abusu vario verba codicis sacri vindicent, improbandi non sint conatus. Illi tamen ad sensum eruendum plus afferunt commodi, dummodo non sint nimium steriles, &, ut paucis dicam, quod sentio, *Drusiani* existant, aut *criticas* duntaxat corticis *minutias* sectentur, quam sententiæ genuinæ per adminicula grammatica eruendæ inserviant. Est enim in Philologia quoque aliquid, quod scholasticorum putaminum, perinde ut in Theologia atque Philosophia, instar fructus ingenui expers referat. Cujusmodi haud pauca specimina Criticorum, quæ vocant, Anglicanorum volumina illa prægrandia exhibent.

Theologos Lutheranos eruditionis palma debetur. In Veteri præter Vatablum ad intelligendos Hebraismos, Drusius variis operibus, & Robertus Stephanus, si vel magna illius Biblia, vel pulcherrimum illud sacrum Lexicon a) haberi detur, & Chytræus in historiis Pentateuchi & Josuæ, quem ex paterna bibliotheca sumes, non parum te juvare poterunt. His omnibus accedat Matthias Flacius Illyricus, qui una Clavi universam Scripturam aperire conatus est. Inter eos, qui sententias & dogmata commentariis suis venantur, eandem ob caussam, quam superius de tertio scriptorum Theologicorum genere dixi, neminem tibi laudare, sed tuo te ingenio Deoque relinquere malo. 105 Si tamen omnino fidem meam urges, tacitis recentioribus, quorum invidiam mihi condonare debes, ex veteribus duos tibi proponam, Hieronymum & Origenem; illum, quod sacrarum linguarum peritissimum sciam, quarum ignoratione reliqui Patres b) non raro impingunt; hunc, quod magnus Erasmus inter omnes eum priscos maximi faciat, c) cujus viri judicium tibi commendo, cum (ut verum fatear) Origenem hactenus nunquam viderim. Habes, mi charissime frater Petre, consilium de Theologorum scriptis, quod a me requisivisti, huic tempori & captui tuo, ut opinor, accommodatum: de quo non tantum istud tibi permitto, ut a me libere dissentias, si quid rectius aut ipse vidisti, aut ab aliis didicisti, sed etiam rogo, ut de eo me certiorem facias, quo vel corrigam, quod erratum fuit, vel suppleam, quod

a) Vt cæterorum labores nemo improbet, quos fratri *Ruarus* suo commendat, ea quidem ætate extantes & magni sane habendos: ita, quale *Roberti Stephani Lexicon Sacrum* sit, quod tantopere prædicat (*Biblia* namque notissima sunt) obscurum erat. Inquirenti autem, nihil aliud intelligi, quam *Santis Pagnini*, cujus & Grammat. seu *Institutionum Hebr. LL. IV.* anno MDXLIX. Lutet. Paris. impressit, *Thesaurum Linguæ Sanctæ* animadversum est; quem quia anno MDXLIIX. 4to cœpit, quantum ad Imam partem, excudere, ultimam vero seu IIam anno MDLVIII. 8vo subjunxit, alphabeti ordine dispositum, & hinc inde sua ipsius emendatum cura ornavit, factum est, ut nunc *Pagnini* nomine, nunc *Stephani* celebraretur, & *Lexici Sacri* titulum vulgo acciperet.

b) Pæne omnes. De quibus, quoniam paullo ante *Clavem Scripturæ S. Flacianam* laudaverat, facile fratri ex P. II. Tr. VII. §. 16. seqq. & edit. quæ tunc nuperrime anno MDCXVII. Basil. apud Sebast. Henric. Petri prodierat, f. 699. sqq. excerptum, commendare potuisset, judicium defæcatissimum.

c) Non magni fecit *Origenem Erasmus* ob commentarios, dogmatica præsertim illustrantes, sed propter eruditionem diffusam & πολυιστορίαν. Quis enim nescit Ἀλληγορισμανίαν Origenis? In Dogmaticis insuper præter unum adversus *Celsum* bonæ frugis libellum, quod alicujus momenti sit, vix quidquam superest, quod tanto elogio dignum sit.

quod deest, te monitore; cujus me licet ætate minoris a) pœnitere non debet, cum non ignorem, quantum annos ingenio vincas.

Quod in Affelmanni b) collegium te dederis, vehementer probo, præsertim si est ille, ceu Joachimus scripsit, quantivis pretii; quod ego de ingenio hominis multaque lectione, cui par memoria respondet, acceperim: nam alias, quod vobis dictum sit, visus sum ex illa censura Lampadiana, c) dum obiter inspicio, tumultuarium agnoscere judicium, & eruditione nimia temulentum. Tu cum absque dubio multa ex illo insignia discere possis, semper hoc cogita, ut in vita, sic in doctrina, sobrietatem & modestiam quandam esse, quæ Theologi laudem perficiat.

106

Vorstio, Cluvero, Morsio, Woldero, Russio, Bonebergio tot nuptias una voce gratulor, nec invideo suam cuique sponsam, dum modo meam omnium pulcherrimam mihi permittant. Pro epithalamiis ipsorum mortualia hic ego celebravi, favente dicam an invita Minerva nescio, ipse certe invitus. Tot enim cogitationibus distrahor, tot curis enecor, ut ad ista, quæ poeta dicit, animo sereno provenire, tam idoneus sim ὡς ὄνος πρὸς λύραν * & hæc quoque ætas mea, & institutum vitæ, quam dego, missis levioribus musis supercilium meum ad severiores rugas subducit. Quæcunque me fortuna secutura sit, pœnitet certe cum Phœbo d) diutius esurire. Quid enim ille cultoribus suis miser nisi famem præstat? mutata litera famam dicetis: imo mutatis duabus literis fumum. Morsii e) vero affectum in me

* Vt asinus ad lyram: proverbium.

a) Vel hinc tandem fratrum trium, qui *Ruari* nomine ex uno patre *Crempæ* geniti erant, ætas, & *Petrum* juniorem, seniorem *Martinum*, atque *Joachimum* medium fuisse, patet.

b) *Joh. Affelmannum* innuit Prof. t. t. Theologiæ Rostochiensem; unde etiam Rostochium hanc fuisse epistolam missam, clarissime elucet.

c) Liber hic est ab Affelmanno scriptus, *censuræ J. Lampadii* de *Vbiquitate* tit. *censura censuræ Lampadianæ* de omnipræsentia carnis Christi oppositus. Ex quo non insulse, quid de auctore sentiat *Ruarus*, hoc loco professus est, nec male etiam, ut, quando eruditionem sectetur, fratrem, ne modestiæ obliviscatur, docet.

d) Poesi, ut videtur, cui adhuc inprimis deditus erat, & litteris humanioribus in universum probe excultis.

e) Cum cæteri supra enumerati amici, qui partim *Hamburgenses* patria erant, partim *Hamburgi & Rostochii*, *Martini Ruari* non ita pridem commilitones, vel nimis obscuri sint, vel notissimi, *Cluverus* cumprimis, *Vorstius* & *Wolderus* e Bibliis Polyglottis celeberrimi patris filius, solius *Morsii*, seu *Joachimi Mœrsii*, uti nomen ejus alias interdum exscribi solet, hoc loco sigillatim facienda est mentio, non tam, ut vitam ejus enarremus, Hamburgi anno MDXCIII. nati, & anno MDCXXXIX. Gottorpii denati: hæc enim plena nuper cum *Lindenbrogiana* & *Elmenhorstiana* at-

nimium agnoſco, qui, ſi quid olim juvenili calore luſi, non patitur ſimplici morte perire, ſed iterum ad ſupplicium ſcombris & piperi dandum vocare cogitat. Tu vero, mi Joachime, roga, ſi quod tibi cum illo literarum commercium, ne me faxit invito, aut ſi tam crudeliter amat forte meum fœtum, ut illi parcere nolit, ſaltem non inſcio, quo poſſim inter peſſima malorum delectum inſtituere, & quibusdam ineptis tolerabiliora ſubſtituere. Sed de his fortasſis aliquid coram loquendi dabitur occaſio, cum in patriam me aliquando reportavero; 107 modo ne quid præcipitet: quod te cavere velim, ſimul & monere, cum adhuc unas mihi literas debeat, (noſti vero tu, quod Lipſiam ad eum ſcripſerim) ut ære ſe meo tandem liberet; de quo nihil ipſi remittere ſtatui, licet id carminibus aliquot donandis promeruit: nam pro his alias ei ſatisfaciam, & fortasſis ſimili moneta. Valete. a)

XVI.

M. RVARVS HEINONI VOGLERO. b)

QVid ais, mi Voglere? ergo nondum mihi quieto eſſe licet per iſtos rumigerulos, & Hamburgum quoque tandem pervaſere, qui famam meam apud viros bonos ſugillant, neſcio quas hæreſes c) plenis buccis ſemper crepantes. Si cauſſam meam hactenus apud illos minus peregi, ſibi imputent, qui nunquam niſi abſentem incuſant: quod

que *Putſchiana* Hamb. anno MDCCXXIII. a viro, quisquis eſt, eleganter, docte, terſe & accurate deſcripta prodiit; quam propter carmen illud, quod hoc loco *Ruarus* commemorat, &, ne denuo imprimatur, rogat. Id enim ex eadem Vita, qua anno MDCX. Magiſtrum renunciatum eſſe *Roſtochii* Mœrſium traditur, in honores ejus Philoſophicos cohoneſtandos ſcriptum eſſe colligimus, atque ex ſcriptis etiam Mœrſianis Poetices amorem ſingularem prodentibus multo luculentius, quare de eo recudendo cogitaverit, efficitur.

a) Quamquam nec dies nec conſul adſcripti ſint; non tamen dubium eſt ex argumento ipſo variisque circumſtantiis, epiſtolam hanc anno MDCXII. exeunte, aut ineunte MDCXIII. *AltorphI* exaratam, & *Roſtochium* miſſam eſſe. Eo namque tempore conſcripta eſt, quo *Joachimus* Altorphio adhuc aberat, & *Socinismum* nondum, quod poſtea factum, imbiberat. Hoc vero anno jam tantopere famam de *Martini* hæreſi, non poſſum ſatis mirari, increbuiſſe.

b) *Hamburgenſi* illi & *Juris utriusque Studioſo*, de quo *Hiſt. Crypto-Soc.* Cap. II. quædam annotata ſunt. Quem hoc tempore, ex Academiis, *Altorphina*, *Tubingenſi & Roſtochienſi* domum jam rediiſſe, ipſæ hæ litteræ condocefaciunt.

c) Indignum ingenuo homine, & pæne dixerim impium, ſi, cum ſit malus, tamen bonum virum ſe ſimulaverit, aut videri, amicisſimis licet, qualis a pueritia *Voglerus* erat, velit. *Socini* certe ſe addictum eſſe placitis, nec ipſe *Ruarus*, tunc temporis præſertim, inficiari potuit, etſi in vocabulo hæreſeos tricas nectat.

quod contra quam Aristotelem sensisse legimus, molestissimum duco. Nam apud amicos, qui hæc interdum ad me detulerunt, quoties professus sum, me divinam in Christo naturam a) demisso pectore venerari, nec minus verum illius meritum & satisfactionem nostri caussa præstitam, quamvis hæ voces in sacris non exstent, agnoscere? Dicant ipsi, si sciunt, quis illorum unquam audiverit, me Sancti Spiritus hypostasin negare, aut infantum rejicere baptismum, aut in operum no- 108 strorum meritis justitiam Christianorum collocare, & quæ sunt ejus generis alia, b) quorum nomine hæreticus apud illos audio. Quid ergo amplius sibi volunt, aut quid tandem a me requirunt? Fortassis ut pedibus nudis, solo indusio tectus, cereumque manibus tenens, ad valvas templi pœnitentiam publice agam, quod unquam quicquam Socini legerim, aut cum quoquam illius asseclarum non proterve versatus sim. Relinquamus, quæso, istam acerbitatem quæsitoribus Hispanis: in Germania hactenus per Dei gratiam tam severis legibus vitam non agimus: neque vero ipsi quotquot Evangelicam profitemur libertatem, c) jugum hoc intempestive occupemus, quod exteri nobis jampridem minantur. Quam multos ego novi, qui sibi Lutheranissimi videntur, qui dum in Italia aut alibi sub Pontificis regno agerent, non modo se Pontifici addictos verbis professi sunt; verum et-

 iam,

a) Eo sensu, quo & præceptor *Sonerus*, confessionem *Schoppero* sententiæ suæ in religionis caussa postremum editurus, Christo naturam divinam tribuebat, id est, ut natura non *substantiam* & essentiam, sed *potestatem* a Patre in regimine mundi totius collatam donatamque denotet, quam moralem alibi notionem, non metaphysicam appellant, aut saltim accidentalem. Quis enim accidentibus naturam denegare ausit? Conf. quæ de *satisfactione Christi* eodem prorsus modo ac dolo ad *Schofferum* perscripta epistola 23. leguntur.

b) Meras ambiguitates & fraudes loquitur *Ruarus*. Neque enim *Spiritum Sanctum* hypostasin *personam* eum esse, a Patre & Filio Dei *distinctam*, eamque divinam, credidit, sed existere tantum revera, atque *virtutem DEI* esse in nobis operosam, existimavit, atque in notis ad *Catech.* quoque *Polon. fratrum* professus est. Ita similiter non rejecisse eum baptismum infantum, sed ut *liberum, merumque & inefficacem ritum* habendum, opinatum esse constat. A merito operum longe abesse *Socinianos*, nemo ignorat; at *ex obedientia tamen* præceptorum Christi, vitæque sanctitate & justificationem & salutem æternam expectare, intercedente scilicet divina gratiosa *imperfecti* licet obsequii hujus acceptatione seu *acceptilatione*, arbitrantur. Atque hinc talia, si plura enumerasset *Ruarus*, fucata fuisse, non dubitamus.

c) Vtinam memor fuisset verborum Apostoli Phil. III, 15. seq. & 1 Pet. II, 16. coll. 2 Pet. II, 19. & 1. atque 2. Ita profecto factum neutiquam fuisse, crediderim, ut libertati in *licentiam* degeneranti & rationi ferocienti adversus τὴν γνῶσιν Θεοῦ τὴν ἐν μυστηρίῳ frena tantopere laxaret.

iam, ut id re ipsa testarentur, & imagines divorum, & illam, quam vocant hostiam, tam in templis, dum sacris interessent, quam in fortuito occursu, imo illum ipsum, quem omnes Antichristum clamamus, prono corporis flexu sæpe a) venerati sunt. Hos tamen nemo superstitionis accusat, ex quo vel semel postea ædem aliquam sacram frequentasse, aut die Veneris carnes comedisse conspecti sunt: imo sunt, qui prudentiam eorum dilaudent, (quam recte, mea jam non interest) quod cum Romæ essent, Romanis vixerint moribus, & uti foro sciverint. Ego solus, ut video, dum academica libertate b) paulo incautius usus sum, nescio quod purgamentum calcavi, quod expiari jam nequit, ne quidem,

109

Si pater oceanus me cunctis abluat undis.

Sed bene habet, quod ad illos rumusculos callum jam obduxerim, & dummodo supremo numini conscientiæ meæ integritatem probem, minus de eo soliciter, quid Sejus aut Titius, sacro morbo correpti, de me in circulis suis garriant. Certe, ut illos minus habeam amicos, non deerunt tamen alii, qui candidos meos mores ament, & innoxia amiculi studia benevolentia & favore suo prosequantur: inter quos cum & tu fueris hactenus, Voglere eruditissime, & inposterum quoque te futurum spondeas, est quod eo nomine mihi gratuler, tibique gratias agam. Vtinam ita ferrent utriusque nostrum fortunæ, ut propius conjuncti sæpius una esse, & sermones de literulis suavissimos inter nos cædere possemus. Sed hoc, ut ille ait, Θεῶ ἐν γόνασι κεῖται,* cujus imperium, ut boni milites, sine gemitu sequemur. Amplissimum

* DEO ante genua aut pedes situm est: proverbialiter, pro: DEVS optime novit.

a) Non exemplis hominum religionem simulantium, sed levibus, quod credimus (quod *credimus*, inquam, non scimus aut videmus) aut credere debemus, æstimari, quotusquisque est, qui ignoret? Idem certe ipsemet non diffitetur, sed addita paullo post notabili parenthesi confirmat hujus epistolæ scriptor.

b) Non de Academica *libertate* hic agitur, sed de ejus *abusu*, *petulanti ingenio* mysteria divina subvertenda omni contentione animi incumbentis. Ipse certe h. l. *Ruarus* non tam abusum se esse hac libertate Altorphii videtur dolere, sed duntaxat *minus caute* idem a se factum dolet, ac proinde *imprudentiæ* tantum aliquid, qua acciderit, ut quod clam omnibus gestum erat, tandem cum periculo emanaret, a se querulatur admissum. Credibiliora de reliquo narrares, nisi *Racoviam* interim, dum hæc agerentur, consulto te adiisse, *Ruare*, ibidemque propagandæ *Racoviensium* sententiæ publicam fidem dedisse, atque post reditum fratres *Altorphinos* ad constantiam in perversis illis, quæ ipsemet ex parte suggesseras ante, placitis perseverare docuisse, jam satis superque constaret. Conf. Cent. II. ep. 17. quæ e *Polonia* *Altorphium* missa est, & quo animo scripta sit, animo tecum L. B. reputato.

mum virum Sebaſtianum a Bergen affinem tuum optem cum meliori valetudine in gratiam rediiſſe: illius quæſo erga me benevolentiam modis omnibus alas & foveas; cui ego quidem ſtudia mea libenter deferrem, niſi huic rei utriusque noſtrum fortuna egregie occurriſſet, mea, ut nihil posſim, illius, ut nihil requirat. Interea cum cetera nequeam, vota illius meis precibus ad cœlos comitabor. Vale, mi optime Voglere, & bene rem gere. Dab. Crempis. a) a. d. eid. Febr. cIↄIↄcXXIII. 110

XVII.

M. RVARVS EIDEM.

DOleo ita intempeſtive nos nuper divulſos, cum quidem eo die Hamburgi etiamnum ſubſtiterim. Habuiſſem enim non pauca, de quibus tuum, hominis omnium, quotquot vivunt, candidisſimi mihique amicisſimi, pectus interrogare, conſiliumque exquirere voluiſſem, de quibus non ita commode per literas ſermo inſtitui poteſt. Veruntamen quia præterita revocari nequeunt, fruſtra illis dolorem meum impendo. Neque vero grave mihi erit, ſtylo ſollicitare prudentiam tuam: modo tibi non ſit moleſtum, animo perſequi varietatem conſiliorum meorum, & quid probes inprobesve, per literas mihi aperire: quod te per amicitiæ noſtræ genium, ab ipſa pueritia tam ſancte mihi cultæ, etiam atque etiam rogo. Ego hactenus, mi Voglere, nullo certo lare ſectatus ſum jucundam non minus vitæ quam ſtudiorum varietatem, b) nec tantum fortunæ ductu inter vota dubia obvagatus ſum, ſed & favit animus erroribus meis, quamdiu ætas illos excuſabiles fecit. Nunc autem tandem par eſſe video, ut compeſcam calidos impetus, & certis veluti cancellis eos includam: quæ me res non minus, quam Herculem illum Prodicium, de quo ſuaviſſime Xenophon noſter, inter conſiliorum diverticula fluctuantem exercet. Duo vero præcipue ſunt, de quibus jam ſtatim aliquid mihi ſtatuendum erit: alterum, quo loco fortunam tentare velim, alterum, quod vitæ genus potiſſimum amplecti. Ac ut a poſteriore primum incipiam, 111

ὕστερον

a) In *patria;* ubi ſcriptæ hæ litteræ videntur, cum ex altero itinere Gallicano in Poloniam reverſus eam tranſiret.

b) Talem ac tantam, ut jure jam tunc inter Polyhiſtores numerari potuerit, atque hinc etiam doctisſimis viris, non unius generis eruditorum, gratus fuerit; qua tamen etiam gratia & benevolentia quantopere abuſus ſit, res ipſa loquitur. Humaniorum tamen litterarum culturam, cum juridicis ſtudiis, cæteris eum prætuliſſe, hiſtoria vitæ ejus condocet. Quæ de *fortunæ ductu* ſubjecta leguntur, ea haud dubie ad juvenum, curæ *Ruari* & informationi traditorum, unde varia tractandi occaſio ſubnata ſit, ſpectant.

ὕϛερον πρότερον ſcilicet *ὡμηρικῶς*, * optimum erit, ut de eo ex ſtudiorum meorum genere judicium facias: de quo nihil eſt neceſſe, ut ea tibi in mentem revocem, quæ pueritiam adoleſcentiamque noſtram aliquando occuparunt, cum ea minime ignores, modo memoriam excutias ipſemet illorum non modo mihi ſocius, a) ſed & rivalis. Nec aliæ fere occupationes meæ aliquot deinde annos poſt fuere, quam ut per florentiſſimos Græciæ Latiique campos inſtar apis vagarer, non ut febriculoſas aliquot obſervatiunculas ad grammaticam pertinentes, quod multi nunc faciunt, colligerem, ſed ut ſtilum ad ſcribendum proſa verſaque, nec minus linguam ad diſſerendum formarem, animum vero præclaris vitæ præceptis imbuerem, & ad civile commercium ſubigerem ac præpararem. In Hebraicis etiam, quorum tyrocinium ſub Tarnovii b) vexillo felix nobis fuit, eousque progreſſus ſum, ut nec in Rabbinis plane ſim hoſpes. Quin & Syriacæ Arabicæque linguæ rudimenta ſub magiſtris optimis Erpenio Lugdunenſi & Maronitis Pariſienſibus c) delibavi. Cæterum, quod vernaculas iſtas linguas attinet, nemo me tam omiſſo putet animo, ut in Galliis 112 verſans inter Gallos, aut in Italia inter Italos, populos quippe tam cultos, mutus ſurdusque vivere voluerim. Britannicam quidem de induſtria neglexi: cujus me ita poſtea pœnituit, ut hanc pœnam ultro mihi indixerim, ut Polonicam addiſcerem, tum quod illius mihi futurus eſſet aliquis in Sileſia, imo in omnibus Imperatoris provinciis uſus, tum quod bella eſſet apud herum d) occaſio, qui quamvis in Sileſia

* Poſterius priori loco, ut Homerus fecit.

a) In *Gymnaſio Hamburgenſi*, in quo utrius ſtudia puerilia & juvenilia formata fuerant.

b) *Paullum Tarnovium* eſſe, quem multoties laudat ut præceptorem ſuum *Ruarus*, ſupra jam dictum eſt. Nunc, Hebraica eum inprimis calluiſſe, & fruſtra jam ſuperiori ſeculo munus Prof. Ebr. Lingu. petiiſſe, ſed poſt *Rectoris* ſcholæ, loco *Nathanis Chytræi*, pie defuncti, adminiſtratum officium, & facultatem docendi ad modum *Adjuncti Ordinis Philoſophici* conceſſam, *Davidis Chytræi* denique anno MDCIV. obtinuiſſe functionem Theologicam, addendum eſt. Quo dum perfungebatur, Hebraicam ſe didiciſſe linguam, cumque proinde illam docere conſueviſſe, quando teſtatur *Ruarus*, ipſius quoque *Tarnovii* ad annum MDCXXXIII. ſuperſtitis vita & merita non mediocriter illuſtrantur. *Johannem Tarnovium*, Paulli patruum, heic intelligi non poſſe, rationes temporum patefaciunt, utpote quæ in Academiis eum variis adhuc tum temporis oberraſſe, & in Buxtorffii quoque diſciplina hæſiſſe, atque anno MDCXIV. demum Profeſſorem creatum eſſe, condocent.

c) *Gabriele Sionita* & *Johanne Hesronita* e monte Libano, Profeſſoribus regiis Pariſienſibus.

d) *Caſp. Saccum*, aliquoties jam memoratum. De cujus prædiis vid. *Hiſtor. Crypto-Socin.* Cap. II. extremo, coll. Centur. hujus Imæ epiſt. 18. & 22. in fine.

lesia habitet, prædium tamen & in vicina Polonia colit. Porro philosophiæ studium, quod sine jactantia dictum velim, ita hactenus amplexus sum, ut nullam illius partem reliquerim intactam, sive notitiam magni illius veri per vastum naturæ ambitum diffusi persequatur, sive ad consectandum aliquod in vita bonum cupiditatem nostram accendat: idque sic, ut in omnium sectarum tam veterum quam recentium placita liberrime inquisiverim,

Nullius addictus jurans in verba magistri.

Quia tamen superba est eruditionis ostentatio, ex qua ad illius possessorem sola delectatio, in publicum vero vix ullus redit fructus, plusculum semper illi philosophiæ immorari volui, quæ animum ad civiles a) vitæ functiones commode & decore obeundas excoleret. Quem in finem & jus, partim in natura positum, partim prout generis humani ac præsertim populi Romani suffragiis confirmatum scitisve auctum est, non omnino ociose scrutatus sum, & varia diversarum nationum instituta, partim ex omnis ævi historiis, partim curiosa rerumpublicarum nostræ ætatis lustratione in tot annorum b) peregrinationibus observavi. Ignosce, mi Voglere optime, quod hæc tam putide apud te velut modestiæ meæ oblitus decantem, homo alias ab omni ostentatione alienus. Tu, quo animo hæc tibi recenseam, vides, cujus erit exputare, quem portum mihi deligendum censeas, in quo tandem post tot jactationes anchoram figam. Quamvis enim hoc sæpenumero ex occasione aliqua dependeat, seu potius a Deo, qui, quascunque vult occasiones, quovis tempore pro arbitrio suo sufficere potest, vota tamen in manu nostra sunt, & votorum comes ambitus atque prensatio; cui interdum eventus non infeliciter respondet. Ad scholas, fateor, me trahit consuetudo c) & amor ocii literarii, in quo & semper aliquid legendo eruditior evadere, & scribendo fortassis nonnihil inclarescere possim: qua vita nihil certe magis expetendum foret, nisi hoc haberet, quod plerunque cum musis ibi strenue algeamus, & dum famam quærimus foris, domi tantum non fame pereamus.

a) Philosophiam *moralem* subinnuit se cumprimis amasse, *Ethica* parte generali & *jurisprudentia naturali*, quæ jam tunc ex Romano jure, unde & *Grotio* deinceps de J. B. & P. libros Lutetiæ Parisiorum conscribendi data est occasio, excoli cœperat, tum vero etiam *Politica*, ut vocant, constantem.

b) Duodecim omnino, si rationes ineas, & quod superest.

c) Tot ephoriis & gubernationibus juvenum eruditorum, cum Academiarum variarum usu, & amicitia virorum in eis litteratorum, humanitatis inprimis studiis deditorum, contracta.

mus. Quocirca amici nonnulli magis auctores sunt, ut ad rempublicam aspirem, qui extemporali ingenio, & omnium, ut illi ajunt, horarum, amicitias magnatum, & per hos nescio quas dignitates opesque obvias promittunt: blanda certe illectamenta ei, qui nondum tam severa philosophia obduravit animum, quam Crates ille Thebanus, qui aurum tanquam impedimento philosophanti futurum in mare pro-

114 jecit. Sed vides, mi Voglere, in quæ tempora nati simus, quæ tempestates tranquillitatem publicam passim infestent, & quid etiamnum ex alto nubes minentur; ut si unquam, nunc certe locum habere videatur illud λάθε βιώσας, * quicquid etiam contra Plutarchus disserat. Opus est non modo multis literis, & masculo plane animo, si quis hac tempestate rempublicam tangere velit, sed & longa rerum experientia & prudentia non in umbra, sed in sole & pulvere educata. Sed nolo nimium istæc exaggerare, ne præjudicio sinceritatem consilii tui turbem. Quod locum attinet, in quo sedem rerum mearum figam, scis, ut credo, quam amicam olim expertus sim Britanniam, & quam splendidam a) mihi fortunam obtulerit. Et sunt etiamnum in ea mihi amici, homines in aula gratiosi: per quos fortassis honestam conditionem affectare possem. Sed vides, quid in Britannia agatur, & quorsum istic omnia jam inclinent. Faxit Deus, ut vanus sit metus, qui nonnullos paulo suspicaciores torquet; quem ipse malim tantisper penes Harpocratem esse, donec tempus veritatis pater certiora aperiat: nam ego quidem non desino hactenus optima quæque sperare. In Silesia honesta mihi conditio nunc est in manu: neque desunt, qui me in vicinam invitent Marchiam, b) academici præsertim, quos longa consuetudine mihi devinxi: &, ut verum fatear, nisi bellici rumores istic turbarent affectum meum, non invitus amplecterer illas

115 oras, in quibus tamdiu bene mihi fuit, ut pene altera mihi patria videri possint. Nam, si Aristophani credimus, πατρὶς ἐστι, ὅπου ἂν πράττῃ τις εὖ: quod Latinus Comicus ita extulit: *Patria est, ubicunque bene est.* At vero populares & cognati manus hic mihi injiciunt, & propemodum artificio aliquo id agunt, ut aut hic, aut in vicinia me detineant, neque desperare jubent de gratia Regis, si modo pedem hic aliquandiu figam. Ego inter ista consiliorum plane incertus, nec quid sequar, nec

* Vive latens, id est, vitam in obscuro trahe.

a) De qua jam ante epist. 10. pluribus dictum est.

b) Quæ quales fuerint conditiones, in *Francofurtana* præsertim *ad Oderam* Academia, nusquam, quod sciam, distinctius exposuit *Ruarus.*

nec quid fugiam, satis acceptum habeo: & cum huc illuc more symplegadum varie agiter, in hoc uno constantiam servo, quod in nulla re hactenus mihi constem. Succurre tu, quæso, Vir præstantissime, in partem curarum, & quid tandem statuendum mihi censeas, ubi rem exacte examinaveris, candide expone: certe, quocunque te inclinaverit judicii tui calculus, non parum momenti illi lanci accedet. Velim autem, ut matures, quantum fieri poterit, responsum: nam ut moram hic diu traham, neque locus, in quo nunc sum, studiis meis perincommodus, neque sumptus, quos cum duobus equis a) facio, permittunt: quanquam & hoc ipsum nimis quam molestum est, diu incertum animi pendere. Ego si qua in re vicissim tibi fidem, studium, operamve meam probare potero, tuus, o amicorum summe, quid optes *Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.* Vale, & quoscunque istic mihi velle intellexeris, eorum in me affectum commendatione tua fove. Dabam Crempis. b)

XVIII. 116

M. RVARVS C. BERGIO. c)

REmitto tibi, Vir clarissime, librum tuum d) ad diem dictum: quo vellem diutius mihi uti frui licuisset, plus enim sine dubio ex illo profecissem. Nunc vix biduum in eo ponere potui, cujus maximam nihilominus partem aliæ quædam occupationes, partim consuetæ,

 partim

a) Quæ ipsa circumstantia, ex itinere reducem in patria ad tempus divertisse, quod supra conjecimus, haud obscure probat.

b) Scripta est hæc epistola eodem haud dubie, quo superior, anno MDCXXIII. ut proinde hæc ordine subjuncta, illi, qui n. 8. legitur, præmittenda fuisset. Scriptam enim esse illam, cum *Francofurtum* transiens, jam cum suis in *Poloniam* rediisset, ex hac epistola, diligenter cum ista collata, magis confirmamur.

c) *Stetinensi* patria, & *Johannis* illius ex colloquio Lipsiensi atque Disputationibus cum D. *Matth. Hoë* celebratissimi *Bergii* fratri, Professori hoc tempore Theol., & fratris, Berolinum inde avocati, in *Vniversitate Francofurtana* anno 1624. successori, ac denique *Bremensi Gymnasio Reform.* anno 1630. adscripto, ibidemque ex febri hectica anno 1642. demortuo; viro de reliquo valde pacifico, & Vniversalium, quos vocant, hypothesibus inter primos addicto. Quod pacis studium hæ ipsæ epistolæ passim spirant.

d) Nisi me omnia fallunt, manuscriptum adhuc, & ejus, quem postea demum, & primum quidem seorsim an. 1628. deinde vero iterum cum Refutat. *Hunnianæ consultationis* anno 1633. publicavit, *Grund und Hauptsumm des Christenthums* &c. dictum, in quo jam tum cœpit elaborare, ut basis ac fundamentum totius negotii *irenici* esset. Neque enim his annis prioribus aliquid commemorabile typis in Theologia *Conr. Bergium* commisisse legimus, & *Themata* quoque *Theologica*, si recte memini, post id tempus publicam lucem viderunt. Quæ in ipsa hac *Ruari* epistola & responsione *Bergii* luculenter confirmata habentur.

partim extra ordinem mihi oblatæ, abstulerunt. Neque sic tamen pœnitet, quod in eo legendo temporis impendi. Placuit mihi præter ingenii atque judicii acris vestigia passim impressa, singularis illa moderatio, qua erga omnes alios in religione a te dissentientes uteris: solis illis exceptis, qui moderationis exemplum ante omnes alios orbi Christiano hoc seculo præbuerunt: a) quæ si in pluribus reperiretur, minus vulgo esset odiorum, minus anathematum, imo & minus tumultuum ac bellorum. Illud tamen miror, te, qui tam benignus es in eos quoque, qui quod e farina pistum novimus, Deum esse credunt, b) & pro Deo venerantur, quo nomine idololatriæ rei jampridem a tuis peracti sunt, (ne de aliis fœdissimis superstitionibus nunc quicquam dicam) in nos c) adeo immitem esse, ut omni nos salutis spe abjudices: quos utut errare credas, sola tamen Scripturæ d) reverentia, ultra quam nihil audemus pro fidei dogmate recipere, cui esto ut etiam 117 ingenii quædam nostri imbecillitas conjuncta sit, in errorem delapsos agnoscere poteras. Nam quod ad tuam illam Catholicam Scripturæ interpretationem e) attinet, ad quam nos astringere conaris, & quam nobis

a) *Remonstrantes*ne his verbis designentur, an ipsi *Sociniani*, incertum est. Forte utrique ex professo συγκρητίζοντες supra modum.

b) Pontificii, hostiam consecratam, quam Christum esse putant, adorantes, eumque in finem asservantes & circumferentes: Huc enim noster potissimum respicit. Pontificiis de reliquo non *Ruarus* tantum nimis æquum fuisse *Bergium*, sed etiam *Hunnius* loco cit. conqueritur.

c) *Socini* affectatores, inter quos nunc tandem, post tot dissimulationes, supra sæpenumero notatus, *Ruarus* nomen profitetur suum.

d) Immo potius *rationis* contra Scripturam *abusu* petulantissimo: ubi parum imbecillitatis ostendunt, qui omnem medicinam, toties meliora edocti, respuunt.

e) Quæ fuerit sententia *Conr. Bergii*, nemo brevius & clarius exposuit, quam optimus noster, quem tamen postea inprimis aggressus est & ex instituto hujus opinionis auctor, b. *Nic. Hunnius* in *Consultat. de componend. dissid. Eccl.* libello, veritatis cum pace studium prudentissime commendante, Cap. II. §. 22. seqq. ubi totam *consilii Bergiani* comprehensionem ὡς ἐν τύπῳ sistit. Quæ mihi quidem ad *Vincentii Lerinensis* Commonitorium redire tandem videtur, b. *Georgio Calixto* haud displicentem, sed a cæteris *Auctoritatem antiquitatis Eccles.* tantum non esse habendam, existimantibus, improbatam; nisi quod ad dogmata potissimum horum placita respiciant: *Bergius* contra ad Exegesin Scripturæ Sacræ dictorum clarissimorum omnia revocet, & obscuriora in medio, cum ipsis opinionibus inde deductis, relinquat. Quibus hypothesibus profecto, si generatim & universe eas spectes, *Ruarus* in hac epistola non spernenda dubia objecit, & recte interpretationes receptas earumque auctoritatem, a regulis interpretandi genuinis Catholicisque, sive ratio eas suppeditet, ad scripta cujusque generis applicandas, sive Scriptura ipsa suggerat, solicite distinguendas esse, docuit. Quæ possunt ad scopum nostrum in præsentia sufficere: Quoniam ipsæ hæ epistolæ amœbææ plura nos ea de lite addocebunt.

nobis veluti Gorgona aliquam opponis, mihi nondum persuades, ut in ea proram atque puppim omnium ad veritatem perveniendi consiliorum agnoscam. Aliter certe me docuerunt illi, quos nec tu ipse genuinos cœlestis veritatis præcones hoc seculo fuisse negabis: quibus nulla unquam religio fuit, ab antiquis & epidemicis erroribus discedere. Et quorsum usque adhuc tantis lateribus contra Pontificios defenditur, Scripturam divinam in rebus ad salutem necessariis satis esse perspicuam ei, qui mediocri ingenio præditus, absque præjudicio animi in timore Domini, conceptis ad eum precibus, lectioni atque meditationi ejus incubuerit; si, ut de vero illius sensu, cui salutem meam credam, possim esse certus, ad diffusos omnium seculorum commentarios ac interpretationes confugiendum mihi est? Quid fiet ergo nobis miseris, quibus neque nummi in tot libros emendos suppetunt, neque ocium ad legendum omnes, nec memoria ad retinendum, quæ legerimus? Illos vero nimium quam invidos, quorum scripta sola pro canonicis adhuc reputavimus, qui quod ad salutem sufficere poterat, noluerunt ita perspicue literarum monumentis consignare, ut ista catholica interpretatione sine salutis jactura carere possemus, aut nos saltem non monuerunt, ut ex ea fidem nostram suspensam haberemus! Non est, mi Bergi, seditio, sed reverentia divini numinis, religiose credere, quod existimes Deum dicere, etiamsi nescias, an alii idem tecum credant, imo etiamsi scias, eos id non credere. Contra superstitio est indigna ea libertate, in qua nos Christus collocavit, (*Nam pretio empti sumus; quare ergo fiamus servi hominum?*) non audire quicquam sapere præter majores suos, præsertim si Deum putes te auctorem sequi, nec quicquam temere agas, sed omnia probe diuque advocata divini Spiritus ope ponderes atque examines, quantum pro virili potes, nec alios, aliter qui sentiunt, superciliose despicias aut condemnes. Nemo certe vitio verterit Zachariæ, aut Simeoni, si Scripturam veterem rectius intellexerint, quam plerique istius aut anterioris ævi. Laudem hanc tribuitis ipsimet Augustino, quod controversiam de viribus humanis, divinaque prædestinatione melius, quam antiquiores Patres, sive Græci, sive Latini, ex Scripturis explicuerit. Calvinus vester, quam multa Scripturæ loca, & quidem ea ipsa, quibus præcipua quædam religionis capita alii potissimum inædificaverant, aliter atque antiqui exposuit; injuria quidem eo nomine ab Hunnio a) Judaismi accusatus, sed a Paræo satis fortiter defen- 118

 sus.

a) *Ægidio Hunnio Calvini Judaizantis* anno 1593. publicati auctore, quem libellum a *Parei* Apologia, pro *Calvino* scripta, iterum iterumque vindicavit, & in multis

sus. a) Nec male Beza vester alicubi plus in antiquis illis conscientiæ, quam scientiæ b) theologicæ agnoscit. Neque est hoc antiquos 119 de ponte dejicere; sed ea cautione ipsos colere, cujus legem & verbis & exemplis suis ipsimet nobis posuerunt; negare certe illam nobis non possunt, nisi se homines obliviscantur. Ego quidem non dubito, si prodierit aliquando in publicum tuus hic liber, quod propter alia multa, quæ in eo docentur, vehementer opto, exstiturum aliquem ex illis ipsis, quibus tu te amicum significas, qui te revocet ad primum illud reformationis evangelicæ caput τὴν αὐθεντίαν * solius Scripturæ; quam adeo non modo mascule, sed & feliciter Lutherus propugnavit, ut non immerito alicubi, si bene memini, conqueratur Acontius, c) posteriores ab illius vestigiis recessisse; qui, ut nihil se ignorare ostenderent, humanæ auctoritatis pannum divinæ purpuræ assuerunt. Hæc ita nunc in genere ad te volui: nam ut ea, in quibus tu nominatim bonos quosdam viros perstringere voluisti, sub judicium revocem, quod tu mihi permiseras, ocium nunc non est, & si maxime esset, destitutus tamen iis libris, quos tu allegas, (tota enim bibliotheca mea alibi d) nunc hæret) vereor ne aerem nonnunquam ferirem. Sed de his erit fortassis alias agendi tempus: nunc illud te tantum rogatum velim, ut, si me religione quadam prohibitus amare fortassis non possis, amari te tamen a me vehementem in modum, non modo ut virum eruditum, sed

* Autoritatem, sufficientiam.

ad modum Judæorum *Calvinum* oracula Prophetarum, quæ de Christo agunt, in alienam sententiam detorta esse, ostendere conatus est.

a) *Davide Pareo*, Professore Heidelbergensi, qui primum *Clypeum veritatis catholicæ de SS. Trinitate*, ac deinde *Orthodoxum Calvinum*, oppositum Pseudo-Calvino Judaizanti, forma 8va *Neostadii*, sed sine die & consule, impressum opposuit, & oracula V. T. omnino XXXVIII. ab accusationibus *Hunnianis*, enixe & haud raro non sine bile effusa, vindicare laboravit.

b) Præsertim in *Exegesi Scripturæ Sacræ*. Cujus origo ignorantia Hebrææ linguæ apud omnes propemodum repetenda est; Græcæ autem & Hebrææ apud Latinos, cum Allegoriarum sensusque mystici, ut vocant, studio, in caussa fuit. Vid. Epist. 15.

c) De *Acontio* alias. In præsentiarum locum illum, ad quem provocat *Ruarus*, Libr. VI. Acontiani de *strategem. Satanæ* libelli f. m. 265. ed. *Amstelod.* anno 1652. legi observamus; ubi: *Restituerat Lutherus*, inquit, *aliique priores Evangelicæ veritatis vindices, pulcherrimam illam, maximeque necessariam, ex solo* DEI *verbo testimonia petendi consuetudinem. Sed quidam alii pulcherrime se facturos arbitrati, si hostes eorum ipsorum confoderent telis, eo redierunt, ut Patrum authoritatibus omnia denuo replerent; quod utinam tam secundo fecissent successu, quam bona spe aggressi sunt.*

d) Vbi vero hæserit ejus Bibliotheca, vix definiri potest, nisi *in patria* adhuc, donec *Gedanum* concederet, asservatam fuisse suspiceris. Sæpe enim iterumque in peregrinas terras commigrandum erat, donec stabilem istic sedem, quanquam nec eam satis constantem, consequeretur.

ſed etiam ut Chriſtianum, tibi perſuadeas. Deus ille pacis colluſtret animos noſtros gratiæ ſuæ radiis, ut, ſi nondum idem plane in omnibus ſentire poſſimus, quod fortaſſis vix erit hoc hominum ſeculo, feramus tamen mutuo alii aliorum infirmitatem, eamque quantum fieri poteſt ſublevemus, non odiis, neque ſuppliciis, ſed amore, hortatibus, argumentis, precibus denique ad communem Deum fuſis. Vale, Reverende Domine, & ignoſce tumultuariæ ſcriptioni. Dabam in Mœſtichiano a) ipſis Cal. Decembris Gregoriani, cIↄIↄcxxvi.

120

XIX.

C. BERGIVS M. RVARO.

Literis tuis, Vir clariſſime, debui confeſtim reſpondere: ſed procraſtinanti ſemel, ut fit, aliæ ex aliis moræ inciderunt. Pœnitet me religionis tuæ, b) qui tractatum meum non integre perlectum remittere, quam diutius ac promiſeras retinere malueris. Sed copiam ejus tibi iterum, ubi voles, faciam, permiſſa etiam utendi eo, donec attentius ſingula per otium examinare queas, poteſtate. De iis quæ laudas, ſi merito id facis, Deo, ſi humanitatis & benevolentiæ abundantia lapſus, tibi ago gratias multo maximas. Tantum mihi ſum conſcius, ea quæ docte non potui, bono ſaltem ac ſincero propoſito ſcripſiſſe: cui tamen ipſi quicquid deeſt, Deum ut benigne ac potenter ſuppleat rogo. Idem faxit, ut quamprimum aliquis majori auctoritate, majorique accuratione de hoc argumento utile ac ſalutare aliquid doceat, vel antehac potius non obſcure a multis tradita diſtinctius ac plenius paulo inculcet, atque ad ſtatum Eccleſiæ præſentem accommodet. Nam ego quidem iſtæc forte vel non editurus, vel non cito c) editurus ſum. Cæterum inter ea, quæ reprehendis, primum eſt, quod immitem me eſſe judicas, qui vos omni ſalutis ſpe abjudicem. Sed video te non vacaſſe legendæ quæſtioni ultimæ & quartæ. Inde enim intellexiſſes, multos judicio diſciplinæ ab externa communione excludi poſſe noſtra ſententia, (neque enim ex mea tantum opinione, ſed

121

a) *Caſp. Sacci* notisſimo illo & Francofurto paullo magis vicino prædio: de quo pluribus in *Hiſt. Crypto-Socin.* Cap. II. extremo propemodum diſſeruimus.

b) Dubium eſt, an pungat *Ruarum*, neſcio cujus ex conſcientiæ religione horroris inſimulans, quo factum ſit, ut tædium *libri Bergiani* integri perlegendi obreperet. Sed fortaſſis modeſtiam hoc nomine appellare volupe fuit. Ita certe videtur ipſe *Ruarus* vocem ambiguam accepiſſe Ep. XX.

c) Secuta eſt editio anno 1628. prima.

ſed re cum aliis communicata, a) ſcripſi) de quibus tamen certitudinem fidei non habemus, qua eos extra Chriſtum & ſalutis ſpem eſſe audeamus aſſerere. Fratres multos appellamus, quos ſuſpicamur hypocritas: appellamus & hæreticos nonnunquam, de quorum pietate b) non prorſus deſperamus. Non addo plura, fortaſſis enim non gravaberis ſcriptum illud totum perlegere, quod properanti non licuit. Ludis deinde, & interpretationem Catholicam confers Gorgoni. Addis nondum tibi perſuaderi, ut in ea proram atque puppim omnium ad veritatem perveniendi conſiliorum agnoſcas. Sed neque nos id volumus. Iterum me accuſo, qui non amplius retinendi ſcripti ſpatium, idque per ocium perlegendi facultatem conceſſerim. Hoc ego fateor, omnes ex plebe noſtra, vel etiam doctis Theologiæ non vacantibus, 122 non eſſe idoneos, ut objectiones veſtras ſolvant, vel argumenta ſua defendant: nam (quod Auguſtinus in lib. de util. cred. ni fallor de Manichæis olim uſurpavit) objectiones veſtræ quidem ſunt populares, quibus dogmatibus noſtris illuditur, reſponſiones autem ſubdifficiles, quas non niſi doctiores & ingenioſiores ſatis intelligunt, & non niſi otio abundantes ac diligentes addiſcunt. His igitur ſatis eſt, ut dogma, quod audiunt, ſecurum & tutum eſſe intelligant, & quod vocationi ſuæ temporis ſupereſt, doctrinæ controverſia carentis, & pietatem magis magisque ædificantis ſtudio impendant potius, quam ut diſputationum tricis ſeſe involvant, & ex judicandi de controverſiis præſumtione naſuti ac contentioſi magis quam pii c) fiant. Hujus ſecuritatis

a) Fratre cumprimis *Joh. Bergio* Concion. Aulico Elect. Brandenb. non minus ſtudio concordiæ Eccleſiaſticæ, quam *Conradus*, dedito, nec non *toto Ordine Theolog.* pluribusque aliis expoſcentibus atque deſiderantibus, ac proinde etiam approbantibus. His certe nominatis, cum ederetur opus illud, prodiiſſe in titulo præſcripto dicitur. Id quod, ne pro opinione privata *Bergiana* habeatur, id pacificandi, eaque methodo promulgatum ſtudium, ſupra laudatus *Hunnius* f. 18. magnopere exaggerat.

b) Si genuinam pietatis deſcriptionem præmiſiſſet, & quos hæreticos indigitet, diſtinctius explanaſſet, forte non improbare hæc ſimpliciter deceret. Sed cum generatim ea dicta ſint, erunt fortasſis, qui ſuſpenſo gradu incedere malint. Pluribus jam actum eſt de pietate *hæreticorum vere talium*, *& primi gradus*, (uti memini alicubi b. *Joach. Hildebrandum* loqui) ſuperius Ep. VIII.

c) Non male hactenus *Bergius*. Ita certe jam dudum *Philippus*: *Sit ea modeſtia ingeniorum* (inquiens, in Reſp. ad Articul. Bavar. Tom. I. opp. fol. 370.) *ut honeſtas ſententias, & quidem divinitus traditas, modeſte retineant, etiamſi non omnes præſtigias, quæ contra ſtruuntur, deſtruere poſſint.* Victoriam fidei appellat in Ep. I. cap. V. Johannes. Pluribus ea de re diſſeruit docteque admodum Celeb. *Werenfelſius* in diſſ. elegantisſima *de Plebis judicio in Dogmatib. fidei*, quæ in Syllog. n. VIII. comparet; ubi p. 29. ſeqq. potisſimum hoc argumentum acute excusſit.

ritatis nullum popularius, facilius, aut certius argumentum video, quam interpretationem catholicam: a) idque ex tractatu ipso satis esse manifestum existimo. Vt tamen divinum sit dogma, ex manifesta Scripturæ dictione, aut legitima consequentia, tanquam apodixi theologica habere fateor. Ne miracula quidem olim causa erant, ut Christi & Apostolorum dogmata divina essent, sed Scripturæ, quas allegabant. Multi tamen miraculis adducti b) pie ac firmiter credebant, quæ ex Scripturis contra versutiam Rabbinorum non satis potuissent defendere. Nostros allegas, qui perspicuitatem Scripturarum asserant in necessariis ad salutem. Dixi & ego, quæ absolute & scitu & creditu sint necessaria ad salutem, talia esse, ut omni inter Christianos c) controversia careant. [123] Hoc non impedit, quo minus aliqua sint, quæ sine vulnere Ecclesiæ & contendendi temeritate negari nequeant, etiamsi ego forte ex Scripturis illa defendere non prorsus propter imperitiam queam. Potest aliquod revera divinum esse dogma, quod apodixi theologica aut bona consequentia demonstretur, cujus tamen negatio non excludat ab Ecclesia. Potest & externum aliquod argumentum esse, quod certitudinem moralem faciat de contendendi libidine ac pertinacia in contradicente. Hæc autem moralis certitudo sufficit ad judicium disciplinæ. d) Tantum est, quod in præsenti tractatu quæsitum fuit. Quid fiet, addis, nobis miseris, quibus neque nummi, nec ocium, nec memoria ad legendos omnes veteres? Sed falleris, si me huc ire suspicaris, qui paupertati, & tarditati,

a) Rectius: *perspicuam*, ex locis Script. S. clarissimis planissimisque petitam, quam Paullus etiam *Analogiæ fidei* nomine commendavit; Quicquid sit de aliorum hominum vel consensu in eandem explicationem particulari an universali, cui etiam investigando quis, quæso, idoneus videbitur rusticus?

b) Non tamen iisdem, utpote quibus tantum invitati erant ad attentionem, si de fide salutifera sermo sit, innixi. Vid. quæ candide Joh. IV, 42. Samaritæ de se professi sunt.

c) Id ipsum vero, si sola hæc necessaria esse existimet, sunt, qui negant ac pernegant, & nuper admodum repetito huic a Cl. *Jo. Clerico* in Diss. *de eligenda inter Christianos sententia* asserto recte contradixit: De *nomine Christianorum* §. 31. S.R.D. *J. F. Buddeus*, ubi etiam paucissima esse, de quibus omnes, qui Christiani vocari ament, consentiant, monuit, & multa insuper necessaria, eaque minime sufficientia, a plurimis omitti, observavit. Quibus nos brevissime, regulam hanc nullo Scripturæ divinæ consensu fictam esse, multisque exemplis, neque Socinianis etiam improbandis, plane contrariis, v. g. de Scripturæ Sacræ veneratione debita, maxime necessaria, & e Papatu exulante, destrui posse addimus. Et sane, si vera esset hæc regula, cur fore, qui hæreses ἀπωλείας ταχινῆς introducturi sint, vaticinatus est Petrus.

d) At in his non de disciplina tantum externa, sed de fide *divina* disputatur.

vel si mavis ignaviæ meæ præsidium hac via paratum eo. Annon enim solicite inter requisita interpretationis seu consensus catholici posui, ut esset notorius? a) Notorium autem (ut intelligere potuisti, vel si obscure ac breviter dictum est, clarius inposterum dicetur) eum voco, quem cogatur etiam adversarius agnoscere, nisi manifeste impudens esse velit. Ita Socinus, quicquid de aliis dicat, in hoc saltem fatetur omnes, quorum ad nos scripta pervenerunt, b) consensisse, extitisse Christum ante mundum conditum. De homousia quanquam con- 124 sensum eundem plane a nobis esse confido, tamen non allego contra vos, quia aliqua saltem specie unius atque alterius sententiam in dubium vocatis. De hac enim controversia judicandi alia principia in tractatu adjecta sunt. Deinde quanti quæso est laboris, Ignatium, Irenæum, Justinum pervolvere? Si ex horum aliquo non manifeste patet dogma, jam quodammodo deficit notorietas & universalitas consensus, quæ requisita fuit: præsertim si ab aliis etiam reliquorum consensus in dubium vocetur. At si quam Scripturæ interpretationem notorie omnes, quorum scripta ad nos pervenerint, c) approbent, si mul-

a) Inter eruditos hæc locum habere *posse*, concedat forte aliquis; quid fiet autem de illitteratis, quibus *sua fide* tamen etiam, non aliena, vivendum est?

b) Quid opus hoc verborum temperamento? sufficit fuisse, qui id negarent, & acriter adversus hanc partem doctrinæ pugnarent, *Artemon* cum *Theodoto*, deinde *Photinus*, & forte etiam intermedius *Paullus Samosatenus:* quorum ratiunculæ, tametsi scripta integra perierunt, cum interpretationibus violentis Scripturæ locorum variorum, hinc inde adhuc sparsim in scriptis adversariorum occurrunt commemoratæ.

c) Vt taceam pauca ad nos pervenisse ex optimis plenissimisque *martyrum* seculis, quorum hanc *testium sacrorum* dignitatem, a Spiritu Sancto ipso comprobatam, sunt, qui magnopere urgent; hominum tamen ea, quoquo modo consideres, & humana sunt testimonia, multis insuper dubiis criticis obnoxia, & vix a centesimo quoque colligenda, aut, si collecta jam sint, sine dubiis subinde obortis revolvenda, adhæc *falsis* quoque *interpretationibus intermixtis*, v. g. de mille annis Apocalypseos c. XX. contaminata. Consilium ergo hoc, quantum quantum est, sive de *veritate* dogmatum agatur, sive de *pondere*, eo tandem recidit, ut Ecclesiæ testimonio, humano certe, quocunque te convertas, tandem incumbat fides nostra, & de errorum quoque momento, atque hinc pendente receptione, in societatem Ecclesiæ, plus minus liberali, judicium. Quod quam periculosum sit, & quantopere distet a Pontificiorum moribus atque institutis, divinam hinc quoque fidem extorquentibus, alii existiment. Rectius & dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ, ad quos pernoscendos, præter Spiritus Sancti invocationem modestam, nihil aliud Christus, quam τὸ νοεῖν, Matth. XXIV, 15. & quidem ab omnibus promiscue, requirit. In censendis vero dissentientibus, ne quid contra charitatem & Ecclesiæ puram conservandam doctrinam admittatur, *erroribus* autem quibuscunque, modo non sint aperta problemata, bellum indicatur; *er-*

multos in ejus fide pietatem, conſtantiam, fortitudinem Deo debitam præſtitiſſe intelligam, nunquam tam ſpecioſum argumentum afferes, quod metum peccati, metum præſumtionis de ingenio & conſequentiis meis, violatique præcepti, quo idem ſentire jubemur, mihi adimat, ſi ad vos acceſſerim. Quapropter omnis de hoc capite controverſia iſtuc redit: cum ab una parte militet interpretatio & intelligentia Scripturæ, ſubnixa notorio conſenſu omnium doctorum Eccleſiæ primitivæ, quorum ad nos ſcripta pervenerint, (horum enim conſenſus etiam ſequentium temporum teſtimonium includit) quosque nemo impietatis ſine impietate accuſare poſſit, ab altera autem parte militent conſequentiæ privatæ, quas ego non poſſim ſolvere, an his aſſentiri tenear? annon cum laude modeſtiæ, vel ſaltem minori peccandi periculo illi aſſentiar? Nam ſi non teneor, quæ ſit ſtultitia aut temeritas, a piorum veterum unitate tam manifeſta cum plerorumque Chriſtianorum ſcandalo diſcedere. Si vero teneri me probaveris, tum demum illam tecum ingrediar diſputationem, an conſequentiæ tuæ tales ſint, ut reſponſionibus meis elidi nequeant. Ad alia, quæ ſcripſiſti, quid reſponſurus ſim, facile ex his opinor ſuſpicari potes. Hoc ſaltem addo, non eſſe, quod metuas, ne ex noſtris aliquem, ſi mea edam, adverſarium habeam, (ita enim ſignificas) quando poſt Vincentium Lirinenſem, a) etiam Regem Angliæ, Caſaubonum, & Kemnitium præcipuos ſententiæ meæ authores habeo. Addo & D. Collegas meos: qui in rei ſubſtantia conſentientes, quod in cæteris monent, gratus accipio. Amari autem me (quod poſtremo rogas) a te non tantum patior; verum ipſe te quoque propter multas cauſas & magnifeci & amavi hactenus, & impoſterum amabo, qui ſciam Apoſtolum non pro hoſtibus haberi voluiſſe, quos ad communionem admitti vetuerat. Etiam pater ſæpe filios eſſe negat, quibus ex animo conſultum cupit. Si certo ſtatuerem, mi Ruare, fieri rem Deo placentem, Eccleſiæ utilem, piis ſalutarem, ſi tuis me adjungerem, vide-

125

 res

rantibus autem, quorum corda DEO ſoli certo cognita ſunt, *æquitas & judicium amore* juſto *temperatum* indulgeatur, ipſa Elenchi ſacri, vani alias, expoſcit ratio.

a) De eo ejusque tam celebri *Commonitorio* quid habendum ſit, breviter & peregregie in *Conſid. Hiſtor. Theolog. Methodi Vincentianæ* anno 1663. docuit b. *Elias Veielius.* Nobis latere aliquid ſub illo libello, in gratiam *Semipelagianorum*, doli ſemper viſum eſt. Cæteros ipſumque adeo *Regem Angliæ Jacobum I.* non moramur, & de *Kemnitii* aſſenſu dubitamus, aliter quippe prorſus contra Pontif. diſputante, conſenſuique cum auctoritate Antiquitatis Eccleſiaſticæ L. I. ſtatim *Exam. Conc. Trid.* non aliam quam *illuſtrandi*, quæ ſunt ex principio genuino verbi divini jam comprobata, vim & poteſtatem tribuente.

res me non incertum hoc vitæ miſerrimæ momentum, ſed quod æternum eſt cogitare, nec hominibus, quorum maxima pars ſtulti, ſed iis, quos non videmus, qui, & præſentiores, & numeroſiores, & ſapientio-
126 res longe ſunt, placere cupere. Eodem affectu ſi tu quoque es præditus, (rogo autem Deum, ut eum & nobis, & omnibus Chriſti nomine gloriantibus, potenter magis magisque inſpiret) certus ſum, ſimul atque intellexeris, quam credere forte ſatis firmiter vel defendere non poſsis ſententiam ſaltem tutam eſſe, ſeu periculum ſalutis per ſe non continere, facturum eſſe, quod ad pacem cum Eccleſia ſeculorum omnium pertinet: ut, quod nondum credis, ſaltem non neges publice nec impugnes: a) & laborem, quem contentiones nobis ſuffurantur, iis potius urgendis tribuas, quæ contentionum vulnera nulla infligunt, & ad pietatem b) præſentiorem efficaciam habent. Hoc ubi factum fuerit, planior deinceps via erit, ad conſiderandas privatim & ſine ſcandalo dubitationes, quæ forte remanſerint. Neque ego hæc ita dico, ut me inter tacentes potius, quam inter credentes dogmata, de quibus inter nos diſputatur, haberi velim. Sed ut moderationem intelligas, quod fratres eos ſi non pronunciare publice, ſaltem accedentibus aliis pietatis ſignis, in corde meo judicare auſim. Nam ego quidem non tantum non impugno noſtra, ſed & defendo, ubi uſus videtur: & in veſtrorum argumentis, quæ quidem hactenus cognovi, nihil minus quam difficultatem aut acumen miror. Sive quidem illud jure fit, ſive imperitia mea. Sed de ea re tum viderimus, ubi in
127 communi illo atque populariori argumento aliquid concluſum fuerit: tum diligentius inquiram, ubi me ex conſenſu cum aliis piis in periculo ſalutis eſſe didicero. Sed video, me magis, quam volebam, prolixum fuiſſe. Tu quæſo ignoſce lituris, libertati, & ſcriptioni tumultuariæ, qua te ad ſimilem familiaritatem invitatum volo. Deus nos gratioſe illuminet, & tandem Eccleſiæ vulnera ſua potentia & benignitate

a) Hæc a *Sociniano* homine ſi expectavit *Bergius*, falſo credidit, id genus hominum in id conſenſurum, quod nihil magis & operoſius urget, quam ut aliarum partium placita, quanta fieri poteſt, maxima ſedulitate, deſtruat, & ſi ſcriptis non liceat, clam atque per cuniculos, *Ruari* more, de quo epiſt. 25. idem perficiat, atque vel hoc modo proſelytos conquirat.

b) Sic ergo & *Bergius*, quod miramur, exiſtimavit, a pietate vitæ initium docendi faciendum, & inter credenda ea myſteria, quæ ad pietatem præſentiorem tantam efficaciam non habeant, inter poſtrema rejicienda eſſe. Hoc *Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ*; illi, inquam, quibus ſumma fidei quædam myſteria v. g. *de S. Trinitate*, his, tantam & tam dilucidam pronamque vim ad praxin vitæ formandam regendamque non habentibus, connumeranda præ cæteris (non dico ſint, ſed tamen) *videantur*.

tate consolidet. Vale felicisſime, Vir clarisſime, & Nobilisſimos Dominos a Sack a) officioſisſime ex me ſaluta. Dabam Francofurti VI Dec. cIↃIↃCXXVI.

XX.
M. RVARVS C. BERGIO.

NOn erat, Vir clarisſime, quod te de literarum tarditate excuſares: nec enim ejus generis ſunt literæ noſtræ, ut in certum diem debeantur: quamque multa interveniant, quæ mentem huic officio intentam, ad alias, utut non meliores, magis tamen urgentes curas avertant,

Scimus, & hanc veniam petimusque damusque viciſſim.

Quin ut ſcias, quam nihil in iſto peccato peccati agnoſcam, exemplum tuum imitari volui: nec enim vereor, ne mihi regeras illud Poetæ,

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori.

Sed extra jocum: quod libro tuo non diutius uſus ſim, me quidem non minus quam te pœnitet, cum intelligam id per te mihi licuisſe. Interea malo religionem meam accuſari, quam requiri. Copiam illius iterum fortasſis a te petam, cum videbo non minus id tibi tutum, quam mihi fructuoſum fore: nam ut tabellario vili denuo committam librum, cujus nullum credo habes apographum, b) id vero nimium tot noctium lucubrando impenſarum periculum mihi videtur: quo quidem impune nuper me defunctum tanto magis gaudeo, quanto major indies rumor de viarum ſubſeſſoribus his in oris increbreſcit. Mirari me dixeram, te, qui in eos, quos alii tuæ ſortis Theologi idololatriæ reos jam pridem egerunt, plus ſatis benignus es, in nos tam ſævam vibrare ſententiam, ut omni nos ſalutis ſpe abjudices. Reſpondes tu, multos judicio diſciplinæ ab externa communione excludi posſe, de quibus tamen certitudinem fidei non habeas, qua eos extra Chriſtum & ſalutis ſpem audeas aſſerere. Si generali hoc effato noſtram quoque cauſam comprehendere voluiſti, (quo enim fine id alias attuleris, non video) gratiam tibi habeo, & aquæ nonnihil aſperſum mihi

 ſentio

a) Patrem, filiosque, quorum ſtudiis & itineribus moderandis præfuerat antehac *Ruarus*, & forte adhuc domi ex parte præerat, *Mœſtichiani* prædii, de quo ſuperiori epiſtola extrema, *dominos*, adſtipulantes de reliquo *Socini* placitis, iisdemque per Germaniam propagandis quaquaverſum viam *portamque apertam* præbentes.

b) Vel hinc patet, librum ſupra commemoratum manuſcriptum fuiſſe, eum ipſum nempe, qui deinceps emiſſus in lucem tantas turbas excitavit.

ſentio poſt tam dirum carmen, quo me prius veluti fulmine perculiſſe videbaris. Interea miror nonnihil illud diſciplinæ veſtræ judicium, quæ ſibi eccleſiam depoſcit ipſis cœlis inculpatiorem, a) quæ tanquam hæreticos & ſeditioſos proſcribit eos, de quibus non plane certi ſitis, eos extra Chriſtum eſſe. Quanto mitior Marcellinus juriſconſultus, qui in re dubia b) benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius, quam tutius eſſe pronunciat. Id quod in pœnalibus cauſis imprimis locum habere, diſerte affirmant Paulus & Hermogenianus. Ergo ad Theologos hoc non pertinet fortasſis, quod inquit Ariſtoteles (*Probl. 13.*) ſi modo illius ſunt Problemata, quæ nomine illius circumferuntur: *Quilibet noſtrum nocentem crimine potius abſolvat; quaſi ſit innocens; quam innocentem condemnet, quaſi nocens ſit:* quibus mox rationem hanc ſubjungit, *nam cum quis dubitat, illud eligendum eſt, in quo minus peccatur.* Sed fortasſis commodius mentem tuam ea de re aperuiſti in illis quæſtionibus tractandis, quas allegas. Itaque iſtuc me reſervare malo. Cum interpretationem catholicam tanquam Gorgona a te nobis objici dixi, luſiſſe me credis in re ſeria. At quid hoc aliud eſt, cum ad illam prolatam cogis nos obmuteſcere, etiamſi

129

a) Inique hæc mihi videntur *Bergio* cum ſuis imputari, quæ Anabaptiſtarum quorundam eſt ſententia, conſectaria. Neque enim, quando *diſciplinæ*, in excludendis ab Eccleſia puriori falſis potisſimum doctoribus, aliisque periculoſe errantibus, ſi nempe cogniti ſint, hominibus, habendam eſſe rationem, ait, ipſis cœlis eapropter puriorem cœtum militantem eſſe tuetur, hypocritasque omnino abeſſe cenſet; ſed *periculum* tantum corrumpendarum bonarum mentium, ab impoſtoribus ſeductoribusque imminens, mature, provide & circumſpecte *fugiendum*, eoque nomine illos, ut vitari posſint, ſi, ut ſolent, ſua aliis obtrudant, *arcendos* diligentisſime, ipſo Spiritu Sancto præeunte Tit. III, 10. 1 Tim. V, 5. & 2 Tim. II, 16. ſeq. docuit & jusſit.

b) Male hæc, quæ de rebus terrenis, in noſtra quodammodo libera diſpenſatione poſitis, aut reparabilibus arte, agunt, ad conſcientiam fidemque applicantur, unde æterna cujusque ſalus pendet. Nihil hic, ubi de *ipſis dogmatibus* fidei ſermo eſt, benignitatis locum habet, quoniam quæ ſunt *a DEO determinata*, in noſtra haud quaquam poteſtate ſunt poſita, ut quicquam a ſtricto jure remittere nobis liceat: etſi de *perſonis errantibus* mitius & benignius *ſentire* non ſit illaudabile, ſuo tamen loco iisdem, ne quid aliis hinc contagii oriatur, DEOque judici & καρδιογνώστῃ relictis. Quæ cauſſa eſt, cur etiam *præſcriptioni* in civilibus negotiis crebro locus aliquis concedatur, ex Eccleſia vero, quantum ad *credenda atque agenda* interna cultumque ipſum ac fidem conſtituentia, eadem exulet. Audiendus ergo in his non *Paullus JCtus*, ſed *Paullus Apoſtolus*, nec *Hermogenianus*, ſed *Chriſtus*; quorum uterque non fratris benignum nomen, ſed anathema aliud Evangelium afferentibus atque docentibus dicere jusſit. Vnde, quid juris competat in his decidendis *Ariſtoteli*, de *problematibus* inſuper diſputanti, facilius patet.

iamſi divinæ literæ aliud nobis dictare videantur? An non hoc eſt, omnem & rationem & ſenſum nobis adimere, cum id nos credere jubes catholico hominum, quos divinus ſpiritus mendaces a) pronunciat, conſenſui, cui omnis & ratio & ſenſus δὶς διὰ πασῶν * repugnat? Negas deinde, te aſſerere unicam ad verum perveniendi viam eſſe, ſi catholicam tuam interpretationem ſimpliciter admittamus: & tamen confeſtim addis, eos, qui de induſtria animum ad Theologiam non appulerunt, ſatius facturos, ſi ſine disquiſitione ulteriori catholico conſenſui acquieſcant. Sed quæſo te, mi Bergi, ſi is, qui dies noctesque Theologiæ ſacris operatur, improbo ſtudio & ſolicita meditatione, interpretationem aliquam nonnullorum Scripturæ dictorum excogitaverit, quæ, etiamſi & collatione aliorum locorum, & rationibus ſatis illi firmata videatur, catholicæ tamen repugnet, an pateris, ut illam tandem amplectatur? Non pateris certe. Verba enim tua ſunt in quæſtione octava tractanda expreſſa: *Interpretatio, & conſequentia ex Scripturis ſumta, quæ catholica non ſit, non excuſat conſcientiam, contra conſenſum priorum interpretum.* Itaque ſi de verbis argutari nolumus, an non eo res tibi redit, quo dixi, proram atque puppim omnium ad verum perveniendi conſiliorum in eo te conſtituere, ſi catholicam tuam interpretationem ſine ullo ſcrupulo admittamus? quo ipſo, quantam Pontificiis b) feneſtram aperias, etiamſi tu id neges, res ipſa nimium loquitur. Subjungis paulo poſt: *Ne miracula quidem olim cauſa erant, ut Chriſti & Apoſtolorum dogmata divina eſſent, ſed Scripturæ, quas allegabant.* Eſto ſane: quanquam mihi vel propter illa ipſa miracula c) perſuaſiſſimum eſt, illa quoque Chriſti & Apoſtolorum dogmata

130

* Omnino, adverſa fronte.

a) Id eſt, mendacio ac deceptioni tam activæ, quam paſſivæ obnoxios. Pſ. CXVI, 11.

b) Huc enim tandem, quicquid corruptelarum inter ipſos undiquaque eſt, redit quando ad *interpretem*, ſive Eccleſiam, ſive Papam Romanum αὐθεντικὸν, ea revocant, &, ubi neque ipſam Eccleſiam Romanam de ea re concordare, aut obſcura iſthæc eſſe oracula, vel non ab omnibus facile, ubi opus ſit, explorari poſſe, objicias, ad Catholicam Eccleſiæ primitivæ interpretationem recurrentibus, viæque *examinis* juſti hac methodo & per *jactantiam hujusmodi* obicem, quam fieri poteſt, maxime ſolicite ponunt, atque vel ſic tandem miſeros auditores, ſimpliciores præſertim, in perſuaſione fidei implicita, id eſt, ignorantia, conſervant.

c) Methodo *Socini*, huic argumento fere unice, in ſupra tantopere laudato & ſub *Lopeſii* larva, *de Auctoritate Scripturæ Sacræ* proſtante libello innitentis, cæteris certe omnibus præferentis: quod tamen, uti per ſe non niſi *humanam fidem*, omnem formidinem oppoſiti haud excludentem, gignit, ita *divinam* ex ipſis Scripturis divinis, earumque ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ut *Paullus* loquitur, demum petere & cognoſcere oportet.

dogmata divina esse, quæ nulla ab ipsis Scripturæ veteris (Novam enim ipsimet condiderunt) allegatione confirmata sunt, ac ne confirmari quidem potuerunt, nisi in genere, cum prioribus seculis tacite 131 Novi fœderis perfectioni reservarentur. Interim nego, easdem inesse vires catholico tuo consensui, quæ miraculis, ad demonstrandum quid verum sit in religione nec ne. De his enim constat luce meridiana clarius, neminem ea potuisse edere, nisi Deus illi adesset, ut non suo tantum, sed totius pene populi nomine fatetur Nicodemus, adeo ut in Spiritum sanctum eos deliquisse Dominus innuat, qui illa sequiori virtuti ausi sunt adscribere. At consensus ille tuus Catholicus, & in falso esse potest, & certe fuit vel ad miraculum, ut multi jam agnoverunt, atque utinam ne nunc esset: quod fortassis dies aut certe Deus aliquando reteget. Scripturarum perspicuitatem concedere te ais in omnibus, quæ absolute ad salutem sunt necessaria. Sed negas id impedire, quo minus aliqua sint, quæ sine vulnere Ecclesiæ, & contendendi temeritate negari nequeant, etiamsi tu forte ex Scripturis illa defendere non prorsus propter imperitiam queas. Sed nec ego id inde me deduxisse memini: sed hoc tantum, cum Scripturæ in omnibus ad salutem creditu necessariis adeo sint perspicuæ, nihil esse necesse, ut ad diffusos omnium seculorum commentarios a) confugiam, quo mihi in his talibus de vero illorum sensu liqueat. Definis deinde notorium consensum; eumque a vobis stare Socinum ipsum satis agnoscere ais. Sit sane: sed quomodo idem agnoscemus cæteri, nisi æque ac Socinus omnes illos scriptores, quorum testimoniis id constare po- 132 test, volutaverimus: quod utique non est cujusvis eorum, qui ad cœlestis regni hæreditatem aspirant. Nam ut Socino simpliciter aliquid affirmanti ex antiquitatis historia clausis oculis credam, nemo me cogere potest, tu etiam sine dubio vetabis. Sed addis, *non magni esse laboris, Ignatium, Irenæum, Justinum, pervolvere: & si ex horum aliquo non manifeste pateat dogma, jam quodammodo deficere notorietatem & universalitatem consensus, quæ requisita fuerit.* At quid, si de dogmate aliquo controversia sit, de quo illi nihil b) literis tradiderunt? nec enim

a) Videtur equidem *Bergius* ad momentum duntaxat controversiarum explorandum eum consensum universalem urgere; sed, quemadmodum recte monet *Ruarus*, ambagibus hoc modo molestis & inutilibus opus esse, ita porro plura etiam, de quibus universalis est in locis perspicuis consensio, vel historica, v. g. de *Apostoli Paulli per lumen cœleste conversione* concorditer explanata, in articulorum fidei necessariorum esse referenda numerum, hinc consequeretur.

b) Vtpote qui, prout ferebat occasio, vel in formanda tuendaque Ecclesiæ, ma-

enim de omnibus, quæ ad salutem creditu necessaria sunt, eos scripsisse, cuivis, ni fallor, eorum scripta legenti constare potest. Tunc ergo me ablegabis scilicet ad Tertullianos, Arnobios, Cyprianos, Lactantios, forsan & ad Athanasios, & nescio quos alios, οὓς ναῦς μὴ μία πάντας ἄγει.* Deinde, ut deficiat universalis consensus, si quod illi dogma non doceant, an statim agnoscetur, cum id illi docebunt? Si enim, ut Vincentius tuus Lirinensis definit, dogma catholicum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum fuit, parum profecerim in catholici dogmatis notitia, etiamsi tres illos quos nominas vel ad unguem teneam. Si dicas, te consensum catholicum non diutius urgere, quam intra duo prima secula, quibus Ignatius, Irenæus, Justinus floruerunt. Primum (ut non regeram, quam adulterata Ignatii scripta a) ad nos pervenerint, quod viri vestrarum partium doctissimi jam pridem demonstraverunt, & Irenæi maximam partem nos tantum ex interpretum b) habere fide, quæ quam lubrica primis quoque 133

O

* Quos omnes una navis non potest vehere: proverbialiter de magno numero dicitur.

gis magisque amplificatæ hierarchia, vel in moribus Christianorum, ad offendicula removenda, emendandis, aut sartis tectisque conservandis, si nihil detrimenti passi essent, vel denique in controversiis hæreticorum primæ ætatis, *Gnosticorum* potissimum, eo tempore Ecclesiam mirum in modum turbantium, occupati fuere, aliorum vero aut nunquam, aut si quando id factum, obiter tantum & obscuriuscule, aliud quasi agentes, meminerunt.

a) Etiam septem illæ, quas *Eusebius* commemorat, epistolæ, (quanquam sint, qui ne has quidem pro genuinis habeant, nisi forte illi, quibus propter Episcoporum dignitatem istic confirmatam, pergratæ sunt) plerisque pro *interpolatis* habitæ. Argumenta certe, quæ contra earum γνησιότητα congessit LXVI. omnino *Joh. Dallæus*, ejusmodi sunt, ut neque *Pearsonianas* vindicias, neque *Hammondianas* omnes illis incidisse nervos existiment, quotquot, Episcoporum caussam agere, non multum interest. Hæc enim ratio est, cur & Pontificii & Angli quidam pro istis tantopere propugnarint. Qui affectus sinister etiam in caussa fuit, ut tandem nostra ætate, præter alia portenta opinionum, *H. Dodwellus in Diss. ad Irenæum*, Episcopos usque ad Lugd. hunc Præsulem Sec. II. spiritu prophetico & inspiratione divina præditos fuisse, affirmarit.

b) Ille certe, cujus opera latine redditi *libri contra hæreses* hodie circumferuntur, Interpres, utut vel barbarie sua candide in vertendo egisse videatur, non leve tamen dubium plurimis reliquit, utrum linguæ Græcæ satis gnarus fuerit, & qua *fidelitate* eadem quoque *habilitate* opus illud polemicum transtulerit. Taceo, tanta stribligine verborum haud raro eum usum esse, ut ne nunc quidem sensus verborum disputandi argumentum præbere desierit. Accedunt locorum Scripturæ allegationes & explicationes, hinc inde in ipso *Irenæo* aliisque occurrentes, valde inconvenientes; ex quibus, quam parum de Script. S. genuino sensu interdum constiterit bonis illis viris, luculenter patet: Ac proinde, cum de *vera* quoque *interpretatione* inde res nondum semper confecta sit, multo minus de *catholica* ex his aliisque paucissimis melioris ævi

que seculis Christianismi fuerit, vel unus Ruffinus manifesto nobis documento est) respondeo, nondum hinc perfici, omnium Ecclesiæ doctorum, qui duobus istis seculis vixerunt, eandem, quæ istorum, sententiam fuisse: ut proinde ne istorum quidem seculorum consensum obtendere ex istis tribus possis. *Quid isti Patres senserint, quorum libri extant, tenemus: quid innumerabiles alii, de quibus nihil accepimus, tradiderint, non tam facile possumus existimare:* agnoscis, ut opinor Witakeri a) vestri verba, ne tu me pari ratione, qua Socinum alicubi ad eundem modum respondentem, excipias. Quanquam utut cæteri, qui ista ætate Christi nomen professi sunt, nihil ad posteritatis memoriam de suo sensu reliquerint; non tacuerunt hoc illi ipsi, quorum scripta extant, fuisse tunc temporis, qui de illis controversiis, quæ nunc inter nos agitantur, aliter atque ipsi senserint: quos si tu, quo nihilominus consensum tuum catholicum sartum tectum præstes, extra Christianismi fines relegas, nimis manifeste τὸ ἐν ἀρχῇ * petis. Deinde quæro, quis istos fixit veritati terminos? quis duo illa prima secula ab omni errore absolvit? An non Ecclesiastica historia satis testatur, nonnullas opiniones portentosas b) jam tum inter eos, qui nomen Christo dederant, invaluisse? Quin, ut verum fatear, res ipsa docet, non-134 nullos posterioris ævi acutius in enodandis Scripturis versatos: & ut de nostra ætate dicam, valde me pœniteret Calvini vestri, ac Bezæ, si nihilo solidius sacras literas interpretarentur, quam video illos ipsos, quos tu mihi obducis, fecisse. Vnicum hoc fortasse obtendes, habuisse eos, qui Apostolis proximi vixerunt, veluti per manus traditas sententias, quibus ad illorum mentem Scripturæ dicta quam commodissime explicarent. Fateor sane, non esse nihil, quod dicis: sed non tantum illi tribuo, ut etiamsi mihi constet c) de sententia istorum bonorum

* Id quod primo probandum erat.

scriptis effici solidi quid posse, palam est. Plura hac de hypothesi & nævis quoque *Irenæi* in notis ad *Fragmenta* ejus edita additis observ. celeberr. *Pfaffius.*

a) *Guilielmi*, Prof. Theologiæ Cantabrigiensis, cujus e Disputationibus contra *Bellarminum*, de *Script. Sacr.* hæc, nisi fallor, sunt decerpta.

b) V. g. de Angelis, de Antichristo, de novissimis seu extremis Eccl. in his terris fatis, judicio extremo & igne quodam, per quod omnibus tunc transeundum sit, & similibus ex falsis interpretationibus Scripturæ Sacræ locorum variorum confictis. Immo non defuere, qui *omnes fere Patres errorum & hæresium ab ipsis Pontificiis argui atque postulari*, testimoniis, ex eorum scriptis ubertim congestis, ostendere conati sunt. Quos inter *Ruaro* notissimus *Joh. Botsaccus* in de *Libertate veterum doctorum scripta judicandi* tractatu supra laudato, anno 1663. *Stetini* forma 8va impresso, primas tenet, lectuque dignissimus est.

c) Quandoquidem nec omnium, sed

norum Patrum, credere cogar, ab Apoſtolis eam ad illos indubitate manaſſe, neque liceat mihi illam ad obruſſam Sacrarum literarum rectæque rationis exigere, & ſi ab illa deflectere mihi videantur, cum bona illorum venia ſuſpendere aſſenſum, aut ad meliorem transferre.

Ne quid enim dicam de eo, quam pugnantes opiniones de celebratione Paſchatis eadem illa ætas ab Apoſtolis a) ad ſe fluxiſſe jactaverit, quarum alteram confictam fuiſſe credibile eſt: quas & tanti fecit Victor Romanæ eccleſiæ Epiſcopus, ut excommunicationis fulmen in Aſiaticos, qui tamen Johannem ſententiæ ſuæ auctorem perhibebant, intorſerit. Vt non allegem alia multa, in quibus veteres iſtos erroris arguunt Centuriatores Magdeburgenſes aliique veſtrarum partium eruditiſſimi viri. Quotusquisque amabo antiquorum chiliaſtarum ſomniis non fuit dementatus? Et ita illa ſuaviter ex Scripturis tu- 135 entur, ut auſint etiam affirmare, presbyteros quosdam, qui Johannem diſcipulum Domini viderint, meminiſſe ſe ab eo audiviſſe Domini ſuper iſtis ſermonem, Judaicis fabulis non abſimilem; quem, ſi tanti eſt, videas apud Irenæum licet. Quin & idem Irenæus Chriſtum ad quinquageſimum ætatis annum perveniſſe exiſtimat, errore pene dicam puerili; quem ne illius ſolius putes, addit, præter Evangelium id teſtari omnes ſeniores, qui in Aſia apud Johannem diſcipulum Domini convenerunt, qui id eis tradiderit, imo nonnullos eorum non modo a Johanne, ſed ex aliis Apoſtolis dixit eadem audiviſſe. Si in iis, quæ ad hiſtoriam pertinent, tam turpiter nobis imponit traditio ab Apoſtolorum ore, ut jactatum fuit, adhuc calida, quamvis in vicinitate temporum pluſculum momenti ponere ſoleant, qui rerum geſtarum fidem in hiſtoriis examinant; quid de explanatione dogmatum ex Scripturis dicemus, in qua quilibet ingenio ſuo liberius indulgere ſolet? Non diu eſt, ex quo vivere deſiit Lutherus, & tamen quot in ſententias jam diſceſſerunt, qui ſe eum omnes ſequi gloriantur. Habemus enim in caſtris Lutheri Flacianos, Melanchtonianos, Brentianos, Huberiſtas, Hoſmannianos, Arndiſtas, b) Gieſſenſes ac Tubingenſes, adverſis

paucorum, & horum quoque non niſi *pauca*, multaque in his dubiæ auctoritatis, ſuperſunt monimenta.

a) *Polycrates* enim cum pluribus aliis Aſiaticis doctoribus ad *Johannem* provocavit, reliqui ad *Petrum*. Quemadmodum etiam ad eundem *Johannem* de *Chiliaſmo* opinionem tam late diſſeminatam referentis, ut auctoritas ei conciliaretur, hominis σμικροῦ τὸν νοῦν, *Papiæ*, *Hieropolitani* Epiſcopi, traditio comparata, atque hinc cunctis fere ea tempeſtate præſtantiſſimis Viris probata fuit.

b) Vellem minus invidioſe diſſenſiones has enumeratas. Quid enim opus fuerat, ex qualibuscunque de viris nonnullis pro-

inter se armis concurrentes, & nonnullos aliis ita infestos, ut tanquam milites ære dirutos Christi summi ducis favore ac benignitate indignos judicent. In omnibus istis familiis multos fuisse, atque etiamnum esse viros bonos existimo non minus quam eruditos, quique nihil minus cogitent, quam ut alienas Luthero opiniones affingant: & tamen, ut verum illius sensum singuli teneant, fieri non potest, cum adversa fronte inter se pugnent. Vt minus mirari possimus, si bonis illis Christianis, qui Apostolos proxime consecuti sunt, simile quid contigerit: præsertim cum Christiana dogmata ab initio non ita ut hodie in templis ac scholis publicis passim a viris eruditis docerentur, sed in obscuro plerumque serperent, inter homines simplices ac credulos, qui non ita scrupulose fortassis, ut nos hodie facimus, omnia expendebant. Quod speras te, etiamsi librum tuum in publicam lucem proferas, neminem ex iis, quibus te amicum profiteris, adversarium habiturum; per me quidem ea tibi spe securo esse liceat, at tutus ut sis etiamnum ambigo. Scio, quid Britanniæ Regis nomine Casaubonus a) (ut alia illorum scripta taceam) Cardinali Perronio obtulerit in eam sententiam,

136

bis & scriptis eorum disputationibus privatis, aut disquisitionibus etiam historicis, de sententia forte singulorum bona, an mala, novas factiones nominaque invisa, v. g. *Brentianorum*, *Arndistarum*, *Hoffmannistarum*, vix a quoquam, nisi Pontificio declamatore, audita, comminisci?

a) Nota est hæc epistola, in edit. Brunswicensi Græviana anno 1656. n. 710. collocata, quæ non minus, quam præfatio ejusdem in *Gregorii Nysseni ad Eustath. Ep.* &c. anno 1606. Paris. publicata, pacis cum Pontificiis studium præ se ferens, ingentem invidiam ei conflavit, eaque etiam (quis enim neget?) continet, unde nimiam fuisse eruditissimi *Casauboni* consensus & antiquitatis Ecclesiasticæ, *Perronio* tantopere celebratæ, æstimationem colligitur. Quam etiam aperte ad *Bertium* anno 1611. scribens (in *Epist. Remonstr.* n. 170.) verbis: *Ego ita comparatus sum, ut consensum primævæ Ecclesiæ magnifaciam;* palam professus est. Sed quid inde præmii retulerit, præter suspicionem, de conspiratione cum Papatu, aut fluctuatione saltem in religione clandestina, nemo est qui ignoret. Filio certe, *Merico Casaubono*, tam infeliciter ea res evenit, ut *contra maledicos patrii nominis & religionis hostes* peculiari libello; *Pietas Mer. Casauboni H. fil.* dicto, operose illi disputandum fuerit, & vix ab infamia illa idem liberare parentem potuerit, quin alii identidem eandem fabulam recoxerint. Quicquid sit, de *Perronii*, hominis audacissimi pariter & loquacissimi, *Responso*, hoc certe ex Perronianis illis, etiam cum *Mornæo* optimo fraudulenter non minus quam clamose institutis, disputationibus elucet, ubi semel a verbo DEI ad Patres deflexum est, habere Pontificios effugia, quibus nostros, non quidem dolis vincant, caussam tamen optimam, vel per ambages & incrustationes oberrando, veramque lucem divinam fugiendo, ambiguam dubiamque reddere conentur, clamoribusque accedentibus obscurent. Quos, dum alii consensum illum crepantes imitantur, facile in laqueos incidere eosdem posse, liquet.

tiam, quam tu ſequeris. Sed nec illud ignoro, ex quo Perronii reſponſio prodiit integro libro fuſe deducta, fuiſſe ex veſtris in Gallia, qui putaverint opportunam utrique mortem cecidiſſe, cum ad vadimonium obeundum cogi jam nequeant. Vt ergo tibi dem, Regem Britanniæ, & Caſaubonum, ut Chemnitium quoque, & ſexcentos alios; non deerunt tamen alii, qui cauſam hanc Chriſtianæ libertatis 137 contra jugum Patrum validis argumentis agant. Velim te vidiſſe, (& fortaſſis vidiſti) quæ Robertus Parkerus a) vir, ut apparet, eruditus ex illorum genere, quos in Britannia Puritanos vocant, in libro de politia eccleſiaſtica de hoc argumento ſcripſit contra iſtos, quos vocat Hierarchicos: cujus ſecundus liber fere totus in refutanda tua ſententia conſumitur: quem ſi habere iſtic non potes, & ſi tanti videtur, a me commodato ſumere potes. Quod oblique me hortaris, ut, quod ad pacem & unitatem cum Eccleſia ſeculorum omnium pertinet, curæ mihi habeam, ac quod nondum credo, ſaltem non negem publice, nec impugnem: ego vero, mi Bergi, quantopere pacem exoptem colere cum omnibus, in quibus aliquid video Chriſti, vel ex eo tibi manifeſtum eſſe poteſt, quod amicitiam cum multis religioſe b) ſervem, quos capitales eſſe hoſtes ſcio illius ſenſus, quem ego in religione ſequor. Et vide quæſo, quanto latius pateat meus hic, ut ita dicam, Catholicismus, c) quam tuus, qui homouſianos tantum, ac ne eos quidem omnes, cum inter eos fuerint olim hodieque ſint non pauci a vobis pro hæreticis damnati, in amicum fœdus recipis: cum ego non illos modo, ſed & alios omnes, qui quidem capita Chriſtianæ fidei, quæ pauciora ego longe, quam tu, eſſe cenſeo, teneant, & vitam ſecundum

 regulam

a) Cujus præſtantisſimi operis & librorum ejusdem II. editio jam tum prodierat, & paullo poſt anno 1638. recuſa iterum comparuit. Quæ medio ſeculo ſuperiori de *Auctorit. Eccleſ. Antiquit.* inter *Calixtos*, patrem & filium *Drejerumque*, atque *Calovium* & aſſeclas ex altera parte, diſputata ſunt, ea tandem ad diſtinctionem inter *principium* non tam momentum, quam veritatem dogmatum ſacrorum, cognoſcendi *primarium* & *ſecundarium*, atque hinc porro (cum *teſtimonium* non ſpernendum per hanc ſententiam denotari, ex *Martyrum* titulo deductum, declaraſſet *Calixtus* filius,) ad λογομαχίαν rediere.

b) Ambigua vox; quæ vix aliter, quam de animi *ingenuitate* & amicitia *civili* intelligi videretur, niſi ſequentia obſtarent nimis amice ſcripta.

c) *Indifferentiſmus* hodie dictus: qui ſi de *ſpirituali* fraternitate ſermo ſit, male audit Spiritui Sancto, lucique cum tenebris commiſcendæ perquam commodus eſt. Si recte memini, jam *Schlüſſelburgius* hoc ævo & paullo ante, quo iſta ſcripſit *Ruarus*, latino vocabulo, *Generaliſtas* id genus homines vocavit. Hoc loco videtur ad Catholicam *Bergii* interpretationem alludi non ſine aculeo.

regulam Evangelii componant, fratres ſalutem. Nec vero ita mihi 138 prurit animus libidine vulgandi ea, in quibus me aliis rectius ſentire credo, ut a me tranquillitati a) communi ullum ſit periculum: nec, etiamſi vera ſint, quæ ſentio, tanti me eſſe puto, ut Chriſtiana ſalus vocem meam propterea in publico requirat. Vltro me ad diſputationem in campum prodiiſſe, vix quiſquam dixerit. Invitatus ab aliis modeſte ſenſum meum aperui, quod religioni mihi ducerem, diſſimulare animi mei conſcientiam apud eos, quos crederem bono conſilio vel mei vel ſui profectus cauſa in eam inquirere, aut quibus ea eſſet auctoritas, ut id pro jure ſuo a me exigere poſſent: nam apud alios etiam interrogatus nonnunquam alio derivare ſermonem ſoleo, memor illius interdicti, ut ne porcis margaritas projiciam. Veriſſimum credo, quod Remonſtrantes in aurea illa præfatione, quam Confeſſioni ſuæ præmiſerunt, inquiunt: *Nunquam tantum prodeſſe poſſe non neceſſariæ veritatis notitiam, quantum publice privatimque nocere atque obeſſe poteſt importuna ac inverecunda* b) *illius inculcatio.* Tecum ſentio, *longe præſtare laborem, quem contentiones nobis ſuffurantur, iis potius urgendis tribuere, quæ contentionum vulnera nulla infligant, & ad pietatem præſentiorem efficaciam habeant.* Sed video idem mihi accidere, quod accidiſſe tibi quereris, ut præter opinionem longius ſcribendo provectus ſim: quod nolim contendendi ſtudio factum putes, a quo ſane alieniſſimus ſum, ſed pio quodam veritatis amore: quo, ut omnia 139 tibi concedam, nec te, nec quopiam alio, inferior videri cupio. Adſit nobis Dominus Jeſus Spiritu ſuo, greſſusque noſtros regat, ut per veſtigia illius contendamus ad beatas illas ſedes, in quibus ea, de quibus nunc miſeri inter nos anxie diſceptamus, tanquam in clariſſima luce propoſita, ſine ullo errore contuebimur. Salutem a te miſſam redire

a) Hoc forte non negaverim eſſe factum; at *veritati* myſteriorum ſummorum, & fidei ſanctiſsimæ, atque adeo conſcientiæ multorum temerandæ, quantum fuerit creatum ab eo periculum, fraudulenta errorum propagatio, ab ipſomet epiſt. 25. enarrata, demonſtrat, & querelæ *Gedanenſium* Cent. II. epiſt. 48. ſeqq. multiplices confirmant. Cætera ex *Hiſtor. Crypto-Socin.* L. B. addiſcet, ſi vitam *Ruari* perluſtrare volupe ſit.

b) Præſertim ſi convitiis verborum accedat rationum & probationum aperta imbecillitas, &, ſolius auctoritatis humanæ, barbæ item & pallii oſtentatione, uſusque diuturni obtentu rem tantam confici poſſe exiſtimetur. At contra cavendum etiam non minori diligentia eſt, ne *Myſta DEI* pro veritate etiam ἀποτόμως tuenda *fervidus* moderationis larva deceptus in frigidum doctrinæ ſalutaris præconem degeneret: quo fiat, ut neglecta doctrinæ puritate proximæ ætatis poſteritas miretur ſuccreſcentes errorum pernicioſiſsimorum ariſtas.

redire ad te jubent nobilissimi Sacci a) cum fœnore. Dabam in Mœstichiano, a. d. v. Eid. Januar. Gregor. cIↃIↃcxxvII.

XXI.
C. BERGIVS M. RVARO.

SEcundis tuis literis, Vir clarissime, tanto forte diligentius me responsurum putas, quo serius: sed nolo vel te, vel me, multis fatigare, hoc præsertim tempore, quod orandi magis, b) quam disceptandi nobis necessitatem imponit. De aliis plura forte colloquemur, si coram agendi facultas aliquando rursus concessa fuerit: illud unum monere lubet, quod nihil de eo, de quo ego unice quæsieram, responsum perspicue in tuis vel invenire vel intelligere potuerim. *Quæritur enim, si interpretatio & intelligentia Scripturæ subnixa notorio consensu, vel (si quis in voce notorii forte nimium argutetur) tali saltem, de quo persuasus sim in conscientia, & de quo quivis alius, nisi stuporem aut negligentiam manifeste affectet, persuaderi facillime possit: si inquam, interpretatio Scripturæ subnixa tam perspicuo consensu omnium doctorum Ecclesiæ primitivæ, quorum ad nos scripta pervenerint, quosque nemo impietatis sine impudentia accusare possit, militet ab una parte, ab altera contra consequentiæ privatæ, quas ego forte non possim solvere, utrum ego tum his prorsus assentiri tenear, an illi potius cum laude aliqua modestiæ, vel minori saltem peccandi periculo assentiri queam?* Mea quæ sit sententia, intelligis. Contra eam nullam ex literis tuis objectionem colligere potui, nisi *quod hoc modo magnam Pontificiis fenestram aperiri, etiamsi ego id negem, res ipsa nimium loquatur.* Ego vero etiam nunc constanter id ipsum nego: imo colligens porro, non esse necessaria creditu, in quibus de consensu veterum valde probabilem c) dubitandi causam allegare possumus, dogmata de primatu Papæ, indulgentiis, invocatione sanctorum, transsubstantiatione & sexcenta alia, protinus ex numero catholicorum dogmatum relegatum iri dico. Quæ suspi-

140

a) Vid. epistol. 18. & 19. extremas.

b) Inter bella tum temporis flagrantia, multasque terrarum, istarum præsertim, depopulationes, cum ex *Bohemia* in *Silesiam*, atque hinc porro ad *mare* usque *Balthicum* ferale illud Germaniæ bellum duce *Wallensteinio* transferretur, & longius indies proserperet.

c) Immo vero non probabilem tantum, sed luculentissimam; constans videlicet in re tanti momenti, cujusmodi primatus Papæ censetur esse, silentium. Vnde ex *dissensu* potius, quam consensu, cum Pontificiis disputare, si quidem ad antiquitatem Ecclesiasticam provocandum sit, dummodo phrasium & vocabulorum quorundam ambiguæ notiones, præeunte ex nostris b. *Gerh. Titio*, recte evolvantur, patet esse consultissimum.

suspicari potui, in quibus nostri ab interpretatione notorie catholica recessisse videri queant, de iis sufficienter, ut opinor, respondi quæstione octava tractatus mei. Sed fac sane dari aliqua, in quibus dissensum nostrorum excusare nequeamus: aperte profiteor, modo cætera Pontificii remittant (quod nunquam futurum est) in his me consensum illico complexurum esse. Imo si propter illas proprie sententias, quæ manifesta & consentiente piorum veterum interpretatione firmantur, discessio facta esset, accusarem nostros. Nunc quando propter recentes errores, eosque intolerabiles, discessum est, malo etiam in cæteris cum nostris consensum colere, quam, dum veritatem in rebus levioribus affecto, ab his dissentiens, quibus novum pariter atque intolerabilem errorem, quem pro articulo fidei obtrudant, objicere non possum, majus in hisce offendendis, quam in illorum interpretationibus relinquendis, peccandi periculum subire. Quæ sub finem epistolæ scribis, favere videntur meæ sententiæ, ac spem profecto de pietate tua non levem faciunt. Laudant etiam Leidenses a) illa Remonstrantium verba: *Nunquam tantum prodesse posse non necessariæ veritatis notitiam, quantum obsit importuna inculcatio:* praxin b) tantum in ipsis desiderant. Est vero importunum, quicquid ad bellum ecclesiasticum, eos præsertim, quos ante nos invenimus, errantes de re non prorsus necessaria concitat. Scio tutam c) esse sententiam, quæ tanto piorum consensu celebrata est: absit a me, ut contra eam, quamvis erroneam nossem (quod tamen longe secus est) bellare velim. Quid præceptum nobis putamus, quando tam ardenter passim obtestatur Apostolus, ut idem sentiamus, idem loquamur? an ut tum denique consentiamus, ubi rationibus convicti fuerimus. Hoc vero non

141

a) Theologi puta, quatuor hujus Academ. Lugdun. Batavæ, in *Censura Confessionis Remonstrantium* anno 1621. scripta, cui vel tandem anno 1626. ei opposita *Apologia* communi itidem fratrum nomine est, paullo post ab his reposita, anno 1628. jam perfecta, sed anno 1630. demum, forte ideo, ne de novo irritarentur animi, & ut fratrum interea omnium consensus impetraretur, publicata.

b) Et fuerunt sane inter eos, qui a partibus *Remonstrantium* non stabant, a quibus non minus hos, quam *Anti-Remonstrantes*, in caussæ suæ defensione & propugnatione plus justo contentiosos esse existimaretur.

c) Quid si *antiquus* sit *error*, in quem diu consensum est? Hiccine sine periculo approbandus videbitur? Non semper in rebus fidei argumenta, ab eo, quod *tutius est*, si præsertim emolumenta commoditatesque hujus vitæ spectentur, desumta, magni habentur: Vti nuper a *viro* quodam *doctissimo* ex instituto ostensum memini. Alia sunt & *firmiora* fundamenta, in quibus conscientia, in extremo etiam mortis agone, contra quoscunque assultus, conquiescere potest ac debet.

non esset extinguere certamina, sed accendere: quivis enim suæ rationi pluſculum fidens, alios omnes secum sentire volet. Illud igitur vult, ut nostris ipsorum ratiociniis maxime diffidamus, ut consideremus, non quid acumini nostro magis respondeat, sed quid ad pacem faciat ecclesiæ, nihilque contra alios dicamus, nisi quod conscientia contra propriam quasi voluntatem, & manifesta rei dicendæ necessitas, ab invitis extorqueat. Fingamus, erroneam esse sententiam de æterna divinitate Filii & Spiritus sancti. Esto. Pauca sunt necessaria prorsus ad pietatem: ad hanc illa, quamvis erronea, quæ nec martyribus olim nocuerunt, nec nobis nocebunt, torqueamus, ut ex suo ipsorum ore suisque verbis servos fideles excitemus, confundamus infideles. Deus est Christus. Tanto magis a) humilitatem admirare, caritatem imitare, expavesce judicium. Deus est Spiritus sanctus. Tanto timidius tecum ipso, qui templum illius es, agito. Non tu illius es sacrarium, si in his vel illis sordibus volutatum videro. Quem contristes, cogita. Hac inculcatione atque accommodatione, quamvis erroneorum (ita enim finximus) dogmatum, multo plus agemus, quam si nescio qua spe Turcicæ aut Judaicæ conversionis, Christianos interim quasi bello civili commissos a pacata pietatis meditatione abstrahamus. Ipsa imo concordia nostra (sicut primorum inter gentiles Christianorum, quorum incrementa divinæ Christi naturæ confessio non impedivit) plus apud infideles, quam accurata illa, quæ prætenditur, veritas profutura est. In aliis, quæ scripsisti, eruditionem & ingenium tuum agnosco: neque in iis nunc refellendis scrupulose occupari volo. Ad ea tantum, quæ initio contra judicium disciplinæ attulisti, uno verbo addo; juxta tua principia nunquam quenquam ex testimonio duorum vel trium condemnandum esse. Hoc enim testimonium non infallibilem seu fidei divinæ certitudinem facit, sed hu-

P manam

142 143

a) Quid hæc sibi volunt, *Bergi?* Omittendane est *fides*, quæ πεποιθήσει immota huic veritati cum fiducia assentiendo non nisi in hac petra, ut *Christus* ipse docet, divinitate liberatoris nostri, cum universa Ecclesia, secundum Matth. XVI, 16. 18. firmiter stat atque subsistit? Idem de *divinitate Spiritus Sancti*, ad nos juvandos, in via salutis ineunda & calcanda, pari fidei confidentia *invocandi*, sentiendum. Hæc ergo facienda sunt, & reliqua non omittenda; illa tamen etiam his, sine quibus ea neque revera existere, neque etiam firmiter consistere queunt, & ordine & dignitate jure meritoque anteponuntur. Quicquid itaque heic & in sequentibus disputatur, *fallaciam compositionis & divisionis* si dixeris, non male sententiam tuleris. Sed ita fit, ut, quando momenta errorum nimium extenuantur, tandem, studio pietatis immoderato, capitalia fidei sanctissimæ dogmata inter leviora reponantur, & pæne quæstionibus de stillicidio æquiparentur.

manam tantum, quam moralem vocant. In re prorſus dubia moderationem tuam admitto, eamque & ipſe contra Pontificios urgeo. Vbi vero certitudo ſaltem moralis datur, ne tu quidem ipſe, opinor, ſerio illam poſtulaveris. Vale feliciſſime, & nobiliſſimos Dominos a Sack a) meo nomine perofficioſe ſaluta. Deum autem oro, ut & pacem nobis foris concedat, & Spiritu ſuo Sancto corda intus illuminet, ut ſincere & cognoſcamus & faciamus ipſius voluntatem, atque in ipſo unum efficiamur ſermone atque animis cum omnibus ſanctis. Amen. Dabam Francofurti b) x Aprilis, cIↃIↃcxxvii.

XXII.

M. RVARVS FRIDERICO SCHOSSERO. c)

Vidi heri, Vir ornatiſſime, literas tuas ad Scheferum d) ante aliquot dierum hebdomadas exaratas, atque ex iis agnovi, tum affectum tuum erga me non vulgarem, tum præclarum in te atque ardens 144 Evangelicæ philoſophiæ ſtudium: quorum de illo quidem gratias tibi ago quam maximas, hoc vero non poſſum non vehementer in te laudare: in utroque ut conſtanter perſeveres partim hortor, partim etiam rogo. Doleo te, cum his in oris adeo mihi vicinus eſſes, in conſpectum meum non veniſſe, ſimulque occaſionem, voluntatem erga te meam

a) Vid. epiſt. ſuperiores n. 19. & 20.

b) Ex qua urbe & Vniverſitate non multo poſt anno 1629. *Bremam* bellorum aliarumque rerum tædio demigravit. Vnde, quid porro de his rebus diſputaverit *Bergius*, noſtrum in præſenti non eſt exponere. Hoc tamen tacere non poſſumus, eo ipſo, quo *Ruarus* cum illo amice diſceptabat anno, *Joach. Stegmannum*, qui & ipſe, ut multi alii, *Mæſtichii* apud *Saccum* tunc hoſpitabatur, ſententiam hanc *Bergianam de concordia inſtauranda* ad incudem revocaſſe: quem libellum inter MSta *Stegmanniana* commemorat *Sandius*.

c) *Sileſio*, & in religione Evangelica, quod epiſtolæ hæ docent, admodum vacillante, erudito ut videtur homini, de reliquo autem mihi haud noto; de quo etiam, utrum in caſtra *Socini* poſthæc transierit, necne? minime conſtat.

d) *Melchiorem* illum, *Sileſium* gente, uti b. *Dorſchæus* in Comment. ad Joh. II, 19. teſtatur; quanquam etiam ex hac epiſtola & aliunde id colligi poſſit. Vtrum *Freyſtadienſis* fuerit, cujusmodi oppidum in *Glogavienſi* Ducatu celebratur, non pronuncio; at eum, cujus mox laudabimus libellum illi oppoſitum, ita appellaſſe obſervo. Non aliunde alias cognitus eſt hic *Scheferus*, niſi ex ſchediaſmate tit. *kurzer Bericht auf die Frage, ob der HErr JEſus ſich ſelbſt aus eigner Krafft von den Todten auferwecket habe?* contra D. H. Meſerizenſem Paſtorem ſcripto, & in Polonia anno 1637. publicato, quem ſtatim anno 1638. quidam H. G. V. S. L D. F. L. Liſſæ Polon. ubi exarata certe eſt epiſtola dedicatoria, in *der kurzen und gründlichen Antwort* refutavit, & libellum iſtum a *Schefero* (*einem Sociniſten*) paſſim, at clam tamen, diſperſum fuiſſe, reſponſionem autem a Domino *Jo. Georgio Schlichtingio de Bukowicz* expetitam eſſe, teſtatur.

meam teſtandi, mihi ereptam eſſe. Neque vero erat, cur Scheferum tibi manuductorem ad me tantopere requireres: nec enim ita ſunt ſuperbæ ædes noſtræ, ut adventores reſpuant, aut non niſi per ambitum operoſæ commendationis admittant. Quocirca te moneo atque hortor, ut, quandocunque ita tulerit occaſio, libere me convenias, neque dubites, iſtud me officium tuum in beneficii loco habiturum: idem & me facturum polliceor, ſi quando rerum me mearum ratio eo, ubi te verſari intellexero, perduxerit. Quod ſi quid abſens vel ſtudiis, vel reliquis tuis rebus commodare potero, adnitar pro virili, ut intelligas, amicitiam meam, utut minus fortaſſe fructuoſam, fide tamen atque juvandi conatu minime erga te ſterilem fuiſſe. Glogovienſem a) illum librum, cujus in literis tuis mentionem facis, neque ego, neque Scheferus, b) quantum ex illius literis intelligo, vidit: ideoque neque judicium de illo meum, quod tu quantivis pretii exiſtimare videris, exponere tibi poſſum. Quanquam autem de non viſo judicare nequeo, ne vetus mihi exprobretur adagium, quod cæcus de coloribus: cum tamen, ex qua officina prodierit, conſidero, facile cujus ſit coloris augurari licet. Non dubito pleraque in eo ita comparata, ut tibi Evangelii armis inſtructo, ſophiſmata utut belle incruſtata, facile ſit tuo ipſius marte expugnare. Sicubi tamen hæſitas, atque ea, quæ negotium tibi præcipue faceſſunt, excerpere, & ad me transmittere libet, ego, quantum & per virium mearum tenuitatem, & per alias occupationes potero, ſuppetias lubenter ibo. Adſit tibi Dominus Jeſus ſpi-

145

a) Vel hinc demum probabili aliqua ratione *Schoſſerum* ex eodem Ducatu, ubi forte & habitaverit, ortum eſſe, adductus credo. Quid autem illud libri fuerit, de quo confabulantur, contra *Socinianos* illic prælo procuſi, me cum ignariſſimis ſcire lubens profiteor.

b) Cujus quanta fuerit cum *Ruaro* familiaritas, hinc patet, etſi qua vitæ conditione iſtic inter ſuos uſus ſit, oppido obſcurum maneat. Is, qui librum ante memoratum examinavit, *Liſſenſis* ſcriptor, in opuſculi illius Dedicatione, qua Senatui *Meſerizienſi* & *Schwerinenſi* illud inſcripſit, ſtatim ab initio in vicinia horum locorum vixiſſe (*Es hat ſich ohnlængſt ein Gottlæſterlicher, Mann in Ewrer Nachbarſchafft ſich aufhaltend, Nahmens Melchior Scheffer, von der Freyſtad &c. &c.*) ſcripſit, & in eadem epiſtola, patronos quosdam nobiles habuiſſe, addidit. Cujus e libelli, quod nunc demum adjicimus, iterata perluſtratione tandem, illum ipſum, qui *Schefferum* refutavit, ſupra laudatum auctorem, litteris initialibus ſubindicatum, non alium eſſe, quam *Joh. Amos Comenium*, ſcholæ Liſſanæ hoc tempore collegam, animadvertimus, quicquid etiam compendio iſthoc litterarum indicare voluerit. Epiſtolæ enim ad *Schlichtingium* non ſolum nomen iſtius J. A. C. ibidem ſubſcriptum legitur, ſed etiam libellus idem, denuo anno 1659. Amſtelodami cum epiſtola pro *Scheffero Wolzogeniana* excuſus, auctorem expreſſe *Comenium* ſiſtit ac nominat.

ritu ſuo, eoque regat & ſtudia & vitam tuam, ut quantum in veritatis amore, quem ſentio tibi eſſe cordi, tantum & in pietatis cultu proficias, atque ita viam ad æternas atque beatas illas ſedes, quas ſine ſanctimonia nemini adire licet, tibi ſternas, atque munias. Vale Schosſere eruditisſime. Dabam in Bobowicio a) a. d. xv Cal. Auguſti, cIↃIↃCXXIX.

XXIII.

M. RVARVS EIDEM.

TArdius, Vir eruditisſime, literis tuis reſpondeo, partim ob diuturnam meam ex his oris abſentiam, ſub qua tuæ huc appulerunt, partim ob occupationes varias, quæ reducem exceperunt, & ita adhuc circumvallarunt, ut interdum vix reſpirare libere potuerim. Quod meam erga te benevolentiam tantopere deprædicas, id ipſum benevole tu magis, quam merito facis: præſertim ſi illam æſtimes ex eo, quod præſtiti, non quod præſtare cupio: quod ipſum tamen non adeo magnum eſſe patitur virium mearum tenuitas. Si ferrent res tuæ, ut aliquando mihi coram adeſſes, paulo forſan clarius agnoſceres apertum tibi benevolentiæ meæ ſinum: forſan & de rebus iis, de quibus per literas mecum diſputas, copioſius & ad aſſenſionem tuam provocandam accommodatius, mentem tibi meam explicarem. Sed dum illud fiat, quod tamen ut cito fiat valde vereor, quandoquidem egomet ipſe novo propediem itineri accingor, quod minimum ſesquimenſem mihi auferet, ad literas ὡς ἐπὶ δεύτερον πλῶν * recurramus. Quod negas te videre, qui poſſis ſententiam eorum, quos tu orthodoxos b) vocas, deſerere, non miror: meo enim ipſius exemplo novi, quam ægre dimittantur, quæ cum lacte materno quodammodo imbibimus: nec id tibi vitio verto, quod partes, in quibus natus atque altus es, non facile mutas: in religionis enim re graviter agendum, nec niſi maturo conſilio, rationibusque utrimque diu multumque penſitatis, ulli mutationi

146

* Velut ad ſecundam navigationem: proverbialiter dicitur, cum quis occaſione prima amiſſa, ſequenti utitur.

a) Altero prædio *Sackiano*, in *Sileſiæ* juxta *Poloniam majorem* finibus ſito; de quo *Crypto-Socin. Hiſtor.* Cap. II. extremo. Ex quo ſimul loco, ubi *Ruarus*, & quamdiu in *Sackianis* hoſpitiis commoratus ſit, donec non diu poſt alio ſe converteret, elucet.

b) Evangelico-Lutheranos, ut arbitror: Ex quibus verbis pariter & ſequentibus hujus epiſtolæ indiciis, nutantem *Schosſerum* a veritate agnita non defeciſſe, ſed pro ea fortiter pugnantem in Eccleſia diviniori perſtitiſſe atque perſeveraſſe, conjicimus, ab ipſo *Ruaro*, ne quid temere mutet, paullo poſt laudabiliter commonefactum.

cationi ſubeundum. Non dubito tamen, quin, ſi ſincero veritatis amori, exutis omnibus affectibus, qui mentem in transverſum agunt, incumbas, cum tempore animadverſurus ſis, iis argumentis, quibus tu modo tantum tribuis, rem adeo ab omni ratione adhorrentem nequaquam confici. Submitto tibi nunc libellum aliquem, in quo ad multa, quæ contra nos in medium afferri ſolent, mea opinione pro ratione 147 inſtituti, quod auctor libelli a) ſibi propoſitum habet (animadverſiones enim, ut vides, ſcripſit, quas ſuccinctas eſſe oportet) ſatis reſpondetur. Quod ſi ea tibi nondum ſatisfacient, de illis, ſi ita lubet, poſthac inter nos agemus.

Nunc, ut ſcribendi laborem compendifaciam, venio ad ea, quæ pro Chriſti ſatisfactione, ut quidem vulgo intelligitur, ſtabilienda, adducis Scripturæ ſacræ teſtimonia. Vbi primum monitum te velim, non negare nos, Chriſtum voluntati b) Patris ſui, & agendo & ſuſtinendo omnia, quæcunque is ei noſtri noſtrorumque peccatorum cauſa impoſuit, ſatisfeciſſe, quo fiat, ut & peccata nobis remittantur, & vita æterna donetur; ſed id tantum in controverſiam vocare, an Chriſtus vice noſtri, & obedientiam legi eam, quam nos debebamus, abſolute c) præſtiterit, & pœnam illam, cui nos ob peccata noſtra obnoxii eramus, plene perpeſſus ſit, ita quidem, ut vi atque merito illius tum obedientiæ, tum perpesſionis proprie ſic dictæ, & peccata noſtra aboleantur, & vita æterna nobis debeatur, modo id ita geſtum credamus, Chriſtique talem ſatisfactionem per fidem nobis applicemus. Talis autem Chriſti ſatisfactio, qualem ex veſtro ſenſu jam deſcripſi, illis Sacrarum literarum locis, quæ tu allegas, non modo non adſtruitur, ſed etiam plane deſtruitur. Quanquam enim Rom. III, 24. dica-

a) Procul dubio *manuſcripti.* Quotquot enim hoc titulo editæ ſunt *Socinianorum* lucubrationes, vel ad tempus illud non quadrant, vel alia, quam polemica, tractant argumenta.

b) Dolenda & miſeranda cavillatio. Quis unquam de eo vocis ſignificatu dubitavit? Alius eſt, quod non ignoravit *Ruarus*, controverſiæ cardo. Quorſum ergo hæ ambages? De ἀντιλύτρῳ 1 Tim. II, 6. de δικαιώματι, de ἀπολυτρώσει per λύτρον & ἀντίλυτρον, de recepta pro nobis & geſtata bajulando maledictione ad expiationem hominum omnium, per ſanguinem in cruce fuſum, de geſtatione oneroſa peccatorum in cruce dum pendebat μεσίτης, de ἱλασμῷ per ipſum ſanguinem curato & præſtito &c. pasſim ſermo eſt. Hic Rhodus, hic ſaltus!

c) Ambigue: Si de ἰσοῤῥόπῳ λύτρῳ iræ ſive juſtitiæ vindici DEI, ut judicis univerſi orbis, placando exacte ſufficienti accepit; bene. Si de præſtatione abſoluta, quæ nec applicationis conditione, ut ea fruamur, opus habeat; falſe. Veriſimile tamen eſt, plenam intelligi, ut ſequentia confirmant.

148 mur justificari per eam redemtionem, quæ est in Jesu Christo, interponitur tamen, id fieri gratis a) ipsiusque, puta Dei, gratia. Et Eph. I, 7. & Coloss. I, 14. dicimur quidem in Christo habere redemtionem, per sanguinem ejus, sed utrobique ea per appositionem (ut Grammaticorum filii loquuntur) sic explicatur, quod sit remissio peccatorum, & quidem secundum divitias gratiæ ipsius, (Dei, ut ad Ephesios additur) quæ in nos exundavit. At si Christus ea ratione, quam vos commenti estis, planissime pro nobis satisfecit, nullus b) est gratiæ, nullus peccatorum remissioni locus. Utut enim nihil Deo nos solverimus, solvit tamen nostro nomine Christus, imo nos per illum satis fuperque: nec Deus, qui suum integre recepit, de remissione debiti gloriari poterit. Vides, quam injuria sit vestra de Christi satisfactione sententia in gratiam divinam, quamque male ea cum remissione peccatorum gratuita, quæ cum alibi sæpissime, tum in his ipsis Pauli dictis a te citatis tantopere prædicatur, simul consistat. At si dicas, ut nos quidem sentimus, Deum, utut statuerat, ex mera nobis gratia peccata nostra remittere, vitamque æternam donare, voluisse deducendæ ad rem benevolæ suæ voluntati intervenire administrum atque executorem c) Jesum Christum Filium suum unigenitum, cujus obedientiæ usque ad mortem id benigne indulserit, ut non modo ipsemet per eam, sed & nos cum illo ad immortalitatem perveniremus, quo no-
149 mine & caput illum nostrum fecerit, simulque id imperium atque robur ei contulerit, quo membra sua ab omnibus malis asserere, & in æternum beare possit; hoc, inquam, si nobiscum dicas, omnia pla-

na

a) Gratis utique *nostra ex parte*. *Quis* enim nostrum sive *impetrationem* remissionis peccatorum, per placamentum sanguinis, sive *applicationem* per fidem, quæ DEI opus est, *promeruit?* Est etiam redemtio ex asse divinæ justitiæ vindici, seu, si mavis, iræ infinitæ respondens, at sola *gratia* DEI *procurata*, sola gratia *acceptata*, sola gratia *dispensata*, sola denique gratia credentibus per fidem, tanquam instrumentum applicationis *donata & adjudicata*. Quæ ergo & qualis tantopere heic exaggerata destructio gratiæ? Ad populum phaleras!

b) Nimis audacter. Quis negat, Christi meritum a Christo præstitum, atque meritum *eatenus* dicendum, quatenus ab ipso Patre exhibitum est? De Christine justificatione hic agitur? Miror, tam insulse virum tantum, qui salem habuit, hallucinari cum *Socino* suo potuisse & extra oleam vagari.

c) Præparamentis in cruce scilicet! præmissis & sibi ipsi procurato in cœlum aditu, ac deinde demum oblatione etiam facta cum applicatione per promissa & præcepta morali modo instituenda, & quæ sunt alia hujusmodi. Ita videtur bono viro. Sed hæccine etiam sunt *Paullo* Hebr. IX. & X. 2 Cor. V. Eph. V. & I. immo etiam Evangelistæ V. T. Esaiæ c. LIII. probata?

na a) atque liquida erunt. Nam & gratiæ divinæ ſuus conſtabit honos, tanquam cauſæ beatitatis noſtræ principali, quæ nullo jam merito proprie dicto deſtruetur aut obſcurabitur: & mors Chriſti nihilominus agnoſcetur cauſa ſalutis noſtræ intermedia atque miniſtra, ut per quam divinæ gratiæ munus amplisſimum in nos b) derivatur, atque confertur. Ita ſcilicet & Apoſtolus noſter jure affirmare poterit, nos per ſanguinem, id eſt, interveniente ſanguine Chriſti, tum juſtificari, ſive pro juſtis haberi, atque tractari, tum redemptionem habere, id eſt, cum tanquam captivi ad mortem ſervaremur, in libertatem filiorum Dei aſſeri, atque eam tamen juſtificationem cum gratia copulare, & redemptionem per peccatorum remisſionem explicare. Vereor, ne ut ab initio tarditati, ita nunc prolixitati literarum mearum veniam a teſtipulari cogar. Sed quicquid hujus feci, ſalutis tuæ ſtudio indulſi, quæ in eo non parum vertitur, ut cognoſcas, qua illam ratione, quove pacto Chriſtus nobis comparaverit - - - quod nimis proh dolor! exemplo plerorumque Chriſtianorum liquet: qui cum Chriſti morte quantumcunque juſtitiæ noſtræ deliquium penſari credant, alieno merito ſecure indormiunt, c) & ſeculi more ſuo genio liberaliter in- 150 dulgent. De tua quidem, mi Schoſſere, pietate longe honeſtius ſentio: ſed intereſt tamen non parum ad virtutis tum contentionem, tum conſtantiam, ut ſciamus, quamobrem & quo auctoramento d) illi

a) Immo vero oppido abſtruſa & intricata, omnium vero maxime Spiritus Sancti teſtimoniis adverſa; quæ repetere nihil attinet.

b) Ex *Socini* mente omni ſublata expiatione, & omni ſacrificio, omni ſacerdotis actu, omni conciliatione, per λύτρον, proprie dictis in meras metaphoras atque tropos converſis. Verbis Spiritus Sancti hic ſtandum eſt atque cadendum; non ingenioſis hominum ſpeculationibus. Nobis ſufficit, *ſanguini* ipſi *in cruce fuſo & hoc ipſo ſacerdotio* ſuo *defungenti Chriſto* ad noſtrum ἱλασμὸν per hanc θυσίαν procurandum efficiendumque, conciliationem tribui, & ἀθέτησιν peccatorum, hoc patiendi uno actu jam factam, Hebr. IX, 25. ſeqq. identidem affirmari. Vna jam in terris *oblata hoſtia* dicitur conſediſſe in dextra DEI, non præparatione hoc modo facta, tum demum ſeſe obtuliſſe Ebr. X, 12. uti *patiendo* ſe ſacrificaſſe ſemel, ſæpius alias paſſurus, paullo ante docuerat.

c) Indignum viro tam erudito, ea repetere, quæ *Paullus*, ut *hominum*, divinam ex accidenti etiam longanimitatem in pejus vertentium, *vitia*, doctrinæ ſanctisſimæ e diametro adverſa, immo tanquam diras impiorum calumnias ex inſtituto, & quam fieri poteſt luculentisſime, discusſit Rom. VI, 1. ſeqq.

d) Non præſtantiori profecto, quam ſi Filii DEI æterni & naturalis ſanguini, ut *Paullus* inquit Act. XX, 28. tam benigne ἀντὶ ἡμῶν fuſo, eidemque piaculari, & ad expiationem, juſtificationem atque ſanctificationem noſtram efficaci, omnibusque his modis nos καθαρίζοντι innitendo incumbendoque, ut noſtro, non ſecus, quam ſi omnes mortui eſſemus & ſinguli mili-

illi sit militandum. Adsit tibi Dominus Jesus Spiritu suo. Dabam in Bobowicio a. d. III eid. Aprilis Gregoriani, cIↄIↄcxxx.

XXIV.

M. RVARVS HENRICO HVDEMANNO. a)

GRavem tu quidem dicam mihi intendis silentii nomine, & potest fieri, ut non usquequaque innocentia mea tectus evadam. Interea tamen, ne & hic silentio delinquam, si indicta caussa me condemnari patiar, audi excusationem meam. Tria potissimum sunt tempora, quibus tuto literæ nostræ ultro citroque deferuntur, quoties nimirum nundinæ in hac urbe celebrantur, ad quas mercatores Hamburgo commeare solent: extra illa quam periculose literæ committantur nautis illis, quos tu allegas, & ego, & frater meus Joachimus sæpius experti sumus, dum vel plane non curatæ fuerunt, vel saltem tardissime; prout nunc quoque tuæ fere trimestre in itinere peregerunt. Cum igitur superiores nundinas, ob iter, quod tunc mihi incumbe-151 bat, neglexissem, existimavi has mihi exspectare licere, usus ea fiducia, quæ inter strictos amicos obtinere solet, inter quos officia non semper ad demensum exiguntur. Possem & febri me excusare, quæ cum me ante septem fere dierum hebdomadas invadere cœpisset, cum illius reliquiis etiamnum conflictor. Sed de his satis: malo enim & veniæ locum aliquem relinquere, ne diffidere videar humanitati tuæ. Porro invitas me iterum, Consobrine carissime, in patriam. Audio, sed non ausculto: interim ago gratias amori, qui tam calida tibi verba hic dictavit. Quo enim fine quæso istuc nunc revertar? ut ne iterum ad quadraginta, & eo amplius, taleros imperiales, non exigui temporis labore mihi partos, magnifice prodigam, ne de aureo tempore nunc quicquam dicam, non optime mihi semper istic sive elapso, sive extracto? Non pœnitet me quidem illius æris, quod ista vice nuper parentibus, cognatis, affinibus, amicis, b) quorum nonnullos intra tot annos

temus. Quis melius & solidius sanctitatis genuinæ fundamentum & auctoramentum requirat, quam quod ipse Spiritus Sanctus huic, dum vivimus, continuando exercitio, ex tam dulci & ingenti beneficio promananti, & exemplo simul liberatoris suffulto, gratiæque perpetua φρουρᾷ communito, substravit?

a) Quis ille fuerit, ex ipsis hisce litteris, consanguinitate videlicet junctum *Ruaro* & *consobrinum*, patet. Nec obscure, etiam *Crempæ* publico officio præfuisse, incertum sacro, an politico? ex iisdem colligi potest. Aliunde vero nihil de eo nobis innotuit.

a) Miror, fratris, *Petri*, natu inter cæteros majoris, haud meminisse *Ruarum*, & nisi alibi officium sacrum adeptus sit, in peregrinis terris, de quo tamen nec vola nec vestigium usquam extat, maturius diem suum obiisse, inde conjecturam facio.

nos non videram, nonnullos etiam nunquam, impendi: quanquam, si meo arbitrio sapere mihi licuisset, potuissem aliquanto citius inde solvere, deque sumptu non parum decidere. Sed nunc certe valde me ejus pœniteret, si ad incertæ spei auram iterum tam facile pelago me committerem, & dum absentia, seu potius quæ nulla sunt, persequor, præsentia periclitarer. Nam (ignoscat mihi hoc pietas) video parentes a) iterum nihil aliud agere, quam ut secundum proverbium Gallicum castra in aere extruant: quod in literis ad illos scriptis 152 uberius deduxi. Agnosco quidem hac in re pium, ac prope nimium eorum erga me affectum ac studium: sed & hoc cuivis notum est, quam facile se amori imprudentia misceat. Nosti illud Poetæ: *Credimus? an qui amant;* reliqua non addo. Nec est, quod mihi dicas, posse me istic aliquandiu sine meo sumptu degere. Scis proverbium Germanicum de triduano hospite: quid si trimestris fiat? Et repugnat hoc, si quod aliud, naturæ meæ (quod sine jactantia dixerim) non illiberali, alieno beneficio spiritum hunc debere (excipio Deum immortalem, cujus beneficio & spiritum, & quicquid habeo, ac sum, lubenter acceptum fero) cum possim eum mea mihi virtute asserere, & nemini esse obnoxius. Mihi hic per Dei gratiam satis est prospectum: atque etiam aliquanto melius, ex quo in has oras reversus sum, res meas constabilivi; sic ut sperem, non mihi me tantum honeste suffecturum, sed & meis, si qui erunt aliquando, quos præter puerum a manibus, b) quem nunc alo, meos hic proprie appellare potero. Est autem viri prudentis, non commovere se loco temere, siquidem se sat commode habeat in eo, in quo nunc est: nam quid teneat, novit, quid autem illius amissi loco recepturus sit, seu potius an sit aliquid recepturus, experientia stultorum, ut ajunt, magistra postea demum docebit. Vetus est hexameter,

Νήπιος ὅς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. * 153

Cui respondet illud Pindari, τὸ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ τὸ χρῆμα· **

Q quod

* Stultus est, qui parata relinquens imparata persequitur.

** Semper optimum est, quod ante pedes est negotium, id est, parata res sive occasio optima & certissima.

a) Vel hinc demum, utrumque parentem diu superfuisse, & filii, quem revocando in patriam ad frugem vel tandem rediturum sperabant, defectionem doluisse, certiori quodam indicio cognosci posse arbitror.

b) Famulum his verbis innuere videtur, ac de reliquo epistolam hanc in illud tempus incidisse, hinc colligitur, quo ex *Saccianis* prædiis *Gedanum* migravit, ibidemque *res suas constabilivit.* Quod cum anno 1631. factum sit, hac quoque de caussa in hunc locum litteras has reponere voluisse editores filios, credibile est.

quod cum neglexisset canicula illa Æsopica, frustra postea nimiam suam accusavit cupiditatem. Deinde quid est, quod mihi nescio quos non aureos jactant montes, & dignitates opesque in republica crepant? cum, ut tu bene in me animadvertisse videris, nihil mihi naturæque meæ gratius sit, quam intra modicam stare fortunam, quæ ut vestis magis sit apta, quam ampla. Et certe si unquam, nunc certe magis magisque mihi placet vetus illud, λάθε βιώσας. *

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Pelliculam debet quisque manere suam:

inquit Poeta, sed in eo minime poeta, cum nihil verius ex tripode Apollinis unquam profectum sit. Punctum temporis est, quod in hoc seculo vivitur: quod cur operoso ambitu in illis rebus quæramus perdere, quæ post obitum nostrum hæredes quidem nostros aliquid, nos vero non magis juvant, quam si nunquam de illis cogitassemus. Meditanda est serio ad æternitatem via, a) cui quantumcunque demas, infinitum semper supererit; in hac assequenda insumendæ & cogitationes & actiones nostræ; quas quantum ad alia abstrahis, tantum te ipso deterior, si tua voluntate, aut infelicior, si necessitate coactus, evadis. Certe ut diu vivam, vix potero, imo etiam vix opto, alterum tantum vitæ meæ adjicere. Sit ergo satis, alterum vitæ dimidium
154 omnis generis literaturæ, variis jactationibus, b) cupiditatibus juvenilibus, ac sæpe immoderatis, multisque vanis ac profanis rebus hactenus impendisse. Æquum est sane, alterum dimidium, quatenus humanæ vitæ ratio patitur, ei dedicare, qui totam mihi gratificatur, & quidem non mancupio eam cedere mihi jussit, sed usui tantum. Quanquam autem hoc ita mihi proponam, nihilominus dubium non est, quin interventuræ sint multæ ex adverso & ex inopinato occasiones, quæ

* Vive latens, id est, vitam in obscuro trahe.

a) Mira Philosophia! Quasi vero etiam domi & in patria viam æternitatis meditari non licuerit! Effugia igitur hæc fuere, quibus, quo minus a *Socinianarum scholarum* consuetudine, tantopere deamata, domi abstraheretur, manibus pedibusque *Ruarus* laborabat.

b) *Peregrinationibus* puta, præcipuo certe jactationum genere, & *itineribus*; cujusmodi jam *duo* longiora tunc peregerat: Neque tamen, ut prætextum, hoc quicquid est, tanto magis pateat fuisse, posthac quoque, prouti paullo post demonstrabimus, ab eo vitæ genere abhorrebat, cum *tertium* etiam, minus ut puta necessarium, in *Wissowatii* & amicorum aliorum gratiam susciperet. Quod ipsemet videtur in sequentibus ominari. Cæterum de postremo hoc itinere cum *Pastorio*, *Niemericio* aliisque comitibus facto *Vita Wissowatii*, Sand. Biblioth. attexta, consuli potest, ubi f. 231. plura de eo habentur annotata.

quæ plurimum inde mihi ſuffurentur, & alio, quam quo vellem, abducant: ſed ſuffurentur ſane & abducant, modo invito: necesſitatis enim ferrea eſt lex, quæ, ſi non accerſita ſit, ſed ultro irruat, honeſtam præbet excuſationem, imo & veniam. Vbi autem, quæſo, Deo commodius totus vacabis, quam in ſeceſſu aliquo obſcuriore, ubi longe a ſplendore & faſtu ſeculi remotus, longe a turbis omnis generis, quæ miſeros fatigant mortales, liber quoque & a ſpe & a metu & ab odio & ab invidia, totus tui ſis juris, teque ei, cui vis, ſine interceſſore liberrime impendere posſis? Noli quæſo, eruditisſime Hudemanne, mihi invidere felicitatem meam, quam ego ita amplecti cœpi, ut, ſi qua fata ſinant, nunquam eam dimittere cogitem; cum nec ego cuiquam tantillum invideam ea bona, in quibus plerique & vota & ſtudia ſua, tanquam rebus omnium præſtantisſimis uniceque expetendis, defixerunt. Vnum quiddam eſt, quod ægritudinem mihi aliquam creat: quod pa- 155 tria, parentibus, cognatis, affinibus, amicis nonnullis, quos iſtic habeo, caream. Sed quid faciam? ubicunque tandem pedem fixero, nunquam erit, ut mihi non carendum ſit multis, imo plurimis bonis viris, cum quibus arctiſſima mihi neceſſitudo intercedit: nec quicquam in hoc mortalitatis ſtatu ita poteſt eſſe beatum ab omni parte, ut nihil deſideres: & hoc ipſum mihi calcar addere poteſt ad futuri ævi deſiderium, ubi expletis votis omnibus nihil quæram, nihil querar amplius, & vos quoque, ut ſpero, æternum amplectar. Hæc volui, Conſobrine optime, ad tuas literas, ſatis ut vides prolixe: ſed volui ipſa prolixitate culpam ſilentii delere. Tu ſi quod impoſterum aliud de ſtudiis noſtris argumentum ſuggerere voles, lubens id amplectar. Vale.

XXV.

M. RVARVS EVGENIO. a)

LIteras tuas, mi Eugeni, poſtridie Aprilis datas ante quatriduum accepi: in iis alias brevi ſubſecuturas promittis, quas propemodum

 ſtatue-

a) *Jo. Ludov. de Wolzogen*, Baroni Auſtriaco, e *Meſſingdorffiana* gente, hoc eſt, linea, ut vulgo loquimur, orto; ex qua etiam natales ſuos repetiiſſe celeberrimum illum Trajectinum & Amſtelodamenſem denique Paſtorem eloquentiſſimum, *Ludovicum a Wolzogen*, tot ſuſpicionibus propter L. de *Ratione Interprete Scripturæ*, ab ipſo quoque hinc refutandum, ſuis obnoxium ferunt. Illum, ad quem epiſtola hæc *Ruari* ſcripta eſt, ex *Comment.* potiſſimum in *Script.S. Biblioth. Frr. Polon.* inſertis, ſed Latine redditis, celebrem, e patria in *Poloniam*, ob cauſſam religionis exulem, & maximam partem in *Sileſia* hoſpitantem, placitis vero *Socini* iſtic demum imbutum, atque tandem anno 1658. juxta *Vratislaviam* vita defunctum, intelligi jam alibi docuimus; ubi rationem etiam nominis, hoc loco ei inditi, inter alia hujusmodi *κρυπτικὰ* reddidimus.

ſtatueram per hos pauculos dies, qui mihi ad iter meum ſolenne a) reſtant, exſpectare, ut, ſi interea temporis advenirent, una deinde fidelia, quod dicitur, duos parietes dealbarem. Sed ſupervenerunt paullo poſt illæ, quas hic inſertas vides: quæ moram illam fortaſſis ægrius ferrent.

Nunc ad tuas ordine reſpondebo. Si minus de ſucceſſu rerum 156 in Pruſſia expreſſe ad te ſcripſi, factum id eſt fortaſſis vel properatione quadam, vel quod nollem meam tibi operam ambitioſa prædicatione venditare, quod nihil aliud eſſet, quam piſtillum exornare. Quia tamen ita jubes, id ſaltem dicam: quanquam animo divinæ gloriæ ſitientiſſimo vix quicquam ſatis eſſe poſſit, exiſtimare tamen me, non male tempus in iſta peregrinatione a me collocatum, cujus fructum utut in vere ac pene ante flores non pœnitendum viderim: melius tamen de autumno ſpero. In hoc judicio ut ipſe mihi accedas, paucis narrabo, quam fere agendi rationem b) tenuerim: fortaſſis non diſplicebit exemplum, quod non quidem imiteris, ſed æmuleris tamen. Contraxi Gedani c) ſtudioſe notitiam cum viris aliquot eruditis, quos moderatiore intelligebam eſſe ingenio, ſed cum longe pluribus e plebe: d) illos enim obſtinatiores fere reddit eruditionis perſuaſio, & ſcholaſticarum aliquot diſtinctionum ſubtile effugium. Fuit tamen & inter illos non plane mihi fruſtra inſumptus labor, præſertim ſi ſolus ſine teſtibus cum aliquo agerem, ubi de ingenii gloria minus erat periculi; idque non tam cominus, & adactis in frontem ictibus, quam ex obliquo, ut ſedatis affectibus vincerentur prius, quam vinci ſe ſentirent, aut irritati aciem contra inſtruerent. Id certe eousque mihi profuit, ut non defuerint, ne ex ſacro quidem ordine, qui dextram 157 mihi fraternitatis junxerint, & ut noſtram ſententiam non perinde approbent, ſe tamen ob eam nolle nos triſti anathemate ferire, clare falſi ſint. In plebe ut fructuoſior, ita majore mihi cum moleſtia conſtitit labor. Sapienti enim, ut inquit ille, dictum ſatis eſt: his vero ſingulis

a) Illud forte, quod cum *Wiſſowatio* ſuſcepiſſe paullo ante monuimus.

b) Diſſeminandi longius hypotheſes *Socinianas*, quæ fuerit ſibi probata, atque a ſe uſu etiam obſervata, methodus, his verbis docet.

c) Vtut de hac potisſimum urbe, quam intraverat non ita pridem, loquatur *Ruarus*; non dubium tamen eſſe, quin eadem blandiloquentia alibi deceperit, inque caſſes ſuas traxerit plurimos vel non opinantes, in ipſa *Hiſtor. Crypto-Socin.* jam obſervatum eſt.

d) Tot fraudibus & dolis magis expoſita, & a ſimplicitate ſua his modis cuniculisque facilius dimovenda: cujusmodi artibus & mulierculas tentaturos eſſe impoſtores, dudum 2 Tim. IV. prædixit Apoſtolus.

lis toti sæpenumero impendendi fuerunt dies, atque eadem ter quater inculcanda. Vt vero pluribus sufficerem, contraxi singulis dierum hebdomadibus bis denos aut summum duodenos amicos ex variis eorum cohortibus, qui Christi militiam sequuntur, ne Pontificiis quidem exclusis, idque nunc in hoc, nunc in illo loco, & eo quidem tempore, quod ab aliis fere non sacris, sed deambulationi aut poculis tribui solet: quanquam ne nobis quidem poculum aliquando deerat, ut non modo aliunde supervenientibus, sed & nonnullis, qui aderant, minus rerum gnaris, familiaris potius, quam sacri conventus species ista videretur. Vbi coivimus alius post alium, permissum cuilibet fuit in medium proferre a) sive locum aliquem Scripturæ sacræ, sive caput aliquod religionis difficile, deque eo sententiam aliorum explorare. Eæ vero dicebantur ordine a singulis: hoc enim & attentionem eorum ubi aderant, & diligentiam cum domum redierant, mirifice in illis alebat, cum quilibet se dignum haberi, qui & alios instrueret, videret. Cum ad me ordo sententiam efferendi perveniebat, laudabam, si quid ab aliis probe dictum animadverteram; si secus, commoda id interpretatione leniebam, aut blande refutabam: dabam au- 158 tem cumprimis operam, cum meam proferebam sententiam, ut ea, licet, quod sacris testimoniis ac rationibus munitior foret, plerorumque ac interdum omnium ferret punctum, non emineret tamen inter cæteras, sed iis ut una e multis intermixta videretur. Si videbam nonnullos procacioribus ingeniis in ociosas aut subtiles magis quam fructuosas disceptationes abire, revocabam eos molliter: atque ipsemet aliam pietati magis utilem, sed vicinam tamen, & tanquam ex ipsorum sermonibus natam, inferebam, qua illas sensim ac pene sine sensu obtererem. b) Intellexi autem, a meo quoque discessu, uti rogaveram,

a) Erunt fortasfis, qui, quod pretium *privatis pietatis*, ut vocant, *conventibus*, *Paulli* licet exemplo 1 Cor. XIV., nondum tamen satis in aprico posito, communitis, statuendum, & quanta providentia in hisce admittendis permittendisque opus sit, hinc concludant. Quæ nobis quoque, nisi minister aliquis Ecclesiæ ordinarius, & probatæ fidei atque integritatis in doctrina puriori doctor, præsens sit, & cœtum hujusmodi justa ἐπισκοπῇ gubernet, haud videntur spernenda dubia. Filios lucis certe non fugere lucem, nec latebras quærere, nisi coactos, ut primæ Ecclesiæ fata docent, compertum est & exploratum.

b) Egregius sane in Rom. XVI, 18. & 2 Petr. II, 2. seq. commentarius! Miror, non puduisse hæc *Ruarum* ad amicum perscribere, quæ animum turpis in decipiendis aliis adulationis & blanditiarum plenum, quicquid sit de caussæ bonitate, aperte produnt. Germani profecto nostri, qui, quod *obterendi* voce enunciavit homo iste vaferrimus, ille & fistula dulce canens volucrem, ut deciperet, hæreseos doctor, vulgari formula: *Er hat ihn über den Tæl-*

in ejusmodi collocutionibus ab amicis meis persisti, idque spero, eos posthac etiam cum fructu facturos: quanquam & in hac rerum sacrarum agitatione id usu venire potest, quod in omni.

Reliqua desiderantur.

XXVI.

M. RVARVS HVGONI GROTIO. a)

ILlustris virtutum tuarum splendor, & eruditio multiplex ac propemodum sine exemplo, importunos sine dubio salutatores frequenter tibi adducit, Clarissime Groti. Inter illos audeo tandem & ego me tibi sistere, & affectum, quem pene a puero erga Grotianum no- 159 men anxia quadam religione intra pectus hoc foveo, literis aperire. Non indignaberis, ut spero, (quæ tua est humanitas) si amari te atque coli intelligas ab homine obscuro, & quem nec suum meritum, nec sæculi favor in vulgus admodum commendat. Virtus enim publici juris est, & non minus in amorem, quam in exemplum omnibus patet. Mihi vero non modo virtutis tuæ dignitas venerationem imperat, sed & excellens ac perpetuum tuum publicam erga rem studium beneficii confessionem exprimit. Nec enim tam abjecte de me sentio, ut, dum tu & virtutis inusitato specimine, & tot gravibus ac cedro dignis scriptis, orbem terrarum cum meliorem tum doctiorem efficere conaris, nihil interea opera me tua profecisse agnoscam. Negent hoc ingrati, dissimulent superciliosi, qui alienam laudem suam injuriam existimant: ego vero, quantum hoc tibi nomine debeam, nec negare possim, si velim, nec dissimulare velim, si possim. Noli autem suspicari, verba hæc non in pectore, sed in labris nata, aut, ut vulgo mos est, in speciem ficta: rem animi erga te hujus testem dabo, si quando periculum officii alicujus exactione facere tibi libuerit. Video equidem illud inter nos & terrarum & fortunæ discrimen, quod non facile ullo officio coire possit: si tamen in tam diffusis literarum studiis, & earum te rerum, a quibus propius hic absumus, cupido fortassis aliquando incessat, ego me tanquam obsequio tuo auctoratum proxenetam ad illas

pel geworffen, dicere solent, ab homine tali abstinendum potius, quam sectandum eum aut laudandum esse, existimabunt.

a) In *Gallia* & primaria regni urbe *Parisina*, postquam anno 1621. e carcere *Löwensteinensi*, pietate uxoris *Mariæ Reigesbergiæ*, ut constat inter omnes, evaserat, adhuc commoranti, sed de abitu jamjam, post elapsum fere decennium, intra quod, præter alia, *Apologeticum* & Libr. de *Jure belli & pacis* evulgaverat, regis munificentia & amicorum aliorum liberalitate sustentatus, cogitabat.

las offero. Quod ſi ad nihil, quod tu requiras, tenuitas ſe mea porri- 160 git, ſaltem non ingrata tibi eſſe poterit pietas mea, ad vota atque preces cœlo pro incolumitate tua inferendas intenta: quibus (quod ſine jactantia dictum velim) etiam tunc præſto tibi fui, cum non niſi cogitationibus aditus ad te eſſet. Dab. Dantiſci, a. d. XI Cal. Apr. MDCXXXI.

XXVII.

HVGO GROTIVS M. RVARO.

FOrte adverſis meis hoc debeo, Vir Clariſſime, quod nomen meum latius quam pro merito ſpargitur, alioqui obſcurius per ſe, quam ut inter tot ac tantæ eruditionis ſidera locum aliquem obtinere poſſit. Cæterum ſi qui ſunt, qui nos quoque reſpiciunt, multum illis debeo, vel ob hoc, quod id quoque ad virtutis ac literarum ſtudia non leve incitamentum eſt, credere ſe in aliqua lucis parte verſari. Tibi vero, qui tam rara comitate amicitiam tuam, quam ſane facio maximi, & offers mihi & re ipſa oſtendis, niſi gratiam habeam maximam, multum abſim ab iis, quibus me pingis, coloribus. Neque tam ruſtice verecundus putari volo, ut, ſi occaſio ſe ferat, non auſim uti tam amice ſe offerentis officio, ſed ea lege, ut, ſi quid hic ſit, quod tui tuorumque cauſa fieri poſſit, id ne alteri potius, quam mihi injungas. Vale, Vir Clariſſime. X Maji, a) CIↃIↃCXXXI. Lutetiæ.

XXVIII. 161

M. RVARVS HVGONI GROTIO.

FAcile tibi concedo, Vir Ampliſſime, & adverſis tuis aliqua ex parte nominis tui celebritatem deberi, ut ſolent ſane - - - Quanquam enim id obſcurum jam ante minime patiebatur & eruditio tua ſingularis,

a) Poſtremæ hæ ſunt litteræ, humanitatis & verborum honorificorum, qualia ſolent eſſe, ubi primum de amicitia ambienda & concilianda agitur, plenæ, *Lutetiis Pariſiorum* a *Grotio* ſcriptæ, niſi quod eodem die præter has ad patronum maximum *Bened. Aub. Maurerium*, inter eas etiam, quæ ad *Gallos* data ſunt, legantur exaratæ. Eodem enim menſe noſter *Hamburgum*, ſive, quod *Maurerius* in Memoriis affirmat, *fame* compulſus, ſive ſpe non vana, impetrandi in Dania aut Suecia, quale tandem anno 1635. ei a *Chriſtina Sueciæ regina* demandatum eſt, muneris, lactatus. Ipſe ſane, cum illuc veniſſet: *Hæreo*, ſcripſit ad laudatum aliquoties *Maurerium epiſt.* 136. *ad Gall.*, *in villa ad Albim*, *undique circumſpectans*, *cui me potiſſimum credere debeam. Certe, niſi nimium mihi placeo, inveniemus aliquem, qui nos paullo pluris faciat, quam illi, quorum dignitati, ſaluti, commodo tanta pars vitæ meæ impenſa eſt.* Quod ſupereſt, hæc ipſa epiſtola volumini quoque earum, quæ *Remonſtrantium* vulgo appellantur, n. 502. inſerta legitur.

ris, & eximia erga rempublicam merita; clarius tamen inter adversa a) enituit innocentia atque fides erga patriam tua, itemque prudentia atque moderatio in consiliis, una cum invicta animi erecti constantia atque patientia: quas nunc virtutes in te non minus, quam eruditionem tot scriptis contestatam suspiciunt, quotquot virtutis aliquem gustum aut sensum habent. Ego vero jam & humanitatem tuam exosculor, quæ mihi tam prompte tuæ fores amicitiæ, tot annos voto mihi tacito expetitæ, aperuit. Quocirca facere non potui, quin, cum amicissimus mihi Johannes Crellius b) & literas & librum tibi quendam suum per meas manus destinaret, illius literis meas instar umbræ socias adjungerem, quibus hunc in te affectum erga me pro virili foverem. Veniet fortassis ad te salutandum hac hieme jam imminente generosus Georgius Niemiericius, c) illiusque ductor Andreas Rutkovius, d) eximio uterque ingenio, & pro ætatis cujusque modulo doctrina

a) De meritis in Rempublicam patriam *Hugonis Grotii*, Consiliarii & Advocati antehac, plurimi commentati sunt, & nuper admodum in *Vita* ejus *succinctim enarrata*, anno 1722. idem denuo laudabiliter egit *J. J. Schudtius*; adversa autem quando commemorat *Ruarus*, non alia procul dubio intelligit, quam captivitatem illam, orbi pæne universo, erudito certe, notam, & exilium eam consequens, postquam ex illa liberatus erat. Vtrum vero tanta fuerit in caussa illa *Grotii* innocentia, non aliter definiri potest, nisi, ubi seposito partium studio, *Remonstrantes* aut *Contra-Remonstrantes* suo relinquens loco, quid conscientia atque prudentia requisiverit in isthoc dissidio, animo reputes. Consilia enim *Arminianæ* parti, a qua etiam stabat, suggessisse *Grotium*, nemo est, qui dubitet. Vnde porro, quæ reliquæ sunt h. l. deprædicatæ virtutes, existimare licet.

b) Quodnam fuerit argumentum litterarum istarum, facile divinare se posse putabunt malevoli. Non desunt enim, qui pollicem pressisse, postquam L. *de Satisfactione Christi* Grotianum, de quo supra & alibi jam dictum est, examinaverat *Crellius*, aliter sensisse, quam antea, *Grotium* suspicentur. Ita certe *Sociniani* gloriantur, & passim silentii, quo minus nova responsio subsequeretur, hanc caussam fuisse jactitant. Nos aliter rem comparatam esse in Cap. II. *Hist. Crypto-Soc.* observavimus, litemque hanc nostram non facimus: Epistola certe, ad quam responsio hæc *Crellii* anno eodem 1631. reddita est, amice equidem scripta, uti extat in Epp. Remonstr. n. 501. tantum in omnibus consensum haud prodit. Imo contraria omnia ad Comment. suum in Es. LIII. & Hebr. I, 3. provocans in *Epist. ad Vossium* anno 1638. data, (Epp. Remonstr. n. 548.) ipse testatus est.

c) Hoc de Polono ad exteros t. t. abeunte Equite *Sandius* consulatur f. 145. *Bibl. Vnit.* munera ejus & fata, ad Græcos tandem deficientis, cum scriptis enarrans. De ejus, Subcamerarii antehac Kioviensis, scripto, quo *omnes a religione Romana dissidentes, ut sese in Eccles. Græcæ gremium recipiant*, hortatus est, pluribus egit *Sam. Przipcovius;* utpote qui *Resp.* ad illud publicata ex professo invitationem istam examinavit. Quod opusculum f. 535. opp. Przipcov. comparet.

d) De eo non nihil in *Diario Smalciano* dictum esse meminimus.

doctrina præditus haud vulgari; ille vero natalibus insuper illustribus 162 editus. His tu, si quid ad nos rescribere fortasse dignaberis, tuto committere poteris: sin illi minus tibi erunt præsto, vir præstantissimus Franciscus Limburgius Amstelodamensis mercator, a) mihi jam pridem amicus, & tibi quoque, ut opinor, non ignotus, hanc nobis operam lubenter præstabit. Niemiericium (quæ tua est humanitas) & ad colloquium, ut spero, nonnunquam lubenter admittes, & consilio tuo ad decurrendum virtutis ac literarum stadium, quod feliciter ingressus est, occasione data vel illa de causa tanto studiosius instrues, quod ad rempublicam spes illius tendant, cujus administrationi salubribus monitis hos tales præparare non modo utile, sed & pium est. Dissertationem de pace & concordia Ecclesiæ b) nescio an videris: auctor ejus vir elegantissimi ingenii, qui nunc Radzivilio c) principi a consiliis est, nominis tui perquam est studiosus. Vale, Vir Illustris & salve a Samuele Nærano, d) cujus hic exilio, quamvis ipsi molesto, jucunde sæpenumero fruor. Dab. Ged. a. d. XII Kal. Decemb. MDCXXXI.

XXIX.
HVGO GROTIVS M. RVARO.

QVas ad me in Galliam destinaveras literas, Ruare doctissime, eæ me in patria e) deprehenderunt, quo veneram amicorum vocatu, existi-

R

a) *Eo* quidem *tempore*, cum hæc scriberet *Ruarus*. De cæteris enim viri hujus doctissimi fatis pluribus inferius ad Epist. LXVI. plura commentabimur. Cæterum per errorem & missas esse litteras hasce in Galliam & Curatorem hunc determinato nominatum sequens epistola *Grotii* addocebit.

b) Quis ille fuerit, ex Operibus *Sam. Przipcovii* elucet; in quibus inter ejus doctissimi *Sociniani*, sed pæne dixerim *eclectici* (neque enim omnia promiscue hujus sectæ placita approbavit,) comparet lucubrationes f. 373. sqq. eumque in sensum adornata est, ut tolerantiam omnium, quotquot non apertam animi *malitiam* produnt, hæreticorum suadeat, & integro c. X. Reformatorum de absoluto decreto sententiam minus esse tolerabilem, quam eam, quæ S. Trinitatem negat, demonstrare conetur. Nobis, quo officio ille perfunctus sit primum in patria, quod silentio præteriit *Sandius*, ex hoc loco didicisse satis esto. conf. si placet, *Vitam Episcopii* fol. 309. seq. unde *Episcopium* pro auctore a quibusdam fuisse habitum discere licet.

c) *Janussio*, Duce *Radzivilii*, cujus a consiliis erat *Przipcovius*, S. R. Imp. Princip. Ducis Birsarum & Dubincorum &c. Palatini Vilnensis & Exercit. Magni Duc. Lithuaniæ supremi Generalis nomen ac titulos fuisse, ex *Apologia* ejusdem Consiliarii pro ea adornata, & loco cit. f. 403. sqq. typis exscripta, patet.

d) Exul iste, cujas fuerit, & quæ fata jactationesque passus sit, exponere, ad Ep. LXXVII. differemus.

e) Sive transeuntem eam, quod verisimilius est, sive revisentem *Hamburgo*, quo concessisse *Grotium* e *Gallia* superius observavimus.

163 exiſtimantium & tempore, & meæ in patriam fidei haud dubiis experimentis, mitigatos eſſe animos a) eorum, qui per noſtram ruinam in potentatum reipublicæ viam ſibi fecerant. Sed vix me his in locis poſueram, cum magnas video illius tempeſtatis ſupereſſe reliquias, b) quibus difflandis an pares ſint futuri, qui æquiora ſequuntur conſilia, exitus in incerto eſt. Ego vero ſive hic, ſive alibi ſum futurus, vivam tui amans ac reverens, & ſi eos videro, quos jam commendaſti, aut quos in poſterum es commendaturus, dabo operam ut cognoſcant, valere apud me & auctoritatem tuam, & cultum Polonici nominis. Quando vero tam benigne te offers, utar beneficio, teque mihi ſumam adjutorem, hæ ut literæ ad doctiſſimum Crellium curentur, cujus ſcripta, quo magis lego, hac facio pluris. Tu viciſſim, ſi quid eſt, in quo utilis tibi eſſe poſſum, utere jure tuo atque impera. Vale, Vir præſtantiſſime. XIX Januarii cIↃIↃcXXXII.

XXX.

M. RVARVS J. GREVINCOVIO. c)

EQuidem non literas meas amplius, ſed me ipſum tibi, Vir clariſſime, jam exhibere ſtatueram: ſed præter opinionem itineris mei feſtinationem inhibui, quod intellexerim, naves veſtrates d) in freto Danico interdicto regio attineri. Interea per amicum quendam in aures inſu-

a) Nam præcipuis inter Theologos *Remonſtrantium*, ipſique adeo *Epiſcopio*, in patriam redire, connivendo tamen magis, quam arripiendo aut concedendo permiſſum, & ædificia quoque, in quibus conciones haberentur, exſtrui anno 1629. pari modo indultum, inque urbe primaria, *Amſtelodamenſi*, puta, conciones primæ auſpicii capiendi cauſa, ab *Hermanno Montano*, itemque *Sim. Epiſcopio*, ſub initium anni 1630. recitatæ, atque ſic paullatim res inſtauratæ leguntur.

b) Atque hæc fortasſis, inter alias plures non poſtrema cauſſa fuit, imo princeps & genuina, cur *Hamburgum* interea, dum nebulæ disſiparentur penitus, ſibi divertendum eſſe ſatius exiſtimarit.

c) Rectius *Grevinchovio*, non alio videlicet, quam *Roterodamenſi* quondam Miniſtro V. D. Remonſtrantium a partibus nunquam non ſtrenue ſtanti, atque hinc etiam inter primos ante Synodum nationalem anno 1618. cum *Vytenbogardo* exauctorato; inde, poſtquam *Epiſcopii* fidum ſemper παραστάτην in præcipuis certaminibus egerat, cum eo, aliisque ſodalibus, exuli & modo huc, modo illuc, *Coloniam* etiam aliquantiſper digreſſo, ac tandem *Fridericopoli* ſibi ſedem inter cæteros Paſtores novæ coloniæ figenti; ubi anno 1626, vixiſſe ex epiſt. ad *Epiſcopium* n. 443. *Epp. Remonſtr.* typis excuſa conſtat, & h. a. 1632. illic adhuc commoratum eſſe, non obſcure ſignificatum eſt. Vtut etiam non deſint, in hac epiſtola haud ſpernenda indicia, e quibus, hac tempeſtate *Hamburgi* cum ad tempus vixiſſe, effici queat.

d) Hamburgenſes puta. Conf. *Ep. Grotii* ad *Gall.* n. 135.

insusurratum mihi fuit, magnum virum, oppidi aliquando vestri a) ad- 164 vocatum, cujus conspiciendi spes inter alia non exiguum suscipiendæ mihi tam molestæ profectionis auctoramentum fuit, decreto publico b) ab ingrata patria discedere jussum, & Hamburgum se jam deportare. Doleo sane ex animo indignum innocentissimi viri fatum: sed & nova me jam incessit cura, ubinam gentium virum illum incomparabilem, quem in itinere meo lubenter alicubi convenirem, nunc tandem vestigare ac deprehendere possim. Si substiturum Hamburgi aliquandiu nossem, vel illius causa (quanquam & alia, quæ me illuc trahant, non desint) Hamburgum iter meum c) deflecterem. Sed (ut incerta fere est in assequendo alienorum consiliorum scopo divinatio) nonnunquam subvereor, ne Holsatia mea d) tam eximiæ sapientiæ virum ad sese trahat. Incidit & illud, huc eum fortassis, unde nunc ego me subducere cogito, tendere, ubi in libera republica debita generosis mentibus sentiendi loquendique libertate fruatur. Quocirca rogatum te, Grevincovi amicissime, etiam atque etiam velim, ut quicquid hujus habes, quod scire me de commoratione viri illius liceat, id e vestigio mihi per literas renunciare digneris; erit enim fortassis, ut literas hic tuas operiar: sin minus, ita tamen rem instituam, ut illæ nemini futuræ sint fraudi. Salutem adscribo tum incomparabili illi viro, si tecum nunc est, ut suspicor, tum spectatissimo atque integerrimo no- 165 stro Curio. Ad literas tuas, tertio Maji ad me datas, nihil nunc re-

R 2 spondeo,

a) *Roterodamum* indigitat, cujus urbis *Syndicum* (*Pensionarium* Belgæ appellant) dum propitiis fatis & secundo fortunæ afflatu usus est, olim egerat *Grotius*. Hunc enim, ad nomen & famam ejus alludendo, *Magni* etiam *Viri* nomine designat.

b) Non ubivis obvia hæc circumstantia tandem, cur *Hamburgum* tamdiu insederit *Grotius*, causam luculentius pandit. Sed forte non minus hæc obscura sunt, quam ea, quæ de causa abitus ejus e Gallia, culpaque in uxorem conjecta, in *Epp. Remonstr.* n. 512. tradit *Tilenus*.

c) Illud, quod cum amicis supra jam dictum est *Ruarum* denuo & tertio confecisse, huc usque videtur, dilatum esse, nec diu durasse.

d) Vtrum *Fridericopolin* quoque commigraturum esse *Grotium* ad socios malorum & fidei suæ opinatus fuerit *Ruarus*; an in aulam *Holsatiæ Principis* concessurum, publico munere aliquo ornandum putarit? non habeo dicere. Posterius similius est vero, quoniam & *Vossius T. I. Epist. n.* 195. postquam scripserat: *Grotius nunc Hamburgi degit, non dubito, quin illi tristissimus fuerit nuncius de excessu fortissimi Svecorum Regis* (*Gustavi Adolphi* mirum in modum ei faventis, vel ob *L. de Jure belli & pacis* oppido huic Heroi probatum.) *Nam ab eo amabatur & æstimabatur. Imo Rex jam in mandatis non uni dederat, qui cum eo colloqueretur, ut operam & consilium suum sibi addiceret. Pretium offerebat, quale Legatis dari solet, ut ex fidis hominibus accepi;* addit: Etiam *Holsatiæ Dux & alii Principes Viri hæc agunt, ut ad se veniat.*

ſpondeo, tum quod neſciam, ubinam te meæ ſint inventuræ, tum quod de omnibus melius coram, idque brevi, ut ſpero. Vale & me amare perge. Dab. non. Maji, cIↃIↃcxxxII. Gedani.

XXXI.

M. RVARVS HVGONI GROTIO. a)

QVi literas tibi meas reddent, Vir Ampliſſime, alter natione Italus, quique ſummo belli duci Tillio aliquot annos a ſecretis fuit, alter patritius Norinbergenſis, b) cum ad notitiam tuam eximiis viris ſemper expetitam aſpirarent, ut per literas ſibi meas aditum ad te ſtruerem, rogarunt: quod pro amicitia, quæ cum utroque mihi intercedit, negare illis non potui. Eximiam utriusque eruditionem, ceterasque virtutes vel ex uno colloquio ipſe tam perſpicaci vir ingenio facile agnoſces; ut proinde ad illam commendationem nihil mihi ſit neceſſe verba multa inſumere, occupato præſertim, & itineri, quod in Poloniam minorem meditor, accincto: unum tamen hoc ſilentio præterire nolim, eos in religionis negotio libero eſſe judicio, c) & moderatis ſententiis inter diſſidentium partes plurimum ſtudere. Mitto tibi hac occaſione libellum de reformatione Eccleſiæ, quem præſens pollicitus tibi fueram, cujus auctor natione Marchicus diem in Tranſylvania nuper obiit: d) addo & Panegyricum e) Samuelis Przypcovii, viri

166

a) *Hamburgum* jam ingreſſo atque hinc fata meliora præſtolanti.

b) Idem ſine dubio, qui Cent. II. Ep. 92. ſub litteris initialibus J. A. P. tectus eſt: quem *Jo. Alb. Pœmerum* fuiſſe, in *Hiſt. Crypto-Socin.* Cap. II. docuimus, tantoque illud probabilius eſt, quo clarioribus indiciis, eundem & *Poloniam* peragraſſe, & amicitiam cum *Ruaro* coluiſſe, virumque, inde ab adoleſcentia, tam bonarum litterarum, quam rerum, ad religionis negotia pertinentium, inprimis curioſum fuiſſe, atque hoc, circiter, tempore in *Belgium Angliamque* excurriſſe, ex *Epiſt. Richterianis*, ubi & conſuetudinis ejusdem cum *Duræo* fit mentio, (fol. 170.) bene conſtat. Quis autem *Italus* ille fuerit, qui Duci Exercitus Cæſarei *Tillio* a ſecretis fuiſſe h. l. dicitur, comperire nondum licuit, neque etiam unquam, ut reor, licebit.

c) De Italo nihil, ut jam ante dixi, nobis innotuit. At *Pœmerum* talem fuiſſe, qualem *Ruarus* h. l. deſcribit, ea, quæ ſupra l. c. de ſequentibus ejus fatis, narrata ſunt, ſatis ſuperque comprobant.

d) *Joachimus* nempe *Stegmannus*, qui, poſtquam aliquandiu *Rectoris* Racovienſis Gymnaſii perfunctus erat munere, Paſtoris *Claudiopolitani* officium adeptus eſt & iſtic h. t. vitam cum morte commutavit. Idemque Lib. Germanice ſcriptum *von der Reformation der Gemeinte Chriſti* forma 8va anno 1632. in lucem edidit.

e) Extat hic *Panegyricus*, (ſeu oratio ſolennis) *Vladislao Sigismundo* Poloniæ & Sueciæ Regi dicatus (hunc enim noſter innuit) in operibus *Przipcovianis* f. 405. ſeqq. non tamen, ut puto, recitatus e cathedra aliqua fuit, ſed ſcriptus aut impreſſus potius, dicto autem Regi oblatus eſſe videtur. Idemque tametſi de reliquo omnibus oratoriæ artis ornamentis tam expolitus

viri nominis tui ſtudioſiſſimi, cujus ingenium ex diſſertatione de pace & concordia Eccleſiæ, a) & ex deſcripta Turpilii b) vita, c) quam coram tibi exhibui, æſtimare, ni fallor, cœpiſti. Obiter moneo, in præſtantiſſimis tuis libris de jure belli & pacis παρόραμα * mihi videri, quod nec in poſterioribus d) editionibus mutatum legitur. Lib. I. cap. II. §. VIII. ais, Paulum Corinthios ad beneficentiam in Macedonas exercendam excitare. Atqui non in Macedonas, ſed Macedonum exemplo Corinthios ad beneficentiam exercendam excitat, & quidem in ſanctos Hieroſolymitanos: liquere, quod dico, videtur ex cap. VIII. & IX. poſterioris, & XVI. prioris ad Corinthios Epiſtolæ, item ex Actor. XI, 29. Rom. XV, 29. Gal. II, 10. Cæterum incidi nuper in locum quendam Arriani Epictetæi commentatoris, qui quod e Thalmude de Judæorum baptismo coram mihi referebas, in mentem mihi revocavit. Quanquam autem non dubitem, tibi, cui quid lectum non eſt? locum eſſe notum, quia tamen liber iſtic fortasſis ad manum non eſt, lubet integrum hic aſcribere, ut & de alio quodam, quod in eo mentem meam exercuit, judicium tuum interrogem. Sic vero habetur lib. II. cap. 9. Τί ἒν Στωϊκὸν λέγεις σεαυτὸν; τί ἐξαπατᾶς τὒς πολλὒς; τί ὑποκρίνῃ, Ιὒδαῖος ὢν, Ἕλληνας; ὒχ᾽ ὁρᾷς, πῶς ἕκαςος λέγεται Ιὒδαῖος, πῶς Συρὸς, πῶς Αιγύπτιος; καὶ ὅτάν τινα ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, ὒκ ἔςιν Ιὒδαῖος, ἀλλ᾽ ὑποκρίνεται. ὅταν δ᾽ ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τῒ βεβαμμένὒ καὶ ἡρημένὒ, τότε καὶ ἐςὶ τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ιὒδαῖος. ὒτω καὶ ἡμεῖς παραβαπτιςαὶ λόγῳ μὲν Ιὒδαῖος (ſic quidem eſt in meo exemplari, ſed legendum, ut opinor, Ιὒδαῖοι) ἔργῳ δὲ ἄλλό τι.** Satis manifeſte Judæis baptiſmum e) hic tribuit, 167

 &

* Error, lapſus.

** Quid ergo Stoicum te nominas? quid multos decipis? quid imitaris Græcos, cum ſis Judæus? Nonne vides, ut quisque dicatur Judæus, ut Syrus, ut Ægyptius? Quod ſi quem alternantem viderimus, ſolemus dicere, non eſſe, ſed ſimulare ſe Judæum. Cum vero affectum baptizati ſectamque profesſi ſuſceperit, tum revera Judæus & eſt & nominatur. Sic & nos, qui perperam baptizamus, nomine quidem ſumus Judæus, (Judæi) re vero ipſa quiddam aliud.

eſt, ut exemplo aliis, in magnorum Principum laudes deprædicandas incumbentibus, eſſe posſit; De cætero autem totus eo comparatus videtur, ut *Socini* aſſeclis favorem vel aliud agendo conciliaret.

a) Vide, quæ de hac Diſſ. ad Ep. XXVIII. annotata ſunt.

b) *Fauſti Socini.* De qua nominis mutatione ex Italica notione alibi.

c) Separatim illa prodiit hoc ipſo tempore & deinceps iterum anno 1636. cum Diſſert. alia excuſa eſt, repetita denique typis *in Bibl. Frr. Polon.* ante opp. *Socini* comparet; nusquam vero *Przipcovii*, niſi in *Operibus* f. 419. ſeqq. ſed generale *Equitis Poloni* nomen expreſſum præfert.

d) Poſt primam, quæ anno 1625. lucem adſpexit, proxime evulgatis; in recentioribus hæc video eſſe correcta.

e) Antiqua hæc eſt Diſputatio, non tan-

& παραβαπτιςὰς * ab illis distinguit: quanquam fieri potest, ut Ethnicorum aliorum exemplo Christianos, qui baptismo ad religionem Christianam initiabantur, cum Judæis confuderit: quod eruditissimus Wolfius a) hic non injuria suspicatur. Sed quid hoc est, quod se, aliosque secum παραβαπτιςὰς & λόγῳ Ιȣδαίȣς ** appellat, a quibus sese alioquin re abire profitetur? An tam honestum erat tunc temporis Judæorum nomen, ut & gentiles sibi illud arrogarent? an potius respicit probitatem sive Judæorum, sive Christianorum istius sæculi, & multos eam gentiles profiteri queritur, quam tamen non præstent? Sed manum tandem de tabula, ne horas tuas melioribus occupationibus debitas garritu meo morer. De rebus tuis privatis nondum quicquam intelligo, quod animum meum, tuorum commodorum cupidissimum, exhilaret. Interea vota pro tua felicitate ad cœlos effundo: quæ utinam tandem exaudiat ille, cujus tu honori consilia tua atque actiones præcipue consecrasti! Vale. b)

168

XXXII.

HVGO GROTIVS M. RVARO. c)

SVavissimorum sermonum tuorum, d) Ruare Clarissime, cum voluptate

* Perperam baptizantes. ** Perperam baptizantes & nomine Judæos.

tum *de Baptismo* hocce, quis & qualis fuerit, atque etiam, quo tempore cœperit, *per se* considerato, sed etiam eo adhibito, ut *Epictetum* Christianum fuisse, hinc nonnulli demonstrare non dubitaverint. Hoc loco, cum de summa rei & utraque disceptantium causa definire quicquam, neque conveniat, neque etiam cæteræ circumstantiæ permittant; illud solum commemorabimus, non esse, cur multum roboris huic loco, ad Baptismum illum inde confirmandum, & quidem ut *Judaicum ritum*, eo jam tempore usitatum, tribuas; quoniam nondum solide satis, de quibus hic agatur, ostensum est. Quam etiam ob rem tantisper hæc seponemus, &, quando porro Ep. 32. & 33. argumentum illud ventilabitur, quid nobis videatur, illic edisséremus.

a) *Hieronymus Wolffius*, cui edit. cum versione latina Differtt. Arrianarum ex *Epicteti* ore congestarum debemus, anno 15... public. Verba ejus ad l. c. hæc sunt: *Habuerunt & Judæi suos Baptismos, non tam religionis, quam mundiciæ, ut opinor, causa usurpatos*, (non satis bene, nam & vulgares lotiones, quas Ep. ad Ebræos etiam βαπτισμȣ̀ς nominat, non postrema pars religionis Judaicæ erant) *sed quia primi Christiani apud Judæos fuerunt; Christianos, quorum χαρακτὴρ & nota est Baptismus, cum Judæis, qui περιτομὴν habent, confundere videtur.* Hæc ille: recte an male? p. p. dispiciemus.

b) Quamvis non sit adscriptus huic epistolæ dies, ex seq. tamen Resp. patet, eodem anno 1633. illam exaratam esse.

c) Resp. est ad præcedentem epistolam reddita.

d) Incertum est, utrum ex itinere redux in *Poloniam*, seu potius *Prussiam*, cum *Grotio* collocutus sit, an transiens *Hamburgum*, cum in *Belgium* Gedanensi ex urbe comitibus supra dictis sese adjunxisset. Nec tamen multum refert, hæc scire aut ignorare.

luptate maxima memini, & quoscunque ad meam perduxisti notitiam, quod ego in beneficii parte accipio, eorum & colloquiis recreatus sum, & quod non ipsis me, quantum vellem, utilem præstare potui, doleo. Separatim venerunt, prior Italus, posterior Germanus, cui & literas pro nomenclatore ad amicos in Gallia scripseram, hinc Gelucstadium ad Regem Daniæ proficiscens: sed eas literas huc reversus ab ipso non ablatas, ut speraveram, reperi. Samuelis Przypkovii Panegyricum legi, dignum & ipsius fœcundissima eloquentia, & patriæ Regisque majestate. Gaudeo tales faces allucere Sarmatiæ. De meo errore, ubi Macedonas pro Hierosolymitis nominavi, & benigne & vere me mones: & miror, non correxisse me eo loco, cum libro pro Christiana religione secundo rem, uti poni debuit, posuerim. De Arriani loco memini, & eum de Judæis a) intelligendum censeo: cum idem scriptor Christianos Galilæorum appellet nomine. Sed in verbis posterioribus pridem est, cum ad libri mei oram notavi legendum λόγῳ μὲν σπουδαῖος, b) ἔργῳ δὲ ἄλλό τι. * Considera loci sensum ac seriem: non improbaturum confido. Vocis aliquanto ante positæ duabus literis distans sonus aut scriptura librariis, ut fieri assolet, errandi causam dedit. Has literas ad te, & alias ad amicos, quas curandi onus ne grave tibi sit rogo, distuli in id tempus, quo te Gedani fore ex amicorum sermonibus augurabar. Pro amicissimis votis multum tibi debeo. Hæreo adhuc inter consilia varia, neque satis constituere possum, ubi sedes ponere debeam cum tota domo, non mutandas iterum jam ad pejores annos c) vergenti. Tibi si valetudo, & studia, & res

169

* Nomine quidem probus, re vero ipsa quiddam aliud.

a) Ita hoc loco sentit *Grotius*; aliter videtur opinatus, cum in Matth. XXIV, 22. commentaretur, ubi de *Christianis* locum hunc vexatum interpretatur, perque ἐκλεκτοὺς hos intelligi debere, non obscure significat. Ratio, quam heic reddidit, a distinctione *Judæorum* & *Galilæorum* in his Dissertationibus *Epicteti* alicubi occurrente petita, tanti non est, quoniam, uti *Philoni* quoque *Therapeutæ* illi Ægyptiorum credebantur, & diu Romanis etiam visum, *Judæorum* aliquam *sectam* constituere *Galilæos*, quos alias commemorat, existimasse, probabile est. Vtcunque sit, tanti tamen hic ipse locus nunquam, si quid judico, habendus erit, ex quo tota hæc de Judæorum *baptismo proselytorum* controversia decidatur; quoniam, quod genus hominum heic intelligatur, ἐξαγώνιον non est. Plura vide ad sequentem epistolam annotata.

b) Ego mallem lectionem vulgarem retinere, quam & MSti Codd. approbant. Manifestum enim est, virum *ingenuum* h. l. *Epictetum* Ἰουδαῖον, hoc est, talem, qualem se esse venditet, alludendo ad priora dixisse.

c) Nato quippe *Delphis* anno 1583. d. 10. April. ac proinde annum ætatis quinquagesimum primum agenti.

res omnes bene procedunt, satis est de quo gaudeam. Hamburgi cIↄIↄcxxxIII, Julii secundo die ex Pontificis Kalendario.

XXXIII.
M. RVARVS H. GROTIO.

MVltum debeo comitati tuæ, Vir Amplissime, qui non me tantum benigne coram habuisti, sed & amicos meos. Ego ab illis, postquam hinc abierunt, literas nullas accepi: quod miror. Intellexi tamen aliunde, alterum eorum, cui tu literas pro nomenclatore a) ad amicos in Gallia paraveras, opinione diutius in urbe vestra substitisse: itaque non dubito, eum literas, quas tu relictas existimasti, post a te petivisse. Quas tu literas meis junctas ad generosum Slupecium atque Domaradzium b) destinasti, eas jam curavi. Sed ad Crellium quo tuas mittam, non invenio: is enim rebus humanis jam valedixit: c) 170 quia tamen existimo argumentum earum nihil habere secreti, permittis, ceu opinor, mihi, ut eas resignem, mihique habeam. Ægrotare cœperat vir optimus, me præsente, qui illuc veneram IV eid. Maji, cum paullo ante eruditissime pro concione de sensu duorum extremorum versiculorum capitis tertii posterioris ad Corinthios disseruisset, ex febri maligna, quæ passim tum per oppidum grassata domum quoque illius infecerat: ex illa cum XXI dies mente integra (quod in illo morbo rarum) laborasset, tandem IV non. Junii paullo ante octavam horam, ætatis circiter quadragesimum tertium annum, placide exspiravit, præsente fere tota loci illius ecclesia, quæ paullo ante ad illum valedictura convenerat, illiusque spiritum Domino Jesu voce ecclesiastæ Slichtingii multis cum lachrymis commendaverat.

De loco Arriani tibi assentior, illum de Judæis d) intelligendum,

a) *Pœmerum* videlicet, de quo epist. 31.

b) Neutrum, quis fuerit, explorare potuimus. Non dubitamus autem, fuisse *nobiles* sive *Borussos* sive *Polonos*, *Grotio* ex itineribus Gallicanis cognitos.

c) Nuperrime anno 1633. d. II. Junii *Racoviæ* & officio & Pastoris munere defunctus.

d) Dictum jam est ea de re ad præcedentes epistolas. Quibus nihil addimus in præsenti, quam solicite hunc locum Virum Cl. *Michaelem Rosalium* Gr. Lingv. Prof. Franeker. in Dissert. *de Epicteto Philosoph. Stoico, qua probatur, eum non fuisse Christianum*, anno 1708. ed. excusisse, & argumentis non contemnendis & Judæos sensu communi ac proprio istic accipi, demonstrasse. Quemadmodum vero parum hinc, si vel maxime id concedatur, pro baptismo proselytorum, ante *Joh. Baptistam* jam usitato, effici possit, nos insuper in *Disquisit. de Initiis Baptismi Initiationis Judæorum* anno 1711. evulg. fuse & copiose ostendimus. Quæ solvendo huic nodo sufficere arbitramur.

dum, & ipſe jam deprehendi in libro quarto, Chriſtianos illi Galilæorum nomine venire, & video, alibi quoque ita eum Judæorum mentionem facere, ut ſatis appareat, diſcrimen utriusque cultus illi non ignotum fuiſſe. Illud tamen miror, cur cum initiationem Judaicam deſignare vellet, baptiſmum potius, quam circumciſionem nominaverit? an id eo fortaſſis fecit, quod baptiſmus, qui in publico fiebat, magis in externorum oculos incurreret? an potius, cum in eodem loco Syros atque Ægyptios nominaſſet, exiſtimavit, non ſatis commode ab his gentibus Judæos per circumciſionem diſtingui, quandoquidem 171 & Ægyptios & Syrorum nonnullos circumciſos fuiſſe, Herodotus aliique ſcriptores antiqui teſtantur, eoque baptiſmum, non æque fortasſis illis gentibus frequentatum nominare maluit? a) Conjecturæ tuæ, qua apud Arrianum pro Ιȣδαῖος σπȣδαῖος * ſubſtituis, volens ſubſcribo, & cauſſam erroris agnoſco, nec video, quis alioquin idoneus b) ex eo loco ſenſus exſculpi queat. Cæterum invitatus benignitate tua, quam in explicanda ſuperiore difficultate adhibuiſti, affero nunc aliam ad te quæſtionem, ſeu quæſtiones potius, paullo majoris quidem momenti, ſed tui tamen fori proprias, qui de jure pacis atque belli tam erudite diſſeruiſti, & de eccleſiaſtica diſciplina ex monumentis antiquitatis illuſtranda ſpem nobis aliquam inpoſterum feciſti. Quæſtiones meæ ex facto naſcuntur: itaque factum ipſum primum exponam. Quidam ex noſtris uxoris defunctæ ſororem germanam in matrimonium ducere conſtituit, diſſuadentibus amicis, qui cum id mori publico repugnaret, & a multis lege divina vetitum exiſtimaretur, ſcandalum inde graviſſimum metuebant. Perrexit nihilominus ille firmus animi, quem putabat caſſibus humanis, cum divina lex non repugnaret, fruſtra irretiri: & cum neminem inter eccleſiaſtas noſtros inveniret, qui nuptias conſecraret, ex illa familia, quæ Calvinum pro duce ſequitur, nonneminem advocavit, cui tam ſcite os ſublevit, ut affinitatis illius 172

* Judæus probus.

a) Me illud potiſſimum dubium ſcrupulusque male habet, quod generatim & univerſe in loco vexato de *Judæis*, & non de proſelytis tantum ſermo ſit; cum tamen nemo ignoret, Judæos natos nullo unquam baptiſmo (quicquid ſit de ablutione naturali omnis fœtus, ex utero materno egresſi, poſt partum lavandi) opus unquam habere aut habuiſſe. Quando enim τὸ πάθος induendum eſſe, aut indutum ſpectandum, ait *Epictetus*, non ſubeundam aliquam præſtationem ritus intelligi, ſed *affectum*, uti interpretes etiam reddiderunt i. e. indolem, agendi vivendique rationem; & quidem conſtantem & ex animo profectam, requiri, luculenter patere cenſemus.

b) Exſculpſimus ſupra, eumque non difficilem, dummodo ad præcedentem occaſionem reſpicias, eſſe exiſtimamus.

ignarus matrimonio benedixerit. Nostri, ut ecclesiam purgarent a scandalo, & criminationi legum violatarum occurrerent, simulque & pertinacia & fraude hominis offensi, sacris ei interdixerunt, donec legitima pœnitentia facinus expiaret: Evangelici vero, quos vocant, sive Reformati non modo ecclesiasten, quod imponi sibi passus fuisset, in perpetuum exauctorarunt, sed & matrimonium male conflatum, quod id incestum existimarent, sua in synodo publica voce irritum pronunciarunt. Hinc aliquot mihi quæstiones suboriuntur: earum prima est, an matrimonium cum defunctæ uxoris sorore lege divina sit vetitum, imo & pro incestu habendum? Non ignoro, quid vetent Imperatores in Codice, sub titulo de incestis & inutilibus nuptiis: legi & quæ ex Basilio Magno adducit Matthæus monachus Lib. VIII Juris Græci a Leunclavio editi: quin & hoc scio, omnes fere a) nostræ ætatis Theologos, quotquot a Pontifice desciverunt, legem divinam ita interpretari, ut ejusmodi matrimonium vetitum existiment. Mihi tamen aqua hæret, & video te quoque in alia esse sententia, si modo recte capio mentem verborum tuorum, quæ leguntur lib. II. cap. V. §. XIV de jure belli ac pacis. Obtendunt illi quidem, in pari affinitatis gradu vetitum fratri fratris defuncti uxorem ducere: sed recte tu observasti, non idem semper jus in pari gradu obtinere, quod diversa 173 nonnunquam subsit ratio. Quin ipsa lex non obscure id genus matrimonii approbare videtur, dum interdicto de uxoris sorore ducenda expresse addit, בחייה *in vita ejus:* cur enim distingueret, nisi ipsa mortua foret aliud? Nam quod nonnulli respondent, plurium uxorum b) matrimonium hic vetari, dilutum nimis videtur, & recte refutatur

a) Recte: Sunt enim, & jam tunc etiam fuere, aliqui, qui propter limites additos, non nisi nuptias hujusmodi vetitas censerent, ad quas *temperamentum* illud, non *frustra* certe, quod alibi factum non est, adjectum quadraret. Quam in sententiam integri libri postea editi sunt, in quibus *Collectio Resp. in causa Oetingensi* & J. M. *Gœzii Ehre der Ehe mit der verstorbenen Frauen Schwester*, primas tenent. Alii vero in medio, quicquid in utramque partem disputaretur, relinquentes, *tutius* a conjugio tali abstineri, & non prohibendum illud quidem esse, sed tamen omni studio, ut fieri decet, in rebus, tanti præsertim ad omnem vitam momenti, *dissuadendum* putarunt. Quibus & nos accedimus.

b) Seu polygamiam simultaneam, aut rectius *polygyniam* dicendam. Quis enim dubitet, hic, uti in toto hoc capite *cognationis* nomina proprie accipi, & de conjugiis cognatorum, tam consangvineorum, quam affinium, præcipi, neque generatim de qualicunque matrimonio, sed eo, quod *incestus* rationem habeat, agi? Quæ *Grotius* l. c. respondet, hypothesin de novis Christi præceptis falsam redolent, & *dispensationem* insuper, cum *tolerantia*, ob typicas causas olim locum habente, divina, qua scrupuli omnes, ex factis Patriarcha-

futatur per ea, quæ tu habes §. IX capitis supra jam allegati. Ejusdem coloris videtur & illud, quod alii de sorore non germana aut uterina, sed consobrina, sermonem in controverso Levitici loco esse velint: nec enim verosimile est, legislatorem, ubi tam accurate cognationis affinitatisque gradus distinguit, nomina confundere, & sub appellatione minus usitata simplicitati legentis imponere voluisse. Illud me tamen nonnihil turbat, quod videam Mosen Maimoniden, quem tu recte censes Hebræorum veterum omnia legisse, summoque judicio digessisse, hoc genus matrimonii improbare; a quo tamen non abhorrere videtur Salomon Jarchides, quodque inter Judæos nostra tempestate, quantum ex ipsis intelligere potui, satis est usitatum. Verba Maimonidæ ita habent, si modo non imponit nobis interpres Buxtorfius par. III cap. XLIX. More Nevochim; *Fratres se habent ut Radix & Ramus: hinc, quia prohibita est soror, prohibita etiam est soror uxoris, & uxor fratris; quoniam hæc est duorum individuorum, quæ sunt sicut Radix & Ramus in conjunctione corporis tertii.* Atque hæc quidem est prima mea quæstio. Altera est, an ob facinus, quod expressa Dei lege non sit interdictum, solo scandali metu, aut quia mori gentis, in qua vivimus, adversatur, quenquam sacris arcere liceat? Ego quidem hic non culpo, quæ nostri egerunt, quos video variis gravibusque causis impulsos fuisse: nec ignoro, quantopere Christiano persequenda sint non ea tantum, quæ honesta atque justa, sed & ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, * quantoque horrore cavenda infirmorum offensio: sed vellem tamen hic libenter definitos limites, quousque scandali fugæ, aut moribus populi in animadvertendo indulgere liceat; ne, si severitas sine cancellis sit, sub antiquam humanarum legum servitutem redeatur. Quid enim, si secundum Theologorum usitatam distinctionem scandalum sit non datum, sed acceptum? quid si mores libertati Christianæ nimis sint graves atque molesti? Tertio quæro, an matrimonium, ea, qua dixi, ratione male conflatum, humana improbantium voce rescindi queat, quamque ea rescissio vim habere debeat aut possit, cum in ecclesia, tum in republica? Credo quidem bonos illos viros, qui hoc sibi judicium arrogarunt, eo jure niti, quod Sechanias a) atque Esdras in Judæos, qui alienigenas in matrimonium duxerant, constituerunt. Sed

174

 primum

* Quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ.

rum nati, dissipari facile possunt, confusam, sine necessitate fingunt.

a) Levita: de quo, cum Esra, idem negotium præcipue urgente & feliciter perficiente, vid. Esr. X, 2. seq.

primum non ita liquidum eſt interdictum de uxoris defunctæ ſorore, quam de alienigenis: deinde recte obſervas ipſe §. XVI capitis jam ante dicti, non ſtatim irritum fieri, quod male ab initio contractum eſt; cum
175 diverſa ſint, prohibere, atque irritum quid facere. Ego tamen vereor, ne is, qui matrimonio iſti infelici ſeſe implicuit, periculi, quod imminere ſibi miſero videt, metu, Pontificis Romani diſpenſationem, quam vocant, hic requirat. Qua occaſione quarto ex te quæro, an putes eum, qui Pontificis Romani jugum ſemel abjecerit, ſalva animi conſcientia, ut in republica ſalvus ſubſiſtat, legis aut conſuetudinis humanæ laxationem ab illo petere poſſe? ni fecerit, in periculo erit & matrimonii contracti honor, & illius fortuna: ſi fecerit, videbitur poteſtatem ejus, quem fortasſis pro Antichriſto habet, denuo adorare, atque eo nomine pesſime apud omnes, qui Pontificis imperium repulerunt, audiet. Sed nimis jamdudum moleſtus tibi ſum tot quæſtionum nodis, eoque nec petere a te audeo, ut ad omnes æque reſpondeas, aut ita reſpondeas, ut & ſimul ſententiæ tuæ rationes in medium afferas: video enim id gravius occupationibus tuis futurum, quibus tanquam in publicum bonum ſemper intentis non lubenter privata curioſitate obſtrepo. Interim hoc mihi fortasſis dabis, ut innuas breviter tuam de ſingulis ſententiam; cujus ego cauſſam aliunde deinceps conquiram, modo auctoritatis tuæ pondere judicii mei lanx interea firmetur. a) Sed ut & hoc nimium ſit, illud ſaltem a te impetrem ſine, ut ne mea hæc importunitas alieniorem te mihi fecerit; nam ad illam me impulit, tum fervens in me aliquid ſemper diſcendi ſtudium, tum
176 quod me nemo te melius docere posſit. Vale, Vir Amplisſime, & publico bono diu ſuperſtes age. Dab. Gedani prid. eid. Aug. MDCXXXIII.

XXXIV.

HVGO GROTIVS M. RVARO.

FVneſtis literis, Ruare doctisſime, funeſtas literas reddo, triſtem mihi nuncium de morte Crellii, triſti & tibi nuncio de morte Leonardi van Sorgen, b) dolens cum dolente commutaturus. Patiamur Dei

a) Parum abeſt, quin ſpecimen *probabilitatis* illius, a Patribus S. J. tam ſtudioſe pictæ & commendatæ, *Ruarum* heic dediſſe, moneam. Sed datum forte aliquid eſt amori, & ut blandimentis eliceret reſponſionem, a linea veritatis inquirendæ genuina, paullo longius deflexum. Nobis, quibus artibus *Ruarus* animos etiam ſummorum virorum, tantoque magis rudiorum hominum, capere ſibique devincire calluerit, hinc didiciſſe ſatis eſt.

b) Mercatoris in *Belgio* & forte *Amſtelodamenſis*, Remonſtrantium placitis addicti, fratris *Nicolai von Sorgen*, ad quem tres

Dei arbitria, & quid Chriſtianos deceat vel a Cleanthe diſcamus, cujus Græcos jambos Latinos ſic fecit Seneca, a)

Duc me, Parens celſique dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora eſt:
Aſſum impiger. Fac nolle: comitabor gemens,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Jacturam, quam in Crellio fecimus, poſtuma ſcripta, quantum ſpe auguror, b) ſolabuntur. Pro literis transmiſſis gratias habeo: illas ad Crellium, ſi tanti putas, & reſignare, & tibi habere potes. Sunt de loco illo μιᾶς γυναικὸς, * ſed pendent a prioribus literis, c) quas Amſtelodamo ad virum illum eruditisſimum miſeram. Bene tibi procesſit conjectura de viro nobili, d) quem mihi commendaveras: nam emerſit iterum, & literas illas in Galliam, quod gaudeo, ſecum tulit. Noli dubitare, quin ſemper in potisſimo ordine amicorum habiturus eos ſim, quos tibi probari intellexero. De Arriani loco confirmat me ju- 177 dicium tuum. Cur de Judæis agens baptismum potius, quam circumciſionem attulerit, cauſam veram utramque attigiſti: nam circumciſio domi e) peragi poterat: baptiſmus in fluminibus adminiſtrabatur, ut & apud Chriſtianos etiam Juſtini ævo. f) Tum quod notaſti Ægyptiorum quosdam circumciſos, id Herodoto atteſtatur Philo περὶ περιτομῆς, ** Joſephus, Strabo, Clemens Alexandrinus, Celſus, Origenes, Epiphanius, etiam Magiſtri Hebræi, & ex eis Hieronymus ad

S 3

* Vnius mulieris. ** De circumciſione.

litteræ extant, *Car. Niellii* n. 626.627.& 629. gallice ſcriptæ, in epiſt. Remonſtrantium, in quarum prima hujus quoque *Leonhardi*, tanquam litteras fratrum benigne curantis, fit mentio. conf. Ep. 36.

a) Cujus videri poteſt, ſi placet, Epiſt. 107.

b) Nec vana illa ſpes fuit; plurima enim poſt fata *Crellii* prodiere, quæ *in Bibl. Frr. Polonorum* habentur, præcipue Exegetica, eademque partim in calamum dictata, olim dum viveret, partim calamo ab auditoribus ex ore diſſerentis excepta: ut reliqua omittamus a *Sandio* enumerata.

c) Quæ litteræ priores, de eodem argumento agentes, reperiuntur impreſſæ in *Epiſt. Remonſtrant.* n. 511. edit. med.

d) Pœmero, de quo Epiſt. 31. & 32.

e) Probarem & ipſe hanc conjecturam, cum ſit inter Judæos ſtatutum omnium conſenſu firmatum, non niſi in flumine, vel viva certe aqua, nequaquam vero in ſtagnante, baptiſmum illum proſelytorum fieri debere, dummodo de his novis advenis adultisque l. c. ſermo eſſet.

f) Verba Juſtini ſunt in Apolog. II. f. m. 93. E. ed. Colon. ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, hic deducuntur initiandi Chriſtianæ Eccleſiæ, ubi aqua eſt. Quæ videntur utique de flumine potisſimum intelligi; ſed alia tamen receptacula aquarum non excluduntur, qualia Judæi & Chriſtiani olim habebant, & illi hodieque domi ſuæ habent, *Mikvaoth* dicta.

ad Jerem. IX, 26. qui ajunt Josephi exemplo a) introductum morem. Syros apud Herodotum puto esse Judæos ipsos, quorum sedes Syria Palæstina. Colchi ἐκ διασπορᾶς * decem tribuum, Æthiopes ex Abrahami & Cethuræ liberis videntur traxisse hunc ritum: nam de Idumæis & Ismaelitis aperta ratio est. Venio ad quæstiones tuas, sed ut tecum quæsiturus, & hoc orans, ut, si quid meis habes rectius, mihi impartias: Lege Mosis permitti, ut uxoris mortuæ soror ducatur, recte a te colligi puto, tum ex natura legum prohibentium, quæ suis se finibus tenent, neque extendi se incerta argumentatione patiuntur, tum eo argumento, quod in legum interpretatione validissimum ex contrario ducitur. Qui enim vivæ superinduci sororem vetuit, & quidem ad evitandum æmulatum inter adeo propinquas acriorem, mortuæ substitui sororem permisisse censendus b) est. Memini me 178 ad oram libri mei, quem nunc penes me non habeo, annotasse variantes c) super hac re juris prudentum Hebræorum sententias: sed qui vetant, more, eoque non generaliter recepto, nituntur. Maimonidæ quæ sententia fuerit, scire non possumus, nisi consulto Arabico codice: nam Hebræa versio, ut jam de Latina nihil dicam, alicubi ** παρεχαράχθη. d) Secundam quod attinet quæstionem, Christianus cum civis

* Ex dispersione. ** Adulterata est.

a) Illud certe (coll. Psalm. CV, 22.) verisimilius est, quam ritum hunc ante Abrahamum jam fuisse *Ægyptiis*, aliisque populis, usu receptum, a quibus, quod *Herodotus*, homo inprimis mendax, affirmavit, acceperint, DEO eum Ecclesiæ suæ accommodante, Judæi. *Jeremiæ* certe tempore *Ægyptios* adhuc inter præputiatos c. IX, 25. numerari, quando de promiscua multitudine sermo est, luculenter constat.

b) Si quidem, quod nobis etiam videtur probabilius, verba ea sint ad restringendum & limitandum certo casu, certisque circumstantiis, adjecta. Id enim, quicquid sit de afflictione ærumnaque alteri sororum hinc creanda, *vita* superstitis expresse definita, quæ ad exaggerationem nihil confert, exposcit. Si qui tamen sint, qui multi sunt, quibus rationes potius reddit as esse, quam limites his verbis positos placet, difficilior est regulæ & observationis a *Grotio* propositæ applicatio.

c) Non variant Hebræorum sententiæ, nisi quod *Rabbanitæ* conjugium cum sorore uxoris, adhuc vivæ & forte etiam repudiatæ, improbant, cum mortuæ probant; *Karæi* autem non item: tametsi alias polygyniam, quod nonnulli falso affirmant, haud damnent.

d) Nimis audacter. Tanta enim conscripta est Hebraica illa a *R. Samuel Tibbonide* & adornata versio, cura, ut ab ipso quoque *Maimonide*, cum quo ea ex Palæstina ad perlustrandum, antequam publicaretur, communicata fuit, approbata sit. Latina autem interpretatio tanta diligentia a *Buxtorffio* confecta est, ut, si cum *Justinianea*, aut quocunque demum auctore confecta vetustiori, Parisiis anno 1520. evulgata, conferatur, & ad ipsum quoque Hebr. exemplar revocetur, omne punctum ferre censeatur. Tantum abest, ut sive hæc sive illa adulterata sit dicenda. Adhæc MSta, quæ a *S. R. Dn. Wolfio* in

civis sit, civiles etiam leges, multoque magis eas, quæ multarum gentium consensu receptæ sunt, servare semper officii sui ducet. Itaque in veteribus Apologeticis videmus id palam prædicare Christianos, se secundum omnes leges, religionem non lædentes, vivere, sed ita ut probitate sua leges multum supergrederentur. Loquor de illis legibus, quæ & causam aliquam habent probabilem, & intolerabiles non sunt: a) quod ipsum ἐν ϛιγμῇ * definiri non potest. Lex autem ista de non ducenda mortuæ uxoris sorore laudabilis est, & stupris ex domestico convictu nascentibus spe matrimonii sublata occasiones præcidit. b) Quare qui eam violat, & civilibus judiciis subjacet, & ecclesiæ censuram juste patitur, quam παρὰ τοῖς ἔξω ** infamat. Ad tertiam ut veniam, verum est, non omne, quod prohibetur, irritum censeri, & in conjugio cum Amoræis vicinarumque gentium feminis spectatum a lege periculum, quod perpetuum est. An igitur irrita sint conjugia contra legem humanam facta, ex legum verbis sensuque colligendum est, c) aut si leges scriptæ non exstant, ex eo, quod sæpe judicatum est, d) maxime circa eos, qui Pontificis Romani auctoritatem defugiunt. Illud video, multarum gentium leges imitari Romanum jus, quo conjugia talia non prohibentur tantum fieri, sed & irrita pronunciantur, & dissolvi jubentur: neque ego dubito, quin societati civili, aut ejus præsidibus potestas hæc competat, utilitatis alicujus publicæ

179

* Accurate. ** Apud extraneos.

Bibl. Hebr. Tom. I. atque III. enumerata sunt, multum discriminis haud exhibent. Probabilius ergo videtur *Maimonid.* in l. c. *More Nebhuch.* sive generali ratione illa adducta exceptionem a regula, ipsi DEO probatam, excludere noluisse, sive, uti sæpius consuevit, a cæterorum communi opinione Judæorum discessisse: quem nemo tamen Rabbanitarum unquam secutus est.

a) Vt sunt conscientiæ religioni, quales erant, quæ de cultu Deorum commentitiorum præcipiebant, adversæ.

b) Hæc ratio harum legum, quam paulo obscurius proposuit *Grotius* in L. de Jure B. & P. omnium optima est, cæterisque merito præfertur: quod peculiari *Dissert. de genuinis Conjug. prohibitorum caussis* copiose demonstravimus.

c) Immo potius ex ipsa Lege Mosaica & Lev. XX. ubi quibusdam supplicium constitutum, aliis sterilitas & similes generales: quarum illa vix sine continuato conjugii usu animo concipi potest. Dignissima est, quæ consulatur *de Differentia Dispensationis & Tolerantiæ* b. *J. G. Baieri Sen.* Dissertatio, rem omnem radiis pæne dixerim solis descriptam definitamque sistens.

d) *Observantiam* vulgo vocant; quæ tamen vix aliter, quam de gradibus humano & Canonico, aut rectius Ecclesiastico jure forte prohibitis intelligenda est, si pro norma quadam haberi debeat. Ad singularum vero Ecclesiarum statuta heic respiciendum esse, nemo est, qui nesciat, inter eos videlicet, qui *Papatui* valedixerunt.

publicæ causa vim adimendi nondum natis contractibus. Postrema erat quæstio de petenda matrimonii talis indulgentia a Romano Pontifice, quod recte dicis non convenire illis, qui discidium a Pontifice fecerunt. Sed monendum te censui, in Gallia Reformatis prohibitorum matrimoniorum gratiam ab ipso Rege fieri, a) cujus rei aliquot mihi exempla sunt cognita. Id si imitari velint Rex & senatus vester, quid obstet, non video. Ipsorum erit prudentiæ judicare, an in hac facti specie causa aliqua insit rarior, ob quam æquitas ferat discedi ἀπὸ τοῦ λίαν ἀκριβοῦς. * Hæc sunt, quæ lectis statim literis tuis in mentem venerunt, si quid percoctius subierit, ejus quoque te participem faciam, hac lege, ut tua quoque cogitata me non celes. Vale, Vir multis nominibus suspiciende. Hamburgi xx Augusti novi Cal. anni cIↃIↃcxxxIII.

180

XXXV.

HVGO GROTIUS JOHANNI CRELLIO. b)

MAgna est tua humanitas, Vir eruditissime, qui pro officio & exiguo & vulgari tam liberaliter gratias agis, hoc ipso dignissimus, cui majora & a majoribus præstentur. Tecum sentio, verba Apostoli c) non,

* A summo rigore.

a) Eamque in rem extat rarum non minus quam præclarum opus cordati illius *Sorbonæ* Paris. Theologi *Jo. Launoji*, cujus tit. est: *De Regia in matrimonium potestate*, forma, quæ 4ta dicitur, & anno 1674. impressum. Cui additus *Dominici Galesii Ecclesiasticæ in matrimonia potestatis* (sic enim is liber inscriptus est) *Erratorum Index locupletissimus*, anno 1677. evulgatus.

b) Non alia est, nisi hæc ipsa epistola, quam resignandam, quia mortuus interea, dum mitteretur, *Crellius* fuerat, permisit *Grotius Ruaro*. Quæ sine dubio visa est filiis *Ruari* anteponenda cæteris, ne periret.

c) Disputatum enim erat inter *Crellium* & *Grotium* de verbis epist. 1 Tim. III, 2. ubi Episcopo seu Presbytero (coll. Tit. I, 5. sq.) inter alia convenire scripserat, ut sit *unius uxoris maritus*. Quæ verba, cum non de *simultanea*, ut vocant, sed *successiva* polygamia interpretentur nonnulli, & potissimum quidem *Græci*, ipseque adeo *Crellius* eam interpretationem partim ex cap. V, 9. partim ex insolito more, quo una femina plures maritos haberet in conjugio, stabilire conaretur, dubiaque *Grotio* moveret; recte in hac & altera priori epistola demonstravit, non inusitatam illam feminarum quoque fuisse tum temporis polyandriam, atque parum proinde ad causam Græcorum juvandam illam objectionem facere. Quas observationes *Grotianas* perfacile augere liceret, si spatii & instituti ratio nos id permitteret. Etenim non tantum inter Græcos & Romanos hujus desertionis maritorum, aliisque viris nubentium feminarum exempla plurima præsto sunt a nobis annotata, sed etiam inter hæc quædam occurrunt, ubi libello etiam repudii dato ab uxoribus mariti dimissi sunt: cujusmodi cumprimis celebre est *Salomes, Herodis M.* sororis, apud *Josephum* memoratum, & feminæ illius, cujus *Justinus Martyr* in Apolog. I. f. m. 42. med. meminit, utpote qui eam marito

non, ut Scaliger existimasse videtur, pugnare cum eo sensu, qui & veterum multis, & apud vos, ut scribis, eruditis placuit. Nam & τριάνωρ * Lycophroni Helena mortuo Theseo, & bivira Afranio, quæ nupsit iterum, sicut quæ uno matrimonio se continuit univira Tertulliano. Obstare videtur maxime, quod dura satis hæc lex videtur in presbyteros, qui non omnes senes, ut Timothei patet exemplo, magisque in diaconos, qui ferme juvenes legebantur, ut ætate procedente in majorem gradum procederent; & quod in cæteris, quæ exiguntur, nihil sit, quod non & Christianis omnibus conveniat; nisi quod credibile est, ad regimen & munera Ecclesiæ admotos, qui nihil unquam commisissent, quo ecclesia posset offendi. Hanc sententiam si sequamur, unius mulieris vir erit quidem maritus unius suæ conjugis, sed ex rei consequentia, non ex vocis vi. Oppositum enim est, non vir multarum uxorum, quales tunc in Græcanica Asia & Creta repertos non puto, nisi Judæos forte, sed vir multarum mulierum, sicut Cæsar omnium mulierum vir dicebatur. Talis autem est non is modo, qui viventem uxorem alia mutat, sed & qui unius uxoris suæ concubitu contentus non est: quod viris per illorum temporum ac locorum leges impune cedebat, ut & ipsæ leges nos docent, & nobis apud Gellium Catonis Censorii sermo. Contra vero multivira a) mulier erit, non quæ adulterio se polluit, quod legibus vindicari solebat, ac proinde ecclesiastica cautione non egebat, sed quæ desultoriis b) matrimoniis

181

T

* Trium virorum.

non solum libellum repudii misisse (ῥεπούδιον δοῦσα) ait, sed etiam inter Romanos illud usu receptum fuisse, verbis: Τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον, inquit; ut alia omittamus. Neque enim hæc in præsenti adduxissemus, nisi b. *Hedingerus* in Not. ad 1 Tim. III, 2. idem dubium, quod *Crellius* olim moverat *Grotio*, denuo inculcasset, & serio caussam Græcorum egisset; quod tamen ex prava illa feminini quoque sexus consuetudine perfacile solvi atque discuti potest.

a) Dubito, utrum univira & multivira mulier alia sit, quam quæ post maritum defunctum ad nova vota semel iterumque transiret. Ita certe illa vocabula *Tertullianus* & *Minutius Felix* usurpant; quos tamen & priorem horum cumprimis in Libro de *Monogamia*, atque cæteris ad rem conjugalem pertinentibus opusculis contra conjugium, post mariti aut uxoris etiam fata iterandum, acriter pugnasse, satis superque constat.

b) Nescio, quæ desultoria conjugia vocet *Grotius*. Etenim si successiva intelligat, ea viduis Ebræorum non fuisse prohibita, notum est. Si vero marito superstite superinductus novus conjux non videtur adscisci potuisse inter Judæos, fallitur. Etenim non solum *Salomes* exemplo contrarium ante demonstravimus, &, mores corruptos prævaluisse legibus, observavimus, sed etiam e multis *Talmudistarum* locis, fuisse casus, ubi a marito libellum repudii uxor extorquere poterat, facile, si opus esset, demonstrari posset.

moniis conditiones mutasset: quod cum matronis Hebræis lex sua non indulgeret, & Græcæ & Romanæ leges suis feminis concedebant. Id si recipimus, poterit σώφρων * intelligi, qui in vultu, habitu, gestu, sermone, dignam Christiano gravitatem servat: ἐγκρατὴς ** vero, qui rebus omnibus aliquid in se delectationis aut remissionis habentibus utitur modo restrictiore. Sed de his aliisque rebus quid tu pro summa tua diligentia notaturus sis, avide exspectabo. Ego si quid possim contribuere ad labores tuos, facerem id animo promtissimo: sed & quam multa mihi ad eam rem semper defuerint, facile intelligo, & nunc nondum constituto, ubi larem figere debeam, vivo desertus a libris, quorum in vicem non usque quaque succedit memoria. Tibi pro iis, quæ mihi optas, gratias habeo maximas: tibique vicissim opto, quod maximum puto, ut isto otio, nemine interpellante, tibi feliciter, aliis utiliter fruaris. Vale, Vir multis nominibus colende. Hamburgi II Julii novi Kalendarii, anni cIɔIɔcXXXIII.

182

XXXVI.
M. RVARVS HVGONI GROTIO.

Diuturnioris mei silentii caussam quidem haud unam allegare possim: at illa præcipua est, quam tu, Vir Amplissime, fortasse miraberis, & cum venia tamen, ut spero, accipies. Ego istuc ætatis amori operam dare cœpi, & post anxiam tot annorum deliberationem, uxorem tandem duxi. a) Nondum autem oblitum te credo, quantæ soleant esse distractiones novorum procorum, sponsorum, novorum denique maritorum: quæ me omnes intra hoc tempus exercuerunt, præter operas consuetas aut ex obliquo illatas. Nunc redeo tandem ad scribendi officium; in quo si quid fortassis negligentia mea deliquit, quod non possum penitus negare, sat magnam hanc pœnam illius pendo, quod tuis interea literis caruerim, ex quibus semper doctior evado. Obitum integerrimi spectatissimique viri Leonardi Sorgii b) vehementer doleo, cum alias ob caussas, tum quod amicum amiserim in

* Sobrius, prudens. ** Continens.

a) Quæ, qualis fuerit, ut scias B. L. conf. Cent. II. epist. 48. & 69.

b) De quo supra epist. 34. Quam si cum hac *Ruariana* contendas, planissime erit, hunc *Sorgium* in mercatoribus censendum esse, qui litteris hinc inde e *Belgio*, atque rursus in *Belgium* curandis operam his hominibus commodaverat suam, ac de reliquo & ipse *Remonstrantium* a partibus, quod ad dogmata approbanda, steterat. Vtrum frater fuerit celeberrimi JCti *Nicolai von Zorgen*, summi Joannis Vytenbogardi amici, cujus filiam *Elisabetham* in matrimonio habuit *Philippus a Limborg*, mature tamen, postquam filiam enixa erat, defunctam, supra disquisivimus.

in præſtandis quibusdam officiis mihi neceſſariis ſemper facilem: cui quem iſtic jam ſubſtituam, vix habeo.

Intelligo præter duos illos, quos tibi commendaveram amicos, Italum Germanumque, & Polonum quendam equitem familiarem meum tibi adfuiſſe: qui quanquam nullas a me literas exhiberet, ami- 183 citiæ tamen meæ obtentu acceſſum ad te facilem habuerit, comiterque habitus, & cum conſilio, quod ipſe ſibi ſalutare fuiſſe gloriatur, a te ſit dimiſſus: eo ergo nomine gratias tibi ago atque habeo. De baptiſmo Judæorum, cujus primam mentionem colloquio tuo debeo, deprehendi tandem aliquot loca ex Thalmude a) a viris eruditis allegata. Johannes Cochus in annotationibus, ſeu potius in earum ſpicilegio ſuper caput ſecundum Maccoth citat ex Aboda ſara fol. LIX. p. I. hæc verba: אינו גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טביל גוי הוא לעולם *In æternum non eſt proſelytus, dum circumcidatur, & baptiſetur: nam donec baptiſatus non eſt, gentilis eſt.* Duo alia loca ex Jebammoth fol. LXVI, LXVII, & ex Barachoth fol. XLVII. affert Chriſtianus Gerſon in Thalmude ſuo Judaico; quæ quia prolixiora ſunt, & Germanica tantum lingua ab illo exprimuntur, non exſcribo. Ex eodem Gerſone diſco, Thalmudem hunc ritum pro antiquisſimo habere: utpote qui in Sota fol. XII. & in Megilla fol. XIII. lotionem filiæ Pharaonis in flumine, de qua Exod. II. hoc fine ſuſceptam (quanquam id ſane ridicule) interpretur, ut per baptismum Iſraelitarum religioni initiaretur. Crediderim tamen, ſaltem Servatoris noſtri ævo, poſtquam tam multi baptiſmi vel ad ſuperſtitionem usque invaluerant, Judæis hanc gentium externarum initiationem ad Sacrorum Judaicorum communionem in uſu fuiſſe. b) Nec vana, ut opinor, eſt conjectura, quod, quemad- 184 modum

a) Non negatur, *Ruare*, a quoquam, & palam eſt, nominatim in *Gemara* multa de *Baptiſmo proſelytorum* eoque vetuſtisſimo tradi, & audacter ſatis aſſeveranterque affirmari. Enim vero, utrum fides ſit habenda Talmudiſtis, *Gemariſtis* præſertim, in *Miſchnam* commentatoribus, & recentioribus illud μέγα λίαν αἴτημα mihi videtur dignum, de quo disquiratur. Quis enim neget, ad antiquisſimos natales hæc a Judæis nugacisſimis revocari, quos totum illud traditionum ſuarum chaos *Moſi* acceptum ferre, & jam *Chriſti* ætate tuliſſe ſine fronte, ſatis bene conſtat; neque tamen quisquam eſt, niſi qui ex eadem officina prodierit, qui affirmantibus iſthæc credat. Nos altum ſcriptorum vetuſtiorum ſilentium, quibus occaſio ſæpenumero hæcce commemorandi data fuerat, opponimus, atque aliunde hujus ritus originem ex Pſeudapoſtolorum videlicet cum Judæis colluſione, deduximus, quæ repetere h. l. nihil attinet.

b) Nusquam is commemoratus eſt a quoquam; neque etiam, ſi jam ante uſitatus fuiſſet, misſi ad *Joh. Baptiſtam* legati Hieroſolymitani, de Baptiſmo, *tanquam Prophetæ aut Meſſiæ nobilioris officii parte*

modum Servator noster in institutione solenni * τῆς εὐχαριστίας a) ritum Judæis usitatum, quamvis Lege non præceptum, imitatus est, prout inter alios Beza ex Paulo Burgensi, Tremellio atque Scaligero annotavit, ita & Johannes Baptista primum, & deinde Christi discipuli, seu potius Christus ipse, sine cujus voluntate illi sine dubio nihil sunt ausi, hunc ritum, homines disciplinæ suæ de novo accedentes initiandi, ab exemplo Judæorum, quanquam id sane instinctu divino, mutuati sint. Hoc si tanquam verum accipitur, concludere ulterius non inepte licebit, baptismum Christianorum non Judæorum circumcisioni b) proprie, sed potius eorundem baptismo successisse: atque ita collabetur argumentum, c) quod a circumcisione infantium inter Judæos ad eorundem baptismum apud Christianos vulgo trahi, tamque acriter urgeri solet. Scrutatus sum curiose, an Judæi ex sua gente natis, quoties religioni initiantur, baptismi legem imponant. Et invenio in Buxtorfii Synagoga Judaica, infantes Judæorum, non quidem circumcisos, ut in gentibus ad Judaismum conversis fieri solet, sed circumcidendos, lavari diligenter solere. Sed, ni fallor, hæc lotio non est illis pars initiationis, sed præparatio d) initiandi, qui cum sordibus ad vitam tam sacrosanctam admitti non debet. Quorsum hæc tam solicite quæram, caussam facile intelligis. Ad ætatem baptismi

185 Judaici nonnihil facit, quod Arrianus mentionem illius ex interpretatione tua faciens, non procul ab ævo Servatoris nostri, sub Hadriano & Marco & Antonino Imperatoribus vixerit, e) si modo commentator Epicteti, quem habemus, is est, quem Suidas ἐπικτήτειον φιλόσοφον** appellat.

* Eucharistiæ, Cœnæ sacræ.

** Epicteteum aut Epicteti sectatorem philosophum.

reservata in posterum tempus eum compellassent, sed de *circumstantiis* potius *exquirendis* soliciti fuissent; & quod non proselytis duntaxat, sed promiscue Judæis conferat, vituperassent.

a) Neque hæc, quæ de occasione, ex postcœnio sumta, videtur subinnuere *Ruarus*, satis certa sunt, & multi ea quoque additamenta inter recentiora instituta recensent: quos inter & ipse, nisi fallor, numeratur *Buxtorffius* πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

b) Temere hæc dicta esse, vel solus Apostolus *Paullus* Coloss. II, 11. seq. ostendit ad oculum.

c) Huccine ergo tendebat hæc Disputatio, quæ primo obtutu videri poterat mere Philologica?

d) Non religiosa, sed physica ea est, sordibus corporis abluendis destinata, nec Judæis propria.

e) Multo vero validior esset illa probatio, si verba ex *Epicteti* ore repetita, quæ jam medio Sec. I. usitata fuerint, edocerent. Sed quæ dubia obstent, etiamsi ad hanc quoque ætatem referas, jam ante monuimus.

appellat. De ſolutione quæſtionum, quas tibi nexueram, plurimum tibi debeo. Ego judicio tuo, quod magni ſemper feci, in cæteris quidem omnibus facile acquieſco: hoc unum tantum non niſi cum diſtinctione quadam accipere poſſum, quod exiſtimas matrimonia, utut jure divino per ſe licita, ſi tamen contra legem humanam contrahantur, hominum arbitrio irrita fieri poſſe. Mihi enim videtur in contractibus mere humanis id quidem poteſtati magiſtratuum licere, ut (quod tu allegas) iis nondum natis utilitatis publicæ cauſſa vim omnem adimant: at matrimonium non humano tantum jure, ſed & divino nititur. Itaque (quod pace tua dictum ſit) exiſtimaverim, ſi matrimonia contra legem humanam contrahantur, contrahentes quidem privilegiis a civili poteſtate dependentibus privari, imo & pœnis utilitatis publicæ cauſſa prudenter conſtitutis ſubjici poſſe: ipſum tamen matrimonii vinculum, a) quo minus reſcindatur, obſtare puto legem ſacram, quæ vetat, ne, quæ Deus conjunxit, homo ſeparet. Exemplum aliud eſt in matrimoniis contra parentum voluntatem a liberis nonnunquam initis, quæ quidem legibus Chriſtianorum principum rerumque publicarum vulgo prohiberi ſolent: conſummata tamen non reſcinduntur; b) ſed pœnarum ſumma eſt, ut liceat hos tales legum patriæque poteſtatis contemptores parentibus exhæredes facere. Diſcrimen matrimonii aliorumque contractuum hinc quoque animadvertere licet, quod alii contractus, quemadmodum conſenſu mutuo coeunt, ita & partium conſenſu diſſolvuntur: at non item matrimonia, ne ſi pars quidem utraque velit. Hujus diſcriminis obſervationi non inepte quis fortasſis addat, nihilo plus magiſtratui in res ſibi ſubditorum licere, quam iisdem in eas licuit, antequam magiſtratui jus in ſe ſuum ſive expreſſo ſive tacito conſenſu reſignarent. Hæc quidem adhuc ita mihi videntur: quæ tamen contra meliora docentem obſtinate non defendam. De fortunæ tuæ mutatione nihil adhuc audio, niſi quod nuper quidam mihi perſuadere voluit, te Cæſa-

186

T 3 reana-

a) Erunt fortasſis, qui *reliquias ex Papatu*, in cauſis matrimonii, hæc quoque redolere exiſtiment. Nos manum de tabula. Etenim eorum conatus, qui matrimonii, quanta quanta eſt, intemeratam ſocietatem ex ſolius civitatis commodis & voluntate principum æſtimant, non probamus; ſed divina hic potius jura conſideranda cenſemus, & ſtatum hunc præcipue ut *Eccleſiaſticum* conſiderandum eſſe, certo ſcimus.

b) Immo vero & reſcinduntur haud raro, ſi parentes & ſummæ quoque poteſtates ἀκριβοδίκαιον præferant æquitati. Nec immerito, ſi præſertim delinquentibus jam prædictum ſit, cave! Quam etiam ob rem multis in locis publice, quid in his ca-

reanarum copiarum Imperatori Fridlandiæ a) duci operam tuam ad historiam scribendam addixisse: quod eo minus illi credidi, quod existimem, res illius gestas, cujus favori stylum tuum submitteres, multas tibi fortasſis non probari. Nomen tuum in aula Regis nostri inclaruit, adeoque gratiosum est, ut Rex legato suo Savazio in Belgium Britanniamque tendenti injunxerit, ut consilium rei bene gerendæ a te b) peteret: quod ille tamen nescio qua de caussa neglexit, quemadmodum ex illo ipso habeo, qui legato a secretis in itinere fuerat. Novi 187 quosdam id agere, ut salario regio te in hanc urbem invitent, quod an apud Regem successurum sit, nondum habeo dicere: fortasſis tamen illi paulo fortius rem urgerent, si non spernere te conditionem illis constaret. De Assuero Matthisio c) lubens rescifcerem, an domicilium Hamburgi fixerit, (nam uxorem illic eum duxisse inaudivi) itemque an Bernhardus Dwinglo d) Tychopolim adhuc incolat, quam se derelicturum ante annum minabatur. De Anglia paullatim gliscit rumor, proceres nonnullos, qui ad Ecclesiæ gubernaculum sedent, e) ad antiquatas Romanæ Ecclesiæ superstitiones non parum propendere: id an ita se plane habeat, an vero ex innovatis ceremoniis quibusdam ἀδιαφόροις * temere arreptum, aut & ad conflandam Remonstrantium

* Indifferentibus.

sibus lege constitutum sit, quotannis prælegi ex ambone solet.

a) *Wallensteinio*, nuper admodum hos titulos & provinciam adepto, ad cujus mores & asperitatem nemini etiamnum incognitam & in proverbium transductam *Ruarus* procul dubio, quando famæ huic se credere vix posse ait, respicit.

b) Haud disſimilia *Vossius* Epist. Tom. I. epist. 208. *Aliquid hic cognovi de Colloquio tuo cum Serenissimo Daniæ Rege. Aliunde etiam percepi, ut Rex Poloniæ de Te cogitet.*

c) Exule Arminiano in provincia *Transisulana Campensis* quondam Eccl. Ministro: cujus ut alibi in *Historia Arminianorum* sæpius, ita quoque & præcipue inter cætera *Remonstrantium* capita, per *apparitores extra fœderatas Provincias earumque ditionem educenda* eductaque, in Decreto *Dordracenæ Synodi*, d. V. Julii anno 1619. prælecto ac promulgato, nominatim fit mentio.

d) Fortunæ ejusdem, qua & *Matthisius* usus erat, hic fuerat socius ejusdemque doctrinæ confessor l. c. similiter commemoratus & emigrare jussus, antehac vero *Leydensis* Eccl. Pastor. Tanto vero magis spe omni in patriam redeundi destitutus, quod conjurationis illius *Slatianæ* cum *Geisterano* & *Velsio* particeps crederetur fuisse.

e) *Episcopos* indigitat iisdemque addictos, quorum adversus *Presbyterianos*, regimen in Ecclesia & Liturgiam cumprimis, multos, Pontificiis etiam probatos, sed *Genevensibus* eapropter exosos ritus, etsi de reliquo innoxios, complexam, hoc tempore post Jacobi I. conatus quondam moderatiores, Carolus I. jam propemodum obtrudere omnibus, *Scotis* non minus, quam *Anglis*, vehementer laborabat.

tium a) dogmatis illic invalescentibus invidiam confictum sit, tu credo me melius nosti: ego autem lubens ex te sciam. Sed jam dudum tibi fortassis prolixa scriptione molestus sum: itaque abrumpo telam, teque, Vir summe, salvere atque valere jubeo. Dab. Gedani, a. d. III. Cal. Januarii, anno æræ Christianæ cIɔIɔcXXXIII.

XXXVII.

HVGO GROTIVS M. RVARO.

Literas tuas, doctissime Ruare, ut crebras amo, ita dilatas non queror. Etsi causam non afferres, commodum mihi tuum sufficeret, nunc causa, quam adfers, talis est, ut vel duro exactori purgare te possit. 188 Ad alia antequam venio, Deum precor conjugii auctorem, tuas nuptias ut prosperet, perpetuaque concordia beet. In Leonardi Sorgii b) morte quod fecisti damnum, utinam aut ego sarcire possem, aut qui nunc hic cum bene dotata uxore larem fixit, cujusque & ædibus & amicitia fruor, Matthisius; c) qui te & salutat plurimum, & omnia offert, quæ suæ sunt opis. Crellii postuma opera avide exspectabimus. Noli dubitare, quin in amicorum classe habiturus semper sim, & quidem interioris admissionis, non eos tantum, quos mihi epistolæ tuæ commendaverint, sed quoscunque tibi caros sciero: id enim mihi pro testimonio sufficiet. De baptismo Judaico quæ scribis, vera sunt: & adjici potest ad ea, quæ commemoras, loca, illud ex Scholiaste Juvenalis vetere, & scriptoribus uso, qui proxime Juvenalis sæcula fuere. Ad illum versum

Quæsitum ad fontes d) *solos deducere verpos,*

sic ille ait: ubi *baptizantur*. Quod quanquam ad rectam versus illius expositionem non pertinet: culpat enim Juvenalis τὸ τῶν ἰȣδαίων ἄμικτον,* qui ne communia quidem humanitatis officia, qualia sunt erranti viam, sitienti fontem monstrare, præstarent τοῖς ἀλλοεθνέσιν** testi-

* Insociabilitatem Judæorum. ** Alienigenis.

a) Quo jure, quave injuria hæc tribuantur *Episcoporum* in *Anglia* ordini & partibus, non definiemus. Hoc certum est, a *Dordracena Synodo abhorrere Ecclesiam Anglicanam*, S. R. D. *Lintrupium* solide demonstrasse.

b) Vid. de eo epist. 34.

c) Conf. Ep. præced. 36.

d) Mirum est, hoc loco tanquam testimonio, quo baptismus *Proselytorum* Judaicus probari queat, uti voluisse *Grotium*, cum tamen, eum, de lotione communi omnibus Judæis viris feminisque, si quid impuritatis contraxissent, agere palam sit. Vnde & Scholiastis Christiani haud dubie vox, *baptizantur*, non aliter, quam de lotione per *submersionem vulgarem* & quotidianam, nequaquam vero sensu, quem vocant initiationis, & quasi sacramentali, est accipienda.

testimonium tamen præbet mori τῶν ἰȣδαιζόντων, * in oculos Romanorum quoque incurrenti. Quantum ex libris, quos ad manum non habeo, cognoscere potui, sic res se habet. Quo tempore lex per

189 Mosem data est, multi adhuc populi, quanquam sub diversis ritibus, perstabant in cultu unius Dei, & honestis moribus, quos Deus aut per sensum communem, aut per oracula Adamo Noæque data, humano generi præscripserat. Ex illis si qui vellent cum Hebræis habitare, licebat id per legem, neque institutis Hebraicis, nisi in quibus ob publicæ εὐταξίας** faciem sejungi ab aliis commode non poterant, a) tenebantur, ut videre est tum alibi, tum Levit. XXII, 25 & Levit. XXV, 47. ubi Chaldæus גר ותושב interpretatur *incolam incircumcisum.* b) Si quos tamen populos ab Abrahamo ortos constaret, puta Ismaelis, Ceturæ, Esavi posteros, his jus incolatus non dabatur, nisi impleta & circumcisionis lege, quippe ad ipsos non minus, quam ad Israelis posteros pertinente. Quod dixi de duratione τῆς μονοθέȣ θρησκείας *** ex historia de Abimelecho, Melchisedeco, Jethrone c) apparet. Paulatim, tum quod Deus curam suam ferme ad unum populum retraheret, tum quod ejecti ab Hebræis populi late spargerent superstitionis & morum illaudabilium contagia, factum est, ut nulli essent populi defectionis immunes. Itaque ex eo tempore d) a sapientibus Hebræis institutum est, ne qui ad jus incolatus admitterentur, nisi qui solenni mersatione professi essent, se primum cultum vitamque ἄνομον **** exuere, prævia circumcisione, si de Abrahami essent genere, sine ea, si aliunde

* Judæorum more viventium. ** Boni ordinis ac decoris.
*** Vnius DEI cultus. **** Exlegem.

a) Sine dubio ad observationem *præceptorum*, quæ vulgo *Noachica* dici solent, hæc respiciunt. De quibus quid disputetur, cum sit notissimum ex *Seldeno*, *Frischmutho*, aliisque recentioribus, & negantibus & affirmantibus, sed facile, si res a nominibus accurate discernas, conciliandis, nihil addimus.

b) Quæ distinctio inter Judæos tam trita est, ut hos, quando de Ecclesia & gente sua in *Palæstina* præsertim habitante loquuntur, nihil frequentius, quam *Israelitas nativos*, cujusmodi prærogativam & Paullus sibi Phil. III, 5. tribuit, præferendos, & *Proselytos*, at receptos sub alas DEI Israelis, & *justitiæ* hinc προσηλύτȣς dictos, eosdemque a *Proselytis portæ* discernendos, tanquam minoris dignitatis, audias identidem crepare. Sic tamen hos ab istis operose solent sejungere, ut modestiores neque posterioribus omnem salutis æternæ spem denegent.

c) Non male de his, ab aditu salutis forte non exclusis, optima quæque sperat *Grotius*, sed quando Messiæ jam Patriarchis primis promissi, doctrinæque de eo, utcunque, ad tempus conservatæ, non meminit, largiori paullo hypothesi nititur, ac si unius DEI cultus suffecisset.

d) Ita Hebræi quidem confidenter affirmant; sed eo more, qui jactantiam Pharisaicam satis prodit.

unde orti. Si qui præterea vellent totam Mosis legem sibi imponere, de eo fiebat testatio; & sic in numerum non incolarum, sed civium re- 190 cipiebantur, honorumque erant participes, nisi ex illis essent gentibus, quas lex speciali de causa exceperat. Gravis autem causa fuit, cur etiam circumcisis injungeretur altera baptismi professio, quia gentes aliquot circumcisæ a) ad falsos deos jam defecerant. Est autem ferme apud populos omnes b) receptum, ut emendatio vitæ signo conspicuo ablutionis, & ubi magna esset mutatio, mersationis exprimeretur. Vetus Scholiastes Horatii ad illud Epistolæ primæ: *Ter puro lecto: ter*, ait, *mergunt, qui se expiant.* Hinc baptæ apud Græcos. Isidos quoque & Mithræ sacris, Tertulliano docente, eo qui de baptismo est libro, per lavacrum initiabantur. Ejusdem Tertulliani est eodem libro: *Certe ludis Apollinaribus, & Pelusiis tinguntur, idque se in regenerationem & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt.* Hunc ergo communem gentibus intellectum secuti Hebræi, non immerito commaculatis vita impura tinctionem, id est, mersationem injunxere. Ac propterea cum Johannes divino instinctu ipsos, quod hactenus factum non erat, Judæos tingeret, facile intellectu omnibus fuit, c) significare eum, gentem Judaicam non minus impuram esse, quam essent οἱ πολύθεοι, * ac proinde in illis quoque parem vitæ mutationem, quæ mersatione indicari solebat, requiri. Ad vetus illud exemplum Apostoli a Christo jussi τὰς ἕλληνας ** mersarunt, Judæos vero ad Johannis exemplum, utrosque in agnitionem peccatorum, non qualicunque 191 spe remissionis, sed certa ejus fide, Dei summi parentis auctoritate, per

* Multorum deorum cultores. ** Græcos.

a) At vero & his injuncta dicitur a *Judæis*, si in *Eccl. Ebræorum* transire vellent, vulneratio genitalium, ea ex parte, qua fiebat alias circumcisio, ut *eliceretur* die octavo *sanguis fœderis*, ex quo proselytus factus erat. Ac proinde neque his opus erat, ut applicaretur baptismus aliquis, veluti *Sacramentalis*. Ne quid dicam de sacrificio, quo oblato priora delicta eluerentur & expiarentur omnia. Non ausim quidem inficiari, ablutos quoque fuisse olim proselytos, sed vulgarem lotionem, uti in quolibet impuritatis actu necesse erat, ad hæc suffecisse arbitror: Quæ sine dubio etiam caussa fuit, cur ejus scriptores antiqui Judaici nusquam meminere, utpote quam, tanquam notam, & rem minus solennem, dignam commemoratu haud quaquam habuere.

b) Est sane per κακοζηλίαν recepta, pluribus idque testimoniis *Lomeierus* de *Lustrationibus gentilium* confirmavit; sed vulgarem etiam & sæpenumero, dum viverent, repetitam illam fuisse mersationem, idem ostendit: talem nimirum, quam & Judæi nativi frequentarent creberrime.

c) Qui factum autem, ut de hac circumstantia eum, cum quo expostulabant, non interrogarent, sed totum ritum tam solennem ad Prophetarum & inprimis Messiæ prærogativas rejicerent?

Filium publicata, per Spiritum obſignanda. Nunc ad conjugalem quæſtionem venio. Vetuit Chriſtus matrimonia rata, id eſt ſecundum legem Moſis, aut aliorum populorum honeſtas ac probabiles leges inita dirimi, niſi ex graviſſimis cauſis: qua in re omnium populorum bene moratorum leges ſibi faventes habet: nam & quæ leges divortia indulgent, optant tamen ac præferunt indivulſam fidei conjugalis copulam. At, ne humanis legibus poteſtas hujus aut illius generis matrimonii adimi hominibus poſſet, qua poteſtate ad emta ſequitur, ut conjugium nullum ſit, ſicut in contractibus aliis evenit, nusquam edixit: imo vero legum conditoribus non reliquit modo, ſed & ſanctionibus ſuis confirmavit, quam conſenſu gentium habebant in rebus ejusmodi a) poteſtatem. Quin & ſepoſita conſideratione ejus juris, quod aut ab initio, cum una viverent homines, commune humani generis in ſingulos habuit, aut quod poſtea diſperſis gentibus in minoribus illis ſocietatibus boni communis atque ordinis cauſa reſedit, faciamus aliquem probabili de cauſa, quæ Dei cultum, aut parentum reverentiam, aut meliorem ſui cuſtodiam attingeret, voto atque etiam jurejurando palam ſe obſtrinxiſſe, ne talem aut talem duceret, & videamus, an ratum futurum ſit, cum aliqua talis impedimenti conſcia ma-

192 trimonium. Sunt ſane, ut ais, populi, ubi rata habentur matrimonia liberûm, etiam intra annos XXV inita, ſine parentum, proximorumve aſſenſu: ſed alibi aliter obſervatur, nec in Proteſtantium tantum terris, ſed & in Gallia jam pridem, ubi ne rata aut licita eſſent id genus conjugia conventu ordinum Bleſenſi conſtitutum eſt, &, frementibus quanquam ſacerdotibus, b) quotidie in ſummis Auditoriis, quæ Parlamenta vocant, eum in modum judicatur. Sic & aliis in locis irrita habentur conjugia feminarum cum tutore tutorisve filio: & multa alia ſunt ejusmodi conſtituta in Theodoſii & Juſtiniani Codice, non ſine Epiſcoporum conſilio, antequam Eccleſia rem iſtam ſui juris feciſſet. In Baſilii reſponſis invenio matrimonium a liberis factum invitis

a) Ita eſt, ſi ſint humana ſtatuta. Neutiquam vero ad divina hæc ſunt porrigenda, quæ, quia jam determinata leguntur a DEO, hominum poteſtatem, ut ſupra jam monuimus, excedunt.

b) Partim ob jurisdictionem ſpiritualem, quam ſibi arrogant, atque h. m. in eam a politico magiſtratu contra jus & fas inviolari exiſtimant, partim etiam propter hypotheſin, qua conſenſum parentum a liberis in matrimoniis ineundis ad *honeſtatem* quidem requiri ſtatuunt, ſed *valide* etiam ſine eo contrahi illa exiſtimant, idque non tantum uſu confirmant, ſed etiam in ipſo *Conc. Trid.* Seſſ. XXIV. *Decret. de Reform.* cap. I. ſolenni quodam decreto promulgarunt.

vitis parentibus ab Ecclesia habitum πορνείας * loco. Quæ cur cum Christi præceptis pugnare non existimem, ex allato jam discrimine, quod est inter impedimentum a lege positum nondum contracto conjugio & inter rite contracti dissolutionem, puto posse intelligi. Res meas quod attinet, etiamnum ** ἐπέχω. a) A Savazio si quisquam ad me venisset, ultro ad ipsum cucurrissem: nunc, quid intercesserit, suspicari forte possum, scire non possum. Rex vester si mea opera uti volet, ubi sciero quam ad rem, non longum sumam deliberandi spatium. Dwingloius manet in statione. b) In Anglia is, qui Londinensis c) fuerat episcopus, ad ἀρχιεπισκοπὴν Cantuariensem evectus, summam in Regni Ecclesiæque rebus auctoritatem obtinet, vir prudens, & ad antiquum Ecclesiæ exemplar, quantum tempora ferunt, respiciens. Τῶν ἀδιαφόρων *** nihil ibi Romanorum rituum d) reducitur: sed quæ publicis regni moribus recepta sunt, ea, ut ubique eandem habeant faciem, datur opera. Dogmata duriora, quæ salutem hominum aut exitium clavis figunt adamantinis, e) magis magisque ibi exolescunt, & paucos defensores inveniunt. Vale, Vir Clarissime, &, ubi res tuæ id ferent, me ac Matthisium fac certiores de tua valetudine, deque tuis laboribus. Hamburgi XIV Januarii, cIↃIↃCXXXIV.

193

XXXVIII.

H. GROTIVS f) M. RVARO.

Legatio, quam mihi gratularis, Ruare Clarissime, utinam successus voto

* Fornicationis. ** Hæreo. *** Indifferentium.

a) Hæc verba procul dubio, cui operam suam addicere debeat aulæ, se nondum statuere potuisse, subindicant.

b) Si conjecturis uti licet, scholastica *Tychopolitana* seu *Glückstadiensi*.

c) *Guilhelmus Laudus*, nisi fallor, cujus de scriptis & fatis tristique tandem Presbyterianorum odio, ut fama ferebat, procurato vitæ exitu, non est, cur h. l. quicquam annotemus, ne extra oleas vagemur.

d) Quæ enim hoc tempore esse videbantur *Presbyterianis*, talia & *Ecclesiæ Anglicanæ* etiam obtrudi dicebantur, ea jam ante sub regina Elisabetha fuerant recepta atque confirmata. Cujusmodi præter regimen Eccl. per Episcopos, *musicæ* in templis usus, *precationum* certarum *formulæ*, *signum crucis* in baptismo adhibendum, sponsores & *patrini*, *impositio manuum*, *vestimenta* item Eccl. Ministrorum candida, & alia id genus, erant, ex antiquissimis Ecclesiæ purioris adhuc ritibus desumta, aut per se innoxia, & ad τάξιν atque εὐσχημοσύνην, quam nusquam Spiritus S. determinavit, sed cujusvis cœtus hoc ipso libertati reliquit, pertinentia; antehac vero a *Genevensi* Ecclesia, ne vel mica fermenti, ut videbatur, Pontificii prorsus expurgata, quorum dum imitantur rigorem Presbyteriani, *Puritani* inde dicti sunt.

e) Doctrina videlicet, de *absoluto Decreto*, rerumque & actionum humanarum omnium, quæ fiant, per decretum hujusmodi, intrinsecus animos *determinans*, insuperabili *necessitate*: quam qui tueantur, nemini incognitum est.

f) Superiori anno *Francofurtum ad Mœnum* invitatus, & *Legati Suecici* dignitate

voto meo respondentes habeat! quod tum futurum est, ubi ad pacem communem aliquid nostra conferre poterit opera. Cogitationem certe ad hæc sævissima bella, quæ τὰς χριςωνύμες * exagitant, sine maximo dolore nunquam flecto: Deumqee tecum precor, finem ut faciat, tantæ non magis vitarum ac fortunarum, quam morum ruinæ. Itaque Suediam ac Poloniam expeditas a) bello mutuo lætus intellexi, nullum satis magnum existimans pretium, quo res tam bona emitur. Germania quam etiam properaverit b) vides. Nec causam video, cur diu Suedi nostri perstent in armis, quæ derelicta cernimus ab iis, quorum pro salute suscepta fuerant. Batavos hujus anni adversa c) cummaxime quietis avidos fecerunt. Si qui feriores sunt, eos quoque mitigabit, si non aliud, certe crumena deficiens, optima pertinacium conciliatrix. Grata mihi sunt, quæ mittis munera. Reponerem tragœdiam editam Amstelodami, cui ex Ægyptio Josephi patriarchæ nomine Sophompaneas d) inscriptio est, si ejus exemplum hic haberem. Inspexi Creliiana ad Hebræos, e) plena eruditionis, nec sine magna utilitate; quam in ejusdem labore ad Galatas etiam

194

* Nomine Christianos, id est, qui re ipsa non sunt tales, sed tantum appellantur.

per Comitem *Oxenstiernium* auctoritate regia ornatus, atque medio hoc anno 1634. *Lutetiam Paris.* missus. Vnde & hæc scripta est sequenti anno ineunte epistola.

a) Induciis paulo ante initis: quas non multo post hunc annum mors regis *Sigismundi* secuta est.

b) *Pacificatione* seu Transactione *Pragensi*, hoc anno tandem firmata. Ad quam, postquam Saxoniæ Elector fidem Suecis datam ejuraverat, & contra eos arma corripuerat, alii plures Germaniæ Ordines sese adjunxere. Quæ quantopere displicuerint *Grotio*, ex ejus, sub *Justi Asterii* larva, *de hac Pace disquisitione* p. p. Paris. edita, intelligi potest.

c) Cumprimis expugnatio per *Hispanos munimenti Schenckiani:* (*Schenckenschanz*) quod tamen hoc anno, quo epistola scripta est, ineunte, recuperatum est.

d) Tragœdia hæc a *Grotio* conscripta anno 1635. Amstelod. 12ma forma excusa, omniumque applausu excepta est; cujus inscriptionis & tituli ratio quæ fuerit, hoc loco diserte docuit, alioquin vix centesimo cuique ex solo nomine horridiore investiganda. Cur vero Ægyptiacum illud *Josephi* nomen, *Zophnath Paneach*, in horridum illud *Sophompaneas* permutarit, nondum habeo exploratum. Neque etiam in hæc inquirens doctissimus *Aug. Buchnerus* Generosissimo Dn. *Heinrico a Frisen* scrupulum moventi & percontanti se satisfacere haud posse, dissimulavit. Cujus ad eum epist. XXXVI. Part. I. Epistolarum digna est, quæ legatur. *G. J. Vossius* in *Epist. Remonstr.* n. 529. Tragœdiam hanc non sine lacrymis se iterum legisse testatur, atque commotum esse argumento ipso, de certissimis Script. fontibus hausto, & a *Grotio* tam graphice expresso, ait.

e) Commentarius videlicet in hanc epistolam, quem *Joan. Slichtingius* emiserat in lucem, & conjunctim utriusque opera, quod ipse *Slichtingius* in Præfat. testatur, elaboratus est, annoque 1634. primum *Racov.* forma 8va prodierat.

etiam paſtores Reformati, qui hic dicuntur, agnoſcunt. Quæſtio, de qua agit libellus alter, magni eſt ponderis. Ego ſic exiſtimo, non habitus tantum, ſed & actus ſingulos contra Fœderis leges, qui προαίρεσιν * habent, id eſt, cum notitia deliberationem tractumque temporis, tales eſſe, ut de ſtatu adoptionis hominem dejiciant, idque mihi ſacris literis conteſtari videtur & ſenſus & mos puriorum ſæculorum. Neſcio, an videris Richardi Thomſoni a) de Juſtificationis intercisione & amisſione diatribam Lugduni Batavorum quondam editam: certe digna eſt, quæ legatur. Gratum eſt & quod de loco libri mei capite de jure jurando memoras. Dubius hæreo. Pythagoram, qui exactius iſta colligunt, floruiſſe ajunt ſexageſima Olympiade, id eſt, ſub finem Cyri. In Judæa eum fuiſſe, cum Judæis ibi collocutum, Numenius, & Malchus, ſive Porphyrius, Pythagoræ ſectatores ambo, prodidere. b) Addidit Hermippus libro de vita Pythagoræ, ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος· ** & hoc, πολλὰ τῶν παρ' Ἰουδαίων νομίμων εἰς τὴν ἑαυτοῦ μετήνεγκε φιλοσοφίαν. *** Qui autem in Judæis ſint, quorum inſtituta cum Pythagoricis maxime congruant, facile videbit, ſi quis ea, quæ de Eſſenorum c) cœtibus ac diſciplina apud

195

V 3

* Præelectionem, propoſitum.

** Hæc vero fecit & dixit Judæorum & Thracum dogmata imitans.

*** Multa, quæ apud Judæos legibus conſtituta ſunt, in ſuam ipſius philoſophiam transtulit.

a) De libello iſto hominis gente Angli, ſed inter Batavos viventis, anno 1614. circiter in lucem dato, pluribus, non ſine laudum præconio, egit *G. J. Voſſius* in epiſt. ad *Hug. Grotium*, quæ locum 248mum in *Epp. Remonſtrantium* occupat. Cantabrigienſis appellatur in *Elencho Refutat. Torturæ Torti*, quem anno 1671. pro Epiſcopo Elienſi contra M. Becanum edidit.

b) Cum *Judæis* collocutum eſſe pauci ſunt, qui dubitant, at in *Judæa* fuiſſe multi negant, eumque cum iisdem in *Ægypto* forte ac *Babylone* conſuetudinem habuiſſe exiſtimant, atque h. m. hos cum illis teſtimoniis veterum Scriptorum, quorum tamen plerique conjecturis fere aut traditionibus nituntur, conciliandos putant. Contemnendi certe non ſunt Illuſtr. *Gundlingii* in *Hiſt. Philoſoph. Moral.* cap. VII. §. 1. not. l. contra vulgarem famam injecti ſcrupuli; tametſi etiam ex vicinia *Tyrum*, atque hoc ſenſu *Phœnices*, eum adiiſſe credibile ſit. Noſtra parum refert, utcunque ſentias, quia hæc ad illuſtrandam Grotianam obſervationem ſufficere poſſunt; cætera autem ex illis, qui de *Peregrinationibus Pythagoræ* ex inſtituto commentati ſunt, inter quos S. R. *Buddeus* palmam reliquis præripuit, addiſcere licet.

c) Multoties mirati ſumus, quando de *Eſſenis* tam operoſe diſputari, ut hoc loco etiam a *Grotio* factum eſt, & in *Tribæreſii* ſcriptoribus paſſim fit, obſervavimus; cum ſit manifeſtiſſimum, *Eſſenos* illos ſeu *Chaſidæos* non fuiſſe ſectam Judæorum peculiarem, quam etiam ob rem in Hiſt. Evang. N. T. nusquam eorum ſit, hoc nomine, mentio, neque etiam in Talmudiſtarum monimentis illi commemorati leguntur, ſed id genus hominum, quod præ

apud Philonem ſunt, cum ὁμοακοείοις * Pythagoricorum, qualia Malcho, Jamblicho, Hierocli deſcribuntur, contulerit. Nec id inobſervatum Joſepho, qui de Eſſenorum genere agens ait διαίτῃ χρώμενοι τῇ παρ' ἕλλησιν ὑπὸ Πυθαγόρου καταδεδειγμένῃ. ** Video apud eundem Joſephum primam mentionem Eſſenorum fieri ad tempora Jonathæ Aſmonæi, ſed per occaſionem duarum ſectarum, quæ multum eo ſæculo ſe negotiis publicis immiſcuere, Sadducææ & Phariſææ, nullo adjuncto, quod obſervaverim, indicio, unde colligatur non ante extitisſe Eſſenos: quorum ſodalitates ad Rechabitarum, aut etiam Nazaræorum, formatas exemplum non improbabilis mihi videtur conjectura. Certe inter Eſſenorum & Pythagoricorum præcepta, rationemque vivendi tantam reperio ſimilitudinem, ut non facile eam συνεμπτώσει *** aſſignaverim. Cum autem Pythagoras a Perſis, Chaldæis, Brachmanibus multa ſumſerit, illa quoque a Judæis illum hauſiſſe, quam Judæorum partem puriſſimam ad Græci hominis cogitata ſe vertiſſe, 196 credibilius videtur. Sed hæc ſunto arbitraria. Polonos adoleſcentes, quos mihi commendas, & ſi quos alios tibi amicos noverim, non illa communi tantum, ſed & propiore amicitia complectar. Vale, Vir præſtantisſime, & ſi qua in re utiles eſſe poſſumus, operæ noſtræ ne parce. XVIII Febr. cIↄIↄcXXXVI.

XXXIX.

H. GROTIVS M. RVARO.

QVem mihi, commendaſti, Vir doctiſſime ac præſtantisſime, Andreæ Conradi a) filium, ejus conſuetudo ſuavis mihi fuit; feceriſque rem mihi pergratam, ſi ejus probitatis ingeniique juvenes ſæpe ad me allegaveris. Optima enim eſt negotiorum gravium intermisſio,

* Communibus auditoriis.

** Vivendi ratione utentes, apud Græcos a Pythagora inſtituta.

*** Fortuitæ convenientiæ.

cæteris, partim ſectariis, partim impiis & ſceleratis, incorrupta Judæorum republica *eximia quadam ſanctitatis laude* conſpicuum erat. Cujusmodi εὐλαβεῖς appellabantur, hodieque Judæis *Chaſidim* dicuntur. Inter quos, cum etiam Chriſtiani connumerarentur: Qui cum ab initio & diutisſime quidem propter vitæ genus integerrimum pro Judæorum parte meliore haberentur, eaque nomenclatura a cæteris diſtinguerentur, non ſine cauſa factum eſt, ut hi quoque propterea, quod *dono ſanandi* alios pollerent, *Eſſæi* ſeu *Eſſeni*, itemque *Therapeutæ* nuncupari ſolerent. Quæ tamen nomina, poſtquam ſeparata eſt *Chriſtiana* Eccleſia a *Judaica*, paullatim exoleverunt. Hæc nobis videntur Eſſæorum myſteria.

a) Quis ille fuerit, aut quæ filii fata, obſcurum eſt. Nihil enim de utroque adhuc inquirentibus innotuit. *Gedanenſes* fuiſſe probabile eſt.

ſio, ad amœnitatem literarum & prioris ætatis ſtudia ſe recipere interdum, & refoveri amicorum mitibus colloquiis. Libros, quorum mentio eſt in ſecundis tuis literis, non accepi, alioqui, ea, qua inter nos utimur, libertate, me judicii te facturus participem. Velim credas, ſi quid eſt, in quo tibi, aut eis, quos caros habes, poſſim commodare, facturum me id non promto tantum, ſed & gaudente animo. Lutetiæ III Aug. novi Cal. cIↃIↃCXXXVIII.

XL.

197

H. GROTIVS M. RVARO.

POſtquam literas ad te obſignaveram, Vir præſtantiſſime, relatum mihi a librario, Slichtingii librum Meiſnero oppoſitum a) legi. Video ab eo ſtatui, non adulterii tantum, ſed & ſcortationis actum tales eſſe, qui hominem Chriſtianum, ſi ſubito moriatur, a vita æterna ſint excluſuri. Quod cum haud dubie & de aliis delictis æque gravibus ac deliberatis ſentiat, nihil habeo quod contradicam. Verum non modo de ſcortationis, ſed & de adulterii actu aliter ſenſiſſe Socinum, videbar ex ejus ſcriptis didiciſſe. Neſcio an me fallat memoria. Puto perveniſſe jam ad te Clementis Epiſtolam ad Corinthios b) in Anglia editam; de ea quid ſentias, ubi otium tibi erit, diſcere amabo. Vale quam optime.

Sequen-

a) Non alius is fuit, quam *Slichtingianus* ille, in quo *Quæſtiones duæ: Vna, num in Evangelicorum religione dogmata habeantur, quæ vix ullo modo permittant, ut, qui ea amplectitur, nullo in peccato perſeveret? Altera, num in eadem religione quædam concedantur legibus Chriſti inconceſſa?* pertractantur, editus *Racoviæ* anno 1636. 8vo. Cui occaſionem dederat *Balth. Meiſnerus* in *Conſid. Theol. Photin. prout eam Fauſt. Socinus deſcripſit in libello ſuaſorio, cui titulus: Quod Evangelici omnino debeant ſe illorum cœtui adjungere, qui falſo Ariani & Ebionitæ vocentur.* Cum enim cap. I. & II. integris demonſtraſſet *Meiſnerus*, noſtræ Eccleſiæ, ſæpius etiam cum Reformata commixtæ, innocentiam, & contra *Socinianos* varia ex adverſo pericula corrumpendæ pietatis ex ipſorum placitis promanare, oſtendiſſet, has a ſuis depellendas eſſe accuſationes, *Slichtingius* exiſtimavit. Vnde libellus iſte natus eſt. Quem dum laudat *Grotius*, non tamen injuſte *Socinum* contrariæ opinionis, quod ad actus peccatorum quodammodo extenuatos attinet, a Meiſnero inſimulatum eſſe, videtur tueri. Nec injuria etiam id nobis etiamnum videtur factum, cum verba libelli, quem ſibi *Meiſnerus* refutandum ſumſerat, qui hodieque partem operum *Socini* conſtituit cap. I. extremo f. m. opp. *Socini* 694. (a) aperte teſtantia: *Non actus, ſed habitus tantum peccatorum regno cœlorum excludere*, etiamnum legantur. In quem locum forte etiam *Grotius* heic digitum intendit, quando, eum ſibi jam non ſuccurrere, inquit.

b) Editio hæc ex MSto a *Cyrillo Lucari* regi Angl. dono miſſa fuit prima & curante *Patricio Junio* Car. I. R. Britann. Bibliothecario anno 1633. *Oxonii* prodiit.

Sequentem epiſtolam ſine inſcriptionis nomine invenimus; attamen putamus Ruaro inſcriptam fuiſſe.

XLI.

HVGO GROTIVS - - -

GAudeo, Vir clariſſime, me eum tibi credi, qui eſſe primum, deinde & credi laboro, amantem bonorum virorum. Tibi eum eſſe, 198 qui Chriſtianis eſſe debet, in adverſis non levibus animum, gaudeo, proque eo, ut & pro ſuperata magna morbi parte, Deo habeo gratiam, utque id quod deeſt impleat, eum veneror. Tum vero multum debeo, quod cordi tibi fuiſſe pericula mea, quorum illud, quod in itinere adii, magnum ſane fuit, nec minus iis, quæ in calidisſimis præliis adeuntur, oſtendis, quodque me eo juveris officio, quod vel maximum haberi debet, ad Deum precibus. De rebus Poloniæ veſtræ a) perſto in meis, quas video ab aliorum ejus regni peritorum judiciis non abire, conjecturis. Deus malos eventus avertat. Venio ad locum libri mei de belli pacisque jure. In eo video mentem meam aut a me non lucide expreſſam, aut ab aliis non bene intellectam. Vltionis vox ſi rigide ſumitur pro ea, quæ tantum alterius dolore ſe ſatiat, eam interdictam Chriſtianis non dubito, idque apertum feci me ſentire capite quod eſt de Pœnis. Si autem leve aliquid ſit, quod a magiſtratu exſpectandum habeat is, qui me læſit graviter, non vitam auferens, non corpus mutilans, ne patrimonio quidem eum ſpolians, atque ego juſta adductus ratione non videam, quomodo hominis illius inſolentia aliter a malis, aut paribus, aut majoribus, mihi aut alii inferendis, coerceri posſit, puto me non peccaturum, ſi cautione utar, qualem morbus requirit, coactus tamen utar, nec gaudens. At vero eo, quem adducis 199 loco, diſtinguo ulciſci, & arcere, illud ut majus ac gravius, hoc vero ut multo æquius favorabiliusque, & oppoſitionem in Domini noſtri verbis puto eſſe non directam, ſed a majori ad minus. Permiſit Moſis lex etiam ultionem b) a privato exactam, datam ab judice. Ego vero

a) Hæc verba, ut conjicio, cauſa fuere, cur epiſtola videretur editoribus *Ruaro* inſcripta. Alia enim ejus rei ſigna nusquam apparent.

b) Dubito: Compenſationem equidem damni in lege Moſaica, ſecundum proportionem jacturæ, quam læſus aliquis paſſus eſſet, judici, ut procuret, ex officii rationibus, demandatam conſtat; Nusquam vero ultio vel præcepta vel permiſſa cuiquam eſt. Videntur ergo hæc ad novæ legis Chriſti perfectionem, quam *Grotius* mordicus tuebatur, pertinere, invita licet Legum Moſaicarum cum *vindiciis* Chriſti collatarum præſtantia & integritate, omnia additamenta excludente, excogitatam & in *libros de Jure Belli & Pacis* hinc inde etiam infartam.

vero non modo hoc veto (nempe eo, quo jam dixi, ſenſu) ſed & defenſionem contra injuriam non omnem permitto, ſive illa injuria corpus impetat, non tam cum periculo aliquo noſtro, quam cum contemptus ſignificatione, ſive de bonis aliquid imminuat, dummodo ſcilicet non nimis grave ſit hoc aut illud malum, quod ἐν ςιγμῇ * definiri non poteſt, ſed homini patienti ac benigno ipſa lenitas bonitasque ſuggerit. Sic in tunica & pallio intelligo damnum tolerabile, in milliari uno aut altero laborem nobis non exitioſum. Eandemque interpretationem adhibeo ad præceptum non litigandi, & ad præceptum petita non abnuendi; quæ a prioribus diſcreta eſſe, ſed tamen ex eodem bonitatis fonte venientia, non primus ſentio, ſed cum Chriſtianis antiquis, ut puto, omnibus. Quod vero nonnulli poſteriorum illud τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι ** interpretantur, potius quam ut te ulciſcaris, ſane coactum eſt. Ego hoc, nec minus illud, αἰτοῦντί σε δίδου *** per ſe ſumendum arbitror, non autem connectendum cum prohibita ultione. Neque enim rigidus ordo in aphoriſmis talibus exigendus eſt, non magis ſane, quam analyſis in pſalmis. Sic igitur intelligo præcepta illa, ut tacite inſit exceptio, ſive ex ipſo exemplo, puta alapæ, comprehendi 200 facilis, ſive ſupplenda ex æquitate reique natura, ut de jurejurando. Ideoque a) ἀντιςῆναι **** mihi eſt, vim imminentem vi arcere, quod minorem habet mali ſpeciem, quam poſt factum ſe per judicem ulciſci, in quo plerumque eſt animus alterius malo ſemet exſatians. Libanius b) homo paganus, ſed Evangelii non indiligens lector, in oratione de cuſtodia rerum, laudat præceptum de chlamyde aut tunica

X non

* Accurate. ** Qui vult tecum in judicio contendere.
*** Petenti abs te dato. **** Reſiſtere.

a) Bene hæc diſtinguuntur. Aliud profecto eſt, injuriam injuria rependere & ſarcire, aliud vero eandem illatam, quo minus, cum factum fieri infectum nequeat, petulanter continuetur, proſpicere, immo potius de novo inferendam, ut a Paullo, ad Cæſarem provocante, factum, modeſte & prudenter amoliri. Hoc providentiæ eſt etiam Chriſtianæ, illud vindictæ Chriſtianos dedecentis genus. Non male hinc Græcum vocabulum ἀντιςῆναι, nonnulli ex Matth. XXVI, 15. ita explicandum eſſe docuerunt, ut Lat. per *rependere*, Germ. autem per: *mit gleicher Münze bezahlen*, tanto commodius reddendum cenſuerint, quanto frequentius vocabuli ἵςημι uſus in LXX. Interpret. v. g. 1 Reg. XX, 39. & Zach. XI, 12. *ad expendendam pecuniam* adhibetur, atque *Pollux* explanate compoſitum etiam ἀνθίςημι inter eas voces refert, quæ de *pondere* uſurpentur. Vnde non agi h. l. de injuria propulſanda, ſed non inferenda, etiam a laceſſitis, patet.

b) *Sophiſta* Antiochenus, doctus & inprimis eloquens, *Juliani* Imperatoris Apoſtatæ inter alios Præceptor, & Chriſtianorum oſor atque obtrectator acerrimus: cujus hæc oratio in edit. *Morelliana* legitur impreſſa.

non litigandi. Justinus vero Martyr, hæc ipsa, quæ dixi, præcepta explicans, ait, περὶ δὲ τοῦ ἀνεξικάκους εἶναι, καὶ ἀοργήτους ἃ ἔφη ταῦτα ἐστί. * Chrysostomus illud: Petenti dato, explicans ad locum 2 Cor. VIII. ait, ὁ θεὸς τὸ κατὰ δύναμιν ἀπαιτεῖ, καὶ καθ᾽ ὃ ἔχει τις, οὐ καθ᾽ ὃ οὐκ ἔχει, ** addit tamen prudenter, ἐπαιτεῖ μὲν τὸ ὑπὲρ δύναμιν, οὐκ ἀναγκάζει δὲ τούτους ποιῆσαι ταῦτα. *** De alapa vero idem Chrysostomus hunc in modum philosophatur VII. ad Romanos, τοῦτο γὰρ ἡ λαμπρὰ νίκη, τὸ πλεῖον αὐτῷ παρασχεῖν ὧν βούλεται, καὶ τοὺς ὅρους τῆς πονηρᾶς ἐπιθυμίας αὐτοῦ τῇ δαψιλείᾳ τῆς οἰκείας ὑπερβῆναι μακροθυμίας. **** Causam reddit in prima oratione de eversis statuis, ὕβρις οὐκ ἀπὸ τῆς γνώμης τῶν ὑβριζόντων, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς διαθέσεως τῶν πασχόντων ἢ συνίσταται ἢ ἀπόλλυται. ***** Præceptum de vitandis litibus in libro illo explicavi quibusdam Christianorum veterum dictis, quibus addi potest illud ex concilio Carthaginensi quarto, Episcopus nec provocatus de rebus transitoriis litiget. Multa alia adferre possem sanctioris ætatis testimonia, eam, quam cæteris prætuli, interpretationem firmantia. Verum id epistolæ modum excederet: quam claudam repetitis ad Deum pro te & Christianorum universitate precibus, VI Novemb. CIↃIↃCXXXVIII.

201

XLII.

H. GROTIUS M. RUARO.

SVnt interdum, Vir eruditissime, fortunata quædam infortunia, qualia mihi nonnunquam evenerunt, & nunc etiam in libris, quos ad me bis misisti. Nam prior eorum congeries, quæ periisse credebatur, paullo ante hanc secundam ad me pervenerat, ejusque partem alteram retinueram mihi, partem alteram Mercerio a) dederam. Legi omnia: reperi non pauca cum iis, quæ in meos usus observaveram, convenientia: dissidentia ab iis quædam: sed, quod maximi facio, plena

* Hæc sunt, quæ circa tolerantiam malorum & animi lenitatem observavit.

** DEUS exigit, quantum quis præstare potest, & pro eo quod habet, non quod non habet.

*** Exigit quidem, quod supra vires eorum est, non cogit autem illos hæc præstare.

**** Hæc enim est splendida victoria, plus illi concedere, quam ipse velit, & metas malæ illius cupiditatis abundantia propriæ lenitatis superare.

***** Ignominia non a mente eorum, qui ea afficiunt aliquem, sed ab affectu eorum, qui patiuntur illam, aut aliquam aut nullam vim habet.

a) *Nicolao* forte, cui doctissimum *de Epigrammate libellum*, anno 1653. publicatum, debemus. Ejusdem *Mercerii*, ut fautoris caussæ *Remonstrantium*, in epistola *Grotii* ad anonymum quendam fit mentio, quæ inter *Epp. Remonstrant.* n. 542. comparet.

na omnia iis monitis, quæ ad emendandam vitam valent plurimum: cujusmodi ſcriptorum cara hoc ſæculo eſt annona. Miſſa poſterius congeries eorundem librorum jam nunc ad me pervenit, cum uno quem non videram libro, Ethices compendio: a) in quo multa ſunt docta, multa ad vitam utilia. Nimis in quibusdam ἀριστοτελίζει. * Verum hoc ipſum quoque deprehendiſſe, ſed morte præventum emendare nequiſſe, ex præfatione diſco. Iſtius libri alterum exemplum mihi meisque retineo: Mercerio dedi alterum. Cæterorum vero librorum, quos jam videram, exempla dedi, V. N. Theophilo Milleterio, b) qui olim inter Reformatos partium prope dux, nunc dogma 202 de Juſtificatione, & piorum operum ad ſalutem necesſitate, multis libris defendit, invictus adverſus offenſas. Eſt diſcipulus Cameronis. c) Altera exempla miſſorum poſterius librorum dedi D. Corderio d) presby-

* Ariſtotelizat, Ariſtoteli inhæret, eumque imitatur.

a) *Crelliano* puta, quod Ethicæ Chriſtianæ præmiſſum, editumque eſt in lucem per *Petrum Morſcovium* anno 1635. ac deinceps *Bibl. Frr. Polon.* inſertum, Ethices Elementorum titulo præſcripto de novo comparuit.

b) *Mileterius* iſte, qui integro nomine *Theophilus Brachetus de Milletiere* dicebatur, ſenior fuit, non docens, ſed regens, ut vocant, Reform. Eccleſ. Pariſienſis, e communione tandem cœtus ſacri, propter molimina unionis Eccleſiaſticæ, inter Pontificios & Reformatos præpoſtere inſtaurandæ, in *Synodo Carentonienſi* ejectus. Quæ poſt id fatum hominis iſtius fuerit fortuna, qui contra eum, atque inprimis *Conſilium de inſtituenda concordia Chriſtiana*, anno 1636. publicatum, ſcripſerint, *Dallæus* videlicet, *Rivetus* & *Tilenus*, ac denique, quem exitum ea res omnis habuerit, copioſe in *Lexic. Hiſt. Bælius* enarravit; judicium vero de eo & propoſito animi, neſcio, an defœcatum ſatis, tulit ipſe *Grotius* in *Epiſt. Remonſtrant.* n. 541. ed. med. Quem tamen conſilia, qualia ex eo tempore agitavit, haud disſimilia, a *Mileterio* didiciſſe, ſunt, qui ſuſpicantur. Vtut ſit, parum *Mileterius* conſilio iſthoc dato, cujus integer titulus fuit: *Moyen de la paix Chrêtienne en la Reünion des Catholiques & Evangeliques ſur le differens de Religion* &c. profecit.

c) Ad eum certe, tanquam præceptorem, ſemper provocavit *Mileterius*, & ſententiam quoque illius de *univerſali* DEI *gratia* hypothetica, alias tamen ſubinde tricas immiſcendo, ſe tueri, videri voluit.

d) *Cordeſio* potius, quam *Corderio*. Hic enim, qui ſub id tempus clarebat, *Balthaſar Corderius*, ex eorum numero erat, quos raro ſectari moderatam in religione ſententiam conſtat, id eſt, *Soc. Jeſu* addictum. At *Cordeſium* talem, qualem *Grotius* deſcripſit, extitiſſe, multa ſunt, inprimis vero *operum Georgii Caſſandri* editio Pariſ. anno 1616. per eum procurata, quæ addocent. *Canonicum* de reliquo *Lemovicenſem* fuiſſe, & *Grotii* amicorum non poſtremum, ex *Epiſt. Grotianis ad Gallos* perſcriptis luculentisſime apparet. Anno 1642. autem vivere deſiiſſe, ſcriptisque etiam ſuis inclaruiſſe, ex obviis pasſim Biblioth. & Lexicis notisſimum eſt. Mendum, ſive typographicum, ſive a deſcribentibus epiſtolam hanc *Grotii*, *Ruari* filiis, commisſum, jam ante nos in Bibl. ſuæ Hiſt. Tom. I. notavit S. R. Abb. *Fabricius*.

presbytero moderatissimarum in religione sententiarum; cujus cura nobis Hincmari & Cassandri dedit opera. Gratias autem tibi ago pro duplici liberalitate, tam meo, quam aliorum, qui ista acceperunt, nomine. Si quid a me vicissim proficisci poterit, tibi, aut iis, quos amas, carum, semper expositum vobis erit. Deo, quod me duobus, quorum ad vos fama pervenit, periculis eripuit, sicut gratias agere debeo, ita te mihi ea in re esse adjutorem, multum gaudeo. Tetigerunt me vicissim vestra mala: quibus utinam levamenti aliquid per me evenire possit. Quod si opera mea non est ad eam rem quam vellem efficax, preces certe ad Deum pro vobis confido irritas non fore. V. N. Ivanicium a) optimumque Hirtenium amo, ut certe debeo: meque ab ipsis mutuo amari, & credo, & gaudeo, & facio magni. Exigua sunt pro animo, quæ eis exhibui, animi mei testimonia. D. Pelsius b) scio ea est bonitate, ut, si qua in parte solari vestras calamitates possit, non sit id omissurus. XVII Maji, CIↃIↃCXXXIX. Lutetiæ.

203

XLIII.
M. RVARVS ABRAHAMO CALOVIO. c)

QVi meam tibi, Clarissime Vir, eruditionem Rostochii tantopere prædicarunt, ii me vel non satis norunt, vel amicitiæ, quam olim fortasse mecum coluerunt, dum tyrocinium d) studiorum istac in academia ponerem, id dederunt: nam ego nullus dubito, quin si mei visendi gratia, quemadmodum habuisse te scribis constitutum, huc venisses, verum deprehensurus fuisses illud, quod vulgari jactatur hemistichio, *Minuit præsentia famam*. At de humanitate mea, si periculum ejus facere coram voluisses, minus habuisses, ut opinor, cur te falsum

a) Etsi plures fuerunt *Ivanicii*, nobili gente creti Poloni, interque eos *Tobias Ivanicius* Vir clarissimus, in cujus prædio *Volhyniæ* Palatinatus Ivaniz Pastorem aliquandiu egit *Andr. Wissowatius*; non tamen dubitamus, Paullum *Ivanicium* h. l. designari, ad quem *Straszynium*, ubi *Ruarus*, *Gedano* excedere jussus, docebat, pertinuit. Ibidemque & *Hirtenium*, qui p. p. commemoratur, vixisse, verisimillimum est, licet plura de eo, præter nomen, vix cuiquam cognita sint.

b) De *Pelsio* vid. ep. 65.

c) Theologo celeberrimo & hac tempestate in *Acad. Rostoch.* docenti, eodemque etiam anno honores *Doctoris* ibidem adepto, atque paullo post *Prof. Regiom.* Theologiæ extraordinario creato; in quam forte Vniversitatem patriam (erat enim *Morunga Borussus*) nuperrime reversus erat.

d) Inde enim, postquam studiis litterarum primum strenue illic operam navaverat, (conf. epist. 17.) *Altorphium* venit anno 1611. Quando vero eo, ex *Hamburgensi* schola, evolarit, nondum comperire potuimus, & alibi quoque jam de obscuritate hujus circumstantiæ conquesti sumus.

ſum diceres: de qua tamen non eſt, quod ſe quiſquam efferat, cum non tam laudari mereatur, qui virtutem hanc habeat, quam reprehendi, qui non habeat, ut quæ communis vitæ quoddam velut gluten eſt, & ipſo quoque nomine hominem, quo nullum animal πολιτικώτερον, * ad ſui cultum obſtringit. Videris nunc quoque ſpecimen humanitatis interpretaturus, ſi tibi operam in comparandis quibusdam libris, a) quibus tua careat bibliotheca, præſtem. Ego vero non modo lubenter id facio, ſed & jure me quodam ad id faciendum tibi obligatum agnoſco. Cum enim eo te fine libros illos petere ſcribas, quo accuratius religionis noſtræ illiusque fundamentorum cognitionem ex iis 204 haurire poſſis, peccarem & in ipſam ſanctisſimam religionem, & in regiam charitatis legem, ſi tibi, qui & vis (qua pietate es) in iſta inquirere, & ob eruditionem eximiam, ſubactumque judicium optime de illis exiſtimare potes, officium tantillum negarem. Vnum illud ignoſcere te mihi & velim, & æquum puto, quod non omnium, quæ requiris, copiam tibi faciam: Cauſſa hæc eſt, quod nonnulla jam pridem ſint diſtracta, nec usquam amplius promercalia, quod ſciam, habeantur. Vellem te rogare, ut antequam his libris manum admoveas, omnes affectus, qui mentem in inveſtigatione veri præpedire poſſunt, præceptosque animo ſenſus, non quidem Jovi Poſitorio, quod ſenatui ſe Romano ſuaſurum fuiſſe ſapientisſimus Rex Alfonſus ajebat, ſed Jeſu Chriſto, ſub cujus obedientiam b) τὰ νοήματα ἡμῶν, ** debent eſſe αἰχμάλωτα, *** adoleas atque ſacrifices, niſi perſuaſum haberem, illud te ſine me monitore facturum. Non poſſum tamen, quin, ut mu-

* Civilis ſocietatis magis amans. ** Cogitationes noſtræ. *** Captivæ.

a) Pluribus de hac, commercium litterarum cum *Socinianis* inſtituendi, cauſſa jam dictum cap. I. *Hiſt. Crypto-Socin.* animadverſumque eſt, non perinde omnes intra juſtos humanitatis communisque charitatis limites ſubſtitiſſe, ſed quosdam etiam blandiendo & aſſentando iisdem modum excesſiſſe. Illud tamen hinc conſtat, non ex omnis generis conſuetudine hujusmodi, h. e. cum diſſentientibus in religione etiam culta amicitia litteraria, Syncretismum aliquem, ut ſæpe fit a ſuſpicioſis Theologis, colligi poſſe. Quis enim tantum facinus *Abrahamo Calovio* impingat?

b) Bene hæc, ut obſerventur, quis dubitet, moneri? At eam eſſe captivitatem τῶν νοημάτων ὑμῶν, ſub obſequium Chriſti, quando, ſi quid de DEO clarisſimis verbis in ſcriptura affirmatur, v. g. *DEVM eſſe* hominem factum; *ſatius eſſe, quia hæc res ſit abſurda, & ſanæ rationi plane contraria, & in DEVM blaſphema, modum aliquem dicendi comminiſci, quo iſta de DEO dici poſſunt, quam iſta ſimpliciter, uti verba ſonant, intelligere*, (quæ *Smalcii* vox eſt Chriſto obſequioſa,) alii judicent, quibus læva mens non eſt. Turpe ergo eſt Doctori *Ruaro*, cum culpa redarguit ipſum.

tuum tibi reddam, eundem illum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro te rogem, ut Spiritus ſui radiis mentem tuam illuſtret, quo myſteria philoſophiæ Evangelicæ & ipſe penitus perſpicere, & aliis pandere poſſis Vale. Dab. Gedani a. d. VI Cal. Decembr. anno æræ Chriſtianæ cIↄIↄcXXXVII.

205

XLIV.

M. RVARVS ABRAHAMO CALOVIO.

TV vero bonum nomen es, Clariſſime Calovi, qui non tantum ſolvis, quæ debes, ſed & pro iis, quæ requiris, nummos in anteceſſum mittis. Vellem ad manum mihi foret omnis illa merx, quæ deſiderium tuum implere queat. Sed ut inquit poetarum princeps

Παρ' δύναμιν δ' ὀυκ ἔςι καὶ ἐσσύμενον πτολεμίζειν. *

Quicquid autem collatis accepti expenſique tabulis nummorum apud me tibi reſtat, id vel in alios libros, qui forte ex Polonia appellent novi, reſervo, vel, quandocunque juſſeris, tibi remittam. Cæterum quod ais, diligenter in Theologia te noſtra diſcernere ea, quæ affirmamus, ab iis quæ negemus, aut impugnemus, id quam rectiſſime a te fieri, res ipſa ſatis docet: fides enim noſtra non tam in iis conſiſtit, quæ non credimus, quam quæ credimus. a) Quod autem nondum ſatis perſpicias, quomodo capita doctrinæ noſtræ alia ex aliis apta cohæreant, b) non adeo miror, cum & idem in Lutheranorum mihi Theologia uſu veniat, neque diffiteri poſſim, homines eſſe nos hallucinationi obnoxios; quam ut Deus dieſque revelet, nemo nobis magis optat. Nec enim in doctorum noſtrorum verba juravimus, quamvis Dei erga eos gratiam in eorum ſcriptis ſingularem agnoſcamus: & paratos eſſe nos

206

* Vltra vires nemini datur fortiter pugnare.

a) Vtinam addidiſſet: Etſi in *deſtruendis magis* aliorum placitis, divinis licet teſtimoniis ex adverſa parte confirmatis, & operoſius elaboremus, *quam in adſtruendis* noſtræ religionis hypotheſibus. Hanc enim *Socini* aſſeclas methodum ſectari, ſcripta eorum oſtendunt.

b) Cohærent ſane, ut mihi videtur, ſed ita, ut ſi fundamentum & πρῶτον ψεῦδος, *Chriſtum JEſum non eſſe ſummum & æternum DEVM*, ſubtrahas & evertas, totum, ſubtiliſſime licet excogitatum contextumque, ædificium uno ictu corruat. Quam etiam ob rem ſemper mihi viſum, quemadmodum in cæteris quoque Theologicis controverſiis uſu venit, omnium diligentiſſime, ubi cum *Sociniano* homine nobis res eſt, arcem cauſæ ante omnia aggredi nos oportere. Velitationibus enim, ubi receptus ſemper ad primarias illas aſſertiones patet, parum proficitur, & peti id, quod ſit ἐν ἀρχῇ, adverſarios impudenter obvertere ſolere, experientia priſtini ævi, non ſine damno, condocefecit. Dignum profecto eſt argumentum, *de prudentia in diſputando*, quod ex inſtituto excuteretur.

nos ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, * ut Philosophus monet, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ** vel exempla nonnullorum ex nostris ostendunt, qui in explicatione doctrinæ Christianæ, vestigia antecessorum libere nonnunquam deseruerunt. a) Quod si lubebit ea, quæ dissona tibi nostrorum in sententiis videntur, scripto consignata ad me mittere, uti polliceris, lubens id sane videbo; non ideo, ut te virum tam eruditum, quod tu petis, informem, sed ut tuo monitu altius in ea penetrem, quæ fortassis ociosius adhuc transmisi. Cæterum quod in calce litterarum tuarum rogas Deum, ut eo me ducat, quo *captivata ratione sub obsequium fidei*, Theologiæ mysteriis assensum præbere possim, in eo affectum quidem erga me tuum agnosco, deque eo tibi gratias ago: at (quod pace tua dictum sit) minus tamen provide saluti meæ consulere videris. Quid enim misero me fiet, cum rationem habebo vinctam, nec ea in quærenda ad cœlos via uti libere potero? nec enim aliud a Deo naturæ instrumentum b) mihi concessum intelligo, quo post imploratum auxilium divinum verum Sacrarum litterarum sensum, variis aliorum interpretationibus nonnunquam vexatum, vener, vim verborum, itemque antecedentia & consequentia expendam, loca similia conferam, in speciem pugnantia conciliem, quæ ex iis per consequentiam ab aliis eliciuntur examinem, quam rationem rectam atque integram. Sed imposuit, ut opinor, tibi, quæ multis, Germanica Lutheri 207 versio, qui in loco posterioris ad Corinthios epistolæ, ad quem alludis, τὸ νόημα rationem interpretatus est; unde natum est in illius schola

* Vt veritas salva maneat. ** Etiam propria nostra destruere.

a) Quicquid sit de prioribus quibusdam & vagis *Anti-Trinitariis*, posteriores tamen, postquam in systema illa hæresis redacta est, in summa rei, si ab adoratione seu invocatione potius Christi religiosa discedas, & paucos quosdam ad *Arianismum* proclives excipias, satis bene (fateor) plerique, nec sine tenerrimo in Magistrum suum affectu, concordarunt. Si qui vero etiam vehementius in præcipuis capitibus vel disciplinæ contradixerunt, cujusmodi & *Christoph. Ostorodus* fuerat, Vir austerus, duriora quædam eum propterea passum, aut si superfuisset diutius, passurum certe fuisse, non ignotum est.

b) De *instrumento* cognitionis atque illationis, bone Vir, non disceptatur, ubi rationem captivam sub obsequium fidei ducendam esse præcipit Spiritus Sanctus, qui hominibus rationalibus utique & mysteria revelavit; sed de *principio cognoscendi*, & affirmandi vel negandi dogmata sacra fundamento, *magisterio* aut *arbitrio* in his litibus interponendo, sermo est. Cætera, quæ *Ruarus* hoc loco non male subjicit, utrum methodo, veritatem cœlestem agnoscendi & probandi, *Socini* ejusque discipulorum, congruant, ubi ad *singularia* descendendum sit, atque olim fuerat, scripta istius partis *rationes dissentiendi*, quando ad incitas redacti sunt, vel tandem redditæ, & disputationes quæcunque aperte produnt.

la vulgatum axioma: *Rationem ab unoquoque nostrum sub obsequium fidei captivandam.* Atqui rectius Erasmus atque Beza *cogitationem* verterunt: quam Paulus non in se (nec enim eo jam erat opus) sed in aliis captivam se sub obsequium Christi ducere gloriatur: ubi non de cogitationibus, quæ a recta ratione, sed quæ a sensu carnis, aut si ita vis, a ratione, pravis sensibus a) malaque consuetudine imbuta, proficiscuntur, sermonem esse liquet. Vetus Interpres *intellectum* vertit: sed eum Ambrosius, seu quisquis est auctor commentariorum, quæ sub illius nomine veniunt, sic explicat: *Captivat*, inquit, *intellectum, dum contradicentem ratione vincit, & ad fidem Christi, cui prius repugnaverat, humilem & mansuetum inducit.* Quid vero magis, quæso, rationi consentaneum esse queat, quam ut ei nos submittamus totos, quem a Deo ad imperium universi evectum, Regemque regum constitutum, tot illustribus documentis constat, quique se & in hac vita gratia sua nos complexurum, & post mortem beata immortalitate servitium nostrum remuneraturum promisit? Non abdicandam certe nobis rationem in sacræ rei tractatione Petrus Apostolus docet, cum jubet nos τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα * expetere, & Paulus, cum τὴν λατρείαν ἡμῶν ** b) vocat 208 λογικὴν, *** & ipsemet Servator noster Christus, cum apud Marcum inter ea, quæ hominem polluunt, ἀφροσύνην, **** quam Lutherus *unvernunfft* vertit, collocat. Hæc non tui carpendi studio, cujus eruditionem alias plurimum suspicio, sed ea de caussa paulo uberius deducere volui, ut te in illo, quod suscepisse te scribis, instituto, Theologorum dogmata animo a præjudiciis vacuo libere censendi, confirmarem. In quo,

* Rationabile lac, quod est sine dolo. ** Cultum nostrum.
*** Rationalem. **** Stultitiam.

a) Quo pertinet etiam Philosophia, thesibus utique suis adversus mysteria DEI & Christi, altioris nempe res indaginis, insurgens. Ita enim mentem suam Col. II, 8. dilucide *Paullus* explicat. Quocunque ergo te convertas, aut quoquo etiam modo vocabulum νοήματος reddas, nihil profecto aliud, quam *rationis*, per se utique sanæ, *corrupta de rebus fidei judicia* h. l. denotari fatendum erit, & eam proinde, quam Germani *die Vernunfft* vocare solent, *Lutherum* recte in versione substituisse Græcæ voci, nemo, nisi qui nodum in scirpo quærit, negare poterit. Cum præsertim πᾶν νόημα *omnis* intellectus operatio, *apprehendens, judicans & disponens*, obsequio Christi & fidem & vitam nostram sua auctoritate spirituque suo altius, quam ψυχὴ sibi relicta possit, provehentis, subjici atque si refragetur, sub suave hoc captivitatis jugum coerceri jubeatur. Ad reliqua ipse *Calovius* in sequenti epistola respondebit.

b) Ad eundem modum *Smalzius* olim cum b. *Franzio* disputans: *si hoc verum est*, (mysteriis eam fidem derogare, quo magis illorum fulgore quis perstringatur) *frustra* λογικὸς *cultus noster sub novo fœdere appellatus est*, inquit. Quam bene, vid. ad epist. seq. annotata.

quo, ut gratia tibi sua de coelis aspiret, Dominum Jesum supplex rogo. Vale, Vir mihi venerande, & prolixæ scriptioni ignosce. Dab. Gedani.

XLV.
ABRAHAMVS CALOVIVS M. RVARO.

POstquam te reducem accepi, Clarissime Ruare, literis tuis respondendum duxi. Principio vero gratias habeo maximas pro librorum plerorumque transmissione, quos accepi: simulque omnem offero animi promtitudinem.

Fateor sane, veteres a) illos scriptores plerosque sententiis non parum variare a vestra doctrina, utut sæpe a nonnullis cum vestris scriptoribus confundantur: & ut ita credam, faciunt non minus nostrorum hominum, quam etiam vestratium allegationes, ubi de illis quidpiam adducitur, aut judicium fertur. Si tamen vel abs Claritate tua de istis uberius informari possem, & quo loco haberi debeant, edoceri, vel 209 nonnullos ex istis opera illius impetrarem, id tanto melius cognoscendi gratia, longe foret gratissimum. Vt enim nihil mihi prius, nihil antiquius est (absit jactantia verbo) candore & veritatis studio: ita necessarium omnino arbitror, ut ista omnia evolvam quam diligentissime, ne vel in minimis aliorum oculis videre videar, priusquam de scriptoribus illis, eorumque sententia communi an propria, quicquam statuam vel definiam.

Nimirum judicium de vestra sententia ferri non posse intelligo, nisi universa salutis ratio b) probe attendatur, quam vos proponitis, & disputationes vestræ accurate atque logice resolvantur: in quibus

Y inter-

a) Non dubito, ad eos heic digitum intendi, qui ante *Faustum Socinum* aliquid monumentis litterarum comprehensum in publicam lucem dederunt, & *Socino* tam in *Polonia*, quam extra eam, viam quasi straverunt, inde a *Serveto* usque ad *Andr. Dudithium*, quem proximo ante *Faustum* loco in Bibliotheca sua posuit *Sandius*. Horum enim scripta in typographeis haud raro privatis, quorum hinc inde etiam mentionem fecit *Sandius*, excusa, aut sumtibus Procerum Polonicorum impressa, & inter amicos distracta, vel clam denique bonam partem evulgata, jam tunc rarissima erant, hodie vero nigro propemodum cygno, si inveniantur, simillima habentur; nisi quod in Belgio frequentius & *Andr. Fricii Modrevii* quædam interdum, at rariuscule tamen apud nos etiam, compareant.

b) Intelligit, ut arbitror, *Calovius*, *salutis*, seu gratiæ in hac militante Ecclesia dispensandæ, *Oeconomiam*, quæ *Paulli* nomenclatura Eph. III, 2. ita dicta est peregregie, ac forte etiam haud incommode *systema fidei* appellari posset. Quod ut innuat, non esse male cohærentem opinionum variarum congeriem, sed σύνταγμα aureis quasi veritatis sacræ articulis veluti annulis apte connexis constans, omnia ad ἀναλογίαν fidei revocari Rom. XII. jubet.

interdum difficultas latere videtur, cæterum ſi accurate loca examinentur, facile evaneſcit. Id tamen nondum adſequor in veſtra ſententia, quid de ſempiternis cruciatibus impiorum infernalibus ſtatuendum ſit; utrum nimirum impii a mortuis reſuſcitati ſint cruciatibus nunquam finiendis in æternum excruciandi, nec ne? Pro negante enim ſententia video urgeri poſſe ex veſtra ſententia, quod nulla ſit proportio inter peccatorum actus ſive habitus temporales, & cruciatus animæ & corporis ſempiternos; quodque proinde a juſtitia divina, omnis recti & æqui norma, id ipſum alienum eſſe videatur: nec quicquam certe definitum a) reperio, ut hactenus quidem legi veſtrorum ſcripta, quid ſtatuendum ſit. Sed & de reſuſcitatione impiorum 210 ambigue interdum veſtri autores loquuntur: ut nonnunquam arbitrer, eosdem annihilationem eorundem credere, vel certe poſt reſuſcitationem annihilatum iri reprobos potius, quam ſempiternis cruciatibus ſubjiciendos eſſe. Ita, cum perpetua diſſolutio animæ & corporis homini naturalis adſcribitur a Socino libro contra Puccium, & neceſſaria eadem ſtatuitur facta per transgresſionem Adæ, nec vero liberentur ab hac necesſitate, præterquam fideles & pii a Christo ſecundum ejusdem ſententiam, utique concludendum videtur impios ab ea non liberari, b) adeoque perpetuæ diſſolutioni obnoxios eſſe, nec unquam in vitam revocari. Præterea cum reſuſcitandis corpora ſpiritualia parari ſtatuat, nimirum fidelibus, quomodo reſuſcitabuntur infide-

a) Nemo enim *Socinianorum* aperte ac diſerte aliquid ea de re ſtatuit atque definivit, uno *Sonero* excepto; de cujus libello huc pertinente, & invito haud dubie auctore typis ſubjecto Belgicis, alibi jam actum eſt. Cæteri *Sociniani deſituros* eſſe ac *deſtruendos*, immo etiam *abolendos* impios quando docent, reliqua, quæ ad circumſtantias attinent, in medio ut plurimum relinquunt.

b) Eadem de occultatione doctrinæ hujus, exoſæ non minus, nec injuria, omnibus, quam offendiculi plenæ, conqueſtus eſt *Jeremias Felbinger*, Vir ambiguæ cæteroquin & fortunæ & fidei in *Epiſt.* ad *Chriſtianos* ed. Amſtel. anno 1672. 4to f. 26. ſeqq. Ita tamen, ut ex *Actis Colloquii Racov.* anno 1607. inſtituti, cujus & *Sandius*, *Bibl. Antitrin.* f. 175. meminit, & ſcriptorem eorum *Matth. Radecium* fuiſſe conjicit, non obſcure colligi poſſe oſtendat, ad negantem ſententiam inclinaſſe, qui congreſſui illi interfuerant non poſtremi ordinis fratres. In quam ſententiam etiam *Socinum* ipſum concesſiſſe, poſtquam in epiſt. notisſima ad *Volkelium* Tom. I. Opp. f. 455. multum tergiverſatus erat, dubium non eſt. Quanquam vero alii ſilentio totam hanc diſputationem prætermittere maluerunt, quam vel tangere aut aliquid certi definire; Fuerunt tamen etiam, interque hos cumprimis *Slichtingius*, qui veritatem reſurrectionis hominum utriusque generis, tam luculentis Script. S. aſſertis teſtatam, profiteri non dubitarunt. Quibus & *Ruarus* in Reſp. proxima ſe accedere palam pronunciavit.

infideles? an hoc mortali corpore, quod hic habuerunt, an vero corpore ſpirituali & immortali? ſi iſtud, quomodo in æternum vivent in gehenna? & quæ cauſa hujus diverſitatis, quod fideles alio quam proprio corpore præmia, infideles vero proprio ſuo corpore ſupplicia percepturi ſint? ſi vero hoc, ergo in gloria reſurgent infideles? quod abſonum vobis erit. Porro, quum, alias pœnas primum peccatum attuliſſe, neget Socinus, quam mortis perpetuæ necesſitatem, utique non poteſt ex ejus ſententia ſtatui, ſempiternos cruciatus idem adduxiſſe. Inſuper, quid de gentilibus dicendum? quos fide in Chriſtum deſtitui conſtat, qua gentiles erant: ideoque omnes erunt ſempiternis cruciatibus nuncupandi: quod, num ex ſententia Socini ſtatuendum ſit, ambigo. 211 Servari eos æternum non videtur dicendum, quum nemo ſervetur æternum, niſi per fidem in Chriſtum. Veruntamen, ut adverto, Socinum tract. de fundam. fidei id adſerere, quod fundamentum fidei in homine ſit, quodque is, qui rationi adhærere conſtituerit, facile credat, & porro fidem juſtificantem conſequatur, non omnino fidem juſtificantem gentilibus derogari poſſe, concludendum arbitror. Et quum fides illa nihil aliud ſit, quam obſervantia mandatorum Dei, a) quidni poſſet ea cadere in gentiles, qui natura Deum eſſe norunt, vel certe ex opificio mundi hominisque conſideratione id colligunt (uti confirmat Joh. Crellius libro de Deo & attributis divinis, hac in parte diſſentiens a Socini prælectionibus Theologicis cap. II.) quosque ſæpe virtutis ſtudioſisſimos fuiſſe conſtat? An ideo a ſalute excludendi, ſempiternisque cruciatibus mancipandi, quod ea non obſervarunt Dei præcepta, quæ ipſi penitus ignorarunt, quæque nunquam iis revelata ſunt, tametſi ea, quæ ex inſito diſcrimine juſti & injuſti cognoverunt, ſanctisſime obſervarint? Quid vero de infantibus tandem ſtatuendum, qui ſecundum Socinum fide deſtituuntur? Num illi quoque ſive ex gentilibus, ſive ex Chriſtianis prognati ſint parentibus, ſi in infantili decedant ætate, ſalutis æternæ extorres ſempiternis obnoxii erunt cruciatibus? nam aut ſine fide eos æternum ſalvari

a) Neſcio, an ſatis plene fidei Socinianæ deſcriptio hæc repetita ſit; quos non ſolam obedientiam mandatorum DEI, ſed Chriſti inprimis, & intuitu quidem promisſionum *vitæ æternæ*, hac via obtinendæ, præſtitam requirere conſtat. Qua de re quando interdum accuſantur a noſtris, non injuſte eos injuriam ſibi inferri, puto, conqueri poſſe, & integram potius definitionem repetendam, ne calumniis pugnare nos velle clamitent adverſarii, ſatius eſſe arbitror. Vtut ſit: ex *Ruari* tamen reſponſione hac quoque in parte liberales eſſe *Socini* aſſeclas, perinde ut *Remonſtrantes* pleroſque edocebimur.

212 vari dicendum: aut ſi non ſalvantur, æternis cruciatibus torquendi erunt: tertium enim non datur: cum limbus puerorum, quem papiſtæ commenti ſunt, a Socino quoque exploſus ſit. Quid quod naſcantur ſecundum Socinum rei perpetuæ mortis a) ob originem, quam ab Adamo habent? Proinde niſi reatus ille tollatur (quo autem modo tolletur, cum fide deſtituantur?) quomodo æternum ſalvari poſſunt? De his ergo in præſens tuum appello judicium, Ruare clariſſime, ut quid ex mente Socini vel propria ſtatuendum ediſſeras, meque certiorem reddas melioris veritatis inveſtigandæ gratia. Quod ubi impetravero, magno me affectum beneficio profitebor, & in veritate indaganda atque confirmanda felicius fortasſis progredi potero: cujus cauſſa unice ago quicquid ago. Tandem quod minus provide me ſaluti tuæ conſulere ſcribis, dum Deum rogo, ut eo te ducat, quo captivata ratione ſub obſequium fidei Theologiæ myſteriis aſſenſum præbere poſſis, eo ipſe ſaluti tuæ deeſſe velle videris. Nam quod Apoſtolus omnino id requirat 2 Cor. X, 5. ut πᾶν νόημα, omnes conceptus, omnesque adeo ratiocinationes ſubdamus fidei obſequio, id quod unice tibi precabar (nec enim ratio alio modo captivari poteſt, quam ratiocinationibus quibuscunque rationis, quas ipſa ſibi relicta pariat, obſequio fidei ſubditis) negari non poteſt. Dices autem eorum νόημα captivandum, qui non recta ratione reguntur, ſed ſenſu carnis ducuntur, aut a ratione pravis ſenſibus malaque conſuetudine imbuta abripiuntur. At non vides, quod hoc ipſum tibi precer, ne deinceps rationi pravis ſenſibus corruptæ indulgeas; ſed Spiritus ſancti virtute πᾶν νόημα, * quod ſeſe erigit b) adverſus Chriſtum & fidei myſteria, ſubjungas. Quanquam vero arbitraris fortaſſis, de te id præſumendum non eſſe, quod ſenſu carnis ducaris. Nec ideo id præſumo, quia, ne id fiat, precor: & utut præſumerem, non fortasſis tamen peccarem vel

213 (marginal number at "tur, aut a ratione")

* Omnem cogitationem.

a) Valde dubito, ita *Socinum* docuiſſe; quem gratiæ potius non fœderali, ſed ſingulari divinæ eos, ut cæteræ ejus hypotheſes poſtulant, reliquiſſe arbitror. Vnde facile quoque, quid de *reatu* illo infantum ſtatuerit idem choragus infauſti cœtus S. Trinitatis myſterio adverſi, exiſtimari poteſt. Ac proin plus juſto in his ſubſternendis, ut dubia mota tanto firmiora viderentur, liberalem fuiſſe, opinor.

b) Recte: Huc enim ſcopus *Paulli* reſpicit, & ipſa quoque *captivitas* illa, ad inimici & refragantis myſteriis divinis νοήματος conatus reprimendos ſpectans, non alium ſenſum admittit: quocunque de reliquo ipſum illud νοήματος vocabulum, *ratiocinationis* notioni h.l. optime omnium conveniens, reddas. Vnde ſimul, quam inutiles fuerint ſuperioris epiſtolæ, de voce hac commodius vertenda, tricæ *Ruari*, liquet.

vel ea ſaltem de cauſa, quod nemo hominum ita ſecundum ſpiritum vivat, dum adhuc eſt in hac infirmitate conſtitutus præſentis vitæ, ut non aliquando in ipſo caro adverſetur ſpiritui. Non eſt homo, qui non peccet: & quis dabit mundum de immundo? vel quis absque mendacio profitebitur ſe peccatum non habere? quis vero non potius conquereretur, quod mente ſerviat legi Dei, carne vero legi peccati, tametſi cum Apoſtolo gratias etiam agat Deo, quod ſit in Chriſto Jeſu? Quid quod non tantum ſenſus carnis, ſed etiam præcepti rationis corruptæ ſenſus ſæpe ſeſe erigant adverſus ſalutarem Dei cognitionem? Hos ergo ut ſubdamus obſequio Chriſti, cum ſanctisſimis etiam quibusdam non immerito precamur. Nec vero rationem ſanam atque integram ab indagatione veri ſenſus S. literarum excludo: ſed ultro profiteor, neque vim verborum, neque antecedentia & conſequentia expendi poſſe, neque loca ſimilia conferri, aut ea, quæ in ſpeciem pugnantia ſunt, conciliari, aut quæ ex iis per conſequentiam eliciuntur, 214 conſtare poſſe ei, qui recta atque integra ratione deſtituatur. Sed ut integra rectaque ratione nobis eſſe liceat in ſcrutinio S. literarum, præſertim quoad viam ſalutis, neve illa vel a præconceptis opinionibus, vel a naturæ ad errores veritati præferendos proclivitate abripiatur, id piis precibus a Deo impetrandum erit. Quum enim animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ea pro ſtultitia habeat, & τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, * hoc eſt, id quod præſtantisſimum in ea eſt, inimicitia adverſus Deum ſit, legique Dei ſubjici non posſit, quis non opus habebit Spiritus ſancti gratia ad intelligendum & credendum a) myſteria fidei, qui ſaltem agnoſcit, ſeſe non omnino carnis expertem eſſe, nec adhucdum prorſus ſpiritualem eſſe, ſed hanc perfectionem demum in beatiori exſpectat vita? Rationem autem ut abdicandam b) prorſus

* Prudentia carnis.

a) Poſtquam nimirum jam revelata ſunt. Neque enim Apoſtolus l.c. de *patefactione*, immo ne quidem de perceptione qualicunque, *ſed* verbis Spirit. S. jam expoſitorum, quantum ad rem ipſam myſteriorum δοχῇ & διακρίσει h. e. *approbatione & aſſenſu* loquitur. Huic certe temerarium illud, quod *ſtultitia* ſint, *judicium* oppoſitum eſt.

b) Hoc eſt, *abjiciendam;* prout *organon* veritatis revelatæ *ſpiritualiter* quidem; ſed tamen a *mente* hominis vivide apprehendendæ & dijudicandæ denotat, atque *divina luce* divinisque ſupernaturalibus viribus *inſtructum* eſt & manet, dum vivimus & facultate hac cogitante, ut δι' ἐσόπτρου videamus, utimur. Chriſtus profecto, quæ divinitus nobis patefacta ſunt, ipſe νοεῖν jubet. Immo nec omnia *principia materialia*, quæ vocant, hoc eſt, Theſes, axiomata, aſſerta, placitaque rationis philoſophica rejicienda putamus, dummodo juſtos limites *ſphæramque rerum naturalium* & creatarum non tranſiliant, DEOque,

prorſus in ſacræ rei tractatione contendam, abſit. Quanquam id iis Scripturæ dictis non obtineri poſſe perſuaſiſſimus ſim, quæ a tua Claritate adducta ſunt. Nam τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα * Petri, de lacte ſincero ſermonis ſeu verbi Dei, quo nutrimur, & ex quo renati ſumus, exponi poſſe conſtat. Non ergo ille ſenſus eſt neceſſarius, (ut veſtri homines concludere ſolent) quem intendit tua Claritas. Imo pro ſuperiori ſententia argumenta non contemnenda adduci poſſent, quam etiam Syrus interpres ſecutus eſt. Et res ipſa loquitur, non rationis, ſed ſer-
215 monis Dei virtute nos in virum perfectum creſcere & evadere: quod & alibi Paulus docet. Illa vero λογικὴ λατρεία, ** quam Paulus a nobis requirit, ab Origene accipitur de cultu, cujus ratio conſtat: qualis non erat in Veteri Teſtamento. Sed ab aliis rectius vel per ſpiritualem a) cultum explicatur, quod ſub veteri Teſtamento hoſtiæ cum ceremoniis carnalibus offerrentur; vel cultus rationalis dicitur, quia homo ratione conſtat, qui ſeſe ipſe Deo conſecrat: ſecus atque ſacrificia Veteris Teſtamenti, quæ ἄλογα $*^{*}*$ erant. Ἀφροσύνην $*^{**}*$ denique hominem polluere, non nego. Sed non ideo ratio intelligit fidei myſteria, quia ἀφροσύνη hominem polluit: imo illa rationi extra Spiritus ſancti gratiam mera ſunt ſtultitia: quomodo Chriſtus crucifixus Græcis etiam ſapientiſſimis quibusvis, & principibus hujus ſeculi ſtultitia videbatur, teſte Apoſtolo. Sed eſto, nos nutriendos eſſe lacte rationali: an ideo ratio extra Spiritus S. gratiam aſſequitur fidei myſteria, vel an ideo ratiocinationes adverſus Verbum Dei directæ b) audi-

* Rationabile lac, quod eſt ſine dolo. ** Cultus rationalis.
$*^{*}*$ Irrationabilia. $*^{**}*$ Stultitiam.

qui, teſte *Paullo*, & eſt & facere poteſt ὑπὲρ πάντα, ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν, vela ſubmittant, affirmantique ſublimiora de ſe *infinito* Enti, finitarum quippe rerum ambitu comprehenſa & circumſcripta cedant.

a) Ita vero *Paullus* appellaſſet ſine dubio, ex more ſolito, πνευματικήν. Malunt hinc plerique noſtratium hunc quoque locum, perinde uti priorem 1 Petr. II, 2. ſeq. (ubi ſenſus ille ex occaſione & ſcopo luculentisſimus eſt) de *cultu ſecundum verbum DEI inſtituto*, *verboque divino*, etiam *Evangelico* congruo interpretari. Quæ explicatio etiam tanto magis Apoſtoli propoſito heic eſt conſentanea, quo clariora ſunt ejus rei, in ipſo *tranſitu* ad præcepta morum, & ſub initium cap. XII. ad Rom. deductas, ex *allegatis* cap. XI. *Scripturæ Sacræ locis concluſiones* indicia, ita ut formatorum ex *verbo Evangelico* ſuperioribus capitibus maſcule propugnato, nominatim de *Gratia DEI*, ſine merito noſtro profluentium conſectariorum vinculum, in primo ſtatim commate per particulam οὖν obtutui lectoris exponatur.

b) *Arbitrium* præſertim in diſputationibus, non tam de verbis, quibus myſteria proponuntur, quam de rebus ipſis: approbarine debeant, an rejici? depoſcentes, & verba hinc etiam luculentiſſima in ſenſum alienum prorſus detorquentes. De eo

audiendæ erunt? Esto, cultum nostrum rationalem esse: an ideo in mysteriis Verbi divini rite percipiendis ratio haudquaquam indigebit illustratione Spiritus sancti? Cultum Dei rationi etiam rectæ quadantenus innotescere, non diffiteor. At de fide in Christum ratio nihil novit, eaque unice est opus Dei, qui mentes aperit, donatque nobis, ut in Christum credamus. Sed hæc in præsentiarum persequi nolo, nec si vellem, ob occupationes possum. Si tamen de his per literas con- 216 ferre libuerit, prolixius mentem meam & fundamenta exponam: quæ si diluentur solide, ilico in vestram sententiam, quoad hoc dogma, concedam. Quod superest, Deum rogo, ut is tibi mihique det spiritum sapientiæ & revelationis in cognitione ipsius, & illuminationem oculorum mentis nostræ, per & propter Jesum Christum. Amen. Regiomonti, cIↄIↄcxxxviii.

XLVI.
M. RVARVS A. CALOVIO.

QVod pro vulgari officio tantas mihi gratias agis, Clarissime D. Calovi, id tuæ magis humanitati, quam merito meo tribuo. Facit tamen ista tua superflua humanitas, ut de libris, quos adhuc requiris, tanto tibi lubentius gratificari vellem, si modo mea foret illud in manu. Sed vetus dictum est, supra vires neminem obligari. Video enim in indice librorum a te mihi transmisso, nonnullorum quoque titulos, qui mihi nunquam visi sunt, nonnullorum, qui nunquam in lucem prodierunt, addo de nonnullis me ne fando quidem inaudivisse. Itaque meum de iis judicium frustra desideras. Quin & de illis, quorum scripta vidi atque legi, trepide sententiam dico: quis enim ego sum, ut judicem alienum servum, qui Domino suo vel stat vel cadit? Ne tamen petitioni tuæ prorsus desim, proferam de nonnullis quid videa- 217 tur, sed breviter, sed velut ἐν παρόδῳ. * De Serveto, a) cujus nonnulla

* In transitu.

enim disceptatur, eamque potestatem *Paullus* loco citato ad *Corinthios* rationi, talia sibi arroganti, abjudicat.

a) Non est, cur de *Arragone* isthoc, *Michaele Serveto*, arrogantissimo homine, pervicacissimo certe errone, ejusque fatis ad supplicium usque, quod passus est, igne combustus Genevæ anno 1553., multa hoc loco repetamus: quæ nuper admodum a S. Rev. D. *Moshemio* fuerunt copiosissime exposita. Vbi & de libris ab eodem sparsis distincte jam actum est. Hoc tamen non possumus, quin brevibus moneamus, librum illum, cujus heic meminit *Ruarus*, non alium esse, quam de *Erroribus Trinitatis* omnium famosissimum, non *Basileæ*, ut *Sandius* inquit, sed *Hagenoæ* anno 1531. 8va forma excusum, in quo operosissime mysterium Trinitatis oppugnavit. Reliquos enim rarissime olim videas commemorari; neque etiam multum eos curasse *Ruarum* cum suis, haud pauca sunt, quæ

nulla ab amico a) commodato ſumpta, qui ea Norimbergæ in foro ſcrutario emerat, ante plus quam XX annos obiter percurri, accedo judicio Philippi Melanchtonis, qui ſcribit in epiſtola ad Camerarium, b) habere eum confuſas imaginationes, nec ſatis explicatas earum rerum, quas agitat, cogitationes: quantum tamen intelligere potui, a nobis in quamplurimis diſſentit. Dietrichus Dorſchius, qui idem & Nathanael Ælianus Matthania, atque etiam Matthias Glirius c) de regno Chriſti plane Judaizat, ut qui non aliud illi quam terrenum tribuat, per annos aliquando mille in Palæſtina gerendum: interea temporis eum ab omni rerum noſtrarum cura abſolvit. Glirii veſtigia ſecuti ſunt Jacobus Palæologus, d) Franciſcus Davidis, e) & Joannes

demonſtrent. Sententia *Serveti* quæ fuerit, non ſatis explanate utique propoſita, non compendioſius dici poſſe, quam ſi *Paullum Samoſatenum* eum eſſe ſequutum exiſtimes, qui ad *ideam de Meſſia* ab æterno in DEO formatam, JEſum illum, hominem de reliquo merum, ſed officio Meſſiæ præditum, apparuiſſe docuit, jam alibi obſervavimus. Cætera in præſenti omittimus.

a) Amicus ille non alius fuit, quam dilectiſſimus, ſub id tempus, nec poſtea etiam deſertus omnino, *Joach. Peuſchelius*; qui ſe libellum illum in porticu templi Dominicanorum inter libros vetuſtiores venum expoſitos, *auf einem Hingebens*, ut *Noribergæ* vulgo loquuntur, vili pretio redemiſſe publice faſſus eſt: cujus circumſtantiæ neſcimus, an ſupra ſit mentio facta.

b) Verba ejus in Tom. Epiſt. ad *Joach. Camerarium* ſcriptarum typis Voegelinianis anno 1569. excuſ. ad annum 1533. f. 200. hæc ſunt. *De Serveto rogas, quid ſentiam. Ego vero video ſatis acutum ac vafrum in diſputando, ſed plane gravitatem ei non tribuo. Et habet, ut mihi videtur, confuſas imaginationes, nec ſatis explicatas earum rerum, quas agitat, cogitationes. De juſtificatione manifeſte delirat.* Περὶ τῆς τριάδος, *ſcis me ſemper veritum eſſe, fore ut hæc aliquando erumperent. Bone DEVS, quales tragœdias excitabit hæc quæſtio ad poſteros,* εἰ ἔστιν ὑπόστασις ὁ λόγος; εἰ ἔστιν ὑπόστασις τὸ πνεῦμα. *Ego me refero ad illas ſcripturæ voces, quæ jubent invocare Chriſtum, quod eſt ei honorem divinitatis tribuere, & plenum conſolationis eſt.* Τὰς δὲ ἰδέας τῶν ὑποστάσεων καὶ διαφορὰς ἀκριβῶς ζητεῖν οὐ πάνυ συμφέρει &c. Repetere hæc nobis viſum eſt ideo, ut, quæ fuerit *Philippi* in hiſce diſputationibus prudentia, cognoſci poſſit. De cæteris enim heic non eſt fuſius differendi locus.

c) Quis ille fuerit, nobisque videatur fuiſſe, noſtram in *Crypto-Socin. Hiſtoria* mentem & conjecturam expoſuimus. Quibus nihil nunc addimus, quam eundem *Theodorum Dorſchium* & *Nathanaelem Ælianum Matthaniam* dici voluiſſe, ideo quod partim *Matthiæ* prænomini hæc reſponderent, partim Germ. cognomen *Vehe* utcunque exprimerent. Librum autem, quem de *Regno Chriſti* publicaſſe, Germanica lingua anno 1578. ferunt, nunquam vidimus, atque hinc etiam, quo pacto Judæis propius acceſſerit, non audemus diſtinctius definire.

d) De eo quoque nonnihil ſuperius adductum eſt conjecturarum, a quibus nondum diſcedimus omnino, ſed, *Jacobum Suterum* ſub hoc nomine latere, etiamnum ſuſpicamur.

e) Neque is incognitus eſt Transſylvaniæ infelix hoſpes, ex ſententia, de invocatione Chriſti negata, & lugubri vitæ exitu, alibi paullo diligentius enarratis.

Joannes Sommerus a) in ſcriptis poſterioribus, itemque Chriſtianus Francus. b) Valentinus Gentilis tres in divinis eſſentias diſtinctas agnovit: quem Georgius c) Pauli in quodam ſcripto imitatus videtur, ſententia non multum diſſona ab ea, quam in Patribus, qui ante Concilium Nicænum vixerunt, legere eſt. Ochinus in ſuis dialogis varius eſt, & academico more diſputat, ut interdum neſcias, magisne interrogantis an reſpondentis cauſam agat. Martinus Czechovicius de Deo atque Chriſto nobiscum, de Baptismo cum Mennonitis, in cæteris, ni fallor, cum Calvini ſchola ſenſit. Fricius inter Evangelicos, quos vocant, atque Pontificios medium ſe geſſerat in libris de 218 emendanda Republica, idem inter Trinitatis Athanaſianæ d) profeſſores atque noſtros facit in Sylvis e) ſuis. Quæ Proſperi Diſydæi f) nomine prodierunt, ex Socini libro de Servatore decerpta ſunt.

Si quæ fortasſis extant effata noſtrorum de ſtatu impiorum poſt ultimum judicium, quæ ſiniſtrum in ſenſum trahi posſint, ea non ſtatim ſingulis noſtrum imputanda, nec ad ea defendenda magis cogor, quam ſacrarum me literarum illis aſtringit auctoritas. Video tamen eos, quoties hac de re ſermo incidit, phraſin fere ſacrarum literarum retinuiſſe; eoque vix quicquam illis objici poſſe, quod non idem & his.

a) De *Sommero* hoc vix alia innotuerunt, quam quæ ſunt a *Sandio* & *Lauterbachio* annotata. Cætera enim alias commemorata h. l. repetere nihil attinet.

b) Hujus Gardelebienſis Palæomarchici fatum & vita & religionis genus in vitis Philoſophorum Altorphin. deſcriptum conſervatur.

c) Non Georgius, ſed *Gregorius* dictus eſt. Vita autem & fata, uti & cæterorum, a *Sandio* atque *Lauterbachio*, cum quibus *Lubieniecius* conferri poteſt, enarrata ſunt diligentisſime.

d) Ita petulanter *Ruarus* S. Trinit. myſterium appellat, quod ab *Athanaſio* potisſimum, poſtquam in concilio *Nicæno* confirmatum erat, expolitum, ejusque Symbolo deinde comprehenſum eſſe, pesſime cum ſociis fingit.

e) *Andr. Fricii* hujus, cognomento *Modrevii*, ſupra in *Hiſt. Crypto-Soc.* cap. II. facta eſt mentio. Inter libros hæ *Sylvæ* inprimis clarent, Baſileæ anno 1590. in lucem publicam datæ, & juſſu R. *Auguſti* ad conciliationem *diſſidentium* in Polonia adornatæ. De cæteris ad auctoris fata pertinentibus, poſtquam ab *Eraſmo Otvinio* in *Heroibus Chriſtianis* breviter ſunt deſcripta, *Bælius* in Dictionar. compendioſe egit, & *Sandius* ſatis copioſe etiam expoſuit. Cum quibus *Tenzelii Curioſ. Bibl. Repoſit. III.* f. 670. conferatur, ac de reliquo nec *Ruarum* inter Anti-Trinitarios eum referre auſum non eſſe, ſed mediis inter diſputantes, de hoc argumento, connumerare notetur.

f) Rectius *Dyſidæi.* Hoc eodem enim nomine ex Italico *Sozzo*, quod putidum quid & male olens denotat, formato & conficto, alii quoque libelli *Socini* prodierunt, nominatim *Diſputatio* illa cum *Jo. Niemejovio* ſuper loco *Paulli* Apoſtoli in Ep. ad Rom. cap. VII. anno 1583. primum excuſa. Quæ jam *Fauſtum Socinum* aperte præfert auctorem in *Operum Tom. I.* p. 86. ſeq.

Si meam tamen de re tam difficili ſententiam nominatim requiris, non nego cum plurimis aliis, quos forte conſului, me potius cenſere, non eos modo, qui cum pietate vitam egerunt, ſed & impios atque ſceleratos, ad audiendam ſupremi judicis ſententiam, a morte ſuſcitatum iri; & ut illi cœli gaudiis in æternum fruentur, ita hos igni inextinguibili, quo & mundus ipſe conflagrabit, a) cruciandos, ſervata tamen pro ratione delinquentium juſta ſupplicii proportione. Qualibus in corporibus ſupplicium ipſi laturi ſint, de eo minus laboro, cum ſciam recte alicubi a Scaligero dictum,

Neſcire velle, quæ magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

219 Idem & de gentilium, qui ſecundum naturæ legem vixerunt, deque infantium, qui per ætatem nihil delinquere potuerunt, in altero ſæculo ſtatu dicendum cenſeo; ut de quorum ſalute aut interitu nihil itidem in myſticis litteris expreſſe conſtitutum video. Si rationis judicio alterutrum eligendum eſſet, magis utique naturæ divinæ illiusque clementiæ conſentaneum agnoſco, ut vel ſine fide certa ſervet eos, qui aut nihil ipſi mali, aut tantum etiam boni, quantum valuerunt, egerunt, quam ut innocentes b) ſine culpa ad æternos cruciatus condemnet. Nec huic obſtare ſententiæ puto dicta illa, ſine fide neminem Deo placere poſſe, & eum, qui non crediderit, (puta Evangelio) condemnandum. Nam ut ne dicam gentiles, qui vel ex conſideratione naturæ, variorumque in hiſtoriis conſignatorum eventuum, vel traditione majorum, primi rerum auctoris aliquam habuere notitiam, ejusque providentiam agnoverunt, ea fide quod ſit Deus, & quod ſit remunerator eorum, qui ipſum quærunt, non fuiſſe penitus deſtitutos: ea dicta ſine dubio de ejusmodi incredulis intelligenda ſunt, qui cum per ætatem vel occaſionem poſſent, c) fidem tamen non habuerint.

a) Eadem fuit b. *Georgii Calixti* in L. de *ſupremo judicio* f. 119. ſententia: Vbi ex 2 Petr. III, 7. ingenioſe eam probavit, &, ſi quid judico, ex comparatione *Diluvii*, cum *Conflagratione mundi*, iſtic inſtituta, etiam ſolide adſtruxit.

b) Recte, ſi *rationis judicio ſtandum* ſit, quæ *peccati congeniti*, quod originale vocamus, triſtiſſimam labem ignorat. Qua poſita, concidit illa tantopere a *Socinianis* & *Pelagii* quibuscunque affectatoribus prædicata infantium innocentia. Vt motus animi & corporis in tenerrima quoque ætate notabiles illegitimos taceamus. Aliter ſentire neceſſe habent, qui, quid ſit, *carnem de carne* natum, ac proinde *filium iræ τῇ φύσει* eſſe, quotquot a primo homine originem trahunt, ex revelatione, intimoque, etiam corruptæ mentis ſanguinisque turbidi commotionum ſenſu univerſali intelligunt.

c) Potuiſſent autem omnes, ſi vel *manuductionem* illam, paullo ante memoratam, ad revelationem ſe paſſi fuiſſent du-

rint. Ob ſolum Adami peccatum quenquam poſterorum, ipſosque adeo infantes æternis cruciatibus exagitandos eſſe, ſententia nimis mihi crudelis, a) & in Dei juſtitiam iniqua videtur; præſertim cum videam ipſimet Adamo Deum non niſi mortem comminatum fuiſſe, ſub qua utut cruciatus ad eam ducentes non male comprehendantur, ſub- 220 ſecuturos tamen eos tam immenſos, eosque interminatos, quinam ex iſtis verbis miſer vel ſuſpicari b) poterat? Venio nunc ad ea, quæ de rationis captivitate diſputas; quam (quod pace tua dictum velim) loco 2 Cor. X. male is aſſertum. Nam νόημα non eſt ratio, ſed cogitatio; quæ cum nonnunquam rectæ rationi ſit conſentanea, nonnunquam tamen & a ſenſu carnis c) proficiſcitur: hanc vero, non illam, Apoſtolus captivam duci vult, ut ex antecedentibus apparet: quod cum ſit, ratio non in carcerem detruditur, ſed in libertatem d) potius aſſeritur. Itaque ſi Dei mihi Spiritum eo fine precatus fuiſſes, ut illius ductu cogitationes minus rectas ſub obedientiam Chriſti ſubigerem, aut & animum ab inolitis quibusdam pravis opinionibus vindicarem, non adeo de me ſuperbe ſentio, quin ejusmodi mihi votum uſui eſſe poſſe cenſeam, deque eo gratias tibi debeam. Τὰς ψυχικὰς, * qua tales, non capere ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ex Apoſtoli verbis juxta te-

 cum

* Animales.

cere, plura edocendos; vel *præconium* etiam verbi gratiæ plus minusve, at nunquam non *ſufficienti* quodam modo & menſura, ſibi divinitus conceſſum, ſive negligentia putida aut ſomnolentia turpi, ſive violenter & petulanter non repudiasſent. Ea namque in Vet. quoque Teſt. luce doctrina de Meſſia propoſita eſt, ut vel mediocri inquirendi, etiam curioſitatis, ſtudio, meliora a Judæis in loco illuſtri conſtitutis & captivis haud raro doceri potuiſſent.

a) Cave, ne *Paullo*, ipſique adeo Sp. S. in os contradicas, *Ruare*, hæc ῥητῶς Rom. V, 12. 14. 16. affirmanti.

b) Non ſuſpicari hæc tantum poterat, ſed facile his quoque verbis æternam mortem interminari, noverat, de quo non dubitabis, *Ruare*, ſi non ſimplices, ſed *ſapientes* a DEO conditos eſſe homines ex Col. III, 10. admittas. Vt ſpem oppoſitam vitæ æternæ tanquam præmii fœderalis taceamus, qua deſtitutum fuiſſe eum, qui imaginem DEI tam illuſtrem πρὸς δοκιμὴν gerebat, nimis inſulſum eſſet, credere.

c) Ita eſt: ſed quis ille ſenſus carnis ſit Chriſti nempe *fidei rebellis*, illud eſt, de quo his disquiritur. Neque enim quisquam rationem, ut ſana aut recta eſt, atque intra juſtos limites ſuos modeſte conſiſtit, rejicit.

d) Eſt ea utique libertas rationis, ſi, quod ſuum eſt, agat & in *rerum finitarum ordine* judicio ſuo ſeſe exerceat, quam & nos illi aſſertum imus; at longius ubi progredi, præſertim *contra revelationem apertam*, auſit, in *licentiam* eam degenerare, atque ſic ferocienti frænum injiciendum, cum *Paullo* docemus. Per nos ergo licet, *cogitationem* vocabulo νοήματος intelligant *Sociniani*; non tamen aliam, quam *rationis cogitationem* & λογισμὸς ab Apoſtolo indigitari ipſi, ſi qua ſunt, ingenuitate, inficiaturos, credimus.

cum agnoſco: ſed ut οἱ ψυχικοὶ eo evadant, quo τὰ τῦ πνεύματος * capiant, ad illud rationis opus eſſe captivitate, id ibidem non additur: a) & res ipſa contrarium potius docet, cum non alio pacto ſpirituales evadamus, quam cum ratio noſtra divina revelatione illuſtratur, ejusque argumentis adjuta, a rebus terrenis ad cœleſtium ſtudium elevatur: in quo vera illius libertas conſiſtit. Τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ** non 321 non eſt ratio, b) ſed rationi potius non minus quam Deo adverſatur, ut vel ex illa pugnæ inter interiorem & exteriorem hominem deſcriptione, quæ Rom. VII. legitur, apparet. Quod per γάλα λογικὸν apud Petrum lac rationale intellexerim, in eo pleroſque tum veteres tum recentiores interpretes ſecutus ſum, ac inter cæteros Lutherum quoque, cujus ſacroſancta c) vobis ſolet eſſe auctoritas. Nec ab illis tantopere diſſentire Syrus videtur, ac tu putas, qui ſic παραφράζει *** *ſermonem tanquam lac mundum ac ſpirituale.* Vtut enim per lac illud ſermonem ſive doctrinam Evangelii intelligat, in quo me ſibi habet ſuffragantem; qualitatem tamen ejus lactis deſcribens, vult illud eſſe mundum, quo τὸ ἄδολον, **** & ſpirituale, quo τὸ λογικὸν interpretari velle videtur. Spiritus enim in homine cum ratione magnam habet cognationem. Favet interpretationi meæ locus Rom. XII. in quo uno præter

* Ea, quæ ſunt Spiritus. ** Prudentia carnis.

*** Circumloquitur, plenius explicat. **** Quod eſt ſine dolo.

a) Immo vero additur evidentiſſime, quando non niſi per Sp. S. ejusque virtutem, rationi i. e. menti hominum datum at naturali ſuperiorem, *judicium* de hujusmodi rebus *rectum* ferri poſſe docetur. Quo facto ſane, non poteſt non eadem, ubi *refragatura* eſt, in captivitatem Chriſti abſtrahi, & Sp. Sancto *nobiliora* & *ſublimiora* revelanti docentique ut approbentur, ſubjici.

b) Eſt omnino ratio, etiam rebellis, poſtquam *elevata* a Spiritu Sancto per patefactionem myſteriorum ad præſtantiora, quam per naturam fieri potuiſſet, cognoſcenda, apta reddita eſt; ſed *hoc beneficio non recte*, ut aſſentiatur, divina quippe interna virtute jam inſtructa, *utitur*, immo ad ὀχυρώματα & ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τῦ Θεῦ (ſublimioris videlicet illius ex revelatione oblatæ) ſeſe convertens & quaſi tranſiens *abutitur*. Atque hoc ſenſu rationi potius, *divinæ patefactioni ſubjectæ & ſubordinatæ*, hoc eſt, rationis ſanæ limitibus, adverſa dici poteſt, quam ratio, quæ, ſi nomine hoc digna eſſet, ſuo, ut decet, officio recte defungeretur.

c) *Non* eſt nobis *ſacroſancta Lutheri* auctoritas, ſed *venerabilis*, talis nimirum, ut hominem fuiſſe meminerimus, a quo nihil humani alienum fuerit. Quem tamen, quando verbum DEI per lac illud intellexiſſe largitur *Ruarus*, a cæteris non abire longius, ſimul concedit; etſi a lacte naturali & materiali, corporibus alendis deſtinato ac propinato, illud, quod hominibus ratione ſua utentibus (at non abutentibus) ut mente, *tanquam inſtrumento*, id capiant, lingua vernacula diſcernere voluerit. Quo ſenſu vero parum illa translatio *Socinianis* proderit.

præter hunc in Novi fœderis ſcriptis fit τῦ λογικῦ mentio, in quo ad rationem reſpici, ne ipſe quidem negas. Favet & antitheſis præcedentium, ubi cum jusſiſſet eos Apoſtolus, malitiam, dolum, ſimulationem, invidiam, obtrectationem deponere, præcipit contra, ut deſideremus lac ἄδολον· quo tamen, ne ſimplicitatem nimiam ſive fatuitatem inculcare nobis videatur, addit, illud etiam eſſe rationale debere: quo ſic, prout alibi præcipit, non ſimus pueri ſenſibus, ſed malitia parvuli. Verum quidem eſt illud, quod dicis, ſermonis Dei virtute nos in virum perfectum creſcere: ſed res ipſa tamen loquitur, nihil illo ſermone veræ rationi magis conſentaneum a) vel excogitari poſſe. In loco Rom. XII. ubi cultus noſter λογικὸς vocatur, ut jam antea dixi, ne ipſe quidem audes diffiteri, ad rationem fieri reſpectum quocunque tandem modo illam interpreteris: unde hoc ſaltem concludere licet, rationem illi non adverſari, b) nec ab illius diſciplina excludendam. c) Cum ἀφροσύνη, quam Lutherus veſter vertit *unvernunfft*, hominem polluere dicatur, utique φρόνησις contra, quæ rationis ductu nititur, ad mundationem noſtram requiritur: ac proinde rationis miniſterio libero, cum ad res divinas animum applicamus, abdicare d) nos non debemus. At, inquis, non ideo ratio fidei intelligit myſteria, quia ἀφροσύνη hominem polluit. At ego licet nunquam ita ſim argumentatus, viciſſim tamen ex te lubenter quæſiverim, quid ergo ſit in nobis, quod fidei myſteria intelligat? non manuum id certe, neque pedum, aliorumque corporis membrorum, ac ne ſenſuum quidem officium eſt. Sed bene te poſtea explicas, an ratio extra Spiritus ſancti gratiam fidei aſſequatur myſteria quærens: quod ego quidem nequa-

222

a) Ita eſt: *Conſentanea* eſt ratio ſermoni DEI *revelato*, non tamen ut ſuperior inferiori, aut par pari, ſed *ut inferior ſuperiori*, & ſervus domino, qui huic jubenti lubentisſime cedit, eidemque reverenter obſequitur.

b) *Si ſana* ſit, & carnis ſenſu abrepta non ferociat ac recalcitret, id non negamus. *Per ſe* ergo rationi hæc non conveniunt, ſed ex accidenti & abuſu, at per naturam corruptam minime evitabili.

c) Neque nos excludimus, quantum ad *uſum organicum* & modeſtum, revelationi ſubjectum judicium; excludimus autem ab officio *fundamenti & arbitrii* in cauſſa FIDEI, quæ ſi arbitrio rationis permitteretur, fidei cauſſa dicenda non eſſet.

d) *Nemo* eſt noſtratium, qui *abdicet* rationem; at *coercendam* eſſe intra *juſtos limites*, *ne ferociat*, hoc eſt, quod identidem cum Spiritu Sancto inculcamus, ipſamque illam ferociam, & μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, inter ἀφροσύνης naturalis hominis & corrupti ſpecimina connumerare non dubitamus. Sanæ profecto rationis non eſt, de DEO divinisque rebus, revelatis aliter, quam videatur judicium ſibi, hoc eſt, *finita mente de rebus infinitis*, ipſo DEO de ſe contraria teſtante, ferendum, arrogare, & ſecus definire velle.

quam aſſero. Nam myſteria quidem fidei ratio per ſe non aſſequitur, ſed ubi tamen hæc illi per Spiritum ſanctum non modo revelantur, ſed & argumentis evidentibus probantur, ratio aſſenſum illis commodat, 223 eaque tanquam ſibi conſentanea lubenter a) admittit. Neque quicquam hic mihi officit, quod Chriſtus crucifixus Græcis ſtultitia ſit: nam & Græciæ ſapientes delirare poſſunt, & ſine dubio delirarunt, id eſt, ratione non ſunt uſi, cum Chriſtum eo repudiarent, quod per crucem ſibi atque nobis viam ad immortalitatem ſtravit. Sed abrumpo tandem, ne epiſtolæ modum excedam. Vale, Vir clarisſime. Adſit utrique noſtrum Dominus Jeſus ſpiritu ſuo. Dabam Gedani a. d. XVI Kal. Jan. CIↃIↃCXXXVIII.

XLVII.

M. RVARVS A. CALOVIO.

RECte mihi, Vir clarisſime, literas tuas anno ſuperiore Georgius Gulichius reddidit. At priores illas, in quibus de conſilio profectionis tuæ ad capeſſendam in Academia Roſtochienſi b) Theologiæ profesſionem munusque ecceleſiaſticum ſcripſeras, nullus vidi. Eram autem, cum Gulichius me conveniebat, in procinctu, ut rus me peſtis in urbe graſſantis metu ſubducerem: inde factum, ut, cum non vacaret libris, quos petebas, conquirendis operam navare, ne literas quidem ad te dederim. Poſt te quoque ſimilis contagii metu ab urbe Regiomontana diſcesſiſſe cognovi: unde *acto* ſemel ſilentio excuſatius deinceps indulſi. Redii tandem in hanc urbem, poſtquam aſperior hiems divina aſpirante gratia contagii vim edomuit; dumque ſumptu-224 um compendium in mittendis pauculis hisce libris capto, in hanc usque diem navalis itineris commoditatem exſpectavi. Ignoſce vero, quod e multis, quos requiris, non plures a me recipias: cujus ea eſt cauſa, quod cæteri jam pridem diſtracti promercales amplius non habeantur. His vero nullum ſtatuo precium, id tantum rogans, ut eos tanquam

a) Divina tamen virtute ſupernaturali donata & inſtructa, cui etiam revelata ea videntur *ſtulta.*

b) Vbi Prof. Theolog. locus poſt exceſſum b. *Sam. Boblii* vacabat. Eam tamen invitationem non acceptavit *Calovius;* ſed paullo poſt anno 1643. in *Botſacci* locum (poſtquam *Joh. Corvinus* dimiſſus fuerat) altius evecti, Rector Gymnaſii & Paſtor Templi Franciſcan. (*der Graumünchen Kirche*) conſtitutus eſt. Vnde interjecto brevi tempore, ut ſatis conſtat, ad *Colloquium Thorunienſe* una cum *Botſacco* miſſus, ac denique poſt multas cum variis, *Slatio, Nicolai* & ſimilibus diſputationes anno 1650. *Wittebergam* translatus, cathedram *Lutheri* iſtic usque ad annum 1686. ornavit; quo anno demum d. 20. Febr. diem ſupremum obiit.

tanquam ἀντίδωρον * pro iis, quos de tuis mihi hucusque ſuppeditaſti, æqui bonique conſulas. Commentatio Crellii de Spiritu ſancto nunquam edita eſt, neque edetur a) fortasſis, cum, ut ipſe mihi aliquando retulit, (nam ego quidem illam non legi) maximam partem in librum de uno, Deo Patre relata ſit. Ethica quidem Chriſtiana b) lucem aliquando, ut ſpero, aſpiciet: ſed in eo falſus eſt nobilisſimus Ganowski, cum ſub prælo eam jam fervere tibi narravit. In iis, quæ edidiſti, video te cauſam, quam ſuſcepiſti, acriter agere: & fortasſis minus ob id Biſterfeldius c) tibi placet, quod nonnulla ſicco pede prætereat, & adverſario pluſculum largiatur, eumque mollius alicubi tractet. Mihi (ut verum fatear) iſta ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς ** obſtare plurimum veritatis inveſtigationi videtur: qua tamen longe te minus agnoſco laborare, quam alium quendam tui gregis, & magni alioqui nominis, præ quo certe tuam æquitatem, ac candorem, præſertim in recenſendis adverſariorum tuorum ſententiis, vehementer laudare cogor. Illud neſcio, quomodo (ut alia taceam) tibi exciderit, ut Fauſto Socino tribuere auſus ſis, quod Lælium patruum ſuum, non modo 225 Apoſto-

* Donum dono relatum.

** Proprie nimietas tractionis in contrarium, id eſt, nimium ſua tuendi aliisque contradicendi ſtudium.

a) Edita tandem eſt, & hodieque comparet inter opera *Crellii*, quæ *Bibl. Frr. Polon.* inſerta ſunt, Dogmatica & Polemica, Tom. IV. f. 454. ſeqq. Eademque ſeorſim etiam anno 1650. forma octuplicata paullo ante lucem adſpexerat.

b) Prodiit anno demum 1650. forma quarta, *Amſtelodami* potius, quam *Luneburgi*, etſi *Aſteriorum* nomen præ ſe ferat: quo de fuco infra dicemus.

c) *Biſterfeldio* huic *Joh. Henrici* fuit nomen, officium autem *Profeſſio Philoſophiæ* in illuſtri ſchola *Albæ Juliæ*, quæ Transſylvaniæ præcipua urbs claret, fuit. Patre natus eſt Theologo Reformatæ Eccleſiæ *Naſſovienſis*, ubi & natus eſt hic filius, pater vero in ipſa *Synodo Dordracena* anno 1619., ad quam ablegatus fuerat, ex hac vita exceſſit. Quo fato in *Transſylvaniam* venerit, nondum explorare potuimus, at generum fuiſſe J. H. *Alſtedii*, Herbornenſis illius Polyhiſtoris, qui tamen & ipſe in *Transſylvania* obiit, ex Præfat. & Dedicat. libri, de quo hic *Ruarus* diſſerit, didicimus. Liber ipſe *de Vno DEO, Patre, Filio & Spiritu Sancto* contra *Crellium* anno 1639. Lugduni Batavorum ex officina Elſeviriana forma 4ta, ipſo auctore præſente, &, uti ex *Voetio* didicimus, in *Belgium* eapropter profecto, prodiit, &, ſi quid judico, non ſine ingenio præcipuas objectiones *Crellii* feliciter diſcusſit. Vtrum, quod hoc loco traditur, quædam prætererit, non auſim affirmare, cum totum mihi perlegere non vacaverit. Vix tamen fieri potuiſſe, ut aliquid omitteretur, inde colligas, quod reſponſiones ſuas, cum recuſo *opere* integro *Crelliano* ex adverſo altera columna collocatas, accurate reſpondere dubiis ab adverſario motis obſervare licet. De reliquo eſſe forte, quæ Philoſophum hunc nævis quoque laborare probent, non abnuo.

Apostolis, sed & ipsimet Christo rerum divinarum cognitione prætulerit, quia scilicet dixerit, neminem eas unquam isto exactius calluisse; quasi vero ignota tibi sit ejusmodi dictionis figura, aut parum constet, aliam, & quidem modestiorem, quam verba rigide accepta præ se ferunt, fuisse Socini mentem. Ignosce, Vir clarissime, quod jure tui monendi utar, quod ipse mihi dedisti, in historico præcipue genere. Eo pertinet & illud, quod Paulum Alciatum a) perinde atque Neuserum ad Turcas se proripuisse, & ejurata religione Christiana Alcoranum professum, nimium aliorum relationi credens, affirmas; quorum nomina satius fuisset allegare, ne fides tua accusari posset. Imposuit, ut opinor, tibi Beza, qui in epistola quadam refert, Gentilem de Alciato sodali suo interrogatum, respondisse, Mahumetanum eum esse factum, neque ullum sibi jam pridem cum eo fuisse commercium. At fieri potest, ut eo convitio magistratus Bernensis, a quo captivus tenebatur, gratiam captare voluerit Gentilis, dum Mahumetanum vocat eum, a quo solum Jesu Christi Patrem pro summo Deo agnosci sciebat: nec abhorret hoc ab ingenio Gentilis, ut, cum ipse tres quodammodo Deos profiteretur, unius Dei cultorem Turcismi opprobrio infamaret: cum & in aliorum scriptis, qui tamen unum Deum se tantum
226 agnoscere perhibent, Servetus, Socinus, alii, simili pipulo differantur.
Quicquid

a) De fabula hac quædam dicta a nobis sunt in *Histor. Crypto-Socin.* cap. II. ubi tamen aliam, quam quæ *Bernensibus* data dicitur a *Jo. Valent. Gentili*, & probabiliorem adduximus. Ad Turcas non transisse, etiam figmenti caussam *Bælius* in *Dictionario* jam pridem annotavit, unde eadem in *Lex. Erudit. Lips.* translata sunt. Vtrum vero *militis Mediolanensis* nomen, quo eum appellavit *Beza*, recte de *milite mercenario* (*einem Soldaten*) acceptum sit, valde dubito. Vtrum *Mahometismum* aliquando simpliciter præferendum esse docuerit Christianismo, doctrinam de S. Trinitate tuenti, quod nuper admodum Venerandus etiam Dn. *Lauterbachius*, ad *Lubieniecium* provocans, asseruit, in medio relinquimus; ex occasione tamen hujus forte sententiæ pronunciatæ, *Gentilis* nempe & *Serveti* suppliciis, colligimus, eum non tam dogmata *Turcarum* spectasse, quam moderationem eorum & æquanimitatem in dissentientibus a se vel tolerandis, vel certe non occidendis. Quæ inique profecto (ut, quod res est, dicam) de approbato in universum *Mohammedismo* accipi videntur. Testimonium, quod hoc loco tulit *Ruarus*, de viri hujus ex *Italia* in *Moraviam*, atque hinc in *Poloniam*, & *Gedanum* tandem migratione & fatis in ea urbe extremis, tot circumstantiis communitum, cur in dubium vocetur, caussæ nihil video. *Lubieniecium* autem quædam fama tantum, quæ mendax esse haud raro solet, inter alia atque hæc quoque de *Constantinopolitano* itinere *Alciati* accepisse, non obscura indicia produnt. Neque vero id mirum est, cum ne nomina quidem horum *Antitrinitariorum* antiquorum, v. g. *Neuseri*, comitis *Alciati*, ut ait, quem *Neusnerum* appellat, recte cognita habuerit.

Quicquid ſit de mente Gentilis, tu noris, Alciatum in hac urbe vitam per aliquot annos Chriſtiano ritu ſingulari cum pietate exegiſſe, & moriturum animam Chriſto Servatori commendaſſe. Id Catharina Weimera, uxoris meæ avia, quæ tanquam vicinum in platea, quam caninam vocant, habitantem, familiariter norat, & morti ejus interfuit, marito ſuo Davidi Wernero Buttelo, qui adhuc in vivis eſt (nam ipſa ante triennium obiit) ſæpius narravit. Socrus quoque mea uxorem ejus viduam, quæ marito annos aliquot ſupervixit, ſibi ſæpe diuque viſam in hac urbe, vel heri mihi retulit. Memini quoque ab Andrea Woidovio a) mihi narratum, eundem Alciatum, virum, ut ipſe ajebat, pium, & Socino ὁμόψηφον, * cum Cracoviæ aliquandiu egiſſet, periculum vitæ præſentiſſimum a petulantibus ſcholaſticis propter Arianam, ut illi ferebant, religionem intentatum, ridiculo ſchemate evaſiſſe, cum ſe non Arianum, ſed Marianum eſſe diceret: quod cum illi, quid ſibi vellet, quærerent, reſpondiſſe, credere ſe Jeſum Chriſtum Dei vivi & Mariæ filium. Illi non minore ſtupore, quam malitia obſeſſi, audito venerando Mariæ nomine, incolumem dimiſerunt: qui ex eo Dantiſcum, ut opinor, domicilium tranſtulit. Lubet nunc & aliud quid annotare, in quo te hiſtoriæ fugit ratio. Scribis Sebaſtianum Caſtellionem b) xxx Ochini dialogos in Latinam linguam transtuliſſe. Id ego, utut mihi dubium, cum non niſi a Caſtellionis inimicis, mera ſuſpicione ductis, affirmatum videam, in medio tamen relinquo. At in eo perſpicue falleris, cum eos dialogos a Lælio c) ſub

227

Aa Felicis

* Suffragantem, conſentientem.

a) Non eſt ille alius, quam *Voidovius*, multoties & cap. I. potisſimum *Hiſt. Crypto-Socin.* commemoratus, hoc tempore jam vita defunctus.

b) *Profeſſ. Baſileenſ.* famigeratisſimum. Quem auctorem eſſe verſionis Dialogorum *Bernh. Ochini*, Senenſis illius, Tiguri diutisſime hoſpitati, ſed inde & Baſilea quoque paullo poſt ejecti, atque hinc in *Polonia* vagantis, & tandem in *Moravia* denati, miror dubitaſſe *Ruarum*, cum tamen eos a ſe latine redditos eſſe, præter ſtili elegantiam, ipſa *Caſtellionis* profesſio condoceat, qua non tantum vertiſſe ſe Dialogos illos latine palam in epiſtola *ad Conſul. & Senat. Baſileenſ.* teſtatus eſt, ſed rationes quoque facti hujus reddidit, & alendæ familiæ (ſine approbatione eorum, quæ in eo libro continerentur) ſe proſpexiſſe, ut erat res ei anguſta domi, ſcripſit. De reliquis ad hos Dialogos pertinentibus jam ante ad *Diarium Smalcianum* quædam annotavimus, & ex inſtituto de iisdem disquirentes *Obſerv. Halenſ.* latinæ Tom. V. n. I. conſuli poſſunt.

c) *Lælio* nimirum *Socino*. Qua in re utique *Calovium* fefellit memoria. Neque enim, quod ſciam, *Lælius* unquam *Turpionis* nomen, quemadmodum a Patruele *Fauſto* factum eſſe conſtat, adoptavit. De *Martini Belli* cognomento notisſimum eſt, diſputari, omnium vero certisſimum *Minum Celſum* Senenſem dici voluiſſe, ex libello primum Italica lingua ſcripto, ſed

Felicis Turpionis nomine editos affirmas. Sunt enim ſub ipſius Ochini nomine editi, qui priorem librum Comiti Bethfordiæ Anglo, poſteriorem Nicolao Radzivilio Lithuano dedicavit: neque uspiam in eis libris Felicis Turpionis nomen comparet. Scribit quidem Bullingerus in præfatione Simleri libris præfixa, Ochinum dialogos illos per Italum quendam amicum excudi curaviſſe: ſed is amicus Italus Petrus Perna fuit, typographus Baſileenſis, cujus nomen in calce libri ex more expreſſum legitur. Lælius quidem eſſe non potuit, qui jam anno ante (nam dialogi anno Chriſti cIↃIↃLXIII, editi ſunt) diem ſuum obierat; nec ipſe Felicis Turpionis ſibi nomen unquam aſcivit. Occaſionem errori ſive tuo, ſive eorum, a quibus id tu ſumſiſti, alii quidam ipſius Sebaſtiani Caſtellionis dialogi de Prædeſtinatione, Electione, Libero arbitrio, & Fide ſcripti præbuerunt, quos Felix Turpio Vrbevetanus a) cum præfatione ſua edidit, quæ poſt primam editionem Baſileenſem in ſecunda quoque Goudana comparet. At iſte Felix Fauſtus eſt, qui Italicum Sozini nomen Latino Turpionis interpretatus, cum Senenſis eſſet, merito ſe quoque Vrbevetanum appellavit. Eſt & aliud leviculum, de quo te, ne ægre, quæſo, feras, moneri. Facis 228 Petrum Stoinium ſive Statorium, b) cœtus Luclaviciani Miniſtrum Gallum:

in latinam deinceps ab ipſo auctore translato, quo: *In hæreticis coercendis quatenus progredi liceat?* diſſeruit. Quamvis enim non ita pridem virum aliquem ea ætate (prodiit autem Lib. iſte anno 1577.) hoc genuino nomine celebrem appellatum fuiſſe exiſtimaverit Cl. *Schelhornius Amœnit. litera.* T. VII. f. 86. idque ex epiſtola aliqua t. t. a *Fabio Benvoglienti* ad *Minum Celſum* anno 1548. data, probari poſſe cenſuit; at nihil tamen mihi aliud inde demonſtrari poſſe videtur, quam Lӕl. Socinum in *epiſtolis familiaribus* ad Amicos exaratis & hos vicisſim ad ipſum ſcripturos ex compacto hoc nomine diu ante, quam libellus iſte poſt fata auctoris in publicam lucem emitteretur, adſcititio uti conſueviſſe. Quod obiter notare placuit.

a) Tergemina larva, *Dominici* nempe *Lopezii*, Felicis *Turpionis*, & de qua ſupra, *Proſperi Dyſidæi* tectus in lucem, quæ primum edidit *F. Socinus*, prodire voluit; quod invidiam ſibi jam Patruelis conatus, ſi gentilitium nomen exprimeret, contracturos, præſagiebat animus. Quo etiam factum eſt, ut uterque libellus his nominibus infucatus tanto confidentius & legeretur & recuderetur. Primum, ſi recte memini, opuſculorum *Socini*, cui nomen auctoris genuinum præfixum fuit, Diſputatio erat de *Chriſto Servatore*, quam tamen non ipſemet, ſed *Elias Arciſſevius* Senior, Eques Polonus & Smiglenſis Eccl. Paſtor ac Toparcha, publicavit anno 1594. Eamque deinceps plura hujusmodi, ut notum eſt, ſequuta eſſe ſcripta, integro jam volumine gemino comprehenſa, conſtat.

b) Tres omnino inter Socinianos celebrantur *Statorii* ſeu (e *Polonico Stoinski* medio horum indito formatoque cognomine) *Stoinii* 1.) *Petrus Statorius*, Lotharingus, vulgo Gallus etiam dictus, qui anno 1559. in Poloniam tranſiit 2.) *Petrus Statorius* cogn. *Stoinski* filius, Nobilitatis juribus cohoneſtatus, & 3.) *Johannes Stoinius*,

Gallum: at is in Polonia natus, & Petri Statorii Galli sive Theonvillani filius fuit: ut vel ex vita Socini constare potest. Leviora sunt hæc, fateor, sed tua tamen interest, ne error in his talibus fidem tuam in gravioribus suspectam reddat. Itaque meo erga te studio atque benevolentiæ tribuas velim, quod ista noluerim apud te dissimulare. De aliis forte alias. Nunc vale. Dab. Gedani, a. d. III. Non. Apr. cIↃIↃCXL.

XLVIII.

M. RVARVS CVIDAM ANONYMO. a)

AMori tuo erga me illud tribuo, quod silentium meum ægre fers: quorsum enim nobis amici, si nullus eorum usus? At tu meo non minus id erga te amori tribuere posses, quod tam diu siluerim. Cum enim, ubi locorum ageres, affirmate mihi non constaret, suadebat amor tui, ne tam incertæ auræ litteras committerem, quæ meæ tibi amicitiæ apud malevolos opprobrium parere possent.

Gaudeo historicum illum, b) quem nominas, utut castra nobis inimica sequatur, non abhorrere tamen librorum nostrorum lectionem: neque dubito, eum, si præjudicium abstergat animo, & splendorem ac opes eorum, quibus sese addixit, procul seponat, multo benignius adhuc, quam nunc facit, de nobis judicaturum. Quæ de consensu seculorum, de pietate ac martyriis professorum religionis suæ, 229 deque miraculis, quibus ea confirmata fuerit, objicit, ea fateor plausibilia quidem esse; sed penitus tamen excutienti non videntur tam certa veritatis κριτήρια, * ut illis animus validis argumentis in diversum

Aa 2 tractus

* Indicia, secundum quæ judicari oportet.

qui & Statorius, rarius tamen dici solebat, nepos. Hos quando b. *Calovius* confudisse dicitur, patrem inprimis & filium, (nepos enim eo adhuc tempore superstes erat, vita functos non possum, quin recte hæc monuisse *Ruarum*, addam, & *Luclavicianum* illum cœtus Socin. Ministrum ne potuisse quidem in Gallia, vel *Lotharingia* potius, nasci, observem; quoniam Pater *Thionvillanus*, eo, quo diximus anno, jam *Poloniam* & quidem cœlebs adhuc ingressus, inque *Pinczoviana* Synodo anno eodem 1559 & p. p. 1561. verba inter cæteros fratres fecisse legitur. Quo tempore vero, cum filius vix quadragenarius anno 1605. jam diem obierit supremum, nondum hic vitali aura frui poterat.

a) Frustra, circumstantiis omnibus probe pensitatis, quisnam iste fuerit, inquisivimus. *Gregalem* tamen fuisse & *Socini* placita sectantem quisquis fuit, communia illa, quæ sub initium epistolæ statim memorata sunt, *librorum nostrorum lectio, inimica nobis castra* & similia non obscure significant.

b) Pontificium hominem, quod objectiones ejus variæ, quibus *Ruarus* in hac epist. respondet, commonstrant. *Everhardum Wassenbergium* fuisse, qui primus mihi succurrebat, *Historici Regii Polon.* dignitate condecoratum & ex *Floro Polonico* h. t. publicato clarum, asseverare non ausim at tamen suspicor.

tractus acquiescere possit. Nam primum quod ad consensum sæculorum attinet, tam diligenti antiquitatis ecclesiasticæ scrutatori latere non potest, haud eadem omnia, quæ Ecclesia Romana orbi Christiano sub æternæ salutis jactura credenda nunc imponit, prioribus sæculis a Christianis vulgo credita fuisse, cum ex ipsis Patribus, quos vocant, loca plurima jam pridem a viris eruditis congesta sint, ex quibus diversum illos sensisse constat. Vt de sola jam controversia, quæ cum aliis de Christo nobis intercedit, loquar, mihi nondum videre contigit ullum indubitatæ auctoritatis Patrem, ex iis, qui ante Concilium Nicænum vixerunt, qui Christum (quod omnibus nunc in ore est) altissimum illum Deum, eundemque prorsus cum Patre faciat. a) Quin contra apud Ignatium in Epistola ad Tarsenses diserte lego, inter Satanæ ministros numerari, qui dicant ipsum esse illum, qui est super omnia, b) Deum. Et Justinus in Dialogo contra Tryphonem aliquot argumentis probat, Christum Deum esse alium ab universi conditore. Et apud Tertullianum adversus Hermogenem, Fuisse tempus cum & delictum & Filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret. Et apud Lactantium, lib. II. 9. De matre natus est, qui ante jam fuit: de patre, qui aliquando non fuit. Taceo fuisse omnibus fere sæculis, qui dissensum suum ab Ecclesia Romana palam testati sint:

230

a) Immo *faciunt omnes*, quod a plurimis, inprimis *Georgio Bullo*, sæpius laudato, ex professo ostensum est; etsi *non iisdem*, quibus inde a *Concil. Nicæno* Ecclesia provide, ad fraudes hostium detegendas & cautius vitandas, hæc mysteria enunciavit, facile usi legantur terminis: quibus, si per petulantiam & dolos adversariorum licuisset, porro abstinuisset Ecclesia Christi salva sensus mentisque concordi integritate. Incommodas quorundam *loquendi formulas* tantum abest, ut moremur, ut potius re omni jam altius expensa, non defuisse hujusmodi phrases subinde, a Viris minime suspectis usurpatas, in aprico positum sit.

b) Vt reliqua, quæ ex *Justino*, *Tertulliano* & *Lactantio* citantur testimonia, partim ex libris ambiguæ fidei cujusmodi *Dial. cum Tryphone* est, petita sunt, partim personas divinas tantum distinguunt, dein officium Christi ad delicta expianda, quo alioquin opus haud fuisset, spectant, aut duas in Christo naturas discernere jubent: ita *Ignatiana* illa toties occentata verba ex epistola νοθείας omnino suspecta sunt desumta, &, si recte consideres, ad eos pertinent, qui Personam seu ὑπόστασιν Patris cum filio jam tum confundebant, quam hæresin postea *Praxeas*, *Noetus* & *Sabellius* magis excoluerunt. Quo de errore jam in *epist. ad Trallianos*; ubi eorum, qui Patrem & Filium & Sp. S. ταυτὸν εἶναι docebant, meminit, Sanctus Martyr aperte conquestus est. Ac proinde parum ex his locis roboris sententiæ suæ conciliavit *Ruarus*. Quam diversis vero & minus interdum accuratis phrasibus, ut originem Filii & Sp. S. a Patre exprimerent Eccl. primæ, Doctores & Patres usi sint: nemo, puto, compendiosius, quam *Guil. Cave* in Differt. *Bibl. Script. Eccl.* subtexta, qua *Eusebium* ab Arianismo vindicavit, ostendit.

ſint: quos ſi quis audiendos non eſſe dicat, quod ab Eccleſia Romana illiusque aſſeclis hæreſeos damnati ſint, quid hoc eſt aliud, quam Eccleſiam Romanam, ubi de orthodoxia illius quæritur, in propria ſua cauſſa facere judicem? At dices, ea ſaltem capita, quæ religionis Chriſtianæ veluti fundamenta quædam ſunt, & ſine quorum notitia atque fide nemo ſervari poſſit, integra ſemper in Eccleſia conſervari debuiſſe, idque divinæ providentiæ conſentaneum eſſe: a qua per tot ſæcula ſalutis humanæ curam fuiſſe abjectam, haud ſit credibile. Non utar hic ea defenſione, a) qua alioquin jure poſſem, Deum, ut virtuti locus ſit, nolle arbitrii libertatem hominibus eripere, cumque ſua ſponte in errores fœdos prolapſi fuiſſent, ut in iis, quamdiu vellent, hærerent, juſto judicio ſuo permiſiſſe. Non adducam & illud, Apoſtolos de gliſcentibus jam ſuo ævo gravibus quibusdam in eccleſia erroribus conqueſtos, deque ſubſecutura generali a fide defectione vaticinatos fuiſſe. Concedam enim non invitus, utut errores paulatim in eccleſia Chriſti, iique admodum noxii pullularint, ipſa tamen Chriſtianæ religionis fundamenta, divina providentia procurante, integra reſtitiſſe. 231 Manſit enim utcunque ſalva ſacrarum litterarum auctoritas, quamvis earum lectio vulgi manibus fere tandem excuſſa fuerit: manſit profeſſio Symboli, quod Apoſtolicum vocamus, eaque, ni fallor, ſola adhuc ab initiandis per baptismum ad Chriſtianismum, tanquam teſſera ſufficiens exacta fuit. Quin fidentius dico, omnia fere, quæ nos non modo ad ſalutem neceſſaria, ſed & utilia ſcitu factuque affirmamus in religionis negocio, quovis ſæculo ab omnibus eccleſiis Chriſtum profitentibus, ne Romana quidem excepta, & credita paſſim fuiſſe, etiamnum credi. b) Vtut autem aliorum curioſitas multa his, quæ nos de rebus ſacris aſſerimus, adjunxerit, nosque, qui iſta vel negemus, vel

 cum

a) Immo ne his quidem ambagibus opus eſt; ſed in rem præſentem ut veniant, & *ſigillatim* vel præcipua dogmata ſua inde demonſtrent, Pontificii ſunt jubendi. Vbi, quantum differat jactatus ille conſenſus, ac *vana oſtentatio* a *veritate concordis* cum ipſis *ſententiæ*, protinus apparebit; dummodo, quisquis diſputaturus cum illis ſit, Hiſtor. Eccleſ. ſeriem integram accurate connexam, & phraſes formulasque, priſtino ævo uſitatas, cum causſis venerationis *Romanæ* Eccleſiæ, prærogativam aliquam ex Imperatoria ſede & immunitate ab hæreſibus diuturna adeptæ, bene calleat, librosque ſpurios a genuinis diſcernere inſuper noverit.

b) Illa videlicet, quæ *Sociniani* pro talibus habent, e quorum numero autem ſummum de S. Trinitate & Chriſti officio caput fidei illi male eximunt, atque ad pietatem vitæ denique, quod p. p. ipſe non obſcure faſſus eſt *Ruarus*, cuncta revocant. Quam nimiam, & ſcripturis divinis, ipſique adeo pietati genuinæ, quæ ex veritate fidei promanat, adverſam liberalitatem jam ſupra repudiavimus.

cum tanta necessitatis lege non admittamus, diris devoveat, non ob id tamen apud nos laborabit divinæ providentiæ gloria; cujus curam eo magis admiramur, quod, inter tot succrescentes herbas salutis humanæ pabulum extingui non permiserit. Nec vera pietas Christiana sua laude aut præmio statim excidit, etiamsi fidei ad salutem necessariæ dogmata erronea quantumvis multa agglutinentur, dummodo impietatem non sapiant, aut ad eam omnino ducant. Interim mihi fit sane credibile, in ipsa Romana Ecclesia non paucos extare, qui fidem suam intra nostram simplicitatem coerceant, de operosis scholarum placitis 232 minus solliciti. Martyres quidem illos, qui vitam religioni impenderunt, de iis potius, quæ nos asserimus, quam quæ aliorum ingeniositas iis adstruxit, interrogatos fuisse constat. Quod si nonnulli pro propriis Ecclesiæ Romanæ dogmatis mortem obierunt, haud paullo plures contra obducam, qui, dum ejusdem ecclesiæ dogmatis adversantur, vario mortis genere extincti sunt. a) De miraculis, quæ in Ecclesia Romana facta perhibentur, breviter tibi respondeo, primum multa falso jactari; deinde non statim ad singulorum dogmatum confirmationem trahenda, quæ ad fidem universæ b) religioni Christianæ adstruendam edita sunt; denique non satis firmum veritatis argumentum a quibusvis esse miraculis, cum, & falsos prophetas in iis vim suam ostensuros, prædictum sit. Atque hæc ad præcipuum litterarum tuarum caput satis nunc sunto. Veniendum nunc esset ad alterum de Antichristo; cujus convitium in Stegmanno clarissimus ille historicus ægerrime fert. Sed de illo parcior nunc ero, seu potius mutus, non tantum quod res periculosæ plena sit aleæ, ut nunc sunt tempora; sed quod illud argumentum meo animo satis pertractarint Volkelius in lib. 3. de vera religione, & Crellius in commentario in cap. II. posterioris ad Thessalonicenses Epistolæ: quorum modestiam si lubebit eximio illi viro cum Porelli Angli confidentia, c) qui de Antichristo integrum

a) Recte hæc monet *Ruarus*. Toto enim cœlo distant *Martyres*, seu Testes ad necem usque pertinaces *opinionum* suarum vel *sectæ*, cujusmodi & Philosophi haud pauci cogniti sunt, *Martyresque* contra, quos ita Sp S. appellat, *Christi*. Horum enim constantiæ, *aliquod* in comprobanda veritate religionis Christianæ & Evangelicæ *pretium* statuendum est, non illorum *obstinationi animi*, probe ab ingenua constantia discernendæ.

b) Immo sunt etiam, qui *miracula providentiæ* divinæ admittunt, eaque a *miraculis doctrinæ gratia* editis prudenter distinguunt. Quam in rem perelegans b. *Frid. Quirini Gregorii* Dissert. anno 1714. Lips. publicata prostat.

c) Hæc verba aut non intelligo, aut mendo quodam laborare suspicor: nisi forte *confidentia* legendum sit, quam modestiæ aliorum opponendam existimet *Ruarus*. Quo sensu, Anglum hunc pa-

tegrum librum edidit, conferre, haud paullo, ut opinor, æquior in nos evadet. Objectionem tuam contra Germanicum a) Anonymi cu- 233 jusdam libellum, in quo pietati lex ſcribitur, vehementer miratus ſum. Tribuis enim illi auctori, quod omnem gratiæ miſericordiæque divinæ ſpem præcidat iis, qui carnis imbecillitate in cogitationes non usquequaque bonas, in verba ocioſa, atque alia iſtius generis peccata leviora abripiantur; cum tamen is, non eis modo, qui per incogitantiam, carnisve imbecillitatem delinquunt, (quod fatetur ſanctis nonnunquam in hac vita evenire) ſed ne graviter quidem voluntarieque delinquentibus, omnem veniæ ſpem eripiat. Vide mihi quæſo, quæ a pagina 71 usque 77 ibidem leguntur. Negas, cordatis viris effugium noſtrum ſatisfacere, quo conamur iis elabi, qui ex cap. VII ad Romanos, & 1 Joh. I. renatorum in peccata omnis generis proclivitatem aut lapſus tueri volunt. Sed optarim rationibus allatis oſtenſum a te fuiſſe, cur eorum locorum interpretatio noſtra tibi diſpliceat. Strategema Satanæ, quod Paulus 2 Cor. II, 2. notat, tum demum nobis merito objiceres, ſi omnem veniæ ſpem in peccata prolapſis amputaremus: b) id quod nos minime facere, vel ille Germanici libelli locus, quem ſupra laudavi, ſatis oſtendit. Poſſes etiam inſpicere, cum ad manum erit, commentarium Crellii in Ep. ad Hebr. cap. X. Sed tollo tandem manum de tabula, ne epiſtolæ modum excedam. Si non ingratum eſt hoc tibi literarum commercium, certiorem me facias velim, ubinam te locorum literæ meæ ſemper offendere poſſint: ipſe enim vides, quam 234 minime tutum ſit, incerto eas itineri committere. Vale. Dab. Gedani IV Aprilis CIƆIƆCXXXVIII.

XLIX.

M. RVARVS MARINO MERSENNO. c)

ITane vero, Merſenne celeberrime? an ad tuas quoque aures aliqua mei

lam, quod illi tecte magis docuerint, extra teli jactum poſitum pronunciaſſe, ſignificare voluit.

a) Manuſcriptusne ille fuerit, an impreſſus? incertum eſt. Forte idem ille erat, quem alias libelli de *obedientia* nomine novitiis ante omnes alios commendare ſolebant: ut ſupra ejus rei in *Hiſt. Crypto-Socin.* ſæpius mentio facta eſt.

b) Fateor, ita modeſtius ſentire aut certe loqui in Comment. cit. ad comma 26. fin. *Crellium*; Rigidius vero & durius de illis, qui in habitus peccandi de novo inciderunt, *Socinus* & *Smalcius* judicant. Quibus vix aliam, quam extraordinariam & *exuberantem*, hoc eſt, citra fœderis Evangelici promiſſa, ſpem relinquunt. Eamque forte etiam cum *Crellio* ſuo *Ruarus* hoc loco innuit; quandoquidem de eadem ſpe generatim tantum & indefinite loquitur.

c) Monacho, ordini *Minimorum*, qui *Franciſci a Paula* inſtituta ſectantur, adſcripto, perquam celebri & rara eruditio-

mei non dicam fama, ſed mentio ſaltem pervenit? Miror vero, per quosnam. Nam ego meditatione bonarum artium, rerumque inprimis divinarum, quoad captus meus fert, investigatione contentus, reverentia quadam eruditi hujus ſeculi in publicum me non dedi. a) Non adeo tamen ſum contemptor famæ, ut non præclare mecum actum putem, quod tibi viro tanto, cujus eruditionem cum aliis jampridem admiratus ſum, vel leviter innotuerim. Vnde tanto magis gaudeo, oblatam mihi per te ipſum commodam tibi gratificandi inſerviendique occaſionem. Quoniam igitur libros quosdam, quæ Lutetiam raro aut tarde deferuntur, ex his oris deſideras, ego quidem, quoad in me poſitum erit, voluntati tuæ morem libenter geram, ſive tu eos ut amicus lecturus es, ſive ut adverſarius & tanquam refutaturus. Cum enim non cauſæ, ſed æquitati animum geram obnoxium, ut Chriſtianum fas 635 eſt, quid magis optem, quam ſcripta noſtra vel a ſcientiſſimis cenſoribus examinari, quo veritas in profundo nonnunquam puteo latens, ut Democritus loquebatur, in apertum eruatur? Interim ſcire te velim, ex Tranſylvania nullos ad nos libros perferri: ex iis vero, qui in Polonia typis excuſi ſunt, exemplaribus paulatim diſtractis, multi quoque jam haberi amplius nequeunt. Vt ergo ſcias, quorum a me copiam ſperare poſſis, catalogum eorum his literis inſeram: ex quibus deligas, quicunque ad palatum tuum fecerint. Cum enim nonnulla habere te jam intelligam, periculum eſt, ne, ſi meo indulgeam arbitrio, noctuas mittam Athenas. Habebis tamen per navim, quæ proxime hinc ſolvet, Slichtingiana contra Meisnerum, b) quæ nominatim expetis.

Judicium

ne, inter homines id genus, tam in philologicis, quam mathematicis ſtudiis, ſpectabili, anno 1588. *Oeſii*, qui vicus eſt *Cenomanenſis* Ducatus, nato, & anno 1648. *Pariſiis* denato. De quo non eſt, quod mireris, conſuetudinem litterarum cum *Sociniano* homine *Ruaro* coluiſſe. Neque enim hunc tantum compellavit, ſed quoscunque fere eruditione celebratos Viros, cum *Comment.* præſertim ſuum in *Geneſin*, permultis digreſſionibus ſcatentem, adornaret, conſuluit. Et, ſi recte recordor, ad alios quoque eidem ſectæ addictos, nominatim *Florianum Cruſium*, litteras ſcripſit; quarum nonnullæ in *Brantiana* illa, ante paucos annos evulgata, *Variarum Epiſtolarum* collectione extant. *Sorbierius* in epiſt. de *Vita & Moribus Gaſſendi*, quam *Wittius* in *Memor. Philoſ. Orator.&c.* recudi curavit, *commune terſius Lutetiæ Pariſiorum Philoſophantium centrum* appellat.

a) Scriptis videlicet in lucem publicam editis. Tale enim nullum adhuc, cum hæc ſcriberet *Ruarus*, prælo exierat. Quæ autem deinceps evulgata ſunt, v. g. *Notæ in Catecheſ. Racov.* & *Epiſtolarum hæ Centuriæ*, poſthuma fuere.

b) Præter ea, quæ *Grotius* epiſt. 40. ſuperius ſibi conſpecta memoravit *Jonæ Slichtingii a Bukowicz* ſcripta, cætera quoque ſine dubio heic ſignificantur, miſſa iſtis ad l. c. plenius deſcriptis, ſubjuncta, quæ de *SS. Trinitate*, de *Moralibus V. & N. T. præceptis*, *itemque de ſacris Euchariſtiæ &*

Judicium meum de adversariis nostris cur requiras, miror, cum, nisi causæ meæ prævaricari velim, illos conscientiæ meæ non satisfacere, præsumere facile possis. Sed tu fortasse non tam de argumenti sententia, quam de scriptorum eruditione sententiam meam quæris: quam ego sane præclaram in istis tribus, quos nominas, agnosco, & haud paulo fortassis ingenuitate majore, quam ipsimet de se mutuo judicant. Nam de Calovio quidem affirmare tibi possum, illum in literis, quas ad me dedit, optare Bisterfeldii librum suppressum a) potius, quam editum, utpote cujus argumenta Cabalam potius Judaicam, quam genuinam Theologiam, sapere illi videantur, quique, cum adversarium refutare debeat, thesin suam probet. Fieri potest, ut Bisterfeldius de Calovio non multo mitius judicet: nosti enim illud, suam cuique sponsam videri pulcherrimam. Si de difficilibus quibusdam Scripturæ locis agere mecum dignaberis, ut polliceris, gratissimum mihi feceris. 236

Turcarum libros, contra religionem Christianam Latina lingua editos, b) nullos unquam vidi: ac ne Judæorum c) quidem, nisi quos Manasses Ben Israel in Batavia edidit: cujus libros de resurrectione mortuorum si vidisti, velim scire quid respondeas ad caput 8. lib. 3. ubi multa recenset ab Ezechiele circa structuram templi prædicta, quæ

 in

Baptismi ritibus anno 1637. adversus eundem *Witteb. Theolog.* meritissimum forma 8va prodierant.

a) Judicium hoc, si vera sunt, quæ *Ruarus* de *Calovio* narrat, non satis æquum fuit. Etsi enim tam copiose, ut solebat alias *Calovius*, & sigillatim in libro, de *Uno Deo Patre*, Crelliani Refutatione versatus est, iste non discussit *Crellii* argumenta & ratiocinia; plerorumque tamen nervum sic satis bene incidit, & plura forte in librum majorem, quem inscripturus erat *Mysterium pietatis ostensum*, in priori hoc specimine promissum, sed, quod equidem sciam, nunquam in lucem emissum, reservavit. Alia ergo erant, quæ, quo minus *Bisterfeldius* placeret *Calovio*, in caussa fuere: inter quæ admodum probabile est. *Reformati Cœtus Societatem* & approbatam in hoc opusculo spem *Chiliasmi* primas tenuisse.

b) Neque in hunc usque diem ejusmodi Mohammedanorum libri prodierunt, quod equidem sciam. Nec mirum, cum vix operæ sit pretium apud nostros expectandum, *Turcæ* autem neque latina lingua utantur, neque & typographias inter suos, præter Judæorum rariores officinas quasdam tolerent. Interim non desunt, post antiquas quasdam, sed obscuras, vel insulsas, aut abolitas versiones, ipsius *Alcorani* Arabicæ editiones, *Mersenni* ætate non facile obviæ, his nostris temporibus, post *Marraccii* industriam adhibitam, & perquam laudabilem, omnium nunc usibus patentes: unde potiora contra nostram doctrinam depromere licet.

c) Ab aliis quidem ex *Hispanico* idiomate latine redditos, at tamen in Typographia *Menassis*, quam habuit variis characteribus, latinis etiam atque Germanicis, instructam, excusos.

in ſecundo libro a) non completa aſſerit. Prodierunt in Batavia & veterum quorundam Rabbinorum ſcripta b) (ut nunc de Doctore perplexorum nihil dicam) quæ Chriſtianæ religionis ſcita nonnunquam perſtringunt. Sed hæc tibi non ignota arbitror. In Tranſylvania quidem non ea nunc eſt ſive libertas ſive licentia, ut quis contra religionem Chriſtianam aperte mutire auſit, ut in qua ante biennium nonnemo adhuc lapidatus ſit juſſu Principis, quod contra adorandam Chriſti majeſtatem quædam effutiiſſe argueretur. Socini contra Atheos c) nihil nunc extat, niſi quatenus Scripturæ auctoritatem contra eos aſſeruit, tum in libello de Scripturæ auctoritate, tum in Lectionibus ſacris. Attigit tamen quoque nonnulla in epiſtolis ad Dudithi-237 um. In Miſcellaneis quoque ejus nonnulla extant contra Martinum Seidelium. d) qui religionem Chriſtianam ejuraverat, & Judæorum cauſam, quanquam ipſe non Judæus, contra illum agebat. Volkelii libros de vera religione ſi vidiſti (& eſt ſane operæ pretium eos, ſi nondum legiſti, legere) non pauca quoque contra Atheos diſſerta animadvertes in libro, quem Crellius e) illis præfixit. Miror, Vanino licuiſſe libros ſuos in Gallia publicare, qui etiamſi Atheismum impugnare videantur, aliud agendo f) non parum eum commendant. Ac ſunt

a) Forte legendum eſt: ſecundo *templo.* Ad tertium enim hæc referri, quod expectant, a Judæis notum eſt. Nec male; niſi quod templum ſpirituale, Eccleſiam Chriſti e lapidibus vivis conſtructam, cum materiali turpiter confundunt. Quibus obſervatis, facile etiam, quid ad dubium h. l. motum reſpondere oporteat, patebit. Errorem in ſcribendo commiſſum ſequens etiam epiſtola prodidit.

b) Latine verſa, an Hebraica indigitentur, obſcurum eſt. Hæc obvia ſemper fuere. Illa ſub id tempus quoque raro occurrebant, præſertim Polemica. Noſtra ætate, ubi Judæorum arcana omnia palam propoſita extant, v. g. *Nizzachon utrumque*, *Chiſſuk Æmuna R. Iſaaci*, *Præco ſalutis Abarbanelis*, & ſimilia, non eſt, cur de inopia latina lingua editorum talium LL. qui *Rabbinica* ipſa conſulere non poſſunt, querulentur.

c) Neque vero id mirum, quia *Theologiæ naturali* ex traditione potius, ſecundum ipſorum ſententiam, inde a *mundo condito*, quam *ex mundi hujus intuitu* ratiocinando deducendæ, non admodum favent *Sociniani.*

d) De monſtro hoc hominis, qui Meſſiam nunquam veniſſe, nec venturum unquam, opinatus eſt impie, (quia conditio Judæis propoſita ab his non impleta fuerit, ex qua tamen promisſio illa pependerit, exiſtimans) legantur, quæ cap. II. & III. *Hiſt. Crypto-Socin.* ſunt paſſim annotata, conjunctis ſimul Epiſtolis, quæ in *Opp. Socini Appendice* reperiuntur, eam ad rem ſpectantibus & impresſis.

e) Hac in parte doctrinæ, a Fratribus cæteris diſſentiens, cui & *Ruarus* videtur eſſe adſtipulatus.

f) Pluribus illud, ex argumentorum præſertim debilitate, tam probantium, quam objecta deſtruentium, dedita opera & callide adhibitorum, oſtenſum eſt, ab omnibus propemodum, qui de eo ſcriptisque vanisſimi hujus *Vanini*, inprimis

ſunt ſane, qui de Campanellæ a) Triumpho Atheismi idem ſentiant: de quo ego tamen judicium mihi ſumere nolim. Vale. Vir Clarisſime. Dabam Gedani. b)

L.

M. MERSENNVS M. RVARO.

Statim atque hacce prima Decembris die tuas literas accepi, Vir eruditiſſime, miratus ſum tuam inſignem modeſtiam; quippe *qui* cum hic audiaris primus omnium doctorum, qui Dantiſci degunt, te nihilominus velut incognitum prodas; ſed qui nequeas nobis hos radios ita ſuffurari, quibus illis præluces, quin ſplendor aliquis nobis affulgeat. Quapropter doleo, quod nihil velis edere, quo juves Chriſtianam rempublicam. Hinc enim fit, ut plurimorum libros volvamus exſuccos, cum egregii cordatique viri nil ſcribere velint. Porro ſum in ea ſententia, poſt Socini libros nil in eo genere ſcriptum eſſe 238 ſubtilius operibus Crellii, quem diutius vixiſſe fuiſſet operæ precium, ut Biſterfeldio repoſuiſſet; quo doctiorem in rebus Theologicis Calovium exiſtimo: cujus opera, c) ſi perficiantur, ad me mitti velim ea lege quam edixiſti.

vero de *Amphitheatro Providentiæ divinæ* famoſisſimo egerunt, *frigidamque probationem ejus tacitæ*, ut *Barlæus* loquitur, *improbationi viciniorem eſſe judicaverunt.* Quicquid ſit de aliis, ingenii forte exercendi cauſa, defenſionem ejusdem molitis. Arnoldum enim ſuſpiciones in transverſum abripuiſſe, liquet.

a) Hunc certe ſingularium potius *meletematum* affectatione, quam *Atheiſmi incruſtatione* peccaſſe, plerique exiſtimant.

b) Scripta eſt epiſtola hæc anno 1640. inclinato: quod ex ſequenti anno 41. exarata efficitur.

c) Adverſus *Socinianos* videlicet ſcripta ſingularia, ea potisſimum, quæ poſtquam *Roſtochii* jam edere nonnulla cœperat, inter quæ palmam cæteris præripuit Diſp. auſpicalis *Quiſtorpio* præſide propoſita, lucem adſpexere. Opera enim *Anti-Sociniana Calovii* integra, tribus partibus conſtantia, anno 1677. ſeqq. - 1680. demum fol. *Vlmæ* excuſa prodiere. Ad quæ continuanda & perficienda jam tum a b. *Nic. Hunnio* exſtimulabatur, eumque etiam ἐργοδιώτην videtur ſecutus. Cæterum, quia hac occaſione epiſtola ad amicum quendam, *Ganovium*, *Regiomontum*, ſi recte rationes inii, perſcripta eſt a *Ruaro*, eam cum reliquis heic recuſam ex Part. I. Opp. *Anti-Socin.* dabimus.

Generoſe Ganovi. Clariſſimum Doctorem Calovium a me ſalutes velim, ſimulque narres, eſſe Lutetiæ Pariſiorum virum eruditisſimum Pontificiarum partium, qui libros ejus omnes, poſtquam Roſtochio valedixit, contra nos editos deſideret: quo circa roges, ut eorum tibi det indicem, ſimulque oſtendat, ubi eos nanciſci poſſis. Tu vero eos omnes emas, & ad me, cum occaſio erit, mittas: pretium, quod impenderis, lubenter tibi reddam. Quæ Roſtochii D. Calovius edidit, vir is eruditisſimus, quem dixi, a Joh. Fabritio nactus fuit, quæ adeo illi placuerunt, ut ſcribat, Biſterfeldio ſe doctiorem in rebus Theologicis Calovium exiſtimare, (*verba ejus ſunt ipſiſ-*

Quod attinet ad 8 caput lib. 3. Manaſſæ, mutuo ſumam librum huncab aliquo, hic enim habetur, ut videam, quid de reſurrectione deque templo dicat, ut meum poſtea judicium audias. Vaninus ille fingebat hic ſe contra Atheos agere, & cum duos libros ſuorum dialogorum a) Franciscano doctori probandos obtuliſſet, obtenta approbatione tertium librum adjunxit, ſicque fefellit doctorem. Noſti, credo, quam miſere *vitam* finierit Tholoſæ, quapropter non explico.

Supereſt, ut exoptem, Chriſtianos tantundem deinceps de charitate ſolicitos eſſe, ac de fidei articulis ſunt hactenus. Sola nempe charitas noſtras controverſias componet, & qui charitatem habuerit, ſalvus erit: Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Faceſſunt lites, ubi viget verus Chriſtianismus.

Jam legimus præclaras illas in Evangelia Grotii obſervationes Amſtelodami hocanno b) editas: de quibus judicium tuum velim expetere

ſima) quod judicium D. Calovio ſpero non ingratum futurum. Vale Dab. Gedani XXVIII. Januarii anno MDCXLII.

Tui ſtudioſiſſimus
Mart. Ruarus.

Quas litteras tanto lubentius repetere h. l. voluimus, quod non ſolum illuſtrare hæc verba *Merſenni* poſſunt, ſed ex hac noſtra epiſtola ſimul elucet, eum, cujus meminit ad *Ganovium* ſcribens *Ruarus*, *Gallum* non *Dionyſium Petavium*, uti Editor operum *Calovii* conjecturam fecit, ſed *Marinum Merſennum* fuiſſe.

a) De *Dialogis* ergo h. l. ſermo eſt, qui de *Admirandis Naturæ Reginæ Deæque mortalium Arcanis* anno 1616. forma 8va Lutet. ap. Adrian. Perier prodiere. *Amphitheatrum* enim, cujus paullo ante meminimus, *Prov. div. &c.* Lugduni anno 1615. 4to lucem vidit. Tantoque credibilius eſt, hac fraude adhibita circumventum fuiſſe *Franciſcanum* monachum, quoniam *Edmundo Corradino* Guard. iſtius ſocietatis & *F. Claud. le Petit* traditus, horumque approbatione communitus libellus iſte dicitur in fronte prælo ſubjectus. Vtut vero colorem qualemcunque oſcitantiæ admiſſæ inducendi cauſſa hæc ſparſerint ſodales illi, quæ noſter h. l. narrat, an veræ ſint hæ circumſtantiæ, noſtrum non eſt pronunciare. Suſpicionem forte movere queat, quod invito *Vanino* opuſculum hoc excuſum eſſe, qui ediderunt, videri voluerunt. Nos rem omnem in medio relinquemus, haud ignari, quantum & edentium & cenſentium ſimulationi atque diſſimulationi tribuendum ſit. Hoc tamen non poſſumus, quin vel tribus verbis moneamus, multo pejores hos eſſe *Dialogos*, in quatuor libros diſtributos, quam *Amphitheatri* argumentum, utpote in quibus colloquiorum ad modum, ubi quid affirmetur aut negetur, incertum manet, & ſalſe ridendi doctrinam de DEO, & impietatem animi fucandi uberrima fuit occaſio, ipſaque tamen mens auctoris, quæ fuerit, undequaque pellucet.

b) Anno 1641., quo in *Evangelia IV.* primum comparuere *Grotii* notæ Amſtelod. impreſſæ cum *Ep. ad Epheſ. princip. & Annott. in II. ad Theſſ. II.* & *Appendice de Anti-Chriſto* fol. in qua *Molinæo* & *Mareſio* ad Tr. paullo ante 8va forma evulg. *de Anti-Chriſto* quædam monentibus reſpondit, eosque *Frontonis* & *Borbovitæ* nomine appellat. Curioſa de reliquo ſunt lectu, quæ de opera *Ajalæ*, *Corſellii* & ipſius quoque *Brenii* in hujus operis correctione impen-

expetere. Jam alias notas in totum antiquum Teſtamentum, & in reliquum Novum parat. Sed & ad calcem videbis, quid de Antichriſto dicat, & quid reponat Molinæo, qui ejus fuerat ſtrigil. Cum au- 239 tem chartæ mihi ſuperſit nimium, velim addere, quæ ſequuntur. Primo, me graviter ferre, quod nolint Chriſtiani omnes in eandem ſententiam, quæ vere nutriat charitatem convenire: unde lites & bella perpetua, quibus parum abeſt, quin genus hominum conſumatur. Secundo, videri propterea vivam religionem Chriſtianam in pejus ire: quandoquidem non jam deſunt homines, neque credo apud vos, qui contendant hunc unicum articulum fidei eſſe ad ſalutem neceſſarium, nempe Jeſum eſſe Chriſtum; quod illi ex Deo nati dicantur, qui illud crediderint, & quod unum urgebant Apoſtoli. Quibus alii ſubjungunt, ne quidem iſtius articuli fidem internam neceſſario requiri, quippe quæ non ſit in noſtra poteſtate: ſufficere vero profesſionem ſeu confesſionem externam iſtius articuli, hoc eſt, ſi præſtetur obedientia jusſis magiſtratus. Vide, Vir optime, quo ruant hominum ingenia ſibi permiſſa, quasque ſibi laxent habenas, aliosque propterea ſuſcitent, qui jam ſuſpicentur omnem religionem eſſe fictitiam, & ab hominibus acutis inventam: ex quibus exurgunt athei, qui non ſolum providentiam, ſed & ipſum Deum tollant: quorum ego rationes ad Geneſin aliquando proferebam. Quid dicam de quibusdam chymiſtis, qui vetus imo & novum Teſtamentum nil aliud ajunt, quam elixiris ſeu lapidis philoſophici a) diſciplinam, ut & Deus ipſe 240 ſit illud diſſolvens univerſale, cui easdem proprietates tribuunt, quas nos Deo præpotenti omniaque pervadenti tribuimus. Quam igitur miſerum oportet eſſe Chriſtianum tot inter ſtultorum nænias, ni quibusdam limitibus a patribus noſtris poſitis contineatur. Quot lapides e fundamento Chriſtiano Nicæno movent veſtri novi Chriſtiani? quot item alii moturi deinceps, partim noſti, partim facile prævidere posſis. Satius longe judicarim terminos a patribus Græcis & Latinis præfixos retinere, tametſi nonnihil ſuperſtitionis contineant, quam veteribus contemptis nova pejora b) cudere. Sint plures ceremoniæ,

ſa in epiſt. *G J. Voſſii* (*epiſt. Remonſtr.* n. 560. ed. med.) habentur.

a) Quos inter nugatores poſt *Jul. Sperberum* cumprimis excellebat *Michael Maier* Conſil. Cæſar. & Hasſiacus, qui in Script. quoque Sacra ſibi inveniſſe hæc arcana Chemica viſus erat, lapidemque Philoſophorum κατὰ ῥητὸν Apoc. II, 17. ſe reperiſſe ſibi perſuaſerat, aliisque perſuadere conatus eſt: ut alias hujusmodi nænias taceam, ad eum modum, quo *Tollius* mythologiam antiquam explanare laboravit, vel ex Cantico Canticorum &c. excogitatas.

b) Incertum eſt, quorſum hæc ſpectent,

niæ, quæ Scripturis non contentæ, imo si vis, quæ gentilismum sapere videantur: numquid præstat, aliquibus sepibus ad legem Christi custodiendam uti, quam apris illius vineam apertam committere? Suas & sepes Massorethæ constituunt Testamento veteri. Neque minora, aut quæ nullius pretii videantur, contemni debent, ut majora serves. Satis sit Christiano, prudentiam serpentis conjungere simplicitati columbinæ; illas omnes ceremonias ad Dei gloriam referre; ad quam nullus dubito, quin omnia quantumvis ἀδιάφορα * sincero relata corde, sancta Deoque grata reddantur; omnia denique propter electos, hoc est Christianos, qui charitati student, quæ omnia suffert, omnibus benefacit, neque quærit quæ sua sunt, sed quæ Christi: qui cum unicam Dei Patris sui gloriam quærat, certe dum ejusdem gloriam quærimus, & voluntati divinæ obedimus, idem cum Christo facimus, eique veluti capiti nostro regali inserimur. Sancte juravero nil aliud quæri a Christianis, quos dicunt vestri pontificios, præter illam gloriam. Ita de me sentio, charitasque jubet & volentem cogit, ut de reliquis idem judicium feram: cum enim mihi cupiam credi, cur non credidero idem mihi prorsus sancte jurantibus? Faxit Deus, ut brevi omnes in unum & idem animo conveniamus, cum non possimus corpore.

241

Petavium a) jam adversus Crellium editum, sed nondum venalem exspectabis circa mensem Majum. Spero vestros fortissimum, saltem politissimum & Græce scientissimum experturos. Quam præstaret, nullum deinceps adversarium occurrere, ut cum Psalte cantemus uno corde, *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum:* quod potius desiderem, quam sperem. Vale doctissime Vir, deque thesauris tuis nobis tandem aliquid prome, tuique obsequentissimum

* Indifferentia.

Videtur tamen verbis generalibus, & velut ex obliquo *Socinianorum* doctrinam *Mersennus* sugillare atque pungere voluisse; quos constat, cum superstitione Pontificia (non obscure hoc loco concessa, quæ rara est, a monacho confessio reddita,) etiam summa fidei *Nicænæ* capita, ex Sanctissimo revelationis S. fonte deprompta, eversum ivisse. Inter quos e via regia excessus, tanquam inter Scyllam & Charybdin, nostri tutius & laudabilius navigant. In hanc de cætero, de *pace & concordia* Eccles. disputationem videtur per *Grotii* t. t. molimina & *Annott. ad Cassandri Consult.* eodem anno evulgatas deductus, quos fucos sibi non notari aperte satis, at modeste, ut solet, professus est *Mersennus*.

a) Non est, quod de alio libro cogites, L. B. quam *Dionysii Petavii* e Soc. JEsu Presbyteri, *Dogmatibus Theologicis*, quod opus imperfectum quidem, sed tamen, qua priores partes, amplissimum omnique eruditione refertum, hoc tempore in publicum dari cœpit. Comparet cum his B. L. si lubet, epist. 57.

tiſſimum Merſennum credito. Calendis Decembris, eodem die quo tuas accepi. Lutetiæ Pariſiorum. a)

Jam memini, tuam famam cum celebritate ad me perveniſſe per Joannem Fabritium b) Dantiſcanum, qui, dum hic adeſſet, me nonnunquam viſebat.

242

LI.

M. RUARUS M. MERSENNO.

Reverende Pater, Multum ſane debeo Fabricio noſtrati, c) quanquam mihi (quod ſciam) de facie minime noto, qui tam honorifica mei commendatione tuæ mihi amicitiæ proxeneta fuit, quam pluris, quam tu forte putas, æſtimo. Noli tamen aliis plus de me credere, quam mihi ipſi, qui mecum habito, & novi, quam ſit mihi curta ſupellex. Quæ Calovius contra nos edidit, quoniam tanti tibi videntur, do operam ut pro te conquiram, & cum naves hinc ſolvent, iſtuc mittam. Scribitur mihi ex Gallia veſtra, præter Petavium Jeſuitam doctiſſimum, eſſe quoque Salmurii Placæum d) quendam, qui ſtylum contra Crellii librum de uno Deo Patre ſtringat. Prodiit hic jam & Botſacci e) noſtri contra illum refutatio. Ita ergo liber ille Crellii poſitus eſt εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον·* de quo tamen memini magni cujusdam inter Reformatos, quos vocant, theologi judicium, eum, niſi ſtatus controverſiæ mutetur, refelli non poſſe. Quorſum iſte ſpectaverit,

* In ſignum, cui contradicitur.

a) Anno 1641. quod ex ed. hoc anno in *Evang. Notis Grotianis* conficitur.

b) Illum, qui in *Arabicæ* linguæ cultura jam ante tantos progreſſus fecerat, ut *Roſtochii* anno 1635. eadem lingua orationem de *Dignitate & Commendatione* ejus publice recitarit, & *Goliana* diſciplina aliquandiu uſus, poſt *Belgium* luſtratum *Angliam* quoque & *Galliam*, ubi in *Merſennum* incidit, peragraverat, domumque anno 1642. redierat; ubi V. D. M. in æde *Bartholomæana* & tandem *Catharinæa* conſtitutus, vicesque *Rectoris Gymnaſii* patrii, poſt b. *Calovii* abitum, adminiſtrans, ex peſte anno 1653. ex hac vita excesſit. Cauſſa, cur *Merſennus* hujus cum *Fabritio* colloquii meminerit, ex epiſt. 49. initio repetenda nobis videtur.

c) Vid. epiſt. præced. n. 50. *Appendix.*

d) *Joſuam Placæum*, virum doctisſimum & *Amyraldi* hypotheſium aſſeclam: cujus anno 1655. ibidem defuncti Tr. de *Divinitate Chriſti*, *Crellio* potisſimum oppoſitus, deinde etiam publicam lucem adſpexit, & cum Operibus cæteris *Franekeræ* conjunctim prodiit, poſtquam Diſputationum in modum *Salmurii* antea, & quidem prima iſtius tractatus pars, quæ de *Argumentis agit, quibus efficitur, Chriſtum prius fuiſſe, quam in utero beatæ Virginis ſecundum carnem conciperetur*, ſeorſim anno 1649. Diſp. 33. conſtans, (quarum prima ſub initium anni 1647. habita eſt,) comparuit.

e) Cujus Anti-Crellius jam anno 1642. 4to prælo liberatus eſt.

rit, fortasse non obscurum erit illustrissimi cujusdam legati a) sententiam b) expendenti; quæ utut a nostra diversa est, minus tamen quam illa communis contradictionibus est implicata. Cæterum quoniam de summi illius viri nuperis in Evangelistas annotationibus judicium meum requiris; ingenue tibi fateor, me post tot ab aliis exaratos & a me lectos commentarios, vix putasse tam multa, quam ille profert ex abysso eruditionis, & singularia & eximia superfuisse. Diu ab Heinsio c) aliquid non vulgare exspectaveramus: sed si quid ego sapio, ne palum quidem ille præ hoc in parietem figere dignus. Aliter profecto olent catuli, aliter sues. Delectavit me plurimum in his annotationibus, quod non paucas inter nos tritas Sacrarum literarum explicationes, quibus ab omnibus aliis in diversum abire credimur, autoritate tot Latinorum, Græcorum, Hebræorum firmatas atque stabilitas ibi viderim. Gloriosum fortasse nonnullis videtur sapere præ multis: at mihi nihil gratius, quam cum multis sapere, piis, inquam, atque doctis, ac præsertim antiquis, modo per animi conscientiam liceat: alioquin enim ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. * De commentario super loca de Antichristo mallem sententiam meam non exegisses: quanquam & ille doctrinæ profundæ ubertate patrem suum refert, sunt tamen in eo non pauca, in quibus aqua mihi hæret. d) Quæ in caput secundum posterioris ad Thessalonicenses affert, præter alia cum ratione temporum e) pugnare mihi videntur, prout alii jam aliquate-

243

* Sanctum (æquissimum) est, præferre veritatem.

a) *Hug. Grotii*, Legati Suecici.

b) Remonstrantium placitis accommodatam, & acceptilationem intermiscentem, at veram & vicariam pro nobis satisfactionem, qua iram divinam Christus placaverit, adstruentem.

c) Ad *Exercitationes ad Novum Testamentum Dan. Heinsii* respicit *Ruarus*, quæ, libris XX. comprehensæ, nuperrime anno 1639. fol. Lugd. Batav. evulgatæ fuerant. Cui, cum *Aristarcho Sacro* vetustiori mox editio *Cantabrig.* anno 1640. successerat. Cur *Ruaro* displicuerint, quando alii conjectandi licentiam reprehendunt, non alia mihi videtur caussa, quam ipsius *Nonni* de *Arianismo* justa, an injusta, non disquiram, accusatio, & perfrequens in eosdem hæreticos invectiva, & *Heinsii* a *Remonstrantibus* alienior animus. *Hinc Grotius*, quod non dissimulavit, paullo post noster, anteferendus videbatur. De cætero, quid *G. J. Vossius* de hoc *Heinsiano opere* senserit, perinde uti de ipso *Heinsio*, in *epist. ad Grotium*, quæ inter epist. Remonstr. n. 553. locata est, legere non pœnitebit. Vbi & n. 567. *Episcopii* multo iniquius de eodem opere pronunciatum legi meretur.

d) Immo vero non aqua hærebat *Ruaro*, quem non alium istic describi l. c. quam Oecumenicum illum tantopere se super omnia efferentem Episcopum Romanum, novimus statuisse, sed monacho ne bilem moveret, in os idem dicere potius veritum esse, luculenter patet.

e) Omnium compendiosissime hæc aliaque dubia non multo post complexus, at-

quatenus demonſtrarunt: a quorum impugnationibus nondum eum apud me abſolvit Appendix nupera. a) Cui enim perſuadebit, Timotheum, qui Paulo ſub finem Neronis in vinculis agente monendus adhuc erat, ut juveniles cupiditates fugeret, ſub initia Caligulæ, id eſt, 244 plus quam viginti annis ante, ab eodem in ſocietatem ſcriptæ ad Theſſalonicenſes epiſtolæ tam gravis aſſumptum? Jubet nos vir antiquitati addictiſſimus contra omnem antiquitatem credere, poſteriorem ad Theſſalonicenſes epiſtolam illa priori prius exaratam. Quonam igitur pervenit iſta prior, niſi hæc eſt, quæ extat, cujus ipſe in II ad Theſſalonicenſes II, 15. facit mentionem?

Reliqua deſiderantur.

LII.

M. MERSENNVS M. RVARO.

QVanto me gaudio tuæ noviſſimæ perfuderint, Vir eruditiſſime, vix ipſe credas, cum ob tuam humanitatem ſingularem, tum ob eum animi candorem, quem præ te ferre videris. Vt igitur illud teſter abundantius, hiſce litteris tibi plurima, quæ forte palato tuo non parum arrideant, libenter aperiam.

Contendunt plerique, Notarum autorem b) Paulum Samoſatenum ſuſcitaſſe, nec ulla religione teneri. Sed paſſibus adeo ſubitis progredi nolim, Domino ſiquidem ſtat vel cadit, qui ſolus corda profunde vereque ſcrutatur. Nec alii deſunt, qui ſcopum illius & inſtitutum laudent, quod Chriſtianorum ſchiſmata c) tentet ad ejusdem fidei charitatisque unionem adducere. Quid enim, amabo, Deo gratius, hominibus poteſt eſſe jucundius & utilius, quam *ut* ſub eadem 245 fide, ſpe & charitate, in eadem eccleſia militante, eadem unitate gaudeant atque fruantur? Vix certe credo, te ſocietatem & fidem Auguſtini detrectare, cujus amoris in Deum ardorem ex illius ſcriptis probe noſti: neque, puto, damnabis omnino Concilium Nicænum. Sed videre mihi videor, quid vos a noſtris dogmatibus deterreat: nempe ſtupendum illud de tribus perſonis una gaudentibus eſſentia. Quid

 ſi pater

ſumta *Joh. Simplicii* larva, *Jonas Slichtingius* orbi propoſuit erudito, in *Notis ad doctiſſimi cujusdam Viri* (*Grotii videlicet*) Comment. ad 2. cap. epiſt. II. ad Theſſal. forma 8va anno 1643. typis, ut opinor, Belgicis impresſis.

a) Cum *Annott. in Evangel. IV.* ut paullo ante dictum eſt, præter alia quædam, edita, de Anti-Chriſto agens.

b) *Grotium* puta, de cujus Notis in Evangelia IV. ſupra actum erat.

c) In *Annotatis ad Caſſandrum* paullo ante commemoratis, a *Riveto* deinceps, ut notum eſt, ſolide excusſis.

ſi pater dicatur, ut eſt, origo intellectus, quo ſe perfecte intelligit, & voluntatis intellectu mediante; a) ut hinc tres relationes manent, quas nomine perſonarum majores noſtri donandas cenſuerint. Scio, quantis difficultatibus trinitas in unitate laboret: nec jam velim in unitate arithmetica trinitatem in unitate demonſtrare: quandoquidem acutius rimanti ſufficere poteſt, nullum eſſe religionis Chriſtianæ myſterium, quod ejusmodi careat difficultatibus. Noſti ſiquidem, intellectu capi non poſſe, quomodo Deus inviſibilis, infinitus, & ſpiritualis, res corporeas & finitas creare potuerit; adeo ut malint plurimi credere, mundum independentem eſſe ab æterno & ex ſe, quam ut hasce difficultates devorare queant. An igitur illos laudaveris, quod tam a vobis quam a nobis recedant, quoniam exiſtimant repugnare, mundum hunc tam imperfectum ab ente tam perfecto fieri. Alii putant repugnare Dei perfectioni, ſi rerum iſtarum adeo vilium curam ullam habeat. An igitur vos imitari debent, ut illorum conſortium vitent, qui Dei providentiam admittunt; quemadmodum adverſus nos detonatis, quod Trinitati benedicamus? Quam, obſecro, vobis injuriam inferimus, quod credamus tres illos, qui dant teſtimonium in cœlo, unum eſſe? Vultis voluntatis unitatem, quod fatemur: ſed & eſſentiæ noſtram unitatem ſuſtinere. Si nondum poteſtis credere, donec major illuceſcat dies, ne demnetis eos qui credunt. Vix dubitem, Vir præſtantiſſime, quin ægerrime feras, ſi quis neget Chriſtum eſſe Regem & Meſſiam, & natum ex virgine. Quot ſunt tamen, qui nequeant comprehendere id eſſe verum, cum id illis omnino repugnare videatur? Adde non deeſſe, qui Deum ipſum tollant, quod hic nihil videant præter res finitas, quæ teſtari non videntur ſatis autorem ſuum. Qui nempe finitum repræſentet infinitum? Sed quid pluribus virum doctiſſimum alloquar, qui hæc omnia probe novit, & qui poſſit absque ullo conſcientiæ ſcrupulo Deum in illa eccleſia celebrare, quam D. Auguſtinus, Ambroſius,

246

a) Ita multi de tanto myſterio, utcunque explanatius tradendo, ſoliciti, ſed invitis aliis judicarunt, quorum ex profeſſo ſpeculationes diſcusſit in Appendice Lib. *de Vſu rationis in rebus divinis contra Vedelium* editi b. *Joh. Muſæus.* Rectius qui ἐμβατεύειν in ea, quæ non viderunt unquam, nolunt potius, quam temere ignem manu tangere ſenſerunt. Hoc negare non auſim, de *Imagine Patris*, quam filius exhibeat, luculenta Col. I, 15. & Hebr. I, 3. teſtimonia, cogitandi talia occaſionem dediſſe, a *Philippo* etiam *Melanchtone*, filium cogitando genitum eſſe, identidem in ſcriptis ſuis repetente, conſtanter, dum viveret, approbata, eademque nec nobis videri contemnenda. Sed tamen, quoniam facilis eſt in hiſce mentis humanæ ad errores lapſus, in generalibus heic ſubſiſtere conſultius & ipſi putamus eſſe, quam labyrinthum, absque filo Ariadneo, ingredi.

ſius, & alii viri magni & ſancti tanta conſtantia ſecuti ſunt. Vtinam noſtra ſors ſit eadem in æterna beatitudine, quæ Nazianzeni, Chryſoſtomi, Baſilii & aliorum, quos mecum, credo, ſuſpicis & admiraris. Cogita, quanto labore, quantisque vigiliis Socino a) ejusque ſociis opus fuerit, ut loca Scripturæ, quæ prædictis patribus Chriſti divinitatem ſuaſerant, in alium ſenſum verterent: quale eſt, *antequam Abraham erat, ego ſum:* adeo ut non deſint inter vos, qui dicant, illam veſtram explicationem ei revelatam eſſe. Abſit, ut vel tibi vel ulli alteri velim inſultare, quos potius egregios viros exoſculer, & vicem doleam, quod non eadem area portam ſalutis adeamus. Scio vos lachrymas fundere, ut idololatriam agnitam damnemus. Sed crede mihi, nulla penitus idololatria, nec illius periculum; & quæcunque Catholica facit Eccleſia, ad ſolius Dei gloriam b) collineant. Ad alia vero tranſeamus, præſertim quæ tuis literis attingis; Grotium primo, cujus Notæ magnam animi vim & peritiam arguunt: quanquam aliis jejunæ videantur, quod fere profanis autoribus contentus, eos Chriſti doctrinæ videatur æquaſſe. Iniquiores, quod ita gratiam & Evangelium velint extolli, ut naturam non ſolum deprimant & opprimant, ſed omnino deletam cupiant: ac ſi Deus idem qui gratiæ, non ſit etiam naturæ notitiarumque naturalium, quas Epictetus, Hierocles, Porphyrius, Plato explicarunt, unus & idem autor, & quicquid veri docuere, non peræque a Deo, ac ipſum Evangelium proficiſcatur. Non es ſolus, qui commentarium de Antichriſto improbet: quamvis alii riſu digni videantur, qui ea de Pontificibus noſtris uſurpant: nec enim ævo Pauli & aliorum Apoſtolorum illam pompam c) vidiſſe potuerunt, quæ nulla erat, cum tum jam plurimi eſſent antichriſti: d) quos præſertim arbi-

 tror,

a) *Lælio* puta, a quo eas, nominatim vero illam ad l. c. Joh. VIII. interpretationem famoſiſſimam accepit, *Fauſtus*, atque ut divinitus propemodum inſpiratam deprædicavit.

b) Quam male vero hæc evenerint Jerobeamo, aliisque ex Iſraelitis conſilia haud diſſimilia, 1 Reg. XII, 28. ſeqq. docetur. conf. Ex. XX, 4. Deut. XII, 32. Lev. XXVI, 1. Rom. X, 14. 1 Cor. X, 14. 1 Joh. V, 21. Apoc. XIX, 10. &c. Forte huc rectius illud, quod vulgo dicitur: *Bonam intentionem ſine verbo DEI, diaboli eſſe inventionem,* quadrabit.

c) Non vidit quidem *Paullus* coram pompam Anti-Chriſti, at *prævidit* tamen, quando de eventu impoſterum futuro diſerte loquitur, & quidem tali, cui κατέχων aliquis adhuc impedimento ſit, & impoſterum quoque id objicere debeat, donec penitus removeatur. Quod quale ſit, ex eo nimirum genere, quod σεβαστὸν vocetur, ipſe dilucide explicat. Plura ad ſcopum noſtrum in præſens non requiruntur.

d) Ita eſt, plures l. c. 1 Joh. II, 18. eſſe & jam tunc fuiſſe dicuntur; Sic tamen hoc nomen minoribus accommodatur, ut *parvi* illi inſigni cuidam Eccleſiæ hoſti quo-

248 tror, qui Christum populis imposuisse dicebant, vel qui Christianum cum pallio ambulantem digito monstrabant, clamabantque ὁ γρωικὸς ἐπιθέτης. * Certe nondum in mentem inducere potui, ullum ex Christianis, qui Jesum Christum Dominum nostrum pro rege ac filio Dei colunt & agnoscunt, esse vel dici debere antichristum, quidquid etiam Evangelio superimposuerit. Quis enim unquam vel addidit vel etiam substraxit Evangelio, nisi quia credidit Christum propterea majori honore affici? Quis Antichristus? qui modos omnes quæsiit, quibus suam adversus Christum propensionem, & animi cultum sui testaretur? Atque adeo mihi persuasum est, qui dicuntur Antichristi sive præsentes sive futuri, eos esse duntaxat, qui Christianam doctrinam impugnarent, a) nollentque se vel alios ei subjici: quos inter Musselmannos & alios Christianorum irrisores ausim reponere. Quod sentis de paganorum virtutibus, existimo singulis nullo præjudicio utentibus visum iri: sunt enim aliæ virtutes in Christiano, aliæ in philosopho. Quodnam amabo lumen hic sequitur, cum in omnes beneficus est, cum etiam hostibus parcit; an aliud, quam quod habet a Deo, juxta id, *signatum est super me lumen vultus tui Domine?* Ergone Deum offendit, qui lumen illius libere sequitur? Sed ajunt, non agit ob amorem & gloriam Dei, ad quem qui non refert omnia, fur est & latro. Sed nullus præter id, quod potest, agere tenetur: lumen

249 illud Christianum Deus nunquam illi præbuit, quo si tantisper illustraretur, magnis passibus me forte superaret. Qui promptissimus est ad omnem actum virtutis, & corde profitetur, se, quidquid agnoverit bonum & honestum esse, strenue facturum, qualem nunc suppono Hieroclem, aut Arrianum ejus discipulum, aut alium quempiam, damnabiturne a Christiano tanquam criminis reus, aut nulla virtute præditus? b) Quanto citius ego pedibus & manibus iverim in Justini marty-

* Græcus impostor.

dammodo præludentes, *majorem* istum non tollant, sed magis confirment: utpote quem certo venturum, prodromisque tandem successurum esse, hinc Apostolus colligit.

a) Male ita sibi persuasum habuit *Mersennus*, non animadvertens, eos etiam esse *oppugnatores* veritatis, qui directo id non faciant, sed ex *obliquo* & quasi aliud agendo. Neque etiam trita magis & periculosior hostium nocendi via est, quam illa, qua per amici nomen fallere & nocere solent.

b) A Paullo, immo ipso Christo, servatore nostro, damnatur. Quorum hic: *Qui non credit in filium DEI unigenitum, jam judicatum esse*, inquit; Ille vero: *Quicquid ex fide non est, peccatum esse*, pronunciavit. Cum quibus assertis luculentissima *Ep. ad Tit. I.* commata 15. & 16. conjuncta, quid de virtutibus hujusmodi habendum sit, exacte definiunt.

martyris ſententiam, qui contendit, philoſophos veteres, qui juxta rectæ dictamen rationis vixere, fuiſſe Chriſtianos, ſi non re, ſaltem voto implicito. a) Vnus tamen ſcrupulus mihi, tibique credo ſupereſt ex D. Paulo ad Romanos, ubi cap. I, 20. illos facit inexcuſabiles, quod Deum agnitum non glorificaverint: quod quanam ratione quadret cum iis, quæ Hierocles habet in XLVII verſum Pythagoræ, vide, ſi ad manum habueris; ubi fatetur preces Deo fundendas, priusquam opus aggrediamur, Deoque tribuit, quæ nos Chriſtiani fatemur. Gaudebo certe tuam de ſimilium paganorum ſalute vel damnatione ſententiam audire.

Quod ad noſtras cæremonias attinet, quæcunque extra fidei canonem fuerint, ne credas, me vel unico Scripturæ jotæ vel adæquare vel comparare; quæ ſi vel oblivione, vel alia re, absque ſcandalo & contemptu omittantur, nullum ſaluti præjudicium faciant. Quæcunque vero creduntur, in Scriptura reperias habere baſin hujusmodi, 250 quæ fidem absque ſcrupulo poſſit ab animo vere Chriſtiano, qui contentiones oderit, impetrare. Quid ſi nondum poſſit omnia ſibi perſuadere? non omnia poſſumus omnes: quæ poteſt, amplectatur, quibus porro Deus cætera, cum volet, ſit additurus. In quo rurſus tuam ſententiam exopto: num quis Muſſelmannus absque fictione dicens, ſe velle quidem Chriſtianum fieri, ſed propter conſcientiam b) non poſſe, & qui nil in tota vita ſciens volens contra conſcientiam egerit, cœlo carebit? Ad noſtra redeo, ut ſcias, quod jam credo audieris, opera Grotii in Pentateuchum c) edi: qui brevi in Actus Apoſtolicos & Epiſtolas Pauli d) notas ſuas ſit etiam daturus; adeo ut in univerſam Scripturam illum poſſis expectare. Heinſium e) quidem eo longe videmus inferiorem, non tamen inutilem: & ingratos dixerim, qui ſtipem quantulamcunque ſibi erogatam manu grata non accipiant:

ego

a) Aliter 2 Theſſ. I, 8. ſeqq. judicat Spiritus Sanctus; quæ ſi cum tot locis de univerſali vocatione omnium hominum ſufficienti, etſi *non æque abundanti*, cujus differentiæ rationes inter ἀνεξιχνίαστα locum habent, conferantur, ſcrupulos hos omnes facile e via removebunt.

b) Non ignoravit haud dubie *Merſennus* conſcientiæ *erroneæ* rationes, & non ſolum eum, qui ſecundum illam agat, ſed & qui contra eam, periculo damnationis ſeſe exponere. Hæc ſi applicentur, momentumque etiam ignorantiæ, vel repudiatæ veritatis divinæ, cum addita conditione valde difficili, bene expendatur, facilis erit, opinor, hujus dubii ſolutio.

c) Prodiit ille cum reliquis V. T. libris anno 1644. fol.

d) Sequutus eſt labor iſte anno demum 1646. fol. Pariſiis.

e) Nec mirum: Criticum enim agebat, neque integrum Commentarium continuo ſtudio & capitum commatumque ordine unquam mihi videtur molitus.

ego vel obolum in Dei templum allatum a quocunque tandem ut thesaurum excipio. Quid si Salmasius a) noster notas in Evangelium aggrediatur? quid aliquando fundat! *quam* pulcre manum utrique de tabula possit tollere! quantos expectoret thesauros!

Hæc sunt, Clarissime Vir, quæ nunc scribenda putavi, donec tuas uberiores excepero. Idibus Aprilis, cIɔIɔCXLII.

251

LIII.

M. MERSENNVS M. RVARO.

STatim atque Fabricius ille vestras e peregrinatione sua rediit, Vir præstantissime, de repetendis meis ad te literis cogitavi, tum ut confirmem, quanti te faciam, tum ut aliquid proponam, quod in operibus Socini & sociorum illius mihi negotium facessit. b) Nempe cum illi nullum originis vitium agnoscant, quod in Adæ posteros transfusum fuerit, qua ratione possint asserere, Christum huc venisse, ut nos a peccatis liberaret: a quibus enim? numquid absque peccato nascuntur omnes, & permulti, quibus præceptores optimi circa octavum aut nonum annum præficiuntur, absque peccato vivunt; in quod si forte

a) Non intra vota tantum hoc substitit *Mersenni* desiderium, sed promisisse etiam, immo jam aliquo usque produxisse hujusmodi labores, æmulationis forte fructum, dicendos, non obscure testatur *G. J. Vossius* in *epist. Remonstr.* eaque nominatim, qua n. 553. occupat. In publicam tamen lucem nihil quicquam prodiisse dolendum est.

b) Vtut non contemnenda sint hæc, quæ *Mersennus* movit contra *Socini* hypotheses dubia; sunt tamen in illis etiam haud pauca, quæ ignorantiam placitorum *Socini* & dogmatum ejus sectæ aperte prodant. Cujusmodi est, quod existimat solius exempli vitæ sanctius agendæ dandi gratia Christum venisse in mundum; cum constet, etiam confirmandæ ejus, quam docuerat, legis & promissionis ergo, illum passum esse & crucifixum, itemque, ut aditum sibi ad cœlestem illam divinitatem pactitiam pararet, eosdem statuere tot mala sustinuisse. Accedit ad hæc negatio constans *Socinianorum*, apud *Stoicos* aut quoscunque alios melioris Philosophiæ Doctores præcepta illa sanctissima JEsu Christi perfectissima, ipsaque lege Mosaica præstantiora, uti quidem *Mersenno* visum est, reperiri. Taceo varia *Pontificiorum* κυρίας δόξας his porro *immixtas* v. g. pœnitentiæ, qua a peccatis ad DEVM resurgimus, per meram contritionem & amorem descriptionem, & non obscuram ejus quoque sententiæ defensionem, ne ipsis quidem Rom. Catholicæ Eccl. Doctoribus probatam omnibus, qua Christum a Pecc. Orig. nos duntaxat redemisse videtur statuere, aliaque hujusmodi *Pelagianismum Sociniani cœtus*, ut absurdum, quem tamen illi talem esse negant, exaggerantia. Quibus si parum adversus *Ruarum* inprimis, hominem vaferrimum, profecit, non est, quod miremur. Tametsi totum, quantus quantus est, *Socinismum Ethicæ vix Semi-Christianæ sceleton esse*, *non male dixisse*, quisquis ita dixit, lubenter & ipsi fateamur.

ſi forte quando inciderint, per contritionem vel amorem, quem Dei vocamus dilectionem, vel charitatem posſint ab eo reſurgere? Quorſum igitur Chriſtus venerit? ſi enim ad ſolum virtutum exemplar, lege Stoicos, præſertim Epicteti Arrianum, qui tot exempla, totque rationes explicat, quibus homines ad virtutis faſtigium provocentur. Vide qui vel comedendo dicat nos Deo placere poſſe, ſi nempe veſcamur δικαίως, εὐγνωμόνως, ἴσως, καὶ ἐγκρατῶς, καὶ κοσμίως· * quomodo nos accendat ad fratris, hoc eſt omnis hominis moleſtiam libenter perferendam, cum eundem nobiſcum habeat Δία πρόγονον, ** cap. 13. lib. 1. uno verbo Dei ſummam reverentiam, & proximi perfectam dilectionem commendet, & demonſtret. Quid ſi quartum ejusdem librum conſulas, ſi Hieroclem teras in verſus Pythagoræ, ad quos ait hunc eſſe ſcopum noſtrum, nos ὁμοιωθῆναι τῷ δημιουργῷ, *** idque πρὸς κάνονα τὴν ἀρίστην, **** illum ſi ad verſum quartum conſequenter legas, quid, amabo, requiris ulterius? Vt neque deſint, qui doctrinam illius dicant anteponendam Pauli epiſtolis, & Chriſti Domini præceptis ipſis, niſi præter doctrinam Evangelii, & exemplum, quo nobis præluxit, neceſſarium fuerit, ut nos ab originali labe per baptiſmum, aut quo vellet modo liberaret. Absque vero primo peccato, undenam fomes concupiſcentiæ, a) quo malum, quod nolebat Paulus operabatur? Certe ſum ego non minus potens & liber ac Adamus, ut nulla ratione peccem, ſi nullum ex eo peccatum contraxi, quod me pellat ad alia. Si non omnes in eo peccavimus, ut putabat Paulus, igitur neque ullus in eo peccavit. Sumus igitur ejusdem omnino juris ac Adamus antequam peccaret, atque hinc Chriſto non indigebat. Itaque ſcire velim, quamobrem venerit, & ad quæ peccata delenda ex animo Stoicorum & aliorum philoſophorum, qui pasſim teſtantur noſtras voluntates Dei voluntatem omni ex parte ſequi debere; hanc autem eſſe Dei voluntatem, ut ſancte juſteque ambulemus, vivamus, edamus. An igitur

252

* Juſte, grato animo, æqualiter, & continenter & modeſte.
** DEVM progenitorem.
*** Similem affici omnium opifici.
**** Ad optimam regulam.

a) Novum ignorantiæ *Socinianorum* doctrinæ documentum. Quis enim neſcit, inficiari quidem *Socinum* pronitatem ad peccandum, quæ in homine conſpicitur, ab origine atque a primo illo peccato, ſive ab uno illo primi hominis peccandi actu exortam eſſe, at ex continuatis tamen poſt peccatum illud *peccandi actibus, homines paullatim habitum contraxiſſe*, ſeque ipſos corrupiſſe, & ſic *corruptionis* iſtius *ſemina* per propagationem ad *poſteros transmiſiſſe*, ſimul fateri; quantumvis fomitem illum (perinde ut Pontificii poſt baptiſmum) non pro veri nominis peccato, ſed *morbi* inſtar habeat.

253 tur concedet Socinus illos Philosophos, quos Clemens Alexandrinus & Justinus Martyr Christianos audent appellare, non eguisse Christo? cum enim non sit acceptor personarum Deus, numquid ad illius attinet bonitatem, ut quosvis juxta rectæ dictamen rationis viventes diligat, *immo* servet in æternum?

Jam ob librum Gallice editum, virtutes a) paganorum fuisse veras virtutes asserentem, Theologos quosdam inter se dimicantes audimus. Quod Augustini sectatores negant, asseruntque fuisse vitia, quod debito fine caruerint, nempe relatione ad Deum, vel quod ob amorem Dei non egerint: aliis tamen asserentibus, b) sufficere, si conformiter rectæ rationi vixerint, & exempli gratia pauperi tribuerint eleemosynam: quod justum sit alteri fieri, quod tibi fieri velis &c. qua de re mentem tuam agnoscere velim.

Num ea vidisti, quæ Grotius ad Cassandri consultationem notavit, quæ contra Rivetus suis in Animadversionibus reposuit, quæque contra ei Grotius respondit? c) Digna sunt, quæ abs te legantur: sunt enim hi duo magni viri. Sed miror plurimum, ex tot, qui paci ecclesiasticæ navarunt operam, nullum esse, qui vel hilum profecerit: adeo res deplorata videtur. Vbi ergo pax illa, quam Christus toties se suis reliquisse dixit? Vale, Vir clarissime. Lutetiæ cIↄIↄCXLII.

LIV.

a) Occasione a *Franc. de la Mothe Vayer*, Consiliario Regio, Tract. *de Virtute paganorum seu gentilium*, Gallice scripto, data; in quo secundum legem naturæ ac virtute viventibus illis secundum tria tempora ab *Adamo* usque ad Abrahamum, ab *Abrahamo* usque ad Christum & *a Christo* ad orbis hujus consummationem solicite distinctis spem salutis plus minusque certam fecerat.

b) Nec male; dummodo inter virtutes *naturales* ac *spirituales*, qua substantiam actus, aut circumstantias laudandas aut vituperandas, & vocabuli denique *notionem accuratam* aut presfiorem in Scriptura Sacra usitatam, *vulgaremque* contra ac popularem discrimen non negligas. Præsertim si animo, nec ipsum Sp. S. τὰ τȣ̃ νόμȣ paganos bene moratos facere, Rom. II, 14. animadvertas affirmare.

c) Primus horum conatuum *Irenicorum*, quibus omnem pæne famam decoxit suam *Grotius*, erant *Annotata ad G. Cassandri Consult.* anno 1641. 8va publ. Hæc cum confutasset inprimis *Rivetus*, excipiebant *Animadversiones H. Grotii pro suis ad Consult. Cassandri notis* anno 1642. 8vo, & cum harum quoque *examen* idem suscepisset *Rivetus*, secutum est *Grotii Votum pro Pace contra Rivetum aliosque*, ut vocat, *Irreconciliabiles*, anno 1642. 8vo evulgatum; contra quod non multo post *Apologeticus Riveti, pro veræ & sinceræ pacis proposito, adversus conciliatorum artes pro fucata pace Eccl.* lucem mox vidit publicam. Cui postquam paullo ante mortem anno 1645. Irenopoli opposuisset *Grotius Discussionem Rivetiani Apolog.* iste *Dialysin* Discusfionis opposuit. Hæc scripta sunt, prima præsertim, in quæ digitum *Mersennus* intendit; ad cujus admirationem 2 Cor. VI, 14. seqq. conferantur.

LIV.

254

M. MERSENNVS M. RVARO.

MEisnerum a) duobus voluminibus a Slichtingio refutatum abs te, Vir eruditisſime, tandem hiſce diebus accepi, quorum pretium cum me jubeas retinere, donec ſumma magis excreſcat, etiamnum tuam in me benevolentiam & animi candorem experiris: quibus nunquam me ſuperari permittam.

Porro, Vir clarisſime, per tene ſtabit, quin omnes ad concordiam & charitatem redigamur? qui ab uno Chriſto veluti radice vitam trahimus? Magni illius Gregorii primi veſtigia legamus: cujus vitam & mores ſi ſequamur, vel Auguſtini, quid times? Vtinam eſſemus cum D. Baſilio, Nazianzeno, & aliis Eccleſiæ patribus! b) Quid vero de Trinitate? quaſi fuerint veſtro ſenſu idololatræ - - - - myſteria, prout a majoribus tradita ſunt, amplexi, neutri hac in re comprehendimur, & omnes unum verum Deum adoramus. Qui tibi curæ de iis, quæ non comprehendis, ſive de perſonis, ſive de iis, quæ absque intellectu diſputantur? Omnia charitate coaleſcant, neque fiat ſchisma: id unum præcipue in Evangelio requiritur.

Legendo reſponſionem Slichtingii adverſus Meisnerum, quam ad me miſiſti, *notavi, quod* initio contendit, rectæ rationi nullum articulum fidei repugnare, & ſapientes Græcos, Romanos, & qui ſtultam putaverunt doctrinam Chriſtianam, non fuiſſe ſapientes, neque recta ratione uſos. Dicat igitur nobis Slichtingius, vel tu pro eo, ſi posſis, qua ratione c) convincamus Græcum philoſophum non uti recta ratione, cum illam doctrinam rejicit, ob omnes illas rationes, quæ ſolent afferri contra religionem Chriſtianam: contendunt enim philoſophi, nos eſſe ſtultos, & nulla recta ratione fulciri, cum doctrinam

255

a) Ea quæ fuerint, ſupra jam ad Epp. Grotianas annotatum eſt.

b) Debile argumentum eſt, ſi auctoritati hominum fides noſtra inniti debeat, & e diametro *Paulli* 1 Cor. VII, 23. aſſertis adverſum. Vnus eſt Magiſter noſter, Chriſtus.

c) Non opus eſt his ambagibus, ſed veritas divinitasque Script. Sacræ, ipſiusque adeo religionis Chriſtianæ, argumentis primum *fidem humanam* gignentibus internis externisque demonſtretur, atque hoc modo *præparatis* contra temeraria judicia de Verbo DEI ad modeſtiam animis, Spiritus Sancti verbo ſuo doctrinæ Script. S. inſita virtute ſupernaturali *fidem divinam facturo* ejusque *operationi nobiliori* relinquatur. Hæc methodus eſt, inter preces pro hujusmodi hominibus fuſas, commodisſima. Cui ſi non ubique & apud omnes peræque reſpondeat eventus, contumaciæ id hominum refractariorum adſcribendum, ac divinæ providentiæ & juſtitiæ, etiam vindici, multa relinquenda ſunt.

adeo, ut ajunt, ridiculam amplectimur, nobisque a Mose & Christo fuisse impositum, cum a Deo missi non fuerint, sed caute se simplicium animis immiserint, & quæ probe nosti. Afferantur ergo regulæ rectæ rationis, quibus eos convincere possimus, non esse sapientes, non uti recta ratione, sed ea nos revera uti: & hoc opus, hic labor, tractatum necessarium ab aliquo vestrum requirens: in quo si vis ipse, pro tui judicii soliditate & eruditione maxima cum utilitate laborare possis. Oro Deum, ut tuam valetudinem, quam febri tertiana jactatam audivi, restituat. Idibus Maji cIↃIↃcXLII. Lutetiæ Parisiorum.

De Grotianis scriptis judicium meum accipe: virum illum mihi ad ecclesiasticam pacem natum a) videri, cujus scripta vix ullum possint offendere, in omnibus fere doctissimum, præsertim in jure & historia, in omnibus politum, contra quem vehementer adniror Calvinistas tanto impetu insurgere.

256

LV.

M. RVARVS M. MERSENNO.

TErnas b) a te literas, venerande Mersenne, superiore æstate accepi: quibus quominus responderim, primum peregrinatio mea Polonica, deinde morbus, variæ denique distractiones obstiterunt: quæ tamen caussæ non ita me mihi purgant, quin agnoscam venia mihi gratiaque opus, ut absolvi judicio tuo possim a negligentiæ crimine: eam vero non alia conditione peto, quam si culpam imposterum emendavero. Fusam tu mihi scribendi materiam literis tuis suggeris, ut libro, non epistola opus foret, si ad omnia, quemadmodum par erat, respondere vellem: eaque res (ut verum fatear) me quoque non parum a scribendo retinuit, cum vix prius animum ad exarandas literas instituere possim, quam quo die tabellarius eas statim hinc ablaturus est: eo vero die plerumque & aliis non paucis exarandis distringor. Quocirca ne nunc idem quoque mihi contingat, per fastigia literarum tuarum currere, teque succincto sermone, quam nunquam absolvere malo. Premam autem vestigia literarum tuarum. Aveo ex te scire, quam ad palatum tuum sint ista, quæ & Calovius & Botsaccus c) coxerunt. Annota-

a) Approbare *Grotii* tandem etiam consilia *Mersennum* quis miretur? Ad rem enim Ecclesiæ Pontificiæ augendam vel certe pingendam, *dogmataque Romanæ Ecclesiæ* utcunque excusanda, *coloranda* ac pallianda, aut hoc modo vel ab invidia liberanda, viamque ad transitum in eam paullatim sternendam, ea spectasse, nemo ignorat. Quos si fructus illi reportant, vel hoc nomine in sinu gaudent.

b) Proxime præcedentes.

c) Contra *Crellium* scriptores: de quibus mittendis epist. 51. dictum erat.

notationes Grotii in Evangelia varia experiri judicia, non miror, cum minus plerunque trita via vir ille maximus incedat. Illi quidem omnium perversissime mihi judicare videntur, qui nulla a) eum religione 257 teneri censent. Cur enim tam multa de religione scribat, cur ob religionem criminationes atque odia multorum subeat, si religionem susque deque habet: præsertim cum alio eruditionis genere inclarescere porro posset? Quod ex paganorum Judæorumque scriptis tam multa illustrando Christi Evangelio congesserit, eo nomine non parum inivit gratiæ ab omnibus, qui veritatis regnum quam latissime vellent patere. Et cur ægre feramus, Ægypti spolia b) ad exornandum Domini tabernaculum ab illo conversa; præsertim cum quæ magis domestica sunt huic rei, ab aliis fere jam sint occupata? Et tamen quam multa nos in sacris ille docet, quæ fortassis perpetuo ignorassemus? Quod Heinsium illi postposuerim, non eo feci, quasi non & hunc optime de re sacra meritum agnoscam; sed ut illius beneficium in omnes Evangelicæ philosophiæ studiosos comparatione alterius extollerem, qui regnum quodammodo in omni literarum genere obtinere videtur. Vtinam duorum istorum summorum virorum exemplo Salmasius multijugam suam eruditionem illustrandis divinis literis pariter c) impendat! quantum ætati nostræ posteritas ob istos triumviros deberet! Scopum Grotii in sarcienda Ecclesiæ concordia quis pius improbare possit; licet fortassis non desint, quæ in modo scopum hunc attingendi merito quis requirat? Mihi quidem (ne dissimulem quod sentio) 258 quædam in Ecclesia vestra excusare videtur, quæ præstaret emendata:

 quale

a) Rectius *eclecticam* dixissent, qui nullam ei tribuere minus æque sentiendo, non dubitarunt. Pluribus idem, quod de ἐκλογῇ a nobis observatum est, *Grotio* adscribenda, demonstravit in de *Religione Prudentum* luculento schediasmate, nostra ætate semel iterumque evulgato, b. *Kettnerus*.

b) De Spoliis Ægypti h. e., *profanæ eruditionis* apparatu, ad illustrandam Script. Sacr. phraseologiam potissimum adhibendo, nemo dubitat; at, quo *animo* illud fiat, *sacrone an profano*, illud est, de quo dispicere jubent Viri pie eruditi; quorum haud pauci, ad sensum verbi divini intricandum magis ac pervertendum *Grotium*, Grotiique similes quosdam scriptores abusos esse, non sine caussa conquesti sunt. Vt rerum ipsarum altiorem, quam profanorum hominum cum his comparatæ næniæ permittant, indolem ac dignitatem taceamus. Cætera huc non spectant, & compendiose nuper S. R. *Rambachius* Instit. Hermeneut. L. III. cap. VII. si quis ea strictim, legere desideret, complexus est.

c) Non illaudabile hoc votum dixeris; dummodo major trium illorum in universa literatura heroum *modestia*, eaque ad sacra præcipue attingenda, pie accommodata fuisset. Mihi contra *Erasmi Roterodami* vox placet, jam pridem pronunciata: *Scripturæ ita proditæ sunt, ut citius intelligantur ab idiota pio modestoque, quam ab arrogante Philosopho* (Critico.)

quale eſt imprimis, quod fit circa ſacræ Euchariſtiæ ac angelorum, pieque defunctorum, quos divos vocatis, cultum: quod quantum ab idololatria abſit, præſertim ſi vulgi error atque praxis a) inſpiciatur, ego quidem non video. Huc accedit iniquum in conſcientias alienas imperium, quas tam multis præter Magiſtri inſtitutum, tamque horrendis legibus obſtringitis, ut & anathematis in animas, a Chriſto redemptas, & ferro atque igni in corpora errantium forte, ſed tamen errantium, ſæviatis: quo quid magis alienum eſſe poteſt a charitate, quam Chriſtus nobis una cum manſuetudine præcepit, quamque tu ipſe tantopere inculcas? Scio poſterius hoc ipſimet Grotio, multisque aliis in Eccleſia veſtra Gallicana, b) inter quos & te pono, vehementer improbari: ſed quæ tamen ſpes eſt, ut hunc rigorem tot legibus ſancitum Eccleſia Romana emendet, quæ ſe nullis in legibus errare mordicus profitetur? Non nego multa in Eccleſia Romana moribus introducta, quæ licet a ſimplicitate Evangelii primæva abeant, ſi non laudari, ſaltem tolerari c) poſſent: puto etiam multa, immo plurima eidem in ſenſu erroneo condonari poſſe, modo eadem pari quoque facilitate d) erga alios, quos errare credit, uteretur. Nimirum pauca e) ſunt, quæ nobis Evangelium præciſe credenda præcipit: quæ ſi accurate teneantur, in cæteris humanæ mentis imbecillitati veniam, ut mihi videtur, dabit æquiſſimus judex, modo vita noſtra Evangelicæ legis normæ reſpondeat. Hac mente cum ſim, facile vides, me nec Patres illos antiquos, quorum pietatem tantis laudibus effers, nec ſi qui ex recentibus in quacunque tandem eccleſia virtutis ſtudium in Evangelio nobis præſcriptum absque idololatria atque tyrannide f) in alios colunt, damnare;

259

a) Cum maxime innumera illa documenta, quibus non tantum non improbari, ſed multis etiam modis & allectamentis ali videas. Cujusmodi in *libris*, *locis*, *præmiis*, *elogiis* aliisque id genus fulcimentis, publice propoſitis, paſſim & in triviis etiam occurrunt.

b) Cæteris modeſtiori, ſed caput rei tamen retinente, ad hæc recentioribus, inclinato ſuperiori ſeculo ſpeciminibus datis & adhuc continuatis Apoc. XIII, 17. mirum in modum illuſtrantibus, contaminata.

c) Ritus puta & ceremoniæ nimium quantum multiplicata, quibus cultus Dei internus obſcuratur, immo prorſus obruitur & ſæpius etiam ſuffocatur.

d) Recte hinc nonnemo: *Hoc Eccleſiam Romanam intolerabilem* præcipue *reddit*, quod neminem, a ſe quoquo modo diſſentientem, *tolerare velit.*

e) Pauca ſunt, fateor, præſertim ſi cum diffuſo nonnullorum in his ambitu ea conferas, at tamen talia tantaque, quæ *fidei & conſtituendæ & conſervandæ cum invocatione DEI genuina ſufficiant. Socini* nimis curta eſt etiam in his determinandis ſupellex.

f) Bene hæc interpoſuit *Ruarus*, non obſcure ſignificans, *errores* in doctrina, *ſuperſtitionem* (ad idololatriam vergentem)

damnare; immo cum omnibus illis in eadem me Ecclesia vere Catholica agere, & religionis meæ præmium una cum illis a communi Domino exſpectare. Cum hucusque ſcripſiſſem, intervenit amicus, per quem reliqua, quæ inſtitueram, ſcribendo abſolvere non potui. Ne tamen te diutius teneam, hæc præmittere malui; quibus reliqua, quæ mihi ex literis tuis reſtant, brevi ſuccenturiabo. Interim vale, Vir Clariſſime, & favere mihi perge. Dab. Gedani XIX Dec. MDCXLII.

LVI.

M. RVARVS EIDEM.

TElam nuper abruptam adventoris importunitate, Merſenne clariſſime, nunc tandem redordiar, atque pertexam, præſertim quandoquidem & novæ tuæ ſupervenerunt, quæ reſponſionem requirunt. Putas idololatriæ vos a nobis accuſari, quod Trinitatem in divinis colatis. Bona verba quæſo. Nam & ego * τὴν τριάδα, a) id eſt, Deum Patrem, ejusque Filium unigenitum, ac Spiritum ſanctum veneror, 260 omnemque ſalutis meæ ſpem ab illis pendere agnoſco. Appingitis quidem vos nonnulla naturæ Filii Spiritusque ſancti, quæ (ut ego cenſeo) Sacris Literis ſanæque rationi adverſantur: nec ob id tamen tam rigide vobiscum agere velim, ut, quia divinitatem Filii tanquam æternam colitis, quam ego illi collatam in tempore cenſeo, aut Spiritum ſanctum, qui virtus ſive vis Altiſſimi mihi cenſetur, pro perſona habetis, ſtatim vos idololatras b) clamare velim. Quis enim noſtrum id arrogare ſibi audeat, ſe naturam Dei tam perfecte intelligere, ut nihil circa illam ſibi imaginetur, c) quod alius acutius cernens non poſſit

 falſi

* Trinitatem.

in cultu & *conſcientiarum dominium* affectatum pasſim obvia, in clero Pontificio a ſummo Eccl. illo capite pendente, potisſimum deſiderari. Nobis rem omnem jam pridem a *Davide Rege* deciſam eſſe Pſ. XCIV, 20., & *fugiendam* potius, quam intrandam Babylonem eſſe, ita Spirit. S. Apoc. XVIII, 4. coll. 1 Joh. V, ult. nos jubente ſatius videtur. Nec albo nec nigro credimus colori, neque aureo illi, Apoc. XVII, 4. deſcripto poculo. *Ruber* enim *color*, quo *virgo* illa cum beſtia ſua, qua vehitur, conſpicua eſt, *ſanguinem refert.*

a) Novus & putidisſimus *fucus*. De vocabulis enim non diſputatur, ſed rebus ipſis, tribusque, Patre & Filio & Spiritu Sancto, reapſe diſtinctis perſonis, quibus una eademque communis eſt eſſentia divina. Eo tamen hæc facere poſſunt, ut, quæ fides ſit confesſionibus hujusmodi generalibus ambiguisque, omnique adeo ſtudio incruſtatis, habenda, facilius intelligatur.

b) Ambigua, non disſimulo, ea vox eſt, ſed illis tamen, qui, qualem ſe patefecit, DEVM haud colunt, non injuria accommodanda.

c) Itane tibi, *Ruare*, imaginatio dicenda videbatur tot aſſertis Script. divinæ, DEI de ſeipſo loquentis oraculis teſtata veritas?

falsi convincere? Utinam ne modo alia quædam in Ecclesia vestra reperirentur, quæ idololatriam sapere videantur! facilius inter nos conveniret. Jubes me personas in una essentia tres tanquam totidem relationes concipere. Scilicet huc redeundum fuit, ut, quo unitatem essentiæ defenderetis, personas separatim subsistentes in quædam rationis entia transformaretis, & quo Arianismus scilicet excludatur, Sabellianismus a majoribus damnatus ex novo paxillo suspenderetur. Quæ enim alia fuit Sabellii a) sententia, quam Deum nunc sub Patris, nunc sub Filii, nunc sub Spiritus sancti persona apparuisse, relationibus diversum, reipsa eundem? Sic nimirum & in Cicerone tres personas agnoscemus, boni civis, consulis, auguris. Habet Goslavius b) 261 non pauca contra σοφὸν * illud relationum φάρμακον ** in iis, quæ contra Keckermannum Jacobumque Martini scripsit, quæ hic reponere nolo. At ais, nullum esse religionis Christianæ dogma, quod non paribus, atque istud vestrum de Trinitate, difficultatibus laboret: exemplum affers de eo, quod Deus invisibilis, infinitus, spiritualis res corporeas ac finitas creaverit. Sed non video, quid in eo sit majoris difficultatis, quam si spirituales infinitasque condidisset: immo infinitas qui potuit, cum id naturæ rerum repugnet? Dicent fortassis isti, quos introducis, Deum corpus, quo ipse careat, rebus largiri non potuisse: sed quo id argumento probant? at posito tamen id ita esse, num propterea tamen perierit Deo creationis gloria, cui cum Platonicis materiam c) quandam, sive chaos æternum substernere possemus: quam sententiam nuspiam (quod sciam) canonicæ literæ manifeste d) subvertunt. Miror esse, qui mundum hunc imperfectionis arguant, eoque a tam perfecto Deo exstructum minus possint credere: quasi ipsi

* Sapiens, sophisticum. ** Medicamentum, incrustamentum.

a) Mallem ab hac abstinuisset insimulatione *Ruarus*, qui, quantopere nostrorum, immo & Pontificiorum hac in parte doctrina a *Sabellianismo* distet, vel ex August. Confess. Artic. I. ignorare non potuit.

b) *Adami Goslavii Refutationem eorum, quæ Barthol. Kekermannus in Libr. I. System. sui Theolog. disputat* &c. & *Disp. de Persona, quam Libro III. de Tribus Elohim Jac. Martini* opposuit, *Ruarus* h. l. innuit. Quid vero de illis habendum sit, jam supra *Hist. Crypto-Soc.* cap. II. lit. C exposuimus.

c) Non puto hæc, ut asserenda, sed adversarii tantum exercendi gratia κατ' ἄνθρωπον pronunciata.

d) Immo subvertunt, quando *cælum & terram* creata, i. e. cum antea nihil fuisset, producta *Moses* inquit, *Deique* solius ante hunc mundum *existentiam* constanter, ut συνώνυμόν τι *æternitati* commemorat *David*, & *omnia* per λόγον DEI facta, facta inquam, non instaurata esse, *simpliciter* testatur *Johannes:* qui porro, voluntate DEI res quascunque (τὰ πάντα) τὸ εἶναι accepisse & creata esse, ex ore XXIV. Seniorum cœlestium, Apoc. IV, 11. docet.

ipſi mundi naturam exacte perveſtigaſſent: in qua quam multa lateant, inde conjicere licet, quod ab ætatis noſtræ ingeniis quædam de ea prodita ſint, de quibus majores noſtri ne quidem ſomniaverant. Eſſe Deo rerum noſtrarum curam, indignum quidem Deo videri poterat, ſi illum ex magnatum noſtrorum animo metiremur, aut ſi hæc illi cura labore aliquo difficili conſtaret. Nulla noſtra injuria eſt, etiamſi tres illos, qui teſtimonium in cœlo dant, unum eſſe credatis: nam & nos idem credimus. At vos illud reſpectu eſſentiæ a) intelligitis ſcio, ſed quam recte id explicetis, ipſi videritis. Nec ego tamen nego, Dei Filium divinæ participem naturæ, b) cum & nobis id aliquo modo S. Petrus tribuat: de Spiritu quoque ſancto idem planum eſt ex eo ipſo, quod Dei audiat Spiritus. Si quis neget Jeſum eſſe Regem, Meſſiam, aut ex virgine natum, id ego quidem ægerrime feram ob id ipſum, quod ille nullam rei in ſacris nobis conteſtatæ negandi cauſſam habeat. Quæ enim ratio juſta afferri poteſt, cur Jeſu noſtro Nazareno Meſſiæ dignitas abjudicetur? Repugnat quidem communi naturæ ordini virginem parere; at ſi quis providentiam Dei in ſingularibus, ejusque potentiam in miraculis concedat, quam vel invito omnium gentium teſtimoniis extorquebo, quid in eo abſurdi, ſi Spiritum Dei venas in virginis uterum deſcendentes emulſiſſe, atque ex ſanguine coagulato embryonem formaſſe dicam, non aliter atque id fit ſpiritu in maſculo ſemine latente? Tollant ſane ex animo ſuo de Deo opinionem, quibus ea durat impietas: at illum tamen & conſideratio naturæ, & omnium pene c) gentium traditio, & tot miracula extra naturæ ordinem facta nobis ingerunt, ut cæcitatem eorum merito deploremus, qui vindicem impietatis ſuæ aliquando ſentient, quem auctorem ſuum agnoſcere noluerunt. Non exiguo d) labore, fateor, Socino atque aliis id conſti-

262

a) Neque vero aliter, ut intelligamus, licet quoniam tribus illis, ut ἄλλοις diſtinctis, divinum nomen cum proprietatibus eſſentialibus divinis cultuque etiam adorationis ac ſimilia tribuuntur, quæ ſane non niſi ad eos, quibus communis eſſentia eſt divina, congruunt.

b) Alia φύσις eſt pro *indole* ſumta & animi intima *propenſione* morali quodam ſenſu, alia vero, qua DEVS a rebus, quæ *natura* h. e. per eſſentiam ſuam DEVS non ſunt, uti fit Gal. IV, 8. diſtinguitur. Prior regenitis coll. Jac. III, 7. adſcripta legitur; Poſterior de *Chriſto*, quando ſuper omnia *DEVS* benedictus in ſecula, ita ut ſimul hæc ejus natura, a *carne*, ſeu humana ex Patribus accepta eſſentia diſtinguatur Rom. IX, 4. ſeqq appellatur.

c) Immo *revera omnium*, quotquot huc usque cognitæ ſunt, etiamſi ingens, quantum ad determinatam de DEO doctrinam aut certe perſuaſionem diſcrimen inter eas ingens animadverſum ſit. Commodene pro conſenſu h. l. ſubſtituatur, in *Socini* gratiam *traditionis* vocabulum, alii diſpiciant.

d) Et improbo; quod aliis fortasſis addendum videatur.

263 conſtitit, ut loca Scripturæ, quæ vulgatam de Chriſti divinitate ſententiam majoribus noſtris in Eccleſia ſuaſerant, in alium ſenſum traherent: a) ſed hunc laborem non tam ipſorum obſcuritas S. Scripturæ locorum, quam præjudicata de eorum ſenſu opinio, & adverſariorum in defendendis falſis interpretationibus eruditio ſupervacua illis impoſuit. Ad explicationem illius loci, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμὶ, * nulla divinitus facta revelatione erat opus, quandoquidem etiam ante iſtam nonnemini editam revelationem (de qua ego judicium mihi jam non ſumo, ſed ſuo eam loco relinquere malo) fuerunt ex noſtris, qui locum illum tanquam nihil ſententiæ ſuæ de ortu Chriſti adverſantem, commode eum ad modum explicuerunt, quem Grotius ſecutus eſt, b) ad quem & Calvinus & Beza præiverunt, quique mihi & ſimpliciſſimus & contextui verborum convenientiſſimus videtur. De Antichriſto nolo nunc diſputationem ingredi, quod ea & prolixam requireret deductionem, & odioſa fortaſſe foret. Tu quidem ridiculos cenſes, qui Pontifices veſtros hoc nomine deſignari putant: at ut illi neque ſoli eo notentur, (quod facile concedo) neque præcipue, verendum tamen eſt, ne, qui non pauca præter, immo & contra Chriſti legem in Eccleſiam Chriſti introduxerint, ſuaque effata tanta ſeveritate ſanxerint, ut illis adverſantes Chriſtianos ferro atque igni perſecuti ſint, & ipſi de nominis illius hæreditate participent. c) De paganorum, qui vitam ex virtute egerunt, ſalute ſententiam meam quæris. Sed quis
264 ego ſum, qui judicis hic mihi perſonam ſumam, dicturus & ipſe pro capite

* Antequam Abraham fieret, ego ſum.

a) Neque hoc vocabulum inſtituto præſenti inconveniens eſt. *Tractam* certe a *Socino* in alienam ſententiam Sp. S. mentem eſſe, & ipſi haud raro *Remonſtrantes* v. g. ad Joh. I, 1. ſeq. itemque c. VIII, 58. &c. qui ad aſſentandum ejus aſſeclis alias ſe valde compoſuiſſe diſſimulare vix potuere, non ſine indignatione profeſſi ſunt.

b) De conſtitutione Chriſti ſeu *decreto* ante Abrahamum facto hunc locum explicans; qui tamen ſenſus tantum abeſt, ut ſimpliciſſimus ſit dicendus, ut manifeſtiſſime & *τὸ eſſe in decerni* contra Græcæ linguæ indolem mutet, & *ſcopo diſputantium* e diametro adverſetur: intra quos de *ætate* certorum annorum jam diu elapſorum, quæ ſine *exiſtentia* reali nullatenus animo concipi poteſt, actum fuerat.

c) Quis ſit magnus ille Anti-Chriſtus, non quidem palam ediſſerit *Ruarus*, ſed grande aliquid eliquaturus tenero ſupplantat verba calamo, eo fere more, quo & *Crellius* aliique in Comment. ad II. Theſ. cap. II. ea de re egerunt, ne ſemel quidem Epiſcopum illum Romanum eſſe, & h. l. deſignari expreſſis verbis pronunciantes, quem tamen *Paullus* vivis coloribus deſcripſit. Ita tamen, fateor, hæc, periculi evitandi cauſſa, quam ipſe quoque *Johannes* Apoc. XVII, 18. exemplo ſuo prudentiam præivit, ſcripta ſunt, ut de ſimulatione conquerendi *Merſennus* cauſſam non habuerit.

pite meo cauſſam apud communem judicem? a) Benignius tamen de illis videor mihi poſſe ſentire, qui, antequam Deus per Evangelium voluntatem ſuam orbi promulgavit, in unius Dei notitia vitam cum virtute exegerunt: quanquam & horum pleriſque periculi ex eo non parum imminere videam, quod paternarum legum metu diis, qui habebantur, contra animi ſui ſenſum b) ſacrificaverint. Nunc difficilior illis res videtur, poſtquam Evangelii promulgatio ignorantiæ excuſationem paſſim abſtulit. Quoniam tamen & paullo ante ætatem noſtram reperti ſunt, & nunc quoque fortaſſis reperiuntur, ad quos Evangelii vox nondum percrebuit, c) non auſim ne nunc quidem, ſi qui ſunt, qui rerum omnium conditorem ſecundum naturæ legem colant, ad tartara proſcribere, aut cœlorum excludere ſpe, maſimque Deo gratiæ potius erga immeritos, quam ſeveritatis gloriam tribuere. De Muſulmannis alia res eſt, quandoquidem & Chriſtianis fere mixti degunt, & ſua ipſorum ex lege occaſionem in Chriſtianæ religionis myſteria inquirendi habent: quæ ſi nihilo magis amplecti vel volunt, vel poſſunt, quod animum Muhammedis placitis occupatum habeant, vel affectu in aliena a Chriſti lege ducantur, non aliud eorum erit privilegium, quam ſi qui ex Chriſti nomen profitentibus ſenſui cultuique legis ejus adverſantur. Vbi prodierint, quæ Gaſſendus 265 tuus d) in philoſophia innovavit, lubens ea videbo: quandoquidem

a) Applicanda fortaſſis ad hanc quoque litem haud incommode vox Apoſtoli. Quid ad nos οἱ ἔξω? ſecundum verbi divini pronunciata, præſertim ea, quæ Joh. III, 18. & 2 Theſſ. I, 8. ſine dubio perituri ſunt. Extra ordinem quid DEVS facturus ſit, diſputari quidem poſſe, videri nonnullis queat, & de infantibus quoque ſunt, qui liberalius ſentire, ſed timidiuſcule tamen auſint. At qui revelato verbo contraria nunquam perpetraturum eſſe DEVM norunt, ab hac quoque conjectura tutius abſtinuerunt.

b) Hoc eſt naturæ dictamen, quod ſine controverſia πολυθεότητα excludit, & alium veri uniusque Numinis rerum omnium conditoris atque arbitri cultu affici prohibet.

c) Videtur h. l. vocatio ad Eccl. Chriſti *abundantia* & multoties *repetita*, quæ res ad *circumſtantias* divinæ ſoli ſapientiæ cognitas pertinet, cum vera *ſufficienti* & communi confundi. Aliter certe Paulus, toties jam ſuo tempore *omnibus* in univerſo orbe creaturis Evangelium, vel per ſonum eo delatum, eſſe prædicatum identidem & aſſeveranter inculcans hoc de beneficio nos inſtruit.

d) Ita tanquam amicum & gentilem *Merſenni* illum appellari non dubito. Qua vero data occaſione ejus, uti & *Carteſii*, jam tunc maximam inter Philoſophos famam adepti, meminerit, non ſatis bene intelligo. In prioribus certe tribus epiſtolis utriusque mentionem non eſſe injectam, ipſe obtutus condocet. Quanta fuerit de reliquo *Merſenni* & *Gaſſendi* familiaritas, inde effici poteſt, quod *Sam. Sorbierius* in Diſſ. de *Vita & Moribus Gaſſendi* refert, ſingulis diebus Dominicis hunc ad

ex aliis, quæ ab illo profecta legi, non vulgare illius ingenium agnosco. Cartesiana, quæ memoras, vidi quidem, sed nondum vacavit ea accurate censere.

Hic desunt quædam.

Dabam eid. Febr. cIↃIↃCXLIII.

LVII.

M. MERSENNVS M. RVARO.

PLuribus de causis gaudeo, Vir eruditissime, quod nostræ literæ mutuo nobis reddantur, tum quod spiritus harmonicus in me de novo insiluisse videatur post tot librorum catalogum.

Ne vero serram de rebus iisdem reciprocemus, & Deo soli cordium omnium scrutatori nostra omnia, utpote filii & creaturæ patri & creatori committamus. Tria volumina Petaviana de Theologia positiva a) circa festum Pentecostes audio futura venalia: in quorum secundo Crellii librum de Deo Patre refellit, suo quarto, si bene memini, de Trinitate libro. Doleo certe, quod, cum in attributis divinis adeo conveniamus, non sit par reliquorum ratio. Faxit Deus, ut illius misericordiam consequantur, qui non possunt omnibus credere, quæ vera sunt quidem, sed non satis evidentia, aut conducentia omnibus, ut illis fidem habere possint. Et quemadmodum, qui manducat, non manducantem spernere non debet; ita nolim illos a quopiam sperni, qui singulis credere nequeunt: Spiritus enim Dei spirat, ubi vult: & ad impossibile nemo tenetur, si proverbium antiquum veritati congruit. Vale, peroptime Ruare. Idibus Martii, cIↃIↃCXLIII.

266

LVIII.

M. MERSENNVS EIDEM.

HAc vice velim incipere, Vir clarissime, ut ad te quicquid hic optimi lectuque digni occurrerit, *transmittam*. Itaque videbis aliquid ex meis agitatis, quorum tibi permitto judicium. Porro literas alias ad te misi, ut scirem, quid paratum habeat ad edendum subtilissimus Slichtingius; sed & quid ipse paratum habeas, a quo maxime quid-

illum mane sacris operaturum accessisse, ut cum amico confabularetur, atque eo tum viros doctos confluxisse permultos, ut tantorum Virorum colloquia audirent. Eandem amicitiam *Exercitationes* probant *Gassendi*, quas ex instituto contra *Rob. Fluddum* pro Marino Mersenno jam anno 1630. in lucem dederat.

a) De *Dogmatibus Theologicis* titulo præscripto notior & jam ante memorata. conf. epist. 50.

quidpiam videre cupio. Miror autem, quod nondum vidiſtis Petavii librum. a) Ille vero adeo per totum orbem celebris eſt, quem & Salmaſius ira ſua dignisſimum exiſtimat, teſte nupero Apparatu ad primatum Petri.

Vtinam ſatis propinquus eſſem, ut tua, Goslavii & Slichtingii, manuſcripta b) videre poſſem! quæ vereor ne nunquam lucem videant, ſed poſt veſtrum exitum blattis committantur. Veſtra ſiquidem ſcripta propterea mihi grata ſunt, quod nullum injuria laceſſatis, c) licet in vos plures tot verba Chriſtianis minus digna fulminent. Mirabile vero, quod noſtro ſæculo tot in religione varientur; d) ut neque jam deſint, qui audeant atheismum profiteri, quicquid ſcribatur adverſus, quod nolint quidpiam admittere, quod non ſit demonſtratum. Vtinam non periiſſet opus Socini, e) quod audio ſcripſiſſe circa hanc materiam. Quanquam dubito, num fuerit ſatis doctus, f) ut hosce contradicentes convinceret. An forte dies 267.

Ee 2 extremi

a) Eum, de quo antea, in quo de *Dogmatibus Theolog.* egit, hoc ipſo anno prælis liberatum, tantoque chariorem *Socinianis*, quo liberalius ſive *Patres Ante-Nicænos* cum *Arianis* feciſſe, ſive formulis loquendi de S. Trinitate adhibitis, hiſce eos præiviſſe, viſus eſt quibusdam ſtatuere. Quam etiam ob cauſſam id ſibi negotii datum eſſe cenſuit ſcriptor *Hiſtoriæ Socinismi*, anno 1723. Pariſiis Gallica lingua evulgatæ nuperrimus, ut integrum fere caput, quod Part. II. extremum eſt (cap. XLIX.) vindiciis ejusdem a labe hac per *Hermannum Cingallum* (*Ch. Sandium*) primum, ſed & alios plures, impacta, impenderet.

b) Quænam fuerint illa, dicere non habeo. Quanquam enim *Slichtingii*, ſuperſtitis adhuc, plurima fuere jam tunc prælo parata; *Goslavii* tamen vix unicum *contra Kesleri* (*Andreæ*, *Suinfurt. ac denique Coburg. Eccl. Antiſtitis*) *Metaphyſicæ Photinianæ Examen* concinnatum commemorat. Parum abeſt, quin eos, quos *Goslavium* epiſt. 56. dixerat ſcripſiſſe contra Kekerm. & Martinium, libellos jam pridem excuſos *Ruarus*, Merſennum Manuſcriptos adhuc eſſe ſuſpicer exiſtimaſſe.

c) De plerisque, fateor, id verum eſt *Merſenni* teſtimonium, blandumque, olim præſertim, eorum fuiſſe venenum, nemo negaverit. Erant tamen etiam inter eos, v. g. *Smalcius* & *Oſtorodus*, qui interdum craſſius paullo, omisſisque aſſentationibus, pinguiori Minerva philoſopharentur. Erga Pontificios cur modeſtiores eſſent, formido ſola incommodorum in Polonia metuendorum in cauſſa fuit.

d) Quod *Lipſio* in L. de *Conſtantia*, niſi me fallit memoria, viſum tale, *quo nullum fuerit religionum feracius, & ſterilius pietatis.*

e) *Contra Atheos* nimirum *ſcriptum*, in quo magni cujusdam Viri argumenta dicitur refellenda ſuſcepiſſe, quod *Cracoviæ* in direptione bonorum ejus (de qua ipſe in epiſt. ad *Mart. Vadovitam* Opp. Tom. I. f. 475. & p. 461. omniumque copioſisſime in *Matth. Radecii* Ep. quam P. IV. *Animadv. Phil. & Hiſt.* f. 233. ſeqq. cum orbe erudito communicavit *Celeb. Creenius*,) periiſſe nominatim teſtatur *Sandius*.

f) Doctus forte ſatis, ſed hypotheſibus quibusdam, de quibus ſuperius jam dictum eſt, imbutus, quæ, quo minus feliciter id eum perficere potuiſſe & ipſi credamus, utique ſuadent.

extremi judicii inſtat, in quo Chriſtus dicebat, vix inventum iri, qui fidem habeat? Velim abs te ſcire, quid exiſtimes fuiſſe illam virtutem, quam ſenſit Chriſtus ex ſe egredi, quando fimbria veſtis illius ab hæmorrhoiſſa tacta eſt, Matth. IX. id enim mihi videtur difficile; niſi dicamus, nil eſſe aliud, quam potentiam, a) qua fluxum illius curavit. Credo nos longe melius intellecturos, quæcunque ſunt in Evangelio, ſi quæcunque dixit & fecit Chriſtus, iis locis ſcriberentur, b) in quibus ſolum fragmenta ſermonum illius habentur. Rurſus dico, fere omnia de maſſa perditionis, de peccato originali, de prædeſtinatione, & reprobatione &c ruitura, ſi non recipiatur epiſtola ad Romanos: qua non deſunt, qui dicant, Paulum turbaſſe conſcientiarum pacem, c) ne quid gravius dicant. Sed cum a nullo Chriſtiano, quod ſciam, rejiciatur, vix ac ne vix quidem fieri poteſt, quin maximæ ſemper difficultates circa illas materias vigeant: quæ longe magis urgent, quam quæ dicuntur de Trinitate, cujus articulus neminem fere turbat. Non 268 ſpero colloquium illud veſtrum d) quidpiam boni Chriſtianos inter producturum. Si tres aut quatuor docti vocarentur, verbi gratia, tres ex veſtris, & tres ex qualibet ſocietate ſeu ſecta, quibus omnes reges, & principes, & cœtus crederent pro pace Eccleſiæ, forte res melius

a) Ecquid vero aliud intelligi poſſit, quam cum potentiſſimus effectus fuerit & ſupernaturalis ſeu miraculoſus, efficacia ſeu vis operandi in corpore fœmellæ hujus reapſe demonſtrata? quæ quo pacto differat, a voluntate DEI & Chriſti potentia, diſputent Metaphyſici. Vtrum vero, cum fide hæmorrhouſæ ſuperſtitionis aliquid, a Chriſto non quidem probata, attamen inter virtutes cæteras patienter toleratæ, admixtum habuerit, nuper admodum diſputandi materiam præbuit, &, ſi quid judico, recte illud a S. R. D. *Heumanno* affirmatum eſt.

b) Hæc ſi ſerio optat *Merſennus*, haud obſcure obſcuriſſimis verbis Sp. S. aliter Joh. XX, 30. XXI, 25. accuſat.

c) Revera turbat, præſertim cap. I. II. III. ſed ut etiam ſanet. Quem utinam vera de juſtificatione per fidem ſolam ſequerentur Pontificii.

d) De *Polonico* (veſtro hinc dicto) h. e. *Thorunienſi* haud dubie intelligenda hæc ſunt colloquio, quod non multo poſt tempore anno 1645. perquam longo & ſplendido apparatu, vano tamen, ut eventus docuit, præcedente, habitum eſt; in quo forte ſuis etiam aditum patefactum iri, nimis magnifice gloriatus erat, in Ep. aliqua ad *Merſennum* ſcripta, *Ruarus*. Exitus certe huic neque jactantiæ neque conſilio, aut voto *Merſenniano* quantum ad hoc, quod Socinianos attinet, reſpondit, etſi fruſtraneum fore illum laborem recte divinarit. Quid de cætero auſi ſint in *Colloquio* illo, & quemadmodum communi *Diſſidentium* nomine comprehenſos ſe eſſe atque invitatos exiſtimantes, *Joh. Slichtingium* cum cæteris quibuſdam fratribus, inter quos & *Ruarus* erat, eo ablegarint, alibi enarravimus. Quemadmodum vero repulſam illam, quam paſſi erant, Sociniani coloribus conquiſitis pingant, ex *Vindiciis Vnitariorum Sandii Bibliotheca attextis* videre eſt.

lius succederet: sunt enim quædam coram populo non vulganda, de quibus docti pacifice possent apud se controvertere, & omnes simul subsignarent, & ad aliquem Catholicisimum redigerent, quæ populo in suggestu, vel in privatis dicenda forent. Sed cum nullus quidpiam velit de suo, quod habere putet, jure decedere, quidnam speremus, nisi Christus iterum redeat suam voluntatem aperturus? a)

Admirabile videtur multis, quod Deus nobis, seu nostro intellectui, non impresserit certas notiones & claras (quales sunt Geometricæ) per quas & sciremus, & vitam exigeremus: nam cum simus omnes æquales, & ab æterno viderit futuras in religione disceptationes, qui fieri potest, ut non tulerit & dederit remedium internum, b) quo componi possint? quod subjectum ajunt fuisse tractatus a Transylvano homine Johanne Synadi, c) qui de providentia numinis scripsit. Nunc audio, quosdam conjicere, vobis Calvinistas sequentibus successuros Deistas, qui tollant ipsius S. Scripturæ veritatem. Faxit Deus opt. max. ut tandem tanquam ejusdem Patris filii in eundem Dei cultum conveniamus. Vale.

LIX.

269

M. MERSENNVS M. RVARO.

Tandem aliquando, Ruare doctissime, abs tuis literis doctus sum te vivere, quem mortuum plurimis de causis, præsertim vero, quod nullum de te nuncium acciperem, & audirem aliquid de morte tua credere poteram. Gaudeo quidem plurimum, & quod valeas, quodque libros a me missos acceperis. Recte putasti, me Confessionem Slichtingianam d) vidisse, vel potius explicationem Symboli: in

a) Recte sic judicat *Mersennus*, atque ita bene, ut nec Concilium aliquod universale amplius, usque dum παντοκριτικὸς ille dies appareat, videatur plerisque sperandum.

b) Sufficit *externum*, Script. Sacra, controversiarum omnium plenissima, & intrinsecus quoque animos illuminandi atque convincendi prædita virtute *norma*, atque hoc sensu judex, ab ipso Sp. S. judice supremo, cujus ea vox est, Hebr. IV, 12. ad hoc munus obeundum destinatus. Cui si refragentur mortales, divinamque illam operandi vim & efficaciam repudient, oculosque animi petulanter claudant, suo id faciant periculo, DEOque neminem ad fidem cogenti rationem reddant.

c) Hujus libelli in epist. quoque ad *Florianum Crusium*, quæ Centuriæ a *Brantio* editæ ultimo loco legitur, idem *Mersennus* meminit; mihi tamen nunquam eum conspicere licuisse fateor. Consulendum est Cl. *Arpii Theatrum fati*, quo tamen & ego, hæc quum scribo, destituor.

d) Ex meris Script. S. dictis, occultata sub iisdem *Sociniana mente* ac sententia, consarcinatam, & anno 1642. 4to primum sine dubio, eo proposito, ut *Colloquio Thoruniensi* exhiberetur, editam. Quæ tamen spes, ut decollarit, & *Warsoviæ* potius carnificis manu idem libellus combustus sit, paullo ante & alibi jam observatum est.

in qua vix reperias, quæ non posſimus amplecti, ſi tamen lectio curſim facta ſufficiat ad judicium de ea ferendum. Nondum vero ſciebam, te pro motu terræ potius ſtare, quam pro quiete: propterea que gaudeo, quod rationes Gaſſendi a) perlegeris, utpote acutisſimas. Sed cum in eo fides, vel obedientia Catholicorum eluceat, quod nolint quidpiam turbare, nil poſſunt affirmare, donec Eccleſia capitalis conſentiat. Crede mihi, obedientiam ſacrificio anteponendam, eaque ratione Chriſtianis vivendum, ut præ omnibus ſchisma oderint & vitent. Terra ſit mobilis; ſed non adeo certum, quin contrarium verum eſſe posſit: & ex mille modis, quibus potuit Deus eadem phænomena noſtris obtutibus exhibere, quem elegerit, neſcimus, neque ſcituri ſumus absque revelatione. Quod cum ſatis viderit Gaſſendus, fecit peroptime, quod obediens b) fuerit: & vir obediens loquetur victoriam, ut alicubi Scriptura loquitur. Ne vero jam cures de pecunia, qua ſine quidquid pulchri & acuti nobis deinceps occurrerit, tui gratia transferendum curabo. Jamque tanto libentius incipio, quanto citius habeo haſce literas gratis transferendas, quibus propediem meam muſicam XII modorum jungo: quam dubio procul absque ſcrupulo tuæ nobiscum communionis cantare poteris. Quid ſi Eccleſia catholica tantum abs te petat, ut ea devote canas? Quis enim unquam illum arguet, qui tota vita in ſanctam raptus ecſtaſin, illa vel ejusmodi Deo ſibique canat? Vale, Vir, quem Eccleſiæ matri conciliatum velim. Calendis Aprilis, CIↃIↃCLXIV. c)

270

LX.

a) Cujus ſub id tempus epiſtolæ de *Apparente magnitudine ſolis humili & de Motu impreſſo a motore translato*, atque p. p. *Disquiſitio Metaphyſica contra Carteſ.* & ſimilia, ubi de his agebatur, prodierant, atque *Ruaro*, uti videtur, a *Merſenno* miſſa fuerant.

b) *Eccleſiæ* videlicet; cui vero & *Vaninum* ſua ſubjeciſſe, quæ evulgaverat, impia licet, ſcripta, notum eſt. Cautus itaque potius & callidus dicendus videbitur *Gaſſendus*, qui ne eadem, quæ *Galilæus Galilæi* paullo ante ſubierat fata, & ipſe experiretur, veritatem hoc qualicunque fuco maluit oblinere, quam perire aut e carcere reſpondere. Monacho autem has probari, ſuperſtitionum promo condo præſtigias, quis miretur? Ei præſertim, qui tanta imaginum, inter cæteras ſuperſtitiones, veneratione religioſæque invocationis opinione captus erat, ut ei (*Merſenno* inquam) in *Comm. ad Geneſ.* viſum ſit, hominem *ad imaginem DEI* creatum *adorari potuiſſe*, exiſtimarit, dummodo publice, ut id fieret, *deputatio DEI publica accesſiſſet.*

c) Mendum hoc eſt, ſine omni dubio, typographicum, pro quo ſubſtituendum: Anno CIↃIↃCXLIV. h. e. 1644. Idque hinc manifeſtisſime demonſtratur, quod *Merſennus* jam anno 1648. ſexagenarius, & *Ruarus* quoque circiter anno 1657. ex hac vita exceſſere.

LX.

M. RVARVS BARTHOLOMÆO NIGRINO. a)

QVæris ex me, Vir clarisſime, quæ mea ſit ſuper ſatisfactione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſententia, cum ob eam pesſime alioquin vulgo audiamus? Ego vero ingenue tibi reſpondeo, ex animo me credere, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum abunde voluntati b) ſui Patris in omnibus ſatisfeciſſe, quæcunque ille generis humani cauſſa & agenda & perpetienda ipſi impoſuit: hæcque ab ipſo alacriter ſubita atque tolerata, tanti apud Deum fuiſſe momenti, ut 271 illorum intuitu miſeros mortales, mortem æternam ac gehennæ cruciatus meritos, in gratiam recipere, peccatisque remisſis æternum beare velit, ſi modo nuncio peccatis remiſſo, reliquum vitæ tempus in fide Jeſu Chriſti pro modulo virium, quas ipſemet ſe invocantibus ſuggerere vult, cum pietate religioſe exigant. Agnoſco etiam, obedientiam, quam Chriſtus tanquam caput electorum omnium, in vita & multo magis in morte ſummam Deo præſtitit, ſufficiens eſſe λύτρον * pro peccatis noſtris, adeoque æquipollens ſupplicio, quod nos peccatis noſtris eramus meriti; non quidem ex ſeſe, ne Deo amoris atque gratiæ c) auferatur gloria, quam Sacræ Literæ tantopere nobis hic inculcant, ſed ex clementi Dei acceptatione, qui obedientiam illam non tanquam mercenarii, ſed tanquam filii unigeniti ex effuſo in eum amore benigne ponderare atque æſtimare voluit. d) Cum vero meritum

* Redemtionis pretium.

a) Gedanenſi, primum Evangelico Lutheranæ Eccleſiæ addicto, deinde *Reformati cœtus* in templo Petrino *Paſtori*, ac denique ad *Pontificios*, quorum doctrinam in comitiis publice & ſolenni ritu profesſus eſt d. 25. Mart. anno 1644. transfugæ. Cui ὑστέρῳ & omnium horarum homini cuncti, quotquot de *Thorunienſi Colloquio* commentati ſunt, Hiſtorici primum de eo inſtituendo conſilium *Vladislao* Poloniæ Regi ſuggeſtum adſcribunt: quemadmodum etiam ejus inter colloquentes addita Secretarii Regii dignitate, qua conſpicuus fuerit, nomen compareat. Plura de eo comperire non licuit Quod enim nonnulli partes etiam *Socini* ad tempus ſectatum eſſe ferunt, incertum & procul dubio ex confuſione hujus *Bartholomæi* cum *Georgio Nigrino*, Rect. Racovienſi, ortum eſt.

b) Inutilis confesſio. Quis enim de eo dubitavit unquam? utrum juſtitiæ vindici ſatisfactum ſit, illud eſt, de quo diſputatur.

c) Perpetuus coccyſmus! Gratia DEI, tam diligenter a *Paullo* inculcata, *noſtra* tantum excludit merita, non Chriſti; quod tantum abeſt, ut fiat unquam, ut conſtanter potius v. g. Rom. III, 24. Eph. I, 6. ſeq. ἀπολύτρωσις per ἀντίλυτρον pretioſum, immo filii DEI infinite perfecti perfectisſimum cum gratia DEI & parantis eam, & acceptantis conjungatur.

d) Aliud δικαίωμα legis δικαιώματι ex aſſe reſpondens, itemque τελείωσις porro maledictio, quæ nobis debebatur, ſuſcepta a Chriſto, atque hinc orta emtio & re-

ritum ſtricte dictum ab obedientia Chriſti excludo, non nego tamen ejus meritum in laxiore quadam ſignificatione: a) quo pacto nonnulli ex antiquæ Eccleſiæ Patribus (ſi parva licet componere magnis) piis quoque fidelium operibus interdum meritum aliquod adſcribunt, non ex proportione operum, ſed ex Dei promiſſo aut beneplacito menſurarum. Interim fateor, Chriſti meritum omnia ſanctorum (ſi ita lubet appellare) b) merita tantopere ſuperare, adeoque ad ſigni-272 ficationem meriti proprie dicti tanto propius accedere, quanto & perfectior omnibusque numeris abſolutior fuit ejus præſtita Deo obedientia, & ſublimior natura atque dignitate is, qui eam præſtitit. Pœnam pro peccatis noſtris a Chriſto perſolutam vix auſim affirmare, cum ea definiri ſoleat vindicta noxæ, a qua c) Chriſtus alienus, nec juſtitia Dei permittat, ut pœna nocenti debita innocenti d) irrogetur. Si tamen laxiore ſignificatu pœnam interpreteris, perpeſſionem mali, delicti quamvis alieni cauſſa vel occaſione cuiquam illatam, de vocabulo nolim eſſe difficilis, cum ob peccata generis humani acerbiſſima quæque Chriſtum, Deo ita requirente, ſuſtinuiſſe, cum Sacris Literis ultro tibi largiar. Vt autem ſententiam meam de fructibus mortis Chriſti tanto diſtinctius tibi promam, exiſtimo eos, quanquam multi, imo plurimi ex S. Scriptura colligi posſint, ad tres tamen claſſes referri poſſe, ſi, quomodo ea ſe mors habeat ad triplex Chriſti munus, conſideretur. Cum enim Chriſtus fuerit Propheta Dei ſummus, & quidem ejusmodi, qui non minus quam Moſes novam populo Dei legem

demtio per pretium τίμιον & ἀγορασμὸν, nec non ἱλασμὸς per ſolutionem eorum, quæ nobis ſolvenda DEOque rapta erant, aliaque plura, docent; Quibus verbis & formulis ſatisfactio Chriſti, ut vicarii noſtri, in Scriptura Sacra ſignificanter admodum deſcribitur. Male ergo *Arminianismi* hæc atque *Socinismi* mixtura *Ruaro* ſucceſſit. Neque tamen aliter, quamdiu divinitatem Chriſti æternam ſummamque inficiatus eſt, ſentire potuit.

a) Quicquid ſit de vocabulo *meriti*, qua latina voce breviter tantum & compendioſe Hebr. & Græca nomenclatura multiplex exprimitur; laxiorem certe hunc ſenſum Paullinum δικαίωμα, ipſo Ariſtotele judice, reſpuit: ut alia omittamus.

b) Quæ rectius nulla eſſe dixiſſet, niſi vel timuiſſet Apoſtatæ indignationem, vel ad formulam quorundam ſcriptorum & vetuſtiorum & modeſtiorum incommode minusque latine & Chriſtiane locutorum alludere voluiſſet.

c) Sua quidem, non tamen aliena ſponte ſuſcepta Eſ. LIII, 5. 6. coll. 1 Petr. II, 24. & 2 Cor. V, 21.

d) Nolenti forte; at volenti, ſi quidem in vitam ſuam ſummam poteſtatem, agendique & patiendi plenum habeat arbitrium, atque ita ferant divini Conſilii rationes, irrogatam eam eſſe maximæ & ſapientiæ divinæ & amoris incomparabilis indicium præbet. Volente autem Chriſto id factum eſſe, epiſtola ad Hebr. cap. X, 10. coll. Pſ. XL, 9. ex ipſius Chriſti ore luculenter teſtatur.

legem promulgavit; mors Christi omnium eorum, quæ vivus in isto munere docuit, præcepit, promisit, fecit, insignis confirmatio, & quoddam velut signaculum, immo sanctio fuit; qua & nos ad ei credendum, legibusque ejus parendum, & Deus ad præstanda, quæ Christus ejus nomine promisit, obstringitur. Quod ad Sacerdotale munus 273 attinet, cum ejus sit orare pro populo, & sacrificare, hoc est, mactare victimam, eamque deinde lege imperata ad expiationem peccatorum offerre; Christus utique, qui & paullo ante mortem pro universo cum credentium tum crediturorum cœtu preces ad Deum ardentissimas effudit, & in cœlos per mortem ingressus nunc quoque pro iis apud Deum intercedit, se ipsum in cruce tanquam piacularem victimam mactandum ultro præbuit; cumque ea victima corporis sui per mortem oblationi præparata a) in cœlos tanquam in sancta sanctorum ingressus, eam ipsam Deo inter Cherubinos, seu potius inter angelorum myriadas sedenti, immaculatam per spiritum æternum obtulit: porroque in perpetuum coram throno Majestatis divinæ apparet, ad expiationem peccatorum populi, eorumque remissionem procurandam. b) Denique Domino ac Servatori nostro Jesu Christo ad Regii muneris obeundam in cœlis functionem, cujus vi omnia, quæ ad electorum salutem pertinent, administrat, qua tutando liberandoque eos a malis, qua bonis eos & spiritualibus, & cœlestibus tandem compotes reddendo, non nisi per obedientiam ad mortem usque præstitam aditus patuit: ut proinde & hoc respectu non parum, immo omnia Christo, qui eam tam prompte adiit, debeamus. Porro non abs re duco, commemorare hoc in loco triplicis ex mea sententia caussæ ad rationem salutis nostræ concursum. Earum prima est sum- 274 ma immortalis Dei misericordia: c) altera Christi tanquam capitis nostri pro corpore suo suscepta apud Deum cura: tertia fides atque

 obe-

a) Non præparata tantum, sed *hoc ipso cum mortuus est*, ad nostram reconciliationem jam oblata. Facta enim est καταλλαγὴ ἐν σαυρῷ Col. I, 20. coll. Rom. V, 12. 1 Petr. II, 24. Ebr. IX, 24. &c. *Repræsentatio* autem, qua post ἱλασμὸν peractum omniaque confecta Ebr. X, 10. se Patri stitit, & adhuc sistit, atque coram eo apparet εἰς δικαίωσιν nostram & applicationem impetratæ jam in terris hisce placationis nostræ, *Socinianis* pro oblatione venditatur, sed male, & vix Etymologice, certe non eo sensu ut Hebr. *Korban*, cui ex usu Script. S. προσφορὰ respondet, ita dicitur.

b) Non procurandam, accurate loquendo, id est, acquirendam, sed *applicandam* & dispensandam secundum gratiæ Evangelicæ œconomiam. conf. Hebr. VII, 25.

c) Non omittenda *justitia*, seu, si malis, ira justa, ex odio in delicta sanctitatis divinæ naturali orta, & adversus peccata hominum concepta, *cum misericordia tamen contemperata.*

obedientia noſtra erga Deum per ſpiritum regenerationis præſtita. Sed ut vis tertiæ a ſecunda, ita & ſecundæ a prima multum ſuperatur: princeps enim ſalutis noſtræ cauſſa merito agnoſcitur miſericordia atque gratia divina, a qua & cæteræ duæ ſuo ordine inſtitutæ, ſapienterque directæ, vim ſuam præcipuam, immo omnem, mutuantur. Memini aliquando ex me quæſitum, cur Deus, cum pro jure abſoluti dominii peccata pœnitentiam eorum agentibus a) remittere poſſit, Chriſti tamen λύτρον * ſive ſacrificium hic intervenire voluerit? Huic interrogatori me reſpondiſſe memini, quod non abs re hic repetere viſum eſt: Cur Deus Abimelecho de peccato contra Abrahamum ejusque uxorem admonito, & proinde ab eodem abſtituro, culpam meditatam, non alia tamen conditione, condonare voluerit, quam ſi Abrahamus pro eo ſibi preces adhiberet? Cur Jobi amicos, de injuria erga pium amicum convictos, non aliter in gratiam recipere voluerit, quam ſi ſuppeditatæ ab ipſis victimæ Jobo præſente pro ipſis ſibi offerrentur, atque ipſe Jobus pro illis oraret? Denique (ne plura exempla congeram) cur Deus non ſola ſub Vetere Fœdere delinquentium pœnitentia contentus, ſacrificiorum expiatoriorum leges præſcripſerit, 275 ad quæ & ſacerdotum operam, & innoxiorum animalium necem b) intervenire neceſſe erat? Nimirum oſtendere Deus hoc pacto voluit, & quantopere peccatum c) deteſtaretur, cujus veniam eo pollutis non

* Redemtionis pretium.

a) Parum abeſt, quin dicam, repugnantia loqui *Ruarum*. Si enim pœnitentiam agentibus remiſſio peccatorum poteſt indulgeri, non ex abſoluti dominii jure, id ut contingat beneficium, neceſſe eſt. Sed non curavit forte aut non obſervavit, *fidem in Chriſti placamento defixam* recumbentemque, primariam eſſe ipſius pœnitentiæ partem; unde alioquin pœnitentiam intervenire debere concedenti, λύτρον quoque neceſſarium eſſe, ut concederetur, facile apparuiſſet.

b) Quod animalium necem intervenire neceſſe erat, typica illa in V. T. remiſſionis per Chriſtum impetrandæ ratio & diſpenſatio in cauſſa fuit. Sed vel hinc etiam paret, ſine placamento Chriſti per mortem parto, eoque perfectiſſimo, nemini unquam beneficium hoc, etſi modus applicandi externus diverſus fuerit, obtigiſſe atque obtingere potuiſſe. Vnde toties fidei pariter, umbris tamen ſub id tempus affixæ, atque hinc paullo obſcurioris indolis, in tabulis V. T. creberrima fit mentio, & ſine ea ſacrificia ne quidem a DEO præcepta eſſe, immo absque illa ſordere dicuntur. Cur deprecatoribus adhibitis gratia quibusdam divina, & externa potiſſimum, beneficia contigerint, innocentiæ aut ſaltim minoris, quam cæterorum noxæ teſtandæ cauſſa factum eſſe, ſalva cujusque pœnitentia, ad ipſam juſtificationem neceſſaria, circumſtantiæ l. c. demonſtrant manifeſtæ, & forte ſub his quoque umbris typicum quid latuit.

c) Et quidem *per naturæ ſuæ ſanctitatem* ac perfectionem, unde *juſtitia* quoque non arbitraria, ſed *naturalis & eſſentialis* judicis hujus totius mundi exurgit. Quod iterum iterumque de *judice* mundi totius,

non ad solas eorum preces, aliosque pios actus indulgere voluerit; nec eorum tamen veniam desperandam, cujus per innoxios administros procurandæ ritum certa lege constituerit: voluit quoque simul docere, quanti faceret eos, quos gratiæ suæ proxenetas designaverit, simulque hac ratione & illos inter se ad officia mutua, & singulos sibi ad religionis curam obstringere. Dixi breviter sententiam meam de efficacia officii Christi circa peccatorum nostrorum expiationem: in qua si nondum plane satis tibi feci, ita saltem, ut opinor, tolerabilem agnosces, ut in homine Christiano ferri possit. a) Vt singula, quæ dixi, & rationibus & Scripturarum testimoniis firmem, nec temporis angustia permittit, nec tu, opinor, requiris: quod tamen, si ita videatur, alio tempore fieri poterit. De Sacrosancta Trinitate illud unum nunc tantum attexo: illam me, prout est in Sacris Literis & in Symbolo, b) quod Apostolicum vocant, prodita, lubenter agnoscere, & religiose venerari: immo nec eandem certa ratione divinitatem in Patre, & Filio, & Spiritu S. me negare, modo origo ejus agnoscatur Pater, qui proinde merito solus αὐτόθεος * audit, cui & Filius, & Spiritus Sanctus, quicquid sunt, debent. c) De cæteris plerisque religionis Christianæ capitibus idem fere me sentire dico, quod Christiani passim, succedentibus aliquot post Christi natalem sæculis: a quo ne nunc quidem maxima eorum pars multum abit. Quod si tamen in nonnullis, non novitatis pruritu, sed conscientiæ judicio convictus dissentio, paratus nihilo minus sum tolerare ex mea sententia errantes, eosque pro Christi membris agnoscere, modo error eorum ne ducat eos ad violanda Christi præcepta: d) sine quorum observatione tali, cui benignus noster Judex acquiescere vult, salus omnis est in periculo. Vale, & in optimam partem, quæ scripsi, interpretare. e)

276

 LXI.

* A seipso DEVS.

per naturæ perfectionem hoc munere fungente, qui, quæ mala sunt, videre ac tolerare non *potest*, repetendum est.

a) Ferri non potest, multoque minus in Christiano homine, utpote quæ Christi officium princeps, cui omnis salus nostra innititur, omnino tollit, cuique proinde anathema dicere *Paullus* jussit.

b) Iisdem scil. verbis, at *alio sensu*: quæ ambiguitas nec virum cordatum, multoque minus Christianæ veritatis ingenuum confessorem decet.

c) Quicquid sit de *origine*, dependentia tamen hinc nulla exsculpi potest.

d) Quasi de solis præceptis in Christianismi totius ambitu ageretur, cum Scr. S. toties & fidei, credendorumque, adeo cum agendis habendam esse, & primariam quidem illorum, rationem, sæpenumero doceat. Ea certe illustrationis tantum gratia, aut curiositatis ergo, credere velle, impium putamus.

e) Incertum est, quando hæc scripta sit epistola; si quid tamen conjiciendo hario-

LXI.

MICHAEL GITTICHIVS a) VENECIANVS M. RVARO.

GRotii commentarios in ea Scripturæ loca, quæ de Antichristo agere videntur, leviter adhuc inspexi. Si quid ego judico, aut iste vir, ut est excellentis ingenii & singularis eruditionis, eruditorum ingenia vexare, & ad diligentius eos locos excutiendos, & contra Antichristum Romanum urgendos incendere voluit; aut si serio rem agit, viam sibi, per quam sine sui nominis contumelia ad Pontificios transeat, sternere ac munire b) videtur. Scio, non defuturos ex Evangelicis & Arminianis cordatos viros, qui in ista illius commenta calamum stringant. Si quid in hac materia tuis oculis dignum prodierit, 277 pro tuo in me amore mecum communicabis. Bene vale, charissime Ruare, & me tuis precibus commendatum habeto. x Nov. cIↄIↄcXLII.

LXII.

M. RVARVS M. GITTICHIO.

GRotium habeo pro viro non minus probo quam docto: itaque, ut vexare ingenia eruditorum edito de Antichristo commentario voluerit, nequaquam credo. Pacis eum studio c) commentatum ista fuisse duco: quo tamen non nego longius eum, quam par erat, provectum.

lari licet, eam ante *Colloquium Thorunienſe* potius exaratam putem, quam post id celebratum. A *Socinismo* autem *Nigrinum*, cujus eum nonnulli, *Hartknochio* teste, insimulant, haud obscure hinc colligi posse, existimo fuisse alienum: nisi sero tandem hujus etiam sectæ placita, tanquam homo ἀλλοπρόσαλλος, approbasse suspiceris. De quibus tamen hominis titubantis huc illuc fatis extremis nihil nobis adhuc innotuit. Cætera ex Annott. ad initium hujus epistolæ B.L. repetat.

a) Plura de hoc *Sociniani* cœtus primipilo, jam in *Hist. C. S.* cap. I. dicta, nolumus heic repetere. Vbi vero hac tempestate vixerit, in *Lithuania* videlicet & *Raphaelis Kosii* agro, ipsemet in subscriptione epist. 63. professus est.

b) Adde; aut *ingenii* vasti capacissimique, immo luxuriantis, *abusu*, novarum rerum studio, magis magisque inclarescere, atque *eruditionem*, uti *Gittichius* ep. 63. loquitur, *ostentare* voluit. Quod si ita sit, repetam, quæ de Pharisæis olim Christus: Ἀπέχει μισθὸν αὐτῶ. Cætera DEO relinquenda sunt, qui in lucem aliquando etiam *occulta* proferet.

c) Quod quidem animo simul propositum ei fuisse, scripta in hunc finem plura, eodem tempore publicata, & Pontificiæ potissimum Ecclesiæ atque doctrinæ, utcunque pingendæ atque a grandi invidia, quam haud injuria patitur, liberandæ, destinata ad oculum demonstrant. Quam præposterum vero id pacificandi studium fuerit, nemo credo compendiosius & candidius, quam amicissimus *Grotio Episcopius* in epistola, quæ inter Epp. Remonstr. n. 567. legitur, ostendit.

vectum. Fortassis & antiquitatis veneratio, a) quæ gravibus quibusdam Pontificiorum erroribus prælusit, ultra lineam eum protraxit. Remonstrantium nemo, quod sciam, calamum in eum adhuc strinxit: at occuparunt hunc laborem aliquot eruditi viri ex Calvini familia, ac præcipue Maresius b) quidam ecclesiastes Sylvæducensis, sed cum magna verborum acerbitate. Vale, mi Gittichi. Dab. Gedani XVI. Dec. cIↃIↃCXLII.

LXIII.

M. GITTICHIVS M. RVARO.

ITerum atque iterum ago tibi gratias pro opusculis Grotii, quæ mihi misisti. Legi & perlegi libellos istos. Vtinam vero vir iste, ut est eruditus, ita etiam sit candidus, & suam singularem & raram eruditio- 278 nem ad utilitatem potius afflictissimæ reipublicæ Christianæ, quam ad ostentationem suæ eruditionis & popularem auram captandam, ut antiquitatis peritissimus & in libris veterum Ecclesiæ doctorum versatissimus videatur, dirigat. Quantum vulnus candori suo infligat, videre est ex iis, quæ scribit in primum caput ad Ephesios c) p. 11. cum ait: *In novo fœdere remittit Deus peccata credentibus in Christum ideo, quia Christus id sua morte cruenta, quippe sacrificio perfectissimo, ideoque gratissimo, pleno obedientiæ, demissionis, dilectionis, & patientiæ, ab ipso nobis impetravit.* Quid est premere & in injustitia detinere veritatem, si hoc non est? Non enim ille nescius est, ista quæ hic asserit falsa, & in gloriam summæ Dei munificentiæ & benignitatis humano generi exhibitæ vehemen-

a) Hæc utique nostra adhuc memoria & olim quoque viros præstantissimos fucum a vero genuinoque consensu, & vocabula a sensu pio rectoque non accurate discernentes, in transversum rapuit. Quod vel *Joan. Ern. Grabii* recentissimo exemplo comprobari potest; quem vix potuisse a transitu ad Papatum abstrahi, hac persuasione correptum, donec Episcoporum antiquam in Anglia dignitatem se reperisse crederet, constat. Vtrum vero *Grotio* ea opinio fraudi fuerit, valde dubito. De Anti-Christo certe, quam excogitavit sententiam, *Caligulam & Simonem Magum* huc rapiendo, eam parum in antiquitate Eccles. præsidii habere, in aprico positum est. Antiquitatem de reliquo quanti *Grotius* fecerit, non obscure in epist. ad *Jac. Laurentii Epp. Remonstr.* n. 570. memoriæ prodidit.

b) *Samuel de Marets*, quem *Vossius Maresenium* vocat, h. t. Pastor & *Profess.* Gymnasii Sylvæducensis, gente Gallus, ac tandem, ut notum est, Prof. Grœningensis. Digna est, quæ ad h. l. illustrandum consulatur *G. J. Vossii* epistola, e qua fata hujus libelli, & argumentum, quare acerbitatis heic accusetur, addiscere licebit. Ordine ea inter *Epp. Remonstr.* n. 560. comparet.

c) In hujus namque epistolæ principium jam anno 1641. emiserat Commentariolum *Grotius*, una cum Annott. in 4. Evangel. excusum, etsi Comment. in epist. Paullinas & reliquas N. T. partes nondum lucem vidissent.

menter injuria esse: cum plenissimam remissionem peccatorum nostrorum ante Christi mortem Deus nobis obtulerit, a) & mors Christi non ad eam impetrandam, sed jam oblatam (& quidem ex pura puta & mera nullo cujusquam b) precio aut precibus evocata Dei benignitate, ex gratuita benevolentia & divitiis gratiæ, ut vel istud primum caput ad Ephesios luculentissime c) docet) confirmandam fuerit adhibita. Eodem pertinet conclusio illius, quam explicationi decalogi subjicit, cum ait: *Hanc det in nobis augeatque Deus propter Filium suum, & Spiritum sanctum.* Etiamsi ista possint habere sensum commodum, 279 præstat tamen professori & patrono salutiferæ veritatis, quam diligentissime formulis S. literarum insistere, neque unquam vel pilum transversum ab illis discedere. Quid Deo propitio suscipere & præstare valeat is homo, qui tam aperte in gloriam divinæ benignitatis, & salutem humani generis privati otii causa contumeliosus & injurius est, & pestiferos suos errores, quos a Crellio confixos, d) & terræ mandatos vidit & agnovit, in orbem revocat, & hæc toxica pro salutifero poculo veritatis ignaræ plebi Christianæ propinat? Eodem refero etiam ea, quæ scripsit in 2 Thess. II. Cum enim in eo capite (ut cuivis legenti patet) Apostolus agat de singulari quadam, magna, generali, per universum orbem diffundenda, & diu duratura labe religionis Christianæ, & fidei in Deum per Christum, eaque per summam calliditatem, & surrogationem mendacis alicujus & impiæ doctrinæ & religionis in locum

a) Immo potius promiserit & procurarit gratia antecedente generali, quam se iratum, sed placabilem tamen docuit, atque adeo interveniens redemtionis pretium ἰσόῤῥοπον non excludente, sed simul ordinante & respiciente; quem ordinem sapienter a DEO constitutum & justitiæ suæ vindici placandæ destinatum, si qui observent, gratia speciali paternaque frui possunt ac debent.

b) Neque *nostrum* quisquam pretio aut merito *nostro* evocari DEI benignitatem ad Christum mittendum, eoque modo justitiæ & benignitati divinæ simul conformi gratiam per καταλλαγὴν in cruce partam impetrari docet. Manifeste igitur *Gittichius* antiqua oberrat lyra, ut gratiam *paratricem* DEI & applicatricem cum *applicata* turpiter confundat.

c) Immo vero contrarium commata 6. & 7. docent, in quibus ἐχαρίτωσεν & ἀπολύτρωσις, per quam gratiose nobis in Christo omnia data dicuntur, conjuncta leguntur.

d) In Libr. de *satisfactione Christi* contra *Grotium*, de quo supra: quo tamen doctrinam suam confixam esse nunquam hic fassus est, etsi eruditum esse scriptum, ex quo non pauca didicerit, blandiendo magis, quam applaudendo, ad eum scripserit. Caussæ certe nihil habuisse, cur epistolam illam *Grotianam* trophæi instar in *Bibl. Fr. Polonorum* recuso etiam Grotiano operi præmiserit *Wissowatius*, firmissime credo. Cæterum vel ex hac epistola, quanta animi contentione & multo, quam alii, vehementius dogmata *Sociniana* propugnaverit ad fata usque *Gittichius*, elucet.

cum doctrinæ Evangelii, ſub prætextu fidei in Deum & Chriſtum inter profeſſores Chriſtiani nominis introducenda, & poſt fata demum Apoſtolorum, ut etiam 1 Tim. IV, 1. patet, ſuum caput pleniſſime exſertura: cum inquam hic de tali labe religionis Chriſtianæ agat Apoſtolus, quid hoc ad Cajum non Doctorem, ſed Cæſarem, palam atheum, & ab omnibus religionibus averſum? Quorſum hic privatum exemplum Simonis Magi? cujus impietas cum ipſo auctore temporibus 280 Apoſtolorum periit: cujus item deliria non plus damni dederunt fidei & religioni Chriſtianæ, quam Hymenæi & Phileti ſomnia de reſurrectione, aut aliorum id genus diverſa figmenta, qui variarum hæreſium auctores & capita extiterunt. Quod ad oſtentationem ipſius, & captandam auram popularem ex multa veterum Eccleſiæ Doctorum lectione attinet; cum illi quoque ex libris Eccleſiarum noſtrarum perfectiſſime conſtet, in patrum illorum, & priſcorum Eccleſiæ Chriſti Doctorum ſententia de Deo, Chriſto, Spiritu ſancto, morte Chriſti &c. nihil prorſus eſſe ſani; a) quid attinet illum toties ſive ad firmandam, ſive ad illuſtrandam ſuæ ſententiæ & loci alicujus explicationis veritatem, Juſtinos, Hilarios, Tertullianos, Chryſoſtomos, Auguſtinos, & id genus alios in medium producere; niſi ut cordati videant, illum ſententiam ſuam in controverſia de coloribus cæcorum b) iſtorum judiciis quam maxime munitam velle. Si quantum habet vir iſte ingenii & eruditionis, tantum haberet candoris & genuini in gloriam & veritatem divinam ac ſalutem humani generis amoris, non opus haberet ullis iſtorum adminiculis, neque ita abuteretur otio in fruſtra conquirendis & emendicandis iſtorum ad ſuam ſententiam illuſtrandam ſuffragiis: ſolis Sacrarum literarum teſtimoniis ad ſuæ cauſæ bonitatem oſtendendam contentus eſſet: in explicandis autem difficilioribus Sacrarum literarum locis rationum pondera, & alia planiora S. li- 281 terarum loca urgeret. Hac ratione ille ad S. literas legendas, & in illis ſolis (non per infinita, teterrimis erroribus ſcatentia, & inquinatisſima

a) Dura his verbis & immodeſta ſententia de univerſa antiquitate pronunciatur, Doctoribusque Eccleſ. vel *Martyrii* gloria promeritis, ut benignius de ipſorum ſcriptis ſentiatur, minus honorifica eſt, etſi auctoritate eorum, tanquam hominum, cœco obſequio ſtandum non eſſe, facile largiantur, qui divina humanaque ſcripta diſcernere, & juſtum etiam primitivæ Eccleſiæ pretium ſtatuere norunt.

b) *Inſolentiæ* Gittichianæ novum & luculentius documentum: quod, utrum cum elogio *Gittichii*, quo *Lithuanicarum Eccleſiarum Paſtorem*, *Virum rara eruditione & morum gravitate conſpicuum* vocat *Lubienicius*, conveniat, alii videant. Mihi talia *ſupercilium* ſapere videntur, viro gravi & modeſto ſimul neutiquam dignum.

ma priscorum Doctorum volumina) veritatem religionis Christianæ quærendam omnium studia incenderet. Si tibi est aliqua amicitiæ cum isto viro conjunctio, peccaturum te graviter in amorem Christianum arbitror, nisi illum diligenter moneas, ut in religionis negocio agat religiose, & tanquam in oculis Jesu Christi, justi vivorum & mortuorum judicis: cui brevi a) rationem de credito sibi talento redditurus sit. Si enim inutilis servus in extimas illas tenebras conjiciendus? quid damnoso, & quidem pertinaciter damnoso fiet? qui licet gravissimi istius de morte Christi erroris a Crellio convictus sit, nihilo minus tamen toxica sua in vulgus spargere, & gratuitæ Dei misericordiæ humano generi per Christum exhibitæ, per speciem gloriæ Christi tenebras offundere non desinit. In explicatione Decalogi pag. 17. scribit: *Neque peccaturum putem, si quis angeli sibi apparentis commendationem apud Deum imploret.* Miror, quod vir tantus, quod hic asserit, a sana ratione alienum, b) quippe majestate Christianorum, qui Christi sponsa sunt, indignissimum, non animadverterit. Quis sana mente præditam dixerit sponsam dilectissimam potentissimi alicujus regis unigeniti filii, quæ per aliquem mariti sui apparitorem gratiam mariti aut illius parentis quærat? Quis est, qui non absurdissimum, & stultitiæ plenissimum tale factum judicaret? Angelis potius, si isti ulla re egerent, quærenda esset gratia Dei & Christi per Christianos, non Christianis per angelos. Curæ sis Christo, & tibi Christus, Vir clarissime, & me cum Ecclesiola c) mea devotis vestris precibus commendatum habeto. In territorio Novogrodecensi in Lithuania ex agro generosi D. Raphaelis Kos. XVII Novembr. CIƆIƆCXLII.

282

LXIV.

a) Quod omen eventus etiam comprobavit. Diem enim suum *Grotius* anno 1645. d. 18. Augusti *Rostochii* obiit, *Gittichiumque*, eodem anno vivere desinentem, comitem excessus ex hac vita in æternitatem habuit.

b) Miror tantopere propter hæc verba *Gittichium* succensere *Grotio*; cujus tamen verba de eventu loquuntur, vix unquam expectando, & de imploratione quoque civili, sine religiosa invocatione, accipi possunt. Quæ dum notamus, *Grotii* de his, & invocatione etiam sanctorum defunctorum, tunc temporis pronunciata, & ab *Mart. Geiero* ex instituto examinata atque rejecta, φορτικὰ ἀκούσματα non approbamus. Eamque ob rem justa *Gittichium* in sequenti epistola, qua ad hæc ordine respondit, censura *Ruarus* notavit.

c) Postquam enim anno 1618. ex urbe Novogrodecensi, ubi cum *Licinio* Pastorem Sociniani cœtus numerosioris egerat, mandato Regio ejectus erat, in perexigua hujus sub patrocinio *Kosii* suorum societate hærendum illi & pæne latitandum ad mortem usque fuerat.

LXIV.

M. RVARVS M. GITTICHIO.

Literas tuas 17. Novembris datas ante hos decem demum dies accepi; eoque nec miraberis, quod adeo tarde ad illas respondeam. In Grotii scriptis a me tibi transmisſis haud pauca acerbe a) reprehendis; quorum tamen nonnulla (ut verum fatear) ad sensum commodum trahi possent. Commentationem seu potius commentum ejus in caput 2. posterioris ad Thessalonicenses non excuso, utpote quod ipsa temporum series satis refutet; ne alia congeram, quæ Slichtingius b) fuse contra illum deduxit. At quod benignitati Dei injurium censes Grotium, eo quod Christum morte ac obedientia sua id a Deo impetrasse censeat, ut peccata nobis remittat; in eo non possum tibi penitus suffragari, si id quod Christus hic præstitit, ut conditionem a Deo illi impositam, quam pro amore erga Filium non ipsi tantum, sed & iis, qui sunt membra illius, remunerari velit, accepit. Quæ enim major ex eo divinæ benignitati injuria inferetur, quam si Deus a nobis fidei ac obedientiæ conditionem requirat, antequam nos ad promissa nobis bona admittat? Non labefactatur benignitas erga nos divina, conditione obedientiæ sive Christo capiti nostro, sive nobis membris ejus imposita; si modo conditio hæc non sit ejusmodi, ut vim meriti proprie dicti c) subeat; quod a ratione salutis nostræ Sacræ literæ prorsus repudiant: qua de re pluribus tecum, quantum meminisse possum, Slichtingius atque ego disseruimus, cum Czarkoviam d) eodem curru veheremur. Hinc nec adeo absurda videri debet ea oratio, cum petitur, ut propter Filium suum Deus nobis benefaciat: cur enim magis nos hic offendat sermo, quam cum Deus sub veteri fœdere propter Davidem se posteris ejus benevolum testatur? Quod veterum scriptorum

283

a) Non male hac voce perquam commoda rigorem judicii superiori epistola de *Grotio* Patribusque Eccles. priscæ pronunciati notat *Ruarus*, vir modestisſimus & instillando magis, quam inculcando doctrinæ, quam tuebatur, veneno idoneus.

b) Edito hoc ipso anno 1643. *Joh. Simplicii* nomine libello: de quo superius jam dictum fuit, quod satis. Quem, ut hallucinati sint, qui *Salmasio* adjudicarunt, *Simplicii Verini* larva assumta, *Grotium* aggressum, jam ab aliis animadversum est.

c) En luculentisſimum testimonium, unde constet, *Ruarum*, quantum ad satisfactionem Christi vicariam *Remonstrantium* sententiæ accesſisse, una cum *Slichtingio*, prout alibi ex *Episcopiana* vita annotavimus. Quæ huic, cum *Gittichio*, assecla *Socini* pertinacisſimo, disceptationi, plurimum lucis affundet observatio.

d) De tempore hujus itineris & confabulationis non satis constat. Oppidum ipsum, quo contendebant, *Moscorovii* paruisse dominio, alibi commemoratum est. conf. Cent. II. n. 13.

ptorum auctoritate Grotius rectas de religione ſententias ſtabilivit, id adeo me non ægro fit, ut & gratias hoc illi nomine agam. Jucundum enim eſt, habere in agnitione veritatis ſocios eos, qui ante nos in Eccleſia doctrinæ & pietatis laude claruerunt: & ut mihi quidem auctoritate humana non perſuadeatur divinarum rerum veritas, non parum tamen ea facit ad convincendos alios, qui ſuam fidem illi volentes inædificant, & ad nos a novitate excuſandos. Si quis angeli ſibi appa-
284 rentis commendationem apud Deum requirat, in eo non plus impietatis video, quam ſi hominis alicujus opem apud Deum Chriſtumve implorem. Idololatria tum demum erit, ſi angelum vel præſentem adorem, vel procul abſentem invocem. Quo in ſtatu ſint res hic noſtræ, ex eo qui has literas tibi offert intelliges; cui quicquid hic proſpere geſtum eſt, magna ex parte debetur. Rependat hoc illi officium Dominus Jeſus: cujus curæ te quoque, mi Gittichi, cum omnibus quotquot iſtic ſunt ejus amantes, commendo. Warſaviæ XXXI Martii, cIↃIↃCXLIII. *

Sequentem epiſtolam ex Gallico Autoris vertimus.

LXV.

M. RVARVS PELSIO. a)

DOmine, Non bene memini omnium, quæ antehac ſcripſi ad D. Mercierum b) de facto D. Legati Sueciæ: c) attamen conſcientia mihi mea teſtatur, me nunquam neque locutum eſſe neque ſcripſiſſe de viro hoc magno, niſi cum reverentia, quam omnes literati maximis ejus debent meritis. Interim dabit mihi veniam, quod utar erga eum libertate, quam ipſe Paulus dedit Corinthiis, d) id eſt, quod judicium de ejus ſcriptis feram pro captu meo. In ultimis ad te literis inquit, in Eccleſiis Romanæ adhærentibus doceri præcepta Domini noſtri. Sed quæſo te, ubi ſanctisſima Domini præcepta transformantur

* Reſponſionem ad hanc epiſt. vide ſub calcem hujus Centuriæ pag. prior. edit. 465.

a) Curatori rerum ad *Fæderatos Status* ſeu Ordines Belgicos pertinentium, *Gedanum* miſſo, & *Dantiſci* h. t. viventi, ſive, ut vulgo loquimur, *Reſidenti*, epiſtolam hanc bis impreſſam, & in Cent. II. locum quoque ultimum occupantem, heic retinuimus, iſtic vero aliam, commode repertam, ſubſtituemus. Hoc tamen non posſumus, quin breviter moneamus, immemores translationis hujus filios, novam ibidem adornaſſe, eaque propter hanc cum iſta, ſi quid obſcuri occurrat, componi haud ſine fructu poſſe.

b) Vid. ſupra epiſt. 42.

c) *Hugonis Grotii*, in Gallia hoc officio tum temporis fungentis, & *Pelſii* amici, cujus etiam amice ſupra epiſt. 42. mentionem, ad *Ruarum* ſcribens, fecerat.

d) 1 Cor. XI, 29. & 2 Cor. X, 7.

tur in consilia, & optioni arbitrioque hominum permittantur, imo ad maximam Christianorum partem non pertinere dicuntur, annon hoc 285 est omnem eorum vim abolere? a) Quid dicam de S. Eucharistiæ adoratione, de invocatione sanctorum, & imprimis Domini nostri matris? Mea sententia non appropinquant illi modo idololatriæ, verum etiam planissime eam committunt; præsertim si ad populi mentem spectes, imo nonnullorum etiam ex clericis. Nam utut non negem, posse quem in signum reverentiæ genua flectere coram sanctis Eucharistiæ symbolis: tamen, cum habentur symbola pro ipso corpore & sanguine Domini, atque adorantur pro corpore & sanguine Domini, non video, qua ratione ab idololatria illi excusari queant. Ita, cum sanctis adscribitur, quod audiant preces, & cogitationes tot millium percipiant, qui uno eodemque tempore eos invocant; nonne id est, Deos ex iis facere aliquos, & illis tribuere honorem, qui ad neminem nisi ad Deum & Dominum nostrum pertinet? Si sunt episcopi & alii viri docti, qui dant operam, ut emendetur hic error, gratia sit Deo: sed quoad hæc tamen agendi ratio in Ecclesia Romana obtinet, qui aliter arbitrari possis, nisi idololatriam serpere in medio illius? D. Legatus scribit, doctrinam de gratia, de libero arbitrio, b) de necessitate tum fidei tum operum bonorum, in Ecclesia Romana esse integram: id quod concedo, si bona opera intelligantur ea, quæ a Deo nobis mandata sunt. Interim video, licet illa ibi adhuc doceantur, tamen majoris fieri opera arbitrio hominum introducta; ita ut quamplurimos inve- 286 nias, qui exempli gratia die Veneris inebriari multo malint, quam ovum edere: quod est profecto, ut Dominus noster inquit, excolare

culicem,

a) Immo non solum vis per hanc hypothesin præceptorum divinorum aboletur; sed etiam persuasioni de majori perfectione, quam necesse sit, eaque meritoria, qua etiam ex abundanti quasi apparatu aliis succurri queat, via sternitur. Huc enim in Pontificia Ecclesia doctrina illa de Consiliis Evangelicis spectat & adhibetur.

b) Male integram hanc esse in Ecclesia Romana doctrinam, h. l. affirmatur; quam multis modis potius istic obscurari & labefactari, ex parte antiquiori *Scholasticorum* & recentiorum *Molinistarum*, atque ex adverso *Dominicanorum* ac *Jansenistarum*, & diuturnæ & in hunc usque diem continuatæ de *Auxiliis gratiæ* lites condocent. Liberalior forte *Ruarus* in his concedendis fuit, quoniam & *Sociniani* liberi arbitrii viribus ita favent, ut gratiæ applicatricis intrinsecus in animo operantis, necessitatem prorsus inficientur. Cæterum, quæ sit Pontif. Ecclesiæ sententia, præter *Conc. Trident.* Sess. VI. can. IV. seqq. nemo compendiosius exposuit, quam S. R. D. *Buddeus in Pelagianismo in Eccl. Romana per Bullam Quesnellianam triumphante:* quæ lucem anno 1714. adspexit, & nuper inter Dissertatt. alias Tom. II. primum locum accepit.

culicem, & camelum deglutire. His adde id, quod ipse D. Legatus fatetur, confessionis & indulgentiarum abusum bonæ doctrinæ virtutem perdere. Quicunque enim persuasum habet, se facillime a peccato suo liberari & sanari posse, non difficulter etiam in id prolabi volet, impulsus magni alicujus boni aut voluptatis cupidine. Bene habet, quod D. Legatus velit omnem movere lapidem, ut his abusibus remedium afferatur. Ego vero ægrotum difficulter inductum iri vereor, ut remedia pati velit, si quis ei adulctur, & dicat, morbum ejus non tam esse periculosum, quam est revera. Sit ita, fateatur Ecclesia Romana, posse servari, qui semper ad Deum & Dominum nostrum preces suas dirigunt: interea ibi damnantur & exuruntur illi, quibus sanctos invocare religio est. Verum est, Calvini sectatores in Gallia morte non plus affici propter religionem suam: at etiam bene novi, hanc rationem ibi magis vi armorum esse introductam, a) quam clericorum doctrina. Et quare non utuntur eadem moderatione in Hispania, in Italia, & præsertim Romæ, ubi Ecclesiæ caput in suis decretis errare nesciens, manu sua tenet imperii habenas? Vel in Gallia, ubi venia datur Calvini sectæ, darentur flammis forte alii non pejores 287 Christiani, si eos ibi esse palam fieret. Si D. Legatus pro virili stabilire conatus est edicta, quæ Calvinianis concedunt libertatem conscientiæ, & religionis suæ exercitium, magna ab omnibus Christianis bonis gratia debetur ei, & laus Deo pro bono successu, qui det ei dignum factis præmium. Verum opto quoque, ut ejus labor æque felix sit pro omnibus Christianorum sectis, ac fuit pro Calvinianis, idque non solum in Gallia, sed ubique: imo credo cogitationes ejus in id intentas fore, quantum seculi nostri conditio permittit. D. Legatus petit, inter argumenta, quibus convinci me velim, ponam universalem Ecclesiæ antiquæ consuetudinem. Ego vero fateor Ecclesiæ ut bonæ matri honorem habendum esse, modo ne hæc mater b) præcipiat nobis quod Deus

a) Ac *deinceps*, quod tristis nostro ævo docuit Reform. Eccl. oppressio & *Nannetensis Edicti abolitio*, plane *sublatam*; ubi scilicet commodum videbatur, doctrinæ potius, sive aulæ Romanæ placitis, ejusdemque voluntati, quam conscientiarum libertati, jurejurando firmatæ, gratificari.

b) Omniumque maxime id metuendum est, ubi *particularis Ecclesia*, qualis Romana est, *universi cœtus* Christiani, immo potius caput coetus istius spectabile, ultro & sine tabulis divinitus datis scriptisque, sibi prærogativam illam tribuat, aut aperte a præceptis sponsi sui recedere non vereatur, erroresque tamen cum e tabulis conjugalibus indubitatis revinci possit, reatum agnoscere nolit. Taceo, nusquam, nisi forte in rebus externis ad disciplinam pertinentibus, quæ ex circumstantiis variis pendent, & prudentiæ regulis circumspecte applicatis definiuntur, quid credendum agendumque sit, Ecclesiæ nusquam

Deus noster Pater prohibuit. At video, multum etiam solere abuti homines prætextu universalis antiquæ Ecclesiæ consuetudinis. Etenim pauci sunt ex primorum seculorum scriptoribus, quorum opera integra ad nostra tempora pervenerunt. Et illi ipsi licet nos de illarum Ecclesiarum sententia doceant, quibus adhærebant ipsi; tamen nec tacent de aliarum ætatis suæ dissensione, quæ propterea etiam ejusdem antiquitatis, cujus ipsorum Ecclesiæ fuerunt. Si vero contra causari velint, has dissidentium Ecclesias exiguo fuisse numero; responderi potest, professorum rei alicujus numerum non semper certum argumentum veritatis esse. Adde hos bonos Ecclesiæ patres, qui nobis vel de primis seculis reliqui sunt, ab illis ipsis non semper recipi, qui 288 tantopere autoritatem eorum jactant. Exempli enim gratia, longe illi aliam opinionem foverunt, id quod ipse D. Legatus mihi concedet, de natura & nativitate Domini nostri, a) quam quæ postea in Synodis est constituta, & nunc pro vera habetur in omnibus fere Christianorum Ecclesiis & scholis. D. Legato etiam bene nota est omnium propemodum antiquorum Ecclesiæ doctorum sententia de millenario Domini nostri regno: cui nescio an ipse calculum suum adjecturus sit. Bonus ille Irenæus, proximus Apostolorum ipsorum seculo, somnia quædam b) nobis narrat haud absimilia Talmudicis fabulis; & tamen asserit Seniores ætatis suæ hæc ab ipso S. Johanne audivisse, qui ea quasi ex ore Domini profecta prædicaverit. Imo per eandem Apostolorum traditionem persuadere se nobis postulat, Dominum nostrum quinquaginta annorum in terris vitam exegisse: quod nullam veri speciem habet. Fateor multum Ecclesiæ Christianæ paci concedendum esse, & tacenda nonnunquam dogmata vera quidem, sed minus necessaria ad salutem. Spero autem D. Legatum mihi etiam concessu-

demandatum legi, sed e verbo DEI ipsius, Scriptura divinitus inspirata comprehensi, effatis tantum, si quid occurrat, quod crucem figat, discendum esse multoties imperari. Quæ testimonia hoc loco repetere nimis longum esset.

a) Facilius forte assentiri hisce liceret, si de *terminis Ecclesiasticis* sermo esset; sed, quando manifestum est, ipsam doctrinam aliam fuisse Sec. IIdo, quam quæ in *Synodo Nicæna* explanata magis & confirmata, *Ruarum* his verbis perhibere, erunt fortassis, qui *Bulli Fidem Ante-Nicænam* malint audire, quam *Ruari* & *Socinorum* hanc toties iteratam ad nauseam usque cantilenam.

b) Esto, fuisse virum credulum, inque rebus historicis & philologicis minus exercitatum; hæccine fidem ejus, ubi Scr. S. testimoniis innititur, dubiam reddent? Non magis certe, quam multorum etiam Theologorum, nostri ævi, eruditio est contemnenda, etsi forte in Philosophicis aut Philologicis, cæterisque doctrinæ non unius partibus, subinde sint hallucinati.

ceſſurum eſſe, hanc prudentiam magis convenire tempori, quo homines adhuc inter ſe de dogmate aliquo ferendo conſentiunt. Poſtquam vero diſputari ea de re cœptum eſt, poſtquam in partes ſeceſſum, tum vero oportet, ut, ubi veritas eſt, illas nos quoque partes amplectamur;
289 attamen ſine omni nimio affectu & perturbatione animi, non vero ſine demonſtratione, nos errantes odio minime proſequi, etſi errores ſumma, quantum fieri poteſt, modeſtia refutemus. Etiam fateor non ſtatim rejiciendum eſſe modum loquendi, quem cæteri Chriſtiani in dogmate aliquo amplexi ſunt, licet S. Scripturæ inuſitatum, modo ejus interpretatio cum Scripturæ ſententia conveniat: illud hic etiam cavendum, ne veritatem præcipue in rebus magni momenti perdamus periculoſam illi larvam inducentes. Quod odium D. Legato adverſarum partium prædixi, id exiſtimationem de illo meam oſtendit, quod perſuaſum habeam, D. Legatum nullum ſibi corporale commodum quærere in hoc Eccleſias uniendi ſtudio; quippe qui non ignoret, quam alias mercedem Eraſmus, Melanthon & alii reportaverint. Ad me vero quod attinet, utique non invenio meliorem Chriſtianos adeo diſſentientes uniendi rationem, niſi ut diſtinguantur a) res neceſſario credendæ & præſtandæ ad ſalutem ab illis, quæ non ſunt adeo neceſſariæ: atque ut rationibus homines perducantur ad veritatem illarum, in his autem alter alterum amore Chriſtiano ferat, orando communem Deum, ut ipſe vulnera noſtra ſanet. Gaudeo D. Legatum non tantum viam ad pacem nobis in Germania conciliandam ingreſſum eſſe, verum etiam ſpem ejus habere aliquam: quanquam metuo, ſimul atque pax reddita fuerit reipublicæ, ne bellum ibi denuo exoriatur pri-
290 vatorum conſcientiis. Verumenimvero, utut res ceciderit, melius tamen erit propter ſuam religionem a magiſtratu ſuo perſecutionem pati, quam quotidianæ militum vi atque inſolentiæ expoſitum eſſe. Hæc ſunt, Domine, quæ tibi conſideranda dare volui ſuper ultimis D. Legati Sueciæ literis, meliora doceri paratus, ſive a te, ſive ab ipſo D. Legato:

a) Vt priora de *Grotio* ipſo uſuque terminorum in Eccleſia, tametſi in Cod. Sacro non reperiantur totidem ſyllabis, & ſimilia plura non improbamus: ita, quæ de *diſtinguendis neceſſariis* fidei videlicet fundamentis & fulcimentis, a *non neceſſariis* & illuſtramentis traduntur, univerſe quoque vera eſſe cenſemus; veremur autem denuo, poſtquam ſupra jam id ſemel iterumque monuimus, ne, ubi ad *ſingula deſcendendum* ſit, *Ruarus* cum ſuis nimis anguſtis illa limitibus circumſcribat. Cujusmodi jam ſupra ea ſunt data ſpecimina, ut inter non neceſſaria etiam doctrina *de SS. Trinitate* connumeraretur: cui aſſerto aperte Joh. 1 epiſt. II, 23. ipſa præterea *formula baptiſmi* Chriſti item, perſonæ ſuæ cognitioni *petræ* ſimilitudinem applicantis, teſtimonium, & alia Script. S. loca refragantur.

D. Legato: cui ſubmiſſa ſi videbitur officia mea deferes, tibique de me perſuadeas, quod permaneam tuus &c. Dabam in Straſzynio, 1 Octobris cIɔIɔcXLIII.

LXVI.

M. RVARVS FR. LIMBVRGIO. a)

VIr conſultiſſime, Ago tibi gratias, quod intermiſſum inter nos literarum officium redintegrare volueris: cave tamen dixeris, eo & amicitiam noſtram intermortuam fuiſſe. Nam ego te, etiam dum tacui, non minus ſemper amavi; nec ab externis iſtis officiis amorem genuinum ſuſpenſum exiſtimo, qui poſtquam vera virtute (hanc in te ſemper agnovi) excitatus radices in pectore ſemel fixit, ſuo ſtat robore, nec temporis injuriam ſentit. Alloqui te literis per hoc tempus & ipſemet omiſi, tum quod neſciebam, an Amſtelodamum rediiſſes, poſtquam Vltrajecti domicilium figere cœperas, tum quod aliis te negotiis nimis diſtractum crederem. Juriſconſulti enim titulo, ni fallor, auctus es, & de jure interrogantibus reſpondes, injuriaque oppreſſis ſub- 291 venis: quæ provincia quam ſit operoſa, non ignoro. Quo in cardine res noſtræ per Poloniam, imo & per hanc Pruſſiam verſentur, generoſus tibi Wolzogenius b) ſine dubio narravit: te enim ſibi nuper in itinere viſum per literas mihi retulit. Ego ruri nunc in ignobili otio dego, quo conceſſi non quidem expulſus ab urbe, ſed expulſionem metuens: malui enim ſpontaneo ſeceſſu c) libertatem mihi relinquere in urbem, quoties res requireret, redeundi, imo & in ea, ſi meliora ſuccedant tempora, habitandi, quam extrema periclitando, ſententiam

a) Quis ille fuerit, malumus Celeberr. *Clerici*, quam noſtris enunciare verbis; qui in vita *ſeu Orat. funebri Phil. Limburgii*, recentisſimæ editioni *Theol. Chriſtianæ* anno 1715. præmiſſa: *Franciſcus*, inquit, *Limburgius horum* (Franciſci, Philippi, Simonis fratrum) *ſtudiis operam dare inſtituerat, ſed conſilio ſoceri, Remberti Epiſcopii, mercaturæ ſe eo vivo tradidit; cui tamen mortuo ſocero, mox valedixit, & ad ſtudia iterum converſus ad Jurisprudentiam animum appulit, primum Vltrajecti, dein Lugduni, unde tandem Amſtelodamum rediit, ubi Juriſconſultum profeſſus cauſas agere non ſine felici ſucceſſu cœpit.* His ergo animo recte reputatis, quid verba ſibi velint, quæ epiſt. 28. ſupra habentur, *Limburgius*, *Amſtelodamenſis* mercator, intelligi poterit, vix alioquin cum *Conſultiſſimi viri* compellatione concilianda.

b) Idem ille, qui ſupra *Eugenius* dicebatur epiſt. XXV., quem e *Polonia* hac tempeſtate in *Belgium* profectum eſſe patet, Vnde reverſum atque in Polonia & Sileſia diu oberrantem, tandem anno 1658. diem obiiſſe ſupremum nemo eſt, qui neſciat & ſæpius jam dictum eſt.

c) De quo conſulantur epiſtolæ complures, Centuriæ IIdæ inde a n. XLVIII. magnam faſciculi illius partem conficientes: ubi etiam, quæ fata cauſſæque ſeceſſus hujus fuerint, diſtincte enarratur.

tentiam æterni exilii provocare. In ea enim nunc devenimus tempora, ut foro utendum, nonnunquam eo & cedendum ſit, ne fruſtra brachia contra torrentem agitemus. Statorius a) per Dei gratiam vivit adhuc, ni fallor: ſaltem nihil de ejus mihi morte conſtat, (procul b) enim hinc degit, & ultra centum fere milliaria) quanquam corporis hæc in eo conſtitutio, quam noſti, crebris eum morbis obnoxium reddat. Vir bonus iterum in exilio quodammodo verſatur, publica ſupremi tribunalis ſententia proſcriptus, quanquam nec citatus, nec auditus: idque ſolum alienæ cauſæ occaſione, quæ ipſum non magis attingebat, quam ad me aut te fines aut lites Sieniuttæ c) cum monachis pertinent, hominis Evangelicam, quam vocant, religionem profitentis. Ea nunc viget hic in judiciis juſtitia, ea religio: de qua non immerito illud Lucretianum uſurpes,

292 *Tantum relligio potuit ſuadere malorum!*

Grotii obitus d) illi quidem non immaturus accidit, (ſuperaverat enim, ni fallor, climactericum magnum, & eam gloriam erat aſſecutus, quam non facile quisquam inter literatos hac ætate) nobis tamen eo magis dolendus eſt, quod a reipublicæ curis exſolutus, reliquum ætatis videbatur impenſurus libris ſcribendis, quibus ſeculum, invitum licet & ingratum, erudiret. Vtinam modo ſub hoc extremum vitæ circa controverſias de Paparum auctoritate & placitis aliquanto ſe cautius geſſiſſet, nec auctoritatem famamque ſuam illis excuſandis commodasſet, quæ præſtaret emendare. Non dubito cauſam hinc ortam, cur minoris ſit habitus ab iis, quorum favori fortuna ejus innitebatur, (de quo illum jam ante biennium ſubmonueram) a quibus cum tandem etiam exauctoraretur, e) fieri poteſt, ut ea contumelia animum generoſum

a) *Joh. Stoinius*, Petri Thionvillani nepos: de quo alias.

b) In *Volbynia* aut *Czarkoviæ*, ubi & vita tandem defunctus eſt anno 1654.

c) Conf. *Diarium Smalcianum*, in quo plura de eo annotata habentur: quæ h. l. repetere nihil attinet.

d) Qui eodem hoc anno 1645. d. 18. Augusti *Roſtochii* naufragio iſtuc compulſo ei contigit: uti ex *Quiſtorpiana epiſtola* ad *Bernh. Taddelium* (is enim ille eſt N. N. in *epiſt. Remonſtr.*, neſcio quam ob rem obſcure deſignatus) perſcripta notisſimum eſt. Cum qua, quæ nuper admodum ad vindicandam Viri doctisſimi famam memoriæ prodidit b. *Jo. Jacob. Schudt* in vita *Hug. Grotii*, anno 1722. typis ſubjecta & jam ante laudata, f. 69. ſeqq. comparare non pœnitebit.

e) Alii aliter hanc mutatam rerum ſcenam deſcribunt, & ultro *Grotium* ad ſuos, ab uxore potisſimum expetitum, aerisque Suecici crasſitiem formidantem, redire voluiſſe, atque hinc a Regina *Chriſtina* animo quidem, ut ſolebat, ab eo alienato, ſed tamen non ſine præmio ſpectabili, eſſe dimiſſum ajunt. De quibus, dum *Ruari* nobis teſtimonium interim non videtur

rosum paulo acrius exstimulaverit, & morbo quoque semina suggesserit; quem deinde tempestas inter navigandum nimium exasperavit. Librorum, quos petis, tantum mitto, quantum ad manus mihi fuit. Quorundam adhuc in Polonia restant exemplaria: sed eorum copiam ante ver futurum hic despero. Quosdam jam pridem hic distractos a vobis nos recepturos speraveramus: sed non minus nos istic, quam hic immitia, ceu video, fata exercent. Hæc igitur feramus animo masculo, & secundis nos servemus rebus, si quas fortasse benignum numen suggesserit: cui te quoque, mi Limburgi, ex animo commendo. Dabam ad Gedanum in Straszynio pago a. d. v. eid. Nov. cIↃIↃCXLV. 293

LXVII.
FR. LIMBVRGIVS M. RVARO.

JAm annus est, & quod excurrit, Vir Clarissime, ex quo literas ad te dedi, ad quas responsum nullum accepi: quid causæ sit, nescio: nisi quod forte multis & molestis negotiis distraharis, & gravibus Ecclesiarum vestrarum curis vexeris; præsertim pessimis hisce & calamitosis temporibus, in quibus fere omnia licent, præterquam dissentire, & nominatim in vestris regionibus. Vehemens me tenet desiderium noscendi, quo in loco res vestræ sint, ubinam degant D. Hystiæus a) & reliqui viri probi: b) quæ spes vobis alma affulgeat: an post hæc nubila serenum tempus sperare liceat. Mihi videntur omnes in naturæ legem peccare, qui cum suis conscientiis vim inferri nolint, aliorum tamen conscientiis vim facere omnibus modis allaborant. Aurea naturæ lex est: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Vtinam hæc omnium animis quasi ferreo stylo inscripta esset; non ita alius in alium sæviret, & multo pacatius atque constantius sese res Christianæ haberent; neque in toto Christiano orbe vel unum reperires, qui fratrem suum errantem licet errorem gravem, anathemate aliquo percutere 294 auderet.

suspectum, in medio relictis, laudati *Schudtii* Commentariolum f. 25. & 68. denuo conferri suademus.

a) Idem *Statorius*, (Johannes) de quo paullo ante. Pro *Hystiæus* autem substituendum est *Histiæus*. Vid. *Hist. Crypto-Soc.* cap. II. lit. H. Vtrum fratres ejus *Christophorus* & *Petrus* adhuc superstites fuerint, pro certo non affirmamus, ex sequentibus tamen id colligi posse videtur.

b) Jon. *Slichtingius*, Christoph. *Lubieniecius*, junior, Andr. *Wissowatius*, Sam. *Przipcovius* & cæteri hinc inde jactati, & *Kisselino* quoque, quorsum se receperant, plurimi non diu post ejecti, totaque e patria proscripti. Hoc enim tempore persecutio *Socinianorum*, quam inde ab anno 1638. patiebantur, adhuc continuata, & post halcyonia interdum indulta perbrevia mox vehementius per proscriptiones iterum iterumque repetitas instaurata est.

auderet. Quum econtra hodierno tempore quamplurimas hominum myriadas invenias, qui levissimis de caussis, & ob leviculum errorem, a) pium & innoxium fratrem suum cœlo proscribere & æternis flammis addicere non verentur; neutiquam in memoriam revocantes saluberrimam illam Servatoris nostri Jesu Christi legem: *Ne judicate, & non judicabimini: quo enim judicio judicaveritis, eodem judicabimini.* Si itaque quis hominem probum & pium indignum judicaverit, quicum sacram cœnam celebret, eo quod judicet, b) eum in errore aliquo gravi versari; annon etiam Deus superbum istum & inclementem judicem judicabit indignum mensa sua, id est, cœlesti gloria, quia infallibilis ille judex judicat eum gravissimo errore duci, & in naturæ & Dei legem turpiter impingere? quid aliud est eodem judicio judicari, quo judicaveris? Hac de re, Vir clarissime, fusius tecum agere constitueram: sed video mihi non licere quod libet, & licet liber sim, nec alicujus potestati suppositus, ingenue tamen confiteri cogor, me hac in parte non esse mei juris. Cujus itaque juris sim, ex te, Vir clarissime, discere cupio. Vale, una cum dilectissima tua conjuge, & si qui alii sint tibi chari, totaque familia tua, Deo Omnipotenti maxime commendati. VIII Octobris cIↄIↄcXLIX. Amstelodami.

295

LXVIII.

M. RVARVS GEORGIO CALIXTO c) THEOLOGO.

HVmanitatis id est tuæ, nec ullo meo merito fit, Vir plurimum mihi semper venerande, quod pro libris tibi transmissis tantas agas mihi

a) Nescio an *Sociniano* cœtui hæc conveniant, quorum leviculos esse errores, nemo nisi *Remonstrantium* aliquis, camelum deglutiens, credat. Sed nos caussam *Polonorum* non agimus, atque hæc non nisi ἐν παρόδῳ monemus.

b) Si quid judico, male de judicio hoc, quod *Christus* prohibuit, de rebus videlicet ad nos nihil attinentibus ultro & privata auctoritate, suspicando præsertim, suscepto, judicat *Limburgius*, aut certe nimis longe hanc regulam exporrigit. Ad cujus quippe mentem si præsentem scopum spectes, toties commendata alibi & imperata a Spiritu Sancto spirituum atque doctrinæ veræ a falsa discretio omnino intermittenda esset. Omitto fugam hominum erroribus periculosis infectorum creberrime, postquam cogniti sunt, injunctam Christianis promiscue omnibus, quam ne animo quidem sine judicio aut probatione præcedente concipi posse palam est.

c) Theologo *Helmstadiensi*: Ad quem *Ruarus* nuperrime ex *Colloquio Thoruniensi*, ubi cum *Calixto* sæpius collocutus erat, *Straszynium* reversus has litteras adhuc illic commorantem, quod subscriptio docet, dedit. Extremo enim Novembri demum *Calixtum* ad suos, postquam Colloquium sine fructu d. 21. jam finitum erat, rediisse scimus.

mihi gratias. Quantum enim eſt in illis beneficii, apud te præſertim virum tantum? Quin tibi potius debere me fatebor, cum eos lectione dignaberis: ex quibus ſi non erit, ut de veritate ſententiarum, quas in religione Chriſtiana ſum amplexus, honeſtius ſentias, illud tamen fortaſſe conſequar, ut excuſatius errare me credas, cum expendes, quam ſpecioſa a) ſint, quæ errori, ſi quis eſt, meo patrocinantur. Illud vero quanti mihi faciendum, quod precum mihi tuarum auxilium apud divinum numen polliceris? Quanquam enim de ſententia mihi mea hactenus certus videar: haud ita tamen ſuperbio, ut credam errare me non poſſe: eoque, ſi quis menti meæ lumen veritatis clarius a Deo conetur impetrare, ejus affectum exoſculor, eique me plurimum obſtrictum agnoſco. Sanctos illos Chriſti martyres, quorum ſanguine ebria fuit Babylon illa magna, Roma ſub Imperatoribus profanis & Chriſtianismi perſecutoribus idololatrica, quique draconem illum magnum vicerunt per ſanguinem agni, & ſermonem teſtimonii ſui, ego quidem permagni facio: ſed miror tamen, quod ad illorum b) me ſenſum de Chriſti natura tam ſtricte revoces, cum ignorare nequeas, haud minus eos a vulgata theologorum hodiernorum, quam a mea de Chriſto ſententia in diverſum abiiſſe. Loquor nunc de iis, quorum ſcripta ad manus noſtras pervenerunt: nam alioquin fuiſſe eodem tempore, qui plane mecum fecerint, c) horum ipſorum ſcripta ſatis loquuntur. Senſerunt illi ſane, fuiſſe τὸν λόγον, * antequam ex Maria naſceretur promiſſus mundo Chriſtus: at iidem tamen nequaquam crediderunt, eum fuiſſe ipſummet altisſimum Deum, mundique creatorem; ſed emiſſum ab illo Spiritum, & quidem (ut eorum nonnulli diſerte addunt) tunc primum, cum mundum hunc Deus creaturus eſſet, cum ad illud usque tempus intra illum ſubſtitiſſet. Docuit

296

* Verbum.

a) Ita profecto eſt, ſed *ſolida* eſſe nemo crediderit, niſi quem præjudicatæ opiniones in transverſum rapuere. Laudanda tamen eſt *Ruari* modeſtia, *Smalcianæ* & *Gittichianæ* protervitati longe anteferenda.

b) Ad auctoritatem antiquitatis Eccleſiaſticæ hæc reſpiciunt, quam uti alias, tanquam principium veritatis cognoſcendæ & confirmandæ *ſecundarium*, magni ſolebat facere *Calixtus*, & Diſſ. quoque peculiari jam anno 1639. edita celebravit, ita procul dubio coram, & in litteris etiam ad eum datis, *Ruaro* tanto magis inculcaverat, quo firmius inde adverſus *Socinianos* argumentum exſtrui poſſe exiſtimavit. Quod, ſi vacat, L. B. in Diſſert. de *Sanctisſimo Trinitatis myſterio*, non multo poſt anno 1653. evulgata, explanate & ingenioſe §. 21. ſeqq. item §. 34. ſeq. propoſitum legendum expendendumque commendamus.

c) Aut *incommodius* forte *locuti* ſint, minusque circumſpecte.

cuit hoc Slichtingius, in præfatione, quam ultimo suo contra Meisnerum libro a) præfixit, locis ex Tertulliano in medium adductis: quibus non difficile foret, ejusdem notæ alios ex Ignatio, Irenæo, Justino, Origene, Lactantio, atque aliis, qui ante Synodum Nicænam vixerunt, adjungere, nisi tibi in eorum monumentis versatissimo noti essent. Ab hac sententia non ita multum nos abimus, qui libenter agnoscimus, Dei Spiritum quendam singularem Christo ab ipsa conceptione indissolubili nexu conjunctum, & (si licet ita loqui) incorporatum fuisse: qui Spiritus ante hanc conceptionem in Deo prius, imo ab omni ævo extiterit. Quod si quis hoc eodem Spiritu, b) cujus vi no- 297 væ creationis opus Christus peregerit, mundum hunc ab initio conditum, aut alia quædam insignia Dei opera confecta contendat; nos quidem suo illum sensu facile patiemur frui, nec odiosæ propterea litis serram cum eo reciprocabimus. At quantum ab hac sententia discesserunt c) posteriores scholæ, quæ τὸν λόγον, ut & Spiritum Sanctum, eundem, ac perinde summum Deum, quam si Pater, censent, & cum singulos tres dixerunt summos Deos, tres tamen summos Deos diffitentur. Nos tamen ne hos quidem in devia errore mentis tantopere ablatos a cœtu Christi proscribimus, nedum illos tanto nobis ac vero propiores: quin potius & hos & illos, & quotquot Jesum credunt esse Christum, id est, magnum Dei Prophetam, cujus verbis non minus,

quam

a) *Disputationi* puta de *SS. Trinit. de Moralibus V. & N. T. præceptis* anno 1637. editæ, in cujus Præfatione audacter nimis *Scholæ Montani* & *Tertulliano* in ea de his edocto, doctrinæ hujus originem acceptam esse ferendam ait, *formulasque* paullo alias, de *mysterio hoc loquendi*, quam priores Græci scriptores usurpaverant, cum sensu adeo, quem putat fuisse diversum, itidem ut cæteri, confundit.

b) Ita est, mi *Ruare*, sed *Spiritus* ille non alius est, quam *divina natura* filii DEI, indissolubili nexu inde ab incarnatione cum humana seu carne conjuncta, & σωματικῶς in ea habitante, hoc est, *personaliter* unita, atque spiritus opposite ad carnem dicitur. Quo spectant loca illa, ubi de Spiritu Christi a carne ejus distincto in scripturis præsertim N. T. sermo est: quæ hoc sensu intelligi & explicari oportere integro libello perdocto accurate, ut opinor, ostendit b. *Storrius*, Heilbrunnensium Ecclesiastes primarius. Quando autem Patres quidam de eodem spiritu, a Spiritus Sancti persona personaliter distincto *incommode* interdum, quod fatemur, aut *ambigue* certe vel *obscure*, locuti sunt, non est, quod aliud inde probari posse putes, quam bonos illos viros in tanto mysterio & cognoscendo & explicando seu docendo *magis magisque profecisse*.

c) Non discesserunt a majoribus *Nicæni patres*, sed data per *Arianos* occasione, sicut jam Antiochenum contra *Paullum Samosatensem* cœperat concilium, dilucidius eandem exposuerunt, atque ab hostium sycophantiis atque sophismatibus, & probando distinctius, & enunciando compendiosius, exposuerunt atque præmunierunt.

quam ipsius Dei, fides sit adhibenda; ac summum Sacerdotem, qui se ipsum Deo piacularem pro genere humano victimam obtulerit; Regem denique a Deo super omnia in hoc universo constitutum: qui sic, inquam, Jesum credunt esse Christum, & vitam ad illius leges cum fide pro virili constanter exigunt, quamvis sub diversarum sectarum magistris censeantur, hos omnes nos pro legitimis Dei filiis, nostrisque in Christo fratribus, a) non inviti agnoscimus. Quam proclivis enim sit in tam sublimibus materiis error etiam illis, quorum pietas martyriis celebratur, horum ipsorum exempla loquuntur, quorum tu mihi fidem commendas: quos tamen in aliis magni momenti rebus, tum 298 circa notitiam b) τῦ λόγυ * hallucinantes, ipsemet in tuis scriptis satis aperis. Cum enim plerique istorum τὸν λόγον ** subinde inter homines ante τὴν ἐνσάρκωσιν ⁎*⁎ apparuisse censuerint, atque hinc non exiguum existentiæ ejus argumentum duxerint; tu mihi non obscure diversam alicubi c) sententiam testari videris. Quamquam autem primi isti martyres, ad quorum me dictamen d) ablegas, Christum pro summo Deo non e) agnoverint; quid mirum tamen, quod divinis eum honoribus prosecuti sint, tum propter insignem cum summo Deo communionem, tum quod meminissent eum διὰ τὸ πάθημα τῦ θανάτυ δόξῃ καὶ τιμῇ ἐςεφανόμενον, ⁎**⁎ ita quidem ut in illius nomine

 merito

* Verbi. ** Verbum. ⁎*⁎ Incarnationem.
⁎**⁎ Propter passionem mortis gloria & honore coronatum.

a) Non agitur, *bone Vir*, de tua liberalitate, sed ipsius DEI judicio, deque hujus capitis doctrinæ, ejusque cognoscendæ atque credendæ in Script. S. demonstrata necessitate. conf. Append. f. 463. ubi sigillatim, quid de Romana Ecclesia sentiat, exposuit.

b) Non circa notitiam τῦ λόγυ hallucinati sunt, sed forte minus provide semper de eo, quem noverant, præsertim ubi cum *Platonis* obscuris de λόγῳ aliquo DEI dissertationibus conciliare divina oracula studebant, locuti, occasionem errandi aliis præbuerunt.

c) Ad *Calixti* his verbis *Ruarus* alludit hypothesin, quia, ubi de *Angelo increato* disputant alii, ille tutius existimavit, ne *Ariani* ea sententia abutantur, ab ista sive opinione sive loquendi formula abstinere. Quam peculiari etiam libello, *Dissert.* videlicet: *Num Mysterium S. Trinitatis e solo V. T. possit evinci, &c: Num Filius DEI in propria hypostasi sua patribus ejus temporis apparuerit &c.* fusius explanavit, ac de reliquo, neque filium DEI extitisse in V. T. neque etiam apparuisse, nisi eo sensu, quo quæstionem modo repetitam justis limitibus circumscripsit, negavit.

d) Non dictamen, quod solius DEI est verbique divini, sed testimonium.

e) Hoc ipsum est, quod inficiamur, etsi originem Filii a Patre per generationem non semper ita descripserint, ut dignitas αὐτοθεότητος essentiæ intemerata videretur. Res igitur omnis ad nomenclaturam Patrum paullo minus expolitam redit: Id quod ex ipsa adoratione filii hujus DEI, quam constanter nihilominus tuebantur, probamus.

merito flectatur omne genu cœlestium, & terrestrium, & inferorum. Dei nomen non nisi æquivoce tribui ei, cujus natura non sit independens, infinita, immensa, & æterna, philosophi nonnulli fortassis docent: at cum usum tamen ejus vocis, non modo in cæteris scriptoribus, sed & in sacris literis considero, video id significatione quadam analoga de pluribus dici, quos inter id uni illi rerum omnium conditori κατ' ἐξοχὴν * congruat: ut proinde non immerito inter illa reputari possit, quæ Philosophi vocant ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν. ** Sed longius me, dum literarum tuarum vestigia sequor, abreptum video, & fortassis cum injuria quadam negotiorum, quæ te nunc istic circumstant. Itaque filum abrumpam, si modo unum adhuc rogavero, ut 299 inter eos me numerare velis, qui magnæ felicitatis loco ducunt, si tibi qualicunque studio placere possint, quem inter præcipua ævi nostri lumina veneror. Vale Vir incomparabilis. Dab. ad Ged. 3 Non. Novembr. Anno æræ Christianæ MDCXLV.

LXIX.

EX M. RVARI AD FLORIANVM CRVSIVM a) EPISTOLA.

QVæris quid sit, quod apud Johannem aliquoties inquit D. Jesus, Patrem in se, & se in Patre: item se in nobis, & nos in se esse? Ego vero existimo, arctissimum nexum, quo inter se juncti sunt, cum Pater ac Christus, tum ipse ac nos, his loquendi modis significari: quod patere videtur ex eo, quod legimus Joh. XVII, 11. Non incommode tamen distingui possunt partes: ut aliter ad eundem nexum concurrens Pater in Christo, quam Christus in Patre, aliter item Christus in nobis, quam nos in illo esse existimemur. Quomodo Pater in Christo, & is vicissim in illo sit, non male expressisse mihi videtur Calvinus: cujus proinde verbis id malo, quam meis dicere. Sic autem comment. in Joh. ad cap. X. versu 38. *In me est Pater. Idem repetit, quod supra aliis verbis dixerat, Ego & Pater unum sumus. Huc tendunt omnia, quod in sua administratione nihil a Patre diversum habeat. Pater, inquit, in* 300 *me est: hoc est, divina virtus se in me profert. Et ego in Patre sum: hoc est, nihil ago, nisi auspiciis Dei, ita ut mutua sit inter me, & Patrem conjunctio:*

* Per excellentiam. ** Ab uno ad unum.

a) Quis fuerit *Medicus* ille, & quæ fata per omnem fere vitam singularia subierit, cap. IV. *Hist. Crypto-Socin.* commemoravimus. Vbi vero locorum, *Gedani*, an alibi, quando hæc, quæ heic comparet, pars epistolæ, exarata sit, nemo puto divinare poterit. conf. Cent. II. epist. 64.

junctio: neque enim hic de essentiæ unitate sermo habetur, sed de manifestatione divinæ potentiæ in Christi persona, unde constabat divinitus missum esse. Idem ad cap. XIV, 10. *Quod ego in Patre. Hæc verba non ad divinam Christi essentiam refero, sed ad modum revelationis. Christus enim, quod ad arcanam suam Deitatem, nihilo nobis notior est, quam Pater. Verum dicitur expressa Dei imago, quia se totum in illo patefecit Deus, quatenus illic immensa ejus bonitas, sapientia, & virtus in solidum apparet.* Et paulo post: *Pater ergo in Christo esse dicitur, quia in eo habitat plena divinitas, & virtutem suam exerit. Christus vicissim dicitur esse in Patre, quia divina virtute sese unum cum illo esse ostendit.* Dicam brevius. Pater in Christo est, quia & arcanum voluntatis suæ, virtutemque suam in illum transfudit: Christus vicissim in Patre, quia & ad nutum se illius totum componit, & illius auspiciis ac viribus omnia operatur. a) Hinc jam non difficulter intelligi potest, quid sit Christum in nobis, & nos in illo esse. Christus in nobis est, cum & Evangelio nos imbuit, Spiritumque suum in nos tanquam membra effundit. Nos vicissim in illo sumus, cum & viva fide illi inserimur, & tanquam palmites ab illa vite succum trahimus, quo perpetuo vegetemur: quam in rem vide, si placet, cap. XV. Johannis ab initio. Quæris secundo loco, quas genealogias Apostolus intelligat, a quibus 1 Timoth. I, 4. & Tit. III, 9. dehortatur? Credibile est, notari solicitum nimis examen genealogiarum, quæ in sacris Veteris Fœderis literis descriptæ habent interdum nonnihil scrupuli; fortassis & non minus studium eorum, qui curiositate inani seriem illarum ad hos illosve sui temporis deducere b) laborabora-

301

a) *Non exhaurit hæc unitas vim* & emphasin *verborum Christi*, quippe quæ, *essentiæ quoque esse* inter utrumque unitatem, docent. Alioquin enim hæc cum verbis additis: *Qui me videt seu cognoscit, cognoscit & patrem*, non bene cohærerent. Vt taceam, ita Christum esse, ut DEI filium, in patre, ut: Ego & pater *unum* sumus, dicere potuerit; quæ nec ipsi Judæi Joh. X, 33. & 36. aliter quam de essentia una eadem divina, interpretabantur, & a Christo ex operationibus vere divinis, sua ipsius virtute perpetratis, in illa sententia, quam putabant blasphemam esse, remota sola blasphemiæ culpa, confirmabantur. Quam porro unitatem essentiæ *eadem operatio* Patris & filii Joh. V, 17. seqq. commemorata, aliaque loca stabiliunt. Nec obstat voluntas Christi, qua, ut nos etiam unum simus, quemadmodum Pater & filius unum sunt, Joh. XVII, 11. orat; quia in his locis, quod alibi jam animadversum est, *non de omnimodu æqualitate*, quam nemo hominum assequi poterit, sed *qualitate* & similitudine, imperfecta etiam, agitur: perinde uti Matth. V, 48. perfectio a nobis eadem, quæ Patris, *in tantum, non in totum*, cujus nunquam capax erit creatura finita, exposcitur.

b) Non spernenda est hæc responsio. Fuerunt autem nostra ætate, qui haud incommode de *Genealogiis Kabbalistarum* & Platonico-Judaicis næniis *Systematis Sephirothici* ex Ensoph per emanationem de-

borabant. Erasmo sane ne hi quidem ad veram Christianam pietatem magnopere videntur facere, qui de Christi genealogia tam anxie, tamque pene dixerim Judaice, disputant. Neque vero mirum videri debet, in Judaica gente, cujus stirps divinis literis consecrata est, tam negociosæ subtilitatis vanitatem inolevisse; cui plerique, quos oriens sol primus salutat, populi plusculum sunt dediti; cum in nostris quoque regionibus eidem argumento libris integris nunc insudetur. Notatus fuit hoc nomine quondam Maximilianus Imperator. Et memini ipse videre me in templo Lovanio vicino genealogiam Ducis Areschotani, per Attilam Hunnorum regem ad primum generis humani auctorem Adamum deductam: ubi profecto lauro mihi opus erat, quam morderem, ne præcordia salirent ad risum. Tertio quæris, an phrasis illa, Christus in nobis, aliis etiam rebus applicari possit, & si non potest, cur nequeat? Sed obscura quæstio nunc fortassis silentio transmittenda est: nec enim satis explicas, quærasne, an Christus in aliis quoque rebus, an aliæ res in Christo esse dici possint; deinde 302 quid per res intelligas, an & eas, quas qualitates dicimus, an substantias tantum, & inter eas num vivas rationisque participes numeres. Quis dubitet recte dici Christum in utero aut ædibus matris, templo, terra fuisse, aut esse nunc in cœlo? Ita non minus commode peccatum, aut justitia, Deus, aut malus dæmon in hominibus esse perhibetur. Sed tu aliud voluisse videris: quod nunc non explico: Davus enim sum, non Oedipus. Vltimo quæris, quid respondendum censeam illis, qui ex apparitione Spiritus sancti in forma corporali, item in forma linguarum ignitarum, & venti vehementis, saltem hoc colligi posse putant, quod Spiritus S. sit substantia separata & distincta a Deo, & non mera virtus, atque adeo accidens ipsius Dei? Atqui primum mea ista sententia non est, Spiritum S. quatenus eum in Deo esse dicimus, meram virtutem, atque adeo accidens ipsius esse: crediderim enim, illum non minus de Dei esse substantia, quam sit noster spiritus de nostra. Quin

ducti, itemque mundi non unius, nec non animæ plus minusque perfectæ &c. pari modo ex primo fonte ortorum & similibus emanationibus, quas *Gnostici* jam tunc temporis adoptabant, utque *Syzygias* suas inde formabant, hæc explicant. Idque tanto credibilius existimant, quo luculentius hanc quoque Philosophiam Platonico-Kabbalisticam Col. II. *Paullum* vituperare, & ψευδώνυμον γνῶσιν 1 Tim. VI, 20. earare propter graviter notare existimant. Quos inter peculiari schediasmate in his demonstrandis solertissimus fuit S. R. D. *Jo. Mich. Langius*, &, qui eum secutus est, *Casp. Streso*: ille in Tr. de *Genealogiis nunquam finiendis & Judaicis fabulis* anno 1696. *evulgato*; hic in *Comment. seu Meditationibus ad Ephes.* anno 1708. 8va forma Amstelod. in publicam lucem datis.

Quin ne illum quidem Spiritum ſanctum, qui in nobis eſt, virtutem meram, atque adeo accidens aliquod dicendum cenſeam: cum per illum non incommode intelligi poſſit ſpiritus ipſe noſter, a) quatenus eſt divina virtute imbutus. Qui tamen, cum id, quod ſanctus eſt, non a nobis habeat, illius potius, quam noſter, ab illoque & dari, & auferri dicitur. Sed tamen ſapientiorum judicio lubens hoc ſubmitto: ut & illud, quod ſequitur: ſi quis diceret Deum, cum & Chriſtum, & Apoſtolos virtute quadam ſingulari inſtruere vellet, Spiritum aliquem ſubtilem, qui revera * ὀυσιῶδες b) aliquid habuerit, in eos infudiſſe, vix videre me in eo, quod magnopere coargui ac reprehendi poſſit. Neque jam diſputo, an ejusmodi Spiritus aliunde a Deo produci, an vero ex ipſo emanare dicatur: qua ratione e nobis ſpiritus aliquis prodit, quo nonnunquam & animalcula mortua vitæ reſtituuntur. Præſtat hæc talia fortasſis in medio relinquere. 303

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

Id quidem conſtat, ſi quid tale concederetur, jam facilem eſſe reſponſionem ad illam, quam tu proponis, quæſtionem. Sed non eſt tamen neceſſe huc devenire. Quid enim impedit, voluiſſe Deum viſibili aliquo ſigno inviſibilis gratiæ, qua Chriſtum & Apoſtolos proſecutus eſt, myſterium adumbrare? Sic benevolentiam ſuam in genus

* Subſtantiale.

a) Id vero, ut alia nunc ſileam argumenta, quibus Spirit. S. perſonam eſſe divinam, a Patre & Filio diſtinctam ex operationibus, officiis atque proprietatibus hypoſtaticis diviniſque probatur, falſum eſſe, vel hinc patet; quod Spiritus ille ſæpius aperte a Spiritu noſtro, id eſt, mente humana, actione ſua diviniori ad eam agitanda diſtinguitur Rom. VIII, 16. 26. 27. &c. *Vnusque* in omnibus, perinde ut Chriſtus Dominus noſter & Pater, in nobis etiam operantes, 1 Cor. XII, 4. & 11. eſſe dicitur. Quæ Spiritui noſtro ſeu menti tot in hominibus multiplicatæ neutiquam conveniunt, ipſum autem Spiritum Sanctum ſua ipſius virtute imbutum eſſe divina, ἄτοπον eſt.

b) Ænigmata heic loquitur *Ruarus*, haud dubie Script. S. teſtimoniis, quibus aliquid *per ſe ſubſiſtens* eſſe Sp. Sanctum probatur, luculentisſimis convictus, atque eo velut ad incitas redactus. Certe *ſi creatura* fuerit ille Spiritus, qui ſit aliquid ὀυσιῶδες, ut noſter loquitur; quo pacto poterunt eidem diviniſſimæ operationes adſcribi, quæ pasſim illi, tanquam ἄλλῳ a Patre & filio paracleto tribuuntur? Si vero *non* ſit *creatura*, aliis profecto, quam noſtri, vocabulis veritatem ſe agnoſcere profeſſus eſt, novumque animi ſui, quem ingenuum ſæpenumero demonſtravit fuiſſe, candidi ſpecimen edidit. Quæ ſi ita ſint, longa inſuper de emanatione Spiritus hujus ex DEO, dummodo materialis abeſſe jubeatur, diſquiſitione opus non erit: utpote quam per proceſſionem ipſe filius DEI deſcripſit.

humanum iride a) in nubibus posita testatam voluit. Sic Joh. XII. Esaias gloriam sive Dei, sive Christi vidisse dicitur, cum ei species Dei solio insidentis Seraphorumque astantium, oblata fuisset. Sic Eliæ transituri Dei signum fuit ventus, & post ventum concussio, & post concussionem ignis. Sic vas instar lintei de cœlo descendens refertum omnibus animalibus indicium fuit Petro, ut vox addita statim docuit, cessare discrimen illud gentium, quod sub antiquo fœdere ob-304 tinuit. Pleni sunt ejusmodi apparitionum omnes libri Prophetici. Neque statim existimandum est, ἐσιῶδες aliquid subesse, cum quid corporea specie in oculos incurrit.

LXX.

D. Z. b) M. RVARO.

CLarissime D. Ruare, Rectius te sub reditum meum, quam per absentiam meam valere gaudeo, & tibi mihique gratulor. Utique desiderio tuo mox satisfaciam, significo iter meum per Dei gratiam sic satis mihi successisse. Nam & salvus cum comitibus meis redux factus sum, & quæcunque apud Moravos fratres c) in Hungaria efficere

a) At iris nusquam dicitur gratia DEI, nec ventus lenis, Eliæ exhibitus, DEVS, sicuti columba & hæ flammulæ Spiritus S. dicuntur. Visum autem, quod Esaiæ objectum est, hoc ex Spirit. S. apparente argumentum potius corroborat, quam debilitat. Quod propositum Petro fuit ὅραμα, huc plane non quadrat, sed emblematis meri rationem habet, quo DEVS, quid fieri velit de plantanda etiam inter Ethnicos Christi Ecclesia, cum instruxit.

b) *Daniel Zwickerus*, Gedanensis, *Frid. Zwickeri*, Pastoris ad D. Bartholomæi filius, *Medicinæ* studiis inde ab adolescentia (natus jam anno 1612.) *deditus*, deinde a *Floriano Crusio*, Medico, de quo paullo ante, *Socinismo* imbutus, atque hinc, postquam turbas plurimas, scriptis etiam contra *Calovium* publicatis, dederat, ex urbe patria anno 1643. ejectus. Quo facto hinc inde diutissime vagatus est, & tandem in *Belgium* abiit, ibidemque anno 1678. ex hac vita excessit. Homo ambiguæ, ut vitæ sedisque ac fortunæ, ita quoque religionis verique nominis *Indifferentiæ* in religionis negotio *patronus*, quod vel *Irenicum Irenicorum*, & Vindiciæ ejusdem a *Jo. Amos Comenii* censuris oppositis, iterumque evulgatæ, aliaque scripta, quæ longa serie enumeravit *Sandius*, condocefaciunt. Ipse certe Socinianus, quorum tamen primarios in doctrina errores tuebatur, videri dicique nolebat, sed peculiari libello, a pristina illa societate se discessisse, professus est. Cujus rei caussam ex hac sequentibusque epistolis omnium optime L. B. perspiciet.

c) Anabaptistas indigitat, ex *Jacobi Hutteri & Gabrielis Scherdingii*, qui huc quondam Sec. XVI. sese cum asseclis receperant, reliquiis superstites, & accessione ejectorum non ita pridem ex Austria atque agro Würtenbergico aliorum id genus hominum aucti & istic delitescentes; utut anno 1622. inde omnes viderentur exterminati. Clariores illi, præ cæteris, visi sunt, qui *Communistæ* Socinianis v. g. *Crellio* ad Act. IV. appellabantur, propter *com-*

re a) promovereque cogitaveram, ultra ſpem fere (laus ſit Deo) evenere. Ea nunc paucis habe. Antequam me illorum inſtitutis traderem, (me enim ſingulari eorum pietate commotum in fraternitatem ipſorum tandem conceſſiſſe, ita ut nec impoſitum docendi munus ſubterfugere poſtea potuerim, ingenue fateor) hæc duo mihi meæque poteſtati ac libertati ſolenniter reſervavi, quod ipſi nolentes volentes tandem indulſere. Primum eſt, ut liberum mihi meique ſimilibus maneret, confeſſionem *noſtram*, ubicunque opus foret, edere tuerique. Alterum, ut quosvis vere Chriſtianos, eosque ſive noſtræ ſive diverſæ confeſſionis, pro fratribus habere, cumque iis occaſione data ad menſam Domini ſimul accedere liceret, etiamſi tandem hi de communione bonorum, Moravis fratribus propria & ſacra, nondum ſatis edocti 305 perſuaſique eſſent. Sed & hoc ipſimet deinceps ultro adjecere & indulſere, ut ſuis in his oris degentibus integrum quoque eſſet, in plenariam fraternitatem ſocietatemque vel tales recipere, qui proprietatem quidem bonorum ſervent, ſuaque ſibi neceſſaria poſſideant, ſuperfluos tamen reditus ſuos in communem Eccleſiæ uſum pauperumque neceſſitatem conferant. Ex his quam proclives ad pacem & concordiam cum omnibus vere piis, etiamſi diverſæ religioni addictis, ineundam ſervandamque ſint hi Moravi homines, tu ipſe jam facile conjicis imo vides. Non parum Seniorem b) illorum commovit, inque hanc ſententiam primitus (fateor) pertraxit, ſcriptum illud meum c) de admodum periculoſo & minime Chriſtiano ſectariorum

munionem bonorum, quam profitebantur, & uſu quoque vitæ ſectabantur. Iidemque erant, qui ſpecie ſanctitatis ita animum *Zwickeri* occupaverant, ut nunquam poſſet ab iisdem inſtitutis probandis conſectandisque, dum viveret, avelli: quemadmodum epiſtolæ hujus & ſeqq. argumenta demonſtrant.

a) Huc enim (ſcil. in *Hungariam*) inde ab anno 1622. plerique, cum expellerentur e *Moravia*, confugerant.

b) Qui, (ut *Alex. Roſſius* cum *Comment. Nerreteri*, ad hæc paullo penitius pernoſcenda conferendus, narrat) diſpenſandorum bonorum, communium cæteroquin, curam gerebant, & Oeconomi forte nomine haud incommode appellandus videbitur.

c) Non reperitur hoc titulo præfixo liber aliquis a *Zwickero* evulgatus. Si quid tamen conjecturis aſſequor, *Regulam & confeſſionem Zeloſorum Chriſtianorum*, anno 1650. impreſſam, intelligit. Cætera enim, nominatim *Revelatio Catholiciſmi veri*, & *Irenicum Irenicorum*, aliaque, quæ videantur cum ſcripto illo, quantum ad rem, cognationem habere, poſt annum hunc 1654. demum prodiere in lucem. Fieri tamen potuit, ut lineamenta quædam *Irenici* illius univerſalis MSta exhibuerit legenda Moravis, quæ poſtea alio titulo aliaque forma elaborata prælum ſubiere. Neque jam dubitamus id ſcriptum innui, quia *Ruarus* in *Reſp.* ad hanc *epiſt.* reddita n. 71. de eodem tanquam edendo adhuc loquitur, idemque *Irenicum*, quod nunc pro-

omnium ſtatu. Quod lectum poſtulatis meis calculum addidiſſe conciliaſſeque videtur. Ita igitur per illos nunc non amplius ſtat, quo minus pii homines, etiamſi in varias ſententias diviſi, inter ſe unian-tur concilienturque. Nos vero an omnium nunc eſſemus poſtremi in reparanda promovendaque Chriſtianorum inter ſe & nosmetipſos concordia & unitate? cum primi fere ſignum dederimus, aliosque ad unitatem invitaverimus? Abſit! Quid ergo? Pacem concordiamque (liceat enim mihi tua pace hic facem noſtratibus præferre, ceu animorum illius partis gnaro,) cum Moravis illis hominibus inibimus ſerva-306 bimusque, ſi (quod Chriſti leges & tabulæ volunt æquitasque requi-rit) neminem ad perfectionis paupertatisque Chriſtianæ ſanctisſi-mam & ab ipſo Chriſto ſanctisque Apoſtolis calcatam viam tenden-tem, quemadmodum nec ipſam de paupertate & perfectione Chriſtia-na doctrinam, oderimus, ſufflaminaverimus, aut redarguerimus, ſed totum negotium Domino permiſerimus & commiſerimus: adeo ut in ipſis quoque noſtris conventibus toleremus, audireque non abhorrea-mus perfectionis Chriſtianæ Doctores, a) prout hi in ſuis conventi-bus noſtros Doctores (rixoſis tantum utrobique excluſis) audire non dedignabuntur. Porro pacem & concordiam ſervabimus quoque, ſi libertatem utrique parti conceſſerimus, ſacris alterutrius partis inter-eſſe, quotiescunque, quando & quomodo ſcilicet libuerit, licuerit, aut viſum fuerit; donec tandem animi, hactenus fœde diſcordes, prorſus invicem concilientur ſenſimque coaleſcant. Nam ne te quic-quam celem, ſunt Moravorum fratrum plurimi, qui a ſacris veſtris non propterea tantum penitus abſtinendum & recedendum eſſe pu-tant, verbis & exemplo Apoſtoli Rom. XVI, 17. 18. Act. XIX, 9, 13: 8, 9. 10. 2 Theſſ. III, 6. 10. 14. inducti, ſi de perfectionis Chriſtianæ & veræ beatitudinis via male loquamini, eamque ſequentes avertere nitami-ni: ſed ob id quoque, ſi bella, b) pugnas, certamina & lites approbe-tis, ſique aut ſuperbiam aut avaritiam foveatis. Quo nomine pro ſe citant loca 1 Cor. V, 2. 6. 10. 1 Tim. VI, 5. Et hinc aut mature hæc erunt corri-

ſtat, dogmata præter univerſalem illam diſſentientium unionem maximam parte, quæ de DEO agunt, *Sociniana* operoſe commendat.

a) *Hutterianos* videlicet illos ſeu *Moravos Anabaptiſtas*, quos *Zwickerus* pro perfectisſimis vitæ Chriſtianæ exemplis habuit, atque ab illis ſe ſancte demum ad Chriſti regulam voluntatemque, vitam inſtituendam didiciſſe, identidem crepavit.

b) Hanc enim partem doctrinæ *Moravorum* ſuam quoque fecerat *Zwickerus*, in qua non idem omnes *Sociniani* ſentiebant, plurimique, quod *Hiſt. Crypto-Soc.* cap. II. pluribus docuimus, contraria, Nobiles præcipue, ſentiebant.

corrigenda in Ecclesiis nostris, ne illi offensionis quicquam hic repe- 307 riant, aut libertas eis omnino relinquenda erit, sacra vestra tantum prout ipsis visum fuerit frequentandi: quandoquidem non illi amplius, sed vos impedimento essetis, quo minus ipsi vobiscum perfecte uniri & ad mensam Domini simul accedere possent. Et hæc sunt, quæ de Moravorum fratrum sententia, proposito & instituto, te scire volui, ut, quid hac de re tu sentias, mihi, postquam ea probe consideraveris, significes. Vale. Gedani XVIII Julii, cIↃIↃCLIV.

LXXI.
M. RVARVS D. ZWICKERO.

MAgno cum gaudio ex literis tuis intellexi, fratres Moravos multum de pristino suo rigore remisisse: quis enim credidisset, illos pro fratribus suis agnituros eos, qui propria quædam bona retinerent, cum ista, quam sectantur, bonorum communio, unica aut saltem præcipua a) semper caussa illorum ab aliis secessionis habita fuerit? Per mihi quoque gratum est, eos tibi *sententiæ tuæ* professionem illiusque professionis defensionem salva φιλαδελφίας * lege permisisse: neque dubito, usurum te hac occasione, atque doctrinæ tantopere ad Dei honorem pertinentis notitiam inter illos pro virili propagaturum; quam ad rem non parum conferre poterit liber tuus, si, post- 308 quam editus a te fuerit, illum legere dignabuntur. Sciam lubens, an hanc judiciorum æquitatem in omnibus, aut saltem plerisque eorum, quorum aulas adiisti, expertus sis; an ea paucorum tantum fuerit, ut solent inter multos aliqui nonnunquam reperiri substrictioris judicii animique moderatioris. Quod illorum te societati inserueris, pietate illorum singulari, ut scribis, motus, id magis laudarem, si aliquanto diutius inter eos versatus certum tantæ pietatis experimentum capere potuisses. Nunc cum per aliquot illorum aulas b) tantillo tempore vagatus, in unaquaque non nisi pauculos dies triveris, vix potuit

fieri,

* Fraternæ charitatis.

a) A *Socinianorum* enim de *Deo Christoque* hypothesibus permulti (non omnes, erant enim, qui doctrinæ de S. Trinitate mordicus adhærerent) jam tunc *Anabaptistæ*, ut olim de nonnullis idem constat, non magnopere abhorrebant, de vita præsertim soliciti magis, quam de dogmatibus, & super illis motis agitatisque controversiis.

b) Immo *caulas* potius hominum maximam partem aut suburbiis ruri degentium: quas noster aulas, loca subdialia videlicet, antiquo vocabuli usu vocavit. Pluribus ipse mentem suam explicavit, & cur eo vocabulo h. l. usus sit, ostendit *Ruarus* epist. 72. atque 74.

fieri, ut in latentia vitia accurate inquireres. Memini non unum, qui ad noſtras accesſit Eccleſias, gloriatum, ſe non hominum, ſed angelorum ibi vitam offendiſſe: at temporis progreſſus eos docuit, etiam Satanam nonnunquam ſe transfigurare in angelum lucis. Solent enim in Eccleſiis, quæ diſciplina aliqua continentur, vitia diligenter occultari: interim longa indagine patefit, quod & auriculas aſini Mida rex habet, ut cum poeta loquar. Ego tamen de ignotis non facile ſequius aliquid ſuſpicari velim: quanquam non deſint diutius inter eos verſati, a) qui labes in eis varias obſervaverint: nec invitus conceſſerim, has & pauciores & minus inſignes eſſe, quam in aliis Eccleſiis, ac fortasſis & in noſtra proh dolor! ob oculos obverſantur. Vnde non audeo improbare, quod fraternum cum illis fœdus pepigeris; præſertim cum id feceris ſub honeſtis conditionibus, quas vel inviti tibi tandem indulſere. Quod iidem tibi atque aliis ex ſuis hic degentibus poteſtatem fecerint, alios in eandem ſocietatem adſciſcendi, qui ſuperfluos reditus ultra ſibi neceſſaria in Eccleſiæ pauperumque uſum erogent; in eo conditionem quidem video ſpecioſam; ſed vereor tamen, ne, quod pace tua dictum velim, ea, quæ cuique neceſſaria ſint, incerta interpretatione nimium coarctentur; præſertim ſi præcidatur omnis impendentis ſenectutis aut morborum, itemque liberorum parentibus ſuperfuturorum reſpectus, quibus nulla per ætatem adhuc ſuppetit parandi ſibi victus facultas. Vt non oderimus, qui Chriſtianæ perfectionis, imo & paupertatis, viam calcare volent, facile a nobis impetrabitur: indignum enim id foret homine Chriſtiano: at nollem tamen eam mihi legem imponi, b) ne voluntariam amici improvidi

309

a) Sæpius enim illa, a *Zwickero* inſtaurata, ut viſum ipſi erat, concordia & unio cum *Socinianis* tentata fuit, & jam ſuperiori Sec. XVI. ad eos excurriſſe *Philipovium* atque *Schomannum*, *Lubieniecius* L. III. Hiſt. Reform. Polon. c. X. meminit, ibidemque minuiſſe præſentiam, tantam, quæ de pietate horum *Moravorum fratrum* circumferebatur, famam teſtatur.

b) Certe nec Apoſtolica lege prima illa *bonorum communio*, quæ inter *charismata* Eccleſ. primitivæ *extraordinaria* & *charitatis heroicæ exercitia* numeranda eſt, cuiquam injuncta, ſed liberrima erat, uti verba *Petri* Act. V, 4. perſpicue docent. Quid? quod ſunt, qui exiſtimant, prouti nuper etiam a S. R. Abb. *Moshemio* argumentis haud contemnendis evictum eſt, totam illam de communione bonorum Apoſtolica opinionem pervulgatam, atque tantopere decantatam, commentitiam eſſe, & e voce *κοινωνίας* recte intellecta, qua notione etiam *Paullus* illam frequentisſime uſurpet, nihil aliud intelligi ac deſignari, quam largisſimam opulentiorum, ad uſus Eccleſiæ & egenorum ſuſtentationem, *liberalitatem*: quam hodieque pro facultatum cujusque conditione præceptam cuique eſſe, nemo inficiabitur. Ea proinde ſententia, quam in *Comment. ad Act. II.* ingenioſe doctisſimus *Coccejus* etiam non obſcure approbavit, locum habente nihil

vidi paupertatem ſufflaminem, aut in eam temere ruentem rationibus Evangelio conſentaneis redarguerem. In conventu noſtro Moravos fratres ego quidem lubenter tolerabo, nec invitus ad ſacra noſtra interiora admittam, imo nec obſtabo, quo minus inter nos concionentur, cum libuerit; modo vicisſim audiant me aut alios ex noſtris concionantes, atque adeo etiam modeſte refutantes, ſi quid fortasſis minus legi Chriſti conveniens protulerint. Cum Act. XIII, 10. Simon Magus dicitur, tanquam omni dolo & ad ſcelus propenſione plenus, omnisque inimicus juſtitiæ, non deſinere ſubvertere rectas Domini vias, eoque cæcitate punitur; id boni iſti fratres male nobis accommodant. Nec melius ſe gerunt, cum nos dicunt cum Judæis Act. XIX, 9. induratos Evangelio obedire nolle, deque via illa (puta Dei aut Chriſti) in conſpectu multitudinis male loqui. Nimis tenere ſuam iſti communionem aliasque regulas amant, ſi committi ſcelus aut vias Domini ſubverti credunt, cum quis iſtas non ſtatim probat, aut ex ſermone Domini illiusque Apoſtolorum aſtrui negat. Conferunt, ut ſcribis, iidem nos cum fratribus 2 Theſſ. III, 6. inordinate & non ſecundum traditionem ab Apoſtolo acceptam ambulantibus: at oſtendant illi primum, ubinam Apoſtolus ipſorum traditiones ſuas fecerit. Minantur iidem nobis eſuritionem, niſi laborare velimus, ex verſu ejusdem capitis decimo: quaſi vero otio nos deditos probaremus, ac non potius unicuique inculcaremus, ut operi alicui honeſto vacet. Nec tamen graves manuum labores unicuique ſine diſcrimine imponimus: a quibus & inter ipſos immunes eſſe ſolent, ut audio, Seniores, a) ſacrarum rerum meditationi & regimini fratrum intenti; qui non eo deterius aliis veſcuntur. Notari ibidem jubet Apoſtolus & commercio piorum excludi, ſi quis non obediat ipſius ſermoni per epiſtolam: ſed qui hæc in nos torquent iterum ſuæ Eccleſiæ inſtituta Apoſtoli dictatis æquant: in quo μέγα λίαν αἴτημα * agnoſcimus. Ego vero, ut ingenue dicam, haud ſatis capio, quomodo ad pacem nobiſcum ineundam

310

311

* Nimis magnum poſtulatum.

aliud ex hac primorum Chriſtianorum virtute efficere licet, quam, ſi res ferat, temporumque rationes jubeant, quicquid facultatum nobis a DEO conceſſum eſt, quam fieri posſit, largisſime erogari, ad egenos juvandos, debere.

a) De *Senioribus Fratrum Moravorum*, ſupra jam ad epiſt. 70. quædam annotata ſunt. Hoc loco eosdem ſacris etiam ſermonibus habendis & informationibus reliquorum, doctiores videlicet & expeditiores cæteris, patet vacaſſe. Pleroſque autem horum opifices fuiſſe, vel alio quodam vitæ honeſtæ genere uti conſueviſſe, abunde notum eſt.

undam proclives censeri possint, qui talibus criminibus, qualia recensuisti, innocentiam nostram onerant. Bella atque pugnas ego quidem Deo volente nunquam inibo, nec militiam, qualis passim nunc exercetur, probo: nec tamen damnare ausim, si quis vitam suam ac suorum, aut pudicitiam conjugis filiarumque, armis contra valentem invasorem defendat, cum nec magistratus auxilium in promptu est, nec improbus latro se vel prece vel pretio ab intentata injuria cohiberi patitur. A litibus abstinendum omnino censeo, si quis mihi tunicam auferat, aut aliam injuriam non nimis gravem inferat: at quid si ea mihi eripiat vitæ adminicula, sine quibus illam tueri nequeam, aut vitam ipsam impetat? Non hic saltem licebit Christiani magistratus a) implorare opem? Apostolus non præcise vetat 1 Cor. VI, 1. suum jure persequi: quanquam satius existimet injuriam pati, damnumque facere, nempe si modo id sit ulla ratione tolerabile. Nam si de re magna agatur, ne ipse quidem Paulus magistratus & quidem ethnici tutelam advocare dubitavit; ut videmus Act. XXIII. ubi compertis insidiis vitæ suæ structis tribunum militum de iis admonendum curavit; sine dubio eo fine, ut ab illis pro potestate a Cæsare accepta se tutum præstaret: idem quoque, cum ab indulgentia præsulis Festi 312 erga adversarios suos periculum metueret, ad Cæsarem provocavit. Superbiam in vestibus in Ecclesia nostra nimium invaluisse fateor & doleo: dabo tamen operam, ut illam accidam, imo excidam, quoad potero. Sed utinam occultius superbiæ genus, cum nimia nostri opinione turgemus, æque agnosci simulque expugnari posset. Avaritiæ malum pariter fallax est, nec ita facile est, illius quenquam convincere; nisi quis aut injusto quæstui inhiet, aut in cumulandis opibus modum insigniter excedat, neglectis interim pauperum questibus, opem illius implorantium. Non omittemus tamen hoc vitii genus diligenter excutere, ut & illius reos castigemus, nec innocentibus tamen acerbe insultemus. De S. Scripturæ locis, quæ hic allegantur, ac præsertim illo palmario 1 Tim. VI. alias inter nos actum est. Hæc est mea de istis, quæ in epistola tua tetigisti, sententia: cujus respectu, quo loco me atque alios mei similes imposterum habere velis, tui esto arbitrii. Ego Deum rogo, ut mentem tuam atque aliorum, qui a partibus tuis stant, spiritu lenitatis regat, ne facile quenquam condemnetis, pro quo Dominus

a) Ita *Ruarus*, & recte quidem, sentit. Aliter vero alii ex eadem schola *Socini*, & cumprimis severissimus in hujusmodi thesibus defendendis *Ostorodus* similesque plures: de quibus jam dictum est alibi.

minus Jeſus mortem obiit. Celebratur vulgo moderatio Buceri a) dicentis, *ſe neminem regno cœlorum proſcribere, in quo aliquid ſit Chriſti.* Sed memorabilior adhuc eſt vox Servatoris edicentis: *Ne judicate,* b) *& non judicabimini: Ne condemnate, & non condemnabimini.* Quin hoc potius agatis, qui præ aliis ad pietatis culmen vos pertigiſſe creditis; porrigatis a tergo relictis manum, ut & ipſorum aſcenſum promovea- 313 tis: docete, qua parte deficiamus: urgete ſubinde, quæ docueritis; inſtate reſtantibus opportune, importune: nec de ſucceſſu admonitionis veſtræ deſperate, etiamſi non ſtatim, quod volueritis, obtineatis. Non uno ictu cadit arbor: diſcipulus eſt prioris poſterior dies:

Qui non eſt hodie, cras magis aptus erit.

Fortasſis & ipſi quædam ex nobis vicisſim diſcere poteritis, perinde ut Apelles ex Intore: niſi vos numeris omnibus ita perfectos putatis, ut negetis vobis quidquam poſſe accedere. Manus manum lavet, atque ita ambæ fient mundiores. Ἡ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα νίζει, δός τι, καὶ λάβοις τι. * Morbus meus nonnihil recruduit, & dies aliquot in lecto me detinuit: ea cauſſa eſt, cur literis tuis tardius reſpondeam. Fortasſis illum halecis ſalſi eſu irritavi, additis pro more crudis cæpis. Nunc idem denuo remittit. Orandum, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Vtrumque tibi perinde, ut mihi, ex animo opto. Dabam in Straszynio XXIV Julii, CIƆIƆCLIV.

Hic deſideratur D. Z. epiſtola, cui ſequens reſpondet.

LXXII.

M. RVARVS EIDEM.

CLarisſime D. Z. tu fortasſis exiſtimaſti, aulas non eſſe niſi principum & magnatum; eoque viſum eſt tibi in veſtibulo litterarum 314 tuarum reprobare ſermonem meum, cum Moravis fratribus aulas tribui. At aliud me docuit bonorum auctorum lectio; per quorum ſpa-

tia

* Manus manum fricat; da aliquid, & accipies aliquid. Proverbium.

a) Eſt ea vox *Buceri*, ut ferunt, valde modeſta, ſed ambigua, & vix aliter accipi debet, quam ita, ut cum *Paulli* & *Johannis* aſſertis, non ſalve, ſed anathema etiam illis dicentibus, qui *cum Chriſto* opinionem de juſtificatione ſimul per legem conjungebant, conciliari queat: Longius certe ſi porrigas, & ipſos *Remonſtrantes*, in hiſce judiciis oppido liberales, deque errantibus quibusvis pæne, capitalia etiam fidei dogmata oppugnantibus, mitius alioquin ſentientes, ubi ad Pontificium Sanctorum, reliquiarum, & ſimilium cultum veniendum eſt, aliter, opinor, judicaturos eſſe. Vtut ſit; hoc tamen ſcio, *Bucerismum* jam pridem *Calvino* non tantum, ſed etiam aliis male audiviſſe: cujus rei documenta, qui de eo ex profeſſo ſcripſere, *Veerportenius* & *Diefenbachius* collegerunt.

b) Conf. epiſt. 67.

tia nolo te nunc deducere: ſed quoniam vox eſt Græca, e Lexico Scapulæ tibi tantum deſcribam, quæ habet de hac voce. Sic igitur ille: *Athenæus libro* v. *tradit* ἀυλὴν *ab* ἄω *appellari locum apertum & vacuum, ante ipſas ædes expoſitum, qui a ventis perfletur: unde & de ſubdialibus locis uſurpatur apud Homerum. Sic Philo de vita Moſis lib.* III. τὸ ὕπαιθρον * *appellatum dicit* ἀυλὴν. *Quoniam autem in ejusmodi locis ſubdialibus ſtabulari ſolent animalia, ideo ponitur* ἀυλὴ *pro ſtabulo, ut Iliad.* δ. οἶες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν ἀυλῇ μυρίαι ἑςήκασι. ** *Sic & Odyſſ.* ξ. *Item aula domus regia, domus principis, ſic dicta, quod ante ejusmodi domus eſſent ampla loca ſubdialia, vel quod ſatellites ibi ſolerent* παραυλίζεσθαι, *** *ut ſcribit Athenæus.* a) Hactenus Scapula. Ego igitur in prima & generali iſta ſignificatione aulas dixi, ubi Moravi fratres habitant, quod exiſtimem locum eſſe amplum ſub dio, quem ædes illorum & alicubi etiam maceries cingat. Villæ nomen, quod tu præfers, rei ruſticæ proprium eſt, & loco, in quo opifices magno numero habitant, minime convenit; multo minus œconomiæ, quæ non locum, ſed adminiſtrationem rei familiaris in certo loco deſignat. Miraris me quæſiviſſe, an illam judiciorum æquitatem, quam tantopere celebrabas, in 315 omnibus aut pleriſque ſaltem, quorum aulas adiiſti, expertus ſis: me vero quæſiviſſe non pœnitet. Ex litteris enim tuis jam intelligo, cum Senioribus eorum tibi tantum negotium fuiſſe: unde dubium adhuc manet, quid judicent cæteri fratres vulgares; quos a Senioribus illic nonnunquam diſſentire, ex eo patet, quod ſcribis, illos Senioribus quoque formidabilem diſciplinam ſubinde intentare. An trium hebdomadum ſpatio pluribus in locis habitantium pietatem ita perveſtigare potueris, ut indubitatum de illa teſtimonium perhibere poſſis, ego adhuc dubito; quod in Eccleſiis, quæ diſciplina aliqua continentur, ut in priore mea epiſtola innui, occultari fere ſoleant vitia, idque tanto diligentius, quanto quem vident acrius illis detegendis inhiare; ac proinde non niſi longo temporis tractu & quidem jam factis familiaribus innoteſcunt. Perſtrinxit, ut opinor, oculos tuos illa pars pietatis, b) in qua tu proram puppimque Chriſtianismi ſitam exiſtimas; eoque

* Subdiale. ** Ibid. IV. Oves locupletis viri in ſtabulo innumere ſtant.

*** Excubare.

a) Cum quo conjungatur *Servius* in IX. Æneid. v. 60. ubi caulæ & aulæ vocabula promiſcue fere olim uſurpari conſueviſſe atque poſterius ex priori ortum eſſe arbitratur.

b) Communio bonorum, inter hos homines, antiquitus recepta, quam illi pro præcipuo Chriſtianæ doctrinæ, aut charitatis certe ingenuæ, parte venditarunt, alioſque, qui diſſentirent, non eſſe veros & genuinos Chriſtianos exiſtimarunt.

eoque & in cæteris illos ſui ſimiles credidiſti: in quo fruaris tu ſane tuo ſenſu, quem utinam experientia ne refutet. Nec eſt, quod tanquam nimis credulos aut invidos inceſſas eos, qui mihi labes aliquot in illis deprehenſas retulerunt: crediderunt illi non rumori aut aliorum narrationi, ſed ſuis ipſorum oculis, utpote diutius inter eos verſati: ab invidia vero illos & integritas ſua, & favor in illos fratres facile abſolvit. Ego ipſe quantum laudi illorum faveam, ex eo animadvertiſti, quod tibi conceſſerim, fortasſis minus in illis, quam in noſtris Eccleſiis, eſſe macularum: id nempe caritas erga ignotos mihi ſuadebat, quæ non eſt ſuſpicax, atque omnia credit, niſi evidentia rei ad exiſtimationem ſequiorem retrahatur. In Eccleſia noſtra Satanam ſe transfigurare in angelum lucis non ſimpliciter dixi, ſed nonnunquam: unde patet, de quibusdam me tantum id intellectum voluiſſe, qui tamen rarius occurrant: in quo non magis improvida neque durior cenſeri debet locutio, quam cum Chriſtus Petrum reprehendens Satanam eum vocat. Sed ut in quibusdam noſtrorum vitia aliquando gravia ſe prodere agnoſco; ita non dubito eſſe, qui etiam cum præſtantisſimis Moravorum fratrum paria in pietate faciant: quæ pietas eo plus habet laudis, quod non in ergaſterio aliquo incluſa, ſed ubicunque locorum liberrime exerceatur. Tu tuos iſtos fratres culmen perfectionis attigiſſe putas, quod nihil privatim posſidentes in commune laborent, atque ex communi vivant; cum tamen communionem ejusmodi, quæ illis utramque paginam facit, nec a Chriſto aut illius Apoſtolis præceptam legamus, nec ſatis conſtet, an vel in Hieroſolymitana Eccleſia, cujus exemplo unice nituntur, ita aliquando obtinuerit; illud vero certum ſit, non diu quidem illic, ſi modo unquam, at in aliis Eccleſiis nunquam a) obtinuiſſe. Tu quoque, ſi bene memini, ipſemet aliquando pertendiſti, inſignes aliquot virtutes in iſtiusmodi communione vix habere locum, aut ſaltem non ita eminere, ac cum ſeparatim ſuo

a) Quod teſtantur loca Script. evidentiſſima v. g. 1 Cor. XVI, 1. ſeq. 2 Cor. VII, 2. 7. 13. 14. IX, 2. 7. 1 Tim. VI, 17. 1 Joh. III, 17. Immo rationes præſto ſunt, quare non tam ut *officium*, ſi ab animo benefico diſcedas, quam ut *beneficium* a DEO munificam illam facultatum diſpenſationem & largitionem habendam eſſe exiſtimes, huc videlicet ſpectantem, ut quæ hoſtium rapinæ proxime exponenda eſſent, re adhuc integra, aliorum fratrumque inprimis commodis uſibusque cederent, quam in deſolatione imminente devaſtata direptaque nullius amplius uſus eſſent: Quam ob rem *immobilium* bonorum, ut agrorum & ædium Act. IV, 34. tantum mentionem fieri ſagaciter, ut ſolet, obſervavit in *Colleg. Decalog.* b. *Dannhauerus.* Cum quo, ſi b. *Spenerus* in *Reſp. ad dubia a Grabio* mota cap. III. §. 99. ſeq. ubi plures huic rationes additas reperies, comparetur, res omnis in vado erit.

ſuo quis ſucco vivit. Fides in providentiam Dei neceſſitati noſtræ proſpecturæ non æque inſignis eſſe poteſt, cum quis centum manus pro ſe laborare novit, quam cum ſolus ſibi relinquitur variis caſibus obnoxius. a) Caritas quoque in proximum non ita liquere poteſt, multo minus liberalitas, cum quis non habet, quod alii largiatur. Temperantia aliquatenus coacta eſt, cum non habes in poteſtate, quo cuticulam cures: eoque non niſi Senioribus ac promis condisque inter Moravos fratres proprie quadrat. Quæ etiam ſpretarum voluptatum aliarum magna poteſt eſſe de quoquam opinio, ubi earum nulla eſt occaſio? Juſtitia ſuum cuique tribuit: id autem quomodo præſtabit is, qui ſuum nihil habet? Veſtitus quoque modeſtiam minus ſibi vindicare poteſt, qui non niſi ad præſcriptum veſtitur. Denique ubi ex alieni arbitrii lege & dormitur, & editur, & bibitur, & laboratur, omnia denique aguntur, quæ poteſt τῆς ἰδίας προαιρέσεως * eſſe laus, ex qua virtus maxime cenſetur? Quid? de mundo quæ poteſt eſſe victoria, cum quis quodammodo extra mundum vivit? In acie ſpectatur virtus militis, non in otio. Quod ſi quis alius extra Moravorum fratrum conſortium laudatas modo virtutes atque alias, & quidem libere exerceat, ut ſunt ſane per Dei gratiam, qui id faciunt pro virili; an eo mi-
318 nor erit illius commendatio, quod bona ſibi quædam reſervet, unde ſibi ſuisque nullam aliis creando moleſtiam proſpiciat, atque aliis etiam pro copia ſua benefaciat? An unum tu illi adimplendos numeros deeſſe dices, puta ut cum divite illo juvene, de quo eſt in Evangelio, vendat omnia ſua & det pauperibus. Nempe ſi eadem eſſet omnium Chriſtianorum, quæ iſtius juvenis ratio, idque unicuique Chriſtus præciſe b) præciperet. At id non ita ſe habere, ut alia non afferam, patet, quod & tunc, & poſt adventum Spiritus ſancti fuerint in Eccleſia, qui id non fecerint; non eo tamen a Chriſto aut ab Apoſtolis reprehenſi.

* Propriæ electionis, voluntatis, liberi arbitrii.

a) Quo nomine etiam *monachorum* illa tantopere jactata *paupertas*, eorum præſertim, qui prædiis divitiisque aliis ad communem ſocietatem cœnobiorum pertinentibus, donatis & congeſtis, abundant, riſui aliorum, qui rem omnem ex re & vero æſtimant, dudum expoſita fuit. Quorum tamen inſtituta etiam ex prima illa male intellecta κοινωνίᾳ per ſuperſtitioſam κακοζηλίαν efficta ſunt.

b) Hoc eſt *ſigillatim*. Quemadmodum etiam *mandatum* illud juveni huic datum *ſingulare* fuit; qualia in Cod. ſacro plura, præſertim tentandi & explorandi quosdam cauſſa propoſita, v. g. Gen. XII, 1. XXII, 2. Exod. III, 5. Jud. VII, 6. 2 Sam. V, 23. 2 Reg. VI, 22. ſeq. Eſ. XX, 2. ſeq. &c. itemque Matth. VIII, 21. XIV, 29. Luc. IX, 3. 59. 60. 61. 62. X, 4. reperiuntur. Cujusmodi qui aliis imponere, aut ſuperſtitioſe etiam imitari velit, ridendus omnibus videri poſſit.

prehenſi. Paupertas Chriſti illiusque Apoſtolorum muneri a) illorum peculiaris fuit: quam nec illi qui maxime laudant imitantur. Vivebat Chriſtus ex aliena liberalitate de quærendo ſibi victu non ſolicitus, quem tot miraculis in obvios quosque beneficus ſciebat ſibi nusquam defuturum: omnia ſua ſecum portabat. An idem de te dicere poſſes; non unum fortaſſe currum illis oneraturus? Moravi quoque fratres non in alios bona ſua elargiuntur, ſed in commune conferunt, ut tanto tutius aſſerventur, iisdem inter ſe fruituri: in commune labores ſuſcipiunt: unde non tantum in præſens victum ſibi cultumque parant, ſed & in futurum procul dubio multa recondunt. Qui poteſt enim aliter, ubi omnes non ægroti diligenter opus exercent, quod non parvo vendunt, atque interim tenuiter vivunt, ut non multa ad exſuperandos futuræ vitæ caſus ſuperſint? quod ego quidem in illis non reprehendo: ſed hoc tantum noto, illos in colenda paupertate Chriſto nequaquam eſſe ſimiles. Quin & inde concludo non debere eos vitio cuiquam vertere, quod eadem providentia adminiſtret privatam domum, qua illi ſocietatem ex multis familiis conſtantem. Vnde mihi periniquum videtur, ſi quos ſocietati ſuæ hic locorum volunt aſcribi, illos ſinant quidem privatim aliqua posſidere bona, ſed reciſis omnibus, quæ præſens necesſitas non exigat. Quid enim, ſi morbus ſuperveniat, aut debilis ſenectus, quæ laborare me vetet? an tunc eſuriendum mihi ſtrenue, quoniam in futurum caſum nihil reſervavi, aut mendicato vivendum? dices fortasſis, ad fratres in Hungaria b) mihi

319

a) Quippe in omnem terram emiſſorum, atque hinc inde oberrantium, ideoque, ut expeditius hoc fieri poſſet, omni rerum œconomicarum, quantum posſibile, cura liberandorum. Quam etiam ob cauſſam ad primum illud ſpecimen, quod Matth. X, 9. ſeqq. inſtruebantur, edendum, pari modo a ſarcina & onere exuendi erant. Quæ tamen omnia, ut animo cunctos imitari oporteat, Apoſtolus 1 Cor. VII, 30. & 2 Cor. VI, 10. oſtendit.

b) Huc enim, ut ſupra jam annotatum eſt, illorum, qui *Moravi* alias a priori hoſpitio appellabantur, idque nomen adhuc retinebant, familiæ propemodum quinquaginta ſe receperant: ut pluribus exilium illud, media hyeme imperatum, ſuſceptumque moleſtum iter, deſcripſere *J. H. Ottius Annalium Anabaptiſt.* & *Gottfr. Arnoldus in Hiſt. Hær. & Eccl.* P. II. L. XVII. cap. XII, §. 29. Quorum prior ex *Zeillero* *αὐτόπτῃ* teſte fratrum *Moravorum* (quos ille ab *Hutterianis* diſtinguit) eo tempore adhuc in Moravia habitantium inſtituta h. m. expoſuit: „In dieſem Jahr (1617.)“ als ich durch Mähren gereiſt, und kom-“ men zu der Stadt Eybanſchüz, Herrn“ von Lippa gehörig, alda Catholiſche,“ wiewohl wenig, item Lutherſche und“ Calviniſten, (welche lezte ein Gymna-“ ſium in der Vorſtadt hatten) add. *befind-“ lich;* aus dieſen beiden Religionen wur-“ de der Rath beſezt. Die vierdten waren“ Schweizer Brüder, die eine zimliche“ Vorſtadt innen, auch ihre eigene Häu-“ ſer und Güter hatten, von welchen ſie“

hi recurrendum. Sed antequam ad illos notitia egestatis meæ perveniat, antequam auxilium ab illis ad me veniat, jam ego fame perierim. Et cur, quod isti pro me illic reservabunt, mihi ipsi, cum in manibus meis esset, reservare non licuit? Idem dico, & quidem multo magis, si mihi morienti parvuli aliquot liberi, & fortassis etiam infantes supersint, quibus nihil bonorum ad tuendam vitam reliquerim? An illi quoque ad fratres Moravos litteras in Hungariam dabunt, atque illorum opem jejuni præstolabuntur? Ignosce, si tam severa lege societatem vestram a) redimere nollem. Quin & si alium hic videam ista lege se atque miseram familiam in difficultates vix nisi miraculo aliquo superabiles ultro induere, nemo mihi pro piaculo imputare debet, si moneam 320 illum, ne Deum provocandis sine necessitate miraculis tentet; sed ipse domui suæ ex iis, quæ jam habet a Deo sibi concessa, recte consultum eat, ut ne sit pagano deterior. b) Christiana religio haud jubet nos rationis ductum ejurare, sed eum potius sequi, quippe quod cultus noster sit rationalis. Multi illi anni, in quos curam nostram c) extendi vetas, interdum præsentis temporis rationem habent; cum, quantum humano ingenio provideri potest, præsidiis vitæ cariturus sis, nisi ea, quæ præ manibus sunt, asserves: nec vero vel morbus, vel senectus, vel liberi parentibus superstites, pro re tam incerta habendi sunt, ut eorum cura nihil nos afficere debeat, cum nihil in humana vita frequentius sit. Quod si ad nullos nisi plane certos vitæ casus respicere

„ein gewüsses Deputat in ihr gemein „Hauss, in welchen ihr Prediger wohnte, „und die Frembde beherbergt wurden, „liffern musten; In diesem Hauss wurde „auch gepredigt &c." Plura non addemus. Hoc tamen non possumus, quin moneamus tribus verbis, familias (seu collegia, ut alii vocant) quas *Arnoldus* expulsas esse ait 50, *Ottium* non nisi 45. fuisse, affirmare.

a) Non videtur heic percepisse *Ruarus* mentem *Zwickeri*, qui neutiquam ad *Hungariæ* illos, novos ex *Moravia* advenas, recurrendum ubique, & in omni casu, suadebat atque urgebat; sed in *Polonia* quoque, & aliis terris hanc ad *istorum imitationem* κοινωνίαν introducendam esse, enixe volebat & laborabat.

b) Respicit his verbis *Ruarus* ad 1 Tim. V, 8. cum quo loco alii conjungendum putant 2 Cor. XII, 14. Quæ, licet avaritiæ nutriendæ alimenta haud præbeant, *parsimoniæ* tamen a Christo ipso, de fragmentis asservandis solicito, commendatæ & prudentiæ Christianorum, divinæ providentiæ non refraganti, sed subordinatæ, rite & pie inter laudabilia τῆς αὐταρκείας exercitia, formandæ conservandæque inserviunt.

c) Obtentu videlicet verborum Christi Matth. VI, 25. - 34. Quibus autem non tam providentia rerumque œconomicarum, etiam in futurum tempus, cauta dispositio atque dispensatio, quam τὸ μεριμνᾷν h. e. anxii DEOque diffidentis, & vel ex querula ὀλιγοπίστων voce, a Christo expressa, elucentis animi fluctus vituperantur & prohibentur.

re me jubes, dicam nec arandum nec ſerendum eſſe, cum exploratum non habeam ad meſſem me ut ſata colligam, aut poſt illam, ut collectis fruar, victurum: quod tamen nec D. Jeſus nec ullus Scriptorum Novi fœderis vetat. Atque hæc cum dico, non nego, poſſe tales incidere caſus, cum ea, quæ in noſtram liberorumque noſtrorum ſuſtentationem ſepoſueramus, in pauperes ſine ope noſtra alioquin periclitaturos effundenda, aut & tyrannis incumbentibus propter Chriſtum relinquenda ſunt. Sed tum neceſsitas incumbens aliquanto longius extentæ reſpectum excludit: & ſecurius opem divinam in ſolanda noſtra inopia exſpectare poſſumus, cum eam non ultro nobis accerſiverimus. 321 Cæterum allegas pro aſſerenda tua ſententia Volkelium, Oſtorodum, & Crellium. Sed ſi illorum ſtet auctoritas, jam corruerit communio iſta fratrum tuorum Moravorum; ut quam primus a) eorum diſerte oppugnat lib. IV. cap. 20. poſtremus Eth. Chriſt. lib. IV. cap. 29. ne illam quidem, quæ Hieroſolymis aliquandiu obtinuit, ſimpliciter neceſſariam dicit, quamvis laudabilem fuiſſe concedat. Sed ſi virorum iſtorum mentem propius inveſtigemus, nihil illa cauſſam tuam juvabit. Ait quidem Volkelius, Avaritiam eſſe cupiditatem diteſcendi, ſive plura vitæ commoda habendi, quam ad ejus conſervationem ſit opus: ſed eam cupiditatem ita mox explicat, ut nec mihi, nec cuiquam bono unquam probari poſsit; puta quæ ſit ita immoderata, ut in animum ſua ſorte contentum, & in beneficentiam propenſum, & fiducia erga Deum plenum, religionisque ſtudio incenſum, cadere nequeat. Quid vero, ſi cui divitiæ affluant non modo ſine ulla cupiditate, ſed & ſine cura ſua? an illas ſaltem ſine noxa habere non licet? Reſponderit Volkelius verbis Chriſti: Vendenda quæ poſſidemus, dandamque eleemoſynam: ſed idem tamen paullo poſt mandatum hoc mitigans addit, non loqui Chriſtum de omnibus poſſeſſionibus, ſed de illis, quibus ipſi ad vitam ſuſtentandam non indigeamus: quas ipſas tamen tum demum vendere neceſſe ſit, ſi, niſi id fiat, in pauperes benefici eſſe nequeamus: alioquin enim ſufficere, ſi ſuperantium bonorum 322 fructus in pauperum uſus inſumam: immo hoc in rem eorum magis futurum, cum ſic benignitas noſtra exhauriri nequeat. Sic igitur aliquando

a) L. de *vera Religione* fol. 288. ſeq. ed. Racov. Vbi notandum eſt, ex profeſſo illum inter cætera *Seniorum* quoque, quibus cura diſpenſationis demandari poſſe videatur, mentionem facere, & ſingulorum potius eſſe, ut ipſi beneficentiam exerceant, quam per alios, demonſtrat. Vnde ad *Moravos* illos *fratres*, jam pridem notos & ab aliis laudatos, ab aliis contra improbatos, eum reſpexiſſe, parum abeſt, quin credam.

quando mihi licebit agrum aut ſortem pecuniæ, ex qua vitam tolero, vel ad mortem usque ſervare, modo reditum ejus, ſi quis inde ſupereſt, cum pauperibus communicem. Quærit deinde expreſſe, an in illo, quod ſupereſt, puta ex reditibus, futuri quoque temporis rationem habere non liceat. Vt quæſtionem hanc enodet, reſpondet diſtinctione futuri temporis: cujus, quod proxime imminet, rationem habendam non negat: negat autem idem de eo, quod longius abeſt, & de quo dubitari poſſit, an unquam venturum ſit, quodque plane incertum ſit, an ad illud nos noſtrique vitam producturi ſimus. Tale vero tempus non eſt morbus aut uſitata inter homines ſenectus, & vita liberorum parentibus ſuperſtitum. Oſtorodus a) deſiderium ſuperflua acquirendi non parum quidem coarctat: b) at eadem tamen poſſidendi libertatem ſatis benigne concedit, ſi nulla ſingularis in contrarium occurrat neceſſitas, modo de reditibus ſis liberalis: atque ita Volkelio hac in parte c) conſentit. Crellius cum αὐταρκεία * cenſet non pugnare, ſi deſideres aliquid amplius in egeſtate, & aliquo modo cupias rem lautiorem, modo fortunam præſentem patienter feras, & ita propemodum te geras, ac ſi nil deeſſet. Idem, dum in Ethica 323 Chriſtiana definiendo deſiderio noſtro quærit, quam longe commoditas vitæ ac neceſſitas extendi queat, ad Ethicam ſuam Ariſtotelicam nos remittit. Ibi vero, poſtquam ſuaſiſſet aſſervandam pecuniam in tempus mox ſecuturum, quod propemodum jam inſtare dici queat, & ad quod usque te victurum valde ſit credibile, maxime ſi non perinde certum ſit, te, ſi res partas e manibus dimiſeris, interea illa recuperaturum, quæ tum ſint futura neceſſaria; addit explicationis gratia: Hæc imprimis ſunt obſervanda in ſubſidiis pro ſenectute, morbis, ſuſtentatione uxoris aut liberorum poſt mortem parandis, in dote filiarum, patrimonio cæterorum liberorum quærendo ac relinquendo. Vides, quam iſta omnia pro me ſint; ut proinde fruſtra tuam ſententiam ex his ſcriptoribus ſtatuminare coneris. Nec vero in citatione auctorum avellenda eſt periodus aliqua, quæ ſententiæ tuæ favere videatur: ſed

* Animo ſua ſorte contento.

a) In *Inſtit. de præcip. Relig. Capitibus* cap. XXXI. §. 5. f. 236. ſeqq.

b) Acquirendi ſuperflua omnem fere curam prohibens, unde tamen *Paullus* Eph. IV. & 2 Cor. VIII. aliis benefacere nos jubet, & quæ præſto ſunt, non ſolum eroganda eſſe, ſed etiam, ut præſto ſint, laborandum, ſtatuens.

c) Quem proinde *ridigiorem* cæteris eſſe, quod alibi jam de eo annotatum eſt, noſter non obſcure ſignificat, ſimul vero etiam diſplicuiſſe hunc ejus rigorem fratribus cæteris ſubindicat.

ſed totus locus percurrendus eſt, ut vera tibi auctoris mens innoteſcat. Sed nolo exemplo tuo te hominum, quamvis celebrium, auctoritate nimis urgere. Redeo ad litteras tuas, in quibus ais ſuſpecta tibi mea verba, cum nolo eam mihi legem imponi, ne voluntariam amici improvidi paupertatem ſufflaminem, aut in eam temere ruentem rationibus Evangelio conſentaneis redarguam. Diſtinguis vero paupertatem in mendicitatem, & egeſtatem talem, qualem Chriſtus exemplo ſuo ſuorumque imitandam nobis propoſuerit, quam perfectis convenire dicat, ad quam nos toties hortetur, propter quam homines beatos prædicet, regnum cœlorum eisdem addicens. A priore ſentis retineri quempiam poſſe; non itidem a poſteriore. Sed ut definitionem poſterioris a te poſitam paullum excutiamus; ubinam quæſo Chriſtus paupertatem, qualem ipſe ſuſtinuit, omnibus Chriſtianis ſine diſcrimine imitandam propoſuit? a) Si id mihi probaveris, omittamus pariter omnes rem omnem domeſticam, victusque comparandi rationem, & ſine domo, ſine ſupellectili oberremus alienæ liberalitatis indigi: ita enim comparata fuit Chriſti paupertas. Perfectis paupertas ea convenire poteſt, cum Chriſtus hanc nobis ſingulariter imperat, aut neceſſitas ſervandæ rectæ conſcientiæ nos ad illam detrudit. Sine tali cauſſa putida eſt ejus affectatio, & virtutum ſæpenumero obſtaculum. Vbi toties nos Chriſtus ad paupertatem hortetur, per ſe nempe intellectam, ego nondum videre potui. Cum beatos Dominus prædicat pauperes, eisque regnum cœlorum addicit, non tam ad ipſam paupertatem reſpicit (alioquin enim omnes pauperes beati eſſent) quam ad cauſſam ejus, aut & modum ejus ferendæ: nam qui propter Dominum Jeſum in paupertatem incidit, eamque moderate fert, is demum pro beato haberi poteſt. Nec eo minus beatus eſt, cui ſuperfluum aliquid ſuppetit; immo poteſt etiam paupere eſſe beatior, cum Dominus dixerit; *Beatius eſſe dare, quam accipere*; quorum illud pauper præſtare non ita poteſt, ut ad alios utilitas

 inde

324

a) Nusquam certe; niſi ſingulariter tentandi & Apoſtolos ſuos ab impedimentis officii ſui exonerandi gratia id factum ſit. Vtut periculum divitiarum, præſertim ſi quis fiduciam in iſtis ponat, creberrime idem ſervator optimus notaverit; quibus tamen non ſolum penuriam rerumque omnium indigentiam, a mendicitate parum diſtinctam, ſed mediocrem quoque & ad vitam ſuſtentandam neceſſariorum apparatum qualemcunque, etiam perexiguum, oppoſuit. Quando de *paupertate Spiritus* alicubi ſermocinatur, hæc ipſa προσθήκη, quorſum ea ſpectet beatitas, ſignificat. In cæteris autem non tam egeſtatem, quam *cauſſam* ſpectaſſe, vel leviter verba Servatoris intuenti patebit.

325 inde redeat. Ex dictis patet, quid ad quæstiones tuas respondendum sit; quarum prima est, quomodo improvidum aut temerarium nuncupare audeam, qui tam sacrosanctam salutis viam sibi calcandam elegerit? Nempe accidit aliquando, ut paupertas nonnemini aditum ad salutem struat: at eadem multos quoque in interitum præcipitat: quod Agur in precatione sua (Proverb. XXX.) a) satis expressit. An hunc in paupertatem sine caussa ruentem improvidum dicere verear? Quæris deinde, qua conscientia quenquam in paupertatis proposito sufflaminem, quem Christus hanc viam insistere jusserit? At tu proba prius, quod id Christus universe jusserit, atque certus esto, me non modo neminem sufflaminaturum, sed & ipsummet me, deserta omni futuri cura, bona mea omnia ad pedes tuos abjecturum. Quæris denique, unde rationes Evangelio consentaneas accepturus sim, quibus Christi imitatorem redarguere, adeoque contra ipsum Christum pugnare possim? Ego vero neminem redarguam, qui Christum imitetur in iis, in quibus ipse se nobis imitandum proposuit: at si quis id in aliis, ac præcipue in iis, quæ Deus ipsi voluit esse propria, affectet, non immerito zelum illius inconsideratum arguam: neque eo statim contra Christum pugnabo. Jejunavit Dominus quadraginta dies & noctes, ambulavit super mari, morti se victimam ultro obtulit. An, si quis alius idem sui capitis arbitrio b) susciperet, mihi rationes deessent, quibus illum ab hac inconsulta imitatione Christi retraherem? 326 Sic, si quis Christi paupertatem superstitiose affectet, dicerem, aliam fuisse Christi, aliam nostri officii c) rationem: non esse abjicienda com-

a) Quanquam enim hæc ex *accidenti* eveniant, perinde ut opulentiam arrogantia & vitia similia consequuntur; *eveniunt tamen* non minus, quam vitia illa opposita creberrime, ea præsertim tempestate, ubi communiter rerum necessariarum paucitate annonæque difficultate laboratur. conf. Sirac. XIII, 30. Ac proinde divinæ hæc diversimode dispensanti circa res humanas curæ sapientissimæ sunt potius relinquenda, quam *cum tentationis periculo* affectanda.

b) Quod capitis seu *vitæ periculum* superiori Seculo & nostra etiam memoria nuperrime demum quosdam reapse adiisse constat, non alio loco certe habendos, quam αὐτοχείρων. Aliæ ergo cum sint actiones Christi *humanæ*, aliæ θεανδρικαὶ, de istis solicitos esse nos oportet, vestigiis ejus insistendo exprimendis, non hisce posterioribus, quæ humanæ naturæ indolem viresque superant. Digna sunt lectu, quæ passim extant hac de re monita, elegantibus Dissert. de *Perverso Christum & Apostolos imitandi studio* a S. R. D. Joh. *Schmidio* comprehensa.

c) Tam ejus, quo Propheta erat, sed *miraculis* verbum Evangelii confirmaturus, & Sacerdos, *sua ipsius* virtute atque potestate, quam ut DEVS in corpus vitamque suam humanam habebat, sese *hostium in potestatem tradens*. Accessit au-

communia vitæ humanæ præſidia, ne tentemus Deum: non exſpectandam alienam liberalitatem, cum ipſi poſſumus nobis honeſta aliqua ratione ſufficere: juberem quoque nonneminem manibus gnaviter laborare, a) ut haberet aliquid etiam ſuperflui, quod pauperibus impertiatur. Hæ rationes, ut opinor, ab Evangelii regula non abluderent, ſed optime illi congruerent. Si ea pacis eſt inter nos & Moravos fratres conditio, ne doctrinam de perfectione Chriſtiana pervertamus, nec quenquam ad eam aſpirantem ſufflaminemus, jam res in vado eſt, nosque eam conditionem ambabus ulnis recipimus. At ſi perfectionem illi paupertate quadam imaginaria definiunt, ſibique volunt liberum eſſe, ut eam his in oris ad exemplum Chriſti aliis imponant, quam ipſi tamen non præſtant, immo ſi prætextu paupertatis bona aliena fortaſſis in naſſam Seniorum ſuorum pertrahere conabuntur; ſit nobis venia, ſi huic eorum conatui adverſabimur. Nec eo minus pacis amantes erimus, utpote parati ipſorum & doctrinam & mores non malitioſos, ſed fortaſſis ſuperſtitione nonnihil infuſcatos, ferre; nec minus prompti ad corrigendum in moribus noſtris, quicquid doctrinæ Chriſti non convenire convicti fuerimus. Quo fine Moravi fratres loca Rom. XVI, 17. 18. Act. XIX, 9. XIII, 8. 9. 10. 2 Theſſ. III, 6. 10. 14. contra nos intorquere voluerint, meum non erat divinare. Interim male ea nobis accommodata fuiſſe non injuria queſtus ſum: quanquam video in priore mea epiſtola oblitum me fuiſſe illius encomii, quod ex loco ad Rom. XVI, 17. 18. nobis applicant, facientes nos diſſidiorum & offendiculorum auctores contra doctrinam Apoſtoli, quique non Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed ventri noſtro ſerviamus, & per blandiloquentiam & aſſentationem corda hominum ſeducamus: egregio certe noſtri ad ſocietatem ſuam invitamento. Ego Dominum Jeſum rogo, ut hanc illis maledicentiam ignoſcat, cum quid dicant neſciant, nobisque indat animi robur, ne talibus conviciis ab illorum amore avellamur. Nos de perfectionis Chriſtianæ veræque beatitudinis via male non loquimur, nec eam ſequentes avertere nitimur, neque inordinate per Dei gratiam vivimus. Sed tu tanquam anus ad armillum, ita ſemper ad paupertatem tuam imaginariam b) redis,

tem *perſonæ*, ut paullo ante obſervatum eſt, dignitas ac *præſtantia:* quam noſter hoc quoque loco neglexit.

a) Quod etiam jubet 1 Theſſ. IV, 11. ſeq. Apoſtolus, & ne quis externorum tantum habendam eſſe rationem cauſſetur, ad ipſam Eccleſiam, inque ea, ut habeamus inter fratres *propria nobis* vitæ alimenta, 2 Ep. cap. III, 11. ſeqq. reſpicere ſimul jubet.

b) Recte ita appellat *Ruarus* illam communionem bonorum, a *Zwickero* tantopere deamatam prædicatamque; quo-

redis, in eaque perfectionem omnem ponens, injuriam putas, cum quis eam Christianis invidet. Acute etiam conjicis, voluisse me Moravis fratribus ægre facere, cum, quæ dicta in nos conjecerant, ea non potui dividere, ut partem nobis aptarem, aliam partem relinquerem. Rectius me simplicem diceres, qui duplicem linguam non intelligam. Facis me quoque aculeatum atque injurium, quoniam bonos istos dixi fratres Moravos. 328 At quid poteram mollius in eos, a quibus nos cum Elyma mago & Judæis induratis in eadem classe videbam positos. Objicis nobis denuo avaritiam & similia vitia, inter quæ & inimicitias & cædes & bella numeras: eoque censes fratres Moravos satis habere causæ a sacris nostris abstinendi, aut suo ea arbitrio frequentandi. Sed si accusare sufficiat, quis erit innocens? Tibi nos avari sumus, qui ex bonis nostris quædam inposterum ad communes vitæ casus reservamus: interim ab hoc tibi vitio immunes sunt, qui bonis alienis inhiant, suoque arbitrio ea submittenda sciscunt. Bella atque militiam, qualis vulgo spe mercedis nunc exercetur, non probavi: sed ob defensionem sui a) extortam neminem damnare sustinui. Tibi innocentium homicidium, vitam quovis pretio redempturorum, violatio honestarum matronarum aut puellarum, quin & abductio liberorum in captivitatem Scythicam, eorumque mancipatio sub Muhammedis legem, longe quid levius videtur, quam vulnus, aut si forte cædes nefario latroni ob extremam necessitatem illata: qui si quid mali patitur, suo id sibi jumento accersivit. Lites b) ego non simpliciter probavi,

niam revera non est paupertas, sed rerum potius omnium, si cuncti in commune diligenter, quod acquisitum est, conferant, eademque rite dispensentur, *sine cura*, abundantia. Quo sensu & monachi vulgo pauperes *sine defectu* haud incommode vocantur. Ego, si cætera bene comparata essent, hoc vitæ genus *commodum* potius, quam moraliter aut spiritualiter *perfectum*, nuncupari posse existimo, tantoque magis opinionem meriti hinc in Papatu subnatam esse, miror.

a) Non *sui* tantum, sed *totius* etiam *universitatis*, regni atque subditorum; quorum gratia, quo plus noxæ & periculi metuendum atque averruncandum est, si omnibus illud intentetur, gladio tanto confidentius, divino nomine, uti *Paullus* explanate jubet Rom. XIII, 4. seqq. Mercenarios autem milites tantum abest, ut *Johannes Baptista* damnet, ut ad *Christum* potius eos adducturus, perinde, uti publicanos, justa mercede, laboris æquissimo præmio, contentos esse, eoque licite frui posse ac debere (coll. 1 Cor. IX, 7.) affirmet. Communi vero omnium defensioni, quo minus, loco singulorum patrum familias delectus adhibeatur, ab his merito, quorum caussam agunt, sustentandus, nihil prohibet, & ne ipsi quidem *Poloni* hucusque, pariter ac *Helvetii*, improbare id ausi sunt.

b) Non privatas, quas & movere & alere dedecet Christianos, sed *forenses*: de quibus disceptatur, licitæne sint, necne? *Socinianis* quibusdam certis tamen condi-

vi, & quatenus probavi, tum verbis tum exemplo Apoſtoli aſtruxi. Lenitati Chriſtianæ ſtudendum omnino cenſeo, quoad ulla ratione datur illi locus. Sed cum per eam nimias malitia vires ſumit, aliquando etiam ſeveritas lenitati ſurroganda eſt, ſed ita ut inviti ad eam pertrahamur: quod in armata defenſione, ut ſit inculpata, obſervandum eſt. 329 Hujus lenitatis ſpiritum non ſine cauſa illis optavi, qui membra Jeſu Chriſti, non ob violatam ejus legem, ſed ob inſtituta quædam humana & affictos ſacræ Scripturæ ſenſus, quos ſalva conſcientia agnoſcere nequeant, quamvis ingenium omne intendant, damnare ſuſtinent. Operoſe tu contra probas, licere aliquando judicare atque adeo condemnare vitiis, quæ ſalutem adimunt, obnoxios: quaſi vero id ego negem: immo me ipſum id cenſere & facere recte affirmas. Sed tu antequam una cum fratribus iſtis tuis nos e cœlo proſcriberes, probare debebas, aut iis, quæ tu nobis affricas, vitiis nos ſcatere, aut ea, quæ nos agnoſcimus, eſſe vitia, & quidem talia, quæ cœlorum nobis ſpem adimant. Hic Rhodus, hic ſalta. Chriſti præcepta non omnia ſimpliciter, a) ut ſonant, accipienda, lubenter tibi concedo: atque id etiam locum habere puto in illis, quæ ſub calcem litterarum tuarum inculcas. Dictum Chriſti de vendendis facultatibus dandaque eleemoſyna, quomodo limitandum ſit, ex Volkelio ſuperius patuit: idque ipſe quoque in ſcripto meo Germanico, b) quod tibi olim exhibui, ſatis docui. In eodem etiam oſtendi, non ſtatim pro theſauris a Chriſto vetitis habenda, quæ quis ob incidentes vitæ humanæ caſus ad tempus ſibi reponat, modo ne cor illis apponat. Sed video in animadverſionibus te tuis, quibus meum illud ſcriptum vellicas, regesſiſſe, cautionem hanc fruſtra addi, cum ea ſit ἀδύνατος * quaſi vero 330 regius Pſaltes aliquid præceperit, (*Pſalmo* LXII, 11.) quod nulla ratione

ne

* Impoſſibilis.

tionibus id affirmantibus, aliis, cum *Zwickero*, negantibus. Quæ monuiſſe in præſenti ſufficiat. De ipſo namque hoc argumento perquam neceſſario ſcripta Theologorum varia, inprimis b. *Kortbolti* Diſſert. conſuli poſſunt.

a) Rectius: Crude & nude; ſed partim ex occaſione ſcopoque æſtimanda & explicanda v. g. Luc. VI, 29. ſeqq. - 35. &c. partim etiam limitibus alibi circumſcripta, cum cæteris locis, ubi limitatio expreſſa non erat, componenda. Sæpius etiam fit, ut particulæ *tantum*, *ſolum*, aut comparativæ *potius*, *magis* &c. omiſſæ ex ſtyli Judaici rationibus & conſuetudine addi debeant.

b) Quale illud fuerit, cum & *Sandius* de eo ſileat, ignoratur. Quid ſi libellus iſte de *obedientia*, tantopere olim Altorphi jam deprædicatus fratribus, ad prima quaſi tyrocinia ponenda commendatus intelligatur? Sed incerta res eſt; Inferius ep. 73. ad illud ſe notas adjeciſſe *Zwickerus* ait.

ne præstari possit. Video me in proxima tua epistola hoc quoque nomine perstringi, quod animadversiones tuas reliquerim intactas. Sed cum pleræque sint ejus generis, cujus est hæc, quam modo commemoravi, quid opus fuit laboriosa rescriptione? Quin & jam ante rogaveram, ut, si quid in illo scripto meo tibi displiceret, de eo coram potius inter nos ageremus, ubi intra horam excuti possunt, quibus per scripta examinandis dies non sufficeret. Nunc quoque idem circa hanc epistolam meam ut fiat peto, & quidem adhibitis utrimque amicis aliquot, a) qui judicium suum interponere possint, & nodum fortassis in scirpo quærentes ad ingenii moderationem revocent. Deus vero pacis, qui magnum ovium pastorem in sanguine Fœderis æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, ex mortuis reduxit, compingat nos in omni opere bono ad præstandam illius voluntatem, efficiens in nobis, quod gratum sit in conspectu suo per Jesum Christum, cui sit gloria in secula seculorum. Amen. In Straszynio anno æræ vulgaris cIↃIↃcLIV. XI Augusti.

LXXIII.

D. ZWICKERVS M. RVARO.

CLarissime D. R. Supersedere potuisses omni isto labore, quem in 331 vestibulo statim responsoriæ tuæ de aulæ appellatione, inque verborum Scapulæ descriptione, insumpsisti. Nam quid hic agis aliud, quam ut te ipsum magis magisque coarguas? Ais quidem, te in prima & generali significatione Moravorum fratrum habitationes aulas dixisse. At nollem ego tamen in ejusmodi aulis tantum fuisse, quas tu innuis, id est, in locis apertis & vacuis, ante ipsas ædes expositis, qui a ventis perflentur. Nam quid commodi, nisi forte multum incommodi inde habuissem? Neque tu secundo dices, me in stabulo tantum fuisse, quæ secunda aulæ significatio est, quam ex Scapula laboriose descripsisti. Tertiam significationem tu ipsus iterum a te non esse usurpatam innuis. Annon ergo vel per te ipsum, mi Ruare, habitatio Moravorum fratrum aula commode appellari nequit? Quod & ego in literis, & satis, ut puto, modeste his monueram verbis: Mallem hic substitui villas aut œconomias. Nam nullum, mihi crede, in Moravorum fratrum habitationibus reperi aulicum: nisi forte & tu quoque

a) Modus ille, uti alias inter *Socinianos* colloquentes receptus, ita cum *Zwickero* confabulaturo necessarius videbatur, quod vehementia affectuum animi longius eum & ad scommata quædam interdum abripi, & nimis in scriptione verbosum esse, animadverterat *Ruarus*.

que in aula habites, (cum tamen unam tantum Straschinii aulam a) esse sciam) & hinc domesticos etiam tuos aulicos a me appellari velis: de quo tamen nihil adhuc constat. Vides ergo, mi Rüare, nec proprium tuum exemplum significationem illam ferre, quam urges, teque eo ipso tantum, dum mordicus tua defendere satagis, vitata Charybdi in Scyllam incidere. Repudiato itaque odioso & invidioso aulæ nomine, habitationes fratrum Moravorum villas potius, aut, quæ 332 appellatio Germanicæ voci *Haushabe oder Haushaltung* (prout ipsimet Moravi fratres habitationes suas nominant) magis adhuc respondet, œconomias dicendas esse putavi. Tu, ut nodum in scirpo quæras, propriam a me locutionem exigis: quasi vero figuratarum locutionum & similium quidem non satis sit in mundo. Sufficiat vero nunc unum Oeconomiæ Marieburgensis exemplum, ad quam multas spectare habitationes optime nosti. Miror vero, te subinde tum in his, tum in prioribus tuis literis, non satis, quid a me dicatur, attendere & considerare, sed verba mea tanquam in eculeo torquere, iisque contra me abuti. Nam mox hic me scribere ais, vulgares fratres inter Moravos Senioribus formidabilem disciplinam b) subinde intentare. Ego vero tantum scripseram, me intuitum quoque esse Moravorum fratrum disciplinam ecclesiasticam, Senioribus quoque formidabilem, & subinde inflictam: per Moravos fratres totam eorum Ecclesiam, ex Senioribus & vulgaribus fratribus constantem, non vulgares fratres primario & tantum intelligens. Vbi ergo hæc, quæ tu mihi imputas, habentur? Quasi vero disciplina ecclesiastica Seniori aut Senioribus nonnullis non ab aliis etiam Senioribus infligi possit, sed a vulgaribus tantum fratribus infligi debeat? Sed tu dissensum inde monstrare conabaris inter vulgares fratres & Seniores, qui jam totus evanescit & corruit. Nam nullus quoque est, aut in negocio etiam meo cum Senioribus & aliis unquam intercessit. Neque est, 333 quod cramben tuam de brevitate temporis, quod inter fratres illos Moravos transegi, iterum apponas. Audisti enim eam temporis brevitatem arctissima illa familiaritate, quæ mihi cum illis intercessit &

a) Arcis *Ivanicie* gentis nobilissimæ, cui pagus ille parebat.

b) Quando de formidabili disciplina Moravorum fratrum heic aliquoties mentio injicitur, non solum hujus quoque *Seniores* habuisse rationem, inde patet, sed multa quoque *Hutterianas* hasce reliquias ex meliorum quondam *fratrum Bohemorum* institutis adoptasse, tanto credibilius redditur, quo luculentiora in *Comeniana* illa *Halæ* anno 1702. recusa *Historia Fratrum* istorum vestigia, sedis in Moravia quoque fixæ, reperiuntur.

& intercedit, satis esse pensatam. Ad id vero tu nil præter tuas opiniones adfers. Labes in eorum nonnullis reperiri, disciplina & pœnitentia eluendas, non negavi: hoc vero est, quod nego, graviores maculas in Ecclesia eorum, quemadmodum quidem in aliis Ecclesiis fit, foveri aut tolerari. Cui testimonio si quis contradicat, hunc ego aut credulum, aut invidum, aut incautum adhuc dixerim. Locutionem tuam de Satana in angelum lucis sese in Ecclesia nostra transfigurante, etiamsi jam emollire studeas a me monitus, non video tamen rem tibi satis succedere. Sed de eo judicent alii. Hinc, ne prorsus nostros infra Moravorum fratrum pietatem depressisse videare, jam ad id te accingis, ut paria etiam nonnullos ex illis cum his in pietate facere probes. Videamus igitur quid velis, aut quid etiam possis. Extollis nostros, quod non in ergasterio aliquo pietatem exerceant. Sed quam quæso te? Et an propterea primæ illius Ecclesiæ Hierosolymitanæ pietas minus habuit laudis, a) quod tantum Hierosolymis, non vero ubicunque locorum exercita fuerit? Dicis communionem fratrum Moravorum nec præceptam legi, nec, si unquam Hierosolymis 334 viguit, diuturnam fuisse, alibi vero nunquam obtinuisse. Verum si thesauros in terra recondere prohibemur, si divitias nec quærere nec asservare licet, sed bona nostra vendere pauperibusque erogare jubemur, b) an longe ita a communione c) tali aberimus? & annon eam tum ultro quæremus & recipiemus? Quo de aut jam legisti epistolam G. W. d) missam, aut legere adhuc poteris, solide, ut puto, hanc pietatis

a) Neutiquam minuendam esse Christianorum primorum laudem, hinc demonstrare voluit *Ruarus*, Zwickere, sed *singulare* aliquod Christianæ Hierosolymis Ecclesiæ id fuisse, & charitatis quidem ejusdem eximiæ, specimen probaturus, ad hunc unum locum, ubi hæc viguit obtinuitque consuetudo, respici jussit, atque recte ex eo *particulari*, quacunque demum de caussa, *instituto*, non omnes peræque Christianos, prout *Moravi* illi existimabant, idem ut faciant, obstrictos esse, effecit.

b) Hoc quidem concedi sibi vult petitque *Zwickerus*, sed vereor, ne *Sociniani* omnes id negent. Ipse certe de superfluis tantum ita sentit *Ostorodus*.

c) Nisi fallor, hac ex prioribus male deducta conclusione communionem, qua χρῆσιν & κτῆσιν, aperte confundit *Zwickerus*. Hanc autem, non illam, propugnabant, aliisque injunctam volebant *Moravi fratres*.

d) Obscurum quidem est, quis sub his elementis delitescat; Nisi tamen omnia me fallunt, *Wolzogenius*, ad quem etiam datæ notabilis alicujus superstitisque MStæ epistolæ meminit *Sandius*, is est, quem sub initialibus litteris latere opinari liceat; sic tamen, ut propter generis dignitatem prænomine J. L. omisso *Generosus* dictus sit, perinde ut ipse *Ruarus Eugenium* eundem appellare consueverat. Ita conjectabam, antequam sequentem epistolam perlegeram; ea vero perlecta, non infelicem me in conjiciendo fuisse, observavi.

pietatis partem tractantem. Cæterum, communionem Hierosolymis viguisse, in qua fidelibus omnia fuerint communia, non video, qua fronte negari aut in dubium vocari a) a quoquam possit. Si quoque martyrium Stephani post septimum demum annum a passione Christi cœpit, (id quod Molinæus in Novit. Papismi lib. 2. cap. 8. verisimile facit) sat durabile & firmum communio ista habuit initium. Cur vero demum hæc communio in aliis quoque Ecclesiis non perinde obtinuerit, de eo missa ad G. W. epistola videri iterum poterit, quandoquidem ea id argumenti prolixe pertractavit. Me olim de nonnullis huc spectantibus paulo aliter sensisse fateor: sed jam rectius edoctus, opiniones illas tuis similes missas libenter facio. Fidem in providentiam Dei non æque insignem esse, cum quis centum pro se manus laborare novit, quam cum solus sibi relinquitur variis casibus obnoxius, utraque concedo manu. Sed jam applicare hæc debuisses ad nostros, quos extollere cœperas, & monstrare, fuisse & esse nostratium nonnullos, qui spretis & calcatis divitiis, sibique soli relicti, tam 335 insignem fidem in providentiam Dei necessitati nostræ prospecturi, professi fuerint, nec tamen tandem communionem aliquam amaverint aut expetierint. Monstra sodes vel unum primum. Nam te talem esse, experientia reclamat. Monstra proximum ut se ipsum & absque avaritia diligentem! (pergis enim illustriorem charitatem & liberalitatem &c. depressis fratribus Moravis monstrare) monstra vere & secundum Christum liberalem: monstra divitem vere temperantem & voluptatibus omnibus renunciantem: monstra de sententia Christi justum, monstra divitem in externis non luxuriantem & superbientem! &c. Non enim satis est dicere: Esse sane, qui laudatas has virtutes singuli exerceant. Eccur vero tales vel a me vel ab aliis tanto temporis intervallo, quo fratres cognoscimus, non sunt animadversi? b) Nimirum hoc ipsum est, mi Ruare, quod & nunc fassus es, in Ecclesia scilicet nostra Satanam sese nonnunquam in angelum lucis transfigurare, & ignaris, aut incautis, aut jam satis ditatis, sub ali-

a) Ipsa, *Zwickere*, primitiva ista communio in dubium non vocatur, sed qualis illa fuerit. & quæ sit hujus vocabuli notio, illud est, de quo haud injuria disputatur. vid. epist. 72.

b) Non nostrum est, hæc, qui caussam *Sociniani cœtus* haudquaquam agimus, dijudicare. Hoc tamen non possumus, quin breviter notemus, neque ipsos hujus sectæ asseclas veritos esse palam, plus habuisse illam de sanctitate vitæ, inter *Socinianos* spectatæ valde & præstabilis, commendationem seu potius prædicationem, jactantiæ, quam veritatis, asserere. Obloquitur equidem huic accusationi in epistola sequenti n. 74. *Ruarus*, sed erunt haud dubie, qui vera fortassis eum scripsisse existiment, *Zwickerum* autem verisimiliora.

qua pietatis ſpecie facile imponere. Cæterum per latus fratrum Moravorum & Apoſtolos ipſos in communione viventes non raro fodicas. Annon enim hi fidem in providentiam Dei immotam ſervarunt, etiamſi centum pro ſe manus laborare noverant? Annon charitas & liberalitas ipſorum ſarta & tecta manſit, etiamſi nihil proprii habue-
336 rint, quod erogarent, poſtquam ſemel omnia reliquiſſent? An temperantia eorum propterea coactior fuit, quod non habuerint in poteſtate, quo cuticulam curarent? Ego vero cum Chriſto ſummæ eſſe virtutis & perfectionis Chriſtianæ ſtatuo, non fucatam liberalitatem exercere, & ſibi interim quam maxime magnisque opibus proſpicere, ut tuam tuorumque cuticulam cures; ſed ſemel aut ſucceſſive omnia ſua vendere, eaque pauperibus erogare; hinc Chriſtum ſub perpetua paupertate, cum illis, qui itidem divitias omnes ejurarunt, ſequi; non ſuum amplius, ſed quod alterius eſt, quærere; Eccleſiæ ſeſe ſubjicere; ultro temperantem fieri, & voluptatibus mundanis valedicere; juſtum eſſe inque externis modeſtum; & tandem crucem Chriſti fortiter ſuſcipere, & ſub ea ad mortem usque tolerantem eſſe. Id quod de multis Moravorum fratrum hiſtoriæ, tum ſuperioris ſeculi tum hujus, in Martyrologiis a) annotatæ, imo recens quoque obſervatæ, clarisſime teſtantur. Quæ contra paupertatem Chriſtianam denuo objicis, ea in citata epiſtola D. W. miſſa jam habentur refutata. Hæc ergo videnda erit, ne actum hic agam. Diſſimilitudinem inter Moravos fratres & Chriſtum inde oſtendere vis, quod Chriſtus miracula b) ediderit, & propterea ex aliena liberalitate vixerit. Quaſi vero omnes fideles ex patratis miraculis vixerint, & non potius ex impoſito ſibi labore, eoque ſive ſpirituali, ſive manuario? Et falſum prorſus eſt, Moravos fratres non in alios quoque, quam in ſuos bona elar-
337 giri, c) & in futurum quoque tempus multa recondere. Experientia enim & conſcientia ipſorum longe aliud loquitur & teſtatur. De quo, quia prolixum eſſet ſcribere, forte coram. In reliquis, quæ hic ſubdis,

a) Anabaptiſtarum videlicet, cujusmodi inprimis celebrantur, *Hornanum*, *Harlemenſe* & *Bohemicum*.

b) Male hæc pervertit *Zwickerus*, & a vera *Ruari* intentione in alium ſenſum rapit. Miracula enim ideo commemorata fuere, ut demonſtraretur, non omnia, quæ Chriſtus egerit, nos & poſſe imitari & debere, quia inter ea quædam & miraculoſæ fuerint actiones, optimo Servatori propriæ. Quod ſatis fuerat ad argumentum, ab imitatione Chriſti deſumtum, certis limitibus temperandum, & ut prudenter eo ad vitæ quoque externæ genus v. g. in perpetua paupertate eligendum, utamur, oſtendendum.

c) Conf. de hac in alios quoque, peregrinos præſertim, liberalitate teſtimonium ſupra laudatum *Zeileri*.

ſubdis, tuam fere tantum puſillanimitatem prodis. An enim propterea Thomas, aut Apoſtolorum alius, Paulus item, Epaphroditus &c. fame periere, quod longis itineribus a ſociis & Eccleſiis ſuis aliquando abfuerint? imo quod eorum nonnulli aliquando in itinere in morbos inciderint, & in carcerem conjecti ſint? Hinc vide, ne vel ignorans adhuc, & nondum recte excuſſis Chriſti præceptis, viam Domini & veritatis pervertere præſumas. Durum enim tandem erit contra ſtimulum calcitrare. Et putas, te ſolum cultum exercere rationalem, reliquos vero obbrutuiſſe ingeniique nihil habere? Quid vero, ſi prudentia tua ſapientia ſit mundi & carnis? qualem etiam Apoſtolus in Corinthiorum Eccleſia notabat? Vnde enim monſtras, multos illos annos, in quos curam noſtram extendere vetamur, interdum præſentis temporis rationem habere? Et quis tam perſpicacis aut tam divini eſt ingenii, ut verbi cauſa his millenis dicere confidenter poſſit: Vos olim divitiis veſtris & ipſimet & omnes veſtri indigebitis? aliis vero millenis iterum dicere queat: Neque vos ipſimet neque veſtri divitiis veſtris unquam opus habituri eſtis? Cedo prophetam noſtri temporis talem, & viceris, aut omnes ſeducentur. Neque huc quadrat exemplum tuum de agricola, de quo itidem incertum ſit, utrum 338 ad futuram proximi anni meſſem victurus ſit, nec ne. Nam primo ponis illum non ad multos annos proventum ſuum ſervare, ſed tantum ad unius anni ſpatium. In quo (quemadmodum jam olim in annotationibus meis, ad Germanicum tuum ſcriptum tibi miſſis, nec tamen a te adhuc refutatis, monſtravi) quæſtionis cardo non conſiſtit. Deinde vides, eum præſentis neceſſitatis habere reſpectum. Quæ duo neceſſario ſemper in hac quæſtione ſunt conſideranda, & tuum exemplum de noſtro oppido ſeparant; quandoquidem agricolam ita conſiderare debuiſſes: Vtrum hic, ſi usque ad futuram proximi anni meſſem victurus eſſet, hornotino ſuo proventu minime opus habiturus eſſet? quemadmodum quidem alias conſtat, divitiarum poſſeſſorem, etiamſi ad multos annos vivat, divitiis ſuis omnibus, ſi cautus ſit & maneat, aut raro, aut nunquam indigere. Neque melior multo tua eſt exceptio, ad explicationem Volkelii, Oſtorodi, & Crellii, a te allata. Cardinem enim totius quæſtionis noſtræ minime ferit, ſed extra oleas, ut ajunt, vagatur, tertium comparationis non tangens. Quis enim ignorat, Volkelium, Oſtorodum, & Crellium communionem fratrum Moravorum non probare? Probant tamen illud principium &

fundamentum, a) quod & Moravi fratres urgent, & ex quo commu-
339 nio tandem ultro ſequitur: quemadmodum in epiſtola ſæpius citata videre eſt. Neque, ut comparata in omnibus ſint ſimilia, opus eſt: cum alioquin comparata nulla adhiberi in diſputatione poſſent. Quocirca recte tandem, ambagibus prolixioribus omiſſis, ad Volkelii, Oſtorodi & Crellii explicationem accedis. Et Volkelium quidem dicis, præceptum illud Chriſti Luc. XII. de vendendis bonis, poſtea mitigare. Verum vides tamen, illum mox iterum tria contra te quoque aſſerere: quorum primum eſt; quod omnes ut minimum ſuperantium bonorum fructus in pauperum uſus inſumi velit; a qua ſententia tamen adhuc longe abes: ſecundum eſt, quod longe futurum tempus (non quemadmodum tu ſentis) proſpici poſſe dubitet: & tertium, quod ſimpliciter neget, tempus illud longe futurum eſſe curandum. Vt jam de eo non dicam, quam ſine ulla adhibita certa ratione mitigationem ſuam proferat: cum tamen ejusmodi mitigatio, aut limitatio, quemadmodum ſimpliciter profertur, ſimpliciter etiam tanquam fundamento carens ſit rejicienda; imo cum textui & locis etiam parallelis contrarietur. Sed & Oſtorodus expreſſe ait, in Inſtitut. pag. 238. & 239. omnes eos, qui ſuperantes ſuos reditus, non erogent ad promovendam Dei gloriam, pauperumque neceſſitatem, pro avaris omnino eſſe habendos: id quod tu non fateris. b) Deinde pag. 242. fatetur, inter multos millenos Chriſtianos vix unum reperiri, qui,
340 quod longe futurum tempus curet & proſpiciat, avaritiæ vitio non ſit maculatus: quod tu iterum non fateris. Crellius tandem in Eth. Chriſt. futurum tempus per craſtinum diem explicat, & avaritiam in eo ponit, ſi quis præſentibus, id eſt, ad præſentem neceſſitatem ſpectantibus, non ſit contentus. In quo cum Volkelio facit, tibique contradicit. Quæ omnia, quid Autores hi, quemadmodum in prioribus literis dixeram, eo adferant, ut doceant, neceſſaria non ad multos annos caſusque incertos extendi, ſed avaritiæ potius hanc extenſionem imputari debere, ecquis eſt, qui non videat? Adeo, ut tandem immerito dicas & addas, omnia illa, quæ ego citaveram ex Volkelio, Oſtorodo & Crellio, pro te eſſe, & me meam ſententiam fruſtra ex illis

a) Probant, ſi quid judico, *generale*, neutiquam vero *ſpeciale* principium, quod ſuæ de neceſſaria bonorum communione opinioni, quam tamen & ipſi multis modis arctioribus quibusdam terminis cohibuerunt, ſubſternebant.

b) Nec mirum. Multas enim *Oſtorodi* in hujusmodi rebus hypotheſes cæteris ejusdem cœtus membris non probatas eſſe conſtat.

illis Autoribus ſtatuminaſſe. Contrarium eſt manifeſtum; etiamſi in ſpeciem nonnulla alia loca pro te facere videantur. Neque eſt, quod tibi nimium blandiaris, putans, me non integra citatorum Autorum percurriſſe loca, ſed tantum periodos aliquas hinc inde decerpſiſſe, quæ ſententiæ meæ favere videantur. Vides enim jam me Volkelium imprimis & Oſtorodum ita excuſſiſſe, ut non ſit amplius, quod contra opponere ex illis poſſis. Hinc ad caput totius rei tandem deſcendis, & quæris, ubinam Chriſtus paupertatem, qualem ipſe ſuſtinuerit, omnibus Chriſtianis ſine diſcrimine imitandam propoſuerit? ita ut ſine domo certa oberremus alienæ liberalitatis indigi? Reſpondeo, te diſtinguere ſemper debere inter paupertatem ipſam & inter 341 pauperum accidentia: Deinde (ut jam in prioribus meis literis monui) inter mendicitatem & ſpontaneam paupertatem; de qua mihi ſermo eſt. Nam quousque hæc non diſtinxeris, te tantum ſemper intricabis, non extricabis. Dico igitur, Chriſtum per totum prædicationis ſuæ tempus ſpontaneam paupertatem & docuiſſe & vita profeſſum eſſe. Docuit, ubi theſauros recondi vetuit, & ubi vendere ſua juſſit, non adoleſcentem tantum divitem, ſed omnes etiam ſuos diſcipulos, eaque pauperibus erogare, ſibique hac ratione theſaurum in cœlis comparare. Docuit quoque, ubi divitibus væ annunciat, pauperibus vero diſcipulis ſuis, quos propter ſuſceptam paupertatem beatos prædicat, regnum cœlorum addicit; imo ubi illos avaritiæ inſimulat, qui ſuperflua & ad vitam non neceſſaria velint; & ubi cor noſtrum a) fore ibidem dicit, ubi theſaurus noſter futurus ſit. Docuit tandem, ubi diſcipulos ſuos ſibimet terrenos theſauros colligere dedocet, inque Deo divites eſſe debere docet: ubi amicos ſibi facere monet ex Mammona injuſto, usque ad Mammonæ defectum: & ubi, Mammonæ pariter & Deo ſerviri non poſſe, monſtrat, quandoquidem alteruter odio habeatur & contemnatur. Vita quoque ipſa Chriſtus ſpontaneam profeſſus eſt paupertatem. Nam & expreſſe pauper dicitur, & ipſemet fatetur, ſe non habere, (ſcilicet proprii quicquam) ubi caput reclinet. Vnde manifeſtum eſt, eum divitem non fuiſſe, neque 342 theſauros terrenos recondidiſſe. Ex his omnibus jam ſine dubio vides, quam Chriſtus paupertatem ſuſcipi a ſuis velit; b) talem nimirum,

a) Vtinam verba hæc diligentius excuſſiſſet *Zwickerus*: Non dubito enim, id ſi feciſſet, totam rerum terrenarum poſſeſſionem, non in eo verti, utrum propria quædam tibi ſint, pauca an multa, dummodo divina gratia & legitimis modis ſint conceſſa & acquiſita, ſed *quo corde* illa habeas iisdemque utaris, eum obſervaturum fuiſſe.

b) Quæ Chriſti fuerit paupertas, ſic

rum, quæ omnes divitias, & reconditos thesauros, horumque desiderium a) excludit. Quæ enim tu moves de Christi paupertate, qua scilicet sine domo certa oberraverit, alienæ liberalitatis indigus, hæc non paupertatem ipsam respiciunt, ac si nemo citra has conditiones pauper esse, aut dici possit, (fuere enim Hierosolymis multi propter Christi mandatum spontanei pauperes, qui tamen non statim sine domo certa oberrarunt, quemadmodum Christus:) sed pauperum tantum nonnullorum sunt accidentia; quæ salva paupertate adesse vel abesse possunt, prout scilicet vocatio pauperum alia atque alia id requirit. Nimium vero hic tibi tribuis, mi Ruare, imo officis, dum Salvatorem nostrum alienæ liberalitatis indigum vixisse ais. An enim liberalitatis fuit, Christo laboranti & desudanti alimentum & necessaria præbere, vicemque quasi rependere; & non potius juris? Num & tu ex liberalitate aliorum vivis? An ignoras, dignum esse operarium mercede sua? Et si quis aliis spiritualia seminant, non magnum esse, si iidem eorum carnalia messuerint? Vide igitur, ut hos in te ascendentes & intumescentes fluctus imposterum compescas, neque verbis tuis ita offendas. Sed nec putidam amplius dixeris velim spontaneæ 343 paupertatis affectationem, virtutumque sæpenumero obstaculum: quandoquidem vides, Christum hanc paupertatem nobis singulariter imperasse & commendasse. Et vanum sane in eo adhuc effugium quæris, ubi scribis te nondum videre potuisse, ubi nos Christus toties ad paupertatem hortetur, per se nempe intellectam. Mi Ruare, ubi Christus divitias & thesauros erogari in pauperes b) vult, annon paupertatem vult per se intellectam? Ecquis enim præter te hic aliud intelligeret aut sentiret? Vbi Christus misericordes, pacificos &c. beatos prædicat, an non misericordiam pacisque studium vult per se intellectum? Quid est sane, nodum in scirpo quærere, si hoc non est? Hinc scilicet mox ipsemet id vides, quod modo te non videre posse dixeras. Addis enim Christum, ubi beatos prædicat pauperes, non tam ad ipsam

satis dilucide docuit *Zwickerus*; at quemadmodum omnium eam esse debere ac prorsus eodem modo Servator velit, nondum video demonstratum. Et ipse quoque paullo post, quando vocationis peculiaris cujusque habendam esse rationem fatetur, *singulare quid* heic locum habuisse, perinde, ut in Apostolis, necesse habuit confiteri.

a) Neque de *desiderio* hic disquiritur, quod tamen non omne, si spectes, ut beneficentiæ adminicula aliquis cupiat sibi præsto esse, malum est; sed de *possessione* cum bonorum communione commutanda.

b) Omnesne, an quod superest, nostram & nostrorum sustentationem excedit. Ita certe *Paullus* 2 Cor. VIII, 12. 13. 14. &c. ubi mentem sospitatoris dilucidius explicat.

ipſam paupertatem reſpicere, (alioquin enim omnes pauperes beati eſſent) quam ad cauſam ejus, aut & modum ejus ferendæ. Nam qui propter Dominum Jeſum in paupertatem incidat, eamque moderate ferat, eum demum pro beato haberi poſſe. Vbi ſane concedis Chriſtum quodammodo etiam ad paupertatem reſpexiſſe, per ſe nempe intellectam. Porro vero unde conſtat, Chriſtum ad cauſam potius paupertatis, & modum ejus ferendæ, quam ad ipſam paupertatem reſpicere, dum pauperes prædicat beatos? Num Chriſtus ſententiam ſuam alicubi ita explicavit, ut id tam confidenter aſſerere audeas? Aut num Apoſtoli, aut alii etiam, domos & agros ſuos propter Chriſtum relinquentes, non tam propter ipſam deſertionem bonorum ſuorum, quam propter ejus cauſam, aut modum ejus ferendæ, vitam æternam hæreditatis jure poſſidebunt? Apage hæc inania & carnis blandimenta! Quicunque enim propter Chriſtum ultro paupertatem ſuſcipit, is non tantum moderate eam fert, ſed & libenter & hilari animo: ut cauſam a) paupertatis aut modum ejus ferendæ reſpicere opus non ſit. Niſi forte tamen iterum hic mendicitatem pro paupertate ſumis & ſupponis, adeoque te ipſum, ut ſupra prædixi, hac ratione confundis & intricas. Sed pergis, neque eo minus beatum eſſe ais, cui ſuperfluum aliquid (clarius dixiſſes: cui theſaurus aliquis) ſuppetat. At quam vellem te hæc non tantum dicere, ſed & ex Evangelio probare! quandoquidem ego illud væ, divitibus denunciatum, b) vehementer reformidem. Probas tandem, imo (quod nunquam a te exſpectaſſem, niſi forte iterum hic ludis vocabulo paupertatis, adeoque vel te confundis, vel me confundere conaris) poſſe etiam divitem paupere eſſe beatiorem, ex illis Chriſti verbis elicere vis, ubi dixerit: Beatius eſſe dare, quam accipere; quorum illud pauper ita præſtare non poſſit, ut ad alios utilitas inde redeat. Quid audio? Ergone divites & ipſo paupere Chriſto fuere beatiores? ut qui parum aut nihil dare potuerit ita, ut ad alios utilitas inde redierit? Egregie vero tu Chriſtum iterum flagellas, mi Ruare, quem paulo ante etiam alienæ liberalitatis indigum vixiſſe dicebas. Sed & Paulus, qui hæc Chriſti verba pro ſe citabat, an dives erat, & non potius pauper? Annon igitur vides, poſſe & pauperes dare potius, quam accipere; & ita divitibus, qui accipere potius volunt,

344

345

a) Quam ergo ob rem Chriſtus conſtanter hanc προσθήκην adjecit, niſi ejus rationem, & vel ſolius, habendam eſſe velit?

b) Non ſimpliciter, ſi eas poſſideant; ſed quando abutuntur, fiduciaque in illis poſita, non tam poſſident, quam, ut *Seneca* ait, ipſimet *poſſidentur*: quod additamentum Marc. X, 24. expreſſe legitur, explicationis gratia, appoſitum, Chriſtique mentem planam perſpicuamque reddit.

volunt, quam dare, quod jubentur, beatiores esse esseque posse. Ex dictis patet, te ad quæstiones meas infirmiter admodum & impertinenter respondisse, illisque adhuc firmiter constrictum teneri: scilicet ubi quærebatur primo, quomodo eum salva pietate tua improvidum aut temerarium a) nuncupare posses, qui tam sacrosanctam salutis viam (spontaneam scilicet paupertatem) sibi calcandam eligeret? Secundo, quomodo ejusmodi hominem in sanctissimo proposito suo sufflaminare illæsa conscientia tua queas, quem Christus viam illam insistere jussisset jubeatque? b) Et tertio, unde rationes Evangelio consentaneas accepturus sis, quibus Christi imitatorem redarguere, adeoque contra Christum pugnare possis? Respondes enim ad primam quæstionem: Paupertatem multos in interitum præcipitasse, quod Agur in precatione sua expresserit; & hos, in paupertatem sine causa ruentes, te improvidos dicere posse. At quid hæc paupertas c) cum spontanea propter Christum suscepta paupertate, de qua mihi sermo est, habet commune? præsertim cum & illa Aguris paupertas, mendicitas potius sit, quam paupertas Christi & Apostolorum? adeo ut denuo, cum non bene distinguas, hic erres. Ad secundam quæstionem dicis, me probare debere, Christum paupertatem universe jussisse. Sed quis credidisse, te hanc Christi sententiam ex tot allatis & indicatis ejus dictis ac præceptis clarissimis colligere non potuisse? Age ergo vel ex jam dictis & citatis eam clarius nunc conjice & collige. Ad tertiam quæstionem regeris: Deum paupertatem Christo voluisse esse propriam, quemadmodum jejunium XL dierum & noctium &c. posseque te adeo paupertatem Christi superstitiose affectantem monere, idemque ita dicere: aliam fuisse Christi, aliam officii nostri rationem; Deum tentandum non esse; neque exspectandam alienam liberalitatem, cum ipsi nobis possumus honesta ratione sufficere; laborari debere, ut aliquid etiam superflui habeatur, quod pauperibus erogetur: quandoquidem hæ rationes ab Evangelii regula non abludant, sed optime

346

a) Quidni? Est enim ἐθελοθρησκεία DEVM tentans, & ipsum hæc abdicantem variis periculis sine justa caussa exponens, atque hinc non solum ex mendicitate, uti *Zwickerus* loquitur, sed etiam paupertate voluntaria ab Agur Prov. XXX, 9. inter varias rerum humanarum vicissitudines ad peccandum viam tandem sternens.

b) Jubet Christus, si quid hujusmodi, permittente ita DEO, eveniat, fortiter sortem illam sustinere; sed *ultro* facultates legitime partas, citra vocationis specialis mandatum, cujusmodi *Apostolis* contigit, & tentandi gratia paucis aliis, abjicere omnes, nunquam, quod sciam, jussit.

c) Generatim loquitur Agur, eumque paupertatis statum, qui divitiis opponitur, ob oculos habet.

optime illi congruant. Verum, quantum hæ tuæ rationes ab Evangelii regula abludant & deflectant, ex iis nunc satis colligere poteris, quibus superius monstratum est, Christum per totum prædicationis suæ tempus spontaneam paupertatem & docuisse & vita professum esse. Adeo ut male omnino & perperam imitatorem Christi a) moniturus, dicturusque eidem esses, aliam fuisse Christi, aliam officii nostri rationem. Deum vero paupertate propter Christum suscepta tentari, quis unquam præter te dicat? Tibi ergo Ecclesia Hierosolymitana 347 Deum tentasse videtur, ubi paupertatem illam suscepit? Quid putas? Ejusdem farinæ & illud est, ubi diceres; non exspectandam esse alienam liberalitatem cum Christo: quod & jam ante perstrinxi, & hoc quoque nomine explodendum hic nunc est, quod paupertati Christianæ nomen dantes alienam liberalitatem nunquam exspectent, sed officium suum rectius, quam omnes alii Christiani, faciant, sibique & aliis, quæ necessaria sunt, honeste laborando prospiciant. Gravius vero illud adhuc est, ubi alienam liberalitatem non esse cum Christo exspectandam diceres, cum ipsi nobis possumus honesta ratione sufficere; honestam vitæ rationem exspectationi liberalitatis alienæ, qua vitæ ratione Christum usum esse putas, opponens. Ecquid tandem, mi Ruare, de Christo sentis? inhonesta b) ipsum usum esse vitæ ratione? ita ut ea alios dedeceat? En, quo te iniquarum divitiarum propugnatio & amor perducat? Et annon pauper Christus sibi quoque honesta ratione suffecit? annon laboravit, ut aliquid etiam haberet, c) quod pauperibus erogaret? Id quod tu tandem Christi imitatoribus, ad ea jam ante satis paratis, tanquam nesciis, dicere velles? Vide autem,

 mi

a) Mirum est, his tantopere inhærere *Zwickerum*, quem, esse quædam Christi facta, quæ imitari Christianos promiscue omnes nec posse nec debere, fugere non poterat. Cur igitur hæc, & non alia, ad imitationem exempla sanctissimi liberatoris sint nobis, & quidem omnibus, ut communia Christianorum officia proposita, illud, ut doceret solide, necesse fuerat.

b) Non inhonesta fuit, sed haud vulgaris tantum & prorsus singularis vivendi ratio atque miraculosis quodammodo analoga, eam ob caussam, ut officio ambulatorio tanto rectius defungi posset Christus, & terrena se non consectari, in regno suo, quod conditurus esset, sibique proprio h. e. spirituali, ostenderet, electa, ejusdemque rationes aliquo modo adumbrans. Qua etiam de caussa nec conjugium iniit; quod communionis illius bonorum patroni tamen non simpliciter improbant, nec, si auderent, Apostoli 1 Tim. IV, 1. seqq. censuram gravissimam effugere possent.

c) Consequens ergo est, non omni rerum proprietate sese abdicasse Christum, nec sine caussa eorum tantum, *in quibus Caput reclinet*, h. e. *bonorum immobilium* ac fundi alicujus proprii, mentionem fecisse arbitramur; a quibus vero cur abstinuerit, jam ante dictum est.

mi Ruare, ut paria tantum cum Chriſto facias, & quod aliis dicturus præſcripturusque eſſes, ipſemet vere præſtes, nimirum ut id ſuperflui, quod habes, pauperibus eroges. Turpe enim eſſe doctori noſti, cum
348 culpa redarguit ipſum. Et hinc jam rationes tuas Evangelio minime congruere, quæſtiones meas præterea per te adhuc firmas ſtare, prudens animadvertis. Neque dubito, te tandem, conſideratis omnibus, conditionem pacis inter te & Moravos fratres ea lege obviis receptu-rum ulnis, ne doctrina impoſterum de paupertate Chriſtiana pervertatur, ne quisquam ad eam aſpirans ſufflaminetur; etiamſi id adhuc præ te non feras, ſed potius detrectes: præſertim cum tandem indignatione relicta te cum tuis paratum eſſe ſcribas, fratrum Moravorum & doctrinam & mores ferre. a) Id quod Deus ratum & firmum eſſe jubeat. Cæterum id mihi minus placet, quod, etſi cauſam nullam habueris, loca Rom. XVI, 17. 18. Act. XIX, 9. XIII, 8. 9. 10. 2 Theſſ. III, 6. 10. 14. alior-ſum accipiendi & trahendi, quam quo nomine a me citata fuerant; nimirum ut ex iis tantum appareret, fratres Moravos non absque ratione a ſacris veſtris abſtinendum eſſe credere, ſi de perfectionis Chriſtianæ veræque beatitudinis via male loquamini, b) eamque ſequentes avertere nitamini; quandoquidem Apoſtolus in allegatis locis idem & juſſerit & fecerit, imo ejusmodi hominibus graviter indignatus fuerit: etiamſi recens quoque de injuria ipſis facta monitus ſis, adhuc tamen dicere non verearis: *Meum non erat divinare: & male ea nobis accommodata fuiſſe, non injuria quæſtus ſum:* neque ullam negationis rationem affe-
349 ras aut afferre etiam poſſis. Mi Ruare, ſi tam promtus es, ut hic ſcribis, ad corrigendum in moribus tuis aliorumque, quicquid doctrinæ Chriſti non convenire convictus fueris, cur injuriam factam monſtratamque non agnoſcis? Imo cur locum Rom. XVI, 17. 18. tanquam per oblivionem in prioribus tuis literis a te præteritum & neglectum, nove adhuc in injuriam fratrum Moravorum interpretaris, eisdemque maledicentiam & convitia, quæ nulla ſunt, imputas? Taceo aculeata tua, aut iracundi omnino hominis verba mihi dicta: *Tu tanquam anus ad armillum, ita ſemper ad paupertatem tuam imaginariam redis.* Taceo ironiam: *Acute conjicis.* Taceo duplicem linguam Moravis fratribus

a te,

a) At de ferendis hiſce moribus non ſolum agebatur, ſed de iisdem aliis obtrudendis: quo de caſu quid ſentiat *Paullus*, Gal. II, 5. perſpicue docuit.

b) Minus accurate de juſta, quos errare putamus, cenſura redditisque diſſenſus cauſſis, quem *elenchum* vocamus, ſi modeſtus ſit & λοιδορίας expers, uti decet, judicat, quisquis maledicentiam interpretatur. Novum ergo hoc ſpecimen eſt *Zwickeri* ingenii diſſenſum, etiam moderatum, æquo animo haud ferentis.

a te, qui ſimplex videri vis, immerito tributam. Taceo novam & æque manifeſtam injuriam, ubi jam ſecundo ais, te ab Moravis fratribus cum Simone Mago in eadem claſſe poni: cum tamen in meis verbis Simonis Magi nec vola nec veſtigium reperiatur. Taceo denique graviſſimam illam injuriam hominibus innocentiſſimis a te illatam, inque Apoſtolos ipſos, ceu ad quorum pedes venditorum agrorum aut domuum pretium primitus deponebatur, redundantem, dum Moravos fratres bonis alienis inhiare aſſeris. Quid enim convitiari eſt, ſi hoc non eſt? Sed exſpecto correctionem & emendationem promiſſam, & pergo: Neminem nos occidere debere, imo ſatius eſſe occidi, quam occidere, injuriam pati, quam facere, eccur non dicam? ſiquidem illud lex Chriſti dicat & inculcet? Tu lenitati Chriſtianæ ſtudendum 350 eſſe cenſes, quoad ulla ratione detur illi locus: ſed cum per eam nimias malitia vires ſumit, aliquando etiam ſeveritatem lenitati ſurrogandam eſſe putas, ita tamen, ut inviti ad eam pertrahamur, armatam quoque defenſionem hac ratione excuſans. Sed annon hæc tua ſententia cum illo Apoſtoli interdicto adverſa fronte concurrit, ubi ait: *Ne vincitor a malo, ſed vince bono malum?* Et quidni ſemper locus detur mandatæ lenitati? Aut ſi ſeveritatem aliquando lenitati ſurrogare non vereris, cur id in aliis damnas? Sin lenitatem ſemper adhiberi vis, cur ad defenſionem armatam remis veliſque ipſemet contendis? Neque eſt, quod invitum te ad ſeveritatem pertrahi dicas. Ita enim muliercula quævis convitia ſua & plagas aliis inflictas, excuſare poſſet, imo excuſat. Cæterum bella, pugnæ, certamina, lites, ſuperbia, avaritia &c. ea demum vitia illa ſunt, propter quæ abſtineri a ſacris veſtris debere Moravi fratres cenſent, & ob quæ tu ſpiritum lenitatis mihi optabas, ne ſcilicet quenquam facile condemnarem, pro quo Chriſtus mortuus eſſet; non vero (ut tu jam, poſtquam de eo etiam, in quo aliquid ſit Chriſti, ob ejusmodi vitia judicari poſſe & debere vides, pertendis) inſtituta quædam humana, & affic̃ti aliqui Sacræ ſcripturæ ſenſus. Nam & ego in meis literis citata tantum vitia urſeram, & tu in reſponſoriis tuis de iisdem quoque ſolis, non vero de inſtitutis & ſenſibus nonnullis egeras. Neque etiam vitia illa a me vobis, ut falſo iterum ſcribis, affricantur: 351 ſed adeo vera, clara, conſpicua, manifeſta, & notoria ſunt, ut & extranei nobis eadem ſæpius objectent, & noſtratium plurimi ea mecum deploraverint deplorentque, & tu denique ipſemet in prioribus tuis literis, vel ſingula, dum excuſaſti, aſſerueris, vel pasſim vigere conceſſeris, vel tandem nimium invaluiſſe (quod de ſuperbia expreſſe dicis)

 ultro

ultro fassus sis doluerisque. Porro, utrum dicta vitia, bella scilicet, pugnæ, certamina, lites, superbia, avaritia &c. e regno cœlorum excludant necne, de eo consulendus est Apostolus, qui in locis Gal. V, 20. 21. 1 Cor. VI, 10. & Eph. V, 5. affirmativam tuetur. Et de hac probatione ego tecum nunc dicere possem; Hic Rhodus, hic salta. Sed pergo. Sub calcem epistolæ meæ nuperioris dixeram me sæpe mirari, qui fiat, quod Christiani, dum momentur aut reprehenduntur, hæc Christi verba: *Ne judicate &c.* adeo ament, simpliciter recipiant, & urgeant; alia vero ejusdem Christi verba & præcepta, verbi gratia; *Ne thesauros recondite in terra; Vendite, quæ habetis &c.* non ita ament, simpliciter recipiant, aut urgeant: cum tamen ex illa parte manifesta quoque sint judicandi mandata; ex hac vero parte thesauros recondendi aut servandi nulla prorsus præcepta exstent. Ad hæc tu putare te ais, memorata Christi præcepta non esse simpliciter accipienda; & 352 addis: *Dictum Christi de vendendis facultatibus dandaque eleemosyna, quomodo limitandum sit, ex Volkelio superius patuit, idque ipse in Germanico meo scripto, quod olim tibi exhibui, satis docui.* Sed si putare hic sufficit, mi Ruare, puto ego te valde in literis tuis errare. Nam & in eo erras, dum me ad Volkelium remittis, qui tamen nullam certam aut veram limitationis suæ rationem attulit, sed sententiam suam tantum dixit. Erras quoque, dum scriptum tuum Germanicum mihi olim exhibitum hic appellas. Quam infirmiter enim limitationes tuas ibidem prolatas asserueris, testabuntur annotationes meæ, responsi loco ad scriptum illud tuum tibi datæ: quas, si causæ tuæ recte consulere voluisses, hic allegare, & cum a te refutatæ nondum sint, tefutare simul debuisses. Erras denuo, & novum incautæ tuæ lectionis mox specimen edis, dum me in animadversionibus meis regessisse dicis, cautionem tuam (ne scilicet quis thesauris cor apponat) frustra addi, cum ea sit ἀδύνατος. * Nam ubi, quæso, in animadversionibus meis de impossibilitate cautionis istius vel verborum? Hoc dixi, quemadmodum adhuc dico, me non credere posse, homines V. Test. divitiis suis non aliqua ratione cor apposuisse, quandoquidem divitiæ & opes obedientiæ & pietatis eorum præmium & merces fuerint. a) Et etiamsi dixissem

* Impossibilis.

a) Fallitur hic provocando *Zwickerus.* Non enim statim, qui præmium aliquod recipit, idem quoque tanquam finem præsertim primarium spectat, multoque minus cor ad illud apponit; quod fit, si quis rebus hujusmodi confidat, felicemque earum possessione existimet, ex absentia vero infelicem, ita ut tristitia etiam propterea corripiatur animoque angatur. Male ergo hac ratione pro paupertate illa ultronea propugnatur.

ſem quoque (quod tamen non dixi) V. T. homines theſauris ſuis cor prorſus appoſuiſſe & addixiſſe, ne ſic quidem cautionem illam impoſſibilem ſtatim proclamaſſem: quandoquidem aliud ſit, factum aliquod 353 aſſerere, aliud vero, impoſſibile eſſe dicere, ut aliter fiat. Sub ipſum epiſtolæ tuæ finem hoc te adhuc male habet, quod in proximis meis literis dixerim, te animadverſiones illas meas reliquiſſe intactas; & addis: *Cum pleræque ſint ejus generis, cujus eſt hæc, quam modo commemoravi, quid opus fuit laborioſa reſcriptione?* At quid? ſi ego itidem nunc, poſtquam monſtravi te male, ut alias, animadverſionem illam meam, quam modo commemoraſti, inſpexiſſe & allegaſſe, teque non animadverſionem meam aliquam, ſed umbram tuam hic refutaſſe, paucis immutatis dicerem; cum pleræque refutationes tuæ ſint ejus generis, cujus eſt hæc, quam modo monſtravi, quid opus fuit laborioſa reſcriptione? Vtri noſtrum fides haberetur? Quid? ſi adhuc dicerem; cum pleræque refutationes tuæ ſint ejus generis, cujus eſt hæc, quam modo monſtravi, ſcilicet minus attemperatæ, & quodammodo injurioſæ, quid opus fuit hactenus orali fugitivaque & ſine arbitris inſtituta refutatione, quam hic mox te poſtulaſſe innuis? Sed mitto hæc, & ſiquidem animus tibi eſt, uti ſcribis, coram potius, quam ſcriptis, adhibitis tamen utrinque arbitris, & ſive de hac epiſtola, ſive de aliis ſcriptis, mecum agere, a) age, habes me tibi obſequentem, & in æquioribus quibuſcunque minime repugnantem. Faxit vero Deus pacis, ut idem loquamur omnes, & non ſint inter nos diſſidia, ſed ſimus impacti eadem mente & eadem ſententia, per nomen Domini noſtri Jeſu Chri- 354 ſti, cui ſit honor & gloria. Amen! Gedani b) xx Aug. cIↃIↃCLIV.

LXXIV.

M. RVARVS D. ZWICKERO.

CLariſſime D. Z. Ego vero fateor, utrumque noſtrum ſuperſedere potuiſſe, & te reprehenſione ſermonis mei, & me operoſa illius defenſione; nec enim fortunæ Græciæ in eo ſitæ ſunt, quo nomine appellandæ ſint fratrum Moravorum iſtæ * συνοικίαι. c) Exiſtimo ta-

 men

* Cohabitationes, ſeu plures domus eodem loco conjunctæ.

a) Incertum eſt, utrum hoc unquam ſecutum habitumque ſit colloquium. Nec diu amplius in patria moratum *Zwickerum*, ſed in *Belgium* digreſſum eſſe, ſunt, quæ ſuadeant circumſtantiæ: inprimis vero cum *Comenio* iſtic, non multo poſt, inchoatæ & diu continuatæ in annum usque 1667. lites.

b) Quo ex *Hungarica* illa excurſione redierat nuperrime, paullo poſt anno nimirum 1656. denuo (poſtquam jam anno 1643. exilium ei imperatum fuerat,) exterminandus.

c) Miſſis dicteriis paullo acerbioribus, quibus ſe litteratorem doctiorem fuiſſe demonſtravit *Ruarus*, quam *Zwickerus*, qui

men etiamnum, non male dici posse aulas, generali illa acceptione, quam Scapula primo loco ponit. Sed tu metuere videris, ne in istis aulis compluaris, utpote in locis apertis, & injuriæ aeris expositis: at ego nihilo plus ejus in Latinorum Græcorumque aulis metuo, quam in illis Germanorum *Bruderhofe*, licet & Germanis *Hof* locum patulum significet; nam salva res est, quod aulæ istæ dicantur esse ante ædes, sub quarum tectum subire licebit, postquam in aula satis obambulavero. Sed tu, ut facetus videaris, nullum te reperisse scribis aulicum in Moravorum fratrum habitationibus, adeoque metuere videris, ne & domesticos meos aulicos vocem. Sed haud videris attendisse, cum vox primitiva diversas habet significationes, derivata interdum ab una 355 significatione deduci, quæ non possit omnibus aliis accommodari: quod vel in hac ipsa aulæ voce observare licet. Derivatur enim ab ea & αὐλείτης, id est, villicus: an & hunc in aulam inseres, cum principis domus per eam denotatur? Sed tu mavis istas συνοικίας vel villas vel œconomias appellare. De villa, ut video, nullum tibi succurrit exemplum simile: at pro œconomiæ significatione allegas vulgarem Polonorum sermonem, qui totum aliquod territorium, cui Regius œconomus a) præest, œconomiam vocant. At ne dicam, exemplum hoc non usquequaque huc quadrare; quid facit vulgaris Polonorum consuetudo ad dandam mihi Latinitatis legem? Eodem jure & Starostas & Capitaneos me dicere juberes, quos possum Latinius Præfectos aut Præsides. Sed piget inutilis λογομαχίας. * Paratragœdias deinde, cum verba me tua quereris velut in equuleo torquere: nempe quia, cum tu dixisses Moravorum fratrum disciplinam ecclesiasticam Senioribus quoque formidabilem, iisque subinde infligi, inde concluseram,

vulga-

* Verborum aut de verbis pugnæ, rixæ.

popularem fere tantum vocabuli aulæ notionem urgebat, non aliam commodiorem, quam Græcam hanc συνοικίας vocem excogitari potuisse arbitror. Sic enim plerique, qui fratrum horum narrant describuntque vitæ genus, eos vixisse, laboribusque suis ruri & ad oppida vacasse, ajunt, ut communi opera & junctim, velut in contuberniis & cœnobiis, demandatis sibi officiis incumberent, mercedemque promeritam ad communes quasdam ædes, ubi asservarentur facultates totius societatis, atque per Seniores dispensarentur, deferrent, inque alios accessorios usus hospitum adventitiorum ab iisdem fideliter impenderentur. Cætera λογομαχίας sunt, ejusmodi tamen, ut *Zwickeri* quis genius fuerit, ambitiosus videlicet, ex cholera abundantiori fervidus, & carpendis aliis potius, quam modesto de dissentientibus sensui intentus, vel hinc luculenter patefactum sit.

a) Nomine Regis ea prædia, quæ Regis aulæ sustentandæ destinata sunt, administrans, acceptorumque & expensorum redituum rationem reddens; cujusmodi inprimis Oeconomia & Oeconomus *Marieburgenses* viciniores *Ruaro* clarent.

vulgares fratres a Senioribus nonnunquam diſſentire, quandoquidem & his illi nonnunquam obloquantur. Tu vero contra aſſeris, per Moravos fratres te totam illorum Eccleſiam intelligere, in qua Seniores in Seniores inſurgere poſſint diſciplinæ ſeveritate. Sed quæro, an excluſis ab accuſandi libertate vulgaribus fratribus? ſi his excluſis, oportet magnam inter illos vigere ſervitutem, cum hiſcere vulgaribus fratribus non liceat, etiamſi Seniores ita ſe gerant, ut reprehendi alioquin 356 mereantur. At ſi & his libertas permittitur diſciplinæ aciem in Seniores ſtringendi, apparet horum ſenſum ab illorum factis nonnunquam diſcrepare. Videris innuere, facere quidem id vulgares fratres, ſed non primario, neque ſolos. Patet ergo ſuum aliquod judicium illis relinqui etiam contra Seniores aliquos. Sed quid, ſi omnes Seniores in aliquid minus rectum conſpirent? an tunc captivus erit in illorum obſequium vulgarium intellectus? Dicesne prius illud uſu inter ipſos non venire? ita ergo novos ex illis Papas mihi fabricabis, qui errare nequeant. a) Cramben tu vocas repoſitam, objectionem de tempore breviore, quam ut intra illud fratrum Moravorum mores penitus explorare potueris. At hanc ego objectionem non ſimpliciter repetiveram, ſed addita ratione, ad quam non videbam ſolide quicquam a te reſponſum. Nam quod tu arctam tuam cum Senioribus familiaritatem tanquam aliam cramben meæ opponis, hæc non tollit rationem meam, qua dixeram in Eccleſiis, quæ diſciplina aliqua continentur, occultari ſolere vitia, præſertim coram advenis novitiis, qui detegendis illis inhiant. b) Sed annon ſufficere tibi poterat, quod tuo te patiebar frui ſenſu? an vis me cogere, ut credam felicibus non trimeſtres tantum, ut eſt in proverbio, ſed & trium hebdomadarum naſci liberos? Labes in nonnullis Moravorum fratrum reperiri diſciplina & pœnitentia eluendas, ipſemet jam agnoſcis. At quid aliud ego di- 357 xeram? Nam quod tu graviores maculas in eorum Eccleſia foveri aut tolerari negas; quid illud contra me, aut eos, quorum ego fidem ſecutus

a) Abrupta eſt oratio, & niſi me omnia fallunt, concludere, his adductis, *Ruarus* voluit; neque communionem illam tantopere deprædicatam totque elogiis concelebratam, ut quæ optimam Eccleſiæ regendæ vitæque agendæ perfectionem, uti jactaverat *Zwickerus*, ſiſtat, eamque ut adoptent Eccleſiæ aliæ, per ſe jubeat, aut certe invitatos omnes ad eam alios pertrahat; tanti eſſe, ut ad imitationem quenquam imprudenter rapiat. Immo parum abeſſe, quin majora hinc novorum vitiorum pericula, præſertim in cœtibus numeroſioribus, metuenda ſint, haud obſcure docetur.

b) Adde: & quibus vitæ inſtituta hujusmodi tanquam perfectisſima, ut imitentur illa latiusque propagent, commendanda ſint.

cutus eram? cum id ego non dixerim, immo cum etiam concesserim, has maculas & pauciores & minus insignes esse, quam in aliis Ecclesiis reperiantur. Locutionem meam de Satana in angelum se lucis transformante non emollivi, neque ut eam emollirem monitore te erat opus: sed cum tu eam omisfione particulæ *nonnunquam* exasperasses, additamentum illud non immerito detrivi. Dixeram pietatem nonnullorum ex nostris cum pietate Moravorum fratrum paria facere, illamque eo plus habere laudis, quod non ergasterio alicui inclusa, sed ubivis locorum liberrime exerceatur. Tu contra quæris, quænam sit illa pietas? quasi ita fueris hospes inter nos, ut eam in nemine nostrum deprehenderis: nempe quoniam eam tu metiris ex novello tuo sensu Moravorum fratrum imaginationi conformi. Quæris deinde, an primæ illius Hierosolymitanæ Ecclesiæ pietas eo minus habuerit laudis, quod Hierosolymis tantum, non vero ubicunque locorum exercita fuerit? Vbi miror, te amplissimam Hierosolymorum urbem, & cum per se, tum ob confluxum ex omnibus regionibus Judæorum atque Gentium populosissimam, cum ergasterio a) aliquo conferre; quasi non major in illa, quam in hoc sit peccandi occasio aut li-358 centia, ac proinde nec major a peccato sibi temperantis virtus. Qui Hierosolymis vivebant fratres & illiciis voluptatum tentari poterant, & exemplis ad eas invitabantur, nonnunquam etiam minis a pietate retrahebantur. At qui ergasteria incolunt fratrum Moravorum, iis sæpe & materia deest, in qua peccent, & occasiones peccandi præciduntur, nec otium, quod est multorum malorum mater, permittitur; oculis quoque circumstantium a peccando prohibentur, quin & minis retinentur, ne præsidiis vitæ, quibus in ea societate fruuntur, excidant. Quod si ergo eadem nihilominus fuerit illorum, quæ horum est abstinentia, non dubium tamen est, quin minor his, quam illis laus debeatur. Communionem, qualis inter Moravos fratres obtinet, uspiam præceptam, aut si Hierosolymis aliquando obtinuit, ibidem diuturnam fuisse, alibi vero locorum unquam obtinuisse, etiamnum nego. b) Sed quæris, si bona nostra vendere & pauperibus erogare jubea-

a) Denuo hinc elucet, communibus officinis sociatos & conjunctim eos laboribus insudasse, de quibus hic disceptatur, fratres *Moravos*.

b) Idque rectissime. Nec vola enim, nec vestigium de eo post excidium Hierosolymæ occurrit, neque etiam a quoquam illa, ut vulgo accipi solet, & describi, Patrum Ecclesiæ antiquorum cuiquam commendata, multo minus imperata est. *Luciani* enim in de *Morte Peregrini* libro mendacia, alias satis jam patefacta, quis credat aut curet? Immo nec desunt, qui imprudentius eam exercitam a quibusdam, &

jubeamur, quam longe a tali communione abfuturi ſimus? Reſpondeo, poſito eo, quod id jubeamur univerſe facere, prout tu cenſes, tantum nos inde abfore, quantum intereſt inter eum, qui nihil habeat, & inter eum, qui non modo ſua, ſed & aliorum bona juxta cum aliis poſſideat. Quam ſolide iſtam, quam tu vocas, pietatis partem probaveris in epiſtola ad Wolzogenium, ex reſponſione fortasſis illius patebit, ſi diſcutere illam dignabitur. a) Ego id ex epiſtola tua memini, (nam non niſi ſemel eam legi) te paupertatem, quam tantopere 359 præceptam contendis, tandem periculoſam fateri, eoque communionem bonorum magis ſuadere, atque ita prudentiæ tuæ ſcitum præcepto, quod putas, Chriſti præferre. Communionem bonorum Hieroſolymis inter primos Chriſtianos viguiſſe, nunquam negavi. At ea non fuerat ad legem Moravorum fratrum cum opinione necesſitatis, & ſublata prorſus privata bonorum poſſesſione: quorum prius patet ex ſermone Petri ad Ananiam Act. V, 4. *Nonne manens*, puta posſesſio, *tibi manebat, & vendita in tua erat poteſtate?* poſterius cum ex aliis, tum ex illis Lucæ verbis Act. IV, 32. *Neque quisquam aliquid eorum, quæ habebat, ſuum eſſe dicebat.* Ex quibus liquet, habuiſſe quidem eos ſua, ſed uſum eorum aliis feciſſe communem. Quod ſi ergo ne cœpit quidem Hieroſolymis communio iſta Moravica, b) quomodo dices, diu eam obtinuiſſe? Neque vero longa fuiſſet ætas, et-

longius exporrectam, cæteris Eccleſiis deinde onus ſuſtentandi per eleemoſynas collectas impoſuiſſe exiſtiment. Quos inter *Schomerus* noſter jam nobis in memoriam venit, qui male *eam ceſſiſſe*, illis ad Rom. XV. ait. Certe, vix aliis, quam huic Eccleſiæ in Judæa hac in parte laboranti & egenti ſuccurrendum fuiſſe legitur. Quid ſi & primam illam extraordinariam communionem ac liberalitatem ordinariæ ſemper duraturæ, quæ communio charitatis recte dicitur, typum, qui præſtito hoc officio ceſſet dixeris fuiſſe? Per ipſam profecto Spir. Sancti ſpectabilem effuſionem, nominatim vero etiam donum linguarum, pari modo, tanquam per inſigne aliquod & miraculoſum beneficium, adumbratam eſſe continuam, ordinariam vero deinceps, Spir. S. tam miniſtrantium, quam ſanctificantium donorum diſpenſationem & verbi divini in omnibus linguis prædicationem, ad finem usque mundi duraturam, nemo, credo, eſt, qui dubitet.

a) Non diſcusſit, quod equidem ſciam, publico aliquo ſcripto, cujusmodi nec *Sandius* memorat, neque in *Operibus Wolzogenii* extat. Ad rem ipſam vero quod attinet, quantum ex *Commentar. ad Matth.* XIX, 21. colligitur, non tantum communionem bonorum non ſuaſit, ſed etiam inter alia laudabilia monita, *ſi opes in talium hominum manus incidant, qui iis recte & ſecundum voluntatem DEI uti norint, hujusmodi hominibus ſuadendum potius eſſe, ne divitias ſuas ac facultates protinus erogent, ſed retineant, ut ſemper materiam & occaſionem habeant, opera charitatis exercendi, & ſibi ipſis theſauros cœleſtes amplificandi,* prudenter ſcripſit.

b) Neceſſaria ſcilicet ad vitæ Chriſtianæ perfectionem omnibus & *omni proprietate* facultatum ſingulos *privans*.

iamſi vel ad Stephani Martyrium, a) ut tu pertendis, duraſſet. Hoc quidem apparet, quo tempore Paulus Epiſtolam ad Romanos exaravit, non omnes Hieroſolymis fratres æque pauperes ac divites fuiſſe, cum dicat Apoſtolus Rom. XV, 26. *Libitum fuiſſe Macedoniæ & Achaiæ, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum,* (prout ex Græco vetus interpres recte vertit) id eſt, in pauperes, qui erant inter ſanctos ſive Chriſtianos. Perſtringit quidem hanc verſionem Erasmus, tanquam nimis fidam, & quæ ſchema quoque & idioma Græci ſermonis expreſſerit: quaſi vero vel optimis Latinitatis auctoribus inſuetum ſit, partitionem adjecto genitivo plurali exprimere, qui præfixis præpoſitionibus *inter, e, ex vel de,* exponatur: prout exempli gratia, quod eſt apud Plinium, *nigræ lanarum,* b) pro nigræ inter lanas dicuntur. At præſtat interpretem, præſertim Sacrarum literarum, verba auctoris religioſe exprimere, quam dum Latinitati nimium ſtudet, ſenſum eorum pervertere aut obſcurare: quod Erasmus, & qui illum ſequuntur, fecerunt, vertendo hic *pauperes ſanctos:* quæ verſio ſignificat quidem, non aliis pauperibus, quam qui ſint Hieroſolymis ſancti, beneficium deſtinari, at non perinde notat, fuiſſe alios ibidem ſanctos, qui non eſſent pauperes, quod ex Græcis verbis manifeſte ſatis colligitur. Cur communio bonorum in aliis Eccleſiis non perinde ac in Hieroſolymitana obtinuerit, ejus tu quidem cauſſam in epiſtola ad Wolzogenium proponis, ſed quam optarim te nunquam in papyrum effudiſſe. Scribis enim, ſi bene recordor, Paulum non auſum Eccleſiis, quas alibi locorum paſſim fundabat, culmen hoc perfectionis imponere, adeoque non integre doctrinam D. Jeſu ad ſalutem neceſſariam illis tradidiſſe: quod miror in mentem tibi venire potuiſſe, cum ipſemet Mileti coram presbyteris Eccleſiæ Epheſinæ teſtatus ſit Act. XX, 27. *ſe non ſubterfugiſſe, quo minus omne Dei conſilium,* puta ad ſalutem

a) Hunc terminum plerique ei ſtatuunt, non alio argumento innixi, quam, quod poſt id tempus nulla ejus conſuetudinis mentio occurrat. Cui tamen opinioni utrum conveniat, quod Act. XII, 12. de congregatione ei, quæ cap. II, 44. deſcribitur, ſimillima, velim judicent alii.

b) Quam formulam alia non diſſimili: *Rotunda ovorum* illuſtrat *Grotius* & auget. Vtut ſit in latina lingua res comparata, in *Hebraico* ſane idiomate ea loquendi forma receptiſſima eſt, ita tamen ut *Superlativum* ſimul exprimat; cujusmodi exempla Pſ. XXII, 13. Eſ. XXIII, 8. 2 Chron. XXI, 17. Jud V, 29. Dan IV, 14. Prov. XXX, 5. &c. occurrunt. Ac proinde pro *pauperrimis* & ſumma anguſtia aut egeſtate inter cæteros preſſis collectam inſtitutam ſtipemque diſtribuendam eſſe, *Paullus* affirmat. De reliquo modum hunc loquendi poſitumque vocabulorum recte *Seb. Schmidius* quoque poſt *vulgatam*, itemque *Belgica verſio* & aliæ, recentiores potiſſimum, expreſſere.

360

tem eorum pertinens, *illis annunciaverit.* a) An vero non terret te [361] anathema illud, quod in primo ad Galatas capite in eos, qui aliud præterid, quod ipſe Galatis Evangelium prædicaverat, prædicent, bis velut fulmen aliquod ſtringit? Interim accipio, quod das, communionem bonorum in aliis Eccleſiis præter Hieroſolymitanam non viguiſſe, nec ab Apoſtolo Paulo iis, quos ipſe inſtituit, injunctum fuiſſe: quod idem, ut opinor, & de aliis, quas reliqui Apoſtoli, aut illorum in opere Domini conſortes, extra Judæam paſſim inſtituerunt, concedes: nullum certe, quod ſciam, ejusmodi communionis, cujusmodi eſt, quam tu requiris, veſtigium in illis occurrit. b) Utinam vero, mi Zwickere, noſtra pietas illum modo aſſequatur vivendi gradum, quem Apoſtoli Eccleſiis extra Judæam præſcripſerunt! nec enim dubito, quin ad ſalutem in cœlis obtinendam abunde nobis ea ſufficiat. Sententiam te in eo, quod tibi tribueram, mutaſſe, invitus intelligo, quoniam exiſtimo id factum in deterius: nec enim δευτέραι φροντίδες * ſemper σοφώτεραι. ** Et tamen ſtatim ecce concedis, fidem in providentiam Dei non æque inſignem eſſe, cum quis centum pro ſe manus laborare novit, quam cum ſolus ſibi relinquitur variis caſibus obnoxius. Atqui hoc primum erat exemplum, quo probare nitebar, inſignes aliquot virtutes in Moravorum fratrum communione vix habere locum, cum in ea vel trecentæ c) nonnunquam manus indigentiæ uniuscujusque ſolandæ ex lege conventus ſint obſtrictæ, quibus inniti fiducia [362] cujusque poteſt. Illud ergo cum mihi concedas, hactenus te non modo mihi, ſed & tibi ipſi, qualis quidem olim fueras, conſentientem habeo. Sed jubes me dictum illud noſtris applicare fratribus, & vel unum monſtrare, qui ſpretis & calcatis divitiis, ſibique ſoli relictus, fidem in providentiam Dei neceſſitati noſtræ proſpecturi profeſſus

 fuerit,

* Poſteriores cogitationes. ** Sapientiores.

a) Neceſſeriam enim eſſe communionem hanc ad Chriſtianam perfectionem exiſtimabant *Moravi* illi, eaque de cauſſa aliarum Eccleſiarum, niſi pari ab iisdem modo reciperetur, fugiebant & averſabantur: quibus *Zwickerus* pollicem presſerat.

b) Permulta vero proprietatis teſtimonia & ex propriis datæ dandæque, largiter etiam, ſtipis ſeu eleemoſynæ præcepta: qua *communione* ſatis ſuperque ſe perfectionis in Chriſto ex *charitate* participes eſſe, ut hodieque oſtendere cenſentur, ita olim demonſtraſſe cenſebantur, Eccleſiæ præſertim *Achajæ* & *Macedoniæ* cives: uti ex epiſt. ad Rom. & Corinth. utraque conſtat.

c) Non puto eſſe, numerum certum pro incerto h. l. poſitum, ſed quia *nonnunquam* additur, quantus fuerit t. t. horum hominum in *Hungaria* hoſpitantium numerus, utcunque definitus & per explorationes diſtinctius cognitum inde colligo fuiſſe.

fuerit, nec tandem tamen communionem aliquam bonorum expetierit. At non illud hoc loco quærebatur, quid fratres noſtri faciant; ſed an Moravi fratres inſignem aliquam fidem in Deum indigentiæ illorum ſuccurſurum præſtare poſſint, cum in ſua ſibi ſocietate nihil defuturum ſciant. Hanc virtutem cum illis aſſerere debuiſſes, tu contra objicis, in fratribus eam noſtris deſiderari; perinde ut pueri ſolent, qui de delicto aliquo accuſati, accuſatorem ſuum illius quoque, aut ſimilis reum criminantur; quaſi ſatis defenſa foret innocentia mea, cum alterum arguero nocentem. Sed deinde quomodo negare audes, fratres noſtros fidem in providentiam Dei profiteri, a) cum vix ullum ego noverim Chriſtianum, qui illam negare audeat? Voluiſti fortaſſis non profesſionis, ſed ipſius nobis fidei defectum objicere. At vidiſti tamen, ne illud quidem ullo te nobis colore tribuere poſſe, niſi addita, quam interſeris, conditione de ſpretis ac calcatis divitiis: de cujus necesſitate lis adhuc eſt inter nos ambigua.

363 Quid enim? an patri omnium Deo fidentium Abrahamo b) fidei quoque in Deum laudem abrogabis, quam Sacræ illi litteræ tribuunt, quoniam divitias Dei benignitate ſibi conceſſas non abjecit? Quid etiam, ſi quis divitias quidem non ſpernat, pedibusque non calcet, at iis tamen careat, (quales multi ſunt in Eccleſia noſtra) an ille ſeſe contra defectum rerum neceſſariarum fulcire non poterit ſpe auxilii divini? immo quis magis id poterit quam tales, quales per Dei gratiam pasſim eſt videre, non in noſtra tantum, ſed & in aliis Eccleſiis: ut mirum ſit, te illos non videre, quos omnes vident. At quid illud eſt, quod ſubdis, eos ex noſtris, qui in Dei providentiam fiduciam ſuam poſuerint, tandem communionem aliquam adamaviſſe. Credo, cavere

a) Tricas mihi heic nectere videtur *Ruarus*, cum ſit manifeſtum, *Zwickerum*, quando *Socinianos* his verbis ſuperiori epiſtola accuſaverat, non de profesſione, ore duntaxat facta, ſed reapſe demonſtrata locutum fuiſſe. Id quod ipſe p. p. ubi ad fidem rem omnem revocat, ſeu fiduciam revera in DEI providentia a paucis poſitam, non obſcure agnoſcit.

b) Ex V. T. minus ſæpe prudenter argumenta contra *Anabaptiſtas*, eorumque patronos, petuntur; quoniam ad *puerilem* ejus ævi fidelium ſtatum hæc pertinere illi reſpondent, & *Chriſtianam* perfectionem conſectandam nobis eſſe, adultiores ut ſimus viri in Chriſto, urgent. Quod proinde mallem etiam *Ruarum* conſideraſſe, qui perfectiorem inſuper legem, ex mente Magiſtri ſui, huic œconomiæ N. T. ipſe tribuit. Rectius ad *divites Novi Teſtamenti* provocari in talibus, vel propter ambages vitandas, mihi ſemper viſum eſt; Vbi ſæpius commemorantur divites, neque in commune tamen ſimpliciter divitias ſuas conferre jubentur, ſed *ſervato ſibi dominio* elargiri liberaliter de ſuis in aliorum uſum atque hoc modo κοινωνεῖν v. g. 1 Tim. VI, 17. &c. edocentur.

cavere te tibi voluiſſe, ne & tibi fiduciam in Deum, quamdiu numero noſtro aggregatus fuiſti, a) ademiſſe videaris, cum & ipſe tandem communitati Moravorum fratrum te inſerueris. Sed hoc ipſo non auges opinionem de tua in Deum fiducia, ſed minuis potius: nam eo ipſo minus credi poteſt fiduciæ te Dei innixum vivere, cum præſidium indigentiæ tibi paraveris in communitate eorum, quorum manus tibi alendo ex lege conventus ſemper intentas eſſe noſti. Involas deinde in me divinæ providentiæ fiduciam mihi adimendo, eodem, ut opinor, ſenſu, quo & aliis; quod mediocres facultates, quæ non improbo quæſtu, ſed præter votum meum hæreditate propinquorum, quos maluiſſem certe vivere, bonisque ſuis ipſos frui, obvenerunt, ad 364 lubitum tuum non abjiciam. Interim pro nihilo tibi eſt, quod vides mihi eſſe uxorem & liberorum amplum numerum, b) & nonnullos quidem parvulos, omnes ad victum ſibi parandum ineptos; quibus ſi ſenex c) brevi moriturus nihil relinquam, cum eſurie fortasſis conflictarentur, aut miſere diſperſi alienæ opi inhiarent. Sed dicere tu ſoles, Deum illis proſpecturum: quod quidem & ego ſpero. Sed cum videam, jam id illum aliquatenus feciſſe, cur præſtitam gratiam ſpernam pedibusque conculcem? Interim non ignoro, quot caſibus obnoxia ſint ea, quæ divina mihi concesſit benignitas: nam & partem eorum bonam jam eripuit mihi malorum nominum improbitas, & reliquum cum aliis modis, tum vi eorum, quibus & religio & vitæ genus, quod ſequor, inviſisſimum eſt, tam facile auferri poſſet, quam quis manum verterit. d) An vero hoc mihi ſaltem non concedes, crede-

 re

a) Ergo jam tunc non amplius pro membro cœtus Sociniani *Zwickerum* habuit *Ruarus*: quare nec ipſe videri ex eo tempore deinceps voluit, ſed omnium partium & indifferentis ſeu eclecticæ religionis hominem ſeſe agere, ſcriptis etiam profeſſus eſt, jam ante commemoratis. Cujus de cætero mentem nemo compendioſius deſcripſit, quam qui breviter fata ejus in *Lex. Hiſt. Germ.* ed. Baſil. ad lit. Z. complexus eſt: licet diſtincte, ut ex his epiſtolis addiſcere potuiſſet, communionis bonorum vehementisſimæ propugnatæ, quod inprimis tamen addi debuiſſet, haud meminerit.

b) Numeroſæ familiæ in epiſtola quoque poſtrema, quam Cent. IIdæ ſubjiciemus, mentionem facit: quam conferre cum his litteris juvabit. Definite autem de liberis iſtis nihil, ſi ab his epiſtolarum editoribus diſcedas, hucdum innotuit. Quæ filia fuerit h. t. nubilis & cuinam elocata ſub id tempus, ex eadem epiſtola elucebit.

c) Annum agens circiter LXV. ſic enim ex eadem illa Faſc. II. extrema epiſtola, *Roberti Euſtachii* nomine aſſumto, ſcripta colligitur, cum rationibus temporum harum ad *Zwickerum* datarum litterarum, annoque, quo mortalitatem exuit *Ruarus*, collata. Eamque ob rem & *Sandii* male calculos ducentis corrigemus impoſterum D. v. ceſpitationem.

d) Quibus verbis non ſolum ad com-

re me, Deum aut iſta, quæ jam dedit, conſervaturum, aut aliunde mihi meisque proviſurum, niſi ſatius duxerit, e vita nos hac ad meliorem transferre? Ego vero illud credo; & hac fiducia nixus nihil indignum profesſione mea committo, quo pericula iſta evadam: a) quod pronum eſſet, ſi illorum me voluntati accommodarem, quorum arbitrio res humanæ utplurimum vertuntur. Sed quid mirum eſt mihi te de-
365 trahere, cum neges inter omnes noſtros fratres ullum poſſe monſtrari, qui proximum ut ſe ipſum & absque avaritia diligat; qui ſecundum Chriſti diſciplinam ſit liberalis, aut inter opes ſuas temperans voluptatibus renunciet; qui de ſententia Chriſti juſtus ſit; qui in divitiis non luxuriet ac ſuperbiat. Poſſem ad iſta tua convitia gravius aliquid reponere, ſed ſufficiat nunc illud Comici:

Homine imperito eſt nunquam quidquam injuſtius,
Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Tibi enim, ut opinor, non adimis illas virtutes, quas in ullo te noſtrum animadvertiſſe negas, nempe ſecundum eum modulum, quo benignus ille operum noſtrorum æſtimator in decretorio illo die velit eſſe contentus, niſi te ipſum regno cœlorum abjudicas. At ſi tales nos tibi ſumus, cur tanto tempore nobis impoſuiſti fratres nos in Chriſto appellando, & communia ſacra nobiſcum obeundo? An id decuit inter eos, quibus tot virtutum Chriſtianarum deliquium aſcribis? At quod addis, nec alios virtutes iſtas in nobis agnoſcere, in eo falſi manifeſto teneris. Multos enim & ego & alii audivimus, qui cum ob ſenſum in religione hæreſeos nos gravisſimæ accuſarent, virtutum tamen laudem ultro etiam præ ſuis nobis concederent. b) Neque vero eſt, quod dicas, fratres me tuos Moravos pariter criminatum, cum virtutum illis quarundam laudem derogavi. Nec enim ſimpliciter

munem illam, cujus diſerte meminit, cauſſam reſpicit, ſed ab bellum etiam imminens *Suecico-Polonicum*, quod proximo ſtatim anno 1655. vehementisſime exarſit, diutisſimeque continuatum eſt, animum advertit.

a) Ipſo Spiritu Sancto hæc jubente Prov. XXII, 3. XXVII, 12. Eph. V, 15.

b) Aliter *Mareſius*, quid conqueſtus paullo ante de vita religioſe inſtituenda parum cogitari in Præf. *Hydr. Socin. expugnatæ* ſeu *Refut. Volkeliani de vera Relig.* libri: *Ipſi Sociniani*, inquit, *qui morum majori ſanctimonia cæteris volunt antiſtare, & quos haud immerito dixeris Phariſaiſmum & Sadducæiſmum ſimul, mira ſane vafritie, in Chriſtianismum invehere, magis tamen vacant diſputationi dogmaticæ, quam emendationi vitæ; nec poſſunt aliter, ſi ſuis inhæreant placitis, quam ſimulare Curios & Bacchanalia vivere: adeo obdurant ſe, contra manifeſtam veritatem, ut per præcipitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant.* Quæ ſunt paullo ante hanc epiſtolam, anno 1651. ſcripta.

citer id feci, sed respectu insignis in illis eminentiæ, quæ quidem in oculos incurrat; idque non προαιρέσεως * defectu, ex qua virtutis pretium justissimum æstimari solet; sed quod status iste vitæ: quem sibi delegerunt, virtutibus istis insigniter exercendis locum vix relinquat. Cæterum videris tu tibi belle in nobis tot virtutum defectum probasse dicto illo meo, cum fassus sum in Ecclesia nostra Satanam nonnunquam in angelum lucis transfigurari. At quæ Logica te docuit, ex particulari universe aliquid concludere? Neque est, quod tantopere confessionis istius repetitione nobis insultes: quasi vero dicti mei veritas non & in aliis liqueat Ecclesiis, & quidem in nonnullis, quæ præ aliis sanctitatis opinione tument. Quod vero scribis, Apostolos per Moravorum fratrum latus subinde a me fodi, in eo ratio te fugit. Nam & ipse concedis, communionem bonorum inter fratres in urbe Hierosolymorum fere tantum viguisse, extra quam plerique Apostolorum vivebant, nec cæteri illorum Hierosolymis ita erant affixi, quin aliorsum ad prædicandum Evangelium subinde excurrerent: nec communio, quæ Hierosolymis aliquandiu obtinuit, a) erat ad exemplum Moravorum fratrum lege aliqua sancita, sed a libera cujusque voluntate pendebat. Itaque quod ais de fide illorum in providentiam Dei immota, id ambabus tibi manibus concedo, præsertim cum cogito, quibus se incommodis ac periculis ob Evangelium ultro objecerint. Neque tamen in illos peccavero, si certi generis caritatem aut liberalitatem aliquando ab illis externo opere exercitam fuisse negem; nempe cum dicerent Act. III, 6. *Aurum & argentum non habeo:* at exercebant utramque tamen virtutem aliorum bonorum communicatione, quæ auro & argento erant potiora. Nec in auro tamen & argento erogando parcos illos fuisse existimo, cum id in manibus forte habebant: quod apud plebem Moravorum fratrum nunquam b) fit. Neque temperantia eorum ex mea sententia erat coacta, si, ut existimo, privatim nonnunquam habebant, unde genio suo indulgere potuissent; ac multo minus, si, ut tu censes, aliorum bonis ad exemplum Mora-

366 367

* Prælectionis, propositi.

a) *Si quidem talis fuit*, ut *abdicaverint* sese boni illi viri rerum omnium proprietate. Etenim si pro *larga* facultatum in pauperiores *erogatione*, ut multis videtur, eam habeas, vix poterit, ita, pro cujusque modulo, illam, ad circumstantiarum tamen rationes attemperatam, communiter omnibus, *præceptam* esse negari.

b) *Sigillatim* puta, aut a singulis *privatim.* E communi tamen thesauro id fieri potuisse, & factum esse, communi omnium nomine & consensu non omnino ausim inficiari. Quo erga peregrinos eorum hospitalitas, ut supra audivimus, celebrata refertur.

Moravorum Seniorum præfuissent: cum & his ego temperantiæ laudem concesserim, quæ in aliis e plebe eorum minus elucere potest, utpote peccati materia destitutis. Fucatam liberalitatem non tu solus cum Christo aspernaris, sed & illi, quibus suppetit, unde liberalitatem exercere possint: quos dum tu scribis propterea de opibus sibi prospicere, ut cuticulam suam suorumque curare possint, more tuo facis, ut aliorum facta sinistre interpreteris. Illis vero quod me quoque pro affectu tuo immisces, quo jure facias, nescio. Egone de opibus mihi prospicio? Si non aliunde a) quid haberem, quam de quo ipse mihi prospicio, jampridem una cum meis strenue esurirem. Alius mei status atque morum magis gnarus diceret potius, me rebus meis male prospicere, qui, quæ mihi aliorum industria ne quidem cogitanti re-368 liquit, tam negligenter habeam, ut ex iis aliorum iniquitas non parum jam detriverit. Sed unde ista quoque in me criminatio, quod de cuticula curanda sim sollicitus? nec enim (quod sciam) te lautius vivo; fortasſis etiam aliquanto minus, quod robustior aliquanto corporis mei constitutio b) omnis generis cibos, quam tua, facilius ferat. Quæ deinde subjungis alia summæ virtutis & perfectionis Christianæ c) specimina, in iis me partim habes & sensus & studii tui consortem, puta quæ a Christo illiusque Apostolis præcepta scio: in aliis, quæ improvida religio d) illis allevit, laudem, quam ex iis captas, tibi non invideo: quanquam videam te ea, quæ erga alios tantopere urges, ipsum tamen parum præstare. Necdum enim omnia tua vendidisti & pauperibus erogasti: in quo sapere mihi videris, cum id Christus unicuique sine discrimine personarum & occasionum non præceperit. *Vt non suum, sed, quod alterius est, quærant*, Corinthiis quidem præscriptum ab Apostolo lego 1 Cor. X, 24. sed idem tamen apud Philippenses se explicans, ut non nostra, sed &, quæ alterius sunt, spectemus, suadet

a) Sine dubio ex hæreditate soceri, opibus non omnino destituti: ad quam Nobilium complurium liberalitas accedebat. conf. Cent. II. epist. 69.

b) Sic ergo, quæ corporis etiam *Ruari* fuerint rationes, hinc patet; ut parum adeo desit, quod ad vitam ejus plenius describendam requiratur.

c) Non vana hæc est jactantia. Quotquot enim paullo diligentius de *Ruaro* egerunt, pietatis ejus seu vitæ laudabiliter actæ, ut exemplo aliis esse potuerit, meminerunt, virumque, alioquin probum, in erroribus suis tam pervicaciter perseverasse, doluerunt. A quibus neque ego, si excipiam simulationes, olim præsertim non semel commissas & valde vituperandas, meam abjungo sententiam.

d) Μείωσις, ut tanto modestius superstitionem cum periculo egestatis temere attrahendæ conjuncta exprimeret.

ſuadet Phil. II, 4. ubi conjunctio a) & noſtra quoque aliquatenus ſpectari atque quæri poſſe oſtendit: quod te cum aliis itidem bonis atque prudentibus facere video. Quid de Moravorum fratrum nonnullis hiſtoria b) teſtetur, mihi nondum legere contigit: interim laudi eorum faveo, & ut virtutes eorum aliæ Eccleſiæ imitentur, quæ quidem veræ ſint virtutes, opto. Quomodo tu ea, quæ contra paupertatis 369 neceſſitatem attuli, refutes in epiſtola ad Wolzogenium, c) jam non recordor: ſentio enim ſenectutis vitium, neque tam tenax eſt mihi memoria, ut eorum, quæ ſemel legi, non obliviſcar: quocirca Wolzogenio ea jam diſcutienda relinquo. Quod ſcribis, *disſimilitudinem inter Moravos fratres & Chriſtum inde me oſtendere velle, quod Chriſtus miracula ediderit, & propterea ex aliena liberalitate vixerit:* id quorſum pertineat, vix ſatis capio. Credo te tamen alludere ad hæc mea verba, quæ ſubjungam: *Paupertas Chriſti illiusque Apoſtolorum muneri illorum peculiaris fuit; quam nec illi, qui maxime laudant, imitantur. Vivebat Chriſtus ex aliorum liberalitate, de quærendo ſibi victu non ſollicitus, quem tot miraculis in obvios quosque beneficus ſciebat ſibi nusquam defuturum: omnia ſua ſecum portabat. An idem tu dicere poſſes, non unum fortasſis currum illis oneraturus?* Vides hic me diſcrimen inter Chriſtum & vos non in ſolis ponere miraculis, ſed cum in diverſitate muneris, cum Chriſti quidem ut & Apoſtolorum ejus muneri paupertas peculiaris fuerit, veſtro non itidem, tum paupertatis ipſius, cum Chriſtus quidem ex alieno d) vixerit, vos vero ex eo, quod in commune congeritis, Chriſtus omnia ſua ſecum portaverit, tu vero non unum currum bonis tuis oneraturus eſſes. Quod autem de miraculis Chriſti injeci, id non tam ad aperiendum inter Chriſtum atque vos diſcrimen commemoravi, (quanquam in eo diſcrimen ingens eſt) quam ad cauſam 370 dicendam, cur Chriſtus minus de victu potuerit eſſe ſolicitus, quam vos poſſitis; eoque ad excuſationem veſtram potius id facit, quam ut Chriſti exemplo miracula a vobis requiram: eoque fruſtra mihi inſultas eo dicto; *Quaſi vero omnes fideles ex patratis miraculis vixerint:* quod mihi nunquam venit in mentem, nec ex verbis meis ſequitur. Quod dixi, Moravos fratres non in alios bona ſua elargiri, id non de

Pp tenui

a) Id eſt, non *tam - - quam* &c. quæ Hebr. loquendi conſuetudo in N. T. paſſim occurrit.

b) Ad martyrologia Frr. Moravorum ſupra laudata hæc videntur reſpicere.

c) Ea, quam *Zwickerus* legi juſſerat, & ſupra quoque ſecum a *Wolzogenio* communicatam eſſe *Ruarus* jam memoraverat.

d) Donis inquam datis, non ſuo aut Apoſtolorum labore communi partis. Vid. Joh. XII, 6. coll. Luc. VIII, 3.

tenui eorum particula, qualis nomine universæ eorum societatis mendicis conferri solet, intelligo, sed de universis: quod ex oppositione apparet, cum in commune hæc illos conferre dico, quomodoque tu id a singulis nostrum requiris. In futurum tempus eos multa recondere, tu quidem stricte negas; sed ad rationem, qua id verisimiliter astruxeram, non respondes. a) Sed video multa te passim in epistola mea prætergredi, ad quæ non habes, quod respondeas: sicut contra nonnulla quoque tibi sumis refutanda, de quibus ego ne quidem somniavi. Vbi enim metum fuisse dico, ne Apostoli aut Apostolici viri fame perirent, quod longis itineribus ab Ecclesiis suis abessent? De te potius illud metuissem, cum iter Hungaricum b) nuper ingredereris, nisi pecuniam ad iter alicunde assumpsisses. Quin & de illis credere licet, eos, cum iter susciperent longinquum, viaticum ab illis, quibus operam suam adhuc impenderant, recipere non dedignatos: 371 neque nesciebant, eam sibi adesse spiritus vim, qua, cum vel ad ignotos veniebant, compararent sibi fratres, qui spiritualibus bonis ab illis ditati, ea, quæ alendo illorum corpori erant, ipsis sufficerent. Quod me mones, ne viam Domini & veritatis pervertam, gratiam habeo: tu vero cave, ne idem facias: tam enim tibi quam mihi præsumpta opinio imponere potest, atque ita utrique nostrum durum erit, contra stimulum calcitrare. Miror, cur mihi objicias, quod solum me putem cultum rationalem exercere, reliquos vero obbrutuisse; cum in eo, de quo inter nos lis est, eandem, quam ego, rationem sequantur, quotquot sunt uspiam Christiani, præter paucos tuos fratres, idque ego non ignorem: nec tamen te cum fratribus illis obbrutuisse censeo. Possunt enim etiam viri sapientes a rationis ductu aliquantum excidere: c) cujus exemplum habemus in tot pugnantibus philoso-

a) Nec respondere ad ea poterat. Quicquid enim fratres illi congerebant, id ad futurum usum asservabatur, & a Senioribus, ut dispensaretur, si quando opus esset, administrabatur. Quæ futurorum cura modesta, si communiter non dedecebat totam societatem, qui singulis quæso, si sua pari modo conservataque, cum ordine divinæ benedictionis justo tempore rite applicandæ & adhibendæ observato, fraudi aut dedecori esse potuisset.

b) Ex quo tamen domum, ut ex superioribus colligitur, post brevem moram redierat.

c) Non alia vero, ut plurimum de caussa, quam quod ad verbi divini in agendis quoque longius, quam ratio valet, nos provehentis, mysteriaque sua, perinde ut Theologia dogmatica, exhibentis, (quæ *singularia* Christus vocat) non attendant ductum, sed sæpissime vel negligant, vel male, uti a *Moravis* quoque istis factum erat, applicent. Vtinam ad hæc ipse *Ruarus*, qui tam operose Theologiam rationalem supra commendaverat, animum advertisset.

losophorum, immo & Christianorum doctorum, sententiis. Prudentiam meam esse sapientiam carnis & mundi, facilius tibi crederem, si constaret, te esse Apostolo Paulo parem, & me Corinthiis illis similem, quos Apostolus Paulus reprehendit 1 Cor. III, 19. de quorum utroque multum dubito. Facis me dein dicentem: *Multos illos annos, in quos curam nostram extendere vetamur, præsentis aliquando temporis rationem habere:* absone certe, si quidem sic ego scripsissem. Cum enim probare voluerim, non esse id contra interdictum Domini de cura crastini, etiamsi quis in multos annos curam suam aliquando extendat, cum multi anni interdum præsentis temporis rationem habere possint, quomodo faterer, in multos nos annos curam nostram extendere vetari. Sed non sic ego scripseram, verum ita: *Multos illos annos, in quos curam nostram extendi vetas*, tu inquam, non Christus, *præsentis temporis interdum rationem habere.* Si quæris, unde id quoque demonstrem; relege epistolam meam, & videbis rationem ibidem statim subjunctam, cujus hæc est vis. Voluit Dominus, ne de crastino essemus solliciti. Atqui incidunt in communi vita talia, de quibus nisi multo ante cogitemus, a) ut ea vel paremus vel asservemus, frustra, cum illis opus erit, ea requiras. Nemo nostrum non morbum aliquem metuit, omnes ad senectutem voto nostro aspiramus. At si nihil in antecessum mihi paraverim, unde in morbo aut senectute vivam, aut ea etiam, quæ in id seposita habueram, in *alios* effuderim, quid tum me fiet misero? Morbus enim & senectus ita me jam tum debilitaverint, ut ad victum tum mihi parandum ineptus sim. Sic etiam cum habeo liberos, quos mihi opto & spero superstites, ac fieri nihilominus possit, ut antequam ipsi ad sustentandam suam vitam adolescant, ego fatis concedam; an peccatum fuerit, si in eos annos vivus illis prospexero, quibus ipsi sibi sufficere poterunt? Vnum tantum excipio casum, quem & olim tibi expressi, si forte incidat, ut vel gloriæ divinæ, vel præsenti fratris alicujus calamitati non aliter succurri possit, quam facultatum mearum, quas ob morbi metum, aut senectutis spem, aut ad solandam liberorum inopiam, asservare volueram in futurum, impendio: tum enim, quod longius abest, magis præsenti necessitati cedere debet. Idem, quod superioribus exemplis aliquando tibi probavi illo hortulani, qui si fructibus horti vesci volet, arbores annis aliquot ante

372

373

a) Cogitare namque licet de futuris, at non *animo* de illis *angi*. Hoc Christus prohibuit districte; illud prudentia etiam Christianorum, cum simplicitate columbina & fide sincera nunquam non combinata, exposcit.

ante vel plantet vel inſerat, neceſſe eſt. His exemplis addo nunc & illud, quod te propius tangit. Si quis artem aliquam exercere velit, qua & generi humano proſit, & ſibi ſimul de victu proſpiciat, puta medicinam, a) ei certe multis annis ante in aſſequenda ejus notitia laborandum eſt. At vetamur a Domino ſolliciti eſſe de craſtino. Hic igitur, niſi omnes illos contra interdictum Domini deliquiſſe cenſeas, tempus illud, quo iſta, quæ dixi, nobis aut noſtris paramus, & quo paratis nos aut illi frui debent, pro uno velut die habendum eſt. His omnibus nihil habes, quod opponas, præterquam hoc unum, neminem eſſe tam perſpicacis aut divini ingenii, ut poſſit dicere, his quidem mille, opibus illorum aut ipſis aut ipſorum liberis impoſterum opus fore, aliis vero mille id non fore: ac proinde in incertum non laborandum, aut aliquid aſſervandum. Sed quid ſi tamen, quod nunc incertum eſt, paullo poſt, aut etiam poſt aliquot annos certum evadat? tum vero, ut uni ex his mille tam ſint vecordes, ut conſilium tuum ſecuti

374 inediam patienter vel ad mortem ferant; de aliis tibi prædico, quamvis propheta non ſim, eos mille mala tibi imprecaturos, quod eos tam fœde ſeduxeris, immo etiam necem tibi, niſi te ſubduxeris, intentaturos. At licere nobis etiam in incertum laborare, aut aliquid de partis bonis reſervare, probavi in ſuperiore mea epiſtola exemplo agricolæ; quem nemo reprehendere poteſt, quod hujus anni auctumno ſementim faciat, cujus ſegetem non niſi ſequentis anni æſtate meſſurus eſt; & quod præterita æſtate collegit, ex eo ad futuræ æſtatis meſſem ſeu meſſis potius finem aliquid ſibi reſervet: cum ſcire tamen nec ipſe nec quiſquam poſſit, an ad id temporis vitam ſit producturus. Sed tu exemplum illud huc quadrare negas. Cur vero? quia ponis, inquis, illum non ad multos annos proventum ſuum ſervare, ſed tantum ad unius anni ſpacium. At hic ego nihil quoque de multis annis probare volui, quod in ſuperioribus exemplis abunde feci, ſed illud tantum, ut ex epiſtola mea conſtat, licere nobis in parandis aut aſſervandis vitæ præſidiis etiam ad incertos caſus reſpicere. Tam autem incertum eſt, an agricola quis in unum annum provicturus ſit, quam quod hortulanus in ſexennium aut decennium. Interſeris hic, me annotationes tuas ad ſcriptum meum Germanicum, b) in quo hoc agri-

a) Quam *Zwickerus* facere conſueverat, nunquam tamen, quod ſciam, Doctoris titulos adeptus: quos forte nec multum, ut ſolent *Socini* aſſeclæ, curabat.

b) Quales eæ fuerint, ſubitaneæ procul dubio, non conſtat, cum nec *Sandius* inter *Zwickeriana* reliqua illarum mentionem fecerit. Ex quo ſilentio periiſſe col-

agricolæ exemplum primum proposueram, nondum refutasse. Videris innuere, illas ita validas, ut nec refutare eas potuerim. In quo 375 nimium illis tribuis: potest enim alia esse caussa, cur id non tentaverim, & est revera hæc, quod laboris sim fugitans, cujus fructum nullum prævideam. Si enim tam æquam tibi sententiam, quam in illo meo scripto proposueram, non persuasi, quid opus erat laterem lavare? Novi, quam sis sententiarum, quas semel arripuisti, tenax, a) & nisi tibi ipsi quid veniat in mentem, cur a concepta prius opinione discedas, aliis te non succumbere, quantiscunque argumentis in te pugnent. Vnde nec hunc ipsum laborem, quem epistolæ tuæ proximæ refutandæ impendo, vim ullam ad mutandum tuum animum habiturum spero: do tamen illum non tam tibi, quam aliis, qui me ad illum studiose impulerunt. Sed venio jam ad alterum, quod contra istud meum de agricolæ in futurum provisione infers. Ais vero, agricolam præsentis temporis respectum habere. Immo vero sequentis anni respectum & in arando serendoque & in metendo satu habet. Potest ergo futurus quoque annus intra præsentis temporis rationem redigi. Cur vero non & anni aliquot futuri, quod tu superius negasti? An sexennium aut octennium hortulani eo minus pro præsenti tempore reputari potest, quod sit agricolæ anno longius? Atque respectu operæ & fructus eadem utrobique ratio est. Addis agricolam ita me considerare debuisse: Vtrum hic, si usque ad futuram proximi anni messem victurus esset, hornotino suo proventu minime habiturus esset 376 opus? Potest fieri, ut eo habeat opus, potest etiam, ut non habeat, sed aliquid etiamnum supersit: de quo & mihi quærere liceat, an ejus non liceat aliquid Josephi exemplo ob metum futuræ sterilitatis etiam in alterum annum asservare? Ita agricolæ biennium quoque pro præsenti tempore imputari posset. Sed dices fortassis, Josepho licuisse esse tam prudenti, nobis non licere. Sed missa hac quæstione ad tuam redeo. Quid autem ex ea infers? Illud opinor, quod & ego fassus sum, illum, si vivat, proventu agri sui opus habiturum. Sed quidsi non

ligimus. De scripto *Ruari* jam supra nonnihil observatum a nobis est: quod hoc loco repetere nihil attinet.

a) Immo pertinacissimus & vere ἰσχυρογνώμων, ut Græci vocant. Certe nec ad finem usque vitæ hanc sententiam mordicus tueri desiit, sed peculiari etiam libello, Germanice scripto, cui titulum præscripsit: *Paupertas Christiana rediviva*, defendit, & consensum insuper Doctorum primævæ Ecclesiæ Christianæ, qui Patres vocantur, ea de re, *quod non liceat Christianis opes possidere*, ostendere laboravit. Qui tamen prælum nunquam, quod equidem cognitum nobis sit, expertus est.

non vivat? tum igitur opus eo non haberet: nec eo minus permittis eum opus facere, cujus fructum non ipse, sed posteri ejus sensuri sunt. Sed quicquid ista tua quæstione obtinere voluisti, id & allegatis superius exemplis, immo sexcentis aliis, quæ in communi vita occurrunt, applicare possum. Quæram, si quis opibus nonnullis pollens in multos annos vivat, atque interim morbis sæpiuscule conflictetur, an suis istis opibus haud habiturus sit opus, si rei faciendæ ipsemet sit ineptus?

Reliqua desiderantur.

LXXV.
M. RVARVS MIERZYNIO. a)

QVod frater tuus ad rem militarem aspirat, non nimium miror, ut in juvene, cui fervet adhuc circa præcordia sanguis, nec, quanta & pericula & peccata vita ista secum involvat, experto, aut cogitante. At te, (quod pace tua dictum sit) id illi non modo concedere, sed & commendationibus hunc illius impetum fovere velle, non possum non mirari. Ego vero, ut damnare nolim, si quis periculo suo aut suorum compulsus, b) necessariæ defensionis gratia ad arma prosiliat; ita voluntariam istam militiam, quæ vel animi gratia, vel gloriæ aut compendii alicujus studio suscipitur, multum abhorrere existimo a regula vitæ, quam Servator nobis noster, illiusque Apostoli, præscripserunt. *Beati*, inquit ille, *pacifici; nam filii Dei vocabuntur*: quomodo vero vocabuntur, qui pacis amorem nulla necessitate coacti abjiciunt? *Diligite*, inquit idem, *inimicos vestros*; at quanto magis eos, qui nullo neque verbo neque facto nos unquam læserunt? Quid autem magis adversum dilectioni, quam bellum, quo & vitam, & facultates alterius hostiliter impetas? Apostolus quoque, *si fieri potest*, ait, *quantum in vobis est, cum omnibus pacem colite*: an vero cum Hispanis aut Hispaniensibus eam frater tuus colere nequit? Nolo plura Novi fœderis edicta in hanc rem congerere, quia & hæc pauca apud Dei reverentem sufficere debent: nec ignota tibi sunt dicta similia, quæ pacem & amorem & mansuetudinem nobis inculcant, & ab omni proximorum,

a) *Abrahamo*, ut opinor, *Miercenio*, *Serini Morstinii*, Philipoviensis Satrapæ, genero, & forte eidem, cui etiam in Cent. II. epistola 69., tanquam Viro in Regis pariter atque Principis *Radzivilii* aula, ex fratribus Polonis unum DEVM Patrem confitentibus plurimum valenti, præter alios, inscripta legitur.

b) Hæc enim erat *moderatioris sententiæ partisque Socinianorum* hypothesis, *necessariam* pro patria defendenda militiam *fugiendam detrectandamque non esse*, *ultro* autem, præsertim apud exteros & mercedis seu stipendiorum merendorum caussa illam sequi *non licere*. Quemadmodum & supra *mercenariam* rejecisse meminimus.

rum, immo & inimicorum odio nos abducunt: quorum ſimplicem ſenſum velle incruſtare, ut libidini noſtræ ſubſerviant, non eſt ejus, 378 qui oracula Dei reverenter amplectitur. Cum vel juſta de cauſſa quis in bellum propellitur, multa tamen, ut nunc mos eſt, iniqua in innoxios patrantur, immo & pene patrare neceſſe eſt, ſi ducum iram incurrere nolis; quorum difficilis apud Deum erit excuſatio: at quo colore nos tutabimur, cum nec de juſtitia armorum ſatis nobis conſtat? quam in iſto Gallorum contra Hiſpanos a) bello ignorare me fateor, nec magis eam ſcit, ut opinor, frater tuus. Immo memini, magnorum virorum judicium id fuiſſe, litem inter duas iſtas nationes in Monaſterienſi conventu æquis rationibus componi potuiſſe, niſi paucorum obſtitiſſet ambitio, qui ſe deſperabant ſalvos, niſi in turbido, futuros. Itaque ne ægre quæſo feras, ſi conſcientiæ meæ ductum ſecutus, fratrem tuum a tam cruento vitæ propoſito dehortabor: cum enim de illo mihi jam conſtet, vereor, ne ſilentii gravem Deo rationem reddere cogerer. Vale XIV. Maji, CIↃIↃCLVI.

LXXVI.

M. RUARUS EIDEM.

MAgnifice ac generoſe Domine, Quæ frater tuus excuſando ſuo de militia Gallica propoſito mihi reſpondet, mihi quidem non ſatisfaciunt. At mihi tamen ſatis eſt, quod pio conſilio conſcientiam alieni peccati communione exoneraverim. Signiferi munus, quod affe- 379 ctat, non ſtatim fortaſſis aſſequetur: & ut aſſequatur commendatione principum illorum, quorum illi literas a te miſi, quid intereſt, ſuane manu alios occidat, an ſignum ad occidendum præferat? Aliud certe ab illius ſenſu docet ſapiens ille Æſopus, fabula de tubicine. Deinde nec

a) Non definiam in præſenti, quid de externorum bellorum conſortio, ſine neceſſitate a quibusdam quæſito, ſentiendum ſit, quidve ſive conſcientia, ſive prudentia ſuadeat. Hoc tamen facere non poſſum, quin ex S. R. Dn. *J. M. Krafftii Huſumenſi Hiſtoria Eccl.*, quid *Petrus Bockelmannus* Paſtor, ſuperiori Seculo XVI. Huſumenſis, cum Princeps fortisſimus *Adolphus Dux Sleswic. & Holſ.* ex militia Belgica, ſub auſpiciis Ducis de Alba culta, domum ſalvus rediiſſet, publicæ gratiarum actioni ex ſuggeſtu ſubjecerit, repetam: Sic enim verba euchariſtica feciſſe loc. cit. narratur: *Wir dancken billig dem allerhöchſten GOtt, der unſern gnædigen Landes-Fürſten mit guter Geſundheit wieder anhero verholffen; Aber wem hat er gedient? Dem Teuffel und ſeiner Mutter.* Quæ porro l. c. ſequuntur, digna quidem ſunt non minus lectu, quam illa, utpote Principis maximi manſuetudinem teſtantia; ſed quia hæc nobis ad illuſtrandam *Ruari* mentem ſufficere poterunt, plura addere nolumus, aliisque etiam lubentius, quid de *vita venali* habendum ſit, relinquimus.

nec in illo se munere sistet, ubi cœperit ejus ambitio, sat scio; sed cum poterit, ad alia progredietur, quæ sine sanguinis fusione geri non poterunt, & quidem eorum, a quibus ne verbo quidem unquam læsus sit, nedum ut necessitatem illi patrandæ cædis fecerint, aut patratæ excusationem præstent. Aliquanto minus in aulis, ut opinor, peccatur, ad quas tu illum invitaveras, structurus hunc illi gradum ad reliquæ vitæ sustentationem, quam per militiam vix assequetur; ubi vel unius globuli igniti jactus spes omnes cum ipsa vita abrumpere potest. Sed faber est quisque fortunæ suæ, ut habet vetus dictum, qua per me prout volet frater tuus fruatur. Vale XXVI Januarii, cIɔIɔCLVII.

Sequentes epistolas serius repertas alieno loco, ut ex anni subscriptione patet, collocare, quam omittere maluimus.

LXXVII.

M. RVARVS, SAMVELI NÆRANO. a)

380 NEscio ubi sis, mi Nærane, & tamen literas ad te scribo. Hoc sane mirum, sed multo magis alterum, si illæ te inveniant. Vbicunque vero exigas ætatem, ego te tamen mordicus teneo, quatenus possum, & in hoc pectore conclusum per maria & montes & immensa locorum spacia ab eo tempore, quo inter nos vidimus, circumgestavi: nec ullum erit tempus, quamdiu quidem ipse, quo Næranus mihi excidet, ille tam eximius gratiarum pullus, ille non minus severus masculæ virtutis alumnus & cultor, ille thesaurus inexhaustus omnis literaturæ sive sacræ sive profanæ. Quæso vero te, præstantissime Nærane, ut & me, si non plane sum indignus, in aliqua amoris parte apud te posthac hærere patiaris. Recordor certe cum interiori quodam animi

a) *Dordraceno* patria & *Sedanensis* primum in Gallia, *Gymnasii* anno 1608, quod epistolæ *Is. Casauboni* in Brantiano fascic. docent, *Rectori*, sed non diu post hoc tempus *Amersfortensi*, eo usque, dum suborti motus Arminiani turbas in Belgio darent, Pastori, hinc vero inter eos, qui *Remonstrantium* caussam vehementius egerant, decreto *Synodi Dordracenæ* deinde in exilium ejecto. In quo, dum vixit, (vixit autem ad annum usque 1642.) postremis annis vitæ exceptis, hinc inde oberravit, & primum cum cæteris in *Belgium Hispanicum* commigravit, non multo post tamen in patriam rediturus: posthæc *Fridericbstadium* concessit, aliquando etiam *Rostochii* & alibi quoque commoratus est, donec post varias jactationes in patriam rediit, & *Amersfortii* officio, nisi fallor, pristino paullo ante obitum recuperato, tandem ex hac vita excessit. Poeta de cætero fuit eximius; at tantopere ob *Remonstrantium* sententias approbatas, ad extremum, *Belgii fœderati proceribus* exosus, ut carmen aliquod ab eo sibi aliquando dicatum, hanc solam ob caussam, ne receperint quidem, sed cum significatione animorum suorum ab ipso abalienatorum illico reddi jusserint.

animi ſenſu, quoties tibi coram adfui, non vulgarem te affectum mihi teſtificatum fuiſſe: quem licet ego fortaſſis non merear, tuæ tamen eſt conſtantiæ cavere, ne vel tunc amandum tibi ceperis, cujus mox oblivifci velles, vel ne nunc oblivifcaris, quem non ita pridem amore tuo dignatus ſis. Vnum vero eſt, quod nunc modeſte a te peto, nec minus tamen calide deſidero, ut me, quantum epiſtola patitur, de ſtatu tuo (nam ut & de aliis te appellem, jam nimis hoc fortaſſis ſit immodeſtum) nonnihil certiorem facias: de quo non immerito ſollicitus ſum, ſi modo in fœderato iſto Belgio, a) ut ſuſpicor, adhuc vitam trahis. Scio enim, quibus iſtic inſidiis obnoxii ſint genuini veritatis profeſſores: ſcio quanta inclementia deprehenſi carnificentur. Spero quidem, hactenus tutum inter tot pericula te evaſiſſe: idque præcipue quidem divinæ providentiæ & piorum hominum precibus, in parte tamen prudentiæ tuæ, quam in te ſcio eſſe egregiam, aſcribo: interea tamen quam ſecurus iſtic agas, utpote ſub cultro ſemper vivens, & per cineres igni ſuppoſitos incedens, facile conjicere poſſum. Eſt hoc profecto ſummæ erga Deum pietatis graviſſimæque virtutis in te argumentum, quod cum poſſis alibi ſat commode rationem vitæ componere; (cur enim minus id poſſis tu, quam alii tui ordinis?) malis te tamen tanta cum moleſtia, tanta cum animi ſollicitudine ac metu, tanto cum periculo divinæ veritatis propagationi, piorumque hominum in ea confirmationi impendere. Quod ſi tamen illius te vitæ tædium aliquando ſubeat, aut fortaſſis jam ſubierit: (quis eſt enim ita ferreo corpore, cui valetudo perpetuo inter iſta tormenta durare poſſit? cujus tamen homini Chriſtiano habenda eſt ratio, ne & ſui ipſius veluti carnifex exiſtat, & divinæ gloriæ aliorumque hominum commodis promovendis ſua ſe voluntate ante tempus inutilem reddat) ſi, inquam, illius te vitæ tædium ſubierit, & ad exemplum aliorum tui ſimilium & ipſe te alio conferre ſtatueris; velim ſane occupare de loco, teque de Dantiſcó b) mature admonere: quod cur adeo a veſtris hactenus neglectui

381

a) Male ita ſuſpicatum eſſe, ſequens epiſtola docebit, unde *Roſtochii* eum hoc tempore deſituiſſe patet. Suſpicari autem licuiſſe inde colligitur, quod ipſe *Næranus* illuc ſeſe ad tempus clam rediiſſe, ſed ob aliam cauſſam intervenientem, conſpirationem puta, præter opinionem ſubortam valde invidioſam, mox iterum diſceſſiſſe fatetur.

b) De *Nærano*, utrum eo abierit, equidem non ſatis conſtat. Cæterorum autem neminem, qui capita habebantur ſocietatis Arminianæ, illuc perveniſſe certum eſt, utcunque res comparata ſit. Quo conſilio certe *Ruarus* ipſe civitatem hanc ſedem ſibi, poſt longiorem adhuc apud *Saccium* moram ſeptem annorum interjectam, tandem elegerit, inde non obſcure perſpici poteſt.

glectui sit habitum, ut nemo ex omnibus exulibus, qui quidem in sacris populo præire possit, eo se receperit, causam dispicere non aliam possum, quam quod aliquanto longius a patria vestra absit. At quid in eo longinquum, quod maritimo itinere, quo vestri unice delectantur, intra quinque sex dies obiri potest? Et etiamsi tandem paulo longior hic esset distantia, itane tamen gravis hæc & intoleranda videtur, ut nemo contra expendat, esse illic locum, ubi cuique, quod optimum in religione videtur, sentire, & quod sentit, libere profiteri licet, atque etiam cœtus in vicinia agere? Quippe quod alibi precibus, libellis, precatoribus interpositis magno ambitu persequimini, hic in propatulo expositum est, & eo ipso fortassis non est cuiquam cordi; ut & hic verum fiat illud nequissimi Arbitri, a)

Nolo, quod cupio, statim tenere.

Deinde sunt in eadem urbe variarum sectarum asseclæ, homines curiosi, rerum novarum cupidi, & interdum magistris suis non satis æqui, a quibus concursum ad vos fore, dubium non est. Quin & nostrorum b) non paucos vobis adhæsuros existimo, cum hoc tempore vix habeant, & nec habere ex nobis possint, qui eorum curam ita gerat, quemadmodum par est. Vnde etiam credo, si tu aut alius tui similis pedem illic figeretis, nostros non contemnendam stipendii partem ad vitæ præsidium lubenter suppeditaturos. Sed quid ago, mi Nærane? dum tecum sermonem ingressus sum, vix videor mihi exitum illius invenire posse: ita suave est, dum veluti præsentem te mihi fingo, in sinum tuum tam amicum effundere, quicquid in solum venit. Et essent sane alia non pauca, de quibus tecum confabulari vellem, nisi ultra leges epistolam fere jam produxissem. Itaque abrumpendum tandem est illius filum: quod tamen facile denuo connectam, si intellexero & satis tutum & non ingratum tibi esse, literas meas recipere. Nunc nihil aliud restat, quam ut Deo ter opt. max. te commendem: quem, ut omnibus tuis consiliis dux adsit, actiones tuas fortunet, & ad nominis sui gloriam convertat, teque ipsum contra omnes insidias omnemque vim defendat, supplex ex animo etiam atque etiam rogo. Dabam Francofurti ad Oderam a. d. IV eid. Nov. cIↃIↃCXXIII.

LXXVIII.

a) *Petronii* Arbitri, quem non male ab aliis *impurissimum purissimæ Latinitatis autorem* & hominem *ingeniose nequam* appellare memini.

b) *Socinianorum* puta, hoc tempore Doctoribus, qui cœtibus præessent, diversis in locis collectis inopia laborantium; etsi asseclarum, sed qui docendi alios provinciam suscipere vel non possent vel nollent, ingens jam multitudo esset. Quorum etiam haud paucos jam tunc *Gedani* vixisse, his verbis significatur.

LXXVIII.

SAMVEL NÆRANVS M. RVARO.

Litteræ tuæ recte mihi redditæ sunt Rostochii in ædibus D. Huswedelii. a) Gratissimæ eæ mihi fuerunt, & eo gratiores, quo ex propinquiore loco missæ, qui spem facit crebriorum posthac ultro citroque missitandarum. Non est, quod metuas, mi Ruare, ne locorum vel temporis intervallum, quo disjuncti fuimus, quidquam detraxerit de amore meo tui, quem conciliarunt virtus & eruditio tua. Illæ ut conciliatrices ejus fuerunt, ita & nutrices sunt & erunt: nec metuendum est, ut hic decrescat, dum illas crescere ex non vanis argumentis persuasissimum habeo. Distuli aliquantisper responsum ad tuas meum, dum indies exspecto nautam ex Hollandia, ut plene desiderio tuo cognoscendi non tantum statum meum, sed & Ecclesiarum nostrarum, b) satisfacere possem. Ex Transyssulania nunciatum mihi est, ad concionandi officium, alicubi per conjurationis c) nuper manifestatæ turbas intermissum, Hollandos non segniter rediisse: nec decreta Ordd. contra cœtus nostros satis aspera accessione novi alicujus esse exasperata: quod tamen futurum non vane nobis videbamur augurari. Incredibile enim videbatur, tam speciosam per conjurationem istam præbitam occasionem graviora in nos statuendi dimissuros homines tam hostiliter in nos animatos. Fuit ista formido quibusdam

384

Qq 2 e nostris

a) *Conradi*: de quo ad Cent. II. ep. 26. plura exponemus, & quæ in ipsa *Hist. Crypto-Soc.* obscuriora erant, dilucidabimus, atque lacunam supra relictam heic tandem explebimus. Hoc loco nihil sigillatim commemorandum esse videtur, quam nuperadmodum, anno 1620. inclinato, eundem *Huswedelium* officium Pastoris adeptum heic loci esse, a b. *Grapio* in *Rostoch. Evangelico* annotatum legi.

b) *Arminianarum* puta, quæ licet Doctoribus & Pastoribus *publicis* præcipuis nuper privatæ essent, per universum *Belgium fœderatum* adhuc ingenti numero illic existebant, & meliora fata, utcunque sacra sua cum residuis quibusdam, qui in exilium acti non erant, celebrantes, suspirando expectabant.

c) Intelligitur hoc nomine *conspiratio* illa horrenda, in vitam Principis *Mauritii* anno 1623. a Domino a *Stoutemburg*, *Joannis Barneveldii filio*, suscepta, sed mature detecta. In quod negotium, quoniam, ut in vita *Episcopii* fatetur *Limburgius*, privati quidam homines Remonstrantes sese immiscuerant, nominatim *Henr. Slatius*, incredibile dictu est, quantam invidiam id moverit cæteris ex eadem secta, idem licet palam detestantibus, & *Stoutemburgii* vindictæ cupidinem, qua patris mortem ulcisci conabatur, execrantibus. Immo eo res redacta est, ut *Arminianorum* concionatores etiam quidam, ignari quinam e societate sua criminis istius participes essent, promitterent, se nullo ministerio seu publice seu privatim functuros, & quod adhuc recusaverant, vel tandem perficerent, nonnulli quoque sententiæ *Contra-Remonstrantium* prorsus subscriberent.

e noſtris cauſſa cogitandi de quoquam ad tempus ſecedendo ; non refragantibus Eccleſiis, quibus abunde in tantis anguſtiis videbatur fore proſpectum per eos, quibus decretum erat in patria permanere, nec commodum ea excedere. Illud ad tempus ſecedendi conſilium mihi quoque non diſplicuit : & ſi qui ſunt, quibus certum eſt in patriam non redire, donec deſæviat ibi tempeſtas, eos perpaucos eſſe arbitror. Atque ea præcipua cauſſa eſt, opinor, quod in longius disſitas regiones exſules noſtri non divertunt. Nemo longius a patria diſcesſit, 385 quam ego, quantum quidem mihi notum eſt. Pellexit me huc ſpes liberi a) religionis noſtræ in hac urbe exercitii. Accedit quod hic quoque aliqua in ſtudiis progrediendi mihi & filio meo, b) jam annum XVI agenti, ſe offert occaſio. Iſti tamen opportunitati præferrem *παῤῥησίαν*, * qua frui datur in urbe, cujus ipſe mentionem facis. Si noſtrates carere poſſent opella mea ad longum tempus, nullum ego locum præferrem iſtis *Parriſiis :* c) in quibus profectum majorem in iis, quas præ cæteris amo, literis ſperarem, quam olim feci, & noſtri hodie, credo, faciunt in Lutetianis. Sed

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Et imprimis nobis huc omni ope connitendum erit, ne quid Eccleſiæ noſtrates detrimenti capiant. Antigrotium d) ſub prælo eſſe intellexeram. Iſtam ſententiam e) facilius orbi probabitis, quam priorem illam, a tot refragantibus Scripturæ dictis extortam. Notas in V. & N. Teſtamentum f) dudum promiſiſtis, quas & ſub prælo eſſe, ni fallor,

* Loquendi libertatem.

a) Privati videlicet; de publico enim conceſſo *Roſtochii Remonſtrantibus* nihil unquam innotuit. Et ipſe quoque *Næranus* ſibi circumſpecte ob ſuſpiciones illic agendum eſſe ſub finem epiſtolæ conqueſtus eſt.

b) *Johanni Nærano :* de quo paullo poſt.

c) Dedita opera ita vocabulum hoc exſcriptum eſt a *Nærano*, ut *παῤῥησίαν*, cujus meminerat, ſuam, *Gedani*, ceu ſpes facta erat a *Ruaro*, exercendam, ſimul cum *amplitudine* urbis, alludendo ad *Lutetiam Pariſiorum*, ubi alii quidam ſociorum eadem t. t. fruebantur libertate, exprimeret.

d) *Crellii* puta de *ſatisfactione Chriſti* L. Grotiano oppoſitum : de quo ſupra jam ſæpius dictum eſt & plus ſatis.

e) Obſcura hæc verba de *Crellii*, uti ſignificatum fuerat *Nærano*, propenſione ad hypotheſin de ſatisfactione Chriſti per *acceptilationem*, accipio, a qua priores *Sociniani* adhuc abhorrebant.

f) Tantum abeſt, ut *Socinianorum* aliquis in V. Teſt. notas promiſerit, ut nunquam non ſolum in illud impreſſæ ſint, ſed idem etiam haudquaquam, tanquam Fœderis toto genere & qua ſubſtantiam a N. T. diverſi tabulas, attingere, operæ pretium exiſtimarint. Deceptus ergo eſt *Næranus*, a quocunque demum iſtam narratiunculam acceperit. Certe ſi *Brennii*, qui tamen Socinianus videri nolebat, notulas excipias perbreves, in univerſum Cod. S., ne nunc quidem talis in V. T. extat.

fallor, audivi: illas mihi mitti pervelim. Omnia prope præla typographica Germaniæ excudendis vestrorum dogmatum refutationibus fervere videntur. Non deerunt, credo, vestri suis defensionis partibus: nec in iis tua cessabit industria, a quo exspecto non vulgare patrocinium veritatis. Equidem mihi gratulor de hinc illinc ex isto hodierno argumentorum collisu exsilientibus scintillis veritatis: ad quas quin lux veritatis major etiam, quam adhuc lucet, accendi possit, non dubito. Vidi excerpta quædam e Notis Grotianis ad Matth. V. a) 386 quas si vidisses, non dubitarem, quin judicaturus esses, magnos etiam quosdam viros plus isti capiti caliginis, quam lucis intulisse. Vtinam aliquo tui simili studiorum socio frui liceret! ut volupe esset in omnia religionis Christianæ, quæ vulgo traduntur, capita accuratius inquirere, eaque ad Scripturæ normam exigere! Vix dubito, quin omnibus aliquid ex præconceptis suæ sectæ opinionibus inhæreat erroris non animadversi, quia non excussi. Mihi, quo hic & alibi suspectiora sunt omnia nostra, eo opus est agere circumspectius. Miræ tenduntur ubique epistolis eorum, qui seorsim a vulgo doctorum sentiunt, intercipiendis insidiæ: quo magis cavendum nobis est, ne capiant quod captant. Vale, Vir amicissime. Deus magis ac magis illustret oculos nostros luce veritatis, largiaturque, ut eandem fortiter, prudenter, ac fructuose profiteamur. xx Oct. MDCXXIII. Vide quæso, an bene obsignatæ hæ tibi reddantur.

LXXIX.

M. RVARVS S. NÆRANO.

Clarissime Nærane, absolvo te a metu procacium manuum: literas tuas bene obsignatas, integras, & ut ita dicam, virgines recte accepi, constantiamque tui erga me affectus in illis exosculatus sum: quem tamen nolim ex virtutis vel eruditionis meæ meritis pendere, cum utraque

a) *Nondum editis* in lucem. Sero enim, quod ad præcedentes epistolas jam observatum est, *Comment. in quatuor Evangelia Grotianus* prodiit, sed MStis adhuc. Caussa, cur *Nærano* tantopere placuerint excerpta hæc, non alia mihi procul dubio ab initio videbatur, fuisse, quam quod novis legi *Mosis* a *Christo* additis supplementis faveret. Postquam vero eam hypothesin non probari *Nærano* ex epist. sequenti octogesima didici, & calumniæ a *Remonstrantibus* avertendæ gratia id factum esse animadverti, qua premebantur a nonnullis, idem eos de Magistratu sentire, quod plerique *Sociniani*, ajentibus, laudibus nunc dignam censeo, ejus ingenuitatem, atque ex moderatiorum numero illum fuisse inde colligo. Cæterum *Grotium* jam diu ante, quam prælo subjicerentur *Annotationes* istæ, in elaborandis illis occupatum fuisse, hinc patet.

387 utraque ſit in me perexigua; niſi tu fortasſis conatui generoſo judicium tuum imputas, ſecundum illud: *In magnis voluiſſe ſat eſt.* Quæ de patriæ tuæ ſtatu narras, grata mihi fuerunt, non quod optima ſint, ſed quod pesſimis, quæ de illa mihi ominabar, meliora. Interim gaudeo tantum tibi animi, ut libertatem recte ſentiendi loquendique in ea tibi polliceri audeas, eaque ſpe conſilium tibi a me præbitum repudies; quod tamen non deſinam iterum urgere, ſi ſpem tuam, cui votum meum lubens gratificor, eventus deſtituerit. Perculit vero me, poſt acceptas tuas literas, luctuoſus rumor de immenſa maris circa patriam tuam exundatione, quæ & urbes & pagos, & in illis homines pecudesque non paucas graviter afflixerit, imo abſorpſerit. Vereor, ne iſta ſit pœna ſævitiæ in ſinceros veri ac recti cultores tot annos exercitæ; juſta quidem illa, & majeſtati numinis ita ſuperbe ſpreti conveniens, nobis tamen non minus, quam cauſa illius lugenda; qui nec Deum Opt. Max. precibus noſtris ſollicitare deſiſtemus, ut utrique metam hic ponat, ne & iſti committant amplius, quod puniri posſit, nec ipſe puniat amplius, quod hactenus fuit commisſum. Nos quoque propemodum ſub cultro hic vivimus, quod facile agnoſces, ſi cogitabis, quinam rerum in his oris nunc potiantur: a) interim non ceſſamus gnaviter hoc agere, quod noſtri eſt officii, & eventus curam ei commendamus, qui ſupra nos curat. De ſeceſſu amicorum quorun-
388 dam in Gallias, diu eſt, quod accepi: ſed quo fructu ibidem tam diu verſentur, a nemine ſatis hactenus intelligere potui: tu ſi quid habes, quæſo ne me cela. Nec enim crediderim viros tantis ingeniis, eruditione, prudentia, addo & pietate, utut odioſo vero ocium permittere, cœlorumque munificentiam ſuo tantum emolumento definire; in ea præſertim natione, quam & ingenium vividum, & inſitum novitatis ſtudium vernacula quarumvis rerum capaces fecit. Grotii illas in Matthæum notas juxta tecum valde vidiſſe vellem. Nam ſpero, nondum mihi ita præjudicio pectus occalluiſſe, ut nihilo rectius horno ſapere posſim, quam anno feci, ſi qua veritatis aura purior mihi aſpiret: cujus rei, ſi voles, periculum facias licet. Idem & de quibusdam amicorum meorum tibi recipio. Notas in V. & N. fœdus amici cujusdam mei qui-

a) Non credo *hoſtes* externos innui; bellum enim, quod *Boruſſiæ Polonorum* grave fuit, Suevicum, anno 16 6. demum cœpit, ſed *Eccleſiaſticos*, inprimis vero Pontificios. Quanquam etiam ad bellum illud triſte, quod ex *Bohemicis* motibus ortum fuit, *Ruarum* reſpexiſſe veriſimile ſit; id namque in *Sileſiam* vicinasque terras tranſlatum *Saccianis* etiam prædiis ex vicinitate grave fuiſſe, rationes temporum & locorum docent.

quicunque ſub prælo eſſe dixit, videat qui fidem ſuam tibi præſtet. Nimirum tantum nobis hactenus negocii ab inquietis a) ingeniis faceſſitum fuit, ut ad id genus ſcripta expolienda, quæ tamen longe utilius publice proſtarent, parum ocii ſuperfuerit: unde neſcio, an gratulari nobis debeas, omnia præla typographica tantopere contra nos fervere. Me certe quod in campum illum vocas, propemodum fruſtra es: nec enim

Auxilio tali, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget,

qualis ego, aut neſcio quis Marrucinus mei ſimilis; quem, ſecundum proverbium Græcum, conſultius eſt, Φαλακρὸν ὄντα κατὰ κριῦ μὴ νυστάζειν ἀντὶ πρόσωπον. * Quin ſi quid poſſem tandem extundere, quod ferret oculos ſæculi tam eruditi, in alio potius ſcribendi genere minus vehementi ingenium occuparem, quod natura fere mite mihi dedit, & a palæſtra alienum. Sed quid tu, mi Nærane? nihilne cudis nobis boni? nihilne ab iſto tuo ingenio tam præclaro atque excelſo in publico aliquando videbimus, quod una nobiſcum ſera poſteritas admiretur? nec enim adeo negligentem publici te credo boni, multo minus ita invidum, ut ſepulta tecum aliquando velis, quæcunque cum iſto ingenio, indefeſſo tot annorum ſtudio, in omni doctrinarum genere, tibi acquiſiviſti: quæ ſi tu fortaſſis in nonum aut amplius annum premere ac limare cogitas, interea liceat ſaltem nobis amicis ſpe futuri in ſinu gaudere, & auxiliari votis, ut pulcherrimum fœtum felici puerperio enitaris. b) Sed quicquid de illo ſit, non deſinam tamen pro te

389

* Cum calvus ſim, contra arietem adverſa fronte non nutare, id eſt, cum fortiori non concurrere.

a) Si ea fuit cauſſa & quidem ſola, cur poſtea a V. T. illuſtrando prorſus abſtinuerunt ſodales, cum plus otii eſſet datum. Ingenue magis videtur, quid ſentiret, profeſſus *Smalcius*, qui, *parum curandum eſſe, quid dicant de cultu DEI Prophetæ V. T. neque diſcendum eſſe hodie cultum DEI a Prophetis*, palam pronunciavit. De N. T. facilius id credimus, quia de explicatione ejus ſolicitos fuiſſe Socinianos & *Crellium*, cum *Wolzogenio* atque *Slichtingio*, accedentibus *Andr. Wiſſowatii* ſupplementis, integrum fere Commentarium multa eruditione, ſi errores intermixtos excipias, refertum dediſſe, quem Bibl. Frr. Polon. exhibet, ſatis conſtat. Et quidem, cum hos etiam labores poſt id tempus lucem demum vidiſſe, nemo neſciat, huic ante ſtudio, ob perpetua certamina, vacare non potuiſſe, credibile eſt.

b) Vtrum ſcriptum aliquod *Næranus* Theologicum elaboraverit, & cujus argumenti id fuerit, nihil omnino proditum eſt eruditorum monimentis. Hoc tamen non ignorare nos non patiuntur, qui fata doctorum deſcripſere virorum, Carmina ejus, quæ extant, nominatim epigrammata, jam anno 1610. in publicam lucem data, applauſum eruditi orbis dudum meruiſſe. De quibus epiſtolam *Iſ. Caſau-*

te precibus ambire Dei Opt. Max. aures, ut consiliis tuis omnibus benigno numine adsit, eaque dirigat in illum scopum, quem tu sine dubio pro tua pietate semper ob oculos tibi ponis. Tu si idem pro me feceris, magni id beneficii loco reputabo. Vale, mi Nærane, & quos videbitur amicos meo nomine saluta. Dabam in Mœstichiano a) nobilissimi Casparis Sacci pr. Kal. Martii Gregoriani, cIↃIↃcxxiv.

LXXX.

390

S. NÆRANVS M. RVARO.

ORnatissime atque amicissime vir, Non videntur nostrates zelotæ ullis indiciis iræ divinæ terreri, ullis eluvionibus, hostium incursionibus sane quam terribilibus, qualis fuit nupera illa in Velaviam, cohiberi, quo minus sæviant in innoxios. Amstelodami nuper capti duo ex fratribus: alter eorum est D. Vesetius, b) qui in Synodo Dordracena forte tibi notus est, erat enim ex xv viris; alter est D. Cupus c) Woerdanæ olim ecclesiæ minister. Abducti sunt illi de nocte (forte enim de die per interceptores non licuisset) Louvesteinium, & cæteris ibi detentis fratribus d) additi. Si augetur ita magis ac magis captorum fratrum (quod Deus avertat) numerus, erit nobis de reditu in patriam

boni inter Remonstr. Epp. n. 142. locatam consulere non pœnitebit. Ex qua etiam, inter primos *Arminii*, dum viveret, & *Lugd. Bat.* cum applausu doceret, adstipulatores atque discipulos fuisse, colligere licet.

a) Vid. supra epist. 18. fin. & H.C. S. C.II. extremo.

b) Non erat *Vesetii* viro huic docto pro *Arminii* partibus stante, sed *Bernheri Vesekii* seu *Wezekii* nomen. Idemque postquam ante *Pastoris* in *Geldria Echteltanæ* Ecclesiæ munere perfunctus erat, una cum cæteris, *Synodi Dordracenæ* decreto, in exilium pulsus, in vicino *Belgio Hispanico* atque *Gallia* latitaverat, nuper autem *Amstelodamum*, venia nondum impetrata, redierat.

c) *Petrus Cupus:* Qui non fuerat cum reliquis excedere e Belgio fœderato, d. 6. Julii anno 1619. a Synodo jussus, sed tamen paullo post, una cum aliis, qui *Rotterodamum* convenerant, (quos in vita Episcopii enumeratos vide f. 248.) variosque illic articulos, ut finita Synodo Ecclesf. inservire possent, conceperunt, in exilium missus legitur, eademque, quæ *Vezekius* fata, quod & ipse sine venia data reversus esset, est expertus. Ad quæ penitius pernoscenda epistola, quæ conferatur, digna *Cupio* consolationi destinata & a *Sim. Goulartio* scripta, in epist. Remonstr. n. 419. habetur. Post superatas fortunæ adversæ vicissitudines Roterodamensis tandem cœtus Ministrum factum esse aliunde demonstratum est.

d) Ex quo tamen, posteaquam *Grotius* uxoris arte fideque dudum jam evaserat, & illi (solo *Poppio* excepto, qui in carcere obiit,) sero tamen anno 1631. nominatim *Carolus Niellius*, *Simon Lucæ Byssterus*, *Theodorus Boomius*, *Paullus Lyndenius*, *Arnoldus Geesteranus*, cum *Vezekio* & *Cupo* opera militis cujusdam & scaphæ, in quam ex muro descenderant, tandem eruperunt.

patriam cogitandum. De fratribus in Gallia a) degentibus quod quæris, certo non ſcio. D. Tilenum, b) quem noſtrum eſſe non ignoras, ſcio id agere, ut editis Gallice libellis Calvinianos Gallos a ſententia ſua rigida de Prædeſtinatione & ei annexis demoveat. Et intelligo id eum agere non ſine ſucceſſu. Cæteri fratres idem, credo, agunt, & Remonſtrantismo propagando inibi ſtudent, incerti adhuc, ubi ſedem fixuri. Allatæ mihi ſunt a D. Epiſcopio litteræ Lutetia, in quibus ſcribit inter alia: *Nos hic favore & gratiæ Regis fruimur: nec dubium, quin libertate etiam fruituri eſſemus, niſi tam ſibi a nobis metuerent* 391 *Catholici quam Calviniani. Interim pro veritate & bona cauſſa noſtra facimus quicquid poſſumus.* D. Grotii notæ in Matthæum agunt de judiciis publicis capitalibus, de vi, an ea vim repellere Chriſtianis & quatenus liceat, de bello &c. Concludit ut in poematis ſuis,

Cœlum niſi bella coacta
Non probat,

Et ea demum pia eſſe arma, quæ neceſſaria, hoc eſt, quæ capiuntur ad evitanda mala armis graviora. Putarem D. Epiſcopii ſcripta & D. Grotii notas aliquid momenti adferre poſſe ad quosdam veſtrorum deducendos a ſententia illa, quæ ſtatuit Chriſtiano magiſtratui illicitum eſſe fundere ſanguinem facinoroſorum. c) Non dubito, quin de ea ſententia, cujus quidam a noſtris inſimulantur, ſuſpicio multum noſtræ cauſſæ obſit. Ejus ſi convinci poſſemus, proditionis patriæ convictos nos tenere ſe adverſarii noſtri opinarentur, quæ ſine bello defendi non poſſet. Tam tibi, quem puto moderatius ſentire de iſtis capitibus, quam quibusdam e veſtris optabam lectionem iſtarum notarum: quanquam nihil eſt forte, cur tale quid optem, quaſi tam oculatorum oculos argumenta fugerint, quæ iſtam ſententiam, quæ communis fere Chriſtianorum eſt, fulciant. Non poſſum ego adduci, ut credam aliquem ex Evangeliſtis prætermiſſurum fuiſſe ea, quæ cap. V. Matth. ſcripta ſunt, ſi ibi medulla doctrinæ Chriſtianæ contineretur, 392 ut quibusdam videtur. Qui nobis recenſent & repetunt ea, quæ mul-

a) *Epiſcopio, Vytenbogardo, Grotio, Goulartio, Corvino* & reliquis.

b) Nuper admodum in caſtra Remonſtrantium transgreſſum, *Sedanenſem* antea Prof. tanto magis a cæteris Remonſtrantibus exinde æſtimatum, quoniam primus olim contra Arminium inter exteros ſcripſerat: de quo ſuperius jam quædam annotata ſunt.

c) Quales ſunt poſt *Socinum*, rigidiores *Oſtorodus, Smalcius, Volkelius, Stegmannus jun. Wolzogenius:* qui poſtremus tamen h. t. nondum ſcriptis eam in rem editis innotuerat, vehementiſſime autem omnium deinceps pro hac ſententia propugnavit.

to minoris momenti ſunt, ab aliis etiam narrata, non videntur fuiſſe ſuperſeſſuri narratione concionis, eam partem doctrinæ Chriſti continentis, quæ ejus doctrinam a doctrina V. Fœderis diſcriminat. Et quemadmodum veſtri mihi longe falli videntur in eo, quod ſtatuant moralium præceptorum numerum a D. Jeſu eſſe auctum; ita non minus mihi falli videntur, cum negant, vitam æternam ſub V. Fœdere fuiſſe promiſſam. a) Videtur mihi locus Act. XXVI, 6. 7. 8. collatus cum XXIII, 7. in terminis, quod ajunt, iſti ſententiæ contradicere. Libenter ex te intelligo, eſſe præter te etiam alios, qui opere ipſo, id eſt, diſſenſu ab aliis oſtendunt, ſeſe non juraſſe in ullius magiſtri verba. Vacuus ille a præjudiciis animus haud dubie admittet veritatem etiam monſtratam in quibusdam ab illis, qui in aliis tam craſſe videntur errare, ut vix capaces videantur veritatis alicujus, ad quam dignoſcendam opus ſit limatiore judicio. Præla quod multa in refutatione quorundam veſtrorum dogmatum excudenda ferveant, ideo vobis gratulandum eſſe puto, quod dum veritas magis magisque & ſolidius confirmatur & examinatur, putem veſtros quoque poſſe facilius conſpicere quædam, quæ nondum videntur conſpexiſſe: & anſa ipſis ſubmi- 393 niſtratur, veritatem in aliis confirmandi & latius diſſeminandi. Quod cogitas de te huic pugnæ non admiſcendo, fruſtra, puto, es: nec ſinet te amor veritatis, tuo judicio oppugnatæ, & laborantis forte etiam, ſubterfugere hoc certamen. Plus enim negocii undique vobis exhiberi puto, quam ut cuiquam veſtrum a talibus negotiis liceat feriari: nedum tibi, qui utut tibi ipſi videaris ex poſtremis, talis non videberis primipilis veſtris, qua ſunt judicii acrimonia. Eſt autem & hoc interdum modeſtiæ, judicium ſuum non præferre judicio aliorum de ſe ipſo; ſaltem hactenus, ut non detrectemus ſuſcipere patrocinium bonæ cauſæ meliore patrocinio deſtitutæ.

Hic nonnihil deeſt.

LXXXI.

a) Eadem cæterorum quoque *Remonſtrantium*, ipſiusque adeo *Epiſcopii*, ſententia fuit; Ita tamen, ut quod alias etiam plerumque ſolent, mediam in hac quoque doctrinæ parte viam ineant, *obſcurioremque* fuiſſe *promiſſionem illam* in V. T. ajant. Quæ utrum & *Nærani* mens fuerit, non definimus. Veriſimiliorem certe hanc eſſe hypotheſin, & ad verba 1 Joh. II, 25. explananda maxime idoneam, nemo, credo, modeſtiorum Theologorum diffitebitur. Vtut forte defuturi non ſint, qui in ll. cc. *Act. Apoſt.* non tam de promiſſione V. T. quam de Phariſæorum recepta perſuaſione undecunque accepta agi, exiſtiment.

LXXXI.

M. RVARVS RHENANO. a)

ACcipio confeſſionem ſilentii a te orti, Rhenane eruditiſſime; cui niſi iniquitas temporis patrocinaretur, non levi utique brachio mihi caſtigandus eſſes. Quod in patriam cogitas, vellem equidem uti bonis avibus: ſed nondum mihi liquet, qua in ea conditione futurus eſſes, quave lege: an ut religioſi ſilentii ſponſione uſum publici redimas, an ut in aliquo puteo ad exemplum boni illius Athanaſii delitescas; quorum quidem neutrum mihi ſatis arridet. Invitarem te has ad oras, in quibus ipſe nunc dego, (dego autem extra Germaniam, b) in illius tamen vicinia) niſi tu ipſe periculum aliquod hic nobis metuendum inculcares: quod ego tamen, (ut verum fatear) non admodum adhuc formido. Magis ego ſane Acignios, c) qui viciniam noſtram turbant, metuo, ne forte tam ſecundo rerum ſucceſſu elati, ambitionem ſuam huc proferant, & iisdem injuriis, quibus nihil jam non pervium eſt, in nos deſæviant. Creſcunt enim indies illis a fortuna animi; adeo ut & ſummis quibusdam in vicinia principibus minari jam credantur, imo & ferantur. Huc ſcilicet illi Arioviſti atque Arminii nepotes d) ceciderunt. Quod ſi tamen fortunam nobiscum periclitari tibi libuerit, omnem tibi benevolentiam, non a me tantum, quem tuis commodis jam pridem devotum noſti, ſed & ab illis, apud quoscunque cohortatio mea aliquid poterit, ultro promitto. Vivunt jam

394

a) Obſcurum hoc nomen eſt, quemadmodum & ipſa epiſtola quædam continet, quæ ænigmatum ſimiliora ſunt, quam hiſtoriarum. Si quid conjecturis aſſequor, amicus ille fuit in vicinis Mechlenburgicis terris vivens, & *Arminianorum* placitis favens, a *Socini* autem doctrina alienus, & Evangelii veritatem, cum admixtis quibusdam ſingularibus opinionibus, profeſſus. Epiſtola eo tempore ſcripta videtur, quo Francofurtana Academia aliquando diſturbata fuit, quanquam editores filii, huc ordine epiſtolam hanc quando retulerunt, ad *Racovienſis* magis *Scholæ* diſſipationem videntur reſpexiſſe. Cætera cum ignarisſimis ſcimus.

b) In *Mœſtichiano*, ut arbitror, *Caſp. Sacci*, Germaniæ maxime vicino. Habeo enim, quo minus de *Straszinio* accipi poſſe putem, dubitandi cauſſas.

c) *Suecos*, ſub id tempus *Boruſſiæ* graves intelligerem, niſi *Acignios* hos Regibus oppoſitos, iisdemque formidabiles, noſter diceret, quæ in *Polonos* magis conveniunt eorumque Rempublicam, nobilitatis præſertim fortitudine numeroque ſpectabilem. Vtrumque incertum eſt, & ſequentia magis *Suecis* congruunt.

d) Ad gentem hæc non videntur quadrare Germanicam, contra Romanos olim ducibus hiſce viris fortisſimis belligerantem; ſed *Polonorum* aut *Suecorum* animos & bellicam fortitudinem, vetuſtisſimis illis Germanorum heroibus non disſimilem.

jam nobiscum in hac aula a) duo optimarum artium professores b) ex vicino incendio elapsi, viri inculpatæ vitæ, & divinarum humanarumque rerum scientissimi. Misera profecto rerum est facies: cui nisi divinum numen aliquid opis e machina attulerit, actum est. Quod existimas magis magisque nos vestros potius, quam vos nostros fieri; tu vero rectius nos jam esse diceres. Si enim plerosque tuorum respicias, concedes fortasse nobis, ut cum Apostolo gloriemur, *quod plus vos diligentes minus diligamur:* atque ita sane vestri magis sumus, neque id diffite-395mur; cum nihil vos minus videri velitis. Sed alio tu sensu nos vestros evadere censes, quippe quia sententias de religione vestras magis magisque indies consectemur. At eo respectu vos magis etiam nostros ausim dicere. *Si enim omnia nostra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas;* quidni Arminius c) noster sit? servus scilicet & ipse Jesu Christi: apud quem si quid Magistri deprehendimus, id nobis non arrogamus ut alienum, sed ut nostrum vindicamus, qui membra sumus Catholicæ illius Ecclesiæ, quæ ab aliis quidem in factiosa nomina discerpitur, nobis tamen una est. Quanquam possem interrogare, unde tibi constet, Commentatores d) istos, quos mihi obducis, aliter quondam de istis quatuor capitibus ac nunc, aut nos cæteros, quos cum illis vobis jam propius accedere putas, idem nunc quod illos sentire? Noli quæso fortunam nostram ex aliorum superstitione æstimare, quasi nihil præter antecessores nostros sapere aut desipere audeamus. Sive enim eadem, sive alia commentatores nostri prodiderunt, sive etiam vitula vestra araverunt, non existimo ullam nobis notam propter-

a) Nunquam, quod meminerim, in aula Principis alicujus, aut Regis vixit *Ruarus*. Non igitur dubito, quin *Casp. Saccii* illa, viri opulentissimi, & splendidissime cum suis viventis, *Mæstichiana* intelligenda sit. Nisi quis *Ivanicianam*, coll. epist. 73. sub initium, intelligere malit.

b) *Francofurtani*, ut opinor, ad Oderam, occupata aliquoties anno 1626. 1629. & 1631. urbe aliquoties, diffugientes, atque receptum amicorum quærentes. Ad Racovienses dilapsos anno 1638. non commode vox *vicino* quadrat.

c) Hoc nomen in caussa fuit, ut crederem, *Jacobi Arminii*, Rhenanum hunc, quisquis de reliquo fuit, placita approbasse. Militari enim sensu nomen hoc accipere prohibent scopus præsentis epistolæ, verborumque proxime præcedentium, quibus de concordia in religionis negotio actum erat, & porro etiam agitur, consideratio.

d) Non alio, puto, sensu vocabulum hoc usurpari in præsenti oratione, seu epistola, quam, quo *scriptorem* etiam denotat, quem de aliqua re commentatum dicimus. Cujusmodi plurimi hac tempestate extabant ex utraque *Socinianorum* atque *Arminianorum* parte, maximam tamen partem Polemici, commentariorum vero in Scr. S. aut nihil aut perexigua, ut *Fausti Socini* in 1. epist. Johannis, Exegeseos Sacræ specimina.

propterea extimescendam, cum nihil magis Christianum hominem deceat, quam γηράσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον. * Venio nunc ad illud, in quo nos nimiopere a vobis abesse doles, serioque mones, ut de ratione, qua propius vobiscum conjungamur, accurate cogitemus. Videmur tibi non agnoscere (quod animus horret eloqui) Jesum esse Dei viventis filium, quoniam divinæ eum naturæ participem negemus, quæ tibi maxime propria τῆς ὑιότητος ** ratio videatur. Possem regerere, non negare nos, Jesum etiam in terris adhuc agentem, nedum nunc, divinæ naturæ participem fuisse, ut in quo tot virtutes, sive qualitates divinæ a) reluxerint, ut ob eas jam tum quoque in divina forma fuisse legatur. Posse vero quem ob divinas, quæ illi insint, qualitates naturæ divinæ participem dici, ex notissimo Petri loco in Epistola posteriori capite primo cuilibet patet. Sed si Tarnovius in contrarium, quod alicujus sit momenti, affert, id ob oculos huc te mihi produxisse optarem. Mihi enim liber illius b) non amplius est ad manum: & si licet ἐξ ὀνύχων τὸν λέοντα κρίνειν, *** ex iis, quæ olim in illo legi, non tanti mihi visus est, cui nummos iterum habeam impendere, qui tot aliis bonæ frugi libris ob inopiam carere cogor. Ac ne ille quidem hæreticorum catalogus, c) in quo sententiam tuam recenseri ais, unquam mihi visus fuit, tantum abest, ut, cujus coloris sit, norim, teque rogo, ut nomen auctoris mihi indices, quo tanto melius in eum inquiram. Miror altum S. literarum de illa tua sententia silentium, d) quæ tamen si vera est, ut tu ipse innuis, ad salutem, ut sciatur, non parum est necessaria. Est autem id tanto magis mihi mirum, quod cum

396

* Multa assidue discendo consenescere. ** Filiationis.

*** Ex unguibus leonem cognoscere. Proverbium.

a) At de his non disputatur, quando de Jesu Christo, *Filio DEI* disquiritur; sed de *essentia* & *proprie sic dicta*, propter quam & μονογενὴς dicitur atque proprius DEI filius, *generatione*, ex substantia Patris Hebr. I, 3. Quicquid ergo de qualitate in medium profertur, extra oleas vaganti sycophantiæ, pæne dixerim, simile est. Neque etiam illud *posse* huc congruit, ex loco *Petrino* applicato: quoniam, si vel maxime de indole verba illa interpreteris, quod multi negant, Christo tamen unigenito *DEI Filio*, hoc ipso notionem illam convenire liquet, quia naturam illam nobiscum communem haberet.

b) Procul dubio de *SS. Trinitate*, Sociano oppositus, Rostoch. anno 1625. 4ta forma ed.

c) Forte *Schlüsselburgianus*, cujus Pars I. Antitrinitarii opposita est, deque Christo Filio DEI naturali, h. e. ex substantia patris ab æterno nato, ex professo disputat.

d) At ego potius miror *Ruari* ἀβλεψίαν hanc Christi originem æternam ex Ps. II. Mich. V. Joh. III. Luc. I. Rom. I. & VIII. Hebr. I. & VII. ubi secundum eam naturam ab hominibus distinguitur, & ἀμήτωρ, cum patrem habeat, dicitur, non vidisse.

cum & de conceptione atque ortu, itemque præstantia Christi divina, & de Dei erga genus humanum benevolentia atque studio, non semel 397 & alicubi satis prolixe ab Evangelistis atque Apostolis agatur, non videantur id, quod & ad constitutionem naturæ Jesu Christi, & ad Dei erga nos φιλανθρωπίαν * celebrandam tantopere faciebat, pede tam sicco ullo modo præterituri. Deinde dici non potest, quantum & solatio nostro in malis, & salutis spei, ad quam communitas similis in Christo naturæ nos erigit, a) quid item conatui nostro ad vitam secundum regulam atque exemplum Christi agendam, imprudens quidem, ut existimo, sed tamen adimas atque subducas. Sed & ulterius mihi vide, quam apposite divinam illam, quam fingis naturam, non modo affectibus humanis, sed & aliis naturæ nostræ infirmitatibus, earumque emendationibus, & profectui in melius, b) quæ omnia Christo mysticis in Literis attribuuntur, subjicias. Tristatus enim fuit Christus & turbatus animi, metuit sibi, miratus est, a diabolo tentatus, quædam ignoravit ac didicit, profecit sapientia, crevit spiritu, obedivit matri, nedum patri, preces ad *Deum* fudit. Quæ singula, ut in ipsam naturam divinam ceciderint necesse est, siquidem animæ eam loco c) in Christo esse velis. Denique quorsum opus fuerit, ejusmodi in Christo, qualem tu vis, naturam existere divinam? An quicquam est in triplici illo munere, quod cum S. literis merito illi tribuimus, quod ab ejusmodi Christo, qualem nos agnoscimus, exspectari aut peragi nequeat? Satisfactio enim pro delictis nostris, qualem vos 398 docetis, quæ non solutione integri debiti, d) sed acceptilatione quadam

* Amorem erga homines.

a) Quasi vero posita divina in Christo natura seu essentia, altera, quam assumsit filius DEI, caro factus, i. e. humana tolleretur. *Paullo* certe Rom. IX, 5. utramque conjungere, & alteram ab altera simul per particulam διακριτικὴν, *secundum* carnem (quæ frustranea alioquin fuisset,) discernere, ita visum est necessarium, ut maximam hinc, Judæis præsertim, prærogativam, totique humano generi firmissimum solatium derivare non dubitarit.

b) Aut dissimulat *Ruarus*, aut, quod vix crediderim, turpiter ignoravit, quæ sit humanæ naturæ status κενώσεως, a *Paullo* Phil. II, 3. sqq. descripti, ratio & conditio.

c) Animæ loco si divinam Christi naturam fuisse existimavit *Rhenanus* ille, *Apollinaris* sententiam pridem explosam approbans, viderit, quo pacto eam defendere potuerit. Sin minus, naturam ipsam cum humana in Christo male confundi, quis non videat?

d) Hæc ipsa verba omnium luculentissime, *Rhenanum* hunc a *Remonstrantium* partibus non alienum fuisse, docent. Ipsam vero acceptilationem vel solo vocabulo δικαιώματος refelli posse, jam alibi demonstratum est. De reliquo non meri hominis dignitatem ad ἰσόῤῥοπον pretium DEO exhibendum pro delictis nostris sufficere aut suffecisse potius, ad nos τιμῆς a divina in peccata peccatoresque ira haud qua-

dam sub obedientiæ gratæ conditione peragitur, etiam ejusmodi homini divino, qualem nos Christum fatemur, committi poterat.

Reliqua desunt.

LXXXII.

EX M. RVARI AD JOANNEM NÆRANVM EPISTOLA.

Gedani IV Maji, CIↃIↃCXXXVIII.

CVm ante triduum hucusque scripsissem, interea nuncium e Comitiis affertur de acerbo in Racovianos decreto. a) Tres adolescentes seu pueri per petulantiam, illi ætati atque nationi vernaculam, imaginem Christi crucifixi in finibus Racoviæ insciis omnibus lapidibus petitam dejecerunt. Ea satis magna caussa visa est, cur & Ministri Ecclesiæ illius & Magistri scholæ omnes extra Poloniam in exilium agerentur, scholaque ipsa atque typographeum tolleretur: immo Palatinidæ Sienienio ipsi capitis periculum intentatum est, quod vix jurejurando innocentiam suam testatus evasit. Et qui scimus, quid decreto, cum scriptum edent (quod durantibus comitiis obtineri non potuit) annexuri sint ii, qui rerum nunc potiuntur? Hæc est illa pietas istorum. quos iste propinquus tuus, quem in literis tuis notas, pro legitimis fratribus olim agnoscebat.

LXXXIII.

JOANNES NÆRANVS b) M. RVARO. 399

SI vales, bene est, Præstantissime Ruare; ego valeo Dei gratia. Sed longe

quam finita redimendos, uti peccatoris ipsius & peccatorum cum DEO collatorum, DEIque honorem lædentium, natura demonstrat, ita Script. loca, quam maxime confirmant, quibus *Filium DEI*, ab hominibus meris distinctum (Hebr. VII, 28.) eumque ipsum quoque DEVM (Act. XX, 28. Col. I, 13. 14. seqq. - - 20.) illam tam pretiosam ἀπολύτρωσιν per ἀντίλυτρον præstare potuisse atque præstitisse, identidem, cumprimis vero 1 Petr. I, 18. 19., affirmatur. Quod iterum iterumque data h. l. nova occasione, & ad scrupulos *Ruari* amovendos, monere visum est.

a) De eo in Comitiis Warsoviensibus facto atque promulgato, ac Gymnasii adeo *Socinianorum Racoviensis*, cum Typographeo & Ecclesia, eversione hoc anno 1638. peracta, ipsaque etiam occasione h. l. commemorata, plenior extat narratio in *Vita Wissowatiana*, & a nobis quoque supra jam in H. C. S. cap. II. lit. R. repetita inde atque excerpta legitur.

b) *Samuelis* filius, idemque ille, cujus tanquam adolescentis pater epist. 78. meminerat, *Veteramnensium* in Batavis h. t. Pastor, Remonstrantium doctrinæ addictus: quam ob rem exosæ *professionis hominem*, ad *Abr. Heydanum*, quum an. 1656. scriberet, se appellavit in *Epp. Remonstr.* n. 604. & p. p. in *vicino pago* (*Oudewater* videlicet) *ministrum se agere apud Remon-*

longe optimus & carisſimus pater meus, a) acuta febri confectus, maximo cum dolore noſtro fatis conceſſit, & ingens ſui deſiderium mihi meisque reliquit. Occupavit nos luctuoſus iſte caſus adoleſcente Decembri, cum ego infelici Antiſtitum noſtrorum decreto ſacrorum cauſa recens in Friſios transvectus, iſtic ingruente gelu ſolito maturius veluti fato obſiderer. Cui ego, penetrante tamen ad me nuncio tandem, magna mole obnixus, ab ultimis Friſiis in pedes me conjeci, cum neque equis neque velis tranſitus pateret: atque oram omnem maritimam, longumque Geldriæ ac Tranſiſſulaniæ tractum permenſus, ſeptimo itineris & obitus paterni octavo die Amisfurtum attigi, cum non multo ante terræ mandatus eſſet eodem die. Sic ingenti labore ad luctum & lacrymas properavi: in quibus necdum ſatis colligo animum, quando, quo ſim orbatus patre, repeto mecum. Homo nempe ſum; humani a me nihil alienum. At forſan id ipſum non ſatis fuerit cum ratione, ſi naturæ inſtinctus, & caritatis intimæ affectus, in tanta clade mox conticeſceret ad nutum intempeſtivæ rationis. 400 Divinis tamen placitis utcunque etiam acquieſco: & hoc confert mihi tam propinquum domi exemplum humanæ fragilitatis, ut fluxas & futiles hujus vitæ ſpes opesque magis jam contemptim habeam, serioque me comparem ad moriendum. Faxit modo Deus rerum arbiter, ut paternis veſtigiis inſiſtens conſtanti gradu erumpam in venæ melioris ævum: in quo parentem meum, virum profecto, ſi fas eloqui, caſtigatiſſimæ probitatis, plena animi fiducia conſtituo. Et hæc quidem pro affectu & dolore meo minime, omnino pro tempore & inſtituto hic ſufficient. Novi jam nihil ſperamus ex illa olim tam fœcunda officina, b) poſtquam obſtetrices illæ ingeniorum formulæ, c) manibus excuſſæ, diſturbatum Eccleſiæ ſeminarium, d) & velut proſcripta ſunt & profligata ſtudia. Incrudeſcit enim rabies, invaleſcit potentia iſtius factionis, cui hoc eſt inter prima officia pietatis, diverſos ſibi, quantumvis innoxios, nullo non perfidiæ & ſævitiæ genere exſcindere & delere funditus. Quare Nigrini e) vel ſtuporem demiror,

ſtrantes addidit. Ejus epiſtolæ in Collect. ante memorata extant tres n. 604. 608. & 610. in quarum poſtrema characterem animi præfervidum, & cumprimis in *Hornbeckium* odio agitatum, paullo liberius patefecit.

a) Idem ille, de quo antea, & ſuperius ad epiſt. 77. copioſius dictum eſt, *Samuel Næranus*.

b) *Racovia*, de cujus fatis in præcedente epiſtola actum erat.

c) Typographeum Racovienſe, *Sebaſtiani Sternacii* opera ad extrema hæc fata usque fervens, ingruentibus autem illis direptum.

d) *Gymnaſium*, quod Racoviæ floruerat.

e) *Bartholomæi* iſtius, quo de ſupra ep. 60. apoſtatæ, & jam de concordia quadam,

ror, vel pravitatem deteſtor, qui iſto rerum articulo hominum genus ἄσπονδον, * intractabile, & infidum, candide ſerioque de pace acturum cum adverſariis toto velut cœlo diviſis, & jam fractis ac pene fatiſcentibus, vel ipſe ſperet, vel ſperare velit alios. Cœpti iſtius hunc exitum exſpecto, ut autor pœniteat, aut ingenium prodat. In Galliis fertur idem moliri Grotius: nec omnino abſimile vero eſt, ſi cum hoc rumore ſcripta ejus a) noviſſima conferantur. Negotium id geri audio Rege conſcio & Cardinali b) calidiſſimo, qui videtur ſpectare ad defectionem a Sede Romana, & primatum forſan Gallicum meditari. Pontificis certe auctoritas ibi multis modis evileſcit. Fuerunt e clero, qui publice declamaverunt de ſyncretismo: & nonnulla doctrinæ capita, de quibus acerrima digladiatio, illuc accommodaverunt, ſenſu alieniſſimo a receptis placitis Pontificiæ diſciplinæ. Sed contumelioſe reclamabant noſtri Calviniſtæ, & novos illos magiſtros, tanquam impoſtores, averſabantur. Grotii conſilia diſturbarunt fortaſſe turbæ Anglicanæ, c) quæ Puritanorum conjuratione magis magisque efferveſcunt: & ſi vates omnino vanus non ſum, in civilem lanienam erumpent, cui jam præludunt Hyberni. Ea niſi in Anglia eveniſſet rerum converſio, creditur ad negotium ſarciendæ concordiæ, gentis ejus Epiſcopos, d) non omnino ab ea cogitatione abhorrentes, fuiſſe ſollicitaturum. Nunc ego ſic animum induco, aliud Grotium, aliud ejus ſocios ſpectare, homines ambitioſos, & regnandi avidos,

* Irreconciliabile, fœdifragum.

uti ex hac *Nærani* epiſt. anno 1642. ineunte ſcripta, elucet, conſilia agitantis, Regique ſuggerentis; ex quibus *Thorunienſe* tandem *Colloquium*, quod *charitativum* vocari volebat, natum eſt.

a) Irenica: Quæ qualia fuerint, ſuperius jam docuimus; hoc autem loco, neque *Remonſtrantibus* ea probata eſſe, animadvertimus, quemadmodum & *Socinianis* præpoſterum illum pacificandi cum Pontificia Eccleſia conatum diſplicuiſſe oſtendimus. Compendium præjudicatarum opinionum *Grotii*, ſi deſideres, confer, quæſo, ejus ad *Epiſcop.* epiſt. in Epp. Remonſtr. n. 417. poſitam.

b) *Amando Richelio*, hoc ipſo anno 1642. adhuc labente mortuo: quem non multo poſt anno 1643. Rex ipſe Ludov. XIII. mortalitate depoſita ſequutus eſt. De conſiliis *Richelianis*, & methodo diſputandi, qua ad Eccleſiam omnia propemodum (cæteris miſſis) revocanda cenſuit, & ſtudio cumprimis pacem inter diſſidentes conciliandi, operaque *Mileterii* & *Grotii*, eidem obſtetrices manus præbentium, vid. *Heidegger. in Hiſt. Pap.* §. 218.

c) Inter Regem *Carolum I.* & Senatum Regni, quem Parlamentum vocant, exortæ & in bellum inteſtinum tandem erumpentes, cujus quæ cauſſæ fuerint, haud diſſimilem inter Presbyterianos & Epiſcopales conciliationem in liturgia ſpectantes, quemve exitum ea res habuerit, notiſſimum eſt.

d) Conf. Cent. hujus I. ep. 37. extremam.

401

avidos, si quid veri habent indicia, nec bona fide Christiano orbi concordiam curare; adeoque spem istam Grotium persequi inani plane conatu, præsertim quia altera partium inconsulta, & sibi etiam totique isti causæ infesta, rem adeo difficilem & hoc sæculo odiosam a) molitur. Sed rectius ego judicium non interpono meum ignotæ tracta- 402 tioni, cujus me origo & ratio latet. Cum Papa quidem, nisi, quod fiet nunquam, Papam ejuraverit, & fasces posuerit supremæ dictaturæ, frustra transigimus. b) Sed Cassandri posteritas, & plures in Galliis meliorum partium Pontificii, ipsi juxta ac nos Papalem tyrannidem perosi, quorum Grotius haud dubie voluntate nititur, præberent se forsan tractabiles, si qui agunt ab his diversi, in tolerabilibus plusculum largiri & gratificari docti essent, paci orbis Christiani. At nostri hic Alastores c) ad nomen etiam pacis cohorrescunt. Illis una salus bello: quamdiu nempe rerum potiuntur, sic tutius Reipublicæ opes sibi & suis vendicant. Denique dictis & factis Papatum nobis ex vero repræsentant: nisi quod maleferiatam libidinem insani ordinis Procerum obsequia ad vim jam magna ex parte destituunt: etsi nonnullis adhuc in locis eorum valet autoritas, sed quam inquieto ingenio & contumaci decoctum eunt, dum multis in locis magistratibus, si quæ non ad gustum suum gesserint, præcipue in iis, quæ spectare ad Ecclesiam volunt, acerbe obstrepunt. Voetius d) tamen regulum quendam

a) Adde, & ipsi verbo DEI adversam. Quid enim luci cum tenebris &c. 2 Cor. VI, 14. seqq. coll. Apoc. XIV, 9. seqq. XVIII, 4. seq.

b) Rectissime: Ita quoque, & in eundem sensum, jam anno 1530. *Mart. Lutherus*, vir sagacissimus. „De obedientia „Episcopis reddita, & jurisdictione ac ce„remoniis communibus, ut scribis (*Phi„lippus Melancht.*) Sehet euch dennoch „wohl für, und gebt nicht mehr, denn ihr „habt, ne cogamur denuo ad difficilius & „periculosius bellum pro Evangelio de„fendendo. Scio vos Evangelium semper „excipere in istis pactis. Sed metuo, ne „postea perfidos aut inconstantes insimu„lent, si non servemus, quæ voluerint. „*Ipsi enim nostras concessiones large, largius, „largissime accipient, suas vero stricte, stri„ctius, strictissime*, dabunt. Summa, mihi „in totum displicet *tractatus de doctrinæ concordia*, ut quæ plane sit *impossibilis, nisi*" *Papa velit Papatum suum aboleri.* Satis" erat, nos reddidisse rationem fidei & pe-" tere pacem, convertere eos ad pacem," quare speramus? &c. &c." Recentiores inter non minus candide & acute b. Spenerus ad *Ahasv. Fritschium* anno 1686. in Monument. Fellerianis f. 179. *Cum Papæis pacem inire Ecclesiasticam, nunquam vel D. Meiero* (Helmstadiensi P. P.) *vel cuicunque alii concedere possum, dum Papæi manent, h. e. Pontificis potestatem (etiam non parum limitatam, prout Galli faciunt) in Ecclesiam & Concil. Trident. agnoscunt, quod tamen nec abdicare queunt, ut non pariter totum suum ædificium eadem opera evertant &c.*

c) Durum in Contra-Remonstrantes verbum: quorum tamen, fateor, duritiem & nostri vituperarunt.

d) *Gisbertus* ille Past. & Prof. Vltraject. A si quis alius rigidæ partis patronus.

quendam & episcopum Trajectinum agit: & quanquam invisus suorum plurimis ob factiosam & superbam indolem, omnes nihilominus obnoxios habet. Catechesi nostræ librum ineptissimum opposuit (scis puto nostram Catechesin editam, concinnatam ab Vytenbogardo) Catechesin Catecheseos nostræ: a) e qua quæstionum tantum myriadas elicit, & singulis capitibus parallela Sociniana subjicit, aliorumque, ni fallor, hæreticorum, & identidem librorum illorum ingentem indicem texit: cæterum nihil refellit. Calci accessit disputatio, b) in qua laudat supplicia, Genevæ in Helvetiis & apud Anglos sumta de hæreticis: & Evangelicos Proceres vestros, cum primum ingruerent per Poloniam blasphemiæ Socini, in Comitiis de opprimenda hæresi & proscribendis ejus patronis ac sectatoribus verba fecisse; sed a Pontificiis fuisse turpiter desertos. Quod si splendidum, ut ego suspicor, mendacium est, velim copiam mihi facias documentorum, quibus ineptæ fabulæ vani hominis redarguantur, & doceri possit, quantopere alieni sint istic illi Proceres ab immanitate illa, omni tyrannide deteriore. Sed id omnino urgeo multorum nomine, ut exhibeas nobis Crellii Epistolam c) de statu impiorum post mortem, quam parenti scripsit vestri Sieniutæ. d) Cui si quid præterea potes adjungere ejus argumenti, omnino illi causæ bene consules: quæ ob libellum a Camphusio e) editum, meo quidem judicio pestilentissimum, passim male audit. Interea fortean & nostri nova subsidia in arenam producent. Voetii nova insaniendi methodus con-

403

quo hodieque *Voetiani* in Batavis nomen habent.

a) Prodierat Catechesis illa Remonstr. anno 1640. cujus tit. est: *Onderwysinge in de Christelyke Religie* &c. Oppositus aut Catechismus Voetianus, qui inscriptus est: *Catechisatie over den Catechismus der Remonstranten* &c. anno 1641. forma 8va minori Vltrajecti lucem vidit. Vterque vero apud nos rarius hodie comparet.

b) Tres omnino accessere Disputationes: Quarum prima de *Fundamentalibus Articulis*; Secunda vero & tertia, *De necessitate doctrinæ de SS. Trinitate* agunt. In priori, quæ prolixior est cæteris, ea, quæ *Næranus* heic adduxit, habentur.

c) Epistola hæc, quod quidem cognitum sit, lucem nunquam adspexit. In Operibus certe *Crellii* ea non comparet, neque etiam *Sandius* illius meminit in *Crellianorum Librorum* Indice solicite contexto.

d) *Christophoro in Lachowce Sieniutæ*, viro illustri, itemque *diviti ac potenti*, *Vnitariorum patrono*, ut in vita *Wissowatii* vocatur.

e) *Theodoro Raphaeli Camphuysen*: cujus de *statu animarum damnatarum post mortem* anno 1631. libellus, Belgice editus, in quo asserebatur, animas impiorum post fata in nihilum esse redigendas, plurimum *Remonstrantibus* invidiæ attraxerat: quippe in quibus ille censebatur, quive eum publicasse putabantur.

contemnitur: sed refellit * ὁ διδάσκαλος a) Ecclesiasten Leidensem, qui cordatius censuram strinxit in nostram Catechesin. De me si porro jam quæris; nunc Frisiis Doccumensibus in sacris ministro extra ordinem, pulso eorum Ecclesiaste B. Sapna b) Clericorum impulsu. Trimestri legatione perfunctus, Deo volente ad meos gregarios reverto ad Veterem amnem, ubi statio studiis meis commodissima in functione minime difficili: quare non patiar inde nisi invitus me revelli. Amisfurtensium studiis defertur mihi cathedra parentis, c) serioque illuc invitor. Sed fugito ego conspicuas sedes, quantum alii affectant: nec facile cuiquam a me competitori periculum. At si me cogent decreta Patrum, parendum necessitati. Numquid vis amplius? Mihi restat id unum, ut valeas, Deusque tibi & tuis omnia optata semper adferat, & omnes bonos vindicet a machinationibus malevolorum: quas non ita reformido, ne quid erres, ut diffidam Deo, cujus in ultimo periculo proximum esse auxilium solet, nedum ut hastam velim abjici: quinimo humana deficiente, eo fidentius spei divinæ innitor, quam animo firmam teneo, votis apud Deum mihi vobisque asserere laboro vester totus J. N. Dat. VI Eid. Febr. cIↄIↄCXLII. apud Doccumenses.

404

LXXXIV. d)

M. RVARVS AD MATTHIAM RHAWVM e) ILLIVSQVE ASSECLAS, NE SEMIJVDAIZANTES f) IN TRANSYLVANIA PERSEQVANTVR.

QVanquam de animo vestro erga gloriam atque majestatem Domini

* Magister, scilicet Episcopius.

a) Sine dubio *Joh. Vytenbogardus* h. t. adhuc superstes: qui & ipse Catecheseos Auctor scriptorque fuerat eloquentissimus.

b) Forte *Dominico Sapma*, Hornano quondam Ecclesiaste, & cum cæteris in exilium anno 1619. misso, aut ejus filio. *Sapnæ* enim nomen incognitum prorsus est.

c) Haud dubie ante fata ultima pristino officio, quod recuperaverat, functi, eodemque nuper, ut supra dictum est, defuncti.

d) Conf. Cent. II. n. 47. ubi eandem epistolam, nescio qua oscitantia, denuo recusam omittemus. Id vero ex inscriptione illius repetere juvabit, non esse hanc epistolam solius *Ruari*, sed communi fratrum nomine exaratam.

e) Hoc de *Rhauio* pluribus actum est in *Hist. Crypto-Socin.* cap. II. lit. R. ubi, quo nomine inter Altorphinos quoque, ubi studiis aliquandiu non minus, quam animis Neo-Socinianorum confirmandis, operam dedit, appellari consueverit, exposuimus. Quem in patriam rediisse. & hæresi suæ immortuum esse, ex hac aliisque documentis, nominatim Cent. II. epist. 46. ibidem collegimus.

f) Quinam illi sint, nempe *Francisci Davidis* adstipulatores & sectatores, vid. l. c. fusius explanatum.

ni nostri Jesu Christi optime nobis constet: non possumus tamen 405 probare, quod Ecclesias patriæ vestræ, unum Deum Patrem agnoscentes, odiis atque vexationibus communium adversariorum objiciatis. a) Nam si quos de Christi officio atque dignitate minus recte sentire creditis; hos potius spiritu mansuetudinis erudiendos, quam suppliciorum intentatione atque minis exasperandos censemus. Interim videmus eam ab illis proditam fidei Christianæ confessionem, in qua nec ipsi quidem forte, quod reprehendatis, invenitis; cui ad CL Ecclesiarum pastores nomina sua subscripsisse intelligimus. Quod si forte dicetis, haud bona fide confessionem hanc ab illis editam, & aliud eos animo fovere, quam ore profiteantur, aut profiteri videantur: hic vos cogitetis velimus, quantum vobis sumatis, qui spreta vocis professione, de internis animorum sensibus, quos Deus Dominusque Jesus solus scrutatur, judicium sumitis. Quocirca rogamus vos atque obsecramus, ut mitiora sequamini consilia, quæ vobis nobilissimus atque eruditissimus Jonas Slichtingius, b) quem istuc denuo mittimus, suggeret; quem una vobiscum non minus Christi studere honori, quam vos ipsos, ne vos quidem, ut opinor, dubitatis. Optassemus sane, cum superiore hieme vobis adesset, illi vos obtemperasse; cum jam fortassis eo per vos deducta sit res, ut pedem referre difficulter possitis. Quisquis vero sit eventus futurus, testamur nos ab omni oppressione, quæ cuiquam ob religionem atque conscientiam infer- 406 tur, alienos. Eam mentem nobis insevit mitis Christi Spiritus: quem non vobis modo, sed & illis, qui in hac caussa sententiam ferent, ex animo optamus. Gratia D. Jesu sit vobiscum. Amen. Zabnæ c) non. Junii, cIↃIↃCXXXVIII.

LXXXV.

STEPHANVS CVRCELLÆVS d) M. RVARO.

Rev. & Cl. Vir, frater mihi in Christo omni observantia colende, Quod

a) Hucusque enim sufficere putabant reliqui *Socini* asseclæ, si ab illis sejuncti essent, atque cœtus suos seorsim haberent, nulla vi cuiquam illorum vel illata, vel etiam ad eos persequendos occasione cuiquam subministrata. Quod tamen nunc aliter fieri cœperat, præeunte cæteris *Rhauio.*

b) Jam fere a functionibus publicis, post *Racoviensem cœtum* disturbatum, vacans, laboribusque his, seu itineribus, conficiendis per corporis vires valetudinemque firmam præ cæteris idoneus, & insigni cumprimis mansuetudine præditus. Sic enim corpus & mores ejus, quorum etiam indicium præbent scripta, a plerisque describuntur.

c) Obscurus est *Poloniæ majoris*, si recte memini, vicus, ubi hoc tempore, more solito, conventum ad res suas utcunque restituendas egerant.

d) Genevensis patria, (ubi anno 1588.

Quod ſerius literis tuis reſpondeam, in cauſa eſt gravis morbus, qui me hebdomadas aliquot lectulo affixum detinuit, & a quo necdum ſatis bene ſum confirmatus. Typographus valde avet ſcire, ecquando Ethica Chriſtiana a) ad nos ſis transmiſſurus. Multi hic ſunt alibique mihi cogniti boni, qui avide opus iſtud expectant. Ante trimeſtre aut circiter libri aliquot Racovienſes, inſtigantibus Calviniſtarum miniſtris & jubente magiſtratu, publice Leovardiæ flammis ſunt abſumpti. b) Nimirum id facilius iſtis hominibus eſt viſum, quam argumentorum vim refellere. Non putarim æquiſſimos hujus civitatis rectores ejusmodi quid unquam tentaturos. Nuper cum apud eos inſtaret Synodus Hollandica, ut Epiſcopius Theologiam docere prohiberetur, repulſam tulit. Cum appendicem ad tractatum de Antichriſto c) perlegeris, ne ſententiam de ea tuam ad nos perſcribere graveris, aut publico invideas. Non vacat nunc ad D. Hiſtiæum d) ſcribere. Significabis ei, omnes, qui hic ſunt, amicos bene valere, eumque officioſe ſalutare, & pro ejus veſtrorumque omnium incolumitate

407

natus eſt,) inque ſchola & Academia domeſtica educatus, poſt iter Germanicum Fontis bellaquenſis, deinde Ambianenſis, ac denique Vitriacenſis Paſtor, ſed, Remonſtrantium hypotheſes cum approbaret, abdicata tandem functione poſtrema, in Belgium transgreſſus, ubi poſtquam vitam utcunque ſcriptis & typographicis maculis in Blaviano typographeo ad tempus transegit, atque ſe ſuosque honeſte ſuſtentavit, donec tandem anno 1643. cujus ſub initium mortuus erat *Epiſcopius*, Remonſtrantium Gymnaſio præficeretur, eidemque, non tamen ſine ſuſpicione nimii in Socinianismum favoris usque ad annum 1659. ex hac vita excederet. Hoc anno 1641. ſeq. Correctorem, ut vocant, Blavianum adhuc egiſſe, ipſæ rationes temporum evincunt.

a) *Joh. Crellii.* Patet ergo vel ex hoc tandem loco, ubi & quo obſtetricante prodierit opus illud, *Sterniorum Luneburgenſium* nomen præferens. Quod recte *Sandius* apud *Blavios* eorumque ſumtu *Amſtelod.* lucem vidiſſe conjecit; ex hac vero epiſtola, *Curcellæum* quoque curatorem horum omnium fuiſſe, apparet. Cujus opera atque ſtudiis plura *Socinianorum* ſcripta prælo ibidem exiiſſe dubium non eſt, idque proximæ ab his litteræ confirmant.

b) Quod poſt *Oſtorodi* & *Voidovii* audaciſſimos conatus inde ab anno 1598. factum non erat. Qui libri *Leovardiæ* exuſti fuerint, non conſtat, nec ad ſummam rei, ubi facile id eſt conjicere, multum refert ſcire.

c) *Hug. Grotii:* de quo libello jam ante pluribus dictum eſt.

d) *Joh. Statorium:* qui, ut ex fatis ejus, breviter a *Sandio* deſcriptis, conſtat, proſcriptus e *Polonia*, apud exteros inde ab anno 1638. & ſeqq. latitaverat, ſed jam anno 1641., ut hæc epiſtola docet, ad ſuos clam redierat. Litteras ejus *Amſtelodami* ad *Adamum Francum*, *Claudiopolin* an 1638. d. 24. Julii datas & Belgice redditas, Catechismo ſuo, Remonſtr. oppoſito, ſubjecit *Voetius*, atque his ipſis litteris docuit, exteras illas regiones, ut *Sandius* loquitur, *Belgium* fuiſſe: ubi & hos amicos, quos *Curcellæus* commemorat, ſibi conciliaverat. Quales autem fuerint, e *Remonſtrantium* videlicet cœtu plerique, *nimia fraternitatis jactatione* etiam h. l. proditum eſt.

mitate preces ad Deum indesinenter fundere. Illius te gratiæ commendo. Amst. IX Oct. cIↄIↄcXLI.

LXXXVI.

IDEM M. RVARO.

REv. & doctissime vir, Exspectas dubio procul, ut, quam postremis meis literis spem feci, re ipsa impleam, & quem a te accepi manuscriptum libellum, typis excusum remittam. Sed proh dolor! intervenerunt quædam ab illo tempore, quæ nos voti compotes esse non sinunt. Hujus urbis Prætor, facta cum quibusdam Ecclesiastis conspiratione, Cæsiis a) inopinantibus operis Volkeliani, quæ habebant reliqua exemplaria circiter quadringenta quinquaginta, ereptum ivit, & a quatuor suarum partium Scabinis, inter quos duo linguæ Latinæ ignari esse dicuntur, obtinuit, ut postero die fisco addicerentur, & Cæsiis mille ducentorum florenorum mulcta imponeretur. Deinde, post interjectam octidui moram, libros illos omnes publice flammis tradi curarunt. Crimini id præcipue datum, quod Trinitatis dogma ad Satanam auctorem referant. Judicium hoc inconsultis & insciis 408 Consulibus, penes quos summa urbis potestas est, pronunciatum fuit. Quod audio illos ægerrime ferre, & statuisse, ne quid simile in posterum fiat, pro viribus impedire. Typographus non abjecit omne propositum ejusmodi scripta excudendi: b) sed tamen aliquandiu differendum censet, donec nimirum ille persecutionis æstus paulum deferbuerit. Vtinam vestrum aliquis præceps Scabinorum nostrorum judicium vellet expendere, & istos librorum incendiarios peccati sui coarguere. Si quem noveris ei rei idoneum, urge, ut aggrediatur. Deum

a) *Blauwiis* typographis, & quidem filiis; Pater enim anno 1637. decesserat. Quorum in officina cum *Curcellæus* præcipuas, & emendandi menda, & librorum quoque imprimendorum atque commendandorum curam haberet, fieri aliter non potuit, quam ut tristis hujusmodi eventus ipsum quoque plurimum affligeret. Tantoque magis eum videtur infortunatus hic exitus excruciasse, quo luculentiora indicia præsto sunt, ex quibus eum ipsum fuisse, cujus consilio & auxilio *Volkelianum* illud opus recusum fuerat. Cæterum quod & *Curcellæus* apud *Blauwios* receptum tam facilem habuit, & libri *Socinianorum* clam impressi fuerunt, tanto minus miramur, quo clariora extant testimonia, quæ *Remonstrantium* eos partibus semper favisse, quando ex adverso *Jansonii* Contra-Remonstrantibus addicti magis fuerant, demonstrant. In quam rem digna est, quæ legatur *G. J. Vossii* ad *Grotium* epistola, inter eas, quæ vulgo Epp. Remonstr. vocantur, n. 547. collocata.

b) Cujusmodi etiam permulta deinceps adhuc prodierunt, & forte ipsa quoque *Biblioth. Frr. Polonorum*, grande illud atque pretiosum opus, ex ea officina natales suos repetit.

Deum supplex oro, ut te ab omni malo immunem præstet. Dab. Amstelodami, VIII Febr. cIↃIↃCXLII.

LXXXVII.

IDEM M. RVARO.

CL. Vir, Credo jampridem in manus tuas pervenisse literas, quibus de Volkeliani libri exustione a) certiorem te faciebam, & copiose totam illius rei historiam enarrabam. Nunc gratiore te recreabo nuncio; nisi forte & eum jam ante ad vos fama detulerit. Magistratus novi ineunte Februario pro more hujus civitatis creati, judicium illud sibi quotidie a libertatis amantibus exprobrari audientes, re iterum in deliberationem adducta, antecessorum suorum sententiam, 409 ipsis etiam, ut ferunt, non repugnantibus, revocarunt, & e publicis registris expunxerunt. Ita factum est, ut Cæsii a mulcta imposita, quam nondum solverant, sint liberati. Sed tamen ita illo consternati casu, ut non facile posthac ejusmodi sint libros excusuri.

Hic desunt quædam.

Amstelodami, XII Aprilis, cIↃIↃCXLII.

LXXXVIII.

EX M. RVARI AD ST. CVRCELLÆVM EPISTOLA. b) cIↃIↃCLVII, 17. Martii.

AD quæstionem de Sabbatho, quam ipse proposueram, illud respondendum censeo; &c. c)

LXXXIX.

411

M. GITTICHIVS d) VENECIANVS M. RVARO.

ANimus erat, sed otium non erat, tecum de nonnullis tuis verbis, quæ in mensa generosi domini Moscorovii e) nostri protulisti, Czarkoviæ f) colloqui. Quod tum fieri non poterat, id jam mihi erit materia scribendarum ad te literarum: cum quo una vivere si mihi

a) Cujus etiam *Hornbeckius* in *Summa Controvers.* L. VII. meminit, idque *laudabili exemplo a Magistratu* factum esse addit.

b) Extat ea integra in *epistolis Remonstrantium*, sed sub *Roberti Eustachii* nomine ad N. N. perscripta, quem ἀνώνυμον *Curcellæum* fuisse, ex hac filiorum *Ruari* interpretatione discimus.

c) Reliqua, totamque adeo epistolam, unde fragmentum hoc decerptum est, vide in Cent. II. n. 100.

d) Conf. epist. 61.

e) *Hieronymi Moscorovii*, inter Socinianos omnes æstumatissimi.

f) Vid. Cent. II. epist. 13.

hi contingeret, in non postrema parte terrenæ felicitatis reputarem. Cum alia ex aliis, ut fieri solet in mensis, necteremus, & delapsi essemus in sermonem de jejuniis, tu autem diceres, in ædibus tui soceri a) omnes singulis hebdomadis jejunare, non eodem tamen die omnes; te vero ipsum diem Veneris tibi in eum usum delegisse, idque ad memoriam passionis Domini, qui die isto trucidatus; eo etiam die, quia Dominus passus est in carne, te quoque ad memoriam illius passionis ita pati in carne, ut absoluto etiam jejunio, die isto a carnibus, quia ex his fiant delicatiores cibi, omnino abstineas: Romanæ Ecclesiæ aliquo cive dignissima, minus digna, quæ ex ore Christiani, & doctrinam Evangelii probe edocti hominis unquam prodiret, mihi b) visa est ista oratio. Vt enim ab omnibus peccatis, ita etiam ab omni superstitione, c) quæ præsentissima pestis veræ religionis est, alienissimum esse debere Christianum hominem statuo; hac autem via & ratione sublatam ex universo orbe veram pietatem, & vitæ Christianæ sanctitatem, ac veram religionem, introductam in ejus locum superstitionem, & quæ inde sequuta est, omnem impietatem. Hac ratione, & hoc prætextu, invaluit in Christi Ecclesia in discrimine dierum & ciborum doctrina, ut eam Apostolus vocat, dæmoniorum: quam labes universæ religionis Christianæ brevissime subsequuta. Hac ratione nonnulli ex fratribus nostris (quod in mea quoque Ecclesia dolenti animo videre mihi contigit) struxerunt gradus suis liberis, ut alii illis adhuc viventibus, alii post ipsorum fata, ad pontificiam idololatriam sese conferrent. Cum enim inclinante jam ad senectutem ætate sese Ecclesiæ nostræ adjunxissent, & ab ineunte adolescentia, a suis instituti majoribus, nihil unquam de cibis in Ecclesia Romana vetitis diebus Veneris attingerent, roborata in illis longissimi temporis usu ista consuetudine, etiam cum jam in Ecclesia nostra essent, nullis rationibus persuaderi sibi patiebantur, ut ea relicta quidquam ex iis cibis iis diebus gustarent. Hæc cum viderent illorum liberi, idque ex Ecclesia Romana, in qua discrimen istud servatur religiosissime, petitum animadvertissent, ex

412

413

Tt his

a) Compara Cent. II. epist. 69.

b) Manifestum hæc tota disputatio indicium præbet, *Gittichium* inter eos numerandum fuisse, qui non solum rigidiores erant in cœtu isthoc, cui nomen dabat, sed etiam ad id hominum genus referendum, qui nisi, quod ipsi faciunt, nihil rectum putant.

c) Ex animo æstimanda, non factis quibuscunque, per se indifferentibus, aut bene etiam & ad usum laudabilem adhibitis. Quid enim? Anne votis omnino omnibus abstinendum, *Gittichi*, quia Pontificia in Ecclesia tantus eorum passim abusus invaluit? Non putaverim. Idem de cæteris judicandum.

his religionem Romanam esse divinam, ideoque sibi sequendam, decreverunt. a) Ita hæc consuetudo, quod Ephodus ille Gedeoni in sua domo collocatus, in laqueum & ruinam illorum familiæ fuit: quod ne nostris quoque liberis per ejus generis superstitiones fiat, etiam atque etiam videndum. Non est autem ulla alia ratio, huic malo obviam eundi, nisi ut ea facultate, quam nobis Dominus largitus est, omnibus cibis quibusvis diebus sine ullo discrimine vescendi, iis imprimis diebus, quibus diabolus per unigenitum suum hominum conscientias obligavit, ne quisquam de carnibus, ovis & lactariis quidquam attingere audeat, utamur; & his ipsis ab antichristo vetitis cibis in oculis liberorum nostrorum (quorum in tenera ætate fides & religio a fide parentum maxime pendet) vescamur. Quod Dominus die Veneris passus, ad religionis Christianæ negotium b) nihil omnino pertinere arbitror. Hinc est, quod solennem mortis Christi memoriam, non diebus Veneris, sed diebus, qui vocantur Solis, per fractionem panis celebremus: ea vero consuetudo ab ipsis Apostolorum 414 temporibus initium sumsisse videtur. Patientia in carne, abnegare nos ipsos, morte afficere carnem cum affectibus & concupiscentiis, quid cum eo habet simile, c) ne quidquam de carnibus die Veneris, aut id genus aliis diebus, quos jejuniis nostris consecramus, gustemus? Hac ratione, inquis, subduco carni fomenta luxuriæ, cum ex carnibus delicatiores cibi parentur. Atqui ii ex quibusvis esculentis, condimentis adhibitis, & ex piscibus imprimis, (qui etiam carnes sunt) ut videre

a) Prudentiam ergo postulare, ut a talibus, inter Pontificios præsertim qui vivunt, abstineant, si dixisset *Gittichius*, assensum facilius impetrasset. At superstitionis hæc accusare simpliciter, quod supra videtur factum, paullo asperius est.

b) Si summam rei, atque efficaciam ejus spectes, non male ita sentit; at quando tamen hoc & non alio die Christo pati visum est, quo minus hoc etiam die memoriam tanti beneficii solennius recolamus, nihil prohibet, ipsumque & DEVM, certos, quibus beneficia maxima populo DEI contigerunt, feriatos esse jubentem, præeuntem sequimur.

c) *Per se*, fateor, nulla aut perexigua similitudo inter carnem non edendam, & Christum secundum carnem passum, intercedit; *Si* quis vero in carne signum aut *symbolum*, pro memoriæ adminiculo, ad recordationem earum, quas Christus in carne sua sustinuit, ærumnarum, sibi libere constituat, perinde, ut, si ligni aliquam partem ob oculos sibi poneret, eo fine quo crucem Christi sæpius in memoriam sibi revocet, contemplandam, neque hunc neque illum peccare crediderim. *Memoriæ* certe *adjumenta*, qualia in rebus variis usu non destituuntur suo, in religionis quoque exercitiis, modo cultus ipsius objecta non reddantur, locum utique habent. Quænam vero præ cæteris eligenda sint, prudentiæ cujusque relinquere oportet: qua, ne quid superstitiose aut contra charitatem & cum offendiculo aliorum fiat, circumspiciendum est.

videre eſt apud ditiores Pontificios, parari poſſunt: & omnia luxuriæ fomenta, non diebus tantum Veneris, ſed omnibus vitæ noſtræ diebus, ſine ullo dierum diſcrimine, carni noſtræ ſubducenda. Pati in carne, & mortificare carnem cum affectibus & cupiditatibus, ut tute non ignoras, non eſt ab hoc vel illo cibi genere religionis cauſa a) abſtinere; ſed moderate omnibus, quæ nobis Dominus ad vitam tuendam largitus eſt, nullo dierum diſcrimine veſci, in perpetuum vale dicto omni luxuriæ, libidini, comeſſationibus, ebrietatibus, & quæcunque aliquam affinitatem cum iis habent: quorum nobis catalogum Apoſtolus Col. III. & Gal. V. ob oculos ponit. Ἀταξία * etiam iſta, quæ eſt in domeſtica ſoceri tui Eccleſia, tibi in ſolidum adſcribenda, mihi diſplicet: quod ſcilicet iiſdem ædibus concluſi omnes, alii diem Lunæ, alii diem Martis, Mercurii, Sabbathi, tu diem Veneris, jejunio conſumendum ſtatueritis. Si omnibus vobis ſingulis hebdomadis jejunare libet, cur non potius te auctore & impulſore unum diem b) 415 in eum uſum vobis deligitis, & ut eo ſanctius & religioſius ſit jejunium veſtrum, eo ipſo die, furtivis licet horis propter metum Judæorum, mane imprimis & veſperi, in aliquod penetrale vos recipitis, & te ſubmiſſa voce præeunte omnes una oratis? Libertatem hanc meam iſta ad te ſcribendi, tum ſanctitati religionis noſtræ, tum ſingulari meo in te amori adſcribe. Hugonis Grotii libellum, c) quod papa non ſit antichriſtus, legere cuperem. Videtur mihi iſte homo per ejuſmodi paradoxa rimam quærere, per quam honeſte ad Pontificios elabatur, & aliis quamplurimis non feneſtram, ſed portas ad idolomaniam pontificiam aperiat. d) Si enim papa Chriſto adverſus non eſt, qui ita impia

* Proprie irregularitas, cum non obſervatur ordo.

a) Ambigue hæc dicuntur. Religionis cauſa quæ fiunt, tanquam *pars cultus divini*, ſi divinitus præcepta non ſunt, ſuperſtitioſa ſunt; ſubſidii in modum, etiam Phyſici, uſurpata non item.

b) Immo vero hoc ipſum etiam tibi, *Gittichi*, præbuiſſet ſuperſtitionis ſive ſpeciem, ſive ſuſpicionis occaſionem: ut contra *varietas* illa *libertatis* erat indicium.

c) Illum, de quo ſupra in Epp. *Grotianis* jam actum eſt plus ſatis, *Gittichio*, quod, Papam Romanum non eſſe Anti-Chriſtum, negaret, vehementer diſplicentem. conf. epiſt. ad *Gittichium* hoc de libro ſcriptam n. 61.

d) Suſpicio eſt, ſed profecto non deſtituta, quod innumera docuere haud diſſimilia ſentientium exempla, ſolido fundamento. *Grotium* tamen, ut arbitror, hæcce non aliquis obtentus ad Pontificios elabendi hac rima docuit, ſed ingenii luxus & nimium pacificandi ſtudium: qualia a tuis, *Gittichi*, tuique ſimilibus, i. e. *Socinianis*, eam ipſam tam largam, *Arminii* ſchola & *Vorſtii* aſſeclis commendantibus, fraternitatem edocti, *Grotium* etiam docuere Magiſtri & amici.

impia ejus religio ſtatui poteſt, ut quicunque eam ſequantur, a ſempiterna ſalute penitus exciderint. Vale quam feliciſſime, Vir clariſſime, & me tui amantem redama. xv Julii, cIↃIↃCXLII.

XC.
M. RVARVS M. GITTICHIO.

CLariſſime Gittichi, Controverſiam, quam de jejunii mei die atque modo mihi moves, mallem coram agitaſſes: ita enim non tibi ſolum, ſed &, ſi quibus aliis natus eſt ex ſermone meo ſcrupulus, illum eximere promptum mihi fuiſſet. Exiſtimas, ita me diei, quem vo- 416 cant, Veneris, jejunium meum aſtringere, ut eo non jejunare mihi religio ſit. Atqui noris, me licet in memoriam paſſionis Chriſti, hoc potius, quam alio quovis die, carnem meam jejunio affligere ſoleam, nulla tamen ſuperſtitione teneri, quin, ſi ita res ferat, & prandium eodem die capiam. a) Accidit interdum, ut in itinere die Veneris circa meridiem ad fratrum aliquem divertar: hic cum incivile, ac pene inhumanum videatur, ex ædibus fratris abſque cibo ſumto diſcedere, ego illum libere ſumo, & jejunium, ſi forte non anticipaverim, in poſterum diem transfero. Memini me id aliquando feciſſe in ædibus Pauli Sleszynii, & fortaſſe non ſemel, prout Lehocius mihi teſtis eſſe poterit; idque tanto lubentius, quod cum uxor Slescynii die Veneris ſuperſtitioſius jejunare ſoleat, exemplo meo ad libertatis Chriſtianæ uſum præire illi voluerim. Niſi tamen cauſſa quædam ſingularis obſtet, fateor, diem me Veneris jejunio conſecrare ſolere. Id vero tibi ſuperſtitionem Pontificiam redolere videtur, adeoque periculoſum, ut & liberos ejusmodi parentum jejunio ad Pontificiam aliquando religionem impulſos dicas. Poſſem reſpondere, non omnia, quæ apud Pontificios obtinent, ſuperſtitionis damnanda, præſertim ſi non hodie demum, aut nudius tertius inter ipſos invaluerunt, ſed recenti adhuc Chriſtianismo, ac proinde a ſuperſtitionibus alieniore, b) uſur- 417 pata fuerunt: nec ab actionibus alioquin bonis aut indifferentibus ob id

a) Apertum *liberi* actus & *ſubſidiarii* tantum, neutiquam certe neceſſarii, documentum.

b) Cujusmodi ritus plurimi ſunt jam primo & Apoſtolico, ſecundo certe ſeculo, puriori, ex ipſa *Socinianorum* mente jam uſitati, v. g. trina immerſio in baptiſmo aquæ, præmiſſa fidei profeſſione, conciones ad populum in textum librumque Scripturæ recitatæ, dies Dominica & ſimilia, feſta item quædam annua atque alia hujusmodi. Manifeſtum ergo eſt, materiam, ſeu occaſionem potius ſuperſtitionum non datam, ſed arreptam, ipſamque ſuperſtitionem, h. e. uſum antiquorum Eccleſiæ morum perverſum, ſeu abuſum *Gittichium* commiſcere.

id ſemper abſtinendum, quod improbuli quidam earum exemplum ad pravæ libidinis excuſationem prætexant. Sed illa mihi reſponſione non eſt opus, cum mea circa diem illum religio, ut ſuperius oſtendi, multum a ſuperſtitione Pontificiorum differat. Idem adhuc magis apparebit, ſi modum ſive rationem jejunii mei propius expendas. Pontificii cum cibo atque potu ſapido probe diſtenduntur, jejunio ſe defunctos putant, modo a carnibus ac lacticiniis abſtineant: ego vero, ut & vis ipſa vocis docet, & mos inter nos eſt, cum jejuno, tota die cibum potumque omnem abdico; ſuccedente veſpera cœnam ſine carnibus quidem plerumque ſumo, eo quod copioſius alioquin nutrimentum corpori præbeant, at non ſemper tamen, cum aliter fert occaſio, lacticiniis vero promiſcue veſcor. Quid hic quæſo ſimile inter meum, & illud, quod Pontificii vocant jejunium? Periculum, ne quis meo exemplo ad Pontificiorum Eccleſiam impellatur, adeo nullum eſt, ut cum numeroſam a) ſane habeamus familiam, vix unus aut alter jejunii mei diem modumque imitetur, b) & ne id quidem conſtanter, me nemini propterea litem movente. At in eo tibi quoque ἀταξία * quædam ineſſe videtur, quod non eodem omnes die iisdem in ædibus jejunemus. Vide, mi frater, quam nihil poſſit eſſe immune a reprehenſionibus, ſi quis in eas ſit intentus! Si eundem omnes diem jejunio tranſigeremus, fortaſſe Pontificiorum ſuperſti- 418 tioni affines tibi diceremur, ejusque ego dux inceſſerer: nunc cum privatam pietatem libere, prout cuique commodum eſt, exercemus, inordinati atque incompoſiti audimus. Mihi vero quodammodo pietatis id expreſſioris argumentum videtur, quod non indicto die alienaque lege, ſed ſinguli pro arbitrio jejuniis atque precibus libere vacemus. Nec eo tamen quicquam nobis arrogo, aut aliis nos præfero, qui certa lege jejunia ſua definiunt. Fruantur illi ſuo arbitrio, fruamur & nos noſtro, modo demus omnes operam, ut ſtudio pietatis minime fucato gratiam apud communem Deum obtineamus. c) Hæc

* Irregularitas.

a) Hujus numeroſæ admodum familiæ ſuæ jam ante meminerat epiſt. 74. *Ruarus*, & Cent. II. n. 100. ejusdem mentionem faciet.

b) Hoc ipſo autem *liberum* id fuiſſe ſui ſuorumque ad pietatem *exercitium* (γυμνασίαν σωματικὴν πρὸς ὀλίγον ſæpe ὠφέλιμον 1 Tim. IV, 8.) palam & reapſe ſimul eſt profeſſus.

c) Phraſis minus conveniens Evangelio Jeſu Chriſti, quod non ſtudio pietatis, (niſi vocem hanc latiſſimo ſenſu accipi voluerit) ſed *fide ingenua*, gratiam obtineri a DEO docet, eam præſertim, quæ in juſtificatione, h. e. peccatorum, qua culpam, quave pœnam, condonatione ſeu ἄφεσει conſiſtit. Etſi placere jam placatorum propter Chriſtum, fidelium *DEI* ſervo-

Hæc ad amicam tuam reprehensionem reponere volui: quæ ut tu non minus æquo animo legas, atque accipias, ac ego illam, & opto, & etiam atque etiam te rogo. Vale. III Oct. cIↃIↃcXLII.

XCI.

M. GITTICHIVS M. RVARO.

MAximas tibi ago gratias, quod te mihi tam amanter purges, & ad ea, de quibus tibi litem aliquam moveram, respondeas. Miror, quod frater D. Slichtingius, qui post nostrum Czarkovia a) abitum aliquot adhuc dies tecum contrivit, nihil de iis tuis verbis tecum loquutus sit; quod tamen a me, cum ipsi valedicerem, rogatus facere debebat. Paradoxa enim in auribus omnium, qui tum mensæ D. Moscorovii assidebant, illa tua fuit oratio, cum nihil omnino intersit, quo quisque die memoriam mortis Christi celebret, & pati in carne nihil omnino communionis cum abstinentia ab esu carnium habeat: cum & pati in carne perfectissime possit is, qui singulis diebus carnibus vescatur, & vicissim nihil omnino in carne pati, qui etiam toto vitæ suæ tempore ab esu carnium & lactariorum abstineat. Vt libenter tibi do, non omnia superstitionis damnanda, quæ apud Pontificios obtinent, ita vicissim daturum te mihi quoque confido, ea omnia, quæ ulla ratione, multo vero magis, quæ evidenter in doctrinam Christi incurrant, eamque evertant, quale istud est de discrimine dierum & ciborum b) in religionis negocio, quod Christus penitus sustulit, non superstitionis tantum, sed etiam impietatis damnanda esse; & homini Christiano tanto magis talia omnia fugienda, quanto magis aliquam speciem & colorem pietatis habere videantur; cum non aliam ob causam Apostolus talia dæmonum doctrinam appellaverit. Dæmonum enim est laxare, quæ Deus constrinxit, & constringere, quæ ille laxavit,

419

rum, aut filiorum potius, exercitia pietatis remuneratione etiam divina, sed gratiosa, condecoranda. non negemus.

a) Non dubium est, vel ex hac *Slichtingii* societate, ad ea, quæ disputationibus hisce ventilantur, occasionem, in itinere illo, quod supra jam epist. 64. memoratum est, subministratam fuisse.

b) Sustulit utique Christus, ut *necessarium*, quemadmodum nimirum inter Judæos id obtinuerat olim, & ut partem cultus divini constituerat. Non sustulit autem, ut *libere* etiam, tanquam *subsidium* aliquod temperantiæ & præsentioris seu expeditioris ad preces mentis, usurpari nequeat. Dummodo, quod *Apostolus* ipse Rom. XIV, 1. sqq. semel iterumque inculcat, nec nostræ nec aliorum laqueus injiciatur, aut DEO talibus externis exercitamentis, sive utamur iisdem, sive non utamur, nos magis placere haud opinemur. Vt de *medico* usu corpori plus minusve commodorum, vel etiam noxiorum ciborum taceamus.

vit, quæ ille vetat concedere, & quæ concesſit prohibere, a) quæ rata eſſe vult irrita efficere velle, quæ irrita fecit rata eſſe debere ſtatuere. Ideoque ne ea quoque juſta cauſa cuiquam eſt, jejunio peracto in cœna carnibus abſtinendi, quod carnes copioſius nutrimentum corpori præbeant. b) Sumendæ carnes in minori quantitate, & non tam copioſum nutrimentum præbebunt: ſumendæ tamen, (quod imprimis paſtoribus, c) in quorum exempla omnium auditorum oculi defixi, faciendum) ne cuiquam in confinia doctrinæ dæmoniorum delapſi jure videamur, & quod maxime rem cauſamque continet, ne tandem exemplo noſtro (ut exempla regentum facillime in vulgus manant) rudioribus laqueum & tendiculam ſtruamus. Nihil etiam roboris in eo eſſe puto, quod iſta non nudius tertius nata, ſed recenti adhuc Chriſtianiſmo uſurpata fuerint. Recenti enim adhuc Chriſtianiſmo, & ipſorum Apoſtolorum tempore, gravisſimorum errorum & impietatis fundamenta d) jacta & uſurpata. Tanto autem magis omnis error cordatis fugiendus, quanto antiquior: cum videamus omnem ſuperſtitionem temporis antiquitate roboratam pasſim pro lege, regula, & ratione haberi. Do tibi etiam libenter, expresſioris pietatis argumentum id videri, quod non indicta alienaque lege, ſed ſinguli pro arbitrio jejuniis atque precibus vacetis. Sed id quoque te mihi daturum confido, ſi qui ſint in eadem domo, qui ſibi hanc legem fixerint, ut ſingulis hebdomadis diem aliquem jejunio & precibus conſecrent, multo expresſioris pietatis argumentum fore, ſi iidem omnes unum diem in eum uſum ſibi deligant & conſtituant, quam ſi hic iſta, ille alia, tertius item alia die hoc ſacrum negocium peragant. 420 Vt enim excellentiores preces, quæ congregatis in nomine Chriſti duobus aut tribus concipiuntur, quam eæ, quæ ſeorſim a ſingulis fiunt; 421 ita etiam de jejunio, quod devotius fundendarum precum cauſa inſtituitur,

a) Ita eſt, *Gittichi;* ſed de *probibendo* ſive aliis ſive ſibi ipſi cibo non mihi videtur agere, immo id ipſum interdictum prohibitum eſſe, omnino apparet in his epiſtolis tueri *Ruarum.*

b) Qui ſane non niſi medicus uſus eſt, ad moralem recte, adminiculum ut præſtet, accommodatus.

c) Inter hos ergo etiam numerandum eſſe *Ruarum*, haud obſcure heic profitetur *Gittichius.* Eoque etiam officio *Straſſinii* perfunctum eſſe, vita ejusdem docet.

d) *Non* fuere *fundamenta* ritus illi Apoſtolici & antiquiſſimi ſuperſtitionis, accurate ſi loquamur, ſed *occaſio* fortaſſis a ſuperſtitioſis ex accidenti non data, verum *arrepta*, ad divinum cultum paullatim pervertendum. Cujusmodi quæ ſunt, prudentem potius inſtaurationem, ſi quem uſum præſtent, & a vitiis emendationem, quam omnimodam abolitionem deſiderant.

tuitur, statuendum est. Hæc sunt, Vir clarissime, frater in Christo plurimum honorande, quæ me impediunt, quo minus nonnullis, quæ de ratione jejuniorum vestrorum attulisti, acquiescere possim. Tu παῤῥησίαν * istam meam meo in te amori, & religionis Christianæ sanctitati attribuas, a te etiam atque etiam peto. Bene vale. x Novemb. cIↃIↃcXLII.

XCII.
M. RVARVS M. GITTICHIO.

Clarissime Veneciane, Slichtingius scrupulum de eo, quod te tantopere offendit, cum in Moscorovii & Goslavii fundo a) una ageremus, nullum mihi movit; ac ne hic quidem, cum dies pluscalos in ædibus nostris trivisset, verbum ad me de eo fecit, nisi postquam ipsemet ultro litem a te mihi motam illi aperui. Non acquievit ille quidem penitus purgatione mea: mitius tamen, quam tu, de facto meo censet. Cum autem denuo me jam impetas, lubet nonnulla dictorum tuorum, quæ præcipui videntur momenti, ad examen revocare. Ais, nihil interesse, quo quis die memoriam passionis Domini celebret. Si nihil interest, cur ergo non pateris eo me die id facere, quo mihi lubet, quandoquidem ego te diebus pro arbitrio tuo b) uti fruique permitto. Neque nulla tamen ratio est, cur hunc ego diem memoriæ passionis Domini magis solennem faciam, quod illo die Dominus crucem pro me subierit. Videmus Deum, cum populo suo veteri memoriam beneficiorum suorum celebrandam præscripsit, eosdem dies, quibus res gesta est, in id elegisse: idem populus ille observavit in festis absque mandato Dei c) institutis. Cur idem mihi non liceat in privatæ pietatis dispensatione, cum ejusdem observationis legem aliis in præjudicium Christianæ libertatis non obtrudam? Si exemplo meo inducuntur alii, ut factum imitentur: quid tum? modo &

422

* Loquendi libertatem.

a) Ne repugnantia & *Ruarum* scripsisse, & nos eum secutos pariter cespitasse existimet L. B.; maximam partem *Czarkoviam Moscorovii* dominio subfuisse observandum est, alteram vero & minorem *Goslaviis*. Quæ ratio est, cur ambo heic conjuncti legantur ejusdem loci Domini. Quæ cum ita sint, in *Cent. II. epist. XIII.* a potiori factam esse denominationem, liquet.

b) Vt Christianos decet Rom. XIV, 5. seqq. Crimen abusus habet.

c) Cujusmodi, ut festum *Purim* taceamus, sine dubio fuit memoria consecrationis templi, a *sordibus* profanorum hominum, per *Judam Maccabæum*, repurgati, eaque origine humana non obstante, a Christo quoque cum cæteris Judæis in *Encæniis* ordinariis & anniversariis Joh. X, 22. seq. coll. 1. Macc. IV, 59. celebrata.

&ſenſum hic meum teneant? Ego quidem neminem adhuc vidi, cui ab exemplo meo periculum eſſet: quod alioquin vel ea de cauſſa non invitus omitterem. a) Ais, τὸ pati in carne nihil habere commune cum abſtinentia a carnibus. Atqui dixeram tibi antehac, me, cum carnem meam affligere volo, toto die ab omni cibo potuque abſtinere: die transacto me quidem carnes ſuperſtitioſe non averſari, (nam & cum res ita fert, libere illis veſcor) ut tamen jejunium commodius finiam, malle me cœnam absque iis cibis peragere, quæ copioſius corpori nutrimentum præbent. Retulit mihi Slichtingius, ſe poſt jejunia cœnam ſolo fere pane b) abſolvere: qua in re fateor ab illo me adhuc ſuperatum, ac fieri poteſt, ut & exemplum ejus impoſterum æmuler, ſaltem in ſolennioribus publiceque indictis jejuniis, ſi videro, valetudini meæ c) id non adverſari. Sic utique gravior ea foret carnis perpeſſio. Audes tu diſcrimen dierum & ciborum in religionis negotio non modo ſuperſtitionis, ſed & impietatis damnare, & abſtinentiam a cibis Apoſtoli exemplo doctrinam dæmoniorum vocas: ſed vereor, ne absque diſcrimine. Quæſo enim, an impietas tibi videtur, quod die Dominico, immo & aliis quibusdam ab Eccleſia inſtitutis feriis, ad rem ſacram conveniamus, & ab opere ſervili, niſi neceſſitas aliud ſuaſerit, abſtineamus? An jejunia religionis cauſſa ſuſcepta tibi dæmonum doctrina? Quid? an peccare tibi videbitur juvenis, qui, ut caſtimoniam facilius obſervet, ab omni cibi potusque genere ſibi temperet, unde luxurioſius corpori nutrimentum præbeatur, quodque Venerem incitare poſſit? Non hæc eſt, mi frater, impietas, dæmonumve doctrina, ſi diem unum præ altero religionis cultui conſecres, aut a cibis vel omnibus, vel certis, cum lubet, intendendæ pietatis d) cauſſa abſtineas: ſed ſi ipſis diebus religionem aut cibis impietatem ineſſe putes, aut ſaltem diſcrimen dierum ciborumque, quod tibi

423

Vu

a) Ita jubente, exemploque etiam ſuo præeunte, Paullo 1 Cor. VIII, 9. ſeqq.

b) Quam priſci Chriſtiani *Xerophagiam* appellabant, & diutisſime purioribus Seculis frequentabant, pani forte, ſi luberet, ſal & legumina ſicca addentes.

c) Hujus enim in jejuniis quoque habenda ratio, ne, quod devotioni alendæ utcunque inſervire debeat, altera ex parte totos nos ad jejunandum DEVMque colendum ineptos reddat. Scite *Chryſoſtomus Hom. X. in Geneſin: Si ſunt*, inquit, *quos corporis infirmitas probibet jejunos & impranſos permanere* (ὑπὸ τῆς ἀσθενείας σωματικῆς κωλυόμενοι καὶ μὴ δυνάμενοι ἄσιτοι διαμένειν,) *eos hortor, ut corporis infirmitatem curent, & ſpirituali hac doctrina non ſolum priventur, ſed & pranſi plus exhibeant ſtudii.*

d) Seu *promovendæ* ejusdem gratia, & maxime omnium ad preces pias tanto alacrius fundendas, ut adminiculum præſtet. Eſt enim jejunium ex eorum numero, quæ ſunt propter alia, quibus miniſtrant, nec per ſe cultus DEI naturam habent.

tibi forte arriſerit, cum metu peccati, ſi aliter egeris, obſerves, aliisve cum diſpendio libertatis Chriſtianæ obſervandum certa lege obtrudas. Horum autem nihil ego per Dei gratiam facio. Tu vero, mi frater, vide, ne dum jejunio peracto carnibus me præciſe veſci jubes, jugum imponas fratri, qui legibus tuis non tenetur. Putas etiam nihil referre, an recenti adhuc Chriſtianiſmo aliquid inoleverit, an adulto jam Antichriſti regno. Fateor errori ab ætate nullum eſſe veritatis privilegium, nec minus fugiendum inveteratam ſuperſtitionem, quam quæ heri nudiusve tertius invaluit. Exiſtimo tamen, hoc honoris antiquitati deferendum, ut quæ primo aut ſecundo a) poſt Apoſtolorum exitum ſeculo a viris in Eccleſia piis obſervata lego, non tam facile contemnam, quam quæ proximis aliquot ſeculis ab hominibus idololatriæ ac ſuperſtitionis convictis ortum duxerunt. Quanto longius a fonte, tanto plerunque lutoſius aqua fluit. Itaque, ut illa damnem, rationibus convincendus ſum: hæc vero ab ipſamet ætate, ſequioribusque auctoribus, mihi ſuſpecta ſunt. Trojani (ut habet poetarum princeps) metuebant Danaos & dona ferentes: idem & hic mihi contingit. Vt unum diem omnes iisdem in ædibus mecum viventes quot hebdomadibus jejunio tranſigant, ego ab illis exigere non audeo, ne alienæ pietati legem pro arbitrio meo præfigere videar. Preces perinde pranſi atque jejuni conjungere poſſumus, modo nihil interveniat aliunde, quod nos turbet. At ea fere eſt ſingulorum in ædibus noſtris de die occupatio, ut difficulter eadem hora omnibus vacet: ut proinde metuendum eſſet, ne, dum unus alterum exſpectat, omnibus orandi opportunitas pereat. Ego quidem imprimis ita negotiis diſtringor, itaque a ſalutatoribus infeſtor, ut me ſuffurari quodammodo neceſſe ſit otium, quod de die precibus impendo. Atque hæc ad iteratam tuam reprehenſionem regerere volui: quæ ut in meliorem partem interpreteris, rogo. Vale mi Gittichi. Dab. Ged. XVI Dec. MDCXLII.

424

425

XCIII.

M. GITTICHIVS M. RVARO.

DVo ſunt, quæ in tuis ſermonibus in menſa D. Moskorovii noſtri mira,

a) Quibus etiam ipſi in dogmatibus fides tantum tribuunt *Sociniani*, ut pro ſua ad eorum conſenſum doctrina corroboranda haud raro teſtimoniis inde deſumtis pugnent. Quorum proinde etiam pietati majus aliquod pretium ſtatuere non dubitare deceret. Secula ſequentia non male propter ſuperſtitiones paullatim inoleſcentes ſuſpecta habentur. Patribus Eccleſiæ promiſcue omnibus, vel humanam, ut teſtium Chriſti virorumque pietatis laude ſpectabilium, auctoritatem adjudicare, eosque pipulo differre, *Gittichio* proprium fuit.

mira, & tua eruditione atque auctoritate a) minus digna, fratribus videbantur. Alterum, cum in sermonem de jejuniis essemus delapsi, & tu in vestris ædibus alios hunc, alios alium diem jejunio suo destinasse dixisses, te tibi in eum usum diem Veneris elegisse; idque in memoriam passionis Domini, qui eo die crucem pro nobis subierit. Alterum, te quoque eodem die peracto jejunio a carnibus penitus abstinere, ut te quoque ad similitudinem Christi in carne conformes. De his tuis verbis monendum esse te existimavi, ne te ulla superstitione obstringas, aut saltem occasionem ita de te statuendi cuiquam præbeas, ut quidem Czarkoviæ factum, cum a te ista profecta esset oratio; & quod maxime verendum est, ne in confinia doctrinæ dæmoniorum delapsus videaris, & tuo exemplo (quod celebrium virorum exempla 426 facere consueverunt) cuiquam ruinæ periculum struas. Non videtur ergo quidquam ad rem nostram facere, cum jam scribis, an jejunia religionis causa suscepta tibi dæmoniorum doctrina? Quid enim ista quæstio ad meam sententiam, qui in eo dæmonum doctrinam, quod ad dierum & ciborum discrimen attinet, sitam existimo, si quis statuat (quod jam faciunt Pontificii) omnibus diebus Veneris necessario b) jejunandum, a carnibus, ovis, & lactariis iis diebus omnino abstinendum: ideoque tibi videndum esse dixi, ne merito in confinia doctrinæ dæmoniorum alicui delapsus videaris, qui sanctius tuum jejunium esse statuis, (ut quidem tua verba præ se ferebant) quod hoc potius quam alio die jejunes; & quod magis istam de te suspicionem augere

 potest,

a) Vel hinc apparet, quanta fuerit *Ruari* inter sodales, ob doctrinam eximiam, vitamque integram scelerisque puram, veneratio, ut a factis quoque ejus *Gittichius*, nescio quod, contagium, metueret. Adde verba ad finem usurpata: *Propter tuas excellentes animi dotes, ob quas te omnes magni faciunt* &c. unde, quanta fuerit *Ruari* auctoritas inter suos, adhuc luculentius patet.

b) Iniqua imputatio. *Necessaria* hæc esse, *Pontificiorum* error est. Aliorum, quibus subsidiarium præstant, *libera* ad *removenda* devotionis pleni ventris *impedimenta* animumque *expeditiorem* reddendum, nonnihil faciens, atque *hactenus* etiam laudabilis in eo adminiculorum genere, *ad* hunc *usum accommodatio*. Quæ sint doctrinæ dæmoniorum, in rebus hujusmodi per se indifferentibus, & abusui quoque vario expositis, confinia, ex ipso usu singulorum animoque utentium, cæterisque circumstantiis, pie & prudenter æstimanda sunt; quia, ut facile hallucinandi materiam præbent, male & superstitiose utentibus, ita minus recte etiam de aliorum hominum actionibus judicio, charitati sinceræ repugnanti & libertatem Christianorum plus justo adstringenti, materiam exhibere solent. Posterius, quam proclive sit, *Gittichius* exemplo hoc suo, paullo inclementius de innoxio jejunii *Ruarini* usu sentiendo, demonstravit. Prius autem quotidiana, & in Papatu præsertim obvia, experientia confirmat.

poteſt, quod ad rationem Pontificiorum iis diebus, & quidem ut cum Chriſto patiaris in carne, (quod tamen nihil omnino communionis habet cum paſſione in carne) a carnibus te abſtinere dixeris. Auges etiamnunc iſtam de te ſuſpicionem, cum ſtatuis, ſanctius a) & religioſius eſſe D. Slichtingii jejunium, & te ab illo ſuperatum aſſeris, quod is poſt peracta jejunia ſolo fere pane cœnam abſolvat: ideoque etiam fieri poſſe ſcribis, ut exemplum ejus in poſterum æmuleris. Quid ſi aliquis etiam inter noſtros exiſtat, qui peracto jejunio ſolo pane contentus, ne cereviſiam quoque attingere velit, ſed ſolam pauculam 427 aquam bibat? iſte quoque, quia & te & D. Slichtingium ſuperaverit, imitandus tibi videbitur. Ex his gradibus ſuperſtitio in doctrinam dæmoniorum delapſa, ex animis plurimorum mortalium veram & ſolidam pietatem exturbavit. Morem iſtum D.Slichtingii ego non condemno, dum modo ille non ſtatuat, ſuum jejunium ſanctius eſſe, quam tuum, qui etiam lactariis abſoluto jejunio uteris, & aliorum, qui hoc ſpectant, ne ullas compedes libertati Chriſtianæ injiciant, b) & aliis ſuo exemplo in doctrinas dæmoniorum ruinæ periculum ſtruant, ideoque quibusvis cibis promiſcue, moderate utuntur, & carnes etiam ad ſuas cœnas adhibent; ſi item ſua jejunia ad diem Veneris non aſtringat. Hoc enim illius exemplo facilius adhuc quam tuo, qui tum lactariis veſceris, in doctrinam dæmoniorum quispiam ruere poſſet. Nihil etiam ad quæſtionem noſtram facit iſta tua quæſtio de juvene, qui ut caſtimoniam facilius obſervet, ab iis cibis & potionibus abſtineat, qui luxurioſius corpori nutrimentum præbeant. Quæſtio enim noſtra eſt de ſolis diebus Veneris, & iis cibis, qui tum peracto jejunio moderate ſumuntur. Si enim talis juvenis frugalitatem ejusmodi ſuam ad ſolos dies Veneris adſtringat, c) non dubito, quin tu quoque iſtam illius rationem tuendæ caſtitatis non religioſam, ſed ſuperſtitioſam, imo etiam ex fontibus doctrinæ dæmoniorum hauſtam, ſis appellaturus. Ne id

a) Parum abeſt, quin calumniarum in cenſum hæc referam. Sed cauſſam *Ruari* non ago. Ipſe ſane de injuria ſibi illata non male conqueſtus eſt.

b) Recte: ſed cum larvis luctatur *Gittichius*. Neque enim alia mens quoque fuerat *Ruari*, niſi me omnia fallunt. De cætero nec imitatio harum rerum dedecet, modo & animi atque aliarum circumſtantiarum, habeatur ſimul ratio, ne turpis inde naſcatur κακοζηλία.

c) Heic mihi, ſi quid judico, jejunia, quæ ſint atque eſſe debeant *temperantiæ* in univerſum provehendæ *adjumenta*, cum *ſubſidiis* μνημονευτικοῖς, quibus *Ruarus* potiſſimum utebatur, videtur commiſcere *Gittichius*. Vnius certe diei a ſucculentioribus cibis abſtinentia, *parum*, niſi illis forte, qui ſunt nimis vegeti aut valde laſcivi, ad ſummam rei proderit.

id quoque quidquam ad thesin meam pertinere videtur, cum ad mea 428 verba respondens ais: Si nihil interest, quo die passionis Domini memoria celebretur, cur ergo non pateris eo die me id facere, quo mihi lubet? Non enim de die simpliciter inter nos quæstio est, sed de eo, quod tu sanctius a) tuum jejunium statueres, quod illud eo die, quo Dominus passus est, in honorem & memoriam b) ejus passionis (hoc enim significare videbantur tua verba) celebres. Non id quoque ad fulciendam tuam istam causam quidquam facere videtur, quod ipse Deus sub V. Fœdere eos dies memoriæ certorum suorum beneficiorum celebrandæ consecraverit, quibus ista beneficia suo populo exhibuit; quodque id etiam populus ille in aliis Dei beneficiis celebrandis absque ullo mandato Dei observaverit. Hoc enim maxime pertinebat ad carnalem illum cultum: c) hoc ad puerilem illam religionis ætatem fuit accommodatum. Novi Fœderis, quod nos ab omnibus istis puerilibus avocat, longe alia est ratio. Hinc est, quod Apostolus 2 Cor. V, 16. dicat, *itaque nos posthac neminem novimus secundum carnem:* d) *quod si etiam cognovimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius novimus.* Puerilia ergo jam ista sunt adultis Dei cultoribus omnino omittenda, ad certos dies memoriam aliquorum Dei beneficiorum adstringere, & alium quidem diem passioni, alium resurrectioni, ascensioni Christi alium, demissioni S. Spiritus in Apostolos item alium assignare. Istæ compedes e) veram & solidam pietatem e medio 429 Christiani populi penitus sustulerunt, & prima incunabula doctrinæ dæmoniorum, & omnis idolomaniæ inter Christi nominis professores exstiterunt. Quod in Europæis oris die Dominico potius quam alio ad rem sacram conveniamus, & ab omni servili opere abstineamus, duplex f) causa est. Politica altera, quod scilicet omnes tum otientur. Altera theologica, ut scandala vitemus, quæ maxime inde, si secus fa-

 cere-

a) Accusatio falsa, ut opinor, male supra jam effusa, pejusque heic repetita.

b) Aliquo certe modo constantius conservandam & utcunque promovendam.

c) De cultu disputat, cum alii de *libero & subsidiario* usu loquantur.

d) Dubito, utrum verba hæc *Paulli* ad cultum Judæorum carnalem h. e. externum spectent, & *carnalem de regno Christi* potius *opinionem*, Judæis fere communem omnibus quo & *Apostoli* olim ducebantur, cum spirituale sit, novaque ex regeneratione creatura contineatur, ea rejicere existimo.

e) *Compedes* sane, non qualiacunque hujusmodi exercitia.

f) Tertia omissa est, *commoda verbi divini in publicis conventibus prædicatio*, cum *memoria Resurrectionis Christi* conjuncta, huic diei maxime consentanea. Quicquid sit de origine Sabbathi N. Test. ab exemplo ne an mandato Apostolico deducenda, de qua in præsentia non disputabimus.

ceremus, oriri possent. In Lituania a) nostra duas solenniores congregationes nostras, alteram xxv Januarii, x Julii alteram, b) sive id tempus in diem Dominicum, sive in diem Martis, Jovis, & alium aliquem incidat, ob solas politicas causas celebramus. Alienissimum id a me est, ut te peracto jejunio carnibus præcise vesci jubeam, & jugum istud tibi imponam. Non tibi jugum ullum impono: sed ne tuo exemplo compedes libertati Christianæ injicias, & vitium aliquod sanctissimæ religioni Christianæ offeras, laboro. Ideoque sententiam tibi meam, in qua adhuc sum, considerandam propono, satius esse statuens, ut tu peracto jejunio die Veneris, quem tibi in eum usum destinasti, carnibus modice, aut etiam infra modum sumtis, si ita copiosius ex illis nutrimentum refugis, vescaris, quam ut omnino c) ab illis abstineas. Illa enim ratione (quod semper omnibus religionem Christianam probe edoctis etiam atque etiam videndum) nemini fidelium ullum unquam offendiculum præbere poteris; hac vero facillime poteris. Quod neminem adhuc videris, cui periculum esset a tuo exemplo, id non præcludit ei periculo viam. Qui scire possumus, quid in animo hujus vel illius jam agitetur, multo vero minus, quid postridie aut perendie agitari possit? Qui statuere potes, omnibus, quibus de ratione ista tua, quam domi observas peractis jejuniis, constat, sensum etiam mentis tuæ in ea ratione esse perspectum? Præstat autem viris cordatis, Christianam religionem probe edoctis, semper tutiora sequi, & ea via incedere, in qua neque est, neque esse unquam potest quidquam ulli fidelium periculi, quam ea, ex qua, ut olim pericula extiterunt, ita etiam nunc aliquando oriri possunt. Impietatem & doctrinam dæmoniorum, quod ad discrimina dierum & ciborum attinet, in eo statuis, si ipsis diebus religionem, aut cibis impietatem inesse putemus. Fortasse scribere volebas, d) non ipsis cibis inesse impietatem,

430

a) Vbi docebat *Gittichius*. conf. ep. 65. subscriptionem pleniorem.

b) Quæ fuerint & cujus generis, quave de caussa hoc die fixo celebratæ congregationes, mallem distinctius expositum esse. *Singulares* interim circumstantiæ singulares quoque caussas subindicare, quis non videat? Vtut sit; ad præsens tamen argumentum id parum facit. Aliis certe diebus etiam cœtus alibi convenisse, & ea quoque occasione *Gittichium*, ut publice concionaretur, usum esse fatum illud, quod subiit, & grande periculum, de quo *Lubienicius* in *Hist. Ref. Polon.* L. III. c. XIII. f. 258. seq. exposuit, testatur.

c) Vt ab omni nimirum specie ejus, quæ in Pontificia Ecclesia regnat, superstitionis abstineat, hæc videtur suasisse *Gittichius*, hactenus assensu non indignus.

d) Immo vero *utrumque*, si quis credat, impium esse, scripserat *Ruarus*; ab utroque autem se quoque alienum esse animo, idem jam sæpius testatus fuerat.

tem, ſed cibis aliquibus certis diebus veſci eſſe impietatem. Hoc ipſum eſt, quod ego vereor, ne quis de te ſtatuat, & tuo exemplo mentis tuæ ignarus in eam ſuperſtitionem delabatur: ideoque cuperem, ne etiam tantillum in te ſit, quod cuiquam vel tenuiſſimam de te ſuſpicionis ſpeciem præbere poſſit. Facile autem in eum de te errorem aliquem incidere poſſe nemo inficias iverit, qui videat impietatem iſtam univerſum orbem a) oppreſſiſſe, & pro eximia aliqua pietate & pro ipſiſſima 431 domitione cupiditatum carnalium vulgo haberi. De antiquitate in religionis negocio idem etiam nunc ſtatuo, extra ipſas S. N. fœderis literas, & in iis exempla Apoſtolorum, nullius omnino antiquitatis habendam cuiquam Chriſtiano ullam rationem. Cum enim non ſecundi tantum, ſed etiam primi b) ſeculi poſt fata Apoſtolorum antiquitas, cujus tu aliquam rationem habendam ſtatuis, nihil aliud fuerit, quam nidi, in quibus pii iſti, quos dicis, viri plurima variorum errorum & ſuperſtitionum ponebant ova, ex quibus poſtea omnis impietatis & doctrinæ dæmoniorum pulli excludebantur; quis non videat, a ſolis S. literarum teſtimoniis & exemplis omnibus, qui in errores aliquos delabi nolint, pendendum, neque quidquam ad ullos alios doctores & pios viros attendendum: idque ob eam etiam cauſam, quod nulli errores, nullæ ſuperſtitiones in Eccleſia ad plebem promiſcuam Chriſtianam, aut profanos & impios aliquos homines, ſed omnes ad viro eruditionis & pietatis gloria celeberrimos, referendæ ſint. Videre id eſt ex iſtorum, quæ habemus, ſcriptis. Permirum, quod ſtatim a fatis Apoſtolorum omnes in varios errores proruerint. In doctrina de Deo, Chriſto & Spiritu ſancto quantum apud iſtos chaos, c) quæ & quanta contradictionum contorta portenta! In doctrina de Juſtificatione quantæ tenebræ! Origenes, d) quo nullus inter Græcos

a) *Pontificium* fateor; ſed de univerſo ſimpliciter id nemo facile auſit affirmare.

b) Dura & injuria in univerſam Eccleſiam etiam Apoſtolicam ſententia & ſupercilii aliquid olens. Forte & ipſi ritus ab Apoſtolis, cujusmodi *Paullus* plurimos conſtituit, ordinati inter hæc ova referre, homo iſte aſperrimus non dubitavit. Ita fit, ſi nobis ſolis ſapiamus, aut ex altera parte antiquitatem Eccleſ. ſupra cœlos evehamus. Medio tutisſimi eunt, qui ceremoniis priſcis & ultimæ vetuſtatis veſtigia demonſtrantibus, dignitatem rituum relinquant juſtam, longius autem, quam τάξις & ἐυσχημοσύνη Eccleſiaſtica permittit, eas non extollunt.

c) En cauſſam, cur tantopere exoſi ſint *Gittichio* Patres, etiam *Anti-Nicæni*. Ratio in promtu eſt; *Sociniani* non erant, ſed rectius de *Sanctiſſima Trinitate*, tametſi verbis non iisdem, quibus poſteri cautiores myſterium hoc exprimerent, ſentiebant.

d) Origenis unius auctoritate, nec Chriſtiana nec Romana res ſtatque caditque. Quid ergo ejus in quibusdam diſſenſus

432 cos doctores pietate & eruditione excellentior, in Epiſt. ad Romanos lib. 11. cap. 2. aſſerit proprie nos a diabolo redemptos, diabolo quod poſcebat pretium ſanguinis Chriſti datum. Qui ergo inter iſtos locum habere poterat vera & ſolida pietas Chriſtiana? Vt quisque ſe magis ſuperſtitionibus aliquibus obligabat, ita etiam pietate & eruditione celeberrimi doctoris nomen magis merebatur. Videre id licet imprimis ex epiſtola Baſilii a) de ſua vita ſolitaria ad Gregorium theologum. Is enim humilitatis Chriſtianæ ſtatuebat interdum dejectos habere oculos, habitum neglectum, ſqualidam comam, veſtem ſordidam, tunicam unam craſſam, ut alio non opus eſſet indumento. Quod ad victum attinet, ſolo pane & aqua, & ex leguminibus obſoniis contentus erat. Hæ ſuperſtitiones, quibus poſtea & ſemetipſum & alios quamplurimos ſuo exemplo (cum auctor vitæ monaſticæ exſtitiſſet) in doctrinas dæmoniorum præcipitavit; hæ, inquam, ſuperſtitiones ora & oculos omnium in ipſum converterunt, & ut poſthac non amplius ſimpliciter Baſilius, ſed Magnus Baſilius ab omnibus ſalutaretur, effecerunt. Hinc eſt, quod Egeſippus primus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor referente Euſebio lib. 3. capite 32. aſſerat, *Eccleſiam Chriſti ſola ætate Apoſtolorum virginem puram & incorruptam fuiſſe: iſtis e medio ſublatis, impii erroris conſpirationem in Eccleſiam irruiſſe, eamque oppreſſiſſe.* Ni-433 hil ergo omnino eſt, quod tu talia non nudius tertius exorta, ſed recente adhuc Chriſtianiſmo poſt fata Apoſtolorum uſurpata fuiſſe ſcripſeris, quodque illius antiquitatis, quæ primo ſaltem & ſecundo ſeculo poſt fata Apoſtolorum fuerit, habendam in his aliquam rationem ſtatuas. Imo tanto magis talia omnibus fugienda, quod per ea ab ipſis fatis Apoſtolorum omnis vera & ſolida pietas ex Chriſti Eccleſia excluſa, ſuperſtitiones autem & doctrinæ dæmoniorum omnia oppreſſerint; ut vel ex iſta vivendi ratione Baſilii videre potes: quæ quidem multo magis tibi, quam Slichtingii cœnandi ratio poſt jejunia, ſi quid in his eſſet religionis, b) invidenda & imitanda eſſet,

cum

cauſæ Eccleſiæ communi noceat? Vt ambiguitatem verborum, quibus uſus eſt, incommodorum omittam. Largiatur nobis *Gitticbius* pretium proprie dictum, a Chriſto patiente ſolutum, idque ἰσόῤῥοπον, & facile de eo, cuinam datum illud ſit, conveniemus.

a) Dudum faſſi ſunt noſtri, Sec. IV. jam plurimos ad ſuperſtitiones monaſticas, interque hos cumprimis *Baſilium* Græcorum Monachorum Patriarcham haud injuria dictum, præcipites ruere cœpiſſe, quosdam autem dominium in regimine Eccleſiaſtico affectaſſe, aut alio modo libertate externa h. t. divinitus conceſſa, abuſos eſſe. Sed quid hæc ad rhombum? De Patribus non his, ſed antiquioribus *Ruarus* egerat.

b) Redit ergo hæc, bonam partem, diſputatio ad quæſtionem: Vtrum jejunia, præſertim illa, quæ *Ruarus* obſervabat, ad

cum ille fortaſſe cerevifia poſt jejunia utatur, Baſilius autem ſolo pane & aqua ac leguminibus perpetuo viveret. Hæc ſunt, quæ mihi adhuc ad tuas literas de tuorum jejuniorum ratione ſcribenda eſſe putavi, non aliquo tui offendendi, quod a me alienisſimum eſt, ſed libertatis Chriſtianæ ſartæ tectæ in noſtris Eccleſiis ubique conſervandæ ſtudio. Tuum eſt etiam atque etiam omnia expendere, & videre ne qua ratione opus Domini perdas, ne tuo exemplo libertati Chriſtianæ vincula injicias, & ſanctisſimæ religioni Chriſtianæ aliquod vitium offeras. Propter tuas excellentes animi dotes, ob quas te omnes magni faciunt, & ſigillatim propter ſingularem tuum in me amorem, nemini ſum in te colendo ſecundus. Tu me tuum amare non deſinas, & meam ſcribendi ad te libertatem, quod te hactenus feciſſe non dubito, meo in te ſingulari amori, & noſtræ religionis ſanctitati tribuas. Quod ad Grotium attinet, dignisſimum eſſe judico, qui depreſſa ſuæ eruditionis, qua vehementer abuſus eſt, gloria, bene depectatur, a) & vapulet, cum in tanta luce Evangelii tenebras clarisſimæ veritati offundere, & antichriſto ſuam operam navare, quam veritatem contra antichriſtum tueri & propugnare maluerit. Non dubito, quin Arminiani prævideri nt, daturum illum hujus ſuæ temeritatis graves pœnas Calvinianis; ideoque illis iſtam provinciam, in ipſius libellum de antichriſto ſcribendi, de induſtria reliquerint. Indignum certe homine Chriſtiano, ita paci & quieti publicæ ſtudere, ut per eam Chriſtiana veritas aliqua, nedum tam inſigni injuria afficiatur, b) Chriſtus Jeſus Dominus & Salvator noſter ſervet vos omnes incolumes. Ex ædibus generoſi D. R. Koſi. cIↄIↄcXLII. XXI Jan. 434

Xx XCIV.

religionem pertineant. Quam, qui diſtinctionem inter ea, quæ *directe* & *indirecte*, miniſterii ſcilicet ad modum eo ſpectant, applicare voluerit, facillime ſolvet.

a) Factum id eſt ab adverſariis diverſi generis ac tandem ab ipſo DEO O. M. qui *abuſui* illaudabili, ut puto, *ingenii* ſubtilioris & eruditionis diffuſæ, vitam ejus maturius finiendo ſingulari providentia, finem p. p. impoſuit. Eventus certe, quicquid ſit de verbis in hunc ſenſum a *Grotio* moriente, ut *Bælius* narrat, pronunciatis, *multa agendo nihil eum egiſſe*, docuit.

b) De veritate nunc non diſputamus, ſitne ea, quam *Gittichius* tuebatur. Ipſe profecto, quem tantopere æſtimavit & ſecutus eſt præeuntem *Grotius*, G. *Caſſander* in *Judicio de off. pii & publ. tranquill. vere amantis viri* f. m. (ed. Lugd. 1617. 8va) 45. In *concordia* (inquit) *&* *pace* (Eccleſiaſtica) *concilianda id cavendum eſt, ne quævis tranquillitas & quies, quæ etiam in ſumma ſervitute & corruptiſſimo Eccl. ſtatu eſſe poſſit, pro Chriſtiana pace ſuſcipiatur. Ea enim demum vera, ſolida & Chriſtiana pax eſt, quæ cum DEI gloria & voluntatis ejus obſecutione conjuncta, & ab omni corruptela cæleſtis doctrinæ & divini cultus ſejuncta eſt.* Paucis: Maledicta ſit charitas, quam non conciliat veritas.

XCIV.

M. RUARUS M. GITTICHIO.

Miror te mihi toties objicere, quod ſanctius ducam jejunium die Veneris, quam quovis alio celebratum, cum illud tamen (quod ſciam) neque dixerim, neque ſcripſerim: imo contrarium ex eo appareat, quod alios iisdem in ædibus mecum viventes arbitrio ſuo in 435 deligendo jejunii die libere frui permittam; cui certe aliquantum intercederem, ſi plus ſanctitatis in meo more ineſſe crederem. Illud tamen non perinde tibi do, ne quanto ſeverius obſervetur jejunium, tanto plus illi ſanctitatis inſit, ſi modo cætera ſe recte habeant. Quis enim negabit, triduanum illud Ninivitarum jejunium ſanctisſimum fuiſſe; ut quo & Deus ad remittendam pœnam civitati peccatrici intentatam impulſus fuit? a) Itaque nec mireris, quod Slichtingius ſtrictiore ſuo jejunio ad æmulationem me provocaverit. Interim ſcio, Slichtingium exemplo ſuo nemini legem figere: nec magis id ego cogito, etiamſi exemplo præeuntem ſequerer. In abſtinentia a carnibus non plus religionis colloco, quam in abſtinentia ab aliis cibis, qui luxuriem corporis alere poſſunt. Si viverem iis in locis, ubi periculum eſſet a forma mei jejunii, tuam legem non invitus admitterem: at hic nondum eſt, quod morem me meum migrare cogar. Nec raro tamen, ut & antehac tibi innui, etiam hic eum deſero: nempe cum cauſſa aliqua juſta occurrit, verbi gratia cum die Veneris vel hoſpes ad prandium offertur, vel ipſemet ab aliquo invitor, cui commode negare nequeo, vel valetudo cibum requirit. Sic & carnibus eo die ſine religione veſcor, cum vel ab aliis forte offeruntur, vel culinæ meæ ratio non aliud, quod ſuggerat, habet. b) Cum vel horum vel ſimilium nihil

a) Fallitur *Ruarus*, ſi propter jejunium peccatorum remisſionem contigiſſe Ninivitis exiſtimat. Veram enim pœnitentiam ſpectaſſe reapſe demonſtratam ipſe Spiritus S. ait. *Illamque ſeriam & non hypocriticam fuiſſe, teſtabantur externa ſigna,* inquit b. noſter ad Jon. III, 10. *Winckelmannus.* Nec male & brevius, ſanatæ mentis indicia vocat *Grotius.* Inter quæ ſi diuturnum jejunium numeres, certius id fuiſſe & illuſtrius præ cæteris forte dixeris; *Sanctius* autem commode vix quisquam, niſi *Ruarus*, appellare auſit.

b) Quæ manifeſta erant animi liberrime ſubſidiis hujusmodi utentis ſigna & indicia; Eaque tantum abeſt, ut adverſentur jejuniorum naturæ & ſcopo, prout Chriſtianis illa inſerviunt atque conveniunt, ut non male *Frid. Vlr. Calixtum* in pereleganti *de jejunio* diſſert. anno 1676. Helmſt. publicata ſcripſiſſe exiſtimem, hanc & non aliam *rationem* eſſe, *cur Servator noluerit corporalem illam ἄσκησιν proprie dicto aliquo præcepto omnibus fidelibus univerſaliter imponere; quod tale mandatum non omnes potuiſſet* obligare. *Nam reperiuntur nonnulli* (v.g. bilioſi & acidis humoribus repleti) *qui per naturam jejunia vix*

nihil obſtat, quis vetabit, quo minus vel jejunem, cum mihi placet, vel eo veſcar, aut abſtineam, quod viſum fuerit? Nullum ego laqueum ſciens aliis ponam: ſed nec mihi legem ponat quisquam præter eum, quem Deus nobis legislatorem præpoſuit, Chriſtum. Antiquitati hoc apud me privilegium eſt, quod in moribus ævi Chriſti aſcenſioni in cœlum proximi, nihil ſine gravi ratione damnare audeam: at poſteriorum ſæculorum inſtituta, etiam antequam ea excuſſero, vel ob hoc ipſum mihi ſuſpecta ſunt, quod invaleſcente Antichriſti regno obtinuerint: nec hujus me judicii adhuc pœnitet. a) Adſit nobis Dominus Jeſus, dirigatque pedes noſtros in via veritatis atque pietatis. Tu Deo precibus incolumitatem noſtram commenda, atque vale, Vir clarisſime. Dabam Gedani III Martii, cIↄIↄcXLIII.

436

XCV.

M. GITTICHIVS M. RVARO.

CRamben de tuis verbis in menſa D. Moſcorovii nolo amplius recoquere. Adſit nobis Dominus, ne cuiquam noſtræ vitæ exemplo ullos unquam laqueos ſtruamus. Hoc mihi permirum, quod tu, (pace tua quæſo dixerim) alio verba mea deflectas, & quod dicitur, quærenti de cæpis de allio reſpondeas. Non eſt inter nos quæſtio de ipſis jejuniis, ſed de cœnis, b) quas poſt peracta jejunia ſumimus. An ſcilicet ex diverſitate ciborum in iſtis cœnis aliquod ſanctitatis pondus jejuniis veſtris accedat. Ponamus verbi gratia, tres aliquos pios fratres, qui ſingulis hebdomadis unum diem jejunio conſecraverint, æque autem omnes tres jejunia illa precibus & ſanctis meditationibus peragant: abſoluto vero jejunio primi cœna ſit ſola buccella panis, cum hauſtu cereviſiæ, ſecundi unum ſorbile ovum, tertii fruſtulum carnis. Nego ſanctius c) ſtatuendum eſſe primi jejunium propter ſuam ejusmodi Pythagoricam cœnam, quam ſecundi, & tertii. Imo exiſtimo ad ſuperſtitionem Baſilii Magni proxime accedere, & in confiniis doctrinæ dæmoniorum verſari, qui id ſtatuat. Quorſum ergo

437

 tu

poſſunt tolerare, & quibus, ad vacandum piis meditationibus & precibus, illa magis obſunt, quam proſunt.

a) Neque eſt in hoc judicio, quod jure improbari posſit, niſi ab iis, qui vel *Gittichiano* antiquitatis contemtu ſuperciliosſo, vel ſedis Romanæ cœca veneratione in corruptæ jam Eccleſiæ ætate atque inſtitutis errorum & ſuperſtitionum qualiacunque pigmenta quærendo in transverſum abripiatur.

b) Mihi de utroque diſputatum fuiſſe & controverſiæ ſtatum mutari videtur.

c) Prior cantilena, ſed ficta ſimul adverſæ ſententiæ larva, cum qua *Gittichius* luctatur.

tu hic in exemplum affers triduanum Ninivitarum jejunium, cum tibi de cœnis Ninivitarum post peractum illud jejunium fuisset dicendum? Licet non sim nescius, puriorem aliquanto esse eam aquam, quæ ex aliquo limpidissimo fonte per lutulentos campos fluat, quæ ipsi fonti propior sit: qui tamen purissimam aquam habere velit, satius esse judico, ut illam ex ipso fonte, quam ex rivo, quantumvis ipsi fonti proximo, hauriat. Nulli antiquitati a) extra ipsas Sacras Novi Fœderis literas quidquam in religionis negotio tribuendum puto. Periculosissimum enim id esse vel ex ipso die Veneris video. Perscrutatus diligentissime in historicis, quo tempore primum tanta religio ei diei haberi cœperit, ut nefas statuatur, quidquam eo tempore de carnibus gustare, nusquam id reperire potui. Vnde colligo, tam antiquam istam doctrinam dæmoniorum b) esse, quam antiqua est ipsa doctrina Apostolica, & statim cum ipsa nascente religione Christiana in aliquibus nominis Christi professoribus natam, progressu temporis crevisse ad tantam auctoritatem, quantam jam in Ecclesia Romana videmus. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi vos omnes conservet incolumes. VI Apr. CIↃIↃCXLIII.

438

XCVI.

M. RVARVS M. GITTICHIO.

QVoniam cramben nostram recoquere non vis; ego illam quoque missam facio. Objicis tamen, quod de alliis tibi quærenti de cæpis responderim. Sanctius quippe agnoveram jejunio meo illud Slichtingii, qui suum solius panis esu aquæque potu finire soleat. Ais autem, male huc me trahere exemplum Ninivitarum, qui jejunium in triduum produxerunt, cum de cœnis eorum post jejunium peractum dicere debuissem. Fateor sane exempli diversitatem, si stricte mecum agere velis: manet tamen illud, quod intenderam, jejunio sanctitatem

a) Nullum ergo *Martyribus* Christi, non certe sine caussa hoc titulo a *Servatore* suo condecoratis, pretium statuis, *Gittichi.* Vereor, ne in ipsum Dominum recidat hæc servis fidissimis injuria. Nobis satius videtur aliquam ei auctoritatem, sed divinæ subjunctam, in rebus præsertim a DEO non definitis, cujusmodi disciplina & ceremoniæ esse solent, puriori Ecclesiæ tribuere, quam nullam.

b) Aliud vero *jejuniorum antiquissimæ rationes* docent, quæ ut libera erant, antequam *Montanus*, quem *Eusebius* L. V. H. E. τὰς νηστείας νομοθετήσαντα appellat, duriora traderet; ita neutiquam in abstinentia a carnibus quibusdam, sed omnimoda inedia vel *Xerophagia* consistebant, & ratione circumstantiarum mirum in modum discrepabant: Vt taceam Apostolum de ὑστέροις temporibus loqui 1 Tim. IV, 1. seq. ac proinde has corruptelas ab ævo Apostolico longius sejungere.

tem a) aliquam accedere, cum parciore gulamque minus irritante cibo finitur. Sicut enim, quæ ipsius jejunii tempore a nobis fiunt, ita & ea, quibus illud vel incipimus, vel finimus, commendare Deo jejunium nostrum possunt. Dabo etiam tibi hoc, non multum interesse, 439 sive *quis* buccellam panis, sive sorbile ovum, carnemque assam cum pane, addito fortassis etiam vini aut cerevisiæ haustu, *sive* solum panem cum aqua *in cœna sumat*; *modo etiam hoc mihi des*, illis appositis magis, quam his appetitum invitari, & ut pari sumantur mensura, majorem tamen durare carnis castigationem inter cibos potumque minus sapidum. De antiquitatis prærogativa scripseram, hoc honoris illi me deferendum existimare, ut, quæ primo aut secundo post Apostolorum exitum seculo a viris in Ecclesia piis observata legam, non tam facile contemnam, quam quæ proximis aliquot seculis ab hominibus idololatriæ ac superstitionis convictis ortum duxerunt: addideramque, aquam quanto longius a fonte, tanto plerumque lutosius fluere. Hic tu reponis, satius esse, ut, qui limpidissimam velit habere aquam, eam potius ex ipso fonte, quam ex rivo fonti proximo hauriat. Atqui hoc nihil facit contra id, quod ego dixeram, qui non aquam rivi cum fontis, sed rivi fonti propioris cum remotioris contuleram. Sed pejus adhuc inde concludis, nihil ulli antiquitati extra Sacras literas in religionis negotio tribuendum. Atqui jam tribueras rivo fonti proximo aquam limpidiorem, b) quam eidem longius inde provecto. Si tamen hoc dicere vis, ab antiquitate nos ad nulla obstringi sive dogmata, sive præcepta, quæ Sacris literis sint ignota; tecum sentio, ut qui jam 440 ante tibi quoque scripseram, fateri me, nullum errori ab ætate veritatis accedere privilegium, nec minus fugiendam inveteratam superstitionem, quam quæ heri nudiusve tertius invaluerit. At eo non tollitur id, quod dixeram, ut illa damnem, quæ proximis ab Apostolorum exitu seculis a viris in Ecclesia piis usurpata legam, rationibus me convincendum esse, cum ea, quæ nuper invaluerunt, ab ipsa ætate sequioribus-

a) Si qua sit jejuniis adscribenda *sanctitas*, non alia erit, quam ἀσκητική h. e. *ministerialis*, cujusmodi fere relativam & Ecclesiasticam vocare solent Theologi, & ab *interna* animorum ac personarum discernunt, quam integro libello *Jos. Medus* explanavit. Facile hinc patet in λογομαχίαις tandem *Gittichii* & *Ruari* hanc disceptationem desiisse.

b) Neque potest etiam quisquam aliter sentire, nisi omnes errores & superstitiones, non paullatim, sed ipsis adhuc Apostolis viventibus pleno sacco effusa esse, in Eccles., quod historiarum monumentis aperte refragatur, statuat. Qua ipsa de caussa priorum seculorum integritati, justa quidem, aliqua tamen prærogativa atque *veneratio* debetur. Qua de Th. *Creenius* ejusdem *Medi* alteram differt. in opusculis Philolog. recusam nobis dedit.

ribusque autoribus mihi suspecta sint. Sed iterum ad disputationes delabimur, quibus jam volueramus finem imponere. Vale, Vir clarissime Gittichi, & Deo incolumitatem nostram precibus tuis commenda. Dabam Gedani XXII Maji, cIↄIↄcXLIII.

XCVII.

EX LITERIS M. GITTICHII AD M. RVARVM. XIV Julii, cIↄIↄcXLIII.

TRiduanum jejunium Ninivitarum fuisse, non tuus tantum lapsus est, sed meus etiam, antequam S. literas inspexissem, fuit, & fratrum Stoiniorum, a) & aliorum, quibus eam quæstionem in hac præterita nostra Szedliscensi congregatione proponebam, Ecclesiarum Christi ministrorum. Mirum, unde is error in animos nostros (qui tamen in diversis, & a se satis remotis locis educati, & a diversis præceptoribus instituti sumus) irrepserit. Ex subtili aliqua patrum ratio- 441 cinatione illum profluxisse arbitror. Legi quondam in Bernardo Abbate Clarevallense, Christum non pro iis tantum, qui a sua nativitate exstiterunt, & ad consummationem mundi futuri sunt, sed pro illis etiam, qui illius in mundum adventum ab ipso mundi exordio antegressi sunt, satisfecisse. Rationem hujus suæ sententiæ attulit, quod non solum subsequens Christum Hierosolymam proficiscentem, sed etiam antecedens turba b) clamaret, *Hosanna filio Davidis*. Ad eundem modum hoc quoque æque subtili ratiocinatione ab iisdem patribus esse ortum puto; triduanum scilicet fuisse Ninivitarum jejunium, c) eo quod Ninive esset urbs magna itineris trium dierum. Vale, plurimum amande & honorande in Christo frater, & me tui amantissimum redama.

XCVIII.

M. RVARVS CVIDAM.

INspecto propius loco ad Colossenses secundo, de quo heri mecum, Vir clarissime, egisti, videor mihi istic animadvertere, vanam illam dece-

a) *Christophori* & *Petri* forte & *Johannis*, *Petri* secundi *filii*, quorum priores eo quoque tempore, quo *Altorphi Socinismus* clam nonnullis propinatus est, studiis operam dedere. Vtut solus *Johannes* scriptis inclaruerit.

b) Vsi sunt hac similitudine plures post *Bernhardum* clarissimi Viri, non tamen eo fine (quod *Gittichio* forte visum) ut efficaciam illam plenæ satisfactionis Christi moralem *probarent*, sed ut *illustrarent*, aliunde satis confirmatam.

c) Vtcunque sit; nihil tamen ei sanctitatis, quæ *per se* DEVM moveret, ad gratiam impertiendam, inerat, sed omnis ejus dignatio, si qua fuit, ad *signi usum*, quem præstitit, revocanda est.

deceptionem, cui nos in prædam permittere non debeamus, generaliter accipiendam, ita ut cum Pharisæismum atque adeo ipsam Mosis legem, quatenus tanquam ad salutem omnibus suis partibus necessaria urgetur, tum & Philosophiam ipsam complectatur; & eam quidem non tantum, quatenus vanis speculationibus atque erroribus erat in- 442 fuscata, quomodo quidem a Platonicis, Epicuræis, ac Stoicis, quæ sectæ ea tempestate maxime, ni fallor, florebant, tradebatur; a) sed & quomodocunque ea suis e principiis vel a perfectissimo magistro, qui Christianam religionem ignoret aut aversetur, quam optime deduci posset. Miser enim inter Christianos merito haberi queat, qui felicitate vel ab Aristotele, tanto naturæ mysta, monstrata acquiescat: & qui in virtutum studio non progrediatur ulterius, quam Aristoteles præcepit, ille vir quidem ac civis bonus audire fortassis possit, pius certe non possit. Itaque sensus Pauli verborum is esset: Cavete, ne quis vos deprædetur, sive per Philosophiam, & erroneam plerumque, & ad felicitatem veram obtinendam minime sufficientem, sive per quamcunque aliam deceptionem. Vtut enim speciosum illi nomen subtilissimorum celeberrimorumque virorum, a quibus manaverit, patrocinetur, utut rudi quoque mundo doctrina illa quondam accommodata, atque ita pro temporis ratione ferenda fuerit, tamen pro nihilo habenda est præ Christo illiusque Evangelio, in quo divinitatis quædam plenitudo, non ut in Lege olim adumbrata, sed re ipsa exhibita est, & corporaliter habitat.

Hic aliquid forte desideratur.

XCIX.

M. RVARVS VINC. FRISIO. b) 443

VIr consultissime, Dudithius *Socini* de Deo atque Christo sententiam

a) Immo vero sunt, qui Col. II, 8. ad *Philosophiam solam Judaicam*, quam miseri illi superciliosique Pseudapostoli, ut *sapientiam* summam mirum in modum crepabant, ciborumque ac similium umbratilium institutorum discrimen, ut sapientissimas leges adhuc inculcabant omnibus, referunt, vel ad *Kabbalismum* eorundem, jam tum invalescentem, *Genealogiis* alias infinitis in *Epp. ad Tim. & Titum* famosum, atque *Sephirothico Systemate* cumprimis delineatum, hæc respicere putant. Quemadmodum vero posteriorem sententiam, de *Kabbala Metaphysica* nondum satis probatum est, eo jam tempore inter Judæos floruisse, multo minus aliquid cum discrimine ciborum ac festorum commercii habuisse; ita priorem, quicquid hoc toto capite tractatur, commendat, & στοιχεῖα τοῦ κόσμου, quæ alibi Judæorum institutis tribuuntur, a quibus comm. 8. jactata etiam illa sapientia præcipue describitur, amplius confirmant.

b) Cujas fuerit, nondum expiscari licuit, JCtum ipsa epistola vocat. *Vratislaviensem* autem, ut opinemur, fuisse, circumstantiæ quædam suspicari jubent.

tiam amplexus fuerat, nec ab ea, quod sciam, unquam resiluit. a) De aliis quoque non paucis idem cum Socino sensit. At cum intelligeret, ex una ad Lasicium, altera ad J. Cratonem epistola, honori suo periculum imminere, sententiam suam abscondere cœpit: eoque magnas aliquando gratias Jac. Monavio egit, quod epistolam ad Cratonem sibi forte ostensam, velut blasphemias illius indignatus, in ignem conjecisset. Nam altera ad Lasicium etiamnum extat, b) & tibi, ni fallor, visa est. Cæterum, ut erat vir ingenii pene nimis cauti, quoniam tam multa, quæ tanquam κυρίαι δόξαι * vulgo jactantur, falsa deprehenderat, cœperat de nonnullis, quæ apud omnes Christianos alioquin debent esse certa, non dicam dubitare, at cum Socino tamen disputare. In quo certamine cum nec ipse sibi, nec alii fortassis illi plane satisfacerent, cœpit paullatim animum ab his, quæ disceptationibus videret obnoxia, πρὸς τὰ μαθηματικὰ ** revocare, quod illorum principia, & quæ illis superstruuntur, convelli non possent: quanquam & ab illis, quæ in mathematicis certa sunt, paullatim ad Astrologiæ partem, c) quæ ex siderum positu atque motu de rerum sublunarium

rium

* Rata dogmata, de quibus dubitare & disputare nefas est.

** Ad disciplinas mathematicas.

a) *Duditbium* ad *Socini* partes in *L. de DEO* accesisse, cæcus sit, qui non videat, & vel obiter perlustratis epistolis, quæ *Bibl. Frr. Polon.* Tom. I. insertæ sunt, nequeat perspicere. Vtrum vero constanter in ea sententia permanserit, aut *scepticis* forte, quantum ad hæc, connumerandus non sit, alii judicent. Dubiis, quæ moveri possint, & mota jam sunt a variis, S. R. Dn. *Lauterbachius* in *Polon. Ariano-Socinismo* n. XXI. satisfecit, eique quod Cl. *Czwittingerum* in *Script. Hung. specimine* male habuit, non difficilius est consulere scrupulo, si in templo *Elisabethano Wratislaviensi* sepultum esse, animadvertas, non, quod ad saniorem mentem reversus sit, sed, quia, ut solent οὐδέτεροι hujusmodi homines, in dogmatibus fidei dissensum parum curantes, dignior illa visa est Ecclesia Evangelica, cum qua, *externa societate* conjunctus, viveret, *intus*, ut luberet, sentiens. Vtpote cujus etiam ritu S. cœna usus legitur, γέννημα ἀμπέλου tamen recens, uvis, eum ad usum perpetuo conservatis, expressum semper Ministris Ecclesiæ, quod abstemius alioquin esset, exhibens. Cætera non male *Ruarus* mihi videtur dijudicasse. Quod in *Threcium* amicissimum antea, cum Arianismo se ab eo insimulatum esse percepisset, paullo vehementius invectus legitur in *Epist. Remonstr.* n. 16. ad solam solitamque illam *Arianismi* & *Socinismi* differentiam, ab ipso & sodalibus tantopere & toties inculcatam redit. Dissimulationem denique, si qua usus est, ipse eum *Socinus* l. c. f. 496. seq docuit.

b) *In Bibl. Frr. Polon.* T. I. f. 510. seqq. impressa primum typis, quæ antehac MSta circumferebatur, scripta de reliquo d. 9. Junii anno 1571. *Cracoviæ.*

c) Quo factum etiam est, ut sibi ipsi diem horamque mortis prædixerit; quem horoscopum etiam eventus comprobavit: ut epistola, ipsius *Duditbii* manu ad *Jo. Prætorium* domesticum quondam scripta, quæ adhuc ab amicis heic *Altorphi* asser-

rium eventu auguratur, delapſus eſt; atque ita, dum Charybdim vitare vult, in Scyllam incidit. Huc, ut opinor, Socinus reſpiciens, optat, 444 ut in rerum precioſiorum poſſeſſionem, qua ſe ipſemet exuerat, quamprimum redeat. a) Calvinum atque Bezam in hæreticos, quos vocant, ſententiam tam horridam pronunciaſſe, b) juxta tecum miror; præſertim cum eodem tempore fumarent adhuc rogi ab exuſtione gregalium illorum, non alio prætextu accenſi, quam cui ipſi jus aſſererent. Credo in mente illis fuiſſe illud Comici,

Duo cum faciunt idem, non eſt idem,
Non quia disſimilis res eſt, ſed quoniam is, qui facit.

quam recte vero id huic negocio applicetur, ipſi viderint. In Eccleſia Pontificia non omnes eſſe idololatras, c) tibi aſſentior: quod ſatis patet ex Caſſandro illiusque aſſeclis, quorum non paucos alit Gallia. At quomodo tamen ab idololatria abſolvi posſint, qui, quam vocant hoſtiam, non panem eſſe, ſed Deum cantitant, idque ita eſſe non figurate, ſed ἄτερ τρόπȣ * credunt, & quod nos panem ſcimus, eodem honore, quo Deum ipſum adorant; item qui ſanctos fato functos omnium notitiam e longinquo habere, & eodem tempore preces infinitorum auſcultare credunt, eoque ad eos cum quadam opinione divinitatis (quid enim aliud inde concludere poſſumus?) confugiunt,

Yy (ut

* Sine figura, proprie.

vatur, luculenter docet: Cujus etiam teſtimonio ad *Lingelshem.* perſcripto (quæ Epiſt. in *Monum. Palat.* P. II. f. 122. legitur) quantopere illa præſcientia *Dudithium* ante mortem perturbatum, minusque tranquillum reddiderit, conſtat.

a) Verba hæc anno 1583. ad *Dudithium* perſcripta, in epiſt. poſtrema *Socini* ad Dudithium leguntur Tom. I. *Bibl. Frr. Polon.* f. 510. (a) init. nec obſcure, etiam in doctrina vacillare eum cœpiſſe, cujus ſe *cuſtodis vicem præſtare* velle, *Socinus* ait, indicant.

b) Non de promulgatione heic loquitur *Ruarus* ſententiæ in *Servetum* latæ, ſed defenſionem exuſtionis ſuppliciumque illud ſcriptis aſſertum innuit, quæ ab utroque *Defenſionis orthodoxæ fidei*, & de *hæreticis a civili Magiſtratu puniendis* ex officina *Roberti Stephani* anno 1554. forma octuplicata prodierunt.

c) Sunt, qui diſtinguunt inter *materialiter* & *formaliter* tales, quæ tamen, ſi ex objecto ipſo cultum *idololatricum* æſtimes, delicti hujus genus, mihi non videtur mutare, ſed *culpæ gradum.* Aliter judicandum de illis, qui diſſenſum ſuum teſtantur, atque ab hujusmodi actibus omnino abſtinent. Vtrum vero talis *Caſſander* fuerit, multique ſint, ut *Ruarus* cenſet, Galli, DEO ſoli cognitum eſt. Mihi & hi, quamdiu vel ſimulant qualemcunque conſenſum, aut vel miſſam cultus gratia frequentant, ab eo participare videntur peccato, tantoque gravius, quo notabilior eſt conſcientiæ renitentis teſtificatio, aut occaſio major faciliorque & cognoſcendi talia & effugiendi. Quorſum & *Ruarus* videtur reſpicere, quando vix evitari in *Pontificia Eccleſia*, qui membrum ejus cœtus haberi aut videri velit, id crimen poſſe, non obſcure addit.

(ut alia jam non adducam) ego certe non video. Æquivocationibus caute utendum censeo homini Christiano, quem simplicitas & integritas animi maxime commendare debent. Dissimulationem simulationi tantum præstare censeo, quantum mendacii speciei silentium. a) Vale. Gedani XVII Oct. cIɔIɔcXLII.

Versus Andreæ Dudithii, quos nocte illa, quam ultimam habuit, uxori reliquit.

O cæcas animi latebras, & nescia corda,
Crastina venturo quid ferat hora die!
Quis noctem me illam, convivia & illa putasset
Vltima tam charo ducere cum capite!

C.

M. RVARVS PHILOMATHÆ. b)

TErnas a te literas accepi, seu quaternas potius (primæ enim duplices erant) partim Jacobi, partim Esavi (ut tu jocaris) manu scriptas, quibus adhuc responsum debeo; quod cur prius non solverim, causas quidem varias allegare possem; sed præcipua tamen est, quod ocium ad scribendum defuerit, interdum mittendi occasio; cui addas licet imprudentiam cum ignorantia conjunctam, per quam difficulter a me impetro, ut in antecessum futuræ occasioni literas parem. Hæc

a) Non concedi potest in religionis negotio *silentio* locus, nisi, ubi vel nemo sit, qui a nobis confessionem exposcat, vel nulla etiam spes emendationis cujusquam, sed majus potius divinam veritatem criminationibus & persecutionibus exponendi periculum luculenter affulgeat Matth. VII, 6. Hæc ubi aliter comparata sunt, non solum æquivocationibus & dissimulationibus caute uti non licet, sed omnino nullæ, & nunquam eæ locum habent. Quod perspicua Christi & Apostolorum verba Matth. X, 32. & 1 Petr. III, 15. coll. Rom. X, 10. condocent.

b) Philomatham hunc non alium fuisse, quam *Joach. Peuschelium* existimamus. Is enim, ut amicissimus fuit *Ruaro*, ita quoque eum perinde, ut familiares alios, quæstionibus hujusmodi atque dubiis exercere solebat. *Noribergensem* certe fuisse, quemadmodum obscurius *Chronici Noribergensis* significat facta mentio, ita clarissime demonstrant verba, quibus *Dürerum vestrum* haud longe ante finem commemoravit epistolæ hujus auctor. Cæterum ipsum prius illum, ad quem datæ sunt hæ litteræ *Philomathæ* nomen assumtum subscripsisse epistolis suis, *Ruaro* inscriptis, multa sunt, quæ suspicari jubeant. Vtrum vero epistolæ hæ omnes amœbææ, antequam ad Ecclesiam Evangel. redierat *Peuschelius*, exaratæ sint, an post illum, publice demonstratum, reditum, quod ex occultatione nominis, novæque larvæ fictione colligas, non definimus. Post id tempus autem hæc scripta esse, ex mentione in hoc commercio litterarum de *Rathmanniana* controversia facta, quæ anno 1621. cœpit & per aliquot annos continuata est, colligimus.

Hæc de mora reſpondendi præfari volui: nunc ad tuas, mi Philomatha, venio; quarum capita ordine perſequar, non omnia tamen, ſed ea tantum, quibus exiſtimabo cum fructu aliquid reponi poſſe. De Johanna Papiſſa non eſt, quod nimium tibi placeas in tuo illo Chronico Norimbergenſi. Antiquior illo ſine dubio eſt longe Sigebertus, tum Marianus Scotus a) primus illius narrationis auctor. Et tamen 446 durat Pontificiis animus, ad rejiciendam tam antiquorum ſcriptorum auctoritatem: nec id ſane, ut mihi quidem videtur, ſine cauſa. Cur enim ante Marianum nemo id ſcriptis prodidit, ad cujus ætatem tamen ab illa Johanna anni plus quam ducenti decurrerunt? nec enim defuerunt interea temporis ſcriptores b) ſedi Romanæ ſatis infeſti, ex Græcis præſertim & Francis, qui interdum etiam e trivio arripuerunt rumores, quibus Pontificem infamarent. Addunt præterea pontificii, ſatis conſtare, literas Athenis nequaquam ea tempeſtate floruiſſe, c) ut ex Germania usque hæc Johanna ſe illuc cum amatore conferre

a) Is ſane primus eſt teſtis extra controverſiam poſitus, ſed tanquam de re dudum & geſta & inter omnes cognita locutus; etſi ipſum forte *Marianum* de veritate hiſtoriæ hujus dubitaſſe, ſint, qui ex formula narrandi ab eo uſurpata, effici poſſe putent. Quam ego modeſti potius Theologi atque Hiſtorici & venerationis in ſedem Romanam pudorisque ſignum eſſe, quam dubitationis indicium arbitror. Antiquior nonnullis videtur & auctoritatis majoris ſcriptor *Anaſtaſius, Bibliothecarius*, σύγχρονος, cujus certe, quæ extant *Cont. Vit. Pontif. R.* exemplaria permulta MSta, νοθείας ſignum haud præferentia, hiſtoriam eandem exhibent. Vtut ſit; Nobis argumentum veritatis præcipuum ſemper viſum eſt, quod nec cauſam fingendi, hominibus inſano Papatus honore & veneratione immoderata occupatis, fuit, neque unquam, quod ſciam, quisquam narrantibus hæc contradixit, niſi ubi initium Eccleſiæ a ſordibus contractis repurgandi fieri cœpit; ubi primus *Aventinus* dubia quædam, ſed negando magis, quam ſolide contrarium probando, & multo infelicius in ſcortum illud Sec. X. infame *Theodoram* originem hujus hiſtoriolæ transferendo, movit. Quo factum etiam eſt, ut quæ in editione *Sigeberti Gembl.* prima anno 1513. comparerentur, poſtea plerumque omitterentur verba hanc eandem rem enarrantia. *Chronologiacas* difficultates tum demum urgere licebit, quando de cæteris Pontif. Rom., ea potiſſimum ætate, rationes temporum eſſe in aprico poſitas, demonſtrari poterit.

b) Immo revera defuerunt. Quid enim ſterilius Sec. Xmo, obſcuri hinc etiam cognomen adepto? Si qui vero ſuperſtites ſunt, alia profecto quam hiſtorica tractant, aut, ſi quando ea attingunt, accurate tamen non tractant. *Græcos* vero longius extra limites domeſticos digreſſos non eſſe, qui pauci etiam ſunt, quis neſcit?

c) Vtcunque ſit; nulla tamen iſtic vel ex priſtina celebritate veſtigia ſuperfuiſſe, probari vix poterit, & a *Barda* Theodoræ fratre contra inſtauratas ſcholas in *Græcia* h. t. fuiſſe *Cedrenus* æque ac *Zonaras* teſtantur. Eo vero vagabundos homines, qualis illa cum amaſio fœmina erat, deductos fuiſſe, atque hinc *Romam* rediiſſe, & qualicunque ſpecie eruditionis ac morum ſuavitatis facile emerſiſſe, multo minus eſt, cur mireris.

ferre debuerit, quemadmodum vulgaris de illa narratio habet. Quid ad has rationes jure noſtri reponere poſſint, ego quidem nondum video. Scripta illa nonnullorum theologorum de efficacitate a) Evangelii ſive ſcripti, ſive annunciati, quorum mentionem facis, non vidi; & (ut dicam quod res eſt) nec admodum videre deſideravi. Mihi inter alia negocia majoris, ut exiſtimo, momenti vix vacat, ut ad lites iſtas me demittam: quas tamen meo indicio facile diſcernet, cui ingenium eſt a partium ſtudio alienum, & mediocriter in ſacris exercitatum, addo & ſenſus communis bene compos: quem nulli propemodum magis excutere videntur, quam qui ſacra profeſſi ſunt. Tu quoque, ſi me audis, noli te ingerere in alienas lites: depugnent illi 447 ſuas pugnas ſoli, quibus glorioſum videtur vitam in vulnere ponere, ut cum Poeta loquar. Sunt alia credo, quæ majori cum tuo aliorumque fructu agas. Si controverſias quaslibet ad vivum reſecare voluerimus, quid tandem nobis reſtabit otii ad pietatem populo inculcandam: quæ tamen ſola nos cœlo beat, b) & inter Chriſtianos tantopere exulat? Si tamen virilis animus in pugnas pro religione & honore Chriſti obeundas tibi fervet, habes alium campum longe magis illuſtrem & ſpacioſum, in quem te libri illi, quos a me habes, inducunt: quem tamen ipſum non aliis te legibus ingredi velim, quam quas Remonſtrantes in præfatione Confeſſionis ſuæ præſcribunt, quam tu non immerito auream c) appellas. Hoc tamen obiter moneo, ſuſpicari me, auctorem Vindiciarum, quem aliquoties allegas, eſſe Danielem Brelerum, d) qui nunc paſſim Daniel Hermannus audit; quem

Altor-

a) Litem *Rathmannianam* indigitari palam eſt. vid. epiſt. 8.

b) Aliter *Paullus*, qui *Fidei* veræ hanc dignitatem ut cauſſæ ſalutis ex noſtra parte tribuit, pietatemque h. e. ſanctimoniæ ſeu juſtitiæ inchoatæ in hac vita ſtudium, ut *fructum fidei* & *partem ordinis* divini neceſſariam eſſe, ait. Ab illa vero neque conſtituenda διδασκαλίαν, neque confirmanda atque defendenda ἔλεγχον omnino juſtum & ingenuum excludere decet.

c) Novum hæc præbent argumentum, unde, *Peuſchelium* eſſe, cui hæc epiſtola inſcripta ſit, cui tanti fuit *Confeſſio Remonſtrantium habita*, ut translatam in vernaculam noſtram cum pluribus communicare voluerit, colligi licet.

d) Non Danielis huic Medico nomen fuit, ſed *Melchioris*. Fuldenſem patria ipſemet in Verſ. libri alicujus *Cottoni e Gall. latine redditi*, ſe appellavit. Vindiciæ, de quibus h. l. agitur, ſcriptæ editæque anno 1622. & Hamburgenſis cujusdam, ut vocat, *Poſtillatoris*, (*Werenbergii*). *Vindiciis Eccl. Lutheranæ* oppoſitæ ſunt, titulumque *Vindiciarum pro Myſterio iniquitatis Pſeudoangelicæ* (anno 1621. paullo ante evulgato) continent, amboque hi libri ad LL. b. *Arndii* a calumniis malevolorum liberandos, cujus etiam amicum (dum vixerit) ſe profitetur auctor, deſtinati ſunt. Plura de eo ipſisque his libellis diſſeruit b. *Diecmannus* in Præf. ad V. C. b. *Arndii*, Opuſc. Germanicorum P. II. p. 215. ſeq.

Altorfium olim fovit, tibi ut exiſtimo non ignotum. Degit is apud Auguſtum Lunæburgicum principem in ferventi gratia: mihique antebiennium, cum Hamburgi eſſem, dictus eſt myſterium aliquod iniquitatis a) moliri, in quo famoſos quosdam theologos mordaci ſale defricare, eorumque mores publicare ſtatuiſſet: id quod illi tum per amicum utriusque noſtrum Joachimum Morſium ſerio diſſuaſi: nec enim placere mihi poteſt Chamus, qui pudenda Noachi patris nuda fratribus oſtendit: quid ſi eadem ipſe retegat? quid ſi non fratribus, ſed hoſtibus circumſtantibus eadem oſtendat? Ego quodnam illius libri, quem tu citas, argumentum ſit ignoro: ſed ut amicus apud amicum conjecturam promo: quam tu quæſo in optimam partem interpretare. Vtinam quotquot Antichriſtum odimus, ea arma, quibus in nos mutuo ſævimus, in Antichriſtum converteremus! Nunc ille vulneribus noſtris impune inſultat, quem nos, ſi vires noſtras conjunxiſſemus, virtute Chriſti jam pridem confeciſſemus. Explicatio illa de peccato in Spiritum ſanctum, quam ex Vorſtiano examine tractatus Piſtoriani de Prædeſtinatione adducis, non multum abludit ab eo, quod de eodem Vrbevetanus b) diſſerit in commentario in priorem Johannis Epiſtolam ad v. 16. cap. 5. ubi tamen & timidiuſcule, & niſi fallor paulo etiam cautius, quam Vorſtius, ſententiam ſuam proponit: quæ, quod ad ſcrupulum iſtum tuum attinet, talis eſſe videtur. Poſt quodlibet peccatum a nobis admiſſum, præſertim aliquanto gravius, ſeria pœnitentia & deprecatio nominatim adhibenda eſt, ut illius veniam a Deo impetremus. Interim tamen ſi fiat, ut quis antequam ad pœnitentiam illius agendam ſe componat, rebus humanis eximatur, tanta benignitas eſt Novi Fœderis, ut uno illo peccato, quantumvis gravi, c) ſalus illius nondum periclitetur; modo alias non exiguo temporis ſpacio antehac ſecundum ſpiritum ambulaverit, ut cum Paulo loquar. Declarabo rem exemplo, ut liquidior fiat. Oritur viro

a) Hoc ipſum illud eſt, quod nihilominus, ut p. a. diximus, anno 1621. emiſit ſcriptum *Goslariæ* forma 8va impreſſum, ex quo cæteræ lites ortæ ſunt. Cujus tamen eum poſtea & in ipſo lectulo fatali pœnituiſſe, in de *Palinodia Fanat.* libello §. XVI. expoſuit b. *Elswichius.*

b) *Fauſtus Socinus.* Hoc enim præfixo nomine prima editio a *Smalcio* procurata *Comment. in Johannis primam epiſt.* 1614. prodiit.

c) Aliter *Paullus*, qui ſimpliciter opera, non tantum continuata, ſed cuncta illa, quæ Gal. V, 19. ſeqq. recenſentur, atque his, quod addit, ſimilia, quæ vix aliter, quam contra conſcientiam committi posſunt, regno DEI excludere admittentem inquit. Cum quo & *Jacobus* cap. I, 15. de quolibet delicto cum aſſenſu peracto affirmans, conſentit. Vt alia non diſſimilia teſtimonia omittamus.

449 probo ex improviso litigium cum adversario: a verbis ad verbera, ut fit, imo ad vulnera fit gradus, incalescente pugna alter alterum ferro jugulat. Quis neget grave peccatum esse homicidium? non vacat tamen bono viro culpam apud Deum serio deprecari. Quid tu? an ei propterea salutem abjudicabis, si alias vitam ex virtute antehac egerit? vix illud mitis Christi lex permittit. At aliud est de peccato in Spiritum sanctum: a) nisi enim, quisquis se ejus astrinxerit, ejus nomine, antequam finem vitæ faciat, pœnitentiam studiose susceperit, non est, quod sibi de Divina indulgentia multum polliceatur. Cur ita dices? Vtique tam horrendum flagitium, utut semel admissum, insignis est argumentum malitiæ: in qua si quis huic seculo valedicat, quam ille spem alterius fovere possit? At dices, sunt & alia peccatorum genera, quæ, si modo semel perpetrentur, non vulgaris improbitatis argumentum præbeant. Sint sane. Itaque & simile ab illis metuendum est periculum, idque tanto majus minusve, quanto quodque propius ad peccatum in Spiritum sanctum, quod divinæ literæ summum faciunt improbitatis argumento, accedere, aut ab eodem longius recedere videtur. Ita exposita Vrbevetani sententia, jam pronum est respondere ad ea, quæ quæris. Prius eorum est, quid per singularem & extraordinariam pœnitentiam intelligatur. Non sunt illæ voces Vrbevetani, sed Vorstii, & tamen sic satis commodum habent sensum. Sin-

450 gularem pœnitentiam opponere sine dubio voluit generali, eamque significare, cum quis non satis habet, si de peccatis suis in genere, & quidem ex animo doleat; sed & illud, quod cæteris gravius est, aut recens commissum, nominatim ad animum revocat, illiusque causa divinam misericordiam implorat. Extraordinariam pœnitentiam intelligere possumus eam, cum quis & precibus multis, iisque ardentissimis, & jejunio, & eleemosynis, aliisque nonnullis operibus eximiis ad honorem Dei, inque rem proximi ultro susceptis, divinam indignationem placare studet, quamvis id fiat cum molestia & periculo non exiguo. Quod deinde Vrbevetano loca ad Hebræos VI & X. obducis, tanquam & in illis tale describatur flagitium, a quo singulari & extraordinaria pœnitentia sit opus; frustra sane facis. Nec enim in illis locis de una aliqua actione flagitiosa sermo est, quale est peccatum in Spiritum sanctum, quod propterea Vrbevetanus tantopere exaggerat; sed

a) Obscura hæc sunt & valde intricata, quæ de Peccato in Sp. S. h. l. disputantur. Brevius expediri hæc poterit difficultas, si, quod alibi demonstravimus, Judæis id proprium fuisse dicas, Spiritus S. post adscensum Christi effusi postremæ operationi reluctantem malitiam denotare existimes.

ſed vel de defectione ab univerſa Chriſti religione, vel de improbitate pertinaci, quæ nullis dehortationibus cedat: a) quam quis neget ſingulari & extraordinaria pœnitentia expiandam, ſi reus in gratiam cum Deo redire cupiat? Locus Joh. XVI. quem deinde proponis, explicatur ab Vrbevetano in libello, in quo præter initium primi capitis Johannis Evangeliſtæ varia ſacræ Scripturæ loca excutiuntur; ſed (quod pace illius dixerim) ita fere, ut, poſtquam illius explicationem legeris, Delio adhuc natatore opus eſſe videatur. Ante omnia videndus eſt 451 in his verbis ſcopus Servatoris; qui, niſi fallor, hic eſt. Dixerat hactenus, quibus machinis tranquillitatem Apoſtolorum oppugnaturus eſſet mundus: nunc ſubdit, quid contra auxilii illis allaturus ſit Spiritus ſanctus. Per Spiritum ſanctum hic intelligo virtutem illam divinam, quæ die Pentecoſtes in Apoſtolos de cœlis effuſa eſt, homines rudes variarum linguarum rerumque divinarum cognitione inſtruxit, ſimulque vi quadam admiranda ad perpetranda miracula armavit. Is ergo Spiritus mundum arguiturus dicitur non verbis, ſed factis, per Apoſtolos numine tanto repletos deſignandis. Arguere hoc loco non eſt accuſare, (quis enim, ut paulo poſt dicetur, juſtitiæ quenquam accuſaverit?) ſed argumentis convincere, b) ut fateri cogatur, ita rem eſſe. Ita ergo Spiritus ſanctus convincet mundum, ut agnoſcere cogatur, ſe peccati reum. Cur vero? quia in Chriſtum non credunt cives illius, per cujus fidem ſolam peccatorum reatum evadere poterant. Vis exemplum hujus promiſſionis, ſed eventu felix? Vide Actorum ſecundo, quam commota fuerit concio poſt viſum prius linguarum miraculum, & illius occaſione habitam a Petro concionem: his auditis, inquit Lucas, illi animo compuncti Petrum & cæteros Apoſtolos ſic alloquuntur: *Quid agemus fratres?* Addit deinde Servator, futurum

a) Immo potius in his locis partim de pœnitentia genuina, quæ *animi eſt peniſſima mutatio* atque μετάνοια, eademque non tam facile, ut Judæorum lotionibus impetrari poſſit, externa illa mundities repetenda agitur, partim de nulla *alia* præter Chriſtum ſalutis anchora illis, qui Chriſti ſanguinem deſerunt ac contemnunt, ſperanda, disquiritur, Apoſtaſiæ autem utrobique gravitas atque ſummum periculum h. m. exaggeratur. De peccato vero in Spirit. S. in utroque horum locorum ὐ δὲ γρὺ legitur.

b) Quam notionem Gr. verbum ἐλέγχειν expoſcit, &, ut recte *Ruarus* demonſtrare pergit, eventus quoque Apoſtolorumque docendi methodus condocefacit. De reliquo Spiritum Sanct. non ea ſemper adhibere *argumenta*, ut convincat mortalium mentes, quæ ſint συλλογιστικὰ & rationum evidentiam repræſentantia, ſed operando diviniorique luce ſupernaturali per verbum ἐνεργὲς perfundendo &, ut Chriſtus loquitur, *trahendo*, efficaciterque ad fidem flectendo, aliunde conſtat, ac præſertim ex epiſt. 1 Cor. II, 4. ubi ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως audit, elucet.

452 rum ut idem ille Spiritus convincat mundum de justitia, ut negare nequeat, quænam illa sit, & in quo sit. Quo vero argumento id evincet? quod ego justitiæ illius præco, inquit, in cœlos ad Patrem me recipiam, a quo subornatus legationem in terris obivi, conspectuique humano me, cujus infirmitate multi hactenus offensi fuerunt, subducam. Dices forte, at quomodo hoc ipsum ex Spiritus sancti adventu patere poterat, Christum in cœlos ascendisse? poterat certe, cum illi ipsi, qui Spiritu illo afflati inusitatæ rei spectaculo omnes in admirationem converterant, profiterentur, Spiritum illum a Jesu Nazareno de cœlis in se effusum, seque illum prius resuscitatum, & in cœlos sublatum vidisse: qua de re leges in ejusdem Petri concione, quam paulo ante allegavi, verba ista: *Hunc Jesum suscitavit Deus, cujus nos omnes sumus testes; is Dei dextra evectus, sanctique Spiritus promissum a Patre consecutus, effudit hoc, quod vos nunc cernitis & auditis.* a) Possit & illud scrupulum non nemini movere, cur, cum se dicere vellet humanis oculis ereptum iri, non dixerit potius: *Et non amplius videbunt me*, sed *videbitis.* Sed respondeo, idem hoc esse: sensus enim est, homines, quales vos estis, me non videbunt amplius: nisi quod oratio Servatoris est ἐμφατικωτέρα. * Habuit tamen causam, cur ita loqui mallet, quod ultimi mortalium Apostoli eum visuri essent; quasi diceret: Vos quidem ad Patrem me videbitis ascendentem, sed tamen & ab oculis 453 vestris tollar. Restat tertium membrum in hoc loco tam obscuro; cui hac explicatione fortasſis lux fiet. Idem ille Spiritus denique convincet mundum, ut agnoscat judicium damnatorium sibi imminere, idque ex eo, quod princeps illius jam sit judicio legitimo damnatus, cum quo tanquam capite suo cum causam habeat communem, non est, quod meliorem sententiam exspectet. At quomodo, regeret quis, princeps mundi damnatus fuit, & quomodo id misso Spiritu sancto constitit? Respondeat primum pro me Apostolus, qui ad Col. II. ait, Christum per crucem in spoliatos principatus & potestates exemplum edidisse, eosque triumphasse: sub principatibus autem illis & potestatibus venit etiam is, qui inter eos est princeps. Huc spectant & illa Serva-

* Significantior.

a) Ad effusionem Spirit. S. Christum respexisse non nego; at, *priorem* illum ad Patrem *accessum*, quo se *in cruce*, tanquam *propitiatorem*, velut in *dicasterio* nobilissimo (Joh. XII, 31. seq.) stitit & vadimonium subivit, non arbitror negligendum, atque eo Christi illum, quando de justitia *parta* loquitur, præcipue abitum spectare Joh. XVI, 10. existimo. Eam vero post adscensum in cœlos *dispensatam* quoque esse illam justitiam, cujus gratia etiam εἰς δικαίωσιν nostram resurrexit, & h. l. eam dispensatum iri, simul *Christum* promittere, non abnuo.

Servatoris verba Joh. XII. *Nunc eſt judicium hujus mundi, nunc princeps hujus mundi exigetur foras.* Quod ſi tantum potuit Servator noſter moriendo, quid cum ex mortuis reſurrexit? quid cum evectus eſt in cœlos, & ad dextram Dei aſſedit, cumque omnia pedibus illius ſunt ſubdita, eo ſolo excepto, qui omnia illi ſubdidit? An vero non ſatis paſſim conſtare potuit, Spiritu ſancto miſſo, hæc Servatoris diabolo erepta victoria, a) cum illius Spiritus virtute permoti tot populi ab illius imperio deſciverunt? cum oracula & fatidici ab ipſo prius inſpirati ad exortum novi hujus Spiritus velut pudore repreſſi conticuerunt? cum ad ſolum auditum nominis Jeſu immundi iſti ſpiritus obſeſſorum corpora, quamvis inviti deſeruerunt? Hæc ſatis ſint quoque ad illum Johannis locum. Quod locum illum 1 Tim. VI. attinet equidem riſu mihi digni videntur, qui per τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν * magis Ariſtotelicam philoſophiam, quam quorumvis aliorum ſapientiam, qui vano ſe titulo contra Evangelium Chriſti ſuperbe jactant, notari exiſtimant. Duo illi boni viri Arndus & Weigelius, quos ais Ariſtoteli tantopere infeſtos, facile ſuis ſcriptis oſtendunt, ſe tanquam cæcos de coloribus judicare: ſi enim Ariſtotelis illiusque ſimilium ſcripta ſtudioſius triviſſent, paulo συλλογιστικωτέρως ** ſua deducerent; in quibus nunc pietatem equidem ſuſpicio, ſed nervos & robur argumentorum, b) quibus hanc ipſam aliis perſuadeant, ſæpenumero deſidero. Si

454

* Falſo nominatam ſcientiam.
** Magis ſyllogiſtice, cum aliquid rationibus & argumentis magis confirmatur.

a) Neque hæc improbanda eſt, ex Sp. S. miſſione *patefacienda* victoria, quam reportaverit ab hoſte humani generis potentiſſimo, malo dæmone, *Chriſtus;* at *Chriſtum* eo digitum præcipue intendere l. c. dubito, ſed potius, *poſtquam de peccatorum agnitione & juſtitia fidei* egerat, hæc ideo addita ſubjunctaque cenſeo, ut per ipſam Chriſti mortem *Dæmoni* infernali *vim* omnem miſeros mortales, quos captivos adhuc duxerat, (Col. I, 13.) pro lubitu ſuo huc illuc in *delicta rapiendi adimendam*, & *virtutem* contra *ſupernaturalem*, Chriſti Spiritu ut regantur, *acquirendam conferendamque* eſſe, Servator optimus doceat. Quo ipſo nihil aliud, quam ſanctos & ad imaginem DEI renovandos etiam, qui Chriſti juſtitia donati ſint, fore inque regno Chriſti DEO ſervituros eſſe, & ſervire *poſſe*, Spiritum S. præter alia efficaciſſime edocturum, his verbis innueretur.

b) Vel hinc manifeſtum eſt, quænam argumenta, *evidentia* nimirum ſua ſecus, quam *Paullus* docet l. c. animos convincentia, *Ruarus* in Theologia revelata efflagitet, quia ad Syllogiſmos rem omnem revocat, ἐνεργείας autem Θεοῦ ſupernaturalis in myſteriis fidei ac vitæ ſumme neceſſariæ mentem contra ſpem in ſpem flectentis immemor eſt. Qua b. *Arndium* inprimis (quicquid ſit de *Weigelio*) divini verbi ſolida applicatione polluiſſe, vix alii negant, quam qui frigido pectore torpent, aut ſacri ſunt κυμινοπρίσται. Quod autem ad *Ariſtotelem* attinet, male *Ruarus* eos, qui ſub id tempus *Philoſophi* hujus fre-

Si tamen quis contendat, omnino vel illo ad Timotheum, vel altero ad Colossenses loco, quem pariter mihi allegas, nominatim philosophorum aliquem esse perstrictum, ei concedi posset, non Aristotelem, qui parum ista tempestate a) scholis erat notus, sed Platonem potius denotari, cujus philosophia μετεωρίζουσα, * plurimos tunc temporis habebat admiratores: qua & inflati nonnulli, qui Christianam religionem post Apostolos scriptis b) exposuerunt, portentosis quibusdam dogmatis integritatem illius corruperunt. Ego alias judicio tuo, quod de Aristotelis philosophia fers, plane subscribo: nec enim in quovis theologo eam requiro, neque tamen negaverim omnibus utilem, qui-455 busdam vero, quibus cum nostri seculi sophistis res est, etiam necessariam esse. c) Qui philosophiam omnem e republica Christiana proscribunt, eo quod Apostolus Colossenses, ut sibi caveant, monet, ne quis eos per illam deprædetur, perinde mihi facere videntur, atque si quis statuat (prout etiam nonnulli faciunt) Sacras literas procul habendas, quia & per illas imponi nobis possit. Quasi non & optimæ rei possit esse abusus, si possessorem nanciscatur aut imperitum aut improbum. Quid aliud est philosophia, quam sapientiæ studium? quod qui superbe damnat, ad medicos relegandus videtur potius, quam rationibus operose convincendus; quas si ullas ipse admitteret, eo ipse causæ suæ prævaricaretur. De capite xx Apocalypseos quod deinde quæris, quæ sit nostrorum hominum sententia; ea vero non una fortassis est, pro ea libertate, quæ Dei gratia inter nos hactenus obtinet: quanquam nec adeo exacte hactenus in aliorum opiniones hic inquisivi. Cum enim nimis multa sint alibi, quæ imperitiam meam fatigent, ego

* Altum petens, circa res sublimes occupata.

quentius, quam aliorum mentionem faciebant, ejus unius doctrinam nigro carbone notasse, opinatur. Neque enim id factum est propter atrociorem hypothesium Aristotelicarum in Theologia noxam, in morali Philosophia fere sola, ubi vitia pro virtutibus venditantur, notabiliorem; sed quod illa tempestate non alia magis, quam hæc ipsa philosophandi methodus & secta, floreret, cæteræque propemodum, uti peculiari schediasmate b. *Elswichius* docuit, jacerent in Germania & a plerisque negligerentur.

a) Paulli videlicet, cum ad *Colossenses* scriberet, ubi in Græcia *Platonicæ* & *Stoicæ* scholæ magis frequentabantur.

b) Qua de re *Colbergius* in de *Orig. & progressu hæresium per Platonismum*, ex instituto egit; ut *Bücheri Menses Pietistic.* aliosque ejusdem, & *Colbergii* quoque hanc in rem editos libellos, quorum nonnulli etiam οὐκ ἄνευ πάθων exarati sunt, taceamus.

c) Ita scilicet, uti rudibus interdum pugnandum est, quando in batuatores incidimus, aut herbæ Nicotianæ quidam adsuescunt, ut fœtorem illum tanto facilius tolerare possint.

ego quodammodo consulto ab illius libri sensibus indagandis abstinui, a) qui velut in profundo demersi altum requirunt ingenium, a quo in apertum producantur. Illud tamen dissimulare nolim, istuc me magis inclinare, ut credam adhuc nobis imminere felicem illam chiliada, quam Johannes nobis promittit. Rationes, cur ita sentiam, non adscribo, quod existimem, tibi eas non ignotas, qui & ipse in eam partem, in quam ego, propendes. Præcipuus difficultatis nodus in eo esse videtur, qui fortassis & te maxime exercet, qua ratione animæ decollatorum propter testimonium Jesu propterque sermonem Dei, item ii, qui neque bestiam aut imaginem ejus venerati sunt, neque notam ejus in frontem aut manum suam acceperunt, revixisse b) dicantur, & cum Christo mille annos regnasse, antequam reliqui mortuorum revixerint. Is nodus ita mihi explicari posse videtur, si dicamus non illos ipsos, qui occisi aut mortui fuerint, revixisse intelligendos, sed tales, & in causa Christi cum iisdem conjunctissimos in eorum locum successisse. c) Nosti Sacrarum literarum morem, quæ diversorum temporum hominibus nonnulla interdum tribuunt, quæ non omnia singulis, sed singula omnibus, alia aliis longa sibi serie succedentibus conveniunt. Ita posteris interdum exprobrantur majorum scelera, quorum locum & personam exceperunt, non tanquam aliena, sed ut propria, tunc præsertim cum nec ipsi multum probi. Ita ergo

456

a) Perinde ut *Calvinus* & *Beza*, quod in *Casaubonianis* a. S. R. Dn. *Wolffio* annotatum est, propter difficultatem horum vaticiniorum, ab eorum interpretatione non solum prorsus animum manumque continuerunt, sed etiam passi non sunt, ut aliquis ex umbone illius libri interpretationem Genevæ profiteretur. Quod tamen cum Propheticum illud scriptum æque, ac reliqua ad διδασκαλίαν, παιδείαν & παράκλησιν datum sit, vix cum scopo usuque Scr. S. conciliari poterit. Rectius illi faciunt, qui, quod de mysteriis illis sentiunt, modeste proponunt & eventui cætera committunt.

b) Ita est: Nec solvet etiam hunc quisquam nodum, qui impletum jam esse tempore *Constantini M.* vaticinium, (initio certe ea tempestate facto) statuat, aut de spirituali per regenerationem, vel supernaturali, ad vitam æternam, resuscitatione corporis intelligat. Quoniam illa ad sanctos a bestia, Apoc. XIII. descripta, & commercium cum falso Propheta ibidem delineato, non habentes atque hinc occisos, haud quadrant; hæc vero cum sanctis, jam antea talibus, & una resurrectione, ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ conciliari nequeunt. Vnde ad tempora Ecclesiæ emendatæ & famam sanctorum, pro famosis hæreticis olim proclamatorum, nunc ut testibus veritatis celebratorum, restitutam rectius applicabuntur.

c) Ingeniosa hæc est conjectura, sed quo minus ea locum habeat, ad *mille annos adstrictum*, hoc regnum & resuscitatione sub initio ejus facta prohibent. *Semper* enim occisis successisse testes veritatis novos, inde a bestiæ furore jam cap. XI, 11. docuerat Sp. Sanctus.

& hic populus Christi, qui primum sub tyrannorum securibus, postea sub acerbo bestiæ dominatu propemodum absumptus perierat, postea dracone ligato, ex quo pax aliqua & libertas hominibus piis reddita est, resumpsisse vires, & in tam numerosam frequentiam subito excrevisse intelligendus est, ut, qui prius interierant, videri possint subito
457 ex mortuis resurrexisse. Quanquam nec illud abhorret vel a Sacrarum literarum, vel a popularis sermonis consuetudine, ut is revixisse dicatur, cui similis alter exortus est; absque eo, quod in eodem populo sibi continuo successisse censeantur. Ita Eliam venisse dicit Christus, cum Johannem Baptistam intelligeret, qui spiritu & virtute Eliæ præditus fuit. Ita olim Durero vestro a) exorto, dicere mihi licuisset Apellem revixisse: in quo sermone quis tropum non intelligat? Ita nonnulli quoque interpretantur illud, quod legimus 2 Paralip. XXI. literas ab Elia ad Joramum delatas, qui tamen Elias aliquot annis jam ante e consortio humano sublatus fuerat: quippe quod ab aliquo illius discipulo stylo illius conceptæ Eliam spirabant. Quanquam ille nodus ab aliis alia quoque ratione inciditur: qua de re nunc non est disputandi locus. De Steinhawero, itemque Borgia & Antonino nihil ab aliis intelligere potui: itaque si quid de iis habes amplius præter ea, quæ scripsisti, nolim me celes. Lis illa Jesuitarum, quam innuis, non intercessit illis cum Episcopis, sed cum academicis Cracoviensibus: inter quos cum illi contra vetera academiæ privilegia novam academiam velut ex adversum aperire vellent, ægre id tulerunt academici, seque injuriam illam ad animum revocare publice testati sunt. Quidam etiam e pueris academicis Jesuitarum theses templi valvis affixas adhibito harpagone deripuerunt: unde iterum Jesuitis nata occasio de in-
458 juria conquerendi. Contra eam querelam nonnemo ἀνώνυμος * deinde academiæ nomine libellum vulgavit satis erudite scriptum, & multo sale non illo tantum Mercurii, sed & Momi perspersum; in quo bonos istos fratres ita defricat, ut tam crudam manum ad vivum sensisse videantur. Detulerunt itaque causam ad amicum regis tribunal, a quo facile impetrarunt, ut libellum istum, quem dixi, tanquam famosum a carnifice publice exuri juberet: quin & non nemo, qui eum sparsisse arguebatur, vir equestris dignitatis, in carcerem ea de causa conjectus fuit

* Sine nomine, id est, dissimulato nomine.

a) Manifestum est, hinc *Noribergensem*, ad quem litteræ hæ datæ sunt, fuisse. Hujus enim civitatis celeberrimus ille pictor *Albertus Dürerus*, vir non manu tantum, sed mente etiam cultissima eruditus, in religionis vero negotio, quod obiter hic notamus, *Zwinglii* hypothesibus addictissimus, fuerat.

fuit Jesuitis instigantibus: qui tamen cum criminis eum convincere non possent, culpam apud indignantem deprecati sunt. Exemplaria libelli in Polonia suppressa vix jam amplius haberi possunt: inveniretur tamen fortassis aliquod alicubi, si cui tanti esset, ut vellet alibi recudendum dare. Pelargo melius vult Deus quam fama, quæ mendaciis eum suis apud vos vita spoliavit. a) Fortassis nonnulli libenter narrant, quod optant, & factum vellent. Insultant quidem bonis Calvinistis, ut nunc nomina sunt, Papistæ: forte quod existiment, se mortuo leoni barbam impune vellere. Quid si autem leo ille non esset mortuus, sed spiritum tantum suppressisset? Nemo sibi nimium placeat fortunæ favore: quæ, ut poetæ nobis eam depingunt, & vela facile mutat, prout aura reflaverit, & pedes habet alatos, denique (ne quid ab illa certi speres) volubili globo insistit. Nondum omnium dierum soles occiderunt. *Est profecto Deus, qui quæ nos agimus auditque & videt:* ut pie ait Comicus non admodum pius. Hinc nos fidamus, mi Philomatha, dum alii mutua in se tela acuunt. Ita spero, 459

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

FINIS EPISTOLARVM.

Sequens scriptum est etiam quasi epistola, ad D. Brenium, b) *ni fallor, scripta: sed quoniam centuria jam est completa, & chartæ adhuc nonnihil vacat, extra numerum hanc adjungimus.* 460

M. RVARVS DE MAGISTRATV. c)

QVæstio, quam proponis, magni momenti est, & per multos jam annos me exercet. Tractavit illam erudite ut solet ὁ μέγας * vester. d) Crediderim tamen restare post illum quoque aliquid scrupulo-

* Magnus, id est, Grotius.

a) Quæ caussa fuerit tantæ de *Pelargo* solicitudinis, supra jam expositum est. Nunc superfuisse Virum hunc doctissimum ad annum usque 1633. quo demum vivere desiit, sufficiat paucis annotasse.

b) Qui, qualis fuerit ad Cent. II. l. c. commentabimur brevibus.

c) Est hoc fragmentum ejus epistolæ pars, quam ut responderet *Brenio*, ad interrogata ejus integris illis litteris, quæ sunt Cent. II. num. 35. excusæ, perscripsit. Eam proinde epistolam, ut Resp. hoc tanto rectius intelligi possit, consuli velim.

d) *Hugo Grotius*, magni a Brenio cive & populari præcipue habitus. Librum vero, quem innuit, non alium esse puto, quam eum, qui de jure belli & pacis nuper admodum in lucem publicam datus erat anno 1625. Paris. & præla denuo expertus Ffurti 1626. iterum prodierat.

pulorum in animis piorum, ſi qui iſtas partes, quas ille, ſequantur, ſive qui eas impugnent. Aſtute tu, dum meum exploras ſenſum, tuum diſſimulas. Liceat mihi, dum ad quæſtionem reſpondeo, regerere non quod ipſe ſentio, ſed quod conabor contra aliter ſentientem veritatis inveſtigandæ gratia pro virili tueri. Dicam igitur, magiſtratum ab homine Chriſtiano geri poſſe, pœnas item corporales atque adeo capitales hominibus ſceleratis infligi, quin & armis invaſores repelli, atque innocentiam bello protegi, ſi aliter tuta eſſe nequit. Argumenta non annecto, contentus iis, quæ Grotius e ſuo armamentario ſuppeditat: quanquam non omnia æque valida, quædam etiam ſic ſatis infirma mihi videantur: quod in conflictu melius patebit, ſi tibi contra in aciem progredi libuerit. Sed tu non acquieſcis ſimplici reſponſione, ſed porro quæris, an cuivis Chriſtiano iſta ſint permiſſa, etiam ei, 461 qui non inter infantes, ſed inter adultos in Chriſto cenſeri velit? Atqui noſti vix ullum eſſe vitæ genus, quod etiamſi per ſe licitum, cuivis tamen Chriſtianorum permiſſum eſſe debeat, eo quod certas ob rationes non conveniat. Quid enim ſi non ſatis ſit inſtructus iis præſidiis, a) quæ ad munus ejusmodi requiruntur? quid ſi poſſit aliud aliquod divinæ gloriæ hominumque ſaluti utilius opus ſuſcipere? quid ſi alio aliquo ſit occupatus, quod cum iſto commode jungi nequeat? Interim dicam, fieri aliquando poſſe, ut is quoque, cui religio ſerio cordi ſit, magiſtratu fungatur, & ea, quæ illi adhærent, expediat. Sed tamen & hoc fatendum cenſuerim, ea poſſe incidere tempora, & ſi oculos ad ætates genteſque omnes circumferas, plerumque fuiſſe atque etiamnum eſſe, ut difficilius ſit Chriſtiano magiſtratum gerere, ſummum præſertim, quam diviti in regnum cœlorum ingredi. Sunt enim quædam per ſe quidem licita, ſed tamen, ubi ad praxin deventum fuerit, ita præſtitu difficilia, b) ut abjicienda potius ſint Chriſtiano, quam inepte & ſine ullo fructu in hac ſeculi malitia perſequenda. Hæc jam eſto ſententia, contra quam ſi tela tua direxeris, quid pro illius defenſione poſſim, periclitabor.

a) Ita vero, *Ruare*, extra oleas vagaris! De *munere* Magiſtratus quæſierat *Brenius*, utrum *intemerata conſcientia* geri poſsit, tu vero de *habilitate* ad munus hoc aut aliud quodcunque ſingulorum hominum officium, de aliis interrogatus, veluti de cepis reſpondes.

b) Neque hæc ad rhombum faciunt; quoniam ea, quæ movet *Ruarus* dubia, ad quæcunque munera, corruptis temporibus difficilius adminiſtranda, proclive eſt applicare, per ſe alioquin non ſolum non illicita, ſed etiam neceſſaria.

M. Ruari rationes, cur Romanæ Ecclesiæ asseclæ non deberent adeo infensi esse Vnitariis, quos Socinianos vel Arianos vocant. 462

1. QVod hi sincera fide omnes utriusque Fœderis literas canonicas pro regula credendorum, sperandorum, faciendorumque admittant. a)

2. Quod Symbolum vulgo Apostolicum dictum, in cujus solius confessionem baptismus omnibus ab antiquo ad hodiernum usque diem administrari solet, unanimi cum aliis consensu agnoscant ac profiteantur. b)

3. Quod quæ hi circa religionem dogmata affirmant & pro veris tenent, omnia S. literarum verbis c) sint expressa, nec ab ullo Christiano negari debeant. Addit quidem illis Ecclesia Romana non pauca, quæ hi nec capere nec per conscientiam agnoscere queunt: nec ob id tamen horum fides tanquam falsa damnari debet, cum ea consistat, non in illis, quæ non credunt, sed in illis, quæ credunt: nec simplicitas eorum condemnari meretur, nisi quis eadem opera condemnare velit tot idiotarum d) millia intra ipsam Ecclesiam Romanam, quæ multa Ecclesiæ illius decretis sancita vel ignorant, vel nulla ratione capere & intelligere possunt. Nam nec paterfamilias e domo & supellectili sua vasa minora propterea ejicit, quia tantundem, quantum grandiora, capere non possunt. Et ut oculis propriis, non alienis, solem aspicimus, nobisque non aliis de sole credimus; ita pro ingenii captu ac propriæ conscientiæ modulo de rebus judicamus, easque vel approbamus, vel rejicimus, vel in medio relinquimus. e)

4. Quod Romana Ecclesia pleraque, quæ ultra *Vnitariorum* fidem credenda statuit, fateatur non expresse in S. literis haberi, sed ex traditionibus aut Patrum Conciliorumque auctoritate deducat. Cum autem traditionum, Conciliorum Patrumque auctoritatem in statuendis fidei 463

a) Admittunt equidem, sed ut V. T. libros N. T. tabulis longe postponant.

b) Verbis, non sensu seu eadem animi sententia. In sensu autem hæresis est, non in verbis, recte ait *Augustinus.*

c) V. g. *Slichtingiana Confessio*, de cujus tamen toto cœlo a cæteris discrepante mente omnibus constat.

d) Non agimus Romanæ Eccl. caussam; hoc tamen silentio præterire non possumus, cæteros puriori doctrinæ addictos ex idiotarum simpliciori sensu & mente neque Ecclesiam æstimandam esse, cujus publicæ confessiones spectare oportet, neque *hæresi* manifestæ inde aliquid juris, ut toleretur, accedere, sed potius tanto studiosius eam detegendam & confutandam esse, ne idiotæ quoque per cuniculos inficiantur, elaborandum esse.

e) Siquidem talia sint, quæ in medio relinqui possunt. Aliter de erroribus decumanis Paullus in epist. ad Gal. I, 8. seq. iterum iterumque pronunciat.

fidei articulis æque rejiciant cæteri circa religionem ab Ecclesia Romana dissidentes, atque hi, quos *Vnitarios* vel *Socinianos* vocant, non est, cur his magis quam illis succenseat: a) licet illi fortassis eadem de nonnullis cum Ecclesia Romana ac contra sua ipsorum principia profiteantur.

5. Quod *Vnitarii* neminem ob solos errores damnent, modo iidem abnegationem salvificæ veritatis & impietatem in moribus atque factis secum non trahant: eoque parati sint fraternitatem cum omnibus colere, qui Jesum credunt esse Christum, & vitam ex præscripto ejus exigunt. b)

6. Quod iidem nec circa ritus Ecclesiæ inolitos, nec circa phrases ab antiquo de dogmatis usurpatas sint difficiles, modo sibi liceat has & illos secundum fidei analogiam in S. literis interpretari. c)

7. Quod in præcipuis Christianæ fidei articulis cum Romana Ecclesia magis conveniant, quam ulla alia secta: d) verbi gratia in doctrina de Prædestinatione, de Electione atque Reprobatione conditionata de universalitate gratiæ Dei fructusque mortis Christi, de Libero arbitrio illiusque interventione in conversione hominis ad fidem, de Justificatione, quæ fit per charitatem efficax, de necessitate bonorum operum, quæ longe magis urgent, quam ulla alia Ecclesia, de possibilitate servandi præcepta Dei, de differentia Veteris Novique Fœderis, hujusque præ illo præstantia cum ratione promissorum, tum præceptorum, de discrimine peccatorum venialium atque mortalium, de discrimine Johannis baptismi & Christi.

464 Solet quidem vulgo probrose e) objici, quod S. Trinitatem non credant,

a) Neque in his pro Rom. Eccl. pugnabimus. Hoc tamen facile prævidemus, hos, non tam de principio, quam de ipsorum errorum *momento* disputare. Cæterum quibusnam illi succenseant magis, Vnitariis ne an Lutheranis, præsertim ubi Politica Reipublicæ non obstant repagula, experientia docet.

b) De vestra, bone Vir, liberalitate non agitur, sed quo *jure* id fiat, & num per verbi divini auctoritatem hujusmodi *laxam* religionem pro fundamento concordiæ Eccl. ponere integrum sit.

c) Quorsum vero hæc, (tametsi etiam de ritibus tantum agatur) quam ut fraudes fraudibus tegantur, in negotio tam serio, ne perpluat.

d) Erunt fortassis, qui *Racoviæ Romanæ & Romæ Racovianæ*, quam alibi jam notavimus, illustrandæ hæc inservire posse opinentur. Per nos id fieri licet, nec sine fructu id fore spondemus.

e) Videlicet ut *crimen*. Qua occasione non possumus, quin *Calvini*, quoniam & nostratum nonnullis ea de re disquirere volupe fuit, verba ex *defensione orthodoxa* repetamus, ubi f. 25. *Putidius est*, inquit, *quam ut refutatione indigeat, quod quidam ex profanorum hominum dictis colligunt; si de cultu* DEI *& legis doctrina habetur quæ-*

credant, quod Deitatem Filii Dei ejusdemque ſatisfactionem pro peccatis noſtris negent, quod pædobaptiſmum damnent. At alii reſpondent ac teſtantur, ſe in Patrem, Filium, & Spiritum S. ex animo credere, ſeque exinde in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. baptizare, in eorumque Trinitate unitatem agnoſcere; ſe Jeſum Chriſtum pro Dei Filio veroque Deo habere atque adorare; ſe credere, Chriſtum voluntati Patris ſui in omnibus, quæ is illi peccatorum noſtrorum cauſa agenda patiendaque impoſuit, abunde ſatisfeciſſe, adeoque peccata noſtra corporis ſui victima expiaſſe. Pædobaptismum quidem fatentur in S. literis non eſſe præceptum (quod & Romana Eccleſia agnoſcit) nec eos tamen damnant, qui eum uſurpant, imo & vitandi ſcandali cauſa eundem quibusdam in locis ipſi uſurpant, neminem vero ad iterandum baptismum cogunt, qui in infantia fuerit baptizatus. Rem ergo in his, quæ negare dicuntur, agnoſcunt: ſcholaſticas diſputationes circa modum rei tanti non ducunt, ut propterea unitas fidei disrumpatur.

8. Denique quod iidem, ſicubi errent, parati ſint ex S. literis edoceri, quodque pietati erga Deum, charitati erga proximos, vitæque modeſtiæ pro viribus ſtudeant, & injurias omnes, religionis ſibi nomine a legitimo magiſtratu illatas, patienter ferant. a)

ſtio, non eſſe crimen (hæc addit Calvinus) *morte aut vinculis dignum. Quis enim non videt, homines a vera luce alienos contemptim expoſuiſſe* DEI *legem rixis & certaminibus, ut tandem in faſtidium & probum veniret? Claudius Lyſias Felici ſcribit, ſe nullum in Paullo reperiſſe crimen, quia tantum cum Judæis de lege diſceptet: non quod probet Paulli cauſam, ſed quia legem ſusque deque habet: immo cuperet prorſus eſſe abolitam, ideoque gaudet inteſtinis diſſidiis convelli. Tam boni ſcilicet patroni voce judicii laqueos diſſolvere conatus eſt &c. &c., quaſi cœleſte eſſet oraculum, quod Lucas a tam malo auctore profectum recitat.* Hæc ille. Nobis de vocabulis litigare non placet, quibus ſatis eſt, hæreſin *opus carnis* appellari a *Paullo*, quod utrum honorificum ſit, alii judicent.

a) Neque hæc ſufficiunt, ſi præſertim periculoſisſimis aliis erroribus, etiam Rempubl. attinentibus, cujusmodi & Sociniani quidam tuentur, ſub his larvis contectis, obviam ſit eundum. Quæ tamen, quando addimus, violentiam non probamus, ſed Paulli illud περιΐστασθαι & παραιτεῖσθαι 2 Tim. II, 16. & Tit. III, 10. tantum commendamus.

465 *Sequitur epistola responsoria ad M. Ruari literas pag.* 282. *quam volebamus omittere: sed postea veriti, ne quis dicere possit, nos minus candide egisse, ea omittentes, quibus Ruarus refutatur, hunc ei locum dedimus, ut lector suo judicio utatur, & nos excusatos habeat.* a)

M. GITTICHIVS M. RVARO.

GRotii patrocinium in iis, quas ad me Warsavia dedisti, literis studiosissime agere videris. Dominus autem noster Jesus Christus largiatur nobis spiritum sapientiæ, ne unquam per nostram incuriam, & minus intentos in S. literarum sententiam oculos, alicui errori, qui nunquam in rebus divinis absque incommodo religionis committitur, patrocinemur. Nonnulla eorum, quæ in isto viro reprehendo, ad commodum sensum trahi posse asseris. His ipsis verbis confirmas id, quod ego in viro isto utinam tam candido, quam eruditus est, reprehendo. Hoc enim illi crimini do, quod non aperte & candide in suis scriptis agat, & trahi oporteat illius verba, ne erroneam & absurdam sententiam, de iræ Dei in humanum genus per Christi dolores & cruciatus placatione, sequi & tueri videatur. Assentari scilicet adversariis veritatis, non religionis & veritatis causam aperte agere, *illi* propositum fuit. Si ad eam rationem ageremus omnes, quid hoc aliud esset, quam veritatem in tenebras trudere, & de industria oppressum ire? cum tamen nostri officii sit, in eam curam summa ope incumbere, ut eam e tenebris eruamus, & in lucem quam clarissimam eductam, omnium oculis spectandam proponamus: ideoque ita nobis ubique loquendum & scribendum, ne unquam trahi ulla nostra verba oporte- 466 at, ut commodum sensum habere possint. Taceo manifestam illius impietatem, vel ut levissime dicam, imprudentiam, aut ἀφροσύνην * a Christo Marc. VII. reprehensam, (parce quæso mihi scapham scapham & ligonem ligonem appellanti) cum in gratiam Antichristi ea, quæ ab aliis contra pontificem Romanum recte ex Sacris literis deducta sunt, suis

* Imprudentiam.

a) Toti huic epistolæ, quæ invectivæ in *Grotium* vehementissimæ formam & argumentum exhibet, nihil annotationum subjicere visum est; quia caussam tanti *Viri* & tam *monstrosi*, pæne dixerim, *ingenii*, quam in rebus *ad religionem* attinentibus *sensus*, agere nostrum non est, sed *Christi*, cui stetit ceciditque, dum viveret, servus. Quem vero resuscitatus aliquando locum occupaturus sit, multo minus nostrum est definire. Quæ de reliquo in hac epistola *Gittichii* alioccurrunt, unde adolescentia quid lucis accipere possit, ea jam alibi sunt excerpta, iteratumque laborem, ne actum agamus, non deposcunt.

ſuis ineptiis in dubium vocat, & multorum infirmiorum fidem labefa-ctat; atque ita oſtendit, ſe non hoc agere, ut Chriſti Eccleſiam ædifi-cet, ſed ut diruat potius, aut ſaltem aliorum labores in ea ædificanda impediat: quod ne tu quoque alienisſimum eſſe debere ab omnibus cordatis & candidis viris, quibus gloria Dei cordi eſt, unquam inficias iturus ſis. Remisſionem peccatorum populo primum Iſraelitico, deinde etiam univerſo orbi a Deo oblatam, per Chriſtum proclamatam, miraculis, morte, & exaltatione illius confirmatam, a Chriſto morte cruenta, quippe ſacrificio perfectisſimo nobis impetratam dicere, quod facit Grotius, alienisſimum eſſe a mente Sacrarum literarum ſtatuo: cum vel ex ipſo ſolo primo capite ad Epheſios, ubi gratiam & divitias bonitatis toties inculcat, (in cujus capitis verſus 6. explicatione pagina 2. Grotius id aſſerit) luculentisſime conſtet, nullius opera, auctoritate, aut precibus ad tantam gratiam nobis offerendam Deum impulſum, ſed ſola ſua incredibili benignitate ardenter incenſum, paternum ſuum amorem, & inæſtimabiles ineffabilis ſuæ clementiæ & benignitatis theſauros nobis obtuliſſe. Nihil jam de eo dico, quod perfectionem ſacrificii Chriſti morti, quæ inchoatio tantum illius fuit, tribuat, ludens etiam hic ambiguitate vocis ſacrificii, & in carectis erroneæ Pontificiorum & Evangelicorum ſententiæ ſuam ea de re ſententiam occultans. Trahi ſcilicet iſta etiam verba oportet, ut commodum & cum Sacris literis congruentem ſenſum habere queant. Talibus certe religionis Chriſtianæ doctoribus nihil unquam in rerum di- 467 vinarum cognitione profeceris. Quod ais, *non adeo abſurdam mihi videri debere eam orationem, cum petitur, ut propter filium ſuum Deus nobis benefaciat. Cur enim magis hic nos offendat ſermo, quam cum Deus ipſe ſub Veteri fœdere propter Davidem ſe poſteris ejus benevolum fuiſſe teſtatus eſt?* videris mihi cum Grotio contentionem eorum facere, quæ extra omnes leges comparationis poſita ſunt. Non vivens, & quidem ad dexteram throni Dei, ſed mortuus tantum Chriſtus cum Davide non tantum mortuo, ſed etiam vivente comparari poteſt & debet: ut quemadmodum propter Davidem viventem & mortuum multa Deus illius amicis benigne faciebat, ita etiam mortuo Chriſto propter Chriſtum, & illius jam jam morituri & ſuos ardentisſime Deo commendantis preces, illius amantes tueretur. Quod attinet ad Chriſtum exaltatum, neque facit jam quidquam Deus propter Chriſtum, neque opus eſt ut faciat. Pater enim jam non judicat quenquam, Chriſtum effecit caput ſui populi: Chriſtus etiam ardentisſimo in ſuos amore præditus, omnia

ſub pedes ſuos ſubjecta habens, & potenti ſuo verbo omnia portans, non opus habet (quæ Davidis imbecillitas fuit) ut quisquam in gratiam ipſius ſuis benefaciat. Per Chriſtum, non propter Chriſtum jam Deus omnia in ſua Eccleſia facit. Ideoque etiam hoc tantum modo de Dei in nos benignitate loquuntur Sacræ literæ, non autem eo, quem tu ex Grotii Theologia petitum uſurpas. Parum ergo attendere videntur ad ſtupendam majeſtatem, & ardentisſimum Chriſti in ſuos amorem, addo etiam ad eum finem, in quem Deus Chriſtum perfectisſime miſericordem, ad ſuccurrendum ſuis, per omnium generum calamitates efficere, tantaque potentia & auctoritate cumulare & coronare voluerit, qui orant ut non per Chriſtum, quemadmodum Sacræ literæ loquuntur, ſed propter Chriſtum Deus illis hæc & illa faciat & largiatur: 468 quaſi quidpiam reperiri posſit, quod Chriſtus ipſe in uſum ſuorum ad gloriam Dei facere aut non posſit, aut nolit: quaſi non ipſe Chriſtus omnia impleat in omnibus. Suſpecta falſitatis eſſe omnibus merito debere ea dogmata, in quibus neceſſe eſt, nos iis verbis & phraſibus uti, quibus non uſi ſunt ſacri Scriptores, perfectisſimi divinæ veritatis magiſtri, aſſeruit alicubi Socinus in libro de Servatore. Idem certe ob eandem rationem de iſta Grotiana, quam tolerari poſſe ais, ſententia ſtatuendum; cum non posſit oſtendere, quenquam ſacrorum Scriptorum unquam ita loquutum, & ratio evidentiſſima a me allata illam luculentiſſime convellat. Cavendum nobis eſt etiam atque etiam, ne dum novos aliquos articulos fidei, per ſpeciem magnæ cujusdam in Chriſtum pietatis, cudere volumus, per ejusmodi cuniculos univerſam gloriam Chriſti, quæ in ſumma potentia & auctoritate, atque ardentiſſimo illius in ſuos amore ſita eſt, imprudentes ſubruamus. A qua peſte nunquam erimus ſecuri, niſi nos ita ad S. literas adſtringamus, ut in ſermonibus & ſcriptis noſtris de aliquibus rebus divinis, periculum eſſe ſtatuamus, vel pilum etiam transverſum ab iis verbis & phraſibus diſcedere, quibus in ſuis de iisdem rebus ſermonibus uſi ſunt perfectisſimi rerum divinarum univerſo orbi a Chriſto donati doctores & magiſtri. Dixeram, Grotium in confirmandis ſuis ſententiis veterum patrum auctoritate perinde agere, atque ſi quisquam ſuam de aliquibus coloribus ſententiam confirmaturus, cæcorum ea de re quamplurima judicia diligentisſime conquirat, & in medium afferat; atque ita cauſam ſuam recte conſtitutam, & validisſime munitam exiſtimet. Ad iſta reſpondes: *Quod veterum ſcriptorum auctoritate Grotius ſuas explicationes, rectasque*

que de religione sententias stabiliat, id adeo me non sit ægro, ut & gratias illi eo nomine habeam. Jucundum enim est habere in agnitione veritatis socios eos, qui ante nos in Ecclesia doctrinæ & pietatis laude claruerunt. 469 Si in patribus istis, quorum sententiis sua perpetuo confirmare nititur Grotius, fuisset aliqua constantia in iis sententiis, quas unquam recte docuerunt, si non essent in suis asserendis varii & inconstantissimi, amissa penitus non longe post fata Apostolorum veritate religionis Christianæ, esset sane non de nihilo, eos etiam & eorum judicia in patrocinium veræ nostræ sententiæ vocare. Jam cum Grotio satis constet, & omnibus ex nostris, qui illorum libros unquam legerunt, testatissimum sit, in summis ignorantiæ tenebris patres istos omnes fuisse demersos, cum in nullo fere articulo Christianæ fidei veritatem haberent perspectam, essentque cæcis similes, qui diversis itineribus trepido gradu huc atque illuc feruntur, ideoque nihil illis in suis scriptis inconstantius, ita ut nonnunquam, quod jam alicui plena manu largiuntur, versa in illorum libris una atque altera pagina, fidentissime auferant; nemo non videt, quam ineptum sit, a talibus auctoribus ad quidpiam nostrum confirmandum suffragia emendicare, & in illis evolvendis otium, quod legendis S. literis, aut alicui alteri negotio utilius impendi posset, consumere & prodigere: nemo non videt, quam inepta & nullius usus sint ista illorum veræ nostræ sententiæ quæ dicis stabilimenta. Cum essem adolescens 19 annorum in schola Evangelicorum Koclioviæ, & hospes meus homo pontificius sacerdotem suum, qui etiam illic suum habebat templum, ad prandium invitasset, alia ex aliis loquuti tandem delapsi sumus in sermonem de purgatorio; quem ille patrum auctoritate probare satagebat. Asserebam ego, vel ex solo Augustino, qui apud pontificios sit summæ auctoritatis, luculentissime constare, sententiam de purgatorio a S. literis alienam, & merum humanum commentum esse: in eam rem producebam eos locos Augustini, quos mihi ex libro quodam Bezæ de religione exscripseram. Regessit ille, non posse se in animum suum inducere, quicquam tale Augustinum scripsisse. 470 In sua bibliotheca esse libros Augustini, & se habere in promptu locos in ejus libris notatos, quibus ille docet ignem purgatorium esse; seque id mihi, si eum in ipsius ædes comitari vellem, statim demonstraturum. Periculum ejus rei facturus sequutus sum hominem in illius ædes. Invenimus

ea, quæ afferebat de igne purgatorio in Auguftino haberi. Inveni-mus ea etiam, quæ ego ex Beza exfcripta in contrarium afferebam bona fide a Beza citata. Stupebat homo ille, & ejusmodi fua incon-ftantia omnem auctoritatem fuis libris ipfum Auguftinum detrahe-re afferebat. Similia etiam nuper deprehendi de eodem Auguftino in Cornelio Cornelii, qui afferit, illum cum junior effet, Paulum capite feptimo ad Romanos de irregenito homine loqui ftatuiffe. Provectiori ætate autem, & maturiori judicio rectius fenfiffe, & de viris fanctis, & fe quoque ipfo jam regenito Paulum verba facere docuiffe. Quid igitur iftorum auctoritate confirmes, qui cæcorum inftar temere vagabantur, & recta etiam via relicta, quæcunque fors offerebat, fequebantur? Sed quid pluribus opus eft, ut videas uni-verfum Grotii apparatum, in operofe conquirendis patrum iftorum ad fuam caufam ftabiliendam fuffragiis atque rationibus, vanisfimum effe, cum non fis nefcius, quanta inconftantia patres ifti laborent, quippe qui non minus pro pontificiis, quam pro Evangelicis in ea-dem caufa fententiam dicant, ideoque omnem auctoritatem & fi-dem fuis fcriptis ipfimet abrogent? Gladium Delphicum illorum fcripta verisfime dixeris. Ob eam rationem vir doctisfimus Flaci-us Illyricus in fua Clave Scripturæ, in altera parte, tractatu feptimo, numero 15. 16. 17. 18. 21. fruftra effe, qui ex iftis fenfum S. Scripturæ, 471 & veritatem religionis Chriftianæ difcere velint, erudite & luculen-ter docet; & illorum difputationes ebriorum in aliquo convivio pugnæ asfimilat, qui, cum a verbis ad verbera devenitur, non labo-rant, ut fe ad gladios corripiant, fed obvia quæque quisque rapit, ita ut etiam omnia convivialia inftrumenta, patinæ, quadra, can-thari, panis etiam ipfe, & cyathi vicem teli illis præftare cogantur, quantumvis fint ad eum ufum minus idonea. Habes luculentam rationem, cur ftatuam, univerfum Grotii apparatum, in operofe conquirendis ad fuam fententiam patrum iftorum fuffragiis, nullius ufus effe; ad pompam tantum & commendationem hominis a mul-ta veterum doctorum, imo etiam rabbinorum lectione, inftitutum effe beatæ memoriæ Socinus & Crellius nofter nullis Maimonida-rum ineptiis fua confirmabant; folis teftimoniis S. literarum, & fa-næ rationis argumentis pugnabant. Quantum autem ifti profece-rint, & quam ad iftorum fcripta ne comparanda quoque fint omnia theologica fcripta Grotii, & ratio docendi, videt jam orbis Chri-ftianus,

ſtianus, indies magis ac magis idem viſurus. Si quiſpiam verus Chriſtianus (de his enim loquor) angeli ſibi apparentis commendationem apud Deum requirat, quod fieri poſſe Grotius ſtatuit, nullam impietatem & idololatriam, quod tu mihi in tuis literis impingere videris, ſed magnam imprudentiam Grotii eruditione indigniſſimam judico. Quid enim? num tu putas majorem eſſe auctoritatem apud Deum alicujus angeli, quam veri Chriſtiani? aut angelum citius cœlos penetrare, & in conſpectu Dei & Chriſti ſeſe ſiſtere poſſe, quam preces & ſuſpiria veri Chriſtiani in aures Dei & Chriſti perveniant? Hoc certe ſtatuere æque abſurdum videtur, atque ſi quis ſtatuat, apud aliquem regem majoris auctoritatis eſſe gregarium quemvis aulicum, quam illius ſponſam dilectam, & ſponſam ejusmodi poſſe ſine crimine ſtultitiæ alicujus aulici ſui mariti commendationem apud maritum requirere; ſi quis item pronunciet, Deum & Chriſtum ea luculentius videre, & celerius audire, quæ in proximo ſibi aliquo loco fiant & dicantur, quam ea, quæ in aliquo a ſua perſona remotiſſimo. Exempli, quod ad Grotii rem fulciendam affers, diverſiſſima eſt ratio. Vterque enim Chriſtianus, tam is, qui ab altero petit, ut ſuam cauſam Deo & Chriſto commendet, quam alter ille, a quo id petitur, ſponſa Chriſti eſt. Adde, quod id nobis a Chriſto expresſis S. literarum teſtimoniis, ut ſcilicet alii pro aliis oremus, mandatum, & ipſorum etiam Apoſtolorum exemplis commendatum ſit: ideoque in hoc exemplo nihil non Chriſtiani hominis prudentia dignisſimum, alterum illud Grotianum mera imprudentia Chriſtiano homine indigniſſima eſt. Hæc ſunt, Vir clarisſime, quæ impediunt, ne tecum ſtatuere poſſim, Grotium, alias virum incomparabilem in humana literatura, eſſe alicujus uſus in Chriſti Eccleſia. Virum iſtum magnum eſſe politicum foro uti ſcientem, & perlibenter etiam utentem, ob eas, quas tibi expoſui cauſas, ſtatuo. Fieri enim nulla ratione poteſt, quin vir tam acris ingenii, tam eruditus, tam linguarum peritus, divinam veritatem in omnibus Chriſtianæ religionis, quam profitemur, dogmatis exactisſime perſpectam habeat; ideoque etiam de illa luculentisſime loqui & ſcribere, atque ita inſigniter Dei & Chriſti gloriam, ſi modo ea perverſitas ab animo illius abeſſet, posſit. Si cuidam alteri, huic certe vel imprimis viro, cujus eruditionem univerſus fere Europæus orbis admiratur & adorat, danda eſſet opera, ſi Dei & Chriſti

472

Christi gloriæ, & saluti humani generis consultum vellet, ut quam apertissime de omnibus ad negotium religionis pertinentibus scribat & loquatur. Largiatur illi Dominus saniorem mentem, suam vero Ecclesiam a talibus Grotiis conservet, efficiatque pro ea qua 473 pollet auctoritate, ne unquam ulli Grotii in sua Ecclesia existant; cum a talibus plus semper sit Ecclesiæ Christi periculi & damni, quam ab apertis illius hostibus & antichristis. Vale.

XIV Julii, cIↃIↃCXLIII.

MARTINI

MARTINI RVARI
ALIORVMQVE VIRORVM DOCTORVM
EPISTOLARVM
CENTVRIA ALTERA a) ET VLTIMA.

TYPOGRAPHVS b) LECTORI S.

Prodiit nuper e Typographeo nostro Patris mei aliorumque Eruditorum Virorum ad eum exaratarum Epistolarum Centuria, quas cum acceptas fuisse tibi intellexerim, cujus vel hoc mihi indicio fuit, quod intra breve temporis spacium omnia distracta sint exemplaria, animum mihi addidit, ut & reliquas, quæ sub manu mea erant, quas jam in lucem protrudo, tibi communicarem, præsertim cum mihi compertum sit, multa in iis contineri, quæ tuo palato, tum styli elegantia, tum rerum utilitate & jucunditate eas sit commendatura. Habebit Philosophus, Politicus, Historicus, ac etiam alicubi Theologus quæ intelligat, quorum eum notitia antehac fugiebat. De quibus, ut tibi integrum esset judicium, nihil eorum editioni substraxi, quæcunque vel penes me fuere vel tibi ulla ex parte cognoscenda videbantur, omniaque ex autographis fideliter exscripsi. Cum vero paucarum dispendio horarum ipsemet omnia perlustrare possis, multa te morari præfatione supersedeo, hoc unicum postulans, ut studium meum benigne interpreteris: quod si feceris, stimulum mihi addes, ut reliqua, quæ adhuc habeo, ejusdem Auctoris tum Historica tum Theologica (quæ tamen ita comparata sunt, ut nullius conscientiam sint turbatura, sed solummodo ad mores corrigendos pietatemque colendam incitatura) tecum communicem. c) Vale.

Bbb I. EPI-

a) Eademque rarior. Epistolas continens, quæ propius agitata *Socinismi*, & recepti in animum & proserpentis etiam clanculum, consilia pandunt, atque hinc ad historiam Socinianam illustrandam magis, rerumque, *Altorphi* præsertim, gestarum historiam contexendam, quam dogmata, unam alteramque si excipias disquisitionem, faciunt. Quibus commodis tamen illud accessit incommodum, quod, cum priores litteræ raro *cryptica nomina* exhibuerint lectori, heic nonnullæ eorum plenæ occurrunt, eaque hinc a nobis, qua par erat, & quanta fieri potuit, industria substitutis genuinis explanandæ erunt.

b) Vt non obscure ex hac Præfatione patet, *Joachimum Ruarum*, a quo prior adornata videtur ad Lectorem commonefactio, interea, dum fasciculus hic secundus in lucem prodiit, mortalitatem jam explevisse: Ita diligentiam quoque parem, tantamque, quantam in priori observavimus, in nova collectione hac adhibitam jure desideravimus, & subinde quasdam hinc annotare cespitationes necesse habebimus. Cætera, neque *Davidem* hunc *Ruarum* ineruditum fuisse, abunde docent.

c) Quorum tamen nihil, quod nobis innotuerit, in hunc usque diem præla neque filii ejusdem, neque aliorum, subiit. Et tanti quoque hæc non fuisse, inde conjicio, quod nihil eorum, quæ alicujus momenti essent, *Sandio* anno 1684. *Biblioth.* suam edenti, atque cum impressis libris etiam MStos diligenter enumeranti, innotuerat.

EPISTOLA I.

M. RVARVS HEINONI VOGLERO. a)

EGo vero non patiar, ut, cum officio pridem viceris, humanitate quoque prævenias. Mihine tu gratias agis, mi Voglere, quod nobilissimum Burgstorphium b) tibi commendaverim? at ego debebam, quod eum tam benigne in amicitiam tuam admiseris: itaque si quid in ea tibi jucundum est, id ipsi Burgstorphio totum transcribo, cujus ea est virtus, ut omnibus, qui non e robore sculpti sunt, amorem sui honesto lenocinio vel ignotis ingenerare possit. Quo magis doleo optimi Juvenis animum jam a me factum alieniorem rumore istic de me sparso. c) quo de satis prolixe jam ad illum scripsi, d) omnemque criminis suspicionem, qua me vestrates gravant, dimovi, quæ ut illic e) legas, omnino mea interest: te enim famæ meæ patronum 2 constituo. Nescio sane, quid istis hominibus, de quibus nihil male merui, venerit in mentem, ut hæretici nominis maculam mihi aspergerent. An, quia γνήσιος, * Socini discipulus, in omnia magistri verba f) juraverim? ego tamen ne probo quidem, & qui potui? cum necdum omnia legerim, & in iis, quæ legi, non usquequaque εὐστοχεῖν ** videtur? In paucis g) fateor aquam hærere mihi, & appello conscientiam tuam, quoniam illius quædam legisse scribis, annon istic talia sunt, in quibus etiam veterani Theologi sudent? h) Non denique nulla sunt, quæ, si recte accipiantur, nec Dei gloriam, nec hominum salutem evertunt, imo utramque potius egregie constabiliunt: i) &

* Genuinus, germanus. ** Dextre scopum attingere.

a) De quo Cent. I. epist. 16.

b) Procul dubio *Abrahamum*, quem *Ernestus Ludovicus* frater, de quo Cent. I. epist 1. & Cent II. ep. 7. consilio cum cæteris cognatis inito, *Ruari* disciplinæ subduxerat.

c) De hæresi *Sociniana* videlicet approbata, eoque non vano.

d) Quæ sine dubio epistola illa fuit, quam Cent. I. n. 1. locatam habebis & invenies.

e) *Helmstadii* fortassis, ubi, aut in vicinia saltim, eum sub id tempus commoratum esse, supra jam observavimus.

f) Fatetur ergo, Magistrum se illum venerari, quem nominaverat, *Socinum*; sed esse tamen nonnulla, in quibus ab ipso dissentiat, monet. Quæ utinam leviora fuissent, & caput caussæ non attinentia! Quod proh dolor! secus accidit.

g) Capitalibus nempe & principes, de DEO Christoque, articulos spectantibus. Sic enim eventus docuit.

h) Esto. Hæccine vero caussa fuit, cur de solvendis dubiis desperandum esset? Sunt & sophismata, in quibus viri doctissimi desudant diluendis.

i) Pauca profecto, si præsertim non unum alterumque assertum, & sola morum præcepta, sed τὰ πρῶτα fidei animo tecum reputes, neque artificiosa telæ istius, affabre, ut ab aranea, textæ, structura animum occupari patiaris, aut, pietatis etiam obtentu, veritatem doctrinæ non minus

& vel illud de probitate vitæ, quam tantopere urgere solet, quis non utroque pollice laudet, cum illius præsertim vitæ sequacium exempla non desint? Venit huc ad me nuper Ratisbona Thomas Segetus a) Britannus, jam antiquus in amicitia mea, ceu nosti, de cujus vario vitæ cursu in Bohemia, Vngaria, Polonia, atque ipsa etiam Moscovia, non est necesse scribere, quod prolixum nimis foret, & in libellum excurrere. Is ajebat, se, cum Racovia, minoris Poloniæ oppido, ubi Socinianorum hæresis potissimum floret, data opera transiisset, putasse, quod in alium terrarum orbem delatus venerit: cum enim alibi bellis omnia & tumultu perstreperent, ibi quieta fuisse omnia, homines sedatos & ad modestiam compositos, ut angelos existimare b) possis, cæteroquin acres in disputando linguarumque peritissimos, inter quos præcipue nominabat Smalcium, c) Thuringum quendam, & Hieronymum Moscorovium d) Andreæ Dudithii generum. Neque nova sunt ista præconia, etiam apud nostros homines, hostes illorum infensissimos: vel unus videatur Rittershusii Commentarius e) in Salvianum, pag. 153. ubi vir, heu quondam! f) amicissimus, Gittichium illum notare videtur, cujus aliquot argumenta cum Livono g) com-

sancte, tanquam depositum divinum, conservandæ, missam facias. Quam ubi h. l. etiam inter præcipua allectamenta numeratam esse, ipse *Ruarus* non dissimulavit, infeliciter hanc quoque viam ingressus, qua methodo, in his quoque locis, *Socini* hæresis disseminata per cuniculos serpserit, liquet.

a) Non aliunde nobis notus, quam quod *Altorphinæ* Academ. civis factus sit die 1. Martii anno 1614. ex *Rostochiensi* autem consuetudine *Ruaro* dudum videatur fuisse cognitus.

b) Parum abest, quin eam hic repetam, quam in *Republ. Christianop.* n. 28. de Religione vera dedit acutissimus *Joh. Valent. Andreæ* descriptionem, qui: *Dum hæc* (quæ de Christiana scilicet Republica ante disseruerat) *intueor*, inquit, *potuissem fanaticam aliquam urbem suspicari; cum apud mundum, quicquid cœlum quærit, hæreticum sit: Sed me errore duplex tabula, cui professionis & confessionis summa aureis literis inscripta erat, liberavit.* Vtinam eadem in hac tabula, quæ ab *Andreæ* lecta fuerant, etiam *Segetho* & *Ruaro* objecta fuissent! Nimio autem qui credit colori, facile etiam decipitur.

c) Hoc tempore Pastorem & cœtus *Sociniani Racoviensis* Antistitem ac promachum.

d) Non ex officii publici rationibus, sed exercitii gratia & amore sectæ ejusdemque sociorum *Racoviam* identidem invisentem & cum fratribus confabulantem, *Carkoviæ* de reliquo habitantem.

e) Quem locum in *Hist. Crypto-Socin.* cap. I. excerptum dedimus.

f) Haud ita pridem anno nimirum 1613. pie defunctus.

g) Memini in *Hist. C. S.* suspicatum me esse, errorem in scribendo commissum, & pro *Livono Lithuanum* substitui oportere, eumque non alium fuisse, quam *Paullum Demetrovitium*, in quem digitum intendat h. l. *Ruarus*; sed postquam hoc ipso anno, quo epistola hæc scripta fuit, *Joh.* quendam *a Grave*, *Riga Livonum*, studiis

communicaveram, qui nunc in famæ meæ proſcenio tam egregie paratragœdiat. Non me fugit tamen, quo nomine laudes illas deterere poſſimus: λοιγὰς nimirum κεκονιασμένας * vocare ſolemus, qui ſub externo, ut ita dicam, pietatis tectorio a) damnatarum hæreſium cineres abſcondant; in omnibus præterea, quæ faciunt, nullum pietatis affectum, ſed ventoſas modo gloriolæ bullas ſpectare, dicimus: quorum prius ut de cunctis verum eſſe concedam, poſterius de nonnullis, de cæteris tamen qui ſcimus, niſi fortaſſe καρδιογνῶσαι ** ſumus? At nos, cum virtutem in exilium egerimus, nec imaginem quidem illius amplius in civitate retinere volumus: eo per temulentiam & laſciviam ſecuti, proh dolor! redacti ſumus, ut occallatæ fronti nec pudorem, quo culpam dimidio leviorem facere ſolemus, ultra jam imperare poſſimus. Dico de eo, quod plerumque fit: nam quin pauci, 4 in quibus antiqua pietas veras radices egit, ex acervo vulgari ſint excipiendi, non nego, inter quos te quoque cum olim fuiſſe meminerim, neque nunc eſſe dubitem, nolo jam, quid apud alios non minus de morum tuorum ſanctitate, quam de varia eruditione ſim effatus, in os repetere, ne palpum obtrudere videar. Mene, mi Voglere, putas, quoties memoriam ad præteriti temporis cogitationem excito, lacrumas tenere poſſe, cum conſidero vitam non ſemper ad Catonis regulam exactam? b) Itaque jam per aliquot tempus animum ſevera caſtigatione ita (præfiſcine) ſubegi, ut ſperem, poſſe me cum bona mente tandem in gratiam plane redire, & ſi hoc eſt Socinianum eſſe, fateor me non obſcure nominis hujus gloriam ambire; de cæteris vero capitalium ingeniorum ſpinis c) eo minus laborabo, quod ipſi, quantum audio,

* Convitia picta, ceruſſata. ** Cordium ſcrutatores.

Altorphi operam dediſſe animadverti, facile credo, hunc potius, quam illum, intelligendum eſſe.

a) Quod ſæpiſſime fit, non aperta & affectata ſemper ſimulatione, ſed etiam obreptitia, partim ſuperſtitioſorum hominum, partim eorum, qui non ſunt obſequioſi ſecundum τύπον διδαχῆς, cui a Paullo traditi ſunt Rom. VI, 17. Quo de vitio fucatæ pietatis ſine καρδιογνωσίᾳ judicari omnino non poteſt.

b) Hinc forte, qualis, antequam *Socini* placita approbaret, fuerit *Ruarus*, colligi poteſt; talis ſcilicet, qui νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, earumque impetum etiam perſentiſceret. A *Sonero* autem, partim ſuggeſtis in doctrina erroribus, partim ſpecie ſanctitatis *Socinianæ* & offendiculis ſcelerum, inter noſtros graſſantium, a via recta in devia abreptum fuiſſe, multo luculentius inde efficitur.

c) Ita dogmata videtur appellare, & ex Scholaſticæ Theologiæ ſalebris atque dumetis, male accerſito nomine, ſanctiſſima fidei Chriſtianæ capita nuncupare; At *Paullus* contra ὑγιαίνουσαν ἀλήθειαν καὶ διδασκαλίαν Tit. I, 9. ſeqq. modeſtius ea vocat, & illarum quoque ἀντέχειν nos jubet, tanquam divini depoſiti ſanctiſſimarum partium: ex quarum cognitione demum,

audio, Sociniani neminem damnare ſoleant, quantumvis plus vitæ quam ſcholæ ſtuduerit. Te tamen, Heino mellitisſime, rogo, ut, quoniam ea tibi felicitas fuit, ut præſtantisſimos ſemper Theologos audires, ſi quid ex eorum converſatione præter ea, quæ publice prodita pleraque vidi, vel etiam tuo Marte, contra Socinianos ſingulariter obſervaveris, mecum communices: feceris certe rem non mihi tantum utilem, cujus conſcientiam mediocriter firmam a) hac via magis conſtabilies, ſed & ipſo te dignisſimam, qui, cum Theologiæ ſtudium tuum profeſſus ſis, non debes in ejus cauſa ſpectator ſemper asſidere, præſertim cum illis etiam armis ſis inſtructisſimus, ſine quibus vix dextre quicquam, ut nunc tempora ſunt, ibi peragitur. Philoſophiæ enim te magiſtrum nuper renunciatum, & ſeptem, ni fallor, competitoribus palmam abſtuliſſe, retulit utriusque noſtrum amicus M. Mejerus: b) quamobrem plurimum tibi gratulor, ac nihilominus pene etiam ſuccenſerem, quod id ipſe mihi non indicaveris, niſi ſcirem modeſtiæ cauſa a te factum eſſe. Ego Deum ſupplex veneror, ut honorem hunc fortunare tibi velit, quo ſit majoris prodromus, & quaſi ſponſor: te vero cohortor; non, quod currenti calcaribus opus ſit; ſed quia mos ita fert, & meus in te affectus plus quam fraternus ſuadet, ut ingenii dona, quæ publica conteſtatio latere jam non ſinit, excites in te majoribus animis, & ad illuſtrandam Dei gloriam, & commune piorum bonum, quæ duæ ſunt actionum noſtrarum maximæ menſuræ, nullius hominis gratia aut odio præpeditus, convertas. Quid enim hæc eſt vita? punctum temporis, quod inter tot gentes immenſis ſollicitatur laboribus, dum perſequuntur ea, quæ prius pene deſperent, quam fatigatis evenerunt, ac præter ſpes longas, antequam acquirantur & infinitos dolores, poſtquam deperdita ſunt, ipſis animis nihil conferunt. Æterna, mi Voglere, venemur; & uterque, ut ſpero, aſſequemur, ſi fuerimus a contemptu temporalium auſpicati. Hac itur ad aſtra, ad quæ nuper voto noſtro pervenit Thomas Rhædus, quem

& fide adeo *genuina* ſanctimonia vitæ atque Chriſtiana naſcatur; talis nempe, cui, tanquam baſi, eadem, ſi conſtans eſſe debeat, DEOque placere queat, innitatur. Fucum enim facere, & parietem dealbatum mortalibus exhibere, perquam facile eſt.

a) Vacillabat ergo hoc adhuc tempore animus, donec *errori pertinacia* accederet, diuturno uſu & veneratione, conſuetudine item frequentiori eorum, quæ rationi corruptæ blandirentur, magis magisque confirmata.

b) Vid. Centuriæ hujus II. ep. 6. Vnde *Roſtochii* philoſophatum, ibidemque etiam Magiſtrum creatum eſſe, deque *Æternitate mundi* diſputaſſe, ac p. p. *Altorphium* atque hinc *Jenam* commigraſſe, colligas licet.

quem Lipsiæ diem suum obiisse, ad me Cl. Huswedelius a) Hamburga rescripsit. Extremum hoc a te peto, ut quo sit in me nobilissimus Burgstorphius animo, curiosa indagatione pervestiges, & quibus potissimum susurronibus b) in sinistram de me suspicionem abreptus venerit: utcunque enim in alto ventus fuerit, exinde velum necessario vertendum erit. Verumtamen Deus omnia providebit, qui scrutatur corda & renes, cui te, o animæ dimidium meæ, commendo. Salutant te M. Mejerus & Joachimus Ruarus frater meus. Dat. Altorph. c)

II.

EIDEM. d)

RЕcte censes, mi Voglere, quod candorem amem. Ego vero & illum amo, & te, cum ob alias virtutes, quas in te semper suspexi, tum etiam propterea, quod tam ingenue nuper confessus fueris, cur ternis meis literis nihildum responderis: quamvis interim, ut verum fatear, non adeo probata mihi fuerit caussa, quæ te a scribendo sustinuit. Eone rem rediisse, ut ille Voglerus, cum quo jam a duodecim amplius annis amicitia mihi constituta, officiisque mutuis, quamvis minoribus a me culta, fabularum veterum fidem, e) quibus theatra quondam in admirationem versa sunt, renovare poterat, quem ego tanquam dextrum meum oculum amo; pro quo etiam hanc, si sit necesse, non dubitarem impendere, propter pravum sæculi sensum aut morem non ausus sit Ruarum suum literis appellare, quem paulo ante Giessam ad convictum quotidianum pristinæque familiaritatis consuetudinem vocaverat. Quid enim? si quis ad hæreticum det literas, ἀλλοτρίοις ἁμαρτίαις

a) Non *Conradus* ille, de quo infra ep. 26. sed *Johannes*, ut arbitror, Rect. Hamburgensis. Prior enim jam *Altorphi* hoc tempore coram vixerat.

b) Quid opus fuerat susurronibus exquirendis, si rerum adessent testimonia, ex ipsa hac epistola non difficulter conquirenda? Habemus sane reum passim, quid sentiret, confitentem.

c) Anno, ut circumstantiæ docent, 1613. sed jam inclinato aut 1614. recens inchoato, has litteras datas esse, breviter monemus.

d) Eo tempore, quo litteræ hæ scriptæ sunt, post peregrinationem per Germaniam superiorem, *Rostochii* adhuc commorato, aut saltim illic ex mente *Ruari* commorari viso.

e) Novum dissimulationis specimen. Quod, si mitissime interpretari liceat, eo accipi posse putaverim, ut nondum firmiter de *Socini* hypothesibus persuasum fuisse *Ruarum*, sed nutasse adhuc, in utramque partem conscientiæ religione subinde tractum, credam, aut nomen saltim, quando rem ipsam probabat, detrectando, invidiæ declinandæ caussa, aversari voluisse, existimem. Sic enim p. p. mentem ipsemet suam nobis aperuisse videtur.

τίοις κοινωνεῖν * & hæreticus eſſe dicitur, & ego jam aliquot in Academiis a) Socinianus ſive Photinianus audiebam ſcilicet. At primum, quam ſæpe iſti rumores, qui de aliquo ſparguntur, abeant a vero, ipſe non ignoras: nonnunquam laus alicujus virtutis in hæreticum candide profuſa, aut aliena ſententia σκέψεως χάριν ** paulo liberius defenſa, ſuſpicionibus anſam dedit, quas acceptas alii fabellis ceu flabellis ventilant, & in majus auctas non jam pro conjecturis, ſed pro oraculis ſupra Delphicæ tripodis fidem paſſim differunt. Vide, quid acciderit ſummo Theologo Lubino b) veſtro, qui non tantum hæreſin in pectore me fovere, ſed eandem etiam Altorphii παῤῥησιάζεσθαι *** nimia ſimplicitate credidit, pari audacia aſſeveravit: & ut magis mireris, idem ille Polærus c) vir in menſa Principis illuſtriſſimi, præſente quodam amico meo, ex cujus id habeo relatione, Profeſſores omnes Altorphinos Socinianarum ſententiarum partiarios eſſe palam aſſeruit, quod ego (ut pace tanti viri dicam) tam falſum eſſe ſcio, quam quod eſt falſiſſimum. d) Nam quod tu ex eo, quia Sociniſmi, ut tu vocas, profeſſores ob pietatem morum laudaverim, & quædam fortaſſis Vorſtii, e) qui tamen ſibi tributum Sociniani nomen ſedulo deprecatur, contra Stoicos f) noſtros ſcripta non improbaverim, neſcio quid colligere tentas, vide, annon in te fabam cudas, qui alterum plena te manu facere candide teſtatus es, alte-

* Cum alienis peccatis conſortium habere. ** Speculationis gratia.
*** Libere profiteri.

a) Proclive eſt, hinc efficere, jam in *Roſtochienſi* Academia *Ruaro* cum *Socinianis* commercium intercesſiſſe litterarum; ſuſpectum certe novarum, quas clam foveat, opinionum minus ſanarum, jam tunc fuiſſe, hinc evidenter patet.

b) Neſcio, utrum ad hypotheſin *Eilh. Lubini*, h. t. *Roſtochii* cum celebritate nominis adhuc docentis, & anno 1621. demum vita defuncti, de *origine rerum ex nihilo & peccati ad nihilum* contentione cum *Grauero* atque aliis ventilata, an alias ſuſpiciones reſpiciat. Hoc certe ex hiſce colligimus, clam, dum *Roſtochii* adhuc viveret, monſtri aliquid aluiſſe, atque animo occultas gesſiſſe & minus ſanas hypotheſes *Ruarum*, perſuaſum fuiſſe *Lubino*.

c) Calumniam fuiſſe hoc qualecunque, & ubicunque tandem ſparſum grande mendacium, alibi jam obſervavimus. Quis autem fuerit *Polærus* ille obtrectator, ne nunc quidem vel per conjecturam aſſequor. Et quamvis *Stadtmannum* juniorem, affinem *Leuchſneri*, ſenioris, atque *Nicolai Stadtmanni*, Conſiliarii Eccleſ. & Præſid. Conſiſt. Brandenburg-Culmbac. filium eum fuiſſe, aliquando ſuſpicatus ſim, ex *Leuchſneri* forte cognatione de clandeſtino *Sociniſmo* comperta & non comperta effutientem; non tamen, cur firmiter opinioni huic inſiſtam, ſatis cauſſæ habeo.

d) Nec male hactenus *Ruarus*; prout a nobis quoque alias oſtenſum eſt.

e) *Conradi Vorſtii*, qui *Lugd. Batavorum* jam vivebat, ibidemque publice docebat.

f) Calvino-Reformatos.

alterum ut facias necesse est, nisi castra, quibus hactenus militasti, a) deserere voles. Memini quidem alias, me nonnullos ex iis hominibus acres in disputando, lingvarum peritissimos dixisse, sed id aliena fide, quam tunc allegabam: & si maxime fuissem ex mea sententia locutus, haud vereor, ne quis me mendacii coarguat, nec id mihi vitio verti debet, quod virtutem ubicunque tandem oblatam agnoscam, quam etiam in capitalibus hostibus a magnis viris laudatam scimus. Sed non erat ariolationibus opus: ipse nimis aperte tibi dixeram, non ubique mihi Socinum εὐςοχεῖν, * in paucis b) aquam hærere, nec esse nulla in ipsius scriptis, quæ & Dei gloriam amplificare, & hominum salutem promovere videantur. Nunc illud amplius addo, me quanto magis in Socini libris versor, tanto plura reperire, quæ non tantum subtiliter & argute, ut tu illi non injuria tribuis, sed etiam vere dici disputarique credam; nec tamen propterea Socinianus aut Photinianus nuncupari volo, quæ mihi nomina tanquam Empusæ seu μορμολύκεια ** quædam ad terrorem passim objiciuntur, cum tamen Photinum ne quidem, cujus coloris c) sit, sciam, nisi quo suorum in adversariorum tabulis pictus exhibetur. Quid quod tu ex eo, si Socinianis opinionibus aliquantum abstractus sim, statim hæreticum d) me facis nimis inclementer, o bone, nimis severe. Cum tamen plerique omnes, qui hæreticum nobis descripserant (ne alia cumulem, quæ in me minime quadrant) pertinaciam illi dogmata sua tuendi tribuant, quæ tantum abest, ut in me locum habeant, ut hactenus sit inventus nemo, qui me ab ulla sententia, in qua ab aliis diversus institi, serio revocare conatus sit, seu testimoniis Sacrarum literarum, quæ sola rem tantam

* Dextre scopum attingere, recte collimare & conjicere. ** Larvæ, spectra.

a) Evangelico-Lutheranæ doctrinæ & Ecclesiæ addictus.

b) Sed rebus perexigui momenti. Quæ namque alia erant, in schola discipulorum *Arminii* & *Episcopii*, Belgico in itinere *Ruarus* diu post didicerat.

c) *Sirmiensem* illum Episcopum Sec. IV. medio inter *Catholicos* & *Arianos* mediam quandam sententiam professum, his verbis noster describit; cujus vix schedula extat & superest: utut LL. *contra gentes* & ad *Valentianum* scripsisse, testetur *de Script. Ecclesiast. Hieronymus*. *Rufinus* autem Tr. quoque de *Symbolo Apostolico*, quem evulgaverit, meminerit. Quæ, quanquam ita sint, non tamen injuriam illi, in hæresi, quam docuisse fertur, impacta, esse factam, ex Conciliis pluribus atque aliunde demonstratum dedit b. *Ittigius*.

d) Nempe, si ex pertinacia animi hæresin æstimes, quod multi sunt, qui insciantur, & ad *complementum* tantum erroris in rebus fidei capitalis, vitium illud voluntatis, si accedat, pertinere existimant. Quæ utcunque sint; illi tamen, qui *Ruaro* hæreseos dicam scribebant, non de pervicacia, sed falsa doctrina approbata, videntur locuti.

tantam optime conficere possunt, seu rationibus subtiliter excogitatis, quas ego nunquam spernere soleo, præsertim cum ex iis principiis fluunt, quæ nemo, cui sanum est synciput, negare possit. Et quam obvius veritati sim ad opiniones novas, quæ falsi revincantur excutiendas, ex eo tibi constare potest, quod ipsum te nominatim obtestatus sim, ut, si quod telum singulare contra Socinum haberes, eo me armare velles, ibidemque simul indigitaverim, pleraque me, quæ publicis formis in hac rem scripta prostarent, legenda investigasse, quod adeo verum est, ut inde ex Polonia quædam mihi a) Jesuitarum τῶν ἀντισωκινῶν * volumina anquisiverim, qui tanquam veterani, in his controversiis, hostis propinqui vires conflictu crebro didicerunt, & paulo majoribus artibus, quam ** ὁ δεῖνα b) inter nostros Germanos bellum gerunt. At si maxime forem hæreticus, quod tamen Deus Opt. Max. prohibuerit, vides nihilominus, quam nullo jure, licet ad me literas dares, crimine meo possis involvi, idque ipse agnoscis, cum eos, qui ita sentiunt, rigidos & superciliosos vocas Aristarchos, licet hactenus frontem contra severum illorum Theta durare nequiveris. Nam quod tu pro illis quasi aliud agens ex epistola Johannis adducis, εἴ τις ἔρχεται καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν ἐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε, ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτῦ πονηροῖς *** id vel omnibus præceptum non est, sed isti tantum fœminæ, ad quam Johannes scribebat, & ejus liberis eorumve similibus, quorum hi ætatis, illa sexus imbecillitate facilius seduci poterat, vel de receptione & salutatione tam familiari, c) ut speciem collusionis habeat, intelligi debet; vel non omnes, qui pro hæreticis nostra tempestate proclamantur, sed eos tantum stringit, qui partem aliquam τῆς ὑγιαινέστης

* Anti-Socinianorum. ** Aliquis, nonnemo.

*** Si quis venit, & hanc doctrinam non affert, ne excipite eum in domum, nec ave illi dicite, qui enim ei dicit ave, communicat cum operibus ejus malis.

a) Et aliis, quod deinceps proh dolor! cognitum est.

b) Haud dubie *Jac. Schopperus* Altorph. Theologus, recentissimus & *Ruaro* notissimus Socinianorum aggressor.

c) Melior hæc est interpretatio, quam prior frigida admodum & coacta. Etenim omnino peccat, quisquis nimis familiariter, nisi dissensum suum aperte testetur, aut in eo revincendo atque emendando, & ad meliorem frugem convertendo, simul occupetur, cum hæretico homine consvetudinem ejusmodi inire, non veretur. Idem certe, *Paullus* quoque 1 Tim. VI, 5. & Tit. III, 10. fieri imperat, atque ipsa quoque offendiculi, & nobis & aliis, ipsique etiam erranti, ne qua ponatur, metus abstinere a commercio tali (quicquid sit de politica vulgari societate,) jubet.

ὑγιαινούσης διδασκαλίας * creditu neceſſariam negant, ejus contrarium errorem excitant & hos ipſos demum μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν, ** ut Paulus alicubi diſertius loquitur, vel quæcunque tandem expoſitio, ἡ τῇ πίστει ἀνάλογος, *** adhibenda venit, ne dum præce-
11 ptum Johannis adeo generale facimus, ut ad neminem in religione diſſentientem ſcribere liceat, ipſum Johannem præcepti ſui violatorem concedere cogamur, idque ipſo mandante Domino Jeſu, a quo ille Epheſiæ, Pergamenæ, Thyatirenſis, Sardenſis, & Laodicenſis Eccleſiæ angelis ſive Epiſcopis ſcribere jubetur, a) qui quales fuerint, & an doctrinam Domini Jeſu ex omni parte perfecte ſecuti fuerint, ex Apocalypſi videre licet. Volui hæc, mi Voglere, paulo fuſius deducere, ut te in iſto judicio, quod habes περὶ τοῦ τινῶν ζήλου, ἀλλὰ μὴ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, **** confirmarem, idque tanto magis, quod oſtendis, te neglecta poſthac iſtorum cenſoria virgula, literarum commercium perſequi mecum velle, utque materiam habeas ſcribendi per Deum & conſcientiam me meam obteſtaris, ut, quid in religionis negotio verum aut falſum ſtatuam, tibi ſignificem. Quid autem ego malim, quam in amiciſſimi mei Vogleri ſinum omnem animi mentem intimasque cogitationes, quas proditorum metus incluſit, effundere, cum & eo te candore præditum ſcio, ut, ſi quid recte dictum intelligas, contra ſuperbam multorum pertinaciam agnoſcere velis, & ea doctrina, ut, ſi quo errore ſim ablatus (homo enim ſum, humanique nihil a me alienum puto) in viam, me revocare poſſis: unum tantummodo non ſine cauſſa requiro, ut tecum ſolo ſermonem cedere liceat, nec populi aures ſecretum excipiant, quod inter duos adhuc perire velim. Non
12 eſt, quod putes, fidem mihi tuam indicio b) data manu ſuſpectam, quam ego jampridem contra nivem candidam cognovi, & tu ſanctiſſimo nuper Sigaleonis ſilentio adſtrinxiſti: ſed ſi locorum intervalla cogitem, quibus disjungimur, ſi fidem eorum, per quos literæ deferuntur,

* Sanæ doctrinæ. ** Poſt unam & alteram commonefactionem.
*** Fidei conformis. **** De quorundam zelo, ſed non ſecundum ſcientiam.

a) Male huc ſcriptio illa *Johannis* applicatur, partim, quia *Christo* expreſſis verbis *jubente* id negotium ſibi datum executus eſt, partim etiam, quod ad *corrigendos* eorum *nævos* illa correptio deſtinata fuit; qui & maximam partem ad *vitam emendandam* ſpectabant. A veneratione autem atque applauſu, quem præ ſe fert, atque h. l. etiam exaggerat *Ruarus*, longius abfuiſſe Apoſtolum, tam clarum eſt, ut quorundam, cum quibus expoſtulat, etiam in doctrina puriori tuenda negligentiam graviter vituperet.

b) Conferendum, ut hæc intelligas, ſine dubio eſt ex ipſius *Vogleri* litteris, quod cap. I. *Hiſt. Crypto-Sociv.* dedimus fragmentum.

runtur, (nec enim unius tantum manibus vexabuntur, priusquam ad te perveniant) adde quod ipse non indicaveris, Rostochiine aut ubi-ubi te invenire debeam, quis mihi præstabit, solum, aut plane fortassis, te lecturum, si quæ tacenda loquacibus literis commisero, præsertim cum duas, ad fratres ante multum temporis datas, nondum ad eos pertigisse, & fortassis interceptas, cognoscam, exemplo in posterum metuendo; ut nunc quoque, licet nihil addam, nimium ausus sim, qui non pauca scripsi, quæ malevolus interpres in fraudem & perniciem meam rapere possit. Spero autem (quod Deus bene vertat) fore, ut aliquando sine persona me palam in scena vobis exhibeam, a) qua nunc male tectus lateo, & fortassis ad exiguum adhuc temporis latebo, donec animum veritatis, ut ita dicam, dibapho paulo magis imbuero: & opto sane, ut aut antea tecum coram convenire liceat, aut tutiorem habeam per literas colloquendi occasionem, quam est ea, qua nunc utor: tuo enim mihi limatulo polituloque judicio cumprimis est opus, judicio dico, non præjudicio, quod plerique ad religionis causam adferimus, proinde omnia flava clamamus, cum ipsi sæpe- 13 numero suffusione laboremus. Ne tamen, nulla tibi præbita materia, a scribendo interim abstineas, quoniam ita vis, de duobus tecum nunc agam, in quibus a nostris Evangelicis sive Lutheranis, ut vocantur, dissentio, quæ ambo talia sunt, ut in doctrina de consilio sive destinatione divina vix quicquam recte contra Stoicos recoctos b) agi possit, quamdiu, ceu hactenus fit, illa concedantur. Vnum est, quod dicunt, voluntatem hominis in iis, quæ ad salutem attinent, cum per Evangelium ad Deum convertitur, adeo mortuam esse, ut ne leviter

 quidem

a) Sic ergo, jam tandem, postquam *persona tectus* h.e. larva assumta, quoad fieri potuit, quid intra animum sentiret, diu dissimulaverat, *Socini* se placita probare, larva nondum quidem abjecta, sed tamen paullatim jam remota, hæc se adhuc *dissimulasse* amico fassus est; utut strenue etiamnum ad alios scribens in eodem fuco faciendo pergeret, & se perrecturum ad *exiguum adhuc tempus* h.l. quoque pronunciaret. Quæ, nisi fraudulenti animi sunt indicia, *titubantem* tamen & *hæsitantem* colluctantemque cum conscientiæ notabili affectione istuque non uno commotam mentem produnt.

b) Non *Reformatos* tantum, si quid conjicio, sed per additamentum illud *nostros* quoque haud obscure pungit *Ruarus*, de fatali quadam necessitate doctrinam etiam nostram, qua hominem ad conversionem *instar trunci aut lapidis esse*, h. e. *naturalibus viribus* ad eam sive inchoandam sive perficiendam, nullis omnino instructum, docent, accusans. Neque enim dubitamus vocabulo *recoctos* ad *Form. Conc.* ejusdemque *solidæ Declar.* cap. II. ubi ex *Luthero* hanc similitudinem repetitam & subinde a Theologis quoque inculcatam legerat, respici. Quæ sequentibus etiam verbis, ubi *Lutheri* ipsius nominatim meminit, confirmantur.

quidem aſſentiri viribus a natura conceſſis, vero quam perſpicue & ad perſuadendum apte propoſito, queat, tanquam iners lapis, imo etiam pejus ſe quam lapis habeat. Agnoſcis, ut opinor, magiſtrorum verba, quæ quam firmiter ex divinis illi literis defendant, aliquando videbimus, ſi tu cauſſam hanc tuam facies: ego ſane, ſi nihil aliud eſſet, vel unico Domini Jeſu ſermone, quo Hieroſolymitanis exprobrat, quod ſub alas illius congregari noluerint, facile adducor, ut in Eraſmi & illius aſſeclarum, quam Lutheri ſententiam hac in controverſia tranſire malim. Cur enim exprobrat, quod noluerint, ſi nullo modo a) velle poterat, aut ſi voluntas eorum, licet tot divinis concionibus, tot operibus mirandis tentata, nihilominus adhuc, b) ut erigeret ſe, nervis 14 alienis egebat, tanquam lignum aut lapis, quæ non obſequuntur impellenti, ſed ab eo coguntur? c) Videtur certe Chriſtus omnem moviſſe lapidem d) ut Judæos ad meliorem frugem revocaret, adeo, ut quod ſub perſona Dei Propheta, non minus, imo vere magis exclamare potuerit, quid debui facere vineæ meæ, quod non feci? quod autem apud pleroſque fruſtra fuerit opera, non aliud in cauſſa fuiſſe certum eſt, quam ipſorum voluntatem, e) quam præſtare meliorem non

a) Hæc falſa ſunt, *Ruare*. Potuiſſent enim divina ſupernaturali gratia, quæ animos auditorum Chriſti alias moverat, Joh. VII, 46. vel compunctione ſenſibili excitati, aliquo modo divinitus dato, utique velle; ſed repugnando ſupernaturali huic operationi & ſublimiori, qui *malitiæ fructus* erat, ut *nolle* illud ferale prævaleret, effeciſſe Judæos, hoc erat, de quo *Chriſtus* conquerebatur.

b) Non erat, quod ad hunc *operantis gratiæ* gradum tanquam ad ſcopulum offenderet *Ruarus*, qui ignorare non potuit, totum converſionis negotium non raptu aliquo fieri ſubitaneo, ſed paullatim, ut habenti detur, non ſine lucta perfici, ac proinde inchoatum opus divinum multis continuisque ſupplementis opus habere.

c) Aperte & per manifeſtam calumniam noſtris (noſtris inquam, aliorum enim, determinationem ineluctabilem docentium, cauſſam non agimus,) *coactio*, in converſione, gratiæ divinæ operatione, efficaciter producta, tribuitur; quæ *flectio* rectius dicitur, *tractusque* a *Chriſto* Joh. VI, 44. appellatur, ſed talis, qui hominum pervicacia impediri, & quo minus ultimum illum τῆς μετανοίας finem conſequatur, teſte S. S. & ipſa quoque experientia, ſufflaminari poſſit. Quo fit, ut, dum *gratiæ ſanctisſima* illa *mutatio ſoli* accepta ſit ferenda, *perſeverantiæ* contra *in* priſtina *impietate*, per *contumaciam*, ipſiusque adeo damnationis *culpa in homine* viciſſim *ſola* hæreat.

d) *Hominis* tamen *naturæ*, hactenus certe, ut *imputari* eventus ſaltim ſiniſter poſſit, (nam utique refragatur moralitati coactio,) *congruenter*.

e) Ita profecto eſt. At quis ex eo ſolide deduxerit, eadem voluntate, ut naturalibus viribus prædita eſt, converſionem, ſi ita eveniſſet, ſecuturam fuiſſe? Innumera ſunt in rebus paſſim obviis exempla, ubi vel ægrotorum ſanitas per medicamenta procurari debet, eademque non ipſius quidem ægri viribus, illa ipſa ſæpenumero etiam detrectantis, quodam mo-

non tantum debebant, quod Theologi tui concedunt, ſed etiam poterant, niſi vis eos injuria damnatos, quia facere omiſerint, quod ipſi facere non poterant. Scio ſane viros præſtantisſimos, quos ego cum lacte matris ſuſpicere cœpi, quoties contra decretum abſolutum de ſervandis aut perdendis hominibus certis, mitisſimo Deo falſo tributum, agunt, eadem hæc magnis lateribus urgere, quæ tamen in hac eorum ſententia de ſervo, ut illi * ἐκ ἄτερ ὀξυμώρε a) vocant, arbitrio, quod ex illo decreto catenis quibusdam aptum alii rectius animadverterunt, perinde valent: & utinam res ipſa non nimium doceret, quod una manu ædificatur, id altera deſtrui! tu lege, aut potius, quoniam legiſti, ſincere judica de libro contra Erasmum ſcripto, quot inter ſe pasſibus hic Lutherus & Calvinus abſint, ut non immerito ſe germanos ibi diſcipulos Lutheri glorientur, qui pro decreto abſoluto tanquam aris & focis pugnant. Quantum ego videre poſſum, fatum Stoicum quod una mauu deſtruunt Lutherani, altera ædificant: & tu mihi lege librum Lutheri contra Erasmum de ſervo arbitrio, b) aut potius, quoniam haud dubie legiſti, ſincere judica, annon hic gemini fratres, Lutherus & Calvinus Alterum, in quo mihi cum Theologis tuis non convenire dixi, eſt, quod ajunt, Deum præſcire ſingula τὰ ἐνδεχόμενα, ** priusquam fiant, nec, ut reor, tam hic ego illis, quam ipſi ſibi, contradicunt. Si enim Deus ea præſcit, jam igitur certo futura ſunt eo modo, quo Deus præſcit, priusquam fiant: ſi autem certo futura ſunt, jam non poſſunt ἐνδεχόμενα vocari, ſiquidem illa, ut omnes defini- 15

* Non ſine contradictione in adjecto.

** Contingentia.

do reſtituatur, at *pervicaci* tamen reluctatione externa internaque impediatur. Quæ vel unica ſimilitudo, longius vero, quam par eſt, non exporrigenda, falſiſſimum illud concludendi genus ab impedimentorum efficacia ad vim, effectum ipſum producendi, parem deſumtum, in aprico ponit.

a) Non eſt, *bone Vir*, ὀξύμωρον, *arbitrium* hominis, ſi diverſo reſpectu, in rebus *naturalibus liberum*, utut non ſine languore & difficultate, in *ſpiritualibus* autem *ſervum* appelletur. Vtrumque 1 Cor. VII, 32. & Rom. VI, 20. coll. 2 Petr. II, 19. & Eph. II, 1. a Sp. S. docetur.

b) Conf. ad ſcrupulum hunc removendum Cent. I. ep. 1. & *Lutherum* porro *priorem* ac *poſteriorem*, ex *Auguſtini* nempe ſchola *paullatim* eluctatum, ipſosque a *Luthero Lutheranos* denique diſcipulos tanti viri, ſed unius Magiſtri, qui *Chriſtus* audit, non oblitos, diligenter diſcerne. Hunc ergo ſi maluiſſet audire *Ruarus*, quam illum incommode quædam, dum inter ſcopulos hæreret, enunciantem, facilius lucem in tenebris, veramque doctrinæ de gratia notitiam, quam in ſcholam *Pelagi* atque *Socini* transeundo, impetraſſet. Eademque aliis quoque omnibus, & *Lutheri* auctoritatem, & rationis impeditiſſimas in his arcanis cogitationes crepantibus, Scripturæque teſtimonia negligentibus, dicta ſunto.

definiunt, fieri possunt & non fieri. Non affert quidem prænotio divina rebus necessitatem, fateor: sed tamen, si fallax a) hæc esse non debet, illas oportet aut prius aut saltem simul esse certas, sive Parcarum lanificio, quod in fabulis poetarum tractatur, aut Stoicæ illius anus fato, seu Divinis, ut Zwinglius vult, seu vario siderum positu, ut Mathematici nonnulli lunæ minus accepti somniant, seu quacunque de causa, in qua comminiscenda cerebrum ingeniosi alicujus possit: Et ita jam nihil erit liberum aut integrum, nec hoc quidem ut barbam digitis mulceam, vel non mulceam, siquidem ad tales etiam actiones prænoscendas, supremam illam mentem deducunt, quasi hoc aut ad illius felicitatem, aut ad mundi curam singulariter pertineret: tollitur omnis 16 consultatio de negotiis, cum non minus frustra suscipiatur, quam si deliberes, an ignis urere, vel sol oriri crastino die debeat: peribit omnis conatus pietatis, b) siquidem nemo de eo volet anxie laborare, quod vel necessario fit, vel omnino fieri non potest. Proinde, comedamus & bibamus, cras enim moriemur; quid autem postea futurum sit, jampridem *Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται*, * nec hodie demum, etiamsi nos ruperimus, immutabitur, quod antequam nasceremur, quacunque tandem de causa certum erat. Sed ne erremus, inquit, *in re simili*, Apostolus, *φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί*. ** Ego, mi Voglere, non

* In Dei arbitrio & potestate situm est. ** Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

a) En manifestam commixtionem, *necessitatis consequentiæ* seu *infallibilis eventus*: quam ratiunculæ hæ *Ruari* adstruunt, & nemo forte negat; atque contra *necessitatis*, quam vocant, *consequentis* h. e. *ex interna*, per decretum atque hinc ortam insuperabilem operationem, *determinatione ac prædeterminatione* natæ: quæ nondum h. m. & his argumentis demonstrata est. Cogitent, quæso, & expendant, quibuscunque hæc ardua videntur, *quicquid Deus decernit, non neglecta eum creaturarum indole constituere*, humanamque adeo moralitatis legumque capacem naturam simul, ut a DEO spectatam, & a nobis quoque huic ipsi decreto innexam, eamque naturæ ordine præcedentem, considerent, & res erit in vado. Cætera a DEO ipso plura in Script. S. de hisce revelante discat, quæ rationis quisque suæ decempeda metiri non possit, aut non assequatur. Notum enim est illud vulgare: *De DEO etiam vera dicere, periculosum esse.*

b) Hæc, si recte ad concursum DEI, sive naturalem, sive supernaturalem, qui *creaturam rationalem* haud determinat; sed efficaciter, salva tamen *resistendi facultate*, eidem relicta, flectit, regit atque gubernat, applicasset *Ruarus*; ad nostros, temere non affirmasset, pertinere. Præsertim, ubi nescire non poterat, nostrates in æternitatem non aliter retrospicere audere, quam ea modestia, ut, quæ revelatio in tempore, de concursu DEI cum rebus actionibusque humanis, docet, ad decreta quoque divina, haud dissimilia, transferant, cætera vero non manu, sed forcipe tangant, immo universe haud sine caussa ipsum numen optimum, non antrorsum, sed retrorsum atque a tergo a Mose spectari voluisse moneant.

non video, quomodo se hinc extricent Theologi, nisi dicant cum Scholasticis, omnia Deo velut in momento præsentia esse, & quæ facta & quæ futura sunt, nec posse ex ipsius scientia inferri, quicquam esse certum, antequam fiat, cum omnia ceu præsentia, nihil ut futurum speculetur. Sed e Scylla in Charybdin incidunt, dum ostendere nituntur, illa Deum scire, quæ nullo modo usquam extant, intellectum illius (sit venia verbo) mendacio corrumpunt, utpote, qui res, non ut natura sunt, cognoscat, a) sed præterita, præsentia & futura eodem momento includat, qui mundum hunc imaginetur simul & creatum & abolitum, cui ego & Adamus ὁ πρωτοπλάστης * eodem tempore editi sumus; quo quid absurdius dici possit vix novi, si modo verum est, quod ego quidem verissimum existimo, mentem, sicut oculum optime cognoscere, quæ rerum imagines rebus ipsis simillimas 17 concipiat. At si demus tamen etiam futura singula Deo præsentia esse, quod quidem si recte intelligatur de iis, de quibus revera dici potest, quod futura sint, id est, quæ vel in natura certas habent caussas, vel a Deo singulariter decreta sunt, concedi potest; de iis autem, de quibus hic disputamus, quæque cum Græcis Philosophis ** ἐνδεχόμενα b) vocavimus, nequaquam dari debet: sed tamen, si demus universe, dicis caussa, futura Deo præsentia esse, hoc certe non faciet, nec ipsi, contra

* Primus homo. ** Contingentia.

a) Vtcunque hic triceris, *Ruare*, nihil tamen aliud inde exsculpes, quam, neque scientiam DEI, neque æternitatis divinæ rationes, *finitis* nobis *homuncionibus* satis dilucide, sine revelatione, cognitas esse; immo vero, si exactæ cognitæ essent, ego, quia comprehendere profundas has perfectiones divinas possemus, fidenter ajo, non finitos, sed infinitos potius, redditos nos esse, talesque & habendos & dicendos. Quæ cum ita sint, quid consilii tandem superit, quam ut rationem nostram, ejusque speculationes audaces, compedibus injectis, cohibeamus, & solius verbi divini revelationi scripturisque sacris comprehensæ veritatis ductui inhæreamus, cæteraque ut extra sphæram nostram posita & sublimiora seponamus? Ita demum tuto inter charybdim *Stoicorum* & scyllam *Pelagianorum*, a qua & *Ruarus* inter hos rationis tumultus se passus est abripi, Deo duce, navigabimus. Quo, nisi me omnia fallunt, b. quoque *Lutherus*, inter Deum *absconditum* & *patefactum* tandem distingvendo, se recepit, & quasi ex fluctibus in portum confugit.

b) Nihil est, quod ad hæc annotandum putemus, quam *libertatem agentium* seu voluntatis indifferentiam in agendo, & *rerum contingentium* haud raro confundi. Cætera autem, qualia sint, meo judicio, si nosse cupias, ita mihi videri profiteor comparata, ut malim credere 1 Cor. III, 18. sqq. *Paullo*, quam tricas & funiculos in arena nectenti sive *Zenoni*, sive *Cœlestio*, sive huic aut illi, adstipulato in alterutram partem *Calvino* vel *Socino*. Sonat enim etiamnum in auribus vox illa cœlitus delapsa: *Hunc audite*; Christum.

tra quos agimus, volunt, ut futura revera præſentia ſint, nec enim cujuſpiam ſcientia, ne Dei quidem, per ſe rerum naturam immutat. Proinde manet eadem difficultas, quam ſuperius expoſui: ſi enim Deus tanquam rem præſentem vidit, quæ poſtea demum futura eſt, fuiſſe igitur nihilominus certam oportet, antequam fieret, nec poſtea, niſi Deum pro notione ſua falſum impie concedas, immutari poteſt. Quodſi igitur ante annos mille Deus me Socini quasdam opiniones, qualis eſt hæc, de qua nunc loquor, amplecti non aliter vidit, ac ſi tum eas jam amplexus fuiſſem, nec ego tamen niſi χθὲς ἢ πρώην * ullum Socini librum legi; fuit utique, niſi Deus opinione fruſtratus ſit, certum, me Socini quibusdam ſententiis adhæſurum eſſe, antequam illis adhærerem, ut iniqui ſint amici, qui mihi nunc uſu veniſſe indignantur,
18 quod uſu venire neceſſum erat. fruſtra etiam hinc tu me revocare conaturus ſis, niſi, ut id facias, apud Deum jam antea pariter certum fuit, quod quidem, ſi quid hic hallucinor, ut fiat, ex animo voveo. Nolim autem exiſtimes, me, cum Deum nonnulla, quæ ſui natura ſciri nequeunt, aut, ut magis pie dicam, quæ ipſe, cum alienæ poteſtati permiſſurus eſſet, præſcire noluit, ignorare, eundem omniſcium negare; non magis certe, quam eundem inficereris omnipotentem, ſi cum Agathone nequire diceres, Ἀγένητα ποιεῖν ἅσς' ἂν ᾖ πεπραγμένα, ** aut poſſe ſibi per Chriſtum fidentes perdere, quos ſe ſervaturum promiſit. Non poſſum omnia, quæ ad hanc rem pertinent, anguſtiis epiſtolæ coarctare: multi ſunt ſacrarum literarum loci, quos tu, ſalva Theologorum tuorum ſententia, vix ſatis recte videris explicare poſſe, quale eſt hoc, quod Abrahamum Deus tentaſſe legitur, & in ſacrificium oblato Iſaaco demum cognoviſſe, a) qua is erga ſe fide foret. Item quod Iſraeliticum ſe populum in deſerto ſerio deleturum minatur, cum tamen non ſolum generatim patribus eorum Palæſtinam ipſe promiſiſſet, ſed & Patriarcha Jacobus (non dubium, quin illius inſtinctu) ſingulis tribubus multa ſero futura, & nominatim Judæ poſteris imperium usque ad Meſſiæ adventum promiſiſſet, & ejus generis

* Heri aut nudius tertius.

** Infecta quædam reddere utique facta.

a) Hæc ſi videantur inſuperabilia dubia, per nos licet, ipſam *Dei* omniſcientiam impugnet cum *Socino* ſuo *Ruarus*; Sed futurorum quoque contingentium præſcientiam, quando ut ſingularem divinitatis ſuæ characterem Eſ. XLI, 21. ſeqq. ſolicite ipſemet ſummus rerum arbiter urget, quo pacto extorquere huic ſupremo numini poſſit, periculum faciat. Nos Pelio oſſam imponere, reverentia pia ducti, verecundamur, & tantiſper, dum majori luce perfundamur, non repugnantia, ſed ἀκατάληπτα pie credimus.

nerisſimilia, quæ tu, ſi placet, apud Vorſtium in libro de Deo & illius Exegeſi leges, & apud Socinum in Prælectionibus Theologicis, niſi 19 fortaſſe eo libro cares, quem ut cum aliis nonnullis ejusdem autoris habeas, ſi quid poſthac inter nos agere volemus, operæ pretium erit, & ſi poſtulas, ſine tuo ſumptu curabo. a) Statueram ab initio finem hic ſcribendi facere. Nunc autem, quoniam inibi ſum, ut myſticam ternarii numeri legem impleam, verum non bibendo, ut eſt apud Auſonium, ſed aperiendo tibi, quatenus a Theologorum noſtrorum placitis deſciverim: addam & illud coronidis vice, non fieri mihi veriſimile, quod vulgo dicunt, infantes duorum aut trium dierum, qui dextrum a ſiniſtro diſcernere nequeunt, fide Chriſtiana præditos, eaque non tantum confuſa (quod ipſum nimis mirum eſt, cum ipſorum animi tanquam raſæ tabulæ nullius rei colore, nedum Dei cognitione, b) quam fides præviam requirit, tincti ſint) ſed ita diſtincta, ut ipſorum nomine rogati ſponſores, quos barbare patrinos vocant, de ſingulis articulis Evangelicæ doctrinæ ſententiam, quam ipſi ſcilicet verbis nondum explicare ſciunt, non ſine manifeſto mendacio c) Deo & Eccleſiæ reddant. Et vero quid affertur, quo res a communi ſenſu tam aliena nobis perſuadeatur? Lutherus alicubi ne cogatur, fidem, quæ nulla eſt, in infantibus oſtendere, dormire d) eam dicit, quod quid ſit non capio, niſi fortasſis cum Platonicis animos, antequam in corpus

 deſcen-

a) Tanta ſi fuit *Ruari*, & *Polonorum*, ſine dubio libros ejusmodi mittentium, fratrum haud minor liberalitas, quis miretur, librorum id genus plurimorum heic disperſorum lectione curioſulos quosdam vel tandem in transverſum eſſe abreptos? Quotusquisque enim eſt, qui libros ſibi rariores ultro offerri & donari abnuat, donatisque, qui tam blandum venenum ſuggerant ſuaviter, ita prudenter ſemper utatur, ut tam promto largoque conſiliario ſimul atque parario aures porro benignas facile haud præbeat. Vides ergo B. L., quibus artibus *Socini* hæreſis longius diſſeminata ſit & propagata. Ito nunc, & hæreticos φρεναπάτας eorumque Patrem πανοῦργον atque μυριοτεχνίτην eſſe nega.

b) Mirum eſt, cum de ſupernaturali a Spirit. S. accenſa luce & cognitione DEI in hac de fide infantum doctrina diſputetur, philoſophicas haſce tricas objici. Quis DEI, ſi velit, potentiæ limites ponere auſit?

c) Bona verba, quæſo! Quidſi excipiat, noſtratium aliquis, de *futuro tempore* verba ſponſorum, pro candidatis ſacri Baptismi, intelligi oportere? Hæccine promisſio, ante ipſum certe ſacri lavacri actum ſolennem præſtita, mendacii nomine digna videatur: quam ne ipſos quidem *Socinianos* omnino repudiaturos arbitror. Vellem igitur paullo prudentius talia heic pronunciata eſſe.

d) *Illuſtratur* hac ſimilitudine fides infantium, habita *ratione actus reflexi*, quem deeſſe illis multi putant, alii vero de eo quoque judicare non audent. Naturam certe fidei h. m. deſcriptam aut deſcribendam eſſe, ne per ſomnium quidem aut dormiendo *Lutherus* cogitavit.

20 deſcendant, divinitatis ſuæ privilegio rerum omnium noticiam habere dicat, quæ poſtea cum ipſis immerſa materiæ, tanquam ſub cinere lateat, & præceptorum induſtria denuo retegatur, nec diſcere nos quicquam novi; ſed eorum, quæ ſciveramus, recordari: Audivi, qui ſic interpretaretur, infantes credere * μὴ τῇ ἐνεργείᾳ ἀλλὰ δυνάμει a) ſed præterquam quod ita ridiculum foret, affirmare, infantes credere, cum ſentias, eos credere poſſe (quaſi tu cum inteſtinis fame latrantibus comedere te vel ſaturum eſſe reſpondeas, quia comedere, vel ſatur fieri poſſis) non erat certe, ſi vellent hoc Theologi tui, cur ullas inimicitias cum Anabaptiſtis aut iis, qui Zwinglium ſequuntur, propter infantium fidem exercerent, cum hi non minus ſtatuant, eos, cum adoleverint, credere poſſe. Solent autem, ad demonſtrandam infantium fidem, ex Matthæo locum illum afferre, quo dicitur, ei, qui unum ex parvis offendat, qui Chriſto fidem habent, expedire, ut appenſa mola pelago demergatur; ſed non probant ibi de parvis ætate b) qua vel iſte puer erat, quem in medium apoſtolorum Dominus Jeſus advocaverat, multo minus qua ſunt trium dierum infantes, ſermonem eſſe; nec ipſa verba vi ſua repugnant, quo minus de iis, qui ſimplicium inſtar puerorum ſpiritus parvos gerunt, accipi poſſint, ut ἐκ τῶν παραλλήλων τόπων ** apud Marcum & Lucam, in quorum altero ne mentio quidem ulla pueri facta fuerat, apparet, & ipſe Matthæus hanc explicationem
21 præ manu nobis dare videtur, dum jam ante ſermonem Domini non de eo puero amplius, qui ſtabat in medio, ſed de tali, hoc eſt, qui ſe ad illius ſimilitudinem dimitteret, referre cœperit, cum quibus verbis operæ pretium fuerit contendere, quæ apud eundem evangeliſtam in fine

* Non actu & effectu, ſed potentia.

a) Non eſt noſtratium hæc ſententia, ſed quorundam Reformatæ Eccleſiæ Doctorum. Male ergo noſtris ea tribuitur: qui de fide *reapſe*, quicquid ſit de circumſtantiis, *tali* loquuntur.

b) Quidni? παιδίον enim fuit Matth. XVIII, 2. ſeqq. non magis quam βρέφος per naturam ad fidem ex verbo prædicato concipiendam idoneus puerulus. Vt omittam, eadem de regno DEI, ab illis, ad exemplum noſtrum, apprehenſo infantibus enunciata, qui βρέφη dicebantur, atque ulnis hinc etiam geſtabantur; Luc. XVIII, 15. ſeq. legi. Vbi porro vocabula etiam ambo commutata leguntur; res ipſa autem exemplo *Johannis*, hactenus certe, amplius confirmanda eſt, ut per divinam gratiam in animis tenerrimorum infantium produci *fidem veram*, eam nempe, quæ Chriſtum agnoſcat, ut Servatorem, *poſſe*, hinc luculentiſſime pateat. De homine aliquo adulto, qui puerorum inſtar Spiritus parvos geſſerit, Hiſtoricum Sacrum loqui, vix pueris, qui nondum ære lavantur, perſuadebit *Ruarus*, multoque minus Viris, qui ſtyli hiſtorici indolem cognitam habent, & nunquam pueros ἄνευ προσθήκης, uti fit 1 Cor. XIV, 20. tales appellari norunt.

** Ex locis paralleliſ.

fine capitis decimi leguntur. Hæc volui, mi charisſime Voglere, te tantopere rogante de meo circa religionem ſenſu tecum in præſenti communicare, ubi, ſi quem errorem humanitus foveo, non minus per Deum & tuam te conſcientiam precor, ut opem deſideranti ferre velis: debes hoc amicus amico, imo frater fratri, potes etiam, cum, quantum ingenio polleas, non ignorem, & induſtria ſingulari tot jam annos ſacrarum literarum ſtudiis, ad quæ natura te finxit, incumbas, denique, quod caput eſt, Deum, quem tanta pietate ſemper veneratus es, ut in aliis, ſic etiam in hoc inſtituto pio, faventem habiturus ſis. De cæteris meis paradoxis, quæ non diffiteor aliqua ſupereſſe, tunc agam, cum ſcivero, literas meas hac tibi via tuto redditas eſſe: nec omnia, licet in tabellariis nihil eſſet periculi, pro una forent epiſtola, quam ultra leges ſuas jam produxi, nec adhuc tamen claudere poſſum. De duobus enim ante mihi rogandus es, primum ne deſperes, poſſe me, ſi, quod hactenus non puto, devius abierim in ſemitam pietatis, vel tua, vel alterius opera redire, a) ſi non e veſtigio, ſaltem longiuſculo temporis progreſſu: deinde ut, ſi fortaſſe vim argumentationum, quas contra me diriges, non ſatis agnoſcam, cum infirmæ vel eſſe vel ſaltem mihi videri poſſunt, ut judicii me potius inopia in fratre miſeranda labi, quam pravæ voluntatis ſtudio furere putes: cum, quicquid alii de me ſentiant, nondum adeo profligati ſim ingenii, ut poſt pravisſimas calamitates, quas eo nomine tota mihi vita perferendas prævideo, ad æternam perniciem ſciens aſpirare velim. Adderem, ut me licet in quibusdam partibus tecum convenire non poſſem, amare pergeres, niſi vererer, ne id tibi religioni duceres, quandoquidem Theologi tui cum nemine, qui vel minimum b) ab ipſorum dogmatis diſſentiat, amicitiæ veræ pignus habere volunt; itaque ſat habebo, quod mihi, quemadmodum ſcribis, modo non ſuccenſeas, quod ſententias nonnullas in dubium vocem. Illud tamen de me recipio, quocunque tandem animo ſis ipſe futurus, non deſiturum me, donec mihi ſanguis circum præcordia fervebit, Voglerum meum diligere, tanquam Pylades Oreſten,

22

a) Modeſta vox, utinam non ſimulata! Eventus certe alia omnia edocuit, & jam tunc de aliis in eosdem errores pertrahendis, quam mittendis opinionibus præceptis, quas ipſe e fonte impuro hauſerat, ſolicitum fuiſſe *Ruarum*, bene conſtat.

b) Parum hæc abſunt ab injuria; certe falſisſima eſſe, dubitare non licet. Alia ſunt *minima* ex mente hæreticorum, cujusmodi & *Socinianis* eſſe videntur ſumma fidei capita; alia ex re & vero talia, quæ fundamentum fidei non attinent. Vbi, licet reperiantur interdum durioris etiam quidam *Diotrephis diſcipuli*, non omnibus tamen peræque idem rigor adſcribi debet, & *Paullus* etiam hanc erga diſſentientes in *eo genere opinionum* Phil. III, 15. Eccleſiæ Chriſti moderationem commendat.

Oreſten, in oculis abſentem præſentem ferre, meos amores, meum mel, imo *μέλιτος μύελον* * paſſim vocare, nec ulla ſententiarum differentia meos affectus reglutinabit, modo ſaluti neceſſaria, quod hactenus factum reor, uterque curemus, & caput teneamus Chriſtum, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας κατ᾽ ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται, εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ. ** Præclaro viro Joanni Tarnovio ſalutem amice reſcribo, & ſi vera ſunt, quæ de Profeſſoria ejus dignitate audivi, veteri amico plurimum gratulor, a) ſin minus, eandem in poſterum opto. Quod bonam ille mentem mihi precatur, cujus nemini nimium eſſe poteſt, ſive verus, ſive falſus ſit rumor iſtic de me ſparſus, pariter gratum habeo: utinam ille voto ſuo bonum quoque corpus præſtare mihi potuiſſet, quo, ni fallor, aliquanto pejus affecto, quam eſt mens, hactenus uſus ſum, quodque præter alia, quibus vexor, impedimenta ſcriptionem harum literarum, quas citius tibi deſponderam, retardavit. Dominus Jeſus, ⁂ ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας b) ſit cum ſpiritu tuo, in cujus dulciſſimo nomine tandem hoc literarum filum abrumpo, tibique, mi Voglere, colum trado, ut reſponſionem quamprimum deducas. c)

III.
BONGARSIVS d) RVARO.

Ampliſſime Domine, ſalve. Magno meo malo factum, quod te ante abitum tuum non viderim. Nam pridie, quam diſcederes, ego adve-

* Mellis medullam.

** Per quem totum corpus coagmentatum & compactum per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis ſecundum virtutem in menſura uniuscujusque partis incrementum corporis facit in ædificationem ſui ipſius in charitate.

⁂ Qui eſt ſuper omnia DEVS benedictus in ſecula.

a) Non falſus erat rumor. Officium enim *Profeſſoris Theologi* conſecutus eſt an. 1614. *Joh. Tarnovius*; quo commilitone in D. *Paulli Tarnovii* ſcholis uſus erat antehac *Ruarus*, eaque de cauſſa honoribus ejus novis h. l. applaudit.

b) Pulchra confeſſio. Vtinam vero tam ſincera mente ſenſuque ſano, quam *Paullus* candem ediderat, naturamque divinam Chriſti ſeu eſſentiam cum humana, ex patribus orta, comparaverat, pronunciata fuiſſet!

c) Quamvis nulla ſubſcriptio addita ſit, anno 1614. tamen ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, vel *Tarnovii*, ad munus Profeſſoris, hoc anno evecti, memoria condocefacit, cæteræque etiam circumſtantiæ, *Argentorati* exaratam fuiſſe, ut credamus, ſuadent.

d) Ipſe celeberrimus ille *Jacobus Bongarſius*, Gallus, non multo poſt anno 1612. denatus. Ex Legationibus, quibus ad Principes Germaniæ a Rege Galliæ Henrico IV. & nuper admodum ad Electorem Saxon. miſſus, ſæpius perfunctus eſt lauda-

adveneram, ſed ſub noctem, & bene laſſus: itaque colloquium in alterum diem differendum putabam. Et tui maxime cauſſa huc deflexeram. Sed poſtquam negligentia mea, quod maxime optabam, amiſi 24 videndi te & colloquendi occaſionem, a) ad literas confugio: ſed non ea libertate agere tecum per literas poſſum, qua coram. Dicam tamen, ut ſoleo, libere, peſſima fide, b) id eſt, ſua, Hiſpanienſes agere cum familia Saxonica, cujus ſervare jus in ſucceſſione Juliacenſi non quærunt, ſed prætextu Saxonici juris ſe & ſuos in illas provincias inducere. Videbis obſecro, qua fide Auſtriaci cum Saxoniæ Principibus egerint, ab illo ipſo Friderico Tertio Imperatore, a quo Principes Saxoniæ primam ſui juris rationem repetunt. Videbis, eos oſtentaſſe Saxonibus debitum ipſorum virtuti præmium, quod eodem momento in alios reipſa tranſtulerint. Hoc ſi Auſtriaci illi veteres, nondum ſanguine Hiſpanico corrupti, in re aliena, quid hos facturos putas in re ſua. Nam Leopoldo Archiduci c) illas provincias quæri, qui dubitat, ille profecto dubitat, an ſol medio die luceat. Quare & quod apud nos Regi ipſi dixit Richardotus ab Alberto Archiduce, juvenem eſſe Leopoldum, optima familia editum, nec pro dignitate familiæ

 opulen-

biliter, variisque ſcriptis, nominatim *Comment. in Juſtinum*, *Geſtisque Dei per Francos* ſequenti anno 1611. public. & ſimilibus, *Epiſtolis* præſertim, quæ proſtant, ad diverſos ſcriptis, nemini ignotus. Amicitiam cum tanto Viro in *Mecklenburgenſi Ducatu*, qua occaſione etiam *Dav. Chytræus* in ejus notitiam ſuperiori jam ſeculo pervenit, videtur *Ruarus* contraxiſſe, cum Oratoris *ad Principem Mecklenburgicum* munus ille denuo obiret. Eruditorum enim Virorum, quoscunque noverat eximiis quibusdam dotibus præcellere, nunquam non ſtudiis oblectatum eſſe *Bongarſium*, nemo ignorat, neque *Ruarum*, ullam occaſionem, talium benevolentiam captandi, neglexiſſe, incognitum eſt.

a) Non dubitamus, quin hæc colloquendi cum *Ruaro* data ſit occaſio exoptata diu *Bongarſio* ex itinere, quod *Roſtochio* & vere fere extremo anno 1609. *Altorphium* ille fecerat. Litteris enim *Lipſiæ* incubuiſſe *Ruarum*, aut diu admodum iſtic commoratum eſſe, nusquam memoriæ proditum eſt. Perinde uti non conſtat, utrum conſuetudo litterarum unquam inter utrumque antehac interceſſerit.

b) Vix aliter de cauſſa illa *Juliacenſi*, quam mors *Joh. Guilhelmi* Principis Juliacenſis, anno 1609. absque prole defuncti, pepererat, judicare poterat *Bongarſius*; utpote qui, Regis ſui, a partibus Saxonum ſtantis, commoda ut promoveret, hanc ipſam legationem ſuſceperat.

c) Hic enim, *Epiſcopus* tum temporis *Argentorat. & Paſſavienſis*, Ferdin. II. frater, a *Rudolpho* Imperat. Auguſtisſimo, Cæſaris & Imperii nomine *Ducatuum iſtorum* terrarumque, per mortem Principis ante dicti vacuefactarum, *gubernator* conſtitutus, cauſſam ſuam videbatur nonnullis agere. Ex quibus etiam, Galliæ Regis auxilio, cum inter *Brandenburgicos* atque *Palatino-Neoburgicos* compoſita lis eſſet, poſt diuturnam *Juliaci* obſidionem atque expugnationem denique ſubſequutam, vi ejectus fuit.

opulentum, innoxium, nec factionibus, quibus distrahitur Christianus orbis, addictum: ei si Ducatus Juliacensis concedatur, consultum iri paci publicæ, eaque ratione satisfactum Cæsari. Hunc hominem ita pro merito Rex duriter excepit, tam absurda & iniqua proponentem, ut ætate, atque pudore & mœrore confectus ad Albertum Archiducem rediens, in itinere vitam finierit. Sed graviora etiam Comes Rolleranus a) Regi proposuit, quæ scribenda non puto. Cum his dictis si actiones Leopoldi, & quæ agunt Pragæ, componas, non dubites, illos dixisse, quæ Hispanici sentiunt, & in quæ magno impetu feruntnr. Jam si illæ Provinciæ in tuto collocentur, nec lupo ovis committatur; postea de jure uniuscujusque quærendum erit. Ad quid enim de jure earum Provinciarum disputare, quas alienus invadit? Hæc ego libere de mea sententia pro ea, quam Saxonicæ familiæ debeo, observantia. Nam & Lumen religiosæ veritatis nos Dei gratia b) etiam Saxoniæ principibus debere confiteor, quamvis id hisce locis gravem hoc tempore eclipsin c) patiatur. Deus imminentes tenebras benignus depellere, & te servare velit. Lipsia, VI Jan. cIↄIↄcx.

25

IV.

EIDEM.

PAucis his verbis, amplissime Domine, tibi significare volui ingentem & gravem luctum nostrum. XIV hujus mensis hora quarta pomeridiana scelere perditi hominis d) sublatus est Rex noster, e) cum media in urbe Lutetia veheretur sine satellitibus, ut ejus mos erat, duobus cultri ictibus, quibus paulo post expiravit Princeps clementia & fortitudine incomparabilis. Sceleratus ille monachus fuit novi ordinis, quem hic *Fuillans* nominamus. Nam monachum aut esse, aut fuisse necesse est, hoc sæculo, quo tollere e medio reges voluerit Deus. Regina eodem die a Parlamento Regens regni est pronunciata, & postridie solemniter Rex in parlamento receptus est, præsentibus Matre, Principibus & regni Proceribus: Quam mutata est regni hujus conditio? pro rege, experientia & clementia & virtute, eximio, Deus puerum f) nobis & fœminam substituit: sed puerum vere regiæ indolis, &

26

a) *Zolleranus* haud dubie legendum est.

b) Erat enim *Bongarsius Reformatæ Ecclesiæ* addictus.

c) Defectione, ut puto, *Guolffgangi Guilielmi* Neoburgico-Palatini ad Pontificios, quam jam tunc instare fama ferebat, & eventus etiam, non vanum fuisse, anno 1614. comprobavit.

d) *Franciscus Ravaillac.*

e) *Henricus IV.*

f) Ludovicus enim XIIImus annum ætatis agebat eo tempore *decimum*. Cujus

& fœminam moderatisſimi ingenii. Deus & illis & nobis aderit propitius. Jam a) Principes veſtros pro ſalute publica vigilare decet. Quo magis doleo illuſtrisſimum Saxoniæ b) Electorem non inſiſtere viam a majoribus ſuis tritam. Deus & ipſi ſalutaria conſilia ſuppeditet, & te ſervet. Lutetiæ, XVI Maji, cIↄIↄcx.

V.

HVSWEDELIVS c) RVARO.

MIraberis forte, præſtantisſime Domine Ruare, me in officio reſcribendi adeo tardum eſſe. Sed cauſam &c.

VI.

G. MEIERVS d) MART. RVARO.

ÆTernitatem mundi pugnare non modo cum ſacris literis, verum etiam cum principiis philoſophicis, ac proinde Ariſtotelem hallucinatum fuiſſe in adſtruenda mundi æternitate, diſputatione mea phyſica undecima Roſtochii anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo habita, prolixe oſtendi. Quod ergo meum de ſyllogiſmo tuo ad me miſſo ſit judicium, facile intelligis. Olim quidem e) ſenſi, adhuc ſentio. Nego mundum ab æterno extitiſſe. Neque enim ita meam

nomine regnum adminiſtrabat *Maria*, e *Medicea* gente, vidua, atque Regis novi mater prudentisſima.

a) Regis Galliæ videlicet ſuppetiis vel demtis per necem Henrici IV. vel incertis magis, ut *Bongarſio* viſum, quam antea.

b) *Chriſtian. II.* proxime ſequenti anno defunctum. Quam viam *Bongarſius* inſiſtere eum maluerit, vimne & belli aleam, qua pro cauſſa *Juliacenſi* pugnare eum debere exiſtimarit, an aliam ineundam putarit? ſagacioribus decidendum relinquo.

c) Male hanc epiſtolam bis in eadem hac Cent. II. hoc nimirum num. 5. & infra denuo n. 24. typis exſcriptam eſſe atque inutiliter repetitam, cum alibi jam commonitum ſit, & res ipſa facile edoceat omnes, nolumus h. l. conqueri, inque his diu hærere, atque editoris, filii *Ruari*, oſcitantiam culpare. Majori enim reprehenſione dignum eſt, quod innocentiſſimo *Huswedelio* has litteras adſcripſit, nomenque, ejus, neſcio quo fato, aut qua ἀβλεψίᾳ, præfixit, quæ tota *Leuchſneri* fuit, hominis intus & cute, uti in *Hiſt. Chrypto-Soc.* c. II. oſtendimus, *Sociniani*. De quo tamen, ipſoque adeo epiſtolam hanc ſcribendi conſilio, h. l. nihil addimus, ſed ad n. 24. quæ forte annotanda videantur, rejicimus.

d) *Georgii Mejeri* nomen fuit viro huic perquam docto; *Magiſterii* autem dignitatem in *Roſtoch. Vniverſitate* ei collatam eſſe, ex ſuperiori epiſtola, & ipſis quoque Diptychis Acad. Altorph. quibus advena novus nomen ſuum d. 24. Septembr. anno 1613. inſcripſit, didicimus. In quibus etiam patria *Duderſtadienſis Saxo* appellatur. Cætera latent. *Sociniſmi* nec vola nec veſtigium in eo apparet.

e) Forte legendum, *quod* &c.

am addixi Ariſtoteli fidem, a) ut nunquam & nusquam ab eo diſcedendi, præſertim evidentibus rationibus convicto, poteſtas reliqua eſſet. Opinionem ipſius de diverſitate materiæ primæ cœli ac ſublunarium, ut & intelligentiis orbium cœleſtium motricibus, ut non amplector, ſic neque tueor, quin manifeſte improbo. Sana enim ratio improbandam ſuadet, jubet. Contra autem rationem quis ſanus quicquam propugnandum cenſebit? Sed longius fortaſſe abeo. Voluntati tuæ abunde a me ſatisfactum confido. Rurſus ac ſæpius ad me ſcribendi occaſionem haud negliges. A me ſalutem dic amicis, cumprimis Cl. Piccarto, Queccio, Odontio, Sauberto. b) Vale. Jena ex ædibus Cl. Joannis Gryphiandri, J. V. D. c) 3 Cal. Junii, cIↄIↄcxiv.

VII.

30

M. RVARVS BVRGSTORPHIO. d)

QVod literarum tuarum tarditatem tam diligenter excuſas, generoſe Burgſtorphi, facis tu magis more tuo humaniter quam neceſſario. Quamquam enim ſummopere literis tuis delecter, quæ vel de tuo vel communi me ſtatu ſemper erudiunt; tamen nec itineris longitudinem, & propter hanc tabellariorum inopiam ignoro, nec, etiamſi ſemper illi præſto forent, vitio tibi vertere debeo, quod illud a te non acceperim, quod totum erat arbitrii tui, nullo mihi jure debitum. Niſi tu fortasſis amicitiæ te ratione putabas ad ſcribendum teneri, cum amicitia, quemadmodum Ariſtoteles inquit, communio ſit; communio vero niſi per literas inter abſentes nulla eſſe poſſit: quod nec ipſe nego, nec interea tamen oblitus ſum, quid in me tibi liceat, etiam in amicitia, eodem Ariſtotele doctore, cum tanta ſit ſtatus & conditionis utriusque noſtrum diverſitas. Quod ſi alterutri tamen excuſatione propter literarum tarditatem opus eſſet, eam ego nunc multo juſtius adhibere deberem, qui tuis illis literis humanisſimis, tanto

a) Sic enim more receptum ea tempeſtate alias fuit, ut religioni ſibi ducerent plerique, ab eo vel latum unguem recedere.

b) Illis *Profeſſoribus* Philoſophis; huic Philoſophiæ h. t. *Magiſtro*; de quibus in vitis *Philoſoph.* & *Theolog. Altorph.* pluribus actum eſt.

c) Nuper creato, ſed inde ab anno 1612. Hiſtor. & Poeſeos Prof. Publ. non multo autem poſt anno 1618. in aulam Oldenburgicam, quæ urbs ei quondam natales dederat, ad Conſiliarii munus obeundum evocato.

d) Conferenda eſt cum hac, quæ Cent. I. n. 1. collocata, ad eundem *Erneſtum Ludovicum Burgſtorphium*, legitur epiſtola; ubi, quis ille fuerit, & quæ fata porro ſubierit, pluribus docuimus. Hæc, de reliquo, quæ in præſenti Cent. II. legitur, illa tempore priorem eſſe, ex argumento utriusque collato, proclive eſt cognoſcere.

to temporis ſpatio nondum reſponderim; nec negarem, gravisſimam te mihi dicam merito ſcribere poſſe, ſi negligentia mea ſtetiſſet. Nunc aliud in cauſa fuit, quod ut audire ne graveris, rogo: nam omnibus 31 apud te modis officii neglecti culpa vacare cupio. Cum auctumno ſuperiori, quemadmodum tunc tibi ſignificaveram, precibus eorum, qui jubere poterant, a) Altorphio fuiſſem avocatus; accidit præter opinionem, ut, negotiis uno me poſt aliud invadentibus, hiemis violentia conſtrictus, partim etiam oppreſſus infirmiore valetudine, non niſi vere primum ineunte Norimbergam redire b) potuerim. Inde cum literas ad te dare vellem, quas ante mittendi deſtitutus occaſione dare non potueram: magis tamen placuit (ne quid de occupationibus nunc dicam, quibus pauci dies, quos illic feci, facile ſunt alias exempti) Argentinam id non longo, ut tunc quidem putabam, tempore differre, quod ipſi tibi gratius futurum exiſtimarem, ſi eadem opera & de itinere noſtro & de Academiæ illius ſtatu literis te meis certiorem facere poſſem. Sed ecce novam hic moræ cauſſam, mihi vero ingratisſimam, quam ipſe tu commiſeratione potius quam vituperio dignam judicabis. Pridie illius diei, quam Argentinam veni, febri tentari cœpi, quæ paulo poſt majoribus gliſcens viribus affixum lecto per aliquot ſeptimanas a ſcriptione cogitationibusque ſeriis omnibus abſtinuit, niſi quatenus fratris tui c) ſtudia moderabar: Cum vero jam aliquanto melius habere cœpiſſem (nam priſtinas illas vires ne nunc quidem recepiſſe videor) fuerunt ſane nonnulla mihi prius ordinanda, quæ vel morbus, vel ipſa quoque loci mutatio turbaverat, & id 32 quod in ſtudiis neglectum erat, non debuit, nulla cum aſſiduitate reſarciri. Huc accedat & illa, mantiſcæ vicem, d) excuſatio, quam elevare tu certe non potes, niſi tuo te gladio, qui eandem prætendiſti, jugulare voles; non ſemper eſſe tabellarios ad manum in tantis locorum intervallis, cum etiam nunc aliquanto diſtemus remotius, quam cum tuas ad me literas dares. Poſtquam ſatis de diutina literarum procraſtina-

a) Quinam illi? Non alii profecto, quam fratres *Racovienſes*, quibus rerum *AltorphI* adhuc geſtarum rationes coram audire volupe erat, & de futuris conſultare neceſſarium videbatur. In quibus conſilium haud dubie primum atque princeps illud fuit, quo, ut de propaganda hæreſi, huc illuc diſceſſuri neophyti diſpicerent, decretum eſt. *Evocatum* ſe in *Poloniam* eſſe, neque ultro illuc conceſſiſſe, ipſe in *Libello Memoriali* num. 16. Cent. II. ait. Quid multis? A quibus juſſa capeſſere fas piumque putaverit *Ruarus*, ipſa epiſtola *invitatoria*, quæ Cent II. n.34. legitur, condocet.

b) E *Polonia*: quod iter vid. Epp. 10. 11. 12. 13. deſcriptum.

c) *Abrahami Burgſtorphii*, cujus erat *Ruarus* hucdum Ephorus.

d) *Mantiſſæ vice*, forte rectius legatur, aut: in *mantiſſæ vicem*.

ſtinatione me tibi, ſicut exiſtimo, purgavi: reſtat, ut itineris noſtri rationem paucis explicem. Cur enim operoſe liberali verborum ambitu proſequar illa, quæ jam antea eadem ſpectaſti, quod eſſet noctuas Athenas mittere. Propemodum enim eandem lineam inſtitimus, quam tu cum Varentholtio Tubingam usque tenuiſti, niſi quod Ratisbonam & Monachium non deflexerimus, ſed Ingolſtadium Altorphio recta profecti, inde Neoburgum & Auguſtam Vindelicorum, porro vero Dilingam, Lavingam, Hensburgum, a) Vlmam, Rheutlingamque intermedias urbes luſtravimus. Auguſtæ Vindelicorum in Rhatichium b) illum forte fortuna incidi, qui nova docendi ratione cornicum oculos ſe confixurum profeſſus eſt, de quo ne judicium feram, in cauſa eſt, quod ipſe ſtultos omnes proclamet, quotquot de præclaris ipſius ſtudiis, quæ nemo adhuc ſatis intelligere potuerit, ſententiam 33 dicunt. Tubingæ cum Achilli c) Wirtebergico Principi forte fieremus obvii, ille notato fratre tuo, quod pallio rubro inſignis eſſet, quis eſſet, interrogari juſſit, cumque atrienſis ſtabuli ſervus, quem e comitatu noſtro magiſter aulæ ſevocaverat, adoleſcentem eſſe nobilem dixiſſet, cujus nomen hactenus ignoraret, in aulam eum craſtino die perducere juſſus eſt. Sed ego, quia nullam fere niſi ebrioſæ cœnæ gratiam ſperabam, ſimul etiam, quia veſte frater tuus erat propter iter attrita ac nonnullibi lacera, ut non ſatis pro dignitate familiæ veſtræ inter aulicam pompam, quæ tunc a quatuor Wirtembergenſibus Principibus viris pluribusque fœminis celebrabatur, apparere poſſet, honore

a) *Günzburgum*, *Burgavienſis Marchionatus* urbem, veriſimile eſt innui.

b) *Wolffgangus Ratichius* appellabatur artifex iſte. Quale fuerit ejus in addiſcenda intra annum, ex uſu ſolo, ſine Grammatica, per lectionem ſæpius repetitam, unius *Terentii*, artificium, b. *Morhofius* accurate expoſuit, nec ſibi eam omnino displicere profectus eſt, ſi patientiæ & peritiæ ejusmodi præceptorem nanciſci queas, in *Polyhiſt.* L. II cap. X. f. m. 446. ſeq. Vbi tamen libellum, quem *Didacticam Ratichianam* vocavit *Lanſius* de *Academ.* f. 11. & *ſplendidum hactenus* titulum *tantum* fuiſſe inquit, diſtincte non recenſuit, neque etiam, quando & ubi impreſſus ſit, indicavit, S. R. tamen *Reimannus* in Hiſt. litter. Germ. Cont. L. II. Sect. III. f. 354. *Jenæ* anno 1614. forma 12ma excuſam eſſe ait, ibidemque artem illam *Ratichium* hunc *Francof. ad Mœnum*, cum Ordd. Imperii in coronatione *Matthiæ*, Cæſ. anno 1612. congregati eſſent, Evangelicis libello quodam tradito, cujusmodi vulgus *memorialem* vocat, commendaſſe, ait. Qua occaſione etiam factum eſt, ut *C. Helvicus* & *Joach. Jungius* a Principe ſuo, Landgravio Haſſiæ, juſſi, perinde ut *Jenenſes* nonnulli Profeſſores judicia ſua de Didactica hac, quæ extant, in lucem ederent.

c) *Friderico Achilli*, *Joh. Friderici*, Ducis Würtenb. h. t. Ducatus habenas moderantis, fratri, ſtudiis ea tempeſtate *Tubingæ* operam navanti, & in cœlibatu anno 1631. *Neoſtadii* denato.

nore contentus, fructum tam benignæ invitationis sentire nolui. Tubinga recto itinere Argentinam contendimus, Rotenburgo ad Neccarum, Herba, a) Freudenstadio b) aliisque paucis oppidis ignobilibus transeuntes, in quibus nihil mihi memorabilius visum est Freudenstadiensi templo, de quo te jam antea inaudivisse puto, quod intus elegantibus picturis exornatum, exterius duabus turribus ex quadrato, ni fallor, lapide insigne futurum, hoc habet singulare, quod viri fœminæque structuræ commoditate mutuo prohibeantur aspectu, cum sacra & audire & videre pars utraque sat expedite possit. Potuissemus, fateor, totum hoc iter breviori via sumptuque minori conficere, si tam pulchras urbes, ad quas nonnunquam paulum deflleximus, 34 negligere voluissemus: sed qui cogitat, quanto laboriosius, quanto majoribus impensis eædem fratri tuo post persequendæ essent, siquidem eas lustrare vellet, utroque pollice consilium nostrum dilaudabit. Licet enim ætate sit ad peregrinationes ipse nonnihil inutili, quod adolescentes ejusmodi parum eorum, ob quæ regiones & urbes obire debent, observent: meum tamen erat, quod illius deerat ætati, cui magister additus sum, fide diligentiaque supplere, quod feci, sane pro virili, nihilque tacitum habui, quod curiosa observatione percepissem, & si quos etiam viros eruditionis laude claros conveni (conveni vero non paucos) nunquam illum a latere meo amovi, ut sperem, (quod sine jactantia dictum velim) eum ad peregrinationes in posterum obeundas exemplo nonnihil profecisse. Nunc de Argentina nostra vellem ad te nonnihil scribere, si quid haberem, quod tu ignorares. Externam urbis speciem quid attinet depingere? quid uberem circa camporum glebam? quid allabentium aut transeuntium fluminum commoditatem? quid curias, fora, hyppodamos, c) sphæristeria, cæteraque seu ad usum, seu ad ornamentum, seu ad voluptatem facta, cum ista singula tam eruditis oculis quondam adverteris, ut idcirco plerisque omnibus hanc urbem præferendam literis tunc ad me datis

a) *Horbæ* huic oppidulo nomen est, non *Herbæ*.

b) Vrbem hanc mediocrem Serenissimus Dux *Joh. Frider.* anno 1601. demum condendam exulibus e *Stiria*, *Carinthia* & Ducatu *Carniolæ* Evangelicis tradiderat; cujus templi structuram singularem, quando miratur *Ruarus* & prædicat, hoc ipso non displicere sibi sejunctionem illam virorum & fœminarum, Judæis cæteroquin receptam, subindicat. Eam primis quoque Christianis (hos enim Therapeutas dici plane credimus,) usitatam fuisse, neque hunc morem improbari posse, in Diss. de *Munimento Capitis fœminei* contra *Angelos* ad Cor. XI. jam pridem ostendimus.

c) Forte *Hippodramos*, Reit-Schulen: ut vernacula nostra artis illius rite equitandi gymnasia appellari solent.

35 recte judicaveris? Internam vero formam, sive, ut ita dicam, animam civitatis nihilo magis tam exiguo temporis spatio, quod hic vivimus, cognoscere potui, quam vel fama vel publicis scriptis tibi quoque non invisis celebratur: numinis dico religionem, judiciorum integritatem, literarum cultum, armorum studia, magistratuum sanctitatem, civium virtutes artesque varias, & quæ cætera corpus hoc reipublicæ vitali spiritu per universas arterias diffusa replent. De Academia tamen, cujus ipse propria pars communem fortunam penitus ignorare non possum, hoc amplius addo: videri mihi non parum eam scholasticorum florere numero, adeo ut in una panegyri, quæ ad baccalaureatus solemnitatem convenerat, quasi ad quingentos aut sexcentos æstimatione tralatitia computaverim, nec dubium est, quin abfuerit bona pars, quorum hinc inde dispersorum exacte numerus iniri nequit. Sunt quidem inter hos non pauci, & ex vestro præcipue ordine, quos benignior fortuna nascendi lege supra plebem extulit, qui magis hic habitant, ut equum in gyrum ducere, ut orbem versare saltatorium, ut umbratica palæstra manus ad pugnam erudire, ut annulum hasta transfigere, ut follem & pilam artificiose repercutere doceantur, variisque disciplinis, ob quarum nimiam curam Gallia tibi merito displicet, corpus imbuunt, quam animum prudentiæ sapientiæque præceptis ad rempublicam & quodcunque futuræ vitæ genus præ-

36 parent: quidam etiam gulæ voluptatibusque melioris ævi tyrannis, quas urbs amœna non vulgares proponit, dediti, literas plane contemnunt, & tanquam scholarum ineptias magna splenis liberalitate rident ac subsannant. Hoc tamen optimis legibus, & custode legum severissima disciplina satis cautum est, ne licentia diversa studia sectantium in meliores Musas impetum faciat, nec exemplis tam facile noceatur, quæ minus in tanta vastitate serpunt, nec, ut in populosis oppidis pestilentia, mutuis attactibus inter varie dissitos tradi recipique possunt. De Professoribus & eorum eruditione non audeo quicquam judicare, ne quid non quidem extra meam artem, ut ille sutor Apellis, sed ultra tamen meam modestiam mihi sumam: necdum etiam possum, cum partim propter morbum, partim propter nundinales ferias paucos adhuc publice differentes audiverim, neminem propemodum familiarius noverim. Habes jam, mi Burgstorphi, prolixam satis epistolam, quæ una, si nihil aliud sit, omnem moram excusare debet. Hanc velim ut cum Georgio Richtero a) doctissimo & amicissimo Juvene,

a) Noribergensi; de quo & contagio *Sociniana* hæresis, quo his adhuc annis infectus erat, jam copiose actum est in *Hist. Crypto-Socin.* cap. II. lit. R. Ea tempestate,

ne, quem iſtic a) jam verſari cognovi, communices: cum enim præterea, quæ tibi ſcripſi, nihil fere ſit, de quo certiorem ipſum facere poſſum, (nam ſi quid ſit, id ipſum aliunde jam accepiſſe ſcio) nolui vel eadem ad ipſum ſcribendo repetere, vel inanibus literis itineris ab ipſo tam longi comiſtrum extorquere. Scribam ei tamen ad nundinas proximas Francofurtenſes: b) eo tempore tu quoque literas a fratre expecta, qui te plurimum ſalvere nunc jubet. Tu quoque & ipſum Richterum & Caſparum Willichium, c) contubernalem illius, amantisſimum hominem, & ſi quos præterea mei ſtudioſos inveneris, meo nomine perquam officioſe ſaluta, & vale, flos juventutis equeſtris. Pridie eid. Februarii, d) anno æræ Dionyſ. cIↃIↃcxv.

37

VIII.

M. RVARVS JOACHIMO ET PETRO FRATR. e)

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE ET DOMINO NOSTRO JESV CHRISTO.

Binas a te, mi Joachime, literas f) accepi, quarum illæ, quas priores ſuſpicor, (nam neutris tu diem addideras) erant aliquanto ſtomachoſiores, quod ſuppellectilem tibi tuam nondum miſiſſem, quam tamen poſterioribus te jam accepiſſe ſignificas: quocirca non ero multus in excuſanda iſta culpa, quam tu non apud me reſidere ſuſpicare debebas, ſed apud illos, a quibus emendos mihi libros injunxeras, quorum moras ignorare non potes. In utrisque vero multa ſcribis

qua exaratæ ſunt hæ litteræ, ſtudiorum continuandorum, & Juridicorum quidem gratia, in Vniverſitate *Julia* ille vivebat, &, quando amicisſimus *Ruaro Juvenis* dicitur, nimis amicam eum, cum ipſo, familiaritatem iniiſſe, eaque occaſione veneno illo de quo antea, jam ante afflatum eſſe, non obſcure ſignificatum eſt.

a) *Helmſtadii:* unde & *Burgſtorphium* ibidem tunc commoratum eſſe, ſupra effecimus.

b) Quæ epiſtola inter *Richterianas* fol. 386. ſeqq. legitur.

c) Hujus contubernalis antehac *Richteri*, ſed minus, uti l. c. ſubinnuitur, amici atque grati in altera *Ruari* ad Richterum epiſt. f. 389. ſeq pluribus mentio facta eſt, cumque paullo poſt *Argentoratum* conceſſiſſe, atque hinc *Marpurgum* abiiſſe, ubi & honores in Jure utroque ſummos adeptus ſit, narratum legitur.

d) Omiſſus eſt locus, qui, uti ex ipſa epiſtola elucet, *Argentoratum* fuit.

e) Integræ hæ ſunt litteræ, quarum partem tantum priorem Cent. I. n. 14. excuſam habes, L.B. quod fragmentum, utut heic omitti potuiſſet, videbatur tamen repetendum, partim ne cohærens totius orationis textura incommode divelleretur, partim etiam propter Scr. S. loca heic citata, quæ in priori illo fragmento neglecta fuere.

f) Quoniam, ut dictum eſt, pars prior ſupra jam excuſa fuit, notæ quoque iſtic adjectæ, ut inde repetantur, &, ſi placet, inſpiciantur, ſuademus.

bis de rumore hæreseos, quem de me tum apud parentes, cognatosque, tum apud omnes fere meos amicos sparserint homines ii, quos ego nullo unquam maleficio læsi; quod quanquam mihi sane perquam grave luctusque plenum accidit, cum videam eo me crimine & dolorem & odium illorum concitasse, quibus & gaudio & amori, meo fortasse merito, esse debebam: novum tamen vix fuit, cum non nesciam, quanta nonnunquam infamia malevolorum vocibus conflata multi etiam innocentissimi sanctissimique viri laboraverint. Si hæresis est, credere, quicquid in sacris literis perscriptum est, aut bonis inde consequentiis deduci potest, fateor me nominis istius crimen, quod mihi cum Paulo, sanctissimo Apostolo, commune est, *Act.* XXIV, 14. non aspernari. Sin autem hoc nonnullos male habet, quod aliquanto liberius in sententias variarum sectarum inquiram, nec Theologos quosdam, tanquam ancilia cœlo delapsa, adorem, aut responsa eorum pro meris oraculis habeam: in eo tantum abest, ut me peccare putem, ut in altero ipsum eundem Paulum habeam pro auctore, qui spiritus non extingui, prophetias non sperni, sed probari jussit, 1 *Thess.* V, 19. 20. 21. in altero discipulos ipsius pro exemplo, qui dicta magistri, tanti Apostoli, cum scripturis tamen conferre non dubitabant, *Act.* XVII, 11. priusquam illis fidem adhiberent. Hanc mihi libertatem, qui volunt eripere, vereor, ne eo ipso causæ suæ infirmitatem imprudentes prodant, quam non patiuntur tractari, censeri, ponderari: veritas enim judicia non reformidat, cum sciat, nunquam se pulchriorem apparere, quam cum versando nitescit, nunquam rectiorem, quam cum ad normam exigitur, nunquam graviorem, quam cum appenditur. Olim hæc fuit tyrannis, cum Antichristus adhuc ditione sua cuncta premeret, ut si fortassis monachus aliquis, dum septem penulis in cella coopertus sedet, in nescio quæ Epicuri intermundia abreptus, fumos & nebulas aliquot collegisset, febriculosi capitis somnia pro divinis responsis nobis vendicaret: has epulas, cum putarem majores nostros semel evasisse, video, proh dolor, reliquias adhuc posteris negotium in deglutiendo facessere, quas tamen, ne sine condimento nobis obtrudant, amabile libertatis nomen, cujus temeratores videri nolunt, in hæreseos crimen vertunt. At hoc artificium valeat apud simpliciores, quibus fucus nondum suboluit: me, qui Dei beneficio æra lupinis discernere didici, nihil larva umbratilis terrere potest, quæ fixius inspiciendo sensim evanescit. Ad populum phaleras. Vos autem, meæ animæ, mei fratres, quorum ipsum nomen in ore meo dulcescit,

cefcit, per fanctum illud fanguinis vinculum, quo natura nos colligavit, oro & obteftor, primum, ne hac mea juftisfima libertate quicquam offendamini, aut de amore in me veftro remittatis, certoque certius vobis perfuadeatis, me nihil, quod ad religionem attinet, temere & præcipitanter agere, fed in fententia facrarum literarum, quam accurata lectione ardentisfimis juncta precibus indagare foleo, libenter acquiefcere, nulla nec ingenii mei fiducia, nec alienorum contemptu, quæ tamen nonnunquam doleo, ignea fua vi fic attolli, ut dum cœlos fcrutari, & rationis fuæ decempeda, quam præjudiciis inflexerant, metiri volunt, Theologiam, quam Chriftus vivendi normam effe voluit, in fcholafticam rixandi libidinem transforment. Deinde precor, ut quoniam parentes & cognatos hoc ftudiorum meorum inftituto, cui maximi criminis infamiam afperferunt alii, graviter ad dolorem commoviffe, nec leviter abalienaffe videor, literis veftris fubveniatis, & mihi quidem parentum cognatorumque favorem & amorem, illis vero, difpulfis inutilis mœfticiæ nebulis, tranquillitatem animi lætitiamque reftituatis. Ego, quicquid a me literis fieri potuit, efficere jam conatus fum: fin illis nihil hactenus profeci, video non literis meis amplius, fed me ipfo præfente ibidem opus fore, qua de re ferio cogito, ut, fi aliter non poteft, in patriam me deportem, ac fedem fluctus illos, quos non aliter in fimpulo excitatos fentio, quam fi Ægæum mare ventorum conjuratione totum erueretur. Tertio, rogo vos, & quam cara vobis eft animarum falus, (debet autem omnium rerum esfe carisfima) cohortor, ut & ipfi tam precibus ad Deum fundendis, quam facris literis legendis diligenter incumbatis, & tum fententias, tum verba, quibus illæ veftitæ funt, religiofe femper obfervetis, nec ullis fentiendi & loquendi formulis facile credatis, quæ non aut ad verbum in illis extent, aut evidentisfimis confequentiis fint deductæ: quamquam ego fere perfuafus fum, vix aliquid ad falutem fcitu necesfarium effe, quod non difertis verbis in divino codice legatur, cum confequentias acutas, quas ego quidem, ut ad eruditionis profectum valde fructuofas, non afpernor, rudiores vix intelligant, quorum rationem Deum non minorem, quam eruditorum hominum in iis, quæ præcife neceffaria funt, habuiffe, plus quam verifimile eft. Cum autem non dubitem, quin vel fexcenties ibidem lecturi fitis, ei, qui felicitatem æternam confequi velit, opus effe fide viva, quæ non tam in fcientia, quam obfervatione mandatorum Dei confiftit, conferte Gal. VI, 6. & 1 Cor. VII, 19. fiquidem, *non quisquis* Domino Jefu *dicit, Domine,*

ne, Domine, in regnum cœlorum intrabit, ſed qui fecerit, quod vult Pater ejus, qui in cœlis eſt: Matth. VII, 21. proinde moneo vos, & tanquam fraterni amoris pignus vocem hanc vobis commendo, ut innoxios vos & immunes præſtetis ab omni flagitiorum ſcelerumque macula, ut imprimis cupiditatibus veſtris fibulam imponatis, ut nuncium remittatis omnibus, quibus plerique nimis inhiant, ut omne voluptatum obſequium ejuretis, ut Academicum, aut potius epidemicum gulæ 42 morbum cane pejus & angue fugiatis, ut omne nepotum ocioſorumque balatronum ſodalitium averſemini. Pauci, mihi credite, in hoc ætatis flexu, quo nos ſumus, ita currum ſuæ juventutis egerunt, ut non ad metas adhæreſcerent: quo magis nobis conandum eſt, ne numeroſa potius veſtigia, quam tuta ſequamur, cum frequentia ſit infelicitatis indicium, & quidem veluti character: Matth. VII, 13. Nec vero a) ſatis eſt officium conatu ſolo defendere, & poſtea, ne longius progrediamur, quod vulgo facere ſolent, imbecillitatem ignaviæ prætexere; non ſic certe Paulus, qui non ſatis eſſe reputans, ſi in carceribus voluntatem aliquam currendi oſtentaremus, juſſit, ut ipſum ingreſſi ſtadium continenti curſu ad præmium eniteremur; ubi diligenter interim cavendum eſt, ne vel ad dextram vel ad ſiniſtram utramque *præcipitiis* infamem deflectamus, imo nec in ipſa quodammodo orbita forſan impingamus & labamur, aut ſaltem, ſi lapſi fuerimus, in pedes ſtatim erecti curriculo noſtro viciſſim inſiſtamus. Gravia quidem ſunt hæc, quæ dico, & dura, homini præſertim eo ſæculo viventi, quod nobis flagitia ſua tot exemplis allinit & commendat: ſed multo quidem gravior & durior hæc Domini Jeſu vox iis eſt futura, qui iſta non fecerint, *Faceſcite a me, qui iniquitati operam datis,* Matth. VII, 23. Et tamen hæc ipſa, quæ prima fronte dura videntur, tractatu mollia fiunt; cum vir-43 tus non tam natura ſua difficilis ſit, quam hominum vitio, qui rarius illam integris viribus aggrediuntur, ſed aut inſtitutione aut conſuetudine mala jam antea fractis: crediderimque, pene plus in nequitia laboris & moleſtiarum occurrere, quæ ſi nihilominus facilis nobis videtur,

a) Hinc continuatio illa fragmenti ſuperioris exordium ducit. Cujus vero maxima pars, quia cohortatione continua ad *Sanctitatem Vitæ* continetur, obſervationum addendarum non eget. Quo animo vero pietatem tantopere fratribus inculcarit, aliunde ſatis, & ex ipſis *Socinismi* hypotheſibus, notum eſt; quas multi hodieque, qui horridam in dogmatibus fidei *indifferentiam* probant, atque ad vitæ integritatem ſolam cuncta referunt, in lucem revocare, ipſamque tandem artem nihil credendi, quam *Gottfredo a Valle* alias tribuunt, ſcripto commendatam, hoc modo aliud quaſi agendo, conſtabiliri dolemus.

tur, & tempore paulatim in naturam cum jucunditate quadam abit, quidni idem de virtutibus speremus, modo pari studio & fide illas consectemur. Instituat aliquis argumenta in pectus & recta judicii lance perpendat, quanto levior sit labor, edere & bibere, quantum naturæ satis est, quam indignanti stomacho obtrudere, non quo reficias, sed saburres, unde postea doleat caput, titubet lingua, palleat vultus, rubeant oculi, tremant manus, vacillent pedes, sequantur hydrops, podagra, febris, & innumerorum morborum catena? quanto solicitior est vita, quæ inter vota perit, & inexhausta cupidine non, quod habet, numerat, sed quod deest, quam ea, quæ fortuna qualicunque contenta rationes suas cum Deo sine gemitu componit? quantum operæ compendium est, juveniles flammas libidinemque gliscentem infusa aqua semel extinguere, quam semper patiendo cruciari, dumque nutriendo incendio materiam conquiras, quotidianam pœnitentiam totidem periculis emere? Possem idem aliarum virtutum & vitiorum contentione demonstrare: sed nobis, qui Christo nomen dedimus, sufficiat id, etiamsi virtutum studium difficillimum, maximaque cum molestia conjunctum foret, esse tamen ex lege disciplinæ nostræ necessitatem, cum nemo sine sanctitate Deum visurus sit; Heb. XII, 14. nemo, qui carnis seu affectuum suorum arbitrio vivat, non debeat mori, Rom. VIII, 13. Contra necessitatem vero pugnare, quid est, nisi πρὸς τὸν κέντρον λακτίζειν; * nec illius tamen vim evadere datur, nisi quis velit extremam perniciem incurrere, & in profundam se voraginem æternorum malorum præcipitare. Quod si tandem terret nos tanti discriminis metus, &, ut velis equisque cupiamus effugere, quotquot extremi nondum ingenii sumus, instigat; quanto vehementius cursum nostrum incitare debet hoc, quod sciamus, nos non tantum calamitatem impendentem effugituros esse, sed eodem labore ad præmium contendere; præmium vero tantum, ut illud nulla cogitatione complecti, ac ne votis quidem æquare, licet immensis, queamus, quamdiu terreni corporis compagibus includimur, quod omnem operis gravitatem tollere, Christi jugum commodum, & onus leve, ut est revera, sic etiam, ut videatur, efficere potest, Matth. XI, 29. Etenim quemadmodum saxum ingens, quod movere vix possis, quamdiu jacet humi, idem postea currui impositum, non adeo magno negotio trahis, quo placet: ita mortalibus unus idemque labor & molestus est, si gratis sumatur, & si præmii spes effulgeat, cum jucunditate quadam exantla-

44

45

 tur.

* Contra stimulum calcitrare.

tur. Fingite vobis hominem aliquem factiosum, aut, si placet, Germaniæ principem, ingens munus iis proponere, qui plenum aliquod opus aleæ periculosæ velint aggredi, idque sua fide certum spondeat; papæ, quantus concursus hominum futurus est! quot etiam ignavi, quorum medullas odium laboris insederat, excusso veterno, propemodum ultra vires humanas aliquid audebunt! nec querentur molestias, quas præmii præcepti voluptas edulceat, nec impetum animi remittent, quem spes ob oculos versans tanquam stimulis quibusdam exagitat, & ad constantiam servandam impellit, vitam in opere, quam lucrum deserere malent, quod ab illis, qui malitiam sequuntur, exigui stipendii auctoramento quotidie videmus fieri, nec amplius miramur. At videte, quanto melior nostra Christianorum causa. Vocat nos ad obedientiam sibi præstandam, non homo, sed Deus, cui tot antea nominibus obstricti sumus, ut tanquam ære suo obrutos cuicunque labori nos addicere posset: at præmium insuper proponit, non aliquot talentorum, aut prædii pinguis, sed æternæ vitæ, de cujus qualitate præstat omnia silere, quam pauca loqui, cum quicquid dixero, minus futurum sit. De principe dubitari posset, an promissum servare velit; nec enim novum est, homo qui natus sit, eum mentiri, & si velit maxime, numquid etiam facultates ipsius suffecturæ sint ad immensos operariorum labores remunerandos; cum non raro principum æraria defecisse cognoverimus: de Deo neutrum ne quidem in mentem venire potest, nisi ei, qui sit ad agnatos & gentiles deducendus; quomodo enim ipsa veritas fidem fallere posset? aut quomodo opes illius exhaurirentur, qui nunquam tantum elargiri potest, ut ipsi non infinita restent? Si quis, dum operam Principi navat, oneri lassus succumbat, præmio valedicere cogitur, si sub illo moriatur, cum anima spem simul omnem exspirat: at Deus adeo fidelis est, 1 Cor. X, 13. ut ne passurus quidem sit, pondere nos gravari, cui portando vires nobis pe-tentibus non sit suppeditaturus; nec mors auferre præmii spem potest, cujus effectus post ipsam demum promissus, jam quidem in duce salutis nostræ Christo, demum etiam in nobis ipsis evidenter apparebit. Quid igitur restamus? fratres; quid moras nectimus? quo minus Deo pareamus: nec enim hic agitur de eo, quod in faba pueri se reperisse gloriantur, sed de salute nostra, quam negligere velle, non est hominis, ut autem assequi possimus, Dei benignitate effectum est. Agamus, mei fratres, quod agimus: abjiciamus omnia impedimenta, quæ nos ad viam pietatis ingrediendam retinent: resecemus

mus moras: omnis dies ad bene agendum sera est, quæ procrastinando expectatur: hodie, si vocem Dei audiverimus, ne induremus corda nostra, Psal. XCV, 8. Hebr. III, 7. 15. IV, 7. ne forte justo tempore prætermisso frustra deinceps pulsemus Domini 47 Jesu januam non amplius aperiendam: cogitemus, quod sit officium nostrum; quid expensum ferre teneamur ei, cui nos ipsos acceptos feremus, nisi minus est, æternum, quam moriturum vivere, quorum hoc est communis naturæ, illud singularis gratiæ, utrumque Deo debitum beneficium: cogitemus, quem amorem, quem honorem, quem cultum Christo nostro debeamus, qui, ne quicquam affectui nostro negare videretur, se ipsum nobis impendit: cogitemus, qua simus amicis obligati syngrapha, cum inimici beneficia nostra sibi vendicent: Matth. V, 44. Luc. VI, 27. Relinquamus igitur, si quid adhuc extra nos est, quod officium nostrum, cujus tot sunt partes, vel minimum impediat: ne, dum utrobique volumus esse intenti, negligenter obeamus id, cura sola nobis adesse deberet, nisi vitæ hujus ratio, quam sine Imperatoris jussu, velut stationem milites, relinquere non debemus, exiguam cogitationum nostrarum partem deposceret. Est autem unus intra nos gravissimus hostis, qui facile cunctorum quamvis egregiorum operum machinam deturbabit, nisi nos illum prævenientes, opprimamus, vetus nimirum homo, qui bellum intra viscera nostra movet intestinum, tanto pejor, quia pacem & fœdera simulat, nobisque non animadvertentibus, aut, etiamsi videamus, malo ridentibus nostris ipsorum armis (pudendum) non corpus, sed animam no- 48 stram petit, nec victoria contentus ad internecionem usque persequitur. Habet autem ille multas suppetias ab externis hostibus: mundus illi copias adducit numerosas & armorum munimentis ad aspectum invictas: Diabolus ipse capitalis noster adversarius stat post principia, & nonnunquam in angelum lucis transformatus in aciem procurrit, factoque militum suorum globo cum impetu fulminis instar in nos irrumpit. Quid hic faciendum, cum nec latum amplius unguem a periculo fortassis absumus. Quid aliud, quam quod tali casu summi belli duces facere solent: Excubiæ scilicet habendæ sunt, oculis in omnem partem tanquam e specula quadam intentis, ne nos hostis ex improviso stertentes opprimat: deinde videndum, ut auxilia externa, quæ pugnam nobis adeo formidabilem faciunt, intercipiamus: tertio, non expectandus hostis, donec ipse capta occasione det in nos impressionem, sed ultro invadendus est, si modo armis satis fuerimus

instructi, quæ tamen, si voluerimus, domi semper habere possumus. Quænam, dicetis, arma? non ex ferro vel chalybe, Eph. VI, 14 & sqq. 1 Thess. V, 8. quorum vis contra spirituales hostes nulla est: sed ea, quæ Paulus nobis descripsit, dicto loco, *Galea spei salutis, Lorica justitiæ, Baltheus veritatis, Ocreæ alacritatis ad Evangelii pacem, Clypeus fi-* 49 *duciæ, Gladius spiritus, quod est verbum Dei:* si cum his armis simul conjunxerimus devotas ad Deum preces, non est dubium, quin victoriam ex pugna reportaturi simus, si modo sciamus illa prudenter uti: proinde ne somniemus nobis securitatem, licet illum semel fugaverimus, aut etiam prostraverimus: instandum fugitivo, incumbendum prostrato, spolium ejus legendum est, & in nudato venarum arteriarumque pulsus tentandus est, ut, si quas vitalis caloris spiritusque reliquas deprehenderimus, eas impresso altius vulnere penitus exhauriamus. Hæc est, mei Fratres, hominis Christiani militia: hæc est via, qua itur ad cœlum, quam cum singulis fere paginis sacri Scriptores doceant, mirari sane cogor, a multis non tantum negligi, sed etiam negari, qui syllogismis a) cœlum expugnare volunt, quorum errori detegendo vel una S. Joannis epistola sufficere queat, cujus lectionem vobis pro colophone diligenter commendo. De statu meo parum habeo, quod ad vos scribam: nisi quod Argentinam cum discipulo meo b) proficisci jussus sum, quo me primo fortassis vere conferam, nisi parentes domum prius retraxerint, quod fieret sane non parvo cum studiorum meorum incommodo, ne dicam, tuorum, mi Joachime; cogito enim tibi discipulum meum, si fieri possit, tradere, sed quia ad hoc impetrandum artibus quibusdam longioribus tum apud 50 tutores, tum apud fratres pueri opus est, & quia tu ipse quoque non tam cito deberes a Petri studiis discedere: proinde mallem, ut reditus mei in patriam tempus aliquamdiu produci posset. Sed de his nihil adhuc est certi: quocirca nec te velim, si quam alibi conditionem habere possis, negligere: spes enim fallaces sunt, nec fortunæ certioris contemptu, licet opimæ ipsæ, sunt emendæ. Valete, mei Fratres, instar duorum oculorum, aut si quid oculis carius est, amandi: si quos in popu-

a) Polemicis, puta, scriptis, & certaminibus seu disputando non recte credendo, & pie vivendo. Quod studium si immoderatum sit, quando recte vituperat *Ruarus*, vereor tamen, ne ad reprimendas hæreticorum sophismatum technas comparatæ Theologorum disputationes acerbius paullo his verbis pungantur & suggillentur. Quanti enim primaria etiam fidei dogmata fecerit noster hic *censor*, aliquoties jam animadversum est, & imposterum sæpius observare licebit.

b) *Burgstorphio* juniori multoties memorato.

populares aut amicos meos veteres incideritis, etiamsi mihi nullo meo merito male velint, ſalutate. Dominus Jeſus adſit veſtris ſtudiis, & omnia veſtra conſilia & actiones ſpiritu ſuo moderetur. Dabam ex Muſeo, die x. Kal. Aug. Juliani, anno æræ Dionyſianæ, cIↄIↄcxv. a)

IX.

M. RVARVS JOACHIMO PEVSCHELIO. b)

Binas a te literas, cum adjunctis libellis, recte accepi, præter orationem Apologeticam, c) quam fortasſis ad uſum Pancomienſium d) amicorum Solmonticæ e) detentam ſuſpicor. Prioribus non eſt, quod reſpondeam, niſi de itinere meo, cujus acta tu requiris, ſed absque cauſa: quanquam enim non obſcuri nominis urbes aliquot luſtraverim, Ingolſtadium puta, Neoburgum ad Iſtrum, Auguſtam Vindelicorum, Dilingam, Lauingam, Vlmam, Reutlingam, Tubingam, Rotenburgum ad Neccarum, doctosque viros, ut mos meus 51 eſt, non paucos convenerim; tamen cum nemine fere de noſtris f) in religione controverſiis verba feci, cum diſcipulum ſemper ad latus habuerim, cujus aures reformidavi, & absque illo ſi fuiſſet, non adeo tamen ſe mihi occaſio dedit. Contra Jeſuitas enim nimis periculoſum eſt nodos nectere, cum Alexandri ſecurim habeant: Theologi Lutherani neſcio quod fere faſtidium ad hominis peregrini colloquium afferant, quorum ſignifer Heilbrunnerus g) Neoburgenſis bis a me quæſitus domi eſſe noluit, cum illum intus ancillæ reſpondentem audierim: Tubingenſes vero, præter quod in principibus h) ad tem-

 pla

a) Non eſt epiſtola hæc *Argentorati*, ſed *Altorphii* adhuc ſcripta, & anno 1614. exarata. *Argentinam* namque ſuſcipiendi itineris, ut futuri, ipſe ſcriptor meminit; cum tamen prima, quæ inde ad fratrem ejus, cujus *Ruarus* ephorum agebat, menſe *Februario* data eſt, proxime præcedens, idibus Febr. anno 1615. miſſa fuerit, & inclinato jam anno 1614. *Altorphio* cum comite itineris eum diſcesſiſſe, alias quoque ſatis exploratum ſit.

b) Theol. Studioſo, Noribergenſi patria, ſed ad partes *Socini* jam prorſus abrepto, de quo in *Hiſt. Crypto-Socin.* copioſisſime actum, hæc epiſtola *Jenam* miſſa eſt, totaque crypticis nominibus ſcatet.

c) Eam ſine dubio, quam ad *Senatum Illuſtrem Noribergenſem* miſerat *Jena*, & in eadem *Hiſtor. Crypto-Socin.* cap. III. Sect. I. atque in *Supplementis* integra legitur excuſa.

d) *Altorphinorum* ſodalium.

e) *Noribergæ.*

f) *Socini* cum Evangelicis huc usque, & paullo vehementius nuper, agitari cœptis.

g) *Jacobus* Heilbrunner, Antiſtes Sacrorum *Neoburgenſis*, qui non multo poſt tempore anno 1615., *Wolffg. Guilh.*, Principe, Pontificia Sacra amplexo, cum vidua Principis Neoburgici Sen. *Höchſtettam* conceſſit, ac *Bebenhuſanus* denique in agro Wirtenbergico creatus Abbas anno 1618. vitam pie finivit.

h) Quorum ex *Würtembergica* gente

pla collegiaque deducendis quotidie occupatos videbam, consulto insuper habui, cujus rei causam a) non ignoras. Porro quos sermones cum humanæ sapientiæ consultis cæciderim, non opinor te valde requirere, mihique nimis onerosum foret singulatim recensere. Transeo igitur ad posteriores tuas illas bene longas, in quibus ne quid omittam, sequar earum ductum, carptimque si quid ex me quæras, aut ipse monendum duxero, prout in solum venerit, annotabo. Primum igitur, ut valetudinis curam diligentem habeas, precor, idque non tam pharmacis, quæ naturæ vim aliquam semper adhibent, quam accurata vivendi ratione: temperes vespertinis lucubrationibus, a sumpto cibo ne statim in libros involes, inter legendum corpore, quantum potes, erectus sedeas, deambulationibus nonnunquam te etiam exerceas; ita fiet, ut humores, qui toties os tibi infestant, nec in caput tam facile ascendant, & corpore moto paulatim dissipentur. In disputatione Aviti, b) quam cum Gallo c) habuit, non probo, quod cum de Satisfactione institisset agere, pedem in alio choro tam facile posuerit, quem saltum studiose vitavit Turpilius d) in libro de Servatore p. 3. c. 4. cujus vestigiis hærere poterat. Quod vero Gallus ex Esaia & Epistola ad Hebræos probare voluerit, Christum esse Patrem, ex quo sunt omnia, e) commentum nimis dilutum videtur. Quod enim Esaiæ locum attinet, (Es. IX, 6.) ut taceam, Rabbinos licet de Messia sermonem ibi esse fateantur, ea tamen verba, quæ Gallus allegavit, non de Messia, sed de eo, qui nomen ejus vocabit, (sic enim est in hebræo) f) hoc

52

præsentes illic hoc tempore fuisse omnino quatuor, in superiori epistola perscriptum legimus.

a) Non aliam, puto, his verbis innui, quam, quod *Schopperum*, & *Saubertum* quoque, eorum, quæ *AltorphI* acta essent, præsertim in Disputatione *Schopperiana* notissima, & forte ipsius etiam *Ruari* nominatim, quis & qualis esset, *Tubingensibus Theologis* indicium fecisse suspicatus esset.

b) *Joh. Vogelii:* de quo pariter ex professo in *Hist. Crypto-Socin.* plus satis dictum est.

c) *Guolffg. Franzio*, Theologo in Witebergensi Univers. celeberrimo: ubi tunc *Vogelius* Theologiam excolebat, eidemque sæpenumero opponendo dubia solutu difficiliora, privatim æque ac publice, movebat.

d) *Faustus Socinus:* ut sæpius jam dictum est.

e) Vocabulo scilicet Patris *essentialiter* accepto, ut fit in Orationis Dominicæ, quam vocamus, exordio, & alias quoque creberrime.

f) Nimis audacter, ita esse in *Hebræo* fonte, ait *Ruarus*. Etsi namque sunt, qui Accentuationis rationes id addocere putent, non desunt tamen contra, qui neque hoc temere largiantur, sed *Positum majoratum*, ut vocant, locum habere censeant. Vt eos, qui Accentuationem pari, qua puncta solent, auctoritate pollere, arbitrantur, omittam. Certe, cur subjectum *nomen imponens* ad finem usque reji-

hoc est, (ut Hieronymus Osorius hanc locutionem explicuit alibi in paraphrasi super c. XLV, 3.) præsens ipsi adfuturus, eumque benignitate singulari complexurus est, interpretari: quis non videt, longe augustius nomen esse *Patris, ex quo sunt omnia*, quam *Patris sæculi*, præsertim si cum græca latinaque versione sæculum hic futurum intelligamus? Quid, quod verba, quæ in hebræo codice leguntur (אֲבִי־עַד) non minus, ni fallor, Patrem prædæ, a) quam Patrem sæculi significare possunt, quem sensum licet a nemine, quod sciam, animadversum, 53 non omnino tamen rejiciendum puto, præsertim cum statim sequatur, *quod imperium suum multiplicaturus sit*, id quod sine præda non solet contingere. Vtut sit, sive prædæ sive sæculi Pater Messias dicatur, quæ locutiones metaphoricæ sunt, non videtur propterea Pater simpliciter, nedum Pater, ex quo omnia, indigitari posse. Alter vero locus, ex epistola ad Hebræos cap. II, 14. b) si quid ad rem faciat, eodem jure & prophetam, sub cujus persona hæc verba primum prolata sunt, Es. VIII, 18. & Paulum, Gal. IV, 19 Petrum, 1 Pet. V, 13. Joannem, 1 Joh. II, 1. patres, ex quibus omnia, vocabimus, qui suos auditores & discipulos non tantum παιδία, * ut hic, quod etiam famulos significare potest, sed etiam τέκνα καὶ τεκνία, καὶ υἱοὺς ** appellant. Monavium istum Hylæum c) tanti fieri, ut Argis d) describatur, sane quam doleo: sunt enim in eo quædam parum firma, quæ quia nihilominus Achillæa nostrorum arma putantur, caussam ipsam apud imperitos suspectam reddunt. Vtinam isti juvenes operam hanc in Antivu-

* Liberos. ** Liberos, filiolos & filios.

ceretur contra consuetudinem, & tot titulis Pater Filium nomine suo insigniturus, contra scripturæ itidem morem, cumulatis celebraretur, caussæ nihil fuisse existimo.

a) Aliter *Paullus* explicat Hebr. V, 9. *Patrem prædæ* aliquem dicere, insolitum est. Neque enim pater, Hebræorum more, alicujus rei dici solet, qui eam obtinet aut adipiscitur, ubi *Baal* potius usitatum est; sed qui efficit aut producit. Quæ igitur efficientis caussæ huc non quadrat ratio, omnium contra optime æternitati & phrasi Esaiæ c. LIII, 10. atque Hebr. II, 10. congruit. Quid multis? ipse Propheta illico, rationem hujus cognomenti redditurus, æternitatem commemorat. A cujus explicatione recedere, nisi caussæ desperatæ indicium præbeas, haud quaquam licet.

b) Non alia de caussa locum hunc credo productum fuisse, quam ut Filium quoque Patrem interdum vocari, probaretur. Inutilis ergo est locorum a *Ruaro* allegatorum cumulus, utpote quæ filium quoque propter originem rerum ab ipso omnium, patrem, ex quo omnia, dici posse, probabilius reddunt, quia & hominibus idem nomen ob particularem status etiam melioris ortum tribui solet.

c) *Georgium Enjedinum*, ejusdemque *Explicationes Locorum V. & N. Testam.* denotari palam est.

d) Wittebergæ.

tivuiekum a) collocassent, in quo magis erat, quo & pennæ & ingenii aciem fatigarent. Quod ad locum Matthæi cap. XXIV, 24. de possibili, ut putant, electorum seductione in Actis colloquii Hagiensis, & Hymenæo Bertii b) respondeatur, non satis nunc quidem memini; puto tamen per electos hic non quoscunque, Christi religionem amplexos, sed eximios ejus cultores intelligi, nec simpliciter & absolute negari eos seduci posse, sed difficultatem c) magnam innui, quæ rursus non sit a decreto Dei, aliaque causa extra ipsos subsistente, sed ab illorum ipsorum pietate & prudentia, quæ firmo animi proposito, tempore jam & usu quoque rerum indurato, ac imprimis divini spiritus ope munita, vix ac ne vix quidem impostorum fraudibus pateat. Nota sunt exempla similium locutionum in ipso novo fœdere; & vulgo etiam ita loquimur, v. g. Hispanum magnam pecuniæ vim profundere, hoc fine, ut & optimos aliorum Principum consiliarios, si fieri possit, obnoxios sibi reddat: Jesuitas cum sanctimoniæ specie summam disputandi subtilitatem conjungere, ut vel optima quæque ingenia, si qua fieri posset, ad partes suas pertrahant; quibus verbis non ἀδυναμία * simplex, sed magna rei difficultas significatur. Porro, ad obtinendum hoc, quod electi deficere possint penitus a fide, non puto necesse esse eadem verba totidem literis e sacris afferre, ut ille Gebelius d) tricatur: satis enim est ostendere, eos a divinis

54

* Impossibilitas.

a) Fausti *Socini* de *Divinitate Filii Dei* & *Spir. S.* librum Jacobo *Wujecko*, Jesuitæ Polono, responsionis ad libellum de Divinit. Fil. Dei & Sp. S. nomine anno 1592. & Polonice quidem, *Petro Statorio* vertente, evulgatum, ac Latine ab ipso auctore anno 1595. nomine tamen *Socini* primum suppresso, publicatum; qui *Bibliothecæ Frr. Polon.* Tom. I. Part. II. Opp. *Socini* fol. 529. sqq. nunc insertus legitur. Commendatus autem ille tam enixe a sodalibus & discipulis nunquam non fuit, vel ideo, quod in eo loca Script. S., quibus Divinitas Christi adstruitur a nostris, optime omnium viderentur vindicata, & alio sensu, quam vulgo credant nostrates, atque ab ipso etiam *Enjedino* factum sit, explicata haberi crederetur.

b) *Petri Bertii* de *Apostasia Sanctorum* libello: de quo alibi. Titulum libelli desumtum esse ex 1 Tim. I, 19. seq. nemo nescit. Quod vero periculum ille vel propter ipsam hanc inscriptionem subierit, *H. Grotius* in epist. ad *Vytenbogardum*, quæ inter Remonstr. n. 231. est posita, subindicavit.

c) Plerique nostratium *hypotheticam* decreti DEI de electorum salute immobilitatem h. l. intelligi putant, atque *infallibilem eventum*, qui alius non sit, quam ut salventur electi, futurus, atque *hoc sensu* eos a veritate abduci non posse, innui existimant. Omnium compendiosissime nodum solvunt, qui verba, εἰ δυνατόν, ad præcedens πλανήσαι referunt, atque *impostores, quantum possint*, ut credentes a recto tramite veritatis abstrahant, laboraturos, sed parum effecturos, doceri ajunt.

d) Amicum hunc fuisse, & in disputatione aliqua *Jenæ* opponentem, probabi-

divinis ſcriptoribus electos vocari, quos conſtat potuiſſe τὴν σωτηρίαν ναυαγῆσαι. * Sufficiat nunc unum Theſſalonicenſium exemplum, (1 Theſſ. III, 5.) ad quos Paulus ſe miſiſſe ſcribit, ad cognoſcendam eorum fidem, ne forte tentaverit eos, qui tentat, & inanis fiat labor ipſius, cum tamen jam ante dixiſſet, (1 Theſſ. I, 4.) 55 electionem eorum a Deo fuiſſe: quomodo labor ipſius inanis erat futurus, ſi ſemel electi a) non poterant ſpe ſalutis excidere? Pertinent autem huc omnes loci, quibus homines quidam certi electi, ſeu, quod idem putatur, libro vitæ inſcripti leguntur: ſi enim hi, cum tales vocantur, intelliguntur, non potuiſſe vitam æternam amittere, non ſimplex abſurdum ſequetur hoc, quod divinis illis ſcriptoribus conſtiterit, quinam nominatim in beatorum numero certo futuri eſſent, id quod ſoli Deo hactenus notum ajunt, & quod hoc vel ad eos ipſos, vel de iis adhuc viventibus ſcribentes, magnam ſecuritati cuidam ſupinæ feneſtram aperuerint. Poſſem ad hanc rem argumenta plura congerere, niſi te & ingenio & libris hujus generis luculentius inſtructum noſſem. Id tamen moneo, non videre me, quomodo rem ea ratione, quam in literis tuis proponis, conficere poſſis. Ponis tanquam abſurdum, ſi hominem jamjam deſpondentem de electione ſui ad vitam eatenus cogaris incertum relinquere, quatenus ſciri nequit, an ipſe fidem Deo ad mortem ſervaturus ſit. At hoc negabit Adverſarius majus abſurdum, plusve deſperantem afflicturum, quam ſi eundem de ſalute ſua, quam is electioni facit ἀντίστροφον, ** propter eandem cauſſam incertum deſtituas. Et vero (ut de meo ſenſu jam loquar) pauciſſimis id

* Salutis naufragium facere. ** Contrariam, oppoſitam, adverſam.

le eſt. Neuter enim eorum, qui alias hoc nomine inclaruere, ad hoc tempus quadrat. Equidem *Joh. Conradum Goebelium*, Antiſtitem Sacrorum Durlacenſem & Seniorem Auguſtanum, cujus in *Aug. Confeſſ. Conciones* extant pluribus laudatæ, ſub id tempus, *Jenæ*, (id enim pati videbantur ætatis anni,) Theologicis ſtudiis incumbentem vixiſſe exiſtimaveram; ſed & hunc jam ante publicis muneribus fungi cœpiſſe, quam *Peuſchelius Jenam* ingrederetur, vita ejus a Vener. *Fiſchlino* deſcripta me edocuit.

a) Omnis hæc difficultas facile exſpirat, ſi probe, quod ſæpius in Scripturis N. T. uſu venit, inter electos ad *gratiam*, intuitu fidei *veræ*, DEO utique cognitæ, quam diu ea durat, & *electos ad gloriam*, quam etiam completam nonnulli vocant, reſpectu habito ad fidem *veram ſimul ac perſeverantem ad finem* usque vitæ diſtinguas, & quandoque *illos* deleri e libro vitæ gratiæ, quando fidem excutiunt, neutiquam vero hos e libro vitæ gloriæ tolli poſſe (ἐκ ὑποθέσεως ſcilicet, ſi ſint, ut conſtantes εἰς τέλος præcogniti,) autumant. Ita certe Scr. S. non refragante, immo requirente, multæ difficultates ſolvi, & omnes tricæ, quas nexuit h. l. *Ruarus*, commodiſſime extricari poterunt.

56 id in hac vita reor contingere, ut de salute sua nihil habeant metuere, cum in hac mortalitate, & hoc imprimis sæculo vehementer exulcerato, tam pronus in peccata sit lapsus: & tu, si passim id fieri posse contenderes, jam incideres tua ipsius vineta; alia igitur via cum adversario tuo ingrediaris censeo. Quod Pontificios hic obiter perstringis, non simpliciter transmittendum videtur. Si enim id propterea facis, quod negent, quenquam sine singulari revelatione certum esse posse, quod apud Deum sit in gratia, tibi quoque libenter accedo, cum non ignorem, quid Paulus apostolus de se in epistola ad Timotheum cap. IV, 7. 8. posteriore fidentissime pronunciet: sin autem, quod hominem vere Christianum, licet de fide promissorum divinorum certissime persuasum, tamen nonnihil ambigere posse dicant, an ipse conditionem promissis a Deo additam hactenus præstiterit, aut etiam in posterum præstiturus sit, rationes a te non immerito requiro, vel meæ ipsius conscientiæ causa, qui me inter eos esse fateor, qui salutem suam adhuc cum timore & tremore operantur. Evangelicos hic nihil moror, qui pulvinos sibi mollissima pluma fartos substernunt, a) ut tanto securius peccatis indormiant: illis enim præfidens animus magno pietatis compendio cœlum alieno merito vendicat, quicquid ipsi tandem agant. Dialogum Weigelii b) de Christianismo a capite ad calcem

a) Indigna est hæc homine, in Evangelica Ecclesia bene educato, edoctoque rectius, de ea accusatio. Quicquid enim sit de hominum permultorum abusione, ex accidenti, jam Apostolicæ Ecclesiæ olim infesta, doctrinæ de certitudine fidei & gratiæ *eorum*, *qui vere credunt*, extra statum tentationis præternaturalem sanctissimæ; Ecclesia tamen ipsa, & genuina ejus membra, nunquam *securitatem* hujusmodi carnalem alunt: sed *partim* veram falsamque fidem, ex fructibus sanctitatis ingenuæ animique sinceri quotidiana exploratione, ut dignoscant, solicite suos admonent, atque a deceptione fucatæ conversionis dehortantur, & hoc modo, *quod ad præsentem gratiæ statum* attinet, quoad fieri licet, perversis impiorum hominum persuasionibus obviam diligentissime eunt; partim vero, si *ad futura prospiciatur*, non aliam quam *spei firmæ*, at conditionatam tamen, nostra ex parte, certitudinem tuentur, atque hac ratione simili providentia, protervitatis occasionem, quantum possibile est, præscindunt, & cum *Petro* potius, piis sanctimoniæ genuinæ exercitiis, vocationem atque electionem quemque suam firmare magis jubent. Quod autem alieno merito salus nostra non innitatur, Christique unius satisfactione vicaria plenissimaque, ut caussa salutis haud contineatur; eaque fides, quæ in merito hoc cum πληροφορίᾳ recumbat, dispendium pietatis pariat, solide potius probare, quam aculeatis verbis traducere, par æquumve fuisset. Quibus, quum disputare heic non conveniat, *Paulli ad Rom. epistolæ* cap. VIum κατ' ἐπιτομὴν opponimus, & fallaciam accidentis tam facile, quasi argumentum sit invicti roboris, approbari, & tantopere animum Viri, de cætero non obtusi ingenii, occupare potuisse, miramur.

b) *Valentini* illius, Tschopaviensis, dum

cem percurri, magis, quia a te tantopere commendabatur, quam quod animum meum valde delectabat. Pace tua liceat efferre, quod sentio, plus ad lectionem spei attuleram, quam eruditionis inde retuli, multa ubique confunduntur, & hinc inde nullo ordine permiscentur, vix ulli sacrarum literarum dicto insistitur, ut sententiæ tam novæ, tam absonæ, probentur de unione essentiali cum Christo, quæ fiat in cœna, non tantum secundum spiritum, sed etiam secundum carnem & sanguinem corporaliter, de inhabitatione Dei essentiali, de carne Christi, non ex Adami, sed Abrahami Davidisque semine nata, ac propterea corruptionis in sepulchro experta, de fide, Christo & vita illius, item de Deo, verbo, luce, & vita essentialiter non unitis, sed unis, de justitia essentiali, per quam solam servemur, de interno verbo non per externum auditum hausto, solo spirituum judice, & id genus aliæ, quas referre piget. Non ignoro quidem, interpretatione dextra colorem hic aliquem quæri posse: sed quid est necesse, sermonis peregrini tectorio veritatem incrustare, a) cum possis divini spiritus lingua nudam & in vera specie producere, nisi sub istis involucris aliquid monstri alitur? Verumtamen utut hæc talia minime probem, existimo tamen, Weigelium hominem fuisse pium, qui tribulos & spinas morum pessimorum, in agro Domini maxima luxurie fruticantes, extirpare voluerit, sed in sarculo fortassis aut ligone aberravit: b) laudemus igitur,

57

58

viveret, in Misnia Pastoris, pietatis vitæ singulari, ut multi hodieque solent, studio, in transversum a regia veritatis Evangelicæ via abrepti: cujus *Dialogus de Christianismo* (genuinusne an spurius *Weigelii* fœtus, nunc non disputamus,) *inter Auditorem, Concionatorem & Mortem*, *Halæ* hoc anno publicatus, & cum *Ruaro* communicatus, atque a *Peuschelio* ei missus fuerat.

a) Hactenus bene, si universe hæc intelligantur. Concinit b. *Mart. Chemnitius* in Tr. aureo de *duabus Naturis in Christo* cap. XII. *Diligentia digna est pie eruditis*, inquiens, *propter concordiam loqui cum Ecclesia, ut verba fidei sint consona, ac res ipsas, sicut in Script. S. sunt traditæ & patefactæ, recte ac commode & perspicue explicent. Philosophi enim*, *sicut Augustinus* inquit, *liberis utuntur verbis. Nobis vero in Ecclesia ex præscripto loquendum est, & qui recte sentit, non autem commode loquitur, ei Augustinus dicit: Teneat mentem, & corrigat linguam.* Nec male etiam, quisquis versiculi hujus auctor est: *qui fingit nova verba, simul nova dogmata gignit:* affirmavit. Quæ tamen, cum prudentibus, non suspiciosis, Theologis dicta sint, in memoriam nobis simul verba *August. Conf.* Art. de *Ecclesia*, revocant, ubi: *Nullum esse remedium adversus sycophantæ morsum*, &: *Nihil tamen circumspecte dici posse, ut calumniam evitare queat*, jam dudum etiam observatum est.

b) Ita plures, olim certe, de eo, aliisque id genus hominibus, ἀμετρίᾳ ἀνθολκῆς, ut fieri solet, e via regia abreptis, & Chymico interdum fumo obnubilatis, sensere; *cor* nempe *bonum*, viro non malo, *haud defuisse*, sed *caput regulatum*, uti non neminem de *Schwenckfeldio* etiam judicasse,

igitur, quod voluntatem ad opus tam egregium attulerit, misereamur vero, quod aliquid humanitus passus sit. De Methe illo multo apud nos plura referebantur, ut nosti, qua illius fortuna, qua fama, fide, haud plane scio: mihi sedet illud Epicharmi μέμνασ' ἀπιςεῖν. * De fratribus crucis roseæ a) audire, quam judicare, malim: præter hunc Weigelii dialogum, si modo is partium istarum fuit, b) nihil eorum vidi, nisi epistolam unam, quæ sane montes aureos pollicebatur, sed mihi vix persuadebat; adeo obscura & inepta simul videbatur, ut legere me febricitantis somnium arbitrarer. Audio, superiore anno quendam istius farinæ hominem in Moravia Chymica quædam secreta venditasse: sed ista, non multo post, in fumum, ille, ni fallor, in Vtopiam discessit, hospite prius egregie deluso, cui Prætorio nomen erat. Ego ne Midam supplicii communitate soler, ignotæ rei judicium adhuc suspendo. Literas a Fratre, c) quarum mentionem facis, recte accepi. De scriptis Philetæ d) factum puto, quod rogas: metaphysica illius sub typis fortasse jam fervent e) Lugduni Batavorum, me suasore,

* Memento diffidere.

jam alibi diximus, existimantes. Sed ita fit, quando τῷ αὐτῷ ςοιχεῖν κανόνι negligimus, & *formam sanorum verborum*, vel plus justo, ad hominum quoque nimiam venerationem, atque Præceptorum sæpius etiam ἀκυρολογίας usque, exporrigimus, vel prorsus contemnimus, & pro ludo jocoque habemus, Iliacos intra muros & extra peccetur. Quod monitum, justis limitibus circumscriptum, non repeteremus, nisi *Weigeliana* illa, mutata licet scena, h. e. nominibus & personis, denuo nostra ætate luderetur fabula, vix aliter, quam *Vocabulario Theologico* finienda; in quo vox *Essentialis*, quæ tantam *Weigelio* invidiam conflavit, primas teneat.

a) Conf. quæ ad epist. 5. Cent. I. diximus: unde, quid de Thrasonibus istis, carbones pro auro, & pæne dixerim fumum, venditantibus habendum sit, pluribus intelligi potest.

b) Non fuit, si, quæ memoriæ prodita sunt, monimenta consulamus, Chymicarum artium particeps; Astrologiæ autem amore captum interdum delirasse, sunt, qui opinantur. Mihi ex *Lautensakii* scriptis atque schedis, prout alibi docuimus, pleraque, *quæ genuina sunt*, (aliter enim ut sentiamus, confessio ejus videtur jubere) hausisse, propriisque sibi meletematibus non semper defœcatis interpolasse, credibilius est.

c) *Joachimo Ruaro*, eadem, quæ *Martinus*, jam tunc sentiente & tuente.

d) *Ern. Soneri*; cujus de scriptis in *Hist. Crypto-Socin.* fuse actum est. Quid rogaverit *Peuschelius*, incertum quidem putamus; attamen typis ea esse subjicienda, non obscuris indiciis h. l. significari autumamus.

e) Curante *Georgio Richtero*, Lugduni Batav. tunc optimarum artium studia excolentes, quod ex epistola *Bertii* inter *Richterianas* f. 158. excusa & posita elucet. Ex qua circumstantia jam rectius, etiam ea, quæ ad *Richterum* hoc de Commentario procudendo neque castrando, uti visum erat quibusdam, sed præfatione ornando, scripsit *Ruarus*, & ibid. f. 391. seq. habentur, intelligi possunt. Quæ tamen editio, utrum successum habuerit, alibi disputabitur.

re, sed nescio, qua illius fama, postquam hæ turbæ nuper Solmonticæ a) motæ sunt, quas cum illo tempore non præviderim, vereor, ne ignem gladio nunc fodiamus. Sed jacta semel alea revocari vix potest: de reliquis consilium expectare, quam sumere præstat. Quid Sylvius b) in verbis symboli Nicæni (Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ) * reprehenderit, non memini me legere, neque nunc ejus librorum copia est, quandoquidem nec aliunde commodato sumere, nec, rebus modo nimis accisis, emere licuit: tu videris, ne fortasse negando, quod, si dextre accipiatur, concedi possit, c) crabrones irritaveris. Verba illa, qui cum Patre & Filio simul adoratur, non sunt symboli Niceni, sed a Constantinopolitana Synodo prima eidem assuta: non improbo tamen, quod hac occasione de veterum religione in fingendis fidei articulis & formulis, ex Erasmo, & illo altero d) dissserueris, ex cujus Sylvis potuisses etiam de ipso homousio alium Imperatoris & Synodi, quam est sæculi nostri, sensum exponere. Librum Philippi Nicolai, e) quem petis, apud nostros bibliopolas frustra hactenus quæsivi: alias deberem tibi istud ἀντίδωρον ** pro Grawerianis, quæ misisti. De Pericolo f) Pancomiensium g) amicorum post tuas literas multo plura a Colleto h) nostro accepi, pauciora tamen, quam vellem. Laudo Tyrbæum, i) qui se vere præstitit (ut cum Pindaro loquar) ναξίαν πέτραις

59

* DEUM verum ex DEO vero. ** Munus mutuum, donum dono relatum.

a) *Noribergæ.* Ubi *Crypto-Socinismus* ille jam detectus erat *Altorphinus*, larvaque, ut aliis, ita *Sonero* potissimum, Præceptori, post fata tandem detracta fuit.

b) Conr. *Vorstius.*

c) Ambiguitatibus verborum, *DEUM factum*, *Jesum* puta *Christum*, seu a DEO summo, patre videlicet, creatum esse, neutiquam vero ab æterno natum, concedendo. Has enim artes *Ruarus* amicos suos addocere solebat, quibus & ipse, uti supra jam docuimus, usus erat, & forte ab ipso quoque *Sonero* didicerat.

d) *Andrea Fricio Modrevio.* Hujus enim sunt, quas paullo post commemorari videas, *Sylvæ*, eo destinatæ, ut, *fuco* Lectoribus *facto*, omnis generis Dissidentes in Polonia in unum corpus coalescerent.

e) Obscurum est, quem sibi parari voluerit *Peuschelius*. Nisi forte ille, qui jam anno 1603. Hamburgi forma 8va prodierat, &: *Pro divina Jesu Christi gloria, adversus Ebioniticos Christoph. Ostorodi latratus;* inscribitur, intelligendus sit. Ipse enim Nicolai strenuus veritatis ὑπερασπιστής jam an. 1608. *Hamburgi* vivendi finem fecerat.

f) Periculo scribendum erat. Et videtur ipse filius epist. editor hallucinatus, qui nescio quid arcani sub eo nomine latere existimavit. Detecta enim clandestina illa *Socinismi* & *Socinianorum* societate, jam in periculum permulti, qui participabant ab ea, venerant.

g) *Altorphinorum fratrum* ejusdem erroris sodalium.

h) *Leimero:* De quo *Hist. Crypto-Socin. cap. II. lit. L.*

i) *Nicol. Dümlerum.* Quo de vid. l. c. lit. D.

πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαντ' ἀκόνην: * nec reliquos tamen audeo penitus damnare, cum nec de quæstione in illos instituta, nec eorum responso quicquam habeam, nisi quatenus per conjecturam colligere
60 licet, vix patuisse subterfugiendi rimam, cum Tyrbæus, sedatissimi Juvenis ingenii, confessionis ingenuitate a) fortunæ luculentæ renunciare, periculumque præsentissimum adire voluerit. Ne tamen existimes, me, turbantibus æquora ventis, e terra alterius magnum spectare laborem sine periculi parte: ecce quid ex eadem Academia duo magni viri, logicus & historicus, b) literis non minus gravibus, quam affectuum plenis scripserint. Omnis hujus turbæ Philetum c) caput, me pedem, existimari, illum hastas amentasse, me torsisse, me scilicet in academico collegio, quæ ab illo prius acceperim, vobis privatim dictasse, &, quod mireris, auditores mei nominantur, non tantum ii, quorum ego discipulus esse poteram, sed etiam Colerus d) aliquis, cum quo ego vix unquam alias, præterquam in itinere nostro Solmonticensi, e) collocutus sum. Quantum, mi Strabo, f) gauderem, nisi illi mentiti fuissent, cum sic quoque non mediocriter gaudeam, quod adeo splendide mentiti sunt: multo enim faciliorem mihi responsionem fecerunt, cum eorum, quæ intentantur, aliquid vere negare possim, & pudorem tam curiosis hariolis imperare: cætera quomodo transigam, adhuc sollicitus quæro: Hoc sane melior mea, quam tua caussa videtur, quod neminis imperio cogar tanquam ex equuleo ad certa quædam capita respondere, sed liberius evagari, g) & cum amphora cœpit institui, currente rota urceum nonnunquam effingere possim:
61 utinam regat ille calamum meum, qui discipulos vetat esse solicitos, πῶς

* Naxium in aliis saxis æreo-adamantinum cotem. Dicitur proverbialiter de iis, qui vinci nescii intrepidique sunt animi.

a) *Dümlerus* enim solus, errori pertinaciter inhærens, maluit solum patrium, ultro tamen, utut non sine perfidiæ turpi nota, vertere, quam vel latum unguem cedere, aut disputando etiam de veritate disquirere.

b) *Piccartus* & *Virdungus*. Vtriusque litteræ periere. Prior tamen quid scripserit, ex responsione *Ruari* p. p. secutura, & plenius in cap. I. *Hist. Crypto-Socin.* recusa, ubi perspicue admodum argumenta ejusdem repetita sunt, intelligi potest. Iidemque præ cæteris caussæ *Ruarum* objurgandi plus habuerant, quo majori eum & oppido familiari antea dignati erant amicitia, ac pæne hinc & ipsi in suspicionem commercii hujus improbi venerant.

c) *Sonerum.*

d) *Nicolaus Colerus*, Theol. Stud. Norib. De quo innocente omnino vid. *Hist. cit.* cap. II. extremo.

e) Noribergensi.

f) Ipsius *Peuschelii* hoc nomen erat adscititium.

g) Extra teli nimirum jactum positus.

πῶς ἢ τί λαλήσονται, * ſed eadem ipſa hora ſuggeſtum illis iri a) ſpondet, quid recte dici posſit; ille me doceat φρονήσει ὄφεων τὴν ἀκεραιότητα τῶν περιστερῶν συζυγεῖν, ** ne quid per temeritatem aut nimiam carnis ſapientiam delinquam. Vere, quod ſcripſiſti, inter ſacrum & ſaxum ſtamus, & bene quidem ageretur, ſi nos in victimam ſoli peteremur: ſed valde vereor, ut ſine ſuccedaneis hoſtiis litari posſit. Tibi ſuadeo, ſi plauſtrum omnino percellendum b) eſt, ut hoc agas manibus pedibusque, quo posſis ad cauſam coram ſenatu dicendam admitti, priusquam in exilium exigaris: ſed quoniam hoc difficulter fortasſis obtineri poterit, dum animi recenti ulcere omnem manus tactum reformidant, procraſtinandum exiſtimo c) negotium, diemque de die ducendam, donec exoſi nominis aſſuetudine æquiores judicum aures invenias. Multum in omni crimine temporis tractus poteſt, &, quod primo irarum æſtu Gyaris, aut etiam morte expiandum videbatur, ubi ille reſederit, interdum vix moleſta tunica dignum exiſtimatur. Hactenus tuas expedivi literas; nunc pauca quædam ſubjiciam, quæ iſtarum occaſione ſcribi miſſus poterant. Non dubito, quin intellexeris, qua ratione commentarium illius Turpilii d) ſenatui reipublicæ exhiberi curaverim: qua vero benevolentia dedicatio accepta ſit, malim te ex relationibus hiſtoricis ſuperiorum nundinarum 62 Francofurtenſium, e) quam ex me cognoſcere. Id tantum moneo, Theologos more ſuo lectoribus fucum in iſtac epiſtola facere, cum ſibi conſtare negant, quomodo liber hic ad ſenatum pervenerit; cum Tasſicius f) eum conſuli de manu in manum tradiderit, Pragaque ad ſe a quodam amico, cui id negotii Reuchlinius g) ipſe dederit, transmiſſum dictitarit, idemque me præſente coram uno Theologorum iſtorum repetierit. Rectius, ut opinor, feciſſent boni viri, ſi eorum, quæ

* Quomodo aut quid locuturi ſint.
** Cum prudentia ſerpentina ſimplicitatem columbarum conjungere.

a) Vtut pesſimæ verba hæc cauſſæ accommodentur; reſpondit tamen, quod l. c. cap. III. oſtendimus, ſi non ſancte, ſaltim callide, ita ut ſine periculo etiam *Argentina* elaberetur.

b) Sic enim procul dubio ſcripſerat *Peuſchelius*; in patriam ſe, cum cæteris, retrahendos vehiculo impoſitos eſſe. Eventus certe omen aut famam comprobavit.

c) En novas fraudes: unde, quid de jactata toties pietate horum hominum habendum ſit, facile eſt exiſtimare.

d) Ad *Fauſti Socini* Comment. in *epiſt. Johannis Senatui Argentoratenſi* dedicatum, hæc ſpectant.

e) Velim & hac de re conſulatur *Hiſt. cit.* cap. II. ad lit. S.

f) De quo vid. epiſt. ſequens Xma.

g) *Valent. Smalcius:* Qui quare ita dictus ſit, explanatum eſt in Diario *Vitæ Smalcianæ* ſub initium.

quæ adeo ſibi improbari dicunt, refutationem ſuſcepiſſent: ſed fortaſſe difficilius eſt, adverſarium refellere, quam criminari, iis præſertim, qui non nimium in diſputando ſunt exercitati, aut certe parum ſibi fidunt. Affirmo tibi, toto eo tempore, quod hic egi, nullam, quod quidem intellexerim, diſputationem a Theologis habitam publice fuiſſe, niſi quod Taufrerus a) in collegio quidem publico, ſed non tamen, niſi certos quosdam juvenes, ex auditoribus ſuis argumentando reſpondendoque exercet, cui quod nomen meum nondum dederim, cauſam non unam habeo: Diſputationes Theologicæ paulo crebriores ſunt, quarum uni προβληματικῶς * ex Tacito deductæ nuper me ingeſſi, & præter cætera, de adulterii pœna, quam hic Theologi ad Moſaicæ legis ſeveritatem revocare, conantur, ex capite Joannis octavo, ſatis acriter b) diſſerere cœpi, ſed iniquitate temporis filum abrumpere

63 coactus ſum. Alias exigua, imo nulla fere divinæ veritatis propagandæ occaſio mihi fuit, c) cum paucis hactenus innotuerim in urbe vaſta, per quam diſperſis rarior ad amicitiam coitio: nunc tamen paulo melius ſperare incipio. Incidi nuper in bonos quosdam viros, quos Badenſium d) nomine ſæpius incaſſum quæſiveram, qui de Deo, perſona officioque Chriſti, de cœna Domini, de baptismate, aliisque religionis partibus, quarum mentionem feceram, idem cum Campanis e) amicis ſentiunt, licet eorum propemodum ignari, homines alias ſimplices, & pietatis valde ſtudioſi: duo inter eos fulloniam faciunt, pater & filius, duobus aut tribus ab urbe paſſuum millibus, tertius iſtius patris, quem dixi, frater, nuper balneator, nunc cereviſiæ coctor, in ipſa civitate habitat, omnes, ut audio, mediocri in re; interrogati, unde opiniones huic cœlo tam inuſitatas ipſi imbibiſſent, reſponderunt, ſe poſt accuratam quorundam ſcripturæ locorum examinationem, ardentesque preces, Bernhardi cujusdam, fabri quondam ærarii, quem ab Helvetiis fratribus inquiſitorum metus huc egerat, opera plurimum profeciſſe,

* In quæſtionis modum, problematice.

a) *Jo. Taufrer.* D. & P. P. Theolog. Argentorat. nuperrime honores Doctoris confecutus, & anno 1617. d. 8. Octobr. pie defunctus.

b) A cæteris autem, uti paullo dictum eſt, abſtinens, ne mature nimis detecto animi ſenſu, quo minus priſtinæ opellæ, ſicuti *Altorphi* factum, vacare poſſet, prohiberetur. Hæc enim de pœna adulterii quæſtio pervulgata erat & inter omnes trita.

c) De quo, præter opinionem, eventu querimoniam adhuc notabiliorem, in ſinum *Richteri* effuſam, vid. in epiſt. ad eum *Argentorato* data priori, quæ epiſt. Richterianarum f. 387. extat.

d) *Anabaptiſtarum.*

e) *Polonis.*

profeciſſe, habuiſſe etiam neſcio quid libri Veronæ a) formis deſcripti, Smiglia fortaſſis allati, & propterea Martianos b) a nonnemine vocatos eſſe, quod convitium ipſi tamen nequaquam agnoſcerent, tutiore Badenſium nomine contenti. Dedi ipſis legendas Paſchaſii inſtitutiones c) & catecheſin Veronenſem, d) ut tanto melius, ſi quid 64 noſtrum improbaverint, cum illis agere poſſim. De complicibus eorum nihil habeo, niſi quod de uno adhuc mihi confeſſi ſunt: cum plus comperero, faciam, ut juxta mecum ſcias. Fuchſium illum, cujus in literis ad Colletum e) mentionem injeceras, nondum novi, dabo vero operam, ut cum illo neceſſitudinem contraham, ſi qua poſſim. Id quoque celare te non poſſum, Martianum f) quendam in Anglia Regis juſſu exuſtum eſſe, quod ex epiſtola dedicatoria, quam Caſaubonus exercitationibus ſuis contra Baronium præfixit, didici: quo cum facto velim te conferre epiſtolam quandam Conſtantini Magni, cujus ille Rex ſimilitudinem alias affectat, quæ extat apud Socratem Scholaſticum in Eccleſiaſtica hiſtoria ad Alexandrum & Martium g) ſcripta (l.1.c.7.) Hoc etiam miror, talem Regis zelum Caſaubono placere, quali ille ante quadriennium optimum virum, Petrum Bertium, igni pariter devovebat, propter libellum Chriſtianiſſimum de Apoſtaſia ſanctorum, h) quem tamen idem Caſaubonus vehementer probat, & ex veteris Eccleſiæ ſenſu ſcriptum judicat, ut ex illius Epiſtola, quam iteratæ editionis præfationi Bertius inſeruit, dum in bibliopolio obiter aſpicio, non ita pridem cognovi. Sic igitur magni quoque viri ſuis aut aliorum affectibus ſerviunt, ut minus tanto debeamus animo conſternari, cum eos aliquanto nobis iniquiores habemus. Placeamus 65 modo Domino Jeſu Chriſto, qui venturus eſt judicatum ſine odio aut

Hhh livore

a) *Racoviæ.*

b) *Arianos.*

c) *Chriſtoph. Oſtorodi Inſtitutiones Germanicas*, utpote quas latinam linguam non callentibus *Anabaptiſtis* tradi, quam commodiſſime poſſe, *Ruarus* exiſtimabat.

d) *Racovienſem:* Præter *Polonicum* idioma, quo primum conſcriptam eſſe conſtat, anno 1612. Germanice etiam evulgatam, & *Acad. Witteberg.* quod alibi jam dictum eſt, ut vel hinc tanto facilius fallerentur Lectores, dedicatam.

e) Supra jam commemoratum & ſero detectum *Leimerum*, mercatorem Noribergenſem.

f) *Arianum.* Qualis hæc fuerit exuſtio, niſi fallor, pluribus in Notis ad *Peuſchelii* Confeſſionem, Supplement. n. 5. expoſui.

g) *Arium*, hunc Diaconum, illum Epiſcopum: inter quos primum de *Arii* illa ſententia perquam funeſta diſceptatum erat acriter.

h) Eundem, quem ſupra dictum eſſe *Hymenæum* obſervatum eſt; ubi hunc quoque titulum eum præferre, jam monuimus.

livore vivos & mortuos, cui te, mi Strabo, ex animo commendo. Platæis a) pridie eid. Jan. Juliani anno cIↄIↄcxvi.

X. b)
M. RVARVS c) JOHANNI COBIO. d)

EGo quidem jam Smigliæ e) ſum, majoris Poloniæ oppido, unde brevi Racoviam progreſſurus ſum, aut cum nobiliſſimo Slichtingio, aut cum magnifico viro Brzezinio f) qui Petricoviam g) ad advocationes ſuas, quibus inter omnes Polonos unus excellit, tendit, & exinde me Racoviam devehendum curabit. De reliquo itinere noſtro ſcribet ad vos ubertim Vogelius h) comes meus, quamprimum in Germaniam i) redierit, quod cis nundinas Lipſienſes futurum eſt: Racoviæ per hanc hiemem futurus ſum. k) De conditione ulteriore valde ſum adhuc incertus. Nam illa, quam mihi generoſus juvenis Taſſicius veſter l) aperiebat, valde vereor, ut obvenire mihi poſſit: eam enim, ut reverendus mihi Smalcius dixit, accepit anni quadrantem juvenis quidam doctus natione Vngarus, quem ille ſperabat jam ad religionis noſtræ cultum adductum eſſe, vel propediem adduci posſe; quod ſi ſit, mihi certe Chriſtiani hominis eſſe non videtur, ut ego 66 fratrem fortunis ſuis evertam, præſertim adnovitium, qui fortaſſis eo meo facto offenſus ad priſtinam religionem rediturus eſſet. Mittam

a) *Argentorati.*

b) Antequam hæ legantur epiſtolæ, quæ ſequuntur quatuor, præmittenda eſt *Moſcorovii* ad illud ſuſcipiendum iter invitatio ſeu epiſt. Cent. II. n. 34.

c) Scripta eſt hæc epiſtola in eo, quod clam omnibus aliis fratribusque h. e. ſociis ejusdem, in religione, mentis ſolis haud ignaris, in *Poloniam* ſuſceperat, anno 1614. itinere, & prima fuit inter omnes, prioribusque quibusdam præmitti debuiſſet.

d) Amiciſſimo *Ruari*, Juris h. t. utriusque Studioſo *Altorphino*, de quo vid. *Hiſt. Crypto Socin.* cap. II. lit. C.

e) Vbi cœtus erat Vnitariorum ſatis frequens, cujus in gratiam Eccleſiam & Scholam primum *Andr. Dudithius* fertur erexiſſe, quæ hoc tempore adhuc ſupererant non ſine aliorum faſtidio.

f) Integrum nomen &c. exhibet ep. 17.

g) Ex tribunali hujus urbis celebritatem, non eſt, cur prædicemus. De *Brzezinio* aliquoties in *Diario* egit *Smalcius.*

h) Qui *Smigliam* usque cum *Ruaro* clam progreſſus eſt.

i) *Wittebergam* nominatim, quam ſibi ſtudiorum ſedem, fratribus ita diſpenſantibus, delegerat. conf. epiſt. 11.

k) Ibidemque etiam tamdiu commoratus eſt *Ruarus*, donec ſequente demum anno *Altorphium* reverteretur.

l) Sic dictus eſt *Daniel* ille *Taszyky a Luclavice*, partim propter communem civitatem Academicam, in quam *Altorphium* adventans, ſub veris initium receptus erat, partim propter ſocietatem fidei. Erat enim *Socini* partibus vehementiſſime deditus, & a parentibus eam hæreſin cum lacte materno hauſerat. conf. *Hiſt. Reform. Polon. Lubieniecii* L. III. c. XV.

tam quidem istuc, quamprimum potero, ipsius Danielis literas, a) nec tamen oblivifcar, quid mei sit officii: id quod ipsi vestro Tassicio meo nomine renunciare potes. Alias mihi non modo gratissimum, sed & utilissimum foret, si ea conditione frui possem: imo vides ipse, quam inepte rebus meis prospiciam, quod certam fidem, quam habebam in manu, apud vos relinquens, incertas hic spes longo ambitu sequar. Quocirca velim, si fieri possit, ut Burgstorphium b) blandissimis mihi verbis places, & moram ipsi meam optimis rationibus excuses: quod si meo nomine nihil obtinere poteris, voveo, ut tu saltem cum ipso Argentinam proficiscaris. Levius certe feram infortunium meum, si cognovero, tuas res inde meliores factas: sed hoc oporteret te quamprimum ad me Racoviam rescribere, ne vana spe lactatus, quod Saxones mei proverbio dicunt, inter duas sellas in cineres subsideam. Fratres omnes c) meo nomine saluta, & ad mutuam pietatem exhortare: debuissem ad omnes singulatim scribere, sed non potes credere, quam molestum sit, in hoc desultorio vitæ genere, quamdiu in itinere sumus, vel calamum ad pingendas literas admovere. Quapropter rogo, ut hanc meam ῥαθυμίαν * excuses, imprimis apud Peuschelium nostrum, qui fortassis integrum jam a me librum 67 expectat, quo respondeam d) variis illis quæstionibus, quibus olim torquebamur. Non fallam votum illius, quamprimum integrum mihi fuerit, plenissime omnia scrutari, quod vix fiet, antequam Racoviam venero: nec enim tyronem aliquem Theologum, hic requiro, sed plane veteranum Smalcium, e) cum quo vix unico biduo mihi versari hactenus licuit, atque illo quidem inter publicas occupationes extracto. Vale mi Cobi. f)

XI.
M. RVARVS JOACHIMO RVARO. g)

Literas has ad te Smiglia mitto, mi Frater, Majoris Poloniæ oppido, unde

* Negligentiam.

a) Ejusdem, quem paullo ante nominavimus *Tassicii*, a quo commendatitias acceperat.

b) Ejus, cujus ephorus fuerat, quemque spe maturi reditus confirmatum *Altorphii* reliquerat *Ruarus*, & *Cobio* interea tradiderat gubernandum.

c) Ejusdem hæreseos socios, *Altorphi* h. t. collectos.

d) Respondit non multo post prolixa epistola, quæ Cent. II. hujus locum 17. occupat.

e) Et quidem in *Mæstichiano* prædio, quo Synaxeos habendæ caussa, ex more, *Racovia* excurrerat: cujus digressionis & ipse in Diario ad annum 1614. nisi me memoria decipit, meminit.

f) Scripta est epistola hæc anno 1614. medio fere autumno.

g) *Rostochium*, sine dubio, quo cogita-

unde brevi Racoviam usque progrediar, ubi, Deo volente, hibernaturus ſum, proximo autem vere, niſi quid aliud intervenerit, Altorphium redibo, & cum Burgſtorphio meo, quem interea Oneſimi a) noſtri fidei commiſeram, Argentinam proficiſcar, prout tutores ipſius juſſerunt. Itineris mei comites Jena Meſeritium usque duos habui Matthiam Rhawium, b) qui Racoviam mecum tendit, & Joannem Vogelium, qui, ſalutatis Meſeritii fratribus, Witembergam redibit, totiusque itineris noſtri hiſtoriam ad te perſcribet: ſic enim rogaveram, propterea quod mihi in itinere ſatagenti vix vacaret longas epi-68 ſtolas texere, præſertim cum tam multæ mihi ad varios ſcribendæ forent. Supellectilem tuam per Colletum c) Roſtochium ego miſi, additis ad Theodorum Buſſium literis, a quo te ſpero omnia recte accepturum eſſe. Petivit a te, quantum poſtea intellexi, Colletus, ut Coronæo d) noſtro vecturæ pretium perſolveres, quod factum eſt non tantum præter voluntatem meam, ſed etiam contra interdictum. Si tamen hactenus pecunia mediocriter abundas, non veto, quo minus Groo e) quinque florenos illos dependas, quos ipſos tamen de meo tibi refundam, quamprimum cognovero, quo animo parentes erga me ſint affecti. Ego nunc quidem non adeo tenuiter ab ære ſum inſtructus: ſed quia longum tamen adhuc iter mihi reſtat, peculii loco in omnem caſum libenter aliquid mihi reſervo, quo tibi alias ſatisfacere poſſem. Sed velim tamen hoc tibi perſuaſiſſimum eſſe, me tibi nunquam defore: tu modo ſtudia literarum ea animi contentione, qua cœpiſti, pertexe, & imprimis pietatem in Deum f) mordicus conſerva; de cætero noli eſſe ſolicitus. Ego videbo, ut aut conditionem tibi aliquam parem, ut aliena quadra vivere poſſis, aut totum tibi

verat *Altorphio* egreſſus, jam devecto, Germano *Martini* fratri, & *Socini* inter aſſeclas ſimiliter nomen ſuum jam profeſſo.

a) Cum cætera ex ſuperiori epiſtola facile repeti poſſint, *Oneſimi* tamen nomine non alium, quam ipſum illum, ad quem priores litteræ perſcriptæ erant, *Cobium* intelligi, monendum eſt.

b) De hoc *Transſylvano*, Socinianarum itidem partium homine, jam ad Cent. I. epiſt. 84. quædam annotata ſunt, & in hac Cent. II. n. 47. denuo monebuntur.

c) *Leimerum* illum, cujus in præcedenti epiſtola 9. mentio facta erat, *Socinianorum* in rebus hujusmodi, quæ a mercatoribus expectari poterant, curatorem & adjutorem benevolum.

d) *Paullo Groë*, qui qualis fuerit vox: *noſtro*: addita docet. vid. *Hiſt. Crypto-Socin.* cap. II. lit. G.

e) Idem hic eſt, qui ante *Coronæus* appellabatur κρυπτικῶς.

f) Non aliam puto, quam quæ ad *Socini* mentem formari cœperat; a qua ne fratris *Ruari*, cujus maxime ſuſtentabatur liberalitate, beneficiis privaretur, *Joachimus* vix auſus eſt recedere.

tibi patrimonium meum rescribam, quod quidem non est amplum, sed quantulumcunque tamen est, poterit tibi, juncta hæreditate tua, per aliquot annos ad victum sufficere, donec aliunde tibi prospiciatur, modo parce sumptum facias, quod scio te neglecturum non esse. Me vide, imo Deum, qui cum te creaverit, idem etiam alimenta suppe- 69 ditabit. Interea sedulo te hortor, ut omnem moveas lapidem, quo Petrum illum nostrum, non sanguinis tantum, sed & religionis communione fratrem a) nobis efficias. O jucundum illum diem, & creta notandum, quando nuncium hoc a te accepturus sum! Literas, quas ad me daturus es, mitte modo ad Vogelium, b) aut ad Colletum: c) uterque enim dabit operam, ut illas Racoviæ accipere possim. Hoc tamen scito, me permisisse Cobio, ut, quæcunque literæ mihi inscriptæ Altorphium venerint, eas ipse resignet, & exemplum tantum ad me mittat: itaque nolim, ut quicquam inscribas ipse, quod a fratribus legi nolis, donec ipse Altorphium rediero. Literas, quas vides, mitte ad parentes, sed post aliquot menses, tempore ex subscriptione capto: finxi enim d) illas, tanquam in Novembri datas, ne sentiscant parentes me in Poloniam discessisse. Dederam alias longissimas ad ipsos literas ante mensem, quibus spero me animum ipsorum a suspicione avertisse: quanquam nihil contra verum dixerim, omnia pene extra rem. Adsit mihi Deus Opt. Maximus, cui te quoque, frater oculissime, commendo. Salutem plurimam adscribo Petro fratri, & aliis, quoscunque mihi favere cognoveris. Vale, mi Frater, o animæ dimidium meæ. e)

XII. 70

M. RVARVS JACOBO SIENIENSKI f) A SIENNO, PALATINIDÆ PODOLIENSI.

CVm ita poscat rerum mearum status, ut Racoviam tuam te cogar absente relinquere, casu magis quam consilio meo, qui te tamdiu, cum

a) Hoc est, *ut ad Socinismum quoque pellicias, cura.* Qui utrum domum redierit interea, dum hæc agebantur, incertum est. *Altorphio* jam tunc abiisse, non dubitamus. Forte & ipse *Rostochium*, tædio fraternæ ad hæresin defectionis, maturrime reversus erat.

b) *Wittebergam.*

c) *Noribergam.*

d) Egregium pietatis in DEVM, cujus imaginem parentes gerunt, tantopere antea commendatæ, documentum! Hosne tam petulanter fuco non uno facto, & deliberato consilio excogitatis fraudibus decipere decebat?

e) Et hæ litteræ simul cum prioribus exaratæ sunt sub autumnum anni 1614., & quidem, quod etiam circumstantiæ docent, perinde ut illæ, in *Polonia.*

f) *Socini* doctrinam itidem approbanti & sectanti, cæterorumque ejus asseclarum patrono primario; cujus etiam patroci-

cum discederes, emansurum non speraveram, non metuo sane, ne quis me malorum nominum similem dicat, quæ cum tantum æris alieni contraxerunt, cui non sunt solvendo, captato nonnunquam tempore per creditorum absentiam fuga se liberare solent. Quanquam enim ingentibus me tuis beneficiis obæratum fatear, quibus, ne parem gratiam referam, fortunæ tuæ magnitudine, & tenuitate meæ satis effectum est, non erat tamen, cur propterea flagitatoris vultum pertimescerem, cum tecum mihi res sit, tam benigno creditore, qui non soleas in calendario scribere beneficia, quorum tantum abest, ut mercedem petas, ut vel statim, postquam in aliquem ea collocasti, velles oblivisci, nisi te recte facti memoria, quam optimum virtutis præmium sapientes putant, delectaret. Quo fit, ut tanto quoque minus laborandum mihi putem, in inveniendis verbis exquisitis, quibus tibi nunc absenti per epistolam gratias agam. Præterquam enim quod id nimis inique comparatum esset, si, quod re mihi benefactum est, verbis 71 exæquare vellem: parumne constat, te, qui conscientia factorum tuorum contentus animum ab omni vero quæstu tam alienum geris, inutile verborum auctoramentum illis facile relinquere, qui gratias ad ambitionem prostituunt, & liberalitatem suam tumidis inanium assentatorum laudibus venalem habent. Nec tamen defutura reor ingenia, imo jam sunt, quæ virtutes tuas immortalibus laudibus ad posteritatis memoriam transcribunt, quanquam in hoc uno non satis tibi morigera, quod injuriam pudori tuo faciant, cum te, quem diutissime vivere vellent, desideriis gliscentibus eo honore afficiunt, qui post mortem bene meritis evenire solet. Ego vero, licet nemini quidem in tui cultu concedam, utpote, qui tibi plus etiam, quam alii beneficiarii, a) me

nio *Racoviam*, quæ tota imperio hujus potentissimi ditissimique Satrapæ parebat, hæc secta, inde ab initio hujus seculi, insedit, Ecclesiamque collectam mediocris amplitudinis illic in templo publico placita *Socini* inde ab initio seculi XVII. libere docuit, inque Gymnasio pubem scholasticam erudivit magna illuc frequentia concurrentem. Valedictoria de reliquo hæc est epistola, quæ absenti *evergetæ*, (in cujus aula liberaliter sustentatus fuerat, dum *Racoviæ* vixerat) per litteras summas demissasque pro beneficiis acceptis gratias egit *Ruarus*. Facultate de cætero dicendi & verborum copia quantum valuerit, demonstratum dedisse hac mutila licet heic excusa scriptiuncula gratum hospitem, nemo, credo, qui vel superficarie eam perlustraverit, diffitebitur.

a) Ignotus enim erat & peregrinus, atque sine spe operæ ipsi præstandæ ad suos post longam tamen moram & semestre fere spatium rediturus. Tantoque majus fuit beneficium, si, quod aliunde colligo, non sumtu tantum hujus patroni sustentatus est, sed, ad mensam quoque ejusdem convictu quotidiano *Ruaro* frui licuit. vid. *Libell. Memorial. Valent. Smalcio* traditum Cent. II. n. 16.

medebere fatear, non audeo tamen amplissimum laudum tuarum campum ingredi, te spectante, ne si quid minus pro dignitate tua dixero, non tam sermonis inops, quod de me facile concedo, quam judicio destitutus, qui virtutes tuas, quantæ revera sint, expendere non potuerim, aut si potuerim expendere, nec tamen oratione satis explicare voluerim, malignus videar. Interim hoc tibi nihilominus persuasum velim, me quantum aliis, ad laudes tuas efferendas, ingenio minor sum, tantum animo conniti, ne tamen prorsus indignus sim, cui tu tot beneficia conferres: grave nimirum est ingrati crimen animi & in hospite quidem tantum, ut id antiquorum nonnulli stigmate quoque notandum duxerint, credo, quod sicut animalibus quibusdam, quæ nativam mansuetudinem generis feritate corruperunt, malitiæ signum appendimus, inusto signo censuerint indicandum, quo sibi quisque posthac ab eo caveret, qui sanctissimum inter homines jus, quo peregrinorum . . . . temerasset. Hoc igitur crimen dum studio summo conor evitare, munusque dignum cogito, quod tibi, licet minime petenti, mea sponte offerrem, in mentem mihi venit, quod apud summum quendam virum, qui patrum memoria floruit, legere memini, ea, quæ Deo & viris summatibus offeruntur, apta esse magis oportere, quam æqualia. Deo vero nullum aptius munus, quam animum hominis esse, non tantum sacræ testantur literæ, sed & ratio docet, cum reliqua, quæ nostra vocamus, usu potius, quam mancupio, nobis fuerint concessa, animos vero quodammodo extra suum jus ipse Deus esse voluerit, ut, quod tanquam suum illi debebamus, ad nos translatum libere reddendo, pietati locum haberemus, quæ, si non esset in potestate nostra, virtutis nomen amitteret. a)

72

XIII.

M. RVARVS JOANNI CRELLIO b)

73

QVæ de itinere meo c) jam ad reverendum & clarissimum virum Valen-

a) Imperfecta, hæc epistola ex prima tantum & rudiori patris elaboratione, quæ sola supererat, a filio edita, conscripta est *Cracoviæ*, ubi post varias amicorum visitationes in reditu peractas, aliquantisper hærebat *Ruarus*. Annum autem scriptionis post *millesimum* & *sexcentesimum*, *decimum & quintum*, fuisse nuper inchoatum, ex rationibus temporis itinerisque reliquis, inprimis vero ex reditu in Germaniam effici potest.

b) In *Jacobi* ejusdem *Sieninii*, Palatinidæ Podoliensis, aula nullo hucdum munere vel privato solum onerato, utcunque adhuc viventi, & sola hujus patroni munificentia sustentato, otiumque, quod habebat, inde ab adventu e Germania ad profectum majorem *Smalcii* & *Stoinii* familiaritate in opinionibus præceptis infeliciter adhibenti; donec anno 1616. in *Paulli Krokierii* locum, qui cum juvenibus *Polonis* peregre abiit, subrogatus & *Rector Gymnasii* creatus est.

c) Ex oppido *Racoviensi* aliorsum su-

Valentinum Smalcium ſcripſit, non repetam apud te, mi Frater: noſti ſtomachum meum, cramben recoctam non libenter ipſe comedo: cur igitur aliis apponam, præſertim tibi, qui videris mei ſimilem habere guſtum, niſi quod eruditius ſapias. Curſim quædam attingam & quaſi deſultorio calamo, quæ illic neglexi. Czarkoviæ a) duo Fricianarum Sylvarum b) exemplaria nactus ſum a Piſtorio: c) proinde non eſt, quod fidem illius amplius appelles. Magnæ mihi voluptati fuit Czarkoviam videre, locum, quem Domino ſuo Hieronymo Moſcorovio dignisſimum dicerem, niſi alius in cœlo dignior illum maneret: locum, inquam, quem natura elegiſſe videtur, in quo vires ſuas experiretur, prata, arva, ſylvulæ, colles, valles, apiaria, horti, flumen, ſpes etiam vineæ, ſingula pulchra, cum varietate pulcherrima, Poloniam beatisſimis aliis terris exprobrare posſint. Priusquam Czarkoviam venirem, Schidloviam & Wisliciam tranſivi: de illa non eſt neceſſe quicquam ſcribere; hujus ego fortunam dolui, quod ingenium loci civium induſtria non adjuvetur, cum, quantum per noctis jam gliſcentis crepuſculum judicare potui, propugnaculum ibi fortisſimum in mediis aquis & paludibus conſtitui posſit, ad quod prius, natura victa, deportandum bellum, quam nocere posſit. Altera nocte, 74 poſtquam a vobis digreſſus ſum, Proſſowicii d) fui, ubi, multus mihi cum hoſpite de religione ſermo, præſertim de Jejunio Pontificiorum: promiſit homo, ſe Racoviam aliquando diſcendi cauſa venturum, & faceret credo, niſi pluris illi Mater foret Eccleſia, quam Pater Deus. In eodem itinere cum Rabbino e) quodam Judæo diſputavi, homine ſupra gentis ſuæ conſuetudinem ſatis cordato, & qui plura mihi, quam ſperaveram, largiebatur, fuiſſe Dominum Jeſum hominem non malum in vita, niſi quod præcepta quædam a Moſe data violaverit, feciſſe miracula

ſcepto, & reditus ad ſuos, quos *Altorphii* reliquerat, initio.

a) Oppidum illud, ſeu pagum ſpatioſum toties jam deprædicatum, & non longe a metropoli *Poloniæ* minoris *Cracovia* diſtans, non tantum ideo videtur ingresſus, quod *Hier. Moſcorovii*, fratribus cunctis inprimis venerandi, eſſet, maximam partem, patrimonium & municipium, ſed etiam propter cœtum *Socinianum*, qui patrono hoc præeunte numeroſus illic præ cæteris collectus habebatur. Qui cœtus etiam diutiſſime, & quidem adhuc an. 1655. ubi *Svecici belli* tempeſtate expulſus eſt, *Wiſſowatio* Paſtore, ſuperſtes fuit.

b) Libri ſæpius laudati, & ab *Andr. Fricio Modrevio* compoſiti, dulci pacis nomine placita *Sociniana* commendantis.

c) *Simone Piſtorio*, Opolienſi Sileſio, Eccl. Socin. Czarkovianæ Miniſtro, *Crellii* non diu poſt facto *ſocero*.

d) Oppidulum id eſt inter *Wisliciam* atque *Cracoviam* ſitum, & *Cracoviæ* ipſi admodum vicinum.

e) Qui ſunt in *Polonia* paſſim obvii, tanquam *Judæorum Paradiſo*.

miracula naturæ curſum ſuperantia, & quidem virtute divina; a) quibus conceſſis, quid ego deduxerim, facile cogitare potes: ille tamen ſemper, quamvis alieno loco, regerebat, non ea feciſſe Jeſum miracula, quæ per Meſſiam edi debebant, de quibus pauca adhuc quædam locutus, ſermonis filum abrupit, cum negaret, rem illam ſine prophetarum libris, quos in promptu non habebamus, diſputari poſſe. Poſtquam Cracoviam veni, linguam metu conſtrinxi, b) non tamen oculos, quos ad ſatietatem ſpectando jam fatigavi. Vrbs ipſa ſatis mihi pulchra viſa eſt, non tamen adeo magna: nam intra horam, quantaquanta eſt, totam lento paſſu extra muros circuivi. Si tamen adjungas ſuburbia illa, Stradomiam, Caſimiram, Civitatem Judæorum, & Clepardiam, fateor, ſatis eſſe vaſtam, & quæ Norimbergam quoque noſtram c) magnitudine ſuperet. Templa multa quidem aſpexi, nullum niſi Marianum hactenus inſpexi, idque pomeridiano tempore, cum nullum a ſacerrima miſſa periculum auribus aut oculis meis obviaret. Heri quoque Judæorum ſacris interfui: lauro, mi Frater, opus erat, quam morderem, ne præcordia ſalirent ad riſum. Præcinebat unus aliquis voce tam eleganti, ut exiſtimares, Stentorem Græcos ad certamen evocare, cui reliqui fracta voce primum reſpondebant, quæ paulatim ſumptis viribus & incaleſcentibus animis in tantum clamorem erumpebat, unoquoque diſſono boatu, ne videretur alterum æmulari, vicinum increpante, ut putares, in ebriam te ruſticorum turbam, dum bacchanal exercent, incidiſſe. In medio Synagogæ locus erat editior, cancellis ferreis cinctus, in quo quatuor aut quinque, d) reliquis fortaſſe honoratiores, prope menſam columnæ appoſitam verſabantur. Parietibus ab omni parte literæ quædam hebraicæ

75

 braicæ

a) Vix credibile eſt, ſerio hæc faſſum eſſe Judæum, qui uno ore ſceleratiſſime ſervatorem optimum magiæ accuſant, & in *Gemara Bab. Sanhedr.* f. 43. (a) lin. 35. ſq. eam cauſſam crucifixionis fuiſſe, palam & ſine tergiverſatione tradunt. Niſi forte tanta hujus *Rabbini* modeſtia fuerit, ut Kabbaliſtica arte, miracula iſthæc patrata eſſe, crediderit. Vtut ſit; nimis tamen credulus fuit *Ruarus*, qui *divinam* virtutem abſque fraude Judæum hunc Chriſto tribuiſſe exiſtimavit.

b) Ea videlicet fata formidans, quæ *Socino* ipſi gravia olim fuiſſe, & pæne vitæ eum periculo ſubjeciſſe, ex quibus vix ac ne vix quidem emerſit, noverat.

c) Ob vicinum *Altorphium*, cujus Academiæ uterque civis erat, ſic h. l. dictam. Neuter enim eam ut patriam, quod conſtat, venerabatur; etſi maximam partem educatus ibi *Crellius* fuerit, *Helmezheimii* natus.

d) Sine dubio, ex more ad prælegendam legis ſectionem, in Almemar ſeu *Bima* h. e. umbone, evocati. Synagogam autem hanc in *Caſimirienſi* ſuburbio ædificatam eſſe, non eſt, cur moneamus.

braicæ inſcriptæ erant. Id mihi mirum fuit, quod nec Imagines, quas alias in Pontificiis Judæi execrantur, deerant; videbam enim eo loci, ubi decem illa verba picta dicebantur, & roſas quasdam in medio, & coronam ſupra ſculptam aureoque colore tinctam; aliaque vermiculata emblemata, a) quibus pictorum & ſculptorum ars laſcivire ſolet; 76 qua de re cum vicinum meum cubito tangens interrogarem, nihil aliud reſponſi tuli, quam quod, niſi lolio victitarem, jam antea videre poteram, ita factum eſſe, ſed hic, ut audio, reſpondendi mos eſt eorum, qui, cum Rabbini non ſint, nihil ſcire jubentur, & idcirco jure quoque de religione loquendi carent. Fœminis diſcreta ſunt a viris conclavia, non malo fortasſis fine, ne pii de lucris ſermones, quos meis auribus interdum uſurpabam, fœminarum aſpectu violentur. Illud ridiculum, quod, cum ſatis adhuc eſſet diei, centum fortasſis accenſi cerei lucem, quam gratis habere licebat, pretio ſpargerent, ut non immerito cœci pasſim audiant Judæi, quibus ſol ipſe ſatis lucere non videtur, ſed adhuc candelis ardentibus opus eſt, fortasſis ad Mesſiam vana expectatione, poſt Jeſum Nazarenum, quærendum. In arce regia fui quidem, ſed interius conclave nullum ingreſſus ſum. Templum arcis intraturo infauſtum omen occurrit ſacerdos, b) cujus vocem oculosque reveritus pedem represſi. Armamentarium a Sigismundo primo conſtructum exterius aſpexi, in pœnam ignorantiæ meæ, quæ mihi ſermonis commercium cum illis, quorum ope multa penitus luſtrare poteram, invidit. Si Hernwirtii audaciam haberem, jam collegium c) quoque ingrederer, idque tanto magis, quia tam liberaliter ingredientibus in illius fronte rectum conſilium, cujus valde inops ſum, promittitur. Cum hucusque ante triduum ſcripſiſſem, 77 iterum ex eo, varieque oberrans, templa, quotquot reperire potui, luſtravi, etiam illud in arce, a cujus foribus mala me quædam avis d) infelici cantu rejecerat. Erat ſane viſendum illic cumprimis ſacellum Sigismundi primi, ex pulchro lapide ſatis affabre factum, deſuper inauratum, in quo monumenta quædam aſſervantur: erat in eodem templo cujusdam divi, ut illi vocant, Stanislai e) ſepulchrum, juxta altare

a) Etiam *leonum* & aliarum beſtiarum, ad parietes rudiori Minerva depictarum. Quam frigide autem conſvetudinem hanc excuſent, non ſine riſu, quoties in mentem ejus rei venit, recordor.

b) Sacra, ut conjicio, portans myſteria, ſeu panem conſecratum.

c) *Academicum* forte, aut *Jeſuitarum Collegium:* quos in Academia primas etiam ibidem tenere, in vulgus notum eſt.

d) Idem ille, de quo ante, niſi fallor, Sacerdos, conſecratum panem geſtans ſubinnuitur.

e) Sancti illius *Poloniæ tutelaris, Epi-*

altare ex argento ſolidum: ibidem omnia vexilla ab hoſtibus ablata ſuſpenſa cernuntur. In alio quodam templo vidi ſtatuam ex ligno in formam hominis aſino inſidentis, a) quam & Saturni & Solis die proximo per forum traxerunt, ingenti cum pompa virorum, imprimis ſacerdotum ſequentium, puerorumque præcedentium cum ſtolis albis, manuque ſculptos pictosque quosdam bacillos in vicem palmarum præferentium. Denuo, Judæum quendam concionantem audivi, noſtra quidem, ut videbatur, lingua, ſed ad quam intelligendam interprete mihi quodam opus fuiſſet. Oſtenſus eſt mihi quoque tumulus Craci, b) filiæque, ni fallor, illius in montem egeſtus. Sed iſtarum, pene dicam, nugarum ſatis eſt: hoc magis memorandum, quod heri Veliciæ nominatisſimas illas ſalis fodinas ingreſſus ſim, immenſæ profunditatis, ad cujus aſpectum cum primum cohorruiſſem, homo, qui facile alias, ut me tibi dicere memini, in deliquium animi incidere ſoleo, poſtea tamen auſus ſum funi inſeſſui apto me commit- 78 tere, deſcendensque cum in Sibyllæ me Cumanæ ſubterranea regna veniſſe putarem, conatus ſum oracula fundere, ſed oblitus eram, quod Plutarchus de defectu oraculorum librum jam ſcripſiſſet. Illud tamen non omiſi, ut immortali Deo tacite gratias agerem, quod in terræ quoque gremio tam alta ſuæ erga genus humanum benignitatis veſtigia impreſſerit; neque dubito, quin ex cavernis illis exauditus fuerim. Ajunt, regem Poloniæ ex iſtis fodinis reditum circiter centum & triginta florenorum millia quotannis percipere. Peſſime oblitus ſum nominis illius, quod Vrbanus Gelnicius c) noſter mihi dixerat, cui literas inſcribere deberem, ad te Racoviam per illius hoſpitem deferendas. Memini quidem alterius Chiliani Smidii, ſed alter aliquis, ni fallor, melior nobis viſus, affinitate conjunctus ipſi Vrbani hoſpiti. Hanc igitur rem curæ habe, & effice, ut ille Vrbani hoſpes, cujus & ipſius nomen mihi periit, cum certo quodam homine Cracoviæ agat;

ſcopi quondam ſeculo XI. medio *Cracovienſis* ad altare, ut narrant, a Boleslao ſecundo Rege, quem corripuerat, obtruncati. Divum noſter vocat, quod vulgo talis haberetur atque diceretur, in ſanctorum enim, ſolemni ritu colendorum, numerum poſt id tempus, ſed anno 1622. demum, a Gregorio XV. P. R. cooptatus eſt.

a) Quicquid ſit de his Pontificiæ Eccleſiæ moribus, quibus *aſinum*, ut vocant, palmarem cum perſona inſidente, Chriſti imaginem referente, ſolenni pompa circumvehunt; nos *Dominica palmarum* vulgo ſic dicta, & paullo ante feſtum Paſchatis, *Ruarum Cracoviæ* fuiſſe, inde colligimus.

b) *Conditoris Cracoviæ*, Sec. VIII. ut perhibent, celebris *Poloniæ* Principis.

c) *Civis Cracovienſis*, eandem in religione mentem ſecutus.

ego interea meas ad vos literas per Przypkovium a) curabo. Cum iterum relegiſſem literas ad Smalcium ſcriptas, cœperunt mihi non parum diſplicere, propterea quod paulo familiarius in illis jocatus fueram, quam vel apud tam gravem Virum, vel in hoc meo ſtatu, deceat, qui fortaſſe lachrymis quam riſui propior eſt. Nolim te ignorare, mi Frater, me per integrum jam octiduum Cracoviæ fruſtra currus occaſionem expectare: cumque vehementer interea vapulet mea fides, quod ego, licet abſens, certis ictibus experior, tandem conſtitui craſtino me die in pedes dare, comite quodam Franco, pannorum tondendorum artifice, homine, ut mihi videtur, non malo, ſed qui tamen aliquando militiam ſectatus eſt. Quid de me futurum ſit, Deus novit: ego certe non aliam itineris tam longinqui, tam difficilis, tamque periculoſi, fiduciam, quam in veſtris precibus habeo. Quocirca rogo te, mi Frater, ut ſi quid paulo liberius in literis meis jocatus fuerim, riſum tantiſper ſuſpendere velis, donec aliquid certi de mea ſalute acceperis, de qua ſcribam ad te, quamprimum evaſero. Cætera vero, quæ in literis ad Dominum Smalcium talia ſunt, ut referat illa ſcire, coram narrare poteris: Nam mihi quidem, ut illa ſola nunc iterum deſcriberem, non vacabat. Dominum Joannem Taſſicium b) in ipſo temporis articulo, quo jamjam abiturus eram, hic inveni, ſed literas fratrum ille vel amiſerat, vel abſtruſerat, ubi cervi cornua deponere ſolent. Itaque nihil tibi ex illis nunc ſcribo. Veſtem tamen adhuc accepi, quo nomine plurimum illi debeo. Ille nunc Racoviam ad te proficiſcitur: non dubito, quin tibi ſuavis illius convictus futurus ſit. c)

79

XIV.

M. RVARVS GEORGIO RICHTERO. d)

80

MI Frater, quibus avibus iter meum, quod ante hiemem ſuſceperam Norimbergam, reditu, vel potius reverſione facta, peregerim, & quanta animorum certe linguarum μεταμορφώσει * ſim exceptus

* Transformatione.

a) Patrem aut fratrem *Samuelis* illius celebratiſſimi, qui h.t. *Altorphii* ſtudiis operabatur.

b) *Danielis*, Altorphii tum viventis, *fratrem*, eadem, quæ ille, ſentientem.

c) Scriptæ & hæ ſunt litteræ *Cracoviæ* anno 1615. ineunte vere.

d) Hoc tempore & animo & religione fratri, a quo tamen fraternitatis conſortio poſtea receſſit. *Helmſtadii* tunc, quando epiſtola hæc ſcripta eſt, vixiſſe Juridicis ſtudiis deditum *Richterum*, jam ſupra obſervavimus. Hæ ipſæ vero litteræ inter *Richterianas* f. 386. ſq. habentur procuſæ, niſi quod prima verba: *Mi frater*, ne quid incommodi attraherent *Richtero*, prudenter ab editore filio omiſſa ſunt.

ptus Altorphii, a) ex Cobio b) jam noſtro habere te, didici: quomodo vero Argentinam pervenerim, & qua ibi fortuna hactenus alar, nobilisſimo Burgſtorphio, c) alumni mei germano, ante ſeſqui menſem ſcripſi, eumque rogavi, ut tecum illa communicare vellet. Non eſt igitur, quod de rerum tibi mearum ſtatu amplius ſignificem, niſi actum agere vellem: aut ſi quid ſit, id ne his quidem literis audeo committere, quæ, cum incertorum hominum manibus vexandæ ſint, antequam ad tuas pertingant, facile nobis perire poſſunt, aut nulla aut nimia alicujus cura. Ratio ſtudiorum meorum eadem eſt, quæ pridem, niſi quod in hebræis nunc pluſculum eſſe ſoleam, non exigua ſane cum moleſtia, quod ea, quæ olim didiceram, longitate temporis obliterata, de integro cogar in memoria, ut ita dicam, inſculpere, idque magiſtro nemine: is enim, cujus ad hoc ſtudium opera publico ſtipendio conducta eſt, d) tantummodo circa quædam elementa mihi jam trita verſatur, & in his etiam tanquam Callipedes recoctus (tardipedem verius dixeris) ipſo anni quadrante vix cubitum ullum pro- 81 ceſſit. Sperabam, cum primum huc venirem, multis me non inutilem fore, quod in tanta hominum frequentia vix defuturi videbantur, qui mea opella, in iis rebus, quibus Altorphii potisſimum vacabam, e) juvari vellent: ſed ea ſpes fere decollat, ut mores hoſce video, niſi quod eam inſigni cupiditate, rem promovendi communem, erigam, & quadam animi obſtinatione ſuſtentem. Animadverti quidem, non ſatis hic eſſe tutum, πολυπραγμονεῖν, * aut alieni, ut quidam interpretantur, officii ſatagere: quam in rem fabulam narrabo, tu asſem para, imo hiſtoriam, non fabulam. Fuit hic quidam Joachimus Eberhardus, f) Philoſophiæ magiſter, quem tibi etiam de facie non igno-

Iii 3

* Multis negotiis ſe implicare, iisque nihil ad ſe pertinentibus.

a) Compertum enim erat, non paucis *in Polonia* eum fuiſſe, & intimam cum fratribus ſocietatem iſtic iniiſſe.

b) Eo, ad quem ep. 10. perſcripta eſt, *noſtro* h. l. quod eadem ſentiret, tunc temporis vocato.

c) Eſt illa non alia, quam, quæ n. 7. ſupra excuſa legitur epiſtola.

d) Qui hoc anno demum Lingvæ Hebr. Prof. conſtitutus fuit M. *Frider. Blancken-burgius*, Thuringus, ſed ad ſuggeſtum magis, quam cathedram Academ. aptus, & anno 1625. pia analyſi in Academiam cœleſtem translatus.

e) Animis videlicet, juvenum proborum a veritate Evangelii ad *Socini* portenta abducendis: quod *Argentorati* ſperari haud potuiſſe, non ſine inſigni lætitia, cum triſtitia permixta, h. l. vel tandem faſſum, hanc eſſe bonarum mentium peſtem, legimus. Conf. epiſt. 9.

f) Conferri hoc de homine, neſcio, quo nomine appellando, fanaticine, an furioſi? ſi lubitum eſt, poteſt conferri *Hiſt. Crypto-Socin.* cap. I. ubi plura de eo annotata L. B. reperiet.

ignotum credo, cum Altorphii vixerit, & in cathedra aliquando publice apparuerit: is divino, ut ipse ait, spiritu afflatus, ad x. Kal. Aug. Kiliani in templum, quod vocant Cathedrale, venit, cumque baculo in pulpitum cantoris ter excusso audientiam sibi fecisset, eo tempore, quo concionator pro suggestu verba jamjam facturus erat, clara voce populo testatus est, missum a Deo se legatum habere, quæ pro salute eorum nuntiaret; eratque, ut postea comperi, magistratum, sacerdotes & plebem libere perstricturus, vitiisque passim grassantibus cauterium adacturus, atque adeo pœnam quoque præsentissimam, nisi pacem a
82 Deo precibus & emendatione vitæ impetrarent, comminaturus. Sed quidam e circumfusa turba correptum e templo ad ædes Consulis abduxerunt, cum ille nihilo secius per plateas inter confertam plebem civitatis morbos liberrima voce proscinderet, cumque Consulem domi non invenissent, in turrim custodiæ nomine, quæ tamen a carcere non multum aberat, compegerunt. Ego captivum non semel visitavi, ut turbatæ mentis notas, quas vulgo ferebant, deprehenderem: sed nullum vestigium inveni, quod alium mihi faceret hominem, quam pridem cognoveram. Ipse vero nihil nisi divino se imperio fecisse constanter asseverabat, quamvis interim, qua ratione illud acceperit, ne causam in carcere deteriorem sibi redderet, aperire nemini vellet: nec temere se tantum facinus ausum ajebat, utpote quod aliquot ante diebus, imo mense integro, matura deliberatione pensaverit, & post multas, ad Deum preces, novato, iteratoque jussu, demum sit aggressus. Egerunt cum illo senatores & concionatores aliquoties, volueruntque libenter molestum prophetam (sic enim a nonnullis vocari audio) a suis mœnibus bona cum gratia dimittere: sed cum ille tergiversaretur, & Cæsarem, Pauli, ut ajebat, apostoli exemplo, appellaret, ac ne carcere quidem, nisi civitate sibi permissa, exire vellet, interdicto primum, ne quis ei cibum præberet amplius, facile expulsus, do-
83 micilium Musarum suarum repetivit, nullo tum quidem duriori imperio accepto, & sua opinione jam immunis a metu: post paucos tamen dies errorem hominis, ut mihi videtur, religiosi, lictores irreligiosi correxerunt, qui per vim arreptum medium currui ante illius ædes adducto imposuerunt, & extra fines territorii Argentinensis avexerunt. Habes fabulæ catastrophen, quam tu vel presso vel verso pollice, prout libuerit, istic excipere potes: ego judicium meum suspendere malo, nec in illos audeo scribere, qui proscribere possunt. Tu si vales, si bene rem geris, tanto magis gaudebo, si id aliquando ex tuis ipsius

ipſius literis cognovero, quas tamen non ut debitum exigo, ſed ut munus ad ocium & commoditatem tuam remitto. Id tamen ſi fieri posſit, ante ver proximum ut ex te reſciſcam, opto, quo apud vos precio ad minimum vivatur, & annon ſit aliqua ratio, qua bona mens ſororem ſuam ſuſtentare posſit; hoc igitur vel ad me vel ad Norimbergenſes noſtros perſcribas velim. Optimo viro Caſparo Willichio contubernali tuo ſalutem & amorem a me nuncia, aut hunc confirma potius. Tibi ſi qua posſim gratificari, lubens fecero: ſi nihil poſſum, tu nihilominus affectum meum agnoſce, & vale, eruditisſime mi Richtere. Pridie Non. Septembris Juliani. a)

XV.

M. RVARVS MICHAELI PICCARTO. b)

84

NOndum ſatis exputavi, majorine lætitia literas tuas in manum acceperim, an legerim cum dolore: illud, quod erant, a te, iſtud, qua de me. Hoc igitur reſtabat, ut, tanquam publicæ famæ tympanum, tot iſtic probris, abſens, vapularem, ut ſacrorum deſertor, impietatis partiarius, Altorphinæ juventutis corruptor c) audirem? ſcilicet non poteram vulgaribus peccare criminibus, cui tu quoque ſummo vir judicio tantum ingenii non minus amice tribuis, quam immerito. Non poſſum autem, vir clarisſime, ſatis admirari tuum iſtum amorem, d) qui inter ejusmodi voces adhuc ſibi conſtat, in literis tuis calide ſpirans: laudo quoque candorem tui pectoris, quod his de rebus certiorem me facere volueris, quas per iſtos, ſi Diis placet, auditores meos hactenus ignorare coactus ſum, magiſtri ſui nimium oblitos. Appellas porro fidem meam, ut ingenue reſcribam ſuper hoc negotio, quo & tibi & aliis, qui me amatis, ſit, quod pro me loqui queatis. Quid ergo posſim aliud, quam quod ipſe judicii benignitate jam ante præſumpſiſti? ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφήσω. * Etenim, non nego,

* Puſtulas naris deſuper ſpongioſæ non tumefaciam. Nam, nari, mendacis puſtulas ſupercreſcere, veteres credebant.

a) Et quidem *Argentorati*, quod ex initio ſtatim epiſtolæ hujus palam eſt.

b) Hæc ipſa illa eſt epiſtola, qua *Piccarto* ad gravem, ut vocat, correptionem ejus, cujus memoria occurrit ep. 9. f. 60. ed. prioris, reſpondit *Ruarus*, & quod fecerat, more hominum male ſibi conſciorum, ſtrenue negat. *Piccartus*, quis fuerit, nihil cauſſæ eſt, cur multis h. l. exponamus.

c) En ſpecimina repetitorum vocabulorum ac titulorum, unde *gravem* fuiſſe *Piccarti* epiſtolam, colligere queas. Eamque proin periiſſe, tanto magis dolemus, quanto luculentiora innocentiæ *Piccarti*, ab obtrectatoribus in hoc hæreſeos conſortium rapti, teſtimonia inde excerpi potuiſſent.

d) Laudabat eruditionem, cum deteſtaretur hæreſin. Virtus enim & in hoſte laudanda eſt.

go, multa a me varie in utramque partem a) tam de ſacris, quam pro-
85 phanis rebus Altorphii diſputata, ſed nec cum omnibus, quos in literis
tuis indigitaſti, nec cum iis ſolis: b) ut enim ingenium quisque cali-
disſimum doctrinæ cujusdam aperiebat, ita hujus affectatus familiari-
tatem alieno igne naturæ meæ edomui; quod cum diſcendi proficien-
dique ſtudio maxime c) factum ſit, in academia, cui libertas jam a Pla-
tonis ævo vernacula fuit, licitum mihi fuiſſe credo. Quod autem ex
inſcito me literatore veſtrates tam ſubita metamorphoſi dictatorem
fecerunt, & in collegio ſcholam prælectionibus auſum frequentare di-
ctitant, a quocunque commentum hoc primum emanavit, vellem, ſi
vir bonus eſt, alienæ credulitati parcius exiſtimatione ſua illuſiſſet, ſin
aliquis fortaſſe ex iſta temeraria juventute, miror nihilominus hiber-
no Sabini ſomnio fidem iſtic inveniri, cui, quisquis eſt, ut noctes ha-
beret innocentiores, ad Atlantes navigandum cenſeam. Viderint
iſti juvenes, Peuſchelius & Dumlerus, quos ego juratos ſanctæ Triadis,
in cujus nomen baptiſati ſunt, hoſtes d) vix crederem, niſi tu id affir-
maſſes, viderint, inquam, cujus ſigna ſecuti ſint; mihi nimis durum fo-
ret, ſi de ſingulorum amicorum conſcientia tribunal adire rationem-
que reddere cogerer: id quidem operam hactenus dedi, ne mea con-
ſuetudo quenquam deteriorem redderet, niſi id fortaſſis deterrimum
videtur, quod a ſæculi moribus e) maxime diffidet, a quorum impu-
ritate fateor me, quotquot potui, a calvo usque ad calvum dehortatum
86 eſſe. Si hoc eſt crimen meum, ſæculo contraiviſſe, id mihi tecum ipſo
commune lætor & cum omnibus viris probis, cum ſanctis apoſtolis,
cum ipſo Domino ac Deo meo Jeſu Chriſto, non modo cum Sone-
ro, f) quem ego, quicquid tandem ille ſenſerit, cujus nec omnia ſcio,
&

a) Rem ipſam ergo fatetur, ſed ita ut emolliat.

b) Illis nimirum, quos *Piccartus* non recenſuerat nominatim, tanquam exteros & forte etiam nondum cognitos.

c) Non tamen hac ſola de cauſſa, ſed etiam propagandi, quod ipſe imbiberat, venenum ſtudio. Cur enim alias idem ut ageret *Argentinæ* ſe ſperaſſe, ſed ſpe exci-diſſe ſua, non ſine dolore animi teſtatus eſt?

d) Diſſimulat hæc *Ruarus*, quos nuper-rime (coll. Cent. hujus II. epiſt. 9. in hac ipſa doctrina confirmaverat: quod viro ingenuo indignum eſt facinus.

e) De moribus non diſputatum eſt, ſed de *doctrina;* a qua ſaniori ad impiam, te, *Ruare*, bonas mentes corruptelarum ille-cebris variis abripuiſſe, aut pellexiſſe, non vanus rumor ferebat. Sic enim deinceps compertum eſt.

f) En *Petri*, miſerrimi inter diſcipulos Chriſti, & dignisſimi ſancta confesſione magiſtri ſui commercium pesſime negan-tis, imaginem Præceptoris, imitatione indigni, conſortium, multa tergiverſatio-ne abnuentem! Hæccine jactata illa eſt ſe-culi fluctuum abdicatio? Itane decebat, ſi tantus fuit veritatis cognitæ ſplendor, tan-taque animi πεποίθησις, contra Sp. S. præ-cepta eam disſimulare? Neque enim de

& eorum, quæ ſcio, multa non probo, nunquam deſinam grata mente celebrare, quod me communi ſæculi fluctu propemodum abreptum injecta velut manu reprehenderit, & quod plerique declamant, primus vere perſuaſerit, non per ſyllogiſmos ſpinoſos, aut eruditionis argutæ faſtum ad cœlos iter eſſe, ſed per fidem δι' ἀγάπης ἐνεργȣμένην. τὴν ȣ̓ μόνον λέγȣσαν, κύριε, κύριε, ἀλλὰ καὶ ποιȣ̃σαν τὸ θέλημα τȣ̃ πατρὸς ἡμῶν τȣ̃ ἐν ȣ̓ρανοῖς. * Si rationi humanæ voluiſſem obſequi, cujus invidiam inſons patior, tentaſſem fortaſſis & ipſe, licet paulo ſtupidior, nonnihil, quo tam inſuavium dictorum fidem deſtruerem, qua in re plerique nimis alias ſumus ingenioſi: ſed obſtupuit conatus meus, non Perſei conſpecto clypeo, ſed alterius generis armis, δυνατοῖς τῷ Θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, ** quibus divinus Apoſtolus ſe πᾶν νόημα αἰχμαλώσασθαι *** profitetur, εἰς ὑπακοὴν τȣ̃ Χριςȣ̃. **** Nempe fruſtra a) in ſcholis de eſſentia conſiliisque divinis diſputationes ſerimus, quæ bonam partem abſque ſalutis jactura neſciri poſſunt, ſi domi bacchanalia vivimus, ſi libidinibus æſtuamus, ſi collidimur odiis, ſi ambitione, invidia, avaritia, cæteriſque animi ulceribus ſcatemus: uno verbo, ſi ſanctitatem negligimus, ἧς χωρὶς ȣ̓δεὶς ὄψεται τὸν κύριον. ***** Quod ſi illi, quos in epiſtola tua merito notas, b) paulo religioſius ad ſuum & aliorum animum revocarent, melius, credo, cum orbe noſtro ageretur, cujus egregia pars factio-

87

Kkk num

* Quæ per amorem operoſa eſt, non quæ ſolum dicit, Domine, Domine, ſed quæ facit voluntatem Patris noſtri in cœlis.

** Divinitus validis ad ſubverſionem munitionum.

*** Omnem cogitationem captivaſſe.

**** Sub obſequium Chriſti.

***** Qua ſine nemo videbit Dominum.

momento diſſenſionis, ſed de re ipſa interrogatus fuerat *Ruarus*. Quid hæc niſi ad ambages quærendas faciunt, utrum nonnulla in philoſophicis præſertim probaverit *Soterus*, necne? De *Socini* portentis interrogato tibi reſpondendum fuerat, neque ambiguis hujusmodi effugiis bonis viris illudendum.

a) Vera loqueris, *Ruare*! Hæccine autem vitari non poſſunt vitia, niſi in caſtra *Socini* transeundo?

b) Non dubium eſt, quin diſſenſum *Theologorum* tam *Noribergenſ.* quam *Altorphianorum*, ipſe etiam *Piccartus* in epiſtola ſua improbarit, eaque de cauſſa *factionum ſtudiis pietatem* (*vitæ* nimirum) poſthaberi *Ruarus* conqueſtus ſit. Quam etſi non putemus rejiciendam querimoniam, nequaquam tamen, ſolo *Sociniſmo* conſuli his malis potuiſſe, concedimus. Fides eſt per charitatem ἐνεργȣμένη, at non error a fide devius, qui nequaquam pietatem, ſed ſpeciem tantum & fucum qualemcunque gignit. Quem vero & Apoſtolos Satanæ præ ſe ferre ſolere, falſosque πρϙφήτας ἐν ἐνδύμασι προβάτων, μετασχηματισθέντας, εἰς ἀγγέλȣς φωτὸς ὡς δικαιοσύνης διακόνȣς complures dari, & *Chriſtus* & *Paullus* jam pridem teſtati ſunt, eosque, ut caveamus, monuere.

num ſtudiis pietatem profeſſa, vix quicquam in moribus habet, quo Chriſtianos agnoſcas, & propterea ſi non apud me, cui gemma nec in luto ſordeſcit, certe apud eos, qui paulo moroſius judicant, de ipſa doctrina jam pridem fit ſuſpecta. Nota eſt magni Eraſmi vox, qui monſtrari ſibi petebat, nimis quidem, ut exiſtimo, confidenter, ſed petebat tamen, quem iſtud novum Evangelium meliorem reddiderit; ut veriſimile ſit, in ipſa doctrina quædam eum advertiſſe, unde tanta morum corruptela fere flueret, a) id autem ſi verum eſſet, non immerito fortaſſis ex morum habitu, de tali dogmate pronunciaretur, cum ipſe quoque Servator noſter arborem e fructu æſtimandam doceat. Verumtamen, quicquid hic Eraſmus, b) cujus judicio nec omnia, nec nihil tribuo, lætor ipſe, Deoque immortali gratias ago, quod ex Evangelicis mihi parentibus naſci, quod ſacris inter Evangelicos initiari, quod adoleſcere & erudiri conceſſerit, &, ut ſint nonnulla, quæ divinis literis & eccleſiæ primitivæ, ad unguem non reſpondeant, hactenus tamen in ipſa doctrina nihil reperio, quo ſalu-88tis humanæ fundamentum c) revera ſubruatur. Proinde cum ita necdum a vobis, nec ſanctorum conſortio (quod abominor) abierim, d) te quoque, virorum ſumme, per quicquid usquam tibi carum

a) Indigna homine in Evangelica Eccleſia enutrito accuſatio, quæ ſi accuſaſſe ſufficeret, & abuſuum doctrinæ purioris exemplis ſtandum eſſet, neque *Chriſti* & *Apoſtolorum* præconium ſanctisſimæ veritatis intactum relinquerent, & illabefactum, quin ſuſpectum reddere poſſent.

b) Recte, ſi ſapit, *Eraſmum* deſerit. Quid enim ab eo ſani expectes judicii, qui, cum ipſe agnoverit Pontificii cultus portenta, in ea tamen Eccleſia, quam ridebat petulanti ſplene cachinno, non ſine veneratione capitis ſummi & ſatellitum ejusdem, idem agentium, eundemque lapidem volventium, unde mala promanare omnia bene noverat, non ſolum perſeveravit, ſed etiam cauſſam pesſimam, ut coloraret, melioremque obſcuraret, omni ſtudio ſubinde elaboravit? Quis mente ſanus *doctiſſimum hypocritam* imitetur?

c) Non tuum erat, *Ruare*, aut magiſtri tui, quæ fundamentum conſtituunt, determinare pro lubitu, ſed *Chriſti* & *Apoſtolorum*, qui multo plura, quam ſchola *Socini*, anathemate etiam alia docentibus dicto, talia eſſe pasſim, inprimis, ubi de Chriſti perſona & officio ipſaque ſalutis œconomia ſermo incidit, luculenter *Matth. XVI. & in epiſt. ad Gal. atque Epheſios* demonſtrarunt. Quæ omnia triplex quoque ille funiculus ſeu *nexus* capitum fidei potiorum cum *Chriſto DEOque, cum tranquillitate item conſcientiæ, & invocatione denique vera* optimi Numinis, eaque diſtincta & N. T. luci conformi, confirmat; ut miniſterii Eccleſiaſtici munia, ad fidem quoque conſervandam & Eccleſiæ ædificationem, ſolidis inſtrumentis inſtructa eſſe oportere, taceamus.

d) Ita tibi quidem viſum, bone Vir; aliter vero *anathema* Apoſtoli teſtatur. Cœpiſſe autem a conſortio quoque externo Eccleſiæ fratrum quosdam recedere, in Hiſtoria ipſa rerum geſtarum jam annotatum eſt.

rum fuit, rogo, ne affectu a me recedas, idque tibi persuasum habeas, me quicquid id est in me ingenii vel judicii (quod utinam vere deprehendisses) non ad convellendam, sed ad discendam orthodoxam fidem a) conferre, nec in summa religionis, quam ex sacris literis simplicissimam hausi, quicquam vel mutavisse vel in posterum mutaturum esse, nisi Deus mihi prius hanc mentem. Quod si nonnullas capitalium ingeniorum deductiones subtiles, vel non capio, vel non agnosco; det veniam tarditati meæ Dominus Jesus, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς * αἰῶνας, b) & tu Piccarte clarissime, illius exemplo, cui te ex animo cum omnibus tuis commendo. Pridie eid. Jan. cIɔIɔcxvi.

XVI.

LIBELLVS MEMORIALIS c) VALENT. SMALCIO.

Reverendus & clarissimus vir summopere rogatur, ne ferat ægre, quædam a me sibi injungi, quæ per ipsum libenter expedita vellem: sunt autem ista. *Primum*, summas agat gratias dominis Fratribus in synodo congregatis, quod me ex ipsa usque Germania liberaliter evocare, & anni dimidium in Polonia tam benigne habere d) 89 voluerint: qua in re cum imprimis Illustris & Magnifici Domini Palatinidæ liberalitas enituerit, me toto isto tempore mensa sua e) excepit, optarem, ut de tanta summi viri virtute palam omnibus constaret. Deus & illi, & omnibus aliis, quorum voluntas in me minime meritum tot beneficiis exundavit, non tantum mutuam sortem, sed & supra sortem immensum fœnus pro infinita sua clementia refundat. *Secundo*, si quid fortassis ex Dominis Fratribus rogaverint, cur Synodi tempus abitu meo prævorterim, causam reddat eam, quam incoram f) illi proposui, nimirum id ipsi mihi non fuisse integrum,

 non

* Qui est super omnia DEVS benedictus in secula.

a) Hæccine conservatur, ubi primaria fidei capita de DEO Christoque, in cujus cognitione genuina salus nostra posita est, convelluntur, & impugnantur vehementissime?

b) Iterata fraus, qua *subdola mente* verba Apostoli, sensu sanctissimo privata & depravata, subjecit simulator, ut intemeratam de Divinitate Jesu Christi fidem se adhuc tueri optimo *Piccarto* persuaderet, qui tamen rectius, quam *Schopperus* nuper, quid distarent æra lupinis, cognitum habuit. De simili concludendi formula confer epist. 2. extremam.

c) Non denotat h. l. hæc nomenclatura vulgari sensu usitate sic dictum libellum *supplicem*, sed *eorum*, *quæ proponi vellet Synodo*, *Indicem*, de quibus, ne quid oblivisceretur, commonefaciendum esse *Smalcium*, *Ruarus* censuit.

d) Conf. supra Cent. II. epist. n. 7. p. 30. marg.

e) Vid. Gratiarum actionem num. 12.

f) *Apuleji* hæc composita vox est. Quod

non tantum, quia longiori mansione profectionis Poloniæ suspicionem ad priorem de mea hæresi rumorem adjuncturus, & ita mihi viam ad plurimos amicos & cognatos Domino Jesu restituendos a) intercluſurus essem, verum etiam, quia condicta alteri b) mea opera, cui reditum meum discedens intra duos menses, eoque, fratribus jubentibus, c) non præstito, denuo statim post hiemis fugam primo vere promiseram, coactus sim, promissi fidem exhibere, nisi famæ meæ inter populares decoquere vellem. Quod si quis existimet, potuisse me reditum altera vice non promisisse, is sciat, hanc fuisse verecundiæ meæ culpam; cum enim hic alterius pædagogiæ nulla mihi spes affulgeret, metueremque, ne mihi res ad fratrum d) liberalitatem rediret, 90 hominis existimavi frontis suæ parum curiosi, qui mallet aliorum opem, multorum necessitatibus expeditam, otiosus expectare, quam industria sibi victum, cum possit, mereri. Potest fortassis fieri, ut hic aliquis judicii juvenilis lapsus fuerit, pertinaciam certe vel αὐθάδειαν* nullam intervenisse serio testor. *Tertio*, salutem Germaniæ nostræ Dominis Fratribus universis commendet, rogetque etiam atque etiam, ut de ratione cogitent, qua divina veritas in dulcissimo patriæ nostræ solo spargi, e) & in segetem divinæ gloriæ progerminare possit. Existimaverunt Norimbergenses nostri fratres, f) utilissimum ad eam rem fore, si novum fœdus, cujus genuinus sensus variis interpretationibus passim vitiatus est, in Germanicam linguam fideliter transferatur, impensarumque partem, si versio formis describatur, ipsi polliciti sunt: quocirca cum clarissimus vir in hoc opere jam versetur, g) ut idem constanter urgeat, rogatus esto, cui divinam auram aspiraturam speramus, ut vovemus. Existimaverunt iidem Norimbergen-

* Arrogantiam.

ne quis sphalma esse typographicum opinetur, obiter monere visum erat. Judicet L. B. annon ex affectato sæpius vocabulorum singularium usu, character etiam animi & occasio hæreseos approbatæ colligi queat. Leve est, fateor, hoc argumentum, non tamen prorsus spernendum.

a) Tutior enim videbatur via sub orthodoxi amici fallere nomen.

b) Alumno fidei *Ruari* concredito, sæpius jam ante nominato.

c) Tutoribus ejus & simul rerum Curatoribus Burgsdorphianis.

d) Alios hoc vocabulo fratres intelligit, ejusdem nempe fidei consortes.

e) Cujus rei per discessum variorum in varias Academias initium erat factum.

f) Illi nimirum, qui postea vel cogniti ad meliorem mentem rediere, vel dilapsi huc illuc de tanta liberalitate non amplius cogitarunt.

g) *Polonicam* versionem *Smalcius* tunc adornare cœperat: quam *Crellii* cura Germanica anno 1630. demum est consecuta.

bergenſes, ad pietatem in animis noſtratium excitandam, plurimum profici poſſe, ſi libellus aliquis de obedientia hominis Chriſtiani a) nullo Polonorum fratrum aut Racoviæ titulo Germanice extaret, hincinde ſpargendus, qua in re cum jam olim Oſtorodus b) & Sonerus c) nonnihil egerint, minus tamen, quam pro hodiernæ eccleſiæ noſtræ eruditione, non abs re foret, ſi quis illorum operam nonnihil interpolaret, & paulo accuratius ad ſæculi noſtri guſtum perficeret. Ad ejusmodi libellum itidem ſumptum aliquem Norimbergenſes pollicentur. Denique exiſtimaverunt illi ipſi, operæ pretium fore, ſi ſententia Eccleſiarum noſtrarum exiguo libello comprehenſa proſtaret, ſine manifeſta partis adverſæ impugnatione: ſic tamen ut eadem ſcripturæ loca, quibus adverſarii maxime nituntur, alibi, ubi minus ſentitur, d) quaſi aliud agendo explicentur. Voluit hac in parte nonnihil Sonerus e) noſter ὁ μακαρίτης, * quantum præſtiterit, aliorum eſto judicium; utut ſit, fortaſſis tamen aliquantum affectui diſcipulorum & amicorum illius indulgendum eſſet, præſertim cum Norimbergenſes fratres tam liberaliter omnem ſumptum in typos polliceantur. Quod ſi clariſſimo viro nimis gravis emendandi labor futurus eſſet, poſſet hanc rem delegare alii alicui fratrum minus occupato, qui rudius opus nonnihil primum exaſciaret, f) quo poſtea levior poliendi labor clarisſimo viro reſtaret. De his igitur veritatis promovendæ in Germania modis Norimbergenſes hactenus cogitaverunt: alios plures, aut etiam meliores, a Polonis fratribus cupide expectamus. Quoniam autem inaudio, fratres Polonos cogitare, ut fratrem quendam in Weſtphaliam & Bataviam g) veritatis, vel ſerendæ, vel ſatæ rigandæ cauſa mittant, cumque ſint, qui non inutilem 91

* Beatus.

a) Qui non multo poſt etiam conſcriptus eſt, ſed nusquam comparet: ut ne nunc quidem certus ſim, utrum alio quodam titulo proſtet, an MStus tantum ſit, cum Fratribus hinc inde communicatus. Conjecturam noſtram infra proponemus.

b) *Inſtitutiones Oſtorodi* vix credo intelligi, ſed illam, cujus pars *Hiſt. Crypto-Socin.* cap. I. ſub finem excuſa legitur, correptionem & inſtructionem.

c) In *Catechiſmo*, ut vulgo dicitur, *Soneriano*: cujus extremam partem inter *Supplementa* typis ſubjectam B. L. inveniet.

d) Novum doli genus: quo Spirit. S. non eſt uſus, teſte 2 Cor. IV, 2. Apoſtolo.

e) Partim in Catechiſmo, partim *Collectione* locorum ex *Antivujecko Socini* inſtituta: cujus mentio occurret in epiſt. 43. ſub initium facta.

f) Quod factum etiam eſt a *Crellio*, qui una cum *Stegmanno* in labore iſtoc expoliendo diu deſudavit.

g) Is conatus, quemadmodum infeliciter ſucceſſerit ipſimet *Smalcio*, ex *Diario* ejusdem addiſcere juvabit: quod ut conſulatur ad h. l. illuſtrandum, ſuademus.

92 utilem ibi meam putent futuram operam, quanquam ego quidem id in me minime agnoſcam: tamen ne vel aliorum de me judicia videar contemnere, vel meæ ipſius cupiditati deeſſe, qua ſupra vires aliquid pro divina gloria libenter auſurus ſum, ſtudium & fidem meam ad iſtam provinciam ultro offero: atque utinam de illa mihi quicquam conſtitiſſet, priusquam reditum meum in Germaniam ſecunda vice literis affirmate promiſiſſem! ſcilicet pedem me Polonia ante Synodum elaturum non fuiſſe. Verumtamen cum iſta res non poſſit ſine aliquo ſumptu tranſigi, quo faciendo eccleſiam in his anguſtiis, niſi neceſſitate exigente, premere nollem; optarem ſane, pædagogiam a) mihi aliquam ex Polonia evenire, ex qua ad minimum victus in Belgio mihi ſuppeteret, quo ſine aliorum moleſtia divinæ gloriæ ſalva conſcientia ſervire poſſem. Quicquid autem hac de re futurum ſit, *quarto* rogo, ut clarisſimus Dominus & me, & omnes illos fratres Germanos, qui ex diſciplina Soneri profecti ſunt, b) dominis Polonis fratribus etiam atque etiam commendet, nobisque, ſi qui fortasſis adverſariorum ſævitia ſolum vertere cogeremur, aliquod hoſpitium exilii præparet. *Quinto*, quod ſi nominatim mea quantumvis exilis opera in ipſa Polonia a dominis fratribus requiratur, ſpondeo, me nec officio meo, nec voluntati illorum defuturum, modo nunc pauxillum adhuc temporis mihi relinquatur, quod popularibus meis, imprimis 93 vero cognatis, & amicis, impendere cogito, quibus me primitias has ingenii quantulicunque debere, nemo, ut opinor, æquus arbiter negabit. *Sexto*, & ultimo, non tam, quia neceſſe eſt id monere, quam quia vehementer volo, clarisſimum virum rogatum cupio, ut in amore mei conſtanter perſeveret, nec averti ſe patiatur, ſi quid fortasſis hoc tempore, quo in illius oculis vixi, minus a me bene geſtum eſt, norit autem, id mihi Dei gratia ingenium eſſe, quod emendari velit, eam ætatem, qua posſit. Deus optimus maximus reverendum & clarisſimum virum, & veritati ſuæ patronum, & mihi patrem, diu ſalvum & incolumem præſtet. c)

XVII.

a) Quæ poſtea Caſp. *Sacci* filiorum demandata cura ipſi obtigit, neque ſucceſſu conſilii, male animo conſtituti, omnino caruit. Quod Cent. I. permultæ docent epiſtolæ. *Weſtphaliam* vero, utrum ſit unquam ingreſſus *Ruarus*, dubito. Nihil certe in omni vita, ex epiſtolis maxime conquirenda, quod indicium præbeat, occurrit.

b) Egregia fontis malorum *Altorphinæ* Academiæ hoc veneno infectæ deſcriptio. Eant nunc, & inſontem fuiſſe *Sonerum*, qui dubitarunt adhuc, porro credant! Habemus reum confitentem.

c) Scripta eſt hæc commonefactio *Altorphi* anno 1615. poſt reditum e *Polonia*.

XVII.

M. RVARVS JOACHIMO PEVSCHELIO. a)

MVlta tu mihi, mi Peuſcheli, narras, non omnia quidem optanda, mihi tamen, qui ſtatus veſtri qualiscunque cognoſcendi deſiderio pene incredibili flagrabam, lectu perquam grata: multa etiam interrogas, ad quæ num hoc tempore per literas reſpondere vellem, an eadem ad colloquium mutuum poſt reditum meum reſervare, primo quidem dubitare cœpi, cum non neſcirem, quam multa alia mihi abeunti commendaviſſes, quibus vel liber aliquis impleri poſſet, ſi & meo animo & tuæ curioſitati ſatisfacere deberem: deinde tamen 94 cum cogitarem nimis hoc ingratum fore, ſi tuis tam prolixis literis nihil nunc reponerem, calamum tandem arripui, ſtatuique nonnihil de iſto argumento exarare. Quod tamen priusquam faciam, volo pauca quædam præmittere, tam de itinere meo, quod Racoviam usque feci, quam de ſtudiis, quibus ibidem occupor, idque faciam non tantum, ut te tanto æquiorem habeam, ſi nec plene, nec ad omnia, quæ propoſueras, nunc reſpondeam, cum intelliges, quot aliis negotiis diſtringar, ſed etiam, quia te hominem induſtrium novi, neque defugiturum hanc moleſtiam, ut, ſi quid occurrerit, quod fratribus noſtris, alibi locorum poſitis, gratum fore putaveris, id illis vel ſignifices vel perſcribas; nam mihi quidem, eadem ad plures ſcribere, nec vacaret, etiamſi minime pigeret, & pigeret, etiamſi maxime vacaret. Cum igitur Smigliæ per duas fere ſeptimanas adventum nobilisſimi Schlichtingii, b) qui ſe mihi comitem itineris Bobelwicii c) ſpoponderat, fruſtra expectaſſem, tandem cum ipſo oppidi Domino, Caſpare Jaruzele Brzezinio, d) viro, qui a plebeis natalibus eloquentia ſua non tantum ad Equeſtrem ordinem, ſed etiam ad opiparam fortunam, & magnum per Poloniam nomen aſcendit, iter ingreſſus ſum, luculento tamen congiario prius, una cum Rhawio, e) perpetuo itineris mei comite, honoratus. Priusquam vero digrederer, (ne te id quoque 95 celem) non ſemel mihi colloquium fuit cum Elia Arciſſewio f) illo, qui

a) Hæc reſponſio eſt ſupra promiſſa, ad calcem epiſt. 10. eademque pro data occaſione ſatis prolixa. Cæterum epiſtolam non *Altorphium*, unde ſuperiori æſtate abierat *Peuſchelius*, ſed *Jenam*, ubi tum commorabatur, miſſam eſſe, notari volumus.

b) Non Jonæ filii, ſed *Guolffgangi Slichtingii* patris.

c) Quod prædium *Saccianum* fuiſſe, ſæpius jam obſervatum eſt.

d) Cujus ſupra jam mentio injecta fuit epiſt. 10.

e) *Matthia Rhaw.* De quo *Hiſt. Crypto-Socin.* cap. II. lit. R copioſius dictum eſt.

f) Patre: De cujus filiique fatis dignus eſt, qui conſulatur rev. *Lauterbachius* in *Ariano-Socinismo Polon.* n. 44. f. 405. ſeqq.

qui librum Socini de Servatore cum præfatione vulgavit, habet enim ille non procul Smiglia prædium ſatis lautum, quod illi ex Smiglenſi territorio, cujus olim Dominus fuerat, iniquiori fortuna circumvento ad ſtatum ſuum cum dignitate inter equites Poloniæ tuendum remanſit: vir eſt non indoctus, ſed cui rei familiaris cura parum ad ſtudia literarum tractanda temporis, præſertim ætate paulum jam affecta, relinquit. Eſt etiam Smigliæ Miniſter quidam Lutheranus, cum quo ſermonem de religione cædere cœpi, ſed unico tantum die; quocirca parum progreſſus abruptum & pertenuem de ipſo ſpem Erneſto Calbio a) Miniſtro noſtro commendavi, qui ſtatim poſt meum abitum fratrem ſe quendam noſtrum, pileorum artificem, hominem octogenarium, quique, cum nec literas quidem norit, optime tamen in ſacris eſt verſatus, ad ipſum tentandi cauſſa dimiſſurum recepit. Redeo ad iter, quod mihi per diem ſatis commodum fuit: nam & aeris temperies mediocriter arridebat, & in hoſpitiis proprio coquo inſtructi ſatis laute tractabamur, & viarum tædium variis cum Brzezinio colloquiis, in quibus plerumque aliquid ex hiſtoria, vel de republica Polonica, agitabamus, nonnunquam etiam lectione diſcutiebam: no-96 ctem vero moleſtiorem duxi, cum nullis in hoſpitio lectis, quos Poloni peregrinantes ſemper ſecum circumvehunt, ſtramine & uno nonnunquam tapete contentus, ſolis & frigoris patientiam diſcere cogerer. Quid in oppidis Poloniæ memoratu dignum viderim, noli quærere: ſi ligneas aliquot ædes, quaſdam detectas, quaſdam incendio deformatas, quaſdam ruinam vitioſo pariete minantes, unico plerumque, nonnunquam etiam duobus conclavibus inſtructas, nullis clauſtris munitas, aliquando vix ſæpe circumcinctas imaginatus fueris; jam tibi pleraque Poloniæ oppida repræſentare poteris, regiis exceptis, quæ tamen ipſa nihil plane ſplendoris habent, ſi cum Germanicis noſtris conferantur. Caliſſium b) tamen fateor, oculos meos reliquorum ſpectaculo laſſos reficere potuiſſet, niſi & ipſum felicitati meæ flamma populatrix ſubtraxiſſet, cujus injuriam reædificantium induſtria nondum penitus aboleverat: delectavit tamen ibidem me templi & collegii Jeſuitici inſpectio, quo nullum in Polonia vel ſtructura magnificentius, vel doctorum diſcipulorumque grege numeroſius inaudivi: vidi etiam, de quo plurimum mihi gratulor,

a) Hoc de *Calbio* nonnihil in *Diario Smalcianæ Vitæ* annotatum habetur; quod conferri, ſi lubet, poterit.

b) Quæ urbs eſt non incelebris inter *Poſnaniam* & *Siradiam* medio loco ſita, & Palatinatus ſpectabilis caput atque ſedes audit.

gratulor, celebrem illum Mart. Smiglecium, a) virum ætate jam senili, b) procerum, macilentum, & aſpectu ſatis religioſum, in ſermone patrio, quemadmodum alii referebant, non perinde comptum, quem Brzezinius, ex cujus oppido oriundus eſt, meo rogatu nunquam hactenus ſibi viſum ſalutavit, dexteraque juncta, paucis verbis allocutus eſt, cum itineris properati ratio fuſiorem ſermonem non admitteret. Petricoviam ubi veni, urbem non inelegantem, deterſis itineris ſordibus, illuſtrem Palatinidem noſtrum, c) qui commodum inter judices regni annuos ad cauſſas pro tribunali diſceptandas lectus eodem migraverat, audivi una cum Brzezinio, qui me Rhawiumque Palatinidæ Racoviam curribus ſuis devehendos commendabat: ipſe enim clientibus operam ibidem advocationibus præſtiturus ulterius non pergebat, nosque viatico ad iter inſtructos, data, acceptaque ſalute multa cum officiorum pollicitatione humaniſſime dimittebat. Poſtero itaque die viæ nos cum aurigis & piſtore quodam Palatinidæ fratre noſtro dedimus, cum prius in curia vidiſſemus judices ſolenne jusjurandum præſtantes, qui poſtea Mareſchallum inter ſe delegerunt; ubi pene verebar, ne nequiter expeteret Matthiæ noſtro, d) qui cum protrudentium unda paulo vehementius impelleretur in Abbatem, ni fallor, quendam, unum ex judicibus, pro Arriano miniſtro habitus amaris dictis & plagarum metu inceſſebatur, ſed ipſe morum Polonicorum gnarus Brzeziniani nominis jactatione alienam culpam facile tandem excuſavit. In hoc itinere ridiculum quid accidit, quod, non ad nobiliſſimæ gentis dedecus, cujus luminibus unius ruſtici miſeria nihil obſtruere poteſt, ſed ad pudorem Weſtphalorum noſtratium, quem venuſtulus illis Lipſius incuſſerat, ſimilium elegantiarum apud alios exemplo minuen-

97

98

LII

a) A patria *Smigla* ita dictum, ſcriptisque plurimis clarum: quo de in *H. C. S. Cap. II. lit. S.* pluribus diſſeruimus. Hoc loco ejus tanquam notiſſimi *Socinianorum* antagoniſtæ meminit, data occaſione percommoda, *Ruarus*. Nobis autem quædam ad eum attinentia (omiſſis ſcriptis, in quibus *Logica* eminet,) heic annotare viſum eſt, quoniam in *Hiſt. Crypto-Socin.* cum cæteris ipſaque adeo *Alegambe-Sotwelliana Biblioth.* ortu *Leopolitanum* fuiſſe dixeramus, ex hac vero epiſtola *Smigla* potius oriundum dici patet; id quod cognomen etiam confirmat. De quo diſſenſu eruditi, per me licet, certent, ſi quidem, ut de patria *Homeri* aliis diſputare volupe fuit, ejus rei operæ pretium eſſe videbitur.

b) Dubium contra ætatem *Smiglecii*, alibi a nobis ex anno mortis motum, fortasſis ex præmatura canitie ſolvi poteſt.

c) *Jacobum Sieninium*, Racoviæ dominum & Socinianorum potentiſſimum patronum. Conf. epiſt. 12.

d) Eidem, quem ante cognomento ſolo expreſſo, *Rhawium* vocaverat, Transſylvano.

nuendum, ascribam: pascebantur in uno hypocausto, in quo caupo cum familia noctes diesque agebat & hospites excipiebat, vacca simul & anseres, & nonnunquam etiam sues, qui tamen alias in fornace stabulabantur adeo vasta, ut ignis excitatus objacentium animalium cutem calore contentus lambere, flamma non attingeret. Ab his deliciis cum Racoviam maximis votis exoptatam venissemus, quod fuit .... commodum ante pontem, qui oppidum ingressuris transeundus est, jamjam abeuntibus occurrimus Claudiopolitanorum a) ad Polonos fratres legatis, Paulo Czenadio b) medicinæ doctori, gymnasii domi rectori, & Thomæ Langio senatori, mutuoque consalutantes statim discessimus, accepto uno ex illorum ministerio, qui Matthiæ litteras ad parentes c) scribenti præstolaretur. - In ipso oppido jam quoque discessurum in Czarkowianum deprehendimus, non prosapia, nec eruditione magis quam pietate clarissimum senem Moscorovium, d) qui tamen precibus Smalcii paucos cis dies & rediturum & hybernaturum se nobiscum promisit, quod & præstitit magno meo cum fructu, qui sæpius illum una cum Statorio e) Crellioque convenio, nec unquam nisi aut pietate aut eruditione sanctiore tinctus redeo etiamnunc, cum ipse gravissimo, atque utinam non 99 lethali! catharro domi defixus interdum vix ægram vocem mittere potest. De reliquorum fratrum salutationibus non est quod operose scribam, cum ipse facile cogitare possis, si non prorsum injucundus hospes fuerim, quantis congratulationibus, quam arctis complexibus sim exceptus tum privatim tum publice; siquidem proxima ad cœnam Domini celebrandam synaxi, cum primum Smalcius & me & vos f) omnibus oratione Polonica commendasset, ipse Mo-

scoro-

a) Eorum videlicet, qui *Socini* partes istic tuebantur ea ætate pleno consensu. A quibus *Semi-judaizantes* quodammodo sejuncti erant.

b) Hoc de viro, cætera obscuro, sed docto, ut videtur, & inprimis, cœtui suo charo, peculiari etiam nomine κρυπτικῷ notato, lege, quæ in *Hist. C. S.* dicta sunt Cap. II. ad lit. I. utrum iste fortassis L. de *Providentia Dei* scripserit, quem *Synadi* cuidam Transsylvano *Mersennum* supra attribuisse audivimus, non definio. Fictum certe illud nomen, non minus ad hoc, quam alterum (*Zenadii*) congruit.

c) Erat enim *Rhavii* patria ipsa *Claudiopolis*.

d) *Hieronymum* illum toties decantatum, & scriptis quoque contra *Pontificios* præsertim, pro *Socini* doctrina, clarissimum.

e) *Johanne* sine dubio, Ecclesiæ Racov. jam ab anno 1612. ministro, atque *Smalcio* adjuncto.

f) Novum arctissimi cum *Racoviensi* primario cœtu nexus fratrum *Altorphinorum* specimen, ad Veteris Ecclesiæ morem, non magni cæteroquin æstimatæ, in sacræ Synaxeos celebratione, commemorandorum, unius fidei testandæ gratia, solenni

scorovius, jussu reliquorum, amorem & officia mihi detulit, cui ego, quantum ex tempore potui, gratiis actis ostendi, nos in ipsorum benevolentia lubenter acquiescere. Victus in aula destinatus mihi fuit apud Palatinidem; museum etiam, quod tamen cum per hiemem ibidem incommodius mihi futurum foret, traductus in oppidum una cum Crellio contubernali meo a) mutavi. Vis nunc de studiis & occupationibus meis? sesqui horam absumunt sacra publica, quæ & mane & vesperi, ut ex Crellii litteris b) aliquando intellexistis, quotidie frequentantur, a quibus tamen ego matutino tempore per septimanas tres, quatuor abstineo, ne gratis frigeam, cum Polonicæ linguæ ignarus conciones nondum intelligam. Duas horas apud Smalcium quotidie disputando, deque variis scripturæ locis disserendo, facimus, ubi & ipse Moscorovius, quando valet, & Crocerius, c) & Statorius adesse solent. Auctores etiam fuerunt mihi fratres, ut Polonicæ linguæ temporis aliquantum tribuerem, in qua Minerva tam invita versor, ut paulo plus quam nihil hactenus profecerim, nescio, an ingenii mei stupiditate, an naturæ abhorrentis vitio: nec tamen spem adhuc omnem abjeci. Deberem etiam singulis septimanis concionem aliquam sacram habere, d) sed istam curam animo meo gratissimam tot ejiciunt alia negotia, ut rarius adhuc tam utile ac mihi plane necessarium exercitium tractaverim. Quantum enim temporis salutationibus & colloquiis talium amicorum extrahi putas, mihi quidem non tantum jucundis, sed etiam oppido fructuosis, ut proinde non asperner, sed non tamen sine ocii impendio: quo nullum alias mihi pejus interire puto, quam quod prandiis cœnisque

100

situ editum. Quo licet facto nihilominus *Ruarus* etiam post id tempus, *Socinum se nosse*, strenue negavit.

a) Dum *Racoviæ* existeret: ubi ambo iisdem beneficiis fruebantur in aula *Sieninii*. Vid. ep. 13. inscriptionem.

b) Utinam non abolitis! Id vero conscientiæ stimulis, aut factorum pudore, vel tandem universo huic commercio arcano accidisse fatum, monumentorum illorum quæ superant, paucitas docet.

c) *Paulus Crokier*, Rector Gymnasii, ut supra jam annotavimus. De *Statorio* vel *Stoinio* paullo ante dictum est.

d) Non est, quod ad hoc munus *Ruaro*, Studioso hactenus Juris, delatum B. L. hæreas. Hæ enim *Sociniani* cœtus fuere rationes, eædemque illis omnibus probatæ sunt hypotheses, ut *ordinis atque decori conservandi caussa*, neutiquam vero propter jus aliquod divinum, peculiarem ad ministerium Ecclesiasticum vocationem requirant, & facile etiam, quoscunque secum sentientes, si dotibus sufficientibus sint instructi, præter ordinarios Ministros, ad docendum publice admittant. Id quod *Polonica* lingua *Racoviæ* ante meridiem, *Germanica* autem post meridiem fieri consuevisse, ex his ipsis litteris effici potest.

nisque impenditur, quæ nonnunquam, ut in aulis fieri ſolet, minus quidem pro Palatinidæ noſtri dignitate, pro meo tamen uſu, & aliorum negotiorum deſiderio lentius & cum pompa quadam, occupato moleſta, trahuntur. Huc adde, quantum me laborare neceſſe ſit in rebus meis domeſticis, quarum ſtatus in patria non mediocriter affligitur, conſilio a) ſatis expediendis, meque ipſo ad omnem fortunæ procellam matura deliberatione muniendo: adde poſtea, quantum mihi libris quibusdam in Germania rarioribus legendis ſatagendum ſit: iſtis additis, reliquisque ſupputatis, jam ſubduc ra-101 tiones, & vide, quantum mihi ad litteras reſtat, in quibus ſi non præſtare queam id, quod tu expectas, jam non ego ignavus, cui aliæ occupationes id non permittunt, ſed tu potius ſubiniquior, qui tantum a me exigas, videri debeas. Sed ſatis jam multa præfatus videor; ſi pompa Circenſibus odioſa, quanto magis in amicorum litteris? Ad quæſtiones tuas venio, quarum prima eſt, *An aliena fides ſiderato ſive paralytico remisſionem peccatorum impetraverit?* Vt ad hanc quæſtionem recte reſpondeatur, conſiderandum primum venit, quid Evangeliſtæ in illa ſiderati hiſtoria per remiſſionem peccatorum intelligant: *Remittere peccata*, phraſi ſacris ſcriptoribus uſitata, idem eſſe noſti, quod illi, qui latine terſius loquuntur, *culpam* aut *pænam remittere* dicerent, quoties fere Deo, aut fortaſſis etiam Chriſto, aut b) utplurimum ſaltem tanquam Dei vices gerenti, tribuitur; nonnunquam etiam pro eo uſurpari, quod *pronunciare* & declarare, aliquem *culpæ non amplius reum & pœnæ ſubjectum eſſe*, qua ratione Apoſtolis remittendi peccata poteſtatem dedit Chriſtus, qua tu ſi vis ipſum etiam aliquando proprie fuiſſe uſum, id quidem ad hanc controverſiam parum pertinet. Illud magis: cum duplex ſit pœna, temporalis & æterna, duplicem etiam illius, ut & culpæ, quæ ſemper 102 eam antecedit, remiſſionem, ſive vis etiam addere remiſſionis declarationem c) conſiderari poſſe, quarum una, ut a pœnis temporalibus

a) Dolis tamen ſubinde intermixtis.

b) Obſcuram hanc orationem *particula hæc disjunctiva* reddit, & fortaſſis *at* legendum eſt, ut Chriſtum quoque, tanquam vicarium, hac poteſtate uti conſveviſſe, doceatur. Sic certe ex ſequentibus elucere videtur, & *Socinianorum* doctrinæ receptæ analogia, qua *dum mortalis* eſſet, h. e. antequam mortuus fuiſſet, & e morte reſuſcitatus, non potuiſſe vere & perfecte peccata remittere, niſi vicarii in modum, perhibent, idem confirmat.

c) Ita certe *Socini* pars remiſſionem peccatorum interpretatur, ut *effectum* in futuram demum æternitatem rejiciat: ubi perfectam fore remiſſionem, quam ſpe duntaxat heic præcipiamus, tandem conſecuturam eſſe, maleferiati homines illi pu-

bus & culpa, quæ nos ad eam obſtringebat, immunes ſimus, facit, immunesve pronuntiat, altera nos a pœnis æternis & culpa tantum exitium promerita liberat, liberosve declarat. Geminæ remiſſionis ejusmodi, quarum una temporarias, altera ſpectat æternas pœnas, exemplum habes inſigne, *Matth. XII*, 32. ubi de blasphemia in Spiritum ſanctum legitur, quod *nec in hoc nec in futuro ſæculo remittatur*, quod ita Socinus explicat, a) eum, qui tanto ſe ſcelere alliget, & in hac ipſa vita punitum iri, & æternum ſupplicium eſſe ſubiturum: de quo loco, quia difficilior eſt, plura legere potes in commentario, ſuper quintum caput prioris Epiſtolæ Joannis, cujus exemplaria nunc aliquota Crellio noſtro accipis. Vtra vero remiſſio hoc Matthæi loco, ex quo tu nodum connexuiſti, ſit intelligenda, non obſcurum eſſe poteſt fixius inſpicienti ſequentia verba *v.* 5. ubi Chriſtus, Phariſæorum criminationi reſpondens, ſatis oſtendit, ad æternas ſe pœnas non reſpexiſſe, cum ſiderato *v.* 2. remitteret, cum hic pro ſimilibus habeat dicere, *Remittuntur tibi peccata tua, & ſurge & ambula*; &, ni fallor, prius tanquam aliquid poſteriore facilius proponit, quod vix poſſet, ſi *remiſſio peccatorum* ad æternarum pœnarum ablationem ſpectaret. Et verſu ſequenti, *ut vero ſciatis*, ait, *quod poteſtatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata; tunc dicit ſiderato, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam:* ſatisne diſerte tandem pro eodem habere videtur, *morbum ſive temporariam peccati pœnam tollere*, & *peccata in terra remittere?* ſic enim conjungenda ſunt hæc verba, *in terra*, dirempta ab illis, b) *poteſtatem habeat*, ut ex col- 103

tant. Contra teſtimonium Sp. S. Rom. VIII, 1. planum & luculentum, ubi in hac jam vita οὐδὲν κατάκριμα νῦν (*nunc*) dicitur eſſe τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ &c. ait Apoſtolus. Quo poſito omnes tricæ, quas valde impeditas hoc loco *Ruarus* de pœnis temporalibus & æternis propoſuit, diluuntur facillime, & uno ictu concidunt, quippe extra, immo contra Script. divinam fictæ & conſolationi ſeu ἀναπαύσει conſcientiarum Evangelicæ e diametro repugnantes.

a) Cum toties teſtatus ſit, ſe *magiſtrum Socinum* non agnoſcere, epiſtolarum harum auctor, ſola tamen ad eum, tanquam oraculum, provocatione, quanta fuerit in animo ſuo ejus auctoritas, rationibus haud communita, abunde teſtatur. In. Sp. S. autem, quod dicitur, peccatum, ejusque crimen ac pœna, quam exiguum huic *Socini* opinioni præſtet afferatque robur, alibi docuimus, & ipſe Evangeliſta *Marcus* optimus interpres commonſtrat.

b) Neutiquam temperamentum illud verborum, tanquam limitatio quædam, ad *beneficium* aliquod imperfectum, hoc eſt, remiſſionem certi tantum gradus pœnarum temporalium puta, reſpicit, ſed *perſonæ* Chriſti qualitatem atque conditionem, ἐν μορφῇ δούλου, deſcribit, & tanquam offendiculum removet, & quanquam in terra exiſtat, atque pauper & egenus inter alios terricolas obambulet, nihilominus hac remittendi peccata (*peccata*, inquam, non pœnas peccatorum duntaxat, ſed &

latione *Marci II*, 10. Socinus observavit. Jam igitur ad quæstionem tuam dico, non debere tibi mirum videri, si fides aliena siderato remissionem peccatorum impetravit, quoad eam corpoream in hac vita pœnam attinebat, a) quandoquidem hujus rei duo apud eundem Matthæum exempla leguntur, alterum *cap. VIII*, 13. alterum *cap. XV*, 28. quibus liceat fortassis etiam tertium addere, *Marc. V*, 36. & *Lucæ VIII*, 41. cum præsertim verisimile sit, Evangelistam, quando dicit, *cum vidisset fidem illorum*, ipsius siderati fidem maxime respexisse, aut saltem non exclusisse, quem alias hominem minime malum fuisse, vel id arguit, quod morbo liberatus Deum laudaverit, ut Lucas in eadem historia describenda annotavit. Et quorsum alias unus pro altero oramus, nisi quia precatio justi, cui fides adjuncta semper est, multum potest, idque non tantum in avertendis hujus vitæ malis terrenisque a bonis alteri impetrandis, ut expresse Jacobus innuit *cap. V*, 16. qui versu quoque præcedenti remissionem pec-104catorum ad invaletudinis, ni fallor, ablationem retulerat; sed etiam in cœlestibus bonis exorandis, qualis est vita a Joanne *cap. V*, 16. prioris Epistolæ indigitata; quod tamen qua cautione accipiendum sit, eundem, quem supra dixi, Socini commentarium consulendum censeo. *Secundo*, petis, ut locum *Rom. I*, 19. 20. seu potius loci istius sensum a Socino datum contra corruptelas Jacobi ad Portam b) defendam:

culpam cum pœna in universum omni,) ipsum pollere potestate, eademque nativa & propria, indicat. Quod ut confirmet, spectabili nec minus efficaci auctoritate, patrato miraculo sanitatis, subito nempe ad nutum & arbitrium suum, restitutæ servator potentissimus, radio quasi quodam majestatis, sibi, ut homini etiam, competentis, etsi non constanter usurpatæ, demonstratum dedit. Male ergo hæc pro *similibus* habuit *Ruarus*, & ut talia, quæ remissionem tantum explicent, consideravit, quibus ille potius, tanquam luculentissimo signo & documento, ex re quadam conspicua desumto, adversariorum pervicaciam compescere, & manifestissimo beneficio in oculos incurrente, alterius oculis non conspicui veritatem stabilire voluit. Id quod disputatio de eo, quid εὐκωπότερον sit, heic agitata, & verbum εἰδῆτε clarissime testificantur. Vt omittam, Christum, *potestatem suam*, remittendi peccata, ut demonstraret, hoc miraculum patrasse, explanate dici; de explicatione autem, *qualis sit illa remissio*, huic facto, ut Sociniani fingunt, adjecta, (quibus alias verbis consilium expressum fuisset,) ne γρῦ quidem legi.

a) Non negant nostri, aliena fide corporea beneficia impetrari posse, at sola hæc beneficia hoc loco contigisse paralytico, id est, quod negamus. Neque tamen, ut ab aliis fit, propterea salutem animæ alienæ fidei adscribimus, sed effectum tantum mediatum, hoc est, mediorum salutis promovendorum, ei tribuimus, eo modo, quo sani homines ægrotanti [illegible] non sanum faciunt, at medicamina procurare solent.

b) *Jacobi ad Portum*, non ad *Portam*, vi-

dam: qua in re libenter tibi gratificarer, ſi vel iſtius corruptelas ſimul annotaſſes, vel liber Jacobi contra Oſtorodum, quem innuis, hic inveniri poſſet: nam Smalcii prius exemplar alio abivit, & ille novum adhuc expectat. Illud autem recordor in iſto loco mihi quoque olim negotio fuiſſe, quomodo Paulus ſequentibus verſibus tanquam pœnam non recepti Evangelii gentibus fuiſſe ſcribat ea, quæ jam pridem inter illas vigebant: ad quod duplici ratione reſponderi poteſt, primum illa flagitia, quæ ibidem recenſentur, quanquam antea quoque perpetrabantur, tamen a voluntaria hominum nequitia tunc profecta eſſe, poſtea vero juſto Dei judicio tanquam neceſſaria, quæque non poterant non fieri inducta a) fuiſſe, &, cum liberum antea gentibus fuerit, nuncio improbitati remiſſo, per Chriſti doctrinam ad meliorem frugem redire, deinceps occœcatis mentibus ne videre quidem tantam Evangelii gratiam, cujus lumen in mundo paſſim tunc reſplendebat, conceſſum eſſe. Deinde dico, licet jam antea gliſcebant paſſim inter gentes vitia, nunquam tamen 105 eo

ro huic docto nomen fuit, patria de reliquo *Bernati*, ſed officio Profeſſori *Lauſanenſi* recens conſtituto, ex *Orthodoxa defenſione* contra *Oſtorodi Inſtitut.* ed. t. t. celebri. Ejus libellus, cujus hic mentio incidit, & a nobis p. a. titulus repetitus eſt, nuper admodum evulgatus, plurimum negotii faceſſivit *Fratribus* & *Polonis* & *Germanis*, tantoque magis viſus etiam eſt lectione & refutatione dignus, quod non ſolum primarium hæreſeos compendium aggreſſus erat autor, ſed opuſculum etiam *Senatui Gedanenſi* dedicaverat, eo fine, ut *Oſtorodo*, non procul a pomœriis ampliſſimæ urbis habitanti, & quaſcunque potuerit, ex *ovili* illo *abripienti oves*, commodius obviam iri poſſet. Cæterum locus, ad quem heic provocat, indicio a *Peuſchelio* facto, *Ruarus* in L. cit. f. 17. ſq. habetur. De modeſtia viri hujus doctiſſimi teſtatur epiſtola ad *Conr. Vorſtium* data, quæ inter *Epiſt. Remonſtr.* num. 130. legitur.

a) Vox *incommoda* : præſertim ſi ad judicia Dei referatur, per quæ non inducuntur nec immittuntur peccata, ut neceſſario fiant; Sed *gratia ſubtrahitur*, tanquam a judice juſte erga ingratos irato: unde hominum creſcente malitia, ſibi nempe absque fræno deinde relictorum, vitia plura & atrociora oriuntur. Quod alibi *Paullus* verbis notatu digniſſimis: *Sivit eos ſuis ipſorum viis* incedere, Act. XIV. 16. pronunciavit. Quicquid vero horum ſit, nihil tamen eorum ad ſententiam *Socini*, per opera κτήσεως, *facta*, cum inſtaurandis rebus hominumque ſaluti procurandæ apparuiſſet *Chriſtus*, *miracula* l. c. Rom. I. 20. intelligentis, faciunt incruſtandam. Quoniam non ſolum de notitia Dei ſupernaturali, a *Chriſto* & *Apoſtolis* prædicata, h. l. directo non agitur, & ποιήματα Dei nuſquam etiam miracula denotant, præſertim ἐκ κτήσεως κόσμου cognita, tametſi in mundo ſint facta; Sed etiam ipſe *Apoſtolus* Cap. II. 12. atque 14. de veritatibus φύσει (*natura*) notis ſe diſſerere, earumque tanquam manuducentium ad ſublimiora neglectum, juſta Dei in tot flagitia traditione punita eſſe, jam ante *Chriſti adventum*, luculenter, verbis *præteriti temporis conſtanter adhibitis*, edocet.

ardore, quam Neronis & consequentium aliquot Imperatorum temporibus, quæ Paulus hic perstringit: neque scio, an unquam homines magis ad libidinem, ad crudelitatem, ad rapinas, & omnia scelera projecti fuerint, an unquam variis & curiosis artibus magis dediti, an unquam plures & inauditos deos antea coluerint, & quod mirum videri debeat, minus tamen de omni divinitate præsertim viri docti senserint, cum passim tunc ferverent istæ disputationes, *an Deus aliquis sit, & num rerum ille nostrarum curam gerat?* an vero omnia cœco fortunæ impetu, nullo bonorum malorumque discrimine volvantur & revolvantur? id quod juxta mecum fatebitur, qui illius ævi scriptores primoribus, quod ajunt, labris degustarit. Possunt autem hæ duæ responsiones ita conjungi, ut dicatur Paulus istam gentium, de quibus loquitur, pœnam fecisse, quod in prioribus sceleribus obfirmati, & ad plura majora audenda inflammati fuerint, terribili quidem, sed justissimo Dei judicio, qui contemptum evangelii a) sui gravissime vindicare solet. Sin autem aliud quid objicit *Jacobus ad Portam*, quod per ista, quæ nunc ad meam de Socini explicatione natam dubitationem attuli, dilui non possit, de eo forțassis aut coram aut alias per litteras videbimus. *Tertio*, Socinum secum ipso pugnantem arguis in solutione argumenti sexti classe prima contra Wujekum: rationis tuæ, quam intricatius proponis ea vis esse videtur, quomodo Socinus dicat, Joannem in illis verbis,

106

cap.

a) Nec conciliatione hic opus est, nec conjunctione rationum ante adductarum. Quamvis enim non inficiemur, eo tempore, quo Evangelium Christi prædicatum est a *Christo* & *Apostolis* ad summum etiam gradum perductam provectamque fuisse impietatem non unius generis inter populos profanos sapientiam simul & Philosophiam professos, Græcos atque Romanos: non tamen, hujus novi beneficii contemtum tantorum flagitiorum caussam fuisse, vel verbo innuit Apostolus; Sed eo potius spectat, ut corruptissimos esse omni scelerum colluvie homines cunctos, τὰ ἔθνη *potissimum, tum vero,* quod sequenti capite incipit docere, *etiam Judæos*, utut lege divinitus data instructos, & a moratioribus quoque ethnicis nonnullis interdum, qualicunque morum modestia, superatos ostendat, atque hinc ex operibus legis nullatenus justitiam expectari posse, quæ undiquaque deficiat, concludat. Quod si vero, quænam sit tantæ corruptionis animorum caussa inquiras, id eo factum esse, dicit, quod naturali, qua uti poterant νοῦντες vel ποιήματα κόσμου, notitia & Theologia generatim non recte usi sint, sed etiam hinc potissimum divina justa Nemesi illud malum ortum esse ait, quoniam, quem nosse poterant, Deum esse ἄφθαρτον, quod sane ratio sana ex operibus creatis demonstrare potest, eoque modo etiam colendum docet, variis & ex parte etiam turpibus imaginibus corporeis certe confictis contumeliose tractarint, injuriaque per idololatriam suam, putida offecerint. Quid vero hisce rebus cum Evangelio Christi est commercii?

cap XII, 4. *cum vidit gloriam ejus*, ad utrumque teſtimonium, alterum ex ſexto, alterum ex LIII. Eſaiæ capite allatum, reſpicere, cum idem tamen neget, quicquam cogere, gloriam iſtam, quam vidiſſe Eſaiam Joannes affirmat, ad illam gloriam referre, cujus viſio deſcribitur apud eundem Eſaiam *cap. VI.* unde teſtimonium alterum eſt allegatum. Ad hanc quæſtionem ut ſine ambagibus reſpondeam, quanquam tu ipſe in iis, quæ tibi objicis, non videris aliquatenus ignoraſſe, quot modis eludi poſſet, ſimpliciter, in eo te falſum eſſe, dico, quod exiſtimaveris, illam gloriam, ad quam reſpexiſſe Johannem Socinus fatetur, primis illis ſexti apud Eſaiam capitis verbis contineri, quem Bellarminus & Wujekus imprimis urgebant, cum aperte Socinus illam gloriam, cujus viſio ibidem deſcribitur, diſtinguat a Chriſti gloria, cujus Johannes mentionem fecerit, quæque apud Eſaiam tribus poſtremis ſexti capitis verſibus a) annunciatur. Inquit enim Socinus, præclariſſimam in illis Chriſti gloriam prædici, *quandoquidem poſt mentionem* verſu 9. & 10. *factam futuræ cœcitatis & indurationis Judæorum in Chriſto non agnoſcendo & amplectendo*, prædicitur verſu 11. *deſolatio & vaſtatio iſtius populi ejusque rejectio*, non tantum propter Chriſtum contemptum, ſed etiam per ipſum Chriſtum, poſtquam ad dominium omnium rerum evectus fuerit, efficienda, imminens, & *v.* 12., *qui per parentheſin legi debet, gentium poſt Judæorum rejectionem iſtam vocatio & ad Chriſtum converſio, idque ingenti numero*, (hunc enim ſenſum præbere poſſunt illa Vulgatæ verba, *& multiplicabitur illa, quæ derelicta fuerat in medio terræ*, nam & alibi ipſe Eſaias de gentium vocatione, ſub nomine *mulieris derelictæ ſeu deſertæ*, loquitur, quemadmodum Paulus Apoſtolus *Gal. IV*, 27. interpretatur) quam veriſimile *Socinum, cum contra pontificios homines diſputaret, ſecutum eſſe*; ac poſtea ſtatim ſubjungitur, *ejusdem populi Judaici in priſtinum, atque adeo meliorem ſtatum reſtitutio; quæ nimirum per Chriſti agnitionem illis eſt obventura:* verba prophetæ ultima ſic habent, *verum adhuc in ea* terra erit *decima* pars, *&*, ſive, quæ *revertetur* ad Chriſtum & *erit in exciſionem ſicut terebinthus & quercus, quibus* 107

a) At in poſtremis Eſ. VI. verſibus nihil occurrit, quod *vidiſſe* dicatur *Eſaias*; Aliud enim eſt *prædicere*, aliud *videre*. Ab initio vero capitis, quæ viderat Propheta, diſertis verbis narrantur, & actus præterea *videndi* atque *loquendi*, ipſe *Johannes* diſtinxit. Taceo, neque in fine capitis iſtius de *gloria Dei* locutum fuiſſe divinum vatem, ſed de *Eccleſia* potius in *ſummas anguſtias redigenda*, ea potiſſimum, quæ ex Judæorum gente colligenda eſſet, & ἐκλογὴ a *Paullo* Rom. XI. appellatur. De Eccleſia certe ex ethnicorum ingenti caterva Chriſto congreganda ſermonem l. c. non inſtitui, ipſe *Socinus* fatetur.

in projectione subsistentia, illi in hac erit subsistentia, ſemen ſanctum; i.e. quemadmodum terebinthus & quercus, cum hiemali tempore folia ſua projiciunt, retinent tamen ſemper internam quandam vitam, quæ vere nove ſe rurſus exerit, ita cum decimæ quoque Judæorum parti, poſt reliquas diſperditas, exciſio quædam immineat, nihilominus tamen ſemen aliquod ſanctum retinebit, per quod ſpes illius revireſcat.

108 Hanc gloriam Chriſti, quæ tribus iſtis poſtremis verſibus continetur, multo conjunctiorem Socinus ait & verborum ſtructura & reipſa eſſe cum eo, quod inde a Joanne citatur, cum verbis nimirum illis *v.* 9. & 10. *Audiendo audite*, & quæ ſequuntur; quam eſt gloria illa, quæ præcedit in illa viſione Dei, quæ Eſaiæ ab initio capitis deſcripta contigit. Hæc ſi adverteris, jam Socinum a contradictione, ceu ſpero, abſolves. Quarto, cum Socinus dicat, verba *Eſ. XXXV*, 4. quatenus ad Chriſti tempus pertineant, ut allegorice accipiantur, omnino neceſſarium eſſe, quæris an tempus ante Chriſti mortem intelligatur, & quomodo tunc non ſit falſum, quod de allegoriæ neceſſitate Socinus dicit, cum Chriſtus revera ea miracula, quæ apud Eſaiam deſcribuntur, ediderit? Sed hac quæſtione non fuiſſet opus, ſi Socini verba paulo attentius conſideraviſſes, quæ nunc, ut brevibus notis illuſtrem, aſcribam. *Allegorice*, inquit, ſunt miracula iſta, quod *cæcorum* oculi aperiri, ſurdorum aures reſerari, claudi ut cervi ſalire, ut muti linguam ad laudes Dei reſolvere debeant, accipienda, non quidem de Chriſti tempore, quod, quamvis nonnulli autument, inter quos eſt Calvinus, qui ſpiritualium oculorum reliquorumque membrorum creationem figuratam prædici putat, ego non adeo nunc urgeo: ſed *ſaltem* ſive ad minimum *pro eo tempore* captivitatis Babylonicæ, a) quo miracula talia vere contigiſſe nuſquam legimus, & ad

109 quod tamen hunc locum referri poſſe oſtendi: Nec debet cuiquam mirum videri, quod in his verbis, quatenus ad captivitatis Babylonicæ tempora a me referuntur, tropum aliquem conſtituam, *cum veriſimile plane ſit, ut pleraque alia, quæ ibi prædicuntur, mira & magna*, qualia

a) Non eſſe in cap. 35. *Eſaiæ* de captivitate Babylonica ſermonem, cum alia plurima demonſtrent v. g. quæ de conſueta ethnicorum *deſerti* nomine in Prophetis appellatorum nomenclatura, de *gloria Libani Carmelique decore* deſerto huic, non aliter certe quam *ſpiritualiter*, dandis, de *ſemita item ſancta*, & fontibus ſolatifluis in deſertis, deque *abſentia leonum & malarum beſtiarum*, ad Maccabæorum tempora non quadrante, &c. &c. hic leguntur, tum vero maxime Chriſti ipſius ad hoc vaticinium provocatio Matth. XI, 3. ſqq. addocet. Nihil ergo cauſſæ fuerat, cur de complemento germino tam ſolicite cum *Socino* ſuo laboraret *Ruarus*, cum non niſi unum fuerit.

lia ſunt, quæ ab illis verbis, *quia eruperunt in deſerto aquæ*, uſque ad verſum 10. ſcribuntur, *allegorice accipiantur, ad quodcunque tandem tempus illa pertineant; quatenus vero ad Chriſti tempus pertinent*, id eſt prorſus neceſſarium. Non dicit igitur Socinus, miracula *v.*5. & 6. commemorata ad Chriſti tempus allegorice accommodari debere, ſed illa *pleraque alia*, quæ deſignavi, in quibus cum propheta populo a captivitate reduci terrenam felicitatem promittat, quatenus verba typice ſumuntur; intelligendum eſt nihilominus, quatenus ad Chriſti tempora myſtice referuntur, omnem ſpiritualium bonorum abundantiam ſponderi. In quæſtione quinta primum petis, ut exemplo tibi annotem, ubi ipſe Deus introducatur loquens, poſt illa verba, *ſic dicit Dominus exercituum:* quod equidem te petere, ſatis mirari non potui, cum exempla ita ſint obvia, ut crediderim, te, qui nec, antequam ære laveris, iſta ignorabas, nunc cum quæreres, aliud fortaſſis egiſſe. a) Vel ipſum hunc vide Zachariam, cujus occaſione quæſtionem inſtituis, *cap. I,* 3. 4. 14. 16. 17. & animadvertes, ſemper aliquid ex perſona Dei ſubjici, ut alias fere ſemper, quotieſcunque verba hæc, *ſic dicit Dominus*, in propheta quodam leguntur. Deinde conaris labefactare rationem Socini, qua probat, quamvis alias fortaſſe ſemper poſt verba, *ſic dicit Dominus exercituum*, ipſe Dominus exercituum loquens introducatur, id tamen in loco Zachariæ II, 12. fieri non poſſe; quam rationem ſi aliquanto explicatius tibi propoſuero, facile corruet objectio, qua tu eam impetis. Dicit itaque Socinus, quod Angelus non potuerit ipſum Jehovam ad ſe loquentem introducere, b) quia talis illi tribuendus fuiſſet ſermo, ex quo duobus illis, angelo alteri Zachariæque præſentibus, non potuiſſet conſtare illud, quod utique ſignificare prior angelus volebat. Fac enim illum, ut ipſa Domini verba exprimeret, ſic eſſe locutum, *ſic dicit Dominus exercituum, poſt gloriam mittam* 110

 tam

a) Ita profecto eſt. Immo vix unquam, niſi forte oratio Dei præceſſerit, & hac formula ea finiatur, oſtendi poteſt, ubi aliter res comparata ſit.

b) Immo vero non opus fuerat hac ſolicitudine intricata. Etenim jam a commate 9. (finita ante comm. 8. oratione Angeli, *Zachariam* virum juvenem alloqui jubentis) ipſe Propheta loquitur & Deum introducit loquentem, qui dixerit: *A Deo ſe miſſum iri poſt gloriam templi ſecundi reſtitutam ad gentes, in Eccleſiam N. Teſt. congregandas* &c. idque ad certitudinem indubitatam magis corroborandam, eum denuo repetiiſſe, inquit. Unde ſane manifeſte patet; *Perſonam divinam*, a perſona alia, *mittentem* nempe a miſſa, diſtingui, diſtinctasque ut loquentes introduci. Quæ cauſſa etiam fuit, cur tot impeditas *Socinus*, ad incitas redactus, elabendi rimas quæſiverit, *Peuſchelius* autem adverſus ſolem propemodum loqui, non ſit verecundatus.

tam te ad gentes, quæ ſpoliaverunt populum meum: hinc certe non conſtabit Zachariæ & alteri angelo, qui cum illo erat, angelusne ille, qui hæc Dei verba μιμητικῶς * retulit, ipſe mittendus ſit, an alter eorum, quibus hoc ipſe referebat, & uter, & præcipue an alter angelus, ſiquidem ipſe licet ex perſona Domini loquens pro eo, quod in ſermone Domini fuerat, *mittam Zachariam*, aut *Angelum iſtum*, qui cum *Zacharia*
111 *loquebatur*, in referendo mandato demonſtrativum *te* nomine proprio ſubſtituere potuiſſet. Deinde etiam non bene expreſſum fuiſſet per verba *populum meum*, iſtos ſpoliatos pertinere ad Zachariam, eumque ex illorum numero eſſe, ut exprimit pronomen *vos*. Et tamen utrumque, præcipue vero illud, quod ipſe mittendus eſſet, oratione ſua exprimere volebat: atque adeo etiam debeat, niſi vellet, ut ambiguitate verborum decenti ** juſſum aliquod alteri latum ipſi fortaſſis exequerentur. His explicatis objectioni tuæ jam reſponſum puto, qua quæris, annon Dominus exercituum ab angelo loquens introduci potuerit duobus iſtis, Zacharia & altero angelo præſentibus? Potuit, ſed non ut ipſi ex eo ſermone perinde intelligerent, quæ ſcire illos interat. Quod autem addis, Socinum jam antea non ex hoc, quod nunc dicit, ſed ex eo, quod, qui hæc verba profert, *hæc dicit Dominus exercituum*, fuerit angelus ille alter, qui occurrerit angelo loquenti cum Zacharia, probare, ipſum Dominum exercituum loquentem non introduci; ſi tibi ea probatio eſt, quod tamen Socinus mihi velle non videtur, quid tandem in eo eſt abſurdi, ſi idem non eodem ſemper modo probetur, cum hoc potius cauſæ alicujus bonitatem arguat, quod pluribus argumentis ſtabiliri poſſit? *Sexto*, quod de ſubſtantia illa in materia *** utrum ſeu immiſſa ſeu ibidem creata quæris, *ad id puto Crellium*
112 *tibi pro ſua illa eruditione* ſatisfeciſſe, a) *a quo nonnihil fere, quod ad hanc rem*

* Per imitationem. ** Aut potius *indecenti*.

*** Nullo ſenſu, niſi *Mariæ* auctor ſcribere voluit.

a) Obſcurum eſt, quænam fuerit quæſtio. De purificata enim ſeu emundata ſubſtantia corporis Chriſti a geniali labe diſputatum eſſe, non credibile eſt, quia ipſum peccatum originis uterque negabat. Veriſimilius eſt, de modo, quo uſus ſit Sp. S. ad *ovulum*, unde Chriſti corpus formatum eſt, animato modoque ad vitalem vim recipiendam, hanc quæſtionem egiſſe: qua de re uti dudum a multis, ita nuper etiam *Serveſtæ* fuiſſe diſceptatum, meminimus. Utut ſit, nos conſultius eſſe putamus & modeſtius, ab hac diſquiſitione omnino abſtinere. Cæterum, *Crellium* ſatisfeciſſe *Peuſchelio*, quando *Ruarus* inquit, non de libro aliquo, unde ſolutio hæc deſumenda ſit, loquitur, neque enim quicquam huc uſque in publicam lucem a. 1615. dederat, ſed de *epiſtola* privatim ad eum ſcripta. Quæ tamen, ut aliis pluribus & pæne omnibus horum ſociorum ſcriptis con-

rem attinet, dissentio. Septimo, quæris de loco *Es.* IX, 6. an in typo de alio, quam Christo, sit intelligendus, & quis tandem ibi designetur? Hic tibi, mi Peuscheli, fateor, aquam mihi adhuc hærere, cum, quid sequar, non habeam, habeam vero, quod vitem. Quod enim plerique Judæi de Ezechia interpretantur, id an consistere possit nescio, cum videatur de parvulo recens nato esse sermo; Ezechias vero fuerit tunc ad minimum novem annorum, etiamsi statim in initio regni Achasi vaticinium hoc ab Esaia proditum velis. Pone calculos; regnavit Achasus sedecim annis, cui successit Ezechias filius, cum 25. annos natus esset: fuit itaque jam tum, cum Achasus ad fastigium regni perveniret, annorum novem. Christiani fortassis omnes ipsi Christo sic accommodant, ut nullum hic typum admittant, qua in re mirari mihi subit, ex omnibus novi fœderis scriptoribus neminem a) locum hodie tam πολυθρύλλητον * ad Christum transtulisse, nec inficias tamen eo, recte id atque ordine a Theologis fieri, qui si istam, præter alias rationem secuti sunt, quod puer, cujus mentio *Cap. IX.* fit, idem esse videatur cum isto puero *cap. VII.* quem Christum Matthæus interpretatur, jam ipsi non obscure nobis indicant, quis capite nono, tanquam Christi typus, delineetur; constat enim puerum istum, qui septimo, ut & octavo capite Emanuel appellatur, esse Prophetissæ filium, si sensum historicum spectes, quem Seidelius ille b) meo judicio non male, si modo recte memini, (nam tu verba illius non adscripseras in ea charta, quam abeunti c) dederas,) evolvit. Quod si igitur idem Prophetissæ filius d) nono capite describitur, quomodo tam

113

* Insignem, notissimum.

fabulationibus accidit, sine dubio est abolita.

a) Ratio plane ficulnea. Quis enim hanc legem a Deo usquam latam esse vel somniando cogitavit: *Omnia loca de Christo in V. T. agentia, in N. T. allegata fuisse, aut allegari debuisse:* cujusmodi sane plurima alia istic non commemorantur. Quo & ipsum *Protevangelium* atque *Canticum Canticorum,* tot mysteriis scatens, inprimis connumeranda sunt.

b) *Martinus* nempe, Olaviensis, homo sceleratissimus.

c) Videtur per amicum in *Poloniam* peregre euntem, hæc scheda, tot quæstionum plena ad *Ruarum* missa. Ipse enim *Mart. Seidelius* ille nunquam *Jenam,* unde hæc scripserat *Peuschelius*, adiit; ad alterum vero *Seidelium Pomeranum*, *Racoviam* etiam, postquam *Altorphio* abiit, confugientem, de quo *Hist. Crypto-Socin.* Cap. I. lit. S., utpote qui nihil unquam scripsit, *verba,* quorum heic meminit *Ruarus, excerpta* nullatenus congruunt.

d) Falsissimum est, Prophetæ filium *Emmanuelem* illum fuisse aut dictum esse; non solum, quod ipse *Angelus* de *Christo* hæc prædicta, idque nomen jam ei ab *Esaia* inditum esse testatur; sed etiam quia *Virgo* mater ejusdem si fuisset, uxor prophetæ appellari haud poterat. Aliter vero de *Schear Jaschubh* Prophetæ filio, simul adducto & cæteris ejus liberis judicandum, quorum ob alias caussas memi-

tam ſplendidi conveniens illi tituli, qui ibidem leguntur, *Admirabilis, Conſiliarius, Deus* ſive *Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis?* An dicendum hic cum Rabbinis, iſta elogia non infanti nato, ſed Deo tribui, qui illius nomen vocaturus, hoc eſt, præſens illi aſſuturus, & benignitate eum ſingulari complexurus eſſet, ut in eodem Eſaiæ *cap. XLIII,* 3. phraſin hanc extulit Hieronymus Oſorius? imo nec ſequens verſus *ad multiplicandum, &c.* totus inepte fortasſis ad Deum referri poſſet, id quod etiam fere velle videntur iſta verba ultima, *zelus Jehovæ exercituum faciet hoc.* Sed eſt tamen adhuc aliud, quod Prophetiſſæ filio congruere vix poteſt, utpote quod *principatus ſuper humeros ipſius factus ſit:* an & hæc fortasſis verba dilutiori ſenſu de Prophetiſſæ filio accipienda ſunt, quatenus ortus ipſius ſignificabat, jugum oneris, de quo verſu quarto, ſolvi debere, & principatum non aliter Judæis, ac ſi ſuper humeris iſtius pueri foret, poſtliminio reſtituendum eſſe; nec enim novum eſt, ut ea, quæ Chriſto pleniſſimo verborum ſenſu conveniunt, aliis in typo ratione quadam debiliori
114 tribuantur: cujus rei exemplum non longe quærendum eſt, cum in eodem Eſaia, capite præcedenti, verſu octavo, Judæa iſtius Immanuelis terra eſſe legatur, quod non minus improprie, quam hoc loco principatus ſuper ipſius humerum factus dicitur. Ego ſane, ut antea fasſus ſum, vix habeo, in quo acquieſcam, & tamen, ne viderer quæſtionem iſtam neglexiſſe, ſomnia tibi mea narrare volui; nec enim ſoli Sabini, ut ajebant veteres, quod volunt, ſomniant. *Octavo,* quæris de capite LIII. Eſaiæ, an & ibi ſit aliquis Chriſti typus, & quis ſit? Ego vero vix dubito, quin ibi typus aliquis lateat, cum ipſum quoque Socinum in ea ſententia eſſe videam: *lib.* 2. *de Servat. c.* 5. quis vero ſit, haud facile eruam. Memini, me in libro quodam manuſcripto, qui ex bibliotheca Soneri, a) neſcio, an Dumlero, an Fabricio, an Hainlinio b) obvenit, de toto iſto capite quædam diſputata legere, quæ tu, ſi modo mihi memoria non mentitur, iſtic reperire potes. Ego ali-

nit. Tantum abeſt, ut locus Eſ. IX. comparatus cum Eſ. VII. ad hujus ſenſum illuſtrandum aliquid conferat.

a) Direpta magis quam diſtracta, a *Leimero* certe ita inter amicos diſtributa, quos eadem mente, quam ipſe quoque *Sonerus* tenuerat, eſſe noverat, ut nemini aliorum quicquam concederetur. Qua de re jam in ipſa *Hiſtoria* aliquid a nobis animadverſum eſſe meminimus.

b) Fraterculi ſunt, quorum partim alibi meminimus, partim in calce hujus epiſtolæ mentio, additis & cæteris, fiet. Cujus autem labor MStum illud fuerit, *Soneri* ne ipſius, quod valde probabile eſt, an alterius cujusdam ab eo aſſervatum? non liquet. Multoque minus ſutum? non liquet. Multoque minus ſuperſitne alicubi, an perierit, conſtat, & credibile eſt, cum epiſtolis tandem deletum eſſe.

alias non difficulter adduci possim, ut Seidelii, a) sententiæ subscribam, qui de Jeremia b) interpretatur, nec, objici tamen posse quædam, ignoro, quæ non ita scite Jeremiæ aptari possint, quod cæterorum fortassis vaticiniorum divinorum more possit excusari, quorum hoc est ingenium, ut nunc ei, de quo primo edita sunt, nunc vero ei, ad quem mystice referuntur, perfectissime conveniant: qua in re licet singularem Dei sapientiam & prudentiam animadvertere, qui prophetarum 115 linguas ita moderatus est, ut & probi, quando sublimius aliquid in ipsorum verbis agnoscunt, quam ea tempora, quæ primum designabantur, exhibebant, tanto facilius ad recipiendam Domini Jesu doctrinam adducantur, & improbi, quando vident, non omnia tamen ex æquo Domino Jesu, prout verba sonant, congruere, nunquam malitiæ suæ prætextu destituantur. c) Posset tamen hoc cuipiam mirum, & Deo quo-

a) Ejusdem, de quo paullo ante, *Martini*, hominis ipsis etiam Judæis pejoris; quippe qui, cum illi alium, ad ingenium nempe geniumque suum formatum, Messiam expectent, plane nunquam appariturum esse, neque etiam venisse unquam docuit.

b) Quam coacte vero id fiat, jam dudum a nostris demonstratum est, inque ipso etiam vaticinio ne levissimum quidem vel ex circumstantia aliqua datum indicium apparet. Nos contra vel solam *sepulturam* & *vitam immortalem*, cum *vulneribus* & *sanitate*, ex illis in *Ecclesiam redundante*, *seu conciliatione cum Deo hinc orta*, pluresque alias rationes huic opinioni *Judaico-Grotianæ* (nam huic quoque ea probata est) refragari censemus. Ut N. T. authenticam interpretationem præsertim Act. VIII, 34. sqq. omittamus.

c) Pulchra hæc sunt, fateor, & ingeniosa meletemata, sed falsam illam hypothesin præstruentia, qua, *quicquid in V. T. prædictum sit*, ad *rem* quandam *ea ætate gestam sensu*, quem vocant, *literali spectare*, *&* *mystico* seu sublimiori, typi in modum, *ad res N. T. referri debere*, nonnulli existimant. Ubi alii ex adverso cuncta propemodum ad Christum ejusdemque Ecclesiam obtorto haud raro collo rapiunt. Unde periculum illud, quod *Ruarus* metuendum putavit, utique nascitur. Rectius illi sentiunt, qui modo hæc, modo illa a Prophetis ad auditorum suorum commoda promovenda sensu primo & simplici pronunciata arbitrantur, & ad quod genus vaticiniorum singula pertineant, h. e. Veterisne an N. Test. statum delineent? *ex* criteriis seu characteribus certis, imprimis vero *prædicatis*, ut vocant, unde & Philosophi, qualia sint subjecta, cognoscere jubent, colligi volunt; ita præsertim, ut ad *Sp. S. ipsius in Libr. N. T. ductum*, indiciumque factum diligentissime attendatur. De quibus *criteriis*, utrumque extremorum evitandum præcipiens nuper admodum ex instituto, ea, qua pollet, exegetici doni præstantia, egit Ven. *Rambachius*. Neque etiam credo, quenquam hanc *prudentiam*, media via tutissime procedentem, esse improbaturum, qui auditores quosdam vatum divinorum vituperatione & objurgatione, alios vero consolatione opus habuisse, & Prophetas ipsos non suæ tantum, in qua vivebant, Ecclesiæ, *Sinaitici fœderis* tabulas, frequentius ob oculos habenti, sed etiam N. T. quod & his scriptis superstruendum erat, civibus consulere voluisse cogitet. Aliter vero de typis *re-*

quodammodo indignum videri, quod Jeremiæ ſingularis alicujus hominis vita, actiones & fortuna tanto, antequam ille lucem aſpexiſſet, prædictæ fuerint: ſunt enim a morte Ezechiæ, qui regum ultimus nominatur, ſub quibus Eſaias vaticinatus eſt, usque ad annum Joſiæ decimum tertium, quo Jeremias, ætate tum adhuc junior, vaticinari orſus eſt, anni LXX. Neque nego, maximi illud momenti futurum, cum non deſint, qui fortaſſis hoc exemplo ad omnium rerum certitudinem etiam, priusquam gerantur, aſtruendam, humanique libertatem arbitrii deſtruendam uſuri ſint: niſi ſimilia quædam de aliis legerentur, ex quibus ſi non ſequitur, quod iſti volunt, cum duorum aut trium hominum particularis ratio communem omnium legem non oſtendat, ut recte fratres noſtri docuerunt, ne quidem ex hoc, quod circa Jeremiam geſtum eſt, id firmiter colligi poteſt.

116 Similia iſta, quæ dixi, duobus nunc tantum in locis aperiam, quorum alter eſt Danielis XII. capite toto, alter 3. *Reg. XIII*, 2. Apparet vero ſingulare aliquid in Jeremia fuiſſe, qui cum e paucis aliis ab utero, imo etiam priusquam formaretur, quod, neſcio, an de ullo alio expreſſe dicatur, Deo notus ſive charus, & ad prophetandi munus deſtinatus legitur, *Jer. I*, 5. & imaginem quandam Domini Jeſu temporibus ſuis exhibuit non paucis in rebus, ut poſtea quoque reperti ſint ex plebe, qui Dominum Jeſum *Matth. XVI*, 14. οὐκ οἶδα τινὶ μετεμψυχώσει a) Φαρισαϊκῇ * recoctum Jeremiam crediderint. Nono quæris, an CX. pſalmus de alio quam de Chriſto intelligi poſſit? Ego quidem ferme perſuaſus ſum, poſſe. De quonam? dices; Judæi nonnulli de Abrahamo, nonnulli de Salomone capiendum volunt, quorum ſententias ut perſequar aut refellam cum aliqua ſomni aut olei jactura, non eſt mihi nunc tanti: ſufficiat ſi meam expoſuero, in qua iterum calculum meum adjicio Seidelio, homini quidem hoſti regis noſtri b) manifeſto, & ob id dete-

* Neſcio, qua traductione animæ ex corpore uno in aliud inter Phariſæos receptabusque geſtis ſanctioribus ſentiendum, quas non potuiſſe non gemina ſed ſubordinata ſignificatione, altera aperta, alteraque tecta magis, atque myſtica hinc dicta, Eccleſiæ omnium temporum inſtruendæ inſervire, eoque referri ſæpe debuiſſe, nemo neſcit. Utut in his quoque *ſimilia* a typis proprie dictis diſcernenda ſint.

a) Non erat hæc Phariſæorum perſuaſio, ſed *ipſiſſimum Jeremiam*, perinde ut *Eliam* rediturum, permulti ſibi imaginabantur. Conf. 2. Macc. XV, 14.

b) Servatoris puta *Jeſu Chriſti*, utpote quem *Meſſiam* fuiſſe & Regem illum a Prophetis promiſſum, quia mundanum ejus non fuerit regnum, pertinaciter negavit, *totumque* adeo, quæ ejusdem verba ſunt, explanate ad *cœtum minorem Cracovienſem* ſcripta, *Novum Teſtamentum*, quia *Prophetis contradicat*, rejecit.

deteſtabili, ſed qui tamen in literali, quem vocant, antiqui fœderis ſenſu enodando non infeliciter ſæpe a) verſatus eſt; nec tam ipſi tamen, quam aliis & pietate & eruditione præſtantisſimis viris, qui pſalmum illum a populo de Davide cantatum non inficiantur. Acriter quidem, & velut incitatis equis, in hos invehitur Jacobus Martinius, b) perque paginas aliquot libri ſui de tribus *Elohim* c) operoſe probare nititur, pſalmum de Chriſto ſolo intelligendum eſſe, nec puto tamen eſſe neceſſarium, illius ματαιολογίαν * d) ſingulariter per partes excutere, quod & mihi inter tot occupationes nimis moleſtum foret, & tibi, qui tuo Marte facile fucum illius intelligas, inutile. Hæc tantum contra Seidelium annotare lubet, quanquam pſalmus hic a populo de Davide cantatus concedatur, nihil tamen falſi dixiſſe Chriſtum noſtrum affirmantem, quod David in eo Chriſtum appellaverit Dominum ſuum, cum & veriſſimum, & apud ipſos Judæos, ſi non recentes, ſaltem vetuſtiores illos, in confeſſo ſit, unius loci geminum poſſe dari ſenſum, & probabile videatur, Chri-

* Vaniloquentiam.

Non injuria hinc *deteſtabilis* a *Ruaro* in hac ipſa epiſtola dictus.

a) Immo vero tam infeliciter, ut, cum promisſiones de Chriſto omnes non alio, quam Judaico ſenſu, de felicitate rerum *mundanarum* acciperet, ipſum quoque hinc potisſimum *Jeſum* fuiſſe *Chriſtum*, homo impius inficiaretur.

b) Qui, quemadmodum *Seidelii* illius ſcripta a *Vogelio* acceperit, alibi jam a nobis *Hiſt. Crypto-Socin.* Cap. III. Sect. I. enarratum eſt.

c) Libr. III. Cap. 108. ſq. f. 671. ſqq.

d) Audax ſane in Theologum, quem & ipſi *Sociniani* ingenio non deſtitui fatebantur olim, convitium, non alio fundamento, quam *Seidelianis* commentis ſtabilitum, iis præſertim, quibus a populo decantatum eum eſſe Pſalmum ille finxit, aut certe omnia inani hoc effugio tela pro divinitate Chriſti ſumma elidi poſſe, ad *Davidem* nimirum hoc quicquid eſt applicando, exiſtimavit. Quicquid autem ſit de cantu hujus Cantici ſacri publico, ubi non temere largientur Critici cuncti, ad uſus publicos *Pſalmos* omnes fuiſſe adhibitos, ſed *Davidem* etiam privatis ſuis ad citharam exercitiis nonnullos deſtinaſſe, facilius credent; hoc tamen certum eſt, *ſcripſiſſe* hunc *Pſalmum* non alium auctorem, quam ipſum *Davidem*, teſte Servatore ipſo *Jeſu Chriſto*, qui *Meſſiam* in hoc Pſalmo, ab eo (*Davide* inquam) *vocatum eſſe Dominum ſuum* diſerte ait, atque hinc argumentum, non ex populi canentis, ſed Davidis *dicentis*, *ſcribentisque* ſeu λέγοντος, ſententia contra adverſarios format. Unde profecto, de Davide ipſo hæc intelligi haud poſſe, & recte proinde argumentum ex *Davidis* cum *Meſſia* comparatione formatum eſſe, patet. Ab ipſo ergo *Davide* quando *Pſalmum* hunc compoſitum eſſe teſtatur *Chriſtus*, & hinc argumentum, quod luculentiſſima ejus verba Matth. XXII, 43. docent, ſtruit, ſi vel maxime *Sacerdotis* nomenclaturam ſeponamus, ſenſu literali Pſalmum hunc ad Chriſtum ſpectare maniſeſtisſimum erit.

Christum cum Pharisæis agentem, qui mysticos in scriptura sensus contra, quam Saducæi, rimabantur, hoc ex ipsorum doctrina tanquam certum sumpsisse, psalmum istum mystice de Christo, quicunque tandem ille futurus esset, intelligendum esse: alias sane habuissent statim, quod Christo reposuissent, nec fuisset necesse, ut pudore suffusi congressum Christi tam male argumentantis, ut verbo refutari posset, in posterum refugerent. At, inquit, populus psalmum canens introducitur. Quid tum? annon scriptori tribui potest, quod alium ipse in scripto suo dicentem facit? annon, ut assumam exemplum ex uno psalmorum, quos pro se Seidelius hic adduxit, vere possim affirmare, Davidem dicere, *Exultabimus in salute tua, & in nomine Dei nostri vexillum elevabimus*, etiamsi David populum hæc dicentem introducat? &, si verum est, quod nonnulli dicunt, prophetas vaticinia sua intellexisse, quod quidem de tenui, &, quæ per nebulam obscurior sit, cognitione hoc loco fortassis concedi posit: non video, quid impediat, quo minus David & populus, eundem psalmum canentes, iste de Christo, hic de Davide a) omnia intellexerit: quod propter Martinium præcipue notandum videtur: cum hoc uno pleraque ipsius argumenta non parum luxari queant. Quod autem auctor ad Hebræos illud *Cohen*, v. 4., quando Christo accommodat, *Sacerdotem* interpretatur, cum tamen in psalmo Davidi tributum *principem* significet, in eo nihil absurdum committit, b) cum verisimile sit, Deum, qui per os prophetarum locutus, longius, quam ad illa proxima tempora, prospiciebat, vocabulorum ambiguitate duplicem vaticiniorum sensum de industria velavisse, quorum alterum obscuriorem Chri-

118

a) Novum de populo, quasi aliter, quam *David* Psalmum interpretatus sit, & audax rei incompertæ figmentum. Quod tamen qualiscunque fuerit populi sensus, ad argumenti robur infringendum, ipsiusque *Psalmi* genuinum ex *Scriptoris* mente sensum pervertendum nihil facit. *Christus* enim *non ex errore populi*, sed Regis mente ratiocinatus est.

b) Immo contra absurdissimum est, rariorem vocabuli *Cohen*, (qua *intimæ admissionis ministrum*, neutiquam vero *principem* denotat, atque hoc sensu ad *Melchisedecum* plane non quadrat,) & præterea stylo N. T. prorsus inconvenientem notionem ad *Psalmum* non solum *decimum*, sed *epistolæ* quoque *ad Hebr.* scriptorem sacrum applicare; qui tamen ex instituto *non alludendo, sed explicando* in Psalmo X. de *sacerdotali officio Christi*, atque adeo etiam de *Christo*, non *Davide Rege*, sermonem esse docet, eundemque simul Regem quidem esse obiter ait, sed illud non ex vocabulo *Cohen*, quod semper *ἱερέα* reddit, verum ex nomine *Melchisedec* deducit, & adhibita eum in finem brevi hujus Regis, quæ Gen. XIV. habetur, vitæ descriptione, porro confirmat atque illustrat.

Christus & apostoli nobis aperuerunt, & auctoritate sua nobis, qui Christiani sumus, aliunde jam satis probata certissime persuadent: cujus rei insignia sunt aliquot in hac epistola exempla, pro quibus omnibus unum nunc sufficiat, *cap. I*, 7. ubi verba, quæ in ipso psalmo de ventorum turbine & igne flaminis a) leguntur, angelis subtiliori quadam argutia b) ex verbis captata pro sua auctoritate, & forsan etiam pro sensu eorum, ad quos scribebat. c) auctor accommodat. Priusquam ad decimam tuam quæstionem transeam, unum adhuc illud, quod vehementer urget Martinius, expendam, quod apostolus Petrus in Actibus *cap. II*, 34. argumento quodam allato concludat verba psalmi, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, de Davide non esse dicta: ex quo obiter illud nota, non defuisse etiam illo tempore, qui de Davide psalmum acciperent, quod ad historicum sensum a nobis datum, in quo non est verisimile illos facile erravisse, d) confirmandum pertinet. Ad rem. Nihil aliud argumentatione sua Petrus velle videtur, e) quam ut ostendat, verba ista psal-

a) Etiam hæc, quæ Ps. CIV, 5. leguntur verba, male de naturalibus & corporeis ventorum atque ignis creaturis, interpretatur *Ruarus*. Quem de ventis jam ante actum esse, comm. 4. meminisse oportebat. Ad quos etiam ignis flammans haud congruit: qui nisi ad angelos spectet, porro ratione numeri non bene cum ministris convenire videtur. Quæ, si vel maxime a Sp. S. explicatione in Ep. ad Hebr. tantisper discedamus, satis superque Pseudhermeniam *Socinianorum* ad incitas Cap. I. illo ad Hebr. redactorum produnt, & quia totum argumentum Apostoli evertunt perversæ hæ interpretationes, tanto magis eam fugere nos, imo detestari jubent.

b) Ergone ex argutiis *accommodationis* alias nomine ornatis Christi majestatem, angelis sublimiorem, *adstruxit Paullus*? Pudeat te, *Ruare*, tam immodeste, ne quid gravius dicam, de *probationibus Sp. S.* judicare.

c) Non ex aliorum sensu, qui erroneus fuisset, sed ex re & vero *Apostolus* demonstrationem suam, quam ut fundamentum totius epistolæ in limine statim ponit, atque toti tractationi substernit, derivavit. Neque enim, quid alii forte sentiant, sed, quæ ex ipsa scriptura hæc *dicente* effici queant, de Christo docere voluit. Qua confirmatione, ex *ipsis verbis Apostoli ostensa*, jam ficta quoque illa *accommodatio* uno ictu concidit, aliis formulis, si qui dum in N. T. unquam locum habeat, quam quibus *Paullus* heic usus est, designanda.

d) Immo non solum verisimile est erravisse, sed præterea, quæ jam ante sunt adducta, omnino erravisse, hoc ipso, quod non ad *Davidem* pertinere verba illa *Petrus* ait, solide evincitur. Ex erronea enim sententia, cui ipse tanquam falsæ Apostolus contradixit, alioquin præcipua doctrinæ Christianæ momenta derivasset. Quare potius errorem illum, quando, de *Davide* Psalmum illum intelligi haud posse, ostendit, divino Spiritu afflatus correxit.

e) Male ita videtur *Ruaro*, utpote qui *non certo tantum modo* ad *Davidem* verba Psalmi CX. haud pertinere, *Petrum* affir-

psalmi sublimia, quia in Davide, perfectissimo, quem ipsa præ se ferunt, sensu completa non fuerint, Christo, qui supra omnes cœlos evectus proximum Deo locum occupaverit, accommodanda esse. Nam quod alias, ut quis ad Dei dexteram humiliore quadam metaphora sedere dicatur, non requiratur, ut in cœlos ascenderit, præter usum phraseos similibus in locis docent etiam Martinii complices, Lutherani, qui, dextram Dei non locum in cœlis certum, sed honoris & dignitatis prærogativam apud Deum supra alios significare, volunt, qua, nihil impedit, imo verissimum est, Davidem in terris præditum fuisse, cum ob eam causam etiam primogenitus Dei a) appelletur, *Psalm. LXXXIX*, 28. Quanquam illud etiam non est silentio prætereundum, quod a Rabbinis annotatur, b) Davidem habitavisse a dextra tabernaculi parte, in qua arca Fœderis, Domini nomine ipsa non raro appellata, (*Num. XXXII*, 20. *Jos. XXIV*, 1. *Psalm. XXIV*, 7. 8. 9. ut in singulis locis Vatablus explicat,) ut verisimile sit, istuc in psalmi verbis allusum esse, præsertim cum is eo tempore compositus videatur, quando David arcam ab Obededomi domo Sionem maxima cum pompa & universæ gentis celeberrimo concursu transtulit: qua de re legimus 2. *Sam. V.* & 1. *Paral. XV.* Est autem in hoc Actuum loco talis fere loquendi modus, quali ibidem Petrus quinto post capite utitur, cum id simpliciter sibi factum negat, quod, quanquam ipsum tamen aliquatenus simul attingebat, in Deum potiori ratione redundabat. Decimo, cum Socinus concedat, imo verisimile esse dicat, *Dominatorem universæ terræ*, in psalmo XCVII, 5. a *Jehova* distingui, quæris, an per universæ terræ Dominatorem alius aliquis, præter Christum, sive David, sive Salomon, sive quis angelorum, in typo sit intelligendus? Ad quod respondens dico, quanquam ex Socini verbis istud elici vix possit, quod *per Dominatorem terræ* alius a Christo intelligatur, si tamen typus aliquis ibi concedendus sit, a quo ego sane non nimium abhorreo, non Salomonem sed Davidem designari videri, idque ut sentiam, inducor inscriptione psalmi græca, (nam in hebræo codice nulla est,) psalmus Davidis cum terra illi restituta est. Quod si quis tamen mallet de angelo illo intelligere, qui ante Davidem incedens castra Palæstinorum concidit, cum illo

masse, sed *simpliciter de eo non agere*, sine difficultate ex verbis *Petri* intelligere poterat.

a) Hoc ipsum vero elogium non de *Davide* etiam in hoc *Psalmo* agi, sed de *Christo* edocet, & gratia, quæ promittitur, stylo N. T. *æterna* amplius confirmat.

b) Annotatur fateor, sed ita tamen, ut ea circumstantia, quæ neque Phrasin Sp. S. exhaurit, fingatur.

illo ſane contentionis funem ducere nolim, quanquam in priorem ſententiam pronior ſim, cum ipſe auctor ad Hebræos Davidem hic cum Chriſto conferre videatur, quando ad inſcriptionem pſalmi prius a me poſitam alludens ait, *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ*, conferens videlicet introductionem Chriſti in cœlum, & introductionem Davidis in terram Judaicam. Sed hic interim animadvertendum eſt, ea, quæ ſequntur, iſti terræ Dominatori, valde tenuiter a) in Davidem quadrare, & inprimis in illo, Adorate eum omnes dii, adorationem non religioſam ſed civilem, deos vero, vel pro magiſtratibus in terra Judaica, vel, ut Vatablus & Chaldaicus paraphraſtes explicant, aliorum deorum cultores, capiendos eſſe, ſi modo ad Davidem verba hæc ullo modo ſunt accommodanda, de quo ego non exiguas dubitandi cauſas habeo. Omnino tota hæc typorum res vehementer eſt incerta, pendens ſæpenumero ab ignotis hiſtoriis, cui proinde non ita mordicus inhærendum eſt, quanquam alias multum habeat abſtruſæ doctrinæ, nec fructu deſtituatur, ſi quis ſobrie tractet, quod inprimis factu eſt opus, quoties cum adverſariis res eſt, ne in Judaiſmi vel apud ſimpliciores ſuſpicionem, vel calumniam apud malitioſos incidamus. Cæterum quod Grawerus b) ex Sociniana hujus loci interpretatione elicit, Deum eſſe Chriſti typum, id non ſine injuria manifeſta facit, cum nec ex illis verbis Socino tributis, quæ tu ex Grawero adducis, id ſatis recte ſequatur, nec ejusmodi verbis, quantum ego ſcio, Socinus unquam uſus fuerit. Poſſent tamen iſta verba ſic accipi, quod Pſalmus de Dei, qui aperte in eo nominatur, perſona ſic loquatur, ut id & ſimul de Chriſto ſit intelligendum, quatenus id, quod de Dei adoratione ibidem prædicatur, in Chriſto, Dei vices gerente, c) fuit impletum, cujus omnis ho- 122

 nor

a) Immo nullatenus. Quis enim, ſi vel maxime taceamus *demonſtrationem* Apoſtoli pro Chriſti majeſtate eminentiſſima hinc deſumtam, imperium in *univerſum orbem* comm. 9. & provocationem ad cultum, gaudia atque *adorationem omnium* terrarum atque *inſularum*, quibus ethnici deſcribi alias ſolent, ſine rubore *Davidi R* applicare auſit? At *filio Davidis*, qui & ipſe *David* myſtico vocabulo ſæpius audit, hæc conſentanea eſſe, nemo dubitat.

b) Sine dubio in diſputatione aliqua, aut colloquio privato. Sæpe enim cum eo *Jenæ*, hoc tempore docente, utroque modo congreſſus eſt *Peuſchelius*, ut tandem etiam monſtri aliquid illum ſerio alere *Noribergam* perſcribendum ſibi eſſe, iſte exiſtimarit.

c) De vicario Dei in hoc Pſalmo οὐδὲ γρὺ legitur. De filio Dei autem genito a Patre ab æterno heic ſermonem eſſe, Sp. S. aperte teſtatur. Utri horum credendum ſit, *Paullone* a Sp. S. edocto, an *Socino* aut *Ruaro*, L. B. judicet.

nor ad ipsum Deum redundat. Si hanc Socini mentem Grawerus esse putavit, recte quidem eam assecutus est, quanquam nihilominus talibus eam verbis proposuit, ut alius aliquis, absurdum sensum subesse, facile suspicari queat; nec tamen ex ista sequitur explicatione, Deum esse Christi typum, cum nulla fiat in ea typi mentio, imo potius contrarium elucet, cum Socinus Deo Christum, ut sic dicam, subordinet, quod est contra typorum antityporumque naturam qui sibi semper, quatenus tales sunt, opponuntur. Videor mihi hactenus attigisse potius quam absolvisse eas quæstiones, quas in literis tuis proponis: deberem nunc ea dubia exsequi, de quibus oretenus inter nos, antequam abirem, actum est. Memini vero quatuor aut quinque præter cætera maxime fuisse insignia, de quibus pleniorem aliquem tractatum requirebamus, quo, subterfugientes adversarios, rimis, per quas elabi solent, omnibus obstructis ita teneremus, ut movere se longius non possent, quem tamen a me, præsertim hoc tempore, frustra expectas. Licet enim homo sim exilis admodum & jejunæ eruditionis, & in his præsertim controversiis, minus etiam quam existimabam, me versatum deprehendam, si tamen omnem meam supellectilem literariam cum ramentis & pulvisculo converrerem, possem fortassis non exiguum libellum hoc argumento complere, causæ bonitate a) inopiam meam sublevante. Sed ista tibi frustra jacto, qui me & doctrina in his rebus multum superas, & ad ista sola meditandum plus habes, ni fallor, ocii; quod si quid præterea requiras, id tale procul dubio est, ut ab iis, qui & ingeniis acutissimis sunt, & judicium annorum maturitate invictum multis præterea disputationibus subegerunt, præstari tantummodo possit, quos quidem ego non desinam vocis meæ classico, quotiescunque dabitur occasio, ad laborem tam utilem excitare, neque dubito, neminem extiturum, qui desiderio nostro

123

a) Tanta erat *Ruari* præfidentia, ut præjudicata opinione occupatus, caussam pessimam pro optima venditare non verecundaretur, utut posthac etiam eam strenue adhuc dissimularet. Quam firmo autem argumentorum robore caussa illa nixa fuerit, uti præcedentes manifestæ Script. S. locorum detorsiones docuere, ita proximæ ad dubia objecta responsiones, non minus, quam illæ, audacissimæ, verbisque Scr. S. planissimis apertе refragantes, declarabunt uberius. Sed hæc quoque specimina fuere, quibus animi juvenum recens deceptorum & a regia via abductorum in errore, fuco quodam facto, confirmari possent, si contraria *Socinismo* dubia quasi uno halitu difflanda contemnerentur potius superbe, quam solide refutarentur.

ſtro incenſus votorum immenſitatem opere tandem ſit æquaturus. Interea, ne videar obſequium tui penitus defugiſſe, quædam obiter de quæſtionibus illis delibabo, in quibus prædico nihil te lecturum, quod non vel in libris, quos illic habes, inveniri, vel ingenio tuo multo ſubtilius indagari queat. Primum itaque memini, dubitatum inter nos fuiſſe, quomodo detegatur adverſariorum ſophiſma, qui, quoties nos in argumentum ducimus hoc, eſſentiam unam non poſſe in tribus perſonis eſſe, reſpondent, illud effatum valere, ſi de eſſentia finita ſumatur, non autem ſi de infinita: quomodo, inquam, detegatur, ut interim non ſit neceſſe cum magna aurium offenſione negare, eſſentiam Dei infinitam eſſe. Hic, ſi mei judicii res ſit, ita cum adverſariis agendum cenſeo, primum ut conſtituatur, quid perſonam vocent, deinde quæratur, an illæ divinæ perſonæ ſint finitæ vel infinitæ. Omiſſa autem in præſenti ſubtili definitionis indagatione, quid videlicet ſit perſona, quod apud omnes eſt in confeſſo, & a) evidentiſſime poteſt deduci, perſonam eſſe quid alio ſeparatim exiſtens, idque per exiſtentiam ſuam non communem, (alias enim una perſona non diſtingueretur ab alia) ut proinde tot ſint exiſtentiæ, quot perſonæ: ex quo poſtea non difficulter ſequitur, totidem ſingulares individuas eſſentias eſſe, quot ſunt perſonæ. Quomodo igitur contradictione non implicatur hoc, quod illi ferunt, eſſentiam unam eſſe in tribus perſonis, ſi tot ſunt eſſentiæ individuæ, quot perſonæ? numquid differunt eſſentia una, & eſſentia individua. Neque video, quomodo per diſtinctionem eſſentiæ finitæ & infinitæ elabi poſſint, quemadmodum ego feci, ſi argumentum confirmetur: b) diſtinctiones enim, quæ robur argumentationis infirin-

124 125

a) Niſi me omnia fallunt, locus hic mendoſe exſcriptus eſt, & forte verba ita legenda ſunt: *Omiſſa - - indagatione, quid videlicet ſit perſona (quod apud omnes eſt in confeſſo) evidentiſſime poteſt deduci, perſonam eſſe quid ab alio ſeparatim exiſtens &c.* Qua emendatione verborum præmiſſa jam facilis erit ad objectionem reſponſio, & perſonæ definitionem accuratam utique indagari oportere, dicendum, eaque data oſtendendum eſt: *Perſonam*, ſi definiatur, nec definiri per eſſentiam, nec per ſubſiſtentiam aut exiſtentiam etiam in caſu recto, ſed per *conflatum* aut *conſtans aliquid ex natura ſeu eſſentia & perſonalitate aut ſubſiſtentia.* Qua poſita definitione deinceps, utrum eſſentia multiplicari poſſit, perinde, ut ſubſiſtentia, ex ipſius eſſentiæ rationibus, finitane ſit an infinita? dignoſcendum erit. Si quid autem dubii adhuc ſuperſit, id ex revelatione potius, quam ratione, quæ infiniti entis perfectiones non ſatis intelligit, decidendum eſſe, vel ipſa ratio, ſi modeſta ſit jubebit.

b) Et hæc emendanda ſunt hunc in modum: *elabi poſſint, ſi quemadmodum ego feci, argumentum confirmetur. Diſtinctiones enim &c.* - - Ad rem ipſam vero quod at-

fringere debent, medio, ceu dialectice vocant, termino, nefcio an non femper folent adhiberi: at hic effentiæ vox complexionem ingreditur. Dicant, fi placet tres effe fingulares effentias, a) five finitas five infinitas; utrobique enim hærebunt: & hoc eft alterum, quo puto illos hic effe conftringendos. Si enim tres effentias infinitas dixerint, erit hoc non tantum contra naturam infiniti, quod non nifi unum effe poteft, cum omnia ftatim exhauriat, fed etiam contra eum, quo fignifero naturam rerum ipfi pene deftruxerunt, Athanafium, qui negat tres effe infinitas. b) Tamen idem ille Patrem infinitum, Filium infinitum, Spiritum Sanctum infinitum dixit, ut ne liceat quidem eis has effentias finitas c) dicere, ne, fi quid contra Catholicam fidem ab ipfo defcriptam ftatuant, falute fua excidant, quemadmodum idem ab initio fymboli fui tremenda voce minatur; quanquam alias etiam extra magiftri auctoritatem nimis hoc abfurdum foret, fi effentia infinita perfonis finitis ineffet, finitum enim non eft capax infiniti: fin autem effentia infinita adhuc ultra tres iftas finitas perfonas extenderetur, ubi igitur erit? an in aliis perfonis? at ne fic quidem immenfitas illius coercebitur, nifi perfonas illi numero infinitas dederis, ut, quod fubftantiæ deeft, quantitate numeri

tinent, perfacilis quoque eft dubii hujus folutio, dummodo obferves: Non effe fenfum, fi dicas tres effe in divinis perfonas; *tres effe effentias fingulares &c.* fed *tres effe, qui habeant unam individuam fingularem effentiam.* Quæ fi ratio de reliquo non capiat, anguftias fuas, fuique tanquam entis infiniti, omniumque ejus perfectionum non capacis intellectus infirmitatem, humiliter potius agnofcat, quam contra *revelationem* clariffime hæc teftantem eamque divinam neget. Quodfi vero exiftentiam cum fubfiftentia multiplicari debere porro refractaria opponat; nec ab *exiftentia una ad unitatem fubfiftentiæ* valere confecutionem, neque a *fubfiftentia una ad unam etiam exiftentiam* fimpliciter argumentari licere, notet, & ad hæc porro dilucidanda ex unitate rei neque uninitatem modi (cujusmodi etiam exiftendi modus eft fubfiftentia) neque ex rei multiplicatione modi feu fubfiftentiæ quoque pluralitatem, quod duarum naturarum in uno homine ὑπόςασις oftendit, demonftrari poffe, obfervet.

a) Ita dicere non licet, prævia Scriptura facra; fed *tres effe, qui habeant unam effentiam fingularem.* Quod infinitæ effentiæ omnino convenit.

b) Forte *infinitos.* Sic enim utique male loqueremur de uno Deo *immenfo*, cum multiplicatione ipfius infinitatis; fed fi interponas vocabulum perfonæ h. m. *Tres effe perfonas infinitas, immenfas, æternas* &c. nihil aliud dices, quam tres effe in Deo, qui habeant communem, falva diftinctione relativa perfonali, at tamen unam infinitam naturam aut effentiam. De *Athanafio*, firne *Symboli* illius, quod vulgo nomine ipfius præfcripto circumfertur, & partem L. L. Symbolicorum etiam conftituit, auctor nec ne? nihil eft, quod h. l. difputemus.

c) Recte: Id enim prohibet divina perfectio. Inde vero neutiquam confequitur, nos effentiam infinitam in perfonis fi-

meri suppleatur. Quot igitur a) tandem habebimus divinitatis personas? valet autem hoc argumentum tanto fortius, quia ex ipsorum sententia finitum infinito oppositum b) nihil admittit intermedium contra Aristotelis & Cæsalpini mentem: quod si malis finito non finitum opponere, ut vera sit contradictio, nihilominus eadem, quæ dixi, & plura, quæ tacui, dubio procul absurda sequentur. Secundo, cum cogitationem excito, recordor disceptatum inter nos esse, *quomodo commentum de duabus naturis, quo adversarii sæpe causam suam fucant, diluatur:* quamvis illud vix possit locum habere, quoties argumenta nostra recte adstringantur, & illud præsertim utiliter defenditur, quod hactenus infringere nemo potuit, non posse videlicet simpliciter de quoquam negari, quod ei secundum partem aut naturam aliquam convenit: quam ad rem pertinens non dubito, quin egregium aliquid legeritis in literis Crellii, quas me absente nec nolente refregistis. c) Possunt autem adversarii multis imo plurimis absurdis urgeri, ex quibus duo nunc, non quidem potiora reliquis, sed quæ statim occurrebant in promptu, eligam. Prius est, quod si in Christo sint duæ naturæ, totidem in eodem personas d) concedere necesse sit: quod ipsi tanquam Nestorianum aversantur. Humanam vero naturam personam fore, (nam de divina ipsi ultro concedunt) sic probari potest, ut quæratur, numquid ipsa sit accidens, an substantia? si accidens, erit igitur in subjecto, nec potest alio, quam in persona aut natura divina, quarum alterutram accidentibus vere

126

127

Ooo sub-

nitis esse, docere: sed personas tres, non plures infinitas potius unam infinitam essentiam habere.

a) Nugæ sunt, quæ de extensione quadam heic comminiscitur *Ruarus.* Nobis enim satis est, divinam revelationem non plures, quam *tres,* quibus communis illa sit infinita essentia, & definite quidem 1. Joh. V. numero, quem vocant, numerante, nominare. Quid ergo opus est de aliis disputare; sive de actu, sive de potentia tricari placeat. Sufficit, rem ipsam divino verbo esse testatissimam.

b) Quorsum hæc, ubi neque de essentia finita, nec de finitis personis, multo minus de oppositione aliqua personarum, nisi *relativa* agitur: cum qua communicationem infinitæ naturæ sine multiplicatione consistere non posse, nunquam & nullo modo, nisi ex rebus finitis, h. e. extra circulum saltando, aut extra oleas vagando demonstrari poterit.

c) Tanta ergo fuit animorum conjunctio inter novos hosce fratres, ut literas etiam resignare, quasi communis esset omnium rerum participatio, vel sine levissimæ improbationis testificatione, licuerit. Ita vero, ut in obsequio tanto certius conjunctissima illa & suavissima familiaritate continerentur νεόφυτοι, callidorum capitum vafrities postulabat & suggerebat.

d) Contrarium vel ipsa hominis cujusque persona una, in qua duæ sunt naturæ, essentialiter quidem intimæ tamen unitæ commonstrat.

ſubeſſe nunquam fatebuntur: erit ibidem in certa claſſe accidentium, quantitatis vel qualitatis, vel collationis, a) vel alicujus reliquarum Categoriarum, non ſine riſu noſtro aſſeveraverint. Si ſubſtantiam eſſe dicent naturam humanam, cum omnis ſubſtantia ſit prima, vel ſecunda, non poterunt ſane ſecundam affirmare: eſſet enim genus vel ſpecies, & in individuo aliquo, quod non aliud hic iterum, quam vel natura, vel perſona divina, eſſe poteſt, ita ſubſiſteret, ut de iſto diceretur, ad hanc formam; naturam vel perſonam divinam eſſe naturam humanam: & natura humana, ut genus aut ſpecies, eſſet quiddam latius natura aut perſona divina, quæ præterea nunquam ſine illa potuiſſet ſubſiſtere, cum individuum ſine genere aut ſpecie ſua vera non reperiatur, multaque alia ſequerentur abſurda, ob quæ facile futurum puto, ut humanam Chriſti naturam ſecundam eſſe ſubſtantiam negent. Si igitur prima, non ſubſiſtet amplius in perſona divina, cum, ut ipſi contendunt, prima ſubſtantia per ſe ſubſiſtat: & erit ipſa perſona, cum perſona nihil aliud ſit, quam ſubſtantia prima intelligens: b) nam intelligentem quidem, ut credo, humanam naturam, qualem ipſi Chriſto tribuunt, nunquam negabunt, nec poterunt ſine manifeſta

128 falſitate. Si dicant, ad perſonæ definitionem etiam requiri, *ne ſuſtentetur in alio*, cujus contrarium in humana Chriſti fiat perſona, vetetque, ne dicatur perſona: fatebor ſane, perſonam in alio non ſuſtentari: ſed fruſtra tamen ad definitionem perſonæ addi dico, cum in ea ſit ſubſtantia prima jam legatur, cujus hæc eſt eſſentia propria, ne ſuſtentetur in alio, & per ſe ſubſiſtat, & proinde, cum probaverim, naturam humanam in Chriſto ſubſtantiam primam eſſe, debere etiam id a me probatum cenſeri, quod in alio non ſuſtentetur. c) Alterum abſurdum, quod ad adverſarios redarguendos me ſelecturum dixeram, priori, quod jam deduxi, contrarium eſt, ut, ſicut ibi duæ in Chriſto perſonæ, ex adverſariorum doctrina, aſſerebantur, ita ne una quidem hic illi vere ex iiſdem relinquatur. Poteſt autem ſic oſtendi, quia, cum perſona ſit ens unum per ſe, (ponitur enim in Categoria) illud certe, quod eſt ens per accidens, non poterit eſſe perſona: Chriſtum

a) Forte *relationis*. Ita certe uſitatius prædicamentum illud vocari ſolet, quod πρός τι alias Græci appellant.

b) Non ſufficiunt hæc ad perſonæ definitionem plenam, ſed porro, ut verba: *incommunicabilis & non ſuſtentata ab alio*, addatur, neceſſe eſt.

c) Quæ excluditur per vocabulum *prima* ſuſtentatio, *exiſtentiam* ſpectat, cujuſmodi exiſtentia ſpecies in individuis ſuſtentantur; addita vero in definitione perſonæ aut ſuppoſiti ſuſtentatio, ſtricte ſic dicta, ad *ſubſiſtentiam*, quæ peculiaris eſt exiſtendi modus, reſpicit.

ſtum vero, quatenus ex humana divinaque natura coalitus conſideratur, ens per accidens a) vere dici, ratione poteſt evidenti doceri. Nam quicquid accedit enti, & accedit enti perfecto, ſeu actu jam ſubſiſtenti, ita, ut non vertatur in ipſius naturam, (ſicuti certe humana natura divinæ accedens in ejus ſubſtantiam non eſt mutata, prout Eutyches fortaſſis ſomniabat) illud eſt accidens: accidens vero cum ſuo ſubjecto non conſtituit ens per ſe, ſed per accidens, ut philoſophi docent. Videant igitur, qualem habeant Chriſtum, qui ne perſonam quidem vere unam illum eſſe permittunt. Tertio, ſæpenumero inter nos egimus de duplici Chriſti acceptione, qua nunc ut abſolutus Deus, nunc ut Mediator, conſideratur: hoc enim emplaſtro Calviniſtæ ad vulnera cauſæ ipſorum inflicta contra nos utuntur. ſed illi, priuſquam σοφὸν, * rectius fortaſſe ἄσοφον, ** hoc φάρμακον *** adhiberent, conſiderare debebant, non minus impoſſibile eſſe illud, ut eadem natura divina in Chriſto, ſeu perſonam malint dicere, ſed tamen ab humana natura ſejunctam, cogitatione ſaltem (ſic enim eorum ſenſus evolvendus eſt, quem verbis mirifice velant) ejusmodi reſpectus, qui ſe mutuo tollunt, induat, quam falſum eſt hoc, ad quod probandum reſpectus illos primum excogitaverunt. Apparebit autem hoc tanto manifeſtius, ſi conſideretur, non eſſe in illa Chriſti divina, qualem ipſi finxerunt, natura partes i) diſtinctas, ſecundum quarum alteram

129

* Sapiens, callidum. ** Inſipiens, ſtultum.

*** Medicamentum.

a) Eadem hæc fere quæſtio eſt in meram tandem λογομαχίαν deſinens, qualis de unione alioquin ventilatur; Accidentalisne illa naturarum in Chriſto dici poſſit nec ne? Affirmari enim poſſe ſi τὸ accidentale *opponatur eſſentiali*, omnes ſine dubio largientur; negare autem non poterunt non, qui *perſonalem* & recte etiam tuentur. Apage igitur verborum crepundia, ubi de uno Servatore, cui fides tuto innitatur, θεανθρώπῳ, agitur. Quotusquisque etiam eſt, qui has Scholaſticorum nænias intelligat?

b) Novæ ambiguitates. Quis enim neget ἀναλόγως quodammodo naturas in Chriſto, perſona συνθέτῳ partes, dici poſſe; etſi proprie ſic dictæ, eſſentiales, integrales, aut alio quocunque modo ac ſenſu phyſico tales, appellari nequeant? Inanis ergo etiam hæc eſt de vocabulis diſputatio. Sufficit duas in Chriſto naturas eſſe arctiſſimo perſonali vinculo *unitas*. Quas ſi etiam partes appellare nolis, quod nonnulli propter cauſſas ante memoratas facere, formidant, *extrema* per nos, aut alia quacunque voce Chriſto perſonæ ſine exemplo, convenienti, nuncupent. Scriptura certe Sacra, *Deum carnem factum eſſe*, eundemque, *qui filius hominis ſit*, *Dei quoque eſſe filium unigenitum*, *totam* denique *plenitudinem divinitatis in Chriſto habitare* σωματικῶς, quando de tanto myſterio loquitur, ait, deque vocabulis hiſce ſcholaſticis & captioſis ſolicita non eſt. Quid multis? ipſe in hac Epiſtola p. 34. *Ruarus* duas naturas *quaſi partes* haberi poſſe, non negare auſus eſt.

ſit abſolutus Deus, ſecundum alteram vero una cum humana natura deinceps ad officium Mediatoris concurrat: id enim non tantum divinæ illius naturæ ſimplicitatem a) vitiaret, ſed etiam, quod officium Mediatoris attinet, eadem ſecum abſurda traheret, quæ poſtea commodiori loco attingam. Deinde cogitetur, & hoc non eſſe, quos illi vocant, reſpectus nudos, aut tale quid, quod internam rei eſſentiam proprie non ingrediatur aut mutet; quo pacto nos in Deo qualitates contrarias eodem tempore concipimus, ratione diverſorum, ut ita dicam, objectorum, in quæ agit, ut cum unum hominem ſevere punit, alterum miſericordia ſua complectatur, vel ſi idem ſit objectum, ratione diverſarum in eo affectionum, ut ſi eidem homini remittat adulterium, & pœnas propter homicidium infligat: non, inquam, tale quid ſunt, quos ipſi reſpectus vocant, ſed alter abſolutus ſcilicet Deus, idem eſt cum natura divina, cui reſpectum hunc ineſſe volunt, alter vero Mediatoris talis eſt, ut non tantum reſpectum, cui opponitur, ſed etiam ſubjectum, cui ineſſe dicitur, quodque ab altero illo reſpectu revera non differt, e veſtigio tollat, non magis enim natura divina, quam abſolutus Deus ad officium Mediatoris obeundum convenire poteſt, cum mediator, quatenus talis eſt, inferior ſit eo, apud quem munus ſuum peragit; natura vero divina non poſſit nullo modo quacunque re vel minimum inferior b) eſſe, quandoquidem hæc eſt illius eſſentia quædam, ut ſupra res omnes extet. Si vero natura divina plane non poteſt officio mediatoris ulla parte fungi, quanto minus apud ſeipſam? oporteret enim eam, quatenus ad mediatoris partes concurrit, reo, cujus cauſam agere debet, jam reconciliatam c) eſſe,

130

a) Non magis ea vitiatur, quam ſi Deo, abſolute ſpectato, creatoris aut conſervatoris relatio accedat: quæ uti extra Deum terminum agnoſcit, ita Deum intrinſecus nec mutat nec vitiat. Sola in Chriſto perſonalis unio, ſine qua officium illud exerceri non poterat, dubium illud motum minime auget, quoniam per ipſam illam unionem *divina natura perfecta non eſt, ſed perfecit humanam*, & per eam beneficia illa ſua, quæ a Mediatore incarnato expectabantur, nobis quoque ad menſuram juſtam diſpenſavit.

b) Non eſt ad hæc regerendum quicquam aliud, quam quæ ad miſſionem patri modo objectam, diſtinctione inter miſſionem *imperii* & *conſilii* a noſtris reponi ſolent. Eadem namque ad œconomiam Dei δικαςικὴν applicata rem omnem in aprico ponunt. Taceo hoc inſuper Mediatoris officium ſponte ſuſceptum non aliter, quam ut functionem totius perſonæ, conſiderari poſſe.

c) Utut hæc omnia ad revelationem ratione contra, cui ſtolidum videtur myſterium crucis, in captivitatem ducta, compendioſe rejici poſſent; facile tamen & *diverſo reſpectu officiorum*, in œconomia paullo ante dicta conſtitutorum, & *placabilitate* a *reconciliatione* actu jam præ-

esse, & eidem, quatenus reconcilianda venit, adhuc infensam: esset igitur reconciliata antequam reconciliaretur, illud scilicet, ut mediatoris provinciam simul sustinet, hoc, ut est absolutus Deus: quasi tu dicas, intellexisse aliquem, antequam intelligeret, prius, quatenus est rationalis, posterius, quatenus est brutus: ubi & contraria loquereris, & ad absurdum tollendum tales respectus induceres, quorum alter ipsum subjectum, cui inesse diceretur, subverteret, quod esset revera clavum clavo pellere, sic scilicet malo nodo malus cuneus est inveniendus. Est & hoc observandum, etiamsi omnia illa de duobus respectibus, quæ falsissima conatus sum ostendere, concedantur; non posse tamen de quoquam simpliciter negari, quod quanquam est natura illius consectarium, v. g. scire diem extremi Judicii, a) certo tamen respectu tribui illi non potest; omnes quippe mendacii hominem argueremus, qui simpliciter edere, bibere, dormire se negaret, licet qua senator nihil istorum faceret. Sed satis in præsentiarum de hoc missu: transeo ad quartas adversariorum epulas, boli nimis crassi negotium aliquando nobis in deglutiendo. Patris nomen, inquiunt, pariter ut Dei, nonnunquam essentialiter, nonnunquam personaliter usurpatur: & priori acceptione Dominum Jesum quoque patrem vocari ajunt. De hoc, ut & de priori sophismate, quia nihil hactenus ad illa ex professo refellenda scriptis proditum legi, literas nuper ad Michaelem Gittichium b) exaravi, neque dubito, quin suæ eruditionis inter fratres nominatissimæ fidem sufficienti responso non ita multo post facturus sit, nisi fortassis res illum uxoria retardabit, cui nuper, ut audio, ducta vidua, matre sex liberorum, animum adjungere cœpit. Interea ut mea vineta, quæ apud Gittichium feci, apud te paulisper incidam, hoc adversariis regerendum puto, si audacia pro justis probandi vim habeat, satis firmiter illos asseruisse causam, videri: sed quia tamen

131

132

stita atque accepta discernenda, eadem quoque solvi possunt dubia. Id quod, si opus esset, vel debitis pecuniæ *toti collegio*, ab uno *collegii totius membro*, ultro persolutis, illustrari posset. Absurdam præterea non esse hujusmodi Deoque inconvenientem sui ipsius placationem procuratam, vel totus V. T. *cultus Leviticus*, ab ipso certe eodem Deo, cui placando inserviebat, gratiose statutus, demonstrat.

a) Hæc ignorantia, quæ ad humanam naturam in statu exinanitionis pertineat, eademque voluntaria (uti enim, tanquam homo etiam, omniscientia communicata potuisset, si voluisset, Christus) ad præsens negotium, ubi de officio Christi sermo est, & de divina natura eodem officio cum humana fungente, non opportune affertur & ingeritur: etsi de se ut homine eum loqui, ipsum nomen testetur.

b) Confer de eo Cent. I. Ep. 61. sqq. & *Hist. Crypto-Socin.* c. I.

tamen de vocabulo lis eſt, uſum illius, priusquam aſſeveretur, unico ad minimum exemplo, a) quod in controverſiam non venit, probari non injuria debere; alias illos, ſi non in gravius diſputationum crimen, in hoc ſaltem incurſuros, ut de induſtria τὸν κοινὸν ἔργον ἐμποδίζειν * videantur. Deinde dico, ſi v. g. 1. *Cor. VIII*, 6. Pater, ex quo omnia, pro patre eſſentiali (quem ita appellare brevitatis cauſa, ex ipſorum ſententia, liceat) accipiendus ſit, jam nec prima divinitatis perſona, quam patrem perſonalem vocare queas, erit ille Pater, quem Paulus omnium Chriſtianorum Deum, ex quo omnia, & in quem nos ſumus, aſſerit, pro quo tamen ab omnibus haberi videtur: quod ſi dicent, non penitus quidem eundem eſſe, ſed illius tamen nomine b) contineri: quæ igitur melior filii cauſa, quam vel Patris, vel etiam Spiritus Sancti, ut cum non minus, quam illi generali voce fuerit incluſus, poſtea tamen adhuc ſeorſim nominetur? c) nam humanam ipſius naturam non poterunt dicere Dominum, per quem omnia: cum illa ne homo quidem ſit, d) Domini vero titulus & actiones illi tributæ non naturæ, ſed perſonæ debeantur: e) nec vero tanquam mediatorem ſeparatim nominari decebat, & ab uno illo Deo di-

133

* Commune opus impedire.

a) Miror orationis dominicæ non meminiſſe *Ruarum*, in cujus prima compellatione alio ſenſu, quam communi illo vocabulum Patris accipi, eo usque neceſſe habent, ut concedant, quoad etiam Chriſto religioſam invocationem & recte quidem largiuntur atque tribuunt. Cum qua formula precandi Hebr. II, 10. & 13. conferre non pœnitebit.

b) Generali ſeu communi; quod inde etiam patet, quia h. l. *Paullus* Deum ut Patrem non *Chriſti*, ſed *noſtrum*, deſcribit.

c) Cauſſa hujus rei non alia eſt, quam quia ſecundum *œconomiam gratiæ* in *Chriſto* patefactæ, perque ipſum acquiſitæ, ſtabilitæ & diſpenſatæ conſiderata *Eccleſia*, non tantum ut creata & conſervata, communibusque cum omnibus rebus aliis, præter Deum exiſtentibus, beneficiis ſpectatur affecta, ſed etiam ejus ratio peculiaris habetur, tanquam cœtus, qui *peculiare regnum* atque *peculium* divinius a Chriſto ſpiritualibus beneficiis donandum & ornandum conſtitutum eſt, eumque in finem etiam ab eodem, tanquam ſervatore ſuo, ut ſingulari officio fungente, ſingulari quodam modo, qui regimen gratiæ vocatur, colligitur & gubernatur. Hæc inquam eſt cauſſa illa, cur *ſtylo Scr. Sacræ*, DOMINUS ſeorſim *Chriſtus*, & quidem non ut Deus ſolum, ſed ut θεάνθρωπός *per quem omnia*, appelletur, Act. II, 36. autem Dominus & Chriſtus conjunctim audiat. Quod quidem regnum tamdiu durabit, donec ſecundum 1. Cor. XV, 24. ſqq. filius Dei tandem patri id traditurus eſt, & propter ſtatum in hoc mundo inter hoſtes, etiam *militare* ſed *mediatorium* nonnullis compendioſiſſime omnium dicitur.

d) Immo vero ſecundum naturam humanam conſideratus *Chriſtus* eſt homo, ſed ἐνυπόςατος h. e. ſine ſubſiſtentia propria, & communicata divina hypoſtaſi ſubſiſtens.

e) Recte: ſed perſonæ ex *utraque natura* conſtanti.

diſtingui, ſi nihilominus, quatenus erat mediator, divinam habebat naturam, nec ſine illa a) mediator eſſe poterat, ut ipſi contendunt, abſurda graviora ſuperius jam collegi. Tertio, ſi patris, ut Dei, nomen eſſentialiter uſurpatur, ſane ſicuit Filium & Spiritum ſanctum ob id Deum vocant, quia divinam eſſentiam participant, ita poterunt utrumque Patrem indigitare, quia paternitatis eſſentialis ſecundum ipſorum placita ſunt compotes: cujus ſermonis inſolentiam aures ipſæ refugiunt. b) Quarto poſſet aliquis fortaſſis non inepte quærere, cur, ſi Partis nomen eſſentialiter accipiatur, non liceat etiam Filii & Spiritus Sancti nomen eſſentialiter c) uſurpare? reſpondeant, PATRIS nomen ſic reſpectu creaturarum accipi, FILIUM vero creaturarum filium dici non poſſe: de SPIRITU tamen SANCTO negare non debeant, eum ratione creaturarum, quas ſanctas afflatu ſuo reddit, talem dici poſſe, & proinde ſi reſpectus externus proprium perſonæ nomen commune facit, poterunt ſane & PATER & FILIUS Sancti Spiritus appellari. Sed hoc minoris eſt momenti: illud majoris eſſe videtur, quod patris nomen non poſſit eſſentiæ tribui, prout illi volunt: nec enim eſſentia generat, ſed perſona, d) ex vulgato

134

a) Ita eſt. Sine natura divina ſoſpitator genuinus non poterat eſſe; ea vero ſola ad officium mediatoris, quod ſanguinem fuſum piacularem, immo mortem hoſtiæ nobilioris requirebat, haud ſufficiebat. Quis enim actiones θεανθρικὰς ſine perſona, quæ ſit θεάνθρωπος, vel mente concipiat?

b) *Socinianæ* forte. Quibus ex præjudicio quodam, ubi Patris vocabulum audiunt, non niſi perſonalis notio obverſatur animo.

c) Ratio in promptu eſt. Patris enim nomen eſſentialiter uſurpatur interdum ad originem exiſtentiæ rerum cunctarum, ſeu earum *creationem* & *conſervationem*, communem omnibus tribus perſonis, deſignandam. Filii autem nomen aliter vix accipi poteſt, quam ut relativam illam perſonæ proprietatem, filiationem connotet & ſimul indicet. Etſi filios quoque propter generationem *non proprie ſic dictam*, *ſed æquivocam*, creaturas etiam quasdam nominari, non negemus. Spiritus Sancti autem nomen interdum ut eſſentiale, & quidem *propter naturam ſpiritualem divinam ſanctiſſimam occurrere* in Scriptura Sacra, jam ſic ſatis conſtat.

d) Neque hoc negamus, perſonam eſſe, quæ generet. Actiones enim ſunt ſuppoſitorum, &, ſi rationales ſint, perſonarum. Quis autem unquam eſſentiam dixit generaſſe? Perſonam certe generantem patrem eſſe, & ut perſonam communicando eſſentiam ſuam, filium genuiſſe, cuncti noſtratium docent. Quando vero de *generatione impropriè ſic dicta*, ſermo eſt, h. e. creatione rerum omnium) neque nos, eſſentiam divinam creaſſe, ſed *Deum, qui habet eſſentiam* cuncta condidiſſe docemus & affirmamus; ita tamen ut vocabulum Dei, & Patris quoque, *hoc ſenſu acceptum*, non ut proprium uni perſonæ, ſed ut pluribus commune, quibus una eſt *divina*, eſſentia, ſpectetur communis, atque *hoc ſenſu* etiam *eſſentiale* vocetur. Idemque de *adoptione* ex regeneratione hinc orta ſentimus. Quicquid en-

gato philoſophorum axiomate, quo ipſi alia in re frequentiſſime utuntur, actiones eſſe ſuppoſitorum. Reſtat nunc, ut quinto loco parum diſſeram, *de commentitia proprietatum illa communicatione, de qua Lutherani Calvinianique, in modum Cadmæorum fratrum, tam hoſtiliter inter ſe luctantur*, nec fortaſſis unquam eluctaturi ſunt, ut video calidos ad pugnam animos, quanquam cauſa Lutheranorum multis in locis jam non leviter inclinat, quorum fortunæ inſultare nolo. Calviniani, quoniam ſubtilius rem agunt, non male hactenus proceſſiſſe videntur: ludunt enim diſtinctionibus quibusdam concreti & abſtracti, quas, qui non intelligunt, *mirari*, quam totidem literis *rimari*, malunt, ut, quam nihil ſint ad rhombum, pervideant. Hominem & Deum concreta vocant; recte. Humanitatem & Divinitatem, vel Humanam & Divinam naturam abſtracta: nec id male. Duas naturas, humanam & divinam, in unam perſonam convenire: concedatur nunc hoc illis, licet falſum. Neutram ex illis perſonæ quaſi partibus de altera efferri, ſed nec proprietates, nec actiones unius alteri tribui in abſtracto poſſe, & hoc bene: poſſe tamen in concreto, ita ut dicatur, Homo eſt Deus, & contra, homo eſt æternus, Deus eſt mortalis, 135 homo condidit cœlum & terram, Deus ex Maria natus eſt: at hoc ego falſiſſimum ajo, nec ullo loquendi uſu probari, a) quod, ut melius liqueat, proponam exemplum familiariſſimum, quo Adverſarii ipſi perſæpe utuntur, quanquam illi, cum ad comparationem ventum eſt, Lesbiam regulam b) adhibere ſoleant. Duæ ſunt hominis partes, anima

go in his quoque tricatur *Ruarus*, ſophiſma olet; cum nemo *tres perſonas*, *quæ ſunt ille unus* & æternus *Deus*, Patrem illum eſſe, ex quo omnia, per generationem impropriam i. e. creationem, regenerationem & adoptionem inficietur, & tamen inter has tres perſonas aliquam eſſe, eamque unam, quæ filium ab æterno proprie generarit, a cæteris diſtinctam, ſimul doceatur.

a) Miror *Ruari* audaciam, quem vel accidentia in uno ſubjecto, ſeu ſede, unita brevi quodam compendio refutare poſſunt. Quid enim tritum magis atque obvium eſt, quam ut, *album eſſe frigidum* (quæ diſparata itidem ſunt) de *eodem pariete* ubi ſermo eſt, dicatur. Unde quanto majori jure, ſi de *perſonaliter* unitis ſermo ſit & agatur, idem genus loquendi locum habere poſſe, palam eſt.

b) *Non* eſt *Lesbia regula*, ſed certa & in confeſſo poſita veritas, ubi *ſimilia*, quæ ſunt, *diſſimilia* quoque eſſe, & claudicare ex altera parte, qua diſcrepant, dicuntur. Neque etiam aliter, quam ſalva differentia, de *eſſentialiter*, *perſonaliter* & *accidentaliter* unitis noſtri, quando comparati hujusmodi ad illuſtrandum propoſitionibus utuntur, loqui poſſunt ac ſolent. Exemplum autem prorſus ſimile & *ex aſe* conveniens, quod requirat, iniqua eum petere, quis non videat, cum & noſtri perſonalem ejusmodi unionem, qualis in Chriſto θεανθρώπῳ eſt, nusquam reperiri, & perſonam eum eſſe ſine exemplo, jam dudum faſſi ſint.

nima & corpus, quas illi cum divina & humana in Christo natura conferre solent: minus recte, a) si rem accuratius perpendas. Debent enim potius hic tanquam concreta quædam considerari, quæ respondeant Deo & homini, quorum abstracta sint *animitas* & *corporitas* (quidni enim liceat, ad imitationem Lentulitatis Ciceronianæ, voces, rei melius exprimendæ causa, fingere? seu mavis, natura animalis & corporalis. Sicut autem hic nec in abstracto nec concreto unam hominis partem de altera enunciare, nec unius proprietates aut actiones alteri tribuere licet: (nemo enim sanus, aut corporitatem esse animitatem & vice versa, aut corpus esse animam & vicissim, aut animam esse quantam, corpus esse disciplinæ capax, aut animam currere, corpus intelligere, dicet) ita nec ista superiora, b) quibus hæc simillima sunt, quisquam affirmare debebit. Attamen, inquiunt, quicquid unius est partis, toti personæ tribuitur in concreto: dicimus enim, hominem esse quantum, currere, item esse disciplinæ capacem, intelligere, quia prius ratione corporis, posterius illi secundum animam inest. At hoc quidem, inquam ego, diversissimum est ab eo, quod antea, ex adversariorum sensu, licet non iisdem verbis fortassis ab illis propositum, afferebatur: Partem de parte in concreto dici, & unius proprietates & actiones alteri eodem modo tribui: & sane ita lubens largiar ego quoque, si mihi demonstraverint, c) duas in Christo naturas, eo, quo volunt, modo esse, utriusvis proprietates, & actiones de eo, quod ex illis compositum est, dici posse; verumtamen illud, vel hominem vel Deum, prout ipsi volunt, appellari posse, non minus negabo, quam id, quod ex anima & corpore compositum est, animam vel corpus d) vocari, concedam. Quid igitur fiet istis locutionibus, Deus acquisivit ecclesiam sanguine suo, Filius hominis, seu, quod idem

136

 est,

a) Immo rectissime. Perinde enim est sive *corpus* hominis animæ opponas, sive *corporitatem*, ut barbare noster loquitur. Utraque enim natura ac substantia alteri, ut natura diversa æque disconvenit, ac neutra vox suppositum in homine notat.

b) Inconcinna est hæc comparatio, quæ a negatione abstractorum de se invicem prædicandorum ad concreta ducitur. Neque enim anima & corpus sunt concreta, sed naturæ disparatæ, perinde ut humana & divina in Christo, quibus in concreto *animatum* & *corporeum* respondent. De his autem, non illis, hic disputari, non ignorabat *Ruarus*.

c) Hinc illæ lacrymæ seu potius ambages! Quid ergo opus fuerat tot scrupulis inanibus, si ad *divinam Christi naturam* h. e. essentiam æternam summamque divinitatem, res redit?

d) Neque nostri id fieri posse credunt; animatum vero & corporeum, aut hominem corpore & anima constantem appellari & de corporeo τὸ animatum prædicari posse, etiam illi norunt, qui nondum ære lavantur.

est, homo de cœlo descendit, & similibus? an nihilominus dicent, Deum & hominem personæ nomina esse? sint sane; sed non illius compositi, a) quod ex Deo & homine coaluit; quanquam de homine miror, quomodo personæ nomen esse dicant: non enim divinæ, sed humanæ, quam illi Christo non permittunt. Multo magis vero, quid istis fiet pronunciatis, quæ, licet nusquam legantur, ipsi toties crepant, Deus est homo, b) homo est Deus, quæque nec exemplis quidem ullis declarare vel illustrare audent? at hic mysterium subesse dicunt: fortassis vel particula, vel tradux illius imponat c) mysterii, quod suo jam tempore parturiri Paulus querebatur, quod in fronte mulieris illecebrosæ, quæ tot populos amore suo inebriet scriptum Joannes Theologus autumat, quodque tunc demum, cum angeli septimi tuba insonuerit, consummabitur: Recordor quidem, & aliis nos interdum difficultatibus conflictatos esse, quas ut infringerem, discessurum rogaveras: at finis nunc tandem aliquis esto, nisi me post defatigationem viribus penitus exhaustum voles, quas ego ad vos salvas referre mallem, ut & his quæ nunc vel omisi vel male scripsi, melius explicandis, & aliis, si quæ reversum interrogare voles, enodandis sufficerem. Tuum erit hæc impræsentiarum boni consulere, &, quoad videbitur, cum fratre meo, Joachimo Ruaro, d) cujus studiis unice

137

a) Quidni? sunt personæ illius compositæ tam *Deus* quam *homo*, si de *Christo* sermo sit, nomina concreta, sed ab una tantum natura eam denominantia, eandem tamen personam, quæ simul Deus est & homo, significantia.

b) Totidem syllabis hæ quidem personales absque περιφράσει propositiones non leguntur in codice sacro, at ἰσοδυναμοῦσαι. Ut enim omittam 2. Sam. VII, 19. quippe quem locum alii aliter interpretantur; vel sola confessio *Petri*, Matth. XVI, 13. & 16. edita & a *Christo* comprobata rem omnem conficiet. Quorsum etiam illa Phrasis, *verbum caro factum est*, pertinet, in qua hæc quoque *verbum*, Deus supra dictum Joh. I, 1. sq. esse carnem, continetur.

c) Obscura vox, & vel omittenda penitus vel in eam, qua *Paulus* 2. Thess. II. ipse usus est, *impietatis* mysterii, convertenda. Cui impietati maledici hominis nihil aliud quam sanctum illud: *Increpet te Satan!* reponimus, &, Apostolo eodem 1. Tim. III. præeunte, *pietatis* hoc *mysterium* tanto religiosius veneramur atque adoramus. De cetero, si, quod exploratum habemus, hujusmodi de sanctissimis mysteriis, ad imitationem *Ruari* sui, effutiit etiam *Peuschelius*, non mirum fuit, si, ut Cap. III. Hist. *Crypto-Soc.* docuimus, durius aliquando habitus fuit: cum parum hæc & horum similia a blasphemiis absint. Nisi me omnia fallunt, eadem de caussa, ne periculum adiret, in editione hujus epistolæ filius *David* Ruarus pro *impietatis* vocabulo dedita opera perplexum illud *imponat* substituit, ut sensu h. m. obscurato ipsa quoque Patris petulantia tanto minus pelluceret & in lectorum oculos incurreret.

d) *Altorphii* adhuc commorato, ut temporum rationes docent.

unice consultum cupio, communicare: aut potius ipsissima, cum tibi ista eruditione prædito nullum usum præbere possint, nec ad gustum plane futura sunt, (nam insulsitatem meam novi) cujus palatum sanguinis nostri communione paulum fortassis obsurduit, transmittere, qui tibi mirificas etiam, ni fallor, gratias aget, nec desinam alias referre, si per te tam commode cedet, ut una fidelia duos parietes dealbare possim. Ad reliqua tuarum literarum, quæ spectant historiam, vix existimo, quicquam respondere nunc admodum necessum esse: 138 satis de iis, Deo volente, garriemus, cum ad vos revertar, quod, ut spero, cis paucas septimanas a) fiet. Interea te cohortor, mi Peuschelі, ut & ipse te posthac præstes, qualem hactenus te mihi, imo Christo potius, probavisti, & alios fratres, cum doctrina, tum adhortationibus, & imprimis exemplo vitæ, eruditiores melioresque quotidie reddas, cogas eorum cœtus ad conciones, b) quas coram illis habere * magna cum voluptate cognovi, audiendas, ad disputationes de rebus sacris instituendas, ad exactam morum disciplinam capiendam, &, si fieri sine quorundam offensione possit, ad cœnam Domini c) Jesu Christi celebrandam solemniter. Ego sane, qui nævos unius & alterius fortassis non ignoro, fere sumpsissem hanc mihi leviter eos castigandi audaciam, sed quia memineram, quod nonnullorum vulnera nimia forsan, aut saltem ingrata quadam acrimonia, præsens tetigissem, eundem dolorem absens scindere nolui, ne fortassis in reditu paulo alienioribus animis inveniam, quorum amorem omnibus modis retinere d) studeo. Velim autem, omnibus hoc de me persuasum esse, te-

* Forsan *haberi*, aut *te* habere.

a) Quod etiam factum est. Nam primo vere anni 1614. *Altorphium Ruarus* rediit.

b) Non intelligendæ sunt publicæ & vulgo sic dictæ conciones in templis habendæ, aut a ministris Eccl. *Altorphinæ* habitæ. Has enim fratres illi novi Socinismo imbuti fugiebant potius, quam sectabantur: Sed privata conventicula his verbis commendantur, ut frequententur, in quibus, non uno tantum alteroque, sed cœtu jam notabili, clam coeunte, orationes ad commonefactionem in doctrina & vita, itemque constantiam in utraque a præcipuis, ipsoque nominatim *Peuschelio* & post ejus abitum a *Dümlero*, ipsoque, quamdiu præsens erat, *Ruaro* recitabantur; ita ut studiose simul in vitam fratrum omnium inquireretur, & si quid admissum esset a quoquam, contra pietatem vitæ sanctioris, eapropter iste acriter a ceteris objurgaretur.

c) De qua tandem etiam, sed non nisi semel, solenniter celebrata, postquam *Ruarus* reversus erat, actum est copiose in *Hist. Crypto-Soc.* Cap. I. extremo.

d) Novum artificium captandæ benevolentiæ aut conservandæ potius, ne mysterium, si qui offensi discederent a societate, maturius emanaret. Quinam fuerint inter sodales tam indulgenter tra-

que ut perſuadeas rogo, me tam vehementi erga omnes amore æſtuare, ut in ſingulos cum flamma mea diviſus ubique totus conſiſtam. 139 Salvete æternum, o dulcisſima capita, ſalve, mi Peuſcheli, ſalve mi Frawenburgere, ſalve mi Dumlere, ſalve mi Hainlini, ſalve mi Fabrici, ſalve mi Marce, ſalveant etiam illi Tranſylvani, de facie mihi nondum noti: ſalutem etiam tranſcribite Richtero meo, Planero meo, & illi meo Vogelio, & Seidelio quoque, a) ſi dabitur occaſio: ad reliquos b) ipſe nunc ſcripſi, ſed & hi vobiſcum una ſalvebunt, & valebunt, in quorum omnium amplexum & oſculum tanto locorum intervallo cupidus, jam nunc effundor: Dominus Jeſus ſit cum ſpiritu veſtro. c)

XVIII.

M. RUARUS PETRO RUARO d) Fratri, Salutem a Domino Nostro Jesu Christo.

TEmpus, quod tu tibi defuiſſe dolebas, cum ad me nuper literas exarares, idem nunc mihi quoque ſatis ad ſcribendum anguſtum evenit, cui vix una alterave hora ante denunciatum eſt, quam iter tabellarius ingrederetur. Itaque parentum literas illisque infartas hac vice tranſmittere ſilentio cogor, quamvis vellem lubenter aliquid reponere, etiam contra animi mei ſententiam; quam pertinaci taciturnitate contra curioſorum omnium dicacitatem ȣ̓ χϑὲς καὶ πρώην* obfirmaverim: nimirum non patiuntur me quietem capeſſere, qui ſuum

* Non heri aut nudius tertius: dicitur proverbialiter de re dudum facta.

ſtandi, ex vita ſingulorum Cap. II. *Hiſt. Crypto-Socin.* facile eſt intelligere.

a) *Pomerano.* Quem, ne de *Martino* Sileſio hic agi, ſceleſtiſſimo illo homuncione, quis exiſtimet, diſtinctius nominandum putavimus. Cæteri enim, qui fuerint *Socini* aſſeclæ, plus minusve hæreſi approbatæ addicti, ordine heic enumerati, non opus eſt de novo h. l. disſerere: utpote quorum in Cap. II. *Hiſt. Crypto-Socin.* fata & conſtantia jam plenius deſcripta alibi ſunt. Unde etiam ſtudiis variis, & *Theologico* non ſolum, ſed *Medico* etiam & *Juridico* fuiſſe quosdam deditos patebit.

b) *Cobium* ſigillatim & *Joachimum* Martini fratrem. Vid. Ep. X. & XI. *Samuelem Przipcovium* tacuit haud dubie, quoniam nuperrime, immo forte poſt has literas jam traditas d. 22. Martii eum *Altorphium* adventaſſe ignoraverat, aut per eum ipſum hanc epiſtolam (quod valde eſt probabile) curaverat *Peuſchelio* reddendam. *Tranſylvani* illi recentes *Acad.* cives *Altorphinæ* quinam fuerint, l. c. Cap. II. ſub finem docuimus.

c) Etſi annus atque dies deſunt rationes tamen temporum & circumſtantiæ cæteræ ſatis clare, paullo *ante Feſtum Paſchatis* has litteras ſcriptas eſſe anno 1614. *Racoviæ*, condocefaciunt. Plurima vero, de quibus ſubtiliter diſputavit in hac ipſa epiſtola *Ruarus*, e *Smalcii* pharetra ſumta eſſe, ex ſuperioribus repetere licet.

d) Domum ad ſuos jam ex *Academ. Roſtoch.* reverſo, ſed eo redituro.

ſuum ocium nequeunt, niſi aliena moleſtia, concoquere, oleum, ut video, addentibus camino parentibus, dum nimio in filium amore & 140 pietate ſemper fervent. Sed erit fortaſſis alia brevi occaſio, ubi parentibus ſatisfaciam: a) nunc tecum, mi Petre, ſtadium ingredior, & currente calamo nonnihil ad tuas preces divagabor, quanquam non pro ejus campi latitudine, quem mihi ad ſcribendum aperuiſti. Rogas, ut te doceam, quomodo is, qui deſperationi propter peccatum aliquod proximus ſit, erigi, & in ſtatu ſuo firmari debeat. Tene, mi frater, iſtud petere, & aut, ſi quidem tibi petis, uſu venire poſſe, ut remedio ad hunc animi morbum ipſe indigeas, aut ſi forſan indigeas, quod tamen Deus Optimus Maximus clementer avertat, non videre te, quot habeas in domeſtico ſacrarum literarum pharmacopolio remedia & antidota adverſus hanc peſtem, cum ſis Theologiæ initiatus! ut verum fatear, non plane invitus accepi eſſe in te, qui ſolet in paucis, peccati ſenſum, nec adeo latam patere conſcientiam, ut, quod ſæculi moribus & proverbio inolevit, quadrigæ fœno onuſtæ tranſitum præbeat: ſed cavendum tamen ab hac parte, ſi præter opinionem crimine nos aliquo alligaverimus, (homines enim ſumus, & inter homines vivimus, inter quos peccatis plane vacare, magis ſane mirum ſit, * ἢ τὸν παροικήσαντα τῷ χωλῷ μὴ ὑποχάζειν, aut non fœtere, qui inter hircos ſemper verſetur) ne nimia trepidatione in præceps e veſtigio feramur, & miſericordiam Dei, quæ præfractis tantum & obſtinatis pec- 141 catoribus veniam negat, nobis etiam, quos verus dolor tantum non ſupra, quam par eſt, excarnificat, & ad pœnitentiam exacuit, præcluſam exiſtimemus. Quin tu potius, ſi ſapis, pio apud impium poetam præcepto,

Inter utrumque vola: medio tutiſſimus ibis,

nec ſecuritati, nec deſperationi, quicquam, ultra regiam viam, in itinere pietatis indulgeas. Id quidem hactenus mihi non perſuadeo, te meditate nefas aliquod aggreſſum, cum ſatis habeam

* Quam habitantem apud claudum non claudicare.

a) Satisfecit procul dubio, ſed fraudibus & dolis, aut ſimulatione certe affabre compoſita eos non minus quam ipſum fratrem circumveniendo vel tergiverſando, ut quid affirmaretur atque negaretur, œdipo opus eſſet cognoſcere. Quod epiſtolæ Cent. I. n. 1. ſqq. & ſupra Cent. II. n. 8. jam demonſtratum dederunt. Quam impie vero id factum ſit, vel ſola, quæ præceſſit, epiſtola XVII, in qua non ſine ſcommate ſubinde interpoſito ſumma fidei chriſtianæ capita jam anno 1614. operoſe impugnata videas, edocere poteſt. Tantum abeſt, ut *dicacitatem curioſorum*, aut *ocii abuſum* aliorum notare, ipſosque etiam parentes nimii erga ſe amoris, albo dente ſimul oſtenſo inſimulare fas piumve fuerit.

beam perſpectam probitatem tuam, & eam, quam de ſalute tua, curam, geris: quod ſi tamen & hujus aliud fuerit, quod tamen nequaquam ſpero, ne ſic tamen deſpondendus erit animus, cum hoc ipſum, quod adeo te propterea affligas, argumento ſit, non eſſe te ex illorum genere hominum quos obducto velut peccatorum callo, Deus extra ſenſum ſuæ gratiæ, quam ſuperbe rejecerunt, ſibi ſuæque perverſæ naturæ, juſtiſſimo tandem judicio, relinquere ſolet. Imo hæc anxietas, mi frater, hic animi tui cruciatus, eſt inſtar ῥόπτρȢ ſive canthari, quo Deus januam cordis tui, ut ita dicam, pulſat, ut, ſi fortaſſis veterno alicujus peccati correptus hactenus fueris, nunc tandem evigiles, &, dum tempus ad eam rem reſtat, lampada tuam cum prudentibus illis apud Matthæum virginibus, *cap. XXV.*, oleo, quoad potes, inſtruas, 142 ne, ſi ſponſus ad nuptias ex improviſo celebrandas ingruat, tum demum ad inſtitores tibi ſit recurrendum, cum inſtructi cæteri cum illo convivæ ædes non amplius referendas ingredientur. Perjurium, de quo nominatim in tuis literis mentionem facis, magnum eſt quidem peccatum, ſi Deus pro ſuo nobiſcum jure agere velit, quo etiam περὶ παντὸς ἀργȢ ῥήματος* rationem reddere cogemur: *Matth. XII, 36.* non tamen inter illa, quibus omnem Deus præcidit veniam, ne in veteri quidem fœdere, ut in Levitico, *cap. VI.*, videre habes, tantum abeſt, ut in novo, quod, præ illo ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται,** ut Auctor epiſtolæ ad Hebræos, *cap. VIII, 6.*, loquitur, & de quo non immerito inter ſacrorum interpretes diſceptatur, an poſt ullum nobis peccatum, quantumvis magnum, & (ut incipiam tecum jam ἑβραΐζειν *** ביד רמא in manu excelſa factum, niſi habitus illud comitetur, ſpem veniæ prorſus abrumpat. Non enim fruſtra nobis Jeſum Chriſtum *Rom. III.* προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαςήριον διὰ τῆς πίςεως, ἐν τῷ αὐτȢ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτȢ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων.**** An

* De quovis pravo verbo.
** In præſtantioribus promiſſionibus ſancitum eſt.
*** Hebraice loqui.
**** Propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ejus, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præteritorum peccatorum.

a) Cum cetera fere cuncta laudabilibus & monitis & ſolatiis conſtent, hic demum aliquid, quod *Socini* ſcholam ſapit, admiſcetur, in qua, *habitus* peccatorum per *gratiam ordinariam* non tolli aut remitti (etiamſi pœnitentia interveniat) notum eſt doceri; contraria autem Sp. S. ſignificantiſſimis verbis Eſ. I, 18. affirmantur. Cui loco clariſſimo c. LV, 7. & 8. it. LXV, 1. Matth. XI, 28. XIIX, 22. 1. Petr. III, 9. & II, 20. ſq. adjungi poſſunt. Fundamentum autem hujus ſpei, non eſſe aliam, quam primam illam ordinariam, inquam, gratiam Evangelicam. Eſ. L, 1. ſq. Rom. XI, 29. 2. Tim. II, 13. & ſimilia teſtimonia comprobant.

An dubitabimus, quin ille, ὅς τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ὑμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται, * Rom. VIII, 32. Tu tantum, quod Apoftolus tibi cognominis in fimili quidem, fed multum tamen acerbiore, cafu fecit, ad oblatum a) Domini Jefu (nam ille te, mi frater, pariter nunc obtuetur, ne dubita) ex impia Cajaphæ domo exeas vide, & fufpiriis lacrimisque culpam apud Deum depreceris: Spondeo tibi, quid fpondeo dico? imo fpondet ὁ τῆς κρείττονος διαθήκης ἔγγυος Ἰησοῦς χριστὸς, ὅτι τὸν ἐρχόμενον πρὸς ἑαυτὸν οὐ μὴ ἐκβάλῃ ἔξω.** Et vero, qui posfit aliter, quandoquidem πάντας τοὺς κοπιῶντας καὶ πεφορτισμένους, *** erecto velut digito, tam blande ad fe & in regnum Patris fui invitavit. Pareamus, mi frater, vocanti Domino Jefu, &, quantum retardat nos indignitatis noftræ confcientia, tantum incitet illius nos φιλανθρωπία *** & immenfa opitulandi promptitudo, quæ jam antea pro nobis μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ, **** (Phil. II, 8.) fefe exeruit, nec quicquam posfimus dubitare, quin habeamus nunc ἐλεήμονα καὶ πιστὸν ἀρχιερέα τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι b) τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. ***** (Heb. II, 17.) Summatim dicam, quæ temporis injuria per multas paginas diducere prohibuit, πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι. ****** Unum eft, quod etiamnum male me habet, quod meæ fortasfis literæ c) te ali-

* Qui proprio filio non pepercit, fed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eodem omnia nobis donet.

** Melioris teftamenti fponfor Jefus Chriftus, quod venientem ad fe non ejecturus fit.

*** Omnes qui laborant & onerati funt.

**** Amor erga homines.

***** Usque ad mortem, mortem vero crucis.

****** Mifericordem & fidelem pontificem in his, quæ apud DEVM funt peragenda, ad expiandum peccata populi.

******* Certus fermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Chriftus Jefus venerit in mundum, ut peccatores falvos faceret.

a) Non dubitamus, quin fphalma fit commisfum & *obtutum* potius quam *oblatum* legi oporteat.

b) Non *nunc* demum ἱλασμὸς ille peccatorum a Chrifto *fit*, h. e. acquiritur, *fed* factus jam in cruce credentibus *applicatur*, 2. Cor. V, 19. 20. Ad Hebr. l. c. non in cœlo demum eum comparari, fed *ideo* filium Dei *hominem factum* effe, *ut* in corpore, totaq; adeo humana natura *pati posfet*, præfertim fi cum hoc Cap II. Cap. Xum comm. 5. fqq. contendas, docetur. Quæ, ne quis ambiguitate fermonis *Ruari*, cui fubeft aliquid erronei & fraudis, deciperetur, monenda videbantur.

c) Non alias puto indigitari, quam quæ fupra Cent. II. n. 8. pofitæ funt typis excufæ: in quibus fratres & fine omni dubio, (cum noviffet jam alterum *Joachimum*, a partibus fuis ftare,) utroque callide nihilominus compellato, *Petrum* cum primis confcientiam fuam excutere eum jubens, percellere, atque ad eadem recipienda placita forte præparare laboravit.

aliquatenus in iſtos ſcopulos, in quibus adeo nunc præter æquum fluctuas, illiſerint, ac neſcio, annon ſiniſtra manu acceperis, quæ ego dextra porrexi: da vero operam, ut omnia in meliorem partem interpreteris, & tum fortaſſis medicinam rurſus ſenties, unde vulnus tibi inflictum putaſti. De alterius generis medicina, quæ Hippocratem & Galenum humanos magiſtros agnoſcit, nihil ulterius tibi ingero. Quandoquidem ita te, ut ſcribis, collegiſti, ut paratus ſis cum Chriſto tuo, eodemque meo, omnia ſuſtinere, ego, qui maluiſſem alias tibi parcere, hunc pietatis affectum ex animo tibi gratulor, Deumque veneror, ut vires tam ſancto propoſito pares pro infinita ſua bonitate & clementia tibi concedat. Si quid Joachimus noſter, a) aut Heinius, b) aut Morſius c) tibi literarum hactenus tradiderint, potes huic ipſi tabellario ad me perferendum dare, qui me hunc reverſus, ut ſpero, adhuc inveniet: ſi tamen præter opinionem citius ab urbe migrem, dabo operam, ut amicus quidam meus Weſtphalus (Joanni Weſtenbergio d) nomen eſt) literas ad ſe recipiat, & rus ad me tuto mittat: tu tantum hoc ſuperſcribas literis, ut illi, me abſente, tradantur, addito, quod in collegio habitet. Vale, mi carisſime frater, &, prout vocaris, vere te mihi petram præſta, in quam nec venti, nec fluctus, ultra minas quicquam posſint. Saluta omnes nobis faventes, inprimis carisſimum noſtrum fratrem Joachimum, a d. XVI. Kal. Febr. anni CIↃIↃCXVII. e) quem tibi 145 fauſtum & felicem voveo.

XIX.

EIDEM. GRATIAM A DEO PATRE ET DOMINO JESU CHRISTO.

GRatas tibi meas fuiſſe literas, eſt ſane quod vehementer gaudeam, non mei, ſed tui cauſa, cui per iſtas conſultum volebam: tu vero non minus mihi cognitu gratum fuiſſe, ſcito, quod ſcribis, a lethali te morbo, qui mentem, optimam tui partem, occupaverat, eſſe liberatum, & cum valetudine, me fortasſis nonnihil medicante, in gratiam rediiſſe, ut nunc tandem ſacer tibi cibus (ſic enim ſcribis) ſapere

a) Frater natu medius, Medicinæ ſtudioſus.

b) Non alius, quam *Heino Voglerus*: De quo conf. Cent. II. Ep. I. & II.

c) Idem ille, de quo jam ad Cent. I. Ep. 15. *Joachimus Mœrſius*, Hamburgenſis.

d) Conf. Cent. I. Epiſt. 4.

e) Ubi exarata ſit hæc epiſtola, expresſis verbis additum non legitur, ſed circumſtantiæ clariſſimæ demonſtrat, ex eodem pago haud multum *Francofurto ad Oderam* diſſito, in quo & ſequens data eſt, ſcriptam eſſe. Qui tamen qualis fuerit, paullo poſt ediſſeremus.

pere incipiat, quod debet. Qua de re plurimum tibi, mi frater, gratulor, ac tanto magis gratulabor, quanto te per istum cibum magis magisque in eadem valetudine confirmabis, donec & robur & vigorem spiritus seu recuperes amissum, seu de novo, quod intendere potius videris, acquiras, crescendo paulatim εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ, * quod ab Ephesiis divinus Apostolus requirit. Ita enim est, mi frater, ut scribis: fortes & strenuos oportet esse milites, quorum vota tendunt ad immarcessibilem, ut ita loquar, justitiæ coronam, quam Dominus, justus ille judex, decretorio die, omnibus illis reddet, qui adventum illius diligunt. Molles vero illi & delicatuli, qui pulverem & solem ferre nequeunt, ad popinas suas & lustra potius relegandi sunt, atque utinam ipsi eo se non relegarent! certe nulli rei sunt in eo bello, in quo nobis πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ** dimicandum venit. Nos id demus operam, mi frater, ut, quandoquidem nomen Imperatori dedimus, & inter eos volumus censeri, qui legitima mereantur stipendia, præstemus sacramentum, quo sumus obligati, armis necessariis instruamur, animo præsenti nos ad pugnam, ad pericula, ad vulnera obduremus, caute tamen & circumspecte, ut non ῥιψασπίδες, *** ita nec ῥιψοκίνδυνοι, *** ante omnia vero caveamus ἐμπλέκεσθαι ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσωμεν. **** Verissimum enim est, quod huic monito subjungit Apostolus, ἐὰν καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται, ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. ***** quo de plurima possent a me scribi, nisi domi tibi eadem nascerentur. Habes istic sacras literas, in quibus legendis assidue jam versaris, & ita quidem versaris, ut vocem Dei non modo aures, sed & cor tuum ferientis agnoscas: nimirum illæ te, ut ais, sic interdum rapiunt, ut jam præ commiseratione, jam præ exultatione, te ipsum continere nequeas; quod apparet esse lectoris minime supini aut frigidi, quales plerique sint, in quibus, cum nullus sit probitatis fomes, nec ignis pietatis excitari facile potest. Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ

146

147

Qqq

* In virum perfectum, in mensuram ætatis plene adultæ Christi.

** Adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales astutias in cælestibus.

*** Clypeum abjicientes & fugientes.

**** Ad audendum projecti.

***** Implicari vitæ negotiis, ut ei, qui nos in militiam delegit, placeamus.

****** Quod si certet etiam aliquis, non coronatur, nisi legitime certaverit.

αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.* Pergas ita, mi frater, & hoc animo, quo cœpisti, divinas literas tractes, ut probior inde semper, & cum aliquo pietatis non affectu tantum, sed & profectu, discedas, nec tam scholæ quam vitæ studeas, contra quam vulgo faciunt, qui armaria sua pro armentariis habent, & tum demum egregios se Theologos putant, cum ingeniose didicerunt rixari, a) sensusque suos, vel a doctoribus sibi per manum traditos, seu e cerebri sui fœcunditate erutos, divinis scriptoribus cum tanto scholarum plausu, ut subsellia rumpantur, subtiliter impingere possunt. Optimus autem lector est, ut inquit Hilarius, *qui dictorum intelligentiam exspectat ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat, id videri dictis potius contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Aureum dictum! sed quotus illud quisque præstat aut observat? ac vereor, ne ipse etiam Hilarius, magnus alioqui vir, suum vinetum, ut est in proverbio, sæpius inciderit, & vulgari versiculo, quem pueri olim trivimus, vapulet, *Turpe est doctori,* nosti cætera. Sed humanus est error, qui & sæculorum se canicie, & exemplorum immensa multitudine, defendit: nec tam ingenio 148 cujusquam aut prudentiæ fuerit adscribendum, si quis eum excusserit, quam divinæ cuidam felicitati, si sub ista mole non penitus collaba-

* Quicunque habet, ei dabitur, & abundabit: quicunque vero non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo.

a) Abusum Theologiæ polemicæ, si vocabulo hoc, paullo asperiori, notet, bene; si vero omnem pro veritate doctrinæ pure conservanda pugnam prohibitam existimet, male ita sentit. *Paulli* certe monitis hæc adversantur, qui errores ut comprimantur, *circumquaque obstare* jubet, & alibi ἀντέχειν sanæ doctrinæ serio præcipit, idque ut faciant ἀποτόμως, cum convictione animi potius, quam irritatione, identidem hortatur. Cujusmodi certamen neque ipsi *Sociniani* unquam repudiarunt, & *Smalcius* tam operose atque acriter, dum vixit, continuavit, ut parum a rixa, propugnandi pro placitis suorum, studium ejus abesse videretur, & *contentiosi* hominis etiam characteres præ se ferret. Nobis haud displicet in his, ut aliis multis, *Fratrum Bohemorum* modestia, de qua I. A. *Comenius* in *Annot. ad Rationem Ord. & discipl. eorundem* f. 75. ed. *Buddeanæ. Apologias quidem* (inquiens) *pro veritate doctrinæ, & innocentia vitæ, scripserunt, sine tamen invectivis* (convitiis) *in alios: tantum pro impetranda pace. Nec semper quoties impetebantur: silentium quandoque sibi facientes clypeum. Atque id usque adeo, ut scriptas etiam quasdam, imo a prælo exemtas suppresserint apologias: cujusmodi scriptum in manu est, unum & alterum, solidum satis. Sed quando cum adversario protervo res fuit, qui convitiari potuit, nocere non potuit, maluerunt* (re *melius expensa*) *proterviam silentio ulcisci, chartas vero rixatrices tineis arrodendas tradere.* Utinam hæc armentarii nostri petulci sibi dictum observarent diligentius!

labaſcat. Ego, præter cætera beneficia, multum Deo meo debeo, idque libenter (rogo, ut æquis auribus tuis) profiteor, quod ſuperbo me quorumcunque magiſtrorum jugo ſolverit, ut mente nemini mortali jurata aut obnoxia veritatem libere a) venari, & eum, quem ipſe nobis audiendum propoſuit, ſolum b) audeam auſcultare, & pro virili coner. Γινέσθω γὰρ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης.* Valeat, illud de Pythagora, Ἀυτὸς ἔφα.** Valeat autem, ſed alio ſenſu, Ἰησῦς ἔφα, *** qui non modo verum ſe teſtem, ſed ipſam veritatem vere nominat. Igitur quod tu de duabus ævo noſtro gliſcentibus ſectis protuliſti, cane te pejus & angue illas fugere: id fortaſſis de pluribus, ac neſcio, annon de omnibus, certo quodam ſenſu, ſine contumelia dici poſſet, quatenus earum nulli privilegium aliquod conceſſum legimus, quo communi humanitatis ſorti eximantur, ut nude illis acquieſcere debeam, & ſine ſcelere ſuſpicari nequeam, aliquam hic caniculam ſecus fores, aut in herba ſerpulam latere. Veruntamen, ſicut canis nec omnis, nec ſemper mordax eſt, & anguium carnes, dimiſſo veneno, ad theriacam pharmacorum nobiliſſimam conficiendam expetimus: ita & hic caute mercari decet, ut nec omnes, nec in omnibus, omnia facile damnemus, quod eſſet faſtidioſæ cujusdam ſuperbiæ, nec quicquam ſine certa & ſacris literis expreſſa ratione, tanquam ſcitu neceſſarium, affirmemus, quod projectæ foret temeritatis. Opto juxta tecum, mi frater, ut liceat aliquando & his & aliis de rebus ſermonem otioſe tecum cædere, neque dubitarem, quin cum utriusque id commodo futurum eſſet: ſed, ut hanc fortunæ meæ rotam video varie verſatilem, nondum explorate affirmare poſſum, ubi id, & quando commodiſſime fieri poſſet, de quo tamen non deſinam cogitare, donec utriusque voto Deus, ſi forte, tandem annuerit. Nunc in Sileſiam c) peregre abeo, & fortunæ,

149

 quæ

* Sit enim DEVS verax, omnis autem homo mendax.

** Ipſe dixit. *** JESVS dixit.

a) *Libere* ſane; ſed non *petulanter*, & ſum neglectu regulæ veritatis, verbi puta revelati, rationi quoque protervæ oppoſiti, ſanamque perficientis & plenius informantis, coll. Phil. III, 16. & 2. Cor. X, 4. ſq.

b) Utinam ſolum audiviſſes hunc magiſtrum, *Ruare!* Hac via profecto ſi inceſſiſſes, tot ſarcinis librorum *Socini* & *Smalcii* advehendis e *Polonia*, interque amicos atque familiares gratis etiam diſtribuendis, non opus fuiſſet, aut ſuperſedere certe maluiſſes.

c) Poſtquam *Argentorato*, *ephoria Burgsdorphiana* ademta, redierat in fines *Poloniæ*, *Saccii* filiorum curam impoſterum ſuſcepturus. Cujusmodi *Saccianum* prædium etiam in *Sileſia* ſitum erat: de quo ſupra ſæpius dictum eſt.

quæ se fortassis iterum tam facile non offeret, dum ad eam tempus, obsequar: cum inde reversus certum alicubi pedem fixero, tu ante alios cumprimis scies. Spem tamen alo, nisi omnia adversa experiar, me hac æstate adhuc Lugduni Batavorum a) futurum. De academia tibi petenda, quod rogas, vix quicquam consilii habeo, cui satis acquiescam: magna ubique malorum exemplorum seges, inter quæ si didicisti sine noxa eniti, per me sequaris eam, quæ studiis tuis commodissima ipsi tibi videbitur: voveo tamen, ut non sine fido aliquo pectore, quod pro tuo tibi arbitrio & ingenio aptissimum eligas. Σὺν δὲ δυὼ ἐρχομένω, * inquit poetarum parens, & Ecclesiastes divinus, טוֹבִים הַשְּׁנַיִם מִן־הָאֶחָד אֲשֶׁר יֵשׁ־לָהֶם שָׂכָר טוֹב בַּעֲמָלָם.** Certe hoc & ad auxilia mutuo ferenda tutius, & ad consilia invenienda non parum utile, & si nihil aliud insigni solatio est, habere in adversis, in cujus sinum ea, quæ soli tibi nimium sint molesta, exoneres, quæ vel eo ipso leviora videntur, si videas alium tuis calamitatibus συμπάσχειν. *** Joachimo nuper de Helmæstadio consilium proposueram: quid illi placuerit, nescio: mihi tamen ipsi post mortem Arnisæi, b) medici & philosophi clarissimi, cujus tunc potissimam rationem habueram, paulo nunc illud minus allubescit, nec pertinaciter tamen contra tendam, si ipse nihilominus huic institerit. De Francofurto, quod eidem pariter suasi, ne nunc quidem retracto: quanquam enim ego nunc illinc c) discedam, cujus ei conversatio fortassis non infructuosa fuisset, si consilio meo maturius paruisset, sunt aliæ tamen causæ, quas ego partim tunc attigi, partim ipsemet colligere potest, quæ scholam hanc vitæ & studiis ejus non incommodam faciunt. Nolim quidem ut in illo pago d) diutius desideat, & optimum

150

* Cum duobus vero veni.

** Melius est, duos esse simul præ uno; habent enim emolumentum in labore suo.

*** Compati, condolere.

a) Ejusdem *Saccii* filiorum *ephorus* constitutus, cum quibus etiam non diu post eo profectus est.

b) Falsus erat rumor, quem *Ruarus* ex mendacis famæ narrationibus de *Henningi Arnisæi*, *Prof.* quondam *Ffurt. ad Viadrum* ac deinceps *Helmstadiensis*, creatique anno 1613. Doctoris Medici, acceperat. Idem enim vir celeberrimus anno 1620. demum ex *Acad. Julia* in *Daniam* salvus & sospes abiit, ibidemque anno 1636. (neutiquam vero anno 1675. ut in *Lex. Eruditorum* habetur,) ex hac vita excessit. Rectius hæc S. Rev. Abb *Böhmeri* Profess. Medicorum in Academ. Julia Memoriæ nos edocuerunt.

c) Non obscure hinc patet, *Martinum* etiam *Ruarum*, cum *Saccianis* forte filiis, aliquantisper in *universitate Viadrina* commoratum esse, antequam in peregrinas regiones excurrerent.

d) Quis pagus ille fuerit, in quo *Joachimus Ruarus Rostochio* abscedens, ad tempus sumtuum, ut conjicio, acade-

mum ætatis florem inter rusticos marcescere patiatur, quod ipsi, quem natura paulo pudentiorem finxisse videtur, imprimis inutile duco. Qui in luce hominum aliquando vivere gestit, non debet latibulis insuescere: & si ulla ars, certe medicina, & necessaria illius pars, chymia, a qua eum minime abhorrere sat scio, viva doctoris voce maxime eget, cujus discendæ occasio Francoforti, & in vicina Silesia non male suppeditat. 151 Nec est, quod de sumptibus nimium vel tu vel ille vos solicite angatis: si in præsens aliquid restat, id in rem vestram consumite, inposterum Deus quoque providebit, ne cogamini esurire, si modo tantum illi habeatis fidei. Obtuli vobis jampridem de meo, a) quantulumcunque id esset, quod ibidem mihi superesset: cur non utimini, si egetis? an veremini, ne id serio & ex animo fecerim? atqui parentibus idem & scripsi, & oretenus b) injunxi. Quid dubitatis? πάντα φίλων κοινὰ, ὅσω μᾶλλον ἀδελφῶν.* Erudito illi viro, a quo literas mihi proxime transmiseras, nihil nunc rescribo, propterea, quod non vacet, quæstiones illius hoc tempore disquirere: tu eum meis verbis salutes, & amicitia ejus, si quidem utilem tibi futuram speras, si lubet, utaris: de illius in religione sensu nihil mihi certi constat, nisi quod hominem pietatis singulari zelo inflammatum ex primo statim congressu deprehenderim: quem in illo solum hactenus amo, cum de cæteris ipsius rationibus nihil penitus exploratum habeam. Reverendum & clarissimum dominum Tarnovium c) itidem a me salvere jubeas, cui exemplar orationis, quod literis conjunxi ipsique præsens promisi, tradas velim. Ante omnes vero salutatus a me esto Joachimus noster, de cujus, ut & tuo statu lubens aliquid primo quoque tempore rescirem: verumtamen cum incertis

 nunc

* Omnia amicorum sunt communia, quanto magis fratrum.

micorum penuria, diversatus sit, ibidemque Medicinam fecerit, incognitum est. Utut sit, sunt tamen, quæ ad *Megapolitanum Ducatum* pertinuisse, & forte non procul *Rostochio* abfuisse, persuadeant. Ad vitam certe ejus, utpote viri haud indocti, annotari hæc circumstantia meretur. Cæterum arctius secum ut conjungeret fratrem, elaborasse Martinum, non dubitamus, vel ideo, ne, quam Altorphi jam imbiberat hæresin, eam sejunctus diutius exspueret, sed in illa magis magisque coram confirmaretur.

a) Totum videlicet patrimonium & hæreditatem omnem. Vid. Cent. I. ep. 15. sq.

b) Ad hos ergo, cum *Argentorato* in *Poloniam* reverteretur, deflexisse videtur. Quemadmodum etiam sequentia *Rostochium* illum transiisse, e patria ad *Saccium* contendentem, adocent.

c) *Paullumne*, an *Johannem* innuat, incertum est. Ambos enim habebat amicos, illum præceptorem, hunc commilitonem; utrumque etiam superstitem adhuc fuisse, nemo ignorat. Quia prior anno 1633 demum, & posterior anno 1629. ineunte supremum diem obiit. Si quid tamen con-

152 nunc ipse sedibus vagans nuspiam vestris literis itineris sui scopum defigere possim, consultius erit, votum hoc tantisper suspendere, donec tutius illud exequamur. Vale, mi carissime frater, cum Joachimo itidem carissimo. Prope Francofurtum in pago, a) III. eid. Martias Julianas Anno cIↄIↄcXVII.

XX.

M. RUARUS ULRICO RUDIGERO b) SALUTEM A DEO PATRE ET DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.

PRecibus tuis, mi frater, non parum debeo, quod salvus & incolumis hucusque cum comitibus præter multorum opinionem, qui sinistre nonnunquam ominabantur, evaserim; c) o si votis id quoque meis tribueretur, ut ad diem istic tibi restitutus jungerer, nec enim pauca forent acerba, quæ vellem in sinum tuum, animi mei levandi causa, effundere, nec pauciora, quæ communicare tecum vellem, summe, ut opinor, grata, & propemodum ultra spem, quam hactenus aluimus. Sed literis hisce non satis credo, præsertim cum illarum gerulus ad tantum itineris pedibus relegendum vehementer trepidet, & indignetur, & nescio, annon in ipso alicubi adhæsurus videatur. In Peloponneso d) vehementer nunc turbatur, totaque provincia in 153 partes, &, quod mireris, propemodum pares, si Cœlestinum e) & Genuam,

jecturis dandum, posterior videtur intelligendus.

a) Non alius ille procul dubio fuit pagus, quam *Mæstichianum Sacci* in *Hist. Socinismi*, hac tempestate tantopere celebratum, quod non longe *Francofurto* aberat.

b) Quemadmodum tota hæc epistola ænigmatico nomine non uno, vix spem aliquam, nisi levem admodum, semel iterumque eam relegentibus, de sensu plenius investigando, reliquit: ita quoque quis *Rudigerus* ille, homo ad *Socini* partes jam procul dubio a *Ruaro* propemodum perductus, sed in quibusdam forte adhuc hæsitans, fuerit, cum ignarissimis scimus. *Francofurti* tamen h. t. vixisse, verisimile est.

c) Parum abest, quin propter pristina *Socinismum* propagandi studia etiam Ffto aufugiendum fuisse *Ruaro*, hinc colligam.

d) Primus hic est, ad quem offendo, scopulus. Si quid tamen judico, *Belgium* intelligitur ob urbium fœderatarum copiam & societatem *Peloponneso* comparatum, eoque tempore certaminibus *Remonstrantium* & *Contra-Remonstrantium*, quasi fluctibus procellisque agitatum: quorum etiam illi hac tempestate alteram *Remonstrantiam*, ad purgandos se suosque ab impactis erroribus Ordd. fœderatis tradidere, & ipsa quoque *Synodus decreto publicato* celebranda jam firmiter *statuta* fuit.

e) Obscurissimum nomen fateor; Quod post diuturnam ad personas multifarias applicationem, & considerationem huc illuc jactatam, non ad alium congruere magis autumo, quam *Regem* Angliæ *Jacobum I*, *Cœlestinum* ab Angelorum nomine, quorum habitaculum cœlum est, dictum, atque eo magnum alteri parti momentum seu pondus addidisse in causa illa ambigua visum, quod per *Vorstii* Dissertt. *Matthæo*

nuam, a) magni altrinſecus nominis ac momenti, excipias, diſceſſit; unde velitationes & pugnæ non linguarum modo, ſicut pridem Maſſiliæ b) tres quatuor aut fortaſſe plures proh dolor! homines hauſit: prohibeat Deus, ne factioſæ mures & ranæ, aperto tandem inter ſe bello colliſæ, hianti ciconiæ c) in prædam diu exoptatam veniant. Sed meliora juvat ſperare, ac neſcio, quid hiſce motibus a Deo Opt. Max. οὗ ὁδοὶ ἀνεξιχνίαστοι, * quæri, animus auguretur: id quidem certum eſt, non poſſe ſine vehementi ſonitu magnarum, diuq; firmiter hærentium rerum orbem converti. Ἀλλὰ γλῶσσα ποῦ πορεύῃ; ** redeat illa nunc intra ἕρκος ὀδόντων, *** ut Homerus loquitur. Quanquam qui poteſt? te cum cogito, mi frater, rimarum plenus fio, hac illac perfluo. Quis fructus literarum, quas mihi perferendas dederas, fuerit, ex reſponſione ad illas cognoſces: id rogo, des operam, ut quicquid literis his petiverit, illius compos fiat. Vir eſt bonarum partium ſtudioſus, d) in ſententiis liberrimus, nec ingenii vulgaris, cujus hoc velut argumentum habe, quod illam de providentia divina, miniſterioque angelorum opinionem, quam noſti, ſuo Marte jampridem amplexus ſit, & acute

* Cujus viæ imperſcrutabiles ſunt.

** Sed lingua ubinam vagatur?

*** Septum dentium.

Glado oppoſitas, & anno 1615. *Goudæ* excuſas, implacabilem ejus animum eſſe, adverſus *Vorſtii* amicos quoſcunque ipſamque cauſam *Remonſtrantium*, compertum erat.

a) Non aliam hoc nomine puto urbem ſubinnui (ad civitatem namque aliquam reſpici, palam eſt,) quam *Amſtelodamum*; Hæc enim omnium maxime & acerrime, cum *Ultrajectinorum*, *Leidenſium*, *Harlemenſium* & *Roterodamenſium*, & quidem *Utenbogardi*, *Grotii*, *Barneveldii*, *Ledenbergii*, & *Hogerbeeti* opera favorem notabilem experirentur *Remonſtrantes*, ſola fere illis reſtitit, atque ingens parti *Remonſtrantibus* adverſæ pondus addidit. In qua etiam civitate potentiſſima nuper admodum direptio illa ædium *Remberti Epiſcopii*, fratris *Simonis*, contigerat, ipſique *Remberto*, impune propemodum ſeditioſis, qui in cuſtodiam dati erant, dimiſſis ſacris publicis interdictum fuit.

b) Privata hæc cauſſa, ut ſuſpicor fuit, ita ut inter hos motus *Maſſiliæ* (*Roterodami* forte) quoſdam eſſe occiſos *Ruarus* indicare voluerit.

c) Regi *Hiſpaniæ*, fœderato Belgio recuperando cum P. R. inhianti.

d) Neque hujus tantopere laudati viri nobis nomen cognitum eſt, multoque minus, quæ fuerit illa, cujus tecte mentio fit, doctrina de *providentia & miniſterio Angelorum*, intelligimus. De providentia equidem probabile eſt, non aliam intelligi, quam de prædeſtinatione vexatam hac inprimis tempeſtate diſputationem, & de *abſoluto decreto* rejecto atque contraria ſententia approbanda, rectiorem plerorumque opinionem; ſed, quid miniſterium angelorum h. l. ſibi velit, non ſatis percipio, & Miniſterii Eccleſiaſtici eam, quam Sociniani tuentur, hypotheſin ſubeſſe ſuſpicor. Neque enim *miniſterium Angelorum* proprie ſic dictorum in controverſiam tunc a quoquam vocatam eſſe recordor.

acute ſatis defendere noverit; quæ tamen, quod mireris, etiam Hofſlichio a) noſtro, dum hic ſum, ante cujuſpiam indicium in mentem venit. Nunc illud ut mihi cogites velim, qui probare poſſis, aliquid 154 ad nos mali ex Adami lapſu præter exemplum redundaſſe: novi enim virum egregium & pium, qui id negat, & penitus hic πελαγιανίζει,* cujus ut ſententiam tanto rectius capias, triplicem tibi hominis generationem ex illius mente ob oculos pono, naturalem, carnalem, & ſpiritualem, quarum ſecunda & ultima inter ſe contrariæ, altera multum mali, altera plurimum boni, a parentibus Adamo Chriſtoque in nos poſteros, ſed non niſi per exemplum b) eorum, quod dum imitamur, ex iis generari dicimur, deferat, prima mortalium unicuique ſine noxa contingens accuſari per ſe minime debeat, niſi Deum primum illius auctorem ſimul nefarie in jus vocare velimus. Quicquid igitur ex epiſtolæ ad Romanos capite quinto, quod quidem ad hanc rem præcipuum eſt, ſtabiliendæ vulgari, &, ut nos quidem hactenus opinamur, veriori ſententiæ trahitur, carnali, non naturali noſtræ ex Adamo generationi vir is, quem dixi, accommodat. Illuſtrem in eodem capite verſum decimum quartum aliter, quam nos, diſtinguit, illaque verba, ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραϐάσεως Ἀδὰμ,** non cum voce, ἐβασίλευσεν,*** ſed cum proxime præcedentibus, ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας,**** conjungit, hoc ſenſu, ut Paulum faciat aſſerentem, mortis regnum etiam in illos pervaſiſſe, qui non, ut Adamus, contra diſertum Dei mandatum deliquerint, c) quamvis neminem ſuo jure ſtringat, qui non pecca-

* Pelagianizat, Pelagio inhæret, eumque ſequitur.

** Ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami.

*** Regnavit.

**** In eos, qui non peccaverunt.

a) Quis ille? Non putaverim *Noribergenſem* aliquem fuiſſe, qui eo usque excurrerit; etſi duos hoc nomine claros huic ipſi *Crypto-Socinifmi* cauſſæ, *Leonhardum* nempe & *Chriſtophorum*, implicitos ſupra nominaverimus. Utrumque enim immunem quoque fuiſſe declaratum ab illa labe, ibidem obſervatum eſt, neque etiam longius, quam *Jenam*, alterum eorum progreſſum conſtat. Sed quis digresſiones omnes fraterculorum ſibi cognitas eſſe & itinera clandeſtina auſit affirmare? Commentitium hoc nomen eſſe non opinor.

b) Antiqua *Socini* utriusque cantilena, maxime tamen *Fauſti*; Qui fortaſſe idem ille, quem tantis laudibus hic effert *Ruarus*, vir *egregius & pius* fuit.

c) Hoc ipſo vero *peccatum* illud, quod *originale vere tale* ſtabilitur; vocamus, quia, quando infantes etiam tenerrimi, ut experientia docet, mortis regno ſubjecti ſunt, alia de cauſſa *pœnam* iſtam communem hi quoque, quam propter culpam aliquam communem ſuſtinere nequeunt. Ea vero cum ex imitatione aliqua apud infantes ita teneros derivari non poſſit; conſequens erit, ex nativitate contractam ſeu connatam, æque omnibus huic malo obnoxiis ineſſe, atque adeo κατάκριμα illud

peccaverit, & ita ex Adamo carnaliter, veſtigia illius ſequendo, natus 155
ſit. Hæc igitur, ne ſcribendi deſtituaris argumento, judicio tuo proxime enodanda proponere volui: jam nihil reſtat, niſi ut te una cum uxore, & liberis, fratribusque plurimum dilectis ſalvere & valere jubeam. Dabam Hebri a) a d. xv. kal. Novembris Juliani, anno æræ Dionyſianæ, cIↄIↄcxvii.

XXI.

CHRISTOPHORUS LUBIENIECKI b) A LUBIENIEC M. RUARO.

GRatulor conſilio meo, quod tam pulchre ceſſerit: tibi vero, doctisſime Ruare, gratias ago proximis tuis, quibus, ſine mora, ardens deſiderium meum reſtinxiſti, ita mihi ſatisfaciunt, ut cum nuperum votum interrogo, ultro ſe non tantum optaſſe fateatur, quantum nunc conſecutum gaudet. Fruar ulterius hoc excellenti bono, ſi per te mihi ſeriasque occupationes tuas licuerit, nam quod antea eo me defraudaverim, negligentiam meam apud me non abſolvo, etſi excuſationes undique ingenioſe conquiro. Tu vero, humanisſime Ruare, dabis aliquid ambitioni meæ, ſi literas tuas, teſtes dulcis conſortii tui, in partem honoris apud meos mihi ceſſuras dixero. Ne nunc taceam de uberrimo fructu, cujus guſtum in hiſce primis ita percepi, ut in futuris eundem ſpe devoraverim. Etſi autem, in certa- 156

ex proprie ſic dicto communi *παραπτώματι* illo oriri.

a) Fictum ſine controverſia loci nomen: Qui, utrum de reliquo in *Belgio* quærendus ſit, an in *Saccianorum* prædiorum aliquo, dubium eſt. Præcedentem epiſtolam ſi conſulamus, ubi hujus anni æſtate, ſe *Lugduni Batavorum* futurum, ad fratrem ſcripſerat, facilius erit creditu, hanc ipſam Batavorum quoque Academiam hac larva contectam fuiſſe. Eam enim urbem, *Hebron* puta, olim *Kirjath Sepher*, quod Academia quondam iſtic fuerit, nuncupatam eſſe, ſunt, qui opinantur. Quod illis, qui etymologicis argumentis delectantur, diſquirendum relinquimus.

b) *Chriſtophorus* hic *Lubienicius*, junior fuit, *Chriſtophori Sen.* filius: qui hoc tempore circiter viginti annos natus, ſtudiis atque itineribus operam dabat, & poſt hæc *Racov.* cœtus Miniſter, atque, *Racovia Socini* ſcholæ erepta, *Lublinenſis* factus eſt Eccleſiaſtes, diemque ſuum anno 1648. obiit. Tota hæc ejus epiſtola, uti juvenile facundiæ donum, quo etiam poſtea polluiſſe dicitur, ubi publicis muneribus præfuit, prodit: ita varia infortunia apud exteros recenſet, eademque quæ paſſus ſit, jacturam præſertim pecuniæ, incertum quo fato perditæ, deprecatione *Ruari* apud parentes parciores & paullo duriores, forte nec opulentos admodum, ſarciri rogat. Patrem fuiſſe *Stanislai Lubieniecii*, doctisſimi illius exulis *Cometographiæ* & *Hiſt. Ref. Eccl. Polon.* auctoris, qui *Hamburgi* ut ferunt veneno, incertum a quo propinato, dicitur periiſſe, aliis ſatis conſtat. Quæ cauſa eſt, cur brevibus tantum hæc attexenda putaremus.

mine hoc tibi herbam porrigere, eruditio simul & humanitas tua cogat, conatum tamen meum in re ardua, tibi æquo rerum æstimatori non displiciturum spero. Turpe est vinci eruditione, humanitate vero turpissimum, sed juvat tanta macula aspergi, dummodo animus in exoptati boni possessionem veniat. Neque vero sine causa me victum agnosco; pudet me jam mearum, quas sub censuram limati judicii tui venire volui; necnon illud in ruborem dat, quod, cum merita tua ita me tibi obstringant, ut solvendo non sim, tuarum tamen beneficio absolutus, te præterea debitorem habeam, ita, quæ tibi merito debentur, a te removes, ut alieno tenearis. Habet nimirum hoc omnis divinitas, ut prodesse quam agnosci malit, neque melius majestatem suam tuetur, quam si magna ejus pars ignoretur. Etsi vero omnes laudes modeste respuit, nunquam tamen efficit, ut virtutem suis vestigiis præmia non insequantur. Itaque & me non necesse est literas tuas, & prolixam in iis amoris tui testificationem decantare; Præcone enim, quem ipsæ domi habent, emendicato non indigent. Tacito animi sensu eas ruminabo, ut inde stimulus aliquis, qui me ad officium excitet, exsurgat. Neque vero nuper tibi, ut scribis, eloquentia mea persuadere, sive potius, mellitis voculis in tuam gratiam irrepere animus fuit. Nam & ipse fucos & externa benevolentiæ ostentamenta aversor, & tu nequaquam tantæ injuriæ vel fraudi obnoxius

157

- - veri namque speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro.

Nude & in rei veritate proposui beneficia tua, ut ingenua confessione debitam testarer gratitudinem, tu ipse, vir clarissime, a leviori culpa tamen vix absolveris, nam præterquam quod, quæ tua propria sunt, omnino respuis, eloquentiam meam & ingenii vires, & similia commemorando τὸν αἰθίωπα λευκαίνειν * videris, quod quidem ego in bonam accipio partem, te nimirum, pro singulari benevolentia, velle, ut talis sim, qualem jam fingis. Nunc ut a te beatior redeam, quæ cogitatio circa statum & filum peregrinationis meæ mentem vellicet, eique serenitatem suam eripiat, tibi nugari liceat. Remedium iratæ fortunæ, vel ipsa querimonia, apud te quærere non denegabis. Vere enim quidam Poeta canit:

Lenius humanas affligunt tristia mentes,
Et perit e multis pars quotacunque malis,

Cum

* Æthiopem dealbare, hoc est, frustra laborare.

Cum quis vel fido comiti, vel denique frustra
Non audituris conqueritur zephyris.

Ac ut paulo altius repetam, subit primum, quanta cum difficultate, & mihi postulasse, & parentibus concesisse, ut in exteras abirem nationes, constiterit: dissuadebat illis tum magnitudo sumptuum in tenui re domestica, tum præcipue fluxa & lubrica ætas, & nulli rei magis, quam quod ad suam perniciem spectat, insistens juvenilis animus. Quo tamen & promisis meis, & intercesionibus multorum obtento, vix pedem e limine patrio movi, * grave vulnus fortuna inflixit, & dolenda quinquaginta aureorum jactura (nam centum & viginti pro tribus annis optimus parens dederat) magnam rebus meis attulit inclinationem, quo quidem fulmine animus, ad subita impræparatus, percussus, graviter ingemuit, multo acerbius infamiæ a) malum expectans. Nosti hominum ingenia in censendis miserorum calamitatibus, ut casus in culpam transit, & extrema infelicitas crimen putatur, unde fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Cui quidem malo ut occurrerem, quid laboris & anxiæ sollicitudinis susceperim, ii, qui penes me, norunt. Tunc agnovi, nunquam solas venire calamitates, neque miserias esse incomitatas. Per integrum unius anni spatium scripsi in patriam literas, extremam pestem a me depellens, præ cujus solo metu animus emoriebatur, neque tamen vel veniam culpæ, vel infortunio commiserationem elicui. Sentiebat tam longo tempore animus suos dolores, novo insuper malo, tam diuturna literarum a parentibus carisimis absentia, tabescens. Ecquid tibi ipse animi putares, vir clarisime, in tanta calamitatum serie? Quibus tandem per divinam bonitatem defunctus, vix convalescere cœpi, ecce aliæ difficultates me excipiunt, quas si mihi ipse intrivi, mihi exedendæ sunt. Nobilisimi juvenes, contubernales mei, accingebant se Gallico itineri, b) quibus se comitem adjungere, non innata solum lustrandi orbem curiositas rapiebat, sed & necessitas cogebat. Nisi enim hanc occasionem arripuissem, de lustratione istarum regionum omnino mihi desperandum fuisset, quod pro maxima infelicitate reputabam, quam ut effugerem, nec venia plene impetrata, nec sumptus suppeteret, permisi me arbitrio meo, & utraque manu amplexus sum bonum tot difficultatum contagione læsum. Contraxi

158

159

* *Cum.*

a) Non alius, puto, quam malæ fidei debitoris.

b) Unde e Belgio has litteras in *Poloniam*, aut ubicunque locorum tunc hærebat *Ruarus*, scriptas esse forte colligas.

traxi debitum centum quinquaginta florenorum Polonicorum, cujus bonam partem, ut ad præsens dissolverem, cogebat in summa inopia summa necessitas, & nisi primum consilio tuo, carissime Frater, & opera domini Mercatoris adjutus fuissem, jam jam ad desperationem vertebar & inediam. Hoc rursus novum debitum ut dissolvam, & reliquum itidem, eundum est ad parentes, sed qua fronte, cum sine permissu eorum? Eundum tamen, quid dubius & anceps in re, minime in dubium vocanda, hæreo? nisi forte turpem fidei & bonæ existimationis jacturam ultro adire velim. Vides novercam mihi infensam, deprehendis cœci numinis a) ambiguos vultus? Profecto si se aliis velat, mihi certe inconstantia ejus ita innotuit, ut jam circa 160 me in sui mutabilitate constantiam servare videatur. Unde & in posterum ejus perfidia mihi suspecta erit. Habes calamitatum somnium, quod ut libere excutias, amor in me tuus suo jure postulat, ne forte mens, vana opinionem nube offusa, malis suis indormiat. Vale, & verbositati meæ ignosce. Dat. e Museo b) xxx. Jul. Anno cIↃIↃCXVIII.

XXII.

N. DUMLERUS c) M. RUARO. GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE PER CHRISTUM DOMINUM.

QUia inscriptio literarum tuarum primo se mihi objicit, *frater intime*, Domine Ruare, primo te hoc ad eam monitum volo, ut omittas illud; *reverendo;* in seqentibus, quo in prioribus me decorare placuit. omnis enim reverendus est, qui virtutem ex animo ferare placuit. omnis enim reverendus est, qui virtutem ex animo fectatur. Sic autem tu mihi magis reverendus eris, quam ego, judicio meo, vel tibi vel aliis. Utinam omnes nos, qui Christianorum nomine gaudemus, inter Reverendos illos XXIV. Seniores, quorum sacra facit mentionem pagina, aliquando reperiamur! Interim fratris titulo & compellatione simus contenti, sic jubet noster Salvator, sic mihi summum habebis honorem. Utut enim munus meum d) a tuo,

a) *Fortunæ:* quam ita circumscripsit stylo luxuriante *Lubienicius*, ad paganorum opinionem alludens, neutiquam vero eam approbaturus.

b) *Ultrajecti* potius, quam *Lugd. Batav.* si quidem conjecturam facere licet; Ipse enim *Ruarus* fortassis jam tunc *Lugd. Bat.* ingressus erat, uti supra id fore speraverat.

c) Hæc *Nic. Dumleri* epistola *responsio* est ad litteras Cent. I. *n.* 10. excusas: quod perfacile utriusque comparatio docebit. Eam itaque cum hac contendere necesse erit.

d) Quo in *Casp. Sacci* aula fungebatur, domestici Concionatoris nempe aut Ecclesiastæ in prædiis *Mæstichiano* aut *Bobelvi-*

tuo, quod nunc geris, sit diversum, diversitas tamen illa apparens tantum est non vera, si accurate rem perpendas. Ego doceo homines, pro virili mea, viam veritatis, tempore & loco certo. Tu idem facis, si Christianus es, (at es profecto; sic judico ex charitatis lege) per occasionem. Quid igitur erit, si titulis (at vanum!) diversi esse velimus, qui amore, qui vocatione, qui fide idem sumus. Tuus sum, mi Domine Ruare; cognosco te indies magis & agnosco. Tu me agnosce vicissim pro tuo amico, pro servo. a) De cætero quod est literis tuis insertum, & animi tui magnitudinem & candorem clarissime nobis probat ac deprædicat, non amo te tantum, sed jam suspicere & vereri quoque incipio. Præclare fecisti, mi clarissime Ruare, quod non modo religionis, sed modi religionis probe fueris memor, cum promissis te inescarent, b) vel tentarent potius te inescare. *Cælo teste exerceri debet sancta professio nostra*, ut loqueris sapientissime. Hanc ne eripiat nobis mentem ulla vel comminatio mali vel boni promissio. Omnis qui virtutem admiratur, admirabitur profecto hanc constantiam tuam, quam ut in temporum futuros terminos nobis præstes, frustra fuero, si admonere te velim. Tuum enim nos exemplum monuit, hic opus non est, ut te moneamus, exempli. De novis pessima quæque. Bella & rumores bellorum in omni loco, jam fere & nostræ cervici metuimus. Si malo omini malus eventus responderet, (at tu bene facias, ne respondeat!) citius non habebis tecum, quam te nobiscum. Vel enim fugiendum erit, vel decertandum. (Mori enim porrectis manibus, quod tertium esset, non nisi Christi caussa consultissimum est. Quanquam & in hoc casu fugere noster nobis Dux concessit,) At illud tutius; illud nobis, qui Christum sapimus, per rationem propius. In cætero valemus & bene habemus, Deo sit honor & gloria, qui talia omnia largitur. De Belgis, quod scribis, exilio mulctatis, c) mihi plane videtur & Deo dignum. & veritatem profitentibus proprium. Viæ Dei non erunt viæ Dei, si sint humanis similes, hoc est, quietæ, planæ. (Loquor in caussa religionis) Expectemus modo parum, & videbimus mirabilia Domini. Oportet enim ali-

161

162

ciano. Etenim in utroque *Saccum* diversis anni temporibus hospitatum esse, jam supra observatum est.

a) Addere forte potuisset filio, dummodo etiam illud, quod *Paulus* de *Timotheo* filio suo γνησίῳ olim scripsit, ἐν χριστῷ, addere licuisset. Inter plures enim, quos ad societatem erroris pellexerat *Altorphi Ruarus*, primarium & pertinacissimum fuisse *Dümlerum*, alibi demonstravimus.

b) *Cantabrigienses*, uti supra Cent. I. Ep. cit. narraverat.

c) *Remonstrantibus* a Conc. Dordraceno e patria sua ejectis.

aliquos esse malos & persecutores, ut Deus appareat tanto benignior; ut servi Dei appareant tanto constantiores. Hoc autem demum est, quod illos, qui Dei sunt, nobis facit conspicuos. Nos potius precibus nostris adjuvemus afflictos, ut dura perferant, & molliora sic tandem degustent. Fratres nostri Racovienses a) Dominum Jonam Schlichtingium b) ad epulas illas c) ablegarunt, ut amorem & hospitium, & si quæ sunt alia, quæ a Christiano homine adversus proximum in tali calamitate viventem proficisci possunt, illis offerat & 163 polliceatur. Tu vale, mihi præ multis aliis carissime Domine Ruare, cum tuis mihi ac tibi commendatissimis juvenibus, d) quibus Dei favorem & felicissima quæque opto. Hoc addendum. Virum clarissimum, dominum Doctorem Crokierum, ex Galls reversum, Rectoratum Racoviensem amplecti nolle. e) Dominum Joannem Crellium, plane in animo habent, officio isto Scholastico quamprimum liberare, & Ecclesiastico Muneri, cui jamdudum destinatus fuit, applicare. Locus igitur ille f) te, aut eum, nec alium fortassis jam expectet & desiderat. Propera ergo, & peregrinationum tuarum vela tandem compone. Sat jam litatum Mercurio isti vagabundo. Quod de hac re scribo, jussu Domini Woidowii g) scribo, qui ad me. Quæso, si tibi mundum peragranti de fraternitate ista nova, quæ sibi a rosea cruce appellationem indidit, aliquid certi constat, fac ut sciamus. Homines mihi apparent isti, quod ex scriptis judico, non fatui aut maliciosi.

a) *Smalcius* superstes adhuc *Moscorovius*, *Stoinius*, & ipse cumprimis *Sieninius* atque ceteri præcipui rerum *Socinianarum* gubernatores ac promachi.

b) Nuper admodum ex universitate *Altorphina* post breve iter eo reversum, vegeto corpore adolescentem.

c) Obscura vox, & fortassis in *exules illos*, convertenda. Utut sit, *Socini* tamen gregem vel invocatum succurrere voluisse *Remonstrantibus*, hinc elucet. Non male me conjecisse, index erratorum docuit, Legatio autem Hist. Remonstrant. valde dilucidat.

d) Casp. *Sacci* filiis, quorum ut sæpius repetitum est, ephorus erat in itinere isthoc *Ruarus*. Conf. Cent. I. epist.

e) Rectius scripsisse *resumere*, aut *recipere* noluisse; quippe quo munere jam ante iter susceptum perfunctus erat. Unde ex eo forte tempore *Medicinæ faciendæ* incubuisse conjicimus.

f) Quem *Ruarus* etiam sub initium an. 1623. obtinuit; quum *Crellius* defuncto *Smalcii* successori, *Christophoro Lubienicio*, Seniori, adjunctus fuit. Qui non multo post *Smiglam* ad tempus ad *Brzinium* evocatus *Lubieniecio* anno 1624. demortuo, ut Pastor ordinarius suffectus est. Quo tempore *Ruarus* etiam officio nuper suscepto se sponte iterum abdicavit, locumque hunc *Joachimo Stegmanno* vacuefecit.

g) *Andreæ Voidovii*, notissimi illius, tot Germanorum juvenum corruptoris, h. t. Past. *Lencitziensis* aut *Racoviensis*, ætate longe provecti.

liciosi. Utut sit, probemus tamen. Dabam in Bobelvico, a) vi. Novembris styli novi, anno cIↃIↃcxix.

XXIII.

GABRIELI COENERDINGIO b) M. RUARUS.

Accipio excusationem tuam, mi Coenerdingi: tu meam, si placet, agnosce vicissim, & ignosce. Spem mihi fecerat Bertius c) noster, se non multo post quam tuas acceperam literas, in patriam re- 164 diturum: itaque dum securitati mearum intentus per ipsum cogito negotium agere, protracto præter opinionem ipsius itinere, protraxi & ipse responsum, quod nunc tandem per ipsius manum recipis. Vidi in literis tuis, quantum laboraveris, ut Spiritum d) ad capessendum munus e) a me illi oblatum induceres, eoque nomine gratias tibi ago maxi-

a) Prædio *Sacciano:* de quo supra ad Cent. I. sæpius jam quædam, quæ necessaria videbantur, monuimus.

b) Hæc illa ipsa est epistola, quæ inter *Epistolas Remonstrantium* edit. med. & tertiæ anno 1704. ordine num. 378. locata legitur, ita tamen ut *Cœnerdingii* nomen in *Thrasylli*, & *Ruari* in *Eustachii* ficta cognomenta mutata sint. Cujus larvæ assumtæ, nisi periculum fuerit intercipiendarum forte litterarum caussa, ferventibus tunc litibus *Arminianis*, metuendum, rationes nos latent. Ex utriusque vero nomine genuino, ut nata sint & formata hæc integumenta, in *Hist. Crypto-Socin.* Cap. II. lit. R. ostensum est.

c) *Petrus Bertius*, junior cognominatus, celeberrimus ille *Lugd. Bat. Acad. Professor*, sinistram & ipse fortunam, ut alibi jam docuimus, tanquam partium *Arminianarum promachus*, & *Arminii*, dum viveret, ex paterna consuetudine, amicus intimus, ejusdemque post mortem Præco facundus, tanto magis expertus, quo majori egestate & re angusta domi premeretur præ cæteris, *Parisios* ille h. t. fortunæ melioris spe secesserat ultro; sed, quem eventum iter, ab initio non mala mente, ut opinor, susceptum habuerit, ex *Appendice* hujus ipsius epistolæ B. L. intelliget.

d) Reposuimus pro vocabulo hoc minori litera in edit. priori expresso *Spiritum* per S majusculum. Non enim alius sub hoc involucro latet *Ruari* amicus, quam *Joh. Geisteranus*, *Alcmariensis* antehac Pastor, sed anno 1619. loco suo, ob consortium cum caussa *Remonstrantium*, motus. Distinguendus autem ille est, ab *Arnoldo Geesterano*, qui, inter captivos *Lupisteinenses* diu asservatus, tandem etiam cum cæteris ejusdem fortunæ iniquioris sociis anno 1631. d. XX. Julii e custodia evasit. Multoque magis ab vetustiori *Spiritu*, quem Sociniani *Belgam* cognominant, diversus fuit, a quo in *Polonia* prima S. Trinitatis mysterii impugnandi semina anno 1565. esse posita, ex *Fricio Modrevio*, ab *Andr. Wissowatio* narrari videas in *Append. Bibl. Antitrinit. Sandianæ f.* 216. *sq.* Quanquam parum absit, quin credam, *Spiritum* illum *Belgam*, famosissimum & obscurum simul hominem, si ad lancem rem omnem recte revocem, ex majoribus *Johannis* hujus fuisse, & forte ipsius patrem *Everhardum Geisteranum;* cujus etiam ætas matura atque virilis prima ac vegeta in tempus illud ante memoratum incidit.

e) Quale istud fuerit, non satis liquidum est. Si tamen conjecturis aliquid dandum, in *Polonia* id suscipiendum obtulit. Quo etiam tandem abiisse fertur, homo Socinianis hypothesibus valde fa-

maximas. Vidi & excuſationes illius, quibus id a ſe declinat, quæ, licet rigidiuſculum examen vix ſuſtineant, quia tamen illi ſatis ponderoſæ videntur, ego quoque in illis acquieſco, qui facile patior unumquemque conſcientiæ ſuæ judicio frui. Unum ſaltem eſt, quod nollem animo tam firmiter obſtinaſſet, ut aut intolerabilem ſe fratribus noſtris liberis futurum exiſtimaret, aut ipſos ſibi, ſi de praxi Chriſtiana undiquaque inter ipſos non e veſtigio conveniret: a) cum veroſimilius ſit, progreſſu temporis aut conſenſum inter animos utrinque veræ pietatis adeo ſtudioſos tandem conſtiturum, aut mutuam ſaltem tolerantiam duraturam inter tam manſuetos. Optarim vero, ut id ipſum, quod hic in noſtris deſiderat, ſcripto aliquo deduceret, & ad eos mitteret, quos ſperare juvat, manum ipſi ingenue daturos, ſi modo juſtis eos rationibus oppugnet, aut, ſi in iis deficiat, contrariis argumentis pectus illius evicturos, ad minimum tanti res hæc eſt momenti, ut conveniat nihil in ea intentatum relinquere, præſertim erga eos, quos, ſi videret, ipſemet, ut exiſtimo, fateretur, aliquanto exactius ad Chriſti regulam vivere, quam plerique eorum, cum quibus communia hactenus ſacra ipſe coluerat, quique ſtudium ſuum ſincerum in religione proficiendi publicis ſcriptis toties teſtati ſunt. Cæteros illius prætextus (ignoſcat mihi, quod ſic appellam) jam non excutio, tum quod leviores ſint, (niſi fortaſſis difficile mihi futurum putas, ut probem, hominem tam eruditum, quam vel hæ ipſius literæ docent, inſtituendæ juventuti b) egregie aptum, idque eo dignius, & ad reipublicæ Chriſtianæ utilitatem longe præſtabilius, quam ut mechanicis operibus manum & tempus impendat) tum quod, etiamſi eos operoſe refellam, ſerum tamen id nunc ſit, neque fructus inde ullius ſpes appareat. Hoc

165

vens, atque hoc etiam nomine in *Biblioth. Unitariorum* a *Sandio* collocatus.

a) Quæ fuerint doctrinæ partes, in quibus a cæteris *Remonſtrantibus* diſſentiret *Geiſteranus*, non diſtincte in hac epiſtola explicatur. Fuiſſe tamen *Oſtorodi* rigori ſimilia, aliaque, quæ a *Camphuyſio* didicerat dogmata, inde colligitur, quod nec Magiſtratum civilem nec bella gerere Chriſtiano licere, pertendit, dum vixit, pertinaciter. Qua de ejus opinione conſulatur epiſt. 35. Cent. hujus II. Quemadmodum vero abuſus ſit, ad hanc ſimilesque hypotheſes v. g. de *erogandis opibus pæne omnibus* confirmandas, verbis Chriſti: *Ne reſiſtite malo &c.*; ea pluribus in litteris *Sam. Nærani*, ad *Conr. Vorſtium* datis, leguntur inter *Epp. Remonſtr.* n. 380. explanata. Eamque etiam ob cauſſam *Confesſioni Remonſtrantium* utrumque vehementer eſſe refragatum, conſtat.

b) Vel hinc patet, officium ſcholaſtici cum *Geiſterano* fuiſſe a *Ruaro* oblatum; ipſum vero maluiſſe opere quodam manuario vitam tranſigere victumque quærere, quam conditionem illam acceptare.

Hoc ſaltem te rogo, ut firmiter ei perſuadeas, nihil amori meo erga illum hac de cauſa detractum, & quamvis iſtud beneficium meum, ut ipſe appellat, ſive officium potius jam renueret, non minus tamen paratum me, quocunque tempore operam meam requirere dignabitur, ſive abſenti, ſive præſenti (ſic enim adhuc ſperare me jubet) ea præſtare omnia, quæ fratres ſibi mutuo ſolent ac debent, quantumcunque quidem meis in viribus ſitum erit. Ad te, mi Conerdingi, redeo, quem ob id quoque plurimum amo, quod, ut cœleſtis veritatis cur- 166 ſum promoveres, tuis te ipſum libris privare, eosque huc in uſum bonorum virorum a) deſtinare volueris. De ſeveritate Ordinum, nimioque edictorum rigore, b) quotidie pejora apud nos percrebreſcunt, nec ob id tamen deſino ſperare meliora, præſertim cum videam, quanta conſtantia obnitantur veritatis profeſſores, & aut omnia me fallunt, aut obtinebitur tandem ab invitis, quod a volentibus non potuit hactenus. c) Doleo vero mihi in ea loca tam longe d) a vobis diſcedendum eſſe, quo vix ullum iſtarum rerum, quarum adeo ſtudioſus ſum, nuncium ad me perventurum ſit. Poſſes tu tamen, mi Cœnerdingi, ſi velles, facile efficere, ne dolorem hunc delerem, ſi literis tuis me aliquando Venetias uſque proſequereris, cujus quidem rei proclivis tibi erit Amſtelrodami occaſio: Nunc vale, mi Cœnerdingi, & communes amicos meo nomine etiam atque etiam ſalvere jube. Dab. Lutetiæ Pariſ. a die v. kal. Julii, cIↄIↄcxx.

Literas has, mi Cœnerdingi, maximam partem jam ante octiduum ſcripſeram, ſperans indies Bertii diſceſſum, cui eas committere ſtatueram: interea ille trahere tempus, donec tandem pertæſus iſtius moræ tam diuturnæ, ſatius exiſtimavi alia inſiſtere via. Huc accedit, quod, etiamſi vel hodie iter ingrederetur, nollem tamen jam quicquam meorum committere homini, cui neque religio jam, 167 neque fides antiqua, quæ amicum olim ei me fecerat, cordi amplius

 eſſe

a) *Exulum Remonſtrantium*, qui h. t. *Pariſiis* in ſeceſſu, bonam partem, vivebant.

b) Confer de iisdem, ut *cædem & ſanguinem ſpirantibus*, querimoniam *Nærani* in epiſt. p. a. citata commemoratam. Qualia autem fuerint, ex ipſorum *Canonum Concilii Dordraceni Appendice* elucet, ubi qui ſubſcribere illis renuant, ab officiis removeri omnes ſolenni decreto & *ἀποτόμως* jubentur. Quorſum etiam quæ de *Excommunicatione* quorundam, præſertim *Amſtelodami*, interque eos fratrum quoque *Epiſcopiorum* h. t. memoriæ prodita ſunt, inprimis pertinent. Quibus addi poſſunt, quæ de *carceribus* & *ergaſtulis* etiam, in quæ nonnulli conjecti ſunt, ſub id tempus, *Simon Goulartius* ad *Remonſtrantes Wallonas* perſcripſit l. c. n. 384.

c) Id quod etiam eventus non diu poſt comprobavit.

d) In *Italiam* puta, quo abeundum fuerat cum *Saccis* ſuis *Ruaro*.

esse videtur. Dicam apertius rem, quæ fabulæ aut calumniæ similior videri possit, verissimam, sed dicam cum ingenti animi horrore, summaque detestatione: Bertius, heu quondam noster, Pontificias partes hic amplexus est, a) neque Missam tantum audivit, sed & Sacramentum Corporis Dominici, ut vocant, cum idololatris sumpsit, & articulis, nescio quibus, subscripsit. Habui hoc primum ex viris fide dignissimis, habui & heri ex ipsius ore, ne tu conjecturis agere me putes, quem quomodo exceperim ipse, facile cogitare potes. Hæsitabat miser turbatus animi, jam pallebat, jam sudabat, jam titubabat in incessu, jam suspirabat, jam lachrymabatur, neque quicquam, quod opponeret, habebat, præter injurias istorum Gomaristarum, quibus tam acerbe, imo scelerate exagitatus hactenus fuisset. Mihi tamen suspicio est, sermonibus quibusdam illius innixa, eum in sententiis aut nihil, aut parum certe hactenus mutasse, nec alio fine in partes illas transivisse, quam ut stipendium suum b) ex ærario regio obtineret, quod scio, quam misere antea per tot iterum hebdomadas frustra mendicaverit. Potest, ut & aliorum illi spes facta sit, quæ habeat sane sibi, ut voluit, cui anima argento venalis fuit. 168 Interim vehementer metuo, ne Hymenæi c) hujus apostasia affligat optimorum nostrorum Remonstrantium famam; d) & hæc quidem unica est causa, cur hujus rei nuncium ad te

a) Quo obtentu illud factum sit, ipse peculiari *Oratione*, eam in rem edita, docuit, in qua, *cur relicta Leida Parisios commigrarit, & hæresi repudiata Romano-Catholicam fidem amplexus sit*, rationem reddere voluit, eamque typis *Antvverp.* anno 1626. & *Herbipoli* jam ante 1622. excusam, in publicam lucem dedit. Inter omnia tamen, inter nostros a. b. *Schuppio* Præside *Men. Hannekenio*, Giess. Hass. Diss. auspicali brevissime anno 1641. excussa, nihil vehementius ursit, quam doctrinam de *Fide justificante;* utpote quæ, ceu in Papatu traditur, separata duntaxat meriti opinione, magis cum *Arminiana* sua, quod fides sit *obedientia* Evangelio præstita, atque ut talis etiam acceptilatione seu gratiosa æstimatione interveniente divina, justum hominem coram Deo reddat, videbatur convenire. Cætera enim Pontificiorum dogmata haud dubie, quemadmodum *Ruarus* etiam monuit, non multum curavit; ritus autem inter minima, quæ nec magni facienda sint, viro sapienti nec omnino fugienda, si mos ita ferat, rejecit, laxiorique de cætero religioni constanter, prout antea jam facere cœperat, primas detulit rationes apostasiæ, quas de reliquo reddiderit excerptas in compendio exhibet, P. VI. *Bibl. Fabr.* f. 65. S. R. Abb. *Fabritius.*

b) Quod ei, ut *Cosmographo Regio*, jam pridem constituto, debebatur, nunc vero inopia presso, officiis quippe *Lugdunensibus* privato, eodem maxime opus erat.

c) Alluditur ad scriptum ejusdem hoc titulo anno 1612. de *Apostasia* editum.

d) Idem quoque *Coulartius* se formidare, eodem tempore, eademque de apostasia, ad suos scribens, testatus est. Cujus conferatur epist. ante laudata n. 384. ubi aliquot menses post, quam hæ *Ruari* litteræ

te e vestigio perscribere voluerim, quod alias quidem per me ignorare tibi licuisset: tu si placet, id cum iis, quorum id scire interest, quam primum communices, ut videant, si suo incommodo aliqua saltem ratione hic occurrere possint. DEUS Optimus Maximus confirmet nos in sancta veritate sua, ne tam fœdo exemplo unquam peccemus, cui te, mi amice, cum omnibus bonis viris iterum commendo. Lutetiæ Parisiorum.

XXIV.

G. LEUSCHNERUS a) M. RUARO.

MIraberis forte, Præstantissime Domine Ruare, me in officio rescribendi adeo tardum esse, sed causam & impedimentum coram exponet hic noster Dominus Matthias Rhaw: b) simul quoque plu-

exaratæ fuerant, cantica quædam & picturas atque similia his plura in opprobrium *Remonstrantium* apud *Belgas* vendita fuisse, occasione hujus *Bertianæ* defectionis, narratur, & amplius *Bertium*, antequam *Lugduno* abiret, frequentalis diligentissime cœtibus *Contraremonstrantium* publicis & sacris, ut ad S. Cœnam ab istis admitteretur, rogitasse, sed exclusum, occasionem tandem hinc in *Galliam* discedendi arripuisse additur. Cæterum famam passim tunc in *Belgio* percrebuisse, *Remonstrantes* omnes aut jam transiisse in *Pontificiorum* castra, aut propediem transituros, idem ait, idque propterea per calumniam sparsum fuisse in vulgus, quod exules illi aliquantisper in vicinia *Antvverpiæ* & *Rom. Catholicorum* terra agrisque morarentur, addit.

a) Inter primos *Soneri*, Medicinam *Noribergæ* adhuc facientis, pullos & Socinismi asseclas numerandus, idemque subdolus ejusdem hæreseos amplificator. De quo *Advocato Reipubl. Norib.* pluribus jam in *Hist. Crypto-Socin.* actum est. Quibus nihil in præsentia addimus, quam per cuniculos, quantum poterat, caussam illam, quod præsens etiam specimen commonstrat, promovisse, & tamen re comperta *Curios* egregie simulasse, strenueque negando omnem inquisitionem elusisse. Cæterum idem ille fuit, qui & *Crellium* in Poloniam clam se subducentem amicis eadem sentientibus, ut habetur in vita *Crellii*, commendavit. Epistolam denique hanc eandem esse, κατὰ πόδα, quam supra n. V. jam monuimus, per injuriam grandemque ἀβλεψίαν editoris *Huswedelio* adscriptam & bis typis excusam esse, non est, quod copiose h. l. iterum conqueramur. Hoc tamen inde colligimus, neque filium hunc *Ruari Davidem*, cui forte pater puero morte ereptus erat, notitiam rerum, a patre gestarum olim, habuisse.

b) Etiam hujus nominis in *Hist. Crypto-Soc.* sæpiuscule mentio occurrit, & a nobis quoque superius facta est in his epistolis percensendis. Hoc loco, ubi memoria *Sociniani* hujus *Transylvani*, pæne dixerim nati, denuo incidit, qui cum lacte materno jam virus illud imbiberat, illud addendum videtur, partim ex socio tam familiari *Leuschnerum*, quis fuerit, nosci posse, partim ad consilia eum adhiberi consuevisse clandestina, quod morum & institutorum Sociniani cœtus omnium optime gnarus esset. Quem etiam eadem de caussa, quod *Cœnæ Dominicæ* apud suos administrari solitæ ritus notitiam inprimis haberet, *Leuschnerus* fratribus tam diligenter prædicavit. Quanto autem flagrarit hæresin promovendi ardore, ex Epist. XLV. sqq. Cent. II. patet.

pluribus ſubſequetur ſententiam meam de tribus propoſitis quæſtionibus. Paucis ſic habe, nullum apud me dubium vel ſcrupulum eſſe, cur cœnam Dominicam inter fratres a) non poſſimus, vel potius non debeamus celebrare. Hoc enim exigit mandatum Domini; honor Servatoris noſtri in eo vertitur maxime, qui nobis debet eſſe
569 quam commendatiſſimus: exigit præterea hoc ipſum vigor & ſtudium pietatis, veritatis, charitatisque Chriſtianæ: ut taceam de fraterna conjunctione, quam hac ratione omnino oportet teſtatam facere. b) Num vero is, qui cum fratribus communicat, nihilominus poſſit accedere menſam Lutheranorum? dubitationem quidem habet majorem: ſed & hujuſce quæſtionis reſolutio mihi videtur pendere ex altero ſimplici themate: An & quatenus noſtrum quis poſſit celebrare ſacram Synaxin apud Lutheranos? de qua quæſtione cum antehac, ut ipſi meminiſti, ſatis multa ad nos perſcripſerit dominus Oſtorodus p. m. c) ad ea me nunc remitto: hoc ſaltem indicato, poſſe incidere tempus vel occaſionem, qua id ſalva conſcientia liceat, dum nimirum ſpes exinde ſupereſt, poſſe alios hac ratione lucrifieri; deinde ut hoc ad tempus tantummodo fiat, cum aperta profeſſione veritatis, d) quam ſi admittent Lutherani, licet errores ſuos non continuo rejicerent, tamen ab eorum congregatione ſacra me non ſeparem: quod vero addis, num in eo etiam vel odii parentum vel patronorum gratiæ liceat rationem habere? Cauſas haſce plane indignas

a) Seorſim nempe & privatim.

b) Sic enim ſentiunt omnes, *Socini* qui ſcholam ſequuntur, finem uſumque ſecundarium in primarium præpoſtere convertentes.

c) In eademne epiſtola, cujus notabile fragmentum *Hiſt. Crypto-Soc.* Cap. I. dedimus, an alia, non definimus. Conſtans certe ei, dum viveret, commercium litterarum cum *Leuſchnero* fuiſſe, & hinc & aliunde conſtat. De cætero ex eodem hoc additamento p. m. *Oſtorodum* jam tunc, anno 1614. nimirum, ad plures abiiſſe, patere, niſi fallimur, jam alibi obſervavimus. *Quando* vero id *Diarium Smalcianum* definite docet, nos *Lectorem* ea de re, quia plerique de morte ejus ſilent, h. l. paucis commonere voluimus.

d) Utrum & quomodo *Noribergæ Socinianiſmum*, (hic enim male h. l. veritas dicitur) profeſſus ſit *Leuſchnerus* nec ne, tot annos iſtic in eadem hæreſi hærens, equidem ignoro. Dica certe cum ei ſcriberetur, parum in profeſſione ejusdem ſe præſtitit ingenuum, ſed mirum in modum illam diſſimulavit. Per profeſſionem nobis videtur h. l. intellexiſſe, non eam, qua clam talia hinc inde aſſerenti nemo aperte & cum periculo forte creato reſiſtat, aut ægre certe, etiamſi ſecum habitet, nullatenus quisquam faciat, ſed *publicam* eamque ſimul toleratam, quantumvis non ab omnibus approbatam. Utut ſit, ipſe tamen, cum non liceret palam verbis errorem profiteri, aut omnino etiam ſpargere, a S. Cœna abſtinuit, atque ſic *reapſe* ab Eccleſia Evangelica, cujus hæc ſocietatis nota eſt, ſejunctum ſe eſſe, teſtari voluit.

gnas professione nostra, & ideo prorsus rejiciendas censeo; quinimo, si nulla alia causa idonea urgeat, uti etiam in dubio, a mensa Lutheranorum, semper abstinendum, cavendumque arbitror: uti ego per Dei gratiam a) hactenus a plurimis annis, nullo extraneo vel periculo vel scandalo attento, firmiter tenui observavique. Ex quo jam patet, si quando simpliciter periculosum, vel non semper & ubique consultum sit, cum Lutheranis communicare; id etiam conjunctim, hoc est, simul & apud Lutheranos, & inter nostros fratres, b) pari modo & ratione, non semper, sed interdum tamen, adhibitis superioribus cautelis licere. Cætera, quæ ad hanc rem pertinent, vel ipse hic noster Dominus Matthias, c) vel multo magis spiritus Domini nostri Jesu Christi tibi, cæterisque, qui una sentiunt, pro ratione temporis ac loci aliarumque circumstantiarum suggeret, & a tam sancto pioque proposito, ac cultu omnium maxime divino, omnem arcebit metum d) atque periculum: cujus etiam præpotenti gratiæ, illuminationique mentium nostrarum te, mi frater, cum reliquis universis ac singulis diligenter in Domino commendo. Vale, raptim Norimbergæ, die 10. Martii, cIↄIↄCIV. e)

170

 De

a) Abusui huic divini nominis in re pessima ante omnia vituperato nihil addimus, quam ex omnibus monimentis domesticis, ne γρῦ quidem nos eruere potuisse; utrum *Leuschneri* hæc a S. Cœna separatio tam diuturna notata sive observata sit, ab Eccl. Ministri *Noribergensibus*, nec ne? & parum abest, quin credamus, in tam populosa urbe hominis peregrini, eoque tempore, quo jam *Socini* clanculum hauserat hypotheses, civitatis jure, commendante eum forte *Sonero* ipso, demum donati, facinus istoc neminem animadvertisse. Est enim ea heic loci confessionariorum, quos vocant, eligendorum libertas, ut quoscunque quis velit, & in quacunque ecclesia, eos sibi deligere pro lubitu possit; tametsi semel delectos deserere, ob disciplinæ corrumpendæ metum, temere non liceat.

b) Quid inter eos Altorphi usu venerit, alibi jam observatum est: Ubi quosdam a S. Cœna nostratium abstinuisse, alios vero ad eam accessisse, monuimus. Postquam vero ipsi quoque illam intra privatos parietes cœperant, ad hujus epistolæ cum primis nutum ductumque dispensare, nondum equidem indagare potuimus, quas hac in parte rationes inierint. Attamen quoniam plerique mox dilapsi sunt, superstites reliquos accessisse ad S. Synaxin, paucos vero porro absti[illegible]uisse, consiliumque *Leuschneri*, quod a choragis *Polonis* acceperat, tanquam oraculum e tripode dictum, secutos esse non dubitamus. Idque etiam, ubi caussam dicere jussi sunt, capita novi cœtus primaria, non dissimularunt.

c) Idem, qui supra nominatus est, *Rhavvius*, Transylvanus.

d) Quem etiam excusisse tandem & non multos post dies S. Cœnam minime sacram adornasse atque una concelebrasse Fratres, Cap. I. *Hist. Crypto-Soc.* enarravimus.

e) Error typographicus in numero anni expresso heic commissus & omnino corrigendus est. Etenim non anno 1604. sed 1614. has litteras esse scriptas, vel *Ruari* &

De carmine, quod ad petitionem meam proxime misisti, sane appositissimo mihique gratissimo, plurimum te, ut debeo, amo. Faxo, pro occasione, ut me gratum ac memorem comperias.

XXV.

171 GEORGIUS KöNIG a) M. RUARO. SALUTEM A SALUTE.

LÆtor sane, Ruare præcellens & doctissime, me animo tuo nondum penitus excidisse, abunde hoc declarant literæ, quas cum fasciculo librorum ad me misisti, accepi autem utraque integra, & pro istis libris Clarissimo Crellio duos aureos, literulis ad se datis inclusos, remitto, quas rogo, una cum his Domini Cornelii Marci, b) Verbi Ministri & collegæ mei, domino Crellio admittas, eumque de pertexendis locis Theologicis, c) quorum mentionem in literis suis fecerat, & desiderio eorum ita me accenderat, ut nihil majus eis videndis etiamnum desiderem, admoneas: quippe non dubito, quin in illis sententiam Racoviensium Theologorum late propositurus & nervose probaturus; contrarium autem ex fundamentis diruturus d) sit. Faustum diem, quo videre hoc opus mihi contingat! Partem

Rhauvvii in Acad. *Altorph.* h. t. præsentia docet, & in superiori quoque exemplari n. V. ubi *Husvvedelio* hæc male attributa sunt, idem annus recte est expressus.

a) *Professor Theol.* publ. & Eccles. *Pastor Altorphinus.* Qui, cum amicitia *Ruari* & *sodalium* quondam usus esset in *Acad. Altorphina*, ab eorum licet errore nunquam participans, & sine omni dubio, quid monstri alerent, priusquam in lucem protraherentur machinationes clandestinæ, etiam ignorans, postea quoque occasionem, libros per eum *Socinianorum* impetrandi, eadem amicitia viam parante, prætermittere noluit. Neque etiam puto, si inter hos modestæ communisque amoris limites substitisset, id vitio verti viro bono potuisset: quemadmodum excessu e via regia, in hac quoque nonnihil deflectendo epistola factum esse, & in sequentibus multo magis prævaricando, graviter eum deliquisse non possumus, non cum dolore etiam h. l. profiteri.

b) *Ministri* nempe *verbi divini* atque *Prof. Theologi Altorphini*, qui antehac a partibus quoque *Socinianæ sodalitatis* steterat, litterasque has, ut dubia quædam moveret *Crellio* de Christi ac de Sp. S. persona & divinitate, hac occasione, sibi per *Königium* sine dubio oblata, scripserat. Ad quas etiam respondit *Crellius*, ea epistola, quæ partim in operibus *Crellianis* Exeget. Tom. III. f. 338. sqq. partim & integra quidem, in *Hist. Crypto-Socin.* Cap. IV. legi potest.

c) Qui fuerint illi loci, non habeo dicere. Certum enim est neminique incognitum, nihil hujusmodi cum edidisse. Aut Tract. igitur de *uno Deo Patre*, qui anno 1631. lucem adspexit, intelligitur, aut de pertexto *Volkeliano* opere hæc sunt accipienda.

d) Nollem hæc, si serio scripta sunt, ad errantem obfirmandum ita crude posita esse. Si vero jocus intercessit, neque in re sacra ludere decebat. Cujusmodi & reliqua sunt, quæ de *fausto die* & *thesauro* horum librorum addita subjiciuntur. Nobis potius Joh. Ep. II. comm. 10. videtur debuisse anteponi.

tem librorum, quos ſcilicet, jamdudum Dantiſco admiſſos habueram, Cornelio a) tradidi; reliquam theſauri inſtar habendam ταμιειδίῳ * meo inſerui; deſtituor autem adhuc plurimis, prout catalogus tuus oſtendit, quorum copia ſi tibi aliunde facta fuerit, cave aliis, me excluſo, impertias: nam & ego gratum pretium rependam. Cæterum de me viciſſim hoc habe: I. Martinum Ruarum in oculis me habere, & ſincero candore ac fideli amore proſequi, nec de hujus ἀντιφιλήσει ** quicquam dubitare. Deus faciat ratam noſtram amicitiam. II. Studia mea academica cumprimis inſtituta eſſe adverſus Pontificios, b) a quorum corruptelis ſcripturam vindicare allaborem, id curæ agens, ut pure fluat unda, *** haud amplius infeſtet ſolidiores, modo attendere, & obſequelam facere velint. Tu conatum precibus adjuva, & quacunque occaſione literis tuis gratiſsimis me ſaluta, non abibunt abſque redhoſtimento. Vale, Deo commendate. 5. Novembr. anni cIↄIↄcXXIII.

172

XXVI.
M. RUARUS HUSWEDELIO. c)

Videor mihi de eadem fidelia duos dealbaſſe parietes: utrimque enim gratiæ mihi aguntur & a te, clariſsime Huſwedeli, & a Nærano, d) quod amicitiæ inter vos proxeneta fuerim: de quo tamen gaudeo non eſſe quod mihi arrogem, Nærani conſilio, ſeu potius mutuo utriusque veſtrum ſtudio præventus, cùm quo nihilominus ita conſpiraſſe voluntatem meam & miror, & glorior, ac pene eſt, ut id a ſuperiori quadam providentia, cui nos homunculi ſæpe ut νευρόσπαστα **** quædam ſubſervimus, fuiſſe exiſtimem. Nullus autem dubito

* Repoſitoriolo. ** Reciproco amore. *** Et.

**** Simulacra parva, certis nervis aut fidiculis in hanc vel illam partem cum venuſtate tracta.

a) Eidem collegæ, de quo antea, *Cornelio Marcio.*

b) Cujusmodi erant proximo anno publicata de *Purgatorio* Diſp. & anno 1620. de quæſt. *utrum hæreticis ſervanda ſit fides?* diſquiſitio; ut alias de *Peccatis Venialibus* & *certitudine Remiſſ. peccatorum* vetuſtiores taceamus. De quibus vitæ *Theol. Altorphin.* f. 128. ſqq. videantur. Quo animo hæc ſcripſerit *Kœnigius*, non definimus. Nimis amicas profecto & has eſſe cum *Ruaro* hoſte *Jeſu Chriſti* aperto, quem, *ut ſe precibus juvet*, in cauſſa Dei adverſus Pontificios aſſerenda, rogat, confabulationes erunt fortaſſis, qui non ſine cauſſa exiſtimaverint.

c) *Conrado Huſvvedel.* ex ſchola *Hamburgenſi* & Acad. tam *Roſtochienſi* quam *Altorphina*, in quarum utraque commilitones erant, cognito & intimo amico, hoc tempore, quemadmodum in addendis & corrigendis *Hiſt. Crypto-Socin.* monuimus, Eccleſiaſtæ *Roſtochienſi*, & *Sam. Nærani* hoſpiti.

d) *Samueli*, quem eo exulem divertiſſe h. t. anno videlicet 1623. ex Cent. I. ep. 78. memoria repetere opus eſt.

bito, quin, quæ de Nærani virtutibus ſcripſeram, imo plura majoraque iis jampridem experientia magiſtra ipſe cognoveris, ſi, ut ſpero, morum ingeniorumque veſtrorum conſenſus, vel me qualiscunque commendatio, cui tantum ipſi tribuitis, interioris amicitiæ fiduciam inter vos fecerit. Sed mitto jam Næranum: ad ſtudia mea venio, de quibus in nuperis meis literis aliquid tibi promiſeram, alio tamen ſenſu, quam quo tu ea nunc a me requiris. Dum enim per diffuſos humanæ ſapientiæ campos apis Matinæ, ut inquit ille, more modoque vagor, a) occurrunt interdum nonnulla, quæ animum meum nec aliis ſemper acquieſcentem, nec ſibi ſatisfacientem, moleſtia quadam fatigant, de quibus ad ſententiam eorum, qui ſupra vulgus eruditorum ſapiunt, lubens provoco, & ad tuam nunc quoque provocare cogitabam. Quia tamen ad alia me nunc citas, & quidem divina, de quibus haud paulo libentius ſermonem inſtituo, ſequar non invitus, quo vis, &, de quibus pectus meum interrogas, amicitiæ noſtræ fide nixus audacter in ſinum tuum deponam. Non nego, mi Huſwedeli, cum ſtudiis & hominibus illis, quos rumor narrat, b) familiaritatem mihi intercedere, nec dubium, quin major iſta ſit, quam illius auctoribus probatur, idque ὀ χθὲς καὶ πρώην * demum, ſed jam a decem amplius annis, cum Altorphii in Erneſtum Sonerum τὸν μα-
καρίτην ** neſcio, quo meo fato non minus, quam Varenholtii mei, cui tum in lenta febri medicinam ille faciebat, incidiſſem. Habebat vir iſte (ut hoc obiter dem ſanctis illius manibus) præter peritiam illius artis, qua præcipue cenſebatur, tantam philoſophiæ veteris c) ex Græcorum fontibus hauſtæ notitiam, ut (quod ſine cujusquam injuria dictum velim) haud facile in eo genere parem illi viderim: quamvis falleret propemodum inter ſuos, inter exteros penitus ignotus,

Margin numbers: 173 (beside "que iis jampridem"), 174 (beside "vir iſte").

* Non heri & nudius tertius.

a) Non dubium eſt, quin ſcrupulos ſibi
in diverſo ſtudiorum genere verſato intel-
ligat *Ruarus*; quem revera *Polyhiſtora* h. e.
in omnibus pæne diſciplinis exercitatum
fuiſſe, vel ipſæ hæ teſtantur *epiſtolæ*. Mis-
ſis autem hiſce, ad rationem fidei redden-
dam, & quo pacto, quave occaſione in *So-
cinianiſmum* inciderit, requirenti *Husvvede-
lio* ſe ſatisfacturum pollicetur.

b) Non eſt, quod ad prolixam hanc
enarrationem primæ originis *Sociniani* er-
roris a *Ruaro* malo omine hauſti & appro-
bati multa commentemur. Quoniam in
Hiſt. Crypto-Soc. integram hanc periodum
verbotim excerptam dedimus, & anno-
tationibus quibusdam jam illuſtravimus.
Unde actum agere nimis faſtidioſum eſſet.
Si quid ergo hic monere videbitur, id in
priori iſtoc labore prætermiſſum fuit.

** Beatum.

c) *Ariſtotelicæ* puta, ut erat quondam
ab *Ariſtotelis* interpretibus explanata: quos
Altorphini t. t. ſectabantur philoſophi:
quod vel celebratiſſimus ille *Faſciculus*,
qui *Philoſophia Altorphina* audit, teſtatur.

tus,atque ita nunc quoque fallat, non audentibus discipulis,quæ ex illius ore exceperunt,summæ artis commentaria in lucem protrudere, ne pietate in præceptorem invidiam & pericula sua resuscitent. a) Is igitur Sonerus, cum primum in philosophia, cui tunc totus vacabam, ingenium meum tentasset, paulo post ad altiora progressus, de severa & mascula pietate agere mecum cœpit, eamque & necessariam salutis æternæ appetenti, &, quod ex illo sequitur, inter ἀδύνατα * non esse, ut cum vulgo hactenus credideram, invictis argumentis mihi probavit. Postea alia ex aliis serens, ut quæque in solum venerant, cum pleraque ex illis eo blandiri mihi videret, quod aliquanto melius inter humanæ rationis lumen & demissos e cœlis divinæ veritatis radios convenire testarentur, quam persuasum est vulgo Theologis, quibus nemo satis est religiosus, qui non rationem prius omnem proculcaverit; b) tandem ad illa τὰ ἄῤῥητα περὶ τῆς ἁγίας τριάδος ἐν τῷ Θεῷ, ** de natura item Jesu Christi, ejusdemque Satisfactione pro peccatis nostris præstita delapsus est; ubi fateor & cohorruisse me vehementer, quod in dubium illa vocari animadverterem, in quibus religiose adorandis proram & puppim salutis humanæ consistere semper intellexeram, & seria pœnitentia ductum, quod notitiam cum homine nimis, ut tandem videbatur, philosopho unquam contraxissem, ab illius me consortio, quantum honeste poteram, aliquantisper abrupisse. Sonerus contra, quanto me magis refugere videbat, tanto me ambitiosius pressare, c) vultumque meum non dubiis indiciis offensæ con- 175

Ttt victum

* Impossibilia. ** Ineffabilia de sancta illa Trinitate in Deo.

a) Quæ causa etiam fuit, cur editio decreta longiusque protracta *Comment. in Metaphys. Arist. a Felvvingero* demum diu post, *Belgica* ante sufflaminata, in Germania procuraretur, multaque in *Præfamine* tanquam galeato, ut Hieronymus, vocavit Prologo, venia, quam petiit, præmissa promissaque eorum, quæ suspecta videri possent, omissione stiparetur, cæteræ autem id genus annotationes plane lucem non adspexerint.

b) Non *proculcant* Theologi, Trinitatis Sanctissimæ & reliquorum mysteriorum propugnatores, rationem, sed justo ei loco assignato revelationi subjiciunt, ut inferiorem superiori & ipsius *Aristotelis* judicio instar vespertilionis, in rebus divinis maxime cœcutienti, ac proinde recte radiis verbi divini solis instar lucentibus, si quid sublimius de Deo Deus ipse doceat, reverenter cedere jubent. Eoque etiam sensu locoque non adversatur revelatio rationi, sed cum ea justo ordine conciliatur.

c) Procul dubio non solum, ne quid suæ, quam aperte nimis edisseruerat *Ruaro*, sententiæ emanaret, sed quia ingenium ejus hæresi propagandæ inprimis idoneum censeret. Rudibus enim & minus ingeniosis minusque facundis atque doctis hominibus, ad dogmata hæc aliis, mellitorum verborum & ratiociniorum artificiose contextorum ope, instillari haud posse bene noverat ipse *Philosophus* ingeniorum egregius explorator & cognitor.

victum alloquio benigno placare: credo præter cætera, quod vereretur, ne se, & si quos alios cum ipso facere deprehendissem, reipublicæ vel sacrorum antistitibus proderem. Hac igitur illius humanitate nonnihil delinitus, cum eodem tempore Gregorii Nysseni λόγον * quendam κατηχητικὸν ** sub manibus haberem, quem suasu clarissimorum mihique amicissimorum virorum Rittershusii & Hœschelii, cujus utriusque sancta apud me semper erit memoria, Romana veste tum primum induendum mihi sumpseram: existimavi, non abs re fore, si, cum Nyssenus meus tam graviter in Arrianam impietatem sæpius declamaret, ex Sonero, quibus ea argumentis causam suam tueretur, perdiscerem, atque etiam, si par illis essem, ea postea

176 diluta Nysseno meo attexerem, qua ex re non parum ornamenti editioni, quam tum meditabar, accedere posset. Sic ergo partim ex ore Soneri, partim ex libris ab ipso mihi suppeditatis, paulatim omnia istuc pertinentia accurate sublegi, alio tamen longe eventu, quam quem votis ab initio destinaveram: intellexi enim ea, quæ tanquam impia totis viribus oppugnare cogitaveram, valido sacrarum literarum præsidio ita munita atque firmata, ut a me ulla ratione labefactari nec possent, nec deberent. Quid te diu differam, mi Huswedeli? ego ille, qui aliena castra lacessere statueram, in ea tandem ipse transivi, non tamen sine tumultu æstuantis animi, quem, præter speciosas aliquot rationes, & quidem e sacris depromptas, quibus hactenus acquieveram, tot illinc populorum sæculorumque consensus, tot hinc incommoda atque pericula, subinde revocabant; ne quid de eo nunc dicam, quam ægre dimittatur, quicquid id sit, quod diu placuit; quid si ab ipsis usque incunabulis? longum esset, narrare atque exequi plene, quibus tam tormentis constantia mea utrinque oppugnata fuerit: hoc tibi affirmo, non unam me noctem tunc temporis insomnem a) exegisse, partim ista omnia mecum reputando, partim etiam Deum Optimum Maximum precando, ne capitalem errorem insidere mihi pateretur. Habes, quibus initiis ad hæc studia pervenerim, de quibus me rogaveras: nam quæ postea in hoc genere tentaverim atque egerim, ut conscientiam animi mei nonnihil

* Sermonem. ** Catecheticum, quo prima rudimenta traduntur.

a) Utinam vero & monitorem Deum potius, quam susurros rationis præceptorisque male blandientium audivisset, & e *sacris deprompta testimonia* anteferre istis *Sirenibus*, animum ad naufragium fidei demulcentibus maluisset. Quid enim prodesse potuit precandi ardor, ubi mentem jam rationis perversæ sophismata prorsus occupaverant?

177 hil, ut in re nova, adhuc titubantem, plane firmarem, a) ea nec mihi nunc percensendi otium, nec tibi legendi fortassis adest desiderium. Credo autem, vel ex his, quæ scripsi hactenus, te facile intelligere, quam non temere ad has partes applicuerim animum; idque sine dubio multo evidentius etiamnum intelligeres, si quibus rationibus huc impulsus sim, pro rei dignitate, quantum ingenii mei modulus pateretur, accurate tibi explicarem; sed vix unius id epistolæ negotium foret. Ni libros, quibus tota res ab aliis est pertractata, refugis, eos potius oblata occasione ad te mittam: spes vero me tenet, si illos absque præjudicio legeris, utut non eas in sententiam meam, errori te tamen, si quis est, meo faciliorem daturum veniam, utpote quem ita splendidæ b) rationes, & commendent, & excusent. Fortassis & hoc mihi præstabis beneficii, ut illum mihi clarissimis aliquot indiciis ostendas: nam certe, quod hactenus eum, utut sæpius excussum, non tamen a me excusserim, non alia est causa, quam quod talem non deprehenderim. Nondum enim ita profligatæ sum mentis, ut præfracte desipere velim, præsertim cum jactura non hujus modo, sed & alterius ævi maximorum bonorum, quam hic mihi intentant illi, quorum sensum capere nequeo. Imo & hoc fateri tibi volo, quod hactenus ita me continuerim fere intra siparium, ut ne amicis quidem semper, nisi interrogatus, animum meum panderim, præter alias causas (nam plures sunt) non minimam fuisse istam, ut, si forsan ma- 178 turescens cum ætate judicium, vel eruditissimorum virorum, quorum & ora & scripta consului, felix diligentia errorem adolescentiæ meæ detexisset, minori cum strepitu eo possem regredi, unde me sine pompa subduxissem. Quanquam & illud scire te velim, non ita me sectam illam, cujus accusor, secutum, ut omnia ac singula antistitum illius placita, tanquam oracula, adoraverim, prout nonnullos passim

a) Libris nimirum gregis illius, qui *Socinum* sequitur, ipsiusque etiam *Ducis* hujus cœtus in succum & sanguinem conversi, aliisque suggestis, commercio item litterario, atque itinere ea de caussa peracto in ipsam *Poloniam Racoviamque* instituto, atque similibus. Sic enim firmatum esse *Ruari* in errore præcepto animum hæ inter alia epistolæ & tota quoque rerum gestarum series docent.

b) *Splendidæ* sane, sed *non veræ*, ut solent esse Sophismata, alioquin ne cassa quidem nuce digna. Talia profecto, ut dudum jam observarint viri eruditissimi, *Socinum* ad evertenda veri Evangelii dogmata *sobrium* h. e. armis non plumbeis sed ferreis accessisse. Eo forte sensu splendidas rationes vocare liceat, quo etiam Ethnicorum peccata *splendida vitia* sæpe virtutis specie coruscantia a doctissimo Anglorum *VVatsonio* memini appellata, quod rerum bene gestarum larva contegerentur: quæ tamen nemo idcirco veras ingenuasque virtutes dixerit.

facere video, quibus, cum in uno ſe alterove dogmate præcipui momenti, erroris convictos ſenſerint, in reliquis deinde ejusdem ſectæ ſufficit illud Ἀυτὸς ἔφα,* adeo ut ne ſub cenſuram quidem amplius iſta vocare ſuſtineant: id quod mei iſti boni viri nec probant, nec requirunt, ut qui ſe miniſtros τῶν κλήρων,** non dominos eſſe meminerunt. Eſt, ubi aperte, modeſte tamen, ab illis diſſentio: a) eſt, ubi calculum poſt tot annorum lapſum adhuc ſuſpendo: eſt, ubi de ſumma quidem rei illis aſtipulor, vario tamen nonnihil in minutiis quibusdam; eſt denique, ubi in re ipſa nihil diſcrepo, optaverim tamen, benignius eos fuiſſe locutos, &, ut minus offenderent delicatas ſæculi aures, ſermonem populo accommodaſſe, qui ſæpe magis vocibus, quam dogmatis b) ſuis adhæret, præſertim ſi auctoritatem illæ ſuam longo ævo & veneranda canitie defendant. Quod ſupereſt, 179 mi Huſwedeli, revoco tibi in memoriam pollicitationem tuam, qua mihi recepiſti nuper, te licet intellexeris aliam a te ſententiam in religione me ſecutum, nolle tamen ob id ab amore mei diſcedere: qua in re utinam eadem tibi duraret animi libertas, quæ mihi, qui quidem omnes, quotquot vere credunt, Jeſum eſſe Chriſtum, eidemque ut Chriſto ſive regi ſuo dicto ſunt audientes, licet opinionibus multum a me diverſos, non modo ut amicos, ſed etiam ut fratres c) ſincero

* Ipſe dixit. ** Eccleſiæ, cœtus ſacri.

a) Cujusmodi erat doctrina de *ſatisfactione Chriſti*, ubi *Remonſtrantium* placita & ſcita notum eſt, eum approbaſſe, nec non de *Baptiſmi neceſſitate* rectius ſenſiſſe. Acceſſere de *bello non gerendo* opinio aliorum repudiata, deque *nemine in judicium vocando* hypotheſis nunquam probata *Ruaro* & ſimilia. Quorum etiam in epiſtolis hiſce mentionem ſuperius jam fecit aliquoties & faciet etiam impoſterum. At *ſumma* tamen *capita retinuit*; unde cætera fere omnia promanant: inprimis vero πρῶτον illud totius *Socinismi* ψεῦδος, negatam pertinaciter *Chriſti Jeſu* ſummam æternamque divinitatem. Quam dum pervicaciſſime inficiatus eſt ad cineres usque, videat, quemadmodum aliquando coram ſanctiſſimo illo honoris ſui vindice ratiunculis ſuis, ingenioſe expolitis conſiſtere, ſententiamque illam juſtam 2. Theſſ. I, 8. effugere poſſit.

b) *Recte*, ſi de vocabulis ſolis lis movetur, & ad Sp. S. mentem 1. Tim. VI, 4. *Male* autem, ſi & formam ſanorum verborum negligendam putet, his aperte 2. Tim. I, 13. 1. Cor. I, 10. eodem *Paullo* obloquente. Omnium *peſſime*, ſi decumanos *Socinianorum* errores, & *noſtratium* diſputationes oppoſitas, pro logomachiis venditet.

c) Non ea probatur Spiritui divino tam laxa φιλαδελφία, qui palam & ingenti contra ſecus ſentientes demonſtrato ardore 2. Cor. VI, 14. Gal. I, 8. ſq. 1. Tim. VI, 3. ſqq. 2. Joh. comm. 10. eidem vehementer repugnat. Breviter & rectius ad *Lutheri* mentem, cui ſæpius dicitur vox repetita: *Mali ſunt tyranni, pejores hæretici, peſſimi fratres falſi*, majores noſtri de fraternitate hujusmodi judicarunt. Nos, ſi utrumque ſimul, & *hæreſin & fraternitatem* falſam, conjungi videas, id plane ſυγητὸν eſſe exiſtimamus. Quam de reli-

cero affectu diligere & possum & soleo! Dominus Jesus, qui suum erga nos amorem acerbissima morte jamjam obsignaturus, amorem mutuum discipulis suis a) cygnæa voce tantopere inculcavit, omnes sanctissimi sui nominis cultores ita devinciat, ut, si non eodem plane animi sensu, b) affectu tamen inter se conspirent, eoque tolerent alter alterius ingenii imbecillitatem, c) donec ab illo tandem in beatas sedes transferamur, ubi non amplius δὶ ἐσόπτρȣ ἐν αἰνίγματι, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον * cernemus illa, quorum hic imaginem miseri, velut in Platonica specu versantes, affectamur operose, nec satis tamen assequimur. Vale, clarissime Huswedeli. d)

XXVII

180

G. KÖNIG e) JOANNI CRELLIO. f)

GRATIA TIBI ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO JESU CHRISTO.

Miraberis forsitan insolentes hasce meas literas, vir clarissime! haud frustra procul enim sumus dissiti, quin ipso etiam doctrinæ tenore divisi; quod satis quidam esse existimant, ne ave g) sive coram, sive per literas dicatur. Ego vero memor antiquæ familiaritatis nostræ, quam in scholis h) contraximus, de qua certum esse, semper judicavi,

* Per speculum in ænigmate, sed a facie ad faciem.

quo *Ruarus* h. l. prædicat fraternitatem, jam pridem *Apelles* Sec. II. Ecclesiæ commendavit eam vero illa quoque nunquam non, ut portentosissimam hæresin, condemnavit.

a) Discipulis sane, sed non *falsis prophetis* a quibus, & illis præsertim qui vestibus ovium fraternique amoris commendatione blandiuntur, προσέχειν jussit

b Eundem vero & *Paullus* 1. Cor. I, 10. exposcit, atque ecclesiæ rationes, quæ Sp S est officina, in qua via ad salutem docetur, omnino desiderant.

c) Imbecillitatem forte, sed non *pervicaciam* apertam, multoque minus, si æquanimitate qualicunque ad alios decipiendos, ut tu solebas cum tui similibus, *Ruare*, abutantur petulantes hæretici; ubi *Paullinum* illud περιΐστασο auribus potius insonat & in ecclesia personat.

d) Scripta est hæc epistola *Francof. ad Oderam* anno 1623. Quod ex epist. seq. n. 28. elucet.

e) Idem, qui ante ad *Ruarum* non minus & nimis amice scripserat, *Theologus Altdorphinus*.

f) Hoc anno, nisi jam ad ministerium Eccl. *Racoviensis* in *Rectoris* munus, quo adhuc defunctus erat, *Ruaro* succedente, vicario nomine evecto, propediem tamen evehendo. Etenim *illud* primum, ut *Christ. Lubienicium* senem juvaret & sublevaret, obire jussus est, donec *huic* p. p. ex hac vita evocato penitus surrogaretur, Pastorque ordinarius constitueretur.

g) Ita certe *Johannes* dilectionis maximus præco, & si quis alius, inter Apostolos Christi diligentissimus cultor 2. E. comm. 10 efflagitat.

h) *Altorphinis*, tam Gymnasio, quam Academia. Alibi enim, cum *Stolbergæ Crellius* & *Mariæbergæ* tyrocinia posuisset

cavi, verbum Quinctiliani: Nulla amicitia diuturnior est, quam quæ in scholis contrahitur; non potui silere ulterius, quicquid itineris intervallum prætenderet, multo minus in eam te trahere cohortem, a) quam fugiendam monet Christus, imo ave dedignandam, dilectus illius discipulus. Sint dissensiones inter nos de doctrinæ circumstantiis, b) modo in fundamento arctus sit consensus, vix tum rumpetur arcus amicitiæ; etenim non eadem sentire bonos de rebus iisdem incolumi licuit semper amicitia. Causa potissima, propter quam has ad te scribo, est ardor habendi & perlegendi omnes vestros libros, c) magnam quidem istorum partem jam dudum comparavi, & irrequieta manu evolvi: attamen satietas eorum nondum cepit me, quin cæteros etiam avide perlustrarem, dummodo copia fieret. Conradus Vorstius asseruit, se ex libris vestris didicisse θεολογεῖν, * minus bene ad palatum Paræi; meo judicio haud male, d) siquidem clara ita confirmatis, ut sint rata: obscura ita declaratis, ut sint aperta, difficilia ita

181

* De DEO rebusque divinis recte sentire & loqui.

literarum prima, *Kœnigius* autem *Ratisbonæ* & *Solisbaci* iisdem operam dederit, commilitones non fuere unquam. In *Acad. Altorphinam* autem eodem an. 1606. adventarunt ambo & aliquot annos una ibidem conjunctissime vixerunt.

a) Itane, *Kœnigi*, falsi Prophetæ tibi non videbantur *Sociniani*? Hoc non putaveram te affirmaturum; si modo serio hæc scripsisti: quod ipsum tamen candori Theologico & Christiano æque adversaretur.

b) Ergone ad circumstantias fidei referenda dogmata de *S. Trinitate*, de *Christo*, de *satisfactione Christi* & similia? Utinam hæc nunquam cogitasses multoque minus scripsisses, bone *Kœnigi*!

c) Hæc si caussa fuit, cur erga hostem veritatis, ad animum ejus in errore obfirmandum simulationibus uti oportuit? Non enim ignorabas illud Paulli: *Haud facienda esse mala*, ut inde *eveniant bona*, multoque minus mera commoda & privata emolumenta. Ego non dubito, etiam minus, uti h. l. factum est, blandito, sed scapham scapham appellanti, tibi missurum fuisse libros, quos expeteres, pro pristinæ amicitiæ jure, *Crellium*: quem omnes testantur fuisse benignissimum, eaque de caussa meliori, qua animam etiam, fortuna æternum dignum; quam sua tamen culpa vereor, ne ad *Hymenæi* & *Alexandri* exemplum, decoxerit.

d) Immo pessime. Quamvis enim methodus forte discendi aut docendi & explicandi quædam ab hæretico homine addisci queat; ita tamen, difficilia & obscura, cujusmodi inprimis sunt summa fidei mysteria, a *Socinianis* hominibus enodari, ut sint *aperta, rotunda* & *jucunda*, non decebat, neque *Vorstium*, neque *Kœnigium*, affirmare, multoque minus ab hostibus Christi tantis discere non posse θεολογεῖν, tueri fas erat piumve. Vellemus itaque & hæc bono *Kœnigio* non excidissent juveni, quæ displicuere procul dubio seni, & in lucem cum sint jam producta, clam olim scripta, pæne cineres boni Viri, ac de religione quo nulla unquam heterodoxiæ suspicione onerati, coinquinant. Hæc certe, si legisset, vix *Kœnigium* nostrum, quod factum est in notissimo illo *Lessu Haberkor-*

ita enodatis, ut ſint rotunda & jucunda: quis exinde nullam ſperet utilitatem? Age igitur, Crelli doctiſſime, lege, quam incluſi ſchedulam, & quæcunque præter iſthæc ſpecificata (ignoſce barbariſmo) apud vos proſtant ſcripta, ſive Theologica, ſive Philoſophica: ſive Didactica, ſive Polemica: ſive vetera, ſive recentia, exemplaria tamen emendatiora, cura, malleo prius ad habilitatem tundantur, vaſculo includantur, adverſus tempeſtatem cuſtodiantur, & latori harum, pro juſto precio, mihi quamprimum perferenda, tradantur, quotquot fuerint, quicquid conſtiterint, nil morare, ſatisfiet plenisſime, ſic enim cum Mercatore conſtitutum eſt. Hoc modo optime de me mereberis, nec male officium tuum collocabis, namque credam me tuliſſe beneficium amicitiæ ſingulare, & ad reſpondendum pro mea virili devinctum eſſe in perpetuum. Cæterum fac libere tecum loquar ἄνευ δόλȣ καὶ ἀπάτης. * Germanus enim ſum, & ſine fuco. a) Miror tam paucos a vobis edi commentarios in libros tam propheticos quam apoſtolicos; cum ſciatis, quantum interſit, noſſe verum ſcripturæ ſenſum, συνάφειαν ** item & συνέχειαν *** textus rite percipere, & uſum atque approbationem inde addiſcere? arbitratur quidam e vobis, ſi frequentiores explicationes ſcripturæ b) extarent, & præter iſta præfata, cumprimis loca difficiliora ab omnibus inquinamentis c) nervoſe vindicarentur, indies frequentiorem quoque recte ſentientium futurum eſſe acceſſum! Alterum cum Theologi partim Auguſtanæ, partim Tridentinæ confesſioni (διακρίσεως ἕνεκα **** hæc dicuntur) addicti, habeant Locos communes, d) in

182

* Sine dolo & fraude.
** Cohærentiam.
*** Connexionem.
**** Diſcriminis cauſſa.

niano, inter Theologos a ſe probatos, ſingularique orthodoxiæ laude exſplendeſcentes, retuliſſet *Calovius*.

a) Utinam & prius, ubi de rebus ipſis ſermo erat, tam ingenue ſententiam dixiſſet.

b) Ea namque tempeſtate paucæ extitere & præter *Comment. in Epiſt. Joh. Socini* atque notisſimos *Enjedini* conatus, vix quicquam aliud, niſi in loca quædam difficilia, commentariorum fragmenta. Acceſſere autem deinceps *Crellii*, *Wolzogenii*, *Slichtingii*, *Przipcovii* & *VViſſowatii* etiam lacunas nonnullas explentis in univerſum, ſi ab *Apocalypſi* diſcedas, Nov. Teſt. explicationes, quibus primorum & antiquiorum ſegnitia abunde fuit compenſata. Bene an male adornatæ ſint, non definimus. Hoc enim in præſenti non agimus. Doctos tamen eſſe plerorumque labores & Philologiæ ſacræ non vulgarem notitiam olentes, vel ipſa invidia vix auſit inficiari. Et in hoſte quoque virtutem laudandam eſſe, omnium conſenſu probatum eſt.

c) Utinam hac etiam voce abſtinuiſſet *Kœnigius*; quæ niſi ſcandaloſa ſit, ambigua tamen eſt & offendiculo occaſionem præbere poteſt.

d) Doctrinæ corpora, ſyſtemata aut compendia rite diſpoſita: Talia enim pau-

in quibus ſuam ſententiam confirment ſcripturæ dictis, rationibus & auctoritatibus, contrariam vero iisdem machinis deſtruant; miror, cur ſimili modo vos non procedatis? hoc equidem reperio; vos in deſtruendo eſſe occupatiſſimos, ſegniores paulo in conſtruendo proprio ædificio, male profecto vobis vertitur a Menzero a) in præfatione exegeſeos Auguſtanæ Confesſionis, qui vos ſimiles proclamat latronibus, quibus cum deſint propriæ ædes, alienas tamen intrare, ſpoliare, diripere, atque evertere ſatagunt. Ego meliora. b) Tu de utroque ſincere me informabis. Tandem fœtum hunc geminum, contra vos protruſum, dono mitto. Auctor vir bonus eſt, & deligens c) portaturque in oculis pro Theologo ſubtili. Si quis examen aut refutationem adgreſſus eſt, agat prolixe, ne brevitas pariat obſcuritatem; cum ſedula meditatione, & ardente precatione: his enim 183 arietibus excutitur janua cœli, ut deſcendat bonum ſuperabundans. Ego ad hunc acutum efflagito acumen Socini, ἀκρίβειαν * Smaltzii, & diligentiam Moſcorovii: alioquin incaſſum laborabitur, nec absque ludi-

* Accuratam curam.

ea fuere hoc tempore, & præter *Inſtitut. Socini*, quas *Prælect.* vocavit *Theolog.* oppido adhuc jejunas *Oſtorodi* item *Inſtit. Germanicas*, uti ſupra jam obſervatum eſt, omnium tritisſimas ſed perbreves, nihil hujusmodi extabat. Occaſio ergo vel his *Kœnigii* votis videtur data, ut *Volkelius* libris de *vera religione* perficiendis multo diligentiorem operam navaret. Quibus *Crellium* colophonem tandem impoſuiſſe & in lucem eos publicam protuliſſe, cum *Volkelius*, antequam id fieret, e vita exceſſiſſet, nemini ignotum eſt.

a) Leguntur utique hæc verba in ea editione libelli elegantisſimi, quæ anno 1616. lucem conſpexit; ſed occaſio ſimul in eadem præfatione, quando commemoratur *Menzero* ex miſſis ſibi magna copia a *Mich. Blankio, verbi div. Miniſtro Evangelico Gedanenſi*, data, hinc diſcere etiam *Kœnigius* potuiſſet, (quia & præcedentia procul dubio legit) quo pacto libros etiam opera noſtratium adipiſci potuiſſet *Socinianos*, ut tantis & tam putidis aſſentationibus opus haud fuiſſet.

b) Non meliora hæc ſunt, niſi ambigue forte ita dicantur, quam, quæ ſupra jam pronunciaverat, peſſima: Quid enim aliud præferunt *Socinianorum* ſcripta, quam ſyſtematis ſanioris doctrinæ omnimodam deſtructionem, cui labori pæne unice etiam illi addicti ſunt atque dediti, cum in adſtruendis contra placitis ſuis parcisſimi eſſe ſoleant. Hinc etiam polemica fere omnia, quotquot tum quidem prodierant, ſcripta fuere, eumque in modum adornata, ut maxima ex parte de argumentis aliorum ſolvendis & propemodum etiam in ipſis *Oſtorodi inſtitutionibus* ageretur. Certe *Catecheſis* quoque *Racovienſis* plures quæſtiones, ſi excipias utrinque in confeſſo poſita, negante forma conceptas, quam affirmantes exhibet.

c) Niſi me omnia fallunt, non alius ille fuit, quam Collega *Kœnigii* & *Acad. Altdorph.* Theologus t. t. primarius, *D. Chriſtianus Matthiæ:* cujus *Collegia* primum & ſecundum *Anti-Photiniana* ſuperiori anno, ac proinde nuperrime, prodierant: cujus etiam reliquæ *Diſputationes* maximam partem in his controverſiis diluendis occupatæ erant.

ludibrio: an tamen futurum sit aliquid, circa hoc necessarium, fac me scire, & vale, Deo commendate. Excellentem Smalcium salvere jubeo cum cœtu. a) Hic si literis suis me salutare dignaretur, o! quam gratam rem faceret, & sua humanitate non indignam. Valete omnes. Altorphi, IV. kal. Augusti, anno CIↃIↃCXXII.

XXVIII.

M. RUARUS SAMUELI NÆRANO. b)

NEscio, ubi sis, mi Nærane, & tamen literas ad te scribo. Hoc sane mirum, sed multo magis alterum, si illæ te inveniant. Ubicunque vero exigas ætatem, ego te tamen mordicus teneo, quatenus possum, & in hoc pectore conclusum per maria & montes & immensa locorum spatia ab eo tempore, quo inter nos vidimus, circumgestavi, nec ullum erit tempus, quamdiu quidem ipse, quo Næranus mihi excidet, ille tam eximius Gratiarum pullus, ille non minus severus masculæ virtutis alumnus & cultor, ille thesaurus inexhaustus omnis literaturæ sive sacræ sive profanæ. Quæso vero te, præstantissime Nerane, ut & me si non plane sum indignus, in aliqua amoris 184 parte apud te posthac hærere patiaris. Recordor certe cum interiori quo-

Uuu

a) Ut multa in præcedentibus *Smalcii*, *Moscorovii*, ipsiusque adeo *Socini* elegiis documenta *assentationum Theologicarum* observare licet, non minus profecto frequentium & hoc ipso exemplo illustrandarum, quam *assentationes* esse solent *JCtorum*; de quibus nuper admodum vir doctissimus quidam, & *Acad. Juliæ* ornamentum insigne, pulchre commentatus est: Ita heic denuo earum specimen *Kœnigius* noster, non sine dehonestamento nominis sui, edidit, ut parum hinc absit, quin *Pastorem* nimis urbanum iterum iterumque appellemus, cum alii contra *Theologos inurbanos* sæpius agant in *conviciando* vitam consumentes, animosque errantium a veritate magis abalienantes. Utut vero hæc sint, quæ certe cum *Johannis*, idem, quod *Cerinthus*, balneum ingredi abnuentis, & *Polycarpi*, *Marcionem* obvium, ut *primogenitum Diaboli*, compellantis, fortitudine non conveniunt; hoc tamen certum est, si priora vel maxime seponantur blandimenta, *cœtus totius Sociniani* salutationem, hanc una cum *Smalcio*, Pastore ejusdem pertinacissimo, juratoque veritatis Evangelicæ hoste, tam amicam tamque fraternam, cum Theologica pietate, prudentia, atque zelo & ardore pro veritate Christi salutifera, ipsius Sp. S. jussu demonstrando, conciliari haud posse. Amamus & nos modestiam, sed eam, quæ justos limites non excedat, aliorumque a peccatis & erroribus, quibus anathema, potius dicendum est, nullatenus, neque tepida etiam χρηστολογίᾳ, participet.

b) De quo exule, inter *Remonstrantes* docto inprimis & moderato, vid. Cent. I. Ep. 77. Unde in *Belgio*, antequam e patria ille cum cæteris sodalibus ejiceretur, *Ruarum* amicitiam cum eo contraxisse, patebit. Cæterum epistola hæc bonam partem jam supra l. c. Cent. I. impressa legitur. Quam tamen, quia plenior in hac *altera centuria* exhibetur, h. l. non truncare, sed potius repetere, & observationibus subinde necessariis amplius illustrare placuit.

ri quodam animi ſenſu, quoties tibi coram adfui, non vulgarem te af-
fectum mihi teſtificatum fuiſſe, quem licet ego forſaſſis non merear,
tuæ tamen eſt conſtantiæ, cavere, ne vel tunc amandum tibi cœperis,
cujus mox oblivifci velles, vel ne nunc oblivifcaris, quem non ita
pridem amore tuo dignatus ſis. Unum vero eſt, quod nunc mode-
ſte a te peto, nec minus tamen calide deſidero, ut me, quantum epi-
ſtola patitur, de ſtatu tuo (nam ut & de aliis te appellem, jam nimis
hoc fortaſſis ſit immodeſtum) nonnihil certiorem facias, de quo non
immerito ſollicitus ſum, ſi modo in fœderato iſto Belgio, a) ut ſuſpi-
cor, alicubi vitam trahis. Scio enim, quibus iſtic inſidiis obnoxii
ſint b) genuini veritatis profeſſores: ſcio, quanta inclementia depre-
henſi carnificentur. Spero quidem, hactenus tutum inter pericula
te evaſiſſe, idque præcipue quidem divinæ providentiæ & piorum
hominum precibus, in parte tamen prudentiæ tuæ, quam in te ſcio
eſſe egregiam, aſcribo: interea tamen, quam ſecurus iſtic agas, utpo-
te ſub cultro ſemper vivens, c) & per cineres igni ſuppoſitos ince-
dens, facile conjicere poſſum. Eſt hoc profecto ſummæ erga Deum
pietatis graviſſimæque virtutis in te argumentum, quod, cum poſſis
alibi ſat commode rationem vitæ componere (cur enim minus id
185 poſſis tu, quam alii tui ordinis) d) malis te tamen tanta cum moleſtia,
tanta cum animi ſollicitudine ac metu, tanto cum periculo, divinæ
veritatis propagationi, piorumque hominum in ea confirmationi im-
pendere. Quod ſi tamen illius te vitæ tædium aliquando ſubeat, aut
fortaſſis jam ſubierit, (quis eſt enim ita ferreo corpore, cui valetudo
perpetuo inter iſta tormenta durare poſſit, cujus tamen homini Chri-
ſtiano habenda eſt ratio, ne & ſui ipſius veluti carnifex exiſtat, & di-
vinæ gloriæ aliorumque hominum commodis promovendis ſua ſe
voluntate ante tempus inutilem reddat) ſi, inquam, illius te vitæ
tædium ſubierit, & ad exemplum aliorum tui ſimilium & ipſe te alio
conferre ſtatueris: velim ſane occupare de loco, teque de Dan-
tiſco

a) Fallebatur *Ruarus*, qui p. p. *Roſtochium* eum adiiſſe ex *Holſatia*, novaque Remonſtrantium colonia *Fridericopoli*, expertus eſt.

b) Quod ſupra exemplis duorum *Amſtelodami* interceptorum virorum, qui a partibus *Remonſtrantium* ſtabant, inque carcerem inopinato correpti & conjecti fuerant, demonſtraverat: quæ in ipſum hoc tempus inciderant triſtia eorum fata.

c) Vel ex his verbis, diu admodum, poſt reditum, e *Belgio Hiſpanico* clandeſtinum, in patria hæſiſſe *Næranum*, elucet, etſi, ubi delituerit, nusquam expreſſum legatur.

d) *In Gallia, Belgio Hiſpanico, Fridericopoli* & *Hamburgi* etiam commorati, donec melioris fortunæ ſpes affulgeret.

tiſco mature admonere, quod cur adeo a veſtris hactenus neglectui ſit habitum, ut nemo ex omnibus exulibus, qui quidem in ſacris populo præire poſſit, eo ſe receperit, cauſam diſpicere non aliam poſſum, quam quod aliquanto longius a patria veſtra abſit. At quid in eo longinquum, quod maritimo itinere, quo veſtri unice delectantur, intra quinque ſex dies obiri poteſt? Et etiamſi tandem paulo longior hic eſſet diſtantia, itane tamen gravis hæc & intoleranda videtur, ut nemo contra expendat, eſſe illic locum, ubi cuique, quod optimum in religione videtur, ſentire, &, quod ſentit, libere profiteri licet, a) atque etiam cœtus in vicinia agere? quippe quod alibi precibus, libellis precatoribus interpoſitis magno ambitu perſequimini, hic in propatulo expoſitum eſt, & eo ipſo fortasſis non eſt cuiquam cordi, ut & hic verum fiat illud nequisſimi Arbitri, 186

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,

Deinde ſunt in eadem urbe variarum ſectarum aſſeclæ, homines curioſi, rerum novarum cupidi, & interdum magiſtris ſuis non ſatis æqui, a quibus concurſum ad vos fore, b) dubium non eſt. Quin & noſtrorum non paucos vobis adhæſuros exiſtimo, cum hoc tempore vix habeant, & nec habere ex nobis poſſint, qui eorum curam ita gerat, quemadmodum par eſt. Unde etiam credo, ſi tu, aut alius tui ſimilis pedem illic figeretis, noſtros non contemnendam ſtipendii partem c) ad vitæ præſidium lubenter ſuppeditaturos. Eſt nunc ſane apud nos, d) quod vix unquam antea fuit, gravis ſatis eruditorum

a) Ita certe etiam ipſe b. Mich. *Blanckius*, ſub id tempus ad b. *Franzium* de origine litis *Rathmannianæ* ſcribens, *urbem* (*Dantiſcum*, ubi publice V. D. Miniſtrum agebat) hanc *totius mundi epitomen dici poſſe, neminem facile negaturum*, ait, ſed etiam, *fœdam in ea omnium nationum & religionum colluviem reperiri*, addit. Conf. S. Rev. *Scharffii Suppl. Hiſt. Arndianæ* f. 98. ſq.

b) Sic ergo non ipſe tantum quoscunque ad alia in religione credenda abduxit *Ruarus*, ſed peregrinos quoque idem ut facerent, illuc viam ad hæc ſternendo & ſtratam oſtendendo, invitavit; ita tamen, ut nihilominus inſimulatus deinceps harum rerum, ſtrenue, talia ſe commiſiſſe, negaret: ut ex poſtremis epiſtolis elucebit.

c) Cum res ita comparata fuerit, quid mirum ſi *Belgæ Contra-Remonſtrantes* ſuſpicionem inde, (latere enim talia non omnino poterant,) colluſionis cum *Socinianis* conciperent? *Graculum graculo aſſidere*, vulgo dicitur: Germani autem noſtri magis apposite ad præſens conſilium alio proverbio: Des Brod ich iſs, des Lied ich ſing: idem enunciant.

d) Tota, quæ, initio ab his verbis facto, ſequitur pericope, usque ad verba f. 188. *Sed quid ago &c.* omiſſa eſt in Cent. I. n. 77. ubi ſupra jam diximus, eandem epiſtolam excuſam legi. Quæ cauſſa fuerit, cur qui ediderunt epiſtolas, fratrum alter, *Joachimus* forte, (ſic enim conjicimus,) ſilentio illam prætereundam iſtic putarit, aſſeverare non poſſumus.

hominum, qui Germanice ſciunt, annona: a) cujus rei cauſa non eſt, quod pauciores nationis noſtræ homines veritatem doctrinæ cœleſtis amplectantur, cum nunquam plures, quod ſciam, fuerint; ſed quod illi, qui ſe partium noſtrarum eſſe fatentur, (& quam multi ſunt, qui ne nobis aperire ſe volunt?) ad exemplum aliorum, quorum nominibus libenter parco, jam & ipſi priorem vultum cum diverſo ſenſu ſervare, &, quod interius ſapiunt, externo ſchemate artificioſe diſ- 187 ſimulare didicerint, atque ita patriam & in ea opes dignitatesque ſuas tueri conentur: cum antea illi omnes ſive ſimplicitate deluſi, ſive honeſta ingenuitate permoti, ne fraudari Deum gloria ſua viderentur, in eas ſe regiones deportaverint, ubi conſcientiæ ſecretum publica profesſione commendare licebat. Hæc ergo eſt illius, quam dixi, annonæ cauſa, quam ſuo quoque obitu difficiliorem reddidit hieme ſuperiori Valentinus noſter, b) tibi, ut credo, de fama ſatis notus, vir certe longiore ævo dignus ob eruditionem & prudentiam ſingularem, qua plurimum, ſi diutius vixiſſet, eccleſiis Dei commodare potuiſſet. Ejus locum alio quodam Germano ſupplere neceſſe fuit, cui Crellio c) nomen eſt, juvene quidem adhuc præ illo, ſi annos putes, ſed ea ingenii ſolertia, ea judicii maturitate, ut exiſtimem, vix tantillum inferiori extinctam alterius morte lampada traditam fuiſſe; id quod ex illius Anti-Grotio d) propediem apparebit, qui nunc ſub typis totus fervet, & fortaſſis ad umbilicum jam perductus eſt. Me quoque in has oras, eo quod Germanus eſſem, inviti propemodum dimiſerunt amici, cum antea ſcholæ gubernaculum e) non ſine fructu juventutis tenuiſſem: alius quippe non erat in promptu, qui propagationi veritatis, cujus ſpem nobis egregiam præbet eruditorum quorundam hominum in nos favor, in hoc tractu ea fide, diligentia, dexteritate, quæ hic requiritur, præeſſet. Sic ergo jam in Si- 188 leſia f) domicilium mihi fixi prope Francofurtum ad Oderam, ubi præter alia hoc mihi volupe, quod dimidio fere propius jam a vobis abſim, quod & ſæpius & citius de ſtatu veſtro aliquid audire novi, quod

a) Totam ſine dubio hæc ſpectant *Poloniam*, cœtusque in ea hinc illinc collectos *Socinianorum*. Quis enim *Francof.* ubi hæc dicuntur ſcripta, Germanos deſiderarit? Hinc & *Crellius* tam ſubito emerſit.

b) *Val. Smalcius* ſub init. anni 1623. defunctus.

c) *Joh. Crellio*, adjuncto primum *Lubieniecio* ſeni, eidemque paullo poſt omnino ſuffecto.

d) Vid. Cent. I. ep. 28. ſqq.

e) *Racovianæ*, poſt *Crellium*, ad Paſt. munus evectum.

f) *Bobovici*. Conf. Cent. I. ep. 22. extrema & ſqq.

vi, quod literas istuc haud paulo quam antea commodius dare possim. Mecœnas meus præcipuus est Casparus Saccus, a) pater illorum adolescentum, quos penes me in Belgio b) vidisti. Sed quid ago, mi Nærane? dum tecum sermonem ingressus sum, vix videor mihi exitum illius invenire posse; ita suave est, dum veluti præsentem te mihi fingo, in sinum tuum tam amicum effundere, quicquid in solum venit. Et essent sane alia non pauca, de quibus tecum confabulari vellem, nisi ultra leges epistolam fere jam produxissem. Itaque abrumpendum tandem est illius filum, quod tamen facile denuo connectam, si intellexero, & satis tutum & non ingratum tibi esse, literas meas recipere. Nunc nihil aliud restat, quam ut Deo ter Optimo Maximo te commendem, quem, ut omnibus tuis consiliis dux adsit, actiones tuas fortunet, & ad nominis sui gloriam convertat, teque ipsum contra omnes insidias, omnemque vim defendat, supplex ex animo etiam atque etiam rogo. Dabam Francofurti ad Oderam, a d. VII. eid. Novembris, anno æræ Christianæ cIɔIɔcXXIII.

Cum has literas jam obsignare vellem, en! commodum afferuntur mihi Fridericopoli literæ, quibus intelligo, Rostochium te cum uxore habitatum concessisse: in aliis vero narrabatur, non paucos ex 189 communibus amicis in urbem aliquam celebrem, cujus nomen prudens omitto, consultandi causa coire, quo ipso nonnihil dubium mihi redditum est, quod de Rostochio scriptum fuerat. Malui tamen istuc quam in Bataviam has literas mittere, quæ ut extra periculum essent, etiamsi te istic non invenirent, inclusi eas meis ad clarissimum Huswedelium c) datis, Virum, in quo eruditionem non hujus ævi, fidem, libertatem animi, prudentiam, constantiam, gravitatem, omnia summa, semper suspexi. Prædicavi illi virtutes tuas in literis meis: quod vellem, amicitiam inter vos coire, quam neutri infructuosam futuram spero. Porro erant sane non pauca, quæ jam in hac epistola mutata vellem, sed non fuit ocium eam transscribendi: itaque passus sum, prout primum e fornace exivit, ita eam ad te ire, & erit, ut spero, cum tam prope absimus, sæpius occasio, si quid velim, sive corrigendi, sive addendi. Literas, quas mihi destinas, huc mittas in tabernam librariam Johannis Thimii, bibliopolæ. Tu quoque, ubi inveniri queas, designa.

 XXIX.

a) Hoc de nobili patrono *Socinianorum* vid. itidem Cent. I. ep. 21. &c.

b) Quorum erat in itinere ephorus, ut sæpe L. B. jam monuimus.

c) Conradum, *Past. Rostoch.* vid. ep. 26. Cent. II.

190

XXIX.

FLORIANUS CRUSIUS a) M. RUARO.

GRATIA ET MISERICORDIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI ADSIT NOBIS, ET ERIPIAT NOS A MALO SECULI HUJUS SECUNDUM VOLUNTATEM DEI AC PATRIS NOSTRI, UT IN CORPORIS ET MENTIS NOSTRÆ INTEGRITATE IPSI SERVIAMUS. AMEN.

Literæ tuæ, Clarissime Ruare, Francoforto Idibus Martii datæ, circa finem mensis Aprilis Lipsia mihi redditæ sunt: qua caussa factum, ut, ad eas maturius respondere non potuerim. Plurimum exhortatione tua gavisus sum, inque eo, cui totum jam me Dei ductu & jussu consecravi, studio b) confirmatus. De judicii dexteritate ad tantum opus, quantum ex parte aggressus sum, & in posterum omnibus viribus aggredi animus est, necessaria promittere multa non audeo, conscius hac in re imbecillitatis meæ: sed Dei præsentia & gratia (qua fretus extrema quæque tentare decrevi) validissime me fulciunt, ut desperare hac etiam in parte non audeam. Vivit enim Christus Dominus ac Rex noster potentissimus, sapientissimus, fidelissimus, qui dixit: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui resistere non poterunt omnes adversarii vestri.* De industria, integritate, fide atque

191

pietate c) ad negotium hoc requisitis istud per Dei misericordiam promittere audeo, quod ab eo sperari potest, qui omnem vitam suam, omnesque mentis ac corporis sui vires ad Dei solius gloriæ serviendum destinavit, & a reliquis omnibus, quæ in hoc mundo desiderari possent, rebus persequendis penitus abstinere sibi imperavit. Fuit tempus, quo, licet multa pro gloria Dei facere paratus eram, tamen, cum veritatem tam densis tenebris involutam per tot sectas d) & tam misere

a) De quo jam ante, in Cent. I. ad ep. 69. observavimus, *medicum* fuisse, fata autem breviter, quoad licuit, in *Hist. Crypto-Soc.* Cap. IV. descripta dedimus. Eo tempore, quo epistola hæc scripta est, vagam adhuc inter variorum juvenum ephorias, hinc inde commutatas, sectabatur vitam.

b) Non alio, quam propagandi pro vera, sed male agnitam & approbatam adhuc, *Socini hæresin;* ad quod studium *Ruarus* eum existimulaverat. Medicinæ enim jam diu deditus erat studiis & *Doctoris*, nisi fallor, jam tunc quoque, consecutus erat (ac forte *Erfurti*, unde hæ litteræ scriptæ sunt,) titulos.

c) Vel hinc patet, quodnam illud studium fuerit, cui totum se consecrasse paullo ante *Crusius* dixerat: videlicet non litterarum & eruditionis, partisque alicujus bonarum artium, peculiariter excolendæ, sed religionis *Socinianæ* latius proferendæ.

d) En occasionem *Socinismi* arripiendi: quæ utrum justa ac prægnans satis caussa fuerit, in præsentia non definio. Hactenus certe ea non valebat, ut ad *pessimam* omnium, subblandiente ratione, quæ tamen philosopho huic homini valde place-

miſere diſcerptam contemplarer, parum ſpei de ipſa luci & integritati ſuæ reſtituenda habebam, &,non niſi longo tempore id, & quidem aliqua tantum ex parte, fieri poſſe, (nec forte injuria) credebam: unde cum Petro ad piſcatum, & artem eam, quam didiceram, a) reverti in animo habebam: præſertim cum in omnibus orbis angulis, & quocunque oculos converteram, nihil aliud cernerem, niſi horrendum impietatis dominium magis magisque invaleſcere, & ſub eo illos potiſſimum atrociſſima pati, qui ab ejus jugo in libertatem qualemcunque ſe vindicare meditabantur: adverſus hanc ego vim mihi, ut poteram, mature proſpicere conſtitueram; ut & conſcientiam, quantum per imbecillitatem meam liceret, ab impietatis ſordibus liberam tuerer, & corpori meo neceſſaria modo quam innocentiſſimo acquirerem. Nihilominus vehementer animo dolebam, nec a luctu quieſcere poteram, quia videbatur mihi Deus omnes eos, qui juſtitiæ & veritatis adhuc amorem ſaltem aliquem habebant, miſerrimos & inermes impietati tentandos, excruciandos & tandem perdendos (qui enim tantum exitium a Dei auxilio deſertus effugere poſſet?) objeciſſe: & licet in aliis eorum boni deſiderium eſſet; facultas tamen ad perſequendum & obtinendum id ipſum deerat: intellectum enim tenebræ undiq; obſidebant, ne videret viam, qua in lucem emergere poſſet: voluntatem interni externique hoſtes ſævisſime opprimebant, ne ulla rumore bono, quod deſideraret, potiretur: ſpem vero ſalutis omnem ipſius Dei ira, quæ inter tot mala (ut ea omnia tanto graviora fierent) ſola conſpiciendam ſe præbebat, eripiebat. Hic, Ruare chariſſime, ipſe perpende, quo animo hæc omnia aſpexerim; quam ſæpe ſortem meam deploraverim, quod Deus in tam atrocia tempora me reſervaſſet: nec ullum ſupererat ſolatium, niſi, ut ille ait, nullam ſperare ſalutem, & quod non a vulgari, ſed ſingulari plane mali vi me, ſi pereundum eſſet, periturum videbam: & quidem ita, ut nihilominus hoſtis omnis malitiæ & iniquitatis etiam in ipſo exitio meo permanſurus eſſem; atque eo ipſo paſſiones meas longe graviores afflictionibus omnium eorum, qui præcedentibus ſeculis aliquid paſſi prædicantur, fuiſſe reipſa demonſtraturus; licet ob easdem minus a Deo dilectus, & in iisdem ab auxilio ejus (quod reliqui ſuperiorum ſæculorum homines juſti ſemper præſentis-

192

193

bat, animum adjungeret. Aliter *Chriſtus*; qui, cum Prophetas falſos permultos vaticinatus eſſet, venturos, retinere quod habeamus, & verbo divino conſtanter inhærere nos juſſit, eosque quam maxime fugere docuit impoſtores, qui plurimum præ ſe ferrent & rationis & pietatis fucatæ.

a) *Medicam*, præcipue *Argentorati* excultam.

ſentiſſimum experti ſunt) plane deſertus occumbere coactus fuerim. Sed dum talia in maximis animi mei conſtitutus anguſtiis & doloribus meditor, Deus, qui longe aliter vias meas jam diſpoſuerat, magna vi nil tale præter illa, quibus jam dudum premebar, mala ſperantem me adoritur, & non tantum omnia conſilia mea penitus evertit, ſed &, ut animum meum ab iis, quæ ad commodam vitæ hujus conditionem acquirendam pertinent, curis impoſterum quoque totum abſtraheret, omni ſpe vitæ ejus, de qua tantopere ſollicitus eram, exutum ad portas inferni deduxit, donec ſolide & probe didiciſſem, quid ſibi velit illud Salvatoris noſtri: qui animam ſuam dilexerit, perdet eam, & qui odio eam habuerit in hoc mundo, ad vitam æternam cuſtodiet eam. Hoc quidem tum videbam, ſed nondum adhuc ſciebam, quid præterea vellet jam Dominus, ut facerem: prius enim meum conſilium a) adhuc dum non adeo impium mihi videbatur, donec, præter omnem etiam ſpem & expectationem meam, ab amico, viro pio, & regnum Dei omni conatu quærente Auſtrio, b) (qui me ex Auſtria quoque Ratisbonam usque in maximis corporis mei afflictionibus comitatus fuerat, meique curam habuerat) Norimberga tum Ratisbonam ad me redeunte, oblati mihi ſunt libelli quidam Socini & Smalcii, nunquam antea a me lecti aut accuratius expenſi, c) adjuncta hac

192 commonitione, me ab amico quodam Norimbergenſi d) (licet tum ignoto) rogari, ut, ſi mihi gloria Dei revera curæ & cordi eſſet, ſcripta iſta pervolverem, deque iis judicium incorruptum, ſincerum, & ſolida veritate ſtabilitum ferrem, num eſſent digna, in quorum cognitione & accuratiore conſideratione labor amplior impendi debeat. Ego ſtatim depoſitis reliquis, quibus intentus eram, meditationibus, animum

a) Jam ergo in *Auſtria* hærens, & forte, antequam eo concederet, incertum, qua occaſione data, de *Socini* placitis approbandis conſilium ceperat, ſuggeſtum a quocunque demum malo conſiliario & forte ipſo *Ruaro*; cum quo tamen ubi conſuetudinem olim & ante annum 1617. habuerit, explorare nondum potuimus. Equidem *Jo. Lud. Wolzogenium* fuiſſe, a quo primum quædam portentorum illorum acceperit, ſuſpicio nobis aliquando ſuborta eſt; ſed parum abeſt, quin illum potius a *Cruſio* in transverſum eſſe abreptum, credamus.

b) Neque hic nobis cognitus eſt, &, niſi *VVolzogenius* fuerit, juvenis, h. t. anxietatis animi *Cruſiani*, undeviginti, aut viginti omnino, circiter annorum, inveſtigari etiam vix poterit.

c) Aliquos itaque jam ante legerat, ſed ſuperficiarie magis & minus attente.

d) Incertum, quo ſuſpicionibus indulgere, ut alibi jam dictum, veremur. Hoc tamen inde effici poſſe dolemus, fuiſſe iſtic etiam poſt machinationes illas, in *Hiſt. Crypto-Socin.* deſcriptas, immo etiam detectas & diſſipatas, qui *Socini*, ſi non doctrinæ, at ſcriptis certe faverent.

mum ad lectionem scriptorum oblatorum applico: &, Deo forsan ita volente, primum Theologicas Socini prælectiones a) perlegendas sumo: quibus perlectis, facile jam, quid Deus imposterum a me fieri vellet, (quod antea videre non poteram) intellexi. Videbam enim hic veritatem divinam ex parte valde magna egregie & solide vindicatam, atque ita jam magnum & illustrissimum apparatum adesse pro eadem penitus a reliquiis tenebrarum repurganda, & in pristinum suum splendorem restituenda. Quapropter spem eam, quam antea de successu conatuum meorum in hoc negotio fere totam abjeceram, tanta Dei bonitate (qua, se veritatis suæ his etiam ultimis & deploratissimis temporibus curam gerere, & mihi demonstrare voluit) excitatus, fortiter resumo, & maximo cum gaudio opus, quod aggredi antea valde timebam, omnibus viribus aggrediendum constituo, summi Patris ac Dei mei, Filiique ejus, Jesu Christi, fidelissimi Pontificis ac Regis nostri auxilio fretus, quod, quamdiu vixero, nunquam his meis conatibus defuturum & scio & spero. Novi egestatem, & paupertatem, & miseriam meam, quod & corpore & sæpissime in spiritu meo experior, & sustineo: sed potens & dives est Dominus ac Deus noster, qui etiam ex ore infantium scit præparare sibi laudem, ad confundendos inimicos & contradicentes veritati ejus. Habet autem Salvator noster Christus alios etiam egregios servos, inquisitores, & vindices veritatis suæ, qui certe, ut adhuc fecerunt, ita inposterum nihil omittent, quod ad illustrandam gloriam Domini pertinebit: quibus si viribus ingenii mei adjumento esse non potero, saltem exemplo meo incitamento ero. Quod ad vitæ meæ conditionem attinet, talis ea est, ut adhuc pro meo beneplacito de ipsa disponere non queam: sed tota spes mea a Deo pendet, qui hactenus vias meas mirabili plane ratione ad gloriam nominis sui direxit: ita enim futurum spero, ut deinceps etiam fidelis ille pater & susceptor meus monstraturus sit, qua ingredi debeam, ut laudi ejus servire possim. Nunc itineri me accingo, ut ad jamjam instantes nundinas hinc Lipsiam abeam: in quo itinere, si Deus permiserit, te quoque videbo: ibo enim, nisi Deo aliter visum fuerit, Francofurtum ad Viadrum, & forsan, si commodum videbitur, in vestris oris per septimanas aliquot subsistam, ut tecum de quibusdam ad unicum illud necessarium nostrum pertinentibus colloquar: nec dubito, quin tu quoque ex iis sis,

195

196

 qui-

a) Extantes ea ætate, forma quarta anno 1609. a *Smalcio* editas, ac deinceps *Bibl. Frr. Pol.* Tom. I. Opp. *Socini* f. 533. seq. insertas.

quibus vere gloria nominis divini curæ est, & fidelem in iis, quæ ad veram in Christum fidem faciunt, jamdudum operam collocaris: testantur id literæ tuæ, & gaudium illud non vulgare, quod ex meo tam sancto (ut tu id appellas, & ego in gloriam Domini ac Dei nostri ita appellandum libenter concedo) instituto concepisti. Fausti Socini librum contra Wujekum, quem ob defectum exemplarium denuo typis editum esse scribis, a) cum ad te venero, Deo bene juvante, præsens a te accipiam, & de aliis istius viri (cujus pietatem & sapientiam mirari satis non possum) scriptis quædam inquiram. Catalogus Francofurtensis nuperrime ex nundinis allatus habet, Joannem Tarnovium b) professorem Theologiæ in academia Rostochiensi, contra id ipsum Socini scriptum refutationem quandam una cum textu ipsius Socini conjunctam edidisse: quæ quantos habeat nervos, videbo, & si nancisci potero, exemplar unum atque alterum mecum adferam, ut & tu eam videas. Sed plura, Deo concedente, coram. Vale, Ruare charissime, gratiæ & misericordiæ Dei Patris nostri in Christo a me commendatus. Dabam Erphordiæ c) kalend. Maii styl. vet. cIↄIↄcXXV.

197

XXX.

M. RUARUS JOANNI KIRCHMANNO. d)

SCripsi ad te fere jam ante trimestre, cumque nihil literarum ex eo tempore receperim, expectatione diuturna frustra lactatus, animum induxi, mucrone styli tantisper vos fodicare, donec ab aliis occupationibus, quæ sunt fortassis graviores, excitati, pristinam scribendi consuetudinem nostram repetatis. Ignosce, mi Kirchmanne, libertati sermonis, quem purus affectus mihi dictat, & apud te, tam candidum amicum, ut reor, etiam permittit. Ne sint tamen, ut pleræque

a) Hanc editionem *Antiwujeki* Fausti *Socini* non commemoravit *Sandius*: neque nobis etiam, fatemur, ea unquam oculis usurpata est: quemadmodum etiam vix amplius, rarissime profecto, veterum ulla, sed sola fere ea, quæ in *Bibl. Fr. Polon.* habetur, hodie comparet.

b) Non *Johannem*, sed *Paullum Tarnovium* hoc ipso anno 1625. de *SS. Trinitate librum unum*, refutationi *Fausti Socini* oppositum, *Rostochii* forma 4ta evulgasse constat. Quod vel ideo monere visum est brevibus, ne quis cespitandi hinc occasionem arripiat, atque Theologos hos, quos commiscuit *Crusius*, similiter confundat.

c) Haud dubie juvenum opulentiorum, quorum quadra vivebat, ipse pauper de cætero atque inops, ductor & ephorus.

d) Lubecensi n. anno 1575. *Poeseos*, adhuc in *Acad. Rostoch. Professori*, & proximo anno 1613. *Rectori Gymnasii patrii* constituendo, atque anno 1643. demum pie denato, insigni Polyhistori.

ræque solent omnes inanes literæ meæ, quandam de transitu Cæsaris a) per hæc loca tibi narrationem contexam, mihi quidem non minus, cum e memoria in tabulas retulero, quæ præsentibus antea sensibus arbitrabar, jucundam, tibi vero, ut opinor, lectu non plane ingratam. Ab utraque parte plateæ, b) quæ a porta hospitali usque ad arcem protenditur, stabat armata manus peditum quasi quater millium: equites quinquaginta supra octingentos obviam Cæsari processerunt, splendide omnes & uniformiter vestiti chlamysin albis limbo rubro fimbriatis, pileis item albis cristisque rubris. Columnæ triumphales duæ erectæ c) spectaculo decorabant pontem carnarium; arcus pendebant tres diversis in locis: paulo ante ipsam arcem splendescebat porta triplex, tum imaginibus decem Imperatorum domus 198 Austriacæ satis eleganter pictis, tum simulacris quatuor summorum monarcharum, quatuor partium mundi, quatuor virtutum primariarum, e gypso affabre fictis, insignibus item Imperatoris & Electorum, multis præterea emblematis, quæ facilius peniculo quam penna describuntur, ad miraculum exornata. Fastigium hujus portæ tenebant aquilæ tres, quarum una sceptrum, altera pomum, tertia, eaque media virilis magnitudinis coronam unguibus comprehenderat, seque, adventante rege, aliquoties convertere, caput inclinare, & alas quatere d) poterat. Ibidem quoque Musici variis

Xxx 2 artis

a) *Matthiæ:* nuper electi *Ifti* ad Mœn. & *Noribergam*, ut homagium ex more istic reciperet, transeuntis.

b) *Noribergensis* civitatis; Inde enim scriptæ sunt hæ litteræ, quo *Altorphio Ruarus*, ut fieri solet, in hujusmodi solennitate atque panegyri, excurrerat.

c) In exemplari, ex autographo expresso, *Gudiano* rectius mihi videtur legi *egregio*.

d) Cujusmodi etiam machina fuerat *Joh. Regiomontani:* quam in occursum *Maximiliano I.* isthic volasse fama fert passim decantata; non aliter tamen, quam artificio hujusmodi adornata, ut huc illuc sese flexa verteret, & subtus, viri alicujus in arcu triumphali latentis, ope funiculorum, agitatione, commota, alas, *quasi* obviam volatura, concuteret. Falluntur enim, qui per aera *liberum* Cæsari eam longissime obviam processisse fingunt, & pridem finxerunt, qui *Petrum Ramum* talia primum, ex imperitia Germanicæ linguæ, ut narrata ipsi erant, a *Noribergensibus* artificibus, commentum, ingenti numero secuti sunt viri doctissimi. Quæ pluribus explanavit, aquilamque *bicipitem atque versatilem, ex materiæ solidæ pluribus articulis, chalybe elastico inter se junctis compositam, exterius autem lamellis, pennarum æmulis, obtectam fuisse*, muscam vero (de qua itidem historici) per rotulas dentatas plano mensæ impositum discursitasse ostendit S. R. J. G. *Bajerus* noster in Differt. de *Aquila* & *musca ferrea*, *quæ mechanico artificio apud Noribergenses quondam volitasse feruntur*, anno 1707. Altorphi ad disputandum proposita, totamque hanc narratiunculam, cui *Ruari* hæc epistola tanquam spectatoris lucem plurimam affunditur historice &

artis ſuæ inſtrumentis aerem uſque ad Syrenum invidiam permulcebant. Rebus ita diſpoſitis, urbem eques ingreſſus eſt Imperator poſtridie kal. Julii ſubter holoſerico velo, a) quod portabant Senatores ſex. b) Ter in turribus exploſus e tormentis majoribus pulvis pyrius, tunc & Salmonæo c) tonitru cœlum pene conterruit, primo, cum extra urbem a Senatoribus quatuor rei militari præfectis, quinque item ex iis, quos ſeptemviros vocant, exciperetur, ſecundo, cum a duodecim patribus intimi conſilii d) ſub porta urbis demum, cum ipſa arce. e) A. d v. Non. Julii hominium in conclavi f) præſtiterunt Senatores, ſub dio vero cives, cum prius in editiori theatro extra curiam porrecto Cæſar præcediſſet, Wacheras g) Cæſaris nomine peroraſſet. Paulo poſt honoraria offerebantur, quinque currus avena, totidem vinis variis onuſti, piſces aliquot orcas impleverant, accedebat poculum aureum ingentis magnitudinis mille rhenanis aureis effartum: hæc ad ipſum Imperatorem ſpectabant. Cæſariſſæ vero menſa ex ebeno h) donata fuit, præter, quod argento vermiculati operis præfulgebat, ipſa quoque octingentis aureis ſtipata. Ut autem reliquos aulæ adminiſtros ſilentio prætercam, quorum non pauci muneribus mactati ſunt; catenulam certe Nello, qui Cæſari eſt a jocis, datam tacere non debeo propter facetum reſponſum, quod exinde natum eſt. Cæſar occaſione muneris illius ad Nellum converſus dixerat, *Viden', mi Nelle, quoſnam honores nobis Norimbergenſes*

199

physico-mechanice eruditis argumentis diſcutiente.

a) i. e. Umbella ſeu umbraculo.

b) In Gudiano autographo recte additur: *ex illis, qui recens allecti inter juniores numerantur.*

c) Vox eſt ex *Virgilio* deſumta & hiſtoriæ Regis cujusdam apud Elidem, divinos honores affectantis, fabricatoque æneo ponte agitatisque ſuper eo curribus tonitrua imitati, notitiam, quam *Servius* ad Virgilii Æneid. dare poterit, præſtruens.

d) Hæc & priora ut intelligantur, b. Wagenſeilii *Deſcriptio urbis Noribergæ*, ejusdemque Cap. XXIII. & XXIV. inprimis conferantur.

e) Legenda hæc ſunt hunc in modum: *Sub porta urbis; demum, cum in ipſa arce,* ſubaudi, repetendum ex prioribus, *exciperetur.*

f) Curiæ puta aliquo, antequam *Cæſar* prodiret foras & ſe conſpiciendum populo daret.

g) Lege: *processiſſet* (male in Gudian. *præſediſſet*) & *VVacheras*, (a Secretis haud dubie Cæſaris, hoc nomine appellatus, atque *Ruaro* cognitus,) *Cæſaris* nomine *peroraſſet*, brevique hoc alloquio ex more ad populum præmiſſo conceptis verbis, quæ repetere ſolet, populus *Noribergenſis* jurejurando Cæſari fidem dare juſſiſſet. Neque nos, fateor, hæc intellexiſſemus, niſi de compertis conſpectisque teſtari mendoque ſuccurrere potuiſſemus. Cæterum in autographo *Gudiano*, Wacheras iſte *VVackerus* vocatur.

h) In exempl. *Gudiano* leg. *ebore.*

genses exhibeant; quam vero gratiam referemus? Respondens Nellus, *ebodum*, inquit, *Cæsar, an istud ignoras? crucem in foro excita, Cleseliumque tuum directum* a) *in illam age: gratius nihil Norimbergensibus facere poteris* b) En cor Renodoti! en jecur Cratetis! Est vero Clesclius Episcopus Viennensis c) in magna Cæsaris efflorescens gratia, sed qui sæpenumero materiam incendiis reipublicæ Christianæ conflandis contulit. Eadem vespera artifices ignes per aerem jactati sint, satis tamen inauspicato: siquidem ancilla pyrobola tacta animam exspiravit, quidam etiam senex ab equis repentino fulgore perterritus conculcatus est, & sunt & alii vulnerati, nec recensere necesse habeo, 200 quot pilei aut pallia pallæve inter furum manus strangulatæ perierint. Propridie Nonarum Cæsar convivium quæsitissimis epulis celebravit, cui præter ipsum & Cæsarissam d) adfuerunt, Elector Coloniensis Ferdinandus, e) Episcopus Argentinensis & Passaviensis Leopoldus, f) Austriacus, (quem cum Cæsare certis hic conditionibus in gratiam redegit Coloniensis) Episcopus Bambergensis Gothofredus Aschusius, g) Marchio Burgaviensis Carolus ab Austria frater Cæsarissæ consanguineus, h) tres Marchiones Brandeburgenses Christianus, qui Calinbachii i) aulam fixit, Joachimus Ernestus, qui Onoltzbachii, & tertius, de cujus nomine mihi non liquet, k) ultimus denique

a) Plautinum vocabulum, idem quod *suspensum*, denotans. Quod, ne quis pro sphalmate typographico habeat, monendum putavimus.

b) Facetum, fateor, responsum & ingeniosum. Sed non minus argutum fuisse ajunt, quod idem, si recte memini, eidem Cæsari reddidit, quum *Danubium* congelatum aliquando Hungarici boves sine noxa magno numero transirent, idemque etiam facere *Nellum* Cæsar juberet. Cum enim id perficere ille abnueret, & caussam interrogaret Imperator sibi edisserendam, *Nellus*, non audere sese rem tantopere periculosam, *quod boves innocentes sint, ipse vero nimium quantum peccaverit*, fertur respondisse.

c) *Melchior Cleselius*, post hoc tempus Rom. Eccl. etiam factus Cardinalis: cujus fata, quæ tandem fuerint anno 1619. nemo nescit.

d) *Annam Catharinam*, Ferdinandi Archid. Austr. Oenipontani filiam, ex IIdo conjugio genitam.

e) Dux Bavariæ, Maximil. Ducis Bav. atque Electoris postea frater, nuperrime ad dignitatem Episcop Colon. evectus.

f) Ferdin. II. Imperat. & *Matthiæ* successoris, frater germanus.

g) Non *Asibusius*, ut in Gudianis Epist. legitur. Fuit autem iste *Johannes Gottfridus ab Aschhausen*, ex Franconica gente equestri ortus, & anno 1622. denatus.

h) Ab eodem videlicet patre *Ferd. Oenipontano*, sed non ex eadem matre genitus & natus.

i) *Culmbaci;* quod pars est & inter urbes primarias Marchionatus superioris numeratur.

k) *Sigismundus* forte, qui Clivensem Ducatum vicario nomine ad tempus posthæc gubernavit.

que princeps Anhaltinus Joachimus Erneſtus. a) Verſati ſunt alias Norimbergæ eodem tempore nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Amelphitanus, b) legatus Hiſpanicus Balthaſar de Campa, c) Gallicus neſcio quis, alius tamen a Bongarſio, d) item Florentinus & Bavarus: comites vero & barones tot, ut eorum numerum ſubducere nemo facile quiverit. VII. Eid. Pragam rediit Imperator eadem pompa, qua huc ingreſſus eſt. Habes hiſtoriam ſatis prolixam, cui verbum amplius non addam, ſi te prius a Varenholtio e) ſalvere juſſero, qui ſimul interrogat, numquid literas a ſe jampridem datas acceperis. Vale, alpha amicorum meorum. f)

XXXI.

201

EIDEM. g) SALUTEM A SALUTE.

SAtis tu quidem benigne, clariſſime Kirchmanne, qui literas meas vix a te legi dignas tantorum virorum ipſiusque doctiſſimi Principis h) oculis ſubjicis: quod quamvis tenuitatis meæ conſcius ægre fuerim admiſſurus, ſi vetare poſſim, nunc tamen, poſtquam factum eſt, in honorem meum interpretor, tuique vim amoris agnoſco, qui, ſecurus aliorum judicii, tui oblitus, me quaſi per vitrum intueris, ideoque vero tibi majorem fingis. Sed tu cogita, quomodo factum excuſes: ego quidem hoc precio ſæpius ejusmodi tibi quisquilias vendere vellem, niſi modeſtia mihi legem aliam ferret. Unum tamen memorare non omittam ſpectaculum, Onoltzbachii præterito menſe, cum Joachimus Erneſtus i) marchio, comitiſſaque Solmenſis Sophia,

a) Falſa, quantum ad hunc Principem, ſcribit *Ruarus*. Dudum enim an. 1586. mortalitatem exuerat ille Anhaltinorum Principum hodiernorum pater, & filius forte aliquis *Chriſtianus*, qui p. p. nuptiis Onolsbacenſibus interfuit, ſubſtituendus eſt.

b) *Amalphitanus* alias rectius dictus.

c) In Epiſtol. Gudianis vocatur *Balthaſar de Geniga*.

d) Quo alias Rex Galliæ oratore utebatur ad Germanos miſſo, viro doctiſſimo. Quæ cauſa etiam fuit, cur ejus h. l. vel negando adfuiſſe, meminerit *Ruarus*.

e) Cujus h. t. ephorus erat *Ruarus*, Lubecenſis patria, *Kirchmannoque* ut civi ſuo præter cæteros noti.

f) Scriptæ ſunt hæ litteræ media æſtate an. 1612. Hoc enim tempore recens electus Imperator *Noribergam* tranſiit. Unde minus commodo loco heic eſſe poſitas elucet. In *Gudian.* autographo add. *a. d. VI. Eid. Jul.*

g) Hæc quoque epiſtola inter Gudianas excuſa habetur f. 262. ſq.

h) Non alius, quam *Joh. Albert. II.* Dux Meclenburgicus, Princeps hic doctrina excellens fuit, cæterique, quibus epiſtolam ſe oſtendiſſe ſcripſerat *Kirchmannus*, Profeſſores in Acad. Roſtoch. collegæ erant. Ipſe enim *Kirchmannus* an. 1613. demum *Roſtochio* evocatus *Lubecam* ad gubernationem Gymnaſii patrii ſuſcipiendam abiit.

i) Joh. Georgii Elect. Brandenb. filius. Conditor adhuc divina gratia continuatæ

phia, a) pulchrum ſine exemplo par, nuptias facerent, b) præter acroamata vulgaria, publicæ feſtivitati ſolemniter exhibitum: in quo ſequar narrationem amici cujusdam mei, qui ſpectator interfuit, fidelem magis quam doctam, ut e veſtigio patebit. Certamen fuit ϛοχαϛικὸν,* quod annulare fere vocant; id ipſe Machio ſplendide ſatis obivit. Præter tympanotribas, cornicines, tubicines, fidicines, mi- 202 niſtros ſcutatos, & δορυφόρȣς,** ludionumque gregem illum, præcedebat Mercurius anteambulo, mox equitabant tres auguſta forma heroes, Achilles, Hector & Ajax, quorum perſonam ſumpſerant Marchio, Chriſtianus Anhaltinus, c) & comes Solmenſis. d) Inſequebatur Hercules catenatum ducens Cerberum, qui flammas obluctando vomebat. Poſtea curru vehebatur cum omnis generis Mars ſomnum capiens armis: cujus veſtigia virgo Pax multum diverſis moribus pedes legebat, oleæque ramum manu prætendebat. Arioni quoque delphinus aquis innatans tergum ſubſtraverat, qui tum certe non minus caveæ, quam olim mari, circumfuſos populos barbiti dulcedine in admirationem ſuſpendebat. Crederes, accenſum æmulatione Phœbum pugnam poſt Marſyæ fatum deſitam majoribus animis redintegrare: ita pone vectus equo ſonos teſtudine varios artificio miro acuebat: ac neſcio, annon diffiſus dubio victoriæ eventui ſorores, in auxilium vocaverit. Parnaſſus enim αὐτόματος*** totum illum chorum Muſarum adduxerat, quæ juxta Hippocrenen accubantes cum exſilientium undarum ſtrepitu numeros ſuos exquiſita ſymphonia confundebant. Jam currus ab oloribus trahebatur, in quo Venus dormiens ſiniſtra manu cor duobus transfixum jaculis oſtentabat. Præcedebant vero Charites in equis habitu partim albo, 203 partim viridi: a tergo mulier cum face Cupidinem, ut ajebant, amiſſum quæritabat: hanc Bacchus Cereſque, demum Juno Dianaque ſecutæ, pompæ celebritatem claudebant. Ter ita luſtrato circo mons alius a læva ſe parte diduxit, in eoque ſtans Jupiter triſulco pilo fulmen

* In ſcopum intentum; ſeu quo ad certum aliquem ſcopum collimatur.

** Haſtam ferentes.

*** Qui per ſe movebatur.

lineæ Anſpacenſis. Novem annos cœlebs ante vixerat, *Georgii Frid.* Anſpacenſis, cognati ſui, provincias an. 1603. jam adeptus.

a) *Joh. Georgii* Comitis Solmenſis-Laubacenſis filia natu inter ſorores ſex minima.

b) d. IV. Octobr. anni 1612.

c) Paterne, an filius? incertum eſt. Utriusque ex Bernburgenſi linea, quam condidit ille, in bello Germanico fata, qui quantive fuerint, ignorare neminem ſinunt. Nobis Pater heic affuiſſe videtur.

d) Sponſæ haud dubie pater.

men excuſſit, juxtaque Cupido aquilæ inſidens artifices ignes in Martem immiſit, unde conterritus, ſecuto ſimul tormenti craſſioris (mortarium indigitant) ictu, ſomnum oculis penitus abſterſit. Paulo poſt cum Venus iſtac præterveheretur, idem Cupido arte intorto telo cor, quod Mater manu geſtabat, inflammavit, ex quo evigilans natum ad ſe in currum recepit. Ducis Wirtebergenſis a) apparatus uno trium rotarum curru, quem equi quatuor alati a ſingulis anni partibus denominati trahebant, viſendus fuit: de cætero nihil inſigne præ ſe tulit, ut nec Baronis Waldſtenii legati Cæſaris, nec Oetingenſis comitis. Marchio Durlachius comites ſuos ad Æthiopum ſimilitudinem colore noctis infecerat, inter quos unus incaſſum lotus b) proverbii fidem aſtruebat. Franciſcus Griechingenſis, quem ſuo nomine Archidux Auſtriæ Leopoldus adeſſe juſſerat, venatorio cultu pulcherrimam ſcenam explicuerat, in qua Diana cum Nymphis aliquot, Faunis item Satyriſque, ſpectaculi novitate facile cunctos incenderat. Hiſtoriam habes, nunc aſſem præbe. De comitiorum loco rumor incertus nunc Ratiſbonam, nunc Norimbergam c) inclinat, quæ ſpes Varenholtium meum d) retinuit hactenus, ne cum aliis, quos Altorphio contages expulit, e) longius, quam huc ad aſylum commigraret: cui non difficulter ego conſenſi, quod eo modo temporis aliquod lucrum mihi prorogari poſſit, cui alias propria quadra jam eſuriendum eſſet. Ne quid enim te celem, clariſſimus Dominus videtur mihi Varenholtius, quamprimum hinc diſceſſerit, quod adulto vere certo fiet, literis remiſſurus nuntium, ſeque potius applicitusrus tum ad choreas exoticas, equorum agitationem, pugilatum, aliaque exercitia gymnaſtica, tum ad linguæ fortaſſis Gallicæ ſtudium, in quo cum opera mea parum illi prodeſſe queat, futurum metuo, ut ab ipſo dimittar: quamvis nec mihi dixerit iſtud hactenus, & te meminiſſe, cum ad illum ſcripſeris, prorſus nolim. Sed de illo, quod futu-

204

a) *Julii Friderici*, VVeiltingæ habitantis. Quem ipſe *Ruarus* in autographo, quod in *Gudianis* epiſtolis expreſſum eſt, nominavit fol. 265.

b) Æthiops videlicet natus.

c) *Ratisbonæ* celebratæ ſunt, quibus Cæſar ipſe interfuit. Ea tamen, quia querelæ de tribunali Spirenſi aulaque Cæſarea plurimæ movebantur a Proteſtantibus, & poſtulatum ab his, quam maxime fuit, ne deinceps numero valerent vota, ſed ut æquabile jus haberent ſuffragatores utriusque partis, contra autem nihil vel parum medelæ afferri ab adverſariis obſervatum erat, mox ſoluta ſunt & rebus adeo propemodum infectis diſceſſum eſt.

d) Curæ & ephoriæ *Ruari* adhuc commiſſum & cum Burgsdorffio non multo poſt commutandum.

e) Non admodum dira illa fuit, & vul-

futurum impendet, videat, qui de craſtino ſollicitos nos eſſe vetuit, in quo mea ſpes acquieſcit: interim præſentia lætus capiam, quæ nunc aliquanto ſe dant felicius, poſtquam remittere viſa lues nos ad ſtationem priſtinam & conſuetas ſtudiorum operas, a quibus per ſex dierum hebdomadas abſumus, tandem revocat. Quamvis non ſine victima noſtra pacem hanc e cœlis impetravimus, cum proximo tempore, morbi tamen alio genere, quam epidemico, fuerunt ſublati e vivis, amiciſſimi Rittershuſii noſtri filiola nondum trimeſtris, & clariſſimus Erneſtus Sonerus, a) Profeſſor, cui viro (ſicut faſſus fuit publice Magnificus Piccartus, cum funus indiceret) in illa ſublimiori philoſophia b) parem Germania vix habet, majorem non inveniet. Pene etiam ipſi Rittershuſio morbus recidivus c) aliquid triſte nuper minatus fuerat, quod tamen Deus clementer avertitne dicam, an diſtulit? utinam in aerem mala diſſipentur omina! Is dedit nuper conjecturarum reliquias in Panegyricos veteres, d) quas fortaſſis, ut exiſtimo, tibi jam transmiſit. Cæterum quod libros hinc nonnullos ſuperioribus literis tuis petiveras: mallem Francofurtenſes indices ipſe percurreres, &, ſi quid inveneris, quod iſtic haberi commode non poſſit, nominatim ad me perſcribas, ne perdam officium judicii temeritate, ea nimirum mittendo, quæ tuo fortaſſis palato minus ſapiant. Et vides alias, quam ſteriles bonarum rerum ſint typographi vicini Norimbergenſes toto ſemeſtri vix unum Hentzneri Itinerarium e) procuderunt, quod mittam fortaſſis ad te Lipſenſibus nundi-

205

gari morbo epidemico ſimilior. Extant in eam rem gratiarum actiones poſt liberationem divinitus conceſſam, in *Hiſt. Crypto-Soc.* commemoratæ, typis etiam excuſæ, ejusdemque mali graſſantis & celeberr. D. D. *Bajerus* noſter in *Vitis Med. Altorph.* ſemel iterumque meminit, ut alia monimenta omittamus.

a) Quippe qui d. 28. VIIbris in ætatis virilis primo flore & hactenus immatura morte, quadragenario inferior, (natus enim erat an. 1573.) *ulcere maligno correptus fatis conceſſit:* ut verba habent celeb. D. D. *Bajeri.* Quamquam ſint, qui non peſtilentiale, ſed alius generis ulcus id fuiſſe tradant.

b) Metaphyſicam puta *Ruarum* indigitare, qua inprimis excellebat *Sonerus*, niſi vel vocabula hæc aliquid monſtri theologici alant.

c) Tabes videlicet ex intemperantia ſtudiorum, ut fama eſt, contracta, quæ *ita corpus attenuavit atque emaciavit, ut* (verba repeto *filii in vita patris* deſcripta) *præter cutem & oſſa mors tandem* ſequenti an. 1613 ſuperveniens *nihil invenerit reliqui.* Unde non male *diſtuliſſe* fortaſſis aliquid triſte, quod minatus erat morbus iſte, potius, quam abſtuliſſe ominatus h. l. legitur, *Ruarus. Rittershuſium* ipſum hoc de morbo conqueſtum ad *Kirchmannum*, ſi audire malis, lege epiſtolam ad eum h. a. datam in Gudianis f. 252.

d) Prodierunt eæ altera vice Hanov. an. 1612. 4.

e) Male *Heuthneri* itinerarium, in ex-

nundinis brumalibus, si probari doctoribus nostris prius animadvertero: unus Schönfeldius a) Ambergensis hujus provinciæ laudem sustinere videtur, & in illo præcipue genere lætioris Musæ cum paucis triumphat. Varenholtius tibi plurimam salutem nunciat: tu quæso meis verbis, cum commodum erit, clarissimo viro Domino 206 Theodoro Bussio, b) cujus literis respondebo, quamprimum Altorphium reversus his incertæ vitæ tumultibus exsolvar. Vale, columen studiorum meorum. Norimbergæ a die VII eidos Novembris, anno æræ Dionys. cIↄIↄcXII. c)

XXXII.

FLORIANUS CRUSIUS d) M. RUARO.

GRATIA ET MISERICORDIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SIT NOBISCUM, AMEN.

Tempus est, charissime Ruare, ut ad literas tuas proximas, ad quas nuper tumultuarie pauca rescripsi, nunc exactius respondeam; digna enim ea, quæ in iis continentur, sunt omnia, ut accuratius expendantur, propterea quod, iis difficultatibus e medio sublatis, planiorem e multis aliis humani intellectus tricis evadendi rationem manifestam fore arbitror. *De loco* tecum id sentio, non esse scilicet Aristotelis definitionem καθ' ὅλȣ, * sed tantum loci physici rationem exprimere, & ostendere modum, secundum quem res, quæ intra universi complexum existunt, ad se invicem spaciis suis, quæ occupant, habe-

* In universum, in genere.

emplari, ex quo in *Gudianarum* Epp. collectione, opera Cl. *Burmanni* instituta, hæc epistola excusa est, dicitur. Ipse liber, qui h. a. Noribergæ lucem primum vidit, nemini ignotus est, neque tamen tanti haberi unquam consuevit, ut inter primi ordinis scripta referretur.

a) *Joh. Schœnfeld* inter eruditos numerandus typographos, scriptisque prælo subjectis non facile trivialibus, quæ præfationibus interdum suis ornavit, clarus. Post cujus obitum etiam *Ambergensia* præla fere otiata sunt.

b) JCtus is fuit h. t. ut patria, ita & civitate *Lubecensis* & ipse olim Acad. Altorph. civis. Cujus epistola ad *Kirchmannum Aureliis* in itinere scripta inter Gudianas reperitur n. 202. f. 272. sq. Encomium autem a *Rittershusio* ad eundem perscriptum consignatumque legitur f. 241. Cancellarium tandem *Reg. Dan.* & *Duc. Holsat.* factum esse, inque eo splendido munere diem obiisse, notum est.

c) Adde, si placet, tertiam *Ruari* an. 1611. ad eundem *Kirchmannum* datam epistolam, quæ in *Gudianis* primum locum inter *Ruarianas* occupavit: in qua de *Theodoro Sizmanno*, cui *Claud. Rutilii* itinerarium debemus, Thuringo & JCto, atque philologo insigni, & *Scipionis Gentilis* sero conjugio quædam commemorabilia occurrunt.

d) *Non* tam *epistola* hæc est, si molem spectes atque longitudinem, ipsamque adeo rerum variarum tractationem, quam

habeant: quomodo vero se habeat spacium id, quod ipsum universum toto ambitu suo comprehendit, non expressit, nec exprimere potuit, quia non est quicquam extra universum, ad quod ipsum aliquo respectu se habere debeat: & licet humanus intellectus, qui nullum alium locum sensibus suis usurpavit, præter physicum, ipsi etiam universo talem adscribere conetur, recte tamen a seipso in eo erroris convincitur, quod eo pacto necessario statuendum esset actu infinitum spacium, a) quod tamen secundum omnes sui partes esset mensurabile, & sic contradictoria simul vera essent, quia idem, quod infinitum esse statueretur, necessario etiam secundum omnes omnino partes mensurabile & fini-

Disputatio. Eaque de causa non est, quod annotationes ad eam prolixas expectes B. L. sed subitaneas quasdam, quæ in ea perlecta mihi occurrebant meditationes. Hoc tamen ex specimine isthoc dato patere putamus, non male rationes iniisse, quicunque *Crusium* inter *Philosophos Socinianos* præcelluisse cæteris perhibuere. Ut omittam *Ruari* quoque, quanta fuerit in hujusmodi contemplationibus *Metaphysico-Mathematicis* & *Moralibus*, (cum eo enim disquisitio hæc ex *Ruari* etiam dubiis nata & instituta fuit) notitia, inde non obscure colligi posse.

a) Etsi animo constitutum fuit, nihil addere notarum huic epistolæ, non possumus tamen, quin ut ἀσύμβολοι, eam non prætermittamus, ad hanc ipsam quæstionem illustrandam Vener. *Sam. VVerenfelsii*, Basileensis, defæcatum, quod de ea tulit judicium, in *Dialogo de Finibus mundi* adscribamus: *Imaginatio hæc, dicitis,* ait l. c. Philalethes, *spatiorum extra mundum, arguit, nos mundi indefiniti ideam habere. Sed quare quæso non affirmatis, nos Initium mundi concipere non posse, i. e. mundum in conceptu nostro esse æternum? par ubique ratio est. Dic enim mihi, Polymathes, concipisne mundum incepisse?* Po. *Nihil facilius.* Ph. *Ante mundum igitur præter Deum, quid fuit?* Po. *Nihil.* Ph. *Jam in te descende, te ipsum excute, vide, annon eandem in te sentias propensionem, nihil illud ante mundum ut spatiosum aliquod inane imaginandi, plane, ut nunc spatium extra mundum concipis?* Po. *Fateor, idem mihi accidere. Cum enim imaginationem sequor, ante mundum magnum & immensum spatium, quod nihil quidem dico, sed revera corpus imaginor.* Ph. *Itaque si imaginationi tuæ indulges, ad quod quidem omnes ab infantia sumus propensi, mundus in conceptu tuo æternus erit, quia nullum initium concipis, ante quod non spatium aliquod imagineris i. e. mundum. Jam igitur vides, eodem modo, quo tu mundum infinitum probare conaris, me æternum esse convincere, saltim in nostra imaginatione, ut tecum hæc confundam in nostro conceptu. Attende enim, quam hæc sint inter se similia. Tu solitus es ab infantia nihil, quod ante mundum fuit, imaginari, ut immensum aliquod spatium, idemque adeo nunc aliquando accidit: idem mihi plane evenit, cum de nihilo extra mundum cogito. Illa imaginatio falsa est, & ex inveterato errore orta; nihil videlicet esse spatiosum: idem de hac imaginatione dico. Non sequitur: imaginari non possum, nihil esse extra mundum; ergo mundus duratione indefinitus est; pariter nego sequi, imaginari non possum, nihil esse extra mundum; ergo mundus indefinitus est extensione. Nihil fuisse ante principium Mosaicum, quamquam imaginari nequeamus, concipere tamen possumus? ita, licet imaginari non possim, nihil esse extra mundum, concipere tamen possum.* Hæc ille. Quæ ad locum, nescio quem metaphysicum applicare proclive erit. Confer infra ad h. m. judicantem ipsum *Crusium* p. 229.

finitum poni deberet; neque enim posset ulla dari vel fingi ratio, cur, cum omnia totius universi spacia mensurabilia essent & terminabilia, spacium, quod extra universum esset, intellectu saltem terminari & mensurari non posset. *De divisione puncti in infinitum* nuper etiam aliqua scripsi, ex quibus an perfecte mentem meam assecutus sis, nescio. Distinguo ego potentiam eam, quæ jam est quasi gradus aliquis ad certum actum vi causæ alicujus, a quo actus iste dependet, a potentia illa, quæ adhuc est in contradictione posita ob infinitam & indeterminatam vim causæ suæ; nam in causa certa & determinata etiam potentia actus alicujus ad ipsum actum magis est determinata, quam extra & ante causam, a cujus virtute actus talis aliquis dependet: sit γ. potentia in causæ certæ virtute, a quo actus potentiæ istius determinate, & suo modo necessario dependet, posita: β. eadem potentia extra causæ determinatæ virtutem posita: δ. ejus potentiæ actus: α. causa illius actus determinata, cujus virtute potentia emergit in actum. Dico igitur actum δ. quantus si est, ex punctis indivisibilibus constare iisque finitis; hoc probo primo, quia quantitas finita actu non potest ex partibus actus sui (qualescunque illæ tandem fingantur) infinitis componi; non enim quicquam finiri potest, nisi per partes suas, quæ vel in ipso determinatæ ac per certam divisionis rationem jam finitæ esse cernuntur, vel aliqua ratione actu determinari ac per divisionem finiri ac designari possunt. Deinde per inductionem, quod ad sensum etiam non possit ulla divisio actus alicujus dari, quæ in infinitas partes abeat, sed necessario in uno indivisibili quiescit & cessat: quæ experientia sensualis non potest melius & commodius ostendi, quam in circulari ambitu, in quo varii alii minores ponuntur usque ad minimum prope centrum: in tali ambitu dico primo decrementum circulorum fieri secundum minima, & tamen non in infinitum excurrere, sed necessario in centrum tanquam punctum unicum & indivisibile desinere, quod punctum est minima indivisibilis pars omnium eorum, qui circa ipsum vel describuntur vel describi possunt, circulorum, utut nec dici nec monstrari queat, quot talia puncta sive partes indivisibiles in circulo aliquo dentur & contineantur, quia tamen conus, qui a circulo aliquo quantocunque tanquam basi exurgit, non in infinitum abit, sed necessario in tale punctum indivisibile desinet, certum est talium indivisibilium numerum in basi se habere, ut numerum certum finitum ad apicem tanquam unitatem, adeoque proportionem certam inter apicem tanquam unitatem & basin tanquam numerum intercedere, & propterea non posse esse in basi infinitas

tales

tales indivisibiles unitates sive puncta indivisibilia. Deinde, si communem divisorem lineam e centro extendo, per multos minores intermedios circulos ad aliquem a centro valde remotum & amplissimum circulum, & extremitatem divisoris, quæ in circulum istum extimum desinit, per aliquam particulam peripheriæ sensibilem sensibiliter moveo, eodem tempore in proximo circello prope centrum nullus fit motus, sed actualis est quies: & propterea non sunt tot indivisibilia in circulis minoribus prope centrum, quot sunt in majoribus & remotioribus a centro; ergo differunt numeri indivisibilium in circulis minoribus & majoribus: si differunt, etiam finiti sunt. Hæc est mea demonstratio, qua probo, non dari indivisibilia actu infinita, sed finita in quovis quanto divisibili finito. Contra eam insurgunt illi, qui ex infinitis indivisibilibus quodvis quantum componunt (eos enim, qui nullum quantum ex indivisibilibus sive finitis sive infinitis constare asserunt, hic non moror; quia manifestum est, omne, quod dividitur, dividi in partes, quæ vel simpliciter 210 vel certa ratione indivisibiles sunt: quæ certa ratione indivisibiles sunt, secundum alias rationes actus sui dividi possunt, usque dum perveniatur ad partes actu simpliciter indivisibiles, quæ ultimus terminus sunt omnis finiti actus & rationum divisibilitatis omnium, quæcunque in eo concipi possunt.) Illi, inquam, qui ex infinitis indivisibilibus omne quantum componunt, dupliciter contra demonstrationem meam insurgunt, primo absurdum ex conclusione mea eliciendo, dicunt enim, indivisibile quod actu esse pono, si non est quantum, ne esse quidem, eo quod imposibile sit, esse aliquid materiatum, & non esse quantum: ita igitur concludunt: Quicquid non est quantum, non est materiatum: punctum non est quantum: ergo, non est materiatum; absurdum autem est, ut quantum aliquod sit materiatum, & tamen non ex materiatis componatur. Sed respondeo, majorem veram esse de rebus, ut actu perfecto existentibus, non vero, ut se habent in proxima causæ suæ potentia, antequam in actum perfectum emerserunt: sic enim necessum non est, ut actus ipsorum a divisibili primo incipiat, sed potest initium ejus fieri ab indivisibili, quod, etsi sub sensum non cadat, cadit tamen sub intellectum: quapropter etiam ipsa actualis & sensibilis alicujus quanti divisio nunquam ad ipsum indivisibile ita pervenit, ut id ipsum actu ita sistat, ut sensu usurpari possit; naturam vero ad id non posse pertingere, falsum est, cum manifestum sit, intellectum ad ipsum indivisibile necessario & ratione certissima pervenire. Quapropter nihil 211

abſurdi eſt, ſi dicatur punctum vel particulam minimam actus quanti, etſi non ſit quanta, eſſe tamen materiatam, quia materiatum eſſe, & quantum eſſe, non eatenus neceſſario cohærent, quatenus ante actum perfectum res aliqua, quæ ex materia certa fit, ad actum perfectum tendit, & eſt in motu ac fieri, ſed quatenus jam actu perfecto exiſtit & facta eſt; materia etiam ipſius Ariſtotelis teſtimonio, quatenus materia quanta non eſt, ſed quatenus actum ſive formam certam habet. Nec obſtat, quod ſenſus iſta capere nequeat, quia intellectus tantum prima actus cujuſcunque principia conſpicere & comprehendere poteſt, non ſenſus; quemadmodum etiam ab intellectuali cauſa omnium rerum actus primo dependet, ſenſui vero tantum id, quod ex principiis certis quacunque ratione jam conſtitutum & compoſitum eſt, ſubjectum eſt, ut ab eo comprehendi ac dijudicari queat. Nec tamen ob id ſequetur, in quanto actu exiſtente nullum omnino punctum indiviſibile exiſtere, adeoque nec quantum in certa & finita puncta dividi poſſe: quia, etſi punctum indiviſibile in quanto non exiſtat ut punctum, ſecundum rationem indiviſibilitatis ſuæ a reliquis ſeparabile, adeoque nulla ſen-212 ſibili & artificiali diviſione ad ipſum perveniri poſſit, exiſtit tamen ut terminus primus & ultimus, a quo incipit, & in quem deſinit intellectualis & naturalis diviſio ipſius actus e potentia ſua emergentis, ſecundum quos terminos ut a natura & intellectu ipſe actus completus quanti conſtitutus eſt, ita etiam in eoſdem a nonnullo, niſi a natura & intellectu, iterum reſolvi ac dividi poteſt; atque hoc ipſum ſufficit ad erroris coarguendum iſtos, qui exiſtimant, omne quantum eſſe diviſibile in infinitum ſimpliciter: fieri enim nequit, ut ulla diviſio in minores particulas fiat, quam in puncta illa indiviſibilia, ſecundum quæ actus aliquis quantus ab intellectu ſive natura dividi poteſt: inter iſta vero puncta & actum totum ipſius quanti infinitas ſenſibiles particulas intervenire impoſſibile eſt: quia, etiamſi diviſio ſenſibilis ad indiviſibile ipſum proxime pertingere nequeat, tamen non longe ab indiviſibili ſubtiliſſima illa, quæ cogitari & ad quam facile pertingi poteſt, ſenſibilis diviſio neceſſario ceſſat, nec poteſt ullo modo in dividendo ulterior progreſſus actu fieri: quare neceſſario, antequam ad indiviſibile ipſum perveniat, diviſio omnis finitur, adeoque non in infinitum procedit: etiamſi non in ipſo indiviſibili vel proxime ante ipſum finiatur. Atque hoc ipſum in cauſa eſt, cur humanus intellectus naturales rerum productiones ſine præſuppo-213 ſitis cauſis naturalibus facto imitari nequeat: ſi enim per ſenſibiles

ſuas

suas operationes ad indivisibile actus alicujus pertingere posset, esset jam naturæ & Deo ipsi similis a) in producendis rebus multis, quas nunc per artem aliquo modo imitatur. Dividitur igitur quantum in infinitum non simpliciter, sed respective; quatenus scilicet nullus certus vel divisionum sensibilium terminus, vel particularis, in quos actus quantus sensibiliter dividi possit, numerus assignari potest. Alterum quod contra demonstrationem meam adferunt illi, qui omne quantum simpliciter in infinitum divisibile statuunt, est instantia illa de linea e centro in infinitum per infinitos circulos, quorum remotior a centro semper est major propiore, extensa, in qua dicunt, si moveatur pars altera, videlicet extima, semper respondere motum etiam actualem in parte altera proxima centro: jam vero a parte extima numerus punctorum sensibiliter etiam minimorum augeri potest in infinitum, ita, ut infinitis in extima peripheria punctis unicum in circello proxime centrum respondeat punctum æquale: pars igitur lineæ extima per infinita illa puncta mota, eodem tempore simul movebi-

a) Ita profecto est. Etenim ut multa occurrunt in universæ philosophiæ ambitu, quæ *mysteria naturalia* appellantur haud injuria; ea nimirum, in quibus hucusque vano conatu exacte evolvendis periclitata est omnis, hominum quorumcunque etiam acutissimorum, sagacitas: cujusmodi sunt genuina *substantiæ*, non negantibus tantum, sed aliquid reapse ponentibus atque affirmantibus, vocabulis constans, *definitio & idea*, *magnetis* item cum ferro *conjunctio* & quasi attracti ad illud, ut videtur, seu appulsi potius, cum multiplici varietate, (præsertim ubi ad *Polos* inclinatur *acus magnetica*) applicatio, inque moralibus, principii *Juris Naturæ* universalis dilucidi & ad omnes actus congruentis perspicue, *determinatio*, aliaq; consimilia. Sic hæc quoque de *puncti divisione in infinitum* non alius est generis. Quamvis enim sensui tandem otia faciat ipsa tenuitas & exilitas, ut *Crusius* recte observavit; habet tamen semper intellectus, phantasia, ut fit, in hisce præsertim corporeis rebus plus justo negotiosa, utens & vix ab ea liberandus, quod tanquam divisibile amplius sibi repræsentet. Idque, quando fit, non solum hac nostra imbecillitate perquam luculenta, quanta sit *distantia* inter *nihilum* & *aliquid* demonstratur; sed etiam hac ipsa infinita differentia, quam simus inepti, ad producendum aliquid ex nihilo, palam fit; quoniam ne mente quidem & cogitatione, *quo pacto aliquid in nihilum redigi queat*, quod facilius esse videbatur, concipere possumus. Quæ sine dubio causa est, cur imaginationem tantopere cum intellectu connecti passus sit Deus ter Opt. M. Ea videlicet, ut dilucidius hæc exponam, de causa id factum, quo nostra etiam in cogitando infirmitate h. m. manifestata, tanto circumspectius nunquam non judicemus, & cumprimis *modestius de nobis*, *magnifice* autem *de Deo* ejusque potentia & majestate sentiamus. Quid enim proclivius est, quam si *ne corporis quidem rationes indagare* plenius possis, ut aqua subinde hæreat, ubi *de Spiritu & substantia præsertim infinita* perfectione prædita, & cæteris cunctis præcellente disquisitio instituitur, ultra crepidam haud sapere, sed pedem referre, idq; officii nostri esse, constanter existimare.

vebitur in circulo proxime centrum per unicum tantum punctum, & sic unicum sensibiliter minimum punctum in infinita alia puncta dividet, eo, quod necessum sit motui per punctum unum in extima periphe-ria respondere motum aliquem in puncto unico circelli ejus, qui est centro proximus: atq; ita negant id, quod in inductione mea dixi posse

214 fieri, ut mota lineæ talis extima parte in parte illa, quæ centro proxima est, nullus fiat motus, sed inquieti actuali certa motus potentia tantum, vel potentiæ ipsius motus superiori & exteriori motui respondeat. Hic dico, manifestam ipsos negare experientiam, & id, quod asserunt, nulla omnino ratione, nec ulla inductione monstrare posse, quales as-sertiones in ipso Aristotele teste (8. physic.1.text.15.) fidem non meren-tur. De experientia nullum est dubium; neque enim in motu loca-li id tantum manifestum est, quod dico, (posse scilicet in uno continuo subjecto secundum unam extremitatem certum esse actum, cujus actus potentia tantum in opposita extremitate deprehendatur) sed in omni generatione: videmus enim non uno tempore, totum gene-rabile actum suum consequi; sed antequam totum in actum emergat, per tempus aliquod parti actuatæ respondere in continua materia tan-quam subjecto ab opposita parte motam actus illius potentiam. Et ratio manifestissima a parte mea stat: quia negare illi saltem non pos-sunt, tanto tardiorem esse motum illum prope centrum, qui celerio-ri motui a parte opposita eodem tempore respondet, quanto celerior est motus oppositus, qui eodem tempore per extimam peripheriam proportione interioribus respondentem fertur: jam vero celerior motus non potest fieri tardior, nisi propter immistionem contrarii, sci-

215 licet quietis, quemadmodum lux splendidior non potest fieri obscu-rior, nisi per immistionem contrariam tenebrarum, & calor validior non potest fieri debilior, nisi per immistionem contrarii frigoris: quantum igitur celeritas motus decrescit, tantum actus sive præsen-tia quietis augetur: decrementum vero motus fieri nequit in infi-tum, etsi forte incrementum ejus in infinitum fieri queat; quia in omni mistione contrarii quantitas in tantum imminui & quidem fa-cillime potest, ut plane nullam ad contrarium amplius habeat pro-portionem, sed præ illo evanescat, sicut gutta vini in totum lacum aquæ immista. Sit enim *a.* motus certus in peripheria *c.* per magnum ali-quod intervallum, ut 1000. gradus a centro proxima peripheria *d.* re-mota existens, a cujus virtute dependeat motus imminutus *b.* in peri-pheria *d.* proxima centro, qui se ad quietem sibi admistam habeat, ut 1. ad 1000.

ad 10000. jam idem motus *a* removeatur e peripheria *c.* in aliam longe remotiſſimam, verbi gratia per 1000000000. gradus a *c.* verſus extimam peripheriam; manifeſtum eſt motum *b.* in peripheria *d.* penitus evaneſcere, & ad tranſpoſitionem cauſæ ſuæ *a.* ipſum etiam tranſponi, e peripheria *d.* in aliam ab hac per 1000000000. gradus remotam, & in peripheria *d.* non poſſe ullum motus eſſe actum, niſi ſolam eamque valde remotam potentiam motus prioris *b.* actu vero meram eſſe quietem. Hinc jam eluceſcit, quomodo ego intelligam id, cum dico potentiam eſſe in infinitum diviſibilem, non actum; videlicet quanto longius ipſius actus *b.* cauſa, nempe actus *a.* a loco efficaciæ ſuæ *c.* removetur, tanto minor fit potentia actus *b.* in loco *d.* id *a.* poteſt fieri in infinitum: ergo in infinitum etiam potentia *b.* decreſcit, nec unquam ad minimam potentiam devenitur. Ex quo ſequitur aliud, nimirum ſecundum ſupra in initio demonſtrationis meæ poſitam deſignationem, potentiam γ. per infinitum intervallum abeſſe a potentia β. quia præſuppoſita cauſa α. per quantumcunque intervallum ad remotionem ipſius cauſæ α. a tempore vel loco efficaciæ ſuæ removeatur, etiam γ. ab actu ſuo δ. nunquam tamen per tantum intervallum aberit ab actu ſuo δ. per quantum abeſt β. ab eodem actu δ. nam potentia β. eſt in contradictione adhuc poſita, propter abſentiam cauſæ determinatæ, non tamen penitus impoſſibilis propter præſuppoſitam cauſam licet infinitam & indeterminatam, ad ejus tamen actum determinari non repugnantem; ipſa vero potentia γ. propter præſuppoſitam & determinatam cauſam α certa ratione ad actum etiam ſuum δ. eſt determinata: ut igitur ſe habet β ad γ. ita ſe habet facultas libera ad facultatem ad certum actum determinatam, id eſt, infinitis modis facultas libera excellit facultatem ad certum actum determinatam, eaque ſuperior eſt: ergo infinitis modis vita potior & melior eſt morte, ens non ente: quam enim rationem habet libertas ad neceſſitatem, eandem vita ad mortem, ens ad non ens (liceat ita jam luxuriare in tam aperto & libero jucundæ hujus ſpeculationis campo.) Non igitur mirum etiam ſit, longe aliam eſſe rationem agentis liberi, eamque talem, quæ nullo modo comparanda ſit cum ratione agentis neceſſarii, cum inter conditiones eorum infinitum interſit intervallum: ita longe aliam eſſe rationem entis æterni & per ſe abſolute exiſtentis, & aliam entis ex non ente producti & facti, & quidem e potentia β. id eſt, tali, quæ in contradictione fuit poſita. Hæc propter illa, quæ mox uberius diſcuſſurus ſum, hoc loco prælibare volui, tanquam talia, quæ

216

217

nullo ſenſu, ſed ſolo intellectu perceptibilia ſunt, &, licet non queant cuivis penitus perſuaderi, a nullo tamen etiam, quod veritas eorum impoſſibilis ſit, oſtendi poteſt. Atque ita exiſtimo, ad alteram etiam adverſariorum meorum objectionem me ſufficientisſime reſpondiſſe, adeoque difficultatem illam, quam in tempora Eliæ differendam arbitrabaris, per Dei gratiam & auxilium hodie prorſus ſuſtuliſſe: Hic jam ad alia epiſtolæ tuæ capita eo ordine, quo ſequuntur, transeundum eſſet, ſed quia illæ, quas ultimo loco tractas, difficultates, ex his, quæ modo explicata ſunt, magnam accipiunt lucem, earum enodationem hic ſubjungam. 218 *Argumentum Ariſtotelis pro æternitate mundi*, quod ego maximi roboris eſſe exiſtimavi, a) tale eſt: In omni motu conveniunt movens, motus & mobile: motus eſt actus mobilis, quatenus talis: ideoque mobile, cum potentia ſit mobile, ut moveatur, requirit moventem: cum motum actum ſcilicet ſuum in ſeipſo non habeat, nec a ſeipſo conſequi poſſit, licet potentiam, ut moveri poſſit, habeat: quando igitur motus oritur in eo, quod antea non movebatur, non ab ipſo mobili aut ipſius mobilis natura, ſed ab extrinſeco agente

a) Nec mirum; cum ipſa Sacra S. *mundum ex nihilo eſſe factum* (quod ad comma 1. reſpiciens Paullus μὴ φαινόμενα appellat, Hebr XI, 3.) credendum eſſe, & per fidem id innoteſcere divinæ revelationi innitentem, ajat: non tantum, qua circumſtantias, de quibus Moyſes exponit uberius, ſed, ut ipſe etiam conditus (ut factus) non aliunde cognoſcatur. Hoc equidem non neſcit ratio, ſi genuinam ſibi de Deo formet aut formatam inſitamque non deformet ideam, dependere a Deo, tanquam cauſa efficiente, mundum omnino omnem, at vero utrum *ab æterno*, cum Deo, licet ab eo dependenter, exſtiterit, ignorat, imo ad affirmantem, ſicut plerique *Græcorum Philoſophi* etiam arbitrabantur, potius propendet, *Ariſtotelis* in modum, aſſerendam ſententiam. Id quod etiam tantum abeſt, ut abhorreat a philoſophiæ ſibi indulgentis ſpeculationibus, ut recentisſimi conatus, qui tantos in Eccleſia quoque motus nuperrime excitarunt, eo tandem abeant, ſoloque *eſſentiæ* & *exiſtentiæ* diſcrimine, utcunque revelationi cum ratione conciliandæ adminiculum aliquod excogitatum ſit. Quod ipſum tamen, utrum a *Platonis* præſertim priſca opinione, etſi *poſſibilium* nomine iſtius appellentur, ipſaque adeo *æternitate reali mundi* longe abſit, aliis dijudicandum permitto, & hactenus paucis, quorſum ratio, poſt triſtem ſapientiæ primæ jacturam nos abripiat, oſtendiſſe, ſatis habeo. Aliter namque revelationem inprimis vero Apoc. cap. IV. ult. nos inſtruere, & de *voluntate Dei* meliora atque ſaniora, quam ratio corrupta condocet, explanate tradere certi ſumus. Cui proinde etiam tutius, quam inanibus illis contemplationibus, *mathematico* licet *ſyrmate & pigmento* exornatis, inhæremus, auſusque philoſophiæ petulanter in divinis rebus luxuriantis, ſi modeſte proferantur, pio contemtu ridemus, ſi vero longius, quam par eſt, illa procedat, & τὸ ὑπερφρονεῖν ſuperbe & ſuperciliose prodat, etiam cum lacrymis dolemus, priſtinaque Philoſophorum Græcorum in Theologia naturali valde φορτικὰ σκέμματα, ne per poſticum denuo in ipſam eccleſiam admittantur, metuimus.

agente principium actus istius dependet, quia actus præsupponit agentem, quod agens esse non potest id, in quod actus introduci debet. Atque hoc ita per se manifestum est. Jam in omni re, etiam ea, quæ seipsam movere dicitur, id, quod movet, distinctum est ab eo, quod movetur, saltem ut pars a parte: pars, quæ movet, aut semper movet, adeoque ab æterno in æternum, nec potest non movere, cum natura ejus sit actus iste movendi, adeoque ei per se insit, & non potest non inesse: aut non semper movet. Si non semper; igitur, cum movet, aliquando non movit, & potest etiam non movere, adeoque, cum movet, per accidens movet, & non ex sua natura, ac per se: unde actus iste movendi non a substantia ejus, tanquam subjecto proprio ac per se istius affectionis sive actus, sed ab externa natura, sive principio primo ac per se dependet. Quapropter motus simpliciter sumpti principium primum non in tali motore, quod non per se, sed per accidens movet, est quærendum; sed in eo, quod per se movet, adeoque quod ab æterno & in æternum movet. Quocirca cùm motus detur, necessum est dari motorem, eumque æternum ab æterno & in æternum moventem. In hac collectione nihil video, quod non sit magni roboris: nam quod contra effatum Aristotelis, nihil, quod movetur, a se ipso movetur, instantiæ loco adfers causas voluntarias & liberas, non directe respondes: quia instantia tua non ferit Aristotelis principium, quod est, nullum subjectum, quod modo movet, modo non movet, esse subjectum per se istius actus, quo alterum mobile movet, sed conclusionem tantum, si igitur ostenderis, subjectum unum idemque per se & propriam suam naturam posse sibi ipsi secundum unam eandemque substantiæ suæ partem causam esse actus certi, qui antea in potentia tantum & non actu in natura ejus fuerit, nihil instantia tua Aristotelem movebit: elidit enim eam Aristoteles, dicendo, etiam id, quod in voluntaria causa movet, non movere, nisi motum ab externo movente, quatenus scilicet appetitus ab externo objecto movetur, ab appetitu vero organa appetitu inservientia. Si vero regeras, facultatem seu formam internam esse causam per se cujuscunque motus, negabit, facultatem illam esse causam motus ab ipsa dependentis, nisi ab externo movente certa ratione antea motam & actuatam, & propterea non motum ipsum sive actum, sed facultatem tantum sive potentiam ad motum certum per se ejusmodi subjecto inesse, ut scilicet ab externo principio certa ratione prius motum deinde convenienti modo movere possit ea, quæ ipsi proportionata sunt, mobilia. Neque

219

220

que juvat hic confugere ad compositionem sive in Deo, sive in alia quacunque re: quia Aristoteles admittere eam facile potest, & tamen argumentum ejus firmum manet; sumatur enim Deus compositus: ergo pars una in Deo movebit alteram: de illa vero parte, quæ movet, quæstio manet, an ea ab æterno in æternum moveat: an vero aliquando movere cœperit, cum antea non moveret? si ab æterno movit, habet Aristoteles, quod voluit: si non ab æterno, quæritur, unde pars illa actum istum movendi acceperit, cum antea non haberet? non a seipsa, quia actum istum non habuit, sed solam potentiam: id vero, quod in potentia est, sibi ipsi actus causa esse nequit; quomodo enim potentia seipsam actuaret, cum id, quod actuat, actu existat, quod vero est in potentia, nondum sit, sed esse possit? non ab alia priore causa, quia ipsa prima simul & simplicissima causa movens sive subjectum proprium & per se actus movendi ponitur. Quare necessum est, sive primum motorem simplicem sive compositum statuas, id, quod in ipso prima motus est causa, ab æterno & in æternum movere. Nihil igitur proderit etiam negare, quod, quicquid movetur, ab alio moveatur, quamdiu principium istud firmum stat, quod actus in subjecto aliquo, qui, cum non esset, esse cœpit, non possit ab ipsius subjecti propria natura tanquam principio primo & per se dependere, sed necessario externum actuationis & existentiæ suæ principium requirat, a quo tanquam effectus a causa sua per se dependeat, & actum eum, quem deinde habet, accipiat. Unde omnes causæ efficientes, respectu primæ causæ, per accidens tantum agunt: solus vero primus motor per se agit: quod tamen in secundis etiam causis distinguantur causæ per se a causis per accidens, fit istud, non quod illæ causæ simpliciter sint per se effectus sui causæ, sed in respectu ad eas, quæ per accidens causæ ratione ejusdem effectus dicuntur, propterea quod effectus potiori ratione ab illis, quam ab his dependeat. Unicum auxilium restare videtur in eo, quod tu recte mones, ut negetur transitus a quiete ad motum esse mutatio talis, quæ externo agente & movente necessario indigeat: id enim saltem tanquam obscurum & non ita menti humanæ manifestum jure in dubium vocari potest, præsertim si propter ipsum admissum alia manifeste absurda & impossibilia sequantur: fieri enim potest, ut in quiete etiam is in subjecto aliquo actus, licet non adeo manifestus & evidens ut in motu ipso adsit, qui causa esse possit per se & prima motus illius in eodem subjecto, qui antea præsente quiete non erat: ut ita non sit necessum statuere, motu quocunque post

post quietem in subjecto aliquo succedente, factam esse ipsius subjecti mutationem, quod ad ipsum existendi ejus actum internum, sed sufficiat, esse factam mutationem aliquam secundum modum & rationem existentiæ ipsius externam, & quæ non sit de ipsius subjecti essentia. Hanc ego responsionem cum antea clare non viderem, merito anxie de solutione argumenti istius sollicitus fui; videbam enim non facile ullam responsionem contra id locum habere posse, nisi a posteriori ex conclusione Aristotelica manifesta absurda eliceremus, & eo ipso aliquam ex præmissis ejus jure dubiam & obscuram efficeremus, quæ alias nec obscura nec dubia primo intuitu videretur. Jam vero per Dei gratiam & auxilium certus sum, Aristotelem intellectus naturam neq; in homine (cujus intellectum passibilem appellat) neque in Deo (quem intellectum agentem nuncupare videtur) penitus perspexisse: est in omni mente, eo ipso quod mens est, & intellectum habet, actus talis, qui potentiam habet infinitam, quæ tamen tota per eum, qui in mentis natura, quatenus mens est, sive καθόλȣ πρώτως * præsupponitur, actum tanquam causam primam & per se actuari potest; quæ potentiæ variæ, 223 quando actuantur per dictum primum mentis actum, causæ fiunt proximæ & per se variorum motuum tam circa proprium suum subjectum, quam circa alia externa objecta: propterea falsum jam est Aristotelis principium, quod nullum subjectum, quod modo movet, modo non movet, sit subjectum per se istius actus, quo alterum mobile movet: nam mens, ut modo dictum, & subjectum est certi motus, qui in ipsa antea non extitit, & simul certa ratione per eum, qui in ipsa necessario præexistit, actum causa est prima & per se ejusdem motus, qui antea tantum potentialiter in mente inerat; in quo ipso libertatis ejus causa manifesta fit, dum diversa ratione sibi ipsi certi actus causa existit. De mentis natura id, quod dixi, dubium esse nemini potest, (quanquam contra Aristotelem sufficiat nobis, fieri posse, ut mentis natura ita se habeat, & quod nec ipse nec alius quisquam, id impossibile esse, ullo manifesto principio demonstrare queat) qui modo quid in mente fiat, dum intelligit, prope attenderit: potest enim mens, etiamsi nullum extra ipsam objectum offeratur, per se objectum, sive id, quod antea in ipsa actuatum est ab objecto externo, sive aliud, ad analogiam earum, quas olim cognovit, rerum per eam facultatem, quam phantasiam sive imaginativam vocant, sibi repræsentare vel fingere: qui actus infinitos alios actus per rationes, quæ in ipso sunt intelligibiles, 224 dum

* In genere primario.

dum mens eas intuetur, in mentis potentia excitat; qui excitati variorum in homine aliorum etiam extra mentis ſubjectum emanantium motuum fiunt cauſæ. Hæc fiunt in mente hominis, quæ tamen obſcuram quandam, quantum ad vim ejus activam attinet, analogiam cum mente divina habet: quanto igitur perfectiora iſta ſunt omnia in mente divina, quæ ſecundum excellentisſimam & perfectisſimam rationem activa eſt, cujus potentia ſecundum excellentisſimam rationem infinita eſt, & cujus actus ipſe infinitus eſt & incomprehenſibilis. De intellectus tam divini quam humani natura plura contra Ariſtotelem a me per hos dies conſignata & delineata ſunt, quæ longum eſſet hic transſcribere, præſertim cum ea ad præſentem meam intentionem ſupervacua forent: puto, te ex dictis jam ſatis perſpicere, palmarium Ariſtotelis axioma hoc pacto manifeſte everſum, & ad ſubjecta intellectu carentia a) facultatesque naturales ac neceſſarios reſtrictum eſſe, ſi modo in iis etiam omnimode verum ſit: hoc facto nihil eſt, ut a reliquis ejus aut hypotheſibus aut inductionibus amplius quicquam metuamus: ex ipſa enim intellectus, quam antea explicavi, natura patet, quomodo ſecundum optimam rationem mundus, cum antea nullo modo exiſteret, poſtea ſecundum omnes ſuas rationes a Deo fieri potuerit; & quod Deus ad hoc, ut mundum, quem antea non [225] crearat, poſtea crearet, nullo opus habuerit alio priore movente, præterquam ſeipſo, tanquam æterna mente, cujus actus ab æterno præexiſtens & infinitus liberrime ſe habet ad omnis potentiæ ſuæ actuationem, ad quam nullo modo determinatus eſt, nec determinari ab ulla alia cauſa poteſt, præterquam a ſeipſo. b) Et hic non opus eſt amplius,

a) Nec poterat fere aliter ſentire *Ariſtoteles*; quoniam Deum, perinde ut inferiores intelligentias, tantum in *rotando* orbe, atque hoc modo mechanice videlicet, gubernando occupatum eſſe credidit, & totum mundum inſtar machinæ eſſe, quæ tot ſphæris conſtet, quot intelligentiæ præſiderent, quibus prima illa, primum mobile circumvolvens, præſit omnibus, easque communi motu agitet, ſibi confinxit, mechanicisque adeo legibus eum prorſus ſubjecit.

b) Et quidem, qua initium exiſtentiæ atque modum & menſuram cujusque rei, quæ & ipſæ, ratione *eſſentiæ*, ut *Apocalypſis* l. c. loquitur, ex ſola libera determinatione ortæ ſunt. Nihil certe Deo indignum magis eſt, quam eſſentias utcunque neceſſarias, ante determinationem Dei, cuique rei etiam naturam ſuam libere aſſignantis, ſive *poſſibilium* nomine ſive *idearum* titulo, ſive alia qualicunque ratione, aut vocabulo excogitato effingere; utpote quas hoc modo deſcriptas non potuiſſet non Deus ex naturarum jam *per ſe* determinatarum rationibus producere. Neque aliunde hæc perſuaſio periculoſa orta eſt, quam ex præſenti rerum natura, ſic ut nunc eſt, jam condita ac determinata. Ex qua tamen non niſi *hypothetica* neceſſitas

plius, ut absurdis a posteriori Aristotelem urgeamus, cum a priori jam sufficienter, ut existimo, manifesti erroris convinci queat. Nunc venio ad illam, qua ego non credo majorem esse in omni philosophia, difficultatem, & ad cujus solutionem atque enodationem tu singulari quasi præmio proposito me invitas: dicis enim, te id loco singularis beneficii a me suscepturum, & me tibi Apollinis loco futurum, si eam solvero: titulum quidem hunc ego non magni æstimo, ad singulare vero beneficium in te, si quod possim, conferendum me multis modis obstrictum esse scio. Quapropter singulari cura tum propter te, tum potissimum propter veritatis ipsius causam, quæ mihi longe charissima & pretiosissima est, rem hanc diligentissime expendi, ne hac in parte, in qua veritatis analogia maxime, contra hostes suos, qui nihil ita vehementer quam ipsam absurditatis alicujus ream agere desiderant, vacillare videbatur, vel a veritate desertus vel ipse veritatem deseruisse viderer. Demonstratio itaque mea, qua ostendo, omnium generabilium generationem cœpisse, quam firmam esse scio, & in qua immotus persisto, talis est: Omnis numerus, quia finitus est, ab unitate incipit, & in eam resolvitur: Collectio rerum generalium omnium, quæ actu extiterunt, est numerus: ergo ab unitate incepit, & in eam resolvi potest: adeoque infinita esse nequit. Major certissima est, quia imposibile est, dari numerum actu infinitum; nam eo ipso, quod numerus est, finitus est, cum numerus non posit esse numerus, nisi sit unitatum certarum sub una communi ratione comprehensio; infinitarum vero unitatum nulla potest esse communis ratio. De minore nemo dubitat, nisi qui nescit, omne ens, quod actu sive est sive fuit, unum esse; nam talium unitatum collectio & sub communi ratione comprehensio est numerus, quæ comprehensio tam est possibilis, quam imposibile est, ullum, quod in generabilibus actu existit, ulla ratione esse infinitum, ex finitis vero quod componitur, nullo modo potest ipsum esse infinitum. Contra hanc demonstrationem instant Peripatetici, tempusque sub majore mea subsumunt, dicentes, collectionem partium temporis, in quas ipsum resolvi potest, esse numerum: tempus vero nunquam cœpisse. At ego exposito temporis physici (neque enim de alio instantiam accipio, cum ea ex eodem rerum genere

226

huic factæ jam determinationi innixa, nascitur: qua tamen posita absolute aliter eas esse potuisse, si voluisset Numen Optimum aliter naturas etiam singulas determinare, comparatas esse non negatur. Perinde uti de *actionibus* hominum *per se bonis malisque* prudentiores philosophi disputant.

nere ſumi debeat, de quo etiam propoſitio mea loquitur) expoſito, inquam, temporis phyſici initio nullum omnino abſurdum ſequi video, 227 ex negato, id, quod dixi, manifeſtum abſurdum, & ex eo dependentia alia multa inevitabili neceſſitate ſequuntur. Contra hanc meam aſſertionem inſurgit primum Ariſtoteles, qui 8. phyſ. c. 1. t. 11. tempus ex eo initium non habere oſtendit, quod non poſſit concipi mente tempus illud, ante quod aliud non ſit neceſſum intelligi, ut ita ipſum nunc ſive τὸ νῦν * neceſſario ſemper & principium ſit temporis futuri & finis præteriti: quod in partibus temporis phyſici ita ſe habere concedo, quemadmodum in linea materiali puncta indiviſibilia intermedia & principium ſunt partis ſequentis & finis præcedentis, ſed quemadmodum non ſequitur, propterea lineam non eſſe infinitam, ita nec tempus: quia, ut linea habet unum punctum, quod tantum eſt principium & non finis, & punctum, quod tantum eſt finis, & non principium, ſcilicet ubi cum linea alterius generis continuatur: ita etiam tempus habere aliquod νῦν, quod tantum eſt principium & non finis, nihil prohibet, ſcilicet ab ea parte, ubi cum alio rerum genere, divinæ ſcilicet & hyperphyſicæ durationis a) tempore continuatur. Hæc reſponſio nullo modo everti poteſt, quia nullo modo oſtendi poteſt, id, quod dixi, impoſſibile eſſe, etſi veritas dictorum difficulter intelligi, & mente comprehendi queat. Ut igitur res clarior evadat, duo, quæ hic objici recte poſſunt, accuratius excutiam. Primum eſt, 228 quod intellectus humanus nullum aliud temporis genus ullo modo comprehendere poſſe videtur, quam id, quod phyſicum appello, & quod Ariſtoteles recte per menſuram motus definit, quodque in menſes & annos dividi aptum eſt. Sed ſciendum hic, primo durationis genus

* Nunc.

a) Male ad hanc divinam durationem temporis vocabulum applicatur, niſi ad *coexiſtentiam* forte temporis, continuæ & indiviſibilis æternitatis perfectionem referas. Brevius alii ita rem omnem enunciant, ut in æternitate proprie ſic dicta non tantum *initii & finis*, *quæ* deſint, aut *abſint*, potius rationem habeant, ſed etiam *nec habere* eam *poſſe* obſervent, & quod præcipuum eſt, illum ex conſtanti *ejusmodi* exiſtentia æſtiment, quæ omnem *internam exiſtentiæ momentorum* (ubi cetera creata videlicet, ſingulis momentis temporis loco nihili *quaſi de novo* ponantur a Deo) *ſucceſſionem* excludat. Quæ utut vix concipi a mente noſtra *finita* poſſint; tamen artificioſe & compendioſe, vocabulo notabili *hodie*, eaque exiſtentia, *ubi unus dies mille annis reſpondeat*, & pluribus etiam par ſit, Spiritus S. expreſſit. De difficultate talem concipiendi animo exiſtentiam ipſe *Cruſius* docte f. 229. ſqq. hujus Epiſt. differit: etſi non diſtincte, quæ ſit differentia *temporis* & *æternitatis*, ab *ævo* quoque *exiſtentiaque ab æterno*, ſi qua ſit, diſcernenda, explanaverit.

genus etiam hyperphyſicum non omnino & ſecundum omnem rationem ab intellectu humano capi non poſſe; ſcit enim mens humana, tale durationis genus neceſſario eſſe, propter illa, quæ antea a me demonſtrata ſunt, id eſt, novit τὸ ὅτι, * etiamſi τὸ τὶ ἐςι, ** propterea, quod intimam ejus rationem ſive τὸ διότι *** non agnoſcit, ignoret, nec ullo mod. ad ejus notitiam penetrare poſſit: intellectus enim humanus ſenſibilibus aſſvetus nihil eorum, quæ ſupra ſenſum omni ratione elevata ſunt, ita, ut in ſua natura & per ſe ſunt, intelligere poteſt: quia talia nullum menti phantaſma offerre apta nata ſunt; intellectus vero, dum intelligit, phantaſma ſpeculari neceſſum habet. Hoc hyperphyſicæ durationis genus ipſe etiam Ariſtoteles agnoviſſe videtur, aperte enim paſſim fatetur, æterna, quatenus talia, non eſſe in tempore, ut phyſ. 4. c. 12. text. 117. τὰ ἀεὶ ὄντα ᾗ ἀεὶ ὄντα ὐκ ἐςὶν ἐν χρόνῳ, ὐ γὰρ περιέχεται ὑπὸ τῦ χρόνυ, ὐ δὲ μετρεῖται τὸ εἶναι αὐτῶν ὑπὸ τῦ χρόνυ. **** Quod igitur mens humana, etiam ante initium temporis & durationis phyſicæ, ſimilem temporis rationem concipere affectat, facit hoc propterea, quod huic tempori, tanquam communi omnium, quæ in hoc univerſo ſunt rerum durationis rationi aſſveta eſt, nec aliud ullum durationis phantaſma novit. Idem 229 plane intellectui noſtro in loci & ſpacii, quod ens aliquod neceſſario occupat, & ſecundum quod præſens ejus actus & exiſtentia ponitur, ratione concipienda contingit: nam mens noſtra non poteſt extimam univerſi ſuperficiem concipere absque tali loco & ſpacio, quale in rebus hujus univerſi contemplari aſſveta eſt: nec minus tamen & univerſi hujus ſpacium finitum ſtatuendum, & iis, quæ extra univerſum exiſtunt, ſpacium hyperphyſicum aſſignandum eſt, niſi velimus iterum in abſurditates multas incidere. Nam etſi mens nullomodo imaginari poſſit, quomodo ſpacium, quod ſecundum omnes ſui partes ac dimenſiones menſurabile & finitum exiſtit, finitum ſit, cum naturali & conſveto ſuo ductu ſemper extra ſpacium menſurabile aliud ſpacium itidem menſurabile imaginetur, quamdiu terminos ſpacio etſi menſurabili præſcribere conatur, propterea, quod nullum intra univerſum ſpacium unquam cognovit, quod menſurabile fuiſſet, & ab alio extra ſe ſpacio comprehenſum non fuiſſet: tamen nihilominus veriſſimum eſt,

* Quod ſit, ſive exiſtentiam. ** Quid ſit, ſive eſſentiam.

*** Propter quod ſit, ſeu cauſſam.

**** Perennia ſeu æterna, quatenus ſunt æterna, non ſunt in tempore, quia non comprehenduntur a tempore, neque menſurantur eſſe ſeu duratio illorum a tempore.

omne spacium, quodcunque & quantumcunque fingatur, sive plenum sive vacuum, quod secundum tres dimensiones mensurari potest, idque secundum omnes suas partes, illud totum infinitum esse nullo modo posse: totum enim, cujus partes omnes actu simul existunt, &
230 nulla pars dari potest, quæ non sit finita & terminabilis, ipsum finitum ac terminatum sit necessum est, qualescunque etiam terminos habeat. Ita igitur in temporis etiam conceptu se res habet: etsi enim non possit mens humana principium sive terminum primum temporis physici, secundum quod universum hoc in existentia & actu suo durat ac persistit, concipere sine simili tempore extra hoc principium præsupposito, quia ipsa non est apta nata ad res hyperphysicas ac sensibus nullo modo subjectas & ipsarum existendi modum, quemadmodum is per se est, comprehendendum, nisi sub ratione rerum sensibilium analogia quadam ipsis non sensibilibus respondentium, propterea tamen, ipsorum insensibilium existendi rationem eandem esse cum rerum sensibus subjectarum & physicarum existendi ratione, aut ens actu finitis partibus constans infinitum esse, necessum non est. Intellectus enim humanus hoc tanquam certissimum & immutabile omnis veræ cognitionis principium novit, quod omne id, ex quo posito impossibile sequitur, verum esse nequeat: ideoque secundum hoc axioma, tanquam normam infallibilem, conceptus, quos propter imperfectionem ac imbecillitatem captus sui nativam rebus usquequaque congruos formare non potest, corrigere & (ut chymicorum vocabulo utar) rectificare debet: jam vero ex posito tempore physico infinito necessario contradictio
231 sequitur & impossibile, ut cuivis rem intelligenti manifestum est: tempus igitur physicum finitum esse & terminos habere necessum est. Nec est, ut quis hic dicat, quo vitetur incommodum, axioma potius nempe, quodcunque constat partibus omnibus finitis, id totum finitum esse, restringi debere tantum ad partes universi & temporis physici, non vero ad ipsum etiam universum & tempus totum & simpliciter sumptum extendi, quam ut infinitudo temporis & spacii, quæ naturali mentis ductu & lumine infertur, negetur. Non enim urgebo hoc loco, quod ipse Aristoteles eum mentis naturalem ductum, quem in temporis ratione assignanda secutus est, in loci & spacii ejus, quod universum hoc occupat, determinatione neglexerit, &, extra mundum locum dari, negaverit: sed hoc dico, quod, cum totum nihil aliud sit, quam ipsæ partes omnes simul sumptæ, adeo-

adeoque totum a partibus ſuis omnibus ſimul ſumtis non reipſa, ſed ratione tantum, differat; idem autem non poſſit eſſe in tanto intervallo a ſe invicem remotis rerum generibus, facilius imbecillitas captus mentis noſtræ, cum tota veritatis cognitæ analogia & alias ſemper infallibilibus principiis ejus conſiſtat, quam totum, quod infinitum fingitur actu ex partibus tantum finitis conſtans, qualescunque etiam illæ partes in toto ſumantur. Ex his, quæ hactenus explicata ſunt, non difficile jam eſt, explicare alterum illum nodum, quem tu fere inſolubilem eſſe exiſtimaſti, videlicet quomodo Deus 232 ab æterno exiſtere potuerit, niſi infinitas durationis ejus partes noſtris menſibus & annis reſpondentes, adeoque numerum earum infinitum actu jam extitiſſe fateamur. Eſt enim, ut ex dictis perſpicere facile potes, inſtantia iſta ex alio rerum genere, quam id eſt, de quo argumentum meum concludit; quas res ipſe Ariſtoteles fatetur, ut ſupra vidimus, non eſſe in tempore, adeoque nec comprehendi a tempore, nec ipſarum eſſe ſive durationem (eſſe enim & durare ſe mutuo conſequuntur) a tempore menſurari. Eſt igitur quædam exiſtendi ſive durationis ratio, quæ neque in menſes, neque in annos, neque in alias quaſcunque partes dividi poteſt: & licet hanc ipſe Ariſtoteles dari negaſſet, aut adhuc Peripatetici negarent, & verba præceptoris ſui in alium ſenſum traherent, ut fortaſſis trahi poſſunt; mihi tamen ſufficit, poſſibile eſſe, ut aliquid extra tempus phyſicum & ſenſibus comprehenſibile exiſtat, adeoque rationem etiam durationis longe aliam & ſublimiorem habeat, quam ut ea ad rationem durationis phyſicæ & ſenſibilis comparari poſſit ac debeat: neque enim impoſſibile iſtud eſſe, ulla ratione demonſtrari poteſt: ego vero ex cauſa certa & indubitata oſtendam, non tantum poſſibile, ſed etiam neceſſum eſſe, ut, quod neceſſario & per ſe, æternum eſt, ut Deus, longe ſublimiorem exiſtendi adeoque etiam durationis rationem habeat, quam res phyſicæ, quas ſaltem poſſibile eſt non eſſe æ- 233 ternas, aut, ſi ſunt, non per ſe & ſua natura, ſed aliena vi & per accidens æternæ ſunt, (qualis tamen æternitas, cum neceſſario & per ſe non ens præſupponat, omnino impoſſibilis videtur) certum enim eſt, longe aliam eſſe exiſtendi rationem eorum, quæ vere talia ſunt, qualia eſſe apparent, & eorum, quæ tantum talia apparent: nam v. g. colores iidem, qui in iride cœleſti conſpiciuntur, etiam in flore, qui iris vocatur, exiſtunt: ſed longe alia ratione in iride terreſtri colores iidem exiſtunt, alia in cœleſti: in hac enim colores ex certo ſo-

laris luminis ad denſam & aquoſam nubem poſitu reſultant, & non ſecundum omnem videntis ſitum conſpici poſſunt, in illa vero iidem colores longe alia, imo contraria, ratione exiſtunt, ita, ut colores iridis cœleſtis ſimulachrum ſint colorum iridis terreſtris tanquam verorum, quare illi κατ' ἀναλογίαν* tantum, & non vere ſunt colores, ac evaneſcunt, vel ſole vel nube poſitum certum mutante. hi perpetui & conſtantes manent, quamdiu ipſius ſubjecti ſubſtantia ſalva permanet. Eodem modo entia omnia, reſpectu cauſæ primæ ſolius æternæ, & per ſe atque abſoluta neceſſitate exiſtentis, (a cujus libera voluntate, tanquam externo & non neceſſario principio, reliqua omnia ſecundum totum eſſe ſuum dependent) non habent, niſi umbram & ſimulachrum veræ ejus entitatis, quæ eſt in cauſa prima, (quæ ſola eſt ens per ſe & ſecundum excellentiſſimam rationem exiſtens) adeoque etiam ſecundum rationes longe diverſiſſimas exiſtunt: dependentia enim non poſſunt exiſtere, niſi poſito actu cauſæ primæ: hæc vero exiſtere poteſt, etiamſi nullus ab ea dependens actus exiſtat. Non igitur poteſt ullo modo id, quod eſt menſura exiſtentiæ in entibus corruptibilibus, quatenus talibus, eſſe etiam menſura exiſtentiæ in ente abſolute & ſimpliciter neceſſario ac æterno: tempus vero, ut ex Ariſtotele patet, (4. Phyſic. c. 12. text. 117.) φθορᾶς αἴτιον καθ' αὐτὸν μᾶλλον ὁ χρόνος· ἀριθμὸς γὰρ κινήσεως· ἡ δὲ κίνησις ἐξίστησι τὸ ὑπάρχον ** eſt menſura rerum ſenſibilium, eo quod eſt menſura motus & mobilium phyſicorum, quæ omnia ob corruptibilitatem ſuam, utut quarundam ſecundarum & propinquiorum cauſarum ſuarum reſpectu entia neceſſaria vere dici queant, reſpectu tamen primæ cauſæ tantum ſunt entia quaſi per accidens, a) & longe

234

* Secundum ſimilitudinem aliquam.

** Corruptionis cauſſa per ſe magis eſt tempus; menſura enim eſt motus; motus vero corrumpit, & ad interitum perducit aliquam rem ſeu quod exiſtit.

a) Non bene entia per accidens dixeris, ſed entia minoris dignitatis, numeri aut realitatis. Logicorum filii ad *analoga attributionis* ea referunt. Pulchre poſt alios ipſumque adeo *Platonem* hæc agnoſcentem *Auguſtinus* in Pſalm. CXXI. *quid eſt*, inquiens, *quod eſt? Quod æternum eſt. Nam quod ſemper aliter atque aliter eſt, non eſt, quia non manet. Non omnino non eſt, ſed non ſumme eſt.* Cum quo concordant, *quæ Autor L. de Cognit. veræ vitæ*, qui Tom. IX. Opp. Auguſt. c. 7. habetur, egregie hac de re ſcripſit. *Hic ſolus*, inquiens, *vere eſt*, (Deus nimirum) *& ideo veritas eſt. Omne enim, quod eſt, verum eſt: Quod vero non eſt, falſum eſt. Sed Deus vere eſt, igitur veritas eſt. Creatura autem ei* collata, quaſi non eſt, *& idcirco quaſi falſitas ad veritatem eſt. Omne enim, quod ex nihilo eſſe cœpit, in nihilum redigi poterit. Sed omnis creatura, ex nihilo a Deo producta, ad aliquid eſſe eſt producta. Igitur, ſi ei comparatur, nihil eſſe, probatur.* Hactenus ille. *Vmbram* entis illius ſummi ſunt, qui vocant, quia habeant res creatæ *participationem* tantum entitatis, ut

& longe minorem entitatis rationem habent reſpectu primæ & ſimpliciter æternæ cauſæ, quam colores apparentes in iride cœleſti reſpectu verorum colorum in iride terreſtri. Quapropter ex dictis etiam certum eſt alterum, nimirum cauſa evidens & neceſſaria, ob quam intellectus humanus divinæ ac æternæ durationis rationem comprehendere nequeat, adeoque etiam ejus τὸ τί ἐστὶ & τὸ διότι * judicare non poſſit, etiamſi ad τὸ ὅτι ** certiſſima & infallibili ratione pertingat. Nam intellectus noſtri captus nullo modo actu ſuo æternitatis infinitæ rationi intuendæ & apprehendendæ proportionatus eſt; infinita enim, quatenus talia, non niſi ab infinito mentis actu comprehendi poſſunt. Cum igitur intellectus humanus æternæ durationis rationem ad phyſici temporis menſuram & ejusdem modum exiſtendi ſenſibilem accommodat, &, eandem utrobique rationem eſſe exiſtimat, vehementer a vero aberrat, & talia comprehendere & determinare conatur, quæ longiſſime captum & judicium ejus excedunt: ut non dicam, quod in eo etiam valde erret, quod rationem durationis ſenſibilem rationi durationis & exiſtentiæ plus quam intellectuali ſimilem eſſe exiſtimat. Imo, ſi Deus ipſe vellet, aut rationem æternæ ſuæ durationis intellectui humano, ad affectiones rerum ſenſibilium comprehendendas tantum proportionato, comprehenſibilem efficere; aut intellectum alium creare, qui perfecte æternæ durationis rationem comprehendere actu ſuo poſſit, non tamen id præſtare poſſet; a) quia, quemadmodum impoſſibile fuit Deo, mundum facere ſibi coæternum, ita etiam impoſſibile eſt eidem, intellectum & mentem facere ſibi per omnia æqualem, quæ ſcilicet æqualis cum ipſo ſit potentiæ: impoſſibile enim eſt, ut effectus, quatenus a

235

* Propter quid & cur ſit, ſeu rationem & cauſſam. ** Quod ſit ſeu exiſtentiam.

barbare ita loquar, totamque a nutu cauſæ efficientis ſingulis momentis pendentis. Quo ſenſu forte τὸ per accidens intelligi voluit *Cruſius*.

a) Bene, ſi de comprehenſione infinitæ perfectionis agatur. Quis enim tam anguſta *animi finiti* capacitate *auguſtam* illam Dei *exiſtentiam*, in qua unum perpetuum & haud mutabile νῦν æquivalet myriadibus annorum, plene intelligat, diſtincteque, quid ſit, videat? Quodſi vero nec poſſumus, nec licet, vel æternitatem, naturali quoque lumine rationis alias ſic ſatis cognitam, *qualis ſit*, *exacte* comprehendere; quid eſt, quod de cæteris fidei myſteriis, nullatenus ſola ratione inveſtigandis, tam audaciter *Sociniani* revelationi divinæ refragantur, & ſi de ipſa veritate revelationis horum myſteriorum diſputari obtendant; cur, quæſo, tot argumentis ex philoſophica pharetra depromtis, ea oppugnant. Sibi ergo, quod modeſtior *Cruſius* φιλοσοφώτατος heic annotavit, dictum noverint animoque conſtanter teneant.

cauſa ſua dependet, potentiam cauſæ ſuæ exæquet: & cum hoc de cauſis etiam finitis verum ſit, quanto minus effectus finitus tantilla
236 de potentia infinitæ ſuæ cauſæ particula infinitam ejus, a qua dependet, cauſæ potentiam ulla ratione exæquabit. Quemadmodum igitur mens humana divinæ mentis potentiam exæquare non poteſt, ita etiam exiſtentiæ ipſius rationem intellectus ſui intuitu comprehendere & perſpicere nequit, quemadmodum oculus, qui colores optime diſcernit, & lumina ſibi proportionata illæſus intuetur, excellentiſſimam lucem capere nequit, ſed ab ea occœcatur: unde veriſſime Ariſtoteles 2. Metaph. 1. ὥσπερ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει (id eſt, ea quæ per ſe & ſimpliciter ac ſecundum rationem eſſentiæ ac naturæ ſuæ propriam) φανερώτατα πάντων. * Patet igitur, quod ſit alia & longe ſublimior in Deo, ut exiſtentiæ, ita etiam durationis ratio, quam quæ eſt in rebus phyſicis ac ſenſibilibus, & ſimul, cur ea ab intellectu humano capi ac definiri nequeat: qua de re plura his in diebus a me annotata ſunt, quæ in alium locum uberius explicanda reſervo. Hinc jam manifeſtum eſſe & ſufficienter conſtare arbitror, demonſtrationem meam, qua initium totius univerſi, & omnium, quæcunque in eo excogitari poſſunt, rationum evinco, invictam adhuc perſiſtere, & nullo modo per eam, quam Peripatetici de temporis æternitate adferunt, inſtantiam labefactari poſſe. Vnum hic pro uberiore reſponſionis meæ declaratione &
237 certitudinis ejus aſſertione explicabo, videlicet, quod ex poſitis ſequitur, hos longe a veritate aberrare, a) qui de affectionibus in Deo intelligibilibus exiſtimant, eas eodem plane modo ſe in Deo habere, & in nobis & rebus ſenſui noſtro ſubjectis, cum tamen nemo Deum videre poſſit, utpote qui in luce habitet inacceſſibili: quæ autem eſt viſus ſenſus excellentiſſimi ad Deum ratio, eadem etiam aliorum ſenſuum. Nec minus tamen multæ in ſcripturis etiam de Deo ſenſibiles, vel ſaltem intellectu comprehenſibiles, iiſque, quæ in rebus creatis deprehenduntur, ſimiles affectiones dicuntur (v. g. amor, odium, ira, miſericordia, longanimitas, intellectus, memoria, &c.) de

* Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lucem ſe habent diurnam; ita & animæ noſtræ intellectus ad ea, quæ per ſe & ſimpliciter ac ſecundum rationem eſſentiæ ſuæ propriam, omnium ſunt manifeſtiſſima.

a) Hinc colligi poteſt non obſcure, multa fuiſſe, in quibus diſſentiret a *Socinianis* cæteris *Cruſius*, tametſi in ſumma rei, & *L. de Deo, Chriſtique æterna divinitate*, pollicem illis infeliciter preſſerit.

de his igitur omnibus ſciendum, quod illæ revera in Deo ſint, & actum ſuum in eſſentia ejus habeant, ſed longe alia & ſublimiori ratione, quam quæ ab intellectu humano comprehendi poſſit, etſi cum iis, quas humana mens divinis affectionibus in ſe ipſa analogas a) deprehendit, aliquo modo, potiſſimum propter effectus, qui ab ipſis dependent, ſimiles, congruant. Propterea eatenus divina exiſtentia, & affectiones eſſentiæ ejus, tum rationes exiſtendi in ipſa, intelligibiles homini manifeſtatæ ſunt, & manifeſtari potuerunt, quatenus illæ in hominis utilitatem & temporalem atque æternam felicitatem cognitæ cedere potuerunt: de cætero manent non tantum actu abſconditæ & ab humanæ mentis potentia imperveſtigabiles, (quemadmodum etiam multa alia intelligibilia, quæ in operibus Dei poſita 238 & expreſſa ſunt, quæ tamen ab intellectu humano comprehendi poſſent, ſi ei manifeſtarentur,) ſed etiam ita abſconditæ, ut vel ipſe Deus, etſi vellet, non tamen poſſet, eas menti humanæ, ea, qua nunc eſt, facultate intellectus præditæ, ſecundum integram & genuinam earum exiſtentiam & veritatem manifeſtare, & comprehenſibiles reddere. Ergo alia, inquiet aliquis, eſt apud Deum veritas, & alia apud homines, & vicerunt illi, qui ea, quæ in noſtro intellectu contradictoria ſunt, in Deo ſimul vera eſſe poſſe ſtatuunt. Sed nondum id ſequitur: primo enim non eſt alia veritas de rebus iis, quæ intellectui noſtro ſubjectæ ſunt, apud Deum, & alia apud nos, ſed eadem eſt; cum res ipſa, quæ cognoſcitur, & ſecundum veritatem certam exiſtit, eadem ſit & maneat, ſive ab homine ſive a Deo cognoſcatur, licet perfectius cognoſcatur a Deo, quam ab homine; quemadmodum duo diſtincto viſus acumine præditi eandem rem ſecundum eandem veritatem figuræ & lineamentorum vident, etſi alter acutius & perfectius altero. Non igitur contrario modo Deo cognitus eſt homo, quam nobis, etſi perfectius, b) nec, qui apud nos eſt equus, apud Deum eſt alia res. Dein-

a) Sic non ita pridem Celeb. *Saurinus* etiam de Perſonæ, quando de Deo uſurpatur, vocabulo in *L. Juſtification de doctrine &c.* inſcripto ſenſit, & male audivit eapropter *Juriæo* aliisque. Nobis non abſurde ita cum *Craſio* ſentire videtur, dummodo ipſius vocabuli, *analogus*, genuina notio evolvatur. Conf. *b. Zach. Grapii* Theolog. Roſtoch. *Theol. recens controverſ. P. I. de Deo quæſt. VII.*

b) Brevius: Non alia eſt veritas a Deo hominibusque cognita, ſed *cognitio* veritatis eſt alia, ſeu *alius generis.* Ac proinde etiam *veritas ſubjecti* (objecto eodem permanente) certo ſenſu videtur alia dicenda, plus minusve perfecta. Quis enim ſolidam a ſuperficiaria neſciat diſcernendam eſſe, multoque magis adæquatam, quæ totum objecti ambitum complectitur atque exhaurit, cum *qualicunque noti-*

Deinde de rebus etiam & affectionibus divinis, quæ intellectui nostro cognita esse voluit Deus, & quæ etiam ab eodem cognosci potuerunt, 239 eadem est veritas apud Deum & apud nos: secundum certam enim veritatis & existentiæ rationem ea, quæ in ipso sunt, Deus nobis manifestavit, & secundum eandem ipse Deus etiam vera esse scit & judicat, secundum quam ea manifesta sunt nobis, & contradictoria ipsorum falsa esse novit, & a nobis etiam pro falsis haberi vult: etiamsi eadem affectio v. g. Amor, justitia, misericordia, sapientia, &c. Dei longe perfectiori & sublimiori magisque incomprehensibili ratione in Deo existat, quam eam nos imaginari possimus: non tamen ita sublimior hæc veritas in Deo subsistit, ut eam, quæ inferior est, nobisque magis comprehensibilis tanquam contrariam evertat & falsam efficiat, quia majus & minus, vel magis & minus, non mutant speciem: quemadmodum doctor discipulo sapientiam suam notam facit secundum eam, quam discipulus capere potest, rationem, etiamsi eandem ipse longe excellentiori & perfectiori ratione possideat, quam ut a discipulo ea capi queat: nec tamen propterea ista particula sapientiæ, quæ discipulo de perfectiori præceptoris sapientia nota est, contradictorie repugnat ipsi perfectiori veritati & sapientiæ, sed utraque suo modo & certa ratione vera est simul. Atque hinc jam satis clarum esse existimo, quomodo demonstratio mea inconcussa maneat, quod mundus hic universus aliquando initium acceperit, utut illud *ubi* & *quando*, a quo mundus, tanquam a termino pri- 240 mo tam spacii quam durationis suæ, inceperit, intellectu nostro perfecte comprehendere, & ad id, quod ante & extra ipsum est, conferre nequeamus, propterea quod parva sumus mundi particula, & nullo modo per proximam mentis nostræ potentiam ad id, quod præter & extra mundum est, & quomodo id sit, mundusque respectu omnium suarum partium ad ipsum se habeat, perspiciendum pertingere possumus: neque enim quisquam unquam explicavit & perfecte comprehendit modum eum, secundum quem ipse a natura per tot alterationes productus est, ac in hominem evasit; quanto minus comprehendet modum, secundum quem universus mundus, tanquam universalis ipsius atque omnium generabilium causa, a causa longe sublimiori maximeque incomprehensibili factus est ac adornatus, atque e potentia sua in actum productus. Nam ante mundum

tia comparatam, vitrum, quod ajunt, etiam qua *modum & gradum*, non censeat lambente & hinc inde mutila, veriorem, appellandam?

dum & extra mundum non habet amplius locum ſenſus & ſenſibilium rerum rationes, ſed ſolus intellectus, isque a ſenſibilibus maxime abstractus, qualis humanus intellectus, cum corporeus ſit, & circa res corporeas potiſſimum verſetur, non eſt: mens enim humana phantaſmata ſenſibilia ſpeculando intelligit, & quicquid intelligit, cum ſenſibilibus rationibus connectere & ad eas comparare laborat: quod quidem in omnibus iis, quæ intra hujus univerſi complexum continentur, rebus locum habet, quia illæ omnes ſenſibus noſtris proportionatæ, & certa ratione eis ſubjectæ ſunt: at vero, quæ extra complexum hujus univerſi, ſive ratione durationis ſive ſpacii, eſſe, per infallibilia intellectus principia (quorum ope intellectus, tanquam dominus omnium rerum ſenſibilium, etiam ſupra eas usque ad ipſum τὸ ὅτι * rerum intellectualium acumen ſuum exerere poteſt) monſtrantur, ea nulli ſenſui amplius proportionata ſunt, adeoque nec ad rationes rerum ſenſibilium exigi poſſunt: unde neceſſario a mente humana amplius non aliter comprehendi poſſunt, quam quod ſint & quod aliqua ratione ſint: rationes vero exiſtendi non alias in iis agnoſcit, præter illas, quæ etiam in rebus ſenſibilibus ſunt, potiſſimum in homine, tanquam imagine mentis ſupremæ: qua quidem in cognitione non omnino fallitur, etſi ipſam perfectam & ſummam illarum etiam in Deo rationum, quas ipſe cum homine aliquo modo communes habet, veritatem hac ſua notitia non attingat; attingit tamen eam, quæ ipſi ad aſſequendum illum, qui homini a Deo præfixus eſt, ſcopum a) ſufficit. Sed ſufficiat jam & mihi, hæc ad Peripateticorum propoſitam inſtantiam reſpondiſſe, per quæ non tantum teli & argumenti noſtri acumen ab ipſorum impetu ſalvatum eſſe, ſed etiam omnia eorum munimenta, quibus æternitatem mundi tutam reddere laborant, funditus everti poſſe arbitror: in qua reſponſione ſi talem me præſtiti, ut tu ex ea id, quod a me requiſiviſti, beneficium accipere potueris, eſt quod gaudeam: ſpero tamen, quo diutius & accuratius ea, quæ ſcripſi, expenderis, eo clarius te, vera me ſcripſiſſe, perſpecturum, & ſophiſma Peripateticorum non difficulter agniturum. Jam tempus eſt, ut ad reliqua etiam epiſtolæ tuæ

241

242

* Eſſe ſeu quod ſint.

a) Ad quem recte credens & faciens idem contendit: *æternam* nempe, ubi *perfectior*, nec tamen καταληπτικὴ prorſus, ſeu comprehendens, erit Dei etiam agnitio, *a facie ad faciem* ſecund. 1. Cor. XIII. inſtituenda; *at lucem tamen, quantam capere mens illuminata ſummopere poteſt*, expectans; ut *meta viæ* atque *curſui brabeum* reſpondeat.

capita paucis respondeam, nam, pluribus eas quæstiones tractare, nunc non est animus: quia alius illis, si Deo ita videbitur, dies dictus est, ubi propius & accuratius in practicæ philosophiæ fundamentis excutiendis occupatus ero: nunc adhuc mihi persvadere non possum, ut formale pœnæ tecum constituam in respectu ad peccatum sive culpam tantum ab eo ipso, qui punitur, commissam, quia manifestum esse arbitror, dari rationes, secundum quas ob alienam culpam juste quis malum istud pati possit, quod alias sustinere necessum non haberet, nisi ira vindicis esset, quæ tali damno culpam aliquam commissam compensatam vellet. Nam qui nullam aliam, cur malum aliquod alicui faciat, causam habet præter peccatum admissum, is certe, cuicunque etiam malum istud faciat, non aliud quidpiam agit, quam quod puniat, sive id juste faciat sive injuste: pœna enim respectu punientis in bonis habetur & ipsius finis est, adeoque si is, qui damnis aliquem afficit, faciat id, ut contra peccata, licet aliena, in ea vindictam exerceat, non habet aliud in intentione quam pœnam, & propterea damnis afficiendo pœnam proprie sic dictam 243 infligit ei, qui damna patitur, quicunque is tandem sit, sive ipse, qui peccavit, sive alius quispiam, quicunque in locum alterius sive jure sive injuria successit. Si igitur possibile est saltem, ut quis injuste ob aliena peccata aliquem ea intentione affligat, ut peccatum ab alio admissum ita vindicet, possibile est, ut is eundem ob alienam culpam puniat, & pœnam propriissime sic dictam eidem irroget, utut injustam, & talem, ob quam & ipse vindex a superiori judice puniri mereatur. Si vero etiam possibile est, ut quis juste talem afflictionem ob alienam culpam ab eo, qui ea intentione malum infligit, ut peccatum admissum ob certam & immutabilem causam puniat, patiatur: manifestum est etiam, fieri posse, ut quis ob alienam culpam proprie puniatur: & sic pœnæ ratio formalis & καθόλϐ* non erit peccatum & culpa propria, sed quæcunque etiam aliena, quæ jure vindicem ad puniendum sive pœnam expetendam excitat. Possibile vero esse, ut quis damnum aliquod ab eo, qui pœnam propriissime sic dictam expetit, & expetendi eamque determinandi potestatem habet, ob alienam culpam juste patiatur, manifestum esse arbitror in iis, qui volentes & scientes alienam culpam luendam in se recipiunt, quamcunque tandem ob causam id illi faciant, dummodo volentes & scientes & ob causas non iniquas id faciant; ut illi, qui ex sum-

* In universum, in genere.

ex ſummo & legitimo amore pro perſonis amatis non modo nihil ſuſtinere recuſant, ſed etiam ultro extrema quævis mala pro ipſis ſubire appetunt, dummodo perſonæ amatæ hac ratione conſulere, & ut ipſi bene ſit efficere poſſint. Cum igitur volenti & ſcienti injuria fieri nequeat, vindicis affectus, qui pœnam pro peccato expetit, non peccat, ſi & ipſe in volentis petitionem (cujus petitionis cauſam iniquam judicare non poteſt) conſentiat: quemadmodum id manifeſtum eſt in ſolutione debitorum vel mulctarum, quæ de fortunis alicujus ſumuntur: hic enim is, qui debitum vel mulctam jure exigit, ſine ulla injuſtitiæ nota ſumit eam non tantum ab ipſo, cujus culpa eſt, ſed etiam ab eo, qui in ejus locum ſe ſiſtit, ejusque debitum de ſuo perſolvendum in ſe ſuſcipit. Nam ad id, quod hic regeritur, eum, qui debitum vel mulctam alterius loco ſolvit, a judice & exactore non proprie puniri, ſed tanquam talem, qui reo aliquid donare velit, admitti, & propterea non ut ab alio, ſed ut a reo ipſo, quicquid a tali datur, accipi, quod in pœnis capitalibus fieri nequeat, cum nemo iſtic quicquam alteri donare poſſit; reſpondeo, primo manifeſtum eſſe, quod judex mulctam non ut donum ſed ut pœnam exigat & ſumat, a quocunque etiam eam & quocunque jure exigat vel ſumat, primarium tamen jus eſt & cauſa per ſe exactionis peccatum, ſive ab ipſo, qui ſolvit, ſive ab alio, in cujus locum is, qui ſolvit, nulla ſua injuria, de qua merito & juſte conqueri poſſet, ſucceſſit, admiſſum. Deinde manifeſtum etiam eſt, eum, qui ſolvit mulctam pro alio, præſertim, ſi ea grandis ſit, & magnam fortunarum jacturam conjunctam habeat, damnum pati non parvum, & ad hanc donationem (ſi ita ſolutionem iſtam appellare libet) faciendam non conſenſurum fuiſſe, niſi juſta pœnæ perſonæ amatæ a judice expeteretur propter peccatum ab ipſa admiſſum; ut ita is, qui pro alieno peccato mulctam ſolvit, revera & damnum patiatur, & ſe jure pati exiſtimet, & quidem propter peccatum alienum quidem, ſed in ſe ſuſceptum, & a judice pro tali habeatur, qui pœnam ab ipſo deſideratam luat, non vero qui aliquid ipſi donet: quia, materiali pœnæ de una in aliam perſonam per conſenſum judicis jure translato, etiam formale ſimul transfertur, quia formale ſine materiali eſt nihil & inanis opinio ſine re: inſeparabilia enim ſunt in re ipſa materia & forma. Tertio non arbitror me erraturum, ſi negem etiam, in pœnis capitalibus talem, qualis modo explicata eſt, donationem fieri non poſſe: cum enim a Deo cuivis homini non tantum fortunæ

ſuæ ſed etiam vita in arbitrium ejus tradita ſit, poteſt quivis pro arbitrio ſuo vitam etiam, ut fortunas, ubicunque velit, impendere, & quemadmodum, bona externa ſi tali occaſione, quæ ſecundum divinam potiſſimum legem juſta & æqua ſit, impendat, recte facit, & nul-
246 lo jure, ne faciat, prohiberi poteſt: ita etiam, ſi vitam tali ratione pro altero impendat, nihil iniqui admittet, quo minus ejus voluntas ad pœnam alterius recte in ipſum transferendam ſufficiens ſimpliciter judicari debeat. An fortasſis peccatum alterius obſtat, quo minus ab altero recte vita pro eo impendi queat? ſed non video, qua ratione peccatum amorem juſtum & legitimum tollere posſit, quo minus is id ipſum facere debeat, quod eſt maxime de natura ejus: vero enim & perfecto amori nihil eſt tam naturale, quam pro perſona vere & legitime ac ſecundum Dei voluntatem amata totum ſeipſum, & omnia, quæcunque in poteſtate ejus ſunt, omni occaſione impendere: ut vero amorem legitimum & divinæ voluntati congruum peccatum aliquod, ob quod aliquis pœna capitali dignus ſit, non tollat, ſaltem posſibile eſt, quemadmodum exemplum Chriſti docet, qui Dei hoſtes, Deo ipſo approbante, ita dilexit, ut vitam ſuam pro eis poneret, *Rom. V*, 6. 8. 10. Ille igitur judex, qui amorem talem inter perſonas certas nullo jure ſolvere poteſt, nullo etiam jure voluntatem amantis improbare poteſt. Quapropter judex, quatenus judex, ſimpliciter ſive καθόλȣ * conſideratus, voluntati amantis in tali caſu locum relinquens, contra jus & æquitatem non peccat: quia ſi in mulctis, quæ de bonis externis ſumuntur, damnum unius pro altero, propter ſolam voluntatem perſonæ intercedentis, nulla vel
247 ſaltem non magna amoris, qui inter ipſos intercedat, habita ratione, admittens non peccat: neque in pœnis capitalibus de uno in alterum, propter ſolam perſonæ intercedentis, & quidem valde juſtam & legitimam, ex vero & legitimo ſcilicet amore, tanquam a cauſa omni exceptione majore, promanantem voluntatem, pœnam transferens peccabit: neque enim ulla ratio eſt a parte judicis, quatenus judicis, cur hic cauſam eandem iniquam judicare debeat, quam illic iniquam non judicat, præſertim ſi ulla ratione licitum eſt alteri vitam eripere, vel aliam quamcunque pœnam corporalem infligere, ut alteri bene ſit, & alterius vita propter peccatum ad mortem, tanquam pœnam juſtam, damnata ſervetur: hoc vero licitum eſſe vel ex eo patet, quod Deus filium ſuum afflixit corporaliter, & vitam ei volenti & pro

* In univerſum, in genere.

& pro peccatis dilectisſimæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ Deo ſe offerenti eripi fecit, ut ſcriptura non uno in loco, & quidem verbis diſertisſimis, teſtatur, præſertim *Eſai. LIII. Act. II*, 23. *Rom. VIII*, 32. 2. *Cor. V*, 21. Judex igitur, quatenus judex, non peccat vitam eripiendo alteri, ut alterius conſervet: alias Deus, tanquam ſummus judex, cum ſine ipſius voluntate nihil fieri queat, non poſſet juſte mortem talem etiam permittere, nedum procurare & decernere, quemadmodum in Filio ejus factum videmus, qui ex Dei decreto immutabili mori debuit, ſaltem ut Eccleſiæ ipſius veris membris quacunque etiam ratione bene eſſet. Etſi enim Deus ſit ſummus & abſolutus rerum omnium Dominus, tamen in omnibus tum permisſionibus tum actionibus ſuis, neceſſum eſt, ut judicium & juſtitiam obſervet, niſi ipſum tyrannum conſtituere velimus, quod tum contra ſapientiam & juſtitiam ejus, tum etiam contra ſummam ejus potentiam pugnat. Judex vero, quatenus non ſimpliciter judex, ſed ſuperiori judici ſubjectus eſt, non debet quicquam, quod a ſuperiori judice ei graves & juſtas ob cauſas non permittitur, admittere: & hanc ob cauſam humanus magiſtratus non poteſt juſte in juſtam amantis pro perſonæ dilectæ ſalute vitam ſuam offerentis voluntatem conſentire: quia Deus non vult, innocenti ab homine ulla ratione vitam, tanquam theſaurum omni exceptione majorem, eripi: is enim ſemel ereptus humana induſtria vel ope reſtitui nequit, quod tamen in externis facultatibus ereptis fieri poteſt: illarum enim damnum, vita ſalva manente, reparabile eſt. Deus igitur, quia vitam etiam innocenti ereptam reſtituere poteſt, a) per dictam conditionem jus & poteſtas

248

a) Digniſſima eſt, quæ legatur atque iterum iterumque animo expendatur, hæc *Cruſiana* de juſtitia, *translatæ in alium, atque ab eo ultro receptæ culpæ & pœnæ*, confeſſio, & quidem non tantum civilis, ubi parum forte dubii cuiquam oriatur, ſed *etiam criminalis*, quando de vita ipſa pro aliis ex ſuperanti amore ad id impellente, agitur. Nec injuria hanc rationem præ cæteris urget *Cruſius*, (ubi nimirum Deo cum homine res eſt) quod *vitam ille ereptam reſtituere* quoque *poſſit*, atque ut ſummus rerum omnium Dominus ſeſe gerat, volentique & aliorum amore ſeſe ſponte ad necem offerenti nihil injuriæ inferat. Quodſi vero (liceat nunc nobis addere) hæc a mero homine fieri queant, ubi Deus judicis partibus fungitur, quanto magis id fieri potuit, quando Chriſtus *Filius Dei unigenitus, verusque*, æque ac Pater, *Deus*, qui *ſummam ipſe quoque in vitam ſuam habuit poteſtatem*, pro nobis mortalibus & pro delictis noſtris ut vicarius & *expromiſſor* humani generis ſeſe ultro ad necem obtulit. Etenim ſi vel merus aliquis homo aliena Dei in ſe poteſtate fretus, *qui vitam etiam redditurus ſit*, hoc beneficium alteri præſtare queat, certe ſuam ipſius Chriſto vitam utique tradere in poteſtatem hoſtium integrum magis fuit, qui ſe-

ejus restringi non potest: quapropter jure & mandare innocentibus, ut vitam pro dilectis suis quacunque occasione ponere non refugiant; & cum ipsis injuste aliqua occasione eripitur, id ipsum permittere; & volenti ac pro dilecta persona coram Deo vitam suam offerenti, ut ipsa ei eripiatur, procurare potest. Si quis vero, talem in-
249 nocentis pro nocente afflictionem nunquam pœnam esse posse, contendat, is refutabitur primo ab ipsius judicis fine, quem in tali afflictione pœnam etiam primario habere potest, eo quod primaria afflictionis talis causa peccatum esse potest: deinde ex eo, quod non quemvis innocentem in tali causa jure affligi posse judicat, sed eum tantum, qui non modo ob voluntariam intercessionem, sed & causam intercessionis istius, amorem singularem, quo nocenti jungitur, &, ob quam jure etiam naturali personam ipsius sustinere potest, singularem præ cæteris omnibus arctissimam cum nocente communionem habet. Non igitur impossibile est, ut talis afflictio innocentis pœnæ etiam rationem habeat, utut aliis forte conditionibus determinatæ, quam quibus in ipso nocente determinaretur. Quod vero Deus damnum tale innocenti pro nocente intercedenti inferri vult, sub quo non ut ipse nocens perire necessum habeat, sed a quo secundum sapientiæ & justitiæ divinæ beneplacitum certa ratione tandem liberetur, adeoque quod permutationem istam nocentis cum innocente tali conditione etiam in capitalibus pœnis ut justam admittit, facit id, ut amoris legitimi & secundum divinam voluntatem formati præstantia & summa apud Deum dignitas manifesta fieri possit. Præstantia enim talis amoris in eo manifesta fit, dum ipse id facit, quod alias nullus affectus facere potest, videlicet dum summum
250 dilectæ personæ bonum secundum rationem exquisitissimam quærit, & dum pro eo personæ adamatæ conferendo seipsum totum impendere non refugit, idque non simulate sed vere: quod autem vere amor talia faciat, manifestum tunc fit, quando voluntati ejus locus per

ipsum etiam pro lubitu e morte resuscitare, prout Joh. X, 18. testatur, valuit. Vtinam hæc a socio cæteroquin errorum sibi dicta ad animum revocassent *Socini* asseclæ reliqui! Nunquam puto, verba magistri: *Pecuniam quidem unius alterius fieri posse. At vitam, corpus & corporalem afflictionem unius non posse fieri alterius*, quæ *P. III. L. de Servat. c. III.* habentur, tam pervicaciter approbassent, ipsamque adeo satisfactionem Christi ἰσόῤῥοπον præstitam ἀντὶ πάντων εἰς δικαίωμα inter ea, quæ *fieri nullo modo possint*, ut a *Volckelio* dictum est, hac potissimum de causa, retulissent! ut vel hoc nomine gratias debeamus editori harum Epistolarum, quod *Crusianam* illam prægrandem alias haud omiserit disceptationem, domesticum testimonium hoc de argumento, idque solidis rationibus firmatum, ut præbeat inservientem.

per divinam providentiam permittentem vel procurantem datur, ut fiat id, quod persona amans desiderat, videlicet ut ipsi vel vita eripiatur, vel insigne malum infligatur, ut bene sit alteri personæ, quam diligit, & pro cujus salute se obtulit. Dignitas vero amoris talis coram Deo ex eo patefit, quod Deus tam preciosum eum habet, ut propter eum & personam amatam conservet, & ipsum ex eo malo, in quod propter personam dilectam devenit, gloriose liberet: quod totum in Christo Dei Filio tanquam perfectissimo summi amoris exemplo luculentissime cernere licet: & experietur quivis, qui ipsum hac in parte, Deo ita volente, & cor ejus ducente, oblata occasione, suo modo, quem Deus cuique tribuit, imitatus fuerit. Atque ita patere jam existimo, qua ratione pœna proprie sic dicta a nocente in innocentem etiam recte transferri possit, & quod propterea pœnæ καθόλȣ* acceptæ ratio formalis non sit posita in malo ob culpam propriam, sed ob malo ob culpam simpliciter sumptam, sive ea sit propria, sive aliena: & hoc solum est, quod hoc tempore accuratius examinare volui, ut, si cum tempore in eo consenserimus, facilius reliqua ab hoc dependentia expedire possimus. Restat ea, quam tibi Joachimus noster a) movit, lis expendenda: sed eam ego meam nunc non facio, cum in Turpilii b) sententiam & caussas ejus circa hoc argumentum diligentius inquirere hactenus propter alia, quæ jam præ manibus habeo, nondum potuerim: ex te vero, tanquam harum rerum peritissimo, hoc unum nunc scire percupio, quod scilicet causam habeat Turpilius, quod tam sollicite, dum necessariam cœnæ Dominicæ memorationem in Ecclesia Dei esse concedit, ritum tamen illum, per quem totius vitæ & conversationis nostræ sub Christi imperio & regimine spiritus sui futuræ, tanquam externo signo sive sacramento admonemur, c) & per quem ab ipsis Apostolis omnes, quicunque intra societatem & unitatem Ecclesiæ recepti sunt, initiari necessum habuerunt, hoc tempore non amplius necessarium esse, ostendere laborat. Neque enim monstrari posse existimo ullum exemplum vel testimonium in sacris literis, quod ullus sine aquæ baptismo in perfectam & publicam

* In universum, in genere.

a) Sive *Ruari* frater, sive, ut opinor, *Joachimus Stegmannus*, qui adhuc in vita superaverat, *senior*.

b) *Fausti Socini*, ut sæpius jam animadversum est.

c) Si de adminitione, quam præstet, *vera* sermo sit, hactenus bene; si vero de *mera*, male. Emphaticam f. 252. extremo vocat ceremoniam *Crusius*. Vtinam vero emphasin non humanam & significantem tantum, sed supernaturalem & efficientem intellexisset!

251

cam cum Ecclesia fidelium unionem admissus sit, aut admitti potuerit: utut enim primarius scopus Apostolorum non fuerit, per externas ceremonias homines in certas congregationes sive ecclesias colligere & disponere, sed docere evangelium, id est, veram in Deum fidem & charitatem per Christum sub spe vitæ æternæ, tamen secun-252dario ipsorum etiam officii fuit, ut secundum decentem, ac divinæ gloriæ, communique verorum ecclesiæ membrorum ædificationi convenientem ordinem ecclesias Christianorum in omnibus locis constituerent: cujus officii variæ possunt esse partes, & a variis administrari, nec ita necessario ab ipsis Apostolis fieri desiderent, quemadmodum docere evangelicam & divinam, per quam corda hominum illuminari & purificari debent, veritatem: & hac ratione potius puto, Apostolum dixisse, se non missum esse ad baptisandum, sed ad evangelium prædicandum; non vero ut ostenderet, non necessum esse, ut quis in ecclesiæ & membrorum ejus publicam unionem recipiendus per baptismum aquæ initietur: plurima enim in scripturis occurrunt loca, e quibus, saltem valde probabiliter, baptismi necessitas a) deduci potest: nullus vero, quem ego quidem sciam, e quo æquali probabilitate, baptismum negligi posse, ostendi queat: ut taceam ipsam baptismi significationem, quam Apostoli passim in scriptis suis proponunt, quæ certe talis est, ut ejus notitia nullus verus Christianus carere possit, multo minus ipsa ejus, quod per baptismum significatur, veritate & reali participatione. Cum igitur Spiritui sancto tunc placuerit, tantarum rerum significationem fidelibus hoc tanquam singulari & valde illustri ac efficaci modo facere, eamque per hanc tanquam valde emphaticam ceremoniam cordibus 253ipsorum imprimere, non putandus est is consilium & voluntatem suam nunc mutasse sine insigni aliqua & saltem æque gravi causa, atque ea est, ob quam tempore Apostolorum baptismus aquæ in ecclesia Dei necessarius est judicatus. Nam illa causa, quæ hic forte afferri posset, quod tunc ex ethnicis collecta fuerit ecclesia, qui ab ethni-

a) Novum hoc est de *Baptismo* contra *Socinum* discipulosque fluctuantes ingenuitatis *Crusianæ* specimen. Qua in re asfinem quoque suum *Wolzogenium* adstipulatorem habuisse, ex Commentar. hujus *in Scr. S. LL. variis*, hinc inde elucet. Nobis præter verba Christi apertum & perspicuum mandatum exhibentia, ad finem usque orbis duraturum, analogia S. cœnæ, quam *Crusius* etiam *Socino* h. l. objecit, manifestissime *indifferentiam* illam hujus Sacramenti, a *Socino* tam affabre effictam, jugulare videtur. Docendum autem est, quod ex seqq. colligitur, etiam *Crusium* baptismum infantum repudiasse.

ethnicismo ad Christianismum transeuntes opus habuerint tali externo sacramento, per quod officii & novi instituti sui admonerentur; nunc vero apud eos, qui a teneris in doctrina Christi erudiuntur, tali admonitione opus non esse; longe infirmior mihi quidem videtur, quam ut tam solennem & a Spiritu sancto ad tantas res non tantum ethnicis, sed etiam omnibus aliis hominibus, quicunque a carnali ad spiritualem vitam inposterum ducendam animum applicassent, significandas institutum ritum tollere, & in ecclesia Dei tanquam non necessarium abrogare possit. Nam etsi nunc homines a teneris in doctrina Christi instituuntur, non tamen inde a teneris secundum eam vivunt, aut vivere volunt: sed certum habent tempus, in quo ad voluntatem eam apti sunt: isto itaque tempore necessum est, ut probe prius doceantur de ea, quam in Christo inposterum ducere debeant, si salvi, Deoque accepti esse velint, vita, & quantum ea differat ab illa, quam antea propter imbecillitatem suam in carne secuti sunt, vitæ ratione: & tunc, ubi ita probe antea edocti fuerint, si in eam consenserint, sed hoc pacto quasi solenni stipulatione Christo tradiderint, & fidem suam ei promiserint, externa etiam coram universa ecclesia istius animi ipsorum contestatio accedere debet; quæ per ritum baptismi aquæ, tanquam singulare & illustre totius circa futuram & inposterum ducendam vitam instituti signum, ex ordinatione spiritus sancti inde a primo ecclesiæ Christianæ tempore observata rectissime peragitur: ut ita eodem loco sit ejusmodi hominibus baptismus, quo loco novis conjugibus sunt nuptiæ, sive publica & secundum certam ac rationabilem ordinationem administrata amborum conjunctio: per quam multo efficacius & captui humano convenientius admonentur ejus, quæ inposterum inter ipsos immutabiliter observari debeat, fidei & amoris, quam si absque tali præcedente publica copulatione una vivere permitterentur. Humana enim mens multo potentius movetur a rebus intelligibilibus, si illæ non tantum auditui, sed etiam visui, tanquam sensui nobilissimo suo, & convenienti modo subjiciantur. Atque ita existimo, nondum exolevisse causam illam, ob quam Spiritus sanctus Apostolorum tempore per baptismum aquæ omnia veræ ecclesiæ membra invisibilem reliquorum societatem assumi voluit: imo fortassis, crescente securitate, & peccatis hominum multiplicatis, ubi plurimi jam ob consvetudinem tantum in Christum credunt, quod ita scilicet inde a teneris sine ulla ratione credere, &

254

255

Christianæ religionis dogmata pro veris habere assueverunt de cætero, & quomodo iis conformiter vivant, nihil, vel parum admodum, & longe minus, quam necessitas requirit, solliciti, multo magis necessarium est, ut omni, qua fieri potest, ratione, non tantum vera fidei Christianæ natura ei, qui secundum eam imposterum vivere constituit, aut constituere debet, explicetur, & per sensum auditus intellectui ejus probe inculcetur, sed etiam per signa visibilia cordi ipsius probe imprimatur; ut ita omni modo, quemadmodum Spiritus sanctus ab initio voluit, animi hominum ad vere serium, in via veritatis & vitæ Christianæ agnoscenda, & omni ex parte observanda, studium collocandum excitarentur. Hic ego tuum judicium, Ruare charissime, audire desidero, & causam illam, ob quam potissimum Turpilius baptismum aquæ non necessarium esse existimavit, ex te discere: si enim causa illa tanta est, ut nullo modo negligi, aut in dubium vocari debeat, merito ad ejus analogiam scripturæ testimonia explicanda erunt, utut secundum sensum planiorem & magis proprium ac simplicem (a quo alias nonnisi ob magnam causam discedendum est) aquæ baptismum in ecclesia vere Christiana necessario retinendum esse, indicent: sin minus, merito ob causas modo a me dictas, & quod iis planior scripturarum sensus adstipulatur, 256 aquæ baptismus in ecclesia Christi necessario retinebitur. Sed de his hactenus: statum nostrum quod attinet, est is per Dei gratiam & misericordiam adhuc tolerabilis, talis tamen, qui nos ut alia ratione rebus nostris mature provideamus, admonet; cognovisti enim sine dubio ex fama publica, quod in Pomeraniam a) etiam milites e vicinia nostra ad hybernandum recepti sunt: quæ res inter cætera multa incommoda non parvam etiam annonæ caritatem in provinciam hanc sine dubio invectura est: in iis vero urbibus atque oppidis, in quæ miles admissus est, gravissima etiam facinora, ut fama est, paulatim contra honestatem patrare, & pessima quæque contra cives moliri incipit: de quo, quid imposterum sperandum sit, facile conjectare licet: certe qui hujus patriæ civis non est, non habet ullas causas, cur hic potius, quam alibi, peregrinus esse malit. Decrevimus itaque ego, Eug. b) &c. nostri prima, quam Deus monstraverit, ac per gratiam & misericordiam suam subministraverit, occasione solum mutare, & nos ad alia loca tutiora, licet longius dissita,

a) In qua, vel vicinia certe ejusdem, tunc commorabatur *Crusius*.

b) J. L. *Wolzogenius*. Conf. Cent. I. ep. 25.

dissita, conferre: qua in re tuo etiam consilio juvari voluimus, quod quidem, si præsens hic adesses, multo melius in commune conferre posses: sed quia nunc itinera ob militem minus tuta sunt, præsentiam tuam non facile sperare possumus; unde, ut per literas, quantum hac in re potes, consulas, rogamus: si tamen aliqua ratione commode fieri potest, ut præsentem te nobis sistas, erit id nobis lon- 257 ge gratissimum. Scopus noster, ut ex me etiam olim audivisti, is est, ut, spretis & neglectis iis, quæ homines hujus sæculi magni æstimant, omnibus, Deum & regnum ejus quærentes, de cætero istis, quæ Deus pro sustentatione vitæ nostræ & nostrorum adjecerit, contenti simus: & quod in hoc ipso scopo nostro persequendo nemini graves esse, sed panem nostrum labore nostro, prout Deus eum facultati illi, quam ipse nobis per gratiam suam largitus est, congruum suppeditaverit, acquisitum comedere velimus. Hunc finem nostrum non commodius nos assecuturos speramus, quam si in consortio eorum, qui ejusdem nobiscum sunt animi, eademque in Deum fidei notia præditi, & ubi Deum aliquam, ad tempus saltem, quietem ac securitatem externam monstrare intelligimus, vivamus. a)

Cætera parum utilia, & prolixitatis evitandæ ergo omisimus.

XXXIII.

C. BERGIVS M. RVARO. b)

Secundis tuis literis, Vir clarissime, tanto forte diligentius me responsurum putas, quo serius: sed nolo vel te vel me multis fatigare, hoc præsertim tempore, &c.

Mitto exemplum unum atque alterum disputationis de Divinitate 262 Christi; quam tamen non ideo susceptam putes velim, quod certandi materiam c) quæram: licet defensionem ejus, si usus veniat,

 non

a) Epistola hæc videtur in *Pomerania* eo tempore scripta, quo *Mecklenburgicæ terræ* a milite Cæsareo erant occupatæ & infessæ, quod triste fatum in A. 1628. potissimum, ubi ad ἀκμὴν pervenit, incidit. Idque confirmari amplius potest ex subscriptione epistolæ XXXVIII. quæ *Stetini* data est sub initium A. 1629. & responsionem ad ea, quæ huic epistolæ prolixe reposuerat *Ruarus*, continet.

b) Integras has litteras, exceptis *appendicibus tribus*, jam ante in Centuria I. n. 21 excusas esse cum perspiceremus, omittendas h. l. existimavimus: ita tamen, ut, quæ in *additamentis* habentur, paucis simus illustraturi.

c) Et tamen eam *Joach. Stegmannus* Sen. ad examen vocavit: quanquam MSctum tantum ad illas *Bergii* Theses superesse testetur *Sandius*.

non detrectem: veram autem publicationis causam aliquando forte coram indicaturus sum.

Robertum Parkerum, a) quem in tuis nominas, hic nusquam invenio, si illius usum nobis communicaveris, haud levi officio nos demereberis.

Sed nec Perronii responsionem b) ad Casaubonum vidi, quam equidem haud minus videre optem.

263

XXXIV.

HIERONYMVS MOSCOROVIUS a) A MOSKORZOW M. RVARO.

GRATIA ET PAX A DEO PATRE ET JESV CHRISTO DOMINO NOSTRO.

PRæveniri officio, abs te humanissimo & doctissimo viro, grave fuit; quam molestum censes, literis tuis humanissime scriptis, tanto tempore respondere non potuisse. Sed permulta summa vi restiterunt; mitto morbos, quibus me clementissimus Pater exerceri tot tamque diuturnis voluit, e quibus necdum exsolvi possum; mitto etiam in ipsis morbis occupationes; at illud me maxime suspensum tenuit, quod veritus semper fuerim, ne meum responsum interceptum tibi, una cum aliis svavissimis fratribus, d) aliquid, quod nollem, crearet. Nam si literis permultis, quas ad illum summum olim

a) Hujus in epistola ad Bergium Cent. I. n. 20. meminerat *Ruarus*. Quid de eo habendum sit, ipse simul l. c. docuit. Nunc nobis, quod interea observavimus, a *Job. Hornbeckio* animadversum esse, de hoc opere, dignum videtur, quod addamus. Sic autem ille in *Summ. Controv.* L. X. f. 762. edit. *Colberg.* Vide *Parkerum L. I. c. XIII. & XIV. L. III. c. XVI. qui tertius liber, nescio an bona fide, certe male, integer omissus est in editione nupera A.* 1638. *quæ modo duos ejus libros continet, quum tres sint; Quare monitos hic omnes volo, ut sequantur editionem A.* 1616. *ubi tres libri, & tertius quidem major duobus prioribus extat, tractans de Ecclesia &c.* Quæ itaque supra de hoc libro tradita sunt, hisce illustrari queunt. Quibus nihil amplius addimus, quam b. *Kœnigium* nostrum in Biblioth. *Robertum* hunc cum *Thoma Parkero* confudisse.

b) De hac quoque responsione jam supra ad Cent. II. actum est. Nunc vero replicationem *Perronii* ad *Jacob. I.* R. Ep. forte intelligi monemus.

c) Consule de eo Cent. I. epist. 89. & Cent. II. 13. ipsamque *Crypto-Socin. Hist.* Cap. II. lit. M. Hæc epistola de reliquo præ cæteris notabilis est ideo, quod non solum de familiaritate & commercio litterarum cum *Sonero*, certiora nos docet, sed etiam invitatio illa fuit, qua *Ruarus* ad deliberandum de causæ *Socinianæ* amplificatione in Poloniam evocatus est. Unde jure meritoque hæ litteræ illis, quæ n. X. XI. XII. XIII. & XVI. locatæ sunt, anteponendæ fuissent, certe componi cum illis debent.

d) Altorphinis recens collectis.

olim virum a) satis frequentes dabam, b) idem sæpius evenit; ut ex illius responsionibus videre licuit; quid putas, quam id mihi metuendum fuerit, maxime erepto nobis morte, necdum satis matura, illo viro pio & nobilissimo Domino Cetis, c) qui Cracoviæ vicinus literas nostras ob viciniam in vestras regiones transferri curabat. Nunc vero hominis certi facta potestate, illico respondendum putavi. Non possum non amare vehementer, mi suavissime Ruare, hanc tuam singularem humanitatem, d) quam literis erga me tuis testatam voluisti; expunctis tantummodo illis, quæ tu mihi, charitate Christiana, cujus ingenium est, exilia ac pene nulla pro alicujus momenti rebus semper æstimare impulsus, tribuere videris. Cui cum accesserit admirabilis divinæ veritatis proferendæ ardor, suavitas ingenii, judiciique dexteritas, eruditione rara comitata, quæ tu in literis ad fratres scriptis expressisti; illa tanta nobis apparuerunt, quæ pietatem tuam γνήσιον * non adumbrare solum, sed etiam ad vivum repræsentare viderentur, & fratribus omnibus te majorem in modum commendarent, meumque animum inducerent, ut non modo te amandum, sed etiam colendum & observandum mihi omni ratione putem, & in illius summi viri, quem nobis nimis cito clementissimus ille Pater ademit (nostra delicta ad castiganda) locum e) substituendum existimem. Nec vero diversum est fratrum reliquorum de te judicium, quemadmodum ex literis summi viri Smalcii nostri, uti puto, cognosces; nec minus ex ea re, quod tabellarium fratres ad te mittant, per quem te invitant, f) ut ad nos, si placeat, venias,

264

* Genuinam, germanam, minus fucatam.

a) *Ern. Sonerum*, communem fratrum illorum ἀμέσως καὶ ἐμμέσως præceptorem.

b) Diuturna ergo fuit, cum præcipuis Socinianæ cohortis capitibus, inter quæ *Moscorovius* auctoritate reliquos anteibat longissime, *Soneri* consvetudo litterarum, ita tamen ut, quod sæpius jam testati sumus, sive ab ipso, sive ab hærede, vel filiæ tutore *Leumero* eæ abolitæ sint, ne quid clandestinorum consiliorum emanaret.

c) De Cettisio hoc litterarum *Soneriana-rum* & ad ipsum datarum curatore vide vitam *Crellii* opp. ejusd. præfixam, ubi *Joh. Baptista Cettisius* & *Generosus* appellatur. col. 3.

d) Primus ergo ad *Moscorovium* scripserat *Ruarus*, ejusque amicitiam ambiverat. Immo non ad eum tantum, sed etiam ad *Racovienses* cæteros, ad quos e vicinia sæpissime *Moscorovius* divertere solebat, ac totum *Socinianorum* cœtum: utut strenue, id a se factum esse, dissimularet alibi, aliisque amicis & patronis rationem redditurus, omnemque suspicionem a se amoliturus, alia omnia persvadere conaretur enixissime.

e) Vt nimirum gubernatorem novi cœtus loco *Soneri*, qui caput antea fuerat & quasi rector ejusdem, ageret.

f) Aliæ igitur invitationes cum hac epistola conjunctæ fuerunt, quæ tamen perierunt.

venias, & te Francofurti ad Oderam ad diem, ſtilo novo, Septembris 7. vel 8. ſiſtas; atque inde in pagum Bobowitz, a) nobiliſſimi cujusdam viri Germani, Domini Sacci, fratris noſtri, poſſeſſionem
265 excurras; ubi fratrum Germanorum cauſa, illis in locis obire Synaxin, b) ſi Deo & Patri noſtro viſum fuerit, ad 14. Septembris ſtilo novo, decrevimus. De viatico c) nihil eſt quod ſolicitus ſis. Sive enim ad nos commorandi animo excurreris, experiere fratrum charitatem, qui tales fratres & amare & in pretio habere Dei gratia didicerunt; & indies magis ac magis diſcunt; ſive redeundi ad tuos, tamen ea excurſio fructu nequaquam carebit. Etenim de rebus divinis conferre, quoad placuerit, cum fratribus tibi licebit, & interim, ut redire ad tuos commode poſſis, nec quicquam tam in adventu quam in reditu de tuo expendas, fratres providebunt. Quamobrem, niſi quid humanitus obſtiterit, en! occaſionem ejus rei, quam dudum optaſti, propoſitam habes. Quod ſi venire ad nos non potueris; qui enim rerum humanarum curſus ſit, minime nobis novum eſt; accurate fratribus cauſas, quæ te remoratæ fuerint, perſcribes, operamque dabis, ut ſemper in amore fratrum, quibus es commendatiſſimus, perſiſtas. Id ut alium uſum afferre non poſſit, quanquam cur non poſſit afferre aliquem, non video? illum certe afferet, ut nunquam ex eorum precibus impoſterum effluas. Facies præterea, quemadmodum a vobis factum nunc ſatis diligenter eſt, ut de ſtatu fratrum, illis in locis degentium, quam diligentisſime ſingula
266 annotes. d) Vale mi ſvavisſime Ruare, & me amare perge, ac in precibus commendatum habe. Dominus Jeſus te nobiſcum una cum fratribus ſvavisſimis conſervet florentem quam diutisſime. Saluto omnes fratres in Domino quam diligentisſime, eos etiam oſculo ſancto exoſculor, ac me meaque & meos precibus piis omnium fratrum commendo. Ad fratres Norimbergenſes e) ſcripſimus, illos ad majorem hortati diligentiam; præmiſſa lenisſima expoſtulatione,

a) *Sackiawus* pagus, de quo ſupra Cent. I. num. 22. ſqq.

b) Per hanc non ſolum interveniente S. Euchariſtia confœderatio ſolita inter fratres intelligitur, quæ celebrata etiam deinceps fuit, ſed etiam conventus ſynodi ad modum inſtitutus, ut de cauſa communi cœtus totius conſilia iniri posſent.

c) Hinc ergo, quo ſumtu longum illud iter peractum ſit a *Ruaro*, cui res tam erat anguſta adhuc domi, conſtat.

d) Altera ergo hæc itineris cauſa fuit, ut ſtatus Eccleſiolæ *Altorphinæ*, uti *Smalcius* in *Diario* vocat, accuratius innoteſceret.

e) Altorphii puta degentes, quorum plerique patriam *Noribergam* colebant:

tione, quod nihil hactenus literarum ab illis habuerimus; & quod eorum opera nulla sit facta Christi cœtus accessio. a) Præstet Dominus, ut aliquid efficiamus. Datum Racoviæ b) in Synodo XII. Maji, stylo novo.

XXXV.

DANIEL DE BREEN c) M. RVARO.

QUanta post Synodum Dordracenam, doctissime Ruare contentione laboratum sit ab ordine Ecclesiastico pariter & politico, in abolendis conventibus & cœtibus Remonstrantium, partim fama publica, partim literæ meæ jam olim ad te missæ, in obscuro non sinunt esse. Cæterum sicut rerum omnium, quas amplissimum illud mundi theatrum exhibet nobis, scena subinde invertitur, nihilque continuo filo libratum decurrit, adeo cœleste numen læta tristibus miscet, ne aut secundis nimium attolli, aut adversis supra modum dejici nos contingeret. Quomodo vehementem maris commotio- 267 nem tranquillitas excipit: ita postquam hæc ab ecclesiasticis contentionibus orta tempestas desæviit, reddita quodammodo videtur de integro serenitas aliqua, & aura paulo benignior, spirare. Succedente enim in Principis Mauritii, fratris sui defuncti, locum Henrico Nassovio, d) a suscepta prius vehementia cessatum est aliquantulum,

de quibus sigillatim *Hist. Crypto-Socin.* cap. II. & III. *Leimero* & *Leuschnero* solis, Norimbergæ habitantibus, non exclusis.

a) Vides, B. L. quid desiderarint quam maxime *Poloni* illi Sociniani cœtus duces. Nihil videlicet amplius & cupidius, quam ut indies cœtus *Altorphii* & *Norimbergæ* augeretur, in votis habebant. Hinc tandem ad periculum ejus rei faciendum potiores aliorsum digredi jubebantur, ut omnes pæne in Germania Academiæ hoc veneno, si qua fieri posset, inficerentur. Sint grates Deo ter O. M. summæ, quod tam mature consilia pessime inita, ipsumque adeo cœtum tam periculosa Eccl. diviniori machinantium re comperta disturbavit.

b) Vbi tum consiliorum capiendorum gratia, ut sæpenumero factum, præsens erat. Ordinaria enim *Moscorovii* sedes erat *Carkovia*, quod supra tantopere deprædicaverat *Ruarus*, oppidum, seu vicum amplissimum. Annus, quo scripta est hæc epistola, haud dubie fuit XIIIus.

c) Conf. Cent. I. Append. I. f. 460. sqq. Vbi eum ipsum *Breenium*, cujus extant a *Franc. Cupero* e sorore *Breenii* nato edita A. 1664. opera, in quibus *Annott. in V. & N. T. omnes libros*, & tract. *de Regno Christi glorioso* præcellunt, scriptorem esse hujus epistolæ, docuimus. Hoc loco paucis, officio publico illum non esse perfunctum & correctorem forte in typographeis egisse monemus, atque illam denique, quæ heic exhibetur, epistolam illam esse, ad quam supra resp. *Ruarus*, observamus.

d) *Heinrico Friderico*, qui fratri natu majori *Mauritio*, postquam is A. 1625. d. 13. Aprilis diem supremum obierat, in officio *Gubernatoris fœderati Belgii* subrogatus est, & Remonstrantibus æquior erat.

tulum, quamvis ſtrenue contra nitentibus iis, quos minime decebat, eccleſiarum in Belgio Reformatarum antiſtitibus. Nuper eorum, qui ex miniſtris Remonſtrantibus in arce Lupoſteino captivi a) tenentur, cuſtodia laxata eſt, interceſſione Principis ipſius, ut accepi, iisdemque permiſſum, ut, cum lubet, ſub dium prodeant, & in munimentis dictæ arcis aut ſoli, aut cum amicis interviſentibus, obambulent, neque enim, ut olim, difficilis eſt aditus. Vtinam certa aliqua ratio ſarciendæ inter partes gratiæ reperiri poſſet! Verum iſtud citius optare liceat, quam ſperare. Tam pertinaciter omnem pacis mentionem rejiciunt, qui ex altera ſunt factione. Actum eſt, niſi quid ὁ Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. *

In his malis hoc eſt boni, quod inter hujusmodi tumultus veritatis inquirendæ ſtudium magis adhuc incenditur. Agitatur nunc quæſtio inter nonnullos, quæ a Geiſterano b) cœpit initium: An, & quatenus Chriſtiano Magiſtratu fungi liceat? unde & illæ pendent: 268 An cuiquam pœnas corporales atque adeo capitales infligere? denique: An belligerare liceat? Sunt, qui omnino peccatum eſſe ſtatuant, Magiſtratum exercere, non tantum in Chriſtiano, verum etiam in Judæo & gentili. Alii c) non peccatum ſimpliciter, ſed imperfectionem volunt eſſe in Chriſtiano, quam in extraneo, ſi rite ſuſcipiatur & adminiſtretur, virtutem eſſe cognoſcunt, ſed inferioris ordinis, quam ſint Chriſtianorum propriæ virtutes. Itaque convenire negant cum perfectione Chriſtiana, quæ Chriſtianis omnibus tanquam ſcopus proponitur, tolerari tamen poſſe hactenus in Chriſtiano, tanquam infirmitatem. Nec abſurdum videri volunt, ut, quod locum

* Deus ex machina.

a) Illi nimirum, qui hinc illinc conquiſiti, *octo* omnino in captivitatem eam poſt ſynodum *Dordracenam* conjecti fuerant *Remonſtrantes*; quos occaſione laxatæ paullulum cuſtodiæ (conceſſa enim erat obambulandi in arce & vallo venia) A. 1631. d. 20. Julii deinceps artificio ſingulari, in ſcapham ex muro deſcendentes, evaſiſſe conſtat. Qua de re *Epiſcopii* vita Limborgiana f. 310. ſqq. conſuli poteſt. Vbi *Roterodami* eosdem exſcendiſſe e navicula, præter *Poppium*, qui in carcere jam ante aliquot annos defunctus erat, omnes, porro narratur.

b) Conf. hoc de viro non indocto & ejus opinione, quam noſter hoc loco attigit, ſupra ep. 23.

c) Quæ a *Breenio* h. l. recenſentur, ſententiæ ſunt multifariæ, tam *Anabaptiſtarum*, & prima quidem *craſſiorum* atque tumultuatorum olim, ſeu importuniorum, altera vero & ſequentes *moderatiorum* & hodiernorum, quam plerorumque Socinianorum in diverſas partes, ut alibi docuimus, conſimiliter, ut illi abeuntium. Dignus autem eſt, qui ad hæc illuſtranda conf. S. R. D. D. *Buddeus*, qui in Comm. Acad. *de Concord. Relig. Chriſt. ſtatusque civilis* c. VI. hoc de argumento copioſe exposuit.

locum virtutis habeat inter gentes ac Judæos, non eundem teneat ordinem inter Christianos. Alia enim esse officia servorum, alia liberorum aut filiorum, nec quicquid laudatur in servo, statim laudandum in filiofamilias, a quo majora & perfectiora exigimus. Nunc autem Judæi gentesque tanquam servi sunt, Christiani tanquam liberi. Porro inter filios alia dicunt officia esse puerorum, alia adultorum. Inter Christianos sunt & pueri, inquiunt, sunt & adulti in Christo. Habet enim Christianismus gradus suos, nec quispiam repente fit optimus. Quamobrem ut Magistratus concedatur pueris & imbecillioribus, non ideo conveniat perfectis & robustis. Ex adverso non desunt, qui Magistratum, & quicquid potestas illa complectitur, non solum licitum esse Christiano, verum etiam pium asserunt & honestum, adeoque cum puritate Christiana recte consistere. Rogas quid de hac controversia sentiam: lubet in præsentia ἐπέχειν,* & scepticum agere. a) Velim tamen sententiam tuam super hoc audire, ut vel hinc nova nobis scribendi surgat materia. Cupio mihi in futurum etiam de argumento prospectum esse, ne rursus silentium meum locum det responsioni tuæ. Sed heus tu, mi homo, vide ne cicadam ala prehenderis. In nummis solvendis fidem meam tibi probari gaudeo. Verum haud scio, an negligentia mea factum existimes, quod pecunia tua carueris tamdiu, non sine dispendio, ut opinor, rerum tuarum. At hic id velim mihi credas, mi Ruare, Brenii tui nulla culpa est. Ego libros nec acceperam, nec viritim distribueram, nempe id negotii ultro suscipiente Limburgio, b) de cujus ego fide & diligentia ne dubitare quidem poteram. Post multum vero temporis accidit forte, ut Amsterdamum proficiscerer: ibi visens Limburgium inveni eum non sine manifesto vitæ periculo ægrotantem.

269

Dd dd

* Sententiam suam reticere, & nulli parti accedere.

a) Ita vero scepticum egit, procul dubio, ut sententiam minus bonam h. e. magistratus dignitati & sanctitati derogantem, non obscure, animo se premere, omni data occasione, significaret. Quam deinde etiam publicis scriptis, de *qualitate regni Domini nostri Jesu Christi, quodque illud totum in spirituali dominio consistat*, & *Commentariolo in cap. XIII. Ep. ad Rom.* priori libello subtexto, atque alibi palam est professus. Cum quibus operibus *Breenii* comprehensis opusculis comparanda sunt opera *Sim. Episcopii*, in quorum T. II. ejusdem *Brenii* antiquius Examen Tr. Episcopiani: *Vtrum liceat Christiano Magistratum gerere?* cum Annott. *Episcopii* excusus reperitur, & propemodum status hic seu officium, divinitus consecratum, aperte damnatur; utut in Præfatione, ab eo rigore deinceps multum remisisse, beniginusque judicium de illis, qui munus ejusmodi gerant, tulisse, tale nempe, quo pro *infirmioribus fratribus* eos habuerit, ab editore *Phil. a Limborch*, affirmetur.

b) *Francisco Limburgio*: de quo Cent. I. epist. 66. consulatur.

tem. Nihilominus tamen non veritus ſum rogare, num ſolutio jam eſſet facta. Negabat ille, ego inſtare, ut Joanni Egberti Epiſcopio a) vices ſuas mandaret, nec amplius rem differret. Non recuſavit, ut nos ſuo nomine Remi b) fratrem id ſubmoneremus; ſic tandem nomen noſtrum expunximus. Quid in cauſa ſit, cur Limburgius in tam longum tempus procraſtinaverit ſolutionem, ex literis ipſius cognoſco. De iterata apud vos librorum, quorum catalogum texis, excuſione libens ex tuis intelligo. Quid nos ex his deſideremus, ejusdem Limburgii ſignificabunt. Vale, mi Ruare, & memoriam noſtri, ut facis, ſerva. Dabam Amſterodami, c) XXVI. Auguſti, M DC XXVII.

XXXVI.

M. RVARVS N. N.

EN tibi, vir conſultiſſime, d) breves animadverſiones in ſcriptum tuum, non contradicendi pruritu, ſed veritatis amore ſtrictas, quas ut æqui bonique conſulere, & pari candore examinare digneris, etiam atque etiam rogo.

In titulo ais, *Loca ſcripturæ Act. VII, 53. item Gal. III, 19. non recte a Luthero, nec a Racovienſibus verſa eſſe, ideoque nec recte explicari.* Magnum id Racovienſium ſolatium eſt, quod Lutherum cum iis in ſocietate malæ verſionis conjungis, cujus tanta paſſim eſt auctoritas. At non paucos alios, nec exigui nominis addere potuiſſes, ut paulo poſt patebit.

In priore manifeſtum eſt, ἐν χειρὶ μεσίτου verti debuiſſe in manu. Pro priore poſteriorem ſine dubio ſcribere voluiſti: ſed hoc levius eſt. Ἐν χειρὶ hoc in loco *per manum*, præter Lutherum reddiderunt quoque

a) Fratris Simonis Epiſcopii, filio.

b) Mercatoris, incogniti hactenus. Sic enim ex argumento ipſo efficitur.

c) Vbi plerumque vixit *Breenius*, ibidemque A. 1664. jam ſeptuagenarius, & *Socini* hypotheſium approbatarum valde ſuſpectus, etiam obiit. *Sandius* certe, inter *Vnitarios* locum ei concedere, non dubitavit.

d) Incertum eſt, quis ille fuerit JCtus. Quisquis tandem fuit, non dubium tamen eſt, eum pro divinitate Chriſti in iſthac ſcriptiuncula operoſe propugnaſſe; argumento equidem, ut, quod res eſt, fatear, uſus non admodum valido, attamen tali, in quo ingenium ſuum pro cauſa meliori probe exercuit. Venit aliquando in mentem, utrum noſter forte *Richterus* iſte ſit, cum quo tam amice heic diſputet *Ruarus*, ſed quando b. Calixti eum placita approbaſſe, animo mecum reputavi, perfacile conjecturæ huic & mature valedixi. Forte e Gedanenſium numero fuit: quod verba etiam: *Nemo Gedani ſic loqui ſolet,* f. 280. marg. ſubinnuere videntur.

que Theodorus Beza, quem, ut fere ſolet, Piſcator ſecutus eſt, cum in Latina tum in Germanica verſione, Tigurini in Latina atque Germanica verſione, Poloni in editione Hunefeldii: a) Genevenſes habent *par le miniſtere*, quod eodem recidit. Caſtellio voce *manus* omiſſa, quæ Hebraiſmum ſapit, ſimpliciter *per ſequeſtrum* reddit. His omnibus ratio illa de proprietate verborum ſine neceſſitate non negligenda ignota minime fuit, neque tamen propterea religioni ſibi duxerunt, ἐν χειρὶ *per manum* vertere. Nimirum meminerant, ſacros novi Teſtamenti ſcriptores, licet Græca uterentur lingua, in phraſi tamen ſæpiſſime hebraiſſare. Nihil autem uſitatius apud Hebræos, quam ut בְּיַד, quod ad verbum eſt ἐν χειρὶ, ea ſignificatione uſurpetur, quam Latini per præpoſitionem *per* cum accuſativo *manum*, vel etiam per ablativum inſtrumenti exprimere ſolent. Inter exempla hujus rei ſexcenta videantur ſaltem iſta pauca ex ſolo Pentateucho, *Gen. XXXVIII*, 20. *Exod. III*, 18. *VI*, 1. *IX*, 35. *XIII*, 13. *XIV*, 8. *XVI*, 3. *XXXII*, 11. *XXXV*, 29. *Lev. VIII*, 36. *XI*, 11. *XXVI*, 46. *Num. IV*, 37. 45. *IX*, 23. *X*, 13. *XXXIII*, 1. 3. *XXXVI*, 13. *Deut. V*, 15. *VI*, 21. *VII*, 8. *IX*, 26. *XXVI*, 4. Quin & in Actis Apoſtolorum *cap. VII*, 35. exemplum ſimile extat. b)

Legem exiſtentem in manu hoc eſt in ſcripto Mediatoris. Hic ipſe a 272 proprietate verborum ſtatim recedis. Nam primum contextui inſeris c) voculam *exiſtentem:* dein *in manu* interpretaris *in ſcripto;* cujus interpretationis an ullum poſſis afferre exemplum d) aliud, valde dubito.

a) Eſt ea *Polon* verſionis a Reformatis jam pridem adornatæ ἔκδοσις, quæ A. 1632. & denuo A. 1635. forma 12ma per *Andream Hunefeldium* Dantiſci prodiit, ſcriptorem autem *Paullum Paliurum* agnoſcere dicitur. De qua *Jac. le Long* P. II. Bibl. Sacr. cap. XI. conferri poteſt. Inſcripta eſt *Vladislao IV.* Regi Poloniæ cum epiſtola *Chriſtoph. Radzivilii*, diciturque in uſum Eccleſiarum Aug. Conf. quæ Polonica lingua utantur, confecta. *Andr. Wiſſowatius* in *Narrat. Compend.* &c. f. 211. *Edit. Sand. Reformatis* expreſſe ea Biblia tribuit, & *Breſtiæ* ſumtu *Nic. Radzivilii* primum impreſſa eſſe dicit. Si vero, quod *Wengerſcius* teſtatur, in ea verſione *Sociniani* operam quoque navarunt, tanto luculentius patet, quare eam tantopere commendarit *Ruarus*.

b) Omnium luculentiſſimum exiſtimo illud, quod cap. I, 1. *Hoſeæ* occurrit, ubi *per manum* Prophetæ dicitur Deus *locutus*.

c) *A proprietate verborum* non recedit, qui aliquid contextui inſerit, at ſine neceſſitate Ellipſin fingit. In præſenti autem, ubi de verbo ſubſtantivo ſermo eſt, tanto minus illud ſupplementum fuiſſet urgendum, cum frequentius nihil ſit in Libr. Hebr. V. T. quam verbi hujus omiſſio, ex orationis ſerie continua identidem ſupplenda. Vtrum vero huc quadret illud ſupplementum, non diſputamus; etſi nos quoque, minus illud convenire huic ſermoni, exiſtimemus.

d) Tametſi explicationem illam hoc loco non probo; tamen exempla utique præſto eſſe, quibus *manus* pro ſcripto per manum *chirographi* alibi uſurpetur, non eſt dubitandum. Vt omittam *Paulli* ver-

Atque ita confirmaretur sententia eorum, qui dicunt, Christum a) *ibi adfuisse.* Ad sententiam tanti momenti confirmandam, alio tibicine opus est, quam isto tam debili. Nam & aliter, ut ostendi, locus iste verti potest, quam tu vis, & licet ita verteretur, posset tamen sic explicari, legem ordinatam per angelos, ut esset in manu Mediatoris.

In utroque loco Rakovienses pro voce Engel debuissent ponere Bothen. b) Atqui in utroque loco omnes, quotquot vidi, interpretes cum Racoviensibus τῶν ἀγγέλων nomine Angelos & verterunt & intellexerunt. Videatur vetus interpres, editio Roberti Stephani, Erasmus, Calvinus, Beza, Arias Montanus, Tigurini in Latina Germanicaque, Piscator item in utraque versione, Lutherus, Castellio, versio item Gallica atque Polonica. Si tot ac tantorum virorum auctoritas nihil te movet, quo minus ab illis libere discesseris: nec mihi vitio vertere potes, quod & a te, & a nonnullis eorum, at non solus tamen, in explicatione scripturæ sacræ nonnunquam discedam.

273 *Istos angelos homines fuisse, ablegatos ad accipiendam legem, monstrat textus Exod. XXIV,* 1. 9. Nihil minus. Quæ enim species obtendi potest, quod de iisdem Stephanus *Act. VII,* 53. Paulus *Gal. III,* 19. de quibus Exodus loquatur? Nam nec angelorum in loco Exodi ulla mentio est, nec omnes isti, qui ibidem nominantur, legem e manu (ut tu vis) Christi Mediatoris acceperint, c) sed solus Moses. Cæteri

ba in ipsa hac epistola ad Galat. c. VI, 11. in Veteri sane Testamento hac notione videtur ea vox accipi Esaiæ XLIII, 5. Et forte vexatissimus quoque locus Ex. IV, 13. huc pertinet: ubi *si mittere se velit Deus ad Israelitas, ut manu* i. e. verbis litterisque scriptis, *se ad eos ableget*, quibus fidem sibi facere possit, rogat *Moses.*

a) Quicquid sit de Christi, ut Dei, præsentia, falsum tamen est, per μεσίτην in loco ad Galat. III, 19. eum intelligi, quem de internuncio Mose agere palam est.

b) Neque hæc, quantum ad scopum primarium JCti istius approbo; dissimulare tamen non possum, sæpius, ubi de *Christo* etiam & *Johanne* aliisque verbi divini ministris, in Prophetis & alibi, agitur, rectius vocabulum hoc germanicum aut latinum Legati vel Nuncii adhiberi in versione potuisse. Esse enim nomen Malach atque ἀγγέλȣ officii, *non naturæ* nomen, in confesso est inter omnes; ambiguitas vero nominis germanici *Engel*, quantam errandi & quotuplicem occasionem subministret, vix dici potest. Quotusquisque enim est, qui, quando illud audit personæ alicui tribui, ex usu loquendi tritissimo de *substantia* quadam *completa immateriali*, hoc est, *spiritu cœlesti* creato, non cogitet. Sic certe *Legatum* si reddas, *Angeli increati* effugio, quod parum abest, quin repugnans aliquid designet, opus non esset.

c) Hoc argumentum debile est. Ἐμμέσως enim id factum esset opera ministerio Mosis, quod *Paullus* affirmat. Fortius videtur, quod Angelorum in *Exodo* nunquam sit mentio. Et quanquam fortassis

teri enim inferius ſubſtiterunt: imo vero interea, dum Moſes in monte cum Deo moratur, Joſua ſolo excepto, ad vituli cultum converſi ſunt.

Si quis objiciat, non fuiſſe ablegatos, ſed accerſitos, reſpondeo, fuiſſe ablegatos una cum Moſe, ut dicto verſ. 1. A quonam vero? a populo? nullum ejus in contextu veſtigium. A Deone? atqui nemo quenquam ad ſeipſum ablegat, ſed accerſit: idque etiam expreſſe verba contextus teſtantur. Jubet enim illos Deus ad ſe aſcendere: quod non eſt mittentis alio, ſed ad ſe advocantis.

Reſpondeo, ſacerdotes & ſeniores iſtos etiam muneris ſui ratione angelos dictos. Eſto ſane: dicantur ſacerdotes, doctores, judices aliquando angeli, ratione muneris ſui; id tamen eo reſpectu fit, quatenus a Deo ad populum miſſi ſunt ad iſta munera a) obeunda. Ei vero nullus hic locus.

Sæpe tam homines quam ſpiritus Angeli ſimpliciter dicuntur. Cum angelorum nomen, quemadmodum ex concordantiis patet, centies octuagies quater in novo teſtamento legatur, de hominibus non plus quam decies quater enunciatur: unde patet, quantopere vacillet hæc comparatio. b) 274

Locus ad Hebræos commodius de hominibus quam ſpiritibus intelligi poteſt, imo debet. Mirum eſt, id neminem interpretum unquam intellexiſſe. At aliud eos res ipſa docuit. Viderunt enim, cum lege hic evangelium, & utriusque transgreſſionem, & pœnas transgreſſioni debitas, inter ſe comparari, ſemperque potiores evangelio partes tribui; viderunt etiam, evangelii promulgatorem conferri non prædicatoribus legis, ſed promulgatoribus ejus, c) quales iſti, quos

rem ipſam magis ſpectandam putes quam verba, ita ut *Seniores* illos revera populi nomine, tanquam *delegatos*, comparuiſſe & ad montem ſubſtitiſſe cenſeas; nihilominus vel *Paullum* vel *Stephanum* explicationis gratia de his aliquid monere debuiſſe, veriſimilius eſt; quos tamen *Seniorum* nomen ne ſyllaba quidem commemoraſſe conſtat, cum ἀγγέλυς nominare dedita opera voluiſſe clare appareat.

a) Ita eſt. Si ablegati fuiſſent Seniores illi, vel levi indicio hujus rei facienda fuiſſet mentio, ſive a Moſe, ſive ab interpretibus N. T. viris Θεοπνεύςοις. Quod cum factum non ſit diſtincte, neque, eorum ut *Legatorum* non habendam eſſe in præſenti rationem, obſcurum eſſe poteſt.

b) Neque hæc male urgentur a *Ruaro.* Nituntur enim regula hermeneutica *Vox ambigua*, ſi occurrat, *accipi debet*, niſi neceſſitas aliqua cogat, *ſenſu*. quem vocant, *famoſiori* h. e. trito magis & obvio. Quo, quid Angeli in *Paulli* præſertim epiſtolis denotent, luce meridiana clarius eſt.

c) Recte & hæc obſervata ſunt. Opponit enim Apoſtolus Ebr. II, 2. ſqq. *Chriſtum* & *Angelos*, atque notabili formula, eademque prorſus de ambobus utitur; quando

tu intelligis, nequaquam fuerunt. Angelorum nomen usitata significatione de spiritibus hic intelligendum præter collationem duorum istorum locorum *Act. VII*, 53. & *Gal. III*, 19. de quibus hic controvertimur, & *Act. VII*, 38. ostendit etiam *v.* 5. & 7. hic subsequens, ubi collationem Christi cum angelis, id est, spiritibus cœlestibus persequitur. Sed & hoc ipsum tu negas: quod antequam excutiam, monendum duco circa hanc collationem promulgatoris utriusque fœderis, ex ea satis apparere, Christum ferendæ veteri legi nequaquam præfuisse, quod tu tamen vis, ut qui statuis, per illius manum hanc Mosi cæterisque senioribus traditam: alioquin enim ratione pro-275 mulgatoris evangelii, qui legalem illum superet, minas contra transgressores exasperare non potuisset.

Quod ibidem v. 5. *ex psalmo de angelis dicitur, itidem de hominibus exactissime intelligi potest.* Itane vero? quo argumento? *Nam quod ibi dicitur, Deum non subjecisse mundum futurum angelis: id Dominus ipse de Apostolis suis intelligi voluit, cum dicit, Reges gentium dominantur ipsis, vos autem non sic; hoc est non subjicio vobis mundum futurum.* Mira hæc est interpretatio, quoniam Apostoli non erant sic dominaturi, ut reges gentium, eo nec futurum mundum illis subjiciendum: quasi Apostoli in futuro mundo a) non possint exercere alterius generis

διὰ τῶν ἀγγέλων & διὰ τοῦ κυρίου, sermonem utrumque, legis olim & Evangelii, λαληθέντα pro fundamento totius demonstrationis substernit. Quis autem hinc aliud quid, quam *pronunciatum* aut *promulgatum* esse verbum Legis & Evangelii, illud per *Angelos* ex monte Sinai, hoc autem per *filium Dei in carne* jam manifestatum, inde, nisi vim facere orationi planæ ausit, exsculpat? Quæ dum affirmat *Paullus*, non tamen eundem filium Dei κατὰ πνεῦμα, ceu *Petrus* loqui solet, h. e. ut Deum in solenni illa *panegyri Sinaitica* præsentem fuisse negat; neque enim de præsentia & auctoritate, sed sola *pronunciatione*, hoc loco agit. Memini equidem particulam διὰ b. *Dorscheum* nostrum alicubi, ut *Calixti* argumentum inde pro angelis creatis in V. T. apparentibus petitum retunderet, per, *inter* præsentes, explicasse & ad parallelum locum, ut putat, 2. Tim. II, 2. provocasse. Sed, quemadmodum neque hujus loci æqualitas satis firma est, ita præpositionis ejusdem cum verbo eodem de *Christo* paullo post usurpatæ congruentia l. c. ad Hebr. quominus coactam hanc interpretationem approbemus, permittit.

a) Quidsi *futurus mundus* h. l. *tempore Messiæ*, ejusque in his terris, quamquam non terreno more aut modo, erigendum & administrandum regnum denotet? Ita certe *Hebræorum* mos loquendi haud incertе solitus, quando de *olam habba* loquuntur, & phrasis *Paullo* recepta, ubi mundum pro statu Ecclesiæ V. & N. T. haud raro accipit, confirmant. Vtcunque sit; Christo tamen, qui non amplius, ut olim, *Angelorum* opera uti solet, & eo quidem modo, quemadmodum id pridem factum esse, tot *apparitiones* condocent, quas post ascensum Christi *desiisse*, ut solius verbi ejusdem prædicatione jam opus sit, experientia demonstrat. Quæ cum ita sint, quid opus est de aliis Angelis, quam spiritibus cœ-

ris regimen, quam reges gentium in hoc ſeculo. Atqui aliud illis Chriſtus promittit *Matth. XIX*, 28. his verbis: *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, quum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Et *Lucæ XXII*, 29. *Et ego diſpono vobis, prout pactus eſt mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Subjicitur quidem mundus futurus ſingulari ratione Chriſto, tanquam unigenito Dei Filio, & hæredi univerſi: at ille tamen non dedignatur in participationem ſui regni quoque admittere eos, quos 276 non erubeſcit fratres appellare, *Heb. II*, 11. quique proinde & cohæredes illius, Deique hæredes appellantur. 1. *Cor. VI*, 2. inquit Apoſtolus: *An neſcitis, quod ſancti mundum judicaturi ſint?* & v. 3. *An neſcitis, quod Angelos judicaturi ſimus?* Quomodocunque vero dicta iſta intelligantur, (nec enim ignoro, diverſimode accipi) hoc ſaltem inde conſtare puto, ſanctis, ac multo magis Apoſtolis mundum futurum aliquatenus ſubjectum.

Verſ. 7. *Similiter de Apoſtolis intelligitur.* In pſalmo Hebraico pro voce Angelorum legitur אֱלֹהִים, quod Deos ſignificat: quod tamen divinus Epiſtolæ ad Hebræos auctor non male de Angelis interpretatus eſt, prout etiam fecit *cap. I*, 6. in illis verbis: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, ubi in Hebræo itidem eſt כָּל־אֱלֹהִים, id eſt, omnes dii. Vocantur autem Angeli אֱלֹהִים a) ob robur, ut opinor, & immortalitatem, aliasque qualitates, quibus Deum referunt. Quo ſenſu vero tu Apoſtolos putes vocatos Elohim ſive deos, quo tempore adhuc in terris agebant, Chriſtusque illis ex ſententia tua minor eſt factus: lubenter ex te intelligam. Mihi quidem tu nimis tenuiter explicare videris ἐλάττωσιν* Chriſti de eo, quod ad momentum ſe dimiſerit ad lavandos diſcipulorum pedes. Auguſtius quiddam ſonat va- 277 ticinium Pſalmiſtæ.

Circa

* Diminutionem, humiliationem.

leſtibus λειτουργικοῖς cogitare. Digna h. l. videtur mihi, quæ conſulatur S. R. D. D. *Deylingii* de *Chirographi & Principum legalium abolitione* ad Col. II, 14. 15. Diſſertatio peregregia, & adde ad l. c. *Hebr.* Comment. *Braunii* lectu haud indignum.

a) Mihi nunquam ita vocari videntur, uti alibi oſtendimus. *Paullus* namque in loco ad Ebr. II. *ſenſum, non verba* expreſſit, ex more in hac epiſtola præcipue recepto, Judaicum quid, cum quibus etiam ſermocinatus eſt, redolente. Quemadmodum etiam Pſ. XCVII, 7. verba Davidis non *omnes Dii*, ſed, *quicquid Dei*, ſeu in familia atque regno Dei eſt, reddenda eſſe, patet. Nihil ergo opus fuerat tam operoſa hujus opinionis, ac ſi de *Apoſtolis* Ebr. II, 7. ageretur, confutatione; cum de *tota paſſione* Chriſti potius, quam de actu libero præcedente pedilavii iſtic vocabulis gene-

Circa promulgationem legis nulla imago Angeli visa: at quod nemo vidit, non debet affirmare. Esto, ut nullius angeli imago populo tunc sit visa, imo ut nec Mosi: an credibile tamen est, Deum tanta cum majestate tunc descendisse, quanta describitur *Exod. IX, 16. & seq. XX,* 18. nec ullum tamen Angelorum præsto illi fuisse? Mihi quidem istam angelorum præsentiam temere affirmare a) non licet: at Apostolis tamen, aliisque divinis viris ea vel traditione, vel revelatione divina, utut non viderant, constare poterat.

Stephanus non dicit, quomodo Moses legem a Deo acceperit, sed quomodo Judæi a Mose. Imo ne verbo b) quidem Mosis hic meminit Stephanus.

Posito igitur, Mosen ministerio Angelorum cœlestium legem accepisse: quid hoc afficit Judæos? Multum sane, nisi cui levis sit angelorum auctoritas, & quidem Dei nomine, Deique voluntate cum hominibus agentium.

Lex enim per Mosen Judæis data, non per angelos, Joan. I, 17. 19. Subalterna non pugnant. Potuit eadem lex per angelos primum Mosi in manus dari, & per Mosen deinde populo porrigi. Verba ista *non per angelos* apud Joannem non habentur.

278 *Nam ministerium cœlestium tunc jam desierat, cum Moses de monte descendisset, & legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων * daret,* Mosen postquam de monte descenderat, legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων dedisse, nec Stephanus, nec quisquam dicit.

*Textus ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων ** manifeste ostendit, Angelos istos subjectum δεκτικὸν τῦ νόμυ *** fuisse.* Si una tantum hæc esset præpositionis εἰς significatio: possit id sane tam fidenter affirmari. At cum plures sint, quod vel ex grammaticis constat; quis posito genere certam inde concludat speciem? Mihi quidem locum hunc diligenter consideranti, nulla ei aptior hujus præpositionis significatio occurrit, ea, quam Racovienses per particulam *auf* expresserunt, pro

* In ordinationes angelorum.

** Accepistis legem in ordinationes angelorum.

*** Recipiens legis.

calibus adhibitis differere Apostolum, universæ hujus orationis series, ipsaque adeo, eam *passionem* atque mortem secuta, *coronatio* confirmet, & luculentissime omnium denique ex *descriptione* ἐλαττώσεως per πάθημα idem appareat.

a) Non temere affirmatur Angelorum in monte Sinai præsentia, cum & ipse *Moses*, etsi non Exod. XIX. & XX. at Deut. XXXII, 2. illam clarissime tradat.

b) Quinimmo actus duo δῦναι, Patribus legem, & λαλεῖν cum Angelo, aperte distinguuntur a *Stephano*, atque ut antecedens & consequens alter alteri subjungitur.

pro qua qui Græci eleganter locuti ſunt, uſurparent ἐπὶ cum dativo, quomodo & *Luc. V*, 5. legitur, ἐπὶ τῷ ῥήματι σου χαλάσω τὸ δίκτυον. * Significationem hanc minus mirabitur, qui cogitabit apud Hebræos una literula ל vel ב diverſas particulas exprimi, easque deinde apud Helleniſtas non raro commutari. Extat tamen hujus ſignificatio particulæ ſimilis *Matth. XII*, 41. μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ, quod Beza bene reddidit, *reſipuerunt ad præconium Jonæ.* Sic igitur & hoc in loco ἐλάβετε νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων nihil aliud eſt, quam *accepiſtis legem ad ordinationem Angelorum*, a) ſive angelis ordinantibus. Διαταγῶν ** eadem hic eſt ſignificatio, quæ διαταγῆς, *** *Rom. XIII*, 2. in 279 quo ſolo novi teſtamenti loco vox hæc adhuc occurrit. Poſſet etiam non male verti *ad mandatum angelorum*, prout Syrus vocem eam reddit, qui hoc in loco habet *in manu mandati angelorum.* Vtro vero iſtorum modorum vertas, ſenſus optime congruit cum loco ad *Gal. III.* & *Hebr. II.* Vt τὸ εἰς hic notet ſubjectum δεκτικὸν, **** circumſtantia loci ferre non videtur. Vt enim mittam ſignificationem τῶν διαταγῶν, quam tu urges, inſolentem, de qua poſtea: ſubjectum legis δεκτικὸν jam verbo ἐλάβετε ***** expreſſum erat, Iſraelitæ nimirum univerſi, quod ſi deinde ad ſolos Levitas populique ſeniores reſtringeretur, eo ipſo exprobationis vis infringeretur.

Ipſum nomen διαταγῆς *in iſtis angelis* 70 (ſeniores populi intelligis) *nec non Aarone & filiis optime verificari poteſt:* & hic jam ſubjicis diagramma tuum. Διαταγὰς pro hominibus ipſis ordine quopiam diſpoſitis b) uſurpari, exemplo aliquo prius docendum erat, quam hoc tam fidenter affirmaretur.

Videtur inconveniens eſſe, fingere διαταγὴν *cœleſtium angelorum, quam nemo vidit.* Nihil hic ego fingo, ſed Stephano, & Paulo, & Auctori ad Hebræos affirmanti c) credo. Non eſſe autem indignum Deo,

Ee ee ut &

* Ad verbum tuum laxabo rete. ** Ordinationem. *** Ordinationis. **** Recipiens, ſive quod legem accepit latam. ***** Accepiſtis.

a) Sic enim *Paullus* ad *Galatas* explicat. Forte εἰς pro ἐν ex uſitatiſſima conſuetudine h.l. poſitum eſt, ut *caſus Ablativus modum*, quem diſtinctius Hebr. II, 2. expresſum legas, deſignet. Nequaquam igitur ad ſubjectum recipiens, ſed ad agens & tradens ſeu recitantes perſonas hæc referenda ſunt.

b) Non ſatis mirari poſſumus, hanc notionem inficiari *Ruarum* uſu probatam eſſe, quæ omnem, in *Tacticis* ſcriptis Græcorum h.e. *de ordinanda recte & inſtruenda acie* agentibus, paginam facit. Aliunde ergo ſententia illa refellenda fuiſſet, quia notio inſolita non eſt.

c) Non tantum huic, ſed & *Moſi* ipſi l.c. eadem (coll. Pſalm. LXVIII, 18.) idem teſtato credimus, uti paullo ante jam monuimus.

ut & angelos ad maximarum rerum ordinationem adhibeat, ut alia taceam, vel unus hic Danielis locus ostendit, *cap. IV*, 14. *In sententia* 280 *vigilum decretum est, & in sermone sanctorum petitio;* ubi per vigiles atque sanctos intelligi angelos, a) apud interpretes in confesso est.

Phrasis Stephani germanizat, & post, nobis eadem φράσις, accepistis mandata regia in tres ordines vestros.* Absurdum videtur, Stephano phrasin affingere, cujus non aliunde, quam ex Germanica lingua exemplum allegari possit: at exemplum tamen hoc est sine exemplo. Nemo enim Gedani b) sic loqui solet.

*Stephanus de διαταγῇ ** angelorum in se loquitur.* Vis, ni fallor, dicere, angelos hic διατάττεσθαι, *** non διατάττειν. **** At unde id probas? nam genitivus subjectus substantivo, non minus caussam agentem, quam subjectum recipiens denotare potest. *Quæ διάταξις ***** ipsis expresse mandatur dicto loco Deut. XXXI, 9.* Lego quidem in allegato loco, traditam legem sacerdotibus & senioribus Israelis, iisque imperari, ut septimo quoque anno eam populo prælegant: at eam illic vocari legis διάταξιν, ****** non lego. *Cœlestes angeli neque internum ordinem legi dederunt, neque externum forensem.* Haud satis capio, quid tibi velis per internum ordinem: at mihi sufficit, quod nomine Dei sonum verborum legis in aere effinxerint, c) cæterarumque circumstantiarum, cum quibus lex fuit lata, ministri Deo fuerint.

Quæ pro cœlestibus angelis allegantur, non possunt intelligi de legis pro- 281 *mulgatione.* Quid obstat vero? non nude hoc affirmari, sed probari debuerat.

Minus

* Loquendi forma. ** Ordinatione. *** Ordinari. **** Ordinare. ***** Ordinatio. ****** Ordinationem.

a) Nescio, utrum id sit apud interpretes in confesso. Non desunt forte, qui de ipso Deo, *vigile illo Israelis*, trinuno intelligenda verba Prophetæ putent. In consilium certe angelos a Deo adhiberi, nisi ἀνθρωποπαθῶς id dici existimes, vix ausim affirmare. Sed forte hæc, quæ b. *Geieri* quoque sententia est, ex Hiob. I, 6. II, 1. & 1. Reg. XXII, 19. ad morem aularum & aulicorum consiliorum delineata, illustrari potest. At enim, quoniam ad præsens institutum parum ea faciunt, in præsentia non copiose excutiemus; sed in dubio hoc moto subsistimus, & plura desiderantes, pro Deo imprimis, quæ pugnent, ex peculiari h. l. Dissert. Celeberr. *Petri Zornii in opuscul. sacr.* f. 215. sq. plura argumenta consideratu dignissima, repetere jubemus.

b) Hinc itaque, aut scriptam esse in ea urbe hanc disquisitionem a *Ruaro*, aut ad virum ibidem habitantem doctum sane non vulgariter, missam, colligas.

c) Dicuntur enim Angeli Hebr. II, 2. *eloquuti* hanc legem. Quo posito διαταγαὶ *enunciationem ordinatam* ita, ut una lex post alteram distincte audita fuerit, sonore ita promulgatæ, denotabunt.

Minus dubium est, Judæos in homines, qui vicem ipsorum habebant, quam in spiritus legem accepisse. Nemo dicit, Judæos legem in spiritus accepisse: itaque frustra hoc objicitur. Nec Judæi in vicarios suos, id est, (ut tu intelligis) seniores legem recte dici possunt accepisse: prout antea ostensum est. Tolerabilius seniores dicerentur legem in Israelitas accepisse, quam contra: ut quæ ipsis quidem primo tradita fuit, cæteros tamen omnes obstringebat. Quod attinet ad locum *Philipp. II*, *6.*, putas, te rem contra Erasmum confecisse, cum ostendis, Christo rapinam divinitatis a Judæis objectam fuisse. Sed utut hoc tibi detur; manet nihilominus Erasmi objectio, nihil magni Paulum Christi tribuere, si, cum Deus esset natura, (adde etiam, cum divinitatis illi rapinam adversarii exprobrarent) intellexit, id non esse rapinæ, id est, novit seipsum. Quanto rectius hunc locum explicuit ille, qui notarum istarum auctor est, quæ in bibliis vulgo Vatabli dictis leguntur. Ejus hæc sunt verba: *Æqualitatem, quam cum Patre habebat, ambitiose retinere noluit, velut facere solent prædones*, a) *qui, quod semel rapuerunt, summa cura & studio retinent: sed ab illa ad tempus discessit, quum formam servi accepit.* Paulo aliter Piscator, nec male tamen: *Non ostentavit suam gloriam divinam, sicut victores spolia hostibus detracta ostentare solent in triumpho.* Cætera apud ipsum videantur, quæ contextum hunc non parum illustrant. 282

XXXVII.
GEORGIUS KOENIG M. RUARO.

CLarissime & excellentissime Domine Ruare, Amice dilectissime, binas tuas una cum libris sartas accepi, & perpetuatam tuam erga me benevolentiam satis superque ex iis perspexi; perge, quo pede cœpisti inposterum quoque me amare, faxo, parili affectu tibi respondeam. Exulat candor hac tempestate cum hominibus, nostrum erit in id incumbere, ut in nobis vigeat atque perennet. Qua quidem

a) Rectissime ita verba hæc *Paulli* explicantur. Non tantum, quia de *modo vivendi* humillimo h. l. sermo est, qui non in mera notitia consistit, qua majestate Christus, ut homo, uti, sibi revera communicata, potuisset, si voluisset, ea vero non esse *ambitiose* & *plene* statim *usum*, docet; sed etiam propter *consuetudinem Græcæ linguæ*, non aliter, quæ *de subitanea & cupida involatione in potestatis*, qualitercunque competentis, *usum* phrasin, hanc alias usurpando, ad eum modum h. l. etiam interpretari jubet. Cujusmodi loca cumprimis diligenter *Lambertus Bosius* in *Exercitatt. Philolog.* nominatim vero ex *Heliodori Æthiop.* L. VII. c. 20. congessit. Quem consulere l. c. f. 200. non pœnitebit.

dem in re si te superare nequeam, æquabo tamen strenuissime. Pretium pro libris juxta designationem tuam, quam vide, inclusi hisce litterulis, tu cape cum gratissimo meo animo, & ad rependendas alternas vices promtissimo, atque fac, ut, si quid librorum istius farinæ ad tuas pervenit, pervenisse autem plurimos, & inter eos Domini Volkelii locos, a) quos hianter expecto, non dubito, ad meas manus data occasione perferantur. Exsolvam omne debitum absque contracta vorsura. Nolim de illis sis sollicitus, qui antea plures sunt editi, istos enim te proxeneta magnam partem jamdudum com- 283 paravi: hoc fac mittas, qui brevi tempore ante lucem aspexerunt, & sic facies, quod erit gratum. Domino Cornelio misi literas tuas b) & ad te scribendum ipsum solicitavi. Non dubito, quin promissis satisfacturus, ad te scripturus, & vetus debitum, hactenus insolutum, tandem redditurus sit. Quæris: quomodo hi libri ad meum palatum? dicam ingenue: bene, indies enim ex illis proficio, & quæ cum sacris literis consona reperio, cum laude Autorum accipio; quæ dissona, cum pace eorum c) respuo. Vale, vir optime, & si dabitur scribendi occasio, Reverendum & clarissimum Dominum Crellium ex me officiose salvere jube. Altdorphi mense Septemb. Anni M DCXXIX.

XXXVIII.

a) Prodierunt A. 1630. *Racoviæ*, forma quadruplicatæ chartæ, sed de *vera Religione* titulo præfixo; ita tamen, ut auctor ipse, antequam perficerentur, labori huic immortuus sit. Continere eos *Socini opp. compendium*, quod adhuc defuerat, & plenius quidem ac modestius, quam *Ostorodianum*, nemo ignorat, eaque de causa, neque *Kœnigium*, cujus in hac epistola major laudanda est, quam in superioribus, prudentia, desiderasse, & hiante ore opus hoc expectasse, miramur. Tanto vero magis ex *Volckelii* industria id sperabant se consecuturos eruditi, quo notius erat, intimum illum & *γνήσιον Socini* discipulum fuisse.

b) *Cornelium Marci* his verbis indigitat, cujus etiam supra epist. 25. mentionem injecerat. Idem vero, quantopere, nec illaudabiliter, *Ruari* & cæterorum, quondam amicorum, sed ad perniciem fidei atque animæ suæ amicitia illa familiari abusorum, consuetudinem, litteris quoque scriptis ultra conservandam fugerit, pertinaci silentio demonstravit. Vt proinde satis mirari non possim, a *Kœnigio* collega tam operose ad eam fuisse solicitatum, quem omni potius studio, vel suspicionis evitandæ causa, inde eum avertere atque abstrahere decebat.

c) Non cum pace, sed *detestatione portenta Socinianorum* respui debere, alii, nec immerito, existimabunt. Mihi nec priora probari denuo profiteor, & *moderationem* etiam *immoderatam* facile fieri posse, novo hocce exemplo viri tuendæ alias veræ in Theologia sententiæ studiosissimi, qualem *Kœnigium* fuisse, nemo unquam dubitavit, comprobari doleo.

XXXVIII.

FLORIANVS CRVSIVS a) M. RVARO.

GRATIA ET PAX A DEO PATRE ET JESV CHRISTO DOMINO NOSTRO.

ACcepi tandem Mesericio b) literas & fasciculum librorum, quos jam a longo tempore mihi reddendos destinaras. Miror, Bergium c) rem tanti momenti tam ruinoso superstruere fundamento; certe enim ad Papismum non modo eo pacto paratur via, sed ad ipsum potius atheismum, cui ego omnes emunctioris nasi pontificios addictos credo. Imo si periculi nihil esset, & salvo veritatis jure fieri posset, ut in scripturis sacris explicandis antiquorum scriptorum consensu niteremur, tamen de hoc eodem consensu ex scriptis eorum d) adhuc nisi quod aliud accedat certi esse non possumus, & sic eadem manet difficultas: nam & de patrum sententiis hodie inter Lutheranos, Calvinianos & Pontificios varie certatur, dum quivis eos in suas partes trahere e) contendunt. Aliis igitur opus est argumentis, ut de veritate sensus nostri, quem de fundamentis fidei nostræ habemus, certi esse queamus: in quibus constituendis atque ab omni calumnia non levi brachio vindicandis, ego quidem nunc 284

a) Est hæc epistola prolixæ illius, quæ num. 32. p. a. exhibita fuit, quasi *apologia*. Valde tamen dolendum, *Ruarianam*, quæ intercessit, atque ad *Crusium* data fuit, ex qua lux aliqua huic responsioni affulgere potuisset, periisse.

b) In hoc enim prædio A. 1629. adhuc hærebat *Ruarus*, filiorum *Saccianorum* aliorumque juvenum nobilium Polonorum ephorus, pluribusque de causis patroni hujus sui beneficiis & munificentia sustentatus.

c) *Conradum*: ad quem epistolæ ea tempestate *Francofurtum* scriptæ sunt, quæ Cent I. n. 18. sqq. habentur.

d) Præsertim, si animo tecum repures, paucissima ex optimis seculis prioribus superesse & pleraque intercidisse. Quarto enim, quo major tranquillitas *externa* cœtui christiano obtigit, paullatim cum superstitionibus errores quoque invaluisse nemo dubitabit, nisi, qui forte ex rerum externarum specie splendidiori veram felicemque religionem perperam æstimet.

e) Non levem huic dissidio, *phraseologiam* Doctorum primæ Ecclesiæ, a nostra multis modis *discrepantem*, præbente occasionem. Ad quam evolvendam atque ambiguitates detegendas, profecto non superficiaria Antiquitatis Ecclesiasticæ cognitio sufficit. Ex quibus solis circumstantiis, *quantis ambagibus* consilium illud *Bergianum* obnoxium implexumque sit, elucet; pluribus autem Disputationes ipsæ ex his principiis institutæ, tot fraudibus insuper Librorum *Pseudepigraphorum* expositæ confirmant. Cui rei illustrandæ, non alia magis, quam *Philippi Mornæi* nobilissimi in *Fontisbellaquensi* cum Card. J. D. *Perronio* colloquium A. 1600. & congressus *Jac. Heilbrunneri*, cum *Jac. Kellero* super istius *Papatu Acatholico* A. 1615. hab. ac denique b. Tob. *Wagneri* a calumniis Wagnereccianis in causa Besol-

magno cognatu laboro: nec de ſucceſſu deſpero, etſi longius in eo labore tempus mihi conſumendum eſſe video. Jacobi Martinii ſpeculum rationis, quod vocat *Vernunfſts-Spiegel*, a) perlegi, in quo multa optime tradita inveni, ut & in ſcriptis Cornelii Martinii & Conradi Horneji, qui ex primariis ſunt hujus temporis Philoſophis in Germania, horum non vulgaris notæ, & quorum autoritate b) non ſine magno emolumento multorum, me ſuo tempore uſurum ſpero, ſi modo Deus iis, quæ molior, proſperum ſucceſſum largitus fuerit. Ochini labyrinthos c) vellem mitteres: etſi enim ego Italica non intelligam, interpretem tamen adhibebo Eugenium noſtrum, d) qui ejus linguæ eſt peritiſſimus, & in ſubtili etiam ſenſu eruendo ingenium habet ſatis perſpicuum. 285 De loci finitate tuæ ſubſcribo ſententiæ, quam ego jam ante aliquot ſeptimanas poſt attentiorem rei iſtius conſiderationem deprehendi rei maxime congruam: multa enim ſunt, quæ non permittunt ſpacium aliquo actu infinitum extra complexum hujus univerſi ponere: e) in quam ſummam Keplerus etiam abit in Aſtronomia ſua Copernicana: niſi fortaſſis hoc obſtare poteſt, ſi quis ita colligat: ſi extra univerſum nullum ſpacium eſt actu, mundus ipſe, etſi aliis locum præbeat, erit extra locum & abs-

que

diana vindiciæ A. 1647. publicatæ, inſerviunt.

a) Notiſſimum iſtum librum, qui jam A. 1618. Witteb. typis excuſus eſt, occaſione *Dan. Hoffmannianæ* & *Wenzesl. Schillingianæ* controverſiæ ſcriptus, tanto magis credo placuiſſe *Cruſio*, quanto diligentius philoſophiæ etiam in Theologicis uſus in eo celebratur.

b) Quæ de tantorum virorum in ſtudiis ſuis provehendis auctoritate ſcribit *Cruſius*, jactantiæ potius, quam veritati adſcribo. Nihil certe ex eventu cognitum eſt atque compertum.

c) Agunt hi *Labyrinthi* (ita enim auctori vocare opuſculum iſtud placuit, propter abſtruſum præ cæteris argumentum, quod tractat) de *Prædeſtinatione & Libero arbitrio*, excuſique ſunt forma octo paginarum, *Baſileæ*, neque unquam, quod ſciam, Latine redditi, imo neq; Italica lingua, qua ſcripti ſunt temere hodie comparent. De *Ochino* ipſo, eorum ſcriptore, alibi jam plus ſatis a nobis aliisque dictum eſt.

d) *Wolzogenium*, qui cum *Cruſio* affine ſuo conjunctiſſimus vixit, virum eruditiſſimum h. l. iterum innuit, ſæpius jam ante commemoratum.

e) Rectius forte ſcripſiſſet: *Imaginationem*, cujus inde a pueris immoderata & noxia admodum veritati inveſtigandæ haud raro vis eſt, plerumque & apud plerosque, *ut idea alia de termino rei*, etiam materialis, ſive continuatione quadam, extra eam adjecta, *formetur*, *vix permittere*. Quantum vero indulgendum ei ſit, & quod frenum injiciendum, illi præceperunt, qui de moderatione tam ſenſuum, quam imaginationis ſeu phantaſiæ in veritate inquirenda, quos inter b. noſter *Rötenbeccius* præcipue claret, commentati ſunt. Confer, quæ ſupra ad ep. 32. ex *Werenfelſio* ea de re annotavimus, unde illa quoque, quæ de *nihilo*, utplurimum male nobis repræſentato addit noſter, illuſtrari poterunt.

que loco: corpus autem, quod in nullo eſt loco; nusquam eſt, adeoque non eſt: difficile enim videtur in nihilo circumſcriptionem entis concipere, & ſuperficiem univerſi terminari in nihil, cum id ipſum infinitatem quandam actualem involvat: nam quod in nihil terminat, non habet terminum: niſi igitur ipſum mundum infinitum ſtatuere velimus, neceſſarium eſſe videtur, ut poſitivum & actuale ſpacium infinitum extra mundi terminos ponamus. Sed fortasſis neceſſarium non eſt, omne ens, præter proprios quantitatis ſuæ terminos, alienos etiam habere, quibus finiatur: & propterea ad id, ut mundus ſit, & ſit finitus, ſufficere videtur, ut propriis ſuis terminis propriaque ſuperficie circumſcribatur: ut ita locus, quatenus eſt ſuperficies corporis ambientis, quanto, non quatenus eſt quantum, ſed quatenus eſt corpus phyſicum, conveniat, quale corpus ipſum univerſum ut eſſe credamus, non video, qua neceſſitate co- 286 gamur, utut corpora phyſica complexu ſuo contineat: nec cum hoc dicimus, opus eſt, ut ſimul dicamus, nihil eſſe terminum univerſi, quia nihil, cum ſit non ens, non poteſt eſſe terminus entis, a) nec ullam ad ens proportionem habet; unde nullo jure ad eam contradictionis implicationem, quæ in propoſita objectione continetur, adigi poſſumus. De diviſione continui in infinitum quod exiſtimas me concedere, punctum dividi poſſe in infinitum, in eo ſententiam meam plene percepiſſe non videris. Ego enim cum nego continuum poſſe dividi in infinitum, nego poſſe fieri, ut ulla ratione unius continui finiti dari queant partes numero infinitæ, qualescunque etiam illæ partes fingantur, dummodo ſint actu partes quanti alicujus

a) Quidni? Modo diſtinguas inter terminum, *a quo* fit initium, & *in quem* vel per annihilationem deſinit, & contra inter terminum, *ex quo* res aliqua oritur atque producitur, aut per alterationem quandam commutatur, ſin ſecus in *Spinozæ* illud: Ex nihilo nihil fit, incides, atque hinc ex Deo omnia, quæ orta ſunt, derivanda, cunctaque æterna etiam eſſe aut in Deum revolvi, ſine dubio, truculenta ſane dogmata colliges & adſtrues. Aut, ſi hæc fugias, portentoſas *Eilh. Lubini* de nihilo ſpeculationes approbare oportebit. Satius eſt ergo, revelationi inhærere, quam rationi in pelagus illud æternitatis atque infinitatis immerſæ, & ſibi in eo cum ratione inſaniando nimium indulgenti, obſecundare. Nobis omnium optime haud ita pridem celebris quidam Theologus: *Melius eſſe, creaturas contemplari, prouti creatæ jam ſunt, quam, quomodo creari potuerint*, judicaſſe videtur. Cui pio prudentique monito ut omnes vacivas aures præbeant, ne quid temere contra majeſtatem Dei, mundum hunc in majus, quam par eſt, extollendo, ſtatuant, ex animo precor, idemque ut ad orbem hunc exiſtentem pariter ac diſſolutum applicetur, atque ea, quæ ſupra mundum ſunt, nemo non inter admiranda divinæ potentiæ in condendo & conſervando eo documenta, conſectetur, ingenue opto.

jus continui: quod non existimo ullum, qui rem exactius pensitaverit, impugnare posse: jam quia totum in infinitum dividi posse nego, multo magis punctum, quod est minima totius pars, in infinitum dividi posse negabo, scilicet in partes actu infinitas, & quæ tamen sint partes actus puncti. Rationes autem, quas pro infinita puncti divisione attuli, non probant aliud, quam quandam divisibilitatem, sine divisionem non actualem sed potentialem, a) quæ infinita sit: jam divisio potentialis plurimum abest a divisione actuali: quia hæc fit per motum vel potius in motu, illa per quietem vel potius in quiete; nec melius aut clarius rem hanc ob oculos tibi 287 ponere possum, quam per illud exemplum, quod, nisi fallor, in illis literis, ad quas jam respondes, considerandum tibi proposui: quod ut accuratius expendas oro. Nam imaginare tibi lineam aliquam ex durissima aliqua materia, ut adamantina, quæ a te ad terminos horizontis tui protensa in ipsis stellis & in ipso cœlo desinat: finge iterum proxime circa te circellum parallelum circulo extimo horizontis in cœlo ipso concepto descriptum: jam fac lineam illam adamantinam secundum illam, qua cœlum attingit, extremitatem, moveri per circulum extimum horizontis, & in circulo horizontis extimo miliaria forte 30. respondere unico puncto in circello circum te descripto; finge igitur extremitatem lineæ illius adamantinæ in extimo circulo promoveri per miliare dimidium vel unum atque alterum, ad cujus motum in circello tuo ea pars lineæ, quæ ipsum secat, de puncto suo non promovebitur, imo ne quidem, si extima pars per aliqua multa miliaria usque ad 30. moveatur, pars ei correspondens in circello tibi proximo punctum suum egredietur: nec minus tamen quiescendo etiam pars ea lineæ, quæ tibi proxime ad motum extimæ partis magis ac magis motui suo appropinquabit, & propior erit ipsa promotioni suæ de puncto suo, cum pars extima lineæ per 20. miliaria promota fuerit, quam erat, cum ea per 10. miliaria promota esset. Vides igitur, in ipsa quiete sensibili fieri quasi divisio- 288 nem puncti illius, in quo pars lineæ interior promota etiam extima parte quiescit, atque ita, dum punctum actu ipso non dividitur, dividi tamen potentia: atque hanc ego divisionem potentialem intellexi, cum dixi, potentiam puncti dividi posse in infinitum; non autem

a) Ego mallem potentiali huic divisibilitati substituere *imaginariam* reali oppositam, & imaginatione tantum nostra non concipi id posse per annihilationem, existimaverim.

tem quod crederem, punctum actu in partes infinitas secari posse, quod credunt Peripatetici, qui, de rebus actu existentibus loquentes, dicunt, in ipsis non dari actu minimum, quem sermonem, nisi commoda explicatione juvetur, ego contradictionem tandem involvere existimo, propterea quod actualem quanti finiti divisionem eandem cessare necessarium est, & quidem in eo, quod actu est indivisibile: licet interea probe norim, & hoc pro excusatione Aristotelis afferri posse existimem, quod non possit humana arte exprimi, vel adumbrari, aut ullo sensibus perceptibili, vel quocunque etiam intelligibili, sed physico modo (nisi fortassis in solo lineæ termino) ob oculos poni id, quod est in quanto continuo minimum, & in quo divisio ejus actualis cessare necessum habet: unde in physico non datur minimum, secundum rationem autem metaphysicam a) ob rationes jamdudum dictas datur, quod & tu ipse agnoscis. Ignosce autem, charissime Ruare, quod hæc non elegantius & magis ad stilum Philosophorum accommodate profero: vides enim, me in re difficili adhuc balbutire quasi, & materiam tantum subministrare, quæ alio tempore melius proponi & expoliri queat ab iis, qui perfectius philosophari didicerunt. Dum autem dicis, te hic * ἐπέχειν, b) vide, 289

 quam

* Inhibere, retinere assensum, ad nullam sententiam accedere.

a) Redeunt hæc ad imaginationem a ratione discernendam, seu potius ad *intellectum purum* atque *impurum*, phantasiæ sc. ope & utentem & sæpe abutentem, ut alii clarius, si quid judico, hæc denunciant. Certe metaphysica consideratione non solum minima dantur, sed etiam ex eo, quo aliquid, & quidem res quædam etiam corporea, fuerant, in statum illum, ubi nihil omnino sunt, redigi posse, agnoscendum est. Quod tamen ipsum nihilum, ut vastum aliquod inane, h. e. ut extensum sibi phantasia, physico quodam modo, sed minus sano, imo falso & perverso, etiamsi omnibus viribus obnitaris, repræsentabit. Hinc illæ lacrymæ, & tot sophorum ἀσόφως formatæ *de Deo, anima & mundo* cogitationes ac meletemata, ingenti licet strepitu & pæne cum dictatoria auctoritate, ut nunc quoque fit, pronunciata. Quem ignem ergo h. e. lucem Dei ex operibus splendentem infinitam forcipe non tangere, sed ex altari divino carbone sumto linguam animumque prius sacrare, quam in divina illa mysteria illotis manibus irrumpere, satius esset.

b) Vtinam, quod in Philosophicis fassus est *Ruarus: Esse quædam, ubi intellectui subsistendum sit, nec detur procedere ultra;* in mysteriorum quoque divinorum per revelationem cognitorum dijudicatione observasset! Si enim *modesti est Philosophi*, fateri, distincte concipi quædam non posse, ea nimirum, quæ infinito enti potius conveniunt, ut potentiæ & scientiæ ejus objecta; multo magis *Theologos* id decebit, a quibus: *Dandum esse, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse;* omnium consensu jam pridem comprobatum est, ipsaque etiam verbi divini patefacti de mysteriis testificatio, commendataque nobis judicandi verecundia, toties repetita, confirmant.

quam optime mecum jam consentias etiam inscius: nam ut tu a potentiali illa puncti in infinitum divisibilitate (qua scilicet existimatur & creditur fieri posse, ut punctum actu dividatur in infinitum, quemadmodum numerus augetur actu in infinitum) abhorres, ita & me scias non minus ab eadem abhorrere. De extasi Pauli duplicem adfers rationem, secundum quam ipse de se dicere potuerit, se fuisse extra corpus, quam utramque mecum communem habes: eadem enim & mihi hac de re sententia fuit: magis autem verisimile mihi videtur, Paulum dubitare, an revera corpore in cœlum raptus fuerit, an vero corpore in terris existente tamen extasin sit passus, & quo ad animos ita affectus, ut sibi in cœlo esse visus sit: quanquam hæc quoque explicatio in prioris possibilitate fundetur, circa cujus modum aliquid est, in quo a te dissentio, sed de eo, quia longum id esset dicere, nihil nunc addo: delaberemur enim ad illam quæstionem, quæ a Theologis passim agitatur, an & quando eadem numero corpora a) e morte sint resurrectura? Sed hæc quoque nunc satis sint: de cætero tuum ego adventum, si Deo ita iter tuum dirigere visum fuerit, expecto. Vale, optime Ruare. Dabam Stetini, calamo currente, die XXI. Febr. M DCXXIX.

290

XXXIX.

M. RVARVS b) N. N.

REverende Domine, nihil admodum scriptu dignum interea apud nos accidit, ex quo postremas meas ad te dedi. Conventus tamen

a) Mirum est, qua via ad quæstionem illam, raptum seu ecstasin *Paulli* attentius consideraturus, se abripiendum putaverit *Crusius*. Corpore enim eodem & his in terris & in cœlo simul se extitisse, nullatenus inquit *Apostolus*, multoque minus idem per raptum illum in alium mutatum affirmat; sed utrum anima, interea, dum tanta luce perfunderetur, ut rebus istis cœlestibus se interfuisse non posset non sibi persuadere, a corpore *certo quodam modo* sejuncta fuerit, salva tamen essentia humana; anne vero *ipsum* quoque *cum mente corpus* illuc *transvectum* sit, divina quadam ratione, id est, quod fieri forte potuisse, nec tamen, hoccine an illud acciderit, asserere se posse, ait Apostolus. Rem ipsam vero, quam *Paullus* sui alias conscius nescivit, investigare velle, illud quam temerarium esse & nos, arbitramur.

b) Hanc epistolam, quam patri suo *David Ruarus* Cent. II. editor h. l. adscripsit, ego valde dubito, ab eo scriptam esse. Cum enim non constet, quamobrem, & qua occasione is *Ratisbonam* sub id tempus pervenerit, qui sequenti demum A. 1631. *Wissowatium*, non tamen hac via peregre abeuntem, comitari ailquousque cœpit; tum vero maxime illud, quo minus credam, ab eo profectam, prohibet, quod *Romano-Catholicos*, constanter fere scriptor hic, ut *suos* commemorat, eorumque causam *Lutheranorum* rebus oppositam *nostram* (f. 292. & 293. marg.) appel-

men Principum a) adhuc durat, necdum de discessu eorum quicquam certi significare possum. Crediderim quidem, si difficultates rerum præsentium aliquatenus explicatæ essent, quemque ad sua quam ocissime revolaturum. Nam & commoratio hæc diuturna plerisque molesta, atque etiam pergravis est, & res domesticæ complures ad sua negotia revocant. Verum difficultates, quas dixi, solito graviores, moram hanc diuturnam causari videntur. Argumento sunt frequentissimæ & diuturnæ consultationes, atque etiam nescio, quæ tristior solito rerum facies, quæ quamvis conviviis ac compotationibus aliarumque voluptatum spectaculis frequentioribus, qui b) de industria tegatur, evidentior tamen est, quam ut plene occultari queat. Si de re ipsa ex me quæras, cum insigni omnia cum taciturnitate gerantur, divinare aliquid licebit, affirmare certe non licebit. Suspicor enim, Sveciæ Regis molitiones, præter alia, omnium Catholicorum animos vehementer perplexos reddere. c)

lat. Neque enim de patria *Ruari* Germania istic sermonem non esse, obscurum est: cujus etiam perexiguam ille, extra eam alioqui degens, rationem habuisse, mihi videtur. Accedit etiam stylus, qui neque ita tersus atque purus, ut solet esse *Ruarianus*, neque tam svavis & concinnus, qualis in reliquis epistolis passim observatur, heic occurrit usurpatus. Parum ergo abest, quin suspicer, epistolam hanc, ab alio forte scriptam, eo nomine, quod fata t. t. singularia quædam Germaniæ οὐκ ἄνευ κρίσεως delineata exhiberet, manu *Mart. Ruari* descriptam, atque a filio hac de causa, quod patris illam esse opinaretur, cæteris per errorem interpositam esse. Ab amico ad *Ruarum* equidem datam aliquando existimaveram, sed cum preces hominis *Sociniani* expetitas; & titulum Reverendi expenderem animo, eam facile opinionem missam feci.

a) Comitia haud dubie hæc sunt Electorum, in quæ digitum intendit epistolæ auctor, *Ratisbonensia*; de quibus breviter in *Epitom. Hist. Append.* f. 766. (a) Cluverus. *Sub hæc comitia habebantur Ratisponæ, seu constituendæ per Germaniam paci, seu alendo commodius exercitui, donec imperata facerent, qui Cæsaris aut fœderatorum Romanensium placitis adversarentur. Electores Evangelici, Saxo & Brandenburgicus, interesse huic conventui, nisi per Legatos detrectabant; Romanam qui colunt sedem Pontificis frequentes aderant; a quibus & renovatum fœdus decretumque, ut validissimus cogeretur exercitus compellendis Principibus ad Eccles. restitutionem bonorum, quæcunque post Passaviensem transactionem suis adjecissent partibus &c.* Exauctorationem de reliquo etiam Ducis exercitus Cæsarei *Wallensteinii* decretam fuisse & mox executioni datam, notum est.

b) Delendum est hoc vocabulum seu pronomen *qui*, sensum obscurans magis, quam dilucidans.

c) Nec mirum, cum subito irrupissent nuperrime, & latius jam per Saxoniam inferiorem vagarentur, longiusque indies progrederentur. Hinc in iisdem Comitiis l. c. *proscriptionis pœnam eis indictam esse* legitur, *si qui ope operaque Svecorum conatibus faverent, & ordinibus* contra *injunctum* dicitur, *ut subsidia in bellum Sveco inferendum suppeditarent singuli.*

Quotidie quippe novi de ejus conatibus nuncii adferuntur, quale
291 est, quod nuperrime allatum fuit, eum castris ad Stetinum bene munitis, præsidioque ibi firmo relicto, navibus conscensis validam militum manum alicubi in littore Balthico non longe Rostochio in terram exposuisse, eoque facto nostrorum consilium, qui, appositis ad Garzium castris, progressum ipsius remorari constituerant, fefellisse. Rumoribus etiam haud plane incertis nunciatum fuit, Suecos Rostochium obsidione premere, qua si potiantur, quid restat, nisi Wismaria, ut universi littoris ac maris Balthici dominium obtineant? In cujus occupatione quantam Catholici spem posuerant, tutemet optime novisti. His accedit aperta Magdeburgensium rebellio, & pseudo-Episcopi Hallens. a) novæ quotidie copiæ. Quin & hoc nunciatum fuit, Ducem quendam Lauenburgensium b) repente, nescio unde, parvis cum copiis provolantem, aliquot ad ripam Albis oppida Sueci nomine & auspiciis occupasse, jamque copiis quotidie recentibus auctum majora moliri, timendumque esse, nisi in obsidione alicujus urbis Rex ipse detineatur, ut sese cum Hallensi exule c) & illo Lauenburgico conjungat, &, viribus ac copiis conjunctis, pontem Dessaviensem aggrediantur, quo occupato, omnibusque adeo ad Albim trajectibus in potestatem redactis, exercitus Cæsareani cis Albim a trans-Albinis divellentur, quo nihil accidere potest rebus
292 Catholicorum perniciosius. Hoc enim perfecto, hostes tum Pomeranicum ac Megapolitanum Ducatus omni Imperialis militis metu liberabunt, tum Magdeburgensibus aliisque cis-Albinis rebellibus suppetias pro libitu ferre poterunt: imo commeatum sibi liberum in territorio Catholicorum aperient, quod factum quænam secutura sint, tibi pro tua prudentia æstimandum relinquo.

Dices:

a) *Christiani Wilhelmi*, Brandenburg. qui h. t. postquam abdicatus erat Administratione Archi-Episcopatus Magdeburgensis, post Svecorum adventum, & ipsam hanc urbem & *Halam* subito recuperavit, & quia *Halæ*, cum hæc scriberentur, commorabatur, arcem Cæsareanorum præsidio munitam occupaturus, ideo sine dubio *Halensis Pseudo-Episcopus* dicitur. *Magdeburgensium rebellio* autem non aliam ob caussam ita appellatur, quam quia cives priorem illum Episcopum receperant, & Canonici *Augustum* potius Sax. Elect. filium, quam *Leopoldum Wilhelmum* Cæsaris gnatum, Præsulem sibi designaverant.

b) *Franciscum Carolum*, qui *Boizenburgum* & *Vinshemium* &c. insedit.

c) Eodem illo *Christ. Wilhelmo*, qui hucusque huc illuc & in Sveciam usque digressus erat. Ex quo & præcedentibus potissimum verbis, non fuisse *Ruarum*, sed alium partium hominem harum litterarum auctorem, denuo patet. *Halensem* iterum hunc exulem vocat, non tantum, ut opinor, ideo, quia post reditum ex proscriptione *Halæ* maximam partem commora-

Dices: Atqui ſatis eſt Imperatori reliquisque Catholicis Principibus ad reſiſtendum externo illi Regulo, a) virium ac potentiæ. Verum quidem hoc: ſed interim multa melioribus conſiliis obſtare videntur. Ac *primum* quidem eſt, quod plane verendum eſt, ne Suecus ille clandeſtinis Principum ac Statuum quorundam Imperii conſociationnibus inſtigetur, atque etiam confirmetur. Multa ſunt, quæ veriſimilem hanc ſuſpicionem reddunt. Notum eſt, quid Haſſiæ Landgravius b) nomine Electoris Saxoniæ propoſuerit, & quam minaciter, impudenterque nonnulla exegerit. Nec ſuſpicione vacat, quod Hallenſ. & Lauenburgicus novas ſubinde conſcribunt copias, cum ex propriis ærariis pecunias depromere nequeant, & Sueci theſaurus jamdudum conſumptus ſit.

Secundum eſt, quod totus populus Lutheranus Sueci incepto & actionibus faveat, qui proinde ubique adventanti ultro portas aperiet, & noſtros contra hoſtiliter perſequetur, cujus quidem rei aliquot jam exempla vidimus.

Tertium a militum noſtrorum inconſtantia, qui cum plerique Lutherani ſint, & pro Auguſtana Religione bellum a Sueco geri perſuaſum habeant, timendum eſt, ne medio in certamine deficiant, & cauſam noſtram prodant. 293

Quartum, idque potiſſimum, eſt inteſtina noſtrorum diffidentia & ſimultas, nam cum e re communi ſit, ut uterque exercitus tum Cæſareanus, tum Confœderatus, c) ab uno aliquo Duce ſeu Generali gubernetur, Catholici in hoc puncto inter ſe convenire non poſſunt. Auſtriaci enim metuunt, ne, ſi Generalis ille ex Confœderatis eligatur, aliquid ſuæ decedat autoritati atque potentiæ; contra Confœderati timent, ſi idem ex parte Auſtriacorum creetur, ne ſuam perdant ſecuritatem ac libertatem. Neque vero utrinque ſuſpicionum cauſæ deficiunt. Neque enim novæ ſunt hæ ſimultates, ſed jam propemodum inveteratæ, ex quo hoc mihi tandem ſecutu-

Ff ff 3 rum

batur, & in arce recuperanda a Cæſareanis occupatus erat; ſed etiam per contemtum, unde, quis ſcriptor ſit, iterum liquet.

a) Novum Pontificii hominis, qui hæc ſcripſerit, indicium. Quos *Guſtavum Adolphum* primum in *Pomeraniam* e navibus ſum ſuis egreſſum, atque inde paullo lætius progreſſum, quod copiæ primum ſimul advectæ non admodum numeroſæ fuiſſent, adſpernatos eſſe, & contemtui habuiſſe, notum eſt.

b) *Guilielmus*, qui *Bernhardi* Saxonis mature etiam amicitiam ſibi conciliavit.

c) Ex *Bavaris* potiſſimum & *Hiſpanis* conſtans; cæteris, ſed minus potentibus, adjutoribus.

rum videtur, ut utraque pars suum exercitum peculiari sub gubernatore contra communem hostem educat. Etenim cognita tibi sunt confœderatorum ingenia, Coloniensis dignitatis suæ studiosissimum; Trevirensis vero cedere nescium. Ipse vero Imperator semper propositi tenacissimus fuit. Spero tamen, utramque partem, perspecto summo discrimine, & periculo, in quo res Catholicæ versantur, tandem oculos aperturam, & in medium consulturam. Quis enim adeo cœcus est, ut non videat, non de honore, existimatione, aut dignitate, vel etiam de bonis & facultatibus hoc in bello, sed de vita & sanguine certamen esse. Neque enim Catholicis mitiora ab hostibus hisce expectanda sunt, quam qualia ipsi ab istis perpessi fuerint, imo etiam graviora. His accedunt etiam alia, quæ simultates Catholicorum inter ipsos fovent: veluti, quod confœderati non probant Cæsaris factum, quod Italico bello a) se immiscuerit, in quo Gallus justiorem causam defendere videtur, itaque gratificari ipsi recusant, nisi pace cum Gallo facta res Italiæ in integrum restituat. Item, quod Belgico se bello ipsis invitis & inconsultis immiscuerit, cum tamen palam omnibus sit, ex Hollandorum inimicitia ingentia in Imperium mala & incommoda redundare, & nulla e contra bona expectanda esse, cum invicta plane sit gens illa, propter situm regionis, quam inhabitet. Item quod Imperator omnes hactenus disciplinæ militaris leges neglexerit, Ducumque & capitaneorum suorum superbiam & insolentiam eousque crescere passus sit, ut primarios Imperii Principes b) præ se contempserint, eosque multis injuriis affecerint: imo ipsorum Catholicorum Principum territoriis non pepercerint, unde totum Imperium absque ulla necessitate aut utilitate ad extremam maciem egestatemque redactum sit. His consideratis, difficultatum tibi causas in gerendo bello Suecico aliquatenus innotescere cupio. Ac Cæsar quidem Italicæ se pacis studiosum ostendit, sed conditiones, quæ a Gallo proponuntur, parum e dignitate Cæsarea esse videntur. Britannus c) autem, nisi Palatino restituto facere pacem renuit.

294

295

a) Cum *Gallis* ab *Hispanis* arctissimo Cæsari fœdere junctis occasione *Mantuanæ* successionis gesto, & anno sequenti 1631. pace *Chierascensi* finito: cujus maluissent fœderati Cæsaris curam tantam non haberi, dum in *Germania* res componerentur.

b) Cujusmodi præ cæteris Fridlandiæ Dux *Wallenstenius* fuit, susque deque omnes habens.

c) Carolus I., æque ac pater generi, post mortem Jacobi, affinis & sororis exulis porro curam gerens. Ipse enim *Fridericus V.* anno 1632. demum Moguntiæ d. 19. Novembris diem suum præmature, ann. 36. amplius natus, obiit.

renuit. Atque hæc conditio talis eſt, ut præterquam quod totum Catholicorum inſtitutum evertat, nec in Imperatoris nec in Hiſpani ipſius poteſtate amplius ſit, Palatinatu nimirum inter tot poſſeſſores jamdudum diſtributo. Omnibus his malis accedunt, neſcio qui de irruptionibus Turcarum rumores; credibile enim eſt, hoſtes domus Auſtriacæ non quieturos, niſi Turcarum arma irritaverint. Et ut, quod ſentio, dicam, credo quibusdam Principibus etiam Catholicis non diſplicere, quod Cæſarem in tot tantasque difficultates conjectum vident, ex quibus tamen, ſi ſolis domus Auſtriacæ opibus, copiis & viribus eluctari poterit, quod quidem, quantum poterit, conabitur, priusquam ad inferiorem aufugiat auxilium, ego magnam rerum mutationem, etiam inter ipſos Principes ac Status Imperii Catholicos breviter a) mihi videor. Quicquid autem fuerit, confido Deum promiſſionis ſuæ non fore immemorem, qua æternam Eccleſiam immutatam conſtituram pollicitus eſt, quod ut impleatur, preces veſtras cum noſtris conjungite. Vale, datæ Ratisbonæ XII. Octobris, M DCXXX.

XL.

296

M. RVARVS JOANNI NÆRANO. b)

REdux e Polonia, Sileſia atque Marchia his demum diebus factus, literas tuas, doctiſſime Nærane, Kalendis Maji datas domi meæ deprehendi, ad quas nunc reſponſum paro. Literæ tuæ nunquam mihi prolixitate ſua moleſtæ ſunt, modo ne parem a me prolixitatem exigas, quam occupationes meæ non ſemper permittunt. Quod conſilium parentis in deligendo vitæ ſtudiorumque tuorum domicilio c) ſequeris, improbare nequeo. Nos hic inter ſpem pacis belique metum ambigui natamus, quamvis belli aleæ fortaſſis propiores ſimus. Sueci Pruſſiam quidem dimittunt, ſed Livoniam mordicus tenent, quam tamen Poloni tanquam regno debitam rigide exigunt. Rex noſter d) hanc legitimi belli occaſionem forſan non invitus arripuit, quod per eam, ſi fortuna cauſæ faverit, ad hæreditarii imperii

a) Haud dubie legendum eſt, *prævidere.*

b) *Samuelis* filio: de quo conſule Cent. I. ep. 82. ſq.

c) Incertum eſt, utrum de munere publico ſuſcipiendo, an mora qualicunque alicubi trahenda, donec officio alicui admoveretur, inter patrem filiumque actum atque h. l. ſermo ſit. Nondum certe apud *Veteramnates*, ubi deinceps Eccl. *Remonſtrantium* præfuit, h. a. docuiſſe, hinc effici poteſt. Academiam autem aliquam intelligi, tanto minus credibile eſt, quia uxorem jam filius duxerat.

d) *Vladislaus IV.*, *Sigismundi II.* filius.

imperii a) possessionem aditus ei pateat, cujus alioquin jus atque titulum, ut ferunt, hujus regni tranquillitati donaturum se promiserat. Emisit rex nuper literas publicas, quibus Suecos ad obedientiam revocat, quarum exemplar hisce meis adjungam. Nondum tamen classicum auditum est. Legati vestri una cum Gallis bello diligenter 297 intercedunt, quorum operam utinam fortunet supremus pacis arbiter! Nostri e regione capitis ad divortium Vistulæ a Suecis extructi aliam molem erexerunt, quo frænum Suecis injiciant, & excursiones eorum prohibeant. Agger etiam, qui urbem hanc munit, varie emendatur ad novæ artis præcepta. Copiis civitatis præest Hubaldus quidam, ab exercitu Saxonico magnis stipendiis evocatus. Matrimonium regium cum Palatina b) nonnulli adhuc in dubium vocant: ego de eo tamen bene spero. De proposito studiorum tuorum lubenter intelligo, quæ scribis. Vnum id tantum minus probo, quod existimare videris, omnia ea, quæ tibi proponis, exacte tibi prius scienda, quam ad munus aliquod in Ecclesia publicum accedas. c) Ego vero contra sentio, & populum de cultu divino pietatisque officiis recte instrui posse, etiamsi multa eorum, ad quorum tu cognitionem aspiras, ignorentur, & muneris alicujus publici functionem tibi nequaquam obfuturam, quo minus cum in accurata veri indagatione, tum in subtili sophismatum omnium retectione quotidie progrediaris. Quam tu religionis arcem intelligas, utut id non exprimas, ex eo maxime colligo, quod de ea cum patre tibi nonnunquam controversiam intercedere narras. Novi fœcundum parentis tui ingenium, & vulgaribus non facile acquiescens: itaque si novis quibusdam argumentis causam illam d) fortasse fulcit, ea non invitus

a) *Svecici*, quo Pater, Johannis Sveciæ R. filius, ob caussas notissimas exciderat. Hanc vero spem inde potissimum denuo conceperat filius, quod foris, in Germania nimirum, sat *Svecos* habere, quod agerent, atque hinc tentandum aliquid esse, in gratiam caussæ Pontificiæ, existimaret.

b) Caruit successu consilium hoc, cum *Palatina Frid. V. filia Elisabetha*, doctissima & postea *Abbatissa Herfordiensi* decretarum nuptiarum; utut Regi valde optabilium. Et quia religionem Reformatam cum Pontificia illa commutare renuebat, excusatione ad *Regem Angl. Carolum* præmissa p. p. ducta est in matrimonium *Cæcilia Renata* Ferd. II. Imperat. gnata, quæ, quanquam sterilis non esset, hæredem tamen masculum non reliquit, & ipsa quoque mature ann. 1644. diem supremum obiit.

c) Non obscure hinc efficio, de functione quadam, & forte ipsa illa apud *Veteramnates* subeunda cum filio disputasse patrem, atque hinc prioribus lucem aliquam accendendam esse verbis generalibus & ambiguis opinor. Locum tamen dedisse patris consilio filium, periculi aliquid jam prævidentem, eventus docuit.

d) *Remonstrantium*, puto. *Socinismo*

invitus ex te intelligam. Per autem mihi gratum eſt, quod ſpem facis controverſiæ illius a magiſtro noſtro a) dirimendæ, cujus ego judicium exactum magni facio, modo id ſatis adhuc liberum permittant ea, quæ vides, tempora. b) Wiſſowatius c) poſt abitum meum demum huc appulit, & ante reditum diſceſſit, &, quod ægrius fero, ne literas quidem ullas, in quibus me de illis, quæ tu promittis, certiorem redderet, hic reliquit. Fortunam Eccleſiarum veſtrarum idem, ut video, moratur, quod interdum & noſtrarum: d) quod in tantis tamen populi veſtratis opibus mirum eſt. Sed eſt fere paulo attentior ad rem ille ſupra aliarum quoque nationum morem, ut noſti. Quæ de nævis nonnullorum quereris, nihil miror, cum inter ipſos quoque Apoſtolos Judas proditor fuerit. Illud magis, quod diſciplinæ ſeveritas, de qua jam ante triennium cum proceribus nonnullis ſermo mihi fuit, tamdiu differatur. Gallorum Calviniſtarum de Grotii cauſſa & religione judicium lubens intelligo. Fortaſſis nova Grotii fortuna e) nubem hanc, quæ prius occupatos gerebant animos, deterſit. Nec enim fruſtra Plinius fortunam ait in tota mortalium ratione utramque paginam facere. Petiveras antehac a me libros nonnullos; hos in unum ego faſciculum collectos nobiliſſimo cuidam juveni Nicolao Krupcæ reddendos tibi jam ante nuperum meum iter tradideram, nec dubito quin eos interea acceperis. Nunc denuo nonnullos a me petis, ſed incerto numero, eoque ignoſces, ſi mentem tuam non exacte ſum aſſecutus. Commentarii in epiſtolam ad Hebræos f) exemplar unum paulo nitidius,

enim addictum fuiſſe, vix demonſtrari poteſt: etſi mitius de illis, errorumque momento, ut cæteri *Epiſcopii* collegæ & diſcipuli, ſenſerit atque ſtatuerit. Et fortaſſis etiam *noſtram* alioquin vocaſſet potius, quam *illam*, *Ruarus.*

a) Non alio, haud dubie, quam *Simone Epiſcopio*, quem & ipſe *Ruarus* docentem audiverat, *Lugduni* cum moraretur, non ſine applauſu Theologiam jam tunc profeſſum, quæ *Socini* etiam diſcipulis magis, quam aliorum ad palatum erat.

b) Etenim nuper demum & connivendo magis, quam concedendo, multoque minus jubendo, libertatem docendi aliquam *Remonſtrantes* recuperaverant.

c) Ex peregrinatione diuturna redux *Andreas Wiſſowatius*, *Fauſti Socini* e filia nepos, qui poſtquam anno 1631. e patria, comite, ad certum usque tempus, ipſo quoque, cum aliis, *Ruaro*, abierat, nuper reverſus ad ſuos anno 1635. in vita, a *Sandio Biblioth. Vnitar.* ſubtexta, legitur.

d) Non ſatis percipio, quomodo *Eccleſiam Remonſtrantium* egeſtas morari potuerit, cui ditiſſimi quique in Belgio favebant. Alia cauſſa fuit, quam *Remonſtrantes* cum *Socinianis* habebant communem, quam *Ruarus* facile odorari potuiſſet, niſi nimium ſibi ſuisque tribuiſſet.

e) *Legati* Reginæ Sveciæ *dignitas*, qua ornatus ſub initium hujus anni in *Galliam* rediit.

f) Jo. *Crellii* & Jon. *Slichtingii ſociata*, ut

tidius, eoque & carius adjunxi: si quis sumptum eum non detrectet, sunt plura ejus generis penes me. Nobilissimo Krupcæ velim literas adjunctas a Goslavio a) reddas cum salute a me dicta: hanc enim nunc, quam literas ad illum mittere malui. Vale, & saluta parentes tuos uxoremque meis verbis. Dabam Gedani prid. eid. Julii, anno M DCXXXV. Bodsaccus b) sacrum contra nos librum denuo in publicum extrusit, plenum calumniis & ineptiis: nosti hominis ingenium. Iterum vale.

XLI.

D. SAPMA c) M. RVARO.

AD literas tuas, vir humanissime, quibus epistolio nostro, tibi Dantiscum eunti sequuto, respondere quum ocissime non gravatus fueras, & nos prima occasione oblata respondere statueramus, at ea, de improviso dicam an negligenter, prætermissa, & literis tuis, aliis nostris & libellis & chartulis obrutis, parum abfuit, quin animi deliquium obvenisset, nisi egestas, (quod tractatu adhuc uno autaltero carerem, quem mihi certo a te promiseram) memoriam tui rescripti & neglecti mei responsi mihi refricasset. Quum nobiscum esses, d) eosque, quos habebas, tractatus attulisses, in chartulam conjiciebas titulos eorum libellorum, quibus nos adhuc destituebamur, quæ si amissa manet, ecce aliam, quibus libellis quæso, si quid interea temporis a vestris temporis alicujus momenti latino idiomate editum fuerit, addere ne graveris. De usu gladii inter Christianos, aiebas vestrorum quædam exstare scripta; non memini vidisse me ullum aliud, præterquam quod contra Palæologum a Socino editum est,

300

habetur in Præfatione, opera *confectus & elaboratus*, ita tamen ut primas partes ipse *Slichtingius Crellio* deferat. Editus primum anno 1634. 8., & a *Joh. Braunio* potissimum examinatus.

a) *Adamus*, ut conjicio, quem superfuisse adhuc h. a. ex hac epistola colligimus.

b) *Anti-Stegmannus* est, quem h. l. *Ruarus* nigro carbone notat, Liber Anti-Socinianus anno 1635. 8v. *Gedani* evulgatus, *Joachimo Stegmanno*, seniori oppositus, atque hujus *Prob der Einfæltigen Warnung für der new Photinianischen Lehr*, quæ anno 1633. *Racoviæ* lucem adspexerat, sub incudem vocans: quod vel ex inscriptione integra, qua *Gegen-Prob der falschen Prob J. Stegmanns*, dicitur, patet.

c) *Dominicus Sapma*, *Hornanæ* quondam *Eccl. Pastor*, & *Remonstrantium* caussam constanter adhuc agens, postquam pristinæ Ecclesiæ, ut ex subscriptione epistolæ hujus patet, tolerato interim fortiter exilio, redditus erat.

d) Eo tempore, quo comitabatur in *Belgium* abeuntem, ut puto, *Wissowatium*. Ex quo brevi itinere peracto, domum mature reversus, peregrinari desiit *Ruarus*. Hoc enim tempore potissimum librorum *Socinianorum* pararium egit.

eſt, in quo tamen libello Socinus ipſe declarat expreſſe, *non agi revera de Magiſtratus autoritate, ſed de Chriſtianorum hominum privatorum officio:* cum alibi tamen dicat: *De Magiſtratu quid cenſeam, & quatenus illum Chriſtiano homini gerere licere credam, ſatis ex libro meo adverſus Palæologum intelligi poteſt, ſi quis illum diligenter legat.* Quæ quidem prima fronte vix credebam ab eodem dicta aut ſcripta, neque etiamnum, vel prius cum libello ipſo, vel poſterius cum priore dicto, commode ſatis conciliare poſſum. Videtur mihi Socinus (ſalvo meliore judicio & ſalva tanti viri reverentia) in priore ſcripto liberior & candidior, in poſtremis meticuloſior, a) in iisque concedere Chriſtianis gerere magiſtratum, ea lege, ne gladio utantur, nequenquam capite plectant, membrove mutilent, & alia magiſtratus præcipua, quæ numerantur, munia ne obeant, hoc eſt, dummodo ne magiſtratum gerant. Eo pacto, uti quidem mihi videtur, ad quæſtionem propoſitam non reſpondetur, ſed aſtute ea declinata, propter invidiam, b) tranſilitur ad aliam, diſputaturque ſtrenue de magiſtratu, qualis in rerum natura nunquam fuit, nec facile usquam erit, vel ad unum diem. Aperte, meo judicio, aut concedendum eſt, ad defenſionem bonorum & coercitionem malorum, homini Chriſtiano licere, imo ad id electum ſeu natum teneri, magiſtratum gerere, & per conſequens gladio uti, aut negandum eſt, & e ſacris literis probandum, aut ipſam illam functionem per ſe eſſe talem, aut in ſe & quaſi eſſentialiter habere ea, quæ homini Chriſtiano ſint illicita, & non conveniant. Si e veſtris quisquam c) hac de re planius, vel veſtram, vel ſuam orbi Chriſtiano ſcripto aliquo ſententiam ape-

301

a) Ita eſt. Rectius autem dixiſſet *Sapma*, fuiſſe *Socinum* in plerisque ad agenda pertinentibus Scepticum. Cujus rei de militia obeunda ſpecimen vid. in epiſt. ad *Chriſtoph. Morſtinium*, data eademque num. 7 quæ Tom. I. Opp. f. 456. (b) legitur excuſa. Quæ cauſſa etiam fuit, ut ne nunc quidem ſicut olim idem de *Magiſtratu* ejus ſentiant diſcipuli; ſed plerique tamen ad Reipublicæ Polonicæ, gentisque bellicoſæ indolem, fidem quoque ſuam attemperarint.

b) *Nobilitatis*, ut paullo ante dictum eſt, *Polonicæ*, cui, quando ipſe *Socinus* adſcriptus fuit, viſum erat exoſum valde, ſi ſtatueret, non licere belligerari, aut vi & gladio ſontium ac maleficorum petulantiam compeſcere, cum vix alio modo in tanto libertatis abuſu, quam graviſſimis pœnis obviam in eo regno iri poſſit. Ridiculum eſt & anxiæ mentis indicium, faciens conſilium, quo *Morſtinio* l. c. ut, ſi ſectetur militiam, in communi cauſſa vix evitabilem, non tamen quenquam occidat, aut membrum mutilet, ſvaſit.

c) Factum id eſt non multo poſt a *Jona Slichtingio*, cujus melior ſententia inter opera *Wolzogeniana* in *Append.*, cum altera duriori ipſius puta *Wolzogenii* conferenda, legatur.

aperuerit, id, quæso, nobis ne graveris communicare. Ad nostra quod attinet, instituta nobis aliquando fuit collatio per literas cum viro quodam in Frisia probo licet ac pio, & in hac controversia non inexercitato, illiterato tamen, & nimium iracundo, quo ejus vitio etiam coactus fui intempestive eam abrumpere; postmodum aliam susceperam cum clarissimo Domino Conrado Vorstio, a) ut & deinde cum, eruditione nescio, an pietate magis, conspicuo viro, Do-302 mino Hogerbetio, b) dum adhuc ob patriæ libertatis defensionem in vinculis ageret, sed uterque præmatura nobis morte ereptus, quod erat institutum, vix cæptum fuit. Prolixior fui, Vir honorande, quam statueram, abrumpam itaque, ne majoribus tibi & gravioribus curis occupatissimo ulterius negotium facessam. Servet te D. Jesus incolumem, tuisque laboribus & studiis gratiose benedicat. Hornæ c) X. Kalend. Aprilis, Anno 1634.

XLII.
KITZIKPF d) M. RVARO.

ORnatissime atque amicissime Domine Ruare: Nimis diuturnum inter nos est silentium, cujus caussam fateor a me ortam, qui postremis tuis litteris nihil respondi. Nunc quidam a Martino Boksa Vnga-

a) Cujus cum *Dom. Sapma* hoc de argumento disceptatio maxima ex parte habetur in *Epist. Remonstr.* num. 423. sqq.

b) *Romulus Hogebertius* aliis dicitur; rectius autem *Rumoldus Hoogerbeets* nomen ejus scribitur, qui *Roterodamensis Consiliarius* fuit. Idem vero ille, qui, ut mente eadem ita consors quoque H. *Grotii* ejusdem, in carcere *Lupisteinensi* fortunæ fuit, h. l. intelligitur. Modesta de reliquo fuit *Hoogerbeetsii* de *Magistratu*, & *Vorstianæ* similis sententia, quam in iisdem *Epp. Remonstr.* num. 425. ad N. N. (quem ipsum *Sapmam* fuisse conjicio) perscripsit. Quando, & qua libertate arctiori indulta, villæ nempe unius limitibus circumscripta, e carcere liberatus fuerit optimus senex post septem annorum captivitatem toleratam, & quo denique anno, videlicet 1625., diem obierit, *Grotius* in *epist. ad Gallos* num. 87. *Benjam. Aub. Maurerio* significavit: ubi, si volupe est, plura de ejus fatis legere licet.

c) Quo maturius, quam cæteri, anno 1619. una in exilium pulsi, rediit. Etenim jam anno 1622. *Horna* in *Galliam* ad *Episcopium* eas, quæ supra citatæ sunt, literas scripsit: Privatam tamen istic vitam egisse, donec dissipatis magis pleniusque nebulis officium publicum ibidem administrandum reciperet, verisimile est.

d) Fictum procul dubio nomen, sub quo *J. A. Pœmerum* latitare voluisse, filius editor in Indice huic Cent. II. subjecto affirmavit. Esse tamen, cur dubitemus, caussas, in notis subinde adjectis indicabimus. Inter quas princeps est, quod auctor hujus epistolæ palam *Remonstrantisinum* profitetur. Probabilius videtur, *Sam. Næranum* hoc sub involucro, ab ipsomet ficto, delitescere.

Vngaro huc miſſus luculentam occaſionem offert rumpendi ſilentii mei, quippe qui metum omnem eximit litterarum minus recte curandarum. Quanquam hæc forte nunc ſcriptio ſupervacanea futura eſt, quum ipſe hic exſpecteris a tuis, quibus & me annumero, ſed alio titulo tuum, quam quo illi. Magis magisque tamen vos videmini fieri noſtri potius, quam nos veſtri. Remonſtrantiſmi enim non obſcura veſtigia viſus ſum mihi deprehendere in accurato D. Crellii commentario, a) quem D. Schlichtingius nuper publicavit. Diſtincte ille, non ſine te ſuffragatore, ut puto, ſententiam de *habitu* 303 a Lutheranis non plane immerito exagitatam, proponit nullo deinceps jure exagitandam. Chriſtum obedientia ſua jus remisſionis peccatorum nobis peperiſſe aſſerit, quod noſtra eſt ſententia de ſatisfactione. De *homicidio* ea dicit, quibus jus gladii aſſerere Magiſtratui, omnino videtur. De *fide* ita loquitur (ſi bene memini, properanter enim legere tantum licuit) ut nos non ſit habiturus refragatores. Vtinam tam perſpicacis ingenii, tam ſubacti judicii viri cogitarent de aſſerenda Domino Jeſu vera deitate, veritate naturæ divinæ! Forte ut in quibusdam aliis, ita nec hic Socinus rem acu tetigit. Mihi minus minusque fit veriſimile, non alio titulo Chriſtum Deum eſſe, quam quo vos aſſeritis. Et graviter ſane hic errare videmini, ſi erratis. Quum fides Chriſtiana ſit hæc, credere Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei viventis, quemadmodum qui ſacerdotem eum potiore ejus appellationis ratione non agnoſcit, qui obedientiam ejus negat eſſe ſacrificium propitiatorium, ita nec filium Dei viventis credere videtur, qui negat divinæ naturæ factum eſſe participem, quæ maxime propria videtur filiationis ratio. A proprietate autem verborum diſcedere, nulla hic ſuadere videtur neceſſitas. Quæ vos de Deitate Chriſti creditis, eadem credimus & nos, ſed non vos omnia ea, quæ credenda de ea videntur. Imo non agnoſcitis præcipuam Deitatis ipſius rationem. Tarnovii b) ſcriptum adverſus Anti-Wujekum, c) forte legeris. 304 Scio, eſt impar congreſſus Achilli. Sed quamvis vulgarem ſententiam propugnare non poteſt: interdum tamen videtur afferre aliquid, quod arguit, honorificentius de Chriſto eſſe ſentiendum, quam vos ſentitis. Quid ſi, quod vulgo

 dicitur,

a) In ep. ad *Hebræos:* cujus maxima pars *Crellio* debetur.

b) *Paulli Tarnovii:* de quo paullo poſt.

c) Titulus L. hic eſt: *De Sacro-Sancta Trinitate Liber unus, oppoſitus Fauſti Socini refutationi*, quam in Anti-Wujeko videlicet ex profeſſo molitus eſt. Publicatus autem fuit iſte libellus *Tarnovii* jam anno 1625. 4to, conf. ep. 29. ubi etiam *Cruſius* ejus meminerat.

dicitur de assumta humana natura in unitatem personæ divinæ, invertatur, & dicatur divina natura assumta in unitatem personæ humanæ? a) certe personalitatis humanæ argumenta sunt evidentia non minus in Christo, quam in nobis, sed nec obscura divinæ naturæ argumenta in proprietatibus divinis, quæ in Christo eluxerunt etiam, priusquam eveheretur ad summum imperium, quo eum sua obedientia perduxit. Cur non divina aliqua natura vehiculum divinarum proprietatum? Vos philosophi, qui inani philosophiæ & theologiæ jamdudum renunciastis, non difficulter, puto, rationibus validis substantialem aliquam Deitatem Christo adstrueretis. Sed vix videtur vobis tanti, ea in re operam ullam ponere, nec momentum ejus b) rei satis videmini expendere. Si divinæ naturæ veritas in Christo adstructa satis esset, esset simul & ejusdem æternitas, & ita respectu divinæ naturæ æternus Deus dici posset, sano aliquo sensu multoque facilius diffunderetur passim, quæ vobis affulsit in quibusdam dogmatibus Christianis, clarior veritatis lux. Non est nova sen-305tentia, quam propono, sed proposita in libro, cui titulus: Catalogus Hæreticorum. c) Quanquam hanc coram tibi proposui, visum est, cramben hanc hic tibi recoquere, ut cum tuis eam excutias, & instructior accedas ad eam nobis eximendam, si a vero aliena tibi tuisque videbitur. Non deerunt hic, qui tecum de Christianæ Religionis controversis capp. volent conferre, cum huc veneris. Crevit eorum, post discessum tuum, numerus. Sed bellum hoc forte non patie-

a) Male ita invertit sententiam auctor epistolæ. Neque enim solum *Paullus* Hebr. II. *filium Dei*, ait, *assumsisse semen Abrahæ, seu ex posteritate ejus humanam naturam* non rursus; sed ipsa quoque subsistentiæ communicatio in humanam naturam admodum agentis ac divinam *perficientis* caussæ neutiquam; optime omnium vero in illam, ut a filio Dei *perfectam* convenit. Hujus enim est accipere, illius ἐκ πληρώματος dare. *Verbum caro factum est*, inquit *Johannes*; neutiquam vero inverso ordine hoc mysterium enuntiat. Sic enim etiam humanam *Christum personam* jam ante incarnationem fuisse, dicere oporteret: cum nihil, quod assumere aliud quiddam queat, nisi jam existens, immo & subsistens, vel mente concipi possit.

b) Recte hæc monet, quisquis epist. hanc exaravit. Quo pacto enim fides tuto sospitatori alicui innitatur nostra, tanquam lapidi angulari, ita ut immori etiam ei non vereatur, quæ divinæ fidei indoles est, nisi inconcussa *personæ ejus dignitas* accurate & solide cognita sit? Quam etiam ob rem ipse *Christus doctrinam hanc*, *petræ* nomine insignitam, quam maxime capitalem Matth. XVI, 18. declaravit, & Ecclesia Christi illam quoque propterea, præ cæteris *Paullo* jubente Eph. II, 20. omni studio tuetur.

c) Non alium, puto, innui, quam eum, qui a *Conr. Schlüsselburgio* in vicinia editus eo tempore & maxime celebris fuit: cujus I. Pars etiam *Anti-Trinitariis* est ex instituto opposita.

patietur, nos conjungi. Agitur jam de induciis, ſed pauci e prudentioribus exſpectant tractationis optatum exitum. Si induciæ non fiunt, vicinus Cæſarianus miles turbabit hic, metuo, omnia, & me hinc abiget aliosque, & tibi reditum ad nos intercludet. In Hollandiam, ſi bellum hic durat, redeundum mihi erit, quanquam nondum ibi libertas nobis eſt reſtituta. Evocat me hinc in Sileſiam Hema noſter, monetarius Glatſenſis. Sed ille ſolus ibi cum Medicinæ Doctore non profitetur Papiſmum. Scribit, in Bregenſis Principis ditione eſſe loca quædam, Glatzio vicina, ubi tuto degere poſſem. Sed mallem, locum aliquem aſſignaret, ubi tuo vel tui ſimilium conſortio poſſem frui. Nec ſcio, an ſatis tuta apud vos futura ſint omnia, ſi hoc bellum durat. Suecus enim auxiliaribus fœderatorum copiis inſtructus, a) latius opinione multorum forte vagabitur, & neceſſe habebit Cæſar, in finibus Sileſiæ diſponere militem adverſus Suecum, eo conaturum perrumpere. Quod magis vobis metuendum videtur, ſi fiunt hic induciæ, niſi quod non videntur Poloni permiſſuri Sueco liberum ad vos b) tranſitum. Nullus videtur tutior receptus eſſe, quam apud Hollandos noſtros, apud quos nec vobiſcum ſentientibus deerit, puto, nec progreſſu temporis exercitium Religionis veſtræ, ita ſtrenue pugnant noſtri pro generali conſcientiæ & communi libertate. 306

Rupella dicitur non iniquis conditionibus dedita, c) & pax inter Britannum & Gallum eam deditionem ſubſecutura. Pax illa Cæſari ſatis faceſſet negotii, & inducias noſtras in his oris promovebit, neque enim Poloni ſine Cæſariano auxilio Sueco pares futuri ſunt a potente exercitu parato, nec Cæſar his auxiliari poterit, ſi conjunctis armis Galli & Britanni progreſſum victoriæ Cæſarianæ ſiſtere moliuntur.

a) Non obſcure hinc effici poteſt, anno jam exeunte 1628. de *Svecorum* tranſitu in Germaniam ſermonem fuiſſe: ita tamen ut *Svecos*, quod & probabilius erat, per *Poloniam* e *Boruſſia*, ubi plurimum eorum invaluerat potentia, ingreſſuros eſſe in *Sileſiam*, epiſtolæ ſcriptor putarit. Nondum enim de conditionibus induciarum inter *eos* atque *Polonos* hoc ann. 1628. ſed proximo demum anno 1629. conveniſſe notum eſt.

b) *Bobowici*, ut videtur, tunc hærentes *Ruarum*, atque patronum ejus, *Saccum* cum ſuis: cujus in extremis limitibus Sileſiæ, *Poloniæ* majori conterminis, id prædium, quod ſæpius jam dictum eſt, ſitum erat.

c) Fruſtra reſpectans, extremaque vi famis tolerata, non tam domitis fortiſſimis civium pectoribus, quam, quod nihil ſupereſſet ſpei de Anglicana ope, largiter ante facta, ut ſe traderent, adactis. Quæ conditiones fuerint non iniquæ quidem, ſed duræ tamen, quibus pro religionis libertate exorata & impetrata, arcem intra mœnia, ſuo ſumtu ædificare &

liuntur. Crempa tua a) dedita eſt Cæſarianis, quatriduo poſt deditionem eluvio omnia valla Cæſariana disjecit, ut & Gluckſtadienſia, quæ præſidiarii exſtruxerant, ut & Gluckſtadium jam periclitetur. Væ nobis omnibus, ſi Cæſari non validius reſiſtitur. Audio eum de Sileſia etiam reformanda cogitare, & jam Glogoviæ reformationem, quam vocant, cœpiſſe inſtituere. Sed Deus omnia ſuo nutu diriget, prout ſuis ex uſu futurum ſcit. Audio . . . . . excudi opera Socini. b) Vtile nobis erit, divenditione exemplarium reſiduorum abſolutionem iſtius operis prævertere. Nihil eſt, quod 307 metuas, ne Diogenes veſter libros apud ſe depoſitos c) male aſſervet. Reliquit dolium ſuum, & publica præfectura foſſorum vel curruum fungitur, & primariis quibusdam viris gratioſus eſt, quibus egregie ſuam operam probat & induſtriam. Emi a D. Cunaut, cum nuper hic

intra trimeſtre cætera loca munita dedere jubebantur, aliunde conſtat.

a) *Ruari* in *Holſatia* patria, a *Cæſareanis* poſt cladem *Danis* illatam, occupata.

b) Vtut vera hæc non fuerint; Etenim poſt annum 1656. (uti titulus præfert) demum *Irenopoli* h. e. *Amſtelodami*, quæ urbs in hac quoque epiſtola nominata erat, ſed ab editore iſtic habitante omiſſa eſt, prodierunt; mature tamen & anno 1628. quo epiſtola hæc ſcripta eſt, cogitari ea de re jam cœpiſſe fautores *Batavos*, hinc elucet. Quo adjutore obſtetricante ſplendidum illud atque pretioſum opus præla iſtic expertum ſit, certo quidem affirmare nempe adhuc auſus eſt; At *Wiſſowatium* tamen, exulem, & *Manhemio*, ubi brevi tempore commoratus erat, *Amſtelodamum* devectum atque ingreſſum, idem præcipue promoviſſe, & lacunas etiam quasdam, præſertim in minoribus epiſtolis N. T. quæ aliorum ſodalium commentariis deſtituebantur, expleviſſe, ſatis eſt compertum. Cujus etiam operam in emendatione errorum typographicorum, (quo labore vitam ille conſtanter alias ſuſtentabat ſuam) adhibitam eſſe, nemo dubitat. Vtrum *Curcellæi* quoque ſub initium conſiliis atque ſtudiis res acta ſit, & *Wiſſowatius*, qui anno demum 1666. *Amſtelodamum* e *Palatinatu Rheni* appulit, opus inchoatum tantum continuaverit, atque ad umbilicum perduxerit, dignum eſt inveſtigatione diligentiori. E *Blaviana* officina, & ſumtibus quoque hujus bibliopolii, opus totum prodiiſſe, nihil eſt, quod dubitemus. Recenſionem plenam exactamque qui deſiderant, S. R. Abb. *Joh. Fabricii Biblioth.* T. II. a. p. 57--84. conſulant. Quibus nos, emtores monendos eſſe, ut caveant ab exemplaribus, ubi vel *Iconiſmi* præcipuorum *Socinianorum* vel *Przipcovii* opera, ſextum volumen conſtituentia & ſeorſim vendi ſolita, non reperiantur, addimus.

c) Erant ergo, quibus hinc inde committebant *Sociniani*, cumprimis vero *Ruarus*, ſuorum libros clam, cum palam fieri non eſſet integrum, diſtrahendos: quos apud obſcuros ſæpe homines deponebant, qualis hic quoque *Diogenes*, proletarius vir & humillimæ ſortis homo, fuerat. Quorum opera autem diſtracti ſint, iidem & divenditi, miſer ſorex h. l. ſeipſum prodidit, & *Remonſtrantes* proinde, induſtriam præcipue ſuam ea in re, minus laudabiliter probaſſe, liquet. Quos tamen de commercio cum *Socinianis* toties conqueſtos eſſe per injuriam ſibi imputato, quis non miretur?

hic esset, 12. exemplaria epistolæ ad Galatas, a) sed 5. ex iis deficiuntur littera P., in qua mutatum est aliquid, & adjectum de hæreticidio, quod defectui huic occasionem dedit. Quæso, si Racoviam scribis, mihi deficientia ista folia petas, proximis nundinis Thorunium mittenda cum locis communibus Volkelii. b) Fragmenta duo P., in quibus de hæreticidio agitur, quorum initium est: *mentur ejiciant, &c.* habeo. 5. P. desidero, sed duo P. in iis citra illud fragmentum, quippe quod est insertum. Misi D. Vterb. c) & aliis fratribus exemplaria quædam, missurus fuissem plura, & hic quoque aliis traditurus, si absque defectu illo fuissent. Vtinam hic fiant induciæ, quæ & te huc adducant, & me aliquantisper adhuc hic detineant, fruiturum consortio tuo, & colloquiis, quibus erudiri possim! Forte brevi videbimus, quid de induciis sit sperandum. Comitia Polonica indicta sunt in 9. Januarii, in ea rejicietur negotium. Sic non facturum induciarum invidiam sustinebunt comitia scilicet, ne sustineat eam is, qui plane omnia suo arbitratu videtur gubernare per sibi addictos. Finire cogor, quia tempus effluxit, quod harum lator mihi præstituit, qui simul cum se advenisse & post sesquihoram 308 discessum significavit. Ignosce properantiam necessariam, qui scis, quam excusate fiat, quod fit necessarie. Salve plurimum ab uxore & filio, d) cum magnificis & illustribus DD. Saccis, & D. Joanne Franco. e) VII. Decembr. MDCXXVIII. f)

Hh hh XLIII.

a) *Comment. Crellianum* in hanc epistolam, qui anno hoc 1628. a *Slichtingio* primum editus fuit, procul dubio intelligit.

b) Sub prælo sudantibus & anno 1630. demum eo liberatis: ut supra annotatum est.

c) *Vytenbogardus* (Joannes) ille fuit, litera *u.* male in *r.* conversa & ipsum heic nomen truncatum est. Hic enim paullo post *Episcopium*, anno 1626. e Gallia in patriam etiam reversus, *Roterodamum* d. 26. Septembr. appulerat. Vbi etiam anno 1644. grandævus tandem senex, Ecclesiam Remonstrantium constanter gubernans, atque publice docens, diem supremum obiit.

d) Novum hinc elucet & desumi potest indicium, Sam. *Næranum* hunc fuisse scriptorem, non *Pœmerum*. Ille enim filium *Joannem* secum in exilio circumduxerat, (vid. Cent. II. ep. 78.) non iste; qui dum peregrinaretur, cœlebs adhuc fuit & h. t. alibi jam vitam egit. Conf., quod ad cœlibatum ejus, epist. 92. ab initio.

e) Forte *Adamo Franco*, qui antequam in *Transylvaniam* & *Claudiopolin* nominatim, concederet, in *Polonia* h. t. præsertim, vixit, & *Bobovicum*, in *Silesia* situm, facile, cum & ipse *Silesius* fuerit, adire potuit. Neque enim, utrum jam tunc, an paullo post, Gymnasium *Racoviense* gubernarit, satis certum, at posterius tamen probabilius est.

f) Omissus est locus, unde hæ litteræ ad *Ruarum* perscriptæ sunt. Non dubium autem videtur, *Rostochii* eas fuisse exaratas, ubi sive ἐν ἰδίῳ μισθώματι, ut proba-

XLIII.

N. N. a) M. RVARO.

DUo ſunt, quæ jam ſcribere decrevi: *primo*, rationes contra Trinitatem ex reſponſione Fauſti Socini ad Wujekum a clariſſimo viro D. E. S. b) p. m. collectæ, quas an ita obſervaveritis & habeatis, neſcio; *Fol.* 30. Si plures ſunt perſonæ, plures etiam ſunt eſſentiæ; c) multiplicatis enim perſonis, individuas eſſentias quoque multiplicari, d) neceſſe eſt. *Secundo*, *fol.* 37. ipſum nomen Chriſti docet, nullo pacto fieri poſſe, ut ipſe ſit ille unus verus Deus. Habet enim Chriſtus relationem ad unum illum Deum, unde frequentiſſime dicitur Chriſtus ſive unctus Jehovæ e) *Pſal. II*, 2. *CXXXII*, 17. & licet aliquando relatio illa non exprimatur: ſubintelligenda tamen ſemper, aut aliquid, quod idem polleat. In Veteri Teſtamento tantum ſemel hoc fit, *Dan. IX*, 25. 26. &c. Cum igitur relationem habeat ad Deum, f) non poteſt eſſe ille Deus unus & verus. *Tertio*, *fol.* 115. & ſeq. hæc ratio poteſt colligi, *Apoc. I*, 4. Chriſtus diſtincte nominatur, & ab eo Joannes gratiam precatur; diſcernente eum a Deo, qui ſedebat in throno. g) Ergo non eſt ille unus Deus. Dices:

309

biliter colligimus, ſive apud *Huswedelium*, adhuc commorabatur *Næranus*.

a) Quisquis fuit, *Fridericopoli* hoc tempore commoratus, *Socini* tamen opinionibus valde deditum fuiſſe, ipſa hæc docet epiſtola.

b) Non alius ille fuit, quam *Doctor Erneſtus Sonerus:* cujus etiam *Sandius*, *Argumenta ad probandum ſolum Deum Patrem eſſe illum Deum Iſraelis congeſta commemorat.* Quæ qualia fuerint, ex *Socini* nempe *Antiwujecko* collecta, non nova & peculiaria, ex his litteris patet.

c) Aut plures, qui habent unam eandemque numero eſſentiam.

d) De rebus creatis id conſtat; at hinc pari modo rem comparatam eſſe in *communicatione eſſentiæ infinitæ*, quæ non poteſt multiplicari, ſed communicari tantum, audax eſt facinus, ſi quis, intellectu finito præditus, aſſerere, contra revelationem alia docentem, ſuſtineat.

e) Vnctio illa, qua Chriſtus eſt, qui nos redemit *Servator optimus*, ad humanam naturam attinet, a divina natura utique diſtinctam. Inde vero non conſequitur, eam perſonam, quæ & homo eſt & Deus, ſecundum Divinitatem non poſſe ſimul eſſe ungentem Deum; cum præſertim illa *unctio perſonalis* ex ipſa Dei ſeu filii Dei cum H. N. unione profluat: ut *habitualem* unctionem jam ſileamus.

f) Vt homo relationem ad divinam ſuam naturam, quatenus filii Dei eſt, Chriſtus habet perſonalem. Ad patrem vero ſi referas, a quo (uti per unionem perſonalem filii Dei *hypoſtatice*) unctus eſt *efficienter*, non eſt abſurdum, ſi Chriſtum ut perſonam a perſona divina diſtingui, h. e. filium, præſertim incarnatum, a Patre affirmes; cum ſcriptura ipſa *Deum ungentem* a *Deo uncto* & ſec. Hum. naturam eo beneficio affecto, Pſ. XLV. coll. Ebr. I. diſcernat.

g) Ita tamen, ut & ipſe agnus in medio throno etiam, tanquam victor, ſtaret A-

ces: diſtingui eum ſecundum humanam naturam. Reſponſum eſt *fol.* 119. Chriſtum ibi conſiderari, quantus quantus eſt. Etenim ut agnus eſt, diviniſſimus cultus ei tribuitur. *Quarto*, *fol.* 128. 129. ex loco *Act.* *XVII*, 21. Deus judicabit mundum per virum, quem definivit, &c. Item ex loco *Matth.* *XVI*, 27. *XXIV*, 30. ubi ipſe Chriſtus dicit ſe venturum cum ſui Patris gloria. Item *Joh.* *V*, 27. poteſtatem hanc accepit, quia Filius hominis. Hic utique diſtinguitur Chriſtus a Deo. a) *Quinto*, Omnis Chriſti majeſtas ex Dei dono b) eſſe dicitur, *fol.* 131. *Sexto*, *f.* 133. argumentum eſt contra Trinitatem, Chriſtus ante reſurrectionem non habuit nomen ſupra omne nomen. c) Ergo non fuit verus Deus. Antecedens probatur ex loco *Phil.* *II.* hoc modo: ſi habuit, oportet habuerit per unionem hypoſtaticam divinæ naturæ cum humana: atqui cum iſta natura divina ſit ipſe verus Deus, quomodo fieri potuit, ut Chriſtus homo indigeret ulla glorificatione aut manifeſtatione nominis ſui, ab alio præſertim petenda quam a ſeipſo, d) &c. *Septimo*, *f.* 140. ex loco *Eph.* *I*, 20. & ſeq. ubi eadem ferme habentur, quæ *Phil.* *II*, 8. *f.* 149. ex loco 2. *Cor.* *V*, 19. alius eſt is, qui eſt in aliquo, & is, in quo eſt. e) Sic etiam *f.* 182. ex loco *Eſa.* *XLV*, 9. Si pater neminem habet, a quo mittatur, neminem etiam habet ſibi æqualem. Nam ut aliquis ab alio mitti poſſit, minor, aut ſaltem æqualis eſſe debet, f) ut placet

Hh hh 2 Trini-

poc. V, 6. coll. cap III, 20. Diſtinguatur de reliquo *Chriſtus*, ſec. *Perſonam* ſuam nude & ſimpliciter conſideratus, atque ſec. *officium*, & res erit in vado. Sic enim, cur Deus in throno ſpectandus, &, quidem *Trinunus*, *Chriſtus* autem comparens ut μεσίτης coram eo ſec. Hebr. IX, 24. deſcribatur, proclive erit intelligere.

a) Diſtinguitur; ſed *ratione officii*, ut μεσίτης *a Judice:* quod *poſterius* officium *commune* habet *Chriſtus cum* Patre, coll. 2. Cor. V, 19., ut Deus; *proprium* autem eſt illi, prius, ut θεανθρώπῳ. Vt omittam de *Chriſto* hæc omnia, quæ adducta ſunt loca, ſicuti Joh. V, 27. diſerte legitur, ut *filio hominis* eſſe intelligenda, ſed officio tamen Mediatoris in *acquirenda* & *applicanda* ac *diſpenſanda* ſalute perfungentis.

b) Donata eſt ei utique, ut homini, qui tamen cum filio Dei unum ὑφιστάμενον conſtituit, ac proinde per unionem perſonalem, cujus eſt illa communicatio majeſtatis conſequens.

c) *Habuit poſſeſſione*, κτήσει, ſed *nondum plenaria* χρήσει ſeu *uſurpatione:* quod l. c. *Paullus* diſerte & diſtincte docet comm. 6. ſq. & Act. II, 36. Petrus confirmat.

d) Petiit a patre, quia ad voluntatem Patris ipſa etiam facta erat exinanitio, ita tamen, ut voluntas Patris eadem, quæ *Chriſto*, eſſet. Spectanda igitur eſt in hoc myſterio *œconomia Dei* δικαστική, quam *Chriſtus* toties in orationibus ſuis Johanneis a Cap. VIII usque ad XVII inculcat.

e) *Perſonaliter* ſane; ſed *eſſentialis* unitas inde ſimul ſtabilitur, quia: Ego & Pater *unum* ſumus; ſimul affirmatur.

f) Recte etiam æqualem ab æquali, per *conſiliam*, non *mandatum* proprie dictum, mitti poſſe a noſtris docetur; Quod au-

Trinitariis, *f.* 167. *Decimo*, *f.* 205. Essentia divina non est partibilis, nec tota communicabilis, quia non esset una numero: eadem enim numero essentia plurium personarum esse non potest: a) hoc enim implicat contradictionem. *Vndecimo f.* 215. ex loco *Hebr. I*, 3. Si Christus est figura seu imago hypostasis Dei, b) nec plures sunt hypostases, cum in græco sit articulus additus ὁ Θεὸς:* non dicitur imago Patris, sed imago illius unius Dei simpliciter. 12. *f.* 243. ex loco Lucæ, ubi ait, Christum sapientia, ætate & gratia profecisse, c) sapientia autem Deo coæterna est. Si fuisset Deus, non bene Lucas dixisset. 13. *f.* 245. Nemo sui ipsius filius esse potest. d) Christus est Dei Filius. Ergo non est ipse Deus, ut Ignatius quoque argumentatur. 14. *f.* 253. Nemo sibi ipsi æqualis est. Si Christus est æqualis Deo, e) *Joh. V*, 18. Ergo non est ille summus & æternus Deus. 15. *f.* 254. ex loco *Joh. V.* Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quod faciendi potestatem & jussum a Patre habuerit *f.* 255. & majora his demonstrabit. Ergo non ab æterno habuit istam cognitionem aut potestatem. f) 16. *f.* 271. ex loco: creditis in Deum, etiam in me credite, *Joh. XIV*, 1. distinguit enim manifeste Christus inter Deum & se. g) Vox enim *Deus*

* DEVS.

tem pater non missus fuit, in caussa est, quia *consilium* commune, quod nobis, quicquid sit de origine personarum, plane exploratum non est, filio id detulit divinum, idemque ille, ut filios nos Dei faceret, approbavit.

a) Prisca assertio, sed gratis facta atque ficta, & ex inductione rerum finitarum deducta; cum sit de *infinita essentia* h. l. *sermo*, & de revelatione, in qua id Deus, de seipso, certe infinitæ perfectionis suæ optime gnarus, testatur, verecundius ad minimum judicare deceat.

b) Ipsa vox *hypostaseos* indicat, Dei vocem h. l. *personaliter* accipi. Articulum autem vocabulo Dei modo addi, modo ab eo abesse, sententia haud mutata, multoties jam est a nostris ostensum. Nec *Christus* dicitur imago S. Trinitatis, sed ejus, qui est Deus, ejus videlicet, a quo cogitando, ut multi censent, genitus est, cujus h. l. filius vocatur, i. e. Patris.

c) *Sapientia habituali* profecit, tanquam homo, perinde *uti statura*. Ad Christum, ut Deum, hæc non spectant, utut ad eum, qui & homo est & Deus, pertineant.

d) Neque etiam est Christus sui filius, sed patris a filio *personaliter* distincti; etsi eadem sit ipsi, quæ patris est, per generationem, communicata natura. Ejus vero, qui habet eandem naturam, filium aliquem, etiam in divinitate esse non posse, κρινόμενον est.

e) Est æqualis *æqualitate essentiali*, salva *distinctione personali*, qua pater & filius, ut alius atque alius, differunt.

f) Habet, ut nec fecerit unquam aliud, neque faciat aut facere possit, nisi quod etiam pater, per essentiæ unitatem, non per modum doni in tempore dati, faciat: utut, qua humanam naturam eo dono, per unionem personalem potius fit Christus.

g) Est etiam realis *distinctio* inter Deum

Deus articulum habet. 17. *Joh. XII,* 44. qui credit in me, non credit in me, a) sed in eum, qui misit me, &c. 18. *f.* 292. Christus est in forma Dei, b) ergo non est ipse Deus, ex *Phil. II,* 6. 7. ibid. *f.* 295. ex eo, quod dicitur formam suam Dei deposuisse, (exinanivit enim se) colligitur, non esse essentia Deum, sed figura externa, & qualitatibus aliis. Huic addantur & aliæ quatuor rationes, quas ibi vide. 19. *f.* 315. ex loco 1. *Joh. V,* 20. Vnus solus est verus Deus, & Pater hic est Deus: c) Ergo Christus seu Filius Dei non est iste verus Deus. 20. *f.* 385. Acutissime duas naturas in Christo oppugnat ex ipsis adversariorum verbis. 21. *f.* 393. a nomine κύριος,* quia Jehovæ sine articulo tribuitur subjective, Christo cum articulo. d) 22. Posset contra substantiale Dei verbum hac ratione argui, si Christus est verbum Dei essentiale, ipsa Dei essentia, ergo non potest esse instrumentum verbi divini. e) At est instrumentum, quia *Hebr. I.* postremis temporibus Deus nobiscum locutus est per Filium, f) sicut per prophetas olim. Antecedens probatur, quia duplex esset verbum, quod & per quod: prius etiam prophetæ portarunt. Si Christus est verbum Dei essentiale, ipsa Dei essentia & Deus per Christum g) locutus est, qui ipse quoque est persona divinitatis; ergo

* Dominus.

Patrem & filium *personalis;* deinde vero etiam, Christus h. l. ratione officii & ut θεάνθρωπος, ad officium obeundum h. m. idoneus, spectatur.

a) Non in me *solum*; sic enim Hebræi loqui solent. Alias repugnantia Christus, affirmando idem & negando, pronunciaret.

b) Forma Dei est *ipsa Majestas Dei,* humanæ naturæ per unionem personalem communicata, qua potuisset, si voluisset, uti, sed per consilium Dei ea plene & constanter uti, donec exaltaretur, tanquam homo κενωθεὶς, noluit. *Forma* autem dicitur *respectu conditionis servilis,* qua inter homines, cum divina posset, versari voluit, ut munere Liberatoris per mortem piacularem defungi posset.

c) Immo vero l. c. idem filius Dei dicitur *Deus verus, qui* & *Messias verus* l. c. appellatur. Relativum namque Pronomen ad *proxime præcedens*, nomen referre convenit *potius*, quam *remotum.*

d) Contrarius usus dudum est exemplis demonstratus. Et ipsa quoque hypothesis gratis ficta est.

e) Nec est Christus instrumentum verbi divini hypostatici, de quo *Johannes* loquitur, sed ipsum illud verbum, a quo verbum προφορικὸν prædicatum fuit.

f) Neque *per* semper instrumentum denotat, neque interpres necessario etiam altero, cujus est interpres, inferior est; sed *qualis consilii communis missio, talis* etiam ad eum *interpretis relatio* esse solet. Differentiam per prophetias & Christum loquelæ Dei haud dubie ipsi *Sociniani* admittent; *quanta* vero sit, aliunde & ex ipso hoc capite, ubi tanquam Deus a Deo distinguitur, verbi Evangelici ille summus præco, discendum est.

g) Non commode dicitur, ipsa essentia.

quatuor erunt personæ divinitatis: Pater, Verbum quod, Verbum 312 per quod, a) nempe Christus, Spiritus Sanctus. Sed verum prius; ergo, &c. Vocem autem *per* significare instrumentum, b) patet, quod *Hebr. I.* Deus etiam per prophetas est locutus eodem modo, quo per Filium 1. *Cor. VIII*, 6. unus ille Deus est Pater, ex quo omnia, *Eph. IV*, 6. Christus non est Pater, ex quo omnia. Ergo Christus non est ille unus Deus. c) Hæc expoliat & pro suo acumine augeat dominus Crusius. d) Mitto deinde responsum ad replicam ipsius de anima: Systema suum e) dominus Crusius aut jam mittat, aut postea omittat. Aut nunc, aut nunquam. Anti-Ostorodum f) mitto, exinde occasionem vestra solidius confirmandi & permuniendi capietis. Vale, & mihi favere perge. Propter pericula & calamitates Pomeraniæ, & quia ibidem Crusium abiisse suspicor, g) hæc ad illum spectantia (quanquam commune bonum) ad te mitto. Scribe, quæso, an Remonstrantes ad censuram Leydensem h) aliquid pro sua confessione ediderint; prout Mathisius i) promisit? Dabam Fridericopoli, k) MDCXXVIII.

XLIV.

Actiones enim sunt personarum; sed *ille, qui habet essentiam*. Christum autem, præsertim ut θεάνθρωπον, immo etiam ut Deum, personaliter a persona *Patris* distingui, multoties jam dictum, repetitum & in confesso positum est.

a) Idem hoc verbum est, Verbum quod locutum est ad homines, & verbum, per quod Pater ad nos est sermocinatus.

b) Significat, sed *non semper*, v. g. Gal. I, 1. Sæpe est caussæ efficientis nota simpliciter & universe.

c) Pater utique non est Jesus Christus personaliter, & tamen Christus unus est ille Deus Pater, ex quo omnia, essentialiter, qui l. c. creaturis & *putatitiis diis opponitur:* Quemadmodum etiam Christus ut Dominus *non* simpliciter *a Patre*, sed vulgaribus inter homines dominis distinguitur.

d) Scilicet, ut Philosophus eximius, qui lumine rationis egregie de Dei infinita natura, sine revelatione, ex acumine ingenii sententiam dicere debeat; ita nimirum, ut judicium illud *Paulli*, de *stultitia* ratiocinantis philosophiæ, jamdudum meliora edocti, eum præcipiti opinatione sua confirmaturum speret.

e) Theologicum, quod diu se in lucem esse daturum jactaverat, nunquam vero promissis, vel specimine aut prodromo dato se staturum reapse demonstravit.

f) Non *Jac. ad Portum*, sed qui hoc ipso *anno* primum prælo exiit *Marpurgi*, Theologi Giessensis *Justi Feuerborni* fœtus: cujus etiam *Anti-Enjedinus*, sed posthumus extat, non tamen, ut fieri solet, ea qua prior, lima expolitus.

g) Conf. Cent. II. epist. 32. extrema.

h) Ediderunt, & quidem anno 1629. post diuturnam moram celeberrimam illam, quæ mentem plenius exposuere suam, interprete *Episcopio*, *Apologiam*, caussasque in *Præfat. ad Lect.* moræ suæ, ne quis calumniose interpretaretur; valde probabiles, inprimis vero Librorum & operarum typographicarum defectum, inter pericula malaque alia, reddiderunt.

i) De quo cum cæteris Remonstr. exule jam ad Cent. I. actum est.

k) Colonia in gratiam *Belgarum* fugiti-

XLIV.

TRIBANDER a) M. RVARO.

Salutem a ſalute.

QUod nuper ad ſuperiores tuas, doctiſſime Ruare, non reſponderim, cauſæ ſunt multæ, quas inter primas tenet, quod de confeſſione mea b) edenda laborarim partim conſcribendo, quod credo, partim deſcribendo, quod conſignaveram, partim & vel maxime deliberando cum amicis, num, lucem ut videat, an fugiat, ſatius fuerit, iſta fidei mei confeſſio. Et ſunt, qui ſuadeant, & fere perſuaſerunt, ut prælo eam committam; neque, qui diſſuadeant, deſunt. Inter quos Dominus Proconſul Kop, c) cui vel hac de cauſa conſultum non videtur, quod hæc ipſa confeſſio futura ſit pomum illud Eridis, quod vel Dearum concordiam turbare poſſit. Quanquam enim non inveniat, quod carpat, præter id, quod in articulo de SS. Trinitate ſcripſeram, voces illas, phraſes ac diſceptationes de Perſona, ὁμοȣσία, &c. non ſpectare fundamentum hujus articuli, ac proinde neque creditu, neque ſcitu ad ſalutem eſſe neceſſarias, ut quæ ab

vorum & exulum potiſſimum haud ita pridem tunc ædificata ſita in *Holſatiæ* eo tractu, quem *Eyderſtadtienſem* vocant, atque urbe mediocri, quæ *Socinianis* etiam quibusdam clam refugium præbuit. De qua pluribus ad Cap. IV. *Hiſt. Crypto - Socin.* dictum eſt. Vt *Socinianis* exulibus anno 1662. a Senatu urbis receptus & privatum exercitium religionis iſtic indultum fuerit, qui confluere eo quoque jam cœperant, ſed p. p. a Principe Holſatorum ſuadente *D. Jo. Reinbotho* (male l. c. ſcribitur *Rembotto*) iterum emigrare juſſi ſint, narratur in *Lubieniecii* vita *Hiſt.* ejusdem *Ref. Polon.* præmiſſa.

a) *Laurentius Stegmannus, Joachimi* ſen. & *Chriſtophori Stegmannorum* frater, a Græco τρίβος, quod *ſemitam* notat, German. *einen Steg* ſic cognominatus, & poſtquam *Racoviana ſchola*, cui ille præerat, everſa eſſet, & ipſe proſcriptus hinc inde vagaretur, ut tanto minus agnoſci poſſet, conſtanter eo cognomine appellatus. Quæ, quando paucis commemoravit *Lubieniecius* in *Hiſt Reform. Polon.* L. III. C. XII. f. 240. *Fribandri* nomen ſubſtituens, niſi culpa penes typographum ſit, emendandus eſt.

b) Nihil ejus, quod ſciam, lucem publicam typis videlicet, editum, adſpexit. Cæterum ne inter MSSta quidem ejus meminiſſe *Sandium*, in qua tamen deſcribenda ſe occupari & in ſeqq. jam elaboratam quoque amicisque traditam eſſe, *Stegmannus* ipſe ſcripſit, valde miror.

c) Proconſul is Gedanenſis fuit. Forte ex *Chriſtophori* illius *Copii* ad *D. Petri Diaconi* poſteritate ortus erat: cujus, ut a *Philippi* ſcholæ diſcipulis formati & *Calvinianis* faventis ſæpius ſit apud *Hartknochium* mentio. Quisquis fuit, a *Socini* certe & *Stegmanni*, qui eo quoque conſiliario uſus eſt, non videtur admodum fuiſſe alienus opinionibus: niſi ob alias cauſſas miſerum majoribus periculis liberandum exiſtimavit.

ab hominibus adinventæ, ac in Eccleſiam Chriſti introductæ, unde non immerito Alſtedius eas ad traditiones Eccleſiaſticas rejiciat, &c.

314 Hæc & ſimilia in hunc ſenſum dicta, exiſtimat, fore, ut plurimos, quam alias bonam de me conceperunt opinionem, offendant, & nihil calumniis adverſariorum meorum magis expoſitum. a) Deinde & hoc monebat, me nimis parce de fide ſalvifica egiſſe, ut ergo ſpeciali articulo illam explicarem, quoniam in ea cardo ſalutis a parte noſtri verſetur, conſuluit. Hinc denuo eam pervolvere, quædam expungere, quædam addere, pauca quædam mutare viſum eſt: ne habeant illi, qui ad calumnias nati videntur, quid reprehendant. Quicquid ſit, ille tamen perſtat in ſententia ſua, & videtur mihi magis ſtudere famæ Eccleſiæ Gedanenſis, quam meæ, licet familiariſſime mecum converſetur, mavult tamen de nocte b) quam de die mecum colloqui de rebus Theologicis, ſolet etiam me ad cœnam vocare, libros ſuos legendos erogare, ut ſic mutua fide (ſic enim loqui ſolet) nos invicem ædificemus. Sed ego hominem tanquam ignem tracto, donec animum ipſius penitus exploraverim. Quantum judicare poſſum, hactenus, licet aliter ſentiat quam vulgus Reformatorum, quos vocant, ſcilicet cum Puritanis facit, quo nomine quosdam pietatis ſtudioſiores in Anglia deſignari, quosque non multum ab Arminianorum ſententia abire c) fama refert. Sed ut redeam, unde egreſſus ſum; Ex conſilio laudati conſulis inſtitui, hanc meam confeſſionem Sereniſſimo Electori Brandenburgico offerre. Saltem

315 eum in finem, ut hac ratione aliquam mihi auctoritatem conciliare poſſem, ſic enim ſpero futurum, ut omnia mea dicta, ſcripta factave, quæ jam a multis propter malas ſuſpiciones ſusque deque habentur,

a) Mendoſe hæc impreſſa, aut a Stegmanno per præcipitantiam male ſcripta ſunt. Forte hiatus ita ſupplendus eſt: & *me* calumniis - - - expoſitum *reddant.*

b) Et hæc & ſequentia plura multum ſuſpicionis movent, non *Puritanorum* tantum hypotheſibus fuiſſe addictum, ſed plus etiam monſtri aluiſſe hunc *Kopium.*

c) Fallitur *Stegmannus*, ſi *Puritanos* cum *Arminianis* conſpirare credit, aut certe, cum hæc ſcripſit, ita ſentiendo valde hallucinatus eſt. *Epiſcopales* enim cenſentur *Remonſtrantibus* potius favere, quam *Presbyteriani:* præſertim in eo argumento, quo de Decreto illo Dei, ſive Electionis, ſive Reprobationis agitur abſoluto, ante- *ſpectivo.* Quæ pluraque alia diſtincte explanata ſunt in præſtantiſſima Diſſertat. S. Rev. Dn. *Lintrupii*, Præſide b. *Maſio*, de *Contemtu Concilii Dordraceni in Anglia:* quæ inter Maſianas Diſſertt. non ita pridem conjunctim editas, locupletior habetur, & num. XIX. collocata eſt. Si forte *Puritanorum* nomine alios denotavit *Tribander*, eoque vocabulo *latiori* ſenſu pro Reformatis quibusque uſus eſt, obſcuritatis notam non effugere poteſt.

tur, in majori fuerint precio. Tuo autem, Vir humanissime, judicio quia multum defero, quæso, ne mihi consilio desis, quem in finem apographum istius confessionis tibi communicari curabo per amicum meum Henricum Garbadam, cujus illa manibus jam teritur, quando neque per tabellarium, neque a) etiam per me id tuto licet. Hic te valere jubeo, doctissime domine Ruare, & salve a me & mea cum tua totaque vestra familia. Dabam ex prædio Vihlhand. VII. Apr. MDCXXXVII.

Doctissime domine Ruare, si Typographo Andreæ Hünefeldio adhuc fuerint quædam exemplaria ultimi tractatus Germanici domini Bergii b) de concilianda fraternitate inter Lutheranos & Reformatos, quæso, tria vel quatuor vel plura mihi vel ille vel tu transmittas, nam & dominus Consul, & quidam alii illum avide expetunt, quibus ut ego gratificer, mihi expedit. Quanti constiterint, gratissimus solvam. Vale.

XLV.

316

M. RVARVS AD SENATVM CLAVDIOPOLITANVM: NOMINE FRATRVM POLONORVM.

Quanquam vulnus Ecclesiis nostris c) nuper ab adversariis inflictum non parum nos & admiratione tam repentini infortunii conturbet, & sensu doloris cruciet: non minore tamen ægritudine animos nostros perculerunt literæ vestræ, ex quibus intelleximus, turbas in ecclesia vestra d) intempestivo nonnullorum zelo excitatas, non modo non conquievisse, sed & in majus augeri, & nisi Deus e machina adsit, magnum aliquod malum minari. Interim gaudemus vehementer, nihil vos de cura atque sollicitudine, qua rebus lapsis succurratis, remittere, nec ingratum nobis est, nostram opem hic a vobis requiri, cum id sit fiduciæ, quam de nostra erga vos benevolentia concepistis, certissimum argumentum. Quanquam præ-

 sens,

a) Scribere voluit sine dubio *sive - - - sive*. Negantes enim particulæ contrarium sensum fundunt.

b) *Johannis*, puto, *Bergii* libr. de Quæst. *Vtrum Evangelicæ per Germ. Eccles. dissentiant in fundamento fidei.*

c) Illud nimirum, quo h. a. 1638. *Warsoviæ* in comitiis regni, decretum est *scholam Racovianam esse diruendam Ecclesiam Arianis adimendam atque occludendam, typographiam tollendam*, & *Ecclesiæ Pastores scholæque Professores ac præceptores infamia notatos proscribendos.* Quæ cuncta etiam executioni impigre mandata, brevi tristem habuere, ut *auctor vitæ Wissowatianæ* addit, eventum.

d) Inter *Socini* atque *Franc. Davidis* asseclas h. t. concitatas, quæ ad horum oppressionem spectabant, vel ob violenta consilia adhibita *Polonis* displicentem.

ſens rerum noſtrarum ſtatus ita comparatus ſit, ut illorum virorum, quos nominatim requiritis, præſentia eccleſiæ noſtræ ægre careant: noluimus tamen ſive petitioni veſtræ, ſive ipſi occaſioni gloriam Dei Chriſtique ejus amplificandi, deeſſe. Mittimus igitur ad vos virum nobiliſſimum genere, & virtute atque eruditione clariſſimum 317 D. Jonam Slichtingium, a) cujus prudentiam atque dexteritatem in adminiſtrandis eccleſiæ negociis non modo nos compertam habemus, ſed & vos, cum ſuperiore hieme juſſu noſtro ad vos profectus fuiſſet, eſtis experti, quem proinde verbis pluribus vobis commendare, minime neceſſarium ducimus. Hujus autem viri operam, quam non dubitamus vobis utiliſſimam fore, dum vobis ad tempus gratificamur, b) id tantum a vobis oramus, ac veluti ſtipulamur, ut omnibus modis allaboretis, quo vir eccleſiis noſtris ſuo merito longe chariſſimus in tanta hoſtium veritatis multitudine ac potentia tuto apud vos verſari, & re, ut ſperamus, feliciter peracta, quamprimum ad nos redire poſſit. Quod deinde petitis, ut præſtantiſſimum virum, Petrum Stegmanum, c) quem loco Victoris d) vobis obtuleramus, ad eccleſiæ munus ſcholæque regimen, jam nunc quoque ad vos ablegemus: de eo facile facti per nos fuiſſetis compotes, cum jam ab aliquot ſeptimanis voluntatis veſtræ ſignificationem, ei obſequi paratus P. Stegmanus exſpectet, niſi præſens ſcholæ noſtræ calamitas eum ad vos extruſiſſet, e) quem omnia ea, quæ a P. Stegm. expectare poteratis, non modo æque, ſed etiam (quod ſine contumelia illius dictum velimus) aliquanto dexterius præſtiturum omnino confidimus. Is eſt Laurentius Stegmanus, Petri, ut & Joachimi pie quondam apud vos defuncti, frater, qui ſcholæ noſtræ f) clavum per aliquot annos magna cum laude tenuit, ſimulque eccleſiam noſtram

a) *Paſtorem* hucusque *Racovienſem*, ſed poſt fata illa oppidi atque ſcholæ triſtia, de quibus p. a. dictum eſt, munere publico vacantem.

b) Eſt ergo *Slichtingius* etiam inter Theologos (liceat mihi vocabulo hoc largiori paullo notione uti,) commodatos numerandus, & *Zeibichianus* de gratificatione hujusmodi libellus, exemplo hoc, uti pluribus aliis haud diſſimilibus, etiam ex *Sociniana* cohorte, ubi commodatio perfrequens fuit, augendus.

c) Hujus non meminit, quia ſcriptis haud inclaruit, *Sandius*. Eum vero *Joachimi* ſenioris fratrem, qui *Claudiopoli* diem obiit anno 630 fuiſſe, ipſe paullo poſt *Ruarus* clariſſime docet.

d) Non dubitamus, deceſſorem hoc nomine proprio intelligi *Eccleſ. Socin. miniſtrum*, cui alius ſurrogandus erat. Conf. *Lubieniecii* Hiſt. Reform. f. 164.

e) Officio quippe publico poſt cladem Racovianam, ut *Lubieniecus* loquitur, carentem

f) *Racovianæ*. Idem ergo fuit, qui pro-

ſtram Germanicam concionibus piis & diſertis erudiit. Hunc igitur virum optimum atque eruditiſſimum, quem inviti ſane dimiſimus, ut ad iſtud munus, a) quod illius fratri Petro deſtinaveratis, ſuſcipiatis, non tam illius gratia rogamus, quam pro noſtro in ſcholas eccleſiasque veſtras affectu ſuademus: nihil dubitantes, quin perſonam, quam illi impoſueritis, ita ſit geſturus, ut & ſpem ex externo aſpectu viros æſtimantium b) longe ſit victurus. Rogamus præterea, ut & fratrem Stegmani uterinum, Samuelem Morum, & alios, quos iniquitas temporum a nobis ad vos extruſit, commendatos vobis habeatis, eorumque operam, ſi ita uſu venerit, honeſta aliqua functione occupetis, certo vobis perſuadentes, nihil eos admiſiſſe, cur quicquam in illos ſequius ſtatueretur. Atque hæc erant, de quibus per literas vos admonendos duximus. Cætera coram chariſſimus noſter frater, Jonas Slichtingius, expediet. Oramus Deum Optimum Maximum, ut eccleſiam rempublicamque veſtram contra omnes adverſariorum molitiones tueatur, vosque in rei Chriſtianæ bonum quam diutiſſime ſalvos & incolumes conſervet. Zabnæ c) IV. Junii anno M DCXXXVIII.

XLVI.

M. RVARVS AD EPISCOPVM d) CÆTEROSQVE PASTORES ECCLESIARVM VNITARIORVM: NOMINE FRATRVM POLONORVM.

QUo animo rumorem de turbato e) eccleſiarum veſtrarum ſtatu, quamprimum ad nos pervenit, exceperimus, ex eo vobis ſatis conſtare poterit, quod nobiliſſimum doctiſſimumque virum, Jonam Slichtingium, media hieme, f) ad reſtinguendum, ſi fieri poſſet, incen-

xima epiſtola *Tribandri* nomine ad *Ruarum* litteras dederat.

a) Paſtoris Claudiopolitani, non tamen ſupremi, ſed ex ordine ſecundario.

b) Statura hinc non procerum, ſed minorem fuiſſe colligimus *Laur. Stegmannum.* Quid enim alioquin fuiſſet hac cautela opus?

c) Locus eſt, ubi ad deliberandum *Sociniani* præcipui, tunc vagi, convenerant.

d) Idem, qui Eccleſiis in Tranſylvania *Socinianorum* præerat, quorum ingens h. t. adhuc fuit multitudo, ut vel ex una parte, quod epiſt. 45. docet, cœtus *centum* & *quinquaginta* numerarentur, *Superintendens*, & ordinaria quidem nomenclatura, appellari ſolebat. Epiſcopi ergo nomine *Ruarus* videtur vel per jactantiam vel elegantioris ſermonis ſtudio uſus. *Plebani* quoque Socinianorum *Claudiopolitani* interdum ſit mentio; incertum vero eſt, utrum ab Epiſcopo fuerit, quod putamus, diſtinctus. Aliter tamen ſenſit, & pro eodem utrumque habuit ſcriptor ep. 96.

e) Litibus, quæ diſtractionem majorem, quam hucusque iſtic fuerat, minabantur.

f) Neque hujus, neque alterius, ad componendas controverſias iſtas, itineris

incendium, ultro ad vos miſerimus; cujus operam non fuiſſe vobis ingratam, ex literis veſtris lubenter intelleximus. At quid animi nunc nobis eſſe putatis, cum nondum quieſcere intelligimus hoſtem humani generis, Satanam, ſed eodem tempore, quo noſtras in hoc regno eccleſias non mediocriter afflixit, a) in vos quoque acrius inſurgere, &, ſi Deus permittat, tranquillum eccleſiarum veſtrarum ſtatum penitus conari ſubvertere. Recreavit tamen nos non parum cum illa animi veſtri magnitudo, qua vos paratos oſtenditis ad ſubeunda fortiter hæc, quæ vobis intentantur, pericula, tum prudentia atque moderatio, qua vos in ſarcienda eccleſiarum veſtrarum tranquillitate uti cernimus. Legimus, quo ordine omnia in hac cauſa & ab adverſariis veſtris, & a vobis geſta ſunt, neque quicquam animadvertimus, in quo prudentia veſtra accuſari merito poſſit. Nolite 320 vero dubitare, quin, quod a nobis contenditis, precibus noſtris Deo Domino Jeſu tranquillitatem eccleſiarum veſtrarum diligenter commendemus. Conſilium atque auxilium, quod a nobis requiritis, in tanta locorum diſtantia non aliud vobis melius ſuggerere poſſumus, quam ſi eundem nobiliſſimum Slichtingium, cujus operam antehac vobis præſtitam tantopere deprædicatis, cujusque præſentiam ampliſſimus civitatis veſtræ Senatus b) in literis ſuis nominatim a nobis requirit, denuo ad vos ablegemus, qui pro ea, qua dotatus eſt a Deo, ingenii perſpicacia, ac prudentia in re præſenti, quod in uſum veſtrum futurum ſit, commodius videbit, & noſtro nomine vobis ſuggeret. Cenſuram, ſeu potius judicium noſtrum, de confeſſione cum veſtra, tum Rhawiana, c) quam a nobis petitis, nequaquam vobis negaremus, ſi in noſtra nunc eſſet manu, ea ratione vobis gratificari, quam & vos, & res ipſa exigit. Nec enim paucorum, qui iſta nunc ſcribimus, ſed multorum eccleſiarum noſtrarum Antiſtitum d) unanimis

Slichtingiani meminit *Lubieniecius* in qualicunque vitæ, quæ operibus ejus præfixa eſt, ſed valde rudi, delineatione; tametſi eum *incertis ſedibus vagantem*, cum anno 1647. ob confeſſionem publicatam, proſcriberetur, *oras Transboryſthenias, Ponto Euxino & Moſchicæ ac Scythicæ barbariei vicinas, adire & incolere neceſſe habuiſſe*, ajat.

a) Vid. epiſt. præced. ſub initium.

b) Conſtabat enim *Senatus* h. t. *Claudiopolitanus* maximam partem *Socinianis*, qui etiam templum primarium tenebant, uſibusque ſuis adhibebant, cum *Gymnaſio*, cæterisque omnibus proinde prævalebant Principum antehac quorundam, ut notum eſt, in ipſos favore ac patrocinio.

c) Quis ille fuerit & quæ confeſſio, ſupra jam ad ep. 84. Cent. I. dictum eſt.

d) Novum multitudinis in *Polonia* hinc illinc commorantium *Socinianorum*, & hujus *Zabnenſis* conventus extraordinarii atque compendioſi documentum.

nimis in hanc cenſuram conſenſus, ſi quid ea auctoritatis habere debebit, requiritur, qui in hac anguſtia temporis tam ſubito in unum cogi, atque coire nequaquam poſſunt. Vtinam duabus ſeptimanis prius literæ veſtræ appuliſſent, ut ad Synodum noſtram in Volinia a) celebratam deferri potuiſſent! nec enim dubitamus, quin illic voti veſtri compotes fieri potuiſſetis. Interea tamen ſperamus, deſide- 321 rio veſtro hac quoque in parte, quoad tempora tulerunt, ſatisfactum, dum unum ex præcipuis eccleſiarum noſtrarum antiſtitibus b) ad vos ablegamus, cui cum intimus earum ſenſus, & quicquid ad hanc rem e ſacris literis hauſtum a noſtris ſive voce ſive ſcriptis proditum eſt, probe ſit exploratum: non dubitamus, eccleſias noſtras univerſas, quicquid hic ille cenſuerit, ratum habituras, idque vos pro communi omnium noſtrorum judicio acceptare poſſe. Cæterum quod illi, qui eccleſiarum veſtrarum quietem nunc turbant, ad ſuam cum Calvini aſſeclis conſpirationem, c) exemplo noſtro abutantur, qui fraternitatem illis non ſemel antehac obtulerimus, id nobis & mirum videtur, & certe præter mentem noſtram ab illis fit, qui non niſi certis legibus, quas hic commemorare operoſum eſſet, cum Calvini ſequacibus, in fraternum fœdus coaleſcere voluimus, quas leges ab illis, cum quibus ipſi conſpirant, admiſſuros nequaquam credimus, &, utut cæteroquin amicitia inter nos coaluiſſet, ea tamen nequaquam ad aliorum, qui Chriſti nomen profitentur, oppreſſionem abuti vel voluiſſemus, vel par eſſe ducimus. Si qua vero hac quoque ſuper re animi noſtri prolixiorem declarationem exigitis, eam doctiſſimus D. Slichtingius noſter facile vobis præſtabit. Quod ſupereſt, rogamus Deum, ut tempeſtatem in eccleſias veſtras coortam ſpiritus ſui aura componat, & benigna vobis reddat halce- 322 donia, quo & veritas evangelii, quæ ſecundum pietatem eſt, flore-

a) Quo everſo cœtu *Racovienſi* plurimi *Polonorum* ſe, ut alibi demonſtratum eſt, converterant, & *Kiſſelenſem* tam ſcholam, quam Eccleſiam exornare cœperant. Conf. *Lubieniecius* in *Hiſtor. Reform. Polon.* L. III. c. XVI. ubi ſingulatim etiam ſynodorum aliquot, iſtic celebratarum, & *Petri Stegmanni* eo quoque ſeſe recipientis atque aliorum, de quibus alias, fit mentio.

b) Quippe qui metropolitanæ, ut ita loquar, Eccleſiæ *Racovienſi*, hucusque præfuerat ſumma cum auctoritate.

c) Erat ergo, præter antiquam diſſentiendi cauſſam, *irenica*, ea, qua nove concuſſa fuerat & labefactata concordia *Sociniana*, atque hos etiam inter Kadmæos fratres, dum *Vulcanus* cudere volebat εἰρήνην, cudebat ἔριν: quod de aliis aliorum conſiliis præpoſteræ pacis cauſſa excogitatis b. *Dannhauerum* prædixiſſe conſtat. De ſcopo hujus Syncretiſmi, h. l. obſcure admodum propoſiti, ſequens nos epiſtola plenius & dilucidius edocebit.

re, & regnum Christi fines suos proferre queat. Dabam Zabnæ nonis Junii, M DCXXVIII. a)

XLVII.

M. RVARVS AD MATTHIAM RHAWVM b) ILLIVSQVE ASSECLAS.

NOMINE FRATRVM POLONORVM.

QUanquam de animo vestro erga gloriam atque majestatem Domini nostri Jesu Christi optime nobis constet &c.

324

XLVIII.

M. RVARI SVPPLEX LIBELLVS AD MAGISTRATVM DANTISCANVM.

EX GERMANICO TRANSLATVS.

Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimi, Prudentissimi Domini.

OMnia faustissima a Deo optans, devotaque mea offerens officia, reticere apud AA. VV. non possum, quæ mihi D. Præsidens Consul nomine AA. VV. novissime insinuavit, nimirum cum AA. VV. intellexissent, me non solum Religionem, quæ sive Ariana sive ei affinis dicitur, profiteri, verum etiam ejus in hac urbe propagandæ tanquam præcipuum Antesignanum omni cura incumbere, consultum judicasse, ne scilicet alii simplices per me falsa inficiantur doctrina, mihi ex officio hac urbe interdicere, c) alioque ut sedem transferam, injungere. Quemadmodum inopinato mihi, malevolorum sine dubio apud AA. VV. delatione procreatum, hoc mandatum accidit, ita etiam ei tam subito obedire non solum gravissimum, verum etiam pene impossibile, tum ob gravem brumæ tempestatem, tum ob caræ mihi conjugis puerperium, comperi. Quæ rationes 325 tanti apud D. Præsidentem Consulem ponderis fuere, ut eas AA. VV. sere-

a) Corrigendum est mendum typographorum, & annus M DCXXXVIII. substituendus. Eodem enim tempore hæc atque prior epistola scriptæ sunt.

b) Eadem hæc epistola supra jam n. 84. Cent. I. impressa fuit, atque observationibus a nobis illustrata. Quæ caussa fuit, cur h. l. eam omittendam esse consultius existimaverimus.

c) Non dubium est, quin, quæ contra *Racovienses* acta erant hoc anno, & forte Dantiscanis invidiose objecta, occasionem huic decreto dederint, *Ruaro* neutiquam grato, sed forte tamen necessario. Quæ apud *Hartknochium* ea de re annotata habentur, pleraque ille ex his epistolis didicit, ut non possim satis ejusdem in hujusmodi Socinianorum rebus sterilitatem mirari.

ſe relaturum gratioſe receperit, nec dubitem apud AA. VV. id ſaltem effecturas, ne repentina mandati executione aggraver. Accedit, quod pluribus Regni Poloniæ Magnatibus in eorum privatis negotiis procurandis a) inſerviam, quod ſi ita ſubito deſeruero, non minimum in eos damni ſit redundaturum. Cum vero id mihi impoſitum exilium, quandocunque tandem ſuum ſortiatur effectum, non ſolum bonorum meorum, verum etiam mei honeſti nominis bonæque famæ, b) cujus retinendæ unusquisque honeſtatis amans pro virili ſtudioſus eſſe tenetur, minetur jacturam, id mihi debita cum obſervantia, percepto AA. VV. mandato, reſervavi, ut mihi liceat demiſſe gravamina mea AA. VV. ſcripto demonſtrare: quo cum jam coram AA. VV. compareo, humillime rogans, dignentur benigne, quicquid pro cauſæ meæ defenſione & juſtificatione attulero, perpendere ac interpretari, plusque innocentiæ meæ inde elucescenti, quam adverſariorum meorum accuſationi tribuere. A juventute mea (præfiſcine) ſtudia mea in præcipuis tum ſcholis tum academiis Europæ ita inſtitui, ut non ſolum in diverſis locis bonum vitæ meæ teſtimonium c) reportaverim, verum etiam ad præclara officia d) vocatus fuerim, cujus utriusque vel unicum hic additum exemplum AA. VV. benevole perlegant. Maturiori vero jam ætate inter omnes Regiones hoc Poloniæ Regnum domicilii mei ſedem eligere placuit, ob auream conſcientiæ libertatem, e) Statuum Regni confœderationibus, & ſolemnibus Regum juramentis ſtabilitam. f) In hoc regno, ita ſummo Deo diſponente, atque in hac Dantiſcana urbe conſedi, quæ mihi non tantum regiminis politici cauſa

326

a) *Als Agent*, ut vulgo loquimur. Quos humanitate & facilitate ſua mirum in modum, ut ſequentes litteræ docent, ſibi devinctos reddidit.

b) Non erat, cur honeſti nominis jacturam merueret, aut obrenderet potius, *Ruarus*, cum alia non fuerit, quam hæreſis, quam profitebatur, nec ſecum habitabat, ſed ad alios ſpargebat, tutelæ ultra denegatæ cauſſa, cum qua honeſti de cætero in rebus civilibus viri rationes utique conſiſtere poterant.

c) De qua non diſputabatur, ſed de doctrina: cujus tanquam bonæ, neſcio, an usquam teſtimonium reportaverit.

d) In Cantabrigienſem illam, de qua multa ſupra Cent. I. ep. 10. ad *Dümlerum* diſtinctius ſcripſit, digitum intendit. Alibi enim expetitum eum eſſe ad munus publicum, niſi in patria aliquid oblatum, abſtrahendi eum ab hæreſi gratia, fuerit, non conſtat.

e) Vtinam in licentiam haud convertiſſes, Ruare!

f) Neſcio, utrum id facile concedant *Poloni*, nec ne? Hoc ſcio, *Vindiciarum pro Vnitariorum in Polonia religionis libertate*, quæ *Sandii Bibliothecæ* attexta eſt, *auctorem*, *Equitem Polonum*, procul dubio *Sam. Przipkovium*, operoſe pro ea ſenten-

causa, verum etiam eo magis placuit, quod in ea diversarum religionum asseclis non tantum libere commorari & negotiari, sed etiam sacra peragere partim publice, partim per conniventiam secreto liceat. In hac eadem urbe ante triennium ex honesta familia, & quidem olim senatoris, & subinde Judicis & Præsidis neptem, a) cujus dos adhuc dum in patrimonio ipsius hæret, conjugem duxi. A septennio b) ita vixi, ut nemo reperiatur, qui a me sive verbis sive facto se læsum conqueratur. Religionem meam quod attinet, cum Ario nihil mihi est commune, c) solam scripturam sacram pro regula & norma fidei & vitæ meæ elegi, quarum etiam paratus sum unicuique, præsertim vivorum juxta & mortuorum Judici, rationem reddere, gratissime nihilominus accepturus, si a quoquam meliora edocear. Salutis meæ spem, secundum gratiam Dei, in Filii ejus unigeniti, mei vero Salvatoris, Jesu Christi, pro peccatis hostia collоco, cujus ut fructum olim percipere possim, fide & Christianis virtutibus ei servio. d) Ministerii officium neque hic neque alibi 327 mihi impositum est, abstineo etiam ab omnibus actibus Ministerii Ecclesiastici propriis. Quod vero nonnunquam alios Christiani officii e) commonefecerim (quod factum a me non eo inficias, neque idem inposterum abnuo) non tanquam ab Ecclesiæ Ministro factum a me, sed tanquam a privato Christiano, qui sibi concreditum talentum in usuram f) extendere tenetur. Spero etiam, indemnem me apud AA. VV. ideo fore, quicquid hujuscemodi extra eorum jurisdictionem legitimi Magistratus consensu a me gestum est. In hujus urbis territorio

tia propugnasse; quibus vindiciis (puto) si extra controversiam res illa posita fuisset, opus non habuisset.

a) Vid. inferius f. 373. marg. epist. 69. Ergo anno 1635. matrimonium iniit Ruarus, annos jam natus circiter 48.

b) Hinc elucet anno 1631. *Gedanum* eum venisse.

c) Quidni? Nonne idem quoque divinitatem Christi summam & æternam, ipsamque adeo S. Trinitatem, perinde ut *Socinus*, cum suis negavit? De differentia in explicatione sententiarum nemo dubitabat, & haud multum ad summam rei intererat.

d) Egregia confessio, ita nimirum concepta, ut verborum ambiguitas semper fuco faciendo simul inserviret, rimaque elabendi in re tam sancta superesset.

e) Non in eo tantum occupatus eras, *Ruare*; sed in *Socinismo* quoque aliis callide *suggerendo*, artificiose te elaborasse, tu ipse fassus es, quando supra Cent. I. ep. 25. ad *Eugenium* ingenue magis, quam in hoc libello, factum est, scripta & exarata, methodum tibi usitatam enarrabas.

f) Legitimam sane, ad *veritatem* nempe propagandam inculcandamque; nequaquam vero ad *errores* decumanos disseminandos. Quod si fiat, *non usuram* sed *abusum* dicere oportet. Pertinet huc, quod vulgo dicitur: *Duo cum faciant idem, non esse idem.*

ritorio a similibus me continui conventibus, a) quos AA VV. displicituros existimavi. In publicis disputationibus semel iterumque b) omni cum modestia comparui, idque nonnisi prævia invitatione, quæ si abfuisset, omnino iis abstinuissem. Non succurrit etiam in mentem, ne unquam cum ullo Studioso de religione sermonem contulisse. In privatis colloquiis non denegavi quidem rationem spei, quæ in me est, petentibus reddere, nemini tamen unquam importunus fui, multo minus sententiam meam de religione cuiquam obtrusi: c) quod vel inde perspici potest, nullius me recordari, qui in hac urbe, me suasore, a publica Ecclesia in meam concesserit Religionem. Libros scriptaque meæ religionis nulli unquam hic obtrusi, vel non rogatus communicavi, præter cuidam præcipuo Theologo, d) cui ad refutandum omnia suppeditare volui, & jure meritoque etiam debui. Cum ergo ex his omnibus pateat, nihil me contra hujus urbis jura, statuta, aut consuetudines peccasse, neque 328 ejusmodi antesignanum aut promotorem falsæ religionis esse, quemadmodum delatus sum, persuasus sum de AA. VV. tanquam justitiæ propugnatoribus, mihi in hac urbe, in qua a septennio e) pacate vixi, & fortunarum mearum statum fundavi, præcipuorumque hujus regni Senatorum negotia curæ meæ concredita administro, f) domicilium nullo modo denegaturas, verum me patrocinio suo, pariter cum aliis diversæ religionis AA. VV. subditis, qui, ut virum bonum decet, me semper hic gessi, frui dignaturas. Quod si aliquid contra ab

a) *Publicis forte*; sed *non æque privatis*, & ad decipiendos simpliciores subdole adornatis; quod ex *epistola* paullo *ante citata* manifestissime patet.

b) *Hartknochius*, non nisi *unius* congressus hujusmodi mentionem fecit: *So hat er auch*, inquiens, *æffentlich einmal im Gymnasio, da er zum disputiren invitirt war, den Arianismum defendirt.* L. III. *Hist. Eccl. Boruss.* c. IX. f. 824. sed fortassis semel tantum *Socinismum* palam propugnavit.

c) Credibile id est, sed minus *credibile*, *nemini* fuisse hæresin, aliud quasi agendo, *propinatam* & ornatam commendatamque. Id enim ipse supra fassus est, a se factum.

d) Si de *Dantiscano* sermo est, *Botsaccum* intelligi putamus. Sed quia generatim & universe loquitur *Ruarus*, verisimilius est, *Abr. Calovium* innui, h. t. *Profess. Theolog. Regiomontanum.* Eamque in rem conferri poterunt Cent. I. epist. 44. sqq. Ita vero etiam commercio litterarum abutebatur. Miror, non ad *Kœnigium* quoque eum, nimis liberalem, provocasse.

e) Commigravit ergo ex *Saccianis* prædiis *Gedanum* *Ruarus* circiter anno 1631.

f) Quinam fuerint Senatores illi, ex sequentibus litteris commendatitiis, pro *Ruaro* hoc nomine scriptis, patebit. Nunc eam quoque, aliorum res tam sedulo curandi, industriam ac facilitatem ad *pias*, seu impias potius *fraudes*, ut, aliud quasi agendo, sub patronorum alis delitescere tuto posset, pertinuisse, brevibus annotamus.

tra ab adversariis meis ad me opprimendum allatum fuerit, offero me debita cum reverentia AA. VV. ad legitimam adversum hos innocentiæ meæ defensionem, rogo etiam demisse, ne mihi denegent, quod publicis etiam maleficis conceditur, ut legitime accuser & audiar, priusquam tam gravis in me statuatur pœna. Spero autem, AA. VV. non permissuras, ut Religionis causa persecutio in hac libera Republica a me sumat initium, hoc præsertim tempore, quo alibi a) sub prætextu falsæ religionis plurimi innocentes AA. VV. religionis consortes domo & patria sua pelluntur, qualia exempla Deus Optimus Maximus ab hoc Regno & hac optima Civitate benigne 329 avertat: cujus patrocinio AA. VV. commendo, is longævam vitam & felix regimen AA. VV. concedat, opto. Spondeo interim, me Dei ope pacata conversatione, & debito officio semper demonstraturum, me esse b)

Amplitud. Vestr.

obsecundantem & fidelem subditum.

XLIX.

EXEMPLVM LITERARVM CASTELLANI CRACOVIENSIS c) AD CONSVLEM PRÆSIDENTEM GEDANENSEM.

MArtinus Ruarus, quem in urbe Sp. DD. V. ob commendatam nobis probitatem, solertiam & dexteritatem negotiis nostris præposuimus, conquestus est, pelli se a domicilio urbis earum, non ulla sua culpa, sed scrupulosa quadam Spectabilium DD. Vestr. providentia. d) Facti convictum neque lex, neque ratio ulla æquitatis tueri ac defendere concedit, immerentibus & lex & ratio, ut suffragemur, dictat, imo vestra etiam postulat humanitas, postulat officii nexus,

a) Procul dubio, quid *Racoviæ* nuper contigerit, his verbis significatum est. Vtrum prætextu falsæ religionis id factum sit, nostrum non est definire. Hæc tamen vobis videntur, minus convenienter adducta in præsentia, quoniam, ut ab initio jam observatum est, ideo, quod alibi sententia durior in *Socinianos* statuta erat, nec *Gedanenses*, pari periculo imminente, dormitare debuisse, potius consequebatur.

b) Scriptus est libellus hic supplex, cui annus subscriptus haud legitur, ut proxime sequentes docent deprecationes, anno 1638.

c) Ejusdem, cui in sequenti epistola respondit *Senatus* illustris *Gedanensis*.

d) Non erat scrupulosa, sed variis jam documentis satis compertum fuit, ea clam committere *Ruarum*, quæ veritati non proferendæ, sed obscurandæ, erroribusque *Socinianorum* disseminandis propagandisque astute inservirent.

nexus, ne quemquam indicta causa a consortio humano arceatis. Quare a Spect. D. Vestra postulamus, ut pro ea, qua istic pollet autoritate, patrocinium ejus suspiciat, efficiatque cura atque opera 330 sua, ne propter suspiciones, quæ neminem damnare possunt, negotiisque nostris astrictus laribus suis dimoveatur, quod si intellexerit, innocentiæ suæ intercessionem nostram pondus addidisse, adjumentoque sibi reipsa fuisse, dabimus nos quoque operam, ut Sp. D. V. intelligat, testatum erga nos ea in parte officium optimo collocatum esse loco. Cæterum Sp. D. Vestræ prosperam valetudinem felicissimosque rerum successus apprecamur. Datum in arce Brodensi, XI. Januarii, M DCXXXIX.

L.

PRÆCONSVLES ET CONSVLES CIVITATIS GEDANENSIS ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMINO STANISLAO A KONIECPOLE a) KONIECPOLSKI, CASTELLANO CRACOVIENSI, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMO GENERALI, BVSCENSI, BARENSI, COVELIENSI, BITOVIENSI, PLOSKIROVIENSI, &c. DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO.

EX literis Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ, ad Dominum Præsidem nostrum scriptis, quibus pro Martino Ruaro, ut libera in urbe hac commorandi ipsi concedatur facultas, intercedere dignatur, intelleximus, eundem Ruarum conquestum esse, se immerito civitate 331 hac pelli, neque ullam tantæ severitati præbuisse occasionem. Quapropter ea in re Illustrissimam Excell. vestram, ne quid sinistræ de nobis opinionis hæreat, melius informandam esse ducimus. Non existimamus autem, necessum esse, repetere, quomodo secta Arrianorum, cui idem Ruarus addictus est, mira pernicitate ante aliquot secula b) pervagarit & quasi inundarit potissimas Christiani nominis pro-

a) Fortissimus hic Polonici exercitus Dux supremus, jam inde ab anno 1630. summæ rei militari præfuit. Idemque ut e nobilissima gente ortus, ita etiam *Vladislao* Regi inprimis charus, multasque ob res præclare contra *Turcas, Tartaros* atque *Moscos* gestas clarus extitit; non tamen ex alio rei feliciter gestæ specimine magis inclaruit, quam e *Scythico bello* brevi tempore & fausto successu anno 1644. peracto. Cæterum vivendi finem fecit anno 1646. quo inclinato subitanea morte periit.

b) Ante multa admodum secula dicendum fuerat. *Quarto* nimirum & *quinto* post *Christum* natum. Quibus, priori præsertim, patrocinantibus sive assentiendo, ut factum est a *Valente* Cæsare ac Imperatore, & dehinc *Afris Vandalorum Regibus, Gothisque* atque *Longobardis* & similibus, sive connivendo, controversiasque sper-

provincias, cum nobis sufficiat præsentis sæculi nostrique temporis experimentum, ubi interpolata eadem hæresis, a) cum in aliis regionibus, tum præcipue in Regno Poloniæ, exiguo tempore magna incrementa sumsit, b) & hanc quoque urbem veneno suo in tantum infecit, ut metuendum sit, nisi in tempore remedium adhibeatur, plurimos eodem confectum iri. Quæ sane progressus celeritas studio indefesso subdolisque artibus c) præcipuorum erroris istius defensorum accepta ferenda est. Inter quos cum merito præfatum Martinum Ruarum censeamus, qui a multis jam annis in vicinis regionibus & Germaniæ Provinciis d) hæresis istius propagationi sedulo incubuit, ut quædam loca ob tales molitiones relinquere necessum habuerit; & hic quoque in urbe nostra publice disputando & in vicinia docendo præstitit operam, ut haud ambigendum sit, ipsius potissimum studio errorem istum hic propagatum esse: Idcir- 332 co officii nostri conscientiæque postulavit ratio, ut huic malo medelam pararemus, eundemque Ruarum, uti præcipuum, insignique dexte-

nendo & extenuando, quæ *Constantii* fuit culpa, mirum in modum *Ariani* invaluere, & *Catholici* h.e. rectius sentientes de Deo, vulgo etiam *Homousiani* dicti, oppressi sunt. Neque enim deinceps, medio ævo, facile de hujusmodi erroribus aliquid inauditum; tametsi optimi sæpe veritatis testes ejus per injuriam & calumniam insimulati legantur. Si qui vero ita forte sensere, non tamen Ecclesiam late inundarunt.

a) Ita recte *Socinismum* appellari, denuo affirmamus. Quid enim est nisi interpolatus *Arianismus?* Quæ caussa etiam fuit, princeps certe, si non unica, cur tantopere & tot scriptis non oppugnatus fuerit jam Sec. quarto medio ortus *Photinismus.* Nempe non credebatur a priori illa hæresi Ariana, nisi methodo nova, qua etiam existentia ante Mariam virginem Christo omnino denegabatur, differre. Bene hinc *Christoph. Pelargus*, in Append. *Admonit. de Arianis recentibus* attexta f. 300. querulanti Sociniano, de calumnia, Arianismi, suis impacta, adversario respondet: *Quomodo amoliri abs se Arianorum, quorum dogma prosеminant, nomen unquam illi poterunt? Arius* ἑτερούσιον *dicebat Dei filium, negabat* ὁμοούσιον: *Dicunt idem Smiglenses,* (unde evulgatam nuper schedam refutat l. c. Pelargus,) *negant idem quod ille. Cum Ario itaque faciunt, & tamen, ut vere odiosa autorum suorum nomina formidant sectatores, ita hi nec Ariani, nec Cerinthiani, nec Ebionitæ appellari volunt.*

b) Ad quæ probanda non alio testimonio opus est, quam *Historia Reformationis* (sic enim visum est miseris corruptelas illas appellare,) *Polonicæ* a *Stanisl. Lubieniecio* edita, *Sandianæ Bibliothecæ* subjecta: ut alia taceamus non dissimilia.

c) Quarum permulta specimina superius vidimus proposita atque descripta; indefessum autem studium, præter scripta, itinera etiam molesta, perpetuæque Synodi eam, inter alias caussas, ob rem celebratæ, cujusmodi in *Smalciano Diario* enumeratæ sunt plurimæ, demonstrant.

d) Neque enim ignota esse poterant, quæ olim *Altorphi* & in *Marchia Brandenb.* machinatus esset. *Altorphium* autem præcipue spectari h. l. ex epist. 71. patet.

dexteritate præditum a) sectæ istius defensorem a consortio civium nostrorum segregaremus, & ex civitate hac excluderemus. Quod cum antehac factum esset, b) ipse nihilominus, non impetrata a magistratu licentia, privato ausu postmodum civitatem rursus ingredi, ibidemque morari tentavit: ubi, ad vitandum scandalum publicum, & discrimen seductionis in tam populosa urbe, aliter facere non potuimus, quin denuo ipsi migrandi injungeremus necessitatem, ea tamen adhibita lenitate & moderatione, ut satis amplum, quod nondum expiravit, excedendi ex civitate ipsi concessum fuerit spatium; quod interdictum nostrum Ruarus gratissimo suscepit animo, & promisit, se nullis contranitendi artibus porro usurum, ut sane arbitremur, nos a justitiæ humanitatisque tramite hac in causa neutiquam deflexisse. Quocirca tanto magis confidimus, Illustr. Excell. Vestram pro insigni sua pietate hanc rem prudenter æstimaturam, excusationemque hanc nostram, quominus intercessioni ejusdem morem gerere possimus, gratiosissime accepturam. Si qua in re alia observantiam, studium, officiorumque nostrorum promptitudinem Illustr. Excell. vestræ contestari poterimus, nihil quicquam in nobis desiderari patiemur; cui, quod reliquum est, sub felici novi anni auspicio constantem valetudinem, prosperrimos rerum successus, & omnigenæ felicitatis incrementa sinceris votis precamur; nosque & civitatem hanc compertæ ejusdem gratiæ & benevolentiæ diligentissime commendamus. Datæ Gedani XXVIII. Januar. MDCXXXIX.

333

LI.

EXEMPLVM LITERARVM AD SENATVM GEDANENS.

POsteaquam haud dubiis indiciis ad aures nostras perlatum est, clarissimum virum Martinum Ruarum, ex urbe vestra, ejusque territorio, amplissimi ordinis vestri decreto, migrare jussum esse; etsi nos, a dandis in causa illius ad amplissimas DD. vestras literis, metus

 quidam

a) Doctum nempe & eloquentem, aliosque vel *humanitate* sua prorsus eximia in casses pellicientem, etiam non opinantes.

b) Quando id factum sit, ante ann. 1638., non memini legere. Vtut enim *Stegmannus* nominatim officio suo, quo perfunctus erat in *æde ad D. Petri*, propter hæresin hanc exutus exauctoratusque fuerit jam anno 1631. atque inde etiam discedere jussus; non tamen *generalis* edicti *Hartknochius* ante hunc annum usquam mentionem fecit. Singulariter ergo mandatum hujusmodi *Ruaro*, incertum vero, quando datum, intelligendum est. Quod & vocabulum *denuo* p. p. usurpatum de *Ruaro* solo indicare videtur clarius. Forte eodem anno 1638. semel iterumque imperatum illi esse, ut ex urbe exiret, hinc omnium verisimillime efficitur.

quidam repulsæ avocavit; tamen ex altera parte ſpes multo potior, de veſtra ſingulari prudentia ac humanitate concepta, ad ſcribendum incitavit. Nam cum eximii iſtius viri, a) non alia cauſa ſit, quam quæ ad religionem & conſcientiam pertineat, quod vobis, Viris omni prudentia ac humanitate excultis, facilius perſuaderi debeat, quam ne quenquam, conſcientiæ cauſa, ullo incommodo afficiendum eſſe putetis? nam & periniquum eſt, hominem, civilem honeſtatem nulla in re lædentem, ideo affligere, quod conſcientiæ ſuæ 334 ductum, judiciumque ſecutus, Deum nolit offendere; nec quicquam civitatibus ac rebuspublicis minus conducit; quæ, permiſſa conſcientiis ſua libertate, florent, cohibita vero, vel hypocriſi replentur, vel civium & incolarum vexationibus fœdantur, vel diſſidiis & contentionibus agitantur; nec denique ipſi Numini magis adverſum quicquam eſt, quam jura Majeſtatis ejus in judicandis hominum conſcientiis b) invadere. Et cum inter ipſos Ethnicos Imperatores, quamvis alioquin Chriſtianæ religioni infeſtos, reperti fuerint tam moderati principes, ut, liberam religionem c) eſſe debere edictis ſuis publicaverint: quanto magis ea moderatio Chriſtianis convenit magiſtratibus, præſertim erga ipſos Chriſtianos, qui, utut alioquin ſententiis diſſideant, hactenus tamen conſentiunt, d) Filium illum homi-

a) Non mirum eſt, his aliisque elogiis ornari ab epiſtolæ hujus auctoribus *Ruarum*, cum omnes eandem ſententiam, quam ille, pervicaciſſime tuerentur; uti ſub calcem harum litterarum aperte profitentur.

b) Mira conſiliorum florentiſſimæ Reipublicæ perverſiſſimaque interpretatio. Non conſcientiæ enim judicandæ opera data eſt, ſed civibus a propagatione hæreſeos periculoſæ præmuniendis. Quod officium pio cuivis Magiſtratui incumbit, & *Paullus* ipſe, quando περιΐστασθαι jubet, ne gangræna talis latius ſerpat, ſuaſit. *Ruari* ſane conſcientia, niſi quatenus erronea perſuaſione ad liberrimam ſententiæ ſuæ propagationem ſibi concedendam exporrecta, nihil hinc detrimenti paſſa eſt. Nec vis nec licentia probantur, medium tenuere beati: ita tamen, ut ſi & *compeſcendi* ſint, ſive pervicaces impoſtores, ſive fraudulenti veteratores, atque hi quidem quam maxime, ſine contumelia aut infamiæ nota, honeſte dimittantur. Quis enim ſubditum aut civem imperanti obtrudere ſe auſit, cui impune, quandocunque lubet, e ſocietate illa civili diſcedere licet. Deteriorne igitur eſt Principis aut Senatus, Eccleſiæ quoque curam gerentis, conditio, quam ſubditorum? Ita mihi non videtur. Conſcientia in tali rerum ſtatu, ubi præſertim leniora remedia diu, ſed fruſtra adhibita ſunt, obtenditur, petulantia, ſtudiumque errores ſpargendi latius, in cauſſa eſt.

c) Liberam ſane *religionem*, ſed non liberam cujuscunque opinionis periculoſæ propagationem.

d) Conſentiunt hactenus, ſed utrum ad Chriſtianam fidem genuinam illud ſatis ſit, hoc eſt, de quo diſputatur. Aliter de *Marcione* judicavit *Polycarpus*.

hominis, qui Jesus Christus est, a dexteris Majestatis divinæ considere, indeque summa cum gloria ad judicandum orbem terrarum venturum esse, cujus confessionis gratia Christus ipse dirum crucis supplicium pertulit, eamque sanguine suo consecravit. Nonne tot luctuosa exempla eorum, qui, communis vobiscum religionis caussa, a) non ex urbibus tantum ac civitatibus, sed ex integris regnis ac provinciis, indignum in modum expulsi sunt, animos vestros ad communis sortis miserationem flectent, ne, quod in vobis vestrisque triste & iniquum esse judicatis, ipsi committatis in alios, vestrisque propriis factis adversariorum facta approbetis? Nonne ipsa experientia cognitum est, expulsionibus eorum, quos hæreticos ducimus, homines quidem exturbari posse, hæreses autem exstirpari non posse, quibus non vis, nec arma, sed solida veritatis argumenta opponenda sunt. b) Quid si vero etiam, sub hæreseos crimine, innocentia, ipsaque veritas cadat, nonne cum Deo ipso certamen suscipitur, quod plerumque accidere necesse est, cum veri Christi discipuli in propugnanda divina veritate vim adversus errores adhibere non soleant, qua adhibita, Christiana religio non propugnatur, sed polluitur. Ad hæc, quid æquius est, quam ut in regno, nulla re magis quam plena conscientiarum libertate inclyto, c) urbs primaria, eaque Evangelica, eam libertatem incolis suis concedat, quæ in omnibus regni provinciis, jure ac legibus etiam inter acerrimos adversarios usurpatur, nec aliter quam per vim & injuriam cuiquam potest eripi. Nec male cessit adhuc patriæ nostræ, (quæ pene sola inter omnia Europæ regna, hoc unico remedio, civili sanguine, ex caussa religionis, non maduit,) nec vestram urbem illius concessæ unquam

335

a) Duo cum faciunt idem, non est idem. Neque inde errori, propagando, præsertim libere & sine repagulis nascitur patrocinium, quod veritati a refragantibus itidem sæpenumero injuria infertur. Ut *civilem potestatem* summam & *Ecclesiæ veritatem* taceamus; quæ h. l. non accurate distingui videntur.

b) Quidsi vero *dolis argumenta* obverti nequeant? Quidsi opposita contemnantur a pervicacibus? Concedendane talibus *impostoribus* grassandi pro lubitu licentia? Ad hæc non de hæresi exstirpanda, sed, ne latius *serperet*, circumspecta providentia h. l. agebatur.

c) Non definio, utrum in *Polonia* inter dissidentes etiam *Socini* asseclæ unquam connumerati sint. Certe non defuerunt istic, qui nunquam non ea de re dubitarunt. Extra controversiam si ea res posita fuisset, cur tam operose pro illa adstruenda *vindiciis* suis disputassent? Quodsi vero *plena* libertas ibidem concessa esset conscientiarum, *Atheos* quoque tolerandos fore, hinc forte colligas. Sed mirum non est, in caussa sua largius judicantes hoc loco audire Socinianos.

unquam pœnitebit; cum nihil ſit ad vinciendos concordia civium animos a) validius, & ad res augendas accommod.tius, quam dum cuique ea libertas conceditur, qua in terris neque juſtior eſt ulla, neque dulcior, ac deſiderabilior. Sane ipſi clariſſimo viro, Martino 336 Ruaro, nihil iſte diverſus in religione Chriſtiana ſenſus obfuit, quominus, doctiſſimorum virorum opera, ad amplas functiones diverſa in loca b) vocaretur; nempe conſcientiæ ſenſum cœleſti Judici relinquendum rati, ſumma viri eruditione, & eximiis ingenii dotibus, ad publica commoda juvanda, utendum ſibi eſſe putaverunt, quod recte & utiliter fieri poſſe, verſantur ante oculos exempla eorum, qui maximis in rebus ſibi commiſſis fidem induſtriamque ſuam probaverunt. Quid vero aliud virum hunc, cui omne ſolum patria eſſe poterat, impulit, ut in urbe veſtra domicilium ſibi legeret, contractoque honeſto matrimonio, civibus veſtris affinitate innecteretur, quam quod Rempublicam veſtram, ut aliis præclaris legibus & inſtitutis, ſic inprimis conſcientiarum libertate fundatam, præ cæteris adamavit; cujus etiam uſibus omnia ingenii ſui & doctrinæ ornamenta jam pridem dicavit, nutum ſolummodo veſtrum, & quamcunque de vobis bene merendi occaſionem expectans. Nolite igitur committere, ut, quem virum patria ejus Holſatia, quem Anglia, quem urbes aliæ expetiverunt, vos, ultro ſeſe vobis dantem, urbemque veſtram patriæ ſuæ propriæ præferentem, repellatis; qui civitati veſtræ omnia ſua & ingenii & nominis ſui decora intulit, c) eum vos dedecore afficiatis, & cum inclyta urbs veſtra, non navibus magis tem-337 peſtate jactatis, quam hominibus quietem conſcientiæ quærentibus, portum

a) Multi ſunt, qui ea de hypotheſi dubitant, ſi illos excipias, quibus terrenorum cura eſt, cætera nihili videntur, aut flocci facienda.

b) De *patria* non diſputamus, ubi aliud præ ſe (ut ſupra obſervatum) ferebant invitantes eo *Ruarum* civem ſuum, aliud animo conſtitutum habebant; cum ſpes adhuc civem ſuum ab hæreſi abſtrahendi ſupereſſet, aut certe aliquo modo affulgeret. *Angli* non noverant hominem, puriusque in religione eum ſentire credebant, quod ipſe male ſibi conſcius haud obſcure ſupra cit. loco teſtatus eſt. Quorſum ergo hæc de muneribus oblatis jactantia? Rectius hic reperias illud *Poetæ:*

Cum te non noſſem, Regem Dominumque vocabam;
Cum te jam novi, tu mihi *Priſcus* eris.

De urbibus aliis, qui *Ruarum* experierint, cognitum jam, & qualis eſſet, perſpectum, nihil nobis innotuit.

c) De ingenio non ſoliciti erant *Gedanenſes*, ſed de hæreſi, ingenii abuſu adornata expolitaque, ne propagaretur nimis ingenioſe h. e. callide inter cives ſuos, juſta eos cura tenuit. Quid ergo hæc ad rhombum?

portum ac perfugium tutum semper præbuerit, ne in hujus clarissimi viri violatione hunc sibi portum bonorum quisquam præclusum esse putet. Non id agimus, (ne quis id existimet) ut is in urbe vestra sententias suas de rebus divinis disseminet, a) cui nec unquam ministri munus ab ecclesiis nostris impositum fuit, ab ipsove susceptum; sed decreti in ipsum lati ignominiam a nobis omnibus, quos eadem sacrorum causa conjunxit, b) deprecamur. Quod si amicissima hæc petitio nostra pondus illud, quod speramus, apud amplissimas Dignitates vestras habitura est, dabimus operam, ut intelligatis, quam ea res universæ nobilitati ecclesiis nostris insitæ grata acciderit, quæ sua vobis vicissim studia, suamque benevolentiam, quoties res occasioque tulerit, qua privatim, qua publice, pronis animis testabitur. Valete, Viri Amplissimi, quibus, cum propensa delatione studiorum, officiorumque nostrorum, prosperrima quæque a Deo, cum totius patriæ nostræ emolumento ornamentoque conjuncta, precamur. Datæ in conventu Biecensi, cum frequente nobilitate Illustris & Magnificus Dominus Joannes Wielopolski Præfecturam Biecensem iniret, I. Mart. MDCXXXIX.

Vestris Amplissimis Dignitatibus omnibus debitis amicitiæ ac benevolentiæ studiis officiisque devincti, suo ac cæterorum Fratrum nomine. 338

Christophorus Morstin a Raciborsko, *Capitaneus Philippoviensis.* c)
Joannes a Biberstin Blonski, *Illustris & magnifici Martini Zborowski, Comitis in Melstin, nunc in exteris degentis locum tenens.*

Ll ll Joannes

a) Illud tamen egit *Ruarus*, mandata fratrum vel præsentiens vel non expectans.

b) Vel hinc intelliget *Lector Benevolus*, quinam sint, qui his litteris longa serie sunt subscripti tam anxii seduliquedeprecatores, & quæ, ad hunc laborem suscipiendum, eos ratio impulerit.

c) Hoc duce procul omni dubitatione cæteri subscripsere. Tanta enim ejus fuit auctoritas, quanta vix alterius unquam fuit: quemadmodum etiam ætate cæteris antecellebat senex jam grandævus. Digna est, quæ legatur de illo *vita* inprimis *Wissowatiana*, eaque *Sandii Biblioth.* proxime subjecta, in cujus statim initio f. 222. invidiosis pæne dixerim elogiis celebratur, alibi vero f. 229. med. ab eodem *Wissowatio*, *Senator Ecclesiæ Dei* sensu ecclesiastico appellatur. Confer epistolas a *Socino* ad eum datas Tom. I. opp. Socini f. 455. sqq. Reliqui obscuriores sunt, ut operæ pretium de illis aliquid annotare haud videatur: nisi quod *Andream a Bebelno*, *Adami* illius *Goslavii*, Philosophi præ cæteris acuti, scriptis, contra *Kekermannum* & *Jac. Martini* evulgatis clari, fratrem fuisse constet, *Andream* vero *Christianum Moscorovium*, ex *Hieronymo* celeberrimo natum, parentem autem jam denatum hoc tempore esse, probabile sit.

Joannes Wiersbieta a Bielsko.
Andreas a Bebelno Gosławski.
Andreas Chriſtianus Moſcorovius a Moskorow.
Alexander Sierakowski a Sierakow.
Joannes Taſſicius de Luclawice.
Joannes Cikowski de Wojslawice.
Venceslaus Pripkowski de Pripkowice.
Joannes Pripkowski de Pripkowice.
Stephanus Pripkowski de Pripkowice.

LII.

EXEMPLVM LITERARVM SENATVS GEDANENSIS AD FRATRES SVBMONTANOS. a)

QUod Magnificæ Claritates veſtræ cum per literas, tum per Generoſum Dominum Slichtingium b) apud nos pro Martino Ruaro intercedunt, ut ipſi hinc migrare juſſo diutius commorandi facultatem concedamus: vellemus ſane, ne qua juſta nobis juſſionis 339 iſtius cauſa extitiſſet. Quod ſi enim dictus Ruarus eam, quam mente ac corde de religione fovet ſententiam (prout Magn. Gen. veſtræ ipſum feciſſe autumant) quietus ſibi tenuiſſet, c) durius forte cum ipſo actum videri poſſet. Quoniam vero frequenter nobis relatum, quo pacto eandem cum publice diſputando, tum privatim in vicinia docendo, libroſque divulgando, d) diſſeminare laborarit, ad avertendas diſſenſiones majoraque incommoda, quæ ſenſim hinc exoriri

a) Non alii hi ſunt, quam undecim illi paullo ante enumerati, ita dicti, quod in *tractu ſubmontano* h. e. eo, qui *Cracoviæ* vicinus eſt, & in quo celeberrimum *Luclavicium*, poſtremum ipſius *Socini* hoſpitium, erat ſitum, vel convenerant, vel plerique prædia ſua habebant.

b) Non alium, puto, quam *Jonam*, qui communem fere cœtus interpretem agere ſolebat.

c) Manifeſtum hinc eſt, non eſſe *Ruarum Gedano* expulſum, ob ſententiæ, quam tuebatur, diſcrepantiam, ſed turbas, contra interdictum, ſæpenumero ſignificatum, alios ad partes ſuas variis cuniculis pelliciendo, datas. Quam inobedientiam, periculo non levi ſtipatam, recte coercendam, aut ſi malis ſufflaminandam fuiſſe, nemo æquitatis ſtudioſus improbare poterit.

d) Et quidem, quod ingens pondus habebat, *etiam gratis*. Sic enim facere cum conſueviſſe, jam ſæpius obſervatum eſt. Clandeſtinam inſtillandi methodum, de qua ſuperius, ignorarunt equidem *Proceres Gedanenſes*, ſed, poſtquam ipſe eam non diſſimulavit in epiſtolis ad amicos ſibi familiares perſcriptis, inde ſaltim, neque in his, quas h. l. commemorant, erroris propagandi ſubſidiis ſegniorem fuiſſe, & callide tamen cuncta egiſſe, tantoque hinc periculoſius alios, incautos potiſſimum, accedente pietatis ſpecie decepiſſe, ſatis clare perſpicitur.

exoriri possent, officii nostri conscientiæque postulavit ratio, ut eidem secessum ex urbe injungeremus, cui nostro mandato etsi primitus quidem paruit, postmodum tamen, nulla a nobis impetrata venia, iterum reversus est. Vnde ad conservandum mandati nostri vigorem aliter facere non potuimus, quam ut denuo ipsi abitum imponeremus; adhibita tamen ea moderatione & lenitate, ut sat amplum ad hoc tempus præfigeremus. Quod Magn. Gen. vestras improbare non posse, sat literæ ipsarum nobis pollicentur, dum dicti Ruari officium non esse demonstrant, ut suas de rebus divinis disseminet sententias. a) Vtut vero res se habent, ut nostrum erga Magn. Gen. vestras extaret studium, intercessionibus ipsarum facilius quidem locum daremus, nisi id ipsum, quod petitur, Illustrissimo Domino Exercituum Generali b) & Castellano Cracoviensi non ita pridem denegatum fuisset, ut subverendum, si modo aliter statueremus, ipse id minus benigne accepturus esset. Quapropter si Magn. Gen. 340 vestræ ab ipso denuo literas intercessionales impetraverint, ut cernamus, ipsum non ægre laturum, quod desiderio ipsius hac in parte non satisfactum fuerit, parati erimus, quantum ejus civitatis ratio tulerit, Magn. Gen. vestris studium & propensionem nostram contestari. Quas de cætero cum officiorum studiorumque nostrorum delatione divinæ protectioni etiam atque etiam commendamus. Datæ Gedani die V. Aprilis, M DC XXXIX.

LIII.

EXEMPLVM LITERARVM PRÆCONSVLVM ET CONSVLVM CIVITATIS GEDANENSIS, AD SIGISMVNDVM DE GRVDNA, PALATINVM CALISSIENSEM.

Recte Illustritatis vestræ literæ c) nobis per generosum Dominum Schlichtingium sunt redditæ, quibus pro Martino Ruaro intercedere dignatur, ut ipsi diutius in hac civitate commorandi facultatem præstemus. Etsi itaque graves quidem causæ sint, quare id nobis facere non liceat, eoque nomine apud Illustrissimum Dominum exercituum Generalem, & Castellanum Cracoviensem, non ita

Ll ll 2 pridem

a) Vid. epist. præcedentem sub finem f. marg. 337. not. a.

b) Conf. epist. 50.

c) Quæ perierunt. Nihil enim inter has, aut alibi forte extantes, reperire est. Ipsum vero hunc *Grudzinium*, Palatinum *Calissiensem*, *occultiori cuidam sectæ ded tum* fuisse, aperte *Stanislaus Kobierszykius*, atque ex eo *Hartknochius* in *Republ. Polon.* L. II. c. II. §. 4. tradidere. Vnde etiam, cur tantopere caussam *Ruari* egerit, non obscure patet.

pridem idem petentem, excusare nos coacti simus, tamen quoniam nunc quoque præcipuæ Nobilitatis viri diligentissime pro eo inter- 941 cedunt, spemque nobis faciunt, dictum Ruarum in otio victurum, nec sententias suas de rebus divinis disseminaturum, facile quidem jam nos induci pateremur, ut aliquo modo sententiam nostram de emigratione ejus latam mitigaremus, nisi Illustrissimum Dominum exercituum Generalem ægrius laturum sentiremus, si, quod ipse impetrare non potuit, alii impetrent. Idcirco spem memorato Domino Schlichtingio fecimus, si apud dictum Illustrissimum Dominum Castellanum obtineri poterit, a) ut se declaret, sibi non fore adversum, ut dictam sententiam nostram moderemur, quantum tamen ejus civitatis tranquillitatisque publicæ ratio tulerit, præstare nos paratos fore, ut sentiant, intercessionem Illustritatis vestræ, quam debito observantiæ cultu veneramur, non fuisse fructu vacuam. Quam, quod superest, cum diligentissima officiorum nostrorum commendatione divinæ protectioni etiam atque etiam commendamus, nos vero insuper ac civitatem hanc constanti ejusdem Illustritatis vestræ gratiæ & favori. Datum Gedani V. Aprilis, anno MDCXXXIX.

942

LIV.

M. RVARVS ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO DE GRVDNA GRVDZYNSKI, PALATINO KALISSIENSI, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

QUanquam id amori precibusque generosi Schlichtingii datum ab Illustrissima tua Excellentia existimem, quod auctoritatem gratiamque suam mea pro incolumitate apud inclytum hujus civitatis senatum interposuerit: b) quoniam tamen fructus ejus beneficii ad me

a) Nescio, utrum fieri id posse crediderint *Gedanenses*, quem offensam repulsæ, supra ep. 50. datæ, ægre admodum tulisse, haud ignorabant. Multa certe sunt, quæ fieri id haudquaquam posse persuadeant mihi, eos existimasse. Et tamen his non obstantibus, quæ fuit indefessa amicorum, fratrumque inprimis pro *Ruaro*, si qua fieri possit, ad sementem porro faciendam, *Gedani* conservando, industria, ita, uti conditio h. l. constituta fuit, res evenit, & postquam perbenigne gratum sibi fore, si diutius retineatur *Ruarus*, testatus erat *Koniepolius*, mora usque ad ann. 1643. & amplius prorogata est. vid. epist. 56. 57. sqq.

b) Quotiescunque deprecatorum pro *Ruaro*, quorum h. l. ocurrunt nomina, & interpellationes, tam operose hæc agentes, cogito, toties miror, qui fieri potuerit, ut, quando superiori anno 1638. decretum regium in *negotio Racoviano* latum est, quod libertati etiam Græcorum & Evangelicorum videbatur adversum, nemo horum legatur intercessisse. Inter eos enim,

ad me potiſſimum ſpectat, officii mei duxi, ut eo nomine Illuſtriſſimæ tuæ Excellentiæ gratias agerem, quas animo concipere poſſim, maximas, vellem inſuper operam atque officia mea, ſi quæ poſcat uſus, ſeu potius ſervitium Illuſtriſſimæ tuæ Excellentiæ offerre, niſi illud inter utrumque noſtrum fortuna poſuiſſet interſtitium, ut nec Illuſtriſſima tua Excellentia mei uſpiam egeat, nec ego quicquam magnum, Ill. tua Exc. dignum, præſtare poſſim. Quocirca cogor ſolo nunc iſto verborum apud Ill. tuam Exc. officio defungi, quo teſter beneficium hoc ab Ill. tua Excell. apud memorem, nihilque magis optantem, quam ut officio quocunque tandem animum ei gratum comprobare poſſit, collocatum: quod officium licet pleriſque mor- 343 talium leviculum nimiſque vile videatur: de tua tamen Excell. Illuſtriſſima mihi perſuaſum eſt, imitaturam eam Dei Optimi Maximi naturam, qui pro ſummis in genus humanum beneficiis haud aliud repoſcit quippiam, quam ut animo grato agnita memori voce celebrentur. Illum ipſum ſummum Deum ſupplex veneror atque oro, ut Illuſtriſſimam tuam Excellentiam in ampliſſimi hujus regni fulcimentum, tanquam præcipuum ejus columen, inque refugium atque patrocinium afflictorum, quos inter ſalutarem Illuſtriſſimæ tuæ Excell. opem ipſemet expertus ſum, quam diutiſſime conſervet. Dabam Gedani Nonarum Aprilis, anno M DC XXXIX.

LV.

M. RVARI ANIMADVERSIONES a) IN LITERAS CONSVLVM GEDANENSIVM AD ILLVSTRISSIMVM CASTELLANVM CRACOVIENSEM, GENERALEMQVE EXERCITVS DVCEM SCRIPTAS.

QUerela de pernice quondam Arianiſmi incremento nihil ad nos pertinet,

qui proteſtati ſunt contra illud, non ſolum ne unus quidem eorum non tantum reperitur, tametſi illuſtres quoque viri in *Vindic. Vnitar.* a *Przipcovio* ſcriptis f. 278. in not. inter delegatos non unius provinciæ compareant; ſed etiam nec Senatorum horum aliquem cauſſam *Socinianorum*, vel aliud agendo, tueri voluiſſe animadverſum eſt. Tota ergo ſcena ita fuit adornata, ut, quando commodorum hoſce Magnates ſuorum ſtudioſos eſſe ſcirent *Socinianæ* factionis complices, eos ſive blandimentis ſive muneribus ſibi ſuiſque conciliaverint. Quod autem in ipſis comitiis remiſſiores fuiſſent, haud alia procul dubio cauſſa fuit, quam Pontificiæ religionis, cui erant addicti, ſocietas. Hanc enim potiſſimum ob crucis ſignum male habitum & ejus auctoritatem ac numerum durum illud ſtatutum peperiſſe, nemo dubitat.

a) Sintne Animadverſiones hæ *Ruari*, nec ne? valde dubito. Etenim non ſolum de ſe ipſemet haud loquitur, ſed tertia per-

pertinet, utpote qui nec idem, quod Arius olim, a) de religione sentimus, & eadem conditione Homousianos atque Arianos pro fratribus nostris agnoscimus, b) puta quatenus pietatis studio religio-
344 nem excoluerunt. Inter causas illius incrementi non postrema sine dubio fuit, quod ipsimet Imperatores multique imperii atque aulæ proceres in partibus essent: iis vero promotio suæ sectæ non magis vitio verti potest, c) quam Consulibus Gedanensibus, quod Lutheranismum passim promotum eant, ut quibus in subjectos sibi populos non minus, seu potius aliquanto plus juris fuerit, quam his in cives inquilinosque suos. Quænam sint artes illæ subdolæ, quibus religionem nostram propagemus, id disertius explicari meruisset: d) nos quidem nullarum nobis conscii sumus. Sed fortassis hoc illi dolum vocant, quod ad aliorum exemplum e) publica templa non invadimus, sed privatis in ædibus f) virorum nobilium ruri sine strepitu ad sacra convenimus, aut cum amicis interdum sermones de rebus divinis domesticos g) intra parietes modesti serimus. Ruarum ob hæreseos propagationem ex ullo locorum, h) in quibus antehac egit

sona utitur constanter: nisi de fratribus communiter sermo sit, iidemque plurium nomine commemorentur; sed etiam *eruditionem morumque commoditatem* iste suam non videtur tantopere prædicasse, quemadmodum factum est in hac ipsa scheda. Si quid ergo conjicere licet, *Florianus Crusius* potius eas consignavit litteris, eum in finem, ut si opus esset ipsi quoque *Senatui* tradi possent, hactenus vero Patronis, ad excusandum utcunque *Ruarum* inservirent.

a) Non omnino fateor; at tamen idem quod ille, si summam erroris periculosi in Christum magis, quam *Arianorum* olim fuerat, injurii spectes. Antiqua ergo hæc cantilena est solis ambiguitatibus incrustata & supra discussa.

b) Quidni etiam *Turcas* & *Judæos?* si quidem solo *pietatis studio constans religionis cultura*, quam scriptor hic *Animadversionum*, ad fratris in religione intimum illum nexum sufficere opinatur, rem omnem conficit.

c) Ita forte sentiendum, si caussa pertæque bona pro partibus *Arianorum* stetisset. Sed aliter rebus comparatis secus etiam judicandum putamus.

d) Disertius id explanatum est in *epist. ad fratres submontanos* num. 52., quam legisse quoque harum *Animadvers.* auctorem quis ambigat.

e) *Reformatos* his verbis pungi, qui *Gedani* latius fimbrias extenderant, arbitramur.

f) *Straszynii*, ut puto.

g) Quales & *quomodo*, supra jam ad *Eugenium* h. e. *Wolzogenium* non sine lætitia felicis successus inopinato simplices decipiendi significatione perscriptum esse, jam aliquoties monuimus.

h) Nimia ostentatio itinerum peractorum. In plerisque locis, qualis esset, nemo adhuc ann. 1618. seqq. cum *Sacciis* peregrinantem noverat. In aliis, ubi cognitus erat, v. g. *Argentorati*, non obscure, ut discederet, significatum: *Altorphium* autem, ubi per fraudem testimonium nondum detectus, honorificum eblanditus est, nunquam redire sustinuit. Quam

egit (egit autem in Polonia, Germania, Dania, Anglia, Belgica. Gallia, Italia) exactum fuisse, tam falsum est, quam verum est. illum ob eruditionem & morum commoditatem magnis ubique viris religionem ejus alioquin exosis, gratissimum a) vixisse. Illi, qui objiciunt, quod publice disputaverit in urbe & in vicinia ejus docuerit, eo ipso a subdolarum artium crimine eundem absolvunt: b) cum hæc sine dubio palam gesta sint. Quid autem in disputatione c) commissum ab eo mali? Disputatio publice fuerat indicta: Ruarus nominatim a præside disputationis ad eam per scholasticum ad ædes ejus cum thesibus missum invitatus fuerat: argumentum disputandi Ruarus captavit non e capitali quadam Christianorum controversia, sed de divisione decalogi, d) in qua præses ipse cardinem Christianismi non versari fatebatur, item an Socino recte fuisset objecta adorationis Christi e) negatio, quam ab illo Ruarus & integro libro, & illo

345

gratus fuerit *Lugdunensibus* si *Remonstrantes* excipias, rerum temporisque circumstantiæ luculenter demonstrant: si modo etiam istic multis eum intimius nosse datum fuit.

a) Mihi vix alii noti sunt, quos inter amicos numerarit intimos, quam *Remonstrantes* aut *Socinianos*. Cæteri vel e longinquo scriptis litteris illum compellarunt, librorum per eum impetrandorum gratia, quos alibi non invenerant, vel ob alia humanitatis officia & studia præsertim humaniora magni faciebant. Testes ejus favoris esse possunt vel soli hi epistolarum fasciculi.

b) Hactenus absolvunt; sed a publico, alios, præsertim ea, qua pollebat *Ruarus* suada, in devia abducendi, periculum augebant.

c) Qualis ea fuerit, neque *Hartknochius* distincte memoriæ prodidit. At tamen probabile est, Præside *Botsacco Rectore* atque *Profess.* h. t. *Gymnasii Gedanensis* propositam fuisse: quem sæpenumero disputationibus Theologicis se suosque exercuisse, vel ex residuis adhuc monimentis hujusmodi schediasmatum, constat.

d) Non dubium hinc est, eam, quam oppugnavit cum strepitu inde orto, Disputationem, fuisse haud aliam, quam quæ *de Lege & Mandatis Domini* inscribitur, interque *Rotsaccianas* numeratur.

e) Mirum non est, pro *Socino* suo, cui falso imputata sit negatio adorationis Christi, propugnasse *Ruarum*. Sed magis forte mirabitur, quisquis tanta confidentia, auctorem harum animadversionum legerit hanc disputationem recensere, opinatum eum esse, quod re bene quasi gesta, veritatem *Ruarus* defenderit; cum tamen sole meridiano clarius sit, adorationem confudisse cum invocatione, sive *Socinum* cum *Ruaro*, sive disputationis, cui opposuerat quædam *Ruarus* auctorem *Botsaccum*, ac proinde utrumque vel per ignorantiam, vel per sophisma manifestum, quæ tamen *Socini* culpa fuit, intricasse potius quæstionem, quam explanasse, etiam historicam. Certe non alium esse Christo concedendum honorem, quam adorationis, non civilis tantum, sed religiosæ etiam, affirmavit Socinus: idem vero invocationem *necessario* quoque *deberi* Christo constanter negavit; etsi *posse* Christum invocari, sic tamen ut honor ille *in eo non terminetur*, sed per illum ad Deum referatur Patrem, largitus fuerit. Quæ si minus forte accurate distinxit, uti jam

illo ipso loco, qui a præside allegatus fuerat, assertam pertendit. Tantundem criminis in eo deprehendetur, quod in vicinia urbis docuisse arguitur. Quid enim hoc ad consules Gedanenses, a) quibus jurisdictionem extra suum territorium nemo concedet? Quod etiam delictum inest in eo, quod per leges Regni passim licet, quæ prædiis Equestris ordinis sacrorum libertatem b) relinquunt? Huc accedit, quod Ruarus non docuerit, ut minister ecclesiæ, cujus munus nunquam suscepit, c) sed cum Polonicum ministrum, qui sacris præerat, non omnes intelligerent, ipse ab officio Christiani non alienum arbitratus sit, defectum ejus sermone de pietate Germanico nonnunquam supplere. Ruari studio religionem nostram in urbe Gedanensi potissimum propagatam, qui potest dici, cum hæc a XL. amplius annis d) in ea viguerit, & aliquando duplo triploque plures, quam

ante a *Volkelio* in *de vera Relig.* L. IV. c. X. sqq. factum est, *Botsaccus*, non fuerat ille ex solo *Socino* refutandus, sed *Socini* potius sententia recte & perspicue explicanda, quam ita clare eum uti decebat, pro more, non explanasse, omnes fatentur. Vtut sit; recte tamen mihi adorationis cultum religiosum Christo videtur vindicasse *Botsaccus*, (tametsi obscurius adversarii hypothesin proposuerit,) quoniam *cultus religiosus sine invocatione ne quidem animo concipi potest*, totaque illa distinctio invocationis in *terminativam* & *relativam*, quarum hæc priori impar sit, alio grandi & primario errore, de *divinitate* Christi *precaria*, & non *naturali* atque summa nititur. Quæ ideo nobis paullo diligentius evolvere visum est, ne quis de re leviori, ut putavit scriptor hic *Animadversionum*, disputatum fuisse existimet, sed ad ipsum caput controversiarum illam quæstionem spectasse, atque eo disquirentes tandem deduxisse, omnes intelligant, atque hinc porro eum ipsum conflictum, in quo tanti momenti lis mota fuerat a *Ruaro*, atque in pejorem partem defensa haud injuria pro periculoso habitum esse a Gedanensibus perspiciant.

a) Hactenus ad eos pertinebat, quatenus hominem ejusmodi, alibi ex professo talia docentem, ipsi fovere in civitate sua viderentur. Id quod offendiculum removeri, res suas sibi habere, atque ubi doceret, etiam habitare, recte eum jubebant. Iniquus sit, qui prudentiam hanc male interpretetur, aut tanta in hæresibus portenta levi brachio tractet, atque pro rebus nihili aut flocci habeat. Quid multis? Interest non minus Reipublicæ, quam conscientiæ, ut *vel speciem malorum*, cujuscunque generis pius vitet magistratus.

b) At quam? nullisne limitibus circumscriptam? Nihil definio, sed superius dicta repeti suadeo.

c) Inepte hæc urgentur, cum constet, quod pretium *Sociniani* Ministerio Ecclesiastico, ejusdemque peculiari ad legitimam administrationem vocationi statuant. Sufficit eadem egisse *Ruarum*, quæ ad Ministri Eccles. ordinarium munus pertinebant, utut id factum sit *interpretis* titulo. Altorphi profecto olim consecrare etiam panem & vinum, ad usum Eucharistiæ non est veritus. Cujusmodi quædam aut ea ipsa alibi quoque ab ipso facta esse, quis dubitet?

d) In *Gedanensi* urbe *viguisse* religionem *Socinianam* ambigue & nimis liberaliter affirmatur. Fuisse illic, qui tuerentur placita hujusmodi, non negatur; at *clam*

quam nunc cultores habuerit? Quod officio conscientiaque adductos se ferunt consules ad exilium Ruaro decernendum, in eo vide- 346 ant, ne in se fabam cudant. Si enim officium conscientiaque jubet, religionem adversam foventes aut promoventes opprimere, a) cur non idem juris sit in ipsos Regi Regnique proceribus, quod ipsis in Ruarum? Si dicent, obstare pactum Regis Regnique procerum; respondebitur, eodem aut simili pacto nobis pariter de libertate cautum, cui si civitas una derogare velit, id sumit, quod comitia sibi nondum permiserunt. b) Ruaro migrationem ab urbe antehac imperatam, verum quidem est: at cum illam libello supplice deprecatus a senatu petiisset, ut ad causam dicendam prius admitteretur, nec inauditus proscriberetur, putavit in urbe tamdiu subsistere sibi licere, donec a senatu responsum acciperet. Objecit quidem nuper Ruaro consulum unus, per quem libellum supplicem senatui obtulerat, se pro responso senatus exilium illi denuo denuntiasse: sed fallit optimum senem memoria: nec enim Ruarus ad audiendum responsum vocatus ab illo fuerat, c) nec ipse consultum duxerat, responsum, quod non admodum benignum expectabat, operose urgere, ut amici ejus omnes attestari poterunt. Inde factum, ut nec urbe post oblatum illum libellum excesserit, atque ita nec revertendi in eam licentiam impetrandam sibi duxerit. Interdictum senatus ultimum animo grato a Ruaro susceptum fuisse, eatenus admittitur, quatenus post singulorum Senatorum prensationem moram exilio per hiemem 347 indulgebat: nam ipsam alioqui quin aversatus d) fuerit, dubitari nequit.

istic vixisse, addendum fuerat. Certe quamprimum patefacta res illa legitur, legitur quoque officiis publicis abdicatos fuisse, qui infecti isthac lue essent, & emendationem respuerent. Quod vel solius *Radecii* senioris fata comprobant, conf. ep. 68. Obreptitia autem simulatione impetrata ab aliis forte tolerantia, quæ ignorantiam matrem habebat, patrocinium hominibus, præsertim de fimbriis extendendis studiose cogitantibus & laborantibus, parere nunquam potuit.

a) Mihi *non de opprimendis* actum hic fuisse videtur, *sed honeste* satis *dimittendi*, ne in discrimen pars sincera traheretur. Conscientiæ de reliquo quisque suæ rationem reddere utique tenetur, ubi in quibus faba cudenda sit, verbi divini *veritas* definiet Joh. XII, 48. non qualiscunque *jactantia*, aut maleferiatorum species & firmissima animi obstinatio.

b) Quorsum ergo spectabant, quæ de *Racoviensibus* nuper admodum, non petulantibus tantum pueris imaginis crucifixi Servatoris violatoribus, sed universis *Religioni Socinianæ* illic addictis, statuta erant?

c) Etsi *distincte* ad id audiendum non fuerat accersitus, *generatim* tamen eam ob caussam invitatum esse, non fuerat dissimulandum. Satis est abitum fuisse ei ob graves caussas imperatum.

d) Non ago *Gedanensium* caussam, at mirari hominum tantopere pietatem jactantium proterviam hanc vix satis possum.

quit. Quod autem contra illud niti nollet, a) nec exactum quidem ab illo, nedum promissum fuit: neque tamen ullis ipse contra id artibus nisus est, sed cum Magnatibus quibusdam operam ad negotia in urbe Gedanensi obstrinxisset, vacare se illis amplius non posse renunciavit. Quod si Magnatibus hic deinde visum est, injuriam ministri sui, sine legitimo juris processu condemnati, b) ad animum revocare, & per literas ab illo deprecari: summæ quidem hic a Ruaro debentur gratiæ, nulla tamen ipsius hic culpa versatur.

LVI.

STANISLAVS A KONIEKPOLE, &c.

AD SENATVM GEDANENSEM.

Spectabilis amplissimeque Senatus Domini amici carissimi &c.

CUm ex responso spectabilium Dominationum Vestrarum intellexissem, non potuisse eas respectu privilegiorum suorum ac integritatis religionis iisdem præcautæ literis intercessionis meæ pro Martino Ruaro ad spectabiles Dominationes Vestras interpositæ satisfacere, acquievi ejusmodi responso Vestro, neque ultra requisitione mea fatigare spectabiles Dominationes Vestras volui. Jam vero certior factus, Dominationes vestras immutata sententia animum ad mitiora flexisse consilia, atque unicum præstolari, quo declaratio mea succedat, me non ægre passurum, si non deducta prius ad effectum intercessione mea, ea ad præsens deducatur, modo eam in rem consensum meum præbere velim. Itaque non solum non molestum id mihi, verum etiam pergratum fore spectabilibus Dominationibus Vestris declaro, c) atque consensum meum libens ac volens præbeo, quinimo eam facilitatem Spectabilium Dominationum Vestrarum in evidens ac luculentum propensi Dominationum Vestrarum erga me animi documentum accipiam. Quas de cætero optime valere cupio. Datæ in Arce Barensi, Junii V. M DCXXXIX.

348

LVII.

a) Quasi vero id necessarium esset, ut in id, quod imperatur subdito, is consentiat, & se contra nihil niti velle polliceatur.

b) Quid opus erat condemnatione, cum hæresin ipse profiteretur, & justus corrumpendorum aliorum metus in confesso apud omnes esset?

c) Conf. ep. 52. & 53. Quibus artibus vero hæc declaratio comparata fuerit, circumstantiæ demonstrant.

LVII.

PRÆCONSVLES ET CONSVLES CIVITATIS GEDANENSIS ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMINO STANISLAO A KONIECPOLE KONIECPOLSKI, CASTELLANO CRACOVIENSI, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMO GENERALI, BVSCENSI, BARENSI, COVELIENSI, BITOVIENSI, PLOSKIROVIENSI, &c. PRÆFECTO, DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO.

Illustrissime atque Excellent. Domine, Domine gratiosissime.

QUo minus Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ benignæ intercessioni pro Martino Ruaro antehac interpositæ locum dare licuerit, gravissimæ rationes in literis nostris anterioribus expressæ obstitere, inprimis vero propagationis erroris istius, cui prædictus Ruarus addictus est, seductionisque civium nostrorum discrimen. Cum vero postmodum præcipuæ Nobilitatis viri sponsionem pro eo interponerent, ipsum sententias suas de rebus divinis haud disseminaturum, persuaderi nobis aliquatenus passi sumus, eidem Ruaro nonnihil, habita tamen religiosæ tranquillitatis & securitatis ratione, a) indulgeri posse. Et quia iterata Illustrissimæ Excellentiæ vestræ intercessio per literas die V. Junii exaratas declarata modo accessit, eo facilius ad contestandam erga Illustrissimam Excellentiam Vestram observantiam nostram & gratificandi promptitudinem assensi sumus, ut suspensa b) decretæ migrationis executione, præfato Ruaro in civitate hac, certis tamen cum conditionibus & cautionibus, commorari ulterius liceat. In aliis quoque Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ observantiæ studia paratissimaque officia deferimus, eidemque constantes corporis vires & prosperrimos rerum omnium successus comprecati, civitatis hujus salutem & incolumitatem diligentissime commendamus. Datum Gedani die VIII. Augusti, anno MDCXXXIX.

 LVIII.

a) Bene & prudenter ita sibi suisque prospexere, utpote quos genius ingeniumque hominis, amplificando cœtui suo omni diligentia studioque dediti, latere non poterat.

b) Revera *suspensa.* Aliter enim, cum aperte magis proderet *Ruarus* machinationes clandestinas, una cum asseclis suis deinceps iterum continuatas, rem evenisse, epist. 61. & sequentes addocebunt.

LVIII.

EXEMPLVM LITERARVM AD SENATVM GEDANENSEM.

Magnifici, Spectabiles & Amplissimi Domini Proconsules & Consules Civitatis Gedanensis, Amici Honorandi.

DUm nos Reipublicæ negotiis hic intenti pro communi dissidentium libertate excubamus, interea improvisus huc ad nos rumor 351 allapsus est, quosdam, quos Arianos vulgo vocant, a vobis ob Religionis suæ cultum, ex urbis vestræ territorio exigi. Quanquam autem hæresin Arianam vehementer ipsimet improbamus: non potuimus tamen non vehementer commoveri, cum intelleximus, vos, moderationis alioquin laude celeberrimos, hanc in homines nullius in vita civilis sceleris reos asperitatem solo Religionis prætextu exercere, eoque officii nostri duximus, ut periculum, quod ab hoc exemplo emanare posset, ob oculos vobis proponeremus. Quanquam enim non ignoremus, quo privilegio civitati vestræ super Augustana confessione cautum sit: in maxima tamen hujus Regni parte ejusdem Confessionis focii non alio quam communi dissidentium privilegio a) libertatem suam tuentur, a quo qui velit Arianos excludere, non aliud agere videtur, quam ut dissoluto telorum fasciculo, quæ vim juncta respuerent, singula separatim frangat, uniusque partis desertione viam ad cæterorum exitium sternat. Quin & audimus, nonnullorum ex Ecclesia Romana jam jactari voces exemplum hoc nobis exprobrantium, ejusque imitationem aliis minantium. Sed ut hoc non esset periculum, alienum tamen a mansuetudine Christiana

a) Hæc ratio quoque erat, cur nonnulli adversus Decretum contra *Racovienses* in comitiis nuperiis promulgatum, annoque superiori executioni mandatum, protestarentur. Erant vero & alii, qui, ut nuper S. Rev. *Lauterbachius* in Præf. ad *Polon. Ariano-Socinismum* me docuit, inter *dissidentes de*, seu in *Religione Christiana*, & *dissidentes a Christiana Religione* h. e. ne Christianorum nomine dignos, distinguerent. Qui tantam quoque fuisse horum hominum impudentiam, ut communi *Protestantium* nomine, quemadmodum ab Anabaptistis quoque factum est nuperrime, a S. R. D. D. *Cypriano* eapropter castigatis, censeri haud ita pridem voluerint. Quanquam libellum illum, quo proposita sunt ejusmodi portenta, vix a *Sociniano* vero, sed personato profectum esse, suspicatus sit. Ego, uti nemini securitatem civilem invideo, ita cum Reformatis Evangelicisque æquiparari eos, qui fundamenta Christianismi funditus evertunt, totumque in *subtiliorem philosophiam moralem* convertunt, periculosissimum credo. Quæ tamen non alio loco, quam ut mihi videatur, haberi volo, & quantum noceat immanissimorum Christi hostium qualecunque consortium, non sine caussa, ut facile assequor, ita serio moneo.

ſtiana videtur, ob ſolam religionis diſſimilitudinem, a) in alios pace publica in regno noſtro comprehenſos quicquam acerbius conſulere, eoque non dubitavimus, preces noſtras pro afflictis interponere, etiam atque etiam rogantes, ut, quam aliis in civitate veſtra vivendi libertatem nullo religionis diſcrimine conceditis, hanc nec illis negetis, præſertim cum intelligamus, jam ab annis plusquam quinquaginta b) ejusdem religionis aſſeclas ſub patrocinio veſtro habitaſſe. Id ſi impetraverimus, non parum nos ad mutua vobis officia obligatos agnoſcemus, quos divinæ tutelæ commendamus. Datæ Varſaviæ, die XXV. Martii, anno M DCXLIII. 352

Gerard Dœnhoff, *Caſtellanus Gedanenſis.*
Nicolaus Abramowitz, *Caſtellanus Mcislavienſis.*
Stanislaus a Drohojow Drohojowski, *Nuncius Palatinatus Ruſſiæ.*
Zbygneus Goraiski de Coray, *Caſtellanus Chelmenſis.*
Andreas Morſtin a Raciborsko, *Pocillator & Nuncius terreſtris Gendomirſenſis.*
J. Radzivil, *Archicamerarius, Nuncius Palatinatus Novigradenſis.*
Salomon a Ganiec Davidowicz, *Dapifer, nuncius terreſtris Wilkomirienſis.*

LIX. 353

EXEMPLUM LITERARUM STANISLAI KONIECPOLSKI, CASTELLANI CRACOVIENSIS SUPREMI MILITIÆ REGNI POLONIÆ DUCIS.

Spectabiles & Famati Domini amici carisſimi.

EXcellens D. Martinus Ruarus ob ſingulare erga me ſtudium, & obſequia mihi ab aliquot annis conſtanter ac fideliter præſtita perquam charus eſt mihi. Cum autem novis ille ſemper officiis non modo me, ſed & Rempublicam noſtram demereri ſtudeat; dignum cenſui, quem de meliore nota Spectabilibus DD. VV. denuo commenda-

a) Non fuit ea ſola cauſſa ſtatuti illius, quod ſæpius jam obſervatum eſt, ſed *propagatio* peſtilentiſſimæ doctrinæ tam publica, quam privata mirum in modum fraudulenta, partim jam demonſtrata & comperta, partim adhuc metuenda.

b) Vid. paullo ante ep. 55., ubi quadraginta annorum mentio facta erat. Longius hæc eſſent exporrigenda, ſi *Alciatus* jam anno 1560. ibidem vixerit, diemque ſupremum obierit. Sed quid hæc ad rhombum, ubi non de ſurrepentibus ſubinde id genus hominibus, atque clam latitantibus, & forte quietis etiam disquiſitum eſt, ſed turbulentis, iisdemque, ubi detecti fuerant, tolerandis atque vel nolentibus *Dantiſcanis* obtrudendis.

mendarem, a quibus obnixe postulo, ut, non obstante illius circa religionem professione, a) illum patrocinio vestro, prout cœpistis, porro quoque complecti, ne intermittatis, & si quibus in rebus opem vestram implorabit, hanc mei causa ipsi ne denegetis. Erit hoc mihi tam gratum, quam quod est gratissimum, paratumque ad mutua studia reddenda spectabilibus DD. VV. me semper experiemini. Cæterum Sp. DD. VV. optimam valetudinem, prosperrimosque rerum successus apprecor. Datæ Varsaviæ XXIX. Martii, MDCXLIII.

354

LX.

STANISLAVS A KONIEKPOLE, &c.

AD SENATVM GEDANIENSEM.

Spectabiles & Amplissimi Domini Proconsules civitatis Gedaniensis: Salutem plurimam cum voto omnis felicitatis.

PErspecta cum sit nobis inclyti hujus Regni proceribus humanitas DD. VV. & studium, quo de nobis bene mereri contendunt: Capturus ego quoque experimentum hujus meæ de DD. VV. existimationis, propensum DD. VV. erga me demumque meos animum requiro, & peto, ut eos, qui mea in urbe Gedanensi negotia curant, solito prosequantur affectu. Inter quos cum primum locum teneat Vir eruditus, & hinc mihi percharus, Dominus Martinus Ruarus, diligenter DD. Vestras rogo, eum uti hominem servitio meo addictum, fidum, atque ideo omnium bonorum amore dignum patrocinio suo complectantur: ita ut negotia mea commode peragere, & absque impedimento possit. Quicquid hac in parte benevolentiæ DD. VV. expertus fuero, in promovendis celebris urbis vestræ commodis, totum me impendam; Dominat. Vestris bonam valetudinem & prosperos rerum successus etiam atque etiam exoptans. Dabantur Tuliscoviæ VIII. Aprilis, M DCXLIII.

355

LXI.

PROCONSVLES ET CONSVLES CIVITATIS GEDANENSIS ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO CHRISTOPHORO DE BNIN OPALINSKI, PALATINO POSNANIENSI, PRÆFECTO STREMENSI, &c. DOMINO GRATIOSISSIMO.

Illustrissime Domine, Domine gratiosissime.

QUemadmodum nihil antiquius nobis est, quam Illustrissimorum Regni

a) Non est dubium, has litteras, cum denuo priores illæ querelæ recrudescentes novam seriamque *Gedanensium* præsides significarent de *Ruaro* promulgandam con-

Regni Procerum propenſionem & benevolentiam omni ſtudio & officiorum promtitudine promereri, ita nihil optatius nobis eſſet, quam ut benevolæ Illuſtritatis veſtræ commendationi pro Martino Ruaro per literas interpoſitæ locum dare nobis liceret. Cum vero idem Ruarus propter graviſſimas cauſas, eo quod omni ſtudio Photinianorum errores in urbe hac diſſeminare laboraret, ante aliquot annos a) urbe hac excedere juſſus fuerit, tandem vero interveniente Illuſtr. Domini Caſtellani Cracovienſis, aliorumque nonnullorum ex præcipua Nobilitate b) interceſſione, ſuſpenſa injunctæ migrationis executione, commorandi in urbe hac facultas ipſi conceſſa fuerit, cum ea conditione, c) ut pacate viveret, neque porro recti ſenſus homines turbare & ſeducere tentaret; ipſe vero conditioni huic neutiquam paruerit, quin potius cœptum ſtudium continuaverit: d) Proinde ipſi denuo, ad evitanda majora mala, injungere cogemur, ut domicilium ſuum alio transferat. Ac propterea optaremus, ut Illuſtritati veſtræ placeret, alii cuidam negotia ſua committere, qui pari ſtudio & fide eadem procurare poſſet. Quod ſi vero Illuſtritati veſtræ viſum fuerit, prædicti Ruari ſervitiis porro uti, ad conteſtandam gratificandi promptitudinem erga Illuſtritatem veſtram, eidem liberum acceſſum in urbem hanc concedemus, modo extra civitatis jurisdictionem domicilium habeat, & conſuetum errores ſuos diſſeminandi ſtudium intermittat. Si qua etiam in re alia Illuſtr. veſtræ gratificari poterimus, nihil in nobis deſiderari patiemur; cui, quod reliquum eſt, diuturnam valetudinem & proſperrimos rerum ſucceſſus ſinceris votis precamur, & benevolentiæ ejusdem nos ac civitatem hanc obſervantiſſime commendamus. Datum Gedani XXIX. Aprilis M DCXLIII. 356

LXII.

ſtitutionem ſcriptas eſſe. Niſi jam tunc promulgatam fuiſſe exiſtimandum ſit. Vtut ſit, ſola tamen *profeſſio*, quod ſequentes epiſtolæ commonſtrant, iterati, ut diſcederet, mandati in cauſſa non fuit, ſed res novæ, quas in erroris ſui commodum iterum iterumque molitus erat.

a) Anno 1638. conf. epiſt. 48. ſqq.

b) Vid. epiſt. 50. 51. 52. ſqq.

c) Quam vide additam diſerte & explanate epiſt. 52. ſqq. Vbi partim verba: *quantum civitatis tranquillitatisque publicæ ratio tulerit*; itemque: *certis tamen cum conditionibus & cautionibus*, &c. leguntur; partim expreſſe *ſuſpenſam fuiſſe prioris decreti executionem*. Patronus primarius *Stanislaus Koniecpolius*, Dux Exercitus Polon. ep. 57. fatebatur.

d) Dolemus diſtincte, quænam illa fuerint nova hæreſin propagandi molimina, nusquam, & ne quidem ab *Hartknochio*, qui præter ea, quæ ex his epiſtolis didicit, hac in re heic quoque nihil prorſus memoriæ prodidit, annotatum legi. Quæ enim de *privata informatione* habentur in

357

LXII.

EXEMPLVM LITERARVM SENATVS GEDANENSIS AD D. CASTELLANVM CRACOVIENSEM. a)

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Domine gratioſiſſime.

ILluſtriſſimæ Excell. veſtræ literæ, quibus Martinum Ruarum nobis denuo commendare b) dignatur, per generoſum Dominum Slichtingium nobis ſunt redditæ. Quanti vero Ill. Excell. veſtræ benignam interceſſionem ante triennium c) circiter pro eodem Ruaro interpoſitam pro noſtra erga Illuſtr. Excell. veſtram obſervantia æſtimaverimus, quave tunc temporis moderatione erga prædictum Ruarum uſi fuerimus, Ill. Excell. veſtra procul dubio recordari dignabitur, dum migrationis ob graviſſimas urgentiſſimasque cauſas injunctæ executionem ſuſpendimus, d) atque Ruaro ulterius commorandi in urbe hac libertatem conceſſimus, ſub ea tamen conditione atque cautione, ne erronea ſua de rebus divinis dogmata porro diſſeminaret. Huic vero conditioni tantum abeſt ut ſatisfecerit, ut potius una cum aliis e) fœdum errorem ſuum propagarit, cum publice in vicinia docendo, tum privatim informando. Cujus effectum, proh dolor! apud quamplurimos cives noſtros hæreſis iſtius 358 veneno infectos comperimus. Vt ſane ulterius nobis connivere non liceat; ſed nunc tandem medelam huic malo adhibere, eique, ut domicilium ſuum extra urbem hanc transferat, injungere cogamur. Quod ipſum Illuſtr. Excell. veſtræ hac occaſione ſignificandum duximus, haud ambigentes, Ill. Excell. veſtram pro ſingulari pietate & prudentia ſua nobis haud ſuccenſuram, quin potius noſtram hanc pro incolumitate civium noſtrorum ſollicitudinem collaudaturam. Cum vero intelligamus, Illuſtr. Excell. veſtram præfati Ruari opera in negotiis ſuis hoc in loco adhuc uti, optaremus, ut Illuſtr. Excell. veſtræ placeret, aliis, qui pari dexteritate nec minori fide Illuſtr. Excell. veſtræ negotia curare f) poſſent, eadem committere. Quod ſi vero Illuſtr. veſtræ Excell. aliter viſum fuerit, nos ad conteſtandam obſervantiam noſtram erga Ill. Exc. veſtram memo-

ſequenti epiſt. 62. obſcuriora ſunt, quam forte ad hæc dilucidanda requiras.

a) Eundem, qui ſupra tantopere cauſſam *Ruari* egit, *Staniſl. Koniecpolium.*

b) Præcedentes num. 60.

c) Anno 1639. vid. epiſt. 57.

d) Conſulto hoc utuntur vocabulo, quo & ipſe Patronus l. c. uſus erat.

e) De quibus epiſt. 64. 66. & 68. ſqq.

f) *Einen Factor* vocat *Hartknochius*; alii *einen Agenten.*

memorato Ruaro liberum in urbem hanc acceſſum concedemus, modo extra pomœria & territorium a) ejusdem domicilium figat, & a conſuetis ſeducendi artibus abſtineat. De cætero Ill. Exc. veſtræ conſtantes corporis vires, & omnigenæ felicitatis incrementa animitus precamur, Ejusdemque gratiæ civitatem hanc diligentiſſime commendamus. Datum Gedani die XXIX. Apr. MDCXLIII.

LXIII. 359

CHRISTOPHORVS DE BNIN OPALINSKI, PALATINVS POSNANIENSIS, REGNI SENATOR, &C. PROCONSVLIBVS TOTIQVE MAGISTRATVI CIVITATIS GEDANENSIS.

Spectabiles & Amplisſimi Domini, Amici Honorandi.

EXpectabam, pro mea in urbem DD. veſtrarum propenſione, ad litteras meas commendationem Domini Martini Ruari continentes benignius reſponſum. Cæterum neque jam quidquam deſpero, quinimo haſce iterum ad DD. veſtras mitto, diligenter rogans, velint meæ hac in parte ſollicitudini pro viro (exceptis ſectæ ſuæ erroribus) probo, erudito, & omnium bonorum amicitia digno, ſi non favere, ſaltem annuere. Habeo enim hunc hominem inter caros; cujus fidei negotia mea in inclyta urbe veſtra curanda ſoleo committere, nec facile talem alium reperire poſſum, qui rarius Dantiſcum ſoleo adire, hominum illic commorantium ſum ignarus. Hujus vero ſervitium ita mihi comparatum eſt, ut nec in alium absque noxa transferri, nec ab illo niſi in urbe exerceri poſſit. Rogatas itaque iterum atque iterum DD. veſtras volo, huic meæ juſtæ interceſſioni dare locum velint, qui non religioni, ſed homini faveo, & nomine 360 ejus promittere audeo, illum intra cancellos officii & admonitionis ſe contenturum eſſe. b) Quidquid favoris DD. veſtrarum expertus fuerim,

a) Vbi conciones habere jam diu conſueverat, *Strasſinii* in *Ivanicano* prædio.

b) Mirum eſt, hæc polliceri tantum virum, qui ingenium *Socinianorum* ignorare non poterat, fuiſſe auſum. Sed erant hoc tempore ex ſummis Senatoribus regni, qui ſectæ huic ſive ipſi clam favebant, ſive ad patrocinia præſtanda ab aliis, cognatis eorum domeſticisque ſuis, blandimentorum non uno genere, pietatis præſertim larva accedente, pelliciebantur. Hinc illæ lacrymæ! Quibus tot edictis deinceps obviam itum eſt, anno 1658, 1659., 1661. & 1662. repetitis, tam ſeveris, ut ſub Rege *Joh. Caſimiro* anno 1661. tandem conſtitutum fuerit: *Si quis ſectam hanc in ditionibus noſtris* (Polonicis) *auſit confiteri, debere eum ſine ulla dilatione per Capitaneos capite plecti, ſub privatione Capitaneatus &c.* Cujusmodi plura in *Hiſt. Lubienieciana* L. III. cap. XVIII. & alibi, inprimis vero in vitæ deſcriptionibus tam *Wiſſowatii*, quam

fuerim, pari ratione a me pensabitur; ita quidem, ut in promovendis urbis Dantiscanæ commodis non sequiorem me præstem, quam hic vir bonus in benevolentia DD. vestrarum consequenda ex commendatione mea retulerit solatii. Quibus de cætero felicia quæque incrementa, una cum bona & prospera valetudine cœlitus etiam atque etiam opto. Datum Tuliscoviæ die XIX. Maji, MDCXLIII.

LXIV.

EXEMPLVM LITERARVM SENATVS GEDANENSIS AD PALATINVM POSNANIENSEM.

Illustrissime Domine, Domine gratiosissime.

QUæ causa sit, cur Martino Ruaro domicilium in hac urbe concedi nequeat, ex literis nostris XXIX. Aprilis datis Illustritatem vestram uberius cognovisse, simulque pro eximia sua prudentia ac singulari erga civitatem hanc affectu eo nomine excusatos nos habuisse, officiosissime confidimus. Dum vero alteris itidem literis Il- 361 lustritas vestra nobis Florianum Crusium a) commendare dignata est, pro debito nostro Illustritati vestræ inserviendi studio nil quicquam nobis gratius foret, quam promtissimis animis ejusdem requisitioni dare locum. At cum idem Crusius extra professionis suæ medicæ cancellos b) longius progressus dogma a tot sæculis damnatum, ac in ipso etiam regno Poloniæ exosum, non in pectore saltem fovere, uti quidem quieto pacatoque homini, quem se tantopere jactat, convenisset, sed intempestivo quodam zelo aliis quoque instillare, plusque interdum dogmatis veneno animas inficere, quam medica arte vires ægrotantium reficere allaborarit: sane officii nostri nos monuit ratio, & ipsius divinæ Majestatis impulit reverentia, ut malum, quod

Slichtingii & *Lubieniecii* occurrunt. Quibus ærumnis forte, si res suas sibi habere maluissent, quam infrunito impetu fimbrias expandere aliosque seducere, supersedere potuissent.

a) Vix credibile est, hunc *Ruaro* surrogaturum fuisse *Opalinium*, nisi aut ipse occulte bene cupivisset eorum dogmatibus, quod de *Calissiensi* Palatino supra jam observatum est, tradere *Historicos Polonos*; aut a fautoribus, ad hunc eligendum curatorem rerum suarum, priori non multo meliorem, exstimulatus adductusque esset. Quod consilium autem versutiaque huc eos pertraxerit, ipse *Ruarus* in epistola ad S. *Næranum* Cent. II. n. 77. f. marg. 382. non obscure exposuit.

b) Quando *Medicus* iste pervenerit cum *Wolzogenio* suo, quem plerumque, ut affinem, ita quoque comitem habebat, *Gedanum*, ibidemque sedem fixerit, constantem, nusquam memini expresse affirmatum. Si vero conjecturis locus est, vel cum *Ruaro*, vel paullo post eum anno 1632. eo concessit, medicinamque faciendo tantas sibi comparavit opes, ut ædes quoque proprias coemerit, ægerrime sub hoc tempus vendendas ac deserendas. *Hart-*

quod indies majores radices agere, easdemque latius spargere apparebat, paucorum autorum amotione in parte aliqua retunderemus. Ac quamvis minime nobis propositum fuerit, nec etiamnum sit, cujusquam conscientiæ frænum injicere, aut ob diversitatem religionis dissensumque in fide quenquam molestare; gravissimum tamen vice versa visum nobis fuit, sufferre, ut aliorum innocentium civium incolarumque conscientiæ turbarentur. a) Ne dicamus in generalibus harum terrarum conventibus haud leviter nobis subinde exprobratum fuisse, quod ejus farinæ hominibus in totius provinciæ præjudicium nimium indulgeremus. At cum ita se res habeat, & ipsemet Crusius animarum turbatione sibi ipsi commorandi in juris- 362 dictione nostra facultatem præciderit: spes nobis omnino est, Illustritatem vestram excusationem nostram non nisi benigno animo excepturam esse, eo etiam attento, quod memorato Crusio possessiones suas, b) quarum emptio spe pacatioris vitæ lubenter ipsi concessa fuit, ad anni adhuc spacium tenere permisimus, quo interea temporis commodius, per alios tamen, inque ipsius absentia divendi possint. Si qua vero commodior Illustritati vestræ declarandorum officiorum nostrorum promptitudinem extiterit occasio, omni utique studio annitemur, quo ejus erga nos civitatemque hanc gratiam magis magisque promereri atque augere valeamus. Divinum de cætero numen intimis precamur animis, ut Illustritatem vestram diutissime incolumem omnibusque exoptatæ felicitatis incrementis florentissimam conservet. Datum Gedani die XIX. Maji anno M DC XLIII.

LXV. 363

EXEMPLUM LITERARUM SENATUS GEDANENSIS AD PALATINUM POSNANIENSEM.

Illustrissime Domine, Domine gratiosissime.

ANterioribus literis nostris justas gravesque rationes, ob quas Martino Ruaro in urbe hac commorandi facultatem concedere

nobis

knochius non alia digna memoratu, quam *Zwickerum* ab eo in castra *Socini* abreptum abductumque esse, L. III. Cap. XI. *Histor. Eccles. Boruss.* narrat.

a) Sic enim jubet Apostolus ad Tit. III, 10. hæreticum hominem post unam alteramque commonefactionem παραιτεῖσθαι, &, si vitari non possit, ubi sit commonitus, vel legitimum Magistratum curare, ut tanquam turbulentus civis, vitari possit: quod vix alia commodiori ratione, quam denegatione tutelæ, sine ignominia fieri potest.

b) Non alias sine dubio, quam prædia bonaque immobilia, in quibus ædes potissimum, ut paullo ante dictum est, fue-

nobis haud integrum ſit, Illuſtritati veſtræ expoſuimus: Ac proinde confidimus, Illuſtritatem veſtram ſibi ab aliis perſuaderi haud paſſuram, nos ſolo religionis prætextu quenquam moleſtare, vel durius, quam par eſt, in homines innoxios conſulere. Neque enim vel conſcientiis dominari, vel Arrianæ ſectæ, licet fœdos ejus errores ex animo deteſtemur, addictos, ob ſolam religionis diſſimilitudinem, acerbius perſequi conſtituimus, modo tranquille ſe gerant, a) nec recte ſentientes turbare, & a recto veritatis tramite ad blasphemi erroris devia ſeducere, cum publico omnium ſcandalo, ſatagant; ut ſane & prædicto Ruaro communis auræ uſuram habitandique commoditatem apud nos denegaturi haud fuiſſemus, niſi conſuetas ſuas incautos ſeducendi artes b) adeo pertinaciter continuaſſet, ſuisque & aliorum pro ipſo interpoſitis ſponſionibus contraveniſſet: 364 ipſum itaque, contra promiſſi legem ſtudioſe turbantem religioſam civium noſtrorum tranquillitatem, a conſortio incolarum hujus urbis, ad vitandum in tam populoſa civitate c) ſcandalum & diſcrimen publicum, ut ſegregemus, conſcientiæ & officii poſtulat ratio. Quare iterum obſervantiſſime rogamus, ut Illuſtritas veſtra pro inſigni ſua æquitate & prudentia excuſationem hanc noſtram, quo minus ejusdem per literas XXVII. Junii exaratas repetitæ interceſſioni pro præfato Ruaro eatenus morem gerere nobis jam liceat, gratioſiſſime accipere dignetur. Ad conteſtandam nihilominus noſtram erga Illuſtritatem veſtram obſervantiam eidem Ruaro liberum in urbem hanc procurandorum Illuſtritatis veſtræ negotiorum cauſa acceſſum permittemus, modo extra territorium ejusdem commoretur, & a conſueto ſeducendi noſtrates ſtudio abſtineat, d) neque alias quicquam in nobis deſiderari patiemur, quod ad promerendum conſervandumque Illuſtritatis veſtræ eximium erga nos favorem facere poſſit. Cujus

rant; cætera enim breviori temporis ſpatio vendi potuiſſent, vel auferre etiam atque aſportare licuiſſet.

a) Luculenter vel ex unico hoc loco patet, quæ cauſſa fuerit, cur abitum imperaverint hiſce turbonibus *Gedanenſes*, merasque fuiſſe offucias, quas ſupra objecerant de vi, neſcio qua, conſcientiis illata ſodales.

b) Tandem procul dubio accuratius exploratas, quas etiam inter pocula calluerant, nemine animadvertente, exercere, & de talibus artificioſis decipulis apud amicos nihilominus gloriari: ut ſæpius jam ex Cent. I. conſtare monuimus. Conferatur inſtar omnium infra epiſt. 87.

c) Recte hæc adduntur, & ipſe quoque *Ruarus* in rem ſuam, qui alios ſibi conciliare velint, hac commoditate uti poſſe, nominatim *Nærano* ſuo, inter cætera argumenta, l. c. prædicavit.

d) Et videtur quoque deinceps abſtinuiſſe; cum nihil amplius querimoniæ legatur poſt id tempus annotatum.

jus conſtanti benevolentiæ, cum voto diuturnæ valetudinis & omnigenæ felicitatis, civitatis hujus incolumitatem officioſiſſime diligentiſſimeque commendamus. Dat. Gedani VII. Julii anno MDCXLIII.

LXVI. 365

EXEMPLVM LITERARVM SENATVS GEDANENSIS AD CASTELLANVM CRACOVIENSEM.

Illuſtriſſime, Excellentiſſimeque Domine, Domine gratioſiſſime.

SIngulari Illuſtr. Excell. veſtræ benignitati merito id adſcribimus, quod Martino Ruaro interceſſionem Illuſtr. Excell. veſtræ imploranti denuo per literas XVI. Junii a) ad nos datas ſubvenire, commorationemque ejusdem in hac civitate nobis diligentiſſime commendare dignata eſt. Quamvis itaque minime ignoremus, quantum Illuſtr. Excell. veſtræ benignis requiſitionibus tribuere nos deceat, nec minus nobis conſcii ſimus, quantum huc animorum noſtrorum motus ac ſtudium ſuapte ſponte propendeat: rem tamen de memorato Ruaro nobis prorſus difficilem diffiteri non poſſumus. Tametſi enim Illuſtr. Excell. veſtræ virum iſtum ab æquabilitatis, moderationis, morumque integritatis virtutibus quam maxime commendatum eſſe intelligimus: ejus tamen ingenii eſſe, ut nil ardentius ſitiat, quam damnati dogmatis ſui propagationem, non ſolum alia celebria Germaniæ loca, quæ ob hanc cauſam relinquere coactus fuit, b) ſed & hæc civitas abunde teſtari poſſunt. Qua de re etiam hinc jam ante triennium migrare neceſſe ipſi fuiſſet, niſi Illuſtr. Excell. veſtræ au- 366 toritas interveniſſet, ſimulque ſpes acceſſiſſet, eundem, poſt ſeriam admonitionem, libertate propriæ conſcientiæ contentum, aliorum neutiquam amplius inſidiaturum eſſe. Cum vero interea temporis, immemor & admonitionis & promiſſi ſui, non ſolum publicis concionibus non procul ab urbe hac habitis, ſed etiam privatis colloquiis, c) dogmatis ſui virus nihilominus hominum animis inſtillare auſus fuerit, atque hinc inter cives noſtros varii ſuſurri in officium noſtrum, ac in ipſis quoque conventibus generalibus harum terra-

a) Hæ litteræ non ſuperſunt; ipſa vero reſponſio teſtatur, quanta fuerit & petentium & abnuentium conſtantia.

b) Conf. *Annott. ad epiſt.* ſeu *Animadverſ.* potius *num.* 55. locatas f. 344. margin. Quibus nihil addimus, quam *Francofurto ad Oderam* ut excederet *Ruarus*, imperatum fuiſſe, nos alibi jam haud obſcuris indiciis cognitum affirmaſſe probabile videri.

c) Eum in finem, ut inſtillaretur aliis hæreſis, quæſitis & callide inſtitutis. Vulgaria enim colloquia quis auſit prohibere?

rum exprobrationes a) in nos ſubſecutæ ſint; negligere utique non debuimus, quin malo remedium paucorum autorum amotione adhiberemus. Edocti vero experientia exemplisque, eundem Ruarum ab ingenio inveterataque conſuetudine non receſſurum, proinde nec publica ſcandala, nec ſeductiones, civiumque in officium noſtrum ſiniſtros ſermones, aliorumque exprobrationes ceſſaturas, graviſſimum nobis foret, eidem fixum domicilium in hac civitate de novo concedere. Summopere itaque optamus, atque ab Illuſtr. Excell. veſtra officioſiſſime petimus, dignetur alium quempiam eligere, quem rebus ſuis in hac civitate gerendis procurandisque præficiat. Quod ſi vero Illuſtr. veſtræ Excell. ſecus viſum fuerit, facile arbitrio Ruari 367 relinquere poſſumus, ut alibi in vicinia, extra tamen noſtrum territorium degens, quotiescunque opus, civitatem ingrediatur, ea tamen conditione, ne ſacra prophanis miſcens, prætextu negotiorum errores ſuos diſputando, diſſerendo, aliove modo diſſeminet. Quam noſtram declarationem ſuſceptum, ac de reliquo apud Illuſtr. Excell. veſtram nos excuſatum iri, officioſiſſime confidimus, utque fiat, qua par eſt, obſervantia rogamus, paratiſſimi, quicquid alias gratiſſimi officii & ſtudii a nobis proficiſci poterit, Ill. Excell. veſtræ uberioribus rerum argumentis conteſtari ſeduloque allaborare, quo ejusdem erga nos benignitatem conſervare, quin & augere valeamus. Divinum inſuper comprecaturi numen, ut Illuſtr. Excellent. veſtræ cum longæva vita & incolumitate quævis exoptata felicitatis incrementa cœlitus largiatur. Cujus conſtanti perpetuæque gratiæ nos civitatemque hanc iterum atque iterum quam obſervantiſſime commendamus. Dat. Gedani VIII. Julii, M DCXLIII.

368

LXVII.

EXEMPLVM LITERARVM PALATINI POSNANIENSIS c) AD SENATVM GEDANENSEM.

Spectabiles & Amplisſimi Domini, Amici honorandi.

REdditæ mihi ſunt literæ DD. veſtrarum, quibus ad reiteratam meam pro Domino Ruaro interceſſionem reſpondent. d) Doleo pro-

a) Hoc eſt, quod ſupra jam ſuſpicati ſumus. In ipſis comitiis lenitatem illam & indulgentiam *Gedanenſibus* fuiſſe objectam, ipſosque reddidiſſe ſuſpectos.

b) Eadem ſunt, quæ jam ante epiſt. 65. promiſſa fuerant, niſi quod conditionibus non iniquis magis circumſcripta h. l. libertas illa legitur.

c) Ejusdem, cujus epiſtola prior n. 63. poſita occurrit.

d) Vid. num. 64. & 65.

profecto, me in re tam leviuscula a) denuo repulsam passum esse; qui nulla non oblata occasione, in maximi etiam momenti negotiis, meam Dominationibus vestris operam & studium non denegarem. Comperio inde, quanti Dominationes vestræ Senatorum, non infimi etiam loci, gratiam & benevolentiam faciant, quidque de ipsorum erga nos studio polliceri nobis debeamus. Quia vero animadverto, sententiam contra Dominum Ruarum semel factam irrevocabilem esse; ideo id saltem a Dominationibus vestris me impetraturum spero, nimirum, ut Domino Ruaro ad meum Gedanum adventum, quem, Deo volente, mense Octobris circiter futurum spero, liberam apud me commorandi facultatem largiantur, quo coram cum ipso de quibusdam meis negotiis conferre queam, antequam ipse alio sese conferat. Cæterum Dominationes vestras Deo Optimo Maximo commendo, omnique prosperitate frui opto. Dabam in arce mea Siracowiensi XXIX. Julii M DCXLIII. 369

LXVIII.

PRÆCONSVLES ET CONSVLES CIVITATIS GEDANENSIS MAGNIFICIS AC GENEROSIS DOMINIS JOANNI BLONSKI A BIBERSTYNA, NICOLAO SVCHODOLSKI, STANISLAO ORICHOVIO, b) &c. DOMINIS OBSERVANTISSIMIS.

Magnifici ac Generosi Domini.

EX literis Generos. Magn. vestrarum, die II. mensis Augusti datis, perspeximus, sollicitudinem & curam nostram, quam pro conservanda quiete & incolumitate civium nostrorum, officii & conscientiæ ratione ita efflagitante, gerimus, invidiose traduci, quasi dominatum usurpemus in conscientias, earumque libertatem sublatam velimus

a) Non erat lis de stillicidio. Vere in hunc patronum *Ruari* quadrat, quod vulgo dicitur: *Minima non curare Prætorem;* si quidem res ex *Gallionis* sententia æstimanda sit, cujus *Lucas* Act. XVIII, 14. seq. graphice descriptam dedit *animi levitatem*, noster autem *Dannhauerus* Dissert. peculiari de *Gallionismo*, pluribus, quantopere peccetur, si negotia religionis pro *leviusculis* habeantur, explanavit.

b) Horum etiam alibi tanquam celeberrimorum pro *Sociniano* cœtu propugnatorum fit mentio, & nominatim quidem *Joh. a Biberstein* in subscriptione ep. 51.; *Orichovii in Hist. Pol. Ref.*, *Lubieniecii* L. III. cap. XIII. f. 254. ubi *Lublinensem Eccles. Socin.* exulem eum cum uxore in domum suam recepisse narratur atque prædicatur; ac *Suchodolii* denique, Chelmensis territorii Dapiferi, in vita *Wissowatii* f. 240. cujus auctor, Lublinensibus civibus, ut in pago suo *Siedliska* ad sacra congregarentur, potestatem eum fecisse, annotavit.

velimus, ac religionis causa homines innoxios pœnis mulctisque persequamur, adeoque contra jura publica, & quicquid fere sanctum in rebus humanis habetur, committamus. Quo ipso sane non potuimus non graviter commoveri, cum immerito hæc nobis imputentur. Neque enim vel conscientiis dominari, vel diversæ, licet im-
370 probatæ, religionis asseclas solo religionis prætextu acerbius persequi unquam constituimus, modo sibi privatim errent, & tranquille se gerant, a) nec recti sensus homines inquietare, simplices & incautos clandestinis variisque artibus a recto salutis tramite seducere, erroresque suos cum publico scandalo disseminare satagant, atque hac ratione conscientiarum quietem ac religiosam tranquillitatem turbare præsumant. Qua in re cum præcipue duo Medici, b) Arianismo addicti, excederent, ac, non impetrata a Magistratu licentia, curandi facultatem sibi sumentes, sub hoc ægrotos visitandi obtentu, c) multorum conscientias turbarent, erroribusque suis inficerent; sane officii conscientiæque a nobis postulavit ratio, ut ingravescenti malo medelam pararemus, istos conscientiarum & religiosæ tranquillitatis turbatores, crebris civium nostrorum querelis permoti, a consortio eorundem segregando. His quoque accensendus Martinus Ruarus, qui, postquam interveniente potissimum Illustrissimi Domini Castellani Cracoviensis intercessione ante aliquot annos commorandi in urbe hac libertatem denuo obtinuisset, cum ea conditione, ne porro erronea dogmata sua de rebus divinis disseminaret, conditioni haud paruit, sed consuetis artibus errores suos prorogare perrexit. Neque vero id eo trahendum est, quasi ob hæreseos crimen pœnam ipsis indixerimus, cum duntaxat noxios & inquietos con-
371 sortio civium nostrorum abstinere velimus: idque exemplo majorum nostrorum, qui etiam viris in officio publico constitutis, d) Arianismo addictis, migrandi necessitatem imposuerunt. Exinde Generosæ Magnificen. Vestræ intelligent, nos nihil a Christiana mansuetudine alienum, vel juribus nostris institutisque majorum adversum, nedum quod tam acerbe perstringi merito debeat, statuisse. Ac proinde Generosas Magnificen. vestras majorem in modum diligentissime rogamus, ne actiones nostras tantopere sugillare permittant,

a) Ad hæc iterum repetita conf. ep. 64.

b) *Crusius* & *Zwickerus*, vid. ep. 69.

c) Nova fraus inventa, seu promulgatæ novæ legi opposita. Vnde vero, quam justa fuerit *Gedanensium* cura & providentia, magis liquet.

d) Nisi fallor, ad *Matthæum Radecium*, qui a Secretis Senatui Illustri fuerat, &

tant, & ipſæ melius mitiusve de nobis ſentiant & judicent, ne, dum conſcientiarum libertatem, quam & nos ſalvam eſſe cupimus, aſſerunt, noſtris conſcientiis dominari velle videantur. a) De cætero, officiorum noſtrorum promptitudinem Gen. Magn. veſtris deferimus, & earundem propenſioni omni gratificandi ſtudio quavis occaſione, quantum in nobis eſt, reſpondere conabimur. Quibus, quod reliquum eſt, diuturnam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus animitus precamur. Datum Gedani XXII. Septembris anno MDCXLIII.

LXIX.

372

M. RVARVS MAGNIFICIS ET GENEROSIS VIRIS, DOMINO KVROSZ, D. MIERZYNSKI, b) ET SI QVI SINT ALII VEL IN SERENISSIMI REGIS VEL IN ILLVSTR. PRINCIPIS RADZIVILII AVLA c) EX FRATRIBVS POLONIS VNVM DEVM PATREM CONFITENTIBVS.

Magnifici & generoſi Viri, Domini, & amici plurimum mihi colendi.

EXpertus veſtram ante annum in re mea benevolentiam, nunc denuo in re partim mea, partim aliena, ſed ita aliena, ut non minus quam mea mihi ſit cordi, ad opem veſtram confugio. Qua ſeveritate Senatus Gedanenſis clariſſimis viris, Cruſio atque Zwikero, d) medicis, exilium ante annum imperaverit, jam pridem vobis conſtat. Illorum fortunam ante duos circiter menſes ſequi coactus eſt ſcriba civitatis & civis honeſtiſſimus, Ladebachus. e) His omnibus

Joach. Stegmannum, ad D. *Petri Paſtorem* Reform. Eccl., hæc reſpiciunt.

a) Egregia retorſio & in paribus caſibus diligenter repetenda.

b) *Abrahamo Mierzinio :* Ei forte, ad quem ſcriptæ ſunt Cent. I. epp. 75. & 76. *Chriſtophori Morſtinii* Satrapæ Philippov. genero.

c) Qui, quamvis ipſe religionem Reformatorum profiteretur, per *Przipcovium* tamen, quo Conſiliario uſus eſt, qui & Apologiam pro iſto hero ſuo ſcripſit luculentam, multis eadem, quæ ille, ſentientibus receptum præbuit. Quemadmodum etiam inter primos fuit, qui contra edictum *Warſovienſium Comitiorum*, adverſus *Racovienſes* latum, proteſtatus fuit. Vt taceam ſubſcriptionem ſuperius inter cæteros deprecatores pro *Ruaro* epiſt. 58. comparentem.

d) Conf. *Hartknochii Hiſt. Eccl. Boruſſ.* L. III. cap. XI. f. 849. ſq. & adde epiſt. præcedentem. Quorſum *Cruſius* conceſſerit, *Straſſiniumne*, an aliorſum, non ſatis liquet; *Zwickerum* hinc inde circumvagatum eſſe, donec Amſtelodami grandævus diem ſupremum obiit, jam alibi dictum eſt.

e) Obſcurus de cætero, cujus neque ipſe *Hartknochius* prænomen cognitum habuit.

bus præter invisæ religionis conscientiam illud insuper objectum fuit, quod eadem religione alios imbuissent, quanquam id nullo teste probatum est. At nunc ad illos etiam fit progressus, quibus illud nullo 373 colore objici potest ob literarum eruditarum ignorantiam, sed hoc solum crimini datur, quod religionem nostram profiteantur a) & sacrorum nostrorum causa in Strassynium milliari ab urbe excurrant. Inter hos primum socer meus Martinus Vossus b) & David Wernerus Buttelus, hic intra octiduum, ille intra duos menses urbis territorio excedere jussi sunt. Est Buttelus senex octuagenarius, qui religionem nostram LIX. annos in civitatis solo habitans palam semper professus est, chymica chirurgicaque opera de multis, etiam ex Senatu, bene antehac meritus, imo & defuncto Regi, & Proceribus regni quibusdam ob illam probe notus. Socer meus, senatoris filius, ædes ab illo non unas hæreditarias possidet, mercaturæ negotiis amplaque familia civitati sic innexus, ut sine ruina rei familiaris eam relinquere nequeat. Cum his duobus eodem tempore ipse quoque ad consulem adesse jussus sum, sine dubio, ut irrogati exilii sententiam simul audirem, quamvis sub jurisdictione civitatis non amplius degam. Ego enim cum certa fide intellexissem, nec privilegium regiæ Majestatis, c) nec tot Senatorum Magnatumque hujus regni preces pro me interpositas præsidio mihi apud magistratum Gedanensem satis fore: ultro d) in hunc pagum cum familia me subduxi, id inde commodi sperans, ut, quoniam non expectata sententia exiissem, in urbem regredi mihi liceret, quoties id magnatum, quibus operam na-374 vo, negotia requirerent. Sed video, ne sic quidem quieto mihi esse licere; quamvis Castellano Cracoviensi & Palatino Poznaniensi expresse id a magistratu Gedanensi promissum sciam, modo extra civitatis solum habitem, ob illorum negocia in eandem mihi commeatum non negari. A nobis deinde processum est paucos ante dies ad tres alios, Georgium Baumgartum pellionem, Paulum Wacium e) pisto-

a) Alias ipsi *Gedanenses* rationes reddunt. Vid. epist. 68. & 71. Strenue ergo hæc ficta sunt, & parum a calumniis distant.

b) Mercator, ut paullo post distinctius exponitur.

c) Quale illud privilegium fuerit, mallem explanasset dilucidius.

d) Novum jactantiæ specimen, cui omnes præcedentes epistolæ refragantur, quæ de *imperato* abitu testantur. Quid enim opus alioqui fuisset tot interpellationibus?

e) *Paulum Vack* appellat *Hartknochius* l. c. f. 826. Qui de reliquo, utrum emendarint animum atque sententiam, postquam meliora edocti erant, silet.

piſtorem, utrumque civem, & Hillebrandum Wernerum eliquandi vini artificem, qui ad concionatores civitatis relegati ſunt, ut hæreſin dedoceantur: at, ni dociles iis ſe præbeant, eadem illos exilii pœna manet. Nec dubito, quin cæteris noſtris fratribus, fortaſſis & ſororibus in Chriſto, civitatis fundum inhabitantibus idem brevi immineat. Quantum vero hinc ad Hiſpanicam nobis inquiſitionem reſtat, quæ, niſi mature arceatur, plures fortaſſis involvet, quam nunc ſperantur. Vix dubito, Epiſcopum Cujavienſem, qui in urbe jam hibernat, animos ad hæc audenda magiſtratui Gedanenſi addere: nam & Straſſynio huic noſtro de abrogandis ibidem ſacris noſtris non obſcure minatur. a) Quid hic conſilii capiendum, quo tantis malis obviam eatur, ipſi vix diſpicimus. Si aulam regiam appellemus, de injuria querentes, quod cives atque incolæ civitatis honeſti non citati, non auditi prius, nullis teſtibus aut jure convicti abſoluto ſenatus arbitrio in exilium mittantur: id fortaſſis obtineri poſſit, ut ad ordinarium judicium res remittatur. Sed quid hic profi- 375 ciemus, etiamſi tandem per provocationem ad aulæ judicium cauſa revolveretur? Imo metuimus potius, ne, nobis nulla auctoritate, nec ea, qua par eſt, peritia rem tantam agentibus, decretum ferretur, quo omnium in hoc regno fratrum noſtrorum libertati præjudicaretur. Ideo quod omnium intereſt, communi omnium conſenſu, conſilio, ope ſuſcipiendum cenſemus; de quo cum ante Synodum nihil fieri poſſit, e re exiſtimavimus, ut commeatus interim libertas, quam ſalvum conductum vocant, a regia majeſtate pro illis civitatis incolis, quorum refert ea non excedere, obtineatur. Hic igitur operam veſtram imploro, primum, ut inſtrumentum commeatus ſive ſalvi conductus quam optime in rem eorum, quorum intereſt, concipiatur, deinde, ut quamprimum & quam minimo inſtrumentum ſeu potius inſtrumenta ejusmodi obtineantur. Credo enim non uno inſtrumento omnium, ſed ſingulis ſingulorum cauſam concludendam. Quod ſi mandatum inſuper inhibitorium a Regia majeſtate impetrari poſſet, ne magiſtratus Gedanenſis ejusmodi condat decreta, quæ legem ſapiunt publicam, & pacem regni inter diſſidentes b) de religione convellere poſſent: id maxime quidem in rem

a) Quippe Eccleſiaſticæ ejus jurisdictioni ſubjecto. In quo tamen ad finem usque vitæ *Ruari* libertas illa conſervata eſt, & anno 1658. demum, ubi in Comitiis univerſa ſecta *Ariana*, uti vocari ſolet in *Polonia*, proſcripta fuit, penitus etiam poſt ejus obitum ſublata.

b) Hoc ipſum autem erat, de quo diſceptabatur. Et erant præterea, quæ Respublica *Gedanenſis* pro ſuæ civitatis juri-

nostram foret, nec iniquum esset, statutum comitiorum coercendæ 376 summorum tribunalium licentiæ conditum in civitatem quoque nostram extendere; sed vereor tamen, ut id impetretur, nisi forte in privatis Regis literis, quæ tamen in Prussicis civitatibus auctoritatem magnam habent, ut quæ non regno, sed Regi se Poloniæ subesse ferant. Hic tandem abrumpo: nam cætera lator harum literarum, vir mihi amicissimus, quem de meliore vobis nota commendo, expediet, valete. Dabam in Straszynio, VIII. Febr. M DCXLIV.

LXX.

EXEMPLUM LITERARUM EQUITUM PALATINATUS POMERANIÆ UNUM DEUM PATREM, EJUSQUE FILIUM UNIGENITUM CUM SPIRITU SANCTO CONFITENTIUM, QUOS VULGO ARIANOS, QUANQUAM INJURIA, VOCANT, AD GERARDUM COMITEM DOENHOFF, a) PALATINUM POMERANIÆ.

Illustrissime Domine Palatine, Domine omni obsequio nobis colende.

QUanquam Illustr. vestræ Excell. nollemus importunitate esse molesti: duro tamen necessitatis telo impellimur, ut in sinum Illustr. vestræ Excell. exoneremus eam curam ac sollicitudinem, quæ nos mirum in modum jam angit, ea spe nixi, Illustr. vestram Excell. 377 pro singulari sua humanitate nobis & consilio, & auctoritatis suæ præsidio, quam Serenissimi Regis beneficio summam in his oris obtinet, clementer adfuturam. Gliscit indies in civitate Gedanensi tristis eorum afflictio, quos communio sacrorum ita nobis devinxit, ut eorum nos mala non minus, quam nostra ipsorum, afficiant: quæ quidem afflictio primum in eos stringi cœpta, qui propagatæ religionis eatenus saltem aliquo colore arguebantur, quod ob doctrinam ad id non inepti videbantur, quamvis de eo convicti nunquam b) fuerunt; nunc in eos quoque extenditur, quos eruditarum literarum ignorantia ab hac accusatione facile absolvit. Vna enim fere omnes lege in non citatos non auditos lata, idque rigente adhuc hieme, nonnulli quoque cum uxoribus partui jamjam vicinis, aut cum lactentibus liberis, & quidem intra XXIV. horas civitatis territorio exire

bus particulatim urgebant. Cæterum, quanta fuerit *Ruari* in consiliis edictisque sibi suisque dolo eliciendis versutia & vafrities, vel hinc intelligi potest.

a) Hujus jam supra num. 58. legitur nomen inter deprecatores pro *Ruaro* primo loco positum.

b) At *confessus* tamen id est, a se factum vaferrime, *Ruarus*: quem locum ex Cent. I. ep. 25. multoties jam citavimus, & vel

exire juſſi ſunt, quam alii quidem patriam habent, honeſtiſſimis, imo & conſularibus nobilibusque parentibus in ea nati, alii, licet advenæ, a longo tamen tempore vel ut civitate donati, vel ut inquilini civium familiis affinitate innexi, inhabitarunt. Ex iis ſunt, qui ædes in territorio civitatis fundosque poſſident proprios: alii, licet in conducto, variis tamen negotiis ſolo civitatis velut affixi ſunt: quidam etiam ſummorum hujus regni Procerum, atque adeo ipſius Regis (quod Ill. veſtra Excell. non ignorat) ſervitiis implicati, qui ſi con- 378 ſueta ſua ſede in perpetuum excutiantur, non poteſt id ſine ipſorum fortunæ ruina, & alienorum negotiorum turbatione fieri ingenti. Quin & eorum nonnulli ſunt uxoribus conjugati, quæ, cum publica civitatis templa frequentent, maritos in exilium, quod ſe meritas negant, comitari renuunt: a quibus, ut a communibus pignoribus, quam triſtis, imo quam iniqua, quamque impoſſibilis erit hic divulſio? & tamen, quod crimen huic rigori prætenditur? civile quidem nullum: ſunt enim omnes viri alioquin honeſti, civitati fidi, magiſtratui dicto audientes, nemini re ulla moleſti, a) imo multis, vel invidia fatente, officio commodi atque utiles. Id ſolum in exilii cauſam illis imputatur, quod Deum non eo ſenſu atque modo, quem magiſtratus civitatis approbavit, ſed ſecundum conſcientiæ ſuæ dictamen colant, & id tamen non in civitatis, ſed in alieno territorio: id quod tamen vitio nunc illis verti, tanto magis mirum eſt, quod inter ipſos ſint, qui a ſexaginta fere jam annis eadem hæc ſacra pari libertate palam profeſſi, nec eo minus comiter tolerati ſunt, imo etiam conſulum multis propter obſequium chari vixerunt. Nolumus nunc prolixa diſſertatione deducere, jus in conſcientias b) non niſi uni Deo ejusque Filio competere, nec quenquam ad pœnam obſtringi, quod numen eo ritu, quem ipſemet ex divinis literis optimum agnoſcere poſſit, [modo id ſine turba c)] colat: extant enim 379 in pu-

ſolum, quam fuerit innocens, demonſtrare obſervavimus.

a) Hoc ipſum vero erat, quod negabat Magiſtratus *Gedanenſis*. Sed *Ruarus* forte, beneficio ſe affeciſſe cum ſuis eos, cum quibus venenum doctrinæ ſuæ communicabat, videtur exiſtimaſſe: niſi *moleſtiam* etiam de *violentia* interpretatus eſt.

b) Indignor propemodum, toties conſcientiam objici male habitam. Quam pæne dixerim minus impedito cultu divino, etſi putatitio, ſi res quisque ſuas ſibi haberet, ſacris vacare potuiſſe, eosque, qui ſine probro excedere ex urbe jubebantur, id facere juſſos eſſe.

c) Recte hæc limitatio, ſeu temperamentum, additur. *Respublica* enim in *Eccleſia*, vel ſi mavis, *Eccleſia in Republica*, ut inter ſe conſpirent amice, hoſpitatur. Quæ cauſſa fuit, cur in V. T. utraque ſocietas Theocratica in unum corpus coaluerit; haud dubie ideo, ut, qualis etiam

in publico libri integri hoc argumento etiam ab iis editi, cum quibus Illustr. vestra Excell. imo & magistratus Gedanensis, sensu religionis alioquin sociatur. a) Illud tamen non possumus non queri, violari atque convelli hoc pacto fœdus inter ordines hujus regni, super mutua dissidentium b) de religione tolerantia, ante hos LXXIV. annos ictum, c) atque ab eo tempore sæpe repetitum, Regumque jurejurando semper confirmatum. Neque vero ab eo nos fœdere nunc excludi possumus, quod majores ejusdem nobiscum religionis, & nonnulli quoque senatoriæ dignitatis, una cum cæteris percusserunt. Nam si hoc semel invalescat, ut, cum plures in fœdus coeunt, una pars alteram progressu temporis inde pro arbitrio d) eliminare possit: quæ religio, quæ fides fœderibus amplius restabit? saltem, ut hic aliquid sub prætextu innovetur, communis plerorumque fœderatorum consensus atque sententia in conventu Regni generali expectanda

Christocratia in N. T. sit futura, pulchra quadam imagine adumbraretur. Cæterum, si per turbas, ut videtur, seditiones tantum, h.e. turbas extantiores & *atrociores* intellexit *Ruarus*, admodum est hallucinatus. Dantur enim aliæ, quæ gradu ab illis differunt & vel populi plebisque *obmurmuratione inchoantur* (cujusmodi quid supra ep. 68. memoratum est,) ac tandem *in vehementiores motus desinunt*; quibus itidem in tempore occurrendum est.

a) Extant, sed tales, ut vel inscriptio doceat: *Hæreticos non esse occidendos*, sed tamen coercendos aut *compescendos*. Quam in rem *Thummianus* libellus jam anno 1622. Tubingæ lucem viderat. Et quanquam Dissertationem de *Hæreticis ferendis non auferendis* scripserit *Asselmannus*, *Ruaro* inprimis *Rostochii* quondam notus, anno 1613. istic publicatam; non tamen *ferendi* vocem ita accipi voluit, ut ne *coercendos* quidem esse existimaverit: sed, *utrum capitis pœna sit afficiendi*, illud esse, quod inficietur, §. 12. ex professo docuit; eos vero, *qui hæreses spargunt, aliosque seducunt puniri & coerceri* debere, *omnium esse affirmativam*, diserte addidit. Quæ, quoniam huc digitum intendisse videbatur *Ruarus*, evolvenda fuerat ambiguitas. Cæteros v. g. *Calvinum* & *Bezam* de *Serveto* ac similibus aliter sentientes ac propterea mirum in modum hinc inde vapulantes, itemque *Minum* illum Celsum, cum *Mart. Bello*, ac *Remonstrantes* denique suæ inservientes scenæ, non curamus, neque etiam Illustris *Senatus Gedanensis* pro *sociatis sibi eodem religionis sensu* habuit.

b) Conf. ad epist. 51. f. 335. marg. annotata.

c) Indigitatur his verbis ea legis regiæ pars, quæ post obitum, anno 1573., *Sigismundi Augusti* Pol. R., *Jagellonidarum* postremi a recens electo *Henrico Valesio* fuerat confirmata; quam auctor *Vindiciarum Vnitariorum* f. 269. sq. excerptam dedit & operose propugnavit, sed successu temporis non ad *Arianos* eam pertinere, uti ex *Confœderatione Ordd. generali* anno 1668. *Hartknochius* de *Republ. Polon.* L. II. c. II. §. IV. ostendit, cæteri interpretati sunt. Qua de re, cum, quæ extra nos geruntur, nihil ad nos pertineant, alii dispiciant. Nec deerunt, puto, quæ pro civitatis suæ juribus particulatim, immo singulariter, *Gedanenses* movere dubia queant.

d) Hæc forte ejusmodi esse, quæ negare possint, a se fieri, qui secus sentiunt, dicent: Nos manum de tabula.

ctanda foret, quæ contra nos per Dei gratiam nondum a) est promulgata; imo contrarium ejus proximo sub interregno tot magnatum protestationibus b) religione cum Illustr. vestra Excell. conjunctorum palam emicuit. Quod si quilibet de re communi hanc decisionem sibi permiserit; videat, ne, quo jure in alios utitur, idem aliis in se jus exemplo suo sanciat. c) Nec enim est, cur potentia quis sua, quæ nobis pene nulla est, magis se tutum speret: cum, in hac rerum humanarum conversione nullam potentiam, pateat, esse tantam, quæ non ab alia refringatur. Quid? quod expressa lege summis hujus regni tribunalibus interdictum sit, ne decreta condant, quæ sapiant vim legis, & pacem communem labefactare possint? quo jure igitur id una sibi regni civitas arrogabit? nec est, quod quis, privilegium d) de conscientiæ libertate equestri tantum ordini, & civitatum regiarum magistratui, non vero civium earum patrocinari, prætendat: nec enim dicent hoc, opinor, magistratus Gedanenses, ut qui civibus suis nobilitatem vindicant, & pari nobiscum jure ad fundorum provincialium possessionem admittendos eos volunt. Accedit, quod fœdere Ordinum mutuo sub ultimo interregno expresse cautum sit, (quod & a Rege deinde confirmatum fuit) ut religionis usus regiis in civitatibus eo relinquatur in statu, qui ad eum usque diem fuerit, quod & Lublini, atque aliis in civitatibus regiis, nostri respectu etiamnum observari constat: id quod solum securitati nostrorum in civitate Gedanensi suffecerit. Hæc cum ita sint, rogamus atque obsecramus Ill. Exc. V., ut pro ea, qua pollet, auctoritate innocentium fratrum nostrorum patrocinium etiamnum apud Consules Gedanenses suscipere dignetur. Nec est, cur Illustrissima vestra Exc. eo absterreatur, quod & ipsius, & aliorum quorundam hujus regni Procerum preces pro nonnullis apud illos interpositæ fuerint adhuc irritæ. Non uno ictu valida cadit arbor: & spes est, ut Magistratus Gedanensis hac ipsa Ill. vestræ Excellentiæ in sublevandis miseris

380

381

a) Initium jam factum erat anno 1638. continuatio accessit anno 1643. &c. complementum anno 1668. secutum legitur.

b) Quales in *Vindiciis Vnitariorum Przipcovii* nominatim recensentur f. 278. seq. Huc enim verbis his spectari prorsus persuasi sumus.

c) Eadem ratio l. c. urgetur.

d) Non dubito, quin sint, quæ scrupulis his objectis opponi possint; sed, cum nolim esse ἀλλοτριοεπίσκοπος, tutius esse puto, domesticarum rerum gnaris talia relinquere, quam rebus alienis, intercedere. Ipsi certe *Gedanenses*, quo vinculo *Regi* aut *regno* Poloniæ sint innexi, rectissime omnium intelligent. Et forte, si tranquilliores fuissent *Sociniani Gedanensium*, omni hac contentione supersedere fratres isti potuissent.

miſeris conſtantia vinci tandem ſe patiatur. Credimus enim, prudentiſſimos & juris alioquin obſervantiſſimos viros non tam ſua ſponte, quam concionatorum ſuorum inſtinctu, tam aſpera in fratres noſtros ſciſcere: qui concionatores a) nunquam deſinunt, ut audimus, blasphemias noſtras, &, neſcimus quæ, animarum homicidia pro ſuggeſtu crepare, eoque claſſico magiſtratus tamdiu placidos in noſtrum exitium incitare, quaſi vero ipſorum id eſſet, ſententiam hic decretoriam ferre, quam ipſi tamen ne Pontifici quidem Rom. concedunt. Nihil facilius eſt, quam blasphemias alteri a ſe diſſentienti objicere: nec ignorat Ill. V. E., iſtorum cenſorum judicio eccleſiis, quibus I. V. E. addicta eſt, nigrum theta jam pridem aſcriptum eſſe, ut proinde illarum antiſtites non minus, quam noſtri, animarum homicidæ apud iſtos audiant. Lex divina manifeſtis homicidis, ſi inſcii aut inviti cædem perpetraverant, impunitatem dedit, & aſylis ſecuritati eorum cavit: b) cur eadem ipſimet æquitate non utuntur erga eos, qui, an vel errando quenquam occiderint? adhuc ſub judice lis eſt. Nobis certum eſt, non erroribus ejusmodi, c) quibus humana infirmitas pias alioquin mentes in tanta rerum divinarum ſublimitate nonnunquam obfuſcat, ſed peccatis a volentibus per- 282 petratis animas d) occidi: quæ ubi boni iſti concionatores tanquam trabem

a) Mira fluctuatio. Quæ enim in Epiſc. *Cujavienſem* culpa inſtigationis rejiciebatur ſuperiori ep. 69., ea nunc in *Concionatores Gedanenſes* transfertur. Vera cauſſa, ab ipſis Conſulibus Illuſtribus ſæpius expoſita, turpiter diſſimulatur aut negligitur.

b) Sed fugitivis tamen. Quam fugam vero vel ad ſecuritatem etiam injunctam, *Ruarus* cum ſuis detrectaverunt diutiſſime. De reliquo ſi vulgare illud: *Omnem ſimilitudinem claudicare*, applices, cauſſasque etiam ſolicite diſtinguas, facile his omnibus ſcrupulis removendis vel mediocrem induſtriam parem fore credimus.

c) Et peccatis intellectus & voluntatis, in quibus & hæreſes a *Paullo* connumerantur, occiduntur animæ. Audiatur vel ſolus *Petrus*, qui inter alia Pſeudoprophetarum pericula, quæ ſibi aliisque attrahant αἱρέσεις ἀπωλείας, quibus, ut p. p. explicat, *ſubitaneam*, prout fit, in morbis acutis ἀπώλειαι ἐπάγουσι, commemorat. Quales eſſe *Socinianos*, tanto minus dubitandum eſt, quanto apertius eſt, eos *Dominum* potiſſimum, qui ipſos *redemit*, *negare*, idque jamdudum demonſtratum habetur. Quippe quorum tota fere ad divinitatem Chriſti *ſummam*, & hinc profluentem ejus ἀγορασμόν, h. e. *per pretium proprie* ſic dictum pro nobis & loco noſtrum expenſum *expletivumque*, conciliationem impugnandam, doctrina tanquam in compendio redit, cæterisque hypotheſibus ſubſternitur.

d) Vetus ergo eſt cantilena, qua *errores refutantibus*, *vitia morum objici* ſolent, non noſtra demum tempeſtate adornata. Vtrum vero tales fuerint Dantiſcani Theologi, quos delictorum commiſſorum aut certe neglectorum h. l. inſimulant *Sociniani*, non definio. Hoc ſcio, fuiſſe, qui, ubi de b. *Arndii* V. C. libris litigatum erat ſuperioribus annis, eadem creparent; ſed ſtrenue etiam contradixiſſe,

trabem e civitate tam populosa prius eradicaverint, tum demum in festucas errorum nostrorum sæviant. Non dubitamus, Ill. vestram Exc. pro sua prudentia facile videre, quam periculosum sit hoc a civitate moderationis alioquin laude celebri editum in nostros exemplum omnibus in hoc regno circa religionem diffidentibus, eoque & auxilium & consilium in hac causa quodammodo communi præsens ab illa nobis pollicemur, idque etiam vehementer iterum atque iterum rogamus. Quicquid autem hac in parte Illustrissima vestra Excellentia afflictis nostris fratribus, civitatis Gedanensis incolis, opis præstiterit, id credat omnibus nobis, quotquot in hoc regno eadem cum illis sacra sectamur, præstitum, quos proinde tam insigni beneficio ad omne obsequium sibi semper habebit obligatos, certe si nihil aliud poterimus, Deum saltem pro incolumitate Illustrissimæ vestræ Excellentiæ totiusque illius Illustrissimæ familiæ precibus fatigare nunquam intermittemus. In Buscoviis a) kal. Mart. MDCXLIV.

LXXI.

383

PROCONSVLES ET CONSVLES CIVITATIS GEDANENSIS ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO CHRISTOPHORO DE BNIN OPALINSKI, b) PALATINO POSNANIENSI, PRÆFECTO SREMENSI, &C. DOMINO GRATIOSISSIMO.

Illustrissime Domine, Domine gratiosissime.

LIbenter agnoscimus, & subinde etiam grata mente testamur, sat multas esse rationes, per quas erga universas inclyti ordinis Senatorii personas in hoc Regno perpetuum nobis commendatum est observantiæ studium, iisque cum in specie accedat Illustritatis vestræ exi-

Pp pp

nec temere sibi suisque hujusmodi, communia cæteroquin tantæ civitati cum universa Eccl., in his terris spectabili, mala imputari passos esse, meliores quoque Eccl. istius doctores pariter memini. Quæ, præter *Hartknochium*, omnium compendiosissime exposuit, vir multis pii doctique Theologi characteribus insignis b. *Mich. Blanckius* in epistola haud ita pridem *Supplem. Hist. Arndianæ* a S. Rev. Dn. *Scharffio* f. 97. sqq. attexta lectu dignissima. Quod reliquum est, sicut in populosis urbibus, quemadmodum olim in *Corinthiaca*, vitia morum grassari non inficiamur, ita modestiæ leges postulasse nobis videbantur, ut non tam doctoribus talia tam acerbe exprobrata, quam luculentis testimoniis culpæ in ipsis hærentis solide probata fuissent.

a) De quo *Arcisseviano* prædio jam in Cap. I. extremo *Hist. Crypto-Soc.* pluribus dictum est.

b) Conf. epist. 61. & 63. Add. epist. 76. Qui utrum clam faverit doctrinæ *Socini*, non audemus definire. Mirum in modum patrocinio suo illum asseclas ejus juvisse, multa profecto sunt, quæ addocent, suspicionesque gignere possunt.

eximia in fovendo civitatis noſtræ ſtatu benevolentia, non poteſt illa non jucunda videri occaſio, quæcunque reddendi pro facultate noſtra officii promptiſſimam nobis copiam ſuppeditat. Verum quod attinet Ruarum, ejuſque ſocerum Voſſium, pro quibus Illuſtritas veſtra nuperrime datis ad nos literis a) benigne intercedere voluit, ut iis commeandi hac in urbe certorum ſibi commiſſorum negociorum cauſa nonnunquam gratia fiat: horum virorum cauſam, cum publico Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu, ejuſque incolumitate hoc in loco com- 384 paratam, ita affectam ſentimus, ut tantum honori divino & integritati Evangelicæ doctrinæ palam derogaſſe videamur, quantum loci machinationibus & damnato illorum zelo in propagando errore conceſſiſſe argui poſſumus. Nec noſtrum ſolum hoc eſt de Ruaro judicium, quin & alibi, nimirum e Norico agro in Germania publica Eccleſiarum cenſura b) loco pulſus, veluti inevitabili contagione verendus fugiendusque judicatus ſit. Tam enim familiare ſibi redditum eſſe hoc corrumpendi ſimpliciores animos, jam perpetuis ſuis actionibus demonſtravit, ſtudium, ut facilius ſit, quidvis de eo ſperare, quam privatum aliquod ſui ſolius in Sociniana heterodoxia exercitium. Atque hanc quidem conditionem ſuperiori noſtræ declarationi, qua in literis ad Ill. veſtram exaratis, citra domicilii conſtitutionem, acceſſum ei in hanc urbem aliquando permiſimus, & diſſeminandi veneni ſui conatu interdiximus, diſerte adjectam, veteratoria fraude illuſit, evocatis de plebe ex urbe in vicinum aliquem, uno vel altero milliari diſtantem, pagum, Straszini dictum, quos more ſuo principiis ſectæ infectos tandem titubantes in doctrina fidei reddidit: Voſſii vero in ſpargendis ſcriptis vetitis admodum contumax pertinacia non multo minus ſollicita cura præcavenda fuit, qui ſua culpa tandem quoque urbis hujus vitandæ interdicta meruit, poſtquam

a) Quæ haud dubie interciderunt. Quæ enim p. a. citatæ ſunt, ſuperiori jam anno ſcriptæ, *Voſſii*, uti quidem h. l. commemoratur, haud meminerunt.

b) Eadem *Gottfr. Arnoldus*, & *Hartknochius* repetierunt; ille in *Hiſt. Eccleſ. & Hæret.* P. II. L. XVII. c. XIII. §. 16. f. 562.; hic in *Hiſt. Eccl. Boruſſ.* L. III. c. IX. f. 819., vocabulis *vertrieben* & *relegirt*, id, quod *cenſura Eccleſiaſtica* in hac epiſt. obſcurius appellatur, explicantes. Falſos autem eſſe omnes, ſive *Gedanenſium* generali illa ῥήσει cæteros, ſive rumore & fama mendaci ipſos Gedanenſes, in *Hiſtor. Crypto-Socin.* demonſtratum eſt tam luculenter, ut teſtimonio etiam inſigni, cum ignoraretur adhuc, qualis eſſet, ornatum diſceſſiſſe *Altorphio Ruarum* monuerimus. Et quanquam poſtea aliter re comperta de eo judicarunt Præceptores atque Acad. Illuſtres Nutritores, nunquam tamen proſcriptus ex Eccleſia publica cenſura, legitur.

quam nimirum lenioribus remediis ad debitum obſequium induci nullo modo potuit. Qua de cauſa in his quomodocunque ferendis 385 ſectariis cum multorum hominum ſatis manifeſto periclitetur ſalus, quale ſcandalum e converſatione cum Hebræis, a diſputatorio congreſſu Chriſtianorum plerumque abhorrentibus, longe non metuendum ſit, ideo obnixe veniam poſcimus ab Illuſtr. veſtra, quod hoc in caſu minus nos præſenti ejus poſtulato aſſenſu noſtro conformare queamus; quam etiam tanto confidentius nobis pollicemur, quod aliorum in hac urbe hominum, non minori candore & induſtria commendatorum, opera horum amborum ſeductorum defectum in gerendis ſuis rebus hoc in loco ſupplere poterit, modo ita viſum fuerit. In aliis vero rebus, quoties Illuſtr. veſtræ accepto aliquo promptitudinis ſtudio dedititiſſima officia noſtra probanda erunt, ſedulo præſtabimus, ut ſui nos ſemper obſervantiſſimos ſentiat, cui ſumma felicitatis incrementa a propitio Numine ſincero pectore precamur. Datum Gedani V. Aprilis anno MDCXLIV.

LXXII. 386

STANISLAVS A KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

CASTELLANVS CRACOVIENSIS, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMVS GENERALIS, BVSCENSIS, BARENSIS, COVELIENSIS, BITOVIENSIS, PLOSKIROVIENSIS, &c. PRÆFECTVS,

MARTINO RVARO.

Spectabilis Domine, amice cariſſime.

EX literis noſtris per Abrahamum Fentzelium a) nuperrime a nobis profectum intellexit Dominatio veſtra, cum eo ſolo contractum opera D. Wolzogenii, b) & D. veſtræ initum per nos eſſe approbatum & confirmatum. Et ſane fatemur ingenue, DD. VV. in ea tranſactione cum his opificibus ſerici ſingularem ſuam fidem, diligentiam, ſolicitudinem, & benevoli erga nos animi ſtudium luculenter comprobaſſe, nihilque miſſum feciſſe, quod ad negotium hoc ſolide firmandum deſiderari poſſit. Itaque DD. VV. eas, quas par eſt, agimus habemusque gratias, utque ejus erga nos conteſtati ſtudii

 gratos

a) Officinæ textoriæ & tinctoriæ, de qua ſumtibus *Koniepolii* hoc tempore erecta in ſequentibus epiſtolis maximam partem agitur, præfectum ac gubernatorem, artisque coloribus pannos ac ſericum inficiendi inprimis peritum: qui coram cum duce exercitus ea de re pactus erat: ut ſequentia docent.

b) Hunc ergo cum *Craſio* ſuo, poſt iter Belgicum abſolutum atque e *Pomerania* diſceſſum, utplurimum *Dantiſci*, atque deinceps *Straſſinii* vixiſſe, donec *Vratisla-*

gratos memoresque nos esse intelligant, omnem dabimus operam. Quod vero Joachimum Fiberantium ab eo contractu sejunxerimus, 387 anterioribus literis causam D. V. exposuimus; nunc vero certiorem D. V. facimus, necdum hominem nunc apud nos comparuisse; ex quo constat, qua ille diligentia circa opificium hoc uteretur, cum plus studeat ventri ac poculis, quam huic concludendo contractui, cujus respectu tam longinquum suscepit iter. Neque vero minor ea causa est, quod illius peritia in hoc opificio solis testimoniis nitatur, Fentzelii vero specimen hujus artis D. Pelsio, a) & D. V. de meliori nota cognitum sit; denique quod mihi modestia ipsius, quam vultu & moribus præ se fert, placeat, facileque judicem, Fiberantzium moribus dissonis oneri, & impedimento potuisse ipsi existere. Quod vero inopiam ipsius attinet, ob quam si deliquerit, non est tanti, ut culpam compenset; nihil tale de ipso ominamur, imo omnia optata nobis pollicemur, nimirum, cum uxoris, liberorum, ac familiæ curam gerere, tantoque ad conquirenda commoda enixius allaborare cogatur. De subvectione instrumentorum & operariorum curam agimus; quod a nobis Servitores nostri in mandatis habebunt. Commisimus etiam D. Kolcaro, b) ut eidem Fentzelio summam ducentorum septuaginta talerorum annumeret, nam triginta hic recepit; quod D. V. iisdem anterioribus literis significavimus. Restat, de quo D. V. summopere rogatam esse volumus, ut eundem Fentzelium commonefaciat, quo sine mora operarios con- 388 ducat, instrumenta comparet, atque sese mature pro præfixo tempore ad nos sistat. Novis iis, quæ nobis D. V. transmisit, plurimum delectamur, solertiamque D. V. in scribendo unice amamus, quam quin inposterum adhibitura sit, minime dubitamus, ex qua non minor, quam ex aliis contestatis erga nos studiis, cumulus accedet. Cæterum D. V. optimam valetudinem apprecor. Dabam in arce Buscensi, die IX. Martii anno M DCXLI.

LXXIII.

viam denique concederet, ibidemque vitam etiam cum morte commutaret, ex hac & seqq. epistolis elucet. Forte hinc quoque, quo modo vitam sustentarit, ad *Ruari* exemplum colligere licet.

a) De quo rerum Belgicarum curatore, (*Agenten*) Vid. Cent. I. epist. 65. Nunc tantum *Petri Pelsii* integrum ejus fuisse nomen, ex epistolis Grotianis nos didicisse addimus.

b) Mercatori, procul dubio, Gedanensi.

LXXIII.

STANISLAVS A KONIEKPOLE, &c. M. RVARO.

Spectabilis Domine, amici carisſime.

ABrahamus Fentzelius venit iſtuc ad nos, pactum cum Dominatione veſtra & Domino Wolzogenio contractum concluſurus; Joachimum quoque Fiberantium a) Leopolim veniſſe, atque geniales dies agere, Bacchoque ſacrificare, certo accepimus. Sane antehac conjecturabamur, eum hominem, adeo poculis immerſum, ventrique ſtudentem, nulli uſui in exercenda ea, quam profitetur, arte fore; qua in re opinio noſtra nos non fefellit. Itaque totum onus opificii hujus, tam quoad texendum, quam tingendum colore ſericum, Abrahamo Fentzelio, iisdem conditionibus, articulis, & ligamentis, quæ ſunt in contractu a DD. VV. ad nos miſſo deſcriptæ, 389 ſubeunte, cum eo contractum inivimus, vel potius per DD. VV. initum ratum fecimus. Quod cum ita ſit, a Dominatione veſtra poſtulamus, ut det operam, quo idem Fentzelius mature de inſtrumentis, opificio huic neceſſariis, cogitet atque iis curatis, negotiisque ſuis peractis, pro præfixo tempore mature ad nos redeat. Ne quid vero moræ per nos ſit, damus literas ad D. Kolcar, ut ipſi ducentos ſeptuaginta taleros (nam triginta hinc a nobis diſcedens pro viatico recepit) tradat, ab eoque ſyngrapham recipiat, vigore cujus in decurſu anni de parte quæſtus ad ipſum redeunte ea ſumma detrahatur, nobisque, prout conventum eſt, reſtituatur. Idem D. Kolcar curam adhibebit, ut operarii Fentzelii ac inſtrumenta per flumen ſubvehantur. Cæterum ad literas D. V. earumque puncta per noſtrum tabellarium uberius reſpondebimus. Cui interim optimam valetudinem precamur. Datum in arce Buſcenſi VI. Mart. MDCXLI.

LXXIV. 390

STANISLAVS A KONIEKPOLE, &c. M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carisſime.

BInas accepi Spl. D. veſtræ literas, alteras de data die XXV. Februarii, alteras V. Martii Gedani exaratas; utrasque gratiſſimas, vel ob nova, quibus me ad ſatietatem ſumma ſcribendi ſolertia oblectat, modum-

a) Vid. epiſt. præced. 72. ubi ob eandem cauſſam tinctorem hunc; imbuendæ gulæ magis, quam ſerico idoneum repudiaverat.

modumque sejunctum a literis tractandi ea a) elegit, vel ob negotia mea, quæ ipsi curæ esse probe intelligo. Itaque cum gratissimæ utræque literæ mihi fuerint; grates Spl. D. vestræ pares benevolentiæ ac propensioni ejus erga me constanti habeo; relaturus ipsa re, cum usus & occasio tulerit. Cæterum Spect. D. vestræ optimam valetudinem prosperrimosque rerum successus ex animo apprecor. Datum in arce Brodensi, XI. Apr. M DCXLII.

391

LXXV.

STANISLAVS KONIECPOLSKI, CASTELLANVS CRACOVIENSIS, SVPREMVS MILITIÆ REGNI POLONIÆ DVX, &c. M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

ALiquot literas hisce diebus a spectabili D. vestra accepi, quibus nihil gratius, nihil jucundius accidere mihi potuit, nam ea nova, quæ mihi summa cura ac continuato labore perscribit, b) non solum me delectant, verum etiam de rebus iis, quæ in orbe Christiano per ludibria fortunæ sursum deorsum volvuntur, non mediocriter instruunt. Itaque officium hoc, tam utile jucundumque, grato amplector animo, meque a Spect. D. vestra magis ac magis obstringi, candide ac ingenue profiteor. Quod vero spectabilis Dominatio vestra excubias meas ad limites regni c) contra Imperatoris Turcarum exercitum ab Azako reducem approbet, id a propensissima spectabilis Dominationis vestræ voluntate proficisci agnosco. Jam vero, quod exercitus ille sine ulla noxa ac damno regni hujus dimissus sit, id divinæ beneficentiæ ac singulari providentiæ adtribuendum existimo, cujus Majestas assiduis votis placanda est, ut, cum cæteris in Provinciis, ac Regnis, funestus Mars detonet, furoreque suo divina ac humana misceat, hoc inclytum Regnum ab ipsis rabie liberum ac immune existat Domini Osembergii d) adventum libenter præstolor, acturus cum eo de iis rebus, quæ negotiationem serici concernet,

392

a) Quo pacto igitur benevolentiam *Koniepolii*, tantæ sub id tempus in Republica auctoritatis viri, sibi conciliaverit *Ruarus*, hinc intelligitur. Ac proinde non est, cur, pro eo tam solicite apud *Gedanenses* interpellasse, cum *Socini* a partibus alioquin in religione non staret, miremur.

b) Novum benevolentiæ & captandæ & retinendæ alendæque ab homine versuto, *Ruaro* inquam, adhibitum instrumentum.

c) *Smolenskianæ* urbi præsidium contra vim metuendam inditum puto innui. Sic enim rerum hoc tempore gestarum monimenta edocent.

d) In officina supra dicta, ut puto, συνεργῷ.

cernet, atque intellecturus, utrum quid solidi eo in passu a principali suo attulerit. Cæterum spectabili Dominationi vestræ optimam valetudinem prosperrimosque rerum successus apprecor. Datum in arce Brodensi XXII. Decembr. M DCXLII.

LXXVI.

LVCAS OPALINSKI a) M. RVARO.

Clarissime Domine Ruare.

SErius forsan, quam negotium requireret, sed quia citius non licuit, partim ob varias occupationes meas, partim ob defectum occasionis, nunc primum Dominationis vestræ literis respondeo. Ac inprimis male habet, emptorem commodum Cadmeæ b) non inventum esse. Hoc me tamen solatur, spem ejus aliquam adhuc esse ex Suecia, cujus responsum omnino expectari volo. Et si jam aperuit mentem suam mihi, quantocius peto eam nuntiari, ut ex re consilium ineam, & certi quid hoc in negotio statuam, atque Dominationi vestræ significem. Interim, non latum unguem discedat 398 a pretio, quod primis literis præfixi & nuntiavi. Non enim refunderentur impensæ in fossores & vecturas & varias operas factæ, si tam vili merx deberet venire, & tam tarde recipi ejus solutio. Vlteriorem meam hac in parte expectet voluntatem, quam statim significabo, postquam mihi scripserit, quid sit ex Suecia nunciatum hoc in negotio. His scriptis, quam optimum Dominationem vestram valere exopto. Datum in arce mea Ritnianensi XVIII. Augusti, M DCXLIII.

Literas si quas ad me scribet, eas ad manus Domini Ceteſtæ c) destinet Cracoviam, aut certe, si commodior fuerit occasio, ad Illustrissimum Dominum Palatinum Posnaniæ, fratrem meum.

LXXVII.

a) *Christophori de Bnin Opalinski*, de quo sub finem epistolæ, & supra in ep. 61. atque 63. frater. Quæ difficultates ex inscriptione epist. 78. nascantur, inferius annotavimus.

b) Arcis forte instauratæ; sic enim ex sequentibus, ubi vecturæ & fossorum adhibitorum ingentibus impensis fit mentio, colligimus.

c) Ex posteris, & forte filii illius *Domini de Cetis*, quem in vita *Crellii*, tanquam curatorem litterarum *Racoviam* perferendarum commemorari & laudari supra jam observavimus. Patrem enim jam diu ante hæc tempora e vivis excessisse constat.

LXXVII.

STANISLAVS A KONIECPOLE, &c. CASTELLANVS CRACOVIENSIS, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMVS GENERALIS, BVSCENSIS, &c. PRÆFECTVS M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

MAximas Dominationi vestræ ago habeoque gratias, quod non 394 solum res novas, scituque dignas mihi summa sedulitate, nec minori labore, perscribat, verum etiam rerum mearum isthic singularem habeat curam, atque gratam & jucundam in iis impendat operam. Quantum attinet initum contractum cum opificibus serici, eum ratum & gratum habeo, manuque mea subscriptum, & sigillo communitum D. V. transmitto. Quod vero spectat nomina variorum operum, in illo instrumento ejusdem contractus Germanice expressorum; etsi plurimi reperiantur in aula mea, qui linguam Germanicam callent, nemo tamen tam Germanorum, quam Scottorum ex Germanico in Polonicum idioma transferre ea opera poterat, quæ facilius ac clarius Italice describi poterant; id ut D. V. efficiat, unice opto. Jam vero vellem, ut holoserica aureis & argenteis filis intertexta, a) tum & bombicinæ telæ Italicis æquiparari possint, nam norma eorum, quas mihi D. V. transmiserat, satis crassa ac rudi opere contexta erat. Quare cum contractum eum approbaverim, jam D. V. curet, ut se opifices isti quantocius itineri accingant, instrumentaque artificio suo servientia comparent, quod ut maturius fieri possit, dedi literas ad D. Koltzar, ut illis vecturam provideat, pecuniamque in contractu expressam ipsis solvat. Vt vero iter hoc securius peragant, Veles hic, quem cum literis ad D. Kolczar amando, erit 395 illis dux viæ, quibus etiam literas passus b) transmitto. Cæterum, quicquid operæ D. V. eam in rem contulerit, paribus studiis ac officiis id D. V., quandocunque usus & occasio tulerit, uberrimo cum fœnore grati animi recompensabo. Cui interim optimam valetudinem prosperrimosque rerum successus apprecor. Datum in arce Barensi XIII. Septembr. M DC XLIII.

LXXVIII.

a) Dilucidius his verbis, qualis fuerit illa fabrica textoria, & quemadmodum a tinctoria, inserviente illi, materiamque infectam coloribus subministrante, distincta fuerit, explicatur.

b) Litteras, quibus liberi commeatus potestas fiebat: *Einen Pass*, ut nostri loquuntur. *Polonicæ latinitatis* specimen forte non injuria dicere liceat.

LXXVIII.

ABRAHAMVS OPALINSKI, a) PALATINVS POSNANIENSIS, &c. M. RVARO.

Clarissime Domine, Amice honorande.

VErecundiæ meæ vim inferre videor, dum D.V. toties officiis & negotiis meis eo implicatum. Sed referendæ gratiæ eo commodiorem occasionem nactus sum, quo propius Dantisco residere in animo habeo. Inde enim facile suppeditare potero, quæ D.V. commoda, atque hinc grata esse existimavero. Novorum ad me mittendorum ratio in ea loci distantia videtur esse difficilior, quid si D.V. videretur ea Torunium ad Patres Societatis Jesu dirigere, ut inde breviori via per Cosaccos meos habere eadem possim: qua quidem de re admonerem & commonefacerem prænominatos Patres, modo perspectam habeam hoc in negotio D.V. sententiam, vel si quid aliud commodius suppeditare habeat. Generosum Dominum Vol- 396 zogen b) vel fuisse vel esse Dantisci autumo. Si sit, rogo, summam necessitatem videndi ejus & una conferendi me habere, innuat, atque simul bene valeant. Datum Tuliscoviæ 9. Febr. M DC XLIV.

De cursoribus, quos vulgo Laquay vocant, de chirothecis ex pellibus canum marinorum confectis, & quæ præterea commissa sibi habet, aliquid certi sciam. Auri quoque pro acupictore meo tantum habeam, quantum reliquum pecuniæ meæ apud D.V. restantis suffecerit.

LXXIX.

STANISLAVS A KONIECPOLE, &c. CASTELLANVS CRACOVIENSIS, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMVS GENERALIS, BVSCENSIS, &c. PRÆFECTVS M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

BInas a D.V. accepi literas, alteras in Strasinio XXVIII. Januarii, alteras

a) Existimaveram primum, cum in hanc epistolam inciderem, successisse hunc *Abrahamum*, in eodem munere splendidissimo, supra aliquoties memorato *Posnaniensi* Palatino *Christophoro Opalinski*; sed, postquam & annum mensemque, quibus hæ literæ scriptæ sunt, & *Christophori* eas, quæ d. 27. Maji ejusdem anni exaratæ num. 80. inspexi, hæsitare cœpi, & ne nunc quidem, quid de gemino hoc Palatino habendum sit, eodem tempore eodem quoque officio fungente, nisi error sit aliquis commissus, me intelligere fateor.

b) Novum & clarius, ubi commoratus sit, quidve rerum egerit J.L. *Wolzogenius*, argumentum; quæ circumstantia vitæ ejus plenius describendæ aliquid lucis afferre possit.

alteras III. Februarii, in quibus D. V. pro constanti suo in me affectu, nec interrupta consuetudine, plurima nova scitu dignissima, utpote instabilis fortunæ ludos præ oculis ponentia, gravi & accurato stylo describit. Quod vero D. V. de felici cum Tartaris nostro successu optimam spem conceperit, atque auguriis faustis, bonisque ominibus nostros in resistendo sævo huic Christiani nominis hosti prosecuta sit conatus, non solum erga me, verum etiam erga inclytam hanc rempublicam, singularis D. V. studii maximum est indicium, neque vero spes concepta D. V. fefellit, aut omina & auguria ipsius irrita fuere; faventibus etenim, ac pro nobis militantibus superis, in ipsis liminibus Regni, auspiciis Sac. Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi, numerosissimi exercitus barbarici robur fœda strage affectum, a) fusum, fugatum, & in latebras Tauricanas abactum. Itaque, tanti divini beneficii memores, divinæ Majestati grates persolvimus, quæ flammam & ferrum a cervicibus Reipublicæ depulit, atque barbaros maxima ignominia absque ullo ditionum Regni hujus damno aspersit. Cæterum D. V. optime valere cupio. Datum in arce Brodensi VII. Mart. M DCXLIV.

397

398

LXXX.

CHRISTOPHORVS OPALINSKI b) PALATINVS POSNANIENSIS M. RVARO.

Clarissime Domine, amice honorande.

AD Dominum Colmerum scribo, quod & D. V. oretenus referet, me in eam partem inclinare, ut hoc anno præfecturam utramque Osiecensem & Medsilecensem ipse teneam, iisdem c) elapso eandem elocaturus, quandoquidem recusant tantum numerare pecuniæ, quantum reditus non solum adferre fructus, sed & superare posse existimo. Interim, D. V. confirmet eos, velim, in amicitia mea, & propensissimo erga eos affectu, cum iis spe facta, me cum nullo

a) *Tartarorum* exercitus est, in quem digitum intendit *Koniepolius*, victor ejusdem felicissimus. Hunc enim 30000. hominum multitudine constantem, & sub exordium anni 1644. irruentem, mascule aggressus ita prostraverat, ut supra dimidiatam partem cæsi sint barbari, atque longa hinc quies ab eorum invasionibus toti *Polonico regno* comparata fuerit.

b) Aut deseruit & ultro abdicavit munus Palatini *Christophorus* iste, servatis sibi titulis, aut eodem tempore duo fuere *Palatini Posnanienses*, collata subscriptione cum inscriptione ep. 78. Concilient hæc, quicunque poterunt. Ego *Davum* me profiteor esse non *Oedipum*.

c) Legendum forte, *eosdem*.

nullo alio contrahere deinceps velle, nisi cum eis solis, quorum candorem (uti mihi relatum est a meis) magni facio & amplector. Nova si quæ sint, rogo, habeam exacte, altius sumpto initio, descripta. Bene vale, clarissime Domine, & me ama. Dabam Tuliscoviæ XXVII. Maji, M DCXLIV.

LXXXI. 399

STANISLAVS A KONIECPOLE, &c. M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

CUm tam longo temporis intervallo nullas a Dominatione vestra acceperim literas, subvereri cogor, optime etenim novi, quam sedulo D.V. amicitias colat, ac quanto studio officiisque eos prosequatur, qui D.V. propensi sunt amici, ne quid adversi contigerit, præsertim vero, cum amor rectus ac probus, suspiciosus anxiusque sit. Quare hasce ad D.V. dandas existimavi, quibus de incolumitate atque valetudine D.V. sciscitor, quæ ut quam rectissima omnique felicitatum genere affluens sit, supplex Divinam Majestatem veneror. Porro ut D.V. frequentiori literarum suarum commercio me beare, deque rebus, quæ in orbe Christiano, quasi novercante fortuna, per varias vicissitudines instabili rota volvuntur, certiorem reddere velit, obnixe a D.V. postulo, gratiamque me abundatissime relaturum spondeo ac confirmo. Cæterum D.V. divinæ protectioni commendo. Datæ in arce Brodensi III. Septembr. M DCXLIV.

LXXXII. 400

STANISLAVS A KONIECPOLE, &c. CASTELLANVS CRACOVIENSIS, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMVS GENERALIS, BVSCENSIS, &c. PRÆFECTVS M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

BInas a Spectabili Dominatione vestra accepi literas, ad utrasque breviter respondeo. Quæ Spectabilis Dominatio vestra scribit de historiis, in plano est, eas ob imbecillitatem ingeniorum humanorum nævo carere non posse, dum vel inscitia rerum, vel affectus erga personas calamum scribentis ducit. Conatus tamen non improbandus; parcendum affectui; indulgendum inscitiæ. Idem de novis sentio: quod nimirum innocentiam ea innocenter exarantis non coarguant, nec integritati ipsius quicquam detrahant; nam fama

multa auget, diminuit, ſupprimit, quin & ipſa creſcit eundo, atque dum adoleſcit, vel ſeneſcit, veritatis medullam prodit. Quapropter uti conatum Spectabilis Dominationis veſtræ, qui ab uberrimo erga me affectu profectus eſt, in tradendo poſteritatis memoriæ bello Scythico, a) quod feliciter anno proxime elapſo peractum eſt, 401 non improbo, ita in exarandis novis ſolertiam Dominationis veſtræ minime damno, quin potius amo, amplector, & veneror, atque in eo officio erga me præſtando perſeverare velit, Spectabilem Dominationem veſtram ſummopere, pro jure amicitiæ noſtræ, rogatam volo. Quantum vero attinet tabellarios, quo nimirum die quam commodiſſime expediri debeant, aſſentior D. V. rationibus, die Jovis perquam opportune id fieri poſſe; qua de re cum Montelupio agam; utque ea dies ejusmodi expeditioni deſignetur, curabo. Cæterum Spectabili D. V. optimam valetudinem proſperrimosque rerum ſucceſſus apprecor. Datum in arce Brodenſi XIII. Januar. MDCXLV.

LXXXIII.

STANISLAUS A KONIECPOLE, &c. CASTELLANVS CRACOVIENSIS, EXERCITVVM REGNI POLONIÆ SVPREMVS GENERALIS, BVSCENSIS, &c. PRÆFECTVS M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carisſime.

Binas a Spectabili Dominatione veſtra hocce temporis intervallo accepi, quas gratiſſime jucundiſſimeque legi, ac relegi. Etenim 402 præter ſingularem Spectabilis Dominationis veſtræ erga me affectum, propenſiſſimique animi voluntatem repræſentant totius plane orbis ſcenam, varia conſilia, multiformes eventus, ac ludentis, ridentis, nauſeantis, detonantisque fortunæ quædam quaſi certamina. Dii boni! quam inſtabili rota volvuntur imperiorum moles, quæ nonnulla exſanguia vix jam ſpirant, nonnullorum nil niſi funeſtum cadaver jacet. Quod cum in cogitationem nobis venit, merito Majeſtati divinæ immortales debemus habere gratias, ob immenſum ipſius beneficium, atque luculentiſſimam providentiam, quæ inclytam hanc rempublicam, amotis bellicarum tempeſtatum execrandis furori-

a) Spem factam eſſe a *Ruaro*, velle ſe belli Sythici, feliciter ab hoc patrono ſuo geſti, (de quo ep. 79.) hiſtoriam conſcribere, palam eſt; ſed, cum nihil unquam ejus rei conſpectum ſit, parum abeſt, quin credam, hac quoque arte ad palpum obtrudendum & animum favoremque tanti viri conſervandum ſibi, augendumque hæc tam larga promiſſa compoſita fuiſſe.

furoribus, in alta optataque pace conservat, quam ut perpetuam ac interruptam esse velit, supplicibus votis eam veneramur. Cæterum Spectabilem Dominationem Vestram bene valere cupio. Datum in arce mea Brodensi die XVI. Maji anno M DCXLV.

LXXXIV. 403

STANISLAVS KONIECPOLSKI, &c. M. RVARO.

Spectabilis Domine Ruare, amice carissime.

EA nova, quæ D. V. uberrimo calamo mihi perscribit, adeo palato meo arrident, sitimque meam explent, ut tanquam a Mercurio aliquo, universum orbem Christianum perlustrante, quid in eo agatur, informari me, jure merito profitear, & tanquam universalem rerum scenam, quam fortuna vario rotatu miscet, præ oculis habeam. Itaque tam solido, & accurato D. V. officio magis ac magis obstringor, cui ut paribus studiis, quæcunque ab amantissimo D. V. amico proficisci possunt, respondeam, dabo quavis data occasione operam. Cæterum a Dominatione vestra summopere postulo, ut quam frequentissimis literis, quæ non solum maximam voluptatem, verum etiam fœcundissimum mihi adferunt fructum, velit me compellare. Interim eam bene valere, ac prosperrimis rerum successibus frui ex animo cupio. Datum in arce nostra Brodensi XXV. Jul. M DCXLV.

LXXXV. 404

LVCAS OPALINSKI a) M. RVARO.

Clarissime Domine Ruare,

PErgratum mihi est officium clarissimæ D. V. in scribendis & transmittendis mihi rebus gestis externarum provinciarum, quod ut tanto præstes sæpius, (quandoquidem ob raras Gedano Cracov. occasiones non fit satis desiderio meo,) egi per literas cum quodam cive & mercatore Cracoviensi, quem vocant D. Hieronymus Pinocci, Italus, ut factori suo Varsaviæ manenti injungeret, scripta D. V., quandocunque illa eo destinaveris, Cracov. transmittere, unde facili negotio mihi postmodum reddantur. Porro petii ab eodem mercatore, ut in schedula cognomen ejusdem factoris sui scriberet, & hisce literis, quas D. V. mitto, imponeret, quo cognito possit D. V. ad ipsius manus dirigere scripta sua. De cætero sit V. D. secura, me debita gratitudine remunerari velle obsequia suæ D.,

a) Vid. ep. 92.

cujus me favori commendo. Datum in arce mea Spytcovienſi die XII. Febr. M DCXLVI.

405

LXXXVI.

M. RVARVS PETRO RZECICIO. a)

QUanquam iſtorum uterque, ſub quorum ungue ſtudia tua hucusque ficta ſunt, vel inpoſterum fingentur, ea ſit in literis prudentia, ut, quid in rem ſtudiorum tuorum ſit, ſine me monitore conſulere poſſint: quoniam tamen & generoſus tuus parens hoc a me exigit, ut meam hic quoque ſententiam dicam, & tu cum magiſtris tuis urges, ut, quam nuper ex tempore ſententiam protuli, eam ſcripto tibi conſignem: age, detur hoc egregiæ omnium veſtrum voluntati, ut & noctuas (quod dicitur) Athenas mittamus. Primum igitur ſuadeo, ut, quoniam omnis noſtra cura eo tendere debet, ut poſt hujus vitæ deliquium cœleſtis felicitatis reddamur participes, ex ſacris literis Dei voluntatem ſalutisque noſtræ myſteria accurate haurias, eoque ſingulis minimum diebus unum ex vetere, alterum ex novo fœdere caput legas, & quidem in lingua patria, quo tanto facilius & memoriæ hæreant lecta, & in communi vita ad uſum trahi poſſint. Eſt ad hanc rem in promptu editio Bibliorum recens ex typographeo Hunefeldiano, b) quæ commoditate formæ in exteros te facile comitari poterit. Suadeo etiam, ut ad precum uſum 406 pſalmos aliquot Davidis memoriter ediſcas, idque itidem vel Polonica in lingua, vel, ſi latina magis placet, prout ii a Buchanano verſibus perquam elegantibus ſunt redditi, quos præceptor tibi tuus ante poterit interpretari. Poſt ſacrorum curam, linguarum tibi ſtudium, ad quas ætas hæc tua maxime nunc eſt idonea, tibi inculco, ſed præ cæteris latinæ, cujus uſus & dignitas cum ubique terrarum in Europa, tum inprimis in patria tua eſt maxima. c) Hujus vero magi-

a) Adoleſcenti nobili, ex gente in Polonia celebrata genito, & Evangelicæ, ut videtur, religioni addicto, atque ad iter in peregrinas terras ſuſcipiendas jam accincto. *Lubieniecius* certe in *Hiſt. Ref. Polon.* L. III. c. XIII. f. 267. *Georgium Rzecicium*, Vrendorffienſem præfectum, hos inter connumeravit, & ex ipſo quoque conſilio ſtudiorum rite tractandorum idem colligi poſſe videretur, niſi *Croquieri* jun. præceptoris a patre accepta haud dubie religio aliud ſuſpicari juberet.

b) Actum eſt de hac editione percommoda, forma quippe octuplicatæ chartæ excuſa, ſuperius.

c) Quippe quæ non tantum in publicis negotiis uſurpatur, ſed etiam tanti hinc æſtimatur, ut vix ſine ejus notitia aliquis ad dignitatem quandam ſpectabilem adſpirare poſſit. Et quanquam *elegantia* tantæ *neceſſitatis* non eſt, ſi quis tamen ea facultate inſtructus ſit, ut terſe etiam loquatur atque ſcribat, tanto majori in pretio habetur.

magiſtros non alios tibi ſuaſerim, quam Ciceronem & Terentium; quibus, ſi velis, ex recentioribus adjungere poteris Politiani Baudiique epiſtolas. a) Vt Gallicam diſcas linguam, cum in Gallia pedem nunc fixurus ſis, ne monendus quidem es, cum ipſamet in familiari vita ſe tibi ultro ſit obtruſura. Sed nec Italicæ linguæ vel magiſter vel uſus deeſſe tibi poterit, cum Genevæ commoraberis, quam ob facilitatem, & quod ejus in aula Regis multorumque in Polonia magnatum eximius ſit honor, Gallicæ omnino adjungendam cenſeo. Si detur in Germania alicubi tibi pedem ponere, nec noſtratem tibi linguam neglectui eſſe velim, cujus licet minor fortaſſe ſit honor in Polonia, tanquam nimium vulgaris, uſus tamen ob id ipſum, quod adeo ſit vulgaris, eſt eximius, cum in aula, tum in militia, tum denique in communi vita, ſi cum mercatoribus negotium incidat. Cæterum quoniam linguarum notitia, licet eruditionis nomine vulgo nunc quoque veniat, ſapientiam in ſe non habet, 407 ſed eo tantum laudari meretur, quod viam nobis ad ſapientiam variis in linguis, ſed latina præcipue expoſitam ſternat: eo tibi ad eas, quæ vere ſunt artes homine nobili dignæ, jam nunc hac ætatula ſtatim contendendum cenſeo. Velim autem cæteris te præmittere Logicam tanquam judicii tui informatricem, quo verum a falſo in omnibus dextre diſcriminare poſſis. Nolim autem te operoſis ejus tricis, quod multi faciunt, diu inhærere: ſuffecerit compendium aliquod ejus, quale eſt exempli gratia Molinæi, b) ſemel peragraſſe, idque uſu deinde tuum feciſſe. Ex artibus, quæ nobilem adoleſcentem decent, præcipue eſſe cenſeo mathematicam, & politicam, & jurisprudentiam. Cum ad mathematicam te voco, nolim ſubtili nobiliſſimæ artis theoria ingenium tuum fatigare. Ex Arithmetica ſatis habeam, te tantum haurire, ut, quæ in familiari vita occurrunt, ad calculos ſine errore revocare poſſis. Geometriæ generalia documenta

cumenta

a) Mirum non eſt, *Baudii* epiſtolas cum Politianeis heic conjunctas fuiſſe; cum politiſſimæ illæ ſint, utut cum luxu quodam, (*ludit* enim, ut *Morhofius in Præfat. Inſtit. epiſt.* loquitur, *non raro & laſcivit,*) delectent, atque hæ pariter, eodem judice, *luxurioſiores facetiis* inſuper & *Plautinis ſalibus ubique refertæ* delectationi inſerviant. At ſine dubitatione genio quoque *Ruari* conformes quod eſſent, cæteris antepoſitæ ſunt. Quare, ut a Polonorum ingenio non aliena ſunt, ita *Ruaro* cumprimis placuerunt, eandem ſtyli formam inprimis amanti. De quo fortaſſis ex hoc loco diſci poteſt, quibus doctoribus & ipſe latinæ linguæ facultatem illam, qua delectat non minus *Lectores* ſuos, quam docet, conſecutus ſit.

b) *Petri Molinæi*, *Prof.* ad tempus *Lugd. Bat.* ac *Sedanenſis* tandem *Theologi*, cujus non *Logica* tantum, ſed etiam *Phyſica* atque *Ethica* extant.

cumenta eatenus tibi delibanda censeo, ut te capacem reddant praxeos ex arte exercendæ, cujus plurima est & in civili & in militari vita occasio. Mathematicæ adjungere quoque liceat Geographiam, quam ex tractatione tabularum primo generalium, deinde specialium, sed in provinciis potissimum notis, aut patriæ tuæ vicinis, ut familiarem per otium tibi reddas, suadeo. Sed inprimis auctor tibi

408 sum, ut animum ad politicen applices, cujus præcepta ex Lipsio a) ab initio vel ob id ipsum petenda tibi censeo, quod centonem ibidem habeas multorum ab antiquis eximie dictorum b). Lipsio non inconsultum sit adjungere Schonborneri politica, Germaniæ statui potissimum accommodata, cujus notitia Polonis ob viciniam & vincula utriusque gentis mutua cumprimis est utilis. Ad politicen merito quoque refero historiam, quæ variis rerum humanarum casibus consilia nostra ad civilem vitam informat: ad hanc ipsa te lectionis jucunditas, cujus ætas hæc tua solet esse appetens, invitat. Si de auctoribus historiæ quæras, Justinum c) tibi primum diligenter terendum censeo, ut qui variarum gentium multumque seculorum res gestas uno velut historiæ corpore complexus est. Quoniam vero in republica Polonica plurima occurrunt, quæ cum institutis atque moribus populi Romani conveniunt, eo, ut post Justinum familiarem tibi reddas Livium, maxime suaserim: possis tamen varietatis causa aliquando interserere lectionem Curtii, qui florentissimo orationis genere res gestas Alexandri Magni persecutus est. Vt ad patriam historiam aditum tibi struas, in qua turpe est hospitem esse, Florum tibi Polonicum Pastorii d) de meliore nota commendo, cui

cum

a) Mirari non satis possum *Ruari* in *Lipsii Politicis* adolescenti probo commendandis ἀβλεψίαν, qui non ignoravit haud dubie, accusari auctorem, nec ab re, *flagitiorum dominationis arcanæ tyrannis propriorum pio Regi pæne inculcatorum*, & aliarum, v. g. *de Fato*, *Religione una*, *puniendis hæreticis* ac similium, hypothesium, quas nec *Ruari* ipsius menti, nec Polonicæ regiminis formæ consentaneas esse, quisquam nescit. Vt taceam, juveni & inexpertis eam quoque methodum, qua *Lipsius* usus est, minus esse convenientem. Quæ omnia pluribus *Bæclerus in Diss. de Politicis Lipsii* explanavit.

b) Libris VII. comprehensa, qui prodierunt primum anno 1610., & aliis quoque digna sunt visa, quæ commendarentur, quoniam, ut verbis *Cl. Struvii* utamur, *materias Juris publici intermixtas*, simul continent. Ipsum auctorem JCtum & Consil. fuisse Cæsareum, aliunde constat.

c) Laudat *Justinum*, *Trogi Pompeji* Epitomes auctorem, quod in eo *Histor.* quasi *universalis* compendium haberi existimavit; cum cæteri antiquiores unius fere gentis, maximam partem, rationem habuerint.

d) *Joach. Pastorii ab Hirtensberg*, cujus *Florus* iste seu *Epitome nova Histor. Polon.* ex *Cromero* & aliis congesta anno 1641. prima vice Lugd. Batavorum & paullo post

cum tempore Cromerum, aut illius epitomatorem ac ſæpe etiam exſcriptorem Herburtum a) ſuccenturiare poteris. De Ethica propterea minus moneo, quod illius te initia jam ex eruditiſſimi diſer- 409 tiſſimique Croquieri b) commentariis percepiſſe intelligam, quibus ut & inpoſterum non tam diſcendo, quam moribus, quæ didiceris, exprimendo inſiſtas, unice tibi ſum auctor. Vbi his in ſtudiis aliquousque progreſſus fueris, ad jurisprudentiam te quoque res invitat, artem homine nobili cumprimis dignam, cujus principia ex inſtitutionibus Juſtiniani haurire ſolent. Sed antequam illuc eas, unius adhuc artis tibi ſtudium inculco, quæ cum reliquarum omnium, quas tibi commendavi, rerum cura pari ſemper paſſu ambulare debet, eo quod ſi ulla in gente, in tua certe, viro nobili per hanc ad famam & dignitatem emergere liceat. Ea eſt facultas de quaque re apte atque ornate dicendi, quam Oratoriam dicimus, cujus præcepta jam ex Voſſio, ut intelligo, attingere cœpiſti. Sed noris vim & facultatem hanc dicendi non tam artis præceptis, quam perpetuo ſtyli uſu, & declamandi induſtria comparari. Itaque quemadmodum celebris ille pictor, ne deſuetudine pingendi artificium perderet, nullam diem ſine linea transmittebat, itidem tibi ſuadeo, ut quotidie aliquid vel ex una lingua in aliam vertas, vel ad alterius auctoris ſimilitudinem effingas, vel ex te denique ipſo, ut aranea telam, producas. Nec abs re erit, quæ ex ſcriptore aliquo eximio memoriæ mandaveris, (id enim malim, quam ut tuam ediſcendo memoriam 410 fatiges,) ita recitare, ut ſingula dicta varietate pronuntiationis atque geſtus veluti animes. Hæc habui, quæ inter plurimas occupationes, inter quas vix reſpirare mihi integrum eſt, in chartam ſubito effundere volui, non quod iis eſſet opus, ſed ut generoſi tui parentis, tuoque ipſius deſiderio gratificarer. Quod reſtat, Deum Optimum Maximum rogo, ut te hinc a nobis abeuntem bonis avibus ducat, &

 egregia

ibidem anno 1642. lucem vidit, ſæpius deinceps & auctius quoque præla ſubiit, & in poſtrema editione anno 1679. ad pacem usque anno 1660. factam exporrigitur: de quo opuſculo pluribus diſſeruit in Script. Hiſt. Polon. §. XI. *Hoppius.*

a) *Joh. Herburti de Fulſtin*, nomen fuit hujus Scriptoris, titulus autem libri: *Chronica*, ſeu *Hiſt. Polon. compendioſa deſcriptio.* De auctore, conſilio ejus & edd. conferatur l. c. *Hoppius.*

b) Patris an filii, incertum eſt. Mihi tamen videtur *Paulli* filius intelligendus, quo *Rzecicius* hic præceptore uſus fuit. Cujus Commentarii Ethici ad libros, qui *Bibliothecæ* latentis numero comprehenduntur, eumque amplificare queunt, pertinent.

egregia doctrina atque virtute auctum ad patrios lares aliquando reducat. a)

LXXXVII.

M. RVARVS CHRISTOPHORO RVSSANOVIO. b)

BOnum nomen es, eruditissime Christophore, qui & debere te fateris, quod promittis, & quod debes, tam certa fide exsolvis. Exosculatus sum profecto literas tuas, tam calide & amorem tuum in me, & pietatem in Deum, spirantes. Quod autem virtutes nonnullas in me veluti apertis tibiis decantas: c) ego vero non nego, me illarum studiosum semper fuisse, minus tamen fortassis, quam debebam, nec eo profectu, quem tua mihi benevolentia tribuit. Interim facile patior, ita te de me sive judicare, sive errare, cum ex utroque lucrum & quidem ex diversis idem ad me redeat, quanquam alterum malim, quia constantiorem voluptatem parit. Veruntamen 411 & error mihi tuus proderit, cum incitamento mihi sit, quo tentem is esse, qualem tu me esse credis, ne turpiter fallam benignam tam amici capitis de me existimationem. Quod vero rogas, ut ex illis dotibus, quibus ipsemet abundem, nonnihil impertiri tibi velim: partim non serio a te dictum arbitror, partim non satis capio. Quid enim? an jocari, vir amicissime, voluisti, cum ista tibi impertiri rogas, quibus ita jam ante affluis, ut a te potius peti deberent: sed malo tamen hoc modestiæ, qua reliquis tuis virtutibus summam addis manum, quam joco, tribuere. Illud vero non satis video, qui possint a me in alium transire dotes, si quæ essent, meæ: nec sunt enim instar nummorum, aliarumve rerum corporearum, quæ mea benignitate alterius fieri possint. Vulgo dici solet, quemque suæ fortunæ fabrum esse: id ego sic potius, quemque suæ virtutis fabrum esse;

a) Scripta est hæc epistola sine dubio anno 1643. aut sequentibus. Idque vel hinc patet, quod *Pastorii Florus Polon.* qui anno 1641. primum excusus est, ut notus satis & passim obvius commendatur. Totam vero epistolam dignam censemus, quæ, cum plurima *Th. Crenius* hujusmodi opuscula de Studiorum methodis aliquot fasciculis denuo recudi curarit, novæ alicui collectioni addito præstantissimo *Bonnæano* opere inseratur.

b) Obscurum nomen, cujus, quæ fuerit vitæ aut dignitatis conditio, investigare nondum potuimus. *Nobilem* fuisse *Polonum*, & quidem e *Polonia majori* vel *minori* ortum, itemque Socinianæ cohortis partem non ignobilem, tota epistola hæc condocefacit. Cætera vero, quoniam, quantæ quantæ sunt hæ litteræ, in exhortatione ad pietatem sinceram, ex *Ruari* tamen mente, occupantur, facile ignorare licet. Nisi forte extra patriam eum h. t. quo epistola scripta est, vixisse, paucis adhuc subjiciendum videatur.

c) Hiulcus est sensus, & forte supplendum: *erras*, aut *nimium amori das* &c.

esse; nisi quod aliorum monita aliquid tamen hic possunt, quæ, ut calcar equo, facultatem quidem animi aut corporis nemini largiuntur, alacritatem tamen addunt. Sed quid & illis apud te opus, nisi quis eadem opera Musas adhortari velit, ut canant, quemadmodum est in proverbio. Ego vero te, mi frater, non aliud monere aut possum aut debeo, quam ut id, quod agis, constanter agas, id est, ut & ipse virtutes Christiano homine dignas pressis vestigiis mascule persequaris, & aliis ad easdem amandum atque complectendum non 412 modo vitæ exemplo, sed & benigna cohortatione, quoties occasio fert, veluti signum aliquod tollas. Quoniam autem plerisque ad virtutum cultum non parum officit pravus de iisdem sensus, quod, illas nec necessarias insigniter ad felicitatem summam, nec in manu atque potestate nostra esse, credant; (quis enim operose & cum molestia sectetur, quo se existimet commode carere posse, imo, quod nullo se studio atque labore a) assecuturum speret?) hic tibi præcipue insudandum esse duco, ut errorem tam perniciosum, quibuscunque poteris mortalibus, eximas, lucemque veritatis, qua nulla melior ad pietatem cæterasque virtutes dux, oculis aliorum inferas, non temere id quidem, (ita enim parum profeceris,) sed prout se dederit occasio, quæ viro prudenti & divinæ gloriæ studioso vix unquam deesse potest. Memini, coram inter nos sermonem fuisse, qui possis id genus libros, quibus arduum pietatis negotium non vulgari neque trito more agitur, in aliorum manus sine tuo incommodo atque periculo deducere: b) quo ne nunc quidem aliquid ad promovendam in animis hominum veri notitiam commodius invenio: sed quid opus, eadem hic inculcando actum agere, apud te præsertim,

 quem

a) Rectius fecisset *Ruarus*, si, quo de studio; viribusne nostris naturalibus duntaxat suffulto, immo solis iisdem innixo, ut fere Philosophi prisci solebant, & temere subinde philosophatus est *Seneca*, virtutem ac pietatem consequi nos posse, existimaverit; an supernaturali divina gratia, sanctam exercitationem primum excitante & provehente, opus esse putaverit, distinctius explanasset. Sed sine dubio naturalem intelligendam putavit, atque adeo cum *fratre*, ex principiis jam satis cognitis inter ipsos, disputavit. Hoc certe videntur, quæ de virtute *in nostra potestate manuque posita* addit, innuere. De cætero per pietatem etiam nihil aliud, quam Socinianæ Ecclesiæ dogmatum compagem, indicare velle, ex phrasi hujus cœtus recepta apertum est.

b) Tantus ergo fuit *Ruari* in propagatione clandestina & callida erroris sui ardor, quem in hac epistola profitetur sine tergiversatione, ut alios quoque fraudes, libros *Socinianorum* cum aliis communicandi, doceret: Vt credam, plus eum bonæ causæ his artibus nocuisse, quam cæteri fere omnes scriptis in lucem emissis ad ornandam hæresin contulerunt.

quem ſcio non minus, atque meipſum, de nulla re dies noctesque magis eſſe ſollicitum, quam ut in amplificando Jeſu Chriſti regno 413 tuas & ipſe partes agas habeasque, quod ego longe glorioſius duco omnibus trophæis atque triumphis, quibus ſe vana mortalitas, poſt hoſtes, & eos ſæpe Chriſtianos, cæſos, finesque prolatos ſcilicet, ſuperbe ſatis effert. Gratulari itaque potius tibi volo, mi Ruſanovi, hunc animum, quem habes, Deumque rogo, ut illius ſtudiis atque votis ita fervidis, pro ſuo in genus humanum amore, atque ut pietate tua dignum eſt, clementer aurigetur. De patria tua, quod ſub calcem literarum tuarum quæris, ego vero nihil aliud novi, quam quod communis rumor inter nos ſit, peſtem in minori Polonia hinc inde recruduiſſe, in majori vero paulatim magis magisque gliſcere. Meretur ſane terrarum orbis, qui ad ſenſum divinæ benignitatis in ſceleribus occaluit, ut tam acribus ſtimulis ad frugem excitetur. Deus Optimus Maximus nos in tam præſenti & undecunque in dies appropinquante periculo incolumes ſervet, cui te, chariſſime Ruſanovi, ex animo commendo. a)

414

LXXXVIII.

VLADISLAVS b)

REX POLONIÆ

SERVITORIO M. RVARO.

VLADISLAVS Quartus, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Inter alios Regum & Principum ſplendores, potiſſimum illum ſemper viſum eſſe, ſi iis hominibus,

a) Incertum eſt, quando epiſtola hæc ſcripta fuerit. Si quid tamen conjecturis dandum eſt, poſt diſceſſum *Ruari* ex urbe *Gedanenſi* data videtur. Plura determinare non auſumus.

b) Vt Diſſidentibus quibusque æquisſimus fuit Rex iſte, ita ut ab initio ſuſpicionibus etiam, ac ſi *Biblia Lutheri* clam legeret, aliisque magis, quam Romano-Catholicis faveret, oneratus ſit: ita procul dubio, ſub id tempus, quo *Ruarum* inter *Miniſtros* ſuos publicis his literis recepit, a *Koniepolio*, *Opalinio* aliisque, id ut faceret, inductus eſt. Ipſi tamen *Ruaro* apud *Gedanenſes* ſolennis hæc declaratio parum profuit.

minibus, quorum ingenia cum magnis comparata ne in latebris sepulta delitescant, sed in publicum omnium producantur conspectum, propitia Principum manus benigne porrigatur. Cum ergo ejusmodi Spectabilem Martinum Ruarum, Virum ingenii, animique dotibus egregie instructum, ex commendatione cum aliorum Regni Nostri consilianorum, tum imprimis Illustris & Magnifici Castellani Cracoviensis, a) Supremi Exercituum Regni Generalis, sciamus; imo ejusdem industriam, fidem, ac dexteritatem in augendis Regni nostri commodis, jam ab aliquot annis, compertam habeamus: dignum judicavimus, ut eundem in numerum Servorum nostrorum cooptaremus, uti quidem præsentibus literis nostris cooptamus, assumimus, & asciscimus, volentes, eundem omnibus ac singulis juribus, prærogativis, ac immunitatibus, quibus reliqui Servitores nostri de jure & consuetudine gaudent, plane ac citra quorumvis hominum contradictionem & impedimentum, ubicunque in hoc Regno nostro sive pedem fixerit, sive itinera susceperit, nulla in contrarium consideratione obstante, gaudere & utifrui. Quo autem uberior eidem Martino Ruaro, Servitori nostro, gratia a nobis concessa videatur: eximimus illum ab omnibus jurisdictionibus & officiis quibusvis, ita, ut in omnibus causis & actionibus in nullo alio judicio, præterquam coram nobis & judicio nostro, respondere, seque justificare teneatur, omnibusque prærogativis & libertatibus, quibus famuli Aulæ nostræ utuntur, gaudeat. Quod omnibus & singulis, præsertim vero Marschalcis Curiæ nostræ, & aliis Magistratibus b) ac aliis officialibus quibusvis notum facimus, benigne mandantes, ut ita se erga præfatum Martinum Ruarum, quemadmodum erga alios famulos nostros, in omnibus gerant, neque sibi quicquam in eum præter mandatum nostrum licere arbitrentur, imo eundem, utpote in patrocinium nostrum Regium peculiariter susceptum, contra omnium impetitionem tueantur pro gratia nostra Regia. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Var-

415

416

 saviæ

a) Manifestum hinc est, quo auctore hæ litteræ a Rege scriptæ aut scribi jussæ sint. Cæterum *Palatini* dignitate omissa, cur Cracoviensem *Castellanum*, quæ priori inferior est, appellarit *Koniepolium*, non satis exploratum habeo. Forte eodem simul officio perfunctus est.

b) Quo pacto vero nihilominus, tamque valida protectione non obstante, ejectus fuerit e civitate *Gedanensi Ruarus*, difficilius est assequi. Verisimillimum nobis videtur, ipsum *Ruarum*, uti supra subinnuit, a se esse factum, ultro tandem post lites sibi toties motas, plures timentem *Strassynium* abiisse.

ſaviæ die X. Menſis Aprilis M DC XLIII. Regnorum noſtrorum Poloniæ & Sueciæ Anno XI.

VLADISLAVS REX.

L. S.

STANISLAVS ZVROWSKI.

LXXXIX.

SERVITORATVS M. RVARO.

JOANNES CASIMIRVS a)

DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNVS DVX LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, CZERNICHOVIÆQVE, NEC NON SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE HÆREDITARIVS REX.

SIgnificamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Inter alios Regum & Principum ſplendores, potiſſimum illum ſemper viſum eſſe, ſi iis hominibus, quorum ingenia cum magnis comparata ne in latebris ſepulta deliteſcant, ſed in publicum omnium producantur conſpectum, propitia Principum manus libere porrigatur. Cum ergo ejusmodi Spectabilem Martin. Ruarum, Virum ingenii animique dotibus egregie inſtructum, ex commendatione certorum Regni Noſtri conſiliariorum, ſciamus; imo ejusdem induſtriam, fidem ac dexteritatem in augendis Regni noſtri commodis, jam

a) Nuper admodum anno 1648. ex Cardinali, nomine tamen magis, quam animo tali, in locum fratris Vladislai IV. electus Rex. Quo deprecatore vero hæc confirmatio ſuperioris declarationis impetrata ſit, cum Rex ipſe generatim tantum *Conſiliariorum Regni certorum* meminerit, & rigidiſſima alias contra *Socinianos*, ſeu Arianos, ſtatuta promulgaverit, dici non poteſt.

jam ab aliquot annis, compertam habeamus: dignum judicavimus, ut eundem in numerum Servorum nostrorum cooptaremus, uti quidem præsentibus literis nostris cooptamus, assumimus, & asciscimus, volentes, eundem omnibus ac singulis juribus, prærogativis, ac immunitatibus, quibus reliqui Servitores nostri de jure & consuetudine gaudent, plane ac citra quorumvis hominum contradictionem & impedimentum, ubicunque in hoc Regno nostro sive pedem fixerit, sive itinera susceperit, nulla in contrarium consideratione obstante, gaudere & utifrui. Quo autem uberior eidem Martino Ruaro, Servitori nostro, gratia a nobis concessa videatur: eximimus illum ab omnibus jurisdictionibus & officiis quibusvis, ita, ut in omnibus causis & actionibus in nullo alio judicio, præterquam coram nobis & judicio nostro, respondere, seque justificare teneatur, omnibusque prærogativis & libertatibus, quibus famuli Aulæ nostræ utuntur, gaudeat. Quod omnibus & singulis, præsertim vero Marschalcis Curiæ nostræ, & aliis Magistratibus ac aliis officialibus quibusvis notum facimus, benigne mandantes, ut ita se erga præfatum Martinum Ruarum quemadmodum erga alios famulos nostros, in omnibus gerant, neque sibi quicquam in eum præter mandatum nostrum licere arbitrentur, imo eundem, utpote in patrocinium nostrum Regium peculiariter susceptum, contra omnium impetitionem tueantur pro gratia nostra Regia. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ die X. Mensis Martii M DC XLIX. Regnorum nostrorum Poloniæ & Sueciæ I.

418

419

JOANNES CASIMIRVS REX.

L. S.

THOMAS VIEVSKI,
S. R. M. Secretarius.

420

XC.

M. RVARO F. BETHLEN. a)

QUamvis non ita pridem literas ad te dederim, quas dubio procul fidæ tibi deferent manus; nihilominus occasione hac commoda mihi oblata, non putavi prætermittendum, aliquot te verbis alloqui, ac de prospera valetudine mea certiorem te facere. Optarim vero a te, vir amicissime, ut tu quoque de rebus tuis, & quid oris in illis agatur, vicissim certum reddas, & quo in statu sint res Domini Johannis Jarai b) quam maturrime significes Ac occasionem ad me literas destinandi habebis commodissimam, si ad manus Excellentissimi Domini Johannis Howerbeck perferri curaveris, qui in futuris Coronationis comitiis aderit Cracoviæ, & ad me facile transmittet. Super hæc, si amorem erga te meum in tuis negotiis probatum cupis, ut sincere mihi aperias, & promtissima officia mea provoces, amice hortor & moneo. Dabam Pjaseczno XV. Nov. M DCXLVIII.

421

XCI.

M. RVARVS COQVO. c)

BInas tuas literas, ornatissime Coque, unas aliis insertas, quarum priores VII. Kal. Jun., posteriores VI. Kal. Sextilis, exaratæ fuerunt, ante pauculos dies accepi, quæ, quod & amanter essent scriptæ, & nonnulla continerent intellectu mihi perquam grata, vehementer me exhilararunt. Meam super stirpe Domini Jesu illiusque matris d) sententiam non tibi modo, sed & eruditissimo illi, quem

laudas

a) *Archi-Mareschallus Principatus*, seu, ut male *Sandius* scripsit, *Regni Transylvaniæ*, a *Zwittingero* mihi, dum inter nos viveret, amicissimo, in *Hungaria literata* vocatur. Ex gente illustri Bethlenorum, ex qua Principatui ipsi præfectus est *Gabriel Bethlen*, vulgo *Bethlen Gabor*, more Hungarorum, qui cognomen præponere solent, dictus, haud dubie ortus, sed aliunde, quam ex his epistolis non cognitus. Socinianæ sectæ de reliquo si non addictus fuit, oppido tamen favit. Eo certe illum refert *Sandius*.

b) *Samuelis* forte *Jarai*, de quo idem *Sandius* in Bibliotheca, ut Plebano post Radecium jun. Socinianarum partium Claudiopolitano, agit, filius.

c) Hoc de *Coquio* consulatur *Diarium vitæ Smalcianæ*, ubi plura de eo, *Socini* quoque placita approbante, annotata reperies. Heic *Gallum* fuisse, non *Polonum*, at *in Polonia vixisse*, & jam *Smalcii* ætate inter suos claruisse, ex epistola hac, atque *Diario* ante memorato, repetimus.

d) Multum ea de controversia disputatum esse inter hos fratres, vel fata illa, quæ *Vogelius* hac occasione subiit, super illa lite cum b. *Franzio* & *Martinio* disceptans, docent; quæ in *Hist. Crypto-Socin.* Cap. III. Sect. I. attigimus. Neque etiam

laudas, amico tuo tantopere placuisse, vel ea de causa lætor, quod in ea virorum tam insignium judicio non parum confirmer. Lubens ex te intelligo, Gallos tuos ad philosophiæ divinæ mysteria animum intendere: novi enim nationis illius ingenia, & quantum, ubi connixa fuerint, possint, eoque non parum ab illis mihi promitto. Si tibi quidam propius innotuerunt, nomina eorum haud invitus ex te resciscam, non inani curiositatis studio, sed ut pietatem eorum, sicubi detur, juvem, vel literis, vel libris, vel denique fusis ad Deum precibus. Locus ille Volkelii, quem ex ejus libro IV. de vera religione mihi objicis, quod & tuum & Cursellii animum offenderit, non miror, cum obiter tantum librum illum tunc temporis inspexeritis: fateor enim, verba, quæ tu allegas, a reliquo orationis 422 corpore avulsa, prima fronte satis absurda videri. a) Quod si vobis vacasset, lectionem persequi, & ad sequentia attendere, non modo

negandum est, nodos reperiri, in *Matthæi* prioribus, ac posterioribus *Lucæ*, Genealogicis tabulis, diversimode descriptis. Quas tamen perfacile removeas, licet modo *Matthæum*, *Josephi* ortum ex Davide per *Salomonem*, *Lucam* autem *Mariæ*, ex eadem stirpe, per *Nathanem*, ipsiusque adeo Christi *originem naturalem* hunc inde deduxisse, cum *legalem* spectarit *Matthæus ad regnum Davidis respectum*, animadvertas, ac de reliquo artificioso compendio priorem, certo, quo memoriæ consuleret, numero, Majores comprehendisse, digniores memoratu, alterum vero singulos recitasse, interque hos quosdam, prioribus cognomines, expressisse, observes. Quemadmodum enim verba apud *Lucam* de *Jesu*, ex hominum opinione *Josephi* filio intelligere, adhibita parenthesi, oporteat, omnes norunt.

a) Locus *Volkelii*, quem in pejorem partem interpretatus erat *Coquius*, cum populari suo *Cursellio*, libri citati IVti, cap. XX. f. 295. invenitur, & quia primo obtutu scrupulum utique movere potest, non de nihilo est. Sed non aliunde illa obscuritas oritur, quam, si charitatem cum oppositis vitiis absolute compares, & quanta sit illa, piis operibus demonstrata, tanta similiter contraria esse vitia, seu delicta adversa ex ipsis *actionibus* simpliciter æstimes. Quando vero, ut recte a *Ruaro* est animadversum, non *animi tantum* & actionum, verum etiam *objectorum*, rationem habendam esse doceas, & quum minus malum *circa res facilius recuperandas* committitur, plus charitatis contra præstari, si *talibus* quoque parcamus, f. 296. a *Volkelio* affirmari demonstres, atque ita simul vicissim, ubi plus noxæ, *objecti scil. minus reparabilis violatione*, detur, *atrocius* etiam *delinqui* observes, res erit in vado; Perinde enim id erit, ac, si quis vitam pro amici alicujus facultatibus, alter vero pro vita ejus profundat aut periculo exponat; Quorum ille sane plus charitatis demonstrat, quam hic præstat, & tamen qui vitam ei eripiat, gravius, quam qui facultates corrumpat, peccat. Sic vero fiet, ut non tantum observata graduum, & peccandi & sancte vivendi, differentia insignis legum divinarum dispositio sapientiam supremi Legislatoris in aperta luce ponat, sed multo etiam magis, ut non minus vitemus scelera contra priora præcepta graviora, quam, ut ad præstantiores etiam circa leviora quædam virtutes procedamus, nos exstimulabimur.

non objeciſſetis Volkelio, adulterium eſſe furto gravius, ſed & ab ipſomet id agnitum atque inculcatum animadvertiſſetis. Sic enim in adverſa ſtatim pagina diſerte ſcribit: *Adulterium furto gravius eſt; cum honor amorque perſonarum nobis conjunctisſimarum, ac fides, bonis fortunæ longe præſtet.* Quid ergo ſibi vult, dices, cum, majorem in eo verſari charitatem, affirmat, ſi bona proximi minime ad me rapiam, quam ſi ab uxore ipſius abſtineam? Ad hunc nodum ſolvendum Oedipo nullo, ut tu putas, opus eſt; ſed, animadverſo auctoris ſcopo, ipſemet ultro dilabitur. Inſtitutum Volkelii eſt, oſtendere miram Dei ſapientiam in ordine decalogi præceptorum elucentem, quem, ait, per gradus veluti progreſſum, primo graviora ſcelera Iſraelitis interdixiſſe, a quibus deinde paulatim ad leviora deſcenderit: atque hinc viciſſim concludit, majoris eſſe virtutis & in proximum charitatis, ſi quis non modo a gravioribus injuriis abſtineat, ſed etiam a levioribus, in quibus alioquin pluſculum ſibi ſolent homines permittere. Vtut ergo uxoris adulterio gravius quis læditur, quam furto: majoris tamen charitatis ſpecimen eſt, ſi quis alterius ne bona quidem invadit, quam ſi ab uxore ejus ſibi tempe-[423]ret: certe quem charitas proximi ab adulterio non abſterrebit, eum nec a furto quidem retrahet. In loco 1. *Cor. I*, 30. uſitata viſitur ſacris ſcriptoribus effecti, ut rhetores vocant, metonymia: Chriſtus enim factus a Deo nobis dicitur ſapientia, juſtitia, ſanctificatio atque redemptio, quia . . . a)

Reliqua deſiderantur.

XCII.

J. A. P. M. b) RVARO.

Literas tuas, clariſſime Ruare, III. Eidos Septembris ſcriptas generoſus

a) Novum hoc ſpecimen eſt, unde, non eſſe has epiſtolas ex ipſis litteris ad amicos miſſis, ſed e primis lineis a *Ruaro* ductis (*aus dem erſten Concept*) typis expreſſas, liquet. Quæ res, uti mancas reddidit plurimas, ita non levem ſuſpicionem movet, inter deſcribendum ac ſecundis proinde curis, haud parum illas ab auctore mutatas fuiſſe: quod Cap. I. *Hiſt. Crypt. Socin.* exemplo epiſt. 15. Cent. hujus IIdæ oſtendimus. Cæterum quod ad hunc locum attinet controverſum, non ipſum Chriſtum factum eſſe ſapientiam, juſtitiam &c., ſed hos fructus ex theſauris ipſius nos expectare debere, ſi Chriſti reddamur aut ſimus participes, coll. *Cap.* hujus epiſt. *primi* comm. *nono*, vel pronomen, *nobis*, additum luculenter declarat. Quo pacto ſenſum hiulcum proclive eſt complere.

b) Hæc demum epiſtola a *Jo. Alb. Pæmero*, Noribergenſi Patricio, ſcripta eſt, poſtquam e peregrinatione in patriam redierat. Cum qua conferatur Centur. I. epiſt. 31. Eam enim, quæ Cent. II. n 42. poſita legitur, male illi adſcriptam eſſe, ſupra jam obſervavimus.

nerosus Sackius a) recte mihi reddidit. Cui utinam amoris & observantiæ erga te meæ luculenta magis indicia demonstrare mihi licuisset. Nunc cum & conditio rei familiaris, nondum, ut tu fortasse putas, matrimonio stabilitæ, & molestissimi muneris b) ratio, variis subinde curis me distinentis, aliud non permiserit, quod unum potui, dedi operam, ut in rebus fratris recuperandis sentiret, amicitiam nostram sibi etiam non fuisse inutilem. Tibi vero insuper gratias habeo, quod, hujus hominis commendatione, fiduciam de me conceptam ostendere, tum & materiam mihi subministrare volueris, bene merendi de juvene, omnium bonorum amore & cultu dignissimo, quique, ut recte olim de ejusmodi indole quidam dixit, literas commendatitias in fronte gerit, proditque (ut Persius inquit) incoctum generoso pectus honesto. Idem quod libellos a te transmissos, [illum de V. D. P. & anti-Botsaccianum c)] sarcinam certe equiti, per tantum viarum spacium, non omnino commodam secum afferre non dedignatus est, dubium me reddidit, utri vestrum plus debeam, cum utrique plurimum me debere confitear. Retulit porro de pace apud vos nunc constituta, d) de qua ut Borussiæ vestræ gratulor, ita Germaniæ nostræ & inprimis Electoratui Saxonico atque Marchiaco serio condoleo, quod Suecicus miles in illas oras e Borussia subvectus acrius bellum ibi excitaturus sit, sed & in aula Serenissimi Hungariæ & Bohemiæ Regis (unde ego non ita pridem domum reversus sum) Poloni ideo male audiunt, quod hoc præsertim tempore, quo præstabat Suecorum vires pluribus bellis implicari & distineri, in inducias cum illis consenserint, inducias, inquam, ut Poloniæ nec inhonestas quidem illas nec inutiles, ita Germaniæ, in quam

424

a) Noribergæ *Sakium*, juniorem, *Casparis* illius, *Sociniani* & patroni Socinianorum filium, ad *Pœmerum* divertisse, cum fratris sine dubio mortui reculas ut reciperet, *Noribergam* iter fecisset, circumstantiæ docent.

b) De quo, ipsiusque adeo *Pœmeri* fatis deinceps subsecutis, jam dictum est copiose *Hist. Cr. Soc.* Cap. II.

c) *Librum* videlicet. Indigitatur vero *Anti-Botsaccus*, Germanice scriptus, seu *Proba der einfæltigen Warnung* &c. quem anno 1633. 8vo evulgaverat, contra *Botsaccum*, Theol. Gedanensem, *Joachimus Stegmannus.* Aliter enim, qui litteris de V. D. P. innuitur, *Crellii* de *uno Dei Patre* famosissimum est opus, quod idem quoque *Botsaccus* anno 1642. examinavit: qui etiam ad *Stegmanni* illas priores φλυαρίας paullo post, ut supra jam notavimus, respondit.

d) Seu renovatione potius ac confirmatione induciarum priorum *Suecico-Polonicarum*, quæ denuo h. a. initæ & d. 12. Septembris, uti tabulæ apud *Piasecium* habentur, subscriptione solenni ratihabitæ sunt.

quam totius belli moles nunc multo impetuosius irruet, certe vehementer perniciosas; neque vero fidem facit Rex vester sinceri erga domum Austriacam affectus, quamvis magnam militum suorum partem Hungariæ Regi suppetias mittat, qui, transmissa Moldavia, a) seu Albi, brevi in vicinia nostra, non sine provincialium terrore, expectantur, ad Rhenum & novas prædas porro deducendi; interim 425 miserrima nostra Germania theatri nimirum usum præbet, in quo exteræ nationes sanguinariam hanc tragœdiam orbi exhibent, de libertate & fortunis nostris decernentes, qui inermes & cuicunque servitio expositi in precium belli cessuri sumus. Nisi Deus labantem rempublicam fulciat, atque opportuna pace imminens nobis e pestilentis belli contagio exitium benignus avertat. De religionis libertate, quam sub hoc rege vestro b) habituri videmini, toti ecclesiæ congaudeo, c) quod si Deus hanc mentem inspirare dignaretur domus Austriacæ Principibus, (& certe de Ferdinando Tertio multi bene ominantur,) non esset, cur illorum directorii Germaniam nostram admodum pœniteret. Atque utinam vel minorum gentium diis & rerumpublicarum vel civitatum saltem præsidibus satis cognitæ essent illæ regulæ Acontianæ, d) neminem aut debere aut posse cogi, ut aliquid credat, vel non credat, contra animi sententiam, in animos hominum solius Dei imperium esse: posse, quamvis in uno atque altero religionis capite diversa sentientes, tamen conspirare ad eundem finem boni publici, &c. Sed hæc nimirum sunt paradoxa.

a) *Muldavia* forte legendum. Nam de flumine *Bohemiæ*, quod & *Vultavia* lat. vocatur, sermonem esse, circumstantiæ addocent.

b) *Vladislao IV.* videlicet: quem semel iterumque anno 1632. & 1633. jurejurando confirmasse, illam se tueri velle, operose urget Auctor *Vindiciarum Vnitarior.* f. 272. ed. Sandianæ.

c) Non satis hæc conveniunt homini Evangelico: Sed fuit fortassis, ut eventus comprobavit, *Pœmerus*, religioni eclecticæ addictus & οὐδέτερος.

d) Quas *Jacobus Acontius* L. de *strategem. Satanæ* tradidit, perexiguos intra limites dogmatum fidei necessariorum, cæteris ad τὸ εὖ εἶναι rejectis, ambitum omnemque fidem complexæ. De quibus alias dictum est. Nunc ejus *Acontiani*, quisquis auctor fuit, libelli cumprimis loca, quæ fol. 315. sqq. -- 324. add. fol. 223. ed. Amstelod. leguntur, consulere, atque inde, quo jure vere *Latitudinarius* dici possit, existimare L. B. denuo jubemus. Quibus meliori de luto finxit præcordia Deus, rectius pro illa *indifferentia Eusebianorum* impia, contra falsa dogmata, *anathema Paullinum* stringendum censent. Quorum judicia & nos, si modo *errantes* non pari rigore omnes condemnes, accedimus. Violenter de reliquo negotia religionis tractari haud debere, facile largimur. Sed est etiam inter *vim* & *Syncretismum* media eaque regia docendi legitimeque, si quando opus sit, petulantes coercendi via.

radoxa. Duræi noſtri a) conatus talem omnimo apud pleroſque effectum ſortiti ſunt, qualem tu conceperas, ſurdis, inquam, fabulam cecinit; nunc ſane ignoro, in quem Britanniæ aut Hiberniæ angulum ſe receperit, (victus, ut opinor, tædio inſuperabilium laborum) jam enim annus eſt, ex quo nec ab ipſo, nec ab Hartlibio noſtro, ullas literas accepi, quod ſi vel ab illis, vel ab authore Technologiæ Theologicæ, b) (quam mihi quidem nondum inſpicere licuit) aliquid habuero, faciam te ejus participem. Tu vero, ſi quid literarum velis ad me perferri, poteris illud fratri tuo D. Joachimo Berolinum c) transmittere, is enim mihi promiſit, atque in ſe recepit, ſe iſta recte curaturum, nam ego hic quidem neminem habeo, cui noſtra tuto committi poſſint; plura alias. Saluta quæſo Nobiliſſimos Viros D. Schlichtingium, Morſcovium, Stojenium, & reliquos, qui officio aliquo d) mihi cogniti ſunt. Vale. Dabam Norimbergæ VII. Kal. Nov. M DCXXXV.

426

XCIII.

CHRISTIANVS MARTINVS e) M. RVARO.

EPiſtolæ amoris radii eſſe creduntur, Vir Excellentiſſime, qui, ſi calentes & recti, facile occupationum nubeculas, veluti interval-

 la

a) *Noſtrum* vocat, non quod Evangelico-Lutheranus ille eſſet, ſed oppoſita ad *Socini* cœtum comparatione. Eum vero jam tunc hinc inde paci inſtaurandæ, quando cum Legato Anglico in Germaniam venerat, operam dediſſe, & inculcaſſe, conſtat. Cætera compendioſe ex eleganti Cl. J. C. *Coleri* de *Duræi* vita & fatis Diſſ. diſci poſſunt. Reverſum in Angliam creatum eſſe Regiæ Bibliothecæ cuſtodem, ex epiſtola *Chriſtoph. Arnoldi* noſtri ad *Richterum* f. 483. cognovimus. Qua occaſione vero iterum in Germaniam venerit, ac probe ad extremum a *Dannhauero* & *Bebelio* depexus 1675. in *Haſſia* diem ſupremum tandem obierit, aliunde jam notum eſt.

b) Quem librum hoc titulo editum, cujusmodi alias *Henr. Reineſii* noſtratis extat, intelligi velit *Pœmerus*, nondum potui inveſtigare, ſed aliis indagandum relinquo. *Reineſianus* iſte hac ætate recentior eſt.

c) Jam tunc ex *Meclenburgico Ducatu* illuc transducto, ibidemque Medicinam feliciter exercente, & in aulam tandem, collata *Archiatri* dignitate, recepto: ubi non parum deprecando deinceps exulibus quoque *Polonis* profuit.

d) Humanitatis videlicet; non religionis conſortio. *Socini* enim dogmatibus addictum haud fuiſſe, multa ſunt, quæ fidem faciant: At tamen cum *Socinianis* in prædio *Mæſtichiano* plurima & pæne nimia antehac familiaritate converſatum eſſe *Pœmerum*, ſuperiores epiſtolæ condocefaciunt. De ipſis ſalutatis *Socinianis* nihil eſt, quod moneamus, quam *Morſcovium* Petrum h. l. deſignari, J. *Crellii* Variorum Opuſcul. editorem. Cæteri enim, *Jonas Slichtingius* & *Joannes Stoinius*, noti ſunt.

e) Cujas fuerit iſte, non liquet. Hoc tamen ex hac epiſtola elucet, partibus *Ruari* atque ſodalium in Religione apprime deditum fuiſſe, & *Regiomonti* h. t. vixiſ-

la rumpunt, serenitatemque inducunt, unde etiam facilis & benignus eris, sicubi incultis hisce meis literulis literaria tua negotia impediam, & ita ex animo scriptionem, & ex scriptione animum ostendam, eumque declarem. Revertor autem ad tuas, constantis tui animi
427 indices, literas, quas ipsius etiam gratiæ, ceu solis percoctu, amœnissimas deprehendi, utpote in quibus non tantum prisca illa veræ literaturæ felicitas, sed etiam ipsa Gratiarum Venus, amoris scilicet Psyche, quam clarissime resplenduit, & (ut verbis Illyrici a) utar) emicuit inter stellas luna minores. Et sane vel maxime dolendum, quod tam multi etiam hodie in dicendo Magistri elegantem illam Latinæ linguæ faciem verborum novitate & falsis coloribus contaminent & corrumpant, ut vix ea poliri, nedum ad latinæ elegantiæ formam commode traduci queat. A quibus tu quidem quam longissime abes, dum perpetuam dictionis tuæ seriem, artis quasi librili ita perpendis & expendis, ut sive vel vincias periodum, vel in quadrum redigas, eam tamen libere sponteque fluentem cedas, & ita quidem, ut quocunque ponas vestigium, ponas vel in flore, qui delectet, vel sententia, quæ informet. Amores tuos quod attinet, quos offers, benigniter facis. Et hos ego in Divina moderatione mihi summos adeoque gratissimos judico, & ne tibi tam bene merenti aliqua a me sit malignitas, tum non tantum, prout æquum est, per fidem eos tenebo, sed Deum etiam ex animo venerabor, ut mihi animum det, si non capacem, certe intelligentem tantæ felicitatis, qui etiam te quam diutissime in salutare Ecclesiæ decus b) ejusque salubre regimen & esse & superesse velit, quæ voti mei unica summa.
428 Clarissimus Baumgart, c) Vir mihi amicissimus, Gedano ad nos jam redux factus, aliquot vestratium (unde etiam gratus ero) mihi libros attulit, quos avide & prono affectu adhuc perlego, nec semel perlegam:

se, ipsa subscriptio commonstrat. Elegantioris latinitatis studium affectavit magis, quam probavit. Luxui enim magis indulget & obscuris argutiis, quam nitidæ perspicuitati. Si quid judico, studiis adhuc *Regiomonti* operam t. t. dedisse, probabiliter affirmandum existimem. Non certe levia sunt indicia, quæ *juveniles conatus* & *factis* & *verbis* declaratos, sed minime *maturos*, præ se ferunt.

a) Forte scribendum est *Lyrici* scil. *Poetæ*.

b) Hæc atque sequentia, *Crellii* potissimum elogia non obscure produnt, quis in Religione sensus fuerit Auctoris hujus epistolæ. Valde profecto in has partes inclinabat, quas *Crellianas* hactenus appellabimus.

c) *Valentinus Baumgartius* Memela-Borussus, qui tantas *Regiomonti* quoque turbas dedit sub idem tempus, & Claudiopolitanus tandem creatus Sociniani cœtus Plebanus, diem istic obiit. De quo *Hartknochius in Hist. Eccl. Boruss.* L. II. c. IX. f. 593. consuli potest.

legam: cum altam & reconditam præ se sapientiam ferant, nec tam premant, quam comprimant, petant, quam perdant nostri temporis hæreticos, & libenter quidem plura vestratium scripta pervolverem, & illa potissimum quorum Epigraphen adjuncta pagina descriptam habet. Vtinam autem mihi ulla cum Gedanensi vestro bibliopola intercederet familiaritas, vel etiam consuetudo, quo facilius scripta mihi ad tempus crederet, & data occasione eadem ad me perferri curaret. Nunquam sane illi dubitandum foret de certissima exsolutionis fide, quin potius eo nomine pertinacis memoriæ eumque gratissimum debitorem habiturus esset, utpote qui omni animi contentione operam daturus, ut beneficium, & gratiæ relatio ultro citroque, ut dicitur, ire possent. Sed quid proh dolor audio! ita delicias expecto, & lachrymas in sinum etiam profundit vir Nobilissimus, Dominus Ganovius, a) qui multorum etiam nostri vulnere refert, Magnum illum Crellium jam in mortis constitutum colliminio, b) & ad fatalem usque metam, cineres, perductum esse. Illum literati ordinis Solem, illum celeberrimi nominis & magnæ famæ Philosophum, ingentem illum Virum, & magni Theologi exactissimum Exemplar. Vivum sane is recte vivendi Exemplum fuit, dum fuit, neque unquam aliquod studii genus attigit, quod non penetraverit, nec quid aggressus, quod non absolverit, & quidem feliciter. Fuit Eloquentia? provocavit verbi Dei hostes: fuit ingenium? petivit eos: fuit doctrina? & perdidit eos atque prostravit. O utinam adhuc mansisset in pristino indumento mortalis sui corporis beatissima illa anima! Vosque o beati cineres exuviæque, quæ jam proh dolor conditorio vestro inclusæ jacetis, utinam vestro etiam nunc spiritu caluissetis! Ah utinam! Sed in divina jussa, ac inevitabilem mortis necessitatem, ne quicquam juris viriumque est humanis questibus, lachrymis atque lamentis. Divina manus illum eripuit, & mutari non possunt, quæ patitur, rescindique consulta Dei nolunt, quod ipsa etiam scriptura abunde docet. Valeat autem beatissima illius anima, & molliter ossa cubent. Ejus vero hæreditas apud posteros inconcussa manebit, & quidem in seras generationes, corpus

429

a) Idem ille, cujus supra jam mentio facta est in epistola *Ruari* ad eum data & ex operibus *Anti-Photinianis* b. *Calovii* descripta. Vid. Cent. I. ep. 55. sqq. Vnde e gente nobili ortum fuisse, paullo dilucidius patet. Incertum tamen e *Polonica* ne an *Borussica* familia natales habuerit, manet.

b) Is enim vitam superiori anno 1636. cum morte commutaverat, ut satis ex superioribus constat.

corpus feliciter quiescet; nomen autem vivet per omnes omnium sæculorum ætates. Sed quo abeo? & quousque te querelis hisce meis detineo? Vultus tuus, cui regendum me Deus & natura tradiderunt, rugas jam contrahit, & dicere videtur:

Quo mihi dexter abis? huc dirige cursum:
Littus ama.

430 Hoc velle debeo vir excellentissime, adeoque per virtutem debere volo, ne te detineam amplius. Interim æternum vale, & me totum tibi dictum & addictum porro amore tuo prosequere, qui totus tuus ero, dum ero, æterno, inquam, amoris & observantiæ cultu, ut devinctissimus, ita addictissimus. Iterum vale. Dabam Regiomonti XII. Octobr. M DCXXXVII.

XCIV.

F. BETHLEN a) M. RVARO.

INtellecto in Polonia convocationis termino, Legati munere a Serenissimo Transylvaniæ Principe functus nonnisi absoluta convocatione huc appuli, unde confectis pro officio negotiis post quatuor forte dies iter resuscipiam. Cum autem præsentium exhibitor, amicus noster singularis, suæ Serenitatis servitor, in ulteriores adhuc provinciarum oras proficiscitur, quin vestram Reverendam Dominationem hisce inviserem literis, prætermittere haudquaquam volui. Nunc per Dei gratiam prospera satis fruor valetudine, licet in itinere aliquid alternationis senserim. Vestram D. Reverendissimam rogatam velim, ne gravetur de sua me valetudine, & aliis, quarum interest, rebus certiorem reddere, præsentiumque exhibitori omni benevolentia adesse, &, quantum potest, auxiliari. Eidem me recommendo, & vitam longævam cum prospero rerum successu apprecor. Datum Varsaviæ VII. Aug. M DCXLVIII.

431

XCV.

F. A LIMBORG b) M. RVARO.

JAm annus est, & quod excurrit, vir amplissime, ex quo literas ad te dedi, ad quas responsum nullum accepi &c.

XCVI.

a) Idem ille, ad quem supra num. 90. posita extat, a *Ruaro* perscripta epistola, Legati h. t. munere ad *Polonos* perfunctus; cujus tota hæc scriptio constat meris amicitiæ & officiorum humanissime oblatorum testificationibus.

b) De quo *Philippi a Limborg patre*, confer Cent. I. epist. 66. & 67. Quarum

XCVI.

F. BETHLEN M. RVARO.

Literas D. V., menſe Decembri, anni proxime præteriti mihi ſcriptas, magno ſinceri animi affectu non ſolum accepi, imo avide easdem perlegi, ex quibus intellexi, D. V. voti me compotem feciſſe, in eo nimirum, quod D. Jaraio a) ſubvenerit, ſumptumque eidem adminiſtraverit, pro quo nullam benevolentiæ meæ declarationis occaſionem prætermittam, verum, data qualibet occaſione, recompenſare eidem non denegabo: daturus operam etiam D. Superintendens b) Eccleſiarum noſtrarum, ut una cum Eccleſia, quanto citius, eandem expenſam D. V. refundere queat: quod, oblata prima ſtatim occaſione, præſtabit. Vt autem D. V. ſignum ſuæ erga nos benevolentiæ ulterius etiam declaret, hoc unum D. V. rogo ſincere, ut in rationem Ill. D. Principis noſtri junioris, Sigismundi c) Rakoczy, Biblia Pariſiis, d) elapſis abhinc duobus circiter vel paulo pluribus annis noviſſime edita, exinde propria ſua expenſa ferri curet, tandemque ad manus Excell. D. Wilhelmii Luſſaviam, indeque huc, manibus ejusdem Ill. D. Principis Sigismundi deportanda, transmittat, nihil dubitans de refuſione precii; ſiquidem idem Ill. Dominus, nacta prima occaſione, conventurus eſt D. V., quo mediante, in ſui amorem 434 ſe inſinuando, rem eidem gratiſſimam præſtabit. Præterea licet ſanctæ recordationis Illuſtr. quondam defuncto e) Principe ſimus orbati

 (quod

poſtrema hæc ipſa eſt inutiliter hoc loco repetita.

a) Vid. ep 90.

b) Vel hinc demum luculentius patet, fuiſſe hunc *Jaraium* juniorem ſtudiorum tunc cauſſa, itinere ſuſcepto, *Poloniam* peragrantem, *Samuelis* illius, de quo l. c. filium. Quando vero *Plebanum Sandius* vocat, at *Bethlen* heic Superintendentem *Sociniani* cœtus appellat patrem, perinde id eſt, & lux moto ſupra dubio inde accenditur.

c) Fratris nempe *Georgii Ragozii*, regnantis ſub id tempus Principis Tranſylvaniæ.

d) Cum non ſit definite explanatum, *Latinane* an *Gallica?* indigitentur, obſcura hæc manent. Gallicorum Pariſ. in fol. anno 1631. & 1639. itemque anno 1640. & anno 1641. meminit diligentiſſimus *le Long*. Latina ſplendidiora fuere, quæ anno 1642. 8. Volum. in folio e typographia regia prodierunt. Sed forte *Biblia magna* h. l. deſignantur cum Comment. variorum 5. Volum. in fol. per *Joh. de la Haye* anno 1643. ibidem procuratam.

e) Ad Deceſſorem *Georgii Ragozii*, tunc Principatum tenentis, *Gabrielem Bethlen*, vulgo *Bethlen Gabor* dictum, hæc reſpiciunt, quem ſcriptor epiſtolæ hujus, propter cognationem & æquitatem atque indulgentiam erga *Socinianos*, tantopere laudat. Ex hydrope illum diem obiiſſe anno 1629. d. 5. Novembr. permultis rebus hinc inde geſtis celebrem, aliunde cognitum eſt. Non obſcure vero ex hoc elogio aliisque ſignis acceptum magis ſibi ſuisque,

(quod ſane dolendum eſt maxime,) verumtamen, ex proviſa Dei benignitate, ſucceſſerunt nobis Principes ii, qui maximis, iisque Heroicis ſunt dotati virtutibus; ſancti, pii, vitæ innocentis, & Chriſtiani, quorum ſub Principatu nos nutu divino intra limites regnorum ſuarum Celſitudinum pro nunc ſat pacati & quieti degimus. In Regno vero Poloniæ, ſimiliter Angliæ, Franciæ & aliis Provinciis audimus (non ſine dolore) graves & periculoſos ſane tumultus & motus; de quibus & aliis neceſſariis, tam publicis quam privatis, ſuaque valetudine, ut me identidem certiorem reddat, ſuique amoris erga me declarationem præſtet, D. V. majorem in modum obſecro. Nos nunc divino ſecundante auxilio proſpere valemus, quod etiam de D. V. ſæpeſæpius audire deſideramus. De cætero eandem feliciter valere cupio. Datum in Bethlen a) VII. Apr. MDCXLIX.

XCVII.

M. RVARVS N. N. b)

PEccarem in publica commoda, ſi prolixis literis tua, mi pater, tempora nunc morarer, quibus impeditiora tibi nulla toto anno 435 recurrere novi. Neque vero quicquam eſt, ſive publice, ſive privatim, quod hinc reſcire cupias, quod non iidem, qui literas tibi meas deferent, coram diſertius expedituri ſint, quorum partes invadere nolo, ne gratiam novitatis eorum narrationi deſtruam, ſi te prior occupavero, aut in illis frigeam, ſi, ut eſt vero ſimile, præventus ab eis fuero. Vnicum hoc literarum mearum argumentum, idemque votum eſt, ut ſtudia tibi mea probem, quæ conatu quidem hactenus majore, quam profectu, urgeo: velim ea per te quoque, vir reverende & clariſſime, ſanctæ Jeſu Chriſti eccleſiæ commendata; quod ſperare ſane juvat, non ulla meriti mei, ſed amoris tui fiducia, quo me plane paterno gratis hactenus complexus es. Deus Optimus Maximus diu te mihi ſalvum & incolumem ſervet, unaque tecum omnes, quotquot iſtic Jeſu Chriſti ſtipendiis imbuuntur, meliorique fortuna vos proſequatur, quam qua Belgicæ eccleſiæ hactenus c) fruuntur, quarum ut non dubito, quin exactam in veſtris ad

Deum

etſi nec *Ragozuis* diſpliceret, fuiſſe, ſi ſucceſſiſſet hujus æmulus *Stephanus Bethlen*, colligitur.

a) Arce gentilitia. Vnde ex illuſtri illa familia, quæ Principum quoque dignitate exſplendeſcebat, etiam *Franciſcum* hunc genitum fuiſſe, tanto luculentius patet.

b) Non alius fuit, ad quem hæ litteræ e *Belgio* ſcriptæ ſunt, quam *Valent. Smalcius.* Id namque totius epiſtolæ argumentum, teſtatur, & vel *patris* titulus confirmat.

c) *Remonſtrantium* nomine duriora ſub id tempus paſſæ, & pæne oppreſſæ, ubi *Syn-*

Deum precibus rationem habeatis, ita, ut ſpero, tandem aliquando miſerebitur ille, qui ſuo arbitrio nobis abſtruſo fata mortalium moderatur, & de tenebris lucem producere poteſt. Vale vir ſumme & ſalve. Dabam Lugd. Batav. a)

XCVIII.

436

M. RVARVS JOACHIMO FRATRI. b)

Mitto tibi, mi frater, IV. exemplaria Antibotſacci, c) quæ tu cum amicis, cum quibus videbitur, communicabis: inter cæteros vero ne prætereas M. Vehram, cujus filius iſta ad te perfert. Precium ſingulorum ſunt XXII. groſſi duoque ſolidi Polonici, quod ſi ad Marchicæ monetæ valorem transferas, erunt argentei VI. nummique duo. Nova ex Moſcovia mira hic ſparguntur. Poſtquam Scheina, d) Moſchovitici exercitus dux, partim Regis noſtri clementia delinitus, partim metu rei male geſtæ pœnæque ſibi imminentis incitatus, regi noſtro ſe copiasque ſuas ſubdidit, ut nuper tibi ſcripſi, ajunt, regem in viſcera Moſchoviæ longius progreſſum obvium ſibi Moſchorum exercitum cæcidiſſe: unde Dux ipſe Magnus metu conterritus relicta metropoli alicubi in monaſterium ſeſe abdiderit, atque ita totum illud imperium regi noſtro patere. Hæc in vulgus miro multorum applauſu ſparguntur: quibus, utut credam, aliquid ſubeſſe veri, mihi tamen nondum tempus videtur triumphi canendi. Creſcunt enim quotidie rumores de Turcarum apparatibus, adeo ut etiam expeditio publica indicenda noſtris metuatur. His rumoribus ego tanto plus fidei habeo, quanto lætiora de ſucceſſu noſtrorum in Moſchovia afferuntur. Quid enim ſi potentia Poloni nomi- 437 nis acceſſione tanti imperii augeatur, an credibile eſt, Turcam id æquis animis laturum? annon reprimet creſcentes nimium ſibique plane formidabiles futuras vicini vires, qui latus Turcici imperii quingentorum fortaſſis milliarium longitudine prætexeret? Deus

 Opti-

odus *Dordracena* inſtruebatur aut jam coierat.

a) Anno 1618. exeunte aut anno 1619. inchoato. Hoc tempore enim a *Ruaro*, ephoro filiorum *Sakianorum*, litteras has datas eſſe, manifeſtum eſt e variis ipſius argumenti rationibus.

b) Jam tunc *Berolini*, ut circumſtantiæ docent, degenti. Conf. epiſt. 92. extremam.

c) *Stegmanniani*: de quo alias.

d) Integrum Ducis hujus Moſcoviticarum copiarum nomen fuit, *Michael Boriſcewiz Schina*. Res autem hæ geſtæ anno 1633. & 1634. ad *Smolenscium*, obſeſſum diutiſſime a *Moſcis*, ſed liberatum tandem obſidione per Polonos, quibus ille ſe tradere coactus eſt, aliunde petendæ ſunt. Eventum de reliquo non reſpondiſſe ſpei *Ruari*, notum eſt.

Optimus Maximus avertat ab hoc regno omnem vim hostilem, quo & ecclesiis in ea sua halcedonia constent! Vale. Dab. eid. Aprilis M DC XXXIV.

XCIX.

M. RVARVS I. H.

VIr Spectatissime, agnovisti sine dubio manum meam, utut non videris subscriptum nomen in literis, quas gener tibi tuus a me detulit: ut proinde de silentio meo queri nequeas. Ego id meliori jure requiro, ut ad illas meas, non verbis quidem, sed reipsa potius respondeas. Si est, ut nunc saltem facturus sis, quod genero tuo recepisti, est, quod tibi gratulemur: nos certe hoc veluti auctoramento tibi obligabis, ut apud cœli offensum numen causam tuam, quoad possumus, deprecationibus nostris lubenter juvare velimus, quo teterrimi facinoris a) non modo pœnam tibi remittat, sed & memoriam, tibi alioquin perpetuo gravem, clementer aboleat. In hanc 438 ego spem sermonem abrumpo, id unum etiamnum tibi inculcans, ut memineris uxoris Lothi. Vale, quod poteris, modo velis.

C. b)

STEPHANO CVRCELLÆO MARTINVS RVARVS c)

VIr clarissime, mihique plurimum colende. Litteras tuas X. Februarii datas magna cum voluptate legi, utpote significatione amoris, quo me immerentem prosequeris, itemque solicitudinis de meo

a) Vt facinus hoc commissum, qualecunque fuit, sive homicidium, sive quod verisimillimum est, apostasia, vix cuiquam distinctius innotescet: ita quoque, J. H. ille, ad quem litteræ hæ datæ sunt, inter incognitos locum constanter habebit suum. De reditu quidem, quando loquitur, & meminisse tandem uxoris Loth jubet, non difficile videtur, hinc colligere, id egisse hac epistola *Ruarum*, ut ad *Socini* cœtum, a quo defecerit, quam fieri possit, ocyssime revertatur, atque h. m. & sensu *non verbis, sed re ipsa ut respondeat*, hunc quoque eum invitasse, credimus; Sed neque huic conjecturæ majorem, quam opinionis vim tribuimus, & *facinoris* admissi rationes determinare certius non audemus.

b) Omisimus *epist. Centesimam*, quæ in *priori editione* comparebat, ad *Pelsium* scriptam; eo quod jam supra Cent. II. partem illa constituerat. Quam vix per oscitantiam, sed, quia ad explendum numerum aliæ deessent, arbitrati sumus, a filio, nova versione e Gallicano protographo, ut alia videretur, vestitam accessisse. Hanc vero ex *epist. Remonstr.* n. 609. positam substituere præ cæteris lubitum est, quia si non extrema omnium fuit, novissima tamen *Ruari* fata enarrata continet, & inter postremas, quas, dum vixit, scripsit, haud injuria numeratur.

c) Eustachii nomine ad NN. data l. c. legitur; sed *Ruari* eam esse, jam demonstratum est alibi.

meo ſtatu, cui & conſilio ſuccurſum is, refertas: quo nomine plurimum obſtrictum me tibi fateor. Ego me hic etiamnum tolero in pago urbi vicino, nec ullum adhuc a militibus damnum, quod quidem reputari mereatur, (Deo ſit laus,) retuli, quamvis viciniam proximam etiam ad ſagittæ jactum non ſemel infeſtaverint. Quod in urbe mihi veſtra a) refugium oſtendis tutum, id magno mihi ſolatio fuit, utarque lubens conſilio tuo, ſi quid hic gravius b) ingruat: interim quam diu ſpes nos aliqua melioris auræ tenet, hinc non facile me in loca tam longinqua movebo, præſertim cum familia, quam per Dei gratiam ſatis numeroſam c) habeo: Nec vero cura Eccleſiarum his in oris deſerenda mihi videtur, quamdiu dabitur iis aliquis adhuc locus, nec modus vivendi, quo hic utimur tolerabili, cum veſtro nimium ſumptuoſo commutandus. Quanquam enim Dei immortalis munere mihi ſuppetat, unde me meosque ad tempus ſuſtentare poſſem: illa me tamen copia, ſi nihil aliunde accedat, facile defecerit. d) Et ut mihi non longum reſtet vivendi ſpatium, cum LXVIII. ætatis annos e) jam exceſſerim: inhumanum tamen videtur, ſi patrimonium omne vivus abſumerem, & uxorem deinde cum tot liberis f) alienæ miſericordiæ in peregrina natione relinquerem. Vt ex opera aliqua litteraria, g) ad quam per Dei gratiam ſatis adhuc mihi virium ſuppetit, rem iſtic faciam, non facile ſperandum eſt, ob inviſum meum nomen, quod omnes abhorrebunt: at me litterulas ſtulti docuere parentes, nec præter illas artem aliam didici, & hæc quoque ætas ad diſcendum ſera eſt. Gener meus, J. S., h) de quo quæris, Dei beneficio valet quidem & in eodem mecum

a) *Amſtelodamo*, ubi *Curcellæus* docuit publice, & anno 1658. ſeq. etiam mortalitatem explevit.

b) Anceps enim fuerat adhuc belli Sueco-Polonici, a *Carolo Guſtavo* contra *Joh. Caſimirum* geſti, alea, & *Boruſſia* tanta, quanta aliæ provinciæ, nondum erat experta incommoda.

c) Incertum eſt, quot liberos habuerit. Plures tamen fuiſſe, quam quorum epiſtolæ hæ præferunt nomina, filios & filiam jam deſponſatam, atque in conjugio viventem, in his litteris commemoratam, hinc elucet.

d) Quantum fuerit patrimonium, neſcimus. Hoc certum eſt, ex hæreditate ſoceri, jam defuncti, ut ex hujus epiſtolæ de eo ſilentio colligimus, rem *Ruari* auctam eſſe. Vid. epiſt. 48. & 69.

e) Non videtur longe ultra progreſſus, ſed vix inchoato anno 1669. diem obiiſſe. Septuagenarium quando vocat *Sandius*, ut jam ſupra notavimus, paullo largius ætatem mortui definivit.

f) Ingentem numerum fuiſſe, & ultra ſenarium exporrectum, parum abeſt, quin ex his efficias.

g) Procul dubio emendationis mendorum typographicorum.

h) *Joach. Stegmannus*, junior, *Chriſtophori* frater.

agit contubernio: sed & illum iniquitas temporum in angustias non exiguas redegit, quandoquidem a biennio & semestri, quod hic agit, promissum e Polonia a) salarium frustra adhuc præstolatur. Frater illius Christophorus b) cum nonnullis auditorum suorum nobilium in Silesiam secessit, & Cruciburgi c) nunc agit XII. a Vratislavia miliaribus sub patrocinio Ducis Briegensis, unde nonnunquam in Poloniam ad obeunda sacra excurrit. Cæteri Amicorum nostrorum, quos tu nosti, omnes Cracoviæ inclusi sunt, quo florentioribus Suecorum rebus velut in asylum refugerant, ut grassantium in se popularium, d) præcipue rusticorum montanorum, impetum evitarent. Circa Lublinum tamen & in Volinia, e) immo & in Lithuania sub Moscho, nonnullis nostrum munere suo per intervalla fungi licuit: nunc quid fiat, postquam Ragocianæ expeditionis f) fama belli molem versus Hungariæ confinia traxit, ignoro. Ad quæstionem de Sabbato g) quam ipse proposueram, illud respondendum censeo, sanctimoniam Sabbati ab exordio quidem mundi a Deo decretam, ob perfectam ante illud rerum creationem, legem tamen de illo feriando jam tum nullam h) fuisse latam, quæ genus humanum universum

a) Vbi docuerat suos, ordinarii inter *Socinianos* Ecclesiastæ munere perfunctus. Abiisse tandem post soceri hoc anno secutam mortem, & quidem cum *Andr. Wissowatio*, anno 1663. *Manhemium*, hinc vero, post breve tempus istic exactum, Claudiopolin, ibidemque anno 1678. vivere desiisse, annotavere *Auct. vitæ Wissowatianæ* & *Sandius*. Qui tamen cespitavit, quando *Laurentii* & *Christophori* fratrem appellavit, quem *Christophori* quidem fratrem, ut hæc ipsa epistola diserte tradit, *Laurentium* autem *Joachimi Senioris* germanum fuisse, ex superiori epist. 45. constat.

b) De quo in Polonia itidem incertum tamen, ubi docente, quædam, sed pauca notavit *Sandius*.

c) Conf. epistolam ad Anonymum inde anno 1661. d. 17. Junii scriptam, quæ in *Lubieniecii* Hist. Reform. Polon. extremum locum occupat. Cui tamen *Stegmanni* hujus nomen subscriptum non legitur, atque hinc, vel mortuum esse interea, vel aliorsum discessisse probabile redditur.

d) Hac de persecutione per *sacerdotes rusticosque* in submontanis, post recuperatam a *Polonis Cracoviam*, pluribus egit *vitæ Wissowatianæ* scriptor diligentissimus f. 247. ubi quid *Robcoviæ* & in hæreditario pago suo *Wrocmirowa Wissowatius* tentarit, ut quomodocunque illic instauraret res *Sociniani cœtus* dispersi, similiter narratur.

e) Ad hæc illustranda *Hist. Reform. Polon. Lubieniecii* L. III. capp. XIV. & XVI. conferri possunt.

f) Is enim ut Suecis suppetias ferret, spe impetrandæ coronæ seu dignitatis Regni Regisque Poloniæ, cum numeroso 30000. hominum exercitu e *Transylvania* in Poloniam, impetum nuper admodum fecerat.

g) Hæc pars illa est & fragmentum, quod ex Cent. I. n. 88. huc rejecimus.

h) *Gomari* ergo sententiam suam quoque fecit *Ruarus*, pro qua ille dudum & jam scripto publico anno 1628. edito, quod *Investigationem sententiæ de orig. Sabbati in-*

ſum obſtringeret, ſed populo demum Iſraelitico, a) accedentibus & aliis illis peculiaribus cauſis, irrogatam, quæ proinde cæteras gentes, niſi Iſraelitis immixtæ habitarent, non innodaret. Ipſimet Judæi, ſi bene memini, Sabbati religionem non includunt præceptis Adamo Noæque b) datis. Vnde recte tu obſervaſti, primam obſervandi Sabbati mentionem c) Exodi XVI. haberi, ubi religio illius Iſraelitis manifeſto cohibitæ mannæ documento commendata fuit. Cæterum ſi quæratur, an nos etiam, qui Chriſto nomen dedimus, Sabbati vinculo conſtringamur? reſpondere velim cum Apoſtolo, nemini jus eſſe nos damnandi ἐν μέρει diei feſti aut novilunii aut ſabbatorum, d) ut, quæ fuerint umbra rerum futurarum, cum nos corpus, quod eſt Chriſtus, teneamus. Nam & idem Apoſtolus alibi tam eum, qui diem quemvis peræque æſtimat, in animo ſuo plene certum eſſe jubet, puta, ſe, quod agat, recte agere, cum, quicquid non eſt ex fide, pro peccato habeatur. Quin & Act. XV. cum in Synodo Hieroſolymitana leges quædam rituales, ethnicis ad Chriſtum converſis ad ſanciendam inter ipſos & Iſraelitas converſos concordiam, ferrentur, nihil illis de Sabbatorum feriis e) inculcatum legimus. Ponitur quidem ibidem Moſi ab antiquo id honoris haberi, ut in ſynagogis per omne Sabbatum legatur: nulla vero lex ibi promulgatur, ut id

ſcripſit, propugnavit, a *Riveto* ex profeſſo impugnatam: meliorem an pejorem, ex ſequentibus patebit.

a) Confundi videntur *peculiaris* legis antiquæ ad certum caſum, ubi violari illa poſſe videbatur, *applicatio & explicatio*, ipſaque *legis obſervandæ promulgatio*, *conſecrationis* vocabulo, non in futurum tempus, ſed abſolute ſignificata, & *circumſtantiis* quibusdam deinceps exornanda.

b) Non habet ea in his præceptis locum, ſed uti recentius illæ leges ſunt Judæorum commentum: ita probat tantum ſilentium illud, pro naturali lege non fuiſſe a Judæis venditatum.

c) Non tamen prima l.c. mentio fit, Sabbati *obſervandi*, quippe jam ἀπ' ἀρχῆς conſecrati, quam certis *limitibus*, Judaicæ œconomiæ accommodatis, *circumſcripti*, & liberius adhuc obſervati; etſi non occurrat, uti cultus publici in univerſum, omnis, niſi ubi vix altarium ſubinde exſtructorum *Moſes* meminit, in Patriarcharum vitis, breviter deſcriptis, *diſtincta* ejus memoria. Quod nec ſcopus, Genealogiæ potiſſimum ſacræ, ad Chriſtum deducendæ, requirebat.

d) Videri quidem poterat Sabbatorum omnino h. l. antiquationem adſtrui; Sed, ſi animo expendas, quæ de cibo potuque pari modo docentur, manifeſtum erit, non de ipſo uſu ſimpliciter heic ſermonem, ſed de umbratili in V. T. Judæisque propria obligatione: cujusmodi diſcrimen ciborum, ſalva & ex jure etiam naturæ cognita per cibos corporis ſuſtentatione, eſſe debet liberum. Vnde nihil ex hoc loco probatur, niſi quod in *Aug. Conf.* Cap. XXVIII. pii confeſſores noſtri tradiderunt, & peculiaribus libellis b. *Hannekenius* atque *Fechtius* uberius confirmarunt.

e) Cauſa ejus rei fuit; quia jam natura cenſebatur, cognitum certum tempus publico cultui Dei eſſe deſtinandum. Conf. de reliquo elegantem de *Sabbato gentilium*

ut id in Ecclesiis Christi perpetuo fiat. a) Quanquam vero existimem, nos præcepto decalogi de Sabbato directe non obligari: recte tamen sic concludi putem, si Israelitæ septimam vitæ partem cultui divino consecrare jussi sunt, quid nos facere æquum b) est, quibus non, ut illis, terrena, c) sed cœlestis felicitas est promissa? Item, si Deus Israelitas & sibi, & familiæ & pecori quietem septimo quoque die indulgere voluit: nos utique par est, haud magis illis labori reique faciendæ intentos esse, & familiam pecusque nostrum laboribus fatigare. Sic vero & alias rituales d) leges in usum Christianorum trahi posse credo. Verbi gratia jubebantur Israelitæ & primitias frugum atque primogenita itemque decimas Deo consecrare: tantundem igitur & Christiani, aut etiam amplius de facultatibus suis decidere, & vel Dei promovendæ gloriæ, vel usui pauperum impendere merito debebunt, si modo eo carere possint. Atque hæc quidem ista de re mea nunc est sententia: tu si quid rectius, ista candidus imperti.

Deum Optimum Maximum rogo, ut Ecclesiæ te sui Filii diu salvum & incolumem conservet. Dabam in Sacro Fonte e) a. d. XVII. Kal. Mart. A. M DCLVII.

Cl. Jenens. Philosophi, J. J. *Syrbii* dissert.

a) Nec proinde mirum, ejus non factam esse h. l. mentionem, quia de rebus, a quibus ad tempus abstinendum esset, & quæ offendiculum præbere intempestivo usu possent, h. l. agebatur. Vbi de Sabbato disputatum magnopere fuisse, nusquam legitur.

b) Recte hæc monentur, atque hinc etiam, quod *naturale* est & *morale* in N. T. non sublatum fuisse, sed quæ *ceremonialia* erant, duntaxat desiisse, omnes colligunt.

c) Hæc si de *tota religione Judaica* intelligi velit *Ruarus*, fallitur. *Particularis fœderis* Sinaitici seu Mosaici rationes in præsenti negotio, cum *œconomia Evangelica* Mosaica, quæ certo tantum *modo* Evangelium Christi dispensabat, non debent commisceri.

d) Ita est, atque hinc de legum ceremonialium moralitate integra scripta prostant.

e) Quis ille locus sit, obscurum videtur. Mihi ipsum *Straszynium* κρυπτικῶς sic, quod & *pagi* nomine sub initium epist. indigitaverat, appellatum esse, ut occultum commercium hoc, si vel maxime litteræ interciperentur, manere posset, non est dubium. Neque enim unquam inde abiisse, donec ad plures abiret, *Ruarum* dubitamus; sed istic mortuum esse, certo credimus ac plane scimus.

):(o):(

INDEX I.

Auctorum & *Scriptorum* praecipuorum, quae in Opere utroque passim citantur, ubi solus numerus *Historiam*, addita vero litera *r.* epistolas *Ruarianas* evolvendas indicat.

Rechenber-

INDEX II.

Locorum Scripturæ S. præcipuorum, quæ partim a Socinianorum detorsionibus vindicantur, partim alias explicantur & illustrantur.

VETVS TESTAMENTVM.

INDEX III.

Rerum præcipuarum & memorabilium.

B.

Bapti-

C.

Doldius

F.

Freuden-

K.

mari-

O.

cum

Symbo-

V.

illius

com-

Menda potiora in Crypto-Socinismi Historia sequentem in modum corrigenda.

Pag. 12. lin. 7. leg. *sumtu suo solius.* pag. 36. not. lin. 4. *Evonymo.* pag. 42. lin. 3. *alioquin justo judicio subtrahente.* p. 48. n. l. 8. *at.* p. 60. l. ult. *Francisci.* p. 83. l. ult. *ne ansam.* p. 148. l. 23. *genuino fonte.* p. 165. d) l. 2. *memoratam epistolam.* p. 176. l. 28. *exposuerat.* p. 184. l. 21. *COBIVS.* p. 204. l. 11. *ipsum.* p. 207, l. 17. *ex Deubeliano Beudelianum.* p. 244. l. ult. del. *&* & b) *l.* 5. *eo.* p. 260. n. l. 6. *sit, easque.* p. 290. l. 9. *materiam præbuerint, &.* p. 311. l. 4. *alienæ, non.* p. 399 d) l. 8. *quarta.* p. 393. l. 18. *conjunctas.* p. 458. a) l. 3. *caussæ, quo ipse Sp.* p. 459. a) l. 35. *occupatum.* p. 472. c) l. 3. *erat.* p. 495. l. 9. *ex nominum.* p. 535. a) l. 2. *ab editore.* p. 576. l 15. *Spiritu impulsus Christus.* p. 620. a) l. 7. *Tanquam.* p. 635. c) l. 1. *ipsamet.* p. 650 l. 16. *quia.* p. 831. a) l. 5. *gemacht, er.* p. 837. a) l. 10. *Auffer dem.* p. 838. c) l. 8. *unsere Sünden.* p. 920. a) l. 2. *non tantum.* p. 940. a) l. 18. *monumentorum.* p 949. c) l. 9. *mirari.* p. 983. d) l. 4. *esse necessaria.* p. 1003. b) l. 6. *Schrœdero, id fieri.* p. 1011. e) l. 3. *unaquæque earum.* p. 1018. a) l. 10. *objectum.* p. 1044. e) l. 2. *sui naturam.* p. 1048. c) l. 18. *abditos.* p. 1066. l. 4. *convenit.* p. 1089. l. 10. *nos.* p. 1091. f) l. 4. *solidissime.* p. 1122. l. 9. *si mavis.* p. 1142. g) l. 3. *quum.* l. 5. *sed &.* p. 1157. b) l. 2. *detortorum testimoniorum.* p. 1137. n. l. 5. *constat. Vt hic vero.* p. 1214. a) NB. Hæc nota ad præcedentem paginam l. ult. pertinet. p. 1218. l. 12. leg. *contra Filii & Spiritus S. divinitatem.* del. *Tradelium.*

Monita nonnulla & emendanda ad Ruari Epistolas.

Pag 51 a) lin. 10. *omnimoda Paulus docuit.* p. 61. a) l. 4. *fit, ut, dum.* p. 72. a) l 11. *commisceant.* l. 12. *materialiter sic dicti vel formaliter.* p. 84. b) Non Juris, sed Theologiæ Studiosum fuisse *Voglerum*, jam capite I. H. C. S. demonstratum est,

cui calami errori ignoscendum. p. 85. b) l. 3. *personamve esse.* p. 86. b) l. 3. *in mysteria.* p. 88. b) Non est pie defunctus *Rostochii Nath. Chytræus*, sed ad *Reformatos Bremam* transiit, non sine dolore fratris, ut Schützius in Vita *Dav. Chytræi* copiose narrat. p. 94. n. l. 1. *per Calvinum.* p. 103. b) l. 10. *recurrendum ajunt.* p. 127. a) l. 11. Aliter Manium *Grotii* Vindex, qui ab solis inimicis, & ab Richelio Cardinali coactum esse, ut valediceret Galliæ *Grotius*, affirmat. p. 130. c) l. 1. *alii.* p. 140. b) conf. infra f. 146. & *Manes Grotii Vindic.* f. 297. ubi tertii fratris mentio facta est, ibidemque *Grotium* a suspicionibus *Osiandri* potissimum propter commercium amicum cum Ruaro f. 220. purgari videas. p. 155. d) l. 18. *Pontificii superesset.* p. 163. b) de Mileterii pacificandi studio lege Conringiana Epist. ed. 8. f. 263. p. 183. c) l. 10. Venerunt eo, ut nunc ex *Hist. Eccles. Hungar. Ref.* L. III. S. V. fol. 745. constat, a Principe ipso *Gabriel Bethlen* ambo, gener ac socer, acciti. l. 27. dele *suas.* p. 198. n. l. 16. *probari.* p. 208. b) l. 8. *& ipsum.* p. 217. a) l. 5. *exstant, sine* c) l. 2. *abundans.* p. 221. c) in *Arpiano* Theatro nihil de Sinadio. p. 250. b) Religionis Zwickerianæ compendium vide in *Iren. Irenic.* ejusdem corollario f. 79. explanate traditum. p. 253. b) l. 2. *suburbiis aut ruri.* p. 261. b) l. 8. *Anabaptist. conditor.* p. 278. b) l. 1. *ac nostram.* p. 326. n. l. 14. *ibidemque.* p. 338. a) l. 5. *abjudicare.* p. 348. a) l. 5. *fidissimis illata.* p. 353. b) l. 6. *puniendis titulo.* p. 356. c) l. 6. *colligere.* p. 358. a) l. 5. *& Spiritus.* p. 363. c) l. 3. *resuscitatio.* p. 365. c) l. 3. *lateris proposita.* p. 437. f) l. 3. del. *conferri.* p. 455. a) l. 16. *facit.* p. 460. ⁂ Verba correcta, & recte collocata hoc modo: *seu materia in uterum immissa* &c. sensum planum fundunt. p. 467. c) l. 12. *si quidem.* p. 480. a) l. 7. *unde tanto.* p. 495. n. l. 1. *Slado.* p. 496. * Parum abest, quin per *Höslichium* hunc ipsum *Jonam Schlichtingium* intelligamus. p. 518. d) l. 10. *nos.* p. 531. d) l. 30. *affundit.* p. 536. l. 22. *clarissime Domine.* p. 585. c) l. 2. dele *idem.* p. 587. a) l. 4. *potentia.* l. 9. *quæ non aliter, quam.* p. 589. e) l. 1. *dissidio exegesi insolita præter.* p. 608. b) l. 12. *nemo adhuc.* p. 612. f) l. 6. *potitus.* p. 644. a) l. 12. *impudentiam narrat.* Ubi in genere, numero interpunctione peccatum, ipsa orationis series docebit. Denique tribus verbis, *Epistolas Ruari* duas ad *Richterum* datas in hujus *Epist. Select.* f. 386. seqq. exstare, & unam (nam ceteræ hic quoque locum invenere) ad *Kirchmannum* in *Gudianis* fol. 261. legi, fragmentum autem unius ad *Berneggerum* scriptæ a Cel. Heumanno in Pœcil. T. II. f. 206. ex Bibliotheca Ill. Uffenbachii exhiberi, monendum est.